
Digitized by Google

BIB. DOM.
LAVAL. S. J.

Digitized by Google



BIB. DOM.
LAVAL. S. J.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

H. 377/1

Digitized by Google

Digitized by Google

Parisiis sumptibus Joannis Baptistæ Coignard,
Regis et Academiæ Gallicæ Architypographi, 1715.

Digitized by Google

Digitized by Google

GALLIA

CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM,

EPISCOPORUM,

ET ABBATUM

FRANCIÆ VICINARUMQUE DITIONUM

ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Opera & studio Domni DIONYSII SAMMARTHANI, *Presbyteri & Monachi Ordinis Sancti Benedicti, e Congregatione Sancti Mauri.*

TOMUS PRIMUS.

Bibliothecæ Cisoniensis Anno 1763

LUTETIÆ PARISIORUM,

Excudebat JOHANNES-BAPTISTA COIGNARD, Regis & Academiæ Gallicæ Architypographus.

M. DCCXV.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



PHILIPPO
DUCI AURELIANENSI,
REGUM NEPOTI,
FRANCIÆ ET NAVARRÆ INTERREGI,
PATRI PATRIÆ.

DUM *Te providentiſſimum æque ac potentiſſimum Rectorem & Moderatorem Gallia omnis tanto ſecura patrocinio, ſibi a ſupremo numine datum gratulatur*, SERENISSIME PRINCEPS; *quidni audeat noſtra Gallia Chriſtiana in Tua Regia Celſitudine certiſſimum ac tutiſſimum ambire ſibique polliceri præſidium?*

Digitized by Google



Digitized by Google

H. 377/1

Digitized by Google

by Google

Parisiis sumptibus Joannis Baptistæ Coignard,
Regis et Academiæ Gallicæ Architypographi, 1715.

Digitized by Google

GALLIA

CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS

DISTRIBUTA;

QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM,

EPISCOPORUM

ET ABBATUM

FRANCIÆ VICINARUMQUE DITIONUM

ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Opera & studio Domni DIONYSII SAMMARTHANI, *Presbyteri & Monachi Ordinis Sancti Benedicti, e Congregatione Sancti Mauri.*

TOMUS PRIMUS.

Bibliothecæ Gisoniensis Anno 1763

LUTETIÆ PARISIORUM.

Excudebat JOHANNES-BAPTISTA COIGNARD, Regis & Academiæ Gallicæ Architypographus.

M. DCCXV.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



PHILIPPO
DUCI AURELIANENSI,
REGUM NEPOTI,
FRANCIÆ ET NAVARRÆ INTERREGI,
PATRI PATRIÆ.

UM Te providentiſſimum æque ac potentiſſimum Rectorem & Moderatorem Gallia omnis tanto ſecura patrocinio, ſibi a ſupremo numine datum gratulatur, SERENISSIME PRINCEPS; *quidni audeat noſtra Gallia Chriſtiana in Tua Regia Celſitudine certiſſimum ac tutiſſimum ambire ſibique polliceri præſidium?*

Digitized by Google

EPISTOLA.

Ruebat ſane LUDOVICO MAGNO *rebus humanis exemto, Gallicanum Imperium tot bellis exhauſtum, tot oppreſſum malis. Etenim* ubi non eſt gubernator, populus corruet, *inquit Regum ſapientiſſimus. At ſtatim ac regii ſanguinis legumque jure, optantibus omnibus regni Ordinibus, ad capeſſendam rempublicam acceſſiſti,* SERENISSIME INTERREX, *continuo ſalutis recuperandæ non dubia ſpes Galliæ affulſit; nec immerito quidem, cum ſumma olim prudentia, & bellica fortitudine labantem Hiſpaniarum thronum erexeris, nutantem firmaveris. Præterea quis non miretur tibi affatim a Deo Optimo Maximo collatas dotes & virtutes omnes ad recte gubernandum Imperium conducibiles? Diſciplinarum enim ac bonarum artium quarumlibet es conſultiſſimus, veri obſervantiſſimus & æqui; ingeniique præſtantia & judicii ſolertia, præſertimque amore patriæ ceteros antecellis. Neque vero præconcepta de Tua Regia Celſitudine ſpes fefellit, niſi quod longe plura quam ſperare potuiſſemus præſtiteris.*

Prov. xj. 14.

Quale ſpectaculum innatæ bonitatis & miſericordiæ, PRINCIPUM OPTIME, *in ipſo felicis tui regiminis exordio ante oculos noſtros obverſatur! In moleſtiſſima cuſtodia jacentibus carceres aperuiſti, exſules in patriam revocaſti; denique Francis,*

Digitized by Google

ingenuæ prorſus genti, antiquam libertatem, quæ nihil majori habent in pretio, reſtituiſti.

Itaque tua ſingulari benevolentia liberi facti, ſervimus quidem Tibi; ſed eo ſolum modo, quo ſibi obſequium præſtari, quo ſe coli Deus ipſe præcipit, diligendo.

Ec-cui vero noſtrum quos tot tantiſque beneficiis devinxiſti, poſſit integrum eſſe, Te-te Aulæ, urbis, orbis Chriſtiani delicias non amare? Te, inquam, OPTIME PRINCEPS, *qui ita nos amas, ut ab omni oblectamento & voluptate abſtinere, dum felicitati nobis procurandæ totus incumbis, tibi voluptas ſit maxima.*

Quo celerius patriæ ſaluti conſuleres; cum edoctus eſſes a Salomone, populi ſalutem eſſe, ubi multa ſunt conſilia, plurima regia Conſiſtoria (Conſilia dicimus) inſtituiſti, in quibus ſedent cum principibus delecti ex omnibus regni Ordinibus viri præſtantiſſimi; qui tametſi natalium ſplendore, variis dignitatum titulis, & rerum pace bello-ve geſtarum gloria ſint inſignes, ideo tamen potiſſimum a te ad publicam rem curandam ſunt aſſumti, quod ſint optimi cives, & patriam ament. Et ſane nonnullos eorum novimus, qui extrema quæque adierunt pericula, ne boni civis deeſſent officio, & patriæ leges deſererent. Porro in his magnis viris commemorandis, non mo- Proverb. 24. 14.

Digitized by Google

ror Tuam Regiam Celsitudinem: at per eam liceat unum duntaxat ex illis appellare Eminentissimum Cardinalem Noallium, quem regio de rebus ecclesiasticis Consistorio jure merito præfeciſti. Enimvero, ut missum faciam antiquissimum, & nobilissimum genus, illustrium ob primarias dignitates, politicas, bellicas, ecclesiasticas optime gestas virorum ferax; Noallium Cardinalem commendant vitæ sanctitas, scientia, sollicitudo Pastoralis, studium in Gallicanam ecclesiam & patriam, faciles ac suavissimi mores, cum non vulgari in rebus agendis peritia conjuncti.

Hoc auctore, CELSISSIME INTERREX, *hoc pene dixerim parente gloriatur Gallia Christiana, quam idcirco minus vereor tuo nomini consecrare. Cum enim oculatissimum hunc Cardinalem non latuisset, in erudito Fratrum Sammarthanorum gentilium meorum opere, cui Galliæ Christianæ titulus præfigitur, non pauca addenda esse, ac emendanda, uti palam fit ex plurimis veteribus monumentis, post editum hunc librum in lucem prolatis, novæ editionis hujus operis accurandæ onus non aliis humeris quam meis imponendum censuit.*

Ne extemplo obtemperarem, oberat magna auctorum veteris Galliæ Christianæ fama, qui sua ætate historiæ nostræ cum sacræ tum profanæ promtua-

Digitized by Google

rium habebantur. Haud ignorabam illud cœtus Cleri Gallicani anni 1646. *decretum, quo* Sammarthani hereditaria in litteris laude nomen insigne consecuti, delecti sunt : ut qui laboribus suis Regum nostrorum stemmata & gesta pridem ornaverant, similem operam in Episcoporum Gallicanorum collectione navarent, *inquiunt magna ecclesiæ Gallicanæ lumina Petrus de Marca Tolosatum archiepiscopus, Petrus de Bertier Montalbanensis episcopus, & Bernardus de Marmiesse Consoranensis. Nec memoria exciderat quanto plausu excepta fuerat Gallia Christiana in Cleri Gallicani comitiis anni* 1656. *ab iis maxime præsulibus, qui pene simili olim oneri collum supposuerant, Petro de Marca jam laudato, Antonio Godeau Vencienſi episcopo, & Francisco Bosquet Monspelienſi.*

Attamen cedendum ratus Eminentissimo Cardinali, accersitis e nostra Congregatione sociis, imperatum tantæ molis opus ea diligentia per decennium prosecutus sum, ut jam sub tuis faustis auspiciis in lucem prodeat.

Sed quid tandiu in iis detineo Te occupatissimum Principem? Patiaris tamen, INTERREX OPTIME, *ut addam librum hunc ad Tuam Regiam Celsitudinem maxime pertinere; est enim ecclesiarum episcopalium, & aliarum in Gallia magis insignium*

Digitized by Google

hiſtoria, quæ majorum tuorum Franciæ Regum munificentia fundatæ ſunt, aut ditatæ.

Iſta evolvere ſubſecivis horis ſi libeat, PRINCEPS SAPIENTISSIME, *agnoſces noſtrarum eccleſiarum origines, epiſcoporum non interruptam ſeriem, antiquam eccleſiæ Gallicanæ diſciplinam, potiſſimum in frequentandis Conciliis. Hæc vero lectio utinam ſit pro laxamento negotiorum curarumque, ne labore improbo valetudo tua, nobis & bonis omnibus propria vita longe carior, periclitetur.*

Quam vero feliciter actum cum recenti hoc fœtu, quod favente Tua Regia Celſitudine, eo jam tempore lucem aſpiciat, quo ſuprema poteſtate, nec minori beneficentia, æquitate, providentia Monarchiam Gallicanam pro Rege puero moderaris.

O felicem LUDOVICUM *Regem XV. cui a Deo Optimo Maximo datum eſt, ut tuis regatur conſiliis in tam tenera ætate, tuis erudiatur exemplis. Te Magiſtro diſcat colere Deum, protegere eccleſiam, amare ſubditos, & ita populis præeſſe, ut proſit. Diſcat amore cives continere, hoſtes metu. Quando cœperit adoleſcere, Te duce docebitur caſtra metari, ordinare acies, hoſtiles, ſi qua ſint bella, urbes obſidione domare, & exercitus frangere.*

Interim vero, PRINCEPS OPTIME, *tenellum Regis pueri animum imbue amore muſarum & bonarum*

Digitized by Goog

litterarum, quas ab infantia coluiſti, nec colere unquam deſinis, viciſſim ab ipſis ad miraculum excultus. Te auctore, Te hortatore in litteratos munificum ſe præbeat, & Congregationem noſtram, quæ magis ac magis in optimarum artium ſtudiis proficit, tueri dignetur.

Vive in multos annos, CELSISSIME INTERREX, *& commiſſum tibi regnum guberna, qua cœpiſti prudentia, juſtitia, bonitate. Hujus autem virtutis majus-ne argumentum excogitari poteſt, quam quod patiaris, ut tantillo munere in toto orbe Chriſtiano, & apud ſeros nepotes, teſtatam faciam gratitudinem & obſervantiam in Te meam totiuſque noſtræ Congregationis.*

REGIÆ CELSITUDINIS TUÆ,

Addictiſſimus & humillimus ſervus
Fr. DIONYSIUS DE SAINTE-MARTHE.
e Congregatione S. Mauri Preſbyter.

Digitized by Google

IN NOVAM GALLIAM CHRISTIANAM

PRÆFATIO.

I. *Quam utile ſit hoc opus. Præcipue ad probandum quæ vera ſit eccleſia. Docet antiquam eccleſiæ diſciplinam, maxime quantum ad epiſcoporum electiones. In iis quæ fuerit olim regum Franciæ auctoritas, quæ procerum. Summi pontifices quid in electionibus ſibi vindicent. De iiſdem quid decretum in conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi. Frequens conciliorum celebratio pars magna veteris diſciplinæ. Cauſæ epiſcoporum in conciliis judicatæ. Altera Galliæ Chriſtianæ utilitas, nobilium familiarum illuſtratio.* II. *Quam arduum hoc opus ac difficile. Ad ſuperandam hanc difficultatem quid præſtitum. Adhibiti mſſ. codices. Quæſita eruditorum ſubſidia. Perluſtrata intra & extra Gallias tabularia.* III. *Quis ordo in nova Gallia Chriſtiana ſervetur. Inſtrumenta ad calcem edita. A falſi ſuſpicione defenduntur. Tabulæ chronologicæ & indices.* IV. *De origine Chriſtianæ religionis in Gallia. Evangelium ubique prædicatum. De profectione S. Pauli in Hiſpaniam ſententia Patrum Græcorum & Latinorum. Fides in Galliis prædicatur a S. Pauli diſcipulis. Id docent etiam Patres Græci. Antiquiorum patrum ſententia de prædicatione evangelii per totum orbem. Præſertim in Galliis. Solvuntur objecta. Sententia Gregorii Tur. expenditur. Infirmum Sulpitii Severi teſtimonium. Unde fit ut inter primos epiſcopos magni ſint hiatus. Reſpondetur objectioni de corruptis actis.*

UT nihil utilius eſſe videtur, quam de eccleſiarum Chriſtianarum origine, ac de antiſtitum qui eas rexerunt ſucceſſione continuaque ſerie ſcribere, certaque depromere argumenta: ita nihil magis arduum aut periculoſum, quando ad hoc opus oportet abſtruſioris antiquitatis caliginem ingenii & doctrinæ lumine depellere, difficilioreſque ac pene inexplicabiles hiſtoriæ tum ſacræ tum prophanæ nodos expedire.

I. Quam utile hoc opus.

Quod ſpectat ad utilitatem; hiſtoriam ad virtutem & potiſſimum ad prudentiam in agendis acquirendam conducere, conſtans eſt omnium ſententia. Quapropter dies antiquos in mente habere, & cogitare generationes ſingulas nos monet Spiritus ſanctus; ut recte dictum ſit, pueros, ſi ipſis affulgeat hiſtoria, jam ſenes evadere: ſenes vero, ſi hiſtoriæ rudes ſint, inter pueros cenſeri. *Pſ. 76. Deuter. 32.*

At vero quæ res eccleſiæ docet hiſtoria, longe utilior eſt, magiſque confert ſive ad commune totius reipublicæ Chriſtianæ bonum, ſive ad ſingulorum Chriſtianorum in virtute profectum. Hinc in actis eccleſiæ Mediolanenſis editis a S. Carolo Borromæo legimus, epiſcopos ſollicitos eſſe debere, ut ſingulorum epiſcoporum qui præceſſerunt nomina, genus & paſtorales eorum actiones ſcripto tradantur: [a] maxime ut quæ ab ipſis inſtituta ſunt, pro ſtabilienda eccleſiaſtica diſciplina perpetuo uſui eſſe poſſint. a

a *Epiſcopus id quod ab initio naſcentis eccleſiæ inſtitutum fuit, ut rerum epiſcopalium ſtudio curaque geſtarum monimenta exiſterent, conquiri diligentiſſime curet; tum ſingulorum epiſcoporum qui præceſſerunt nomina, genus & paſtorales eorumdem actiones. Quæ omnia litteris conſignari, ordineque conſcripta in librum certum referri curet, ut eorum memoria conſervetur; & quæ ab eodem acta vel inſtituta ſunt, ad aliquam eccleſiaſtica diſciplina normam perpetuo uſui eſſe poſſint atque adjumento in illa eccleſia bene gerenda.* Ex actis eccl. Mediol. editis a S. Carolo Borrom. l. v. de epiſcopalibus geſtis memoriæ commendandis n. 12.

Digitized by Google

Præcipua ad probandum quæ vera ſit eccleſia.

Præcipua vero eccleſiaſticæ hiſtoriæ utilitas eſt, probare quænam ſit vera eccleſia. Certe Tertullianus novitatis revincit hæreticos, quod ſucceſſionem epiſcoporum in ſua quique ſecta oſtendere non valeant; eoſque his provocat verbis: *Edant origines eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem; ut primus ille epiſcopus aliquem ex apoſtolis vel apoſtolicis viris (qui tamen cum apoſtolis perſeveraverint) habuerit auctorem & anteceſſorem.* Inde intelligendum quanti ſit momenti epiſcoporum in eccleſiis noſtris ſucceſſionem aſſerere, & ab oblivione vindicare.

De præſcript. c. 32.

Docet antiquam eccl. diſciplinam.

Ex accurata quoque eccleſiarum & præſulum qui eas rexerunt hiſtoria, de antiqua eccleſiaſtica diſciplina circa epiſcoporum electiones maxime erudimur; quam priſtinis quidem temporibus viguiſſe, poſtea intepuiſſe; rurſus inſtauratam, tum varie mutatam diſcimus. Antiquitus in Gallia epiſcopi eligebantur a clero & populo, ita ut tamen ad has electiones vocarentur ſæpe metropolitanus, & comprovinciales antiſtites; quod etſi obſervatum adhuc fuerit poſt fundatum in Galliis Francorum imperium, nihilominus apud Gregorium Turonicum frequenter legimus creatos eſſe regiis præceptionibus epiſcopos. Qui vero non exſpectata regis juſſione aut conſenſu electi fuerant, ſi ſuſpecti regi forent, a miniſterio arcebantur. Nempe cum maxima tunc eſſet epiſcoporum auctoritas in regni negotiis, quæ publicis in comitiis ſeu ſynodis hoc tempore agitabantur, ubi primas tenebant epiſcopi, publicæ rei multum intererat, neminem in epiſcopum ordinari, qui regi non eſſet acceptus. Varias electionum epiſcoporum, cum libere fierent, formulas edidimus inter inſtrumenta, uti pag. 119. & 131.

Circa epiſcoporum electiones.

In iis, quæ regum Franc. auctoritas.

Quæ peccarum.

Sub primis Capetianæ ſtirpis regibus proceres non ſolum electiones ad ſe traxerant, ſed ipſaſmet invaſerant eccleſias, quas tanquam bona propria ſuis tranſcribebant heredibus, aut uxori aſſignabant in dotem, ut probat charta Pontii comitis inter inſtrumenta eccleſiæ Albienſis octava, qua conjugi Majoræ donat epiſcopatum Albienſem & *medietatem* epiſcopatus Nemauſenſis, &c.

Pag. 4.

Quid in iis ſibi vindicent ſummi pontifices.

Tantis quidem malis remedium attulerunt ſummi Pontifices, & præſertim Gregorius VII. at cum aliquo juris electionum detrimento: miſſi enim ab ipſis legati ſæpius factas electiones reſcindebant. Hinc frequentes in legatos illos metropolitanorum querelæ, quod ii uſurparent ſua jura, & quemque *deſacerdotarent* ad libitum, *ac reſacerdotarent.* Poſtea papæ ſub variis nominibus ſibi vindicarunt eccleſiarum omnimodam pene diſpoſitionem, & per plenitudinem poteſtatis tranſtulerunt ad arbitrium epiſcopos ab una ſede ad aliam.

Itaque deinceps nullus promoveri potuit ad quamvis ſedem epiſcopalem, niſi bullis munitus Pontificiis, pro quibus obtinendis non modica pecuniæ ſumma penditur. Hinc illud in Romanam curiam dicterium: *Anglico plumbo eccleſiæ teguntur, Romano ſpoliantur:* quo alluditur ad ſigillum plumbeum, bullis appenſum. Abſit tamen ut improbemus Galliarum eccleſias optimæ matri ſuæ Romanæ aliquid ſubſidii dare; maxime cum legamus Romanos pontifices olim potitos eſſe in Gallia nonnullis patrimoniis, de quibus agit S. Gregorius Magnus ep. 31. lib. v. novæ editionis, & ſæpius alibi.

De iiſdem quid decretum a concil. Conſt. & Baſil.

Concilia quidem Conſtantienſe & Baſileenſe electiones reſtituerunt; ſed per pacta, vulgo *Concordata*, inter Leonem papam X. & Franciſcum I. Francorum regem, iterum abrogatæ ſunt. Inde nunc antiſtites noſtri ſuis in litteris præfantur ſe Dei & ſedis Apoſtolicæ gratia eſſe epiſcopos; quamvis id tardius ab ipſis uſitatum fuiſſe obſervaverimus. Certe inter inſtrumenta prioris hujus Tomi I. ſexcentas epiſcoporum litteras exhibemus, in quibus nihil hujuſmodi legitur, quamvis poſt receptum bullarum pontificiarum uſum. Ab hoc loquendi modo plurimum abhorret Guillelmus I. Aptenſis epiſcopus, qui ſic loquitur: *Ego Guillelmus ſolius Dei gratia Aptenſis epiſcopus, &c.* Collegit Thomaſſinus quædam exempla uſurpatæ hujuſmodi formulæ, *Dei & ſanctæ Sedis gratia*, & contendit priores qui ea uſi ſunt fuiſſe archiepiſcopos, non autem epiſcopos; ſcilicet Petrum Narbonenſem in concilio Biterrenſi an. 1351. & Simonem Turonenſem in concilio Andegavenſi an. 1365. *Ea*, inquit Thomaſſinus, *de cauſa*,

P. 78. col. 2.

Diſcipl. eccl. de Benef. part. IV. l. 1. c. 22.

Digitized by Google

quod auctoritas metropolitanorum dimanaverit a primatu S. Petri ſuper epiſcopos ; poteſtas vero epiſcoporum juris & inſtituti ſit divini.

Diſciplinæ eccleſiaſticæ in Galliis pars maxima fuit conciliorum frequens celebratio, quorum alia fuerunt provincialia, nationalia, aut etiam œcumenica alia ; horum omnium mentionem facimus. Nationalia vocamus ea quæ ex omnibus fere Franciæ provinciis coacta ſunt, etiamſi diverſis regibus aut principibus, regiæ tamen Francorum ſtirpis, ſubderentur. Sic concilium Aurelianenſe II. celebrarunt epiſcopi convocati ex ditionibus trium regum Theodorici, Childeberti & Chlotarii, anno 535. Porro hæ ſynodi haberi non ſolebant niſi gravibus de cauſis. Et quidem cum Guntramnus rex ſynodum ex univerſis Galliæ provinciis cogendam dixiſſet, Gregorius Turonicus, qui aderat ut Childeberti regis legatus, reſpondit inutilem eſſe tantæ ſynodi celebrationem, nullo imminente circa fidem periculo, uti narrat ipſe Gregorius. *lib. IX. hiſt. c. 20.*

Frequens conciliorum celebratio, pars magna vet. diſciplinæ.

Cauſæ epiſcoporum iis in cœtibus judicabantur, ut videre eſt in Sagittario Vapincenſi epiſcopo, qui cum fratre ſuo Salonio Ebredunenſi epiſcopo judicatus eſt in concilio Lugdunenſi anno 567. & poſtea in Cabilonenſi an. 579. ut loco ſuo diximus in Vapincenſibus epiſcopis. Condemnati in iis conciliis epiſcopi ſedem apoſtolicam appellare poterant ; quod ex rebus geſtis in cauſa Sagittarii & Saloni liquet. Dejecti vero & exauctorati præſules in monaſteria detrudi ſolebant, quod iiſdem ſupra memoratis epiſcopis contigit.

Cauſæ epiſcoporum in his judicatæ.

Diſſimulare non poſſumus nonnullos epiſcopos, etiam ſex prioribus eccleſiæ ſeculis, ambitioni, avaritiæ, libidini quandoque habenas laxaſſe ; quod multis ex locis hiſtoriæ Gregorii Turon. conſtat. Plerique tamen eccleſiæ paſtores iis temporibus ſanctitate ſuo gregi præfulſerunt. Hinc in plurimarum eccleſiarum catalogis occurrit ab exordio longa ſanctorum epiſcoporum ſeries ; ex eorum vero geſtis (utrum bene vel male ſe geſſerint non intereſt) diſcere licet quid agere, quid fugere debeamus.

Præter communem utilitatem, quæ in univerſam eccleſiam redundat ex Gallicanorum præſulum hiſtoria, ſive ad fidei doctrinæque Chriſtianæ confirmationem, ſive ad priſtinæ diſciplinæ reſtaurationem & conſervationem in clero, ſive ad morum correctionem & emendationem in plebe ; ex tot tamque certis monumentis quæ in lucem proferimus, illuſtrium familiarum origines, tanquam ex antiquiorum & remotiorum temporum adytis eruuntur, ſucceſſiones proceſſuſque aſſeruntur, affinitates explicantur De utilitate operis ſatis dictum : nunc quam difficile ſit oſtendamus.

Altera Galliæ Chr. utilitas, nobilium famil. illuſtratio.

II. Quam arduum hoc opus ac difficile.

Quam arduum ſit quod molimur, quamque difficiles nodos & pene Herculeos habeat, probant frequentes lapſus fratrum Sammarthanorum in ſua Gallia Chriſtiana : virorum ſcilicet illorum quorum doctrinam ſuſpexit omnis orbis litterarius, quique in illuſtranda noſtra hiſtoria ſive ſacra ſive prophana ætatem totam contriverant. Quare minime mirandum inter tot eruditos, quibus floret Gallia, nullum auſum eſſe inſigne hoc opus a mendis repurgare.

Itaque temeritatis reus forem ſi ad id præſtandum ſponte acceſſiſſem ; ſed juſſu illuſtriſſimi ampliſſimique cleri Gallicani generalibus in comitiis anno 1710. congregati, quod jam ab annis quatuor plurimorum præſulum hortatu tentaram, proſequi coactus ſum : quo vero ſucceſſu, quidve a me actum paucis aperiendum.

Ad ſuperandam hanc difficultatem quid a nobis præſtitum.

Primum ut explorata haberem quænam in Sammarthanorum Gallia Chriſtiana retinenda, quæ reſecanda eſſent, totum opus retractandum cenſui, adeundoſque ipſos hiſtoriæ noſtræ fontes, ex quibus errata delerentur, & ſupplerentur omiſſa ; inprimis vero ſcriptores omnes in Gallia Chriſtiana laudatos conſului, quorum ope plurima quæ operarum incuria corrupta erant, reſtituta ſunt. Verum cum ab anno 1656. quo in lucem prodiit hoc opus, maxima veterum monumentorum copia e tenebris eruta ſit ; quæ in collectionibus edita leguntur variis ſub titulis Spicilegiorum, Miſcellaneorum, Analectorum, &c. in iis ampliſſimam correctionum & additamentorum ſegetem meſſuimus.

Adhibiti mss. codices.

Adhibuimus præterea quamplurimorum librorum manu exaratorum ſubſidium, quos fratrum noſtrorum diligentiæ potiſſimum debemus, præſertim domni Claudii

Digitized by Google

Eſtiennot, qui per multos annos in curia Romana Congregationis noſtræ negotia magna cum laude procuravit. Antequam vero hac defungeretur provincia, Galliam fere omnem peragrarat, ut ex tabulariis colligeret quidquid ad hiſtoriam eccleſiaſticam, maximeque monaſticam illuſtrandam conferre poterat. Eodem fere ſtudio & conſilio D. Steph. du Laura Novempopulaniam, Aquitaniam, Occitaniam & Provinciam perluſtrarat, unde locupletiſſimam antiquorum inſtrumentorum reportarat ſupellectilem. Multos alios ex noſtro ſodalitio eadem inceſſit cura; quos vel recenſere longum foret. Feſtinamus autem commemorare quanta humanitate Reverendus admodum Pater Petrus-Franciſcus de la Tour Congregationis Oratorii præpoſitus generalis nobis copiam fecerit collectaneorum Petri Sammarthani domini de Meré, ejuſque fratris Abelis Ludovici ejuſdem Congregationis Oratorii præpoſiti generalis, quæ in ſpem ſecundæ editionis Galliæ Chriſtianæ repoſuerant. Ejuſdem Reverendiſſimi Patris de la Tour beneficio, doctiſſimus Pater Jacobus le Long Bibliothecæ Oratorii vici ſancti Honorati præfectus, nobis conceſſit utendas lucubrationes & ſchedas R. P. Franciſci-Maximiliani Sammarthani ejuſdem Congregationis preſbyteri ab aliquot annis mortui, de eodem argumento. Plurima nobis ſuppeditavit bibliotheca regia, cujus ſummus præfectus illuſtriſſimus abbas DE LOUVOIS, muſis amicus, erga muſarum litterarumque cultores officioſiſſimus eſt. Qui vices ipſius gerunt in curanda auguſta hac bibliotheca DD. Targny doctor Sorbonicus, & Boivin litterarum Græcarum profeſſor regius, ad litteraria ſubſidia nobis ſubminiſtranda promtos quoque & alacres ſeſe uſque præbuerunt.

In bibliotheca Colbertina pene regia reperimus copioſiſſimum theſaurum inſtrumentorum quæ ad eccleſias Occitaniæ, Aquitaniæ, Vaſconiæ, &c. pertinent nobiſcum communicatum ab hujus bibliothecæ præfecto N. Quercetano, juſſu illuſtriſſimi viri N. Colbert comitis de Seignelay, cui Reſpublica litteraria debet, quod ampliſſimum hoc muſarum omniumque ſcientiarum templum integrum ſtet, ac in ævum permanſurum ſit.

Quæſita eruditorum ſubſidia.

Ad tot ſubſidia acceſſerunt eruditorum amicorum ſuppetiæ, qui de meo recudendæ Galliæ Chriſtianæ propoſito moniti, ad immenſum hoc opus, ſuam quique ſymbolam conferre voluerunt. Eos ubi occaſio ſe dabit, commemorare non omittam. At ſilentio præterire non licet virum Cl. D. du Fourny in regiarum rationum curia auditorem, jam hujus vitæ periculis ſubductum, qui nec rogatus nullas e ſuis gazis litterariis ad opus noſtrum conducentibus nos latere voluit. Neque tacebo eximios viros N. de Clerambaud equitum torquatorum genealogum, & Carolum d'Hoſier regium in genealogiis deſcribendis hiſtoriographum, quos beneficos expertus ſum ſæpiſſime.

Perluſtrata intra & ultra Gallias tabularia.

Hæc ſane ſatis eſſe videbantur; ne quid tamen in re tanti momenti neglectum a me putaretur, accerſivi e noſtra congregatione multos adjutores, qui ſcrutarentur iterum atque iterum eccleſiarum & monaſteriorum tabularia; qua difficili ſane provincia D. Edmundus Martenne multis libris in communem eccleſiæ & rei litterariæ utilitatem editis notus, per ſex circiter annos aſſumto ſocio D. Urſino Durand, per totam fere Galliam & in finitimis provinciis, defunctus eſt. Hac in re quoque ſtrenuam nobis navarunt operam D. Jacobus Boyer & multi alii, quos tacere cogor. Ex iis autem litterariis itineribus noſtri retulerunt opima ſpolia, magnam videlicet excerptionum ex veteribus monumentis, & inſtrumentorum ipſorum copiam, ad Galliæ Chriſtianæ emendationem & amplificationem.

Porro colligentes multiplicem hanc & peramplam chartarum ſupellectilem, ſæpe invenimus in peregrinis tabulariis, quæ domeſtica minime ſuppeditarant. Hincque factum, ut non pauca quæ deſiderantur in ſingularibus quorundam epiſcoporum, &c. hiſtoriis, quamvis ex eccleſiarum quibus præerant inſtrumentis diligentiſſime deſcriptis, noſtri exhibeant catalogi.

III. Quis ordo in nova Gall. Chr. ſervetur.

Coacta demum ampliſſima materia, de forma fuit cogitandum. Quadripartita fratrum Sammarthanorum Gallia Chriſtiana primo Tomo archiepiſcopos exhibet: ſecundus & tertius Tomus continent epiſcopos: quartus denique abbates & abbatiſ-

ſas. Archiepiſcopatus, epiſcopatus, & abbatiæ recenſentur ordine alphabetico. Hunc quidem ordinem ſecuti ſumus in archiepiſcopatibus, ad vitandas controverſias quæ inter plurimas metropoles de primatu motæ ſunt, acriuſque fuerunt agitatæ. At incongruens viſum eſt epiſcopatus a ſuis metropolibus divellere: itemque abbatias nulla ratione habita diœceſis ad quam pertinent ſeorſum ad ultimum tomum amandare. Itaque ſatius exiſtimavimus una eademque ſerie de metropolitanis eccleſiis, & de præſulibus qui eas rexerunt diſſerere, tum de ſingulis epiſcopatibus cuique metropoli ſubjectis, eorumque antiſtitibus; quibus etiam addidimus, uti & archiepiſcopis, præpoſitos, decanos, ſeu eos qui alio nomine primam in capitulo cathedralis eccleſiæ gerunt dignitatem. Tandem abbatiarum abbatumque & abbatiſſarum hiſtoriam ad ſingulas revocavimus diœceſes. Ita fit ut uno eodemque conſpectu, quidquid ad metropolis hiſtoriam pertinet lector contempletur. Singulis provinciis præmiſimus Tabulam geographicam ex qua civitatis archiepiſcopalis, epiſcopaliumque urbium provinciæ, necnon abbatiarum & præcipuorum locorum ſitus facile dignoſcatur. Inſtrumenta uniuſcujuſque tomi ad calcem edi curavimus, ut ad manum ſint conſulere volenti. Inſtrumentis adjecimus gloſſarium vocum difficiliorum.

Inſtrumenta ad calcem edita.

Porro invictum pene argumentum ſinceritatis plerarumque chartarum, duci poteſt a ſubſcriptionum convenientia. Quippe cum eas conſtet non recens confictas, ſed a plurimis ſeculis exaratas eſſe, quo tempore nulli habebantur epiſcoporum & abbatum indices ſimul collecti; quî fieri potuiſſet, ut horum inſtrumentorum fabricator ſubſcriptiones tot epiſcoporum, tot abbatum, qui in locis diſſitis & parum notis ſederunt, tam ſcite finxiſſet, ut ſingulorum ætati convenirent. Exempli cauſa in Hugone epiſcopo Nivernenſi dabimus novum concilium Cabilonenſe an. 1064. cui ſubſcribunt multi epiſcopi ſedium ab invicem valde diſſitarum, Sedunenſis, Lutevenſis, Meldenſis; & abbates Balmenſis, Iciodorenſis, Ferrarienſis, &c. quos certo conſtat hoc anno 1064. præfuiſſe. Quo vero pacto hujus inſtrumenti auctor tam ſagaciter divinavit hos præſules tunc vixiſſe, neque enim ad manum habere potuit catalogos epiſcoporum & abbatum, ex quibus hæc deſcribere licuiſſet.

A falſi ſuſpicione defenduntur.

Hæc obſervare operæ pretium duximus, quia noſtra ætate nonnulli ſunt viri, alioquin docti, qui de diplomatibus parum æquum ferunt judicium, imo ea & codices omnes manu exaratos flocci faciunt. Longe aberat ab hac opinione Jacobus Sirmondus elapſo proxime ſeculo ſocietatis Jeſu ſingulare lumen & ornamentum. Proriſus aliter ſapiebat numquam interituræ memoriæ vir Johannes Bapt. Colbert ærarii regii præfectus, regnique ſapientiſſimus adminiſter, de litteraria republica optime meritus, qui pene immenſis ſumtibus tot inſtrumenta publica ex archivis & chartophylaciis Novempopulaniæ, Septimaniæ, Aquitaniæ, imo totius fere Galliæ latitantia, deſcribi curavit, quorum exemplaribus ſuam ditavit bibliothecam magno litteratorum emolumento & commodo.

Cum chronologiæ filum, ne aberremus, ſequi neceſſe ſit, omnia quæ certam temporum rationem nobis conſtituunt collegimus, poſt inſtrumenta exhibuimus: ſcilicet tabulam annorum Chriſti, indictionum, paſchatum; ſummorum pontificum annos, imperatorum, regum Franciæ, & quorumdam aliorum regum Hiſpaniæ, Italiæ, Burgundiæ, Germaniæ. Denique totum opus claudent index generalis, & alii archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, &c. indices. In toto autem hoc opere, maxime à quo cœpit prelo ſubjici, aſſiduam mihi opem tulerunt noſtri D. Bartholomæus Pétis de la Croix, & D. Felix Hodin, cum quibus labores hos litterarios partitus ſum.

Tabulæ chronolog. & indices.

Si de origine Chriſtianæ religionis in qualibet eccleſia diſſerere vellemus, & populares ea de re traditiones, aut propugnare, aut impugnare, ſcribendæ forent plurimæ & quidem prolixæ diſſertationes, parvo vel etiam nullo fructu. Attamen cum quæſtionem hanc intactam relinquere non liceat, de ea mentem noſtram aperire hac in præfatione operæ pretium duximus. Porro ex dicendis liquido conſtabit Religionem Chriſtianam in Galliis fuiſſe prædicatam Apoſtolorum, vel apoſtolicorum ſaltem virorum temporibus, ab illiſque fundatas apud nos quaſdam eccleſias.

IV. De origine Chriſtianæ religionis in Gallia.

Digitized by Google

Evangelium ubique prædicatum. *Matt.* 28. 19. *Marc.* 16. 20. 1. *Cor.* 9. 16. *c.* 15. 24. 28.

J. CHRISTUS præcipit apoſtolis : *Euntes docete omnes gentes.* Id ab ipſis præſtitum teſtatur Marcus : *Illi autem profecti*, inquit, *prædicaverunt ubique domino cooperante.* Divus Paulus dominici præcepti memor ait : *Væ enim mihi eſt ſi non evangelizavero.* Ipſum cogitaſſe Hiſpaniam palam fit ex epiſtola ad Romanos. In eadem cap. 10. de ſua ſuorumque collegarum prædicatione interpretatur hoc prophetæ oraculum : *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Paulum Hiſpanis Chriſtum annuntiaſſe, docent clare ſancti Patres tum Græci tum Latini. Ex Græcis Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 17 Epiphanius l. adverſus hæreſes c. 27. Johannes Chryſoſtomus præf. in epiſt. ad Hebræos, hom. VII. de laudibus Pauli, & in Matth. hom. 76. Solius Theodoreti verba proferam : *Defenſione audita fuit abſolutus* (S. Paulus) *& in Hiſpaniam profectus eſt & ad alias gentes excurrens.*

De profectione S. Pauli in Hiſpaniam ſententia PP. Græcorum.

Theod. in ep. 2. S. Pauli ad Tim. c. ult. Idem in ep. ad Philem. & in Pſ. 116.

Et Latinorum.

Ex patribus Latinis Hieronymus in cap. v. Amos : *Effuſus eſt*, inquit, *ſuper faciem univerſæ terræ* (Paulus) *ut prædicaret evangelium de Jeroſolymis uſque ad Illyricum, ut ædificaret non ſuper alterius fundamentum ..... ſed uſque ad Hiſpanias tenderet.* De prædicatione S. Pauli in Hiſpania idem ſentit Gregorius magnus. Et quidem Chriſtianam religionem fixiſſe radices in Hiſpania tempore Neronis, probat inſcriptio in Hiſpania reperta, qua Cluvia Colonia gratulatur Neroni Auguſto, ob purgatam a latronibus provinciam, & his qui novam ſuperſtitionem invexerant, hoc eſt fidem Chriſtianam.

l. lib. 31. Moral. c. 51. nova edit.

Baron. ad an. Chriſti 69.

Veriſimile porro eſt diſcipulos illos Pauli, quos legimus quaſdam in Galliis eccleſias inſtituiſſe, videlicet Trophimum Arelati, Creſcentem Viennæ, Paulum Narbonæ, iis in locis fuiſſe ordinatos ab Apoſtolo, vel adeunte Hiſpaniam, vel inde redeunte. Quod ſpectat ad Creſcentem ; Euſebius libro III. hiſtoriæ c. 4. de eo interpretatur verſum 10. capitis quarti epiſtolæ ſecundæ Pauli ad Timotheum : *Creſcens quidem in Gallias* (abiit) ſcilicet prædicandi cauſa ; ubi Vulgata habet, *in Galatiam.* Pronum erat Euſebio ſcriptori Græco dicere Creſcentem abiiſſe in Galatiam ; ſed veritate cogente ſcripſit, *in Gallias* eum profectum, quod ipſi procul dubio certis conſtabat teſtimoniis. Hanc quoque communem fuiſſe ſententiam perſuadet, quod idem docuerint Epiphanius [a] & Theodoretus [b].

Fides prædicatur in Galliis a diſcip. S. Pauli.

Id docent etiam Patres Græci.

Alium ex Pauli, imo Chriſti diſcipulis, apud Gallos verbi divini præconem fuiſſe, ſcilicet S. Lucam docet idem Epiphanius. [c] Præter illos evangelii ſatores auctore Paulo apoſtolo Galliam ingreſſos, non dubito alios acceſſiſſe a S. Petro miſſos. Nam quid cauſæ eſſe potuiſſet, ut qui S. Marcum ab urbe Roma miſerat Alexandriam, eccleſiæ ibi fundandæ cauſa, Galliæ quæ Italiæ vicina eſt & confinis, prædicatores dare neglexiſſet ?

Antiq. Patrum ſententia de prædic. evangelii per totum orbem.

Ex communi ſententia veterum Patrum de fide Chriſti paulo poſt ipſius mortem ubique prædicata, ſequitur Galliam ſaltem primo ſeculo evangelii ſemen recepiſſe. S. Juſtinus martyr qui floruit circa an. 140. in dialogo cum Tryphone Judæo, ipſi opponit gentem Judaïcam ne tunc quidem ab Oriente ſole ad occaſum uſque eſſe diſperſam. *Sed ſunt*, inquit, *gentes quædam, ubi nondum veſtri corporis quiſquam habitat. Atqui ne unum quidem genus eſt mortalium, ſive barbarorum, ſive græcorum, ſeu aliorum omnino, quocunque appellentur nomine, inter quos per nomen crucifixi Jeſu ſupplicationes & gratiarum actiones Patri & fabricatori omnium non fiant.* Si hæc in confeſſo non fuiſſent ; qua fronte Juſtinus Tryphoni ea objeciſſet, parato videlicet jactantiam hanc retundere. Porro ex univerſali hoc gentium omnium, ſive græcarum, ſive barbararum, & quarumcunque cenſu Gallos eximere non eſt integrum, maxime cum ſanctus Irenæus Juſtini coævus, etſi paulo junior, eos expreſſe ſit complexus lib. I. contra hæreſes cap. 3. ubi aſſerens eandem eſſe omnium eccleſiarum Chriſtianarum fidem, ita loquitur : *Et neque quæ in Germania ſunt fundatæ eccleſiæ aliter credunt aut aliter tradunt, neque quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, &c.* ubi per Celtas intelliguntur Galli etiam quilibet, quorum urbes nominibus Celticis appellantur apud J. Cæſarem de bello Gallico. Harum autem

Præſertim in Galliis.

[a] Οὐ γὰρ ἐν τῇ Γαλατίᾳ, ἀλλ' ἐν τῇ Γαλλίᾳ. Epiphan. hæreſi 51.
[b] In ep. ſecund. ad Tim. c. 4. verſ. 10.
[c] Καὶ Δημᾶς μὲν ἐν Γαλατίᾳ ἢ ἐν Ἰταλίᾳ ἢ Μακεδονίᾳ, οὗτος δὲ ἐν τῇ Γαλλίᾳ.

longum texit catalogum Hadrianus Valeſius in ſua ad Galliarum Notitiam præfatione; in quo reperiuntur fere omnes Galliarum urbes epiſcopales præſertim Lugdunum, Vienna, Darantaſia, Arelatum, Avenio, Narbo, Eluſa, Burdigala, Avaricum, Lutecia, Rotomagus, Durocortorum, Moguntiacum, Argentoratum, Baſilia: quæ etiam poſſunt intelligi per Germanias ab Irenæo commemoratas.

S. Irenæus Lugdunenſis epiſcopus qui junior S. Polycarpum audierat Smyrnenſem epiſcopum & martyrem, S. Johannis apoſtoli & evangeliſtæ diſcipulum, de Symbolo ab apoſtolis tradito agens cap. 10. lib. 1. adverſus hæreſes ita loquitur: *Etenim eccleſia per univerſum orbem uſque ad fines terræ diſſeminata, & ab apoſtolis, & a diſcipulis eorum accepit eam fidem quæ eſt in unum Deum patrem omnipotentem .... & in unum Jeſum, &c.* Et poſt multa ſubdit: *Et neque hæ quæ in Germaniis fundatæ ſunt eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; nec hæ quæ in Hiſpaniis, aut in Galliis * aut in Oriente.*

* al. Celtis.

Qui Irenæi pene ſuppar erat Tertullianus, diſerte idem affirmat de fide Chriſti pene ubique terrarum recepta, libri adverſus Judæos cap. 7. ubi inter eos qui Chriſti jugo colla ſubdiderunt recenſet: *Hiſpaniarum omnes terminos, & Galliarum diverſas nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita.* Quare non dubitat alibi aſſerere Romanum orbem, ſi Chriſtiani abeſſent, in ſolitudinem redactum iri: an, quæſo, Thraſonico more locutos eſſe ſanctos Patres de hac Chriſtianorum ſuis temporibus multitudine credere licet?

Quidnam vero tot rationum, tot teſtimoniorum graviſſimis momentis opponunt ſeveriores critici? ſcilicet Severi Sulpitii & Gregorii Turonenſis auctoritatem.

Solvuntur objectiones.

Quod ſpectat ad Gregorium Tur. audiamus noſtrum D. Theodoricum Ruinartium in præfatione ad novam Gregorianorum operum editionem num. 60. ubi conſtanter affirmat: *Falli eos qui illum* (Gregorium) *exiſtimant ita de martyribus Lugdunenſibus, aut de ſeptem epiſcopis quos ſub Decio adventaſſe ſcripſit, locutum fuiſſe, ut ante illos, aut martyres, aut alios verbi divini præcones in Gallias adveniſſe negaverit. Non enim*, inquit, *ut ſcite obſervavit ſummæ eruditionis vir Jacobus Sirmondus, in hac hæreſi fuit Gregorius, ut epiſcopos in Gallia his ſeptem antiquiores nullos fuiſſe exiſtimaret, quod quidem ex ipſis ejus verbis certum eſt, &c.* quæ ulterius proſequi non vacat; legi vero poſſunt loco indicato. Quanquam operoſum non foret, ſi Gregorius aliter ſenſiſſet, ejus auctoritatem, tot congeſtis ſupra longe antiquiorum ſcriptorum & Patrum teſtimoniis obruere. Totum itaque objectionis pondus in Severi Sulpitii teſtimonio poſitum eſt.

Gregorii Tur. ſententia expenditur.

Is libro 2. ſacræ hiſtoriæ in qua plurima minus accurate ſcripſit, ait: *ſub Aurelio Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Videamus nunc quodnam ſit teſtimonii Severi pondus.

Fuit Severus Sulpitius S. Martini Turon. epiſcopi diſcipulus, qui ipſe S. Hilarium Pictavorum antiſtitem audierat. Ex eo liquet Severum Hilario fuiſſe longe juniorem, aliundeque auctoritate inferiorem, maxime cum graviſſimis erroribus imbutus fuerit, Millenariorum videlicet, ac poſtea Pelagianorum. Quæ igitur ipſi fides adhibenda diſſentienti ab Hilario, qui docet non obſcure Evangelium fuiſſe prædicatum in univerſo mundo, etiam ante Jeroſolymorum deſtructionem; & pugnanti contra communem tot Patrum tam Græcorum quam Latinorum ſententiam?

Infirmum Sulpitii Severi teſtimonium.

Ad opinionem Sulpitii Severi confirmandam, forte nobis objicientur longa intervalla inter primos eccleſiarum antiquiorum epiſcopos, quos priori Chriſti ſeculo vixiſſe traditio popularis jactitat, & eorum ſucceſſores. Exemplum repetamus ab eccleſia Turonica, cujus initia apprime exploraverat Gregorius Turonenſis. Si Gatianus primus hujus urbis epiſcopus, cum multis aliis ſociis ad prædicandum Evangelium in Gallias miſſus, priori rerum Chriſtianarum ſeculo advenerit, accepta a S. Clemente papa I. poteſtate; quid actum de eccleſia Turonis tum fundata; quos habuit epiſcopos, cum inter Gatianum qui ſediſſe ſupponitur, ante annum Chriſti centeſimum, & ſanctum Martinum, qui anno circiter Chriſti 375. factus eſt epiſcopus, unus duntaxat ſediſſe legatur Lidorius? Eadem vero pene eſt ratio aliarum eccleſiarum, quibus

Digitized by Google

prænature dati ſunt epiſcopi ex vulgari traditione; cujus non fuit alia cauſa quam de majori antiquitate gloriandi cœca & exitioſa quædam ambitio. Sic enim fit ut de originibus eccleſiarum, & de ſucceſſione pontificum nihil jam certi teneatur. Quemadmodum iis contingere ſolet nobilibus, qui legitima generis ſui claritate & antiquitate non contenti, fabuloſam ſuperinducunt.

Hæc tela eos feriunt qui ſolo ſtudio abrepti vindicandæ ſuis eccleſiis antiquitatis, rationibus omnibus contrarium probantibus aures occluſerunt. Certe is non ſum qui velim omnes in vulgus ſparſas traditiones de priorum Evangelii præconum in Galliis antiquitate apoſtolica tueri. At vice verſa cavendum eſt ne ſeveriores nos præbeamus in penſitandis de antiquitate hac argumentis.

Unde inter primos epiſcopos hiatus magni.

Ceterum non multum urget aut ſtringit hæc objectio. Quidni enim reſpondeatur in exordio prædicationis evangelicæ potuiſſe inſtitui quaſdam Chriſtianorum eccleſias in Galliis, cum nulla tum eſſent contra eos edicta; poſtea vero ſævientibus impotenter imperatoribus, in perſecutionis procella epiſcopos & paſtores occiſos; oveſque gregis fuiſſe diſperſas: ita ut fugatis Chriſtianis, nulli ordinati fuerint in locum occiſorum epiſcopi. Porro in atrocibus bellis quæ imperatores etiam noſtris libris indixerunt, periiſſe commentarios eccleſiarum, in quibus, ſi ſupereſſent, longe plures epiſcopos haberemus, quam in vulgatis catalogis.

Reſpondetur objectioni de corruptis actis.

At, inquies, vix ulla ſunt acta vetera de fundatis apoſtolorum eorumve diſcipulorum temporibus, eccleſiis, quæ genuina dici poſſint, quibus idcirco fidem habere non eſt integrum. Non inficior plurima ex iis actis minime eſſe ſana; at inde non ſequitur nullos ex apoſtolis aut apoſtolicis viris nobis in Gallia Chriſtum prædicaſſe, vel eccleſias fundaſſe. Acta martyrum plurima fabellis ſcatere nemo negare debet: attamen ſi quis inde inferret paucos admodum fuiſſe martyres (quod etiam aſſerit Dodwellus) huic de paucitate martyrum opinioni ſubſcribendum minime cenſeremus. Eadem quoque ratio ſit de opinione negante ob acta corrupta, præcipuarum quarumdam apud nos eccleſiarum fundationem primis Verbi incarnati ſeculis.

Porro veterum actorum corruptelam adſcribendam putamus infeliciſſimis ignorantiæ temporibus, in quibus ſtolidi homines beatam priorum ſeculorum ſimplicitatem faſtidientes, dum ea acta ornare voluerunt, turpiſſimis infecerunt erratis.

Ut ad refellendam rurſum Sulpitii Severi opinionem revertamur, Gallicanorum præſulum ſeculo V. medio ſententia fuit S. Trophimum Pauli apoſtoli diſcipulum, eccleſiam Arelatenſem fundaſſe, ut probavimus in Arelatenſibus epiſcopis. Num itaque tot eruditorum & ſanctorum epiſcoporum auctoritati præponderare debet unius Sulpitii aſſertio? Perpendant noſtri critici, quantum cauſæ eccleſiæ Gallicanæ, imo univerſæ noceant, quam telis hæreticorum exponunt, dum tot admotis machinis ſingularum eccleſiarum origines dubias reddere conantur & uti falſas rejiciunt.

Antequam hanc præfationem claudamus, lectorem monitum eſſe volumus, nonnullos viros doctos, poſt promiſſas nobis ſuas animadverſiones in quædam Galliæ Chriſtianæ Fratrum Sammarthanorum loca, ſpem noſtram quam diu verbis aluerant, reipſa tandem eluſiſſe. Has forſitan obſervationes repoſitas ſibi ſervant, ut iis utantur, ad aliquos errores noſtro in opere carpendos. Hunc tametſi prorſus incivilem agendi modum, minime moleſte feremus, dummodo veritas, quamvis per invidiam eluceſcat.

Epiſtolam nuncupatoriam fratrum Sammarthanorum, præfationemque hic ſubjiciendas exiſtimavimus, quod multa ad illuſtriſſimi Cleri Gallicani, Galliæque Chriſtianæ commendationem contineant.

ILLUSTRISSIMIS

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS

ECCLESIÆ PRINCIPIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS,

CÆTERISQUE TOTIUS COETUS ECCLESIASTICI Ordinibus, in Comitiis generalibus Cleri Galliæ, Lutetiæ conſtitutis.

SAMMARTHANI Fratres æternam felicitatem.

PRODIT *in conſpectum veſtrum, (Illuſtriſſimi Principes Eccleſiæ, Clerique Sacri Ordines venerandi) ex omnibus ſæculis & Sedibus,* ECCLESIÆ GALLICANÆ *celeberrimus Cœtus, veſtriſque ſacris Comitiis admitti poſtulat; & certe merentur in iis locum obtinere, qui eodem quo vos characteris honore, doctrinæ puritate, ſanctimonia vitæ floruerunt. Nec vero deeſt illis legitima deputatio, quos populorum, Regum, & Cleri electio, quos Epiſcoporum confirmatio, quos Pontificum ſanctio, quos Synodorum authoritas comprobavit. Id ergo de veſtra pietate ſibi pollicentur Patres, à quibus Sacerdotium accepiſtis, id de amicitia ſpondent ſibi Fratres ejuſdem Matris Eccleſiæ quam colitis, id de benevolentia ſibi vendicant ſocii conſecrationis, id de gratitudine veſtra expectant, quorum eſtis hæredes dignitatis. Unde ſperamus iis vos nullum humanitatis officium denegaturos, tum ob antiquitatem plurium ſæculorum, tum ob multitudinem ſimul congregatorum; & maxime quod Eccleſias veſtras non modo fundarunt magnitudine laborum, & hæc quæ geritis Epiſcopatus ornamenta, ſanctificaverunt morum caſtimonia, fidei incorruptione, ſcientiæ ſplendore, ſed etiam ſanguinis & vitæ profuſione conſecrarunt. Occurrit ergo vobis Triplex Corona,* ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM, & ABBATUM, *quos etſi officiorum, Sedium, & temporum diſtinxit varietas, unitas tamen Fidei, Sacerdotii,*

Digitized by Google

& Eccleſiæ Gallicanæ, communioni veſtræ conjunxit. Certe equidem illos ſi hoc honore excipitis, quod non diffitemur, non minus gloriæ & ſplendoris in vos, ex illorum conſortio redundabit. Quanta enim & qualis videbitur illa majeſtas ampliſſimi veſtri Conſeſſus, cum non modo Pariſienſi civitati, non modo toti Franciæ, ſed integro Orbi Chriſtiano, & ſequentibus in poſterum ſæculis, univerſa GALLIA CHRISTIANA *a primis fidei temporibus, ad hanc uſque diem velut ad generaliſſimam convocata Synodum effulgebit. Tum enimvero ex hac ingenti multitudine Pontificum, divina quædam pompa ſpectabitur, quæ vobis ſpecimen exhibebit Angelicorum Ordinum, imaginem triumphi cælorum, necnon Eccleſiæ militantis exercitum. Inter omnes enim totius Imperii Chriſti provincias, Gallicana ſtetit ſicut caſtrorum acies, ſemper ordinata diſciplina Eccleſiaſtica obſervantia, ſemper terribilis hoſtibus fidei, ſemperque triumphans; quam nulla domare potuit hæreſis, nulla perfidi dogmatis opinio corrumpere. Videbitis in prima acie Religionis Athletas nobiles, Martyres Fidei generoſos, quorum fortitudini ceſſit rabies dæmonum, furor Tyrannorum, infidelitas populorum. Videbitis illos miraculorum poteſtate, oraculorum virtute, ſanguinis effuſione, de erroribus, impietate, Idololatria agentes illuſtres triumphos: inter quos Pothini, Dionyſii, Saturnini, cæterique plures, aſperſa cruore membra, vulnerum cicatrices, & inſtrumenta crudelitatis carnificum, velut erepta de hoſtibus ſpolia vobis oſtentabunt: ornabunt hanc pompam everſa paſſim dæmonum templa, fictorumque Numinum proculcatæ imagines, & innumera Francorum multitudo, quæ Chriſti ſignata cruce, victoribus Epiſcopis acclamabit. His ſane Pontificibus debere vos intelligetis, & Eccleſias quarum Sponſi eſtis, quas ſuo ſanguine purificaverunt, & aras in quibus ſacrificatis, quas ſua immolatione dedicarunt, & populos quibus præeſtis, quos è diaboli ſervitute redimentes vobis acquiſierunt. Nec minori vos illis aſtringi cenſebitis beneficio, qui partam fidem tot erumnis & laboribus exantlatis, ab Hæreticorum pravis dogmatibus propugnarunt, aut eam libris doctiſſimis illuſtrarunt, aut vitæ ſanctioris exemplo, tanquam ſale optimo in populorum cordibus incorruptam condierunt. Spectabitis Hilarium contra Arrianos, Irenæum contra Valentinianos, Germanum in Pelagianos, Ratbertum, Hincmarum, Bernardum, & alios, in Synodis, & generalibus Conciliis, contra hæreſim, impietatem, morum corruptelam decertantes. At vero quam ſplendidus ille numerus Principum Eccleſiæ, quos vel natalium claritas & Purpura, doctrina vel prudentia nobilitavit: quorum tamen inſulæ, decus familiis, honorem Purpuræ, pondus ſcientiæ, ſapientiæ famam adjunxerunt. Spectabitis enim anteceſſores veſtros*

Digitized by Google

Regum Miniſtros, de arcanis Imperii decernentes, pacis fœdera, bellorum indictiones, Legationes graviſſimas obeuntes, denique nihil confectum majoris momenti ab incunabulis Monarchiæ Francorum, quod Præſulum conſilio vel authoritate, judicio vel opere cœptum non ſit & abſolutum. Floruere quidem Orientales Epiſcopi ſanctitate, Africani ingenio, Itali prudentia, Germani nobilitate, Hiſpani conſtantia; ſed has omnes virtutes non modo conjunxit in ſuis Pontificibus Eccleſia Gallicana, ſed multis etiam titulis ſuperavit. Imprimis enim cum cæteri omnes a Fidei regula, quæ eſt virtutum omnium origo, defeciſſent: ſola Gallia ab Apoſtolorum doctrina non receſſit; & cum plerique Præſules hæreſis veneno fœdarentur, Francorum Clerus non modo manſit illæſus a monſtris, ſed ſi qua inſurrexerunt, ſtatim edomuit & confodit. Cui ſane incorruptæ fidei Eccleſiæ Gallicanæ adſcribenda eſt Majeſtas Romanæ Sedis, noſtri diuturnitas Imperii, & quod gens Francorum pietate, divinarum & humanarum rerum ſcientia, pace belloque geſtis præclare negotiis, cunctas facile ſupereminet nationes. Cum enim Orientales Epiſcopi, & Occidentis Principes, Romanorum Pontificum Sedem deprimere, aut ſibi ſubjicere ſæpe tentaviſſent, hoc eſt Eccleſiæ totius Hierarchiam evertere, Reges Galliarum, hortantibus ſane Epiſcopis & ſuadentibus, Cathedram Petri a ſervitute Tyrannorum in libertatem erexerunt, ab impetu Barbarorum illam protexerunt, ditaverunt honoribus & patrimonio; hæc etiam fides inconcuſſa Præſulum regni fundamenta ſtabilivit; quibus enim in Imperiis incorrupta non permanſit, principatus quoque miſerabilem traxit in ruinam. Quid ergo potuit ad commendationem Eccleſiæ Gallicanæ evenire glorioſius, quam quod Romanæ Sedis hoc eſt totius Chriſtianitatis, eſſet quaſi firmamentum, diuturnitatis Imperii Gallorum fundamentum, & totius Eccleſiæ maximum ornamentum.

Quamvis autem Eccleſia, Gallia, voſmetipſi, veſtris deceſſoribus tantis devincti ſitis beneficiis, abunde tamen illa rependitis (Illuſtriſſimi Principes Eccleſiæ, Clerique Sacri Ordines Venerandi) quandoquidem veſtra ſollicitudine, & authoritate, nunc in unum quaſi corpus collecti, ad hæc celeberrima Comitia convenerunt; ut illorum ſplendor & gloria, quæ in ſingulis minus videbatur, ex omnibus ſimul congregatis auguſtius eluceſcat. Debent vobis quod illorum memoria aut obſita tenebris, vel obſcuris locis recondita, vel erroribus depravata, e pulvere & caligine tumulorum, in lucem poſteritatis evocetur. Illi vobis ſuam dignitatem contulerunt, vos illam ab obſcuritate vendicatis, illi prioribus ſæculis nomen Ordini veſtro conciliarunt, vos poſteris illorum famam pene extinctam renovatis.

Digitized by Google

Etſi enim noſtro ſtylo, manibuſque uti ad operis hujus molem excitandam, veſtræ humanitati ſumma placitum fuerit; nihilominus primas partes vobis tribuendas compertum habemus, cum ab annis decem, tum in Conſeſſu generali Clerus Gallicanus, tum ſingularis multorum Præſulum exhortatio, nos ad hanc rem abſolvendam benevolentia & mandato ſuo vehementer incitavit; inſuper cum auctoritate veſtra tranſlata fuerint ad nos fere ex omnibus Galliarum Eccleſiis antiqua monumenta, ex quibus hujus operis materiam uberem deprompſimus. Certe quemadmodum non minoribus cementariis & opificibus ſuperborum ædificiorum gloria tribuitur, ſed principibus architectonicis & promotoribus, ita ſane ſi quam laudem merebitur apud poſteros Opus hoc qualecunque, in Galliarum Clerum, velut in primum auctorem juſtiſſime redundabit. Nobis vero factum erit ſatis, ſi hoc publico monimento poſteris teſtatum fecerimus noſtrum erga Chriſti fidem Zelum, erga Eccleſiæ Gallicanæ Principes cultum & obſervantiam, denique pietatem erga patriam, quibus nos & noſtra, & quidquid vitæ ſuper eſt, æquo animo impendemus.

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

TRIA nobis potiſſimum Lectorem monenda videntur, primum quidem quæ ſit GALLIÆ CHRISTIANÆ materia, deinde quibus de cauſis ad hoc ſcribendi genus excitati ſunt Sammarthani fratres gemelli, quibus denique ſit adjumentis a nobis abſolutum. Quod ſpectat ad hujus operis argumentum, in animo fuit hiſtoriam contexere omnium ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM, & ABBATUM, hiſque adjungere quantum fieri potuit catalogum primæ dignitatis cujuſlibet cathedralis, necnon præpoſitos generales congregationum commorantes intra Gallias, quæ juxta limites antiquos Mari interno & Oceano, Rheno, Alpibus, & Pyrenæis clauduntur; ut ſic univerſi CLERI GALLICANI hiſtoria, ab origine fidei ad noſtra uſque tempora, locorum, perſonarum, & annorum ordine diſtincta, unico opere comprehenderetur. Unde apparet; Primo quibus initiis fides Chriſti cœperit in Galliis, quibus incrementis propagata ſit, quibus tandem gradibus conſurrexerit ad honoris faſtigium. Secundo manifeſtatur præſtantia Cleri Gallicani ſuper omnes Orientis & Occidentis, excepta Romana, eccleſias, ejuſque hierarchica ſeries perpetua. Tertio origines omnium fere eccleſiarum Franciæ, & monaſteriorum, a quibus fundatæ, latifundiis auctæ, nobilitatæ privilegiis pontificum, epiſcoporum, & principum, quorum vetuſta documenta publici juris fecimus, eodem quo ſe habent verborum tenore, quamvis barbaro, tum ad hiſtoriæ noſtræ probationem, tum ut ex iis antiquitatis notitia accuratior a doctis eruatur. Quarto, quibus conſuetudinibus & cœremoniis uſa ſit eccleſia Gallicana; qua poteſtate viguerit ſive in rebus ſacris, ſive in prophanis. Quinto, quos fidei & morum canones ſanxerit in conciliis, quas hæreſes extinxit, quos errores profligavit, quas diſciplinæ regulas obſervari ab antiquo, quas in deſuetudinem abire, quas reſtitui curaverit. Denique ut multa taceamus quæ ſpectant ad hujus operis argumentum & utilitatem, inde civitates epiſcopales illuſtrantur, per earum geographicas deſcriptiones & hiſtoricas, nobiliores regni familiæ, per gentilitia ſtemmata, chronologia denique per ephemerides præſulum; quarum ex rerum collatione, temporum, locorum, & perſonarum, infiniti prope errores variis in libris emendantur, a quibus nos omnino abſtinuiſſe ſi profiteremur, nimis ſuperbum eſſet: nam in tam vaſto pelago hiſtoriarum, fluctibus opinionum diverſarum agitato, antiquitatis obducto caligine, nullatenus a via veritatis aberrare, non humanum eſt, ſed prope divinum. De induſtria vero retulimus multorum ſententias in rebus dubiis, & diſcrepantes chronologias ex plurimis cartulariis, codicibus, & hiſtoricis, tum ut ſincerius vetuſtatis monumenta proferremus, cum etiam ne Lectori præjudicium afferremus. Cenſuimus autem fore commodius, ſi opus integrum in tres partes diſtribueremus, quarum prima archiepiſcopos, ſecunda epiſcopos, tertia abbates contineret. At cum per quadriennium & amplius protracta ſit ejus editio, crevit interim materia operis, unde epiſcoporum partem in duas redigere coacti ſumus, quamvis ex numeris foliorum diſtinctio non appareat. Porro ordine alphabetico diœceſes & abbatias recenſemus, cum is ſit facilior, ut in promptu, quæ inveſtigat ſtudioſus Lector reperiat, maxime cum ad marginem chronologia ubique notetur.

Quibus autem de cauſis ad id ſcribendi genus excitati ſunt Sammarthani noſtri, non abs re viſum eſt hîc proferre. A teneris annis innato litterarum amore flagrantes, a Scævola parente ſuo, viro non ignoto doctis viris perſuaſi ſunt, ut iis ſtudiis animum adhiberent, quæ publico commodo proficere poſſent; poſtea viri illuſtris Jac. Auguſti Thuani ſenatus Pariſienſis præſidis, familiariſſima ſocietate per annos plures uſi Pariſiis, dum hiſtoriam perſcriberet, cui, ipſo teſte, non mediocriter ad-

laborarunt. Interim dum regia cartophilacia, nec non eccleſiarum complura tabularia evolverent, ſibi propoſuere animo, ut tum ſacræ, tum prophanæ Galliarum hiſtoriæ veteris arcana monumenta ſcrutarentur; ex quibus cum uberem materiam deprompſiſſent, ſeſe addixere primum ut REGIÆ FAMILIÆ hiſtoriam conſcriberent, cum interea eccleſiaſticam meditarentur, Henrico-Ludovico Caſtanæo Rupi-poſæo præſule Pictavienſi ipſos adhortante; qui propterea Romæ degens, cartularia Vaticani perluſtrabat. Interea vero cum Johannes Chenu Bituricus, operis hujus umbram aliquam delineaſſet ſub titulo chronologicæ hiſtoriæ epiſcoporum Galliæ, Fratres Sammarthani lubenter ei contulere, quæ jam digerere cœperant, ut ipſe teſtatur. Quod idem poſtea Claudio Roberto præſtitere, qui majoris operis molem aggreſſus, non modo plura Chenuto adjecit, ſed auguſtiorem formam & ordinem ſuperinducens, a Sammarthanis etiam non pauca recepit, quibus ejus liber creſceret & illuſtraretur, editus anno Chriſti 1626. Sed ut immenſi laboris res eſt, ne ipſe quidem metam attigit, gemelliſque fratribus, poſt ſuam amplam meſſem, majus etiam ſpicilegium reliquit: Adeo verum eſt, quod ſcribit Seneca: *Omnibus fœliciter hic locus ſe dedit; & qui præceſſerunt, non præripuiſſe nobis videntur, quæ dici poterant, ſed aperuiſſe. Multum intereſt utrum ad conſumptam materiam, an ad ſubactam accedas: creſcit in dies, & inventis inventa non obſtant.* Quin etiam Divus Chryſoſtomus non modo vere de Scriptura, ſed ad rem noſtram aptiſſime pronunciavit: *Puteum eſſe altum unde Majores noſtri hauſerunt, nec exhauſerunt, haurimus & nos; nec exhaurimus, poſteritas hauriet, nec exhauriet.* Nam ut cuilibet legenti facile conſtabit, non modo in Democharis volumine de ſacrificio Miſſæ, qui materiam noſtram leviter attigerat, in Chenuti, Severtiique libris pleraque mutila, & hiulca, nec non erroribus ſunt aſperſa; ſed etiam in Roberto maxima pars deeſt aut eccleſiarum, aut præſulum omiſſorum, aut rerum explicandarum, aut veterum monumentorum, quæ ad cathedralium, abbatiarum origines, incrementa, privilegia, jura, diſciplinam & conſuetudines ſpectabant. Inſuper cum Robertus nonnulla pertractet de archiepiſcopis Hiſpaniæ, Italiæ, Angliæ, quæ ſunt extra GALLIÆ CHRISTIANÆ limites, nec non plures diſſertationes de virtutibus & vitiis, aut de jure canonico inſeruerit, quæ ſunt ab hiſtorico aliena; nemini mirum videbitur, ſi a fundamentis hæc moles ex integro reformetur; ita ut jam quatuor voluminibus digeſta, nunc in publicum proferatur.

His adde, quod propter morboſam ſenectutem Robertus cum huic labori ſe ſe imparem intelligeret, datis ad Gemellos fratres ſæpius epiſtolis enixe rogavit, ut hanc provinciam ſuſciperent; & ipſe Jacobus de Nucheſe illuſtriſſimus Antiſtes Cabilonenſis, cui liber Roberti conſecratus erat, nos humanitate ſumma ſemper proſequutus, fatis functo Roberto vehementer invitavit frequentibus litteris, ut huic operi ſedulo incumberemus; cui promovendo, multa conquiri & exhiberi nobis documenta diligentiſſime procuravit. Unde nullus vitio nobis vertet, quod in alienam meſſem, falcem immittere, & pii, docti, nobiſque conjunctiſſimi viri Roberti gloriam tentaverimus obſcurare.

Nihilominus cum magna rationum momenta revocarent Sammarthanos Gemellos, ut id oneris ſuſciperent, nempe provectior ætas, operis moles ardua; maxime vero cum ſibi tunc propoſuiſſent, hiſtoriæ genealogicæ domus regiæ ſeriem perficere nobiliſſimarum Galliæ familiarum. Tandem fluctuantes & incertos inclinavit Cleri Gallicani generalis Cœtus, habitus Lutetiæ anno 1646. qui cum intellexiſſet per ſuum promotorem digniſſimum Georgium d'Aubuſſon abbatem de la Feüillade, mox archiepiſcopum Ebredunenſem, GALLIÆ CHRISTIANÆ maximam utilitatem, tum ad tuendam fidei noſtræ poſſeſſionem, contra omnium temporum hæreticos, ad eccleſiaſticæ diſciplinæ in Galliis ſervanda monumenta, decus & gloriam conferre ſingulis diœceſibus; demum eccleſiaſticæ hiſtoriæ nebulas inde non modo fugari ſenſiſſet, ſed ei magnum lumen afferri. Mandato ſuo ſpeciali iis ſignificavit, fore ſibi rem gratiſſimam, ſi quamprimum fieri poſſet, id Eccleſiæ, & Franciæ

Acta Cleri Gallicani 1646.

publico commodo evulgarent. Accingebant ergo ſe ſe ad obtemperandum, cum paulo poſt civilium bellorum tempeſtas univerſam Galliam, maxime vero Lutetiam perturbavit. Illis autem eripuit ea, quibus fruebantur beata Muſarum otia, ſine quibus vix aliquid tranquille meditari poſſumus, armorum ſtrepitus inter, buccinarumque clangores. Acceſſit huic publicæ calamitati, domeſtica, nempe obitus noſtri SCEVOLÆ Sammarthani parentis colendiſſimi, quem tantis periculis chariſſimam patriam affligentibus, melior ipſi Deus conſulens nobis abſtulit, & reliquit gemino dolore mœrentes; maxime vero Gemellum LUDOVICUM, deſiderio germani potius tabeſcentem quam ſenio. Qua tamen acerbitate malorum minime fractus, injunxit nobis, ut ſub ejus moderamine GALLIÆ CHRISTIANÆ editionem aggrederemur. At cum interim diligenti ſollicitudine variis ex eccleſiis non pauca collegiſſemus, unde quarta pars operis adcreſceret, ideo protracta eſt ejus in publicum emiſſio, ut diuturnitatem temporis, augmentum voluminis compenſaret. Quod etiam nos a typographiæ mendis, levioribuſque erroribus excuſabit, potiſſimum vero cum alteram editionem accuratiorem, & ampliorem intra aliquot annos prodere Deo juvante deſtinemus. 1650. 7 Septembris.

Supereſt, ut id quod promiſſum tertio, moneamus quibus præcipue adjumentis librorum, & perſonarum, hoc opus confectum eſt, & abſolutum. Pervagandum ergo fuit per omne genus ſcriptorum, præſertim hiſtoricorum, tum illorum qui de tota Gallicana gente ſcripſerunt, cum illorum etiam qui in illuſtrandis ſingularibus provinciis, & diœceſibus ſuum ſtudium poſuerunt; quorum ſcripta depravata hiſtoricæ fidei multis locis reſtituimus. Percurrenda inſuper fuerunt conciliorum acta & decreta; ſummorum pontificum reſcripta & epiſtolæ, martyrologia; conquirendi & evolvendi complures manu exarati libri, e divite penu variarum bibliothecarum deprompti; excutienda quoque vetera monumenta innumera, quæ tum in Vaticano, curiæ Romanæ ſcriniis, regio chartophilacio, tum regeſtis ſummarum Galliæ curiarum, necnon quæ in ſecretis tabulariis eccleſiarum cathedralium, cœnobiorum, & illuſtrium regni familiarum abdita latebant; quorum nobiliorem partem pene obliteratam, e pulvere & tenebris, non ſine gravibus impenſis & laboribus in lucem edimus. Quibus tamen nos facere ſatis non potuiſſe fatemur, niſi tum CLERI GALLICANI generalis Cœtus, ſuis beneficiis, cum etiam multorum præſulum ſollicitudo, in exhibendis ſuarum eccleſiarum chartophilaciis, operoſi laboris moleſtias nobis mitigaſſet; quibus ſane nunquam ſatis amplas referre gratias poſſumus.

Sed profecto nulla nos unquam tenebit oblivio, eruditorum hominum, qui ſuis ſtudiis nos ad hoc opus promovendum, non mediocriter adjuvarunt: quos inter viri eximii Petrus & Jacobus Puteani fratres, regi Chriſtianiſſimo a conſiliis, & bibliothecis, de omnibus litteratis meritiſſimi. Michaël de Marolles abbas Villælupæ, clarus variis libris, quibus & humanas, & divinas ſcientias illuſtravit; qui liberalitate ſingulari nobis codices ſuos communicavit de provincia Turonenſi. Teſtamur etiam noſtram gratitudinem erga Antonium de Vyon, dominum d'Herouval Cameræ computorum auditorem, qui ex hujus ſcriniis, aliiſque, membranas, exemplaria, & cætera id genus priſca monumenta humaniſſime nobis ſubminiſtravit. Beneficio autem baronis Riantienſis ſchedæ V. C. Nicolai Claudii Fabricii Peireskii nobis patuerunt. Denique R. P. Franciſcus Boulartus abbas quondam ſanctæ Genovefæ de Monte Pariſiis, plures catalogos ſui ordinis abbatum canonicorum Regularium B. Auguſtini, nobis potiſſimum exhibuit. Abbatum quoque ordinis Ciſtercienſis non paucas nomenclaturas præbuit R. P. de Lancy. Inter externos etiam præcipue nobis commendandus Ferdinandus Ughellus, Florentinus, abbas ſanctorum Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Salvias, ord. Ciſterc. qui de epiſcopis univerſæ Italiæ ſcripſit, nobiſque multorum præſulum notitiam contulit, ex actis publicis Conſiſtorialibus, libris proviſionum prælatorum, & regiſtris Vaticani.

Cum autem omnium nomina recenſeamus, qui aliquid ad hoc opus contulerunt,

Digitized by Google

& neceſſe fuerit ex omnibus fere eccleſiarum, & monaſteriorum tabulariis, archivis publicis ac privatis intra Gallias, manuſcripta colligere, ſuis locis ea declarabimus. Univerſos denique hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſos enixe hortamur, quandoquidem hoc opus ſpectat ad Religionis, totiuſque Cleri commendationem, & nominis Francici gloriam, publico commodo & nobis conferant, ſi quæ arcana recondunt, benignius autem excuſent, ſi quid humanitus eſt erratum.

ILLUSTRISSIMORUM AC REVERENDISSIMORUM EPISCOPORUM, & Abbatum aliquot in comitiis majoribus cleri Gallicani delegatorum, & aliorum doctorum virorum de GALLIA CHRISTIANA teſtimonium.

LICET juxta veteres prima dos eccleſiæ ſit cathedra una, ſuper Petrum Domini voce fundata, illius tamen pars a ſingulis epiſcopis in ſolidum poſſidetur; ita ut in eorum collegio per orbem diffuſo, & per vices ſibi ſuccedentium epiſcoporum propagato, corpus eccleſiæ Catholicæ in perpetuum duraturæ, ſuo capiti conexum repræſentetur. Cùm autem eccleſia Gallicana ejus corporis ſit pars nobiliſſima, multum intererat rei Chriſtianæ, ut epiſcoporum origines & ſucceſſiones in ſingulis Galliarum eccleſiis ab ipſius fidei exordiis, uſque ad præſentem epiſcopatum, in publicum ederentur. Ex qua epiſcoporum ſerie, ſanctitatis exempla, atque regiminis normam trahere poſteri, ac præterea novatores agnoſcere poſſent, nullam ſibi cum antiquis eccleſiæ noſtræ patribus intercedere fidei & doctrinæ conſanguinitatem, qui ab unius cathedræ ſocietate diſceſſerunt. Opus quidem arduum erat poſt excidium veterum monumentorum, ex quibus rerum eruendæ fides, tum origines iſtas (quæ a beato Luca in Galliam profecto initium habent, ut diſerte docuit Epiphanius) tum ſucceſſiones perſcrutari, & in unum corpus compingere. Quare illorum diligentiæ negotium iſtud committendum fuit, qui libris editis fidem ſuam & eruditionem literatis viris jam antea probaverant. A clero itaque Gallicano ſuperioribus annis congregato, SAMMARTHANI illi hereditaria in litteris laude nomen inſigne conſecuti, præcipue delecti ſunt, ut qui laboribus ſuis regum noſtrorum ſtemmata & geſta pridem ornaverant, ſimilem operam in epiſcoporum Gallicanorum collectione navarent. Spem cleri implevit eventus, ut lectori plane conſtabit, qui quatuor iſta GALLIÆ CHRISTIANÆ volumina, æquo animo & ſtudii ſedulitate luſtraverit. Ita cenſent inferius ſubſcripti epiſcopi, qui ſingulari ex eorum lectione, animi voluptate percepta, quid aliis ſperandum ſuperſit, ex eadem lectione teſtantur. Datum Pariſiis pendentibus comitiis generalibus cleri die XXII. menſis Junii anni Domini MDCLVI.

PETRUS DE MARCA, archiepiſcopus TOLOSANUS.

PETRUS epiſcopus MONTIS-ALBANI.

BERNARDUS DE MARMIESSE epiſcopus CONSERANENSIS nominatus, promotor etiam generalis.

CUM nihil hominibus eccleſiaſticis, eccleſiarum ſuarum hiſtoriæ ſcientia jucundius, & ad mores formandos utilius eſſe poſſit, multum ſane debetur iis, quorum ſtudio illa in ordinem redacta, velut e tumulo vivens florenſque renaſcitur. Hanc difficilem operam SAMMARTHANI fratres, viri quorum nomen muſarum, ſcientiarumque ipſum nomen eſt, ſedulo præſtitere his in libris, quos cleri Gallicani juſſu, de eccleſiæ Gallicanæ archiepiſcopis, epiſcopis, & abbatibus nunc in lucem emittunt. Sane improbo labore in tot cartariis ſepultis pulvere perſcrutandis, acri judicio in originum difficultatibus extricandis, indefeſſa in tot voluminibus quæ legendi fiere evolvendis, diligentia opus fuit, ut tam operoſum opus ad umbilicum perduceretur. Nemo vero ſcit quanti hæc conſtent, niſi qui eidem oneri humeros aliquando ſuppoſuerit. Nos igitur qui hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtadium ingreſſi ſumus, ſi quam his in rebus fidem meremur, lubenter teſtamur, utiliſſimos eccleſiæ Gallicanæ, imo & univerſæ hos libros fore, quippe quos ad eccleſiaſticam præſcriptionem adverſus hæreticos probandam recte adducere poſſumus, nihil in illis quod ſanæ doctrinæ repugnet, reperiri, imo multa nova, & ſcitu digniſſima continere. Datum Lutetiæ Pariſiorum Calend. Junii anni Incarn. MDCLVI.

ANTONIUS epiſcopus VENCIENSIS.

SI majorum longa ſtemmatum ſerie, & fumoſis avorum imaginibus, nullum magis optabile ſpectaculum oculis poſterorum offerri poteſt. Quanta dulcedine, hæc a fidei Chriſtianæ in Gallia publicatæ primordiis, fratrum SAMMARTHANORUM labore ad noſtra uſque tempora delineata epiſcoporum ſucceſſio, fidelium animos implere debebit? Conſpectæ antenatorum effigies, eorum præclara facinora in neporum mentes revocant: ipſique generoſæ æmulationis ſtudio ardua quæque aggrediuntur, ac ſe viciſſim præbent ſuccedentibus in exemplum. Ita virtus domeſtica per ſæculorum ætates creſcit: ita nobilitatis antiquæ lumen, in claris familiis occidere neſcit, ſibique in poſteris ſuperſtes redit, ac temporum tenebras, hominumque oblivionem æterno ſplendore ſuperat. Verum hoc egregium, ſacræ dignitatum eccleſiaſticarum ſucceſſioni accedit: quod non ſolum, ut in humanis comparatum eſt, virtutibus & exemplis hæreditas fit locupletior; ſed ipſa Religionis dogmata per manus ſuccedentium decurrentia, ingenuo & incontaminato natalium fulgore ad ſeros pronepotes perveniunt. Etenim hæc ſacra genealogia, illibatum divinæ fidei depoſitum, in eccleſia ſervat: hoc ab apoſtolis prælegatum ſacræ traditionis pignus incolume, catholicam unitatem cum veritate compaginat: hæc indivulſa eccleſiæ patrum ſeries, a Chriſto doctrinam in publicis theſauris reponens, eam ab omni hæreſeon & ſchiſmatum latrocinio vindicat. Ergo, eccleſia Gallicana procedentibus in publicum majoribus aſſurgat: fratribus SAMMARTHANIS, vultus eorum ac mores opere mirabili efformantibus, plaudat: ac mecum tantorum in artificum laudes, & gratias, ſymbolum ſuum conferat. Lutetiæ Pariſiorum Calend. Julii anno MDCLVI.

FRANCISCUS BOSQUET, epiſcopus MONTISPESSULANI.

CONFERANT

COperant pridem illuſtri ſane opera Sammarthani fratres eccleſiaſticas origines ab ipſis eccleſiæ naſcentis exordiis ex antiquitatis penetralibus eruere, opus arduum, hortante tamen clero fratrum adunata opera inceptum: ſed proh dolor tot vigiliarum fructus, & abortivi fœtus properante nimis authorum fato, infecto opere perierant, cum ſuccurrente numine, avulſis e ſæculo parentibus, adfuere filii, qui nec territi longa ac difficili tot præteritorum ſæculorum indagatione, nec laborioſa tot rerum collectione perculſi, ſed generoſo, pioque parentum propoſito adhærentes, has eccleſiaſticas origines omnium votis expetitas, & expectatas, indefeſſo labore peregerunt. Eximium, ac commendatum per ſe opus, quo tot Pontificum præclare geſta reviviſcunt; ea eſt enim illuſtrium quorumcumque facinorum luctuoſa conditio, ut ni hiſtoria rapido, velocique decurrentium temporum lapſui, tanquam torrenti moras poſitura obſiſtat, æterna licet memoria digna, in tenebris tamen & alta ſæculorum oblivione, tanquam in profunda voragine demerſa jaceant; ea temporum ergo injuria tot ſanctorum præſulum memoriam vindicaverunt Sammarthani, cum pene ſepultas pontificum hiſtorias in lucem edunt, vel diſperſas & peculatibus locis cognitas publici juris faciendo, toto orbi commendant, cum annuntiant. Reddunt igitur eccleſiæ Gallicanæ ſuos antiſtites, ab apoſtolis longo ordine primitivos patres; ſtemmata ſane quæ (ut cum Tertul. loquar) conſanguinitatem apoſtolicæ doctrinæ hujuſce temporis præſulibus cum epiſcopatu novatoribus probant tranſmiſſam, cum ſucceſſores demonſtrant. Impar ego tanto operi digne laudando, perabunde tamen huic oneri ſatisfeciſſe exiſtimo, explicando ſuppoſitum opus, quod difficili, ſed rei literariæ fœlici molimine tandem exhauſtum, numeriſque ſuis omnibus abſolutum, propria pulchritudine conſurgit. Hæc ſunt quæ de hoc opere ſentit & ſubſcribit. Datum Lutetiæ die prima Julii anno MDCLVI.

A. Franciscus Beaterius, abbas ſancti Petri Lesatensis, & B. Mariæ de Capella.

CUm præclarum hoc Sammarthanorum opus mente ac cogitatione revolvo, non tam equidem eccleſiæ Gallicanæ gratulor, quod tot viros & virtute inſignes, & religione ſuſpiciendos tulerit, quam quod Sammarthani fratres incredibili quodam erga ſuos amore incenſi, ad eorum memoriam ab interitu vindicandam ingenium, artemque omnem contulerint. Quid enim magis laude dignum eſſe poteſt, quam non pati occidere quibus æternitas debetur? Vivunt certe nomina conſumptis corporibus excellenti ſcriptorum manu; virtuſque ſepulta jacet, ſi præconem non invenerit. Unde quantum Sammarthanæ genti cives noſtri debeant, non facile eſt verbis exprimere. Cui nimirum hoc veluti a natura inſitum eſt, ut in exornandis illuſtribus viris ſemper invigilaret, inſudaretque. Id Scævola pater vir præſtans ingenio ac ſtylo, in elogiis Gallorum doctrina illuſtrium concinnandis fœliciter oſtendit. Longe fœlicius & utilius Gemelli fratres, beata Scævolæ proles, in his originum Galliæ Christianæ voluminibus elucubrandis id ipſum exhibent, in quibus oculis ſubjiciunt admirabilem texturam ἀνδρῶν ἀνδρῶν hoc eſt, divinorum eccleſiæ noſtræ procerum, qui nobis loquuti ſunt verbum Dei; ut illorum intuentes exitum converſationis, par eſſet imitari fidem. Sed admirandum illud & immortali laude dignum opus, invidentibus fatis, imperfectum diu latuiſſet, ni pia filiorum manus ſuccurriſſet; qui operoſa induſtria, tanto labori Coronidem imponendo, & publici juris faciendo, parenti ſimul & patruo pie parentarunt. Gaudeant ergo Petrus, Abelius, & Nicolaus fratres, quod ingenii, decoriſque paterni conſortes, acceptum ei retulerint diem: fauſtum, fœlixque ſit, quod pia cura veros tetigerit nepotes, nec in eis tantæ poſteritatis amor perierit: ſciantque qui ſic egregiis viris reddunt honores, ipſos ſuæ non carere pretio virtutis. Hoc lubens ob egregia tum publice erga patriam, cum privatim in ſe & gentem Speſſæant Sammarthanorum merita, grata recordatione remunerans, poſteris teſtatum eſſe voluit, & debuit. Lutetiæ Pariſ. D. XV. Julii. A. S. MDCLVI.

Ludovicus Henricus Faius Speſſæus Theol. Pariſ. ſacri Conſiſtorii comes, abbas ſancti Petri Viennensis.

HAs eccleſiarum Chriſtianarum origines, & deductas ab ipſa infantia ad hæc uſque tempora epiſcoporum Gallicorum ſucceſſiones, maxima cum admiratione legi. Quis enim tantum opus meditatus, admiratione non moveatur modo, ſed etiam non obſtupeſcat, cum in eo viderit innumerorum epiſcoporum & abbatum memorabilia geſta, dictaque e laceris antiquitatis ruderibus, & denſiſſimis tenebris erepta, & ſecundum ſeriem annorum pluſquam mille & ſexcentorum digeſta; quid quiſque unoquoque anno magnum & memorabile dixerit, tentaverit, geſſerit, ordine diſpoſitum, & rudium ſæculorum ſqualore deterſo, omnium oculis nitide & plane expoſitum? Urbium depopulationes, everſiones, excidia; Barbarorum efferata vis, omnia miſcens, polluens, peſſundans, cui Gallia toties ſuccubuit: Temporis diuturnitas, immenſorumque ſumptuum jactura, quos in bibliothecis, archivis, & actuariis adeundis, penitiſſime inſpiciendis, eruderandis & ab omni fabularum fuligine emaculandis, facere oportuit; tot denique difficultatum monſtra, hydra fœcundius hinc pullulantia, quæ Herculem ipſum terrere poterant, clariſſimos & eruditiſſimos Sammarthanos fratres ab hoc pluſquam Herculeo labore aggrediendo, & conficiendo non deterruerunt. Quiſquis igitur antiquitatum Chriſtianarum curioſus, ſcire avet uniuſcujuſque eccleſiæ incunabula, rudimenta, incrementa, quibus pietatis magiſtris adoleverit, quibus gradibus ad ſummum illum quem conſpicimus ſplendorem aſſurrexerit, qui ſanguine ſuo unamquamque fundarunt, aut fundatam ſuſtentarunt; quæ, quotve præclara pro fide in Chriſtum certamina, unaquæque ediderit; qui imperatores, reges, principes, magnates pietatis templa ædificarunt, aut refecerunt, ampliſſimis fundis & principalibus cenſibus donarunt; innumeraque alia animum antiquitatis eccleſiaſticæ amantem ſolicitare ſolita, quæ paucula hac in charta deſcribi non poſſunt. Hos libros quæſito potiundi ſecurus, diligenter evolvat, & luſtret, cum vix unquam ſpes fruſtrabitur. Nihil eſt in eorum lectione reformidandum, omnia ſunt in vado κατὰ ἡ ὑμνουσι ἀκτὰς Ubique viget & pellucet animus catholicus, veritatis amicus: Quæ certa, aſſerunt; quæ dubia, ne veritati aliquando forſan emerſuræ præjudicium faciant, in medio relinquunt, & propoſitis in utramque partem melioribus argumentis, judicium decretorium lectori committunt. Ita lecto hoc opere admirando, & laborioſiſſimo, de eo cenſebat Johannes Morinus Congregationis Oratorii D. N. Jeſu Chriſti Presbyter.

Digitized by Google

EXTRAIT DU PROCÉS VERBAL DE L'ASSEMBLÉE
generale du Clergé de France, de l'année 1710.

Du Mardy 17. Juin à 8. heures du matin.

Monſeigneur LE CARDINAL DE NOAILLES *Preſident.*

MONSEIGNEUR l'Archevêque de Narbonne & Monſieur l'Abbé de Premeaux Commiſſaires nommez pour la nouvelle Edition du Livre intitulé, *Gallia Chriſtiana*, ont pris le Bureau, & Monſeigneur l'Archevêque de Narbonne a dit, que l'Aſſemblée leur aïant fait l'honneur de les charger du ſoin d'examiner les propoſitions de Dom Denis de Sainte-Marthe, Religieux Benedictin demeurant à l'Abbaïe de ſaint Germain des Prez, qui a projetté de faire une Edition plus ample & plus exacte du *Gallia Chriſtiana*, ils avoient eu pluſieurs conferences avec lui, & qu'il leur a rendu compte du plan de ſon Ouvrage & du ſuccés de ſes recherches.

Qu'on avoit long-tems ſouhaité dans l'Egliſe de France une Hiſtoire qui renfermât l'origine de ſes Egliſes particulieres & la ſucceſſion de ſes Evêques, & qu'on le ſouhaitoit avec d'autant plus de raiſon, que ſaint Irenée, Tertullien, ſaint Auguſtin & les autres Peres de l'Egliſe ont tiré de cette ſucceſſion l'un de leurs plus ſolides argumens contre les Heretiques; mais que ce n'a été que dans le ſiecle dernier qu'on a commencé de travailler à un Ouvrage ſi utile & ſi neceſſaire.

Qu'en l'année 1621. Jean Chenu natif de Bourges, Avocat au Parlement de Paris, fit paroître une Hiſtoire Chronologique *in* 4°. des Archevêques & Evêques de France. Que cet Ouvrage étoit loüable par les intentions de l'Auteur, & parce qu'il étoit le premier qui ſembloit en avoir formé le deſſein; mais que ce Livre n'avoit pas rempli l'attente ni la curioſité du public. Que depuis, Claude Robert, grand Archidiacre de Châlons ſur Saone, donna un Recuëil moins défectueux *in folio* en 1626. mais que s'appercevant ſans peine que le Recuëil n'étoit pas aſſez ample, il exhorta ſur la fin de ſes jours Meſſieurs de Sainte-Marthe à faire ce qu'il n'avoit pû executer.

Que c'étoit donc aux deux celebres gemeaux, Scevole & Loüis de Sainte-Marthe, que cette gloire étoit reſervée avec d'autant plus de juſtice, que ledit Jean Chenu & Claude Robert ont reconnu leur être redevables d'une partie de ce qu'il y a de meilleur dans leurs Ouvrages.

Que c'eſt dans l'Aſſemblée generale du Clergé convoquée en 1645. qu'on peut dire que le *Gallia Chriſtiana* a pris ſa naiſſance; puiſqu'ils firent part de leur deſſein à ladite Aſſemblée, & lui preſenterent l'Epître dedicatoire du Livre qui commençoit à être ſous la preſſe. Qu'en effet, pour emploïer les termes du Procés verbal du 8. Janvier 1646. l'Aſſemblée bien informée du merite deſdits ſieurs de Sainte-Marthe, & des avantages qui peuvent revenir à l'Egliſe de l'Impreſſion de leurs Livres, a arrêté qu'ils ſeront conviez de la faire continuer inceſſamment; & pour marque de ſon eſtime, & les dédommager aucunement des frais de ladite Impreſſion, a reſolu qu'il leur ſera fait un preſent de ſix mille livres.

Qu'animez par ces marques de l'eſtime du Clergé, ils redoublerent leurs ſoins pour la conſommation de leur entrepriſe; mais qu'étant decedez avant l'Aſſemblée tenuë en 1655. & 1656. ils laiſſerent à Pierre, Abel & Nicolas de Sainte-Marthe, tous trois fils de Scevole & neveux de Loüis, l'honneur & l'avantage de preſenter à ladite Aſſemblée le Livre de *Gallia Chriſtiana*, dont l'Edition venoit d'être achevée.

Qu'alors l'Aſſemblée nomma des Commiſſaires pour examiner le ivre avant de permettre qu'il parût ſous le nom du Clergé, & que ces Commiſſaires (qui furent Meſſeigneurs Pierre de Marca Archevêque de Toulouſe, Antoine Godeau Evêque de Vence, François Bouſquet Evêque de Montpellier, & Meſſieurs les Abbez de Berthier, d'Eſpeiſſes & Lemoyne, perſonnages d'une tres-grande reputation) aïant donné des Approbations autentiques à cet Ouvrage, l'Aſſemblée le reçut avec les éloges qui lui étoient dûs & à ſes Auteurs: joignant à ces éloges une penſion annuelle de 500. livres pour chacun des trois freres, heritiers de Scevole & de Loüis de Sainte-Marthe.

Monſeigneur l'Archevêque de Narbonne a ajoûté, que dans ce Livre qui contient une matiere ſi étenduë, on y trouve ce qu'il y a de plus remarquable dans l'Hiſtoire Eccleſiaſtique de France, (ſuivant les anciennes limites des Gaules que forment la Mediterranée, l'Ocean, le Rhin, les Alpes & les Pyrenées) & les actions dignes de memoire de chacun de ſes Evêques, dont les uns ſont devenus ſi celebres par le martyre, d'autres par leurs miracles & l'auſterité de leur vie; un grand nombre par leur doctrine & par leurs travaux pour la défenſe de la Foi; d'autres par la Pourpre Romaine, dont leur merite a été recompenſé par pluſieurs Princes, & même freres de nos Rois, Chanceliers, Miniſtres d'Etat, Ambaſſadeurs: tous enfin, ou illuſtres par la nobleſſe de leur ſang, ou par celle de leur vertu, nobleſſe encore plus deſirable.

Que de ce grand nombre de Pontifes, il s'eſt formé dans le *Gallia Chriſtiana* un Concile de tous les ſiecles de l'Egliſe Gallicane compoſé de plus de trente mille Evêques, ſuivant la remarque des trois freres dans leur Harangue à l'Aſſemblée de 1656.

Que ces trois freres s'appercevant neanmoins qu'il y avoit encore quelque choſe à deſirer pour la perfection de cet Ouvrage, ils en firent eſperer dès lors une ſeconde Edition qui n'a pourtant jamais paru.

Que le Pere de Sainte-Marthe par le nom qu'il porte, encore plus par la ſcience qui eſt hereditaire dans ſa famille, a cru devoir executer cette promeſſe, les exemplaires de la premiere Edition étant d'ailleurs extrêmement rares.

Qu'il y a même été exhorté par pluſieurs perſonnes d'un rang & d'un merite tres-diſtingué; & que depuis quatre ans, il y a travaillé avec l'agrément de Monſeigneur le Cardinal de Noailles.

Que pour y reüſſir, il a lû avec beaucoup d'application les Manuſcrits & les autres Imprimez qui ſont citez dans la premiere Edition. Qu'il a recouvré d'autres Manuſcrits en grand nombre inconnus aux Auteurs de ladite Edition, & qu'il a lû tous les Recuëils de Pieces anciennes imprimez depuis 1656.

Qu'avec ce ſecours il a decouvert un grand nombre d'Evêques, dont le nom & les actions avoient échappé à Meſſieurs de Sainte-Marthe, ce qui l'a mis en état d'augmenter conſiderablement leur Ouvrage.

Que dans l'ancienne Edition les Archevêques étoient dans un Volume ſeparé, les Evêques en deux autres Volumes, & les Abbez dans le quatriéme : le tout ſans autre ordre que celui des lettres de l'alphabet. Mais que perſonne n'ignorant la grande liaiſon qui eſt entre l'Hiſtoire des Metropolitains & de leurs Suffragants, ſemblablement entre celle des Abbez & de leurs Evêques & Archevêques, il eſt aiſé de juger combien ces Hiſtoires rapprochées les unes des autres peuvent contribuer mutuellement à leur éclairciſſement.

Qu'ainſi le Pere de Sainte-Marthe a diſtribué ſon nouveau Livre par Provinces Eccleſiaſtiques. Que dans le rang deſdites Provinces, pour ne point donner d'atteinte aux diverſes pretentions de pluſieurs Metropolitains, il ſuit l'ordre alphabetique; ce qu'il obſerve pareillement & pour la même raiſon dans le rang des Evêques qui compoſent une même Province.

Qu'à la tête de chaque Province il y aura une Carte Geographique, où l'on marquera non ſeulement les Villes Epiſcopales & les Abbaïes, mais auſſi les lieux renommez en chaque Dioceſe, principalement par la tenuë des Conciles qui y ont été celebrez.

Que l'Auteur donnera l'abregé de l'Hiſtoire de la Ville & de l'Egliſe Metropolitaine & des Archevêques qui l'ont gouvernée juſqu'à ce jour. Que le même ordre ſera obſervé à l'égard des Evêchez & des Evêques, auſquels on joindra, autant qu'il ſera poſſible, l'Hiſtoire de ceux qui ont poſſedé la premiere Dignité en chaque Egliſe Metropolitaine ou Cathedrale.

Qu'enfin le même ordre ſera gardé pour les Abbaïes, pour les Abbez, & pour les Abbeſſes, qui en ont eu le gouvernement; comme auſſi pour les Generaux & Chefs-d'Ordre qui demeurent dans l'étenduë de chaque Province.

Monſeigneur l'Archevêque de Narbonne en finiſſant, a fait obſerver à la Compagnie que le projet du Pere de Sainte-Marthe étant déja bien avancé, s'executera heureuſement en peu d'années, s'il eſt ſoûtenu par la protection de l'Aſſemblée. Qu'à cet effet ledit Pere de Sainte-Marthe l'a ſupplié de lui accorder des Lettres de recommandation, à la faveur deſquelles les Religieux qu'il emploïe pour rechercher les Titres neceſſaires à l'execution de ſon deſſein, ſoient introduits dans les Archives, où ces Titres ſont conſervez. Qu'il repreſente auſſi qu'une entrepriſe de cette nature ne ſçauroit s'accomplir qu'avec des dépenſes qui ſont au deſſus de ſes forces, ainſi qu'il eſt aiſé d'en juger par les frais des voïages, par l'entretien des Religieux qui ſont aſſociez aux travaux de l'Auteur, par le ſalaire des Copiſtes & les ports de lettres.

Sur quoy Monſeigneur le Cardinal de Noailles aïant demandé l'avis de la Commiſſion, Monſeigneur l'Archevêque de Narbonne a dit que leur avis eſt d'accorder au Pere de Sainte-Marthe la ſomme de quatre mille livres une fois païé, pour lui donner moïen de faire la dépenſe neceſſaire, pour mettre ſon Livre en état d'être donné au public dans quatre ans au plus tard, à commencer le premier de Juillet prochain, à condition que la Congregation de S. Maur s'engagera par écrit, que ſi ledit Pere de Sainte-Marthe vient à decéder, elle aura ſoin de faire mettre l'Ouvrage en ſa perfection par d'autres Religieux de ladite Congregation. Qu'ils ſont auſſi d'avis que l'Aſſemblée écrive une Lettre à Meſſeigneurs les Archevêques & Evêques du Roïaume, pour les prier de s'emploïer auprés de tous les Corps Eccleſiaſtiques & Seculiers de leurs dioceſes, pour faciliter aux aſſociez du Pere de Sainte-Marthe la communication des Titres, dont ils peuvent avoir beſoin : ſemblablement de prier Meſſieurs les Intendans des Provinces d'honorer leſdits Religieux de leur protection à la même fin.

Le rapport achevé, l'Aſſemblée, par ſa deliberation, s'eſt conformée en tout à l'avis de la Commiſſion; & ſon Eminence, aprés avoir remercié Monſeigneur l'Archevêque de Narbonne des recherches curieuſes & ſçavantes dont il a fait part à la Compagnie, l'a prié de dreſſer la Lettre que l'Aſſemblée a reſolu d'écrire à Meſſeigneurs les Archevêques & Evêques.

Digitized by G

Approbatio Domini D'ARNAUDIN, *Sorbonæ Doctoris, & librorum Cenſoris Regii.*

EX mandato illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii legi & probavi opus, cui titulus eſt, *Gallia Chriſtiana &c. auctore Reverendo Patre* DE SAINTE-MARTHE, diligenter & affabre elaboratum. Hoc appellato viro in rebus eccleſiaſticis quam peritiſſimo & jam de republica litteraria ita bene merito, quis plura ad commendationem operis tam eximii & quod eccleſiæ Gallicanæ maxime dignitatem amplificat, deſideraret? Dabam Pariſius die 29. menſis Maii anni 1714. D'ARNAUDIN.

Approbatio Domini CAPON, *in Senatu Patroni, Juris Canonici in Collegio Regio Profeſſoris, Regii librorum Cenſoris.*

ILluſtriſſimi Franciæ Cancellarii juſſu legi librum, cui titulus eſt, *Gallia Chriſtiana in Provincias diſtributa, auctore Reverendo Patre Domno* DIONYSIO DE SAINTE-MARTHE, *Presbytero, Monacho Benedictino Congregationis ſancti Mauri, Priore ſancti Germani Pariſienſis* opus ſane Sammarthani nominis, cui plurimum reſpublica litteraria debet, dignum, & forſan indefeſſo & improbo labori ſolius monachi eruditæ Congregationis pervium Quominus typis mandetur, non ſolum nihil impedire, ſed fore perutile cenſeo. Lutetiæ Pariſiorum decima quarta die Junii anni milleſimi ſeptingenteſimi decimi quarti. CAPON.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, ſalut : Nôtre bien amé JEAN BAPTISTE COIGNARD, l'un de nos Imprimeurs ordinaires & Libraire à Paris, nous ayant fait remontrer qu'il ſouhaiteroit reimprimer & donner au Public un Ouvrage qui a pour titre GALLIA CHRISTIANA, s'il Nous plaiſoit luy accorder nos Lettres de continuation de Privilege ſur ce neceſſaires. A ces cauſes, voulant favorablement traiter l'Expoſant, & reconnoître ſon zele, nous luy avons permis & permettons par ces preſentes de reimprimer ou faire reimprimer ledit Livre cy-deſſus expliqué, en telle forme, marge, caractere, en un ou pluſieurs Volumes, conjointement ou ſeparément, & autant de fois que bon luy ſemblera, & de le vendre, faire vendre & debiter par tout nôtre Royaume pendant le tems de QUINZE ANNE'ES conſecutives, à compter du jour de la date deſdites Preſentes. Faiſons defenſes à toutes ſortes de perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de nôtre obéïſſance ; & à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, debiter ni contrefaire ledit Livre cy deſſus ſpecifié en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits, ſous quelque pretexte que ce ſoit d'augmentation, correction, changement de titre, ou autrement, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de dix mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & interêts : à la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles, que l'impreſſion dudit Livre ſera faite dans nôtre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie, & qu'avant que de l'expoſer en vente il en ſera mis deux Exemplaires dans nôtre Bibliotheque publique, un dans celle de nôtre Château du Louvre, & un dans celle de nôtre tres cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur VOYSIN, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Preſentes : Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant ou ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie deſdites Preſentes, qui ſera imprimée à la fin ou au commencement dudit Livre, ſoit tenuë pour duëment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires foy ſoit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier nôtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & neceſſaires ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, chartre Normande, & Lettres à ce contraires : Car tel eſt nôtre plaiſir Donné à Paris le vingt-neuviéme jour du mois d'Octobre, l'an de grace mil ſept cens quinze, & de nôtre Regne le premier. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, FOUQUET.

Regiſtré ſur le Regiſtre, N°. 3. de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, page 994. N°. 1314. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arreſt du Conſeil du 13. Aouſt 1703. A Paris le 30. Octobre 1715.

NOTITIA

Digitized by Google

NOTITIA PROVINCIARUM ET CIVITATUM GALLIÆ,

HONORII AUGUSTI, UT VIDETUR, TEMPORIBUS condita, cum Gallias in ſeptemdecim Provincias diſtinguere mos erat.

IN PROVINCIIS GALLICANIS QUÆ CIVITATES SINT.

PROVINCIA LUGDUNENSIS PRIMA.
Metropolis civitas Lugdunenſium, *Lyon.*
Civitas Æduorum, *Autun.*
Civitas Lingonum, *Langres.*
Caſtrum Cabilonenſe, *Châlons.*
Caſtrum Matiſconenſe, *Maſcon.*

PROVINCIA LUGDUNENSIS SECUNDA.
Metropolis civitas Rotomagenſium, *Roüen.*
Civitas Baïocaſſium, *Bayeux.*
Civitas Abrincarum, *Avranches.*
Civita Ebroïcorum, *Evreux.*
Civitas Sagiorum, *Sées.*
Civitas Lexoviorum, *Liſieux.*
Civitas Conſtantia, *Conſtances.*

PROVINCIA LUGDUNENSIS TERTIA.
Metropolis civitas Turonum, *Tours.*
Civitas Cenomannorum, *le Mans.*
Civitas Redonum, *Rennes.*
Civitas Andicavorum, *Angers.*
Civitas Namnetum, *Nantes.*
Civitas Coriſopitum, *Cornouaille:*
Civitas Venetum, *Vannes.*
Civitas Oſſiſmorum.
Civitas Diablintum

PROVINCIA LUGDUNENSIS SENONIA.
Metropolis civitas Senonum, *Sens.*
Civitas Carnotum, *Chartres.*
Civitas Autiſſiodorum, *Auxerre.*
Civitas Tricaſſium, *Troyes.*
Civitas Aurelianorum, *Orleans.*
Civitas Pariſiorum, *Paris.*
Civitas Meldorum, *Meaux.*

PROVINCIA BELGICA PRIMA.
Metropolis civitas Treverorum, *Treves.*
Civitas Mediomatricorum Metris, *Metz.*
Civitas Leucorum Tullo, *Toul.*
Civitas Verodunenſium, *Verdun.*

PROVINCIA BELGICA SECUNDA.
Metropolis civitas Remorum, *Reims.*
Civitas Sueſſionum, *Soiſſons.*
Civitas Catalaunorum, *Chaalons.*
Civitas Veromanduorum, *Vermand.*
Civitas Atrebatum, *Arras.*
Civitas Cameracenſium, *Cambray.*
Civitas Turnacenſium, *Tournay.*
Civitas Silvanectum, *Senlis.*
Civitas Bellovacorum, *Beauvais.*
Civitas Ambianenſium, *Amiens.*
Civitas Morinûm, *Teroüanne.*
Civitas Bononenſium, *Bologne.*

PROVINCIA GERMANIA PRIMA.
Metropolis civitas Mogunciacenſium, *Mayence.*
Civitas Argentoratenſium, *Straſbourg.*
Civitas Nemetum, *Spire.*
Civitas Vangionum, *Worms.*

PROVINCIA GERMANIA SECUNDA.
Metropolis civitas Agrippinenſium, *Cologne.*
Civitas Tungrorum, *Tongres.*

PROVINCIA MAXIMA SEQUANORUM.
Metropolis civitas Veſontientium, *Beſançon.*
Civitas Equeſtrium Noïodunus, *Nion.*
Civitas Elviriorum Aventicus, *Avanches.*
Civitas Baſilienſium, *Baſle.*
Caſtrum Vindoniſſenſe, *Vindiſch.*
Caſtrum Ebredunenſe, *Iverdun.*
Caſtrum Rauracenſe.
Portus Abucini.

PROVINCIA ALPIUM GRAIARUM ET PENNINARUM.
Civitas Centronum Darantaſia, *Tarantaiſe.*
Civitas Vallenſium Octodoro, *Martinach en Valais.*

PROVINCIA VIENNENSIS.
Metropolis civitas Viennenſium, *Vienne.*
Civitas Genavenſium, *Geneve.*
Civitas Gratianopolitana, *Grenoble.*
Civitas Albenſium, *Viviers.*
Civitas Deenſium, *Die.*
Civitas Valentinorum, *Valence.*
Civitas Tricaſtinorum, *S. Paul Trois-Chaſteaux.*
Civitas Vaſienſium, *Vaiſon.*
Civitas Arauſicorum, *Orange.*
Civitas Cabellicorum, *Cavaillon.*
Civitas Avennicorum, *Avignon.*
Civitas Arelatenſium, *Arles.*
Civitas Maſſilienſium, *Marſeille.*

PROVINCIA AQUITANICA PRIMA.
Metropolis civitas Biturigum, *Bourges.*
Civitas Arvernorum, *Clermont.*
Civitas Rutenorum, *Rodez.*
Civitas Albienſium, *Alby.*
Civitas Cadurcorum, *Cahors.*
Civitas Lemovicum, *Limoges.*
Civitas Gabalum, *Mende.*
Civitas Vellavorum, *le Puy.*

PROVINCIA AQUITANICA SECUNDA.
Metropolis civitas Burdigalenſium, *Bourdeaux.*
Civitas Agennenſium, *Agen.*
Civitas Ecoliſmenſium, *Engoulême.*
Civitas Santonum, *Saintes.*
Civitas Pictavorum, *Poitiers.*
Civitas Petrocoriorum, *Perigueux.*

PROVINCIA NOVEMPOPULANA.
Metropolis civitas Eluſatium, *Eauſe.*
Civitas Aquenſium, *Acqs.*
Civitas Lactoratium, *Lectoure.*
Civitas Convenarum, *Comenge.*
Civitas Conſeranorum, *Conſerans.*
Civitas Boatium.
Civitas Benarnenſium, *Leſcar.*

Digitized by Google

NOTITIA GALLIÆ.

Civitas Aturenſium, *Ayre.*
Civitas Vaſatica, *Baſas.*
Civitas Turba, ubi caſtrum Bigorra, *Tarbe.*
Civitas Elloronenſium, *Oleron.*
Civitas Auſciorum, *Auſch.*
Civitas Aptenſium, *Apt.*
Civitas Reienſium, *Riez.*
Civitas Forojulienſium, *Frejus.*
Civitas Vappincenſium, *Gap.*
Civitas Segeſterorum, *Siſteron.*
Civitas Antipolitana, *Antibe.*

PROVINCIA NARBONENSIS PRIMA.

Metropolis civitas Narbonenſium, *Narbonne.*
Civitas Toloſatium, *Toulouſe.*
Civitas Beterrenſium, *Beſiers*
Civitas Nemauſenſium, *Niſmes.*
Civitas Lutevenſium, *Lodeve.*
Caſtrum Ucecienſe, *alias* civitas Ucecienſis, *Uſez.*

PROVINCIA NARBONENSIS SECUNDA.

Metropolis civitas Aquenſium, *Aix.*

PROVINCIA ALPIUM MARITIMARUM.

Metropolis civitas Ebrodunenſium, *Embrun.*
Civitas Dinienſium, *Digne.*
Civitas Rigomagenſium.
Civitas Sollinienſium.
Civitas Sanitienſium, *Senez.*
Civitas Glannatina, *Glandeſve.*
Civitas Cemelenenſium, *Cimiez.*
Civitas Vincienſium, *Vence.*

IN PROVINCIIS XVII. CIVITATES CXV. *alias* CXIII.

Hanc Notitiam quam Hadrianus Valeſius edidit quoque in ſuis de geſtis Francorum commentationibus, fratres Sammarthani putant referendam eſſe ad Honorii Auguſti tempora. Sed eam antiquiorem putamus; tempore enim Honorii Arelas erat *Mater Galliarum*, hoc eſt velut Galliæ totius metropolis. In hac autem Notitia ponitur ſub metropoli Viennenſi.

NOTITIA MODERNA ARCHIEPISCOPATUUM,

ET EPISCOPATUUM GALLIÆ.

I. ARchiepiſcopatus ALBIENSIS, *Alby*, hos habet ſubjectos epiſcopatus.
Caſtrenſem, *Caſtres.*
Mimatenſem, *Mende.*
Cadurcenſem, *Cahors.*
Ruthenenſem, *Rodez.*
Vabrenſem, *Vabres.*

I Archiepiſcopatus AQUENSIS, *Aix.*
Aptenſem, *Apt.*
Reienſem, *Riez.*
Forojulienſem, *Frejus.*
Vapincenſem, *Gap.*
Siſtaricenſem, *Siſteron.*

I Archiepiſcopatus ARELATENSIS, *Arles.*
Maſſilienſem, *Marſeille.*
Tricaſtinenſem, *S. Paul Trois-Chaſteaux.*
Tolonenſem, *Toulon.*
Arauſicanum, *Orange.*

I Archiepiſcopatus AVENIONENSIS, *Avignon.*
Carpentoractenſem, *Carpentras.*
Vaſionenſem, *Vaiſon.*
Cavallionenſem, *Cavaillon.*

I Archiepiſcopatus AUSCIENSIS, *Auſch.*
Aquenſem, *Acqs.*
Lactorenſem, *Lectoure.*
Convenenſem, *Comenge.*
Conſeranenſem, *Conſerans.*
Adurenſem, *Aire.*
Vaſatenſem, *Baſas.*
Tarbenſem, *Tarbe.*
Oloronenſem, *Oleron.*
Laſcurrenſem, *Leſcar.*
Baionenſem, *Bayonne.*

XV Archiepiſcopatus BISONTICENSIS, *Beſançon.*
Bellicenſem, *Bellay.*
Lauſannenſem, *Loſanne.*
Baſileenſem, *Baſle.*

II Archiepiſcopatus BITURICENSIS, *Bourges.*
Claromontenſem, *Clermont.*
S. Flori, *S. Flour.*
Lemovicenſem, *Limoges.*
Tutelenſem, *Tulles.*
Podienſem, *le Puy.*

II Archiepiſcopatus BURDEGALENSIS, *Bourdeaux.*
Aginnenſem, *Agen.*
Condomienſem, *Condom.*
Engoliſmenſem, *Engouleſme.*
Santonenſem, *Saintes.*
Pictavienſem, *Poitiers.*
Rupellenſem, *la Rochelle*, prius Malleacenſem; *Maillezais.*
Lucionenſem, *Luçon.*
Petracoricenſem, *Perigueux.*
Sarlatenſem, *Sarlat.*

III Archiepiſcopatus CAMERACENSIS, *Cambray.*
Attrebatenſem, *Arras.*
Tornacenſem, *Tournay.*
S. Audomari, *S. Omer.*
Namurcenſem, *Namur.*

III Archiepiſcopatus COLONIENSIS, *Cologne.*
Leodienſem, *Liege.*

III Archiepiſcopatus EBRODUNENSIS, *Embrun.*
Dinienſem, *Digne.*
Graſſenſem, *Graſſe.*
Vencienſem, *Vence.*
Glandevenſem, *Glandeſve.*
Senecenſem, *Senés.*
Nicienſem, *Nice.*

I Archiepiſcopatus LUGDUNENSIS, *Lyon.*
Eduenſem, *Autun.*
Lingonenſem, *Langres.*
Cabilonenſem, *Châlons.*
Matiſconenſem, *Maſcon.*

V Archiepiſcopatus MACHLINIENSIS, *Malines.*
Antuerpienſem, *Anvers.*
Brugenſem, *Bruges.*
Gandavenſem, *Gand.*
Iprenſem, *Ipre.*
Ruremondenſem, *Ruremonde.*
Buſcoducenſem, *Boſleduc.*

V Archiepiſcopatus MOGUNTINENSIS, *Mayence.*
Vormatienſem, *Vormes.*
Spirenſem, *Spire.*
Argentinenſem, *Straſbourg.*
Conſtantienſem, *Conſtance.*

VI Archiepiſcopatus NARBONENSIS, *Narbonne.*
Biterrenſem, *Beziers.*
Agathenſem, *Agde.*

Digitized by Google

Carcaſſonenſem, *Carcaſſone.*
Nemauſenſem, *Niſmes.*
Alebienſem, *Alais.*
Monſpelienſem, *Montpellier.*
Lodovenſem, *Ladeſve.*
Uceticenſem, *Uſez.*
S. Pontii, *S. Pons.*
Alectenſem, *Alet.*

VII Archiepiſcopatus PARISIENSIS, *Paris.*

VIII Carnotenſem, *Chartres.*
Bleſenſem, *Blois*
Meldenſem, *Meaux.*
Aurelianenſem, *Orleans.*

IX Archiepiſcopatus REMENSIS, *Reims.*
Sueſſionenſem, *Soiſſons.*
Catalaunenſem, *Châlons.*
Laudunenſem, *Laon.*
Silvanectenſem, *Senlis.*
Bellovacenſem, *Beauvais.*
Ambianenſem, *Amiens.*
Noviodunenſem, *Noyon.*
Bolonienſem, *Bologne.*

X Archiepiſcopatus ROTOMAGENSIS, *Rouen.*
Baiocenſem, *Bayeux.*
Abrincenſem, *Avranches.*
Ebroicenſem, *Evreux.*
Saienſem, *Sez.*
Lexovienſem, *Lizieux.*
Conſtantienſem, *Coutances.*

XI Archiepiſcopatus SENONENSIS, *Sens.*
Tricenſem, *Troyes.*
Autiſſiodorenſem, *Auxerre.*
Nivernenſem, *Nevers.*

XII Archiepiſcopatus TARANTASIENSIS, *Tarentaiſe.*
Auguſtenſem, *Aouſte.*
Sedunenſem, *Sion.*

XIII Archiepiſcopatus TOLOSANUS, *Toulouſe.*
Appamienſem, *Pamiers.*
Montalbanenſem, *Montauban.*
Mirapicenſem, *Mirepoix.*
Vaurenſem, *Lavaur.*
Rivenſem, *Rieux.*
Lomberienſem, *Lombez.*
S. Papuli, *S. Papoul.*

XIII Archiepiſcopatus TREVIRENSIS, *Treves.*
Metenſem, *Metz.*
Tullenſem, *Toul.*
Virdunenſem, *Verdun.*

XIV Archiepiſcopatus TURONENSIS, *Tours.*
Cenomanenſem, *le Mans*
Andegavenſem, *Angers.*
Redonenſem, *Rennes.*
Nannetenſem, *Nantes.*
Vennetenſem, *Vannes.*
Coriſopitenſem, *Cornouaille.*
Leonenſem, *Leon.*
Trecorenſem, *Treguier.*
S. Brioci, *S. Brieu.*
S. Maclovii, *S. Malo.*
Dolenſem, *Dol.*

XVI Archiepiſcopatus VIENNENSIS, *Vienne.*
Valentinenſem, *Valence.*
Dienſem, *Die.*
Gratianopolitanum, *Grenoble.*
Vivarienſem, *Viviers.*
Maurianenſem, *Mauriene.*
Genevenſem, *Geneve.*

Archiepiſcopatus ULTRAJECTINUS, *Utrecht.*
Midelburgenſem, *Midelbourg.*
Harlemenſem, *Harlem.*
Daventrienſem, *Deventer.*
Groeningenſem, *Groeningen.*
Leovardienſem, *Leuwarden.*

HOC IN TOMO CONTINENTUR:

ARCHIEPISCOPATUS.

ALbienſis, *Albi.* pag. 1.
Aquenſis, ſeu Aqui-ſextienſis, *Aix.* 298.
Arelatenſis, *Arles.* 516.
Avenionenſis, *Avignon.* 795.
Auſcienſis, *Auſch.* 959.

EPISCOPATUS, ordine alphabetico.

Adurenſis, *Aire.* 1147.
Aptenſis, *Apt.* 349.
Aquenſis, *Dax.* 1035.
Arauſicenſis, *Orange.* 763.
Baionenſis, *Baionne.* 1309.
Cabellicenſis, *Cavaillon.* 939.
Cadurcenſis, *Cahors.* 115.
Carpentoractenſis, *Carpentras.* 893.
Caſtrenſis, *Caſtres.* 65.
Conſeranenſis, *Conſerans.* 1115.
Convennenſis, *Commenges.* 1089.
Forojulienſis, *Frejus.* 418.
Lactorenſis, *Lectoure.* 1071.
Laſcurrenſis, *Leſcar.* 1284.
Maſſilienſis, *Marſeille.* 627.
Mimatenſis, *Mende.* 83.
Olorenſis, *Oleron.* 1261.
Regenſis, *Riez.* 388.
Ruthenenſis, *Rodez.* 195.
Siſtaricenſis, *Siſteron.* 474.
Tarbenſis, *Tarbe.* 1223.
Telonenſis, *Toulon.* 739.
Tricaſtinenſis, *Saint Paul de Trois-Chaſteaux.* 703.
Vabrenſis, *Vabre.* 277.
Vapincenſis, *Gap.* 452.
Vaſionenſis, *Vaiſon.* 919.

ABBATIÆ.

A.

Almanara, *la Manarre*, diœc. Telon. ordinis Ciſt. fem. 761.
S. Andreas, diœc. Aven. ord. Bened. 861.
Aqua-bella, *Aigue-belle*, diœc. Tricaſt. ord. C. 737. *al.* Vallis-bonæ.
Ardorellum, diœc. Caſtr. ord. Ciſt. 79.
B. M. de Arpajone, *Arpajon*, diœc. Rut. ord. B. fem. 269.
Arta-cella, vulgo *la Celle*, diœc. Aquiſex. ord. B. 345.
Artona, *Artous*, diœc. Aq. ord. Præm. 1067.

B.

Bardum, *al.* Berdona, *Berdoüe*, diœc. Auſc. ord. C. 1020.
Bellus-locus, *Belloc*, diœc. Ruth. ord. C. 167.
Belli-loci, ord. S. Joh. Jeroſol. fem. diœc. Cad. 134.
Benedictio-Dei, vulgo *Nizors*, diœc. Conv. ord. C. 1118.
S. Bernardus, diœc. Aqu. ord. C. fem. 1068.
Bona-cumba, diœc. Rut. ord. Ciſt. 249.
Bona-vallis, diœc. Rut. ord. Ciſt. 259.
Bonus fons, *Bonnefont*, diœc. Conv. ord. C. 1113.
Boſchetum, *Boſchet*, diœc. Tricaſt. ord. C. fem. 739.

C.

S. Cæſarius, diœc. Arel. ord. B. fem. 619.
Cagnota, diœc. Aq. ord. B. 1065.
Candelium, diœc. Alb. ord. Ciſt. 55.
Caſa-Dei, *la Caſe-Dieu*, diœc. Auſc. ord. Præm. 1031.

Digitized by Google

De Caſtella S. Joh. *la Caſtelle*, ord. Præm. diœc. Adur. 1181.
S. Catharina, diœc. Alb. ord. S. Aug. fem. 60.
S Catharina, diœc. Apt. ord. Aug. fem. 387.
S. Catharina. diœc. Aven. ord. C. fem. 889.
Cella-Medulfi, *Saramon*, diœc. Auſc. ord. B. 1016.
S. Claræ, abbatia diœc. Siſt. 313.
Comba-longa, diœc. Conſoran. ord. Præm. 1143.
Conchæ, diœc. Ruth. ord. B. 235.
Croſſienſis S. Martini, *Croys*, diœc. Siſt. ord. Aug. 512.
S. Crux, diœc. Apt. ord. Ciſt. fem. 383.

D.

Dei-villa, *Daviella*, diœc. Aq. ord. Pr. 1068.

E.

B. M. de Elnonenca, *Nonenque*, diœc. Vab. ord. C. fem. 290.
S. Euſebius, diœc. Apt. ord. B. 376.

F.

Figiacum, diœc. Cadurc. ord. B. 171.
B. M. de Flarano, diœc. Auſc. ord. C. 1026.
Floregia, vide *Toronetum*.
Fons-Guillelmi, *Font-Guillem*, diœc. Vaſat. ord. C. 1220.
S. Fremerius, *S. Ferme*, diœc. Vaſat. ord. B. 1217.

G.

Galliacum, diœc. Alb. ord. B. 51.
Garda-Dei, diœc. Cad. ord. C. 185.
S. Gerontius, *S. Geront*, diœc. Adur. 1184.
Gimundus, diœc. Auſc. ord. C. 1026.
B. M. de Gordonio, diœc. Cad. ord. C. 187.
Gratia Dei, diœc. Adur. ord. Pr. 1181. Vide *de Caſtella*.
Gratia Dei, ord. C. fem. 189.

H.

S. Honoratus Taraſcon. diœc. Aven. ord. B. fem. 890.

J.

S. Johannes, diœc. Caval. ord. B. fem. 963.

L.

S. Laurentius, diœc. Aven. ord. B. fem. 885.
S. Leborius, *S. Lonbouer*, diœc. Adur. 1185.
Leunſium, *la Honce*, diœc. Baïon. ord. Pr. 1313.
Locus-Dei, *le Loc-Dieu*, diœc. Ruth. ord. C. 262.
Lumen-Dei, *Leime*, diœc. Cad. fem. ord. C. Vide *Gratia-Dei*, 189.
Lumen-Dei, vulgo *Fabas*, & *Favas*, diœc. Conv. ord. C. fem. 1120.
Lura, diœc. Siſtar. ord. B. 509.

M.

S. Maria Magdalena, diœc. Carpent. ord. C. fem. 917.
S. Marcelli, diœc. Cad. ord. C. 181.
Marciliacum, diœc. Cad. ord. B. 177.
S. Mauritius de Bladi-monte, *Blaumont*, diœc. Vaſat. ord. B. 1217.
Mercoria, diœc. Mimat. ord. Ciſt. fem. 112.
Moiſſiacum, diœc. Cadurc. ord. B. 157.
Mons-major, diœc. Arel. ord. B. 603.
Mons Sion, diœc. Maſſ. ord. C. fem. 700.
Montis Martiani parthenon diœc. Adur. ord. S. Claræ, 1186.

N.

Nantum, ſeu S. Petri de Nanto, diœc. Vabr. ord. B. 283.
B. M. de Nazareth, diœc. Maſſ. ord. S. Clar. 703.

O

S. Orientius de Regula, *la Reule*, diœc. Tarb. ord. B. 1256.

P.

De Pendulo, *Pimbet*, diœc. Adur. 1185.
Peſſanum, diœc. Auſc. ord. B. 1012.
S. Petrus de Generoſo, *S. Pé de Generez*, diœc. Tarb. ord. B. 1253.
S. Petrus de Taſqua, *Taſque*, diœc. Tarb. ord. B. 1259.
S. Petrus de Regula, *la Reule*, diœc. Laſcur. ord. B. 1303.
S. Petrus de Podio, diœc. Arauſ. ord. C. fem. 790.
Pons-altus, *Pontault*, diœc. Adur. ordi C. 1183.
S. Pontius de Gemenoſo, diœc. Maſ. ord. C. fem. 698.
Portaglonium, *al.* Boillanum, *Boullas*, diœc. Auſc. ord. C. 1023.

R.

Rivetum, diœc. Vaſat. ord. C. 1219.
B. M. de Roqueta, diœc. Arel. ord. S. Claræ, 727.

S.

Salvaneſium, diœc. Vabr. ord. C. 286.
S. Salvator, diœc. Maſ. ord. B. fem. 695.
S. Salvii Alb. diœc. Alb. 49.
S. Saturnini, vulgo *le Monaſtere*, diœc. Rut. ord. B. fem. 267.
S. Savini in Levitania, *Lavedan*, diœc. Tarb. ord. B. 1246.
Scalæ Dei, *l'Eſcalle-Dieu*, diœc. Tarb. ord. C. 1260.
S. Severus in cap. Vaſc. diœc. Adur. ord. B. 1173.
S. Severus de Ruſtano, diœc. Tarb. ord. B. 1243.
S. Sigiſmundus, diœc. Aq. ord. C. fem. 1070
Silva-cana, *Sauve-cane*, diœc. Aqui-ſex. ord. C. 343.
Silva-lata, *Sauvelade*, diœc. Laſcar. ord. C. 1305.
Silva-regalis. Vide *Ulmetum*.
Simorra, diœc. Auſc. ord. B. 1014.
B. M. de Sinanqua, diœc. Caval. ord. C. 961.
Solliacum, *Soüillac*, diœc. Cad. ord. B. 179.
Sordua, *Sorde*, diœc. Aqu. ord. B. 1061.
De Subripis, *Sourihes*, diœc. Vap. ord. B. fem. 472.

T.

Toronetum, *al.* Floregia, diœc. Foroj. ord. Ciſt. 448.

V.

Vabrum, ord. B. 174.
Vallis-honeſta. Vide *Aqua-bella*.
Vallis-ſancta, diœc. Apt. ord. Ciſt. 381.
Vetus-murus, *Vieil-mur*, & *Mur-vieil*, diœc. Caſt. ord. B. fem. 82.
S. Victor, diœc. Maſ. ord. B. 879.
S. Vincentius de Luco, vulgo *Sandebone*, diœc. Olor. ord. B. 1281.
Ulmetum, *Eaunes*, al. Silva-regalis, diœc. Arel. ord. C. 614.
Urdacium, *Ourdach*, diœc. Baïon. ord. Pr. 1316.

Y.

B. M. de Yvelina, diœc. Maſſil. ord. Præm. 702.

Digitized by Google

Digitized by Google

30 19 30 SEPTENTRIO

Scala Leucarum.

Leucæ Galliæ Majores.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

Leucæ Galliæ Communes.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12

Leucæ Maximæ Occitaniæ 4800. P. G.

1 2 3 4 5 6 7

GALLIÆ
AQUITAN
PROVINCIA
ALB
Continens
Albiensem
Mimatensem
Rutenensem
Descripta

PARS PROVINCIÆ NARBONENSIS

PROVINCIÆ BURDIGALENSIS

PARS PROVINCIÆ AQUITANICÆ

NARBONA LATUM

BURDIGALA

AUSCIUM

MONTAUBANUM

TOLOSA

Garumna Fl.

Tarnis Fl.

DIOECESIS CADURCENSIS

DIOECESIS RUTHENENSIS

DIOECESIS ALBIENSIS

DIOECESIS

PROVINCIÆ TOLOSANÆ

Sorecinum

30 19 30 MERIDIES

Digitized by Google

RIO 20 30 21 30

E. CHRISTIANÆ
ITANICA QUARTA.
NCIA ECCLESIASTICA
ALBIENSIS
dinens Dioeceses
enſem, Caſtrenſem,
enſem, Cadurcenſem,
enſem & Vabrenſem

Notæ Sequentes deſignant Dignitates Eccleſiaſticas.

- *Sedes Archiepiscopales.*
- *Sedes Episcopales.*
- *Sedes olim Episcopales.*
- *Abbatiæ Virorum.*
- *Abbatiæ Mulierum.*
- *Abbatiæ non amplius exstantes vel loco mutatæ.*
- *Abbatiæ Seculares.*

Litteræ Sequentes deſignant varia.
Nomina ordinum.
O.S.B. ordinem Stⁱ Benedicti.
O.Cist. ordinem Cisterciensem.
O.S.A. ordinem Stⁱ Augustini.
C. Designat locum ubi habita sunt Concilia.
R. Rivum

BITURICENSIS
DIOECESIS
MIMATENSIS
PARS
PROVINCIÆ
NARBONENSIS
ORIENS
VABRENSIS
DIOECESIS
Mons
Varna
Tolosa

45
44
30

Digitized by Google



Posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Act. 20. 28.

GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

PROVINCIA ALBIENSIS,

cujus Metropolis Albia.

ALBIA primæ Aquitaniæ civitas antiqua, senatui subdita Tolosano, aliquando sub archiepiscopatu Bituricensi, quam alluit Tarnis * fluvius, Albigensium sive Albiensium civitas in veteri notitia provinciarum & civitatum Galliæ appellatur, estque primæ Aquitanicæ provinciæ quarta. Equitum cataphractariorum Albigensium fit mentio in notitia imperii, & in veteri inscriptione, apud Goltzium. Albiga vocatur a Paulino presbytero, apud Gregorium Turonicum; Albige in pactione pacis Childeberti & Guntramni regum, ejusdem Gregorii historiæ lib. 9. c. 20. Albiam Petrus monachus Vallis-Cernaii; Albam appellat Matthæus Paris in historia Anglicana. Hoc tamen oppidum non confundendum cum Alba Helviorum *, quæ Rhodano vicina est. Ceterum inter præcipuas Galliæ urbes opulento episcopatu * insignitur; cui annexum est urbis dominium. Solum vini, tritici, aliarumque frugum ferax, croco in primis excellenti abundat. Ecclesia cathedralis, ob exquisiti operis chorum maxime, inter elegantiores Galliarum suspicienda, sub sanctæ Cæciliæ virginis & martyris patrocinio consecrata est. Secunda ecclesiæ patrona est sancta Segolena Troclarensis abbatissa; cujus reliquiæ eo translatæ sunt. Hujus templi canonicos olim sub regula S. Augustini militantes, ab ea absolvit Bonifacius papa VIII. bulla data 29. Septembris anni 1297. Constat capitulum præposito, cantore, succentore, archidiaconis tribus, theologo & 20. canonicis, quorum præbendæ ad præsulis collationem pertinent. Ab hac vero civitate hæretici qui Septimaniam, Aquitaniæque maximam partem infecerunt, dicti sunt *Albigenses*, prius *Boni-homines* appellati; in quos damnationis sententiam protulit Gerardus Albiensis episcopus, in synodo Lumbariensi anno 1176. Albigensium historiam scripsit Petrus monachus Vallium-Cernaii diœcesis Parisiensis ordinis Cisterciensis, ex antiquo MS. codice editam a Nicolao Camuzato Trecensis ecclesiæ canonico.

* Le Tarn.

Plurimos Romana purpura insignes episcopos habuit hæc cathedra, ut infra dicemus, multis aliunde prærogativis ornata; quapropter ad Metropolis dignitatem nostra ætate provecta est ab Innocentio papa XI. postulante christianissimo rege Ludovico XIV. Bullam erectionis inter instrumenta referendam judicavimus, ex qua discimus quæ sedes episcopales huic subsint metropoli. *Chart. I. pag. 1. & 2.*

Hoc autem ordine in laudata bulla recensentur: Castrensis, Mimatensis, Ruthenensis, Cadurcensis & Vabrensis; quo in ordine nulla ratio habetur, aut antiquitatis, aut dignitatis, alioquin præponi non debuisset ceteris episcopatibus, Castrensis ætate longe inferior, si Vabrensem excipias. At Castrensis episcopatus olim fuit Albiensis portio, & utriusque historiæ invicem connectuntur; unde una alteri subjicienda visa est. Idem dicendum de Ruthenensi & Vabrensi ecclesiis, quæ

* Vivien.

* nunc archiepiscopatu.

V. Mab. t. I. annal. ad an. 696. n. 40.

unam olim componebant. Quæ ratio nos movit ut Ruthenenſem epiſcopatum, aliunde in bulla præpoſitum Cadurcenſi, loco penultimo poneremus, videlicet prope Vabrenſem, qui eſt ultimus.

In Albienſi diœceſi 327. eccleſiæ parochiales numerantur. De veteribus Albienſis diœceſis monaſteriis, & de abbatiis quæ adhuc exſtant, infra dicemus. Nunc vero de epiſcopis & archiepiſcopis, qui Albienſem rexerunt eccleſiam, eſt agendum. Vetus chronicon epiſcoporum Al-
p. 335. bienſium editum eſt tomo VII. ſpicilegii Acheriani, ubi quoque de Caſtrenſibus abbatibus; incipitque ab anno 647. ac deſinit in anno 1193. Alphonſus d'Elbene Albienſis epiſcopus de ſuis anteceſſoribus ſcripſit, quorum brevem hiſtoriam erutam ex veteribus monumentis, & authenticis chartis bene multis nunc damus; plurima autem debemus bibliothecæ Colbertinæ, toto orbe chriſtiano celeberrimæ, veterum inſtrumentorum ex authenticis chartis deſcriptorum copia ditiſſimæ; non pauca vero ex ipſis hauſimus fontibus.

EPISCOPI ALBIENSES.

I. S. Clarus.

ANNI CHRISTI. Sanctus Clarus vulgo primus Albienſium epiſcopus in diptychis eccleſiæ reponitur, quæ tradunt eum Lactoræ in Vaſconia palmam martyrii adeptum eſſe. Celebratur ejus memoria ad diem 1. Junii, non ſolum Albigæ, ſed etiam in eccleſiis Burdigalenſi, Auſcienſi, Lemovicenſi, Petracoricenſi, Sarlatenſi, præſertimque Lactorenſi. Verum de illo nihil certi aſſe- A rere ſinunt corruptiſſima ejus acta. An. 1700. illuſtriſſimus eccleſiæ princeps D. Carolus le Goux de la Berchere, ſecundus archiepiſcopus Albienſis, ſancto martyri ſacellum dicavit, fundavitque miſſam, ut infra dicemus, agendo de hoc præſule. Bollandiani de S. Claro multa congeſſerunt ad diem 1. Junii, in quibus nihil eſſe certi fatentur.

II. Anthimius.

De hoc præſule unum dumtaxat novimus, ipſum videlicet diſcipulum fuiſſe S. Clari, ex laudatis diptychis.

III. Diogenianus.

Celebratur Diogenianus a Gregorio Turo-
c. 13. nenſi libro 2. hiſt. inter clariſſimos Aquitaniæ
406. epiſcopos ad annum Chriſti circiter 406. ubi verbis Paulini preſbyteri utens: *Si enim*, inquit, *hos videas dignos Domino ſacerdotes, vel Exuperium Toloſæ, vel Simplicium Vienna, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Ecoliſmæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alethium Cadurcis, vel nunc Pegaſium Petrocoriis utcunque ſe habent ſeculi mala, videbis profecto digniſſimos totius fidei religioniſque cuſtodes.*

IV. Anemius.

451. Subſcripſit anno 451. epiſtolæ ſynodicæ epiſcoporum Galliæ ad S. Leonem papam cognomento magnum, ex codice antiquo manu exarato Johannis Savaronis jam ſæpe numero editæ. Hac vero in epiſtola, eximiis laudibus ornatur ea quam S. Leo ſcripſerat ad Flavianum Conſtantinopolitanum, contra Eutychetis hæreſim.

V. Sabinus.

Sabinus epiſcopus Albigenſis civitatis, concilii Agathenſis canones ſua ſubſcriptione approbavit an. 506. ſub die III. idus Septembris, Meſſala V. C. conſule, Symmachi papæ anno 8. cum Quintiano Ruthenæ civitatis epiſcopo, Boëtio Cadurcenſi, & Tetradio Bituricenſi metropolita. Eo tempore in tota Gallia Narbonenſi, Novempopulania, Aquitania, &c. regnabat Alaricus Wiſigothorum rex Arianus, cujus tamen licentia epiſcopi ad illud concilium Agathenſe convenille his ex provinciis leguntur. ANNI CHRISTI. 506.

VI. Ambrosius.

Anno Chriſti 549. ſynodus Aurelianen- 549.
ſis V. coacta eſt, ad quam Ambroſius, quandoquidem accedere non poterat, miſit Viventium eccleſiæ ſuæ archidiaconum, qui ipſius vice decreta concilii calculo ſuo firmavit, ut videre eſt tom. I. conciliorum Galliæ, & collectionis Labbeanæ tom. V. col. 390. ubi proſcriptæ ſunt hæreſes tum Neſtorii, tum Eutychetis.

VII. S. Salvius.

B S. Salvius vir fuit ſummæ ſanctitatis, ut teſtatur Gregorius Tur. lib. 5. hiſtoriæ; de cujus vi- c. 45. & 51. & 6.
ta fuſe adhuc loquitur lib. 7. *Aliqua*, inquit, *de B. Salvii epiſcopi obitu expoſcit loqui devotio, qui hoc anno obiiſſe probatur. Hic enim, ut ipſe referre ſolitus erat, diu in habitu ſeculari commoratus, cum judicibus ſeculi mundiales cauſas eſt exſecutus. Nunquam tamen ſe in his concupiſcentiis obligans, quibus adoleſcentum animus ſolitus eſt implicari... Relicta ſeculari militia monaſterium expetivit, intellexitque vir jam tunc divinitati deditus, melius eſſe uti paupertate cum Dei timore, quam ſeculi pereuntis lucra ſectari. In quo* C *monaſterio diu ſub regulæ patribus inſtituta verſatus eſt. Jam vero cum in robore majori tam intellectus quam ætatis evectus eſſet, defuncto abbate qui huic monaſterio præerat, alendi gregis ſuſcipit officium... Illico ſibi ſecretiorem cellulam quærit; nam in priore, ut ipſe aſſerebat, amplius quam novem vicibus nimia exeſus abſtinentia, pellem corporis demutavit... In qua incluſione in omni abſtinentia magis quam prius egerat, commoratur... Quodam autem tempore febre nimia exhauſtus... extenſis ad cælum manibus cum gratiarum actione ſpiritum exhalavit.* Prætermittimus autem prolixiorem Gregorii narrationem de

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

his quæ S. Salvius ad vitam revocatus referebat; quam ita concludit: *Testor*, inquit, *Deum omnipotentem, quia ab ipsius ore omnia quæ retuli audita cognovi. Post multum vero tempus ipse vir beatus cellula sua extractus, ad episcopatum evectus, invitus est ordinatus. In quo, ut opinor, decimum annum cum ageret, invalescente apud Albigensem urbem inguinario morbo, & maxima jam parte de populo illo defuncta, cum jam pauci de civibus remanerent, vir beatus tanquam bonus pastor, nunquam ab illo loco recedere voluit, sed semper hortabatur eos qui relicti erant, orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere, & bona semper tam in operibus, quam in cogitatione versari, dicens: Hæc agite, ut si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in judicium, sed in requiem introire possitis. Cum autem, ut credo, jam revelante Domino, tempus suæ vocationis agnosceret, ipse sibi sarcofagum composuit, corpus abluit, vestem induit: & sic intentum semper cœlo beatum spiritum exhalavit. Fuit autem magnæ sanctitatis, minimaque cupiditatis, aurum nunquam habere volens. Nam si conctus accepisset, protinus pauperibus erogabat. Cujus tempore cum Mummolus patricius multos captivos ab ea urbe duxisset, prosecutus ille omnes redemit. Tantamque ei Dominus gratiam cum populo illo tribuit, ut ipsi etiam qui captivos duxerant, & de pretio ei concederent, & in reliquo munerarent; & sic patriæ suæ captivos libertati pristinæ restauravit. Multaque de hoc viro bona audivi.* Huc usque Gregorius.

Non obiit S. Salvius ante an. 580. floruitque regibus, Guntramno, Childeberto & Chilperico, quem ab hæretica opinione contra Trinitatis dogma revocavit, uti legimus apud Greg. Turon. lib. 5. hist. c. 45. Adfuit autem Brennacensi synodo an. 580. quo tempore vidit gladium iræ Dei evaginatum super rectum palatii Brennacensis, ubi tunc Chilpericus rex & Fredegundis regina morabantur. Ac paulo post duo eorum filii exstincti sunt, quorum unus sepultus est in basilica S. Dionysii, prope Parisios, alter in basilica SS. Crispini & Crispiniani apud Suessiones. *Vide Greg. l. 5. capp. 33. & 51.*

580.

VIII. Desideratus.

Desideratus B. Salvio in pontificalem sedem
586. subrogatur anno Domini 586. auctore eodem Gregorio lib. 8. hist. cap. 22. *Post obitum*, inquit, *S. Salvii hoc anno Desideratus Albigensibus episcopus datus est.* Recte igitur post Gregorium advertit Catellus, in serie antistitum Albiensium lib. 5. hist. Occitanæ, non esse locum Theofrido, qui revera superinductus est.

IX. Constantius.

Constantius interfuit concilio Remensi sub
625. Sonnatio anno 625. ex Flodoardi historia. Scripl. 2. c. 15. sit Desiderio episcopo Cadurcensi in hæc verba: *Cognoscite, domne, nos orationibus vestris incolumes de palatio remeasse, & regem modo Magantia esse. Et pro quo litteras præcipue misimus, precamur obnixe, & tanquam pedibus vestris advoluti quæsumus, ut si evenit quod nativitatem Domini in territorio Alugense * celebrare deliberetis, sic vos merear in apostolatu videre, ut in civitatula vestra Albige, ipsa solemnitate in Dei nomen celebrare debeatis; non me spernere, domne, non me despicere, non me renuere, quominus in tanta solemnitate non per te inlustretur, decoretur, ornetur ecclesia; & ex tuo sancto ore benedictionem populus accipere mereatur. Interim, quæso, denunciate nobis, quam celerini ultra Tarne accedere deliberatis, aut ubi possumus (quod sæpe desideramus) vestram videre præsentiam. Propterea enim de nativitate Domini de antea vobis suggessi, ut alii me antecedere non possint; quia multi te desiderant, sed nemo plus quam ego, pater. Iterum, iterumque suggero, & commemorare præsumo, ut non sic facias de ista nativitate Domini, sicut pridem, quando satis vos in domum habere volui, sed peccatis meis obtinere non merui. Annis multis vobis servire merear, domne Desideri semper suspiciende pater.*

ANNI CHRISTI.

* Alugense.

Vixit Constantius saltem usque ad annum 647. ex chronico episcoporum Albigensium tom. VII. spicilegii. Sub ejus episcopatu inchoatum est Castrense cœnobium, cujus primus abbas fuit Robertus.

647. p. 331.

X. Richardus.

Post Constantium sedit Richardus, Faustini Castrorum abbatis æqualis, ab anno 673. ex spicilegii tomo VII. & ex annalibus Benedictinis Mabillonii ad annum 647.

673. p. 336. n. 46.

XI. Citruinus.

Citruinus ex eodem chronico, ut ceteri qui sequuntur usque ad Lupum III. eruitur; ibi enim legitur *episcopasse* anno 692. De eo vide in abbatibus Castrensibus; prius enim hîc militarat & præfuerat. Ejus epitaphium e ruinis abbatiæ Castrensis erutum ita se habet: *Hic dormit in Domino Citruinus episcopus Albiensis, quondam abbas Castrensis, & legatus episcopi Carcassonensis in concilio Toletano. Moritur lethali morbo* III. *kal. Jun. an.* DCXCVIII. Quod epitaphium V. C. domino de Bousignac Tolosani senatus consiliario communicatum, Parisios transmisit doctissimus Bessius Carcassonensis. Porro concilio Toletano XIII. an. Chr. 683. inter episcoporum vicarios subscripsit Citruinus abbas, agens vicem Stephani episcopi Carcassensis. Idem confirmant majori januæ ecclesiæ S. Benedicti Castrensis inscripti sequentes versus, ex tom. VII. spicilegii.

692.

698.

Hesperias rigidus censor pervenit ad oras,
Rituque antiquos restituisse ferunt.
In Toletano cœtu Citruinus obivit
Carcassonensis munus episcopii.
Cumque cathedra suo Albiga sessore careret,
Antistes factus judicio est populi.

XII. S. Amarandus.

S. Amarandus abbas Moïssiacensis post S. Paternum, ad Albiensem cathedram perveniisse legitur, in veteri catalogo abbatum Moïssiacensium. Quod si ita sit, post annum 700. collo-

700.

ANNI CHRISTI. candus eſt, antequam Saraceni Gallias infeſtarent, a quibus Retroaldus, ejus in abbatia ſucceſſor, multa paſſus fertur. Forte is eſt Amarandus, qui monaſterii Viancenſis patronus fuit cum S. Eugenio.

XIII. Hugo I.

722. Hugo an. 722. *epiſcopabat* apud Albigam ex chronico jam laudato. Quo tempore Saraceni urbis & regionis potiebantur, donec an. 725. pulſi ſunt. *Vide Coiſtium ad an. 722. n. 58. & ad an. 725. n. 14.*

734. XIV. Johannes, anno 734. ex chron.
812. XV. Verdatus, 812. ex eodem.
825. XVI. Guillelmus I. anno 825. *ibidem.*
844. XVII. Baldoinus *ibidem*, ad ann. 844.
854. XVIII. Panderius, an. 854. ex chron.

XIX. Lupus.

Lupus interfuit ſynodo Pontigonenſi anno
876. 876. XI. cal. Julii celebratæ, præſentibus Carolo Calvo imperatore, & ſedis apoſtolicæ legatis, in qua confirmata ſunt acta concilii Ticinenſis; quo in cœtu epiſcoporum & optimatum Italiæ Carolus fuerat renunciatus imperator. Ex laudato chronico, Lupus ſedit ab anno 869. ad
879. an. 879.

XX. Eligius.

Eligius recenſetur inter antiſtites, qui ad ſynodum Nemauſenſem, in Villa-portu convenere
886. XV. cal. Decembris anni 886. pro reſtitutione Servi-Dei epiſcopi Gerundenſis, quem Theodardus Narbonenſis archiepiſcopus ordinarat, ejecerat autem Selva clericus Hiſpanus, qui Narbonenſem archiepiſcopatum affectabat, conſtituto in Servi-Dei locum quodam Ermemiro. Acta hujus concilii ita habent: *Adfuit etiam & vir venerabilis vita Theodardus, habens ſecum epiſcopos Guilbertum Nemauſenſem, Guiſleramnum Carcaſſonenſem, Elegium Albienſem, Amelium Uzeticenſem, Abbonem Magalonenſem, Boſonem Agathenſem, Agilbertum Biterrenſem, Riculfum Elenenſem, Gotmarum Auſonenſem, Ingobertum Urgellenſem, Servum-Dei Gerundenſem, Bernardum Toloſanum, & Macharium Lutovenſem.*

XXI. Adolenus.

Hic epiſcopus commemoratur in charta Ca-
c. 4. roli, dicti Simplicis, cujus meminit Juſtellus lib.
Inſtrum. 1. hiſt. domus Arverniæ; ſubſcripſitque litteris
p. 11. Frotterii Bituricenſis archiepiſcopi, anno 883. juxta eumdem Juſtellum.

Sed cum conſtet hunc epiſcopum adhuc præfuiſſe ann. 891. & Eligium an. 886. adfuiſſe ſynodo Nemauſenſi, ſatius eſt ſequi Mabillonium,
887. qui litteras Frotterii revocat ad an. 887. Itaque pene pro certo habemus hunc Adolenum eumdem eſſe Addolenum Albiæ epiſcopum, qui anno
891. 891. indictione nona in ſynodo Magdunenſi, ſubſcriptione ſua confirmavit Walterii Senonenſis archiepiſcopi privilegium ſancti Pe-
Vide tom. IX. concil. Labb. tri-vivi monachis datum, ex chronico S. Petri-vivi.

Ex his videtur omittendus Frotardus, qui in Gallia chriſt. fratrum Sammarthanorum legitur ſediſſe annis 887. ac 890. at in chronico brevi jam ſæpe commemorato, & in Gallia chriſtiana Roberti minime locum habet.

XXII. Godolericus.

Godolericus cum ſuo capitulo eccleſiam ſanctæ Cæciliæ de *Avanes*, in territorio de *Montagnat*, in pago Albigenſi, dono accepit a Benebertopreſbytero & archidiacono, IV. idus Octobris anno 24. regnante Carolo * rege, hoc eſt anno
B circiter 917. *Ex tabul. eccleſ. Albienſis.*

* Simplici. 917.

XXIII. Paternus.

Epiſcopabat anno 921. inquit chronicon non ſemel laudatum. 921.

XXIV. Angelvinus.

Hic epiſcopus innoteſcit ex veteri charta de donatione eccleſiæ Monaſterienſis, facta Deodato abbati, in manu Angelvini Albienſis epiſcopi, regnante Ludovico * rege, hoc eſt circa annum 936.

* Transmarino. 936.

XXV. Miro.

Miro videtur accenſendus epiſcopis Albigenſibus, ex concambio inter ipſum & Adalardum abbatem S. Eugenii facto, anno ſexto regnante Lodoico * rege, hoc eſt anno circiter 941. Inſtrumentum integrum referimus ſuo loco. In ejuſdem manus Raimundus & Aimericus cedunt alodem ad conſtruendam eccleſiam S. Salvii.

* Transmanno. 941. *Vide inter inſtr. chart. II. pag. 3. col. 1. & III. pag. 3. col. 2.*

XXVI. Bernardus.

Bernardus rexit epiſcopatum regnante Lothario anno decimo, qui Chriſti erat annus 963. aut 964. Id autem liquet ex teſtamento Epraldi præpoſiti, quod ſuo loco edere operæ pretium duximus inter inſtrumenta. Invenitur adhuc Bernardi nomen in tabulis anni 967. ſeditque adhuc Guillelmo comite Toloſano, ex tabulis Albienſibus.

963. *C. IV. pag. 3. col. 2.* 967.

XXVII. Froterius.

Nomen Frotterii legitur in teſtamento Pontii Raimundi comitis Toloſani, quod anno 960. condidum autumat Mabillonius lib. 6. de re di-
E plomatica; ſed fortaſſe citius. De eo in chronico legitur: *Anno 972. Froterius epiſcopabat.* Certe hoc anno a Froterio, præſente Fulcranno epiſcopo Lodovenſi, cum Regiſmundo ſeu Raimundo comite Toloſano, dedicata eſt eccleſia ſancti Michaëlis Galliacenſis, ut probant ipſius Frotterii litteræ, quarum exemplar ex archivo Albienſi deſcriptum contulimus ad aliud Galliacenſe, edidimuſque.

p. 172. 972. *C. V. pag. 3. col. 2. & pag. 4. col. 1.*

Ex hoc vero diplomate intelligitur, tum quanta eſſet hujus epiſcopi potentia, & ditio, tum quæ fuerit ipſius liberalitas & munificentia in dotandis monaſteriis: quippe qui non ſolum villas, manſos, honores, hoc eſt nobilia præ-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

dia; sed territoria & pagos integros eis contulerit.

Post Froterium, chronicon locum dat Honorato, an. 992. sed quominus chronologo credamus, obstant multa hic explicanda. Primum est Amelium sedisse anno 987. ut infra ostendemus, unde Honorato præponi debet. Alterum quod Ingelvinus esset Albiensis episcopus an. 990. ut etiam infra sumus demonstraturi. Ergo antecedere debet Honoratum an. 992. assignatum. Præcipua difficultas est in Amelio, qui ab an. 987. sedisse legitur usque ad seculum undecimum jam adultum. Ergo nullus restat locus tum Honorato, tum aliis. Ut ab hoc nodo nos expediamus, dicendum aut his temporibus, quibus episcopatus Albiensis prædæ patebat, ut facile conjiciendum ex infra dicendis, multos simul sub episcopi nomine ecclesiam hanc distraxisse; aut duplicem fuisse Amelium, quorum prior sederit post Froterium, posterior post Amblardum; quam sententiam amplectimur.

XXVIII. Amelius I.

987. Amelius I. anno 987. statuendus est; ipso enim rogante Pontius Albiæ comes, dedit vicum suum Vianciæ, in pago Albigensi situm, ubi ædificari fecit ecclesiam, in qua clericos aggregavit, quibus præfecit Benedictum abbatem, & sanctæ Cæciliæ (ecclesiæ cathedrali) Albiensi semper subesse voluit. *Acta ... an. 11. quo Ludovicus filius Lotharii regis, regnare cœpit*, (hoc est an. circiter 987.) *Testes fuere Raymundus abbas S. Pontii, Rotbertus abbas Galliaci, &c.* Illud cœnobium Vianciæ (*Vioux*) sub patrocinio SS. Eugenii, Amarandi & Carissimæ, Frotardus episc. Albiensis postea dedit monachis & abbati Aureliacensibus (*Orillac*) ex chronico Viancensi; quod tamen restitutum est ecclesiæ Albiensi an. 1204.

Ex chartul. Albiens.

Legimus in veteri chartularii S. Salvii instrumento, Amelio beatæ memoriæ episcopo curante & satagente, constructum fuisse pontem ad Albiensis urbis commodum. Verum utrum ad Amelium priorem id sit referendum, vel ad posteriorem, definire non possumus. Chartam de hujus pontis constructione damus.

C. VI. pag. 4. col. 1.

XXIX. Ingelbinus.

Ingelbinus Albiensis episcopus recensetur in electione Gausberti episcopi Cadurcensis, inter

990. præsules qui ipsi adfuerunt anno 990. indictione

p. 154. & 155. III. nonis Januarii. *Vide tom. VII. spicilegii Acheriani.*

XXX. Honoratus.

992. Honoratus ex chronico sedebat anno 992.

XXXI. Amblardus.

Amblardus Albiensis episcopus innotescit ex veteri charta Bernardi, Guitardo S. Salvii præposito & ejusdem S. Salvii canonicis ecclesiam S. Petri de Cambon concedentis, anno secundo

998. regnante Roberto rege, hoc est 998. Idem absque ulla temporis nota recensetur in veteri charta ecclesiæ Albiensis.

ANNI CHRISTI.

XXXII. Amelius II. *al.* Æmilius.

Hic præsul adfuit dedicationi S. Salvatoris Lemovicensis, an. 1028. (*al.* 1020.) Convenit 1028.
ad synodum Bituricensem an. 1031. & ad Lemovicensem eodem anno, ubi dicitur, *moribus & ætate grandævus*, ac *venerandæ canitie Angelicus*. Subscriptum ejus nomen exhibet vetus codex synodi Narbonensis sub Guifredo archiepiscopo Narbonensi præside, de qua vide in hoc archiep. ad an. 1032. & Mabill. lib. 6. de re diplom. Sederat in conventu Rivipullensi, de quo tom. IX. concil. & in annalib. Mabill. ad an. 1032. n. 10. ubi legitur hæc synodus habita in dedicatione Rivipullensis cœnobii in Catalonia.

1031.

Marca Hisp. pag. 1050.

Idem Amelius subscripsit chartæ Isarni comitis &c. pro cœnobio B. Mariæ de Veteri-muro anno 1038. mense Octob. Tandem memoratur in dedicatione Vindocinensis monasterii anno 1040. Eo adhuc vivente pacta facta sunt de vendendo post ejus mortem Albiensi episcopatu, Bernardo cuidam, & Guillelmo filio ejus; ut probat charta à nobis edita.

1038.

Mab. ad hunc an. n. 110.

1040.

C. VII. pag. 4. col. 1.

Ex hoc instrumento habemus tunc Bernardum vicecomitem, & Froterium episcopum (ut conjicimus) Nemausensem, qui vir potens erat, habebatque neporem Raimundum vicecomitem, Albigensi episcopatu potitos esse; quippe quem ut bona propria vendere non erubescebant. Certe idem Froterius detinebat abbatias Soricinensem & Castrensem, ut suo loco dicemus. Abbatiam quoque S. Salvii possidebat idem episcopus, quam dedit postea, ut probat charta a nobis edita. Tandem episcopatus Albigensis venit in manus Pontii comitis, forsitan ejusdem qui in hac charta memoratur. Maximam quidem partem hoc in episcopatu habebat jam tum Pontius, cui tantam pecuniæ summam persolvere debebat futurus episcopus, ex charta mox laudata. Postea integrum habuit; quem uxori suæ legavit, ut docet alia charta sane notatu digna, quam debemus viro clar. D. Foucault, comiti consistoriano, litterarum cultori, & litteratis perquam colendo, in cujus musæo chartæ hujus authenticum asservatur.

C. NX. pag. 5. col. 2.

C. VIII. pag. 4. col. 2.

XXXIII. Guillelmus II.

Guillelmus is videtur esse, cui Bernardus vicecomes & Froterius episcopus polliciti sunt episcopatum Albiensem post mortem Amelii. Quidquid sit, constat ex tabulis Guillelmum sedisse regnante Henrico rege; & nomen ejus signatur in variis ecclesiæ monumentis. Pridie nonas Septembris anni, ut Baluzius & Labbeus habent, 1056. interfuit concilio viginti duorum episcoporum apud S. Ægidium; quam synodum saltem ad annum 1051. aut 1052. referri debere quidam volunt. Anno etiam 1054. VIII. cal. Septembris Narbonensi interfuit sub Guifredo metropolitano.

1056.

Memoratur in litteris Froterii Nemausensis episcopi, de restitutione abbatiæ sancti Salvii, cujus partem possidebat hic Guillelmus. Vi-

denda charta IX. inter inſtrumenta.

ANNI CHRISTI.

In ſæpe laudato chronico Guillelmus ſucceſſor datur Amelio, Guillelmo Aldegarius; ſed veteres tabulæ ordinem hunc ſervare non ſinunt.

XXXIV. FROTARDUS.

1066. Ex veteri chronographo anno 1066. ſedebat hic epiſcopus, de quo ſupra quædam diximus in Amelio I. Reformatum circa an. 1072. a Frotardo Albienſis eccleſiæ clerum probat charta a nobis edita, quam deſcripſimus ex chartario Albienſi.

1072.

C. X. pag. 3. col. 2.

Frotardus juxta chartam hanc auctor fuit duobus ſacriſtis, cabiſcolo, theſaurario ac decano eccleſiæ cathedralis, ut honores ſuis annexos dignitatibus, huic eccleſiæ reſtituerent, an. 17. decemnovalis cycli 1079. epacta XXVI. concurrente VII. indict. I. tempore* Alexandri papæ an. 12. regnante Philippo rege Franc. 13. anno ejus imperii, & comite Tolof. Guillelmo. Item ipſe & capitulum S. Salvii paciſcuntur cum Raymundo Revelaca & fratribus ejus, ſuper eccleſia S. Laurentii de Lopiac &c. menſe Dec. fer. IV. tempore Greg. papæ, imperatore Romanorum Henrico, & regnante Philippo in Francia. Præterea anno 1083. occurrit in charta Bernardi Remigii, & uxoris ejus Huguæ, & Baſtardi eorum filii, qua campum juxta Verduſias ſancto Salvio donant, in Frotardi Albienſis epiſcopi præſentia. Quo tempore vivere deſierit, nobis incompertum.

1079. Tab. eccl. Alb. * Vide mox tam charta ſubjectam. Tab. eccl. Alb. Tab. S. Salvii. 1083.

In manus noſtras incidit quædam notitia* ad eccleſiam de Viancio ſpectans, in qua Frotardus dicitur ambitu & ſimonia epiſcopatum Albienſem pervaſiſſe, datis Frotario Nemauſenſi epiſcopo, & Bernardo ejus germano equis quindecim *potentis pretii*, *qui*, inquit ſcriptor, *pro inductione epiſcopi Albienſis, pecuniam non parvam accipere erant ſoliti.* De ſimoniæ crimine apud Gregorium VII. accuſatus, damnatus eſt ac excommunicatus ab Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo S. ſedis legato, in ſynodo Toloſana. Sententiam vero in ſe latam ſprevit Frotardus, a quo monachi Aureliacenſes emerunt Viancium. Itaque Frotardus Viancium venit, & ſub ſpecie religionis, juſſit canonicis, ut vel monachi fierent, vel locum monachis cederent. Qui conſenſerunt ſuſcipere inſtitutum canonicorum regularium. Finxit epiſcopus annuere; ſed cum Toloſam perrexiſſent, ut de vita communi, ceteriſque ad inſtitutum canonicorum regularium pertinentibus edocerentur, Frotardus monachis Viancium tradidit. Obſtiterunt Pontius præpoſitus Albienſis eccleſiæ, Guillelmus Bego decanus &c; ſed fruſtra. Frotardus autem pergens Aureliacum, ut pretium promiſſum acciperet, inde revertens captus eſt, ac ductus ad caſtrum *Peirola*, dedit 200. ſolidos & equum, ut liber dimitteretur. Paulo poſt Frotardus Albiam veniens ægrotavit; cui viaticum perenti, clerici eccleſiæ Albienſis denegarunt, niſi epiſcopatum relinqueret. Itaque annulum virgamque reddidit, & paulo poſt miſerabiliter mortuus eſt. Sed huic notitiæ incerti auctoris, qui infenſo admodum animo ſcripſit contra hunc epiſcopum, minime credendum eſt. Certe ſi tam inique monachi Aureliacenſes Viancium acquiſiſſent, cur mortuo Frotardo ſtatim non ſunt expulſi? Attamen re diſcuſſa Aureliacenſes eccleſiam S. Eugenii de Viancio ſub continua Albienſis eccleſiæ quæ ela poſſederunt, uſque ad tempora Bertrand. Albienſis epiſcopi, inquit ipſe notitiæ ſcriptor.

* Edita nuperrime a Baluz. t. VI. miſcell.

ANNI CHRISTI.

XXXV. GUILLELMUS III.

Notatur hic præſul in veteri chronico ad an. 1087. Anno 1090. Gerardus epiſcopus Cadurcenſis ejus conſilio uſus eſt in ſcribendo teſtamento, uti legitur ſpicilegii tom. octavo. Unde cognominatus fuerit *Pictavenſis* in Gallia chriſt. Gemellorum fratrum ignoramus. Certe in notitia de Viancio ſuperius commemorata appellatur Guillelmus Pictavinus. Idem teſtis adducitur donationis factæ Capitulo Albienſi, eccleſiæ de Cauna, a Bernardo Atone vicecomite, menſe Novemb. regnante Philippo rege.

1087. 1090. p. 168. Tab. capit.

XXXVI. GALTERUS.

Hic legitur adfuiſſe dedicationi S. Saturnini Toloſani an. 1096. ab Urbano II. papa celebratæ, ut docet vetus hiſtoria manu exarata. Sane vetus chronicon habet, *an.* 1096. *Gauterius epiſcopabat.*

1096.

XXXVII. HUGO II.

De eo nihil nobis occurrit, quam quod in laudato chronico refertur, ipſum ſediſſe annis 1098. & 1099.

1098.

XXXVIII. ADELGARIUS I.

Exſtat hujus præſulis memoria in veteri charta, qua ceſſit eccleſiam S. Remedii de Lautrico*, Petro abbati S. Pontii Tomeriarum, ex litteris datis menſe ... Philippo rege regnante. Ipſe & capitulum ſanctæ Cæciliæ ex una parte, ac Petrus abbas S. Pontii ejuſque monachi ex altera, pactum faciunt ſuper oblationibus & aliis juribus eccleſiæ S. Remedii, an. circiter 1103. quæ eccleſia tranſiit a monachis ad canonicos ſeculares. Ita noſter Claud. Eſtiennot in antiquitatibus Bened. Septimaniæ, &c. ubi laudat hiſtoriam Albienſem dom. de Camps abbatis S. Marcelli, in qua dicit contineri litteras pacti initi inter Aldegarium ejuſque canonicos, & Petrum abbatem, ac monachos S. Pontii. Utinam licuiſſet hiſtoriam hanc conſulere; ſed ejus copiam, aut aliarum ejuſdem lucubrationum ad Galliam chriſtianam pertinentium, impetrare a viro clariſſimo, alioquin humaniſſimo, nunquam potuimus.

* al. de Antico.

1103.

XXXIX. ARNALDUS I.

DE CECENNO.

In tabulario eccleſiæ Albienſis legitur Arnaldum de Cecenno una cum ſuo capitulo, dediſſe Petro abbati Tomerienſi eccleſiam de Cauna, retento annuo cenſu, XIII. cal. Julii an. 1103. Teſtimonium aliud de hoc epiſcopo hactenus ignoto, ſuppeditant Gellonenſes ſeu S. Guillelmi de Deſerto tabulæ in hæc verba: *Arnaldus de Leveſo* (ab anno 1093. ad 1119.) *Biterrenſis epiſcopus, cum conſilio canonicorum ſuorum, ſcilicet Petri Rogerii ſacriſtæ, Arnaldi de Cecenno, apoſtolico ore ad ſuſcipiendum ordinem*

1103.

ANNI CHRISTI.

episcopatus Albiensis electi &c. altari S. Salvatoris Gellonensis, sanctæque crucis vexillo, sanctoque Guillelmo confessori, & Berengario Gellonensi (ab an. ad summum 1083. ad 1108.) *abbati concedit ecclesiam de Minovetulo, quatenus ab ea omnis secularis ditio auferatur, Deusque in ea divinitus invocetur.*

XL. Adelgarius II.

Juxta veterem chronographum sedebat hic
1109. præsul annis 1109. & 1110.

XLI. Sicardus.

Sicardus interfuit consecrationi B. Mariæ de Cassiano cui eadem die concessit ecclesiam
1115. de Murato, in festo S. Fidis anno 1115. uti legitur in Arnaldo de Leveze Biterrensi episcopo.

Sicardo huic tribuendam putamus quandam epistolam ex chartulario Cassianensi descriptam, nomen Johannis prioris in inscriptione præferentem, hunc in modum:

Sicardus Dei gratia Albiensis episcopus, & Sicardus, & Stephanus archidiacon., Vedianus provisor, Guillelmus sacrista, omnisque Albiensis ecclesiæ canonicorum conventus; venerabilibus fratribus Johanni priori, & omnibus ecclesiæ Cassianensis canonicis, salutem & dilectionem. Pia postulatio voluntatis ad obtinendum quod petit, animum provocat possidentis; idcirco & religionis vestræ instantiam, & vestram erga ecclesiam nostram obedientiæ reverentiam perpendentes, communicato omnium fratrum nostrorum consilio, ecclesiam de Murat, sicut prædecessorum nostrorum tempore habitam & possessam accepimus, sta vobis & successoribus vestris habere, & quiete perpetuo possidere præsenti auctoritate concedimus.

Caret hoc instrumentum notis temporis; sed referendum videtur ad annum 1115. quo jam diximus concessum esse Muratum Cassiano-

XLII. Bertrandus.

Ejus subscriptio habetur in documento anni
1115. 1115. quo etiam anno in veteri chronico notatur. Anno 1121. legitur ejus nomen in instrumen-
1121. to pervetusto, quo Hugo Isarni sibi eligit sepulturam in ecclesia sanctæ Cæciliæ. Ex tabulis
1125. Moïssiacensibus an. 1125. auctoritate sua firmat donum ecclesiæ S. Marcelli, quam Petrus Bego, & Ademarus Gausbertus Moïssiaco concesserant.

GERALDI.

XLIII. Humbertus I.

1125. De eo fit mentio in actis annorum 1125. &
1127. 1126. ac in chronico an. 1127. Dedit S. Salvatori Gellon. cœnobii ... & Willelmo abbati ecclesiam S. Petri de Magrin, &c. ex tab. Gellon. ubi cognominatur *Geraldi*.

XLIV. Guillelmus IV.

Rexit ecclesiam Albiensem sub annum 1127. ac
1128. 1128. Noster Cl. Estiennot tom. VIII. fragmentorum historic. mss. exhibet epistolam hujus Guillelmi episcopi Albiensis, ad Fulconem Ardorelli abbatem, in qua conqueritur quod de Cisterciensibus male loquatur, & sua Vallis-magnæ & Ardorelli cœnobia congregationi Cisterciensi adjungere, uti promiserat, detrectet.

ANNI CHRISTI.

XLV. Hugo III.

Nomen ejus memorari in instrumento Po-
1135. diensis ecclesiæ anni 1135. dicunt fratres Sammarthani. Nobis aliunde quoque notus est, nempe ex tabulis Gellonensibus; nam anno ab in-
1138. carn. Domini 1138. III. cal. Martii, feria II. levatum est corpus venerabilissimi confessoris Christi Guillelmi, & reconditum III. nonas ejusdem mensis, per manus domini *Hugonis* Albiensis episcopi, & Raymundi Nannensis abbatis, temporibus Innocentii papæ II. & Arnaldi Narbonensis archiepiscopi, & Petri Lutevensis episcopi, & Francorum rege Ludovico. Deinde ex chartis monasterii Villæ-magnæ, Hugo Albiensis episcopus ecclesias S. Gervasii & S. Petri de Nairano [modo Castrensis diœcesis] Villæ-magnensi monasterio, & Berengario ejus abbati confirmat, an. Domini 1143. epacta II. & III.
1143. cal. Aprilis.

Post Hugonem in prolixiori Gallia christiana ponitur Dominicus, quem ignorat vetus chronographus, neque locum habet in catalogo quem texuit Claudius Robertus in sua Gallia christiana. Nullas quoque offendimus chartas veteres, in quibus esset ejusdem mentio. E contrario constat nobis ex antiquis instrumentis Hugonem usque ad an. 1143. cathedram Albiensem obtinuisse, Rigaldum vero vel Reginaldum auspicatum esse episcopatum anno saltem 1144. Attamen cum his temporibus plurimi esse potuerint, qui se Albiæ dicerent episcopos, & jura episcopalia sibi vindicarent, non inficior aliquem nomine Dominicum tunc forsan pro episcopo se gessisse.

XLVI. Rigaldus.

Episcopus hic collocatur à chronographo, anno 1141. forte maturius, cum Hugo adhuc sederet anno 1143. Ipse & Willelmus præpositus sanctæ Cæciliæ, an. 1144. subscribunt
1144. chartæ Atonis de Gavanzas, Petri Guidonis & aliorum, primitias & decimas ecclesiæ de Gavanzas concedentium Moïssiaco. Huic episcopo eodem anno R.* Biterrensium vice-
* Rogerius. comes remittit consuetudinem diripiendi defunctorum episcoporum bona. An. 1146. mense
1146. Sept. epacta VI. concurrente VII. indict. VIII. donum accipit ab Arnaldo Alamanni. Ex charta an. 1150. Amblardo præposito, & ecclesiæ Albiensi confirmavit donationes a prædecessoribus suis factas. Nominatur in charta Guirandi Bec, & Guillelmi de Grava, qua Alexandro abbati Grandis-silvæ, & monachis donant quidquid habebant in Bosco de Candelio. *Facta charta donationis hujus anno incarnationis Domini* MCL.
1150. *Rigaldo episcopo Albiensi præsidente.* Ex tab. Candelii, ubi adhuc an. 1156. legitur.
1156.

XLVII. Guillelmus V.

Guillelmum cepisse episcopatum anno 1157.
1157. probat quædam sententia Raymundi Trinca-

Digitized by Google

velli [a] data an. 1166. qui dicitur decimus episco- A
ANNI CHRISTI. patus hujus præsulis. Certe memoratur hoc an.
1166. 1157. cum Petro Ardorelli abbate, in concordia
a inita inter canonicos sanctæ Cæciliæ, & canonicos S. Salvii. Pacis arbiter fuit inter Rogerium Biterrensem vicecomitem, & Raymundum abbatem S. Pontii Tomeriarum, an. 1171. una cum Pontio Narbonensi archipræsule, & Bernardo Biterrensi episcopo, ut videre est in Raymundo abbate S. Pontii. Hoc ipso anno ejusdem meminerunt Soricinenses tabulæ, in quibus Guillelmus de Valle-secura, se Bernardo Soricinensi abbati, ejusque successoribus receptum honorificum B & sine querela cum duodecim militibus, & quatuor peditibus, pro honore de Valle-secura, debere confitetur. *Actum cum consilio & in presentia Guillelmi Albiensis episcopi, & Begonis de*
1171. *Doriano ipsius fratris, &c. an.* MCLXXI. *mense Aug.* Adhuc occurrit in tabulis capituli sanctæ
1172. Cæciliæ an. 1172. & in charta Candelii an.
1174. 1174.

XLVIII. Gerardus *al.* Giraldus.

Nomen hujus episcopi prodit documentum fidei clientelaris, quam Robertus abbas Galliaci promittit Raymundo comiti Tolosano. Pars C magna fuit concilii Lumbariensis, quod aliqui
1176. anno 1165. alii rectius an. 1176. tribuunt. Acta ampliora synodi hujus, vulgo dictæ *Albiensis*, sed melius Lumbariensis, non a Lumbaria Aquitaniæ, quæ nunc est urbs episcopalis, sed ab alia Occitaniæ, habemus tom. X. concil. Huic synodo non solum adfuit Gerardus, sed in ea hæreticos, qui postea dicti sunt Albigenses, & tantas tragœdias in Galliis excitarunt, hæresis convicit; qua forte de causa electus est a patribus, ut sententiam concilii adversus eos pronunciaret. Adhuc sedebat Gerardus an. 1190. D si chronico fides adhibeatur, sed minime chronographus convenit cum actis Albiensis ecclesiæ, ut mox dicemus.

Andreas. **XLIX. Claudius.**

Claudius cognominatus Andriæ, non aliunde nobis innotescit, quam ex instrumento quo cedit Guillelmæ abbatissæ Rivinitidi apud Carcassonam, & sororibus suis Catharinæ & Marthæ monialibus Rivinitidi, alodem de Carsac juxta Carcassonam, quem ex hereditate parentum habuerat. Act. an. 1183. E
1183.

Petrus. **L. Guillelmus VI.**

1185. Guillelmus dictus Petri, electus anno 1185. prius erat canonicus sancti Salvii; quem suspicamur quoque antea fuisse canonicum Albiensis ecclesiæ: nam in charta Candelii an. 1183. occurrit Guillelmus Petri, *canonicus & prapositus sanctæ Cæciliæ*. Ceterum initium ejus episcopatus eruitur ex duobus vetustis instrumentis, in quibus annus episcopatus ejus 20. componitur cum anno incarnationis 1205. & ex alio in quo annus 17. ejus pontificatus, illigatur cum anno Christi 1202. Sane hoc ipso an. 1185. quædam acquisivit 1185.
a Pontio Rosquers, pretio centum solidorum Raymundensium, ex tabul. Albiensi. Ibidem, & in chartis Candelii sæpe memoratur annis 1186. 1187. ac 1188. quo anno cum consilio virorum 1188.
prudentum constituit, quibus pœnis afficiendi, qui quempiam gladio, fuste aut lapide cæderent. An. 1189. oppigneravit Guillelmo Oalric 1189.
ejusque filiis, duas decem equitum albergas, pro 350. solidis Melgorienſibus. Anno 1191. fœdus iniit cum Raymundo Tolosano comite, cu- 1191.
Ex Albiens. tab. C. XI. pag. 6. col. 1.
jus pacta lege inter instrumenta. Anno 1192. item cum Berengario abbate Villæ-Magnæ pro ecclesiis sancti Gervasii, sancti Petri de Neyrano, &c. composuit, auxilio electorum judicum, Ermengaudi abbatis sancti Pontii & Aymerici Candelienſis. An. 1193. suo capitulo quasdam cessit ecclesias. Eidem ecclesiæ an. 1202. sui epis- 1202.
Ex tab. Capit. Alb. ibid.
copatus 17. regnante Philippo rege, jam cesserat ecclesiam sanctæ Martianæ, quæ diu sub potestate laïcorum fuerat. An. 1204. pepigit cum 1204.
G. abbate Arulensi, eique G. abbas Aureliacensis & monachi reddunt ecclesiam de Viancio, de qua
Ex tom. X. fragment. hist. D. Estiennot.
supra in Amelio; episcopus vero & canonici dant Aureliaco, ecclesias S. Petri de Laval, & sanctæ Mariæ, &c. An. 1205. sui episcopatus vigesimo 1205.
dedit ecclesiæ suæ clericis decem solidos Raymundenses, quos annuatim ex ecclesiæ sanctæ Martianæ censu percipiebat. Eodem anno mense Novembri, Ademaro Guillelmo ecclesiæ Albiensis præposito mortuo, rogatus est a canonicis, ut
Tab. St. Cicil.
præpositi munus obiret, retenta nihilominus facultate eligendi præpositum, ipso mortuo. An. 1207. Ermengaudo abbati Vallis-magnæ dedit ecclesiam sancti Petri de la Beissiere. An. 1212. 1212.
D Guillabertus abbas Galliaci ei fidem clientelarem juravit. An. 1218. ab Amalrico duce Nar- 1218.
Tab. Capt. sess.
bonensi, &c. conduxit ad tres annos castellum vetus, & omnia quæ Amalricus habebat in civitate Albiensi locisque adjacentibus, pretio 130. librarum Melgorienſium. Quo etiam anno Guillabertus abbas Galliaci jurat ei subjectionem. Hoc ipso anno idem abbas Pontiam abbatissam Ve- *Ex Cartul. eccles. Alb.*
teris-muri, sistit laudato episcopo Guillelmo Petri benedicendam, post promissam obedientiam. Anno 1220. XVII. cal. Maii consulibus 1220.
& civibus urbis licentiam dat de suis bonis testamento disponendi; ea lege ut bona illorum qui nullo facto testamento morerentur, ad episcopum pertinerent. Episcopalem vero dignitatem dimisit spontanea cessione in manu Gregorii papæ IX. an. 1. ejus pontificatus, Christi 1227. 1227.
alii dicunt, in manu R. cardin. S. Angeli sedis apostolicæ legati, anno millesimo ducentesimo vicesimo tertio, sed prorsus falluntur; multa enim habentur hujus episcopi acta annorum sequentium. Nimirum an. 1225. hominium fecit archiepiscopo Bituricensi coram Guillelmo Cadurcensi, & Stephano Mimatensi episcopis; ubi hunc annum dicit esse sui episcopatus plusquam quadragesimum, quod iterum probat illum inchoatum fuisse an. 1185. An. 1226. 11. idus Junii le- 1226.
gationem

[a] Anno 1166. Raymundus Trincavelli sententiam tulit contra Bernardum Rigaldi, & alios qui ecclesiam sanctæ Martianæ tenebant; eos scilicet damnavit ad solutionem albergæ debitæ S. Salvio quolibet anno in die festo sanctæ Martianæ, unius nimirum convivii ad quod omnes clerici sancti Salvii poterant invitare quoscunque vellent. Id contigit anno decimo pontificatus Guillelmi episcopi Albiensis.

ANNI CHRISTI.

gationem pro civitate Caſtrenſi cum P. archiep. Narbonenſi, & G. abbate Caſtrenſi ſuſcipit obeundam ad regem, ut offerret litteras, quibus fidelitatem jurabant, & omnia vicecomitum Biterrenſium jura in ipſum regem transferebant.

1227. An. 1227. XII. cal. Sept. fœdus icit cum Raimundo de Fraiſſenel, Galhardo de Rabaſtens præpoſito S. Salvii, & Sicardo vicecomite de Lautrico. Denique exſtat ejuſdem charta de privilegiis eccleſiæ S. Salvii conceſſis, data VIII. idus Auguſt. anno 1227. quam invenies inter inſtrumenta. Anno 1230. pie obiit poſt d miſſum epiſcoparum, ut infra videbimus, & II. cal. Junii ſepultus eſt in capitulo clauſtri ſanctæ Cæciliæ, prout expetierat, vi ſententiæ ab officiali & archipreſbytero de Cordo latæ, contra præpoſitum & canonicos S. Salvii, qui eum in ſua eccleſia ſepeliendum contendebant, quod hujus eccleſiæ fuiſſet canonicus regularis. De hoc optimo præſule cum laude loquuntur Guillelmus de Podio Laurentii in chronico cap. 3. & 4. necnon Petrus Vallium-Cernaii monachus in hiſt. Albig. c. 25. *Venit*, inquit, *idem comes* (Simon comes Montis-fortis) *Albiam.... epiſcopus autem Albiæ Guillelmus, qui erat dominus civitatis principalis, gratanter ſuſcepit illum dominum, & tradidit ei civitatem.* Beneficii memor comes, epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus largitus eſt caſtra & toparchias de Roſſiac & de Marſac, capitulo vero 20. libras annui reditus. Vide litteras Philippi regis, an. 1177. ubi hujus donationis fit mentio.

1227. *Ex tab. urbis Alb.*

C. XII. pag. 6. col. 2.

1230.

C. XX. pag. 10. col. 2.

C. XIV. & XV.

Studuit reformationi S. Salvii, pro qua ſtatuta condidit, & reddidit canonicis facultatem eligendi præpoſitum, poſt vacationem annorum 50.

LI. DURANTUS.

Abdicato epiſcopatu a Guillelmo præſule, in manus Gregorii papæ IX. mandavit ſummus pontifex archiepiſcopo Bituricenſi & capitulo Albienſi, ut infra 15. dies alium eligerent paſtorem; alioquin ſe huic eccleſiæ viduatæ proviſurum. Datum Lateranis 13. Januarii, pontificatus anno 1. id eſt Chriſti 1227. nunc 1228. Itaque canonici juxta litteras Simonis Bituric. archiepiſcopi, convenientes in locum dictum *Rupem-amatoris* *, per tres e ſuo ſodalitio, in quos compromiſerant, elegerunt conſilio ejuſdem metropolitani, Durantum (ſic enim legitur, non Durandum) archidiaconum Bituricenſem *, menſe Aprili, in craſtino feſti S. Georgii, uti legimus in decreto ejus electionis; & decimo quarto cal. Aug. feria quarta ante feſtum S. Praxedis, circa meridiem ſolemni pompa urbem eſt ingreſſus.

1227.

* Rocamador.

* Sacri-cæſaris *Sacerre* in eccleſia Bituricenſi.

1229. Anno 1229. in vigilia ſancti Petri ad vincula hominium recepit a Stephano de Paders, & P. Bernardi fratribus, & Pontio de S. Privato ipſorum nepote, & B. de Monaſtier, &c. pro caſtro vallis de Monaſtier. Eodem anno a Petro vicecomite de ſancto Antonino, omnia jura acquiſivit, quæ dictus vicecomes habebat in civitate Albienſi, in caſtro veteri, in honoribus des Odeils & Clauſcomeals, pretio 1000. ſol. Melgorenſium. Eodem quoque an. habuit querelam adverſus ballivos regios, & Philippum Montis-fortis ſuper juriſdictione civitatis Albienſis.

Sententia vero Petri de Collemedio, qui regis vices agebat tunc in Occitania, controverſia hæc ſopita eſt; & majorem juſtitiam, incurrimenta, ſeu commiſſa, cuſtodiam clavium, &c. ad epiſcopum, & eccleſiam Albienſem pertinere definitum eſt. *Actum apud Leſignanum die Martis proxima poſt feſtum B. Andreæ apoſtoli, anno Domini* MCCXXIX. *menſe Decembri.* Anno 1230. IV. idus Maii electionem Ademari abbatis Caſtrenſis ratam habet, a quo & obſequii fidem recipit, teſtibus Hugone Arelatenſi archiepiſcopo, B. Biterrenſi & C. Carcaſſonenſi epiſcopis. Eodem anno menſe Decembri interfuit partitioni hereditatis inter Bernardum & Olivarium de Penna fratres. Anno 1231. habuit controverſiam cum eodem Ademaro abbate Caſtrenſi, quæ arbitro Simone Bituricenſi archiepiſcopo compoſita eſt. Item hoc anno VI. idus Decembris tranſigit cum Philippo Montis-fortis domino, & præcipuus eſt auctor pacis initæ inter Raimundum comitem Toloſanum, & Raimundum abbatem Galliaci, ſuper dominio urbis Galliaci. III. idus Octob. An. 1232. juxta litteras Galterii epiſcopi Tornacenſis ac ſedis apoſtolicæ legati, datas XIII. cal. Junii, canonicos S. Vincentii Caſtrenſis, in poſſeſſionem ſuæ eccleſiæ reſtituit VII. cal. Junii ejuſdem anni.

ANNI CHRISTI. C. XVI. 1226. epi Alb.

1230.

Tab. epi Alb.

Ex tabularum chartoph.

Tab. epiſc. Alb.

Ex tab. mon. Gal.

1232.

An. vero 1236. V. cal. Junii epiſcopum Biterrenſem commonet de excommunicatione, qua juxta litteras dicti legati, percuſſerat abbatem & monachos Caſtrenſes, quod canonicis maximam reditum partem abſtuliſſent; rogarque ipſum, ut in ſua diœceſi excommunicationem hanc publicam faciat.

1236.

Tab. eccl. Alb.

Eodem an. idibus Februarii quædam conſtituit pro optimo civitatis Albienſis regimine. An. 1241. XIII. cal. Maii, Raimundus comes Toloſæ, & marchio Provinciæ, caſtellum de *Bonneſos* prope Albiam ſe a Durando Albienſi epiſcopo clientelari jure poſſidere profitetur. Item 1242. IV. cal. Maii eccleſiam ſancti Petri de Condamina, ſitam infra caſtrum d'Ambilet, permutat cum F. abbate S. Victoris Maſſilienſis, pro eccleſia S. Fræjecti de Paulin. Hoc an. Fratres Minores indulgentias obtinuerunt pro his qui ad ſui cœnobii fabricam aliquid conferrent. Anno 1243. menſe Octobri ſodalitium inſtituit adverſus hæreticos maxime Valdenſes aut potius Albigenſes. Ipſe tamen cum G. Cadurcenſi epiſcopo, & B. Ruthenenſi, fidejuſſor fuit comitis Toloſani Albigenſium fautoris, pro 5000. libris, quas in dotem neptis ſuæ comiti Sabaudiæ Amedeo deſponſandæ promittebat.

1241.

Ibid.

1243.

Theſ. chart.

Bellicæ quoque virtutis argumenta dedit Raimundus in expugnatione caſtri Montis-ſecuri (*Mont-ſegur*) diœceſis Toloſanæ, quod erat publicum flagitioſorum hominum perfugium, tenebantque ac propugnabant *duo magnates*, Petrus de Mirapice, & Raimundus de Peyrala. Eo itaque perrexerunt Petrus Amelii archiepiſcopus Narbonenſis, noſter Durantus, & ſeneſcallus Carcaſſonæ. Quamvis vero arx illa in altiſſima

ANNI CHRISTI. Cap. 8.

rupe ſita, inexpugnabilis videretur, ea Dei ope potiti ſunt, uti refert Guillelmus de Podio Laurentii.

Longius excurrerem, ſi in annotandis ſingulis Duranti actis quæ urbis, eccleſiæ, monaſteriorumque tabulis plurima inſcripta ſunt, vellem immorari. Non minus carus Innocentio IV. quam Gregorio IX. obtinuit ab ipſo, an. 1248. reſcriptum quo ille ſententiam de juriſdictione urbis, a Petro de Collemedio latam adverſus *gentes domini Regis*, & Philippum de Monteforti, pro epiſcopo Albienſi confirmavit.

1248. Idem anno etiam 1248. menſe Junio, tranſegit cum Raimundo comite Toloſano, & Sicardo Alamanni, de moneta Raimundenſium, ex quibus comes unam partem, epiſcopus alteram, & Sicardus Alamanni dominus Caſtri-novi, & de Bonafos tertiam habere debebant. Fato functus eſt Durandus anno 1254. & ſepulturæ traditus die Veneris ante feſtum ſancti Laurentii.

Ex theſaur. chartarum. 1254

Eodem an. Zoën Avenionenſis epiſcopus, ut legatus apoſtolicæ ſedis, Albiæ ſynodum habuit epiſcoporum provinciarum Narbonenſis, Biturienſis, & Burdigalenſis, ad coërcendas hæreſes & morum corruptelas. Utrum vero vivente Duranto, an mortuo celebrata ſit, ex ejus actis expiſcari non potuimus, cum præſulum qui adfuerunt nomina taceantur. De hoc concilio vide in Zoëno Avenionenſi epiſcopo.

LII. BERNARDUS II.

DE COMBRETO.

Bernardus de Combreto ex præpoſito eccleſiæ Albienſis, electus eſt in epiſcopum, die Sabbati ante feſtum S. Laurentii 1254. ut docet decretum ejus electionis. Eodem anno hominium fecit archiepiſcopo Biturienſi; quibus vero conditionibus id factum ſit, docebunt litteræ Philippi archiepiſcopi. Anno ſequenti excuſatum ſe haberi rogat, quod nequeat intereſſe conſecrationi Mimatenſis electi. An. 1256. IV. cal. Februarii, hominium recepit de pedagio de Senegas, a Bertrando vicecomite de Laurec filio Sicardi.

1254. *C. XVII. pag. 8. col. 2.* 1256.

Anno 1259. Petrus de Autolio Carcaſſonenſis & Biterrenſis ſeneſcallus, ei diem conſtituit, quo adeſſet ſibi, ad audiendam ſententiam ferendam in pacis infractores, & eos qui armati intraverant regis fines. Litteræ ſeneſcalli datæ ſunt proximo Sabbato, poſt feſtum ſancti Dionyſii. Quapropter epiſcopus ab eo ad regem provocavit, multas ſibi civibuſque ſuis illatas conqueſtus injurias, tum ab ſeneſcallo, tum ab Stephano de *Dadeiſ* ejus locum tenente. Inſtrumentum hujus appellationis ex autographo in tabulario Albienſi aſſervato deſcriptum damus. Ad componenda vero hujuſmodi diſſidia S. Ludovicus rex litteras dedit, an. 1264. quibus jura regis & epiſcopi in Albienſi civitate, ſingula ſuis finibus concluduntur. Hoc documentum in regio tabulario Pariſ. hunc titulum habet: *Compoſitio ſuper hæreſibus & faidimentis civitatis Albienſis, facta inter R. gem & epiſcopum*; exſtatque in tabul. Carcaſſonenſi de feudis ſeneſcalliarum Carcaſſonæ, Bellicadri, &c. Inſtrumentum hoc jam typis mandatum in Gallia

1259. *Ex tab. reg. Carcaſſon.* *C. XVIII. pag. 8. col. 2.* 1264

christiana quadripartita, ad tranſſumtum nobis a viro clariſſimo D. du Fourny, in ſuprema rationum curia Pariſienſi auditore communicatum, emendavimus, & inter alia monumenta edendum cenſuimus. Huic ſancto regi fidelitatem juravit Bernardus pro caſtellis de Roſſiac & Marſac, an. 1270. ut docent litteræ Philippi regis filii S. Ludovici, datæ an. 1277. quas etiam retulimus. Epiſcopo vero præſtitit hominium Alphonſus filius S. Ludovici, comes Pictaviæ & Toloſæ, pro Caſtro-novo, & caſtro de Bonafos. De fide clientelari ſæpius, vel ipſi a plurimis proceribus & abbatibus, vel ab ipſo jurata Biturienſi archiepiſcopo, &c. dicere ſuperſedemus. De tempore ejus obitus aſſignando non mediocriter anxii ſumus. Sedem vacaſſe annis 1271. & 1274. legimus; quod confirmatur ex antiquo ſenatus Pariſienſis placito, dato 1272. rege Philippo III. die Lunæ ante aſcenſionem; cujus decreti auctoritate Sabbato poſt aſcenſionem Domini reſtituta fuerunt apud Apamias, & reddita per dominum regem procuratoribus capituli Albienſis regalia eccleſiæ Albienſis, quæ mortuo epiſcopo Albienſi ſeneſcallus Carcaſſonenſis ad manum domini regis ceperat, & *ſaiſinaverat* ſine cauſa; cum dominus rex ſuper hoc alias nunquam uſus fuiſſet, prout ex aliorum ac ipſius relatione fuit inventum. Attamen aliunde occurrit mentio hujus præſulis in charta Galliaci, data cal. Junii, an. 1273. Verum cum authenticum hujus chartæ minime conſuluerimus, ſed tantum aliquod exemplum, potuit aliquid vitii irrepere in notis chronicis, amanuenſis oſcitantia.

ANNI CHRISTI. *C. XIX. pag. 9. col. 2.* 1270. *C. XX. pag. 10. col. 2.*

Mortem a longe proſpiciens Bernardus, & de futurâ vita ſollicitus, jam ab an. 1262. eccleſiam ſancti Quintini prope Albiam, Raimundo de Fraxinello præpoſito, & capitulo Albienſi pro ſuo conceſſerat anniverſario. Unus fuit ex præſulibus, qui ad S. Ludovicum regem ſcripſerunt pro reſtitutione bonorum eccleſiæ.

LIII. BERNARDUS III.

Hunc præſulem cognominatum de Caſtaneto patria Albigenſem fuiſſe docet Catellus, ſed eum civem Montis-peſſulani nuncupat Almaricus Augerius Biterrenſis in vita Innocentii V. Idemque legitur in narratione de ipſius promotione ad epiſcopatum ab Innocentio papa V. quam hic damus, quia pene omnia quæ ad hunc epiſcopum ſpectant complectitur.

Narratio de promotione epiſcopi Albienſis Bernardi de Caſtineto, & initio epiſcopatus.

Ex chartâ Alb. *NE igitur in oblivionem decurrant hominum, quæ temporibus domini Bernardi de Caſtineto Albienſis epiſcopi divina providentia eccleſia Albienſi ſola ſua dignatione donavit, primo de ipſo epiſcopo aliqua perſtringentes,*

a Binominem fuiſſe hunc epiſcopum conjicimus, & ſimul appellatum Petrum; nam in chartis Ravi-mundi Petrus Albienſis epiſcopus an. 1302. die 21. Maii (quo forte tempore ſedebat Bernardus) ratam habet donationem illi monaſterio factam a Claudio ſuo anteceſſore. Idem nobiſcum obſervavit noſter dominus Claudius Eſtiennot in Mathilde Ravi-mundi abbatiſſa.

ANNI CHRISTI. 1275.

quando & a quo & qualiter ſit factus epiſcopus, breviter ad memoriam revocemus. Anno Domini MCCLXXV. *nonas Martii Innocentius papa V. qui Gregorio X. per quem fuit nuper Lugdunenſe generale concilium celebratum, in apoſtolatus immediate ſucceſſit honore, de ipſo domino B. qui a Magalonenſi dioceſi, & villa Montis-peſſulani traxit originem, eccleſia Albienſi in urbe Romana providit. Erat enim dictus epiſcopus antea, & dudum fuerat apoſtolici palatii generalis cauſarum auditor, qui tunc temporis regulariter erant quatuor ad cauſas omnes (electionum eccleſiarum cathedralium, & abbatiarum ſolemnium dumtaxat exceptis) undecumque deferrentur ad Romanam curiam audiendas ſpecialiter deputati. Poſt proviſionem vero de ipſo factam, moram traxit in curia propter mortes ſummorum pontificum, propter quas litteras quas debebat habere, expedire non poterat, uſque prope nativitatem Domini anni poſtea ſequentis. Interim enim tam dictus Innocentius, quam Adrianus, qui ſibi ſucceſſit, tam brevi tempore de medio ſunt ſublati, & Johannes XXI. ſubſtitutus eiſdem, quod ſtupor de eis apprehenderit cum ſumma admiratione homines dum fiebat. Tandem recedens de curia, intravit primum civitatem Albiæ in feſto beati Antonii abbatis, & erat dies Dominicus, qua die etiam in altari ſanctæ Cæciliæ primam miſſam ſolemniter celebravit, ac die immediate ſequenti ad pacem & unitatem reducens canonicos, qui dudum inter ſe fuerant plurimum diſſidentes, cum eiſdem ordinavit concorditer ante etiam quam cibum ſumerent, quod nova deberet major eccleſia fabricari. Ad quod deputavit viceſimam ſuorum reditum, & canonici de ſuis pariter per temporis ſpatium vicennalis. Ac ſequenti prima ſynodo quadrageſimam, per idem tempus omnium redituum eccleſiarum, quæ ad collationem ſpectant epiſcopi, & capituli Albienſis, necnon & reditus omnes primi anni vacantium eccleſiarum ejuſdem vicennalis temporis; retentis dumtaxat ſufficientibus ſumtibus pro ipſis eccleſiis ſerviendis. Proviſione itaque facta de conſtruenda eccleſia, providendum inſtituit idem epiſcopus, per quem modum ad totius illuminationem dioceſis inſtituerentur grati Deo moribus & ſcientia in ipſa majori eccleſia idonei ſervitores. Ordinavit enim cum præpoſito & capitulo, qui tunc erant, ſcribi ſummo pontifici pro obtinenda licentia, quod dicta eccleſia de canonicis ſecularibus ordinaretur deinceps. Et ſic ex cauſis in ipſis litteris contentis efficeretur ipſa eccleſia ſecularis, & quod ordinatio hujuſmodi, ſi concederetur per ſummum pontificem, ad epiſcopos omnes Albienſes qui eſſent pro tempore, & eos ſolos libere & perpetuo pertineret.*

An. 1278. *Ex tab. epiſc. Alb.*

An. 1278. Bernardus adfuit concilio provinciæ Bituricenſis Auriliaci habito, in vigilia ſancti Bartholomei. Eodem anno Raimundus Ruthenenſis epiſcopus, & Stephanus Mimatenſis, bulla Nicolai papæ III. VI. idus Decembris pontific. an. I. cognitores delegati de ſtatu atque reditu eccleſiæ Albienſis, cujus præpoſitus, & capitulum ordinis S. Auguſtini, a dicto papa poſtulaverant, ut *monachalem* veſtem cum ſeculari permutare ſibi foret licitum; renuntiant papæ, eccleſiæ præfatæ proventus ſatis eſſe ad cultum & ad victum 31. præbendariorum, hoc numero comprehenſis octo dignitatibus, nempe præpoſito, 4. archidiaconis, theſaurario, cantore & ſuccentore; tunc vero temporis in eâ tantummodo eſſe 21. canonicos maxime indiligentes circa rem divinam, ad rem vero familiarem augendam litium maxime ſtudioſos: proindeque ſatius viderint ſeculares fierent. An. 1286. ſedit in concilio apud Biturigas coacto. XIII. cal. Octobris, & in aliis provincialibus ſynodis annorum 1290. 1291. &c. Monachos Galliacenſes excommunicavit, quod P. electo abbati necdum confirmato obedirent. An. 1304. bona ſua regi addicta, donec ſolviſſet ſubſidium ſibi impoſitum, recuperat litteris Philippi regis dicti *Pulcri*, datis die 10. Aprilis. Qui princeps, eodem anno die 15. menſis Julii, pollicitus eſt huic præſuli, clero, plebique Albienſi ſuam gratiam; & ſatisfactionem pro multis gravaminibus, quod liberaliter ſubſidia miſiſſent regio in Flandria exercitui. Privilegium illis tunc conceſſum excudendum inter inſtrumenta cenſuimus. Anno 1308. tranſlatus eſt ad Anicienſem ſedem [a], cardinalis Portuenſis poſtea renuntiatus an. 1316. die 18. Decembris a Joanne XXII. Fatis conceſſit Avenione 14. Auguſti 1317. humatus ibidem in eccleſia majore. Certe in ſententia lata contra fratrem Bernardum Delitioſi, ex ord. Minorum an. 1319. Bernardus epiſcopus Albienſis, *bonæ memoriæ* dicitur, quod eſt argumentum pene certum ejus mortis. De animo hujus Minoritæ in noſtrum Bernardum infenſiſſimo agit V. C. Baluzius in notis ad vitas paparum Avenionenſium col. 649. Hic epiſcopus magnificæ baſilicæ Albienſis ſub titulo S. Crucis & S. Cæciliæ fundamenta jecit in eminentiori ſitu, cum antea in declivo ripæ Tarni eccleſia ædificata eſſet. De hoc cardinali lege Ughellum in epiſcopis Portuenſibus

ANNI CHRISTI.

Ibid. 1286.

1290. *Ibid.* 1304.

C. XXI. pag. III. vol. I. 1308. [a]

LIV. BERTRANDUS. II.

De Bordis.

Bertrandus de Bordis fratrem habuit nomine Petrum, quem Philippus IV. rex Franciæ, ad militarem & equeſtrem ſtatum evexit ſuis litteris [b] datis apud Mediam-villam, an. 1311. Bertrandus fuerat prius canonicus Lactorenſis, quod ſacerdotium ei contulit Clemens V. VII. cal. Auguſti, an. 1305. ex hujus papæ regeſto in bibliotheca regia. Deinde tranſlato Bernardo de Caſtaneto ad eccleſiam Anicienſem anno 1308. creatus eſt Albienſis epiſcopus: nam ex litteris ejuſdem regis datis *Pariſius* IV. *Octob. an.* MCCCVIII. patet Bertrandum immediate Bernardo eſſe ſubrogatum. Hinc expunximus Geraldum inter utrumque inſertum.

[b]

Bertrandus electus Albienſis epiſc. per ſuos procuratores Heliam de Faga abbatem Albæ-petræ, & Centullum de Glarenx Lactor. canonicum,

[a] *Vide* epiſt. Philippi IV. regis Franciæ, Johanni de Criſpeio ſcriptam in collectione Baluz. tom. II. vit. pap. Aven. col. 167.

[b] His litteris rex ipſi permittit, ut *licet ex utroque parente nobilis forſitan non exiſtat... a quolibet ad hoc idoneo cingulum rec. pore valeat militarem, & quod ex tunc ipſe poſterique ſui nobilium gaudeant dignitate.* Ex regiſtr. 46. archivi regii Pariſ. *Vide notas Baluzii ad vit. pap. Aven. p. 659.*

ANNI CHRISTI.

hominium recipit a Guiberto de Cadola domicello, de iis quæ habebat in castro & in valle de Monestier, xv. cal. Octobris 1308. Eodem anno multorum ecclesiæ suæ bonorum restitutionem obtinet, ut probant varia instrumenta, in quibus dicitur episcopus. Bullam a Clemente papa V. IV. cal. Julii pontific. an. 4. datam consequitur, qua censuris ecclesiasticis decimarum suæ diœcesis invasores ad restitutionem valeat compellere. An. 1309. cal. Julii dat Bertrando de Bordis canonico S. Hilarii Pictaviensis decimas de Tilheto, de Ginesteris & de S. Salvio, in archipresbyteratu S. Gervasii diœcesis Albiensis, quam cessionem Clemens papa V. bulla V. cal. Aug. pontific. an. 4. ratam habuit. An. 1310. IV. cal. Junii juxta bullam Clementis papæ V. IX. cal. Dec. pontific. anno 5. datam, de stipendiis canonicorum, aliorumque suæ ecclesiæ clericorum decernit. Eodem anno 16. Junii dat suo capitulo ecclesiam S. Vincentii de Faucio. Item 2. Nov. unit suo capitulo rectoriam S. Georgii cum suis annexis. Eodem an. 31. Januarii, dat Raimundo de Casetis canonico ac theologo ecclesiæ Burdegalensis, duas partes decimarum ecclesiæ de Podio-Begone, & S. Mauritii de Privato, quam donationem Clemens papa V. firmavit bulla III. cal. Julii, sui pontific. an. 7. Statuta condidit & publicavit IV. cal. Junii an. 1310. quo anno XIV. cal. Januarii ad Romanæ ecclesiæ, cujus quoque camerarius fuit, purpuram assumtus dicitur a Clemente V. qui ei tribuit titulum SS. Johannis & Pauli.

1308. 1309. *Ex tab. epis. Alb.* 1310. *Ibid.* *Ibid.*

Attamen mense Februario sequenti, adhuc episcopi Albiensis titulum camerariique retinebat; nulla cardinalatus facta mentione ex ejusdem chirographo dato monasterio Sarlatensi, pro 15. marcæbotinis aureis cameræ apostolicæ debitis & persolutis. Datum Avinioni die penultima mensis Februarii anno Domini 1310. indict. VIII. pontificatus D. papæ anno 5. Paulo post obiit scilicet die 21. Septembris anno 1311. uti notat Amalricus Biterrensis.

LV. GERALDUS. II.

Bertrando ad cardinalitiam dignitatem evecto mense Decembri, Albiensis ecclesiæ vacantis regimen datum est Geraldo eodem pene tempore; jam enim sedebat ineunte mense Martio ejusdem anni 1310. quem nunc dicimus 1311. ut liquet ex actis publicis de admissione intra urbem Albiensem religiosæ familiæ patrum de Monte-Carmelo consignatis III. idus Martii ejusdem anni. Cum brevi tempore præfuerit, pauca de ipso notanda occurrunt.

1310. 1311.

Cum B. abbate Castrensi transigit 1312. Eodem anno in Amelium Vasalli S. Salvii præpositum de simonia insimulatum quæstionem instituit curavit. Quo etiam anno Pictavinus de Montesquivo huic præsuli hominium præstat pro matre sua Barrava, de his quæ habebat in castro de Marsaco.

1312.

Sabbato post natale Domini ejusdem anni, statuta quædam pro sacello S. Magdalenæ de Rioveros in suburbio Galliaci confirmat. Anno 1134. 7. Maii, jam defunctus dicitur, illique

1314.

A suffectus erat Beraldus: mandatur quippe seneschallis Tolosæ & Carcassonæ, ut in castris ac possessionibus, quæ comites Tolosani ecclesiæ Albiensi cesserant, jus regaliorum accipiant, secundum tempus quo vacabat per obitum Geraldi episcopi, atque Berardo successori restituant, quidquid e bonis dictæ ecclesiæ residuum fuerit.

ANNI CHRISTI. *Ex tab. epis. Alb.*

LVI. BERALDUS. de Fargis.

Hic præsul erat ex gente Raimundi de Fargis filii sororis Clementis papæ V. qui factus est cardinalis; habebatque fratrem archiepiscopum Narbonensem. Beraldus fidem, obsequiumque juravit regi Philippo dicto *Pulcro*, die 12. Martii, anno 1314. in cujus sacramenti forma legitur tantum *electus Albiensis*. Die 27. Aprilis ejusdem anni, cum in iram regis incurrisset, quod arma sumsisset adversus Amblardum de Pothano, parum advertens ipsum regiæ commissum esse custodiæ, veniam delicti obtinuit. Die 29. Julii sequentis ab ipso rex suppetias petiit adversus Robertum Flandriæ comitem, uti videre est in collectione instrumentorum. Die decimo septimo Augusti alias litteras ad eum scripsit rex, ut in festo nativitatis beatæ Mariæ Atrebatum *in equis & armis* conveniret.

1314. *Ex tab. arch. Alb.* *C. XXI, pag. II. col. 2.*

Anno 1316. die Dominica post festum S. Barnabæ, hominium recepit a consulibus urbis. Eodem anno qui primus fuit pontificatus Johannis XXII. bulla ejusdem papæ data XIII. cal. Decembris, absolvitur ab excommunicatione qua forte multatus fuerat, quod non exacte solvisset reditus assignatos octo dignitatibus, quas Bonifacius VIII. instituerat in ecclesia cathedrali, quando illam fecerat secularem. Idem papa facultatem ei concessit anno 1317. conferendi beneficia in sua diœcesi vacantia, quorum collatio ad sedem apostolicam pertinebat. Eodem anno acquisivit a Pictavino de Montesquivo filio Saxii & Barravæ de Podio, quidquid habebat in loco de Marsaco. Tunc etiam Albiensis diœcesis pars avulsa, data est novo episcopo Castrensi a Johanne papa XXII. ut infra ostendemus. Inquisitor a sede apostolica in Gallia constitutus, consules & cives Albienses ab ecclesiasticis pœnis quibus subjacebant ob injurias Bernardo de Castaneto suo episcopo illatas, absolvit die 11. Martii anno 1319. Beraldum equites ac pedites misisse ad bellum, quod pro castro de Lombers exarserat, sedandum, probat chirographum Aymerici de Croso seneschalli Carcassonæ & Biterrarum, datum 1310. feria V. ante festum sancti Vincentii. Item habuit adversus Arnaldum abbatem Galliaci, quæ sententia Pilifortis cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ die 21. Novembris, anno 1312. restincta est; & cum Guillelmo Bituricensi archiepiscopo, quam diremit Johannes de Moca domicellus castellanus Montis-regalis, 10. Novembris 1324. Sæpius cum seneschallo Carcassonensi pugnare pro juribus episcopatus coactus est, & Philippum regem appellare; cui cum exposuisset episcopum Albiensem solum & in solidum immediate habere in civitate Albiensi, &

1316. *Ex tab. epis. Alb.* *Ibid.* 1317. 1319. *Ex urbis tab.* 1312. *Ex tab. epis. Alb.* 1324.

ANNI CHRISTI.

in ejus pertinentiis, merum & mixtum imperium, omnimodamque jurisdictionem, ea tamen spreta seneschallum Carcassonensem, vel ejus vices gerentem, sibi vindicasse judicium de magistro Geraldo Costa, Petro Beuca, & aliis delatis de morte Sicardi de Graulheto clerici infra civitatem Albiæ interfecti, quia contendebant Sicardum familiarem fuisse Raterii de Penna, qui erat sub regis clientela: rex æquissimus suis litteris
1331. datis die 17. Maii, anno 1331. declaravit, *Se non intendere quod sua salva gardia tollant vel impediant jurisdictionem episcopi; quapropter mandat suo seneschallo apud Carcassonam, aut ejus locum tenenti, ut quidquid attentarunt contra episcopalem jurisdictionem, revocent*; ex authentico asservato in archivo episcopali Albiensi.

1333. Ultimo sui episcopatus anno, hoc est 1333. Beraldus fundavit prioratum de Fargis, cui univit paroecias *dels Armets*, juxta podium vulgo *Puech Bigon*, & S. Martianæ prope Lascurram. Eodem anno die 5. Januarii rogatus a Johanna S. Augustini apud Tolosam abbatissa, consensum præbuit fundationi novi monasterii S. Catharinæ in urbe Albia.

Post mortem hujus episcopi Petrus dominus Varanbonis miles, seneschallus Carcassonæ & Biterris mandavit Petro Thoreni domicello regenti Carcassonæ, Minarbesii & Cabardesii, ut episcopatum Albiensem jure regaliæ ad manum domini regis caperet. Quod cum ad aures Petri de Altabesia procuratoris capituli ecclesiæ Albiensis pervenisset, ad dominum regem provocavit, & *apostolos* sibi dari petiit, contendens ad nullum regem pertinere jus regaliæ in epis-
Ex tab. Eccl. Alb. copatu Albiensi, sede vacante. Actum in men-
1334. se junio 1334. Quid vero secutum sit ignoramus.

LVII. PETRUS I.

DE VIA.

Petrus de Via nepos erat Arnaldi de Via cardinalis*, qui erat filius fororis Johannis papæ XXII. legiturque adfuisse suo patruo morienti anno 1335. cum jam esset episcopus, ut ob-
al. 732. servat Baluzius in notis ad vitas paparum Avenion. Sane electus Albiensis, & confirmatus
1334. dicitur mense Januario anno 1334. quem nunc dicimus 1335. Paulo post, videlicet IV. cal. Martii, quo solemni pompa urbem est ingressus, adiit ecclesiam S. Salvii, & coram altari, Ratherio de Penna præposito testatus est accessisse, non animo detrimentum afferendi privilegiis hujus ecclesiæ, sed orationis causa. Eodem an-
1336. no die 19. Junii Folcaldus Bituricensis archiepiscopus eum monuit ut adesset obsequii juramentum præstiturus; cui hominium fecit per suum officialem de civitate Albiensi, ejusque accessionibus die 16. Octobris anno 1336. juxta synodi provincialis decretum. Ejus tempore Pontius abbas Bonæ-cumbæ ad reformationem Albiensis capituli delegatus, quædam statuta episcopi jurisdictioni contraria rescidit die 14. Novembris anni 1335. De Petri morte nihil nobis occurrit. Sedem vero episcopalem Albiensem non tenuit ultra annum 1336.

* titulo S. Eustachii.

LVIII. BERNARDUS III.

ANNI CHRISTI.

DE CAMIETO, *aliter* CAMIATO.

In Gallia Christiana quatuor in partes aut tomos distributa, Bernardus cognominatus de Camieto, dicitur assumtus ad hanc cathedram anno 1337. 26. Julii ex registro Vaticani. Erexit monasterium Conceptionis B. Mariæ in urbe, 1337. ubi nunc sorores de Annunciata vulgo dictæ; ac desiit esse in vivis eodem anno 1337. sepultus in medio chori cathedralis cum hoc epitaphio.

Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCCCXXXVII. *quarto kalendas mensis Decembris, obiit reverendus pater in Christo dominus Bernardus de Camiasio divina clementia episcopus Albiensis, cujus anima & omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei sine fine requiescat in pace.*

LIX. GUILLELMUS VII.

CURTI.

Curtiam gentem ex pago Mirapicensi qui erat diœcesis Tolosanæ, ante Mirapicensis episcopatus erectionem, ortam opinatur Baluzius in notis ad vitas pap. Avenion. Guillelmum fuisse *pag.* 816. Benedicti XII. nepotem ex sorore, asseritur. Hic monachus factus apud Bolbonam ordinis Cisterciensis (unde postea dictus est *Albus*) ab adolescentia Lutetiæ in collegio ordinis Cistercensis vulgo dicto *Bernardinorum*, philosophicis ac theologicis studiis imbutus, ipsaque doctoratus laurea insignitus cum esset, deinde abbas Bolbonensis, a Benedicto XII. anno 1337. renuntiatur episcopus Nemausensis decedente Gerardo 11. calend. Maii anno III. ejus pontificatus ex registro Vaticano, eodemque anno 10.* De- *f.* 3. cembris ad Albiensem sedem traductus, successit Bernardo, ut ex eodem registro Vaticano compertum est. Episcopus factus bullam obtinet a Benedicto papa XII. qua summus pontifex revocat omnes alienationes ab annis 35. a prædecessoribus ejus factas, datam IV. nonas Januarii, pontificatus ejus anno III. Sedes autem vacabat an. 1338. 7. Januarii, eo quod ad cardinalitiam dignitatem evectus fuisset Guillelmus. Itaque die 18. Decembris inter presbyteros cardinales cooptatus, & donatus titulo sanctorum quatuor coronatorum (mendose aliis sancti Stephani in Cœlio monte) sicque vocatus ad purpuram, brevi Albiensem ecclesiam administravit. Unde pauca leguntur ab eo gesta, quæ notanda breviter duximus ex actis publicis descripta.

Guillelmus hominium exhibuit Philippo de Peia militi seneschallo Bellicadri (*Beaucaire*) & Nemausi, pro castris de Marsaco, de Roffaco, & de Monte-regali, die 11. Martii 1337. ubi & 1337. habetur quod Beraldus antecessor ejus idem præstiterit. Anno 1338. 13. Julii, bona episco- 1332. patus in manum regis tradita ratione 20000. librarum fisco debitarum, soluta pecunia recuperavit. Eodem anno die 29. Julii sedem apostolicam appellavit adversus officialem Bituricensem, qui damnatum ab ipsomet episcopo fœneratorem absolverat. Cardinalis factus collegium Bernardinorum, ut vocari solet, Pari- *Ex tab. epis. Alb.* siis a Benedicto XII. inceptum, absolvit, uti docet inscriptio præ foribus apposita, sub ejus scuto gentilitio secto in duas partes, quarum

prima nihil exhibet præter aream nudam, in altera viſuntur tres conchæ. Talis autem eſt inſcriptio: *Arma hæc ſunt venerandæ memoriæ Guillermi Curti quondam cardinalis Albi, qui etiam intus ſacræ theologiæ doctor, Toloſanus natione, Ciſtercienſis religione, de Bolbona profeſſione, eccleſiam præſentem ad perfectionem qualem optimet, perduxit, & reditus ipſius emit, aulam multis jocalibus, libriſque bibliothecam inſignivit. Sexdecim ſcholares intus in theologia ſtudentes perpetuo fundavit. Cujus ſolemne anniverſarium intus* XII. *Julii celebratur, tuncque præſens conventus recreatur. Orate pro eo.*

ANNI CHRISTI.

Fato functus eſt Avenione die 12. Junii anno 1361. De eo conſulendi Ughellus in Italia ſacra, Frizonius, & alii qui de cardinalibus ſcripſere.

LX. PICTAVINUS.

Montisquiseu.

Ex nobili & vetuſta gente de Monteſquivo in Vaſconia originem ducebat Pictavinus. Antequam vero Albienſem nactus eſſet cathedram, fuerat epiſcopus Vaſatenſis [a], tum Magalonenſis. Electus autem epiſcopus Albienſis invenitur 1338. 27. Januarii anno 1338. *al.* 1339. paulo poſt donatum galero cardinalitio Guillelmum Curti. Anno 1339. die 20. Februarii vicarios ſuos generales inſtituit in ſpiritualibus & temporalibus B. abbatem Candelienſem, Petrum de Jaurentio canonicum Albienſem, & Pontium de Malafoſſa canonicum Carpentoratenſem. Eodem anno die 21. Julii hominium recipit a Johanne Goaſca domicello vicario (*Viguier*) Albienſi. 1341. Anno 1341. die 28. Septembris, ſacramentum fidelitatis ei præſtitum eſt a Raimundo de Moneſtier milite, pro caſtro & valle de Moneſtier. 1347. Anno 1347. die 11. Decembris ſex fundavit *capellanias* in eccleſia ſua. Anno 1349. die 20. Septembris vicarius urbis, qui erat Stephanus de Guilarando, ſe ipſius hominem profeſſus eſt. 1350. Anno 1350. die 17. Decemb. in cœtum preſbyterorum cardinalium aſcitus eſt a Clemente VI. ſub titulo baſilicæ duodecim apoſtolorum. Anno 1352. die 7. Martii donationem facit Johanni Campoſterii, quam eodem anno die 20. Auguſti Arnaldus Guillelmi ſucceſſor confirmavit. Vivere deſiit calendis Februarii anno 1355. nunc 1356.

Ex tab. epiſc. & eccl. Alb.

Guillelmi.

LXI. ARNALDUS [b].

Pictavino ad ſacrum cardinalium collegium aſſumto, vacante per hanc promotionem, ut tunc moris erat, ſede Albienſi, ſubrogatus eſt ei menſe Januario Arnaldus Guillelmi, qui die 10. menſis Julii anni 1351. ſolemniter excipitur in urbe; ſolemnis hujus ingreſſus deſcriptionem, quod multa notatione digna contineat, exhibemus.

C. XXIII. pag. 12. col. 2.

Eodem anno die 7. Septembris omnia lucra ex præconiis in urbe faciendis ceſſit conſulibus, modo cereos octo 50. librarum in feſto natalis Domini, ad donationis perpetuam memoriam, ſingulis annis eccleſiæ offerrent. Anno 1353. die 8. Maii conſules epiſcopi dominium in civitatem agnoſcunt; cui obeſſe nolunt quod aggerem poſſent ad muniendam urbem. Adhuc occurrit die 27. Novembris anno 1354. Sedem vero vacaſſe eodem anno menſe Decembri, probatur ex litteris ſeneſcalli Carcaſſonenſis teſtificantis, quod temporalitas epiſcopatus non debeat apponi ad manum regiam occaſione regaliæ, exceptis caſtris de Marſaco & de Roſiaco. Fuit alius Arnaudus Guillelmi, hujus epiſcopi procul dubio cognatus, abbas de Luco diœceſis Oloronenſis, qui legitur teſtis in inſtrumento teſtamenti Anglici cardinalis. Vide Baluzium, tom. 2. vit. pap. Avenionenſium.

ANNI CHRISTI.

Ex tab. urbis.

1353.

Ex tab. epiſc. Alb.

Ibid.

pag. 1051.

LXII. HUGO. IV.

Alberti vel Auberti.

Hugo Alberti primum occurrit anno 1355. 18. Octobris, quo tempore ad cuſtodiam urbis totiuſque diœceſis arcium, ducem inſtituit domicellum de Montibus. Anno 1356. accepit litteras de captione Johannis regis Francorum, datas Pariſius die 27. Septembris, quæ ipſius vicariis generalibus redditæ ſunt; tunc enim in curia morabatur Avenionenſi. Has litteras legere non erit injucundum.

1355.

1356.

C. XXIV. pag. 12. col. 2.

Utrum ad comitia regni generalia tunc temporis indicta convenerit Hugo ignoramus. Baluzius in notis ad vit. pap. Avenion. obſervat ipſum feciſſe *ſuum novum adventum* tantum die Mercurii 22. Novembris anno 1357. & promiſiſſe conſuetudines civitatis Albienſis ſervare, prout alii prædeceſſores ſui eas tenere & ſervare promiſerant. Notatur in inſtrumentis publicis unoquoque anno, uſque ad annum 1376. die 22. Decembris, quo videlicet hominium recipit à Gregorio de Corberia vicario urbis. Idem obſequium ei præſtiterat anno 1371. die 21. Aprilis Johannes Clerici vicarius quoque civitatis. Cum capellanis eccleſiæ Albienſis tranſegit an. 1373. & cum conſulibus Albienſibus de juriſdictione temporali an. 1374. Ad præſentationem quoque Aladaxiæ de Provenquieras capellaniam in capella ſanctæ Mariæ de Humilitate contulit. Occurrit adhuc in veteri inſtrumento 1378. Vivere deſiit 11. Martii 1379. Ex temporis ſpatio quod epiſcopatui Hugonis Alberti dare cogunt indubitatæ fidei tabulæ, rejiciendus videtur ille Bertrandus epiſcopus, in quadripartita Gallia chriſtiana notatus; ignotus vero Claudio Roberto & aliis, uti nobis. Forte pro Bertrando legi debet Bernardus de Sanguineto diaconus, & archidiaconus de Podio ſancti Georgii, qui communi canonicorum ſuffragio Hugoni defuncto ſubrogatus eſt, ut diſcimus ex decreto ipſius electionis ad Clementem VII. miſſo; ſed minime conſtat hanc electionem fuiſſe confirmatam. Sane in veteri inſtrumento Dominicus dicitur immediatus Hugonis ſucceſſor.

Exeat. epiſc. Alb.

1371.

1373.

1374.

1378.

1379.

LXIII. DOMINICUS.

de Florentia.

Dominicus cognomento de Florentia familiæ

[a] Catellus quem ſecuti ſunt Sanmarthani fratres, dicit Lodovenſem fuiſſe epiſcopum, non Vaſatenſem. Baluzius in notis ad vit. pap. Avenion. probat primam ſedem epiſcopalem quam obtinuit Pictavinus, fuiſſe Vaſatenſem; quod ex publicis actis demonſtrabimus, ubi de Vaſatenſibus epiſcopis erit agendum.

[b] Noſter Claudius Eſtiennot in abbatibus ſancti Salvatoris Lodovenſis recenſet quemdam Armandum vel Arnaudum, qui præerat anno 1337. a qua præfectura tranſiit ad abbatiam ſancti Andreæ Avenionenſis, demum pervenit ad ſedem Albienſem. Is eſt, debuit de quo agimus Arnaldus.

ANNI CHRISTI.

S. Dominici, videlicet ordinis Prædicatorum alumnus, ad cathedram Albienſem aſcendiſſe dicitur an. 1379. idque convenit cum Albienſibus tabulis, in quibus legitur Dominicum archidiacono Petracoricenſi camerario cardinalis Lemovicenſis, die 8. Junii an 1380. demandaſſe provinciam exhibendi hominium B. Bituricenſi archiepiſcopo, pro civitate Albienſi. Eodem anno die 5. Octobris interdictione ſibi ex formis juris facta, jubetur liberam ſuo capitulo relinquere poſſeſſionem bonorum quæ Hugo Albienſis epiſcopus ab inteſtato acquiſierat, ut pote quæ bulla Clementis papæ VII. dicto capitulo conceſſa fuerant. Nihilominus tamen hac de re mota querela mediis arbitris compoſita non eſt niſi anno 1381. 8. Septembris. Ab hac ſede tranſlatus eſt ad epiſcopatum S. Pontii Tomeriarum, an. 1382. ubi de illo plura, & in Toloſanis archiepiſcopis.

1379. 1380. Ex tab. eccl. Alb. Ibid. 1381. 1382.

LXIV. JOHANNES II. DE SAYA.

Hic præſul, quem legimus cognominatum d'Alby & de Saya, die 24. Julii, an. 1382. Ludovicum ducem Andegavorum & Turonum comitabatur in caſtris ad Padum, una cum Ludovico de Monte-gaudio ipſius ducis Mareſcallo, & Johanne domino de Bueil Cambellano, uti teſtantur litteræ, quibus idem dux ratum habet pactum de 40. millibus florenorum auri, ſolvendis magnifico domino Barnabæ vicecomiti Mediolani, pro ſtipendio quingentarum lancearum, quæ ſubminiſtraturum illi dictus Andegavenſis pollicitus erat, ex charta cameræ rationum regiarum Pariſ. Anno ſequenti redditus ſuæ eccleſiæ ad exemplum Beraldi, Petri, Pictavini, Hugonis & Dominici anteceſſorum, 40. dies indulgentiæ viſitantibus eccleſiam ſanctæ Mariæ de Fargis, fundatam a præfato Beraldo, in qua, interceſſione beatæ Mariæ virginis plurima fiebant miracula, concedit 29. April. 1383. ex tab. Annuntiatarum apud Albiam. De hoc epiſcopo liber obituum hæc habet: *Anno Domini* MCCCLXXXIII. *obiit reverendus Dominus Johannes de Saya, epiſcopus Albienſis, qui dedit imaginem B. Mariæ ponderis duodecim marcharum argenti, & ultra duos pannos.*

DE SAYA.

LXV. GUILLELMUS VIII. DE VOULTE.

Non rudis & inexpertus ad Albienſes inſulas acceſſit Guillelmus de Vouta, qui antea regendi tirocinium poſuerat in eccleſiæ Tolonenſis adminiſtratione; deinde factus epiſcopus Maſſilienſis, tum Valentinenſis & Dienſis. Albienſibus denique in tabulis memoratur ut epiſcopus, annis 1383. 84. 85. An. 1389. die 25. Februarii Johanni Bituricenſi archiepiſcopo, per procuratorem hominium præſtitit pro civitate Albienſi. An. 1392. in jus vocatur a rege; quod ipſe vel ab ipſo inſtituti judices, inquiſitionem cujuſdam criminis uſurpaſſent. An. 1397. die 20. Maii prorogatur ipſi tempus ad reddendum Petro Bituricenſi archipræſuli hominium. Hæc tabulæ epiſcopales; proindeque Guillelmi epiſcoparus non deſiit an. 1392. Laudatur in Gallia chriſtiana Gemellorum fratrum, quod ædificium S. Cæciliæ Albienſis abſolverit, funda-

DE LA VOULTE. 1383. 1392. 1397.

veritque hoſpitium pauperum, ſub ſanctorum Petri & Andreæ Galliacenſis titulo.

ANNI CHRISTI

LXVI. PETRUS II.

Hunc epiſcopum non ſine formidine adjicimus catalogo Albienſium antiſtitum. Nimirum in tabulis epiſcopalibus ſemel dumtaxat occurrit, videlicet die 1. Julii, an. 1386. quo hominium recipit à Raimundo de Moneſtier domicello, pro caſtro & valle de Moneſtier. Forte pro epiſcopali ſede contendit cum Guillelmo de Vouta, quod facile perſuaſum habemus.

LXVII. DOMINICUS. DE FLORENTIA.

Quid cauſæ fuerit, ut relicto Tomerienſi epiſcopatu, Dominicus de Florentia ad priſtinam ſedem redierit, ignoramus. Certe anno 1397. die 30. Junii paciſcitur cum priore de Rabaſtenx Moïſſiacenſi monacho, pro nonnullis decimis. Anno vero 1409. adfuit concilio Piſano ante ſuam tranſlationem ad ſedem Toloſanam, factam per bullam Johannis papæ XXIII. datam idibus Septembris, anno 1. ejus pontificatus.

1397. 1409. Ex tab. eccl. Alb.

LXVIII. PETRUS III. NEPOS.

Petrus cognomento Nepos, ſubdiaconus, licentiatus in legibus, decanus eccleſiæ collegiatæ de capella Taillefer, Lemovicenſis diœceſis, canonicus Narbonenſis & Claromontanus, per tranſlationem Bertrandi de Malo-leone ad ſedem Biterrenſem, electus eſt epiſcopus Vaurenſis an. 1408. poſſeſſionem adeptus 17. Octob. ejuſdem anni, qui tamen regis & eccleſiæ negotiis occupatus, diu diſtulit ad eccleſiam accedere.

NEPOS.

Poſtea anno 1410. Johannes XXIII. Dominico ad ſedem Toloſanam tranſlato, eum ſubrogavit data bulla nonis Septembris, ſui pontificatus anno 1. qua eum a vinculo quo ſedi Vaurenſi alligabatur, abſolvit, & Albienſi eccleſiæ præficit. Eidem Johanni papæ juramentum obedientiæ præſtitit anno 1411. qui altero poſt anno has ad noſtrum Petrum litteras dedit, rogans ut Bernardum comitem Armaniaci, ad ſanctæ ſedis apoſtolicæ obedientiam reduceret.

1410. 1411.

JOHANNIS PAPÆ XXIII. LITTERÆ ad Petrum epiſcopum Albienſem.

JOannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Petro epiſcopo Albienſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dudum fraternitati tuæ commiſiſſe meminimus, ut ad dilectum filium nobilem virum Bernardum comitem Armeniaci perſonaliter te conferres, atque ipſum ad noſtrum & Romanæ eccleſiæ gremium, devotionem & obedientiam reducere conareris. In qua re cum necdum perceperimus te quam ſumme optavimus ac optamus, præbere operam potuiſſe, denuo fraternitatem tuam pulſare decrevimus, volentes quod in hoc tam laudando opere omnibus ſtudiis atque vigiliis, omnibuſque conatibus tuis elabores. Nos enim eidem fraternitati tuæ præfatum comitem reducendi, ac noſtro & præfatæ eccleſiæ nomine recipiendi, ceteraque quæ neceſſaria fore cognoveris exercendi, per alias litteras noſtras quas per lato-

ANNI CHRISTI.

rem præſentium mittimus, plenam tribuimus fa- A
cultatem. Volentes inſuper quod ſi prefatum comi-
tem ad hujuſmodi gremium ſuſcipere te contingat,
eum informare ſtudeas quanto caritatis ardore,
quamque tenero affectu perſonam ſuam & proſequi
intendimus & complecti, diſpoſiti hujuſmodi af-
fectum & benevolentiam noſtram quantum cum
Altiſſimo dabitur, efficaci operum exhibitione oſten-
dere. Datum Romæ apud ſanctum Petrum idibus
Martii, pontificatus noſtri anno tertio.

Varia negotia deinceps eidem Petro committere perrexit hic pontifex; exſtantque in tabulis Albienſibus plurima Petri hujus epiſcopi acta B
1414. annorum 1414. 1421. &c. uſque ad annum
1430. 1430. Anno præſertim 1428. ratam habuit fundationem miſſæ unius factam in eccleſia Albienſi a Jacobo Siciliæ, Hungariæ & Jeruſalem rege. E vita migravit anno 1434. aut 1433. men-
1433. ſe Septembri deſinente, vel incipiente Octobri.

DE CASSILIACO.

LXIX. BERNARDUS IV.

Bernardus de Caſſiliaco præpoſitus Albienſis, per obitum Petri Nepotis, communi canonicorum voto eligitur, qui ejuſdem electionis confirmationem a concilio Baſileenſi poſtularunt; C
concilii autem auctoritate rata eſt habita electio
1435. hæc, die 19. Decemb. an. 1435. Idem concilium facultatem ei concedit, recedendi ad tempus a ſynodo, ut epiſcopatus ſui poſſeſſionem ineat,
1436. VII. idus Martii 1436. Interim Robertus Delphinus vel Delphini, proviſiones accipit ejuſdem epiſcopatus ab Eugenio IV. papa ad preces Caroli VII. ducis Borbonii, & comitis Montiſpenſerii; jure reſervationis factæ hujus epiſcopatus a ſummo pontifice, quamprimum vacaret; quas reſervationes concilium aboleverat, electiones reſtituendo. Bernardus favente concilio conſecratus eſt epiſcopus Albienſis, in ec- D
cleſia Fratrum Minorum Baſileæ, die 12. Feb. an. 1435. a Martino Lectorenſi epiſcopo, aſſiſtente epiſcopo Lauſanenſi, cum alio cujus nomen tacetur. Nec tamen turbare ceſſavit Robertus. Nam per ſuos ſatellites, quibus præerat Ruthenenſis ſeneſcallus, caſtrum Monti-ratum
1437. obſedit & expugnavit anno 1437. & interim conſules in urbe Albienſi aliquot annis creavit.
1442. Ex tantis diſſidiis factum eſt, ut anno 1442. Vaurenſis epiſcopus Albienſem epiſcopatum in ſpiritualibus adminiſtraret. Nec tam cito ſopita querela; uterque enim ut ſe offerebat occaſio munia epiſcopalia exercebat. Sed Bernardus poſt E
varias altercationes, novam poſſeſſionem iniit
1455. an. 1455. miſſamque ſolemnem celebravit in ſua eccleſia, 1. die Novembris. Neque hic ſtetit Robertus Delphini, qui anno 1456. adhuc epiſcopalia exercebat. Tandem Bernardus vicit ſententia & decreto ſenatus Pariſienſis adverſus
1461. Robertum, die 1. Aprilis 1461.[a]
a
1462. Denique anno 1462. die 2. Novembris, *dominus Bernardus miſeratione divina dies ſuos in Domino clauſit extremos, ſepultus ante majus altare.*

[a] Baluzius qui fuſe agit de Roberto Delphini in hiſt. gen. domus Arvernæ, dicit anno 1460. addiſque Robertum condemnatum fuiſſe ad omnes lites impenſas.

ANNI CHRISTI. DELPHINI.

LXX. ROBERTUS.

Robertus Delphini, de quo jam plurima diximus, filius erat Beraldi II. cognomento Magni, Arverniæ delphini, & comitis Claromontenſis, baronis de Mercorio, ex Margarita de Sacrocæſare (*de Sancerre*) Hic ab adoleſcentia vitam monaſticam juxta regulam S. Benedicti amplexus, multis potitus eſt abbatiis, ut dicemus in Carnotenſibus epiſcopis, quibus non contentus, cum jam eſſet Carnotenſis epiſcopus, Albienſem ambivit cathedram. In inſtrumento abbatiæ de Boſchetо, an. 1434. cum titulo Al- 1434.
bienſis epiſcopi, & cognomine Delphini occurrit. *Datum apud locum noſtrum de Leuthonio, in capella caſtri dicti loci, an.* MCCCCXXXIV. *indict.* XII. *die Veneris,* VIII. *Octobris, Eugenii papæ* IV. *an.* IV. Anno 1451. die 17. Aprilis, data 1451.
eſt quædam charta in monaſterio ſanctæ Crucis de Volta (*la Voulte*) cujus loci prior erat Robertus, ubi ſic ſubſcribit: *Robertus Dauphin epiſcopus Albienſis, dominus baroniæ de Mercœur; vicecomes de Montarat, prior S. Crucis de Volta.* Ex hac vita raptus eſt an. 1462. quo 1462.
an. die 1. Novemb. teſtamentum condiderat, in quo Albienſem epiſcopum adhuc ſe dicit; eodem etiam titulo donatus in bulla Callixti papæ, data IV. nonas Julii an. 4. ejus pontificatus, qua ei teſtamentum condendi dat licentiam. Jacet in eccleſia Fratrum Minorum Brivatenſium in ſepulchro a latere evangelii ſanctuarii erecto cum ipſius effigie, quod delineatum habes apud Stephanum Baluzium.[a] Nulla monumentum hoc ornant cardinalium inſignia, quamvis legam eum in archivo Albienſi nominari *epiſcopum & cardinalem Albienſem, an.* MCCCCXLIX. *Calixto papa, Friderico imperatore, & Carolo Francorum rege.* Certe Callixtus non erat papa, an. 1449. Juxta ſepulcrum legitur hoc epitaphium recens poſitum:

Hic jacet reverendiſſimus in Chriſto pater Robertus Arvernorum delphinus, primo Carnotenſis, poſtea Albienſis epiſcopus; genere, ſanctitate, & dignitate illuſtriſſimus. In tantum præſulem & potentiſſimos principes Borbonios, & Arvernia comites ejus progenitores, & hujus monaſterii fundatores, gratitudinis hoc monumentum poſuit reverendus pater Jacobus de l'Arbre, regis chriſtianiſſimi conſiliarius & concionator, provincia pater, ac hujus conventus moderator. Anno 1646.

JOFRED.

LXXI. JOHANNES III.

Patria Johannis Jofredi fuit Luxovium in Voſago ſaltu oppidum, ob Luxovienſem abbatiam æque nobilem, & antiquam celebre, ubi honeſtis prognatus parentibus, ab iiſque liberaliter educatus, in litteris multum profecit, lauream doctoris in decretis, & in theologia conſecutus: ut merito illum Pius papa II. egregium doctrina & ingenio dixerit. Nec defuerunt virtuti & animi dotibus ſua præmia: ſi tamen hoc digna ſint nomine bona temporalia, quibus cumulatus fuit, factus prior Anagrathenſis *, Arboſii, caſtri ſupra Salinas, decanus S. Vivencii

[a] Hiſt. geneal. Arvern. tom. I. p. 206.

* Anegray prioratus a Luxovio pendens.

de

ANNI CHRISTI.

de Vergeio; poſt modum abbas Luxovienſis & S. Dionyſii in Francia, referendarius apoſtolicus, epiſcopus Atrebatenſis, deinde Albienſis, cum jam creatus fuiſſet preſbyter cardinalis a Pio papa II. xv. cal. Januarii, an. 1461. ſub tit. SS. Silveſtri & Martini in Montibus. Nam ad ſedem Albienſem non acceſſit, niſi an. 1462. quippe bulla Pii papæ II. qua a vinculo Atrebatenſis eccleſiæ abſolvitur, & Albienſi præficitur, data eſt IV. idus Decemb. hujus anni, quo etiam anno, die 3. Februarii, urbem ſolito more eſt ingreſſus. Quominus autem aſſidue clavo ſuæ eccleſiæ aſſideret, obſtiterunt varia regni, Chriſtianæque reipublicæ negotia, quibus tractandis operam ſuam, induſtriamque ſæpe collocare coactus eſt. Multas pro Philippo Burgundiæ duce legationes obivit. Ad Carolum Franciæ regem miſſus eſt, pro expeditione contra Turcas ſuadenda. Ludovici XI. ejus filii inaugurationi adfuit Remis, an. 1461. cui perſuaſit [a] ut pragmaticam ſanctionem reſcinderet, inquit Spondanus ad an. 1461. Unde non mirum, ſi poſt rem tam gratam ſummo pontifici ejus opera factam purpura donatus ſit Johannes, petente potiſſimum rege Chriſtianiſſimo. Principis ejuſdem orator fuit ad Henricum Caſtellæ regem, an. 1469. Extatque ejus oratio ad regem tunc habita, tom. VIII. ſpicilegii cum alia quam declamavit in eccleſia Pariſienſi, die qua Johannes Balüe Andegavenſis epiſcopus, ſcilicet Dominica I. Adventus, an. 1468. purpuram Romanam induit.

1462. Ex tab. Alb.

1469. p. 328.

Spicil. ibid. p. 314.

Reliquias S. Cæciliæ, & alias Albiam tranſtulit [b], multiſque aliis donis eccleſiam ſuam demeritus eſt. An. 1470. die I. Febr. jus viſitationis in Galliacenſi cœnobio ipſi confirmavit ſenatus Toloſanus, adverſus Petrum abbatem, vel adminiſtratorem perpetuum. Spiritum exhalavit xxiij. Nov. *al.* IV. idus Decemb. an. 1473. in prioratu Rullienſi (*Rully*) diœceſis Bituricenſis, ubi quieſcere [c] dicitur. De eo cum laude ſcripſere Friſonus in Gallia purpurata, Auberius in hiſtoria Cardin. Onuphrius, Spondanus, & alii, maxime qui de rebus eccleſiaſticis egerunt. Sane magna eruditione pollebat, rerumque uſu ac induſtria; quas ob dotes forſan delectus eſt inter Latinos patres in concilio Ferrarienſi ſeu Florentino, ad unionem eccleſiæ Orientalis & Græcæ cum Latina procurandam.

b

1470.

Ex tab. Alb.

1473.

c

LXXII. LUDOVICUS I.

[a] Ambaſianorum gens in Turonibus cum antiquitate ac nobilitate, tum rerum præclare geſtarum ſplendore illuſtriſſima, multis inſuper ecclesiaſticis dignitatibus ornata, toto in orbe Chriſtiano præfulſit. Nam Ludovicus, de quo agendum, fratres habuit Georgium cardinalem Rotomagenſem archipræſulem, regni adminiſtrum, Johannem epiſcopum Lingonenſem, Petrum Pictavienſem; Jacobum Claromontanum. Hi quinque patre Petro Calvi-montis toparcha, regis cubiculario, ex Anna de Bueil, Johannis Franciæ equitum tribuni, & Thalaſſiarchæ ſorore prognati erant. Quæ autem ad Ludovicum ſpectant, nunc ex Albienſibus potiſſimum tabulis pro noſtro more proferamus.

ANNI CHRISTI.

Ludovicus mortuo Johanne Joffredi [d] bullas pro vacante epiſcopatu, accepit a Sixto papa IV. datas IX. cal. Febr. an. 1473. Qui pontifex ſuis litteris eodem tempore ſcriptis, eum commendavit tum archiepiſcopo Bituricenſi; tum regi Chriſtianiſſimo. Alia bulla data VII. cal. Februarii ejuſdem anni, Sixtus papa Ludovico conceſſit facultatem benedictionis & conſecrationis munus, a quocumque vellet epiſcopo recipiendi. Eodem fere tempore, ſcilicet nono Octobris, an. 1474. regis *locum tenens generalis* in Occitania & in comitatibus Ruſcinonis & Ceritaniæ conſtituitur, petente, agenteque Johanne Borbonienſi, & Arvernenſi duce ipſius cognato. Quo fungens officio an. 1493. urbem Perpinianum nomine regis Franciæ, regi Arragonum ceſſit.

d

1473.

1474.

Anno 1475. Albienſe capitulum olim exemtum ab epiſcopali juriſdictione, lubens ſe ſubdidiſſe huic præſuli legimus; acceſſerat tamen Sixti papæ IV. auctoritas. Accepta vero poteſtate uſus non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, multa præſtitit utilia. Theologum, qui in eccleſia Albienſi legeret, hoc eſt doceret ac prædicaret, anno 1482. inſtituit, aſſignatis qui ſatis eſſent reditibus. An. 1480. die 23. Aprilis, Albienſem eccleſiam conſecravit, ejuſque chorum elegantiopere conſtruxit, ſacrarium magna vaſorum argenteorum ſupellectili, ac pretioſiſſimis ditavit ornamentis, interdicta ſuis ſucceſſoribus & capitulo facultate quidpiam alienandi. An. 1492. corpus S. Martianæ elevavit.

1475.

1482.

1492.

Cum obtinuiſſet a Sixto papa IV. facultatem de bonis ſuis tam immobilibus quam mobilibus teſtamento ſtatuendi, nec non de ſuis (ut aiunt) beneficiis, bulla data nonis Januarii ann. 1479. pontificatus Sixti nono, pauperes omnium bonorum heredes reliquit, excepta bibliotheca, quam ſuæ legavit eccleſiæ; ut merito bonus epiſcopus dictus ſit. An. 1486. ab Innocentio VIII. licentiam accepit conventus Fratrum Minorum de Obſervantia conſtruendi, in loco urbis, ubi ſitum erat monaſterium monialium S. Catharinæ, ordinis S. Auguſtini, quod juſſu Sixti IV. exſtinxerat.

Optaſſet pius epiſcopus ab omnibus negotiis ſecularibus feriari; emiſeratque votum nunquam ad aulam regiam accedendi, aut in ea immorandi; a quo ut abſolveretur impetravit Ludovicus rex XI. Sixto IV. bullam ea de re dante pridie

[a] Antonius Bonal in hiſt. MSS. epiſcoporum Ruthenenſium, in vita Franciſci d'Eſtaing, ait Johannem Geoffroy Ludovico regi XI. auctorem fuiſſe reſcindendæ pragmaticæ ſanctionis, quod papæ pergratum fuit; ſed a ſenatu Pariſ. reprobatum, univerſitate etiam intercedente.

[b] Aliæ reliquiæ ab eo tranſlatæ ſunt SS. Urbani, Tiburtii & Valeriani, quas obtinuit a Paulo Papa II. XIII. kalendas Januarii, anno 1466.

[c] Attamen teſtamento ſuo facto 14. Novemb. an. 1473. quo bona ſua partitus eſt æqualiter inter eccleſias S. Cæciliæ Albienſis, & S. Dionyſii in Francia, elegerat ſepulturam in Albienſi eccleſia ad pedes capſæ, in qua brachium S. Cæciliæ aſſervabatur. Pro ſuis vero exſequiis aſſignavit mediam partem redituum ſuarum abbatiarum Bonæ-cumbæ, & S. Saturnini; poſcebatur inſuper abbatia Caunenſi, ex noſtro Claudio Eſtiennot.

[d] Veriſimile eſt Ludovicum de Ambaſia contendiſſe de epiſcopatu cum Johanne Joffredi, qui auctoritate pontificia victi æmulum, accedente præſertim Ludovici regis favore. Forte unus a capitulo electus eſt, ſcilicet Ludovicus, alter bulla Pii papæ II. Ut autem ita ſentiamus, pene cogunt acta publica urbis Albienſis, ubi mors Bernardi de Cazillaco ſignatur, an. 1462. & Ludovicus de Ambaſia ipſi ſubrogatus legitur eodem anno die 3. Feb.

cal. Maii an. 1472. sui pontificatus 1. Sic publicæ rei tractandæ iterum incumbere compulsus est.

ANNI CHRISTI. 1498. An. 1498 ab Alexandro VI. bullam accepit datam idibus Septembris ejus pontificatus 7. qua ei mandat, ut dissoluto regis Ludovici XII. matrimonio cum Johanna Franciæ, regi & Annæ Aritanniæ, Caroli regis VIII. relictæ det licentiam conjugii contrahendi, etiamsi affines aut consanguinei forent in secundo gradu. Data sibi a fratre Georgio cardinali archiepiscopo Rotomagensi sanctæ sedis legato in Francia, potestate reformandi ecclesias, collegia, monasteria, conventus, &c. in provinciis Narbonensi, Tolosana, atque Bituricensi, ab eodem rege Ludovico litteras accepit, quibus sibi liceret 1502. id exsequi, scripeas 22. Martii anno 1502. Hoc anno jam abdicarat episcopatum, quem Alexander papa contulit ejus nepoti Ludovico, reservata tertia fructuum parte, cum jure conferendi præbendas & dignitates ecclesiæ Albiensis, bulla data xi. cal. Junii. Obiit Lugduni die *Ex tab. epis.* 1. Julii an. 1503. *al.* 1505. sepultusque est in ecclesia majori Albiensi, in sacello beatæ Mariæ, uti suo testamento condito 28. Januarii an. 1485. caverat; cui ædiculæ sacræ quingentas libras legavit.

LXXIII. Ludovicus. II.

d'Amboise.

Hic superioris episcopi nepos ex fratre Carolo Campaniæ & Burgundiæ gubernatore, matrem habuit Catharinam de Chauvigny. Hoc autem modo cathedram Albiensem est adeptus; nimirum Alexander papa VI. a Carolo rege VIII. a capitulo Albiensi, & a pluribus commonitus, quod cum diœcesis Albiensis esset pene in regni confinio, plurimi interesset episcopum, qui Albiæ aliarumque sive urbium sive arcium dominus erat, fidelem esse regi Christianissimo: sibi hac vice reservavit jus conferendi hanc ecclesiam, quandocumque vacaret vel per obitum Ludovici, vel per cessionem; atque per antecessum hanc contulit Ludovico d'Amboise adolescenti 18. annorum archidiacono Narbonensi, sedisque apostolicæ notario xi. cal. Junii, sui pontificatus an. 5. hoc est 1497. Christi anno 1497. Anno 1501. dicitur electus Albiensis, & Alexandri papæ notarius: a quo eodem anno promotus est ad sedem Æduensem, vacantem per obitum Johannis Rolin, bulla scilicet data v. idus Augusti, ejus pontificatus an. 9. delegatis ad dandum illi pallium nomine papæ duobus episcopis, bulla scripta ix. cal. Octobr. pontificatus Alexandri an. 10. seu 1503. an. Christi 1502. An. 1503. Albiam solemni pompa ingressus est, comitantibus Jacobo fratre abbate Cluniacensi, multisque optimatibus; cui obviam progressi consules urbis ad portas, claves obtulere. Iis continuo redditis, a primo consule clientelæ ac obsequii sacramentum excepit. An. 1506. v. cal. Martii contulit quatuor 1506. millia librarum, ad construendum in prioratu de Fargis parthenonem ordinis Annunciatarum a Johanna filia Ludovici XI. Ludovico XII. olim in matrimonium tradita *Ex tab. hujus conv.* institutarum. Eodem anno mense Januario cardinalium albo adscriptus est Bononiæ a Julio II. accepto titulo sanctorum Petri & Marcellini. In Italia obiit an. 1517. ut probat epitaphium hoc loco subdendum, quod ipsi posuit cardinalis Armaniacus ejus affinis, in Lauretana ecclesia, ubi jacet. ANNI CHRISTI. 1517.

LUDOVICO CARDINALI.

Amboisiano, Gallo, Albiensi episcopo, prater generis nobilitatem singularis pietatis viro, ac omnes omnium virtutes complexo; Georgius cardinalis Armeniacus affini, & prime etatis alumno, neglecto & collabente in tumulo jacenti, voti reus hoc post sextum & trigesimum ab ejus obitu annum cum veniisset, pro tempore posuit MDLIII. *kal. Octobris.*

Cor ejus Albiam delatum deponitur in majori ecclesia juxta patrui tumulum.

LXXIV. Carolus. Robertet.

Carolus Robertet Claudii filius, Florimundi baronis d'Alluye & de Brou, regi a secretis & mandatis frater, archidiaconus Aurelianensis, & prior commendatarius S. Petri de Regula, ordinis S. Benedicti ad Garumnam, electus est a capitulo Albiensi in episcopum mense Decembri an. 1510. cujus votis assensum dedit die 1510. 11. Januarii ejusdem anni. Possessionem capessit an. 1511. An. 1512. die 25. Decembris hominium recepit a consulibus Albiensibus. Eccle- *Ex tab. eccl. Alb.* siam suam picturis ornavit. Obiit anno 1515. 9. *Ex tab. ep.* Aug. cum prius episcopatum transcripsisset Jacobo fratri. 1515. Jacet in ecclesia ante portam Lateralem chori, cum hoc epitaphio sub tumba cuprea.

Carolus Robertetus inclyta hujus Albiensis ecclesia pontifex benemeritus, hoc monumento suos ipsius cineres, postquam vita concessisset, uti placide quiescerent, conlocari voluit. Fato autem functus est anno post nativitatem Domini Jesu-Christi Salvatoris nostri 1515. *die* v. *idus Augustas.* ΞENOI ΚAIPETE.

LXXV. Jacobus. Robertet.

Binominem fuisse hunc episcopum suspicamur. Jacobus enim constanter dicitur omnibus in chartis Albiensibus quas plurimas vidimus. Aliunde Johannis nomen prodit ejus epitaphium mox referendum. Ita quoque appellatur in tabulis sacræ capellæ Parisiensis, cujus fuit canonicus. Hinc non culpandi nostri Sammarthani, qui eum Johannem nuncuparunt. Is Caroli Roberteti frater, ante adeptum per ejus resignationem episcopatum, plurima congesserat sacerdotia, quippe prior erat S. Ramberti diœc. Lugd. archidiaconus Bituricensis, decanus Aurelianensis & Tornacensis, præpositus S. Andreæ Gratianopolit. canonicus Parisiensis, Aniciensis, Albiensis, &c. Factus est autem episcopus per resignationem Caroli fratris; qua dignitate gaudebat mense Julio an. 1515. Solemnis 1515. tamen ejus ingressus in urbem dilatus est usque ad 12. Novembris an. 1517. quo tempore con- 1517. sules ipsi fidem clientelarem, & obsequium jurarunt. Causa autem hujus procrastinationis haud dubie fuit, quod mortuo Carolo, canonici insuper habita quam fecerat resignatione, convenerint die 10. Augusti an. 1515. ad novi pontificis electionem, postulaverintque Franciscum Au-

xitanum archiepiſcopum, qui poſt aliquas altercationes Jacobo ceſſit. Hic itaque a clero & populo, an. 1517. pacifice menſe Novembri exceptus eſt. In quadripartita Gallia Chriſtiana legimus ejus obitum in Kalendario Pariſienſis eccleſiæ annotatum, VII. cal. Junii an. 1518. ubi etiam exhibetur hoc ejus epitaphium.

ANNI CHRISTI.

1518.

Iſta Roberteti cineres tegit urna Johannis
Quem vigilem experta eſt Albia pontificem.
Corporis & animi præclaris dotibus auctum,
Ante ſuum rapuit ſors truculenta diem.

Gouffier

LXXVI. HADRIANUS.

Hadrianus Gouffier cardinalis, nuncupatus de Boiſy, magnus Franciæ eleemoſynarius, abbas beatæ Mariæ Burgidolenſis, Fiſcani, Burgulii, Cormeriaci, S. Florentii Salmurienſis, & B. Nicolai Andegavenſis, Guillelmo Gouffier domino de Bonnivet, de Boiſy, & d'Oiron, cubiculariorum regis principe, Santonum ſeneſcallo, ex Philippa de Montmorency parentibus in lucem editus; fratres habuit Arturum toparcham de Boiſy magnum Franciæ magiſtrum, Guillelmum dominum de Bonnivet Thalaſſiarcam, Aimarum, de quo mox dicendum, Ludovicum S. Maxentii, & Petrum B. Dionyſii abbates. Ille autem a teneris annis protonotarius apoſtolicus inſtitutus, & in ſtudiis bonarum artium ac virtutis educatus, pontifex Conſtantienſis in Normannia deligitur anno 1510. unde ad Albienſem epiſcopatum ſubvectus anno 1519. cum Franciſci I. regis favore & commendatione creatus fuiſſet Bononiæ cardinalis Conſtantienſis nuncupatus, a Leone X. pontifice 1515. XIX. cal. Januarii, titulo S. Petri & Marcellini, deinde S. Sabinæ donatus. Et ne quid ampliſſimæ dignitati deeſſet, in Francia legati apoſtolici a latere munus conſecutus eſt 1519. Quamvis autem ab hoc anno renuntiatus eſſet epiſcopus Albienſis, urbem tamen & eccleſiam ſuam non eſt ingreſſus ſolemni ritu, niſi die 16. Novembris an. 1523. quo tempore conſuetum a conſulibus fidei ſacramentum accepit. Eodem anno die 16. Auguſti bona epiſcopatus a regia manu apprehenſa recuperarat. Rebus humanis exemtus eſt 1523. die 24. Julii in caſtro Villædei * in Turonibus, conditis codicillis quibus ſepulturam deligit in abbatia Burgidolenſi, ante ſacellum beatæ Virginis, inter cetera legat eccleſiæ [a] Albienſi pro celebratione quatuor anniverſariorum; item abbatiis Fiſcannenſi, Burgidolenſi, & aliis eccleſiis; teſtamenti curatores nominat Guillelmum maris præfectum, & Petrum abbatem Dionyſianum fratres, ceteroſve qui recenſentur in autographo teſtamenti, quod in manuſcriptis tabulis familiæ aſſervatur.

1519.

1523.

Ex tab. eccl. Alb.

*Villandren

[a]

Gouffier

LXXVII. AYMARUS, al. EMARDUS.

Audita morte Hadriani Franciſcus I. rex dedit litteras ad capitulum, jubens ut exhiberet privilegium quo jus eligendi epiſcopum ſibi vindicabat; inhibenſque ne ad electionem conveniret, niſi prius copiam eligendi datam rex canonicis patefaceret. Datæ ſunt regiæ litteræ die 1. Aug. an. 1523. quo die canonici Aymarum elegerant Galliaci, ubi ob peſtem Albiæ graſſantem, tunc morabantur. Aymarus certior factus de ſua electione, petivit trium dierum inducias, ad deliberandum utrum ipſi aſſenſum præberet, forte non neſcius præcepti regis electionem fieri prohibentis. Conſenſit tamen tum electus, tum rex Chriſtianiſſimus; & Aymarus poſſeſſionem adeptus eſt per procuratorem 19. Junii anno 1524. Diſtulit vero ſolemnem ingreſſum uſque ad diem 10. Novembris anno 1527. quo die de more conſules ei fidei ſacramento ſe obſtrinxerunt. Quæ omnia ex tabulis tum eccleſiæ, tum urbis depromſimus. Aymarus obiiſſe dicitur die 9. Octobris anno 1528.

ANNI CHRISTI.

1524.

1527.

1528.

[a] Hac in eccleſia celebratæ ſunt ejus exſequiæ tantum die 26. Decembris anno 1523. Unde forte orta eorum ſententia qui ipſum volunt obiiſſe menſe Novembri, quam falſi revincent quæ mox ſumus dicturi.

LXXVIII. ANTONIUS.

DU PRAT.

Antonius de Prato cardinalis, ſedis apoſtolicæ legatus, Franciæ cancellarius, epiſcopus Meldenſis, poſtulatus eſt ſuffragiis capituli die 19. Octobris anno 1528. cumque regis conſenſu vel etiam juſſu, factus eſt epiſcopus Albienſis, aut adminiſtrator perpetuus. Anno 1529. die 25. Decembris per vicarium ſuum generalem recepit hominium a conſulibus, ex tabulis urbis & epiſcopatus, quibus nomen Antonii inſcribitur annis 1530. 1533. 1535. quo ex hac vita migravit die 9. Julii. De eo plura dicemus in Senonenſibus archiepiſcopis; huic enim præfuit eccleſiæ.

1528.

1529.

1533.

LXXIX. JOHANNES IV.

DE LORRAINE.

Johannes a Lotharingia cardinalis, epiſcopus Albienſis, varios item epiſcopatus adminiſtravit, Morinenſem, Valentinenſem, Metenſem, denique Narbonenſem archipræſulatum. De ipſo in adminiſtratione Albienſis eccleſiæ hæc pauca duntaxat notantur. Anno 1536. die 11. Novembris abbatiam Galliaci fieri ſecularem conſentit, ſibi reſervatis juribus epiſcopalibus, ac decani confirmatione. Anno 1548. 5. Septembris abbatiſſæ de Fargis, augendi ſui monaſterii tribuit facultatem. Mortalitati debitum perſolvit anno 1550.

1536.

Ex tab. Galliaci.

1548.

Ex tab. Annunciatarum Alb.

1550.

LXXX. LUDOVICUS III.

DE LORRAINE.

Ludovicus a Lotharingia cardinalis dictus de Guiſia, anno 1550. fit epiſcopus Albienſis ex Trecenſi, poſtea Senonenſis fuit archiepiſcopus. Tranſcripſit autem epiſcopatum Albienſem Laurentio Strozzi cardinali, retenta 9800. librarum penſione.

LXXXI. LAURENTIUS.

STROZZI.

Laurentio Strozzi nobili Florentino nihil deerat ſubſidiorum quibus ad ſummas eccleſiæ dignitates ſublevaretur. Nimirum Leonis papæ X. pronepos fuit; ejus enim pater Philippus Clariciam neptem hujus papæ duxerat; fratremque habebat Petrum Franciæ mareſcallum, regibus noſtris carum. Itaque creatus eſt cardinalis titulo S. Balbinæ; regioque beneficio factus eſt primum Biterrenſis epiſcopus, deinde Albienſis, accedente cardinalis a Guiſia reſignatione,

Digitized by Google

anno 1561. quo legimus in Albienſibus tabulis A
ANNI CHRISTI. Laurentium ſolemni ritu urbem ingreſſum eſſe
1561. die 6. Octob. & a conſulibus conſuetum ei præſti-
1562. tum eſſe hominium. An. 1562. menſe Aug. lit-
teras regiæ tutelæ obtinuit pro hac eccleſia ab
1563. Carolo IX. cui fidem juravit anno 1563. Ut au-
tem regi gratus erat, ipſum ſuum legatum fecit
1567. in Albigenſi pago. Anno 1567. permutavit epiſ-
copatum Albienſem cum abbatia Maſſilienſi S.
Victoris, in gratiam Philippi de Rodulfis Flo-
rentini. Quæ ſuperſunt dicenda de Laurentio
Strozzi require in epiſcopis Biterrenſibus, &
archiepiſcopis Aquenſibus, ad quam dignitatem
poſtremo aſcendit.

DE RODOLPHIS. LXXXII. PHILIPPUS.

Ad thronum Albienſem gradum fecit Phi-
lippo de Rodolfis Florentino ſanguinis propin-
quitas; erat enim filius ſororis Laurentii Stroz-
zi, qui in ejus gratiam ceſſit epiſcopatum Al-
bienſem, retenta eadem penſione 9800. libra-
rum, quam ipſe cardinali Guiſiano pollicitus
fuerat. Inſuper Philippus tranſtulit avunculo
ſuo abbatiam ſancti Victoris apud Maſſiliam,
cujus poſſidendæ facultatem acceperat a Caro-
lo rege, an. 1565. Erat autem diaconus & doc-
tor in Univerſitate Avenionenſi, quando acceſ-
ſit ad Albienſem cathedram, regio diplomate C
fretus, & bulla Pii papæ V. data nonis Februarii
1567. anno 1567. Poſſeſſionem adiit die 10. Junii anno
1568. 1568. ante ſuam conſecrationem, quam ei con-
tulit Dominicus Bigorre Albenſis epiſcopus, in
1569. eccleſia Fr. Minorum die 6. Nov. 1569. Eum-
dem Dominicum Bigorrum benedixiſſe Mar-
garitam de Biran abbatiſſam Luminis-Dei dioe-
ceſis Cadurcenſis 22. Februarii, anno 1573. in-
fra dicemus. Eodem anno Philippus ab aſſidua
commoratione diſpenſatur ad biennium, ratio-
ne ſuorum in academia Paduana ſtudiorum. In
Gallia Chriſtiana fratrum Gemell. legitur de-
1574. functus die 30. Junii, anno 1574. dicturque D
gentilis Rodulfi cardinalis archiep. Florentini.

DE MEDICIS. LXXXIII. JULIANUS.

Julianus de Medicis patria Florentinus, uti
duo præſules ſuperius commemorati, ex epiſco-
patu Biterrenſi ad archiepiſcopatum Aquenſem
transfertur, inde ad hanc ſedem evocatus eſt
per exceſſum Philippi de Rodulphis. Ejus vice
Matthæus Toſcanus vicarius interfuit concilio
1584. Bituricenſi 1584. defunctus eſt 28. Julii in mo-
naſterio S. Victoris Maſſilienſis, cujus erat ab-
bas, anno 1588. ubi ſepulchro conditus eſt.

D'ELBENE. LXXXIV. ALPHONSUS I.

Adeſt adhuc epiſcopus genere Florentinus,
quem pater Bartholomæus Florentiæ nobili ge-
nere ortus, Lugduni ſuſceperat, ubi in ec-
cleſia ſancti Pauli baptiſatus fuit. Altæ-com-
bæ abbatiam in Sabaudia anno 1560. obtinuit,
cui addita eſt abbatia de Maceriis in Burgun-
dia. A rege Henrico III. nominatus epiſcopus
1588. menſe Auguſto 1588. bullas obtinet a Sixto V.
ſummo pontifice, datas VII cal. Octobris 1589.
Decembri vero inſequenti poſſeſſionem adipiſ-
citur. Ei ſcriptis claro dicavit Petrus Rontar-
dus librum de arte poëtica, & Juſtus Lipſius
auctuarium veterum inſcriptionum; edidit au-
tem Alfonſus libros tres de regno Burgundiæ
Transjuranæ, de origine familiæ Ciſtercianæ,
necnon de Altæ-combæ, Stamedii, & S. Sulpitii
cœnobiorum fundatione, ac de comitibus To-
loſanis. Fato corripitur 8. Februarii anno 1608. 1608.
ſepultuſque eſt in choro eccleſiæ cathedralis,
cum hoc epitaphio quod ſibi pararat.

Hoſpitium oſſium & cinerum Alphonſi d'Elbene quondam epiſcopi Albienſis ad noviſſimum diem, faxit Deus ad gloriam. Veruntamen in imagine pertranſit homo. Homo vanitati ſimilis factus, dies B *ejus ſicut umbra præterierunt. Obiit anno 1608. die octava Februarii.*

D'ELBENE. LXXXV. ALFONSUS II.

Alphonſus Delbene Alfonſi ex fratre nepos,
abbas ſancti Petri Altivillarenſis diœceſis Re-
menſis, ſacri conſiſtorii aſſeſſor, ex archidiaco-
no Albienſi renuntiatus eſt epiſcopus nomina-
tione Henrici IV. conſecratuſque anno 1607.
demortuo patruo ſucceſſit 1608. Hic præſul in 1608.
propellendis hæreticis, & propugnandis catho-
licis paſtorem vigilantiſſimum & fortiſſimum ſe-
ſe oſtendit. Cœtui cleri generali Pariſienſi inter-
fuit 1625. Sed poſt aliquot annos, cum prop- 1625.
ter motus quibus Occitania ſub Henrico duce
Monmorentio Septimaniæ prorege turbata eſt,
e Gallia exceſſiſſet Alfonſus, Florentiam ſe re-
cepit, atque interim abſens ab epiſcopatu depo-
ſitus eſt. Defuncto tamen cardinali Richelio,
in comitiis generalibus cleri Gallicani an. 1645. 1645.
contra hanc depoſitionem reclamarunt epiſco-
pi, quam præter canones factam cauſabantur.
Reverſus ex Italia, Lutetiæ occubuit die nona
Januarii an. 1651. ætatis 71. ſepultus in eccleſia 1651.
Templi ordinis equitum Melitenſium.

DE DAILLON. LXXXVI. GASPARDUS.

Gaſpardus de Daillon ultimus Albienſium
epiſcopus, ex antiqua & nobili familia de Daillon
prognatus, parentes habuit Franciſcum comi-
tem Ludi, (quod oppidum nunc ducatus titulo in-
ſignitur) Andium ſeneſcallum, Gaſtonis-Johan-
nis-Baptiſtæ ducis Aurelianenſis, regis patrui
in adoleſcentia moderatorem; matrem Franciſ-
cam de Schomberg, Henrici comitis Nantolii,
Occitaniæ præfecti, & mareſcalli Franciæ ſoro-
rem. Nominatur primum Aginnenſis antiſtes a
Ludovico XIII. anno 1631. conſecratus eodem
anno 24. Auguſti in æde ſacra patrum Societa-
tis Jeſu vici S. Antonii a Johanne Franciſco
Gondio archiepiſcopo Pariſienſi, aſſiſtentibus
præſulibus Ægidio de Souvré Autiſſiodorenſi, &
E Stephano Puget Dardaniæ, poſtea Maſſilienſi
epiſcopis. Sequenti anno diœceſim adiit, & 10.
Auguſti magno honore Agenni excipitur: tum
ad Albienſem ſedem tranſlatus 26. Octobris, mu-
nitus bullis Urbani VIII. ſummi pontificis 1635.
v. calend. Februarii, quo anno epiſcopus aſ- 1635.
ſiſtens ab Urbano creatur 3. Julii, poſſeſſionem
accepit 17. Martii 1636. ac 20. Aprilis ſacramen-
tum præſtitit; ſolemni autem apparatu eccle-
ſiam ſuam invehitur 9. Martii 1637. Sub ejus 1637.
pontificatu moniales Viſitationis beatæ Mariæ
25. Martii 1638. Albigæ, Capucini vero apud
Cordes 27. Auguſti 1642. recipiuntur. Anno

ANNI CHRISTI.

1640. abbatia B. Mariæ de Caſtellariis diœceſis Pictavienſis donatus eſt. Feliciter demum ipſo annitente Henricus Sorbonius marchio de Malauſe, hæreticæ pravitati nuntium remittens, orthodoxæ fidei nomen ante obitum dedit 1647. 3. Octobris in eccleſia de las Greces diœceſis Albienſis. Anno 1662. rex Chriſtianiſſimus Gaſpardum ordinum ſuorum præceptorem ſeu commendatorem creavit. Obiit die 25. Julii anno 1676. Eo mortuo, eodem anno Albienſis eccleſia in archiepiſcopalem ac metropolitanam eſt erecta, rege poſtulante, ab Innocentio papa XI. ut jam diximus. Jacet hic ultimus epiſcopus in choro majoris eccleſiæ, ubi legitur hoc epitaphium.

1647. 1662. 1676.

A B

D. O. M.

Hic jacet Gaſpardus de Daillon du Lude epiſcopus Albienſis, reg. ord. commen. qui ſpreto magnifico funere, prohibita per ſupremas tabulas ſepulcrali mole, ſolas piorum preces expoſcit. Henricus de Daillon du Lude, dux & par Franciæ, reg. ordinis torquatus eques, ſummuſque rei tormentariæ in Gallia præfectus patruo de ſe optime merito, tumulum excitaſſet pro utriuſque dignitate, niſi voluntatem extincti quam ſuam ſequi maluiſſet, ratus optimam ergà mortuos pietatem, quæ voluerint meminiſſe, quæ mandaverint exſequi. Obiit 25. Julii anno 1676. ætatis 74.

ANNI CHRISTI

ARCHIEPISCOPI ALBIENSES.

I. HYACINTHUS.

Serroni.

HYacinthus Serroni patria Romanus, ordinis S. Dominici alumnus, fit epiſc. Arauſicanus anno 1646. favente præſertim cardinali Julio Mazarini, cui ipſius peritia, prudentiaque in agendis erant probe notæ. Ideo miſſus eſt in Cataloniam à rege Ludovico XIV. ut præfecturam tum ærarii, tum fori gereret in exercitu; & pace poſtea facta inter Galliam & Hiſpaniam, limites ſtatueret cum Petro de Marca Conferanenſi epiſcopo. Anno 1661 deſignatur à rege Chriſtianiſſimo epiſcopus Mimatenſis, tum primus archiepiſcopus Albienſis, menſe Aprili, an. 1676. die 7. Auguſti, hoc enim tempore, ut diximus, hæc ſedes metropolitana facta eſt. Obiit autem die 7. Januarii anno 1687. ætatis 70. Jacet in eccleſia Dominicanorum ſuburbii ſancti Germani apud Pariſios. Præter tres illas ſedes epiſcopales quas obtinuit ſucceſſive, abbatiam Caſæ-Dei ordinis ſancti Benedicti apud Arvernos celeberrimam poſſidebat. Laudatur ob fundata Mimati collegium & ſeminarium. De hoc antiſtite noſter Claudius Eſtiennot ſeriem abbatum Caſæ-Dei texens, non ineleganter ait: *Præſul eſt ſane eruditiſſimus & humaniſſimus, quique, ut cum Sidonio loquar, agit ſine ſuperbia nobilem, ſine invidia potentem, ſine ſuperſtitione religioſum, ſine jactantia litteratum, ſine aſperitate fortem, ſine popularitate communem.... fovendis litteris natus eſt, antiſtes cedro dignus, quem muſæ quas colit non ſinent mori.*

1676. 1687.

C D

l. 8. ep. 15.

II. CAROLUS.

le Goux.

Niſi nobis animo fixum ſederet immotumque, ſobrie admodum de præſulibus noſtræ Galliæ, quamdiu vivunt, loqui, ne vel eorum gratiam (quod abſit) aucupari videamur, vel ipſis oneri ſimus, laudes eorum tametſi debitas publicando: vix ullus ex omnibus eccleſiæ Gallicanæ antiſtitibus foret, quem in noſtra Gallia Chriſtiana celebrare magis aut averemus aut deberemus, quam Carolus le Goux de la Berchere; quippe quæ ipſi potiſſimum lucem quam tandem aſpicit debeat. Nam ut cognovit illuſtriſſimus hic primas non minus reipublicæ litterariæ, quam eccleſiæ princeps optimus, immenſo hoc fœtu concepto jamdudum nos parturire, de ſuſceptı operis utilitate, præſtantia, dignitate ad patres in comitiis generalibus congregatos an. 1710. qua maxime pollet facundia, retulit, perſuaſitque ſacro ſenatui, ut noſtros labores levare, conatuſque juvare non dedignaretur. Hæc ſane ſilentio prætcrire nec licebat, nec decebat. Nunc ad conſuetum narrandi modum redeamus.

E

Carolus le Goux de la Berchere, ex antiquiſſimo apud Burgundiones genere, quod nobilitas tum equeſtris, tum togata multis à ſeculis illuſtravit, ortus eſt. Pater ejus Petrus ſenatus Burgundiæ primum princeps poſt ſuum genitorem; deinde ſenatui Delphinatus eundem ſummum magiſtratum gerens præluxit: mater paris fere nobilitatis fuit Ludovica Joly. Piorum parentum juſſu in bonis moribus & litteris inſtitutus ab ipſa infantia Carolus, in virtutum ſtadio, in doctrinæ præſertim ſacræ ſtudio, brevi plurimum profecit, ut lauream doctoris in ſocietate Sorbonica nullus potiori jure ſit conſecutus. Factus regis Chriſtianiſſimi eleemoſynarius, innotuit ſtatim oculiſſimo principi, qui, ut eſt æquiſſimus meriti æſtimator, deſignavit eum Vaurenſem epiſcopum menſe Junio anno 1677. Anno 1685. vocatur ad Aquenſem metropolim. Paulo poſt, ſcilicet anno 1687. menſe Januario ad Albienſem cathedram. At nonniſi 12. Octob. anno 1693. collatus eſt ipſi novus hic archiepiſcopatus per bullas pontificias; ſtatimque paſtor vigilantiſſimus, diœceſim ſedulo viſitavit; ſtatuta ſynodalia condidit, atque à prædeceſſoribus ſuis edita typis mandari curavit, uti & propria ſanctorum eccleſiæ ſuæ officia. Eductis e Galliaco piiſſimis monialibus novum xenodochium à ſe conſtructum regendum commiſit. Sancti Clari primi Albienſium epiſcopi reliquias ex Burdigalenſi ſanctæ Eulaliæ eccleſia obtentas, & theca argentea incluſas Albienſi eccleſiæ donavit, conſecrato in honore ejuſdem ſancti ſacello in quo hæc legitur inſcriptio.

1687. 1693.

D. O. M.

Illuſtriſſimus ac reverendiſſimus in Chriſto pater D. D. Carolus le Goux de la Berchere archiepiſcopus & dominus Albienſis, pro ſingulari in divum

ANNI CHRISTI.

Clarum venerationem, hanc capellam ſancto martyri dicavit, & in ea miſſam qualibet feria IV. *hora ſeſqui-octava previo campanarum pulſu per dominos canonicos alternatim, inſervientibus duobus chori pueris celebrandam fundavit, qua finita ſacerdos & miniſtri pſalmum* de profundis *cum abſolutionibus & orationibus pro defunctis recitabunt, ut in inſtrumento fundationis declaratur. Fundavit inſuper quod diaconus quotidie ad miſſam conventualem, dum fit commemoratio vivorum, & poſt fundatoris obitum ad commemorationem defunctorum cantabit*; Memento Domine famuli tui Caroli, *& chorus unanimi voce reſpondebit*; Amen. *Anno Domini* MDCC. *die* XI. *Octobris.*

Mortuo denique cardinali Bonzio archiepiſcopo Narbonenſi, pro hoc archiepiſcopatu accepit ſchedulam regiam die 15. menſis Auguſti, anno 1703. Reliqua quæ ad hunc illuſtriſſimum archipræſulem ſpectant adjiciemus, quando de Narbonenſibus primatibus agendum erit.

ANNI CHRISTI.

III. HENRICUS.

de Neſmond.

Henricus de Neſmond ex epiſcopo Montalbanenſi anno 1703. die 15. Auguſti deſignatur archiepiſcopus Albienſis. Adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani anno 1710. quo etiam anno die 30. Junii adlectus eſt quadraginta viris academiæ Francicæ, in locum illuſtriſſimi viri Spiritus Flechier epiſcopi Nemauſenſis, cui eruditione & eloquentia non eſt impar. Anno ſequenti, cum ad alia comitia generalia conveniſſet, die 12. Julii orationem habuit ad regem Chriſtianiſſimum, totius cleri Gallicani nomine, in qua elucet cum ſolita eloquentia epiſcopalis libertas in exponendis cleri Gallicani ſecundi & inferioris ordinis calamitatibus. Adhuc præeſt, utinamque præſit ad longos annos.

1703.

PRÆPOSITI ALBIENSES.

EBRALDUS vel Epraldus anno 10. regnante Lothario rege, menſe Martio, teſtamentum condidit, quod infra exhibemus in Bernardo epiſcopo. Vide inter inſtrumenta chartam IV. Annus autem decimus Lotharii eſt annus Chriſti 963. aut 964.

Adalbertus præpoſitus tempore Amelii epiſcopi. Vide chartam VI. de conſtructione pontis temporibus Amelii.

Pontius præpoſitura fungebatur ſub Amblardo epiſcopo, hoc eſt circa 990.

Pontius ſub Frotardo I. & Guillelmo epiſcopis, regnantibus Henrico & Philippo regibus. Memoratur in charta X. de reformatione eccleſiæ Albienſis anno 1079.

Bernardus Stephani reperitur præpoſitus in veuſto inſtrumento abſque ulla temporis nota. Commemoratur in notitia de Viancio, cujus meminimus in Frotardo I. ex quo colligitur eum vixiſſe ſub Guillelmo Pictavino epiſcopo.

Raimundus anno 1130. bullam protectionis obtinuit ab Innocentio II.

Ex tab. S. Cæciliæ. Amblardus, cui Rigaldus epiſcopus factas a deceſſoribus donationes confirmavit.

Willelmus præpoſitus Albienſis anno 1144. ſubſcribit cum Rigaldo epiſcopo Albienſi chartæ Hatonis de Garenzas, &c. concedentium quaſdam decimas Moiſſiaco. Vide in Rigaldo epiſcopo.

Guillelmus 1160.

Guillelmus Petri 1175. & 1177. in recognitionibus. Anno 1177. Guillelmus Vordas ipſi & capitulo dedit omne jus quod habebat in leida carnis Albienſis. Comparet etiam in charta Candelienſi anno 1183.

Veſianus Ichardi (*Eſcharts*) præpoſitus in inſtrumento Guillelmi Petri epiſcopi de modo puniendi eos qui armis in aliquem animadverterent anno 1188. Subſcribit chartæ Guillelmi Petri epiſcopi, qua reddit capitulo ſancti Salvii facultatem ſibi præpoſitum eligendi. Vide inter inſtrumenta chartam XV.

Ademarus Guillelmi anno 1195 tranſigit cum Vitali Rogerii. Memoratur anno 1196. in litteris Guillelmi Petri epiſcopi Albienſis, quibus capitulo ſuo eccleſiam de *Lingars* concedit. Anno 1202. nonis Auguſti, nomine capituli, omnia jura eccleſiæ ac cœmeterii ſanctæ Martianæ dono recipit a Guillelmo Oalrici. Cum Geraldo abbate Aureliacenſi compoſuit an. 1204. Summa autem compoſitionis fuit quod Guillelmus epiſcopus volens abbatiam Viancenſem ab Aureliacenſium ſubjectione liberare, ceſſit abbati eccleſias beatæ Mariæ & beati Petri de Laval, eccleſiam beati Mauricii de Calm, & eccleſiam ſancti Nazarii, ſalvis ſynodis & paratis in eccleſia de Calm tantum, & procuratione epiſcopi in aliis. Abbas vero dimiſit, & penitus renuntiavit omnibus quæ ipſe & monachi Aureliacenſes habebant, vel habere debebant in eccleſia Viancenſi, & in omnibus pertinentiis, & quidquid pro eccleſia Viancenſi a præfato præpoſito & canonicis Albienſibus exigere poterant. Fato functus eſt anno 1205.

Ex tab. Eccl. Alb. Guillelmus Petri epiſcopus Albienſis poſt mortem Ademari ab univerſo capitulo ut optimus paſtor eligitur ſanctæ Cæciliæ præpoſitus, anno 1205. menſe Novembri. Anno 1206. paciſcitur cum Joanne Boter præceptore hoſpitalis del Vigua. Cum P. abbate Caſtrenſi ſocietatem iniit 1208. Eidem Bernardus Juvenis & Bego ejus frater reſtituunt quod injuſte poſſidebant in capellania beatæ Mariæ de Ambileto 1211. menſe Julio. Poſtea vero præpoſituram epiſcopatumque ſponte dimiſit.

Raimundus de Fraxinello, cui anno 1216. Guillelmus epiſcopus concedit eccleſias ſanctæ Mariæ de la Dreca & ſancti Salvatoris d'Avezac. Anno 1227. XVI. cal. Septembris quædam permutat jura cum Guillelmo epiſcopo. Idem Raimundus interfuit electioni Duranti Albienſis epiſcopi 1228. Plures eccleſias a Guillelmo Petri capitulo conceſſas, Duranto epiſcopo inde conquerenti ſponte reſtituit. An 1230. XVII.

Ibid.

ANNI CHRISTI.

cal. Octobris dedit Guillelmo abbati ſancti Pontii duas partes decimarum bladi de omnibus manſis de Cannac & de las Foreſts, &c.

Ibid. P. præpoſitus 1236. Duranto epiſcopo domos ſuper Tarnum fluvium in quibus ille habitabat, ad vitam indulſit VII. idus Jan.

Bernardus de Combreto 1239. cum Duranto epiſcopo tranſigit 1242. IV. cal. Julii. An. 1246. II. nonas Aprilis, habuit querelam adverſus Gaillardum de Rabaſtenx præpoſitum ſancti Salvii Albienſis, quæ amice compoſita eſt. An. 1253. pactum fecit cum eodem Gaillardo de Rabaſtenx, ſuper limitibus cimiteriorum ſancti Salvii, & ſanctæ Martianæ. Anno ſequenti Albienſis epiſcopus eligitur.

Ex tab. S. Salvii Albien.

Raymundus Hug. præpoſitus, & capitulum ſanctæ Cæciliæ Albienſis a Raymundo Oalric, & a Philippo filio ejus dono recipit quartam partem decimarum eccleſiæ ſancti Benedicti & S. Crucis, &c. IV. idus Julii anno 1256. Jam anno præcedenti titulo præpoſiti gaudebat.

Ex tab. S. Cæcilia Alb.

Raymundus de Fraxinello, an. 1257. decimas & alia jura capituli ſanctæ Cæciliæ in territorio de Falgairaco, permutat cum priore ſancti Affricani, pro decimis parochiæ S. Affricani. An. 1265. alia quædam jura Gauzberto præpoſito S. Salvii jure commutationis conceſſit. An. 1275. tranſigit cum Joanne Montis-fortis. Hac autem dignitate fruitus eſt ad annum ſaltem 1283.

Raymundus de Canalibus, gallice de Canals, decretorum doctor, tanquam præpoſitus Albienſis, hominium excepit a Bertrando Vaſſal filio Petri Vaſſal, equitis domini ſancti Iverii pro loco d'Avallats, & appendiciis VIII. cal. Febr. 1286. Idem nomine capituli XII. cal. Aprilis 1288. duobus canonicis conveniendi papam provinciam demandavit, ad inquirendum num vellet eccleſiam Albienſem in ſtatu regulari permanere, vel tranſire ad ſecularem.

Ibid.

Guillelmus de Monte-jovis 1290 cum Bernardo epiſcopo ſtatuta condit. Occurrit etiam annis 1291. 1294. 1296. An. 1297. VI. idus Januarii, Gerardum epiſcopum Sabin. Matthæum Portuenſem, &c. deprecatur ut juxta bullam Bonifacii papæ VIII. eccleſiam Albienſem ſecularem faciant.

Petrus de Roſſono quædam ſtatuiſſe reperitur 1299. Recenſetur 1300. in recognitione Bernardo epiſcopo facta a Guillelmo de Marciaco. An. 1303. V. idus Aprilis, decimas parœciarum ſancti Martini de Calmes & annexarum ejus, ſancti Germerii & ſancti Laurentii, recuperat a Petro vicecomite de Laurrec equite.

Extab. epiſc. Alb.

Iſarnus Briſſi 1332. An. 1338. 31. Januarii, ſede vacante electioni conſulum, atque conſiliariorum factæ a civibus interfuit, a quibus conſulibus & conſiliariis hominium recepit, feria tertia ante Cineres ejuſdem anni. Adhuc præerat anno 1339.

ANNI CHRISTI.

Ibid.

Raymundus de Roſiaco litteras de captione Johannis regis, Hugoni epiſcopo abſenti miſſas recepit 1356.

Raymundus de Fraiſſenel præpoſitus ſanctæ Cæciliæ Albienſis, nomine totius capituli dat ad feudum Geraldo de Cadole, & Pontio de ſancto Privato fratribus, &c. vicos del Capmas & del Terme, &c. ſub certis obligationibus. II. Octob. 1359.

Ex tab. S. Cæcilia Alb.

Petrus de Tornemira una cum capitulo excipit donationem Dominici epiſcopi ſancti Pontii 1386. Occurrit etiam 1392.

Gerardus de Regino legum doctor pontificio Martini V. diplomate dato X. cal. Januarii pontificatus anno 6. ſeu 1422. miſſus eſt in Gallias, ut Johannem Armaniaci comitem ſchiſmatis in Aquitania defenſorem & alios complures, pœnis eccleſiaſticis ex ſacrorum canonum præſcripto coërceret, apud Reginaldum to. XVIII. annal. eccleſ. ad an. 1422. ubi diploma integrum legere eſt.

Bernardus de Caſſilhaco præpoſitus Albienſis 1428. a capitulo Albienſi deputatur ad tractandum cum Jacobo Siciliæ rege, de fundatione miſſæ unius quam in eccleſia Albienſi, rex prædictus facere cupiebat. Item memoratur anno 13. pontificatus Martini V. qui tandem ex præpoſito electus eſt epiſcopus Albienſis an. 1434.

Heliondus Joffredi vir egregius, cujus anniverſarium celebratur II. Februarii.

Lobenſis Cumbas ſcriptor litterarum apoſtolicarum, & præpoſitus Albienſis conſignatus in libro obituum 29. Octobris.

Georgius Daillon 1574.

Johannes Vitalis juris utriuſque doctor 1587. 1598. & 1611. quo anno obiit 2. Septembris, ſepultus in ſacello ſancti Jacobi.

Antonius de Rouſſel, vicarius generalis & præpoſitus Albienſis 1620. 1621.

Raymundus Paſſient, vicarius generalis.

Franciſcus Carrier, vicarius generalis.

Benignus Brelet vicarius generalis, reſignavit, 1710.

Franciſcus Guilloteau baccalaureus in ſacra facultate Pariſienſi, vicarius generalis, & officialis Albienſis, 1710.

Unus nobis occurrit decanus, Guillelmus Bego dictus in notitia de Viancio, de qua locuti ſumus in Frotardo I.

DE ABBATIIS DIOECESIS ALBIENSIS.

ANtequam abbatiarum quæ adhuc exſtant brevem texamus hiſtoriam, operæ pretium eſt pauca de veteribus Albienſis pagi monaſteriis modo deſtructis præmittere.

Viancium, Vienx.

I. Omnium antiquiſſimum videtur eſſe *Viancium* S. Eugenii monaſterium, non procul Albia, & una leuca a Galliaco verſus ſeptentrionem. Quippe quod celeberrimus ille, ſanctiſſimuſque Chriſti confeſſor Eugenius epiſcopus, Carthaginenſis eccleſiæ decus, Wandalicæ perſecutionis procella jactatus, & in Galliam Narbonenſem actus, condidit ſeculo V. Patronos ſingulares habuit hoc cœnobium, ſanctos Eugenium, Amarandum, & Cariſſimam: ſed non ſolos fuiſſe probant

ANNI CHRISTI.

duo vetera monumenta infra edenda, ubi his sanctis adduntur *Centa sanctorum*. Vide quæ diximus in Amelio I. In testamento Raymundi Pontii comitis Tolosani, & Gothiæ marchionis, quod noster Mabillonius edidit libri de re dipl. pag. 572. quo plurima legavit monasteriis: inter illa enim recensetur monasterium sancti Eugenii de Viancio. Hanc abbatiam Pontius comes Albiensis, donavit ecclesiæ sanctæ Cæciliæ, hoc est Albiensi, *anno secundo, quo Ludovicus filius Lotharii, regnare cæpit*, post patris mortem, qui fuit Christi an. 1385. Tunc autem Viancii abbas erat Benedictus. Hoc cœnobium postea datum fuisse monachis Aureliacensibus supra observatum est in Amelio I. Albiensi episcopo, sed anno 1204. ecclesiæ Albiensi restituitur. De Viancio per simoniam vendito Aureliacensibus a Frotardo episcopo, exstat notitia seu potius libellus famosus, de quo in eodem episcopo.

Quamvis autem aliquandiu juris fuerit Aureliacensium, canonicos sanctæ Cæciliæ illum locum semper sibi vindicasse verisimile credo; unde inter cetera quæ sibi confirmari curarunt ab Innocentio II. bulla data an 1136. pontificatus ipsius VI. indictione 13. *ecclesia sancti Eugenii de Vico-Viantii* recensetur.

In monasterio sancti Eugenii ab initio monachos fuisse non dubitamus. Postea canonicos eorum locum accepisse multa infra dicenda suadent. Attamen cum subjecti erant Aureliacensibus, illos regulam sancti Benedicti secutos esse credimus. Nunc de abbatibus quæ occurrunt, videamus.

Adalardus vivebat tempore Mironis episcopi Albiensis cum quo fecit concambium, an. circiter 941. Vide chartam II. inter instrumenta. Paulo post dedit ad precariam, tertiam partem cujusdam bosci, homini nomine Guiraudo; ut docet sequens charta.

E* al. ubi eccles. Alb.

Placuit atque convenit inter venerabilem virum Adalardum abbatem Viancensis loco ecclesiæ sancti Eugenii, cum ceteris canonicis ibidem in Christo degentibus, ut aliquid de sylva ipsius ecclesiæ, in precaria donare debuissent, quod ita vero & fecerunt. Igitur namque dedit ipse abba Adalardus cum tertis * *canonicis ad alio homine nomeo Guirado, illa tertia parte de illo bosco de Lauro, qua Gariberga sancti Eugenii, vel Centa sanctorum donavit, & propter hoc donavit ipsius Guiraudus ad ipsa ecclesia S. Eugenii illo carta* * *parte de illo bosco de Lauro qua illi per parentorum suorum advenit, in ea vero ratione dum modo Guiradus vivit, istas duas partes de illo bosco de Lauro teneat, & post suum discessum sancti Eugenii remaneat, & est ipsius boscus jam dictus in pago Albiense, in ministerio Viancense, in aro* * *de Garzinia. De repetione vero sane si quis vos ipsi aut ullus homo fuerit, qui contra hanc carta precaria ista ire aut inquietare volueris, componat vobis quod lex est, cum stipulatione subnixa. Facta carta precaria ista sub die feria septima in mense Januarii, anno septimo regnante Ludovico rege. Signum Adalardi abbati, qui carta precaria ista scribere vel affirmare rogavit. Signum Aigulfi Causario. Signum Benedictus. Signum Ingberto Magefredus. Signum Saturninus. Signum Gaudentius.*

* ceteris.

* pro quarta.

* L. agro.

Donum hujus bosci de Lauro in sequenti continetur instrumento:

Quicumque aliquid ad alteri cesserit, profiteatur si rem tantum ecisset: hæc sunt causas gestas aut testas aut scriptura, aut bona voluntas per omne sufficiat. Ego enim igitur in Dei nomen Gariberga femina, cedo vel dono ad illa Casa-Dei sancti Eugenii, sancti Amarandi, sancti Cæsarii vel Centa sanctorum, illo bosco, qui dicitur Lauro, &c. facta carta, cessio ista, sub die feria quinta anno secundo, quod Radulfus rex cæpit regnare. Signum Gariberga, qui carta cessione ista scribere vel affirmare rogavit.

* hoc ab 914.

Benedictus abbas præerat Viancio an. 987. Vide quæ supra diximus.

Bernardus episcopus sive abbas sancti Eugenii legitur in veteri instrumento, cujus hæc sunt verba: *Placuit inter venerabilem virum nomine Bernardum episcopum sive abbatem cum suis canonicis in ecclesia sancti Eugenii degentibus, ut terra ad plantandum dare debuissent, quod & fecerunt. Dederunt namque ad aliquo homine nomen Bergando, & uxore sua Leutgardana aliquid de terra S. Joannis ad plantandum in pago Albiense, in ministerio Viencense, in loco qui dicitur Sicinio, &c. Facta carta plantaria ista sub die Mercoris mense Januarii anno 15. regnante Ludovico rege.*

II. Troclarense monasterium duplex erat, id est virorum & mulierum. Virorum cœnobium non longe a loco ubi habitabant moniales, abbatem habuit *Evancium*. Feminarum, quod præcipuum erat, conditur in pago Albigensi in loco amœno ad Tarnum fluvium a Chramlico S. Segolenæ patre, seu a S. Segolena, quæ non paucas virgines ibidem congregavit. Supra diximus S. Segolenam alteram patronam esse Albiensis ecclesiæ. Vide annales Mabillon tom. I. ad an. 696. num. 42.

Troclarense.

S. Segolena prima Troclarensis abbatissa florebat circa an. 770. obiit vero die XXIV. Julii, qui apud Albigenses celebris est.

Aliphia S. Segolenæ successit, qua regente anonymus quidam sanctæ hujus virginis æqualis, scripsit de ejus conversatione & transitu. Seculo XI. finiente parthenium illud Massiliensi sancti Victoris cœnobio subjicitur, quod Paschalis papa II. an. 1114. confirmavit.

III. Bella-cella monasterium pagi Albigensis memoratur inter illa plurima, quæ S. Benedicti Anianensis disciplinam receperunt. Conditum fuerat a Vilfario viro illustri, in honorem sancti Benedicti. Situm erat super fluvium *Aquotis* *. Huic cellæ Ludovicus imperator privilegium concessit, VII. idus Martii anno imperii 6. quo maxime caurum erat, ut abbatem sibi eligere possent hujus loci monachi. Hæc sufficiant de abbatiis, quæ non exstant amplius.

Bella-cella.

* Agous.

Abbatiæ quæ super sunt [a] hæc quatuor numerantur.

S. Salvii in urbe.
Galliaci ordinis S. Benedicti.
Candelium ordinis Cisterciensis.
S. Catharinæ ordinis S. Augustini fœm.

[a] De Castrensi quæ fuit olim diœcesis Albiensis, non loquimur, quia nunc erecta in sedem episcopalem facta est caput diœcesis.

ABBATIA

Abbatia S. Salvii Albiensis.

Ecclesia sancti Salvii olim abbatia, clericorum an monachorum nescimus, nunc celebris collegiata, post medium undecimum seculum Canonicis Regularibus sancti Augustini cessit; ex quo tempore nulla fit mentio abbatis, sed pater illius domus nomen prioris seu præpositi sibi assumsit, secundum consuetudinem Canonicorum Regularium seculi XI. Ut ut sit, insignis semper fuit ecclesia S. Salvii, ubi primi Albienses episcopi sunt sepulti, inter quos sanctus Salvius, cujus sacræ reliquiæ integræ ibidem adhuc servantur, caput in capsa pretiosissima & vetustatis venerandæ includitur, quæ a Raimundo Tolosano duce, ut constat ex inscriptione injuria temporum pene abrasa, fuit concessa; arcam vero qua teguntur ossa & cineres, dedit Ludovicus de Ambasia episcopus Albiensis. Porro in ecclesia sancti Salvii sunt duodecim canonici, præter præpositum, 21. vicarii, duo bedelli, & quatuor pueri chorales. Omnia beneficia, rectorias, prioratus, quæ a mensa capitulari dependent, præpositus confert pleno jure. In pontificalibus cum baculo & annulo pastorali celebrat. Vacante præpositura capitulum eligit unum e gremio, quem episcopus Albiensis confirmat.

Catalogus abbatum & præpositorum.

I. Deodatus I. abbas S. Salvii nominatur in charta donationis ecclesiæ de Monastier, factæ in manu Angelvini episcopi tempore Ludovici regis.

II. Gausbertus I. abbas S. Salvii in donatione Raimundi & Aimerici, facta in manu Mironis episcopi. Vide chartam III. inter instrumenta. *Pag. 3. col. 2.*

III. Anselmus ecclesiæ S. Salvii abbas vivebat tempore Amelii episcopi, hoc est circa an. 987. Vide chartam de constructione pontis Albiensis. *C. VI. pag. 4. col. 1.*

IV. Guitardus I. præpositus, anno 1. regnante Roberto rege.

V. Ademarus præpositus in instrumento cujusdam Remigii.

VI. Petrus I. præpositus, cujus tempore facta est donatio S. Salvio, Frotario Nemausensi episcopo, Guillelmo II. tunc in Albiensi cathedra sedente, ea lege ut canonici in communi viverent. Vide ch. IX. *pag. 5. col. 1.*

VII. Petrus II. Saxeti, præpositus sub Aldegario episcopo, recipit in canonicum regularem Sicarium filium Bernardi.

VIII. Guitardus II. præpositus, obtinuit a summo pontifice Calixto secundo privilegium pro monasterio, in quo recens vigebat regularis observantia, an. 1120. Nomen prioris ipsi solummodo tribuitur. Post obitum Guitardi vacavit ecclesia sancti Salvii 50. annis, & nimium desolatam eam instauravit novis statutis Guillelmus Petri ejusdem ecclesiæ canonicus, ipso anno quo Albiensis creatur episcopus, ut facile conjicitur. Statuta hæc lege inter instrumenta. *C. XIV. pag. 7. col. 1.*

IX. Gaillardus I. præpositus eligitur consentiente Guillelmo Petri episcopo, circa annum 1185. instrumentum electionis ejus vide. Præfuit usque ad annum 1193. ex diversis instrumentis. *C. XI. pag. 8. col. 2.*

X. Guillelmus I. Petri, episcopus Albiensis, præpositus eligitur, & regit an. 1212. & 1213.

XI. Raimundus I. del Portal ei successit, cujus fit mentio in chartis annorum 1215. 1216. Anno 1220 testis occurrit in transactione Guillelmi Petri cum Albiensibus, qua ipsis concessa est facultas testandi, & episcopo servatum jus in bona eorum, qui ab intestato decederent.

XII. Galhardus II. de Rabastens, cui an. 1227. G. episcopus Albiensis multa concessit jura. Præerat jam anno 1224. Anno 1242. transegit cum Duranto episcopo Albiensi. An. 1246. cum B. de Combreto præposito S. Cæciliæ litem composuit. Occurrit in diversis instrumentis ad an. 1252. ex quibus colligitur eum multum insudasse in administratione ecclesiæ S. Salvii. Hunc præpositum conjicimus novæ ecclesiæ constructioni operam navasse; anno enim 1257. frater Vivianus episcopus Ruthenensis, litteras scripsit hortatorias, ut eleemosynas procuraret pro constructione ecclesiæ sancti Salvii, quæ miro opere ac sumtuoso inchoata fuerat.

XIII. Gausbertus II. de Lescura præerat annis 1263. 1264. 1265.

XIV. Petrus III. de la Cauna successit an. 1265. Anno 1270. ipse & canonici, in capitulo S. Salvii congregati deliberaverunt de claustro ædificando: præpositus promisit decem libras Caturcenses singulis annis solvendas in festo omnium sanctorum, usque ad finem operis; canonici vero decimam partem suorum reddituum & fructuum. Anno 1276. recepit hominium Philippi Oalrici de omnibus censibus, quos possidebat in parochiis sancti Africani & S. Martianæ.

XV. Bego I. Borterii, præpositus sæpius occurrit ab anno 1278. ad annum 1303. quo Jordanus de Salvanaco, filius & heres Petri de Salvanaco de Rabastens, ipsi dimisit decimas quas habebat in ecclesia sancti Andreæ de Marens. De eo vide in Arnaldo Vascone abbate Candelii, anno 1283.

XVI. Amelius Vassali præerat anno 1309.

XVII. Petrus IV. Borserii, decretorum doctor & præpositus sancti Salvii, anno 1322.

XVIII. Raterius de Penna an. 1334. quo scilicet, die quarta ante calendas Martii, Petrus episcopus Albiensis post solemnem ingressum audita missa, visitavit ecclesiam S. Salvii, & coram altari, præsente præposito, testatus est id se fecisse absque ullo privilegiorum sancti Salvii detrimento. Anno 1340. instituit syndicos generales monasterii, & anno sequenti obtinuit a rege Philippo litteras quibus confirmabantur privilegia sancti Salvii; quarum auctoritate an. 1343. collocavit *Penuncellum* regium in peyro cimiterii sancti Salvii, quo canonici convenire solebant in Ramis Palmarum & in Rogationibus, ibi deponentes sanctas reliquias, in signum salvæ gardiæ, & pro juris dicti monasterii conservatione. Præerat adhuc anno 1352.

XIX. Andreas Viguier anno 1359.

XX. Petrus V. de Lauzeto anno 1362. indulsit

Digitized by Google

conſulibus & incolis Albienſibus, ut certis horis A pro ſecuritate & defenſione, pulſaretur quoddam cymbalum in campanili ſancti Salvii, quotieſcumque ad excubias accederetur, aut inde recederetur, ut alias ordinatum fuerat tempore bellorum. Memoratur adhuc anno 1375.

XXI. Petrus VI. de Scureto (forte de Secureto) in inſtrumento anni 1377.

XXII. Guillelmus II. præpoſitus ſancti Salvii, licentiatus in decretis, præerat anno 1388.

XXIII. Raimundus II. Guarinus, an. 1405.

XXIV. Petrus VII. Amelii, obiit an. 1436.

XXV. Raimundus III. Laureti, electus eſt B & promotus anno 1436. Inſcribitur publicis actis adhuc anno 1439.

XXVI. Jacobus I. Laureti, præpoſitus erat anno 1456. quo ceſſit ſequenti.

XXVII. Bego II. Montanha prior de Cuniculis in diœceſi Albienſi, & Canonicus Regularis obtinuit bullas pro ſua promotione, x. cal. Junii an. 1456. Præfuiſſe legitur an. 1463. Obiit 1477.

XXVIII. Pontius de Podio electus an. 1477. an. 1485. procuratores creavit, ad præſtandum hominium Johanni de Veſins baroni & vicecomiti de Lautrec. An. 1489. cum epiſcopo Albienſi Ludovico mota diſcordia eſt, quod Pontius & C canonici ſancti Salvii nollent expellere ancillas; qua de re Innocentius VIII. delegavit præpoſitum Toloſanum, & alios probos viros, qui de controverſia judicarent.

XXIX. Raimundus IV. Ycherii, electus eſt anno 1490. Anno 1493. canonici S. Salvii ad quindecim reducuntur.

XXX. Geraldus I. Boyſſerie præerat an. 1497.

XXXI. Johannes Iſarni anno 1499. quo circiter tempore magna fuit contentio de præpoſitura; ignoramus vero quis ejus fuerit exitus.

XXXII. Ludovicus I. Iſarni, præpoſitus anno 1504. D

XXXIII. Geraldus II. Boyſſerie iniit poſſeſſionem 7. Februarii an. 1505.

XXXIV. Deodatus II. Iſarni, jurium profeſſor an. 1505. Anno ſequenti obtinuit a Julio II. pontificatus ejuſdem anno 2. bullas confirmationis privilegiorum, quæ olim Alexander VI. & Innocentius VIII. conceſſerant.

XXXV. Hoc loco ponendum putamus Helyonem de Jaufroy, qui fundavit Cartuſiam Ruthenenſem, & moniales Annunciatas ſub Franciſco de Stagno epiſcopo Ruthenenſi. Vide in hoc epiſc.

XXXVI. Claudius de Mondor abbas Fene- E rarii, ordinis Ciſtercienſis in Arvernia, archidiaconus Albienſis, canonicus & comes Lugdunenſis, præpoſitus ſancti Salvii, præerat anno 1513. quo ſcilicet VI. idus Martii obtinuerunt canonici ſancti Salvii bullam ſecularisationis. Præerat adhuc anno 1541.

XXXVII. Jacobus II. du Faur, abbas Caſæ-Dei, & præpoſitus ſancti Salvii, an. 1551.

XXXVIII. Georgius d'Armagnac, cardinalis, archiep. Toloſanus, & præpoſitus S. Salvii 1564.

XXXIX. Jacobus III. de Villemur præerat anno 1565.

XL. Petrus VII. Armay, præpoſitus ſancti Salvii annis 1597. 1599.

XLI. Petrus VIII. Mouret 1598. fortaſſe contendebat de præpoſitura cum præcedenti.

XLII. Alphonſus I. d'Elbene epiſcopus Albienſis, & præpoſitus ſancti Salvii, 1610.

XLIII. Alphonſus II. d'Elbene præcedentis nepos 1640.

XLIV. Ludovicus II. Manchaud 1643.

XLV. Jacobus IV. Cardon 1661.

XLVI. Hieronymus Franciſcus de Cardon 1691. hactenus præeſt.

Abbatia Galliacensis.

GAlliacum nobile eſt Albienſis diœceſis monaſterium ad Tarnim fluvium, ubi occaſione cœnobii accrevit oppidum, quod inter ſex nobilia caſtra hujus pagi recenſet Petrus Vallium-Cernaii monachus hiſt. Albigenſium c. 54. In urbe jus olim omne habuerunt abbas & monachi Galliacenſes, quod poſtea regi ceſſerunt, retenta quarta dumtaxat parte. Aliud eſt a Galliaco pagi Caturcini, ubi Pipinus rex monaſterium in honorem ſancti Quintini condiderat. Vide Mabillon. in annalibus, ad an. 812. num 3. Recentius videtur Galliacenſe Albienſis diœceſis cœnobium in honorem ſancti Michaëlis fundatum; ejus enim mentio non occurrit ante annum circiter 960. ad quem pertinere putat Mabillonius teſtamentum Raimundi Pontii comitis Toloſani, qui cœnobii fundator eſt cum Froterio Albienſi epiſcopo. Hic præſul eccleſiam Galliacenſem conſecravit, anno 972. præſentibus Fulcranno Lutevenſi epiſcopo, & Regimundo, ſeu Raimundo comite, ejuſque uxore Gerſendi. Vide quam dedimus hujus dedicationis chartam ſeu litteras Froterii epiſcopi, *C. V. pag. 3. col. 2.* ubi quam beneficus, imo magnificus, fuerit hic epiſcopus, erga recens conditum cœnobium deſcribitur. Regulam ſancti Benedicti obſervatam fuiſſe Galliaci ab exordio in confeſſo eſt apud omnes; cujus obſervantia cum forſan intepuiſſet, ſubjectum fuit aliquandiu Caſæ-Dei apud Arvernos, tempore Seguini III. loci hujus abbatis, circa an. 1079. uti diſcimus ex bulla Paſchalis II. data Laterani nonis Decembr. ind. 1. an. 1107. Anno autem 1534. monachi jugum regulæ ſanctæ excutere volentes, ad Paulum papam III. acceſſerunt, poſtulantes ut ad ſtatum canonicorum ſecularium tranſire ſibi liceret. Annuit pontifex, conſentientemque rege bullam ea de re dedit. Johannes a Lotharingia epiſcopus Albienſis conſenſum quoque præbuit litteris datis die 11. Novembris an. 1536. Collegium conſtat abbate ſeculari, decano, duodecim canonicis, quatuor hebdomadariis, decem præbendariis, duobus clericis, ſymphoniaſte qui quatuor pueros chori muſicen docet. Nunc ſeriem abbatum exhibeamus, quos collegimus ex variis tum cœnobii, tum eccleſiæ Albienſis, aliarumque tabulariis.

I. Robertus I. regebat anno 972. adfuitque cum Raimundus comes Toloſanus, immunitatem conceſſit monaſterio, *an. XXI. regnante Ludovico a rege Francorum.* Aderat etiam donationi Viancienſis abbatiæ, factæ eccleſiæ S. Cæ-

a Hunc regem conficimus fuiſſe Ludovicum V. qui cum patre Lothario pluſquam 21. annis regnavit.

ciliæ Albienſi, an. 2. quo Ludovicus filius Lotharii regnare cœpit, ſcilicet poſt mortem patris, hoc eſt an. 987. Vide Catel. hiſt. com. Tol. In quibuſdam ſchedis ad nos miſſis Bernardus ponitur abbas an. 1130. ſed nullum laudatur inſtrumentum, ex quo id erutum ſit. *Pag. 57.*

II. Robertus II. an. 1168. quo ipſius conſenſu Petrus de Candels monachus Galliaci, donationem facit Guidoni abbati Candelii.

III. Enricus vel Henricus abbas Galliac. ſubſcribit judicio lato adverſus Albigenſes hæreticos in concilio Lumbarienſi an. 1176. Vide tom. X. concil. *Ex tab. Candelu.,*

IV. Guilabertus an. 1212. juravit obedientiam Guillelmo Petri epiſcopo Albienſi, & capitulo, & anno 1218. obtulit eidem præſuli Pontiam Veteris-muri abbatiſſam benedicendam, aut ſacramentum præſtituram. *Ex tabul. S. Cæciliæ Alb.*

V. Arnaldus I. præerat an. 1224. *Ibid.*

VI. Raimundus I. tranſigit cum Duranto Albienſi antiſtite anno 1229. & anno 1231. cum Raimundo Toloſano comite, ſequeſtris Duranto Albienſi epiſcopo, & Geraldo abbate Caſæ-Dei *de la Caſedieu* ſuper dominio & juriſdictione urbis Galliaci, III. idus Octob. 1231. quo etiam anno teſtis eſt in compoſitione inter Albertum Aureoli Montis-Albani abbatem, & R. comitem Toloſanum. *Ex tab. Galliac. & PP. Soc. Jeſu Toloſ.*

VII. Arnaldus II. electus judex an. 1243. compoſuit litem inter nobilem dominam Marquiſiam, & priorem conventumque S. Liberatæ (*S. Livrade*) in pago Aginnenſi.

VIII. Arnaldus III. inquiſitor hæreſeos an. 1255. mediator fuit fœderis initi inter Arnaldum Bernardi de Villamur, & priorem ac conventum S. Liberatæ ſuper dominio oppidi. Eodem anno acquirit oblias & paxerias de cruce.

IX. Bernardus I. de Riom an. 1263. obedientiam promittit Bernardo de Combreto Albienſi epiſcopo, aſtantibus Petro Bermundo abbate Montis-Albani, & A....* abbate Bonifontis. An. 1266. fer. 2. poſt feſtum S. Hilarii paciſcitur cum Alfonſo comite Pictav. & Toloſano, cui etiam eodem an. & Johannæ comitiſſæ uxori ejus dimittit hominium, quo ratione dominii, jurium ac poſſeſſionum quas habebant in Galliaco, erga ipſum tenebantur, ſalvo tamen jure ſucceſſorum. An. 1269. XIII. cal. Junii, teſtis eſt hominii, quod Beraldus de Anduſia exhibuit Albienſi epiſcopo Bernardo. Statuta pro urbe a quatuordecim viris prudentibus condita promulgavit, & ſua auctoritate munivit an. 1271. die Dominica in feſto ſanctæ Luciæ. An. 1277. III. cal. Junii, vacabat abbatia.

X. Petrus I. electus eſt in abbatem an. 1277. contra quem jaculum excommunicationis vibrat VI. idus Febr. ejuſdem an. Bernardus epiſcopus cognominatus de Caſtaneto, quod ſuam electionem ab ipſo confirmari petere neglexiſſet. Petrus abbas Galliaci memoratur an. 1285. in veteribus inſtrumentis Albienſibus.

XI. Bernardus II. an. 1285. diploma obtinet a Philippo rege, ad aſſerendam & confirmandam bonorum poſſeſſionem. Eſtiennot.

XII. Raimundus II. de Roquecor, ex monacho Caſæ-Dei abbas Galliaci, deinde primus epiſcopus Sarlatenſis an. 1318. ex hiſt. MS. Caſæ-Dei, ſed in tab. urbis Galliaci hic abbas appellatur Raimundus Bernardi de Aſperomonte, qui tranſigit cum conſulibus & civibus præfatæ urbis, tali ratione ut ab illis nihil exigere queat pro defunctorum exequiis. Actum feria quinta poſt inventionem ſanctæ Crucis 1311. Forte tamen duo ſunt abbates; tuncque Raimundus Bernardi præcedere debet alterum. *Ex tab. urbis*

XIII. Armandus de Monte Levardo, *al.* Arnaldus, Raimundo ſubrogatur. An. 1311. litigavit cum Beraldo Albienſi epiſcopo, ſed eorum controverſia ſopita eſt menſe Novembri hujus an. Vide in Beraldo Albienſi epiſcopo.

XIV. Guido ex ſacriſta Galliaci fit abbas, bulla Johannis papæ XXII. data VIII. cal. Julii, an. 5. ejus pontificatus, vel potius an. 9. ut alicubi legimus, an. Chriſti 1324. Bullâ dat ei titulum bacchalaurei in decretis. Conjicimus eum eſſe Hugonem ex priore S. Mafredi de Burniquello ordinis Cluniac. abbatem Galliacenſem, circa id tempus, nonnullis ex chartis. *Guigo* ſæpe legitur in MSS. pro *Guido* & omiſſa littera G. *Vigo*, mutatus eſt in *Ugo*, & *Hugo*.

XV. Bonifacius tempore Taleirandi cardinalis, an. 1342.

XVI. Arnaldus IV. de Falgario an. 1357. in veteri inſtrumento Abundantiæ Dei, ſeu parthenonis Salanquiarum: memoraturque adhuc in tab. eccleſiæ Albienſis an. 1363. Is erat ſimul prior S. Liberatæ 1352. 1355. 1357. Diſſimulare tamen non poſſum in antiquitatibus Benedict. noſtri Claudii Eſtiennot, Arnaldum, omiſſo Bonifacio, ſuffectum Guidoni dici, ac rexiſſe uſque ad an. 10. Innocentii papæ VI. ſeu Chriſti 1361. aut 1362. Poſt Arnaldum D. Claudius Eſtiennot ponit Guillelmum e priore de Laura, bulla Innocentii VI. creatum abbatem, an. 10. ejus pontificatus. Unde conſequens videtur Arnaldum minime ſediſſe ad an. 1363. ſed nihil vetat dicere, eodem tempore quo aliqui electi ſunt abbates fratrum ſuffragiis, alios bullis pontificiis fuiſſe inſtitutos.

XVII. Rogerus de Turre an. 1377. hominium exhibet regi. Adhuc ſedebat an. 1393. *Ex archiv. regio Carcaſſon.*

XVIII. Raimundus III. an. 1406.

XIX. Andreas an. 1409. adfuit concilio Piſano. An. 1410. occurrit in veteri Albienſis eccleſiæ inſtrumento.

XX. Hugo de Pererio decretorum doctor, an. 1418. poſtea fit abbas Craſſenſis an. 1431.

XXI. Bernardus III. Larroque an. 1435. & 1437. moritur 1438.

XXII. Franciſcus de Rapiſtagno, *Rabaſteins*, ex nobili gente non longe a Galliaco, eligitur abbas an. 1438. obiit 1458.

XXIII. Petrus II. de Caramanno, genere illuſtri pagi Toloſani, abbas ſeu adminiſtrator perpetuus Galliaci, abbas etiam Moiſſiacenſis, habuit litem adverſus Johannem cardinalem tituli S. Martini in Montibus epiſcopum Albienſem, ſuper jure viſitationis in dictum monaſterium, quod curiæ ſupremæ Toloſanæ edicto, cardinali prædicto confirmatur I. Februarii 1470. in cujus exſecutionem Bremundus de S.

* *al.* Aſtruco abb. Bonæ-combæ. *Ex tab. S. Cæciliæ Alb.*

Ex tab. PP. Societ. Jeſu Toloſ.

Ex tab. ep. Alb.

Felix dictæ curiæ ſenator, rei geſtæ acta conſcripſit menſe Auguſto. 1471. ubi habetur quod olim quidem iſtud monaſterium dependeret a monaſterio Caſæ-Dei. Præfuit uſque ad annum circiter 1490. ex noſtro Claudio Eſtiennot. In commentariis domeſticis tamen legitur reſignaſſe nepoti ſuo Bernardo de Caramanno, an. 1484.

XXIV. Bernardus IV. de Caramanno ex proſapia vicecomitum, ex utroque parente, clericus Carcaſſonenſis, monaſterium reformare nititur. Vixiſſe ad an. 1506. legitur apud noſtrum Claudium Eſtiennot.

XXV. Clemens Cherny *al.* Cherin dicitur electus abbas an. 1514. An. 1528. poſtulatur abbas Villæ-magnæ a nonnullis monachis, aliis reluctantibus, quibus cedere cogitur.

XXVI. Bermundus Siguier, primus abbas ſecularis ſuperſtes uſque ad an. 1537. Ipſe & capitulum, poſtquam hujus abbatiæ ex regulari ordinis S. Benedicti in ſecularem tranſlatio promulgata eſt, ſtatuta condita de forma ſacramenti abbatis, & præcipuorum canonicorum, de officiis divinis, deque ordinibus in choro tenendis, in capitulo publicaverunt 11. Maii 1537. Jacet in eccleſia parochiali de Florentino diœceſis Albienſis, ubi inſignia ejus exhibent leonem & tres conchas.

Ex tab. monaſterii.

XXVII. Johannes Marfredus de Vicinis, 1540. 1544.

XXVIII. Ægidius de Lomania 1555.

XXIX. Carolus de Peyruſſe d'Eſcars epiſcopus Pictavienſis, & Lingonenſis, abbas commendatarius an. 1561. & 1583.

XXX. Urbanus de Aſpectu, *d'Aſpet*, ſedit an. 1600. & 1614.

XXXI. Johannes Jacobus de Chevry, an. 1615. & 1634.

XXXII. Claudius de Maunourry Nivernis ortus, magiſter libellorum ſupplicum, ab an. 1634. ad 1670. Huic abbati debet Galliacum ſuum priſtinum decus.

XXXIII. Ferdinandus Vallot archiatri regis Chriſtianiſſimi filius, doctor Sorbonæ, & in ſenatu Pariſienſi conſiliarius, canonicus eccleſiæ Pariſienſis, abbas Sparnacenſis, ab an. 1670.

Johannes Claudius de la Poëppe de Vertrieux, epiſcopus Pictavienſis an. 1709.

CANDELIUM.

Candelium ordinis Ciſtercienſis abbatia, filia Grandis-ſilvæ, conditur a Raimundo comite Toloſano, ut tradunt, docetque diploma Gregorii IX. aut a Guirando Becci & Guillelmo de Grava pagi hujus proceribus, qui prædia & nemora ad hujus monaſterii conſtructionem & fundationem dederunt Alexandro abbati Grandis-ſilvæ, ex militum illorum litteris, in tab. Candelii deſcriptis. Annus autem fundationis aſſignatur 1152. Cum in bellicis Albigenſium tumultibus hoc monaſterium multa paſſum eſſet detrimenta a Raimundo comite Toloſano, hic comes coactus eſt a Romano S. Rom. eccleſ. cardinali, ducentas marchas ſolvere ad ſarta recta facienda. Abbatum ſeriem deſcripſimus ex antiquitatibus Benedictinis D. Claudii Eſtiennot, qui chartas monaſterii ſedulo inſpexit. Eo etiam perrexit D. Edmundus Martenne cum ſocio ſuo D. Urſino Durand, tabularii explorandi cauſa; ſed non licuit per ſenem abbatem, hominem utique ſuſpicioſum. Plurima tamen in alienis chartis occurrerunt, ex quibus pene integrum abbatum catalogum hic damus.

I. Abbas nomine Guillelmus, ex monacho Grandis-ſilvæ conſtituitur ab Alexandro abbate, cui inſcribitur charta Guirandi & Guillelmi nobilium virorum, quorum ſupra meminimus, quæ data legitur an. 1150. quo tempore vix inchoatum illud aſceterium. Obiit III. idus Octobris ex necrologii fragmento, incerto anno.

II. Gauſbertus præerat an. 1153. 56. 57. 59. ex variis donationibus, & 1164. quo Raymundus Trincavellus vicecomes *de Bezers* & uxor ejus Saura, & filius Rogerius dederunt Deo, & S. Mariæ de Candelio, ac Gauſberto abbati, &c. omnem honorem del Soler &c. Statim ac electus eſt, obedientiam promiſit Rigaldo epiſcopo Albienſi. *Ex chartul. Eccl. Alb.*

III. Guido I. an. 1168. jam ſedebat; etenim in ejus manu Petrus de Cavanaco dedit hoc anno medietatem manſi *de Monſcobou*. An. 1171. Petrus de Rabaſtens ceſſit eidem Guidoni id quod habebat in decima parochiæ Candelii. Præcipui benefactores in chartis ejus tempore commemorati, fuerunt Pontius de la Mote, Bernardus de Terrat, Sicardus de Lautrec, Arnaldus de Monte-acuto. An. 1170. ipſi Guillelmus epiſcopus Albienſis, tum acquiſita tum acquirenda in diœceſi Albienſi, confirmat. *Tab. Candelii.*

Petrus I. de Narbona anno 1176. interfuiſſe dicitur Lumbarienſi concilio habito adverſus Albigenſes. Ex actis quidem liquet abbatem Candelienſem huc convenïſſe: at ſiletur ejus nomen, & pene certum videtur pro hoc Petro admittendum eſſe Guillelmum.

IV. Guillelmus II. ex chartis ſedebat jam anno 1174. quo Pontius Guillelmi de Graulhet, ipſi ceſſit ſuum jus in molendino de la Breſſalla, &c. *Ibid.*

V. Stephanus eodem anno accipit ab Iſarno Bernardi, Petro Raimundi, Bernardo de Monte-acuto, Raimundo Bernardi, & eorum ſorore, quidquid habebant in parœcia del Vigan pro 28. ſolidis Melgor. Hoc ipſo an. 1174. Petrus de Turre ipſi cedit quidquid habebat in honore de Martina. Eodem an. VI. idus Januarii quædam ei donant Petrus Rigaldi, ejuſque fratres. *Ibid.*

Anno 1175. Armandus Moiſſic cedit quidquid habebat in manſo de la Lavallada. *Ibid.*

VI. Guido II. an. 1177. accepit a Guillelmo Stephano de Graulhet donum terræ del Claſel.

VII. Guillelmus III. ſedebat ab an. 1177. ad 1181. quo donum accepit a Bernardo de Candels. Alii benefactores monaſterii ſunt Flora ſoror Petri de Rabaſtens, & Petrus Carboneli ejus maritus, Petrus de Cavanac, Guirauda ſoror Guilaberti de Cabanes, ipſe Guilabertus, qui an. 1187. dedit jus paſcuorum in omnibus agris ſuis.

VIII. Aimericus inſcribitur chartis ab an. 1181. uſque ad 1191. Expertus eſt benefícos in monaſterium plurimos milites ſupra deſignatos, inſuperque Guillelmum Raimaldi, Adema-

rum de Belpoi, Pontium Ademari & Raimundum Ademari fratres, Bernardum de Cadalon, Raimundum Amelii, Amblardum d'Auſſac. &c. Anno 1192. judex eligitur cum Ermengaudo abbate ſancti Pontii, inter Willelmum epiſcopum Albienſem, & Berengarium abbatem Villæ-magnæ, ſuper eccleſiis ſancti Gervaſii, ſancti Petri de Neyrano, &c. contendentes.

Ex tab. Villa-magnæ.

IX. Guillelmus IV. probatur ſediſſe anno 1194. ex dono ipſi facto a Bertrando Rigaldi de Cadalon, & Raimundo Amelii fratribus.

X. Sicardus abbas Candelii inſcribitur chartis anno 1195. A Bertrando de Moneſtier, & Bermunda ſorore ejus dono accipit vicos d'Elbes & Montinal, cum appenditiis pro 1300. ſol. Melgor. menſe Maio 1196. Item an. 1197. menſe Novembri eccleſiam ſancti Johannis de Altaripa a Sicardo Sayſſet. Raimunda filia Bernardi de Candels, ejuſque vir Guiraudus Pelliciers, quædam contulerant anno 1196.

Ex tabul. monaſterii.

XI. Petrus II. abbas Candelii tota Pontii de Solomiac familia donatur a Guillelmo de Berginac XVIII. cal. Decembris * 1203. Eodem anno a Petro Ermengaud donationem accipit.

Ibid.

** v. cal. Martii.*

XII. Raimundus I. abbas Candelii tranſigit cum Pontio de la Calm. anno 1206. Petrus de Rabaſteins ei remittit omne jus quod ſibi vindicare poſſet in monaſterium, ratione dominii de Graulet, ſolutis 200. ſolid. Toloſan. an. 1208.

Ibid.

XIII. Bernardus I. abbas Candelii Guillelmum in monachum ſuſcipit; qui omnia ſua bona tam mobilia quam immobilia tradit monaſterio XVIII. cal. Octobris 1209.

Ibid.

XIV. Petrus III. abbas Candelii a Raimundo Rogerio vicecomite Biterr. in tutelam ſuſcipitur, pluraque jura ab eo recipit menſe Novembri 1211.

Ibid.

XV. Bernardus II. Ugonis abbas Candelii teſtis eſt eodem an. 1211. donationis factæ monaſterio Bonæ-cumbæ a Varſo de Calmont, forte idem qui ſequitur.

Ex tab. Bonæ-cumbæ.

XVI. Bernardus anno 1211. accepit a Guillelmo Albienſi epiſcopo confirmationem eccleſiarum de Lozer, de Alta-ripa, de Colvinhas, de Candelio veteri, de Bezellis, del Viga. Adhuc ſedebat anno 1217. A Petro de Rabaſtens dono accipit quidquid habebat in parœcia ſancti Raphaëlis & Candelii, & in manſo montis Biooc. menſe Julio 1216.

Ex tabul. monaſterii.

Ibid.

XVII. Petrus IV. *al.* Joannes Eſumbelli abbas Candelii, ſacramentum præſtat Guillelmo Petri epiſcopo & capitulo Albienſi an. 1219. *al.* 1218. In chartul. Candel. alicubi legitur *Eſcumbelli.*

Ex tab. S. Cæciliæ Alb. & Candelæ.

XVIII. Sicardus abbas Candelii donationem accipit a Bertrando de la Mote anno 1222. In ipſa charta habetur G. Sicard *lo prior.*

Ex tab. Candel.

XIX. B. de Montelauro abbas Candelii, donum recipit a R. duce Narbonenſi, comite Toloſano, marchione Provinciæ, filio reginæ Johannæ, abſque nota temporis in inſtrumento Candelii apud bibliothecam Colbert. in capite tamen paginæ ſignatur annus 1222. A Bernardo Ademar d'Alby decimas & alia jura eccleſiæ ſancti Raphaëlis dono accipit anno 1225. Anno 1226. B. de Montelauro abbas Candelii menſe Martio donum recipit a Guillelmo Ademari de Graulheto. Querelam inter D. * epiſcopum Albienſem, & G. * præpoſitum, & capitulum ſancti Salvii Albienſis, ſuper decimis eccleſiarum ſancti Martini de Lombertio, & ſancti Martini de Leſpinaſſa, &c. ut ſequeſter cum P. canonico Brivatenſi dirimit menſe Februario 1229. Anno ſequenti XIV. cal. Novembris adfuit condemnationi trium canonicorum S. Salvii, quorum unus e domo ſancti Salvii expulſus eſt, aliis ablatum jus ſuffragii in capitulo. An. 1230. paciſcitur cum Raimundo Ademaro de Berens. B. abbas Candelii legitur idibus Decembris 1231. quo ipſum in tutelam ſuam recipit Philippus Montis-fortis. B. de Montelauro anno 1239. conciliator eſt pacis inter M. Appamienſem, & P. Bolbonenſem abbates; quo anno etiam compoſuit litem inter Durantum epiſcopum Albienſem & G. præpoſitum. Denique anno 1244. X. cal. Septembris teſtis memoratur in charta donationis altæ juſtitiæ de Compos, factæ comiti Toloſ. a P. abbate, & conventu Bonæ-cumbæ.

Ibid.

** Durantum * Gallardum de Rabaſtens.*

Ex tabul. S. Salvii Alb.

Ex tabul. monaſterii.

Ex tab. Bonæ-cumbæ.

XX. Durandus anno 1249.

XXI. Anſelmus abbas Candelii aliquid diſceptandum habuit cum Gaillardo de Rabaſtens præpoſito ſancti Salvii Albienſis, ſuper quibuſdam paſcuis in parœciis de Lentinio, de Fuzet, de Montilio, &c. quæ lis amicorum judicio finita eſt IV. idus Novembris 1251. Præſcribit conſuetudines iis qui villam de la Beſſiera a ſe fundatam habitarent, V. idus Februarii 1254.

Ex tabul. S. Salvii Alb.

Ex tabul. monaſterii.

XXII. Raimundus II Textoris contendit adverſus P. vicecomitem de Lautrec ſuper honore Caſtelli de Berens, quæ controverſia per ſequeſtros Lambertum de Monteil dominum caſtelli de Lombertio, &c. ſopita eſt nonis Februarii 1259. Paciſcitur cum Philippo Montis-fortis ſuper villis de Beſſieyra, & de Peirola, & de omni territorio de Candeleſio, ſabbato paſchæ 1262.

Ibid.

Ex regia Carteſſon. tab.

XXIII. Bernardus III. anno 1262. ſediſſe probatur ex litteris Philippi de Montfort, de immunitatibus & libertatibus hujus monaſterii, datis die ſabbati poſt Paſcha ejuſdem anni. Dominicus Albienſis epiſcopus has litteras a ſe lectas profitetur & teſtatur 19. Decembris anno 1380.

XXIV. Guillelmus V. paciſcitur cum Pontio Aſtoandy, & Odone de Montoneria clericis Alfonſi comitis Toloſ. pro ducentis libris quas Raimundus comes a dicto monaſterio mutuatus erat, ſabbato poſt octavam ſancti Andreæ apoſtoli 1266.

Ex tabul. PP. Societ. Jeſu Toloſ.

XXV. Arnaldus Vaſconis habuit querelam adverſus Begonem Borſerii, *al.* Borterii præpoſitum, & capitulum ſancti Salvii Albienſis, ſuper territoriis de Rivo Vernheto, quæ mediis arbitris ſopita eſt pridie cal. Martii 1283.

Ex tabul. S. Salvii Alb.

XXVI. B. Saqueti abbas Candelii confirmationem eccleſiarum de Lozer & Alteripe de Colvinhas, &c. accipit a B. epiſcopo Albienſi III. cal. Martii 1291. Incolis loci de Graiſſis omnia ſua jura dimittit, in gratiam beneficiorum quæ Guillelmus de Berens dominus hujus loci monaſterio præſtiterat, pridie nonas Julii. 1293.

Ex tabul. epiſc. Alb.

Ex tabul. monaſterii.

XXVII. Adeodatus obiit anno 13. Johannis papæ XXII. ſeu Chriſti 1328. aut 1329.

XXVIII. Bernardus IV. monachus Candelii & prior, cum fuiſſet electus abbas Vallis-ſanctæ, anno 1323. mortuo Adeodato conſtituitur abbas; bulla Johannis papæ XXII. data anno 13. ejus pontificatus. Procul dubio eſt B. abbas Candelienſis, qui cum duobus aliis inſtituitur vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus a Pictavino de Monteſquivo epiſcopo Albienſi an. 1339. die 20. Februarii, ex Baluzio in not. ad vit. pap. Avenion. & ex tabulis epiſcopatus. Præerat anno 1378. quidam Bernardus. Quid-ni idem?

XXIX. Raimundus III. Rafin rexit 1379. & 1381.

XXX. Guido Bernardi 1386.

Ex tab. monaſterii. XXXI. Petrus V. Gravis, magiſter in ſacra pagina, abbas Candelii 1430. 21. Julii; anno 1431. 13. Julii & 20. Auguſti recipit ſacramentum a conſulibus. Item die XI. Maii 1440.

XXXII. Raimundus IV. abbas Candelii, mitræ, baculi, annulique quando celebraret in eccleſia dicti monaſterii uſum obtinet ab Alano cardinali tituli ſanctæ Praxedis, vulgo nuncupato cardinali Avenion. legato a latere in Francia, & in terris adjacentibus, uſque ad Rhenum, 27. Octobris 1456. juxta bullam Calixti papæ III. *Ibid.* tale jus duodecim abbatibus monaſteriorum præcipuorum concedere in ſuæ legationis ſpatio permittentem, datam pridie idus Septembris 1455. pontificatus anno 1. Raimundus Boiſſeti forte idem, ſepultus ante majus altare, breve habet hoc epitaphium: *Hic jacet Nonnus Raimundus Boiſſeti abbas Candelii, qui obiit 1472. Februarii 23. die. Requieſcat in pace.* Pro ſtemmate in ſcuto viſitur arbor avulſa.

XXXIII. Guillelmus VI. Boiſſeti, præcedentis nepos & ſucceſſor, monaſterium pene totum reædificavit, pluraque in ejus commodum præſtitit bona, quæ longius commemorare non vacat. Fama eſt apud Candelienſes eum fuiſſe poſtea abbatem Ciſtercienſem. Sed præterquam quod nulla hujus rei affertur ratio, huic opinioni refragatur ipſius epitaphii ſilentium quod ante altare eſt hujuſmodi: *Hic jacet Nonnus Guillelmus Boiſſeti abbas Candelii, nepos Remundi, qui obiit etiam Decembris die* X. *anno* MD.

XXXIV. Guillelmus VII. Boiſſeti in variis Albienſis eccleſiæ inſtrumentis occurrit 1512. 1513. Sed an 1514. ſedes vacabat, ut didicimus ex chartis monaſterii Grandis-ſilvæ.

XXXV. Jacobus de Caſtelnau de Clermont epiſcopus ſancti Pontii Tomeriarum, abbas Candelii anno 1546. adhuc locum habet in chartis monaſterii uſque ad annum 1586.

XXXVI. Alexander de Caſtelnau de Clermont commendatarius 1595.

XXXVII. Petrus VI. Conardi, Bolbonæ monachus, doctor in ſacra facultate, breve regium obtinuit 1609. In Albienſi S. Cæciliæ eccleſia benedicitur 1610. Vita fungitur 1618. Jacet ante altare cum hac epigraphe. *Obiit Petrus Conardi abbas Candelii, doctrina & zelo flagrans 9. Januarii* 1618.

XXXVIII. N. Phelippeaux de la Vrilliere commendam obtinet Candelii ab anno 1618. uſque ad 1628.

XXXIX. Antonius Ruel ex Canonico Regulari fit Candelii monachus & abbas regularis. Præfuit ab anno 1628. ad 1669.

XL. Petrus VII. Brun, Grandis-ſilvæ monachus renuntiatus abbas regularis an. 1669. adhucque præerat 1679. quo D. Claudius Eſtiennot, eo annuente tabularium hujus abbatiæ inveſtigavit.

Abbatia S. Catharinæ.

MOnaſterium ſanctæ Catharinæ dictum vulgo Capitis Pontis-Tarni, civitatis Albienſis, ordinis ſancti Auguſtini, circa annum 1333. originem ſumſit ex abbatia ſancti Auguſtini Toloſæ. Eo enim anno abbatiſſa, Johanna nomine ſcribit ad epiſcopum Albienſem pro conſtructione monaſterii in urbe Albienſi, & ipſi ſubjicit moniales quas mittebat ad inchoationem novi operis. Earum nomina continet vetus charta, quæ ſic habet.

Anno 1333. indictione I. 5. introitus Januarii Johanna abbatiſſa ſancti Auguſtini Tholoſæ, Beraldo epiſcopo Albienſi ſcripſit, & miſit Johannam & Raimundam de ſancto Leontio, & Guillelmam de Baino, Armeniardem de Cabanello, Alaidaciam Ortam .... Maurandam de Corniliis, Johannam de Caſtro-novo, Guillelmam de Aragone, Raimundam de Pratis, Bermundam de Gilaberta, Raimundam Borderia, Merſendem Sobrianam, Raimundam Boneta, & Raimundam Salomone, ad conſtruendum monaſterium. Eas ſubjicit epiſcopo, & in ſignum ſubjectionis ſingulis annis debebant ſolvere unum marbotinum auri.

Eodem tempore jam publice miſſa celebrata eſt in quodam illarum monialium ſacello, ut ex ſequenti eruitur inſtrumento, quod etiam plura alia nos docet.

Ex autogr. Albienſi. *IN nomine Domini, amen. Noverint univerſi & ſinguli, quod anno ejuſdem incarnationis* MCCCXXXIII. *videlicet die Martis, in feſto beati Bartholomæi apoſtoli, dominus Geraldus Frauſſa presbyter de Albia, ad requiſitionem religioſarum dominarum ſororum Johannæ de ſancto Leontio, Remundæ de ſancto Leontio, Guillelmæ de Vauro ſororum ſancti Auguſtini conventus Albiæ, & aliarum ſororum dictis conventus Albiæ, celebravit ſolemniter januis apertis, miſſam palam & publice, & ſine contradictione in quodam hoſpitio quod dederat eiſdem ſororibus, ſoror Eſclarmunda de Valle, ſituato in barrio capitis pontis Albiæ, confrontato cum hoſpitiis Petri de ſancto Stephano, & cum carreria communi, & cum orto Vitalis Johannis, & eccleſiam ſuam de expreſſa voluntate domini epiſcopi Albienſis, ut dixerunt, de novo ibidem ordinaverunt, dicentes ſe velle domino favente ibidem monaſterium earum ordinis adificare, ordinare, ac etiam conſtruere. Et cum eſſent ibidem pacifice & quiete, & facerent ibidem, ut prefertur, miſſam celebrare, de mandato & aſſenſu expreſſo domini noſtri epiſcopi Albienſis, ut dixerunt & eſſent in pacifica poſſeſſione, de predictis requiſierunt dicta ſorores, & Petrus Capelli clericus procurator dictarum ſororum dicti conventus, & me no-*

Digitized by Google

tarium infra scriptum, ut eis de præmissis faceret publicum instrumentum, &c.

Monasterium illud statim a fundatione fuit ad extremam redactum inopiam, adeo ut vix possent in eo tres, quatuorve moniales sustentari, eandem anno 1484. 13. Julii, auctoritate summi pontificis Sixti, moniales canonicæ expulsæ sunt ab episcopo Albiensi justis de causis, & in earum locum moniales sanctæ Claræ strictioris observantiæ, sub titulo beatæ Virginis Annuntiatæ anno 1486. inducuntur, quæ hactenus sub abbatissa regulariter & in paupertatis exacta observatione vitam degunt. Seriem abbatissarum quæ præfuerunt a tempore fundationis ad adventum sororum sanctæ Claræ, ex paucis monumentis quæ ad nos pervenerunt hic referimus.

Joanna anno 1333. præerat monasterio sanctæ Catharinæ, fortasse ipsa est abbatissa Tolosana, quæ in hac fundatione se gessit tanquam abbatissam.

Raimunda de sancto Leontio præfuit an. 1338.

Joanna de sancto Leontio, abbatiam tenebat anno 1347.

Marcibilla Neulerie abbatiam regebat anno 1351. 1355. 1359. 1370.

Senhorella de Ponte in diversis instrumentis abbatissa memoratur ab anno 1379. ad annum 1411.

Saurmonda de Lescura anno 1423. 1429. 1439.

Anna Gisqua sive Gasqua, quæ & Agnes (forte vulgari Albiensium & Vasconum pronuntiatione) in quibusdam instrumentis dicitur, præerat anno 1448. 1455. 1458. 1460.

Petrona Lemosina 1471. 1479. ultima abbatissa, cum anno 1484. ejectæ fuerint canonicæ, ut jam dixi.

ECCLESIA CASTRENSIS.

CAstrum urbs originem incrementaque sua debet celebri monasterio ibidem condito ad Agotum fluvium, qui civitatem secat, & paulo infra sinu suo excipit Toram amnem non ignobilem. Sita est hæc urbs in Albigensi pago, ad meridiem Albigæ metropolis; & jam seculo XIII. ea erat *Castri* dignitas, ut Petrus Vallium-Cernaii monachus, historiæ Albigensium scriptor accuratus, Castrum appellet *nobilissimum* & *quasi caput totius territorii Albigensis*. Villa S. Vincentii de Castris, dicitur in chronico Simonis comitis Montis-fortis, ob sancti Vincentii martyris Cæsaraugustani reliquias, Valentia urbe Hispaniæ eo delatas ab Audaldo monacho, circa an. DCCCLVIII. ut refert Aimoinus sancti Germani Pratensis asceta, qui de translatione hac duos scripsit libros. cap. 22.

De origine Castrensis monasterii, initio chronici episcoporum Albigensium & abbatum Castrensium, Tom. VII. spicilegii p. 335. legitur an. 647. *Robertum Anselmum & Danielem viros pios & nobiles, relicto cingulo militiæ secularis, in pago Albigensi juxta fluvium Agoti, sub regula sancti Benedicti militantes castrametatos esse; indeque nomen loco inditum* Castra. *His tres cellulas manibus propriis sibi construxerunt, ex lignis silvaticis, terra & foliis; qua, fama crescente, multiplicantur ad viginti novem.* 647.

Ecclesia sub sancti Benedicti abbatis patrocinio consecrata Deo, a furiosis Calvini sectatoribus destructa fuit, uti aliæ urbis ædes sacræ patrum Prædicatorum, Minorum, & monialium ejusdem ordinis, necnon Trinitariorum & Cartusianorum, qui ad littus Agoti habent ampliſſimam & elegantissimam domum, non longe ab urbe. Adde iis tres in urbe ecclesias parochiales, totidemque xenodochia. Hæc sancta loca religione fidelium e ruinis utcumque excitata sunt, ac de novo conditus est conventus Capucinorum, Jesuitæque intra urbem recepti sunt ut gymnasium moderentur. In aliis diœcesis oppidis sunt etiam quædam monasteria, maxime Lautriaci, ubi, præter collegium duodecim canonicorum sub decano, est parthenon monialium Benedictinarum, & conventus fratrum Minorum.

Habuit olim urbs seneschallum, qui jura diceret populis, pendebatque a Carcassonensi. Præterea in hac urbe, ante rescissum & refixum edictum olim datum Nammetis in gratiam Hugonotorum, erat senatus Tolosani quædam classis & portio, constans ex senatoribus orthodoxis & heterodoxis in æquali numero, qui de causis ad catholicæ fidei desertores pertinentibus judicabant cum summa potestate.

Anno 1317. Johannes papa XXII. ecclesiam Castrensis abbatiæ provexit in episcopalem. Sed antequam de hoc episcopatu & de episcopis qui ecclesiam hanc rexerunt, verba faciamus, præmitti debet abbatum series.

Digitized by Google

ABBATES CASTRENSES.

PRimus abbas fuit Robertus unus ex fundatoribus monaſterii, æqualis Conſtantii Albigenſis epiſcopi, ex prælaudato chronico epiſcoporum Albigenſium, abbatumque ſimul Caſtrenſium, quod nobis prælucebit in hac texenda ſerie. Vivebat Robertus anno 647.

II. Fauſtinus ex milite prædivite factus monachus, deinde abbas ſancti Benedicti, baſilicam magnis extruxit ſumtibus, ſedente in Albigenſi cathedra Richardo, ab anno 673. Inſcriptionem hujus baſilicæ, unde patet eam ædificatam eſſe nonaginta circiter annis poſt S. Mauri obitum, edidit Mabillon. in appendice 1. ad tom. I. annal. p. 638.

III. Citruinus anno 683. abbas erat Caſtrenſis, quo vices egit Stephani Carcaſſonenſis epiſcopi in concilio Toletano XIII. & poſtea ad ſedem Albigenſem evectus anno 692. Itaque requirenda ſunt in epiſcopis Albienſibus reliqua quæ ad ipſum pertinent.

IV. Bertrannus ſeu Bertrandus eodem anno ſubrogatus eſt. Quæ ad ipſum ſpectant, docent hi verſus editi ſpicilegii tomo VII.

Dulce jugum Chriſti teneris portavit ab annis,
Evitans caute Dæmonis inſidias.
Centum terque duos vitam produxit in annos
Bertrandus ſummi plenus amore Dei.
Hanc tandem ſubitæ, at præviſæ morte precando,
Ejicit, &c.

Rexit uſque ad 722.

V. Alfonſus anno 722. ſubrogatur, quem impenſe coluit Carolus Martellus, & ſibi morienti adeſſe voluit. Vivebat adhuc 734. Poſt ipſum ingens eſt hiatus in abbatum catalogo, uſque ad ſequentem.

VI. Grimoaldus anno 812. & 815. cujus temporibus triplex flagellum ad puniendа hominum ſcelera, bellum, fames, peſtis, immiſſum. Ab his tamen immune fuit Grimoaldi cœnobium, quod ejus precibus tribuit poëta laudatus a Mabill. ad annum 812. n. 7.

VII. Adelmus anno 825. mortuo abbati Caſtrenſi, qui non nominatur, fortaſſe Grimoaldo, ſuccedit; qui prius aſtrologiæ deditus, poſtea ad ſacros libros omnia convertit ſtudia.

VIII. Adalbertus, dum Carolus Calvus Toloſam obſideret, ab eo chartam immunitatis pro ſuo monaſterio impetravit anno 844.

IX. Eliſachar ex chronico anno 854.

X. Giſlebertus vel Gilibertus anno 854. & 858. cujus temporibus corpus ſancti Vincentii martyris ex Hiſpania ad Caſtrenſe monaſterium tranſlatum eſt, ut refert Aimoinus ſancti Germani Pratenſis monachus. Inde nomen ſancti Vincentii huic cœnobio inditum.

XI. Salomon anno 864. ſubrogatur. De plurimis monachis tunc veneno exſtinctis ſervorum dolo, chronicon metro ſcriptum loquitur.

XII. Berno an. 869. cui Aimoinus ceteriſque Caſtrenſibus monachis duos libros inſcripſit de memorata ſuperius tranſlatione. Alios duos libros metricos de eodem argumento elucubravit Aimoinus, rogatu domni Theotgeri Caſtrenſis monachi & diaconi.

XIII. Rigaudus anno 874. 884. 888. qui legitur ſancti Vincentii baſilicam ædificaſſe, ejuſque reliquias tranſtuliſſe; quo tempore edita plurima miracula.

XIV. Guilhem anno 921. laudatur quod nulli ſermone ſecundus eſſet ac eloquentia.

XV. Durandus doctrina ſua repreſſit hæreticum, nomine Walfredum, qui docebat animam cum corpore perire. Vivebat anno 953.

XVI. Sancius Honorati epiſcopi Albienſis ſuppar anno 992. & 1020.

XVII. Arnaldus I. 1030. pœnitentiæ cauſa monaſterium ingreſſus, ad tantam pervenit ſanctitatem, ut plurimis fulgeret miraculis.

XVIII. Gerebrardus annis 1043. 1052. 1066. imprudentiæ arguitur, quod ſacra loca inviſendo ſuum gregem deſeruerit; unde diſſidiorum origo, idque cauſæ forſitan fuit, quod tradita [a] paulo poſt ſit abbatia Victorino abbati anno 1073.

XIX. Arnaldus II. anno 1085. ex ſchedis D. Stephani du Laura, ſubſcribit litteris Dalmatii Narbonenſis archiepiſcopi pro eccleſia B. Mariæ de Burgo, nunc de Monachia datis XIV. kal. menſis Madii 1086.

XX. Geraldus 1087. 1096. 1099. Ejus temporibus monaſterium gravi incendio vaſtatur; at oblato corpore Chriſti flammæ repreſſæ ſunt.

XXI. Godofredus de Mureto 1110. 1115.

XXII. Bego 1124. teſtis in veteri charta Ardorelli.

XXIII. Reginaldus 1124. 1126.

XXIV. Amelius Hugonis, ex ſchedis D. Stephani du Laura an. 1127.

XXV. Bernardus abbas Caſtrenſis & monachi cedunt Bernardo Attoni vicecomiti Biterrenſi, Cæciliæ ejus uxori, Rogerio, Raimundo, & Bernardo, eorum liberis, locum S. Sigolenæ, qui dicebatur allodium ſancti Benedicti; viciſſim vero Bernardus, &c. dant ejuſdem loci primitias, & alios reditus, inſtrumento facto inter eos. Deſunt notæ chronicæ. Vivebat Bernardus Atto ſeculo XII. An. 1119. partitus eſt bona inter liberos. An. 1139. jam obierat, ut liquet ex pactis factis inter Cæciliam ejus uxorem, ipſiuſque liberos ex una parte, & Bernardum Amatum, ejuſque filios VIII. idus Aprilis, feria VI.

XXVI. Petrus I. circa iſtud tempus præerat monaſterio Caſtrenſi, vere pius abbas, qui ſocietatem iniit cum Rotgerio I. abbate Dalonenſi; hujuſce inſtrumentum damus ſuo loco, maxime quod in eo pietas & caritas mire eluceant. *C. II. 345. 13. col. 1.*

XXVII. Rogerius 1141. 1154. 1164. Ejus temporibus Ludovicus VII. ad S. Vincentii

[a] In archivo S. Victoris Maſſilienſis in armario diœceſis Caſtrenſis num. 59. legitur: *Frotarius epiſcopus* (Nemauſenſis) *& Raimundus vicecomes nepos meus, damus monaſterio S. Victoris, & Bernardo abbati monaſterium S. Benedicti & S. Vincentii, quod appellatur* Caſtras, *an.* 1073. II. *idus Januarii.* Vide in inſtrumentis. *Ch. 1.*

baſilicam

basilicam accedit ejus reliquias veneraturus.

XXVIII. Rigaldus an. 1164. recipit in monialem Bermundam, simulque medietatem decimarum, primitiarum, &c. ecclesiæ sancti Georgii. Ex tab. sanctæ Cæciliæ Albiensis. An. 1173. adhuc occurrit in ejusdem ecclesiæ tabulis.

XXIX. Guilabertus legatione fungitur pro Raimundo comite Tolosatum, ad Henricum II. Angliæ regem, cujus filiam Johannam comes duxit, acceptis pro dote Cadurco & Aginnensi pago. Rexit ab an. 1176.

XXX. Petrus II. Isarni, ab an. 1190. ad 1208. quo paciscitur cum Guillelmo episcopo simul & præposito Albiensi. Obiit idibus Junii anno 1211. In eo desinit chronicon. In necrologio Silvæ maj. Petrus Castrensis abbas mortuus dicitur kalendis Octobris.

XXXI. Guillelmus I. anno 1215. petenti Philippo Francorum regi partem reliquiarum sancti Vincentii concessit. Exstant hujus doni litteræ in appendice libri Aymerici de translatione sancti Vincentii. Catellus lib. 2. commentariorum historicorum Occitaniæ, c. 23. dicit has litteras fuisse datas Dominica infra octavas Ascensionis anni 1215. quibus appensum est monasterii sigillum exhibens caput sancti Vincentii martyris, circa quod legitur: *Sigillum sancti Benedicti Castri.* Eumdem esse puto Castrensem abbatem, prima littera G. signatum, de quo in Guillelmo Petri Albiensi episcopo ad an. 1226. quo tempore episcopus hic, & abbas, cum P. Narbonensi archiepiscopo, regem adierunt nomine urbis Castrensis, ut ei obedientiam, fidemque promitterent, omniaque obsequia olim vicecomitibus Biterrensibus debita.

fol. 52. reg. cur. Fr. Carcasson.

XXXII. Ademarus an. 1230. Romæ in basilica sancti Nicolai hospitalis, assistentibus Helia abbate de Clusa, & Hesia abbate de Uschia, (forte Userchia) aliisque multis, solemnem accipit benedictionem ab Hugone Arelatensi archiep. de quibus exstant litteræ tom. IX. frag. histor. nostri D. Claudii Estiennot. Legitur pacta quædam feciſſe cum Duranto Albiensi episcopo; Simone Bituricensi archiepiscopo pacis sequestro & conciliatore, anno 1231.

XXXIII. Guillelmus II. cognomento Augerii, anno 1247. subscribit pacto inter Trincavellum vicecomitem Biterrensem, & homines de Lombers. Anno 1258. initi societatem cum Bermundo abbate; & conventu sancti Tiberii; deditque fratribus Prædicatoribus ecclesiam sancti Vincentii, qua ex donatione discimus eum cognominatum esse Augerii.

Ex archivis reg. Carcassonæ.

XXXIV. Berengarius 1268. & 1270. in vetustis instrumentis Cartusiæ Castrensis.

XXXV. Guillelmus III. anno 1275. concessit reliquias sancti Vincentii martyris Aymerico priori, & quatuor canonicis sancti Vincentii de Cantella, ex charta Cantellensis monasterii ordinis canonic. regular. congreg. Gallicanæ.

XXXVI. R. Berengarii anno 1280. præsentat ad ecclesias S. Saturnini de Ganubrio, & sancti Petri de Burlato.

XXXVII. Alziardus an. 1297. præsentat ad dictam ecclesiam S. Petri de Burlato. Forte idem est qui signatus sola littera A. comparet in quibusdam chartis Albiensibus anno 1286. Adhuc præerat an. 1303. ex chart. Cartus. Castr.

XXXVIII. Bertrandus II. abbas componit cum Geraldo Albiensi episcopo an. 1312. Adhuc præerat quando Johannes papa XXII. erexit ecclesiam Castrensem in cathedralem, cui erectioni reluctatus est; quamvis ex metu carceris perpetui statim consensum præbuisset. Causas suæ oppositionis dedit *metuendissimis dominis & magistris præsidentibus parlamenti Tolosæ & Parisiorum simul junctis.* Hæc autem controversia inter Bertrandum abbatem, & Deodatum primum episc. Castrens. sopita est, concessione pensionis annuæ mille trecentarum librarum persolvendæ Bertrando, qui nomen abbatis retinuit.

In necrologio Canonicæ* notatur Ermengaudus abbas Castrensis, qui obiit XIII. kal. Junii. Sed quis ei locus hoc in catalogo debeatur, ignoramus.

* La Canorgue.

CASTRENSES EPISCOPI.

ANno decimo septimo supra millesimum trecentesimum, Johannes papa XXII. multas in Aquitania & Occitannia scidit diœceses, ut ex iis duos vel etiam plures faceret episcopatus; quod pastoralis sollicitudo unius præsulis, vix ampliſſimis, quales tunc erant, diœcesibus sufficeret. Sic Tolosanam sedem ad metropolis dignitatem evehens, ex eadem distraxit, unde fierent episcopatus quinque. Quod ad rem nostram pertinet, ab episcopatu Albiensi avulsit Castrensem abbatiam, quam sedem episcopalem constituit, & suis limitibus circumscripsit ad 114. circiter parœcias; assignatis sufficientibus ex Albiensis ecclesiæ fundo reditibus; nam omnia pene abbatiæ bona cesserunt capitulo, hoc est monachorum congregationi, qui usque ad annum 1536. in pristino perstiterunt statu.

De hujus episcopatus erectione sunt tres Johannis papæ bullæ, quarum exsequendarum provinciam dedit episcopis Mimatensi & Lodovensi, abbati Bonæ-vallis, & præposito Magalonensi. Bullam primariam erectionis episcopatus edidimus inter instrumenta, ubi tertium locum habet. Hic episcopatus primum fuberat metropoli Bituricensi, nunc autem novæ Albiensi provinciæ ecclesiasticæ accensetur. Pro temporali jurisdictione pendet a Tolosano parlamento.

Petrus Borellus in suo antiquitatum Castrensium libro dedit indiculum episcoporum. Nostri Sammarthani a domno Amabili, Cartusiæ Castrensis priore, de multis ad eos pertinentibus edoctos fesse ultro profitentur. His autem plurima, quæ veteres chartæ suppeditarunt adjecimus.

gitized by Google

ANNI CHRISTI.

I. Episcopus Deodatus I.

Primum hunc episcopum Castrensem, abbatem prius ejusdem loci fuisse perperam scripsit Catellus libro v. commentariorum Occitaniæ: ultimus enim abbas Castrensis vocabatur Bertrandus. Fuit autem Deodatus prius abbas Latiniacensis monasterii ad Matronam fluvium in agro & diœcesi Parisiensi, ut aperte declarat Johannes XXII. in bulla erectionis hujus episcopatus, quam retulit V. C. Stephanus Baluzius inter vetera acta spectantia ad vitas paparum Avenionensium §. 48. p. 308. & seq. Eamdem excudi curavimus inter instrumenta. Deodatus more ceterorum qui ex religioso ordine assumti erant episcoporum, suo nomini titulum fratris
1317. præmittit. Anno 1317. die 5. Augusti creatus est antistes, & die 17. Septembris sequentis, episcopi Mimatensis & Lodovensis, cum Raimundo præposito Magalonensi & abbate Bonæ-vallensi a Johanne papa XXII. delegati, commonent Beraldum Albiensem episcopum, ut huic episcopo Castrensi 5000. libras persolvat, quas ipsi constituit summus pontifex, in episcopatus Alb. proventibus, erecta urbe Castrensi in civitatem, bulla data v. idus Julii pontificatus sui an. 1.

Ex tab. episc. Alb.

Deodatus de quibusdam articulis, quos nonnulli fratres Minores credere pertinaciter dicebantur, ob eosque damnati sunt ab inquisitore anno 1318. sententiam inter alios viros doctos, aut episcopos, aut religiosos, rogatus, ita eam subscripsit: *Ego frater Deodatus Castrensis episcopus, sacræ Theologiæ professor, idem dico quod frater Guillelmus de Lauduno immediate præscriptus. In cujus rei testimonium sigillum meum feci præsentibus appendi*; id est, dictos articulos &
1327. quemlibet eorum esse hæreticos. Obiit mortem hic episcopus an. 1327. fundato prius secus templum majus collegio pro duodecim pauperibus sustentandis.

Ex reg. inquisit. Baluz. tom. 1. miscellan.

De Lautrec.

II. Amelius.

Amelius, cujus cognomen de Lautreco, illustre genus prodit; erat abbas sancti Saturnini apud Tolosam, quando ad episcopatum Castrensem accitus est. Simul etiam erat rector Marchiæ Anconitanæ in spiritualibus & temporalibus, ut palam fit ex diplomate dato in communi palatio civitatis Maceratæ anno 1327. indictione x. die 4. mensis Novembris. Mirum est tam religiosum virum antea insimulatum hæreseos fuisse a Galterio de Nova-villa vicario Tolosano; qua
ol. 1342. de re Baluzius in notis ad vitas pap. Avenion. Subrogatus est Deodato anno 1327. mense Ja-
1327. nuario; & paulo post, cum non levis esset controversia inter ipsum ac monachos, de divisione bonorum & capituli juribus, cum ipsis de his transegit, ut probant acta publica, quibus inscribitur annis 1328. 29. 34. Anno 1333. testa-
1333. mentum Guidonis de Severac occasionem præbuit gravi contentioni, ad quam sopiendam electus est hic episcopus. Guido sui testamenti tabulis caverat ut quædam bonorum suorum portio cederet ad fundandum aliquod monasterium [a] ordinis sancti Dominici, quod testamenti caput irritare volebant Johanna de Narbona relicta Guidonis de Severac, ejusque liberi. Ex adverso fratres Prædicatores provinciæ Tolosanæ, moniales parthenonis Prulliani* ejusdem ordinis, & Ruthenensis episcopus testamenti exsecutor intercedebant, ne pia testatoris voluntas effectu careret. Ad finiendam hanc controversiam partes elegerunt Amelium episcopum judicem, compromisso facto die 13. Novembris anno 1333. ut nos docent tabulæ castri Fuxensis. Excessit e vita anno 1338. cujus meminit sancti Saturnini necrologium.

ANNI CHRISTI.

* Proüille.

In bibl. Colbert.

1338.

[a] In loco de Barbaresio ubi collocari debebant virgines institutæ Prulliani. *Ex tab. Prul.*

III. Johannes I.

* 211 Pars

Ex illustri gente de Pratis & dynastis de Montepezato in Cadurcis trahebat originem hic episcopus; patruumque habuit (alii dicunt fratrem) Petrum cardinalem de Pratis Aquarum-Sextiarum archipræsulem. Itaque hallucinantur qui ei cognomen de Armaniaco tribuunt, contra tabularum fidem, quæ suffectum eum Amelio anno 1338. docent. Ceterum notitiam hujus præsulis, quem omisit Borellus in suo catalogo, debemus V. C. Leoni Godefrido, Theodori filio, canonico Montispezati, qui ex archivis hujus ecclesiæ, ex codice, quem nigrum nuncupant, eruit vetus quoddam instrumentum cujus hæc est clausula: *Datum Avenioni in domo habitationis nostræ anno Domini* MCCCXXXVIII. *indictione* VI. *die* XVII. *mensis Martii, pontificatus sanctissimi patris, & divina providentia papæ anno quarto, præsentibus venerabili patre Joanne episcopo Castrensi, &c.* Anno 1347. *6. Junii fundavit capellaniam vulgo dictam Nostræ Dominæ in ecclesia de Montepezato; dein ultimæ voluntatis codicillos confecit 1348. penultima Junii, quibus legat capitulo Montispezati, duas ut vocant capellas [b] albi & violacei coloris: item 12. capellanias in sacello beatæ Virginis ecclesiæ sancti Martini de Montepezato deserviendas instituit: sex autem in Castrensi. Decessit ante 2. Augusti
1353. 1353. sepultusque est in prædicta capella beatæ Mariæ Montispezati sub tumulo lapideo, quatuor pedibus elato, cui superposita visitur effigies pontificalibus vestibus induta, uti testantur litteræ Petri cardinalis de Pratis, quarum hæc summa: *Nos Petrus permissione divina episcopus Prænestinus, notum, &c. quod cum bonæ memoriæ dominus Johannes episcopus Castrensis in suo ultimo testamento, certas capellanias ordinaverit de bonis sibi a Deo collatis dotandas in capella beatæ Mariæ ecclesiæ sancti Martini de Montepezato, cujus summus fundatores & patroni, in qua etiam corpus dicti episcopi fuit, & est traditum ecclesiastica sepultura, &c. Datum anno Domini* 1354. *die* 2. *Septembris.*

1348.

[b] Hoc est, ornamenta necessaria ad sacrum ministerium.

Idem demonstratur ex fragmento codicis Pergameni, in archivo Montispensati, ubi leguntur Begonis Cadurcensis episcopi litteræ infra referendæ in Begone episcopo.

IV. Stephanus.

De Abavo.

Stephani cognomento de Abavo, quem aiunt anno 1353. excepisse Johannem in sede Castren-

ANNI CHRISTI.

si, memoriam conservavit lapis sepulcralis, cui A incisa olim legebatur in choro a parte dextra majoris altaris hæc inscriptio relata in elencho episcoporum Borelli: *Ego Stephanus de Abavo humilis ecclesiæ Castrensis episcopus, hoc condidus tumulo obdormio in Domino..... scio quod Christus a mortuis resurrexit, & credo quod resurrecturus sum in novissimo die: hanc dicni vivendo, & mortuus hanc ipsam profiteor.* Meminit Baluzius in notis ad vitas paparum Avenion. col. 838. epistolæ Innocentii VI. scriptæ ad Pontium Urbevetanum, & ad nostrum Stephanum Castrensem episcopos.

V. Petrus I.

1359. Petrus qui succeſſor datur Stephano an. 1359. die 21. Septembris, facultatem dedit Raimundo Saisse civi Castrensi fundandi Castris monasterium Cartusianorum, schedula scripta in domo episcopali suburbana, quæ egregio opere in loco amœno ad Agutum flumen exstructa est. Anno 1360. legitur exsecutor litterarum apostolicarum pro ecclesia Albiensi. In actis consistorialibus Vaticani dicitur creatus cardinalis die

1368. 22. Septembris anno 1368. si fides debeatur his qui in conficiendo præsulum Castrensium catalogo nos præcesserunt, quod nonnullis persuadet C ipsum esse Petrum de Banhaco, sic dictum a loco ubi ortus est in Marchia Lemovicensi, non procul a Belaco. Hic fuit abbas Montis-majoris in Provincia, prope Arelatem, referendarius Urbani V. & episcopus Castrensis paulo antequam cardinalitia ornaretur purpura, quod factum est die 22. Septembris anno 1368. Obiit Viterbii an. 1369. die 7. Octobris. Inde vero cadaver ejus relatum est Mortuum-mare in Marchia Lemovic. ubi jacet in ecclesia patrum Augustinensium, prope Petrum de Mortuo-mari, Autissiodorensem episcopum, cum hoc brevi epitaphio. D

Hic jacet D. D..... de Bagnaco, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, qui obiit XXV. *Septembris anni* MCCCLXIX.

col. 1034. De eo fuse Baluzius in notis ad vitas paparum Avenionensium.

Verum Petrus de Bagnaco non est idem ac Petrus quem ostendimus episcopum fuisse Castrens. an. saltem 1359. nam primo P. de Bagnaco non fuit consecratus episc. nisi an. 1368. & alter Petrus an. saltem 1359. De consecratione episcopali Petri de Banhaco ita Ægidius Bellamera in cap. *Quod sicut.* de elect. *Fuit tempore D. Urbani V. in Monte-Flascone tunc interrogatus* (Johannes de Lignano) *a domino tunc abbate Montis-majoris, qui tunc consecrabatur ad ecclesiam Castrensem, & statim fuit creatus cardinalis.* Porro cardinalium collegio fuit allectus 22. Septembris anno 1368. secundo Petrus quem diximus sedisse Castris anno 1359. non pervenit ad annum 1368. jam enim anno 1364. sedebat ejus successor.

VI. Raimundus I.

De Sancta Gemma.

Raimundus de Sancta-Gemma prius fuit decanus ecclesiæ collegiatæ de Burlato, in pago Albigensi, quam instituit Johannes papa XXII. contulitque decano & canonicis jus eligendi episcopos Castrenses, una cum Castrensis capituli monachis, ut nos docet Baluzius in notis ad vit. paparum Avenionensium. Hinc minime mirandum ipsum electorum suffragiis ad episcopatum hunc perveniſse. Porro electus dicitur ultima die Maii anni 1364. certe multis indubitatis testimoniis probatur ejus episcopatus an. 1366. ex chartis Ardorelli, & an. 1368. ex rescripto Urbani papæ V. pro episcopo Lodovensi, cujus fuit exsecutor noster Raimundus. An. 1369. transigit cum Cartusianis suæ diœcesis. Anno denique 1374. mors ejus in actis publicis inscripta legitur.

ANNI CHRISTI. col. 741.

1364. 1366. 1368. 1369. 1374.

Dissimulare tamen non licet quæ pugnant B contra Raimundi episcopatum, quem diximus a mense Maio anni 1364. ad annum 1374. Castrensem impleviſse cathedram. Nimirum post ejus electionem eodem an. 1364. episcopus Castrensis alius nobis occurrit in tabulario vicecomitatus Narbonensis, nomine Nicolaus de Vays, Castrensem se præfatus episcopum, an. 1364. die 22. Octobris in pactis matrimonii Aimerici vicecomitis ac domini Narbonæ, cum Beatrice filia Mariani comitis Gothian & vicecomitis de Bassо, qui Nicolao suas vices auctoritatemque hoc in negotio præscripserat die 25. Aprilis an. 1364. Inde conjectamus post Stephani episcopi mortem, plurimos de episcopatu contendisse, ex quibus fuit iste Nicolaus de Vays, cui forte pars capituli in suffragiis faverat; qui etsi cedere coactus, inanem & vacuum episcopi titulum retinere voluit. Sed id minime dubium reddit pontificatum Raimundi.

Alius nodus adstringitur ex consecratione Petri de Banhaco in episcopum Castrensem, paulo antequam collegio cardinalium sociaretur, an. 1368. mense Septembri. Sed verisimile est hac ordinatione facta apud Montem-Flasconem in Italia, collatum fuisse honoris causa titulum episcopatus Castrensis in Italia, non Castrensis in Gallia & Occitania. Ceterum merum titulum accepisse Petrum inde conjectamus, quod in ipsius vel testamento vel epitaphio, nulla ejus episcopalis dignitatis mentio fiat.

Quod spectat ad tempus mortis Raimundi, illud indicat Cartusiensium Castrensium necrologus liber, in hunc modum: *Obiit* V. *Decembris anni* MCCCLXXIV. *Dominus Raimundus de Sancta-Gemma episcopus Castrensis, qui dedit pro initio ecclesiæ nostræ mille florenos, & volebat eam consummare solemniter, nisi fuisset morte præventus.* 1374.

VII. Elias.

De Donzenaco.

Elias cognominatus de Donzenaco, ortus ex nobili & antiqua apud Lemovices gente, entedorensi, filius erat Ebbonis de Ventedoro, ex Galliena filia Geraldi de Malamorte domini Donzenaci oppidi Lemovicum, inter Brivam & Usercham; ut edisserit Baluzius in notis ad vit. paparum Avenion. Idem observat Eliam simul fuisse Patavinum episcopum. Memoriam hujus præsulis conservant non modo tabulæ Castrenses annorum 1375. 78. & 83. sed etiam aliæ. An. 1377. die 15. Februarii interest actis pro assignanda congrua portione vicarii, in ecclesia de Rupecurva instituendi, ut dicemus in Alienorde

col. 1421. Hist. Arver. p. 288. 1375.

de Lautrec abbatiſſa Veteris-muri. Hominem A exuiſſe die 30. Maii anno 1383. legitur in calendario Carthuſiæ Caſtrenſis, ubi additur eum legaſſe huic domui quadraginta francos, ibique habere anniverſarium.

ANNI CHRISTI. 1383.

VIII. Guido.

de Roya.

Guido ex ampliſſima familia toparcharum de Roya, qua vix ulla in tota Picardia, imo in Gallia, aut antiquior aut ſplendidior, multis jam onuſtus ſacerdotiis, Eliæ ſubrogatus fuit an. 1383. die octava Octobris, ut docet liber actorum conſiſtorialium. Ejus nomen præfert conſcripta pro ſyndicatu monachorum eccleſiæ cathedralis tabula, an. 1384. Fuit archiep. Remenſis an. circiter 1390. Conſule Remenſium archiep. hiſtoriam, ubi legeſis ejus teſtamentum & mortem luctuoſam.

1383. B 1384.

IX. Deodatus II.

Excipere debet Guidonem in ordine præſulum Caſtrenſium Deodatus; ejus etenim memoria conſignata eſt in chartis an. 1386. Mortuus legitur an. 1388.

1386. 1388.

X. Johannes II.

Engardus.

Johannes dictus Engardus aſcendit Caſtrenſem cathedram die 2. Decemb. an. 1388. Hunc C eſſe conjicimus Johannem Caſtrenſem præſulem, cujus teſtificatio legitur in notis Baluzii ad vitas paparum Avenioni ſedentium, ex qua intelligitur ipſum fuiſſe Romæ tempore mortis Gregorii XI. quando tantus pro electione ſucceſſoris ortus eſt tumultus, an. 1378. *al.* 79. Memoratur variis in inſtrumentis annorum 1396. 1405. 1407. 1410. uſque ad 1415. Recenſetur in actis concilii Piſani an. 1409. inter illos præſules qui adfuerunt per legatos. Præfuit uſque ad annum 1418. quo efflavit animam. In libro obituum Carthuſiæ Caſtrenſis de eo legitur: *Obiit* D *27. Maii dominus Johannes Engardi epiſcopus Caſtrenſis, qui fecit conſummare caput eccleſiæ, & dedit centum ſcuta auri pro lignis chori, & multas alias pecunias expendit in opere eccleſiæ ultra mille francos fortis monetæ. Et niſi ipſe fuiſſet, eccleſia non fuiſſet concamerata prater caput tantum: & multa alia bona fecit.*

1388. *al* 1215. 1409. 1418.

XI. Aimericus.

Aimericus, quem alii Natalem cognominant, alii vero Nadal, fuit doctor decretorum, papæ referendarius, abbas ſancti Saturnini Toloſ. & epiſcopus Condomienſis; qua ex ſede, quod E pertinaciter adhæreret Petri de Luna partibus, deturbatum eum lego, ſed poſtea regiis litteris reſtitutum an. 1409. quæ forte cauſa fuit mutatæ ſedis. Fit illius mentio ut electi Caſtrenſis ab an. 1418. & deinde ut epiſcopi in aliis chartis. Bzovius annalium eccleſiaſticorum poſt illuſtrem cardinalem Baronium ſcriptor, tomo XV. in an. 1414. num. 23. refert Petrum Panthum epiſcopum Caſtrenſem, & Dominicum de S. Geminiano apoſtolicæ cameræ auditorem, pro parte prælatorum nationis Italicæ, interfuiſſe diſſolutioni concilii Senenſis, ſeu potius tranſlationi ejuſdem Baſileam, quæ urbs communi conſenſu deputatorum quinque nationum Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, Hiſpanicæ, & Anglicæ electa eſt ad celebrandum concilium, quod ex ordinatione Conſtantienſis ſynodi, & decreto Martini V. quamprimum indicendum erat & convocandum, imo indictum & convocatum fuerat anno ſuperiori 1423. primo in urbe Papienſi, deinde Senis Tuſciæ civitate. Verum cum nulla de Panthi epiſcopatu præter illud unicum quod refert Bzovius, ex antiquis auctoribus & domeſticis ſcriniis ſuppetant argumenta, præterea que legatur eum egiſſe pro parte prælatorum nationis Italicæ, merito in dubium revocari poteſt, utrum Caſtrenſis Galliæ, an Italicæ urbis præſul fuerit. Certe anno 1422. Petrus quidam Caſtrenſis in Italia prope Parmam epiſcopus notatur, & adhuc an. 1432. apud Ughellum in Italia ſacra. E vita deceſſit Aimericus menſe Octobri 1411. ut inſcribitur necrologio ſancti Saturnini.

ANNI CHRISTI. 1422. 1411.

XII. Raimundus II.

Mairoſii.

Raimundus Mairoſius de Avilhano* dioceceſis Ruthenenſis, utriuſque juris doctor, tituli ſanctæ Praxedis preſbyter cardinalis, cujus fit mentio apud Onuphrium, Ciaconium, Bzovium, &c. ex Tricaſtinenſi epiſcopo Caſtrenſis renuntiatus eſt. Et non longe poſt a Martino V. in purpuratorum patrum ſenatum electus 1426. IX. Kal. Julii. Hoc eodem an. die 14. Septembris compoſuit lites inter Vitalem de Maloleone epiſcopum Ruthenenſem, & ejus capitulum, epiſcopatu Caſtrenſi tunc fruens ſub adminiſtratoris perpetui titulo. E vita migravit die 22. Octobris, an. 1427. in medio eccleſiæ ſui tituli terræ mandatus Romæ, & donatus marmoreo tumulo, cum hac pia inſcriptione: *Ego Raimundus Mairoſi, tituli ſanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Caſtrenſis vulgariter nuncupatus. Hæc eſt requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Orate pro me fratres.... Anno Domini* MCCCCXXVII. *die* XXII. *menſis Octob. obiit.*

1426. 1427.

*al. de Amilhano.

XIII. Johannes III.

De hoc epiſcopo pauca hæc novimus; eum fuiſſe Carolo VII. Francorum regi a confeſſionibus, & epiſcopum Caſtrenſem; denique collegio cardinalium adſcitum a Felice V. quem concilium Baſileenſe papam creaverat contra Eugenium IV. verum ſummum pontificem. Hæc docent Borellus, Friſonius, Catellus, Robertus, qui laudat Onuphrium & Ciaconium. Hunc noſtri Sammarthani cognominatum fuiſſe *Amardy* volunt, ſed minime accenſendum Caſtrenſibus præſulibus exiſtimant. Chartæ nos deficiunt ad dirimendam controverſiam hanc neceſſariæ. Namque in bellorum pluſquam civilium, procella perierunt. Ingenue tamen fatebimur nulla urgere argumenta petita ex Petro Cotinio, de quo infra, ut hunc Johannem expungamus.

XIV. Petrus II.

Hujus epiſcopi cognomen tacet Catellus, quem noſtri Sammarthani Cotinium appellant, dicuntque eum ut nuntium apoſtolicum a Martino V. miſſum eſſe ad Johannem Caſtellæ re-

ANNI CHRISTI.

gem, Bzoviumque ejusdem meminisse ad annos A
1424. & 1430. De hoc Petro id unum nobis
occurrit, ipsum an. 1430. die 10. Maii præfuis-
1430. se synodo provinciæ Narbonensis, in sacello S.
Magdalenæ palatii archiepiscopalis vice Fran-
cisci de Conzié archipræsulis. Ex tabulis epis-
copatus Biterrensis habemus Petrum episcopum
Castrensem, Vindascini comitatus pro papa
ecclesiaque Romana gubernatorem, bullam Jo-
hannis papæ XXIII. datam IX. Kal. Februarii
an. ejus pontificatus 11. promulgasse die 29. Maii
anni 1430. qua præcipiebatur ut omnes eccle-
siastici, status tam regularis quam secularis,
exemti & non exemti in provincia Narbonensi, B
imperata ab archiepiscopo Narbonensi subsidia
solverent.

XV. GERARDUS.

Gerardi cognomen alii Majetum esse volunt; Marietum alii, aut Macheti. In historia manu exarata Cartusiæ Castrensis, appellatur Gerardus Marieti, dicitur que sedisse annos 16. Is post Johannem Gersonem fuit insignis theologus, habuitque orationem Cæsari & regi pergratam, de tollendo Christiani orbis schismate. Exstant quædam manuscriptæ præsulis hujus epistolæ, quæ latitant in bibliothecarum forulis. Ipso C
a usum fuisse ad sacras confessiones a pœnitentiæque sacramentum Carolum VII. regem omnes tradunt; uti etiam legitur in Cartusianorum necrologio. Ejus episcopatum auspicari ab an-
1431. no 1432. cogit quod legimus in historia Car-
tusiæ superius laudata, Gerardum per annos
1448. sexdecim præfuisse; quippe ipsum an. 1448. e vita excessisse in confesso est apud omnes. Variis ex instrumentis annorum 1434. 1436. 1437. 38. 47. eum tunc fuisse episcopum Castrensem elicitur. Dies ejus obitus fuit 17. Julii, anni, ut præfati sumus, 1448. quod confirmatur quoque ex litteris Caroli regis ad senescallum Car- D
cassonensem, pro regalia Castrensis episcopatus vacantis; quæ scriptæ sunt Parisiis die penultima Julii anni præfati 1448. ex registro cameræ rationum publicarum. In codice quodam manu exarato epistolarum Gerardi legimus cum Turonis supremum diem obiisse, jacereque in medio choro ecclesiæ sancti Martini.

DE CONDOM.

XVI. MARALDUS.

Maraldus de Condomo post sex mensium in-
1449. terpontificium, præsulatum adeptus est an. 1449. juxta Sammarthanos fratres, qui eum *Manaldum* appellant; Johannes Chenu vero, Catellus & Claudius Robertus, qui eum notant ad an. 1451. *Monaldum*. Verum ejus nomen cognomenque ac tempus mortis didicimus in kalendario veteri Cassiani, fol. 69. ubi legitur: *Anno*
1458. MCCCCLXVIII. *die* VI. *Augusti Dom. Maraldus de Condomo, qui fuit prior & dominus de Cassiano, & tandem episcopus Castrensis* (obiit.) Memoratur in chartis Ardorelli annis 1450. & 1457.

a In veteri manuscr. Turon. ubi regiis oratoribus ad papam missis quædam mandata dantur, legitur: *Supplicabunt dicti ambassiatores eidem summo pontifici, quatenus personas quas sequuntur habeat recommissas; videlicet magistros Geraldum Macheti regis confessorem, &c.*

XVII. JOHANNES IV.

ANNI CHRISTI. S. ANNACHAC. b

Johannes de Armaniaco b frater Jacobi du-
cis Nemorosii, comitis Marchiæ, Pardiaci &
Castrensis, ac vicecomitis Carlatensis & Mura-
tensis, qui anno 1447. sub Ludovico XI. Pa-
risiis fecuri percussus est, ante præscriptam a sa-
cris canonibus ætatem præsul renuntiatus est
1460. talrem anno 1460. quo in registris Tolosani se-
natus jam inscriptum legitur ejus nomen. Dein-
cepsque occurrit in variis instrumentis ecclesiæ
Castrensis, & 1473. in tab. sanctæ Cæciliæ Al-
biensis. Rogatus a Carolo rege Pius papa II. ut
Johanni hunc episcopatum conferret, scripsit B
ad regem episcopale ministerium tali ætati sine
reprehensione committi non posse, quod alio-
quin in robustioribus annis, & multa rerum ex-
perientia non facile est adimplere. Laudat res-
ponsum olim ab ipso rege datum, ratione imma-
turæ cujusdam provisionis ad suam petitionem
factæ a Nicolao papa V. *Quamquam ego inter-*
cesserim, numquam putavi hoc illum esse factu-
rum. Quibus verbis Pius II. dicit se sui officii
admonitum non posse concedere quod postula-
batur; offert tamen dare huic ecclesiæ ido-
neum administratorem, quoad usque adoles-
cens ad annum 25. ætatis perveniret. Constat
nihilominus Johannem episcopi titulo usum
esse ab anno 1460. Non obiit ante an. 1493.
quo videlicet charta Castrensis ecclesiæ die 26.
Maii scripta meminit hujus episcopi tunc *in cu-*
ria Romana agentis. Convenit cum hac chrono-
logia tempus quo successor Johannis episcopa-
tum cepisse legimus.

Raynaldus ad annum 1459. n. 67.

1460.

1493.

Johanni de Armaniaco successorem dant Sammarthani fratres Cæsarem Borgia Alexandro papa VI. antequam ad summum pontificatum perveniret, genitum, toto orbe ob flagitia & scelera famosissimum, qui mutata purpurea cardinalis toga in sagum, factus est dux Valentinus ad Rhodanum. De eo vero altum est silentium apud Catellum, Chenutium, Claudium Robertum. Certe ipsi qui eum admittunt, non inficias eunt eum nunquam adisse possessionem ecclesiæ Castrensis. Itaque plura de tanto monstro dicere supersedemus.

XVIII. CAROLUS I.

DE MARTIGNY.

Carolus Martiniacus (de Martigny) patre
in Galliis rei ærariæ c præfecto natus, abbas Ca-
domensis, rexit ab an. 1494. usque ad 1509. quo
1494. eum vita excessisse die 2. Julii referunt tabulæ
necrologii Castrensis Cartusiæ. Fuit etiam epis-
copus Elnensis in comitatu Rossilionensi. Cum-
que prudentia, & in agendis rebus mira dexte-
ritate polleret, a Carolo VIII. & Ludovico VII.
Francorum regibus ad diversos principes missus
est orator. In causa dissolutionis conjugii inter
Ludovicum XII. Franciæ regem, & Johan-
nam an. 1498. fuit judex cum Philippo cardina-
1498. li de Luxemburgo episcopo Cenomanensi, Lu-
dovico episcopo Albiensi, &c.

Ex inventar. thes. chart.

b Parentes Johannis & Jacobi fuerunt Bernardus comes Pardiacensis, & Eleonora Borbonia filia Jacobi regis Jerusalem, quæ dotis nomine viro suo attulit comitatum Marchiæ & Castrensem.

c Vulgo *General des Finances.*

ANNI CHRISTI.

XIX. Johannes V.

De Martigny.

Johannes Caroli gentilis, ut idem utriusque cognomen probat, recenseur post ipsum inter Castrensium præsules a Chenutio, Catello, Claudio Roberto & Borello. Eum nonnullorum calculo rejiciendum & ablegandum esse dicunt Sammarthani fratres, nulla addita ratione. Damus auctoritati contestatorum quos appellavimus scriptorum, qui non ita longe aberant a temporibus de quibus scribebant, ut nomen hujus Johannis nudum retineatur.

De Martigny.

XX. Petrus III.

Ex eadem gente Martiniaca tertius hic præsul, Caroli de quo supra, & Reginaldi Vabrensis episcopi frater, ut quidam opinantur, sedit ab anno circiter 1509. ad an. 1526. ut fidem faciunt exceptæ ab actuariis, singulis pene illius episcopatus annis tabulæ. Hic ultimus fuit eorum qui capituli aliorumque electorum suffragiis, ad episcopatum vocati fuerunt.

1509. 1526.

XXI. Carolus II.

De Martigny.

Hic eodem ex genere ac Carolus I. prognatus, à rege Francisco I. nominatus & designatus juxta pacta seu concordata cum Leone X. summo pontifice facta episcopatu potitur: sed vix duobus annis.

De Tournon.

XXII. Jacobus.

Jacobus ex nobilissima gente Turnonia, filius Julii domini de Turnone fratris Francisci cardinalis, ex Johanna de Vissac, Castrensem obtinuit cathedram an. 1531. & paulo post de monachis ecclesiæ suæ in canonicos seculares

1531.

transmutandis, juxta nonnullorum vota, cogitavit; accedenteque Francisci regis petitione,

1535. Paulus papa III. an. Christi 1535. sui pontificatus an. I. VII. idus Julii bullam dedit Romæ, qua monachos illos absolvit a vinculo monasticarum legum, & regulæ S. Benedicti, *eo quod mala consuetudo (qua potius corruptela dici deberet) vivendi contra regulam ipsam, de jure ipsius ecclesiæ monachos relevare non poterat, si tamen a pœna temporali, non ab æterna*, ut legitur in *fulminatione* hujus bullæ an. 1688. typis excusæ. Tunc constabat capitulum majori priore, eleemosynario, infirmario, cantore cabiscolo nuncupato, subcamerario, sacrista, & 24 monachis. Ac per novam bullam ex majori priore factus est major præpositus: sicque alia officia claustralia, conversa sunt in totidem dignitates. Executor bullæ fuit Falco Auranc, in utroque jure baccalaureus, decanus S. Petri de Burlario in hac diœcesi. Verum refragante senatu Tolosano, nonnisi anno sequenti effectui demandari potuit hujusmodi rescriptum apostolicum. Interim Jacobus præsulatum ejuravit in gratiam sequentis episcopi, & ad sedem Valentinensem evectus est.

Vide C. VIII. pag. 25. col. 1.

De Vesc.

XXIII. Antonius.

Antonius Caroli de Vesco baronis Grimaldi *, Castri-rainardi in Provincia, Castri-novi, &c. Antoniæque Claromoniæ filius, antea præ-

* Grimaut.

A centor Avenionensis, & Valentinensis episcopus, permutatione facta cum Jacobo, Castrensis renuntiatur an. 1535. ac paulo post inchoatum opus de abjiciendo monastico statu resumitur. Nam Falco d'Auranc, cui a papa demandata fuerat bullæ exsecutio, accessit die 22. Septembris, an. 1536. ad atrium principalis portæ ecclesiæ, præsentibus Antonio episcopo, Antonio de Bone majori priore, cum 19. monachis, judice ordinario, procuratore regio, civitatisque consulibus. Ibique lectis pontificiis litteris, & præmissis multis inquisitionibus de more, in capitulo monachos, qui ad faciendam confessionem generalem in genua procubuerant, ab omni excommunicationis sententia, apostasia & irregularitate, quibus causa transgressionis regulæ divi Benedicti innodati forte existebant, absolvit. Tum eosdem interrogavit utrum habitum monasticum vellent dimittere. Responderunt major prior & sex alii, nolle se dictum habitum relinquere, etsi nequaquam vellent S. Benedicti regulæ subjici. Cæteros habitu monastico exuit, ac superpellicio & almutia induit: cui mutationi plurimi ex monachis, qui vocati noluerunt adesse, intercesserunt. Confirmata est tamen decreto sanctioris Consilii 16. Maii anno 1547.

ANNI CHRISTI. 1535.

Vide C. VIII. ibid.

1536.

1547.

Antonius ad firmandam politiam novi status ecclesiæ suæ, plurimas constitutiones edidit cum consensu capituli, quocum transegit an. 1549. tandemque episcopatu probe perfunctus, corporis solutus est ergastulo an. 1551.

1551.

D'Auraison.

XXIV. Claudius.

Claudius d'Auraison nobilis Provincialis, Antonii-Honorati de Auraisone vicecomitis de Cadeneto ex Catharina Claromontia filius, difficillimis temporibus præfuit. Nam hæretici sursum deorsum omnia miscere cœperunt, & rapinis ac cædibus toto regno grassari, quorum motuum Castrensis civitas non expers fuit; siquidem ab hæreticis primo capta & direpta est; deinde non multo post a Catholicis orthodoxo cultui restituta; iterum ab eisdem sectariis per fraudem occupata est 1567. Ipse episcopus una cum canonicis carceri mancipatus, nec nisi multo ære persoluto dimissus est, omnes ecclesiæ expilatæ, & a fundamentis eversæ sunt. Interea Claudius qui multis annis postea superstes fuit, & comitiis Blesensibus an. 1577. interfuerat, spontaneum sibi indixit exsilium: attamen ut suæ diœcesi afflictæ utcumque opem ferret, per præpositum ecclesiæ cathedralis vicarium suum eam gubernavit, donec an. 1583. ex hac vita migravit.

1567.

1577.

1583.

De Lorraine. * Vaudemont.

XXV. Carolus III.

Carolus a Lotharingia cardinalis de * Vadani-monte, patre Nicolao duce Mercuriano, & Vadani-montano comite, matre Johanna Sabauda, Philippi a Sabaudia ducis Nemorosii filia natus, frater Ludovicæ reginæ, Henrico III. nuptæ, inter Castrenses episcopos a Chenutio, Catello, Roberto, &c. accensetur eminetque. Electus autem est a Gregorio XIII. & relatus in numerum cardinalium feria VI. IX.

d by Google

cal. Martii an. 1578. Obiit mortem Tulli Leucorum, die Veneris III. cal. Novembris an. 1588. annos natus ſex ſupra viginti. An. ætatis unde viceſimo theſes theologicas Gregorio XIII. ſummo pontifici nuncupavit; in quibus propugnandis, ingenii & doctrinæ non mediocris ſpecimen dedit.

ANNI CHRISTI. 1588.

De Foſſé.

XXVI. JOHANNES VI.

Johannes de Foſſé, Toloſas, Pariſienſis theologus e regia domo Navarra: ex canonico theologo eccleſiæ metropolitanæ S. Stephani Toloſæ epiſcopus Caſtrenſis renuntiatus Henriti III. beneficio & deſignatione 1583. ſequenti anno conſueto ritu inauguratus eſt; præſul doctrina & pietate præſtans, qui inter varios motus urbis ſemper tranquillus & ſibi conſtans fuit: cujus ſenectuti conceſſit Deus intueri dejectam hæreticorum ſuperbiam, acciſas vires, & multorum ex eis ad fidem orthodoxam & avitam pietatem felicem reditum; quod multis laboribus conſecutus eſt. Neſcio quibus decretis ſenatus Toloſani exagitatus eſt an. 1599. ob excommunicatos duos ſenatores ejuſdem curiæ, qui jus dicebant Caſtris, ubi erecta fuerat Henrici regis edicto camera in gratiam heterodoxorum; tametſi excommunicationem illam altero die ſuſtuliſſet. Baſilicam S. Benedicti novis ædificiis reparavit, ut inciſa marmori ad januam eccleſiæ proloquitur epigraphe: *D. O. M. anno ſalutis* 1630. *Ludovici juſti* 20. *Joannes de Foſſé theolog. Pariſien. & epiſcopus Caſtrenſis an. ætatis* 76. *ſedis* 47. *edem hanc inſtaurandam curavit ſub D. Benedicti nomine, ſui in Deum atque in gregem ſuum animi perenne monumentum.* Obiit 13. menſis Maii anno ſalutis 1632. ætatis 79. ſedis 48. Facultatis theologorum Pariſienſium decanus. Jacet in choro eccleſiæ cathedralis Caſtrenſis, ſub tumulo opere concamerato, quod paulo ante obitum ſibi exſtruxerat, non in baſilica Toloſana, ubi cœnotaphium ſibi paraverat; epitaphium autem ſic habet: *Johannes de Foſſé patria Toloſas, Pariſienſis theologus, epiſcopus Caſtrenſis, conditionis humanæ memor, faſtique ſui vere conſcius, hoc alterum ſibi monumentum vivens deſtinavit, ſub eo carnis reſurrectionem expectaturus: obiit* III. *idus Maii an. ſal.* 1632. *ætatis* 79. *ſedis* 48. *tamdiu, & tam bene vive viator, & ora ut anima ejus in pace requieſcat. Amen.* Coadjutorem habuit Balthaſarem de Budos Auguſtopolitanum epiſcopum, ab an. 1616. qui etiam interfuit comitiis cleri Gallicani Burdigalenſibus anno 1622. Sed factus Agathenſis epiſcopus, mortuus eſt, an. 1629. die 24. Junii; unde Johanni minime ſucceſſit; quare miror ei datum locum in antiſtitibus Caſtrenſibus.

1583. 1599. 1632.

Lib. eccleſ. Gall. c. V. n. II.

De Foſſé.

XXVII. JOHANNES VII.

Johannes de Foſſé, Toloſas anterioris Johannis ex fratre nepos, jurium doctor, in ſuprema curia parlamenti Toloſæ ſenator, canonicus eccleſiæ Caſtrenſis, archidiaconus minor, deinde major, denique præpoſitus poſt tranſlationem Balthaſaris ad eccleſiam Agathenſem, epiſcopus Coronenſis, coadjutor, & patrui funeris ſucceſſor creatus eſt Romæ exiſtens apud S. Petrum die 27. menſis Januarii B. Joanni Chryſoſtomo eccleſiæ doctori ſacra, anno Domini 1617. Urbani papæ VIII. & ſanctæ Rom. eccleſiæ cardinalium elogiis commendatus; tumque coram ſacro conſiſtorio Latine peroravit, & ſequenti anno in eccleſia Carthuſiæ Toloſanæ ex diœceſi Caſtrenſi derivatæ, die XII. menſis Martii S. Gregorio papæ & eccleſiæ doctori dicata, conſecratus eſt, ab Alphonſo d'Elbene epiſcopo Albienſi, aſſiſtentibus Ludovico Bertier Rivenſi, Joanneque Jacobo de Fleyres coadjutore ſancti Pontii Tomeriarum Trojano epiſcopo: præſentibus quoque Leonardo des Trapes archiepiſcopo Auxitanenſi, Petro de Flaires ſancti Pontii Tomeriarum epiſcopo, Petro de Donaud Mirapicenſi, Claudio du Verger Vaurenſi, & Johanne Plantavitio Lodovenſi. Hujus epiſcopi zelus enituit in tuenda epiſcopali dignitate, & cultu Deiparæ virginis adverſus novatores. An. 1654. menſe Septembri vacavit ſedes per ipſius obitum.

ANNI CHRISTI. 1627. 1654.

D'Anglure.

XXVIII. CAROLUS FRANCISCUS.

Carolus Franciſcus d'Anglure de Bourlemont, filius Claudii marchionis de Sy, comitis de Bourlemont, & principis d'Ambliſe in Hannonia, ex Angelica Diaceta de Caſtro-Villano, frater Ludovici Burdigalenſis archiepiſcopi, ab eccleſia Adurenſi tranſfertur ad Caſtrenſem an. 1657. Inde traducitur ad metropolim Toloſanam, deſignatus a rege Chriſtianiſſimo, menſe Julio an. 1662. Moritur an. 1669. quatuor annis ſexagenario major.

1657. 1662.

Tubœuf.

XXIX. MICHAEL.

Michaël filius Simonis Tubœuf in Pariſienſi ſenatu advocati, ex Maria Talon, fuit primum regi ab eleemoſynis, & abbas S. Urbani, anno vero 1653. nominatione regia deſtinatur epiſcopus S. Pontii Tomeriarum; a qua ſede avellitur menſe Julio an. 1664. & fit epiſcopus Caſtrenſis. Anno ſequenti provinciæ comitiis adfuit; & eccleſiam ſuam ſolemni ritu ingreſſus eſt die 1. Martii. Regi fidem de more jurejurando promiſit die 3. Junii ejuſdem. Sua in eccleſia inſigne monumentum reliquit, palatium videlicet epiſcopale, quod eleganti opere conſtruxit. Eccleſiæ & chori fabricam inchoaverat, quando morte præreptus eſt die 16. Aprilis an. 1682.

1664. 1682.

De Maupeou.

XXX. AUGUSTINUS.

Auguſtinus de Maupeou Pariſinus, filius Renati præſidis in prima Inquiſitionum claſſe parlamenti Pariſienſis, ex Maria Doujat filia Johannis Doujat ſenatoris ejuſdem curiæ, doctor Sorbonicus, decanus inſignis eccleſiæ S. Quintini apud Viromanduos, in magno conſilio patronus regiarum cauſarum, loco Petri fratris ſui natu majoris, ſchedulam regiam, qua deſignabatur epiſcopus Caſtrenſis, accepit die 3. Julii anni 1682. Verum ob diſſidia inter curiam Romanam & regem regnumque Chriſtianiſſimum, non fuit admiſſus Romæ, niſi in conſiſtorio habito die 23. Novembris an. 1693. Conſecratur in eccleſia majori Narbonenſi die 10. Januarii an. 1694. a cardinali Bonzio hujus civitatis archiepiſcopo, cooperantibus Mimatenſi &

1682. 1693.

ANNI CHRISTI.

Lodovenſi epiſcopis, coram provinciæ comitiis A nunc Narbonæ congregatis. Regi fidem obſequiumque juravit die 4. Maii an. eodem. Anno
1705. vero 1705. die 11. Aprilis rex ipſum ſcripſit archiepiſcopum Auſcienſem; qua in ſede diem
1712. extremum obiit an. 1712.

De Quiquerand.

XXXI. Honoratus.

Honoratus de Quiquerand de Beaujeu, olim congregationis Oratorii alumnus, ex vicario generali Nemauſenſis epiſcopi creatus eſt epiſcopus
1705. Caſtrenſis menſe Aprili an. 1705. ſacroque oleo inunctus eſt die 25. Octobris ejuſdem anni ab Henrico de Neſmond Albienſi archiepiſcopo, in eccleſia novitiatus Societatis Jeſu apud Pariſios. Die 1. Novembris ſequentis, pro fide ac obſequio regi debitis præſtitit ſacramentum. Sedet nunc optimus epiſcopus, pergitque in dies probare quantum in comitatu, &, ſi ita loqui licet, ſub diſciplina præſtantiſſimi viri Spiritus Flechier Nemauſenſis epiſcopi profecerit. Sollicitudinem ipſius pro clericorum inſtitutione palam teſtatur ſeminarium ejus curis erectum.

ABBATIÆ DIOECESIS CASTRENSIS.

DUas duntaxat abbatias in hac diœceſi novimus Ardorellum, & Veterem-murum unam virorum, feminarum alteram. Prior ab initio fuit ordinis S. Benedicti; ſed paulo poſt inſtitutum Ciſtercienſe ſuſcepit. Poſterior a primis, ut aiunt, incunabulis S. Benedicti ſolius ſe legibus ſubdidit, & adhuc in priſtino perſeverat ſtatu. Itaque dicemus,

1. De Ardorello ordinis Ciſterc.
2. De Veteri-muro ordinis S. Benedicti feminarum. C

Ardorellum.

Hoc cœnobium ſitum ad declive montis inter nemora, diſtat quindecim leucis a Caſtrenſi urbe, tribus tantum ab amne *Tara*, qui in Agutum fluvium influit, paulo infra Caſtrum, originem traxit a Cadunio, antequam abbatia hæc Ciſtercienſi familiæ ſe ſe tradidiſſet. Hinc ab exordio Ardorellenſes regulam S. Benedicti amplexi ſunt, nulla ſocietate juncti cum Ciſtercienſi familia & congregatione, ut palam fiet ex his quæ infra de Fulcone I. abbate ſumus D dicturi.

Pro fundatoribus habentur Cæcilia vicecomitiſſa *a*, Bernardus Atconis vicecomes, & Rogerius eorum filius, in quorum & Bertrandi Albienſis epiſcopi manus Petrus Raimundi & Guillermus, & Raimundus Bonus-homo, & Guillabertus pro amore Dei, &c. dederunt in nemore de Ardorello ad allodium, quidquid opus fuerit monachis &c. an. 1124. & ii quidem pro inſignioribus benefactoribus habendi ſunt. His addo Artaldum Elenenſem epiſcopum. Anno 1138. jam Ardorellenſes cum Ciſtercienſibus coaluerant, ut liquet ex litteris & privilegio ipſis conceſſo ab Innocentio II. papa; ubi legun- E tur Ciſtercienſis ordinis.

Deſtructo ac funditus everſo a perfidis ſectariis monaſterio, qui gladium ipſorum evadere potuerunt e monachis, ad prædium (Grangiam vocant Ciſtercienſes) Rotam nomine in Vaurenſi diœceſi ſeceſſerunt, ibique conventum conſtituerunt uſque ad diem hanc: licet abbatia ſemper Caſtrenſi tribuatur & accenſeatur diœceſi.

a In fundatione hujus monaſterii primæ partes debentur huic vicecomitiſſæ Biterrenſi, & in chartario legitur: *hujus monaſterii fundatrix fuit devota Cæcilia nobilis vicecomitiſſa Biterrenſis, &c.* Vide inter inſtrumenta chartam VII.

Vide chartas. IV. & V. pag. 14. col. 2.

Vide C. VI. pag. 14. col. 2.

Seriem autem abbatum ad fidem veterum monumentorum contexuimus.

I. Abbas Fulco, Cadunii monachus præerat antequam cœnobium familiæ Ciſtercienſi uniretur. Id vero liquet ex epiſtola Guillelmi Albienſis epiſcopi de ipſo conquerentis, quod huic unioni, poſt fidem datam, repugnaret. Qua ex epiſtola novimus Fulconem fuiſſe ſimul patrem & abbatem Vallis-magnæ. Vide in præfato Guillelmo epiſcopo Albienſi. Porro unio hæc a Guillelmo optata paulo poſt fit anno circiter 1130. An. 1139. Rogerius filius Bernardi Atonis & Cæciliæ vicecomitum, dedit huic abbati ejuſque monachis terram de *Villa-nova*, pro honore & terra *de Cambones*. An. 1137. Fulco excipit donum Guillelmi de Miravalle. Ab Innocentio II. bullam protectionis obtinuit 1138. Eidem anno 1139. Bernardus de Cambarez, & uxor ejus Beatrix, dant tertiam partem manſi de *Noers*. Vide C. VII. ibid.

II. Guiraldus I. ſeu Geraldus anno 1145. memoratur in charta Guillelmi Raimundi monaſterio concedentis quidquid habebat in Villanova. Recenſetur etiam an. 1147.

III. Johannes I. an. 1148. obedientiam jurat Rigaldo epiſcopo Albienſi.

IV. Guillelmus I. cui anno 1151. Arnaldus Bernardi, & Bernardus Arnaudi de Monte-rotundo filii Pontii Bernardi donant totum honorem quem habebant de Arnaudeto, & honorem de Monte-falcone, & honorem de Verdeto.

V. Johannes II. 1155. excipit donum Girberti de Bretas.

VI. Petrus I. ſedebat anno 1156. Ejus tempore Artaudus Elnenſis epiſcopus anno 1162. abbatiam de Clariana monaſterio Ardorelli ſubjecit. Eidem abbati, anno 1164. Guilabertus Eſparveris, omnes honores & terras quas habebat in parochia S. Saturnini de Tinozaco, laudante Sicardo vicecomite de Lautreco, conceſſit. Eodem anno accepit quædam a Pontio Guillelmi, Geraldo de Barta Toloſæ ſedente. Anno ſequenti monaſterium in tutelam ſanctæ ſedis ſuſcepit Alexander III. Adhuc præerat anno 1168. & 1170. Vide C. VI. ibid.

VII. Bernardus I. an. 1173. in charta Fontisfrigidi.

VIII. Petrus II. an. 1176. adfuiſſe dicitur concilio Albigenſi, ex Rogero Hovedeno.

IX.

Digitized by Go

IX. Guillelmus II. desinente seculo XII. exhibet obedientiam Guillelmo Petri Albiensi episcopo.

Ex chartul. eccles. Alb.

X. G. abbas Ardorelli XVII. cal. Aprilis 1226. vice regis Ludovici VIII. hominium excipit. Forte idem est ac Guillelmus II.

Ex tab. Carcassen.

XI. Elias I. 1240. & 1245. quo anno excepit donum Guillelmi Malfredi de Columbario, teste Stephano abbate S. Marcelli, sedebat adhuc 1248.

XII. Bertrandus I. 1252. transigit cum Raimundo de Paderiis milite, & 1253. cum Jordano de Saxiaco. B

XIII. Elias II. 1258. transigit etiam cum Jordano de Saxiaco. Occurrit in quibusdam chartis 1261.

XIV. Guiraudus II. abbas Ardorelli sacramentum fidelitatis dicit Bernardo de Combreto Alb. episcopo III. cal. Februarii an. 1263. Idem an. 1268. & 1275.

Ex tab. Alb. & Candelii.

XV. Arnaldus 1277. componit cum consulibus de Monte-Leyderio, præerat etiam 1280.

XVI. Elias III. 1283.

XVII. Bertrandus II. 1283. sententiam arbitrariam obtinuit adversus consules de Caucalieres. 1286. excepit donum Raimundi Isarni, C Hugone existente episcopo Tolosano

XVIII. Johannes III. de Cahors 1290.

XIX. Bertrandus III. de Monte-lauro sub Hugone episcopo Tolosano 1294.

XX. Bernardus II. de Peyrussa sub Gallardo episcopo Tolosano 1308. 1309.

XXI. Johannes IV. Masso. 1316. 1317. Idem videtur cum Johanne abbate, quem reperimus 1319. 1320. 1328. 1330. 1336.

XXII. Durandus I. 1337.

XXIII. Johannes V. 1340.

XXIV. Durandus II. 1341. 1342. 1343.

XXV. Johannes VI. 1343. D

XXVI. Durandus III. 1344.

XXVII. Petrus III. 1350. 1354. 1357. 1359. 1361.

XXVIII. Raimundus 1366. 1375. 1379. 1389. 1391.

XXIX. Johannes VII. Saturnini 1397. 1404.

XXX. Deodatus I. Coste 1438. 1439. 1441. 1445.

XXXI. Petrus IV. Coste 1447.

XXXII. Deodatus II. Coste, obiit 1450.

XXXIII. Petrus V. Libaudi, abbas S. Marcelli per obitum Deodati electus abbas Ardorelli, confirmatur a Johanne Boherii abbate Cadunii 1450. E

XXXIV. Johannes VIII. Boysseti baccalaureus in decretis 1457. 1462. 1475. 1476. in charta Fontis Guillelmi 1478. Multa in utilitatem sui monasterii præstitit uti & sequens.

XXXV. Johannes IX. Boysseti bacalaureus in decretis, præcedentis nepos, sedit saltem ab anno 1500. ad 1539.

XXXVI. Antonius Pontaud primus commendatarius possessionem iniit 1539. abbatiam adhuc obtinebat. 1554.

XXXVII. Johannes X. de Mandagot regi a consiliis & eleemosynis 1564. 1565. 1567. 1586. Ejus tempore abbatia funditus eversa ab hæreticis, monachisque partim trucidatis, qui neci superstites fuerant ad Rodam secessérunt, & novum ibi monasterium condiderunt.

XXXVIII. Franciscus d'Amboise 1586. & 1590. transigit cum monachis.

XXXIX. Ludovicus I. de Cardaillac circa annum 1627. postea factus comes de Bioule.

XL. Johannes XI. de Cardaillac 1638. decessit 1666.

XLI. Michaël Bencalis de Pruines, abbatiam obtinuit 1667. 1676. transigit cum monachis 1684. sedebat adhuc 1688.

XLII. Ludovicus II. Girard de Labournac Claromont. frater Antonii P ctav. Epise. ejusque vicarius generalis, doctor & socius Sorbonicus Ardorello præest ab an 1688.

VETUS MURUS, vulgo

Vieil-mur, & *Mur-Vieil.*

HIc parthenon ordinis S. Benedicti olim diœcesis Albiensis, nunc Castrensis, ab ea urbe distat duodecim circiter leucis, & a Lautreco totidem. Positus est ad ripam Aguti fluminis, in valle amœna & pingui. Seriem abbatissarum collegit ex chartis D. Claudius Estiennot cui nonnulla adjecimus, aliis paucis emendatis.

I. Gisla regnante *Aenrico* præfuit. Ipsi Isarnus vice-comes & Frotardus cessérunt Vetus-murense cœnobium, Amelio Albiensi episcopo sedente, ut patet ex eorum charta data mense Octobri sub die feria 3. Amelius hic secundus est, qui præerat ecclesiæ Albiensi an. 1028. &c. *Ex tab. Vet. muri.*

II. Calva præerat an. 1140. quo cœnobium S. Orientii unitur Veteri-muro. Hæc Bertranno seu Bertrando episcopo exhibuit obsequium & obedientiam. *Ibid.* *Ex chartul. Eccl. Alb.*

III. Raimunda de Alto-pullo (*Haut poul*) regebat anno 1202. quo absoluta est basilica quæ adhuc superstes visitur, & dedicata fuit in honorem sanctæ Mariæ a S. Jayerii die XIII. Julii, Philippo Francorum rege, & Raimundo Tolosano comite.

IV. Fontia offertur benedicenda Guillelmo Petri Albiensi episcopo; eique promittit obedientiam an. 1218. ut produnt tabulæ ecclesiæ Albiensis. Obiit anno 1238. VII. cal. Augusti, epacta 3. luna 1. ex inscriptione sepulcrali.

V. Ducissa *al.* Duguessa memoratur abbatissa annis 1244. 1255. & 1256. quo vel extincta est, vel cessit.

VI. Comtors seu comitissa de Lautrec, ab anno 1256. ad 1286. soror erat vicecomitis Lautreci nomine Sicardi, qui ei dedit multa anno 1275. Idem plurima alia legavit suo testamento anno 1300. quo elegit sepulturam in hoc monasterio.

VII. Sibilia filia Bertrandi vicecomitis de Lautrec, eligitur abbatissa monasterii S. Mariæ de Vieilmeur diœc. Albiensis, sede vacante per obitum de Comtors abbatissæ ultimæ. XVI. cal. Sept. 1286. præfuit ad an. 1309. *Ex tabul. epis. Alb.*

VIII. Johanna I. de Lautrec ab an. 1311. ad 1339. An. 1312. Iolanda vicecomitissa Lautreci, voluit sepeliri in parthenone, cui legavit plurima. F

Digitized by Google

IX. Agnes de Laurrec ſufficitur anno ſalutem 1341. obiit an. 1345. deſinente.

X. Alienor de Laurrec præerat VI. nonas Maii pontificatus Gregorii XI. anno 7. quo dictus papa eccleſiam parœcialem de Rupecurva univit dicto monaſterio, & iterum 2 Junii 1379. quo Helias epiſcopus Caſtrenſis, rei geſtæ acta conſcripſit ſuper aſſignatione portionis congruæ vicarii in dicta parœcia inſtituendi. Sicardus de Laurrec epiſcopus Agathenſis, codicillo facto multa ceſſit monaſterio, ubi voluit ſepeliri in ſacello ſanctæ Margaritæ, juxta matrem dom. Marg. de Perigeux.

Ex tab. S. Cæciliæ Alb.

XI. Johanna II. amitæ an. 1382. ſucceſſit, & regit ad an. 1390.

XII. Catharina I. de Montbrun anno 1393. 1396. & 1413.

XIII. Eſclarmonda Ruffina 1419. & 1455.

XIV. Juliana I. de Cardaillac, anno 1456. & 1458.

XV. Johanna II. de Cardaillac an. 1458. 1486. & 1496. quo pedum ceſſit ſequenti.

XVI. Juliana II. reperitur abb. anno 1496. unde exiſtimamus Julianam duabus vicibus pedum geſſiſſe, & aliquandiu illud Johannæ ceſſiſſe.

XVII. Catharina II. de Cardaillac regit ab an. 1497. ad 1514.

XVIII. Franciſca de Veſc fit abbatiſſa, bulla Leonis papæ X. anno 1514. Romæ idibus Novembris data. Præfuit ad an. 1555. Soror erat Antonii de Veſc Caſtrenſis epiſcopi.

XIX. Magdalena d'Arpajou creatur abbatiſſa bulla Gregorii papæ XIII. anno 1576. cedit an. 1591.

XX. Antonia de S. Maurice, ceſſione Magdalenæ fit abbatiſſa, bulla Clementis VIII. an. 1591. biennio ſedit.

XXI. Johanna IV. de Cardaillac inſtituitur bulla ejuſdem Clementis data Ferrariæ an. 1593. VII. Kal. Novembris, pontificatus an. 2. Præfuit ad an. 1651. Fratrem habuit Ludovicum comitem de Rieule Septimaniæ progubernatorem.

XXII. Anna du Faur de S. Jorry renuntiatur abb. anno 1652. Obiit poſt optimam adminiſtrationem 1664. die 28. Januarii.

XXIII. Johanna V. Ludovica d'Arpajou, parentes habuit Ludovicum ducem d'Arpajou equitem torquatum, & Gloriandam de Lauzieres de Themines. In parthenone B. M. de Arpajonia in oppido Ameliano *Milhaud*, in Ruthenis a teneris annis vota emiſit. An. vero 1665. munita litteris tum pontificiis, tum regiis, regimen abbatiæ aſſumſit. An. 1677. benedicitur a Caſtrenſi epiſcopo Michaële Tubœuf. Multa ædificia nova conſtruxit, vetera reparavit. Vivebat an. 1679. quo D. Eſtiennot, ipſa annuente & hortante ex abbatiæ tabulario hæc deſcripſit.

ECCLESIA MIMATENSIS.

* Le Lot. Mimas ad Oltum * fluvium, nunc ſedes epiſcopalis Gabalorum, olim vicus tantum erat, a monte Mematenſi cui adjacet ſic dictus; qui illuſtratus martyrio & ſepulcro ſancti Privati epiſcopi Gabalitani, clarior evaſit; tandemque ſede epiſcopali nobilitatus eſt, ac factus civitas: quod Hadrianus Valeſius in notitia Galliarum putat non diu ante annum Chriſti milleſimum contigiſſe. Prius itaque Gabalitanus epiſcopus cathedram habuit in civitate Gabalum ſeu Gabalorum, ut probant priorum Galliæ conciliorum plurimæ ſubſcriptiones. Porro civitatem illam vocatam *Anderitum*, docent multa veterum teſtimonia. Quidam volunt vicum ſeu oppidulum *Javouls*, quod a Mimate quatuor leucis diſtat, fuiſſe olim caput gentis Gabalorum, ſimilitudine nominis potius quam aliquo certo teſtimonio adducti. Anderitum, ſeu Anderetum memoratur apud Ptolomæum, & in tabula Peutingeriana his verbis: *Segoduni, ad Silanum, Anderitum Coudate.* Gabalici vero populi in Aquitania prima vicini ſunt Arvernis, quorum imperio ſubditi erant, ut eſt teſtis Ceſar comment. de bello Gallico l. 7. Eos Narbonenſi provinciæ contiguos memorant Strabo l. 4. & Plinius eos Gabales vocans, quorum optimus caſeus apud eumdem commendatur lib. 11. c. 42. Gabalitanos Greg. Tur. vocitat ut & Sidonius, qui in ſummo vertice montis locat illorum oppidum in propemptico ad libellum:

Tum terram Gabalum ſatis nivoſam
Et quantum indigena volunt putari
Sublimem in puteo videbis urbem.

Quo tempore Mimas ad ſedis epiſcopalis dignitatem evectus ſit inquirendum. Si fides actis S. Privati ſit adhibenda, ibi S. Privatus ſedem habebat, *quod qui ante eum epiſcopi illic fuerant eo loco, & commorati & ſepulti eſſent.* Proindeque juxta hæc acta, ab Chriſtianæ religionis exordio, Mimas ſemper fuiſſet ſedes epiſcopalis, quod pugnat contra veterum conſuetudinem, & canones quibus cautum erat, ne in viculis cathedræ epiſcopales conſtituerentur.

Ex his eruditi quidam conjiciunt acta ſancti Privati non eſſe antiqua; quippe ut ſupra obſervatum eſt, ſedes epiſcopalis antiquitus non erat Mimati. Præterea, ex his actis habetur plures epiſcopos præceſſiſſe S. Privatum in epiſcopatu, quod minime eruditis adprobatur; maxime iis qui volunt S. Privatum occiſum eſſe in irruptione Alamannorum ſub Crhoco duce, facta an. 265. aut 268. Veriſimile tamen eſt Mimatem vicum poſt S. Privati martyrium, pace eccleſiæ reddita, populorum qui ad ejus ſepulcrum confluebant, frequentia factum eſſe celebrem; hocque loco epiſcopum & clericos ſedem fixiſſe. Nec obſtat quod hi præſules dicti ſunt nihilominus *Gabalitani*; non enim

ANNI CHRISTI.

ita dicti sunt a vico *Javouls*, sed a tota gente Gabalorum, cui præerant: quemadmodum diu dicti sunt Arverni episcopi, qui apud Clarum-montem sedebant, non Claromontenses, & qui Anicii, episcopi Vellavorum, appellabantur, non Anicienses aut Podienses, &c.

ANNI CHRISTI.

Mimas urbs sita est pene ad fontes Olti fluvii, non longe à Losera monte altissimo, juxta Apollinarem Sidonium altero Caucaso, qui pars est Montium Cebennarum (*les Cevennes*). Hæc urbs episcopalis olim sub metropoli Bituricensi, nunc sub Albiensi intra jurisdictionem parlamenti Tolosani, æqualiter pene distat a Ruthenis, Anicio seu Podio, & sancto Floro.

Episcopus est condominus cum rege, ac comitiorum Gabalitanæ provinciæ præses natus, olimque jure cudendæ monetæ fruebatur. Ecclesiam cathedralem B. Mariæ virgini dicatam Urbanus V. papa suis sumtibus instauravit. Capituli prima dignitas præpositus est: aliæ sunt archidiaconus & præcentor. Quindecim præterea canonicis constat. In diœcesi una duntaxat abbatia reperitur Mercorium, ducentæ vero circiter numerantur parœciæ.

Episcoporum qui huic sedi præfuerunt, seriem dederunt auctiorem Sammarthani fratres ex archivis episcopalibus & capituli, quam collegit dom. Esparbier archidiaconus ecclesiæ Mimatensis. Huic autem longe plurima adjecimus variis ex tabulis.

EPISCOPI MIMATENSES.

I. S. Severianus.

Sancti Severiani præter nomen nihil ad nos pervenit. Colitur in ecclesia Mimatensi die 26. Januarii; de eo vero Bollandus prorsus silet ad hunc diem. In indicibus autem episcoporum Gabalitanorum, primus inscribitur.

II. S. Privatus

S. Privatus martyrii palmam meruit, fustibus percussus jubente Chroco Alamannorum rege, uti refert Greg. lib. 1. hist. c. 32. *Irruentibus*, inquit, *Alamannis in Gallias, S. Privatus Gabalitanæ urbis episcopus, in crypta Memmatensis montis, ubi jejuniis orationibusque vacabat, reperitur, populo Gredonensis castri in munitione concluso. Sed dum oves suas bonus pastor lupis tradere non consentit, dæmoniis immolare compellitur. Quod spurcum ille tam execratus quam refutans, tandiu fustibus caditur, quoadusque putaretur animis: sed ex ipsa quassatione, interpositis paucis diebus, spiritum exhalavit.* Inter instrumenta & vetera monumenta ecclesiæ Avenionensis, dedimus orationem S. Amatii episcopi, in qua martyrii S. Privati mentionem facit, paulo postquam passus esset; ubi expendimus quo tempore contigerit. Quas pro tanto scelere pœnas dederit Chrocus, lege apud Gregorium Turon. ibidem. Baronius in Annal. refert hanc passionem ad annum 262. quam melius differes ad an. 265. vel 266. Apud Adonem legitur 21. Aug. *in territorio civitatis Gabalitanæ vico Mimatensi, natalis S. Privati episcopi*, quo die solemni officio colitur. Inter illustres viros a quibus laudatus est, Venantius Fortunatus ita de ipso canit, lib. 8. carmine 4.

Privatum Gabalus, Julianum Arvernus abundans,
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.

Fuit olim monasterium celebre in Gabalis sub S. Privati patrocinio, cujus abbas S. Lupentius florebat tempore Brunichildis reginæ. De hoc cœnobio agemus infra. Quis fuerit S. Privati successor, ignoramus. Genialis *de civitate Gabalum provincia Aquitanica*, qui subscripsit concilio Arelatensi I. an. 314. ibidem dicitur tantum diaconus; quamquam aliqui contendant, eum alicubi episcopum esse appellatum. Sane non raro diaconi eligebantur in episcopos. Quod spectat ad Veranum, quem nonnulli accensent episcopis Gabalitanis, de quo plura in proprio ecclesiæ Mimatensis die 13. Novembris, potius ad episcopos Cabellicenses sub Avenionensi metropoli revocandus videtur, quam ad Mimatenses; quemadmodum constat ex proprio Mimatensi, typis cuso sub pontificatu Caroli Rousseau Mimatensis antistitis.

III. S. Firminus.

Sancti Firmini episcopi Gabalorum memoria cum proprio officio celebratur in ecclesia Mimatensi die 14. Januarii. De ipso vero pauca, ne dicamus nulla, certo scimus; neque de tempore quo præfuit constat. Corpus ejus, cum diu latuisset, ipso revelante inventum est in Canonica (*la Canourgue*,) oppido Gabalitani tractus, scilicet in templo monasterii ordinis sancti Benedicti, cœnobio S. Victoris Massiliensis subjecti.

IV. Valerius.

Valerius episcopus Gabalitanus cum aliis multis Galliæ præsulibus scribit Leoni papæ an. 451. secundum fidem MS. Joannis Savaronis docti Arverni. Ipsi vero & aliis episcopis inscribitur epistola XII. S. Leonis papæ. 451.

V. Leonicus,

Leonicus subscripsit per Optimum diaconum concilio Agathensi, an. 506. ubi appellatur episcopus civitatis Gabalum. 506.

VI. S. Hilarius.

S. Hilarius * synodo Arvernensi adfuisse legitur an. 535. cujus canonibus chirographum apposuit cum titulo episcopi ecclesiæ Gabalitanæ. Ipsius corpus servatur apud cœnobium B. Dionysii prope Parisios, in sacello capitis, ut aiunt, quod est ampliſſimum retro majus altare, auctore hujus abbatiæ chronographo. Memoria autem Hilarii celebratur 25. Octobris. Brouverus in notis ad Fortunatum vult ab ipso 535.

* al. S. Hilarus, quem vulgus appellat S. Chlarus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

inſcribi ſancto Hilario Gabalitano ſalutationem quamdam poëticam carm. 9. lib. 3. In vita beati Leobini legitur ſanctum illum monachum Gavalenſem expetiiſſe urbem, & a beatiſſimo Hilaro ejuſdem urbis antiſtite *ſacerdotaliter* fuiſſe ſuſceptum. De eo vetus martyrologium ſpicilegii tom. IV. editum. VIII. *kal. Novembris, in Gavalis depoſitio B. Hilarii epiſcopi & confeſſ.*

A

VII. S. EVANTHIUS

Poſt S. Hilarii obitum, Ennodium *al.* Evodium, ex ſenatoribus preſbyterum, ut ait Gregorius Turon. electum fuiſſe epiſcopum in ejus locum autumat Cointius ad an. 535. num. 33. Sane Gregorius lib. de Vit. Patr. capite 6. narrat ab illo preſbytero S. Gallum Arvernenſem epiſcopum in quodam convivio eccleſiæ conviciis laceſſitum. Quare ipſi vaticinatus ſanctus epiſcopus, *quod epiſcopatum nunquam promereretur accipere, quod poſtea probavit eventus. Nam cum in Gabalitano ad epiſcopatum jam electus, jam in cathedra poſitus, jam cuncta parata eſſent, ut benediceretur epiſcopus, ita ſubito contra eum omnis populus conſurrexit, ut vix vivus poſſet evadere; qui poſtea presbyter tranſiit.* At vero incertum utrum id contigerit ante electum Evanthium, vel poſt ejus mortem; ad ſententiam tamen Cointii ultro accedit noſter Ruinartius in notis ad Gregorium Turon. Quidquid ſit, Evanthius
541. eccleſiam Gabalitanam regebat an. 541. quo adfuit concilio Aurelianenſi IV. ubi in ſubſcriptionibus legitur epiſcopus civitatis Gabalitanæ. Perperam vero illi quibuſdam in elenchis ſuffectus epiſcopus recenſetur Innocentius Gabalitanæ urbis comes, & poſtea præſul Ruthenenſis, quemadmodum teſtatur Greg. Turon. lib. VI. hiſt. c. 38.

B

C

VIII. PARTHENIUS.

Hunc epiſcopum in catalogis prætermiſſum debemus hiſtoriæ Gregorii Turon. qui libro IV. cap. 40. narrat contentionem fuiſſe inter Palladium, qui comitatum in urbe Gabalitana obtinuerat a Sigeberto rege, & Parthenium epiſcopum, *qui valde populum confidebat*, ſed conviciorum & calumniarum in hunc antiſtitem Palladius pœnas dedit amotus ab comitatu, Sigeberti regis juſſu. Cumque Romanus qui comitatum ambierat, in vulgus jactaſſet Palladium a Sigeberto rege morte afficiendum, hic perterritus enſi incumbens, necem ſibi ipſe conſcivit.

D

IX. AGRICOLA.

Convenit hic epiſcopus ad celeberrimam ſynodum Remenſem cum Sulpicio Bituricenſi ſuo metropolitano, & plurimis ejuſdem provinciæ præſulibus Albienſi, Ruthenenſi, Caturcenſi, &c. ſubſcripſitque canonibus retinens uſurpatum ab anteceſſoribus titulum Gabalenſis epiſcopi, ex Flodoardo l. 2. c. 5. Habitam hanc ſynodum anno 625. non vero 630. certis argumentis
625. demonſtrat Cointius; quod cauſæ eſt, ut cum hoc erudito viro Agricolam Ilero præponamus, qui antea præcedebat.

E

X. S. ILERUS *vel* ISERUS.

Locum habet pius hic præſul in *proprio* Sanctorum, quos peculiari cultu veneratur Mimatenſis eccleſia; duoque dies feſti ejus memoriæ aſſignantur in calendario, pridie nonas Octobris, & calendis Decembris, quorum unus eſt depoſitionis, alter tranſlationis. Notus eſt hic epiſcopus ex actis S. Enymiæ virginis ſororis, ut aiunt, Dagoberti regis, & Clotharii II. filiæ, quæ in pago Gabalitano, adjuvante fratre Dagoberto rege, condidit duplex monaſterium, & conſecrata eſt abbatiſſa a beato Ilero epiſcopo. Itaque ſedebat hic præſul anno 628. quo Dagobertus regnare cœpit in tota Gallia; proindeque in Aquitania, aut annis ſubſequentibus; unde non anteceſſit Agricolam, quem an. 625. præfuiſſe oſtendimus. 628.

Poſt hunc epiſcopum plurimi deſiderantur in catalogis; nulliſque occurrit ante Frodoardum, qui ducentis annis & amplius elapſis ſedebat. Conjicit Cointius plures ex præſulibus, qui leguntur in indicibus Genevenſium antiſtitum locupletiſſimis, cum titulo *Gebennenſium*, Gabalitanis accenſendos; qui Gebennenſes dici potuerant, ob Gebennam aut potius Cevennam montem, hujus dioceſis celeberrimum Mimati proximum.

XI. S. FREDALDUS *aut* FRODOALDUS.

S. Fredaldus tempore Ludovici Pii martyrio ſublatus eſt ab impiis hominibus, quorum dux fuit ipſius nepos, alter Judas, oſculo adhibito ad ipſum prodendum; memoranturque 4. Septemb. in officio Sanctorum Mimatenſium. Ejus corpus cuſtoditur in templo ipſius nomine inſignito prope Canonicam.

XII. AGENULPUS.

Agenulfus privilegio Trenorchienſi conceſſo in conventu Cabilon. an. 875. & concilio Pontigonenſi ſubſcripſit an. 876. ut Gabalitanenſis epiſcopus. Aginulfum Gebaldanenſem eum vocat Johannes papa VIII. epiſt. 150. an. 879. ad ipſum ſcripta, quam vide tom. IX. concil. col. 101. 875. 878.

XIII. GUILLELMUS. I.

Guillelmus I. circa an. 908. ut teſtis adfuit Anicii ſeu Podii Vellavorum, dum cœnobii S. Petri jacerentur fundamenta, ut patet ex charta fundationis hujus monaſterii. 908.

XIV. STEPHANUS. I.

Stephanus reſtituendam curavit cellam ſeu prioratum S. Enimiæ, an. circiter 951. ibique regularem revocavit diſciplinam, advocato de cœnobio S. Theofredi venerabili abbate Dalmatio, cui & monachis Theofredenſibus ſubjecit præfatam cellam. Vide l. VI. diplom. n. 137. p. 569. & annales Mabill. ad an. 951. n. 50. Adhuc etiam fortaſſe nominatur in alia charta, ibidem p. 570. n. 138. *pro commendatione domini Stephani præſulis.* 951.

XV. MATEFREDUS.

Matefredus vivebat an. 998. quo, cum hujus epiſcopi aliorumque conſilio, Stephanus vicecomes Gabalitanenſium, dedit eccleſiæ Romanæ partem de poſſeſſionibus ad conſtruen- 998.

ANNI CHRISTI.

dum monaſterium, ſub jure abbatis S. Theofredi. Exſtat charta lib. VI. diplom. num. 148. p. 579.

XVI. RAGAMUNDUS.

Ragamundus, qui & Raimundus, cujus
1029. nomen in tabulis an. 1029. & 1030. reperitur interfuit concilio Bituricenſi an. 1031. cujus acta habes tom. IX. concil. Labb. & Lemovicenſi ejuſdem anni. Notatu vero dignum eſt eum eſſe primum, qui dictus fuerit Mimatenſis epiſcopus Anno 1036. B. Privati corpus Ani-
1036. cium tranſtulit, miraculorum virtute conſpicuum, de quo in officio ſanctorum Mimatenſium.

De Peira.

XVII. ALDEBERTUS. I.

Aldebertus aut Hildebertus de Peire, ex nobiliſſima familia de Petra, Edelbertus etiam nuncuparus, ſubſcripſit decreto electionis Ieborii Lemovicenſis ep. factæ in ſynodo pridie nonas
1052. Jan. an. 1052. quod vide tomo IX. concil. Lab. p. 169. Dedit Canonicam (*la Canourgue*) ſancto Victori Maſſilienſi, cujus donationis factæ an.
1060. 1060. authenticum exhibemus inter inſtrumenta. Iſte epiſcopus cum fratre ſuo Auſtorgo fun-
Ch. I. p. 13. davit monaſterium de Cyriaco, evocatis e Maſſilienſi S. Victoris cœnobio monachis, in quo poſtea religioſam vitam amplexus eſt & profeſſus Urbanus V. papa, Guillelmus de Griſaco ante aſſumtionem vocatus. Charta funda-
C. II. p. 24. tionis, quæ inter inſtrumenta eſt ſecunda, legitur data XVII. cal. Aprilis an. 1062. Cœno-
1062. bium autem illud collegio Ruthenenſi ſocietatis Jeſu nunc unitum eſt. Ratam habuit donationem eccleſiæ ſancti Hilarii ſitæ ſupra flumen *Eſpadone* factam ab Ieterio de Soloniaco, cœnobio Gellonenſi, ſeu S. Guillelmi, ex ejuſdem loci tabulis.

XVIII. GUILLELMUS II.

Addendus eſt Mimatenſium præſulum ſyllabo Guillelmus hic, & quidem poſt Aldebertum I. in charta namque eccleſiæ ſancti Flori legitur, dum Urbanus II. eccleſiam & majus
1095. altare conſecraret VII. idus Decembris 1095. Guillelmum Mimatenſem epiſcopum duo altaria conſecraſſe, alterum a dextris majoris altaris in honorem B. Mariæ, alterum a ſiniſtris in honorem ſanctorum Innocentium. Hæc nos docet noſter D. J. Boyer, qui chartam inſpexit.

XIX. ROBERTUS.

Ejuſdem eruditi viri diligentiæ debemus epiſcopum hunc, qui in charta Cantogili (*Chanteuge*) nunc prioratus a Caſa-Dei pendentis, olim vero abbatiæ in Arvernis non longe a Brivate, invenit eum notatum & commemo-
1098. ratum menſe Septembri anni MXCVIII.

De Peira.

XX. ALDEBERTUS. II.

Filius fratris Aldeberti epiſcopi, de quo paulo antea egimus, erat hic præſul, qui erga patruum alioſque propinquos pius, anniverſarium pro ipſis inſtituit calendis Maii, in eccleſia Matenſi, anno 1109. Idem Cyriacenſe monaſterium multis locupletavit beneficiis.

ANNI CHRISTI. Ex ms. epiſc. 1109.

XXI. GUILLELMUS III.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ in ſua eccleſia reſarciendæ cupidus præſul hic ſeptemdecim eccleſias ſuæ diœceſis ceſſit canonicis, ut vitam profiterentur ſecundum regulam ſancti Auguſtini, juxta diploma Calixti II. pontificis maximi an.
1123. 1123. datum Laterani XV. calend. Aprilis, cujus exemplar in archivis capitularibus. Occurrit
1133. an. 1133. in charta eccleſiæ Albienſis, quo an. in Anicienſi conventu conſtitutionem fecit cum Umberto Podienſi, & Gauzerando Vivarienſi epiſcopis, in gratiam ſodalium hoſpitalis Podienſis. Eam una cum epiſtola Umberti Podienſis epiſcopi ad eamdem rem ſpectante, inter inſtrumenta Anicienſis eccleſiæ edituri ſumus. Conſtat dictum Guillelmum vixiſſe uſque ad an.
1150. 1150. ex diverſis recognitionum & hominiorum tabulis, Romæ per barones Gabalitanos de Petra & de Randone ipſi redditis.

De Tournel.

XXII. ALDEBERTUS III.

Aldebertus de Tournel cognomento *Venerabilis*, oriundus ex vetuſta & illuſtri familia de Tornello in pago Gabalitano, eligitur antiſtes
1151. epræpoſito Mimatenſis eccleſiæ anno 1151. nam in compoſitione ejuſdem cum Guillelmo abbate ſancti Victoris Maſſilienſis, annus Chriſti 1155. appellatur quintus ipſius epiſcoparus.

Hic præſul plurima excepit fidelitatis clientelaris ſacramenta, Romæ ſibi exhibita, & Eugenii III. papæ delegatione controverſiam compoſuit inter Petrum Anicienſem epiſcopum, ac vicecomitem de Polignaco, *al.* de Podemniaco (*Polignac.*) Is antiſtitum primus recognovit regi Ludovico VII. Juniori epiſcopatum ſuum eſſe de corona Franciæ [a], cui & ſucceſſoribus rex Gabalitani comitatus jura confirmat hoc diplomate, ex archetypis tabulis depromto:

Ego Ludovicus, &c.

C. III p. 24. Col. 2.

Corpus ſancti Privati relatum fuit ab eodem præſule Aldeberto. Adhuc ſedebat anno 1187.
1187. ex charta [b] venditionis factæ a Boumundo filio Buchardi de Petra, hoc an. Urbano papa, Philippo Francorum rege, & Aldeberto epiſcopo. Stephani Tornacenſis epiſcopi epiſt. VI. ad noſtrum ſcripta eſt Aldebertum.

De Peira.

XXIII. GUILLELMUS IV.

Guillelmus de Petra eligitur an. 1187. quod confirmatur ex charta Mercoriæ, in qua
1187. annus Chriſti 1207. indict. X. dicitur vigeſimus ejus epiſcopatus. Ejus vicario hominium reddidit baro de Mercorio eodem anno. Teſtis nominatur in charta juramenti fidelitatis

[a] Qua forte cauſa moleſta plurima paſſus eſt a ſuis, & a proprio fratre, quem dicit non legitime natum. De his conqueritur in epiſtola ad Ludovicum regem VII. quæ exſtat tomo 4. collectionis Quercetanæ hiſtoric. Franciæ p. 651. Vide etiam p. 688. aliam ejuſdem ad hunc regem epiſtolam. In ſchedis R. P. Andreæ a S. Nicolao Carmelitæ, quas ex archivis epiſcopalibus deſcripſit, legimus eum cognomen habuiſſe *de Canone*; fratrem vero ipſius fuiſſe dominum de Turnello, qui fratri bellum movit ob caſtrum de Capione ab ipſo ædificatum eccleſiæ ſanctis. Caſtrum hoc expugnavit dominus de Turnello, cepitque epiſcopum quem captivitate vitam claudit.

[b] Exſtat in tabulario abbatiæ Camporum-bonorum.

ANNI CHRISTI.

præſtiti Simoni comiti Montis-fortis anno 1214. A menſe Octobri apud Figiacum, pro caſtro de Capdenac; præſentibus etiam Guillelmo Cadurcenſi & Petro Ruthenenſi epiſcopis anno 1215. commemoratur in tabulario archiepiſcopatus Bituricenſis. Anno 1223. peregre Jeroſolimam profectus eſt, quem reſignaſſe epiſcopatum in manus Portuenſis epiſcopi ſedis apoſtolicæ legati mox oſtendemus.

1214.

1223.

XXIV. Stephanus II.

Stephanus magiſter ſcholarum electus a capitulo conſecratur Romæ a Galtero Carnotenſi epiſcopo, aſſiſtentibus Hugone Lingonenſi & B Sagienſi epiſcopis, de conſenſu Simonis Bituricenſis metropolitani 1223.

Ex chartul. Bituricenſ.

Ex litteris tum Stephani tum Galteri epiſcopi, quas damus charta IV. inſtrumentorum, diſcimus Simonem archiepiſcopum Bituricenſem; ideo Stephanum non conſecraſſe, quod nondum accepiſſet pallium. Ibidem Stephanus ait ſe non electum fuiſſe de gremio. In regiſtro Vaticani Stephanus Romæ conſecratus ab Honorio III. legitur: *haud dubie quin id factum ipſo jubente.* Hic papa ipſum prius diſpenſarat ſuper defectu natalium, vel potius diſpenſationem jam ab Innocentio III. datam confirmarat. Id patet ex ip- C ſa Honorii bulla, quam hic edendam duximus.

Mimatenſis electi confirmatio ab Honorio papa III.

1223. *Ex chartar. archiepiſcop. Biturr.*

Honorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo Bituricenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum optimum reparandi natales genus ſit, originis vitium virtute redimere meritorum, felicis recordationis I. papa prædeceſſor noſter dilecti filii magiſtri S. Mimatenſis electi, tunc magiſtri ſcholarum D *. . . . . conſiderans probitatem, cum ipſo ſuper defectu natalium diſpenſavit, ita tamen quod ſi eum ad honorem vocari contingeret præſulatus, nequaquam illum reciperet abſque licentia ſedis apoſtolicæ ſpeciali. Unde cum nuper dilecti filii Mimatenſe capitulum de ſpeciali mandato noſtro recepta epiſcopi ſui ceſſione a venerabili fratre noſtro Portuenſi epiſcopo, tunc apoſtolicæ ſedis legato, & ab eo ipſis injuncto, quod eccleſiæ ſuæ per electionem canonicam providerent de perſona idonea in paſtorem, in eumdem magiſtrum tunc ſacriſtam Brivatenſem canonice & concorditer direxerunt vota ſua, electus ipſe ac dilectus filius P. ar-* E *chidiaconus ejuſdem eccleſiæ cum electionis decreto ad noſtram propter hoc præſentiam acceſſerunt. Nos autem electionem reperientes de perſona idonea canonice celebratam, impedimento originis, quod de gratia ejuſdem prædeceſſoris noſtri ſublatum fuerat nonobſtante, ipſam de fratrum noſtrorum conſilio duximus confirmandam. Et licet clericus tuus proponeret eum ad te metropolitanum debere remitti, nec nunciatam tibi ceſſionem eamdem, nec eligendi a te fuiſſe licentiam poſtulatam, ipſum tamen cum prædictus legatus de mandato noſtro ceſſionem receperit, & electionem mandaverit fieri, juxta conſuetudinem eccleſiæ Romanæ potuimus ſine tuo præjudicio conſecrare. Sed nos in hac parte tibi ſicut & in multis aliis deferentes, eumdem ad te cum gratia noſtra remittimus & favore, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus difficultatem nullam ingerens, ſed gratiam recognoſcens abſque mora diſpendio conſecrationis ſibi munus impendas, ita quod tua inde poſſit diſcretio commendari; alioquin ne gregi Dominico diu deſit cura paſtoris, venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Viennenſi nos noveris injunxiſſe, ut adjunctis ſibi duobus epiſcopis cum auctoritate noſtra ſuffultus non differat, nullo ex hoc tibi vel eccleſiæ tuæ in poſterum præjudicio generato. Datum Lateranis* VI. *nonas Martii, pontificatus noſtri anno* VIII.

ANNI CHRISTI.

Nominatur Stephanus in diplomate chartophylacii cathedralis edito in inſtrumentis, quo rex Arragonum Jacobus profitetur clientelam pro caſtro de Gredona, VIII. idus Octobris an. Domini 1225. Stephanus dedit Antonio abbati Bonæ-vallis diœceſis Ruthen. eccleſiam beatæ Mariæ de Bonalbere, *al.* Bonalbery, reſervato cenſu 15. librarum ceræ. Actum III. Kal. Januarii anno MCCXXXII. Arnaldus de Petra præpoſitus & capitulum conſenſum præbuere huic donationi VIII. idus Januarii ejuſdem anni. An. 1234. IV. Kal. Martii indictione IV. Stephanus arbitralem ſententiam dedit inter capitulum Brivatenſe & capitulum Piperacenſe ejuſque abbatem Willelmum, de præbenda abbati Piperacenſi debita; qui quidem volens abbatiam cedere, aut ſuſcipere regendam, tenebitur capitulo Brivatenſi ſe ſiſtere, &c. Exſtat ejuſdem Stephani charta data Mercoriæ an. incarnationis MCCXL. indict. XIII. idib. Martii, cui bulla plumbea eſt appenſa. In ſchedis R. P. Andreæ a S. Nicolao viri eruditi, & antiquitatis illuſtrandæ ſtudioſiſſimi, lego hunc Stephanum epiſcopum cognominatum fuiſſe de Brivate, alias *Arrabagmes*, & ſtrenuum ſe oſtendiſſe in compeſcendis nobilium vexationibus erga ruſticos, quibus arare non niſi dominicis & ſolemnioribus diebus permittebant. Ut eorum ſuperbiam frangeret, multos equites & ducentos milites accerſivit, maxime ex Arvernia, qui ducibus domino de Mercorio, comite de Bononia, &c. Randonem de Caſtro-novo debellarunt, & 18. caſtra tam de feudo & retrofeudo, quam de proprietate Randonis ceperunt & deſtruxerunt. Dominum de duobus Canibus Mimatenſi urbi infeſtum profligavit idem epiſcopus, nullo ex ſuis vulnerato præter archidiaconum de genere dominorum de Petra, qui erat bellicoſiſſimus. Cœcus & grandævus apud Conagum obiiſſe dicitur ibidem.

C. V. p. 25. Col. 2.

1225.

1232.

XXV. Odilo I.

Poſt obitum Stephani electi ſunt ad ſedem epiſcopalem Armandus, *al.* Arnaldus de Petra, præpoſitus Mimatenſis, & Bernardus de Apcherio decanus Anicienſis, canonicuſque Mimatenſis. Ad quam contentionem ſedandam, uterque renuntiavit ſuæ electioni in manus Innocentii IV. Lugduni, & papa Odilonem de Mercorio juvenem, ſtudiis tunc operam dantem præfecit, qui tunc præpoſitus erat, & de-

ANNI CHRISTI.

canus Brivatensis ; has vero dignitates ex apostolica dispensatione retinuit, ac etiam prioratus omnes in Gabalis sitos, ut destinatam ecclesiam posset restituere. A

Quo anno factus fuerit episcopus nobis non constat. Visitur quoddam instrumentum factum Mercoriæ anno MCCL. indict. VII. XII. Kal. Junii O. id est Odilone Mimatensi electo. Cetera non minus strenue se gessit adversus nobiles, quam Stephanus, eosque ad homagia exhibenda compulit. Castrum de Capione sibi a domino de Tornello vindicavit, Randonemque de Castro-novo, qui urbem Mimatensem obsidione cingebat fugere compulit. Ceterocum intenso erga nobiles animo fuisse Odilonem minime putemus, qui ipse ex gente inter Arvernos nobilissima ortus erat ; parentes enim habebat Beraldum dominum de Mercorio, & Alcidam Burgundam stirpis regiæ feminam ; quo ex genere prognati sunt plurimi celeberrimi præsules ; in his S. Odilo abbas Cluniacensis. Fato functus est V. Kal. Februarii, an. 1273. post abdicatum diu antea episcopatum, ut infra dicemus. Erat decanus Brivatensis, etiam post relictum episcopatum, ex tabulis sponsalium Ponceti de Montelauro, & Alisendis filiæ Beraudi domini de Mercorio, X. Kal. Januarii, an. B C

1259. 1257. An. 1259. scripsit cum plurimis aliis episcopis ad S. Ludovicum Francorum regem, ut pro restituendis ecclesiæ bonis satagere dignaretur. An. 1268. mense Aprili subscripsit aliis tabulis sponsalibus ejusdem Alisendis cum Aymaro de Pictavia comite Valentin. qua in subscriptione non se dicit decanum Brivatensem, nec in multis aliis, ut videre est in instrumentis historiæ domus Arvern. Baluzii.

Ex inventar. thes. chart.

1268.

p. 82. 112. 332. 338.

p. 82. 92.

XXVI. ODILO II.

Alter hic Odilo ex genere quoque splendido, nimirum ex familia de Tornello erat prognatus. Composuit cum B. Ludovico rege pro castro de Gredone, & aliis feudis, ut constat ex diplomate authentico regii chartarum thesauri 1265. & 1266. mense Junio. Subscripsit mense Aprili an. 1266. promissis Aymari de Pictavia Valentinensis comitis, de ducenda Alixenti filia Beraldi de Mercorio. Construxit castrum Bellæ-sedis, ac pro ecclesia hujus loci concessit capitulo ecclesias de Lacham, & S. Martini de Campsalade ; ex litteris apostolicis Urbani IV. datis apud Urbem-veterem, nonis Martii, an. 2. in archivis episcopatus. D

Baluz. hist. Arvern. t. 2. p. 122.

1266.

XXVII. STEPHANUS III.

Stephanus [a] assumtus ad episcopatum 1273. an. 1277. compositionem iniit cum capitulo pro quatuor archipresbyteratibus & ecclesiis de Rivo-torto & de Crosansa. An. 1278. adfuit concilio provinciali apud Aureliacum celebrato. Ejus tempore fundatum est cœnobium Dominicanorum in urbe Marologiensi (*Marienge en Gevaudan*) an. 1278. a marchione de Canillac. Post ejus mortem diu vacavit sedes, ut nos docent litteræ Simonis Bituric. archiep. editæ inter instrumenta. E

1273.

Ex archiv. episcopali.

1278.

[a] Conjicit noster D. J. Boyer hunc esse episcopum de quo legit in necrologio Cantogilensi : VII. *kal. Augusti ob. Dom. Stephanus Dalmasonis episcopus Mimatensis, pro cujus anniversario faciendo Dom. Felchetii dedit nobis centum solidos semel solvendos.*

XXVIII. JULIANUS.

Hujus præsulis hactenus nobis ignoti memoriam conservat chartarum regius apud Parisios thesaurus ; ibi enim legimus Julianum cardinalem sancti Petri ad vincula, non ita pridem provisum, de Mimatensi episcopatu, fidelitatis sacramentum & hominium præstitisse an. 1279. Cetera quæ ad hunc episcopum & cardinalem spectant nobis penitus ignota.

ANNI CHRISTI.

1279.

XXIX. GUILLELMUS V.

Guillelmus Duranti, *al.* Durantes, *Speculator* dictus, ex nobili genere natus est in oppido de Podio-Missone (*Puy-Misson*) in Provincia & diœcesi [b] Rejensi. Adolescens jurisprudentiæ studio est addictus, in quo magistros habuit Bernardum Compostellanum archiep. & Henricum Segusianum, postea cardinalem Ostiensem. Bononiæ doctoris lauream meruit, ubi primum, deinde Mutinæ publice docuit. Eum Clemens IV. suum capellanum & palatii apostolici auditorem generalem constituit ; Gregorii vero X. procurator missus est ad concilium Lugdunense an. 1274. ubi papæ nomine multas constitutiones publicavit. A Nicolao III. patrimonii beati Petri rector creatur ; quo in officio ut dux militiæ generalis, in provinciis sanctæ sedi subditis, non semel pugnare coactus est adversus quasdam urbes rebelles. Quæ tunc gessit strenue, pluribus narrat Simon Majolus in ejus vita præmissa commentario in canones concilii Lugdunensis.

Cum talis tantusque esset Guillelmus, mortuo ultimo episcopo Mimatensi, per viam compromissi electus est ex decano Carnotensi 1286. Alter Guillelmus de Narbona Rodensis in ecclesia Narbonensi archidiaconus ab eodem capitulo antea postulatus fuerat in antistitem Mimatensem, sed sua sorte contentus insulas respuit ; qua de re Mimatense capitulum Simoni Bituricensi archiepiscopo rescripsit. Ejus electionem probat Honorius IV. anno I. sui pontificatus, II. nonas Februarii 1286. epistola ad eumdem archiepiscopum Bituricensem, quam damus in instrumentis, quia pene omnia quæ spectant ad Guillelmum, continet. At possessionem personalem non est adeptus nisi anno 1291. die XIV. Julii, quo anno sacramentum, quod jam per vicarium & procuratorem præstiterat, confirmavit. Tuncque excepit hominium Beraldi delphini domini de Mercorio pro terris quas possidebat in comitatu Gabalitano 1291. Eodem an. interfuit concilio Bituricensi. Cum Bonifacio VIII. carus esset, ei pontifex obtulit archiepiscopatum Ravennensem, quem constantissime recusavit. At labores minime detrectans, accepit legationem ad Saracenorum Sultanum, ab eodem papa sibi demandatam ; qua cum fungeretur Nicosiæ in Cypro insula obiisse pridie nonas Julii anni 1296. legitur apud Guillelmum Cave in historia litteraria. Sed contra id pugnat epitaphium Guillelmi Duranti, in quo legitur mortuus Romæ, & quidem die 1. Novembris ; quod confirmat

1286.

C. VII. p. 16.

1291.

[b] Alii dicunt Puymisson esse diœcesis Biterrensis ; idque significare videtur epitaphium Guillelmi infra edendum. Sed ibidem hic episcopus dicitur in Provincia genitus. Biterrensis autem diœcesis longe distat a Provincia.

ANNI CHRISTI. Bonifacius VIII. in bulla qua promovet Guillelmum hujus epiſcopi nepotem ad Mimatenſem epiſcopatum, ubi dicit ejus patruum obiiſſe apud ſedem apoſtolicam. Corpus ejus Romæ conditum eſt in templo ſanctæ Mariæ ſuper Minervam, ubi opere muſivo viſitur ejus tumulus cum ipſius jacentis effigie. In tabella marmorea infra ſepulcrum legitur hoc epitaphium:

Hic jacet egregius doctor præſul Mimatenſis,
Nomine Duranti Guillelmus regula morum:
Splendor honeſtatis, & caſti candor amoris:
Alnum conſiliis ſpatioſum mente ſerenum:
Hunc inſignibat immotum turbine mentis.
Mente pius, ſermone gravis, greſſuque modeſtus,
Extitit infeſtus ſuper hoſtes more leonis:
Indomitos domuit populos, ferroque rebelles,
Impulit, eccleſiæ victos ſervire coëgit.
Comprobat officiis, paruit Romania ſceptro:
Belligeri comitis Martini tempore quarti:
Edidit in jure librum, quo jus reperitur:
Et ſpeculum juris, & patrum pontificale:
Et rationale divinorum patefecit:
Inſtruxit clerum ſcriptis, monuitque ſtatutis:
Gregorii deni, Nicolai ſcita perenni
Gloſſa diffudit populis, ſenſuſque profundos:
Jure dedit mentes corpus luce ſtudentum:
Quem memori laude genuit Provincia dignum:
Et dedit a Podio Miſſone diœceſis illum:
Inde Biterrenſis, præſignis curia papa:
Dum foret eccleſiæ Mimatenſis ſede quietus,
Hunc vocat octavus Bonifacius, altius illum
Promovet, hic renuit Ravennæ præſul haberi.
Fit comes invictus ſimul hinc & marchio tandem,
Et Romam rediit domini ſub mille trecentis
Quatuor amotis anni tumulante Minerva.
Surripit hunc feſtiva dies, & prima Novembris.
Gaudia cum ſanctis tenet omnibus inde ſacerdos:
Pro quo perpetuo datur hac celebrare capella.

Guillelmi Duranti pleraque opera juriſprudentiam ſpectant, ſcilicet Speculum juris (*unde* Speculatoris *nomen ipſi datum.*) Repertorium juris; commentarius in canones concilii Lugdunenſis; breviarium gloſſarum & textuum juris canonici. Ejuſdem quoque eſt rationale divinorum officiorum in libros octo diſtributum. De eo ſcripſerunt accuratius Simon Majolus in ipſius vita commentario in canones concilii Lugdunenſis præmiſſa, Fichardus in vitis juriſconſultorum, Ughellus. Errant autem qui ipſum non diſtinguunt a Durando de S. Porciano epiſcopo Anicienſi & Meldenſi, necnon qui eumdem eſſe putant cum altero Guillelmo Duranti, de quo nunc agendum.

XXX. GUILLELMUS VI.

Alter hic Guillelmus Duranti ſuperioris nepos, ut nominis & cathedræ, ita dotum animi & ingenii heres, erat archidiaconus eccleſiæ Mimatenſis, licet adhuc junior, quando ad epiſcopatum aſſumtus eſt bulla Bonifacii papæ VIII. data an. II. ejus pontificatus, quam vide in inſtrumentis. Guillelmus an. 1297. conſentiente capitulo conſtituit, neminem ad canonicatus eccleſiæ admittendum eſſe, cujus conſanguinei uſque ad tertiam generationem aliquo modo eccleſiæ Mimatenſi moleſtiam intuliſſent. An. 1299. VIII. Kal. Octobris admiſit ad homagium Beraldum dominum de Mercorio pro caſtro de Verdeſuno. Anno 1300. pridie idus Julii nomine ſuo & eccleſiæ Mimatenſis permutavit cum abbate Piperacenſi prioratum S. Johannis Mimatenſis extra muros, pro prioratu S. Petri de Graſis. In quodam inſtrumento dato an. 1305. v. nonas Julii pro quibuſdam permutationibus viſitur ejus ſigillum, in quo eſt epiſcopi effigies in pontificalibus, & legitur: *S. Guillelmi Gabalitanorum epiſcopi.*

An. 1306. pariagium edidit cum rege Philippo Pulcro ſuper comitatu Gabalitano, ac juribus regalium Mimatenſium; ex quo apparet mendum eorum, qui id Speculatori Durando patruo tribuunt, uti Chenutus aſſeruit. Præterea litem admodum arduam compoſuit inter Petrum Ruthenenſem epiſcopum & Bernardum comitem, de qua in archivis epiſcopatus, ubi in autographo Guillelmum VI. ſeſe appellat. Unus fuit ex octo quibus Clemens V. commiſit inquiſitionem cauſæ Templariorum, litteris Auguſtoriti Pictonum datis pridie idus Auguſti an. III. ſui pontificatus; quæ editæ ſunt a Petro Puteano in hiſt. Templariorum. Interfuit concilio Viennenſi an. 1311. deque rebus in eo actis relationem ſcripſit.

An. 1312. collegium omnium Sanctorum de bonis tam ſuis, quam Guillelmi III. Speculatoris ſui patrui fundavit in loco ubi erat ſynagoga Judæorum, quos expulit. Compoſitionem ab eo factam, tum ſuo, tum communitatis Gabalitanæ nomine, cum Beraldo de Mercorio conſtabulario Campaniæ, de terris & toparchiis, quas tenebat Beraldus intra comitatum Gabalitanum, rex approbavit & ratam habuit. Is eſt haud dubie Beraudus de Mercorio, qui die Pentecoſtes an. 1314. condens teſtamentum, illius exſecutionem demandavit noſtro Guillelmo. An. 1316. ſedit in parlamento Pariſienſi, ex Guillelmo Budæo in lib. ultimo de ſenatoribus. Eodem an. die ultima Martii, cum electus eſſet judex inter Petrum patriarcham Jeroſolym. epiſcopum Ruthenenſem, & legatum ſanctæ ſedis in provinciis tranſmarinis, ex una parte, ac Bernardum comitem Armaniaci, tutorem filii ſui Johannis comitis Ruthenenſis ex parte Cæciliæ comitiſſæ Ruthenenſis ejus matris; ex quorum diſſidiis multæ cædes & incendia orta fuerant; ſententiam qua hæc ſopirentur ſcripſit; litteriſque datis die VII. Octobris comitem accerſivit Mimatum, ut intereſſet ferendo de his querelis judicio. An. 1317. Philippus rex eum cum Laudunenſi epiſcopo deputavit ad componendam litem inter Iſabellam filiam Sancii Hiſpaniæ regis, duciſſam Britanniæ, & Guidonem de Britannia, pro reſtitutione vicecomitatus Lemovicenſis aſſignati prædictæ duciſſæ pro dote & donatione propter nuptias, quem tamen Guido frater Johannis ducis occuparat; menſe vero Aprili facta eſt induſtria & prudentia Guillelmi epiſcopi ejuſque collegæ regis conſiliariorum amicabilis compoſitio, inter diſſidentes. Eodem an. mittitur a Philippo V. rege pro componenda pace inter eum & Robertum Flandriæ, ac Ludovicum Nivernii comitem, ejuſque

ANNI CHRISTI. 1299. *Ex tab. Piperac. Ibid.* 1306. *Ex tab. burgi Ruthenenſis.* *Ex tab. variis Ruthen. ejuſque inventar. in bib. Colbert.* 1317. *Ex regeſto cam. comp. Pariſ.* *V. inſtr. hiſt. Arc. Balu-zii p. 338.* 1316. *C. VIII. p. 26. col. 2.* 1297. *Vide inſtr. hiſt. Brit. p. 470.*

ANNI CHRISTI.

ejusque filium. Idem princeps [a] nonnisi ejus consilio consensuque, & Ludovici Ebroicensis comitis patrui, voluit Johannam reginam post regis mortem, posse uti chartis pacta matrimonialia inter regem & reginam continentibus, quas in arce Monstrolii asservandas constituerat. Hic episcopus adhuc memoratur in chartis Mercoriæ anno 1328. Ei scribit Marinus Sanutus in hist. secretorum crucis 1326. de statu belli sacri, eum episcopum Mimatensem & comitem Gabalitanum, ac procuratorem passagii vocitans. De illo plura habent tabularia collegii dicti Omnium Sanctorum in civitate Mimatensi. Jacet in ecclesia B. Mariæ de Cassiano in tumulo marmoreo, cum effigie, in ornamentis pontificalibus. In sacello S. Privati episcopi Mimatensis, fornix, propylæum, &c. exhibent ejus insignia qualia in Gallia Christ. Sammart exprimuntur, nisi quod pro stellis, sint trifolia. Juris pontificii fuit peritissimus. Scripsit tractatum de modo celebrandi concilii generalis, & de corruptelis in ecclesia reformandis, qui lectus est in concilio Viennensi sub Clemente V. cujus jussu hoc opus elucubrarat.

1328.

XXXI. Bernardus.

De hoc episcopo nihil invenimus præter nomen quod inscribitur chartæ Mercoriæ anni 1329.

1329.

XXXII. Johannes I.

DE ARCEIS.

Johannes de Arceis eodem anno 1331. creatus est episcopus Mimatensis, & ab hac sede translatus ad Augustodunensem. Hinc de ipso nihil in registris repertum; nisi quod cum an. 1331. a capitulo accepisset pontificale, missale, ac *duas capellas*, quæ a Guillelmo Durando juniore sibi legata fuerant, ea restituit eidem capitulo an. 1334. cum jam migrasset ad sedem Æduensem; quod factum est, ut diximus, an. 1331. per assumtionem Petri Bertrandi Augustod. episcopi ad cardinalatum hoc anno, XIX. aut XX. Decembris. In registris cameræ computorum legitur regaliam hac in ecclesia inchoatam die XIX. Decembris anno 1331. perseveralle usque ad diem IX. Februarii ejusdem anni; quo tempore Johannes noster possessionem obtinuit hujus episcopatus.

XXXIII. P.

P. tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, reperitur electus Mimatensis 1331. IV. Maii ex libro obligationum curiæ Romanæ. Baluzius in notis ad vitas pap. Avenion. fatetur ita legi in libro obligationum; attamen totam hanc narrationem arguit falsitatis, quod Johannes de Arceis tunc esset Mimatensis episcopus. Quidquid sit, ea notatu digna nobis visa sunt.

ed. 744.

LORDETI.

XXXIV. Albertus IV.

Albertus Lordeti Chiriacensis, electus 1331. XXIII. Decembris, episcopus & comes Gabalitanus in citatis libris obligationum scribitur; juramentumque præstitit capitulo an. 1332. Idem 1334. dotavit collegium S. Lazari in ecclesia cathedrali; nominatur 1340. X. Aprilis in conventione inter Armandum dominum de Castronovo, & Guarinum de Apcherio, pro fidelitate mutua præstanda; exstatque compositio inter ipsum Aldebertum & capitulum 1355. in libro statutorum ejusdem ecclesiæ. In chartis parthenonis Mercoriæ nomen ipsius honoris ergo appellatur anno eodem 1355. mense Maio, Johanne Francorum rege.

ANNI CHRISTI.

1334.

1340.

1355.

XXXV. Petrus I.

D'ARDRE-PEUILLE, *al.* D'ARPAJONA.

Petrus de Agrifolio, quem sedisse in ecclesia Mimatensi docet Raimundi Ruthenensis episcopi ejus fratris testamentum, non potuit hanc obtinere sedem, nisi post Albertum Lordeti, & ante Alberum sive Adelbertum de Petra; brevi quidem intervallo, circiter annum 1355. & 56.

XXXVI. Aldebertus V.

DE PETRA.

Aldebertus ex baronibus de Petra inscribitur chartis Mercoriæ annis 1357. ac 1360. & an. 1361. in tabulis archivi episcopalis & capituli.

1357.

1361.

XXXVII. Guillelmus VII.

Hic episcopus jam episcopalia munia exercebat an. 1361. mense Decembri, quo tempore Petrus de Sinzellis prior Cantogilensis (*Chantenge*) in Arvernia ipsi præsentavit Itherium Juliani ad ecclesiam sancti Symphoriani die Lunæ ante festum beatæ Luciæ virginis. Anno sequenti regi Francorum clientelam professus est Villæ-novæ prope Avenionem die 28. Maii. Paulo post, nimirum die 1. Junii confert ecclesiam Grandis-vallis, abbate Casæ-Dei præsentante, ex archivo Cantogilensi. Locum in tabulis adhuc habet an. 1364. die 4. Januarii. Illum nonnulli crediderunt Urbanum V. pontificem maximum; sed eorum error refellitur ex compositione inter istum Guillelmum & capitulum an. 1363. II. pontificatus Urbani V. in codice veteri statutorum dicti capituli, fol. 9.

1364.

XXXVIII. Petrus II.

GERARDI.

Petrus Gerardi Urbani V. nepos, ab ecclesia Uceticensi ad Mimatensem vocatus, die 2. Aprilis an. 1366. sacramentum præstitit; demum ad Avenionensem translatus est mense Octob. an. 1368. uti patet ex litteris apostolicis Urbani, datis Viterbii XVI. cal. Nov. anno 6. in archivis capituli & regesto obligationum. An. 1367. die penultima Decembris, Berardus dominus de Mercorio fidem clientarem promisit, *amotis caputio & mantello* cum magna humilitate, pro omnibus castris, villis, &c. dom. Petro episcopo Mimat. & comite Gabalitano. Post Petri translationem ad sedem Avenionensem, Urbanus papa V. prius dictus Guillelmus Grimouard de Grisaco, e nobili familia de Grisaco in diœcesi Mimatensi, noluit huic sedi præficere episcopum; eamque suscepit per vicarios suos regendam. Quapropter episcopis Mimatensibus annumerari potest.

1366.

1368.

Ex regist. camera comput. Paris.

[a] Ipsamet regis verba descripsimus: *Ita tamen quod dicta confirmatio nostra* * *poterit quando eisdem super dictis litteris rodigueris post decessum nostrum ipsas recepere de consilio & consensu, & non aliter, dilectorum & fidelium nostrorum Ludovici comitis Ebroicensis carissimi patrui nostri, Guillelmi episcopi Mimatensis. Actum Pissiaci die 16. Augusti anno Domini* 1317. Ex cam. comp. Divion. *Liv. des partages, fo. 2. c. 37.*

* *Johanna regina.*

tized by Google

ANNI CHRISTI.

XXXIX. Urbanus Papa V.

Hic vir præstantissimus ex monacho S. Benedicti & abbate beati Germani Autissiodorensis, inde Massiliensis sancti Victoris, absens quidem, sed cardinalium collegio probe notus eruditione[a], prudentia, pietate, industria, aliisve meritorum insignibus, ad sedis apostolicæ fastigium evocatur anno 1362. pridie cal. Nov. Urbani V. nomine sumto, quem prolixa epistola l. 7. Senil. Petrarcha orator & poëta clarissimus multo genere laudum cumulat. Ejus gesta fusius prosecuti sunt scriptores pontificii. *Hic autem ecclesiam Mimatensem*, verba sunt bullæ, *affectu paterna charitatis gerebat in visceribus, sicut filiam prædilectam*; & ideo Petrum Gerardum transtulit ad Avenionensem, ut eamdem Mimatensem ad manus suas apponeret, quam per vicarios administravit, diplomate dato Romæ VIII. cal. Feb. an. VII. & omnes fructus, redditus ac proventus episcopatus, antiqua ecclesia funditus deleta, ad ampliationem novæ cathedralis concessit a
1368. die 11. Octob. 1368. usque ad suum obitum 1370. quod ædificium ab eo inceptum sequentes episcopi & capitulum absolverunt. Idem Urbanus fundavit duas ecclesias collegiatas in ea diœcesi sub honore beatæ Mariæ Virginis, unam vocatam de Quezac, alteram de Bedoesc. Quamdiu autem summum pontificatum tenuit, Mimatensis, ut dictum est, episcopatus gubernacula tractare voluit, unde eo sedente in Petri cathedra, non est auditus alius antistes, qui Mimatensibus jus divinum diceret. Avenione tandem
1370. persolvit debitum mortalitatis 1370. 19. Decembris. Massiliam elatus sepelitur in abbatia S. Victoris; *vir*, inquit Platina, *singularis virtutis, ingentis animi, innocentissimæque vitæ*; &, ut subdit Spondanus, annal. tomo 1. *laudatissimus omnium ore pontifex, cujus exstant plurima præclara tam publica, quam privata gesta; necnon excellens & plane ecclesiasticus, atque monasticus vivendi ejus modus, justitiæ zelus, flagitiosorum execratio, morum curiæ reformatio, fundationes collegiorum & monasteriorum, ædificia sacra, profusa eleemosyna in pauperes, parcitas in suos consanguineos, & alia ejusmodi, cum multis fuisset, ingentibusque post obitum a Deo miraculis illustratus, quæ magno numero vitæ ejus processu* b *recensentur, meminitque eorum Petrarcha.*

b

DE CHANAC.

XL. Guillelmus VIII.

Guillelmus de Chanaco ex diœcesi Lemovicensi oriundus, dictus cardinalis Mimatensis, antea monachus, & abbas sancti Florentii Salmuriensis, episcopusque Carnotensis, ad Mimatensem cathedram accessit per vicarios die
1370. 7. Februarii anni 1370. Creatus est cardinalis a Gregorio XI. in prima promotione facta feria sexta 4. temporum post Pentecosten anno 1371. ex priori vita Gregorii XI. Eodem anno die VI. Aprilis Carolus rex Franciæ suis litteris huic *fideli consiliario* per modum pensionis concessit quingentos francos auri, super turri pon-

a Fuit doctor in decretis & professor juris canonici in academia Avenionensi teste Ciaconio.

b Asservatur in tabulario sancti Victoris.

A tis de Avenione. In celebri collatione habita apud Villam-novam prope Avenionem die 19. Augusti 1375. inter Gregorium papam XI. & Ludovicum ducem Andegaviæ, pro expeditione in Lombardiam, pontificis mandato ille Guillelmus de Chanaco cardinalis Mimatensis, uti se indigitat, & si non amplius esset Mimatensis episcopus, cum Roberto Gebennensi, & Petro S. Eustachii cardinalibus autographum pactorum chirographo signavit, quod asservatur in archivis cameræ computorum Parisiis. Obiit Avenione 30. Decembris an. 1383. unde ejus cadaver delatum est ad ecclesiam S.
B Martialis Lemovicensis, ubi jacet in sepulcro marmoreo ad latus dextrum majoris altaris, ejus effigie ex marmore tumulo superposita. Male autem dicitur a quibusdam ortus e prosapia dominorum de Pompadorio, cum stemma gentilitium de Chanaco ceræ impressum, burellæ scilicet cum leone, repugnet tribus turribus, quæ in parma Pompadoriæ domus spectantur. Occasio hujus opinionis fuit, quod extinctis masculis, omnis hereditas gentis Chanacæ translata fuerit ad Pompadoriam, per Blancham, seu Galienam de Chanaco, quæ anno 1455. nupsit Ranulfo seu Raynaldo de Pompadorio.

ANNI CHRISTI.

V. Baluz. in notis ad vit. pap. an. c. 1086.

XLI. Bompar.

C Bompar, aliter *Bonus-par* nonnullis in chartis cognomento *Virgilii*, anno 1366. erat papæ subdiaconus, ut legimus in charta Turennensis archivi a Baluzio edita inter instrumenta hist. dom. Arv. p. 349. Hinc non mirum, quod papa favente, episcopatu donatus sit. Adiit possessionem ecclesiæ Mimatensis die 3. Augusti
1371. anno 1371. In archivo Cantogilensi cum titulis episcopi Mimatensis & comitis Gabalitani occurrit anno 1374. mense Junio. Duas capellanias sanctæ Annæ in ecclesia cathedrali funda-
1374. vit; & cum successisset bonis paternis, heredem
D instituit communitatem presbyterorum & clericorum suæ ecclesiæ, quæ ejus insignia in perpetuam tantæ liberalitatis memoriam assumsit; fuit autem hoc donum valoris viginti quinque millium florenorum auri. Obiit Bomparus ultima die Julii 1375. ex registris capituli.

DE GARDA.

XLII. Pontius.

Eodem an. 1375. Pontius de Garda suffectus
1375. est, adiitque possessionem per procuratorem; nec per se accessit, nisi anno 1377. quo tempore sacramentum de more præstitit. Ipsius frequens est commemoratio in tabulis capituli. In Piperacensibus exstat testamentum Guarini de Meyrone factum anno 1382. die XI. Novembris, ubi
E occurrit Pontius de Garda episcopus Mimatensis; & anno 1383. die 6. Septembris memoratur
1383. in charta prioratus sancti Symphoriani de Thoracio Casæ-Dei subjacentis, ubi episcopi Mimatensis & comitis Gabalitani titulo donatur. Vacabat sedes anno 1387.

D'ARMANAC.

XLIII. Johannes II.

Johannes de Armaniaco ex clarissima stirpe Armaniacensi, antea Lomaniæ archidiaconus in ecclesia Lectorensi, electus reperitur 1387. ac
1387.

ANNI CHRISTI.

confirmatus Avenione. Eodem anno kal. Maii sacramentum regi dixit pro bonis episcopatus. Multa de ipso in archivis capitularibus notantur, illud imprimis quod anathemate percusserit Petrum Valmaniere canonicum Mimatensem, quia sibi in festo sanctæ Spinæ celebranti pontificali pompa ministrare in officio subdiaconi noluisset.

DE BOSC.

XLIV. ROBERTUS II.

Roberti cognomen erat de Bosco, ut infra dicemus. Quo tempore præesse cœperit conjicere licet ex tabulis consistorialibus, quibus inscribitur die 13. Novembris anno 1390. Chartæ quædam parthenonis Mercoriæ annorum 1392. & 1393. nomen ejus præferunt; quo anno de eo quædam occurrunt in archivis episcopi. Anno vero 1400. die 20. Septembris, in charta Cantogilensi memoratur. An. 1404 *. compositionem iniit cum capitulo super modo conferendi canonicatus & præbendas; & 1405. cum domino de Tornello, pro intortitiis deferendis in festo Corporis Christi. Decessit anno 1408. saltem hoc anno sedem vacasse constat. De eo ita legitur in necrologio S. Illidii: *Kal. Martii obitus dompni Roberti de Bosco episcopi Mimatensis, officium plenarium, qui dedit nobis semel unum calicem pretio* XXXV. *librarum. Item plus in pannis sericis, & in aliis paramentis altaris ad valorem* XXVIII. *librar. an. Dom.* MCCCCVII.

1390. B

1400. * *al.* 1402. *ut lego in nostris schedis.*

1405.

C

DE BOISRATIER.

XLV. GUILLELMUS IX.

Guillelmus de Boscoraterii mense Januario anno 1408. eligitur, episcopatumque tenuit usque ad diem 21. Octobris ejusdem anni, quo ad archiepiscopatum Bituricensem transfertur, depositio prius episcopatu in manibus capituli in gratiam sequentis. Exstant litteræ commendatitiæ Universitatis Parisiensis ad capitulum pro electione Guillelmi, quæ in archivis capituli asservantur.

1408.

D

DE SALUCES.

XLVI. PETRUS III.

Petrus de Saluciis canonicus & comes Lugdunensis, Frederici marchionis Saluciarum ex Beatrice Gebennensi filius, frater Amedei cardinalis, episcopus electus post translationem Guillelmi, an. 1409. possessionem adipiscitur, exemtus e vivis an. 1412. ex actis capitularibus.

1409.

DE MIRE-MONT.

XLVII. HERALDUS.

Hic episcopus corrupte dictus *Eraclius*, cognomento de Miromonte, quod gerebat Bertrandus episcopus Convennarum anno 1263. & sequentibus, eligitur anno 1412. Eum translatum fuisse ad cathedram Carcasson. anno 1413. docent tabularia episcopalia, quamvis ipsi locus non inveniatur inter episcopos Carcassonenses; anno enim 1413. episcopus erat Gerardus de Podio. Sed his temporibus cum flagraret schisma, facile fieri potuit, ut Gerardo dejecto ab una partium, Heraldus subrogaretur.

1412.

E

XLVIII. JOHANNES III.

In utraque Gallia Christiana Roberti & fratrum Sammarthanorum, duo episcopi cognomines Johannes de Costa, e sede Cabilonensi translatus an. 1413. aut 1414. ad ecclesiam Mimatensem bulla Benedicti XIII. & Johannes de Corbia, frater Arnaldi de Corbie Franciæ cancellarii successive ponuntur post Heraldum seu Heraclium, uti vocant. In schedis R. patris Andreæ a S. Nicolao, unicus invenitur Johannes de Larberia, qui electus dicitur an. 1413. & mortuus an. 1426. Fieri potuit ut Johannes de Costa episcopus Cabilonensis satis notus, obtinuerit bullam translationis ad sedem Mimatensem a Benedicto XIII. dicto Petro de Luna. At cum hic jam esset rejectus pene ab omnibus, qui antea eum pro vero papa venerabantur, hujus translationis litteræ haud dubie effectu caruerunt. Itaque unicum Johannem hoc loco episcopum agnoscimus, cognominatum de Corbia, vel Corberia; ex qua voce corrupta, ut suspicor, aliqui fecerunt *Larberia*. Quidquid sit, Johannes episcopus Mimatensis, sedere jam cœperat die 22. Martii anni 1416. ut probant litteræ Bernardi episcopi Belvacensis quæ editæ sunt in instrumentis. An. 1424. confirmavit transactionem factam inter Henricum de Torciaco abbatem Piperacensem, & Robertum Delphinum dominum de Mercorio, pro quibusdam homagiis dissidentes. Eodem an. translatus est ad ecclesiam Autissiodorensem.

1416. *Ch. IX. p. 27. col. 1.*

1424.

D. J. Boyer nos monuit inventum a se in chartis, ut puto Mercoriæ, Robertum quemdam episcopum Mimat. anno 1418. nec mirum tempore schismatis quo plures papæ sedebant, & celebrabatur concilium Constantiense, quod ad se trahebat omnem potestatem ecclesiasticam, plures in eadem ecclesia se dixisse episcopos.

DE PERUSE D'ESCARS.

XLIX. RAMNULFUS.

Ramnulfus [a] de Perusia R. ab episcopatu Lemovicensi transiit an. 1424. *al.* 1426. ad Mimatensem, ubi sedit usque ad an. 1441. ex relatione tabularum capitularium. Notatur in chartis Mercoriæ annis 1434. & 1439.

a

1434.

1439.

DE PEIRE.

L. ALDEBERTUS VI.

Aldebertus de Peïre dominus de Marchastel, Aldeberti baronis de Petra, cognomine Astorgii, ex Isabella d'Agoult filius, eligitur & confirmatur an. 1441. In testamento Astorgii ultimi baronis de Petra memoratur. Diem postremum obiit an. 1443. ut liquet ex archivis cathedralis, actisque consistorialibus curiæ Romanæ.

1441.

1443.

DE PANUSS.

LI. GUIDO.

Guido de Panusia dictus, erat archidiaconus de Conchis in ecclesia Ruthenensi, quando electus est episcopus post excessum Aldeberti 1443. ex autographo electionis in codice capitulari & actis consistorialibus XII. cal. Octobris. Inscribitur hujus episcopi nomen tabulis Mercoriæ ann. 1448. & 1455. in charta Cantogilensi anni 1460. quæ est decima inter instrumenta; adhucque in duobus instrumentis Mercoriæ anni

1448.

1460. *Pag. 27. col. 2.*

[a] In schedis patris Andreæ a S. Nicolao Carmelitæ doctissimi lego eum per cognomen quasi contumeliosum dictum fuisse *Arrache-genest*; ac in ipsum tres provinciæ ordines conjurasse.

ANNI CHRISTI.

1466. quorum unum eſt datum 11. Julii, alterum die 6. Decembris. Hæc probant Rainaldum de Chartres minime habuiſſe adminiſtrationem Mimatenſis epiſcopatus anno 1444. & Guidonem eodem tempore factum eſſe Caſtrenſem epiſcopum, ut legitur in Gallia Chriſtiana Sammarthanorum fratrum. Quod ſi hæ translationes decretæ legantur in regiſtris paparum, inde continuo non ſequitur illas factas fuiſſe, diſſidiis inter papam & concilium Baſileenſe, forſitan effectum pontificiarum litterarum impedientibus. Fundavit duas capellanias beatæ Mariæ Annuntiatæ in eccleſia cathedrali. Factus demum eſt archiepiſcopus Damaſcenus, ac per ejus abdicationem electus Antonius qui ſequitur.

LII. ANTONIUS.

DE PAMU-SIA.

Antonius de Pamuſia Guidonis nepos, Mimatenſem ſedem obtinuit electione capituli, Ludovico rege XI. nequicquam illam probante. Huic principi clientelæ ſacramentum præſtitit Silvanecti 28. Auguſti 1468. Fatis functus eſt 28. Junii 1473. in necrologio capituli. Subdelegatus ut judex & conſervator privilegiorum ordinis Ciſtercienſis legitur in tab. Bonævallis diœceſis Ruthen.

1468.
1473.

LIII. PETRUS V.

RIARIUS.

Petrus Riarius Savonenſis, ordinis Minorum, Sixti IV. papæ nepos, & cardinalis tit. ſancti Sixti, patriarcha Conſtantinopolitanus, purpura cohoneſtatur 1471. fit etiam Tarviſinus præſul, & renunciatur archiepiſcopus Florentinus 1473. Senogallienſi item infula, ac Mimatenſi qua duobus menſibus potitus eſt, demum Hiſpalenſi, & ſuprema per totam Italiam a latere legatione inſignitus. Hic ut de eo notat Ughellus, ſicut ad omnem dignitatem, ita ad munificentiam plane regiam videbatur fuiſſe prognatus, qui dum florente ætate proſpera uteretur fortuna, morte ſublatus eſt Romæ an. 1474. III. non. Januarii; funeratus in templo ſanctorum apoſtolorum ſub mauſoleo quod Sixtus tali epitaphio marmori inſculpto exornavit, referturque ab Ughello in archiepiſcopis Florentinis.

DEO OPTIMO MAXIMO.

Petro Savonenſi e gente Riaria nobili, ac veuſta, ex ord. Minorum card. ſancti Sixti, patriarchæ Conſtantinopolitano, archiepiſcopo Florentino, Perufii, Umbriaque legato, Sixtus IV. pontifex max. nepoti benemerenti poſuit. Vixit annos 28. dies 6. gratia liberalitate, ac animi magnitudine inſigni. Totius Italiæ legatione functus, moritur magno de ſe in tam florenti ætate deſiderio relicto, quippe qui majora mente conceperat, & pollicebatur, ut ædes apud apoſtolos miro ſumptu inchoatæ oſtendunt anno 1474.

LIV. JOHANNES IV.

PETITDI'.

Johannes [a] Petitdé decanus Claromontenſis & Johannis II. ducis Borbonii a conſiliis, ejuſdem litteris commendatitiis ad capitulum 22. Martii 1474. eligitur. Anno 1475. cum Reginaldo Borbonio archiepiſcopo Narbonenſi memoratur in tabulis nuptialibus dicti ducis, & Johannæ a Francia filiæ Caroli VII. regis. Vacaſſe ſedem an. 1478. per ejus mortem legimus. Attamen ex ſchedis domni Jacobi Boyer adhuc Johannes an. 1479. memoratur epiſcopus in charta Mercoriæ.

[a] Noſter Claudius Eſtiennot in abbatibus Tornenſibus recenſet Johannem Petri, quem dicit an. 1474. fuiſſe epiſcopum Mimatenſem. Potuit noſter Johannes cognominari quoque Johannes Petri.

ANNI CHRISTI. 1474.

LV. JULIANUS II.

DE LA ROVERE.

Julianus Roboreus, *al.* de Robore, cardinalis ſancti Petri ad vincula, Savonæ natus Raphaele Ruereo Sixti IV. pontificis fratre, & Theodora Manerola matre, frater erat Bartholomæi archiepiſcopi Ferrarienſis, Antiocheni patriarchæ, ac Johannis principis Soræ, Senogalliæ, & urbis præfecti; iſte ex epiſcopo Carpentoratenſi inter purpuratos patres cooptatus a Sixto IV. 1471. dein epiſcopus Albanus, atque ex Sabino, Oſtienſis, majorque pœnitentiarius evaſit; a Sixto eodem IV. Avenionenſi eccleſiæ præficitur, & Mimatenſi donatur anno 1478. Suffraganeo in epiſcopatu uſus eſt Bertrando Aldegeri Minorita præſule Bethleemitano 1481. ut patet ex tabulis capitularibus. An. 1482. inſcribitur ejus nomen chartæ Mercoriæ, anno vero 1483. contulit prioratum B. Mariæ Magdalenæ de Vercyroſis, ad præſentationem Reginaldi abbatis Caſæ-Dei. Præclaris autem animi ornamentis inclytus, Avenionenſi, Picena, & Bononienſi legatione functus eſt, atque Gallicana apud Ludovicum XI. regem; omnium denique calculo vocum pontifex maximus Julii II. nomine ſalutatus eſt 1503. cal. Novembris; animo magnus, ac geſtis clariſſimus, quæ fuſius reperies in hiſtoria pontificia: exſtinctus IX. cal. Martii 1513. ſepultus eſt in Vaticano.

1478.
1482.
Ex archiv. Camerl.

LVI. CLEMENS.

DE LA ROVERE.

Clemens de la Rouere, cognomento Groſſus, cardinalis tit. S. Clementis, religione Franciſcanus, filius ſororis Sixti IV. prius fuit doctor aggregatus, ut aiunt, in academia Avenionenſi, poſtea primicerius an. 1501. tum vicelegatus Avenionenſis, per ceſſionem patrui Juliani proviſus de epiſcopatu Mimatenſi menſe Octobri, anno 1483. Die 28. Junii anno 1485. clientelare ſacramentum pro temporalibus bonis juravit, & 1488. per regem ſolutus eſt a juramento, quo epiſcopi erga cives Mimate pro conſulatu tuendo obligati erant. Allectus vero inter purpuratos principes ab eodem Julio II. die 29. Novemb. 1503. accepto titulo baſilicæ apoſtolorum, at paucis diebus ſupervixit, etenim Romæ 18. Aug. an. 1504. moritur, conditus in Vaticani capella Sixti quarti. Fuiſſe abbatem Bonæcumbæ in Ruthenis liquet ex codicillis vicariatus conceſſi Leonardo de Ruvere ejus fratri Aginnenſi epiſcopo 1494. cujus litteræ apoſtolicæ exſtant in armariis capituli. In litteris ejus vicarii generalis quibus confert curam ſeu eccleſiam S. Petri de Greſis, datis die 3. Aprilis anno 1500. viſitur ejus ſigillum, in cujus area eſt arbor, haud dubie robur. Circa eam legitur: *S. Clementis de Rovere epiſcopi Mi-*

1483.
1488.

matenſis, & comitis Gabalitani. Id autem eos arguit, qui ipſum appellant *de Riviere*.

ANNI CHRISTI.

LVII. FRANCISCUS

DE LA ROVERE.

Franciſcus de Ruvere Clementis deceſſoris germanus, eccleſiæ Eugubinæ in Umbria Italiæ regione primo præfuit 1492. poſt Hieronymum cardinalem Roboreum, ut Ughellus in Italia ſacra indicat; tranſlatus eſt ad hanc Mimatenſem, & abbatia de Bonacumba donatus litteris apoſto-
1504. licis Julii patrui anno 1504. 17. menſis Auguſti. Iſte epiſcopus cathedralem baſilicam cum duobus pinnaculis mirandi operis, additis campanis, quarum una prægrandis, pontes ex lapide; B ceteraque alia tum publica, tum eccleſiaſtica ædificia ſubſtruxit, quibus & aliis geſtis apud poſteros nomen propagavit. Inter vivos eſſe deſiit Ruthenis an. 1524. die 24. *a* Maii, & legavit duo millia aureorum Carthuſianis Francopolis (*Ville-Franche*) diœceſis Ruthenenſis in quorum templo jacet, cujus epitaphium cernitur in medio chori ſub tumba lapidea:

Franciſcus Roverus mauſoleo abditur iſto,
Qui Mimatenſi præſul in urbe fuit.
Savona Ligurum claris natalibus ortus,
Julius huic patruus papa ſecundus erat.
Mille a Chriſto & quingentis quater atque vi- C
ginti
Solibus, & Maio menſe beatus obit.

a Hæc 15. ad quam diem in necrologio Carthuſiæ Caſtrenſis legitur: 15. *Maii, reverendiſſimus dominus Franciſcus de Ruvere epiſcopus Mimatenſis, benefactor domus Ville-franche, in ea ſepultus* 1524.

DU PRAT.

LVIII. CLAUDIUS.

Claudius du Prat abbas Burgidolenſis in Biturigibus, frater Antonii de Prato Franciæ cancellarii, nominatur a rege Franciſco I. 1524.
1524. cui pugnandum fuit contra *Bertrandum de Cenaret* nobilem virum, præpoſitum dictæ eccleſiæ, electum a capitulo menſe Junio; qua de re litis ardua in regis conſiſtorio ventilata eſt inter eumdem electum, & procuratorem regium; tandem vero Claudius Mimatenſis epiſcoparus poſ- D
1529. ſeſſor pacificus exſtitit an. 1529. de quo diſſidio multa in archivis capituli aſſervantur documenta: defunctus eſt Claudius an. 1532.

DE LA ROCHEFOUCAUT.

LIX. JOHANNES V.

Johannes de la Rochefoucaut, abbas ſancti Amantii Buxienſis, filius Franciſci primi comitis de Rupefulcaudi, principis de Marcillac, & Barbaræ du Bois ſecundæ uxoris; patruus Johannis abbatis Majoris-monaſterii, Cormeriaci, & de Villalupe in Turonibus, capellæ regiæ magiſtri, hujus ſedis Mimatenſis poſſeſſionem adipiſcitur anno 1532. deceſſit in E
1532. cœnobio Franciſcanorum Mimatenſium die 24. Septembris 1538. jacetque ante altare majus eccleſiæ cathedralis ſub lampade.

DE PISSELEU.

LX. CAROLUS I.

Carolus de Piſſeleu filius Guillelmi domini de Heilli in Picardia, nominatur a rege eodem
1538. anno 1538. ut conſtat ex litteris vicariatus conceſſis Leonardo David in archivo capitulari aſ-

ANNI CHRISTI.

ſervatis. Fuit Caroli Condomienſis & Franciſci Ambianenſis epiſcoporum frater; compoſitionem iniit cum capitulo 24. Septembris 1541. 1541.
ſuper collatione quorumcumque beneficiorum eccleſiæ ſuæ, & correctione canonicorum, quæ fuit diplomate apoſtolico confirmata.

DANGU.

LXI. NICOLAUS.

Nicolaus *a* Dangu abbas Fuxenſis & Juliaci, regi a ſanctioribus conſiliis, libellorum ſupplicum magiſter, & Navarræ cancellarius 1555. ab eccleſia Sagienſi ad Mimatenſem traducitur per abdicationem Caroli anno 1545. quo 1545.
regi obſequium clientelæ profitetur. Laboravit plurimum anno 1562. in diſſuadendo ipſi re- 1562.
gi Navarræ Calviniſmum, ut habet auctor martyrologii hæreticorum. Monumentum ex marmore curavit exſtruendum in abbatia de Juliaco, ad latus dextrum altaris, ubi legitur: *Deo opt. maxim. Nicolaus Dangu epiſcopus Mimatenſis, magiſter libellorum regis, regni Navarræ cancellarius, abbas & reſtaurator hujus monaſterii, hoc monumentum dicavit* 1561. mortuus autem 1567. tumulatur in eadem abbatia Juliacenſi, cujus chori ſedilia conſtruxerat, ut indicant hi verſiculi.

Has ſedes Dangu præſul Mimatenſis, & abbas
Juliaci, poſuit, reſtituitque choro.
Vos quibus ætherei cœli mens ignibus ardet,
Sic laudate ſacra relligione Deo.

DE BEAUNE.

LXII. REGINALDUS.

Reginaldus de Beaune canonicus Pariſienſis, regi a libellis ſupplicibus, & abbas Juliacenſis, cancellarius Franciſci Valeſii Andium ducis 1572. nominatur a rege Carolo IX. 1568. Mi- 1568.
matenſis præſul: poſtea renunciatur an. 1583. archiepiſcopus Bituricenſis, demum Senonenſis, ac Franciæ major eleemoſynarius. Jacet in D choro eccleſiæ Pariſienſis.

DE HURTELOU.

LXIII. ADAMUS.

Adamus de Hurtelou Cenomanenſis, abbas Loci-reſtaurati, & canonicus Mimatenſis, permutatione facta hujus abbatiæ, ſub annua etiam penſitatione duo millium & quingentarum librarum fructuum epiſcopalium pro Reginaldo, VIII. cal. Auguſti 1586. * in epiſcopum * al. 1585.
Mimatenſem aſſumtus eſt, hæreſi tum graſſante in Gabalitana provincia. Interfuerat concilio Bituricenſi anno 1584 procuratorio nomine epiſcopi & capituli ſedis ſuæ. In charta Mercoriæ an. 1592. memoratur. Templum majus a ſegregibus dirutum anno 1580. longius refici curavit 1602. abſoluto opere intra quinquen- 1602.
nium; in qua inſtauratione cum ſuo capitulo decies mille aureos impendit. Die Jovis prima menſis Maii, appoſuit ſigillum cuidam chartæ S. Andreæ Vallis-Dei 1603. in quo ejus inſignia

a. Thuanus lib. 23. hiſt. Anguium Mimatenſem epiſcopum, non Nicolaum, ſed Johannem appellat: quem ait fuiſſe nothum Antonii du Prat cancellarii Franciæ. Sane in diario theſauri cameræ computorum inchoato die 1. Januarii 1414. legitur: *Nicolaus Dangu preſbyter Carnotenſis diœceſis, Sagienſis epiſcopus, regni Navarræ cancellarius, Bleſis ortus uxoris patris & Franciſcæ fil. vidua filius ex copula illegitima trahens originem, legitimatus per litteras datas menſe Septembri* 1540.

exhibentur. Poſtquam vero gregem commiſſum ab hæretica pravitate tutatus fuiſſet, migravit ad meliorem vitam anno 1608. * VI. cal. Julii, jacet'ante primarium altare cathedralis. Anno 1608. coadjutorem acceperat Carolum de Rouſſeau.

ANNI CHRISTI.

* 1609.

DE ROUSSEAU.

LXIV. CAROLUS II.

Carolus de Rouſſeau Adami ex ſorore nepos, præpoſitus Mimatenſis, ac prior commendatarius S. Petri de Iſpagnaco, vivente & ſatagente avunculo deceſſore, cujus fuerat magnus vicarius in ſpiritualibus, coadjutor creatur. Interfuerat prius cœtui cleri Gallicani Lutetiæ 1596. tum demortui Caroli ſedem adiit 1608. * moxque ad ſacras ædes reſtituendas incubuit. Antiquæ diſciplinæ cuſtos, officium in ſua eccleſia ac diœceſi ſecundum concilii Tridentini decreta aſſenſu capituli ordinavit celebrandum 1619. Adfuit quoque comitiis generalibus Pariſienſibus 1614. Eo præſule 1618. Capucinorum cœnobium inſtituitur. Eccleſiam cathedralem conſecravit 10. Octobris 1620. morte eripitur 4. Novembris 1623. conditus ad latus avunculi a parte ſacriſtiæ.

B

* aut 1609.

1614.

1620.

DE LA MOTHE.

LXV. DANIEL.

C

Daniel de la Mothe du Pleſſis Houdancourt, abbas de Sublaco * diœceſis Cadurcenſis, frater Philippi Franciæ Mareſcalli, Cardonæ ducis, ac Cataloniæ proregis, & Henrici Redonenſis epiſcopi, conſecratur Lutetiæ 19. Februarii 1625. a Johanne Franciſco Gondio, primo Pariſienſi archiepiſcopo, ad poſſeſſionem admiſſus eſt die 29. Aprilis ſequentis. Mox Henrietam-Mariam Henrici IV. Franciæ regis filiam, magnæ Britanniæ reginam, cui primus a conſiliis & eleemoſynis erat, in Angliam ſecutus eſt, & poſt biennium reverſus, teſtamento legavit ſuæ cathedrali ſex mille libras, Franciſcanis, Carmelitis, & Capucinis quatuor mille. Interiit in obſidione Rupellæ die 5. Martii anno 1628. ac ſicuti præſcripſerat, poſt urbis deditionem, in æde S. Margaritæ Rupellana humatus eſt, nunquam ſuam diœceſim ingreſſus. In eccleſia de Saccio minori *Sacy le petit*, pagi Compendienſis viſuntur duo monumenta, unum Claudii de la Mothe Houdancourt, cujus cor ibi jacet: alterum Danielis de la Mothe Pleſſæi epiſcopi Mimatenſis æternis manibus (uti legitur) conſecratum cum his verſibus tabulæ marmoreæ inſculptis:

* Sonillac.

1625.

1628.

D

E

Qui vivus olim cuncta tentaſti acriter
Invictus, omni mole curarum altior,
Facies laborum nulla cui fuit nova,
Nullis periclis anxius terra aut mari,
Urbs ut rebellis impia ſecta furens
Mites habenas diſceret regis pati.
Terram negaſti corpori moriens tuo,
Rupella ſi non capta, quam daret tamen
Manes coronans poſtuma victoria,
Nunc, magne præſul, fata quod merito volunt
Optata tellus te capit ſinu ſuo.
Si fata mallent, mallet & ſuperſtitem
Superſtes ipſa, poſt famis dira moram,
Cervice pulſum poſt Britannicum jugum
Quod inferebant clanculum dementibus,
Sceptris hiantes Galliæ odio patrum.
Sed quod videres perſpicax eſt hac nimis
Et quos parabant regiis pactis dolos,
Regina quorum nupſerat ſancta fides
Te cujus artis præfuiſti pontifex
Falſi Britanni finibus jubent ſuis.
Exire contra fœderis pactam fidem.
Ingratus illis, gratior regi redis,
Regno & miniſtris regiis magis places
Fidus miniſter, ſedulus, prudens, vigil,
Docta peritus & gravi facundia
Tractare ſacras litteras & eloqui.
Celſum tribunal fulminis modo regens
Ipſa ſtupente barbara Britannia,
Mirante culta Gallia, & ſtudium tenax
Quod non vetabat improbus rerum labor
Majora ſpondens omnia eriperis tuis.
Currebat ætas bis tribus luſtris celer,
Vix dum peractis, febris ardor abſtulit,
Cura æſtuantes, ſeu labor nimius dedit
Utriſque funus æſperum parentibus.
Lacrymas ſuorum publicus vicit dolor
Vertentis annum ſolis an quiſquam poteſt
Vias morari? juſta qua fatis placent
Hoc tu trophæo non tumulo victor jaces.
Vivat perenne nominis tanti decus,
Animæ beatæ læta ſit cælo quies.

Huic elogio ſuperpoſita ſunt inſignia domus de la Mothe cum pileo epiſcopi & corona comitis.

LXVI. SILVESTER.

DE CRUSY.

Silveſter de Cruſy de Marcillac ex nobili Marcillacorum familia apud Cadurcos natus, poſt multa regno & regi Ludovico XIII. præſtita obſequia, epiſcopus Mimatenſis nominatus fuit die 26. menſis Martii anno Domini 1628. Bullas obtinuit ab Urbano papa VIII. datas Romæ anno 1628. pridie cal. Auguſti, pontificatus ejus anno 5. quibus acceptis inauguratus fuit in eccleſia Albienſi die 21. menſis Decembris eodem anno ab Alphonſo d'Elbene epiſcopo Albienſi, aſſiſtentibus Claudio de Saignac Sarlatenſi, & Franciſco de la Valete Cornuſſon Vabrenſi, epiſcopis. Diœceſim ſuam adiit circa finem anni 1619. ubi quamplurima curæ paſtoralis, & præclari in tutanda catholica religione ardoris argumenta dedit: nam acerrimum hæreticorum hoſtem ſemper ſe præbuit, arceſque quas in comitatu Gabalitano, & ejus finibus occupabant, de mandato regis diruit. Ut incœptum ſacrum bellum eccleſiæ hoſtibus etiam pace a rege ipſis conceſſa, perſequeretur, miſit ad eos divini verbi præcones ex Carmelitis diſcalceatis, Capucinis, Fulienſibus & aliis religioſis familiis ſelectos, maxime ad Cebennicorum montium incolas, qui non paucos ex perduellibus ad fidem catholicam perduxerunt: epiſcopus autem ſumtus ad has miſſiones neceſſarios, magna ex parte ſuppeditavit. Divinum officium jamdiu in prædictis Cebennis intermiſſum, & penitus abolitum reſtituit; permulta prædia, bona eccleſiaſtica, necnon

1628.

ANNI CHRISTI.

cœmeteria quæ hæretici invaſerant, de manibus ipſorum recuperavit: plures eccleſias inter furentes bellorum civilium motus dirutas, reparari curavit, viſitationem generalem ſuæ diœceſis, quam a ducentis retro poſt annis factam fuiſſe nulla exſtabat memoria, conſtanter inchoavit, & ſummo ſtudio feliciter abſolvit. Ejus hortatu Carmelitæ Mimatenſes, qui a primæva inſtitutione aliquantulum deflexerant, reformationem amplexi ſunt. Conventum monialium B. Urſulæ in civitate Mimatenſi fundavit, ipſaſque opera ſua & pecunia adjuvit in ædificandis eccleſia & monaſterio; necnon & alium conventum prædictarum monialium B. Urſulæ in oppido S. Hilerii, (*S. Chelin*) de Apcherio fundari permiſit. In urbe Lingonienſi (*Langogne*) ejuſdem præſulis tempore fundatur a civibus ſacra domus pro Capucinis, cujus primus lapis poſitus eſt ſolemniter die 15. Septembris an. 1630. In oppido Salquenſi (*Sanguesen Cevaudan*) conditur parthenon Urſulinarum eodem anno; & an. 1635. in oppido Melzerienſi (*Malzieu*) iiſdem virginibus comitiſſa de Cruſſol dedit caſtrum S. Ilari, ut ibi monaſterium conſtruerent. Die 8. Auguſti in urbe Marologienſi (*Marvege*) admittuntur Minoritæ Capucini anno 1659. die vero 17. Julii Langoniæ moniales dictæ *de Noſtre-Dame*. Eccleſiam ſuam cathedralem tum picturis, tum ſtromatibus, tum organis mirifice ornavit. Magnam partem palatii epiſcopalis in civitate Mimatenſi ſolo æquatam reſtituit: caſtrum epiſcopale de Chanac magnis ſumtibus inſtauravit; pontem prope oppidum B. Mariæ de Quezaco ære proprio refecit: duo etiam alii pontes juxta Mimatem ejus cura reparati ſunt, & in reædificanda eccleſia inſignis collegiatæ B. Mariæ de Carcere urbis Marologii jamdiu a novatoribus deſtructa, ſedulo laboravit. Lutetiæ vitæ finem invenit 20. Octobris an. 1659. apoplexia oppreſſus, ætatis 88. jaceteque ibidem in eccleſia Auguſtinorum diſcalceatorum.

1659.

LXVII. HYACINTHUS.

SERRONI.

Hyacinthus Serroni Romanus ordinis S. Dominici, Annæ reginæ matri ab eleemoſynis, ex epiſcopo Arauſicano deſignatur epiſcopus Mimatenſis, menſe Martio an. 1661. Acceptis bullis Alexandri papæ VII. datis VI. idus Auguſti ejuſdem anni, poſſeſſionem aſſecutus eſt 15. Novembris, ſacramento regi antea præſtito. 19. Auguſti Annam Auſtriacam reginam matrem laudavit oratione funebri in ejus exſequiis Lutetiæ celebratis a totius cleri Gallicani cœtu ibidem congregato. Tranſiit ad archiepiſcopatum Albienſem anno 1676.

ANNI CHRISTI. 1661.

LXVIII. FRANCISCUS PLACIDUS.

DE BAUDRY.

Ex nobili genere pagi Ebroicenſis ortum ducebat Franciſcus Placidus de Baudry de Piancourt, qui ab adoleſcentia factus monachus in cœnobio crucis S. Leufredi diœceſis Ebroïcenſis ordinis S. Benedicti, ob ſcientiam (erat enim doctor theologus facultatis Pariſienſis) & alias eximias dotes, abbas creatus fuerat. Ab hac itaque dignitate ad majorem, nimirum epiſcopalem aſcendit, nominatus a rege epiſcopus Mimatenſis menſe Julio, an. 1677. conſecratur die 16. Januarii in eccleſia regalis abbatiæ S. Germani a pratis apud Pariſios, ab archiepiſcopo hujus urbis, cooperantibus epiſcopis Ebroïcenſi & Engoliſmenſi. Obiit in ſua urbe epiſcopali anno 1707. deſinente.

1677.

LXIX. PETRUS V.

BAGLION.

Petrus Baglion de la Salle de Saillant major archidiaconus eccleſiæ Pictavienſis, & vicarius generalis patrui ſui hujus urbis epiſcopi, ſchedula regia deſignatur epiſcopus Mimatenſis die 24. Decembris an. 1707. Sacram accepit unctionem die 24. Junii an. 1708. in oratorio palatii archiepiſcopalis Pariſienſis, ab eminentiſſimo cardinali de Noailles Pariſiorum archiepiſcopo, aſſiſtentibus epiſcopis Uceteenſi & Anicienſi. Die 1. Julii ſequentis regi obſequium fidemque juravit in facello caſtri Fontis-bellaquei, die vero 20. Septembris ſolemni pompa in urbem ſuam invectus eſt: cui occurrerunt ad multa milliaria proceres utriuſque ordinis, equeſtris & togati. Præeſſe pergit hoc anno 1714.

1707.

1714.

NONNULLI PRÆPOSITI MIMATENSES.

ALdebertus de Tornello præpoſitus eccleſiæ Mimatenſis, deinde epiſcopus, anno 1151.

Arnaldus de Petra præpoſitus anno 1232. aliter appellatur a nonnullis Armandus. Electus eſt epiſcopus tempore Innocentii IV. an. circiter 1243. ſed æmulum habuit. Vide in Odilone de Mercorio epiſcopo.

Bompar Virgilii præpoſitus Mimatenſis, & poſtea epiſcopus, an. 1366.

B. præpoſitus, & vicarius generalis Guillelmi VI. epiſcopi Mimatenſis, comitis Gabalitani in remotis agentis x. cal. Junii 1313. in chartis Cantogilenſibus.

Bertrandus de Cenaret præpoſitus Mimatenſis, eligitur epiſcopus menſe Junio an. 1524. Sed electio ejus rejicitur, quod pugnaret contra concordata facta inter Leonem X. & Franciſcum I. Francorum regem.

Carolus du Rouſſeau præpoſitus, & poſtea epiſcopus ineunte ſeculo XVII.

ABBATIÆ DIOECESIS MIMATENSIS.

NUNC DESTRUCTÆ.

I. SAncti Privati monaſterium in urbe Gabalitana commemorat Gregorius Turon. lib. VI. hiſt. cap. 37. cujus abbas S. Lupentius * accuſatus fuit apud Brunechildem reginam, ab Innocentio comite Gabalitano, quod de ipſa *profanum aliquid effatus fuiſſet. Sed diſcuſſis cauſis, cum nihil de crimine majeſtatis conſcius eſſet inventus, diſcedere juſſus eſt.* A tejus hoſtis Innocentius, ubi viam carpere cœpit, in eum irruit, ac primum quidem multis ſuppliciis ipſum affecit apud Pontigonem villam; poſtea cum iterum dimiſſus ad Axonam tentorium tetendiſſet, ab eodem comite oppreſſus capite truncatus eſt, cujus caput & reliquum corpus alligatis lapidibus in flumen projecit. Sacræ reliquiæ indicio luminis divinitus agnitæ a quibuſdam paſtoribus honorifice ſepultæ ſunt. Diu aſſervatæ ſunt in majori eccleſia Catalaunenſi, uſque ad annum 1667. quo, die 19. Januarii fulmine tacta conflagravit, incendio enim conſumtæ ſunt. Quæ vero ſuperfuerunt theca incluſæ aſſervantur retro majus altare; ejus feſtum celebratur XI. cal. Novembris. Qui abbates S. Lupentio ſucceſſerint in regimine monaſterii S. Privati nobis incompertum. De loco ubi paſſus eſt Lupentius, vide annales Mabill. tom. I ad an. 584. n. 28.

* S. Lupentius.

II. Canonica vulgo *la Canourgue*, ſub S. Martini patrocinio, fuit antiquitus celeberrimum cœnobium, ſitum in epiſcopatu Mimatenſi, in pago Bearnecenſi; ſed ſeculo undecimo graſſante ſimoniaca hæreſi, in laïcorum hominum dominatione redactum erat, ut milites uxorati ibidem eſſent præpoſiti & decani. Quod corrigere volens Eldebertus Mimatenſis epiſcopus, Canonicam dedit S. Victori Maſſilienſi, cum conſilio Deusde hujus eccleſiæ decani, & Aſtrebaldi præpoſiti, ac filiorum ejus, &c. ut abbas S. Victoris Maſſilienſis hunc locum regeret per abbatem, qui mitteretur ab abbate & monachis Maſſilienſibus. Litteræ Eldeberti excuſæ inter inſtrumenta dignæ ſunt quæ legantur.

C. I. pag. 23. col. 2.

III. Duplex monaſterium ad montes Tarni fluvio (*Le Tarn*) imminentes ædificavit S. Enymia ſoror Dagoberti regis. Vide Carol. Cointium tom. II. annal. p. 794. Hæc virgo regia cum ad nuptias urgeretur, impetrata lepra uſque tertio ad virginitatis ſuæ cuſtodiam, ædificato duplici monaſterio adjuvante Dagoberto rege fratre ſuo, virginum Deo dicatarum abbatiſſa conſecrata eſt a B. Iſero Gabalitano epiſcopo.

Quod hîc legimus ædificatum duplex monaſterium a B. Enymia, ſic intelligo, ut unum fuerit pro monialibus, alterum pro monachis. Certe legimus cellam ſeu prioratum S. Enymiæ a Stephano epiſcopo Gabalitano reſtitutum fuiſſe an. circiter 951. advocato Dalmatio celebri abbate monaſterii S. Theofredi, cui & ejus monachis tunc ſubjecta eſt hæc cella, procul dubio a monachis habitata. Vide in Stephano Gabalitano epiſcopo.

De unica abbatia quæ nunc exſtat, modo agendum.

MERCORIA ORDINIS CISTERCIENSIS feminarum.

MErcoria, in veruſtis inſtrumentis Mercoira, monialium ordinis Ciſtercienſis, filia Manſiadæ e linea Ciſtercii, ſita eſt in parochia S. Martini de Chaldeiraco * diœceſis Mimatenſis, in ſummis montibus Gabalitanæ provinciæ, in medio ſilvæ vaſtiſſimæ quæ a Mercoria nomen ducit, ſicuti & rivulus, qui monaſterium adlambens, influit in Elaverim duabus abhinc leucis juxta muros Lingoniæ. Elaveris vero ſemileuca a parthenone ſuam trahit originem in loco nuncupato *Chap d'Allier*, hoc eſt, caput Elaveris. Monaſterium ſæpius dirutum, ſæpius incenſum eſt furore Calviniſtarum. Solum reſtat ex antiquis ædificiis refectorium ſatis amplum, & cameratum. Supereſt & ampla eccleſia, ſed deſerta. Apud Mercoriam vicini incolæ maxima veneratione colunt partem funis qua dominus ligatus fuiſſe creditur, eamque vulgo vocitant, *la ſainte Corde*. E paucis archivi inſtrumentis ſequentes duntaxat abbatiſſas licuit eruere, haud reperta monaſterii origine.

* Chaudeirac.

Dalmatia, quæ prius ſubprioriſſa legitur, prioriſſa reperitur in pluribus inſtrumentis tanquam parthenonis præfecta; unde conjicere licet tunc temporis non exſtitiſſe abbatiſſas; quamquam poſtea factæ ſunt abbatiſſæ, Dalmatia prioriſſa remanente.

Anno incarnationis Dominicæ MCCVII. indictione X. Philippo Franciæ rege, Guillelmo Mimatenſi epiſcopo anno XX. præſulatus ipſius, XIV. cal. Decembris, Geraldus de Chaldairac Deo donat & beatæ Mariæ de Mercoira & Dalmatiæ ſubprioriſſæ, & Berengario capellano illius domus, & omnibus ſororibus & fratribus, qui in ea domo ſunt, quicquid habet in territorio dels Tortz, & in manſo ſancti Victoris, &c. teſte Arberto priore Lingoniæ & aliis. Anno 1214. menſe Januarii Saiſa vendit manſum ſuum Dalmazæ prioriſſæ, & toti conventui Mercoiræ ſub ejus nomine. Dalmatia prioriſſa reperitur in charta anni 1215. IV. idus Julii.

Anno incarnationis 1219. indictione II. Lud. Franc. rege, S. Mimatenſi epiſcopo, V. idus Junii Pontius Raimundi Domino, & beatæ Mariæ, & domui de Mercoria & Dalmatiæ prioriſſæ nomine ejuſdem recipienti, & omnibus ſororibus & fratribus, ſe ſe offert in donatum, & concedit manſum de la Rocheta in parochia de Roclas. Actum apud domum de Mercoria in domo preſbyterorum præſentibus ſororibus & fratribus. Notandum obiter quod in altero inſtrumento

trumento recenſentur quatuor capellani, concionator major, qui ſupponit minorem, & plures converſi in domo Mercoriæ.

Anno incarnationis Dominicæ 1240. indictione XIII. Ludovico Franciæ rege, S. Mimatenſi epiſcopo, idus Martii Raimundus Sarraceni miles de la Garda, dominæ Dalmatiæ prioriſſæ domus de Mercoria, ac *per vos*, inquit, *omnibus qui in eadem domo ſunt* donat alodium in parochia del Geneitos. *Act. in clauſtro Mimatenſi. Rogati teſtes interfuerunt A. præpoſitus Anicienſis. W. Raimundi ſacriſta Mimatenſis, &c.* huic cartæ appenſa eſt bulla plumbea S. Mimatenſis epiſcopi.

Anno 1285. indictione VII. quo tempore jam præerat abbatiſſa, Arnaldus de Chaldairac Dalmatiæ prioriſſæ & domui de Mercoira concedit cenſum dels Tortz.

Fortaſſe Dalmatiæ plures fuerunt prioriſſæ: certe quæ memoratur an. 1207. non eſt eadem de qua charta an. 1285. agit.

Abbatiſſæ B. Mariæ de Mercoria.

I. PRima quæ occurrit abbatiſſa, eſt Amabilis de Rupeforti 1254.

II. Randona vineam emit ab Agnete relicta Petri, de Chaldairaco militis 1262.

III. Philippa. Anno MCCLXXI. III. idus Martii, domino Philippo rege Franc. multas donationes faciunt Philippæ abbatiſſæ nobilis Guillelmus de Randone dominus Luci, & filius ejus Rando de Caſtro-novo. Hujuſce inſtrumenti hæc verba notanda ſunt.

.... *motus pietate & devotione quam habet erga monaſterium de Mercoyra Ciſtercienſis hordinis, Mimatenſis dyoceſis, volens providere paupertati monaſterii ſupradicti, in quo degunt continue quinquaginta moniales benedicta, & quindecim & amplius domicellæ, ultra familiam quæ de proventibus ſeu redditibus dicti monaſterii ullatenus nequeunt ſuſtentari, donat, &c.* & infra ..... *quod monaſterium eſt in terra dicti nobilis & ſub ditione temporali, & in loco ſilveſtri, inhabitabili & deſerto .... Acta fuerunt hæc apud eccleſiam beati Petri de Luco* [a] *Mimatenſis dyoceſis in refectorio.*

Anno 1272. Philippa abbatiſſa emit manſum de Saleſſis a Guillelmo de Randone.

IV. Pontia abbatiſſa 1273.

V. Ferranda 1275. a Raimundo de Caſtronovo domicello plura emit in parochia de Chaldairaco 1285.

VI. Eſmengardis de Cenareto, 1287. 1293. 1297. die Martis ante feſtum S. Johannis Baptiſtæ XIV. cal. Julii, Philippo Franc. rege. Item 1300. & 1316. plura adquiſivit monaſterio. Anno 1305. Guillelmus de Randon donat monaſterio terram de Maſſet. Anno 1306. VI. cal. Octobris Marqueſia de Randone vicecomitiſſa Podomniaci * domina Luci confirmat donationem de Maſſet Eſmengardi abbatiſſæ. Vide Johannem Columbi ſocict. Jeſu lib. IV. de rebus geſtis epiſcoporum Vivar. p. 227.

* De Podignac.

VII. Arzens de Cenareto, 1316. 1317. 1318. Componit cum Guillelmo de Randon domino de Luc die 21. Julii 1321. tranſigitque cum eodem 1322.

VIII. Guias de Cenareto 1322. homagium reddidit Durando Anicienſi epiſcopo, oſculans ejus annulum, pro manſis de Choiſinet in eremo, & S. Flori, * die prima Septemb. 1325.

* S. Florus parochia inter Langoniam & Mercoriam

IX. Valburgis, vel Vallemburgis de Gaudioſa, 1328. 1336. & 1357. Alberto Mimatenſi epiſcopo.

X. Saura de Petra, 1363. 1370. 1374.

XI. Alaſia vel Alaſatia de Grezes, 1381. 1392. 1393.

XII. Maragda de Arlempdia *, filia nobilis viri Guillelmi de Arlempdia militis, abbatiam regebat annis 1434. 39. 43. 46. & 1459. e variis chartis.

* Arlempdia. munitiſſimum caſtrum prope Godetum.

XIII. Cæcilia de Borne ſoror nobilis Jaucelini de Borne militis, abbatiſſa Mercoriæ 1461.

XIV. Johanna I. de Borne.

XV. Margarita I. de Jonaſcio ſoror Johannis de Jonaſcio rectoris B. Martini Vallis-gorgiæ diœceſis Vivarienſis 1466. & 1471.

XVI. Ludovica I. de Chalancon 1486. & 1496.

XVII. Antonia de Chalancon monialis profeſſa S. Petri de Caſis Ludovicæ ſucceſſit annoætatis ſuæ 76.

XVIII. Ludovica II. de Rochemure ſepulta eſt in capitulo, ubi nunc, deſtructa eccleſia, peragitur divinum officium; hoc ibidem habet epitaphium:

Cy giſt la bonne Loyſe de Rochemure, abbeſſe du preſent monaſtere, qui mourut l'an MDXXXIV. *& le jour S. Gregoire.*

Hanc etiamnum Gabalitani *bonam abbatiſſam* cognominant.

XIX. Helis de Rochemure 1536. renovandum curavit librum terrarium anno 1555. regebat adhuc 1562.

XX. Claudia d'Arçon, e nobili familia prope Ebrolii abbatiam, 1592.

XXI. Johanna II. de Rochefort profeſſa monaſterii de Caſis ordinis Benedictini, ſucceſſit Claudiæ annum agens quinquageſimum, diſpenſatione Clementis VIII. data Romæ apud S. Marcum XIV. cal. Junii 1597. pontificatus anno ſexto.

XXII. Renata de Goys 1601. 1607. 1617. 1621.

XXIII. Magdalena Bayle de Chantemule Renatæ ſucceſſit anno 1624. profeſſionem emiſerat in monaſterio Silvæ-Benedictæ anno ætatis ſuæ decimo ſexto, abbatiamque accepit regendam anno ætatis trigeſimo per bullam Urbani VIII. datam Romæ apud S. Petrum pontificatus anno ſecundo VII. cal. Februarii.

XXIV. Margarita II. de la Molette de Morangiers neptis ſuperioris, fit ejus coadjutrix bulla data Romæ apud S. M. majorem anno 1657. Alexandri papæ VII. anno III. Fuit reſtauratrix monaſterii, tam in diſciplina

[a] Prioratus S. Petri *de Luc* ſecus Elavetim, & haud procul ab ejus fonte, ſubjacet abbatiæ Crudatenſi. Ibi viſuntur adhuc caſtri munitiſſimi & urbis rudera.

regulari ſtabilienda, quam in reficiendis ædificiis, obiitque plena bonis operibus, die 16. Septemb. 1678.

XXV. Johanna Franciſca de Noailles ordinis S. Benedicti monialis, S. Saturnini Ruthenenſis profeſſa, abbatiam obtinuit 1678. bulla data Romæ apud S. Petrum an. Domini præfato nonis Februarii, Innocentii XI. anno III. poſſeſſionem accepit 21. Octobris 1679. A ædificia regularia perfecit, & obſervantiam maxime promovit, poſtmodum tranſlata ad abbatiam de *Leime*.

XXVI. Helena Reverſat de Celetz, patria Mimatenſis, filia Melchioris ex Maria de Chaſtel de Condres, nominatur ad abbatiam 15. Auguſti 1686. per ceſſionem J. F. de Noailles.

ECCLESIA CADURCENSIS.

DIvona urbs Cadurcorum princeps & caput, nobili epiſcopatu & academia inſignitur. Cadurci autem inter Aquitaniæ primæ populos numerantur, parebantque Arvernis, ex Julii Cæſaris Commentariis, apud quem celebris eſt Lucterius Cadurcus, qui Ruthenorum civitatem, miſſus a Vercingentorige Arverno, cum copiis, ipſi conciliavit. Cadurcinus pagus clauditur ab Oriente Ruthenis & Arvernis, ab Occidente Petrocoriis & Aginnenſibus, a Septentrione Lemovicibus, a Meridie Albigenſibus & Toloſatibus; quos limites conſtituit Plinius lib. IV. hiſt. nat. c. 19. *Rurſus*, inquit, *Narbonenſi provinciæ contermini Rutheni, Cadurci, Nitiobriges*, &c.

Cadurcos olim militia celebres fuiſſe, ſæpius non obſcure ſignificat J. Cæſar in ſuis de bello Gallico commentariis. Divonæ urbis nomen Ptolemæo, & aliis veteribus notiſſimum ſumitur a famoſo fonte *Divona* dicto (quaſi diceres Deorum fontem) qui tanta vi prorumpit ex radice montis extra urbis pomeria, ut aquæ impetu quatuor molæ vertantur (nunc fontem Cartuſienſium appellant.) Hinc divinum aliquid huic ineſſe fonti fabulabantur; uti de alio fonte cognomine canit Auſonius in deſcriptione Burdegalæ:

Divona Celtarum lingua fons addite divis.

Antiquam Divonæ nuncupationem vergente ad ruinam imperio amiſit hæc urbs, & nomen Celticum deponens, a populis quorum primaria eſt civitas (uti ceteris fere contigit) nomen ſumſit; & poſterioribus ſeculis Cadurcum appellata eſt, quam ſic vocat Gregorius in hiſtoria libro III. cap. 12. & lib. IX. cap 20. ubi habetur exemplar pactionis Guntramni & Childeberti regum, qua conventum, *ut Cadurcum civitatem cum terminis & cuncto populo ſuo domnæ Brunichildis in præſenti in ſua proprietate recipiat.* Inter nobiles Aquitaniæ urbes annumeratur ab Aimoino lib. 1. cap. 4. *In Aquitania*, inquit, *continentur urbes egregiæ Narbona, Arvernus, quæ nunc Clarus-mons vocatur, Cadurx* *, *Toloſa, Gavalis, Rothenus, Lemovis, Petragoricæ.* Magna porro olim dignitate fulſiſſe Cadurcum, conjicere eſt adhuc ex amphitheatri & thermarum quibuſdam arcubus etiamnum exſtantibus. Effodiuntur quotidie numiſmata veterum imperatorum, & vario opere pavimenta teſſellata, in ea parte civitatis quæ aratur, intra pomeria, ut advertit Marcus-Antonius Dominici Cadurcenſis juriſconſultus, libro de ſudario [a] capitis Chriſti. Olitis *al.* Oleis, & Oldus fluvius, cujus littora in urbe tribus pontibus lapideis junguntur, eam pene totam ſinuoſo curſu complectitur. Illuſtrata eſt morte clari rhetoris Toloſatum nomine Exuperii, quem ſuis verſibus celebravit Auſonius. Poſterioribus ſeculis nobilitata fuit ortu Jacobi de Oſſa, qui poſt varias dignitates eccleſiaſticas ſuſceptas pervenit ad omnium apicem, ſummum videlicet pontificatum ſub nomine Johannis XXII. Hic, ut patriam ſuam decoraret, academiam apud Cadurcos inſtituit, anno 1331. quæ variis temporibus eruditiſſimos utriuſque juris doctores protulit, Goveanum, Cujacium, Franciſcum Roaldeſium a Scævola Sammarthano in elogiis lib IV. §. 1. publice laudatum; Benedictum, Gerardum Vaceum, Johannem Coſtam, Emundum Merilium, alioſque plurimos. Falli interea Bzovium manifeſte apparet, dum ait Cadurcos fuiſſe donatos epiſcopatu per eundem Joannem XXII. quod de academia interpretandum eſt, non de ſede pontificia, antiquis pridem monumentis, & religione chriſtiana inſigni: vetus enim opinio eſt apud Cadurcenſes, a S. Martiale, quem pro ſuo primo epiſcopo habere ambiunt, majorem baſilicam D. Stephano fuiſſe conſecratam, qui nunc etiam cathedralis eſt eccleſiæ patronus.

Capitulum Caturcenſe conſtat quatuordecim canonicis, quorum primus eſt epiſcopus, alii duo ſunt dignitates, nempe archidiaconus major & archidiaconus de Torneſio (*De Tournus*); duo alii nuncupantur officia, ſcilicet cantor & cancellarius: reliqui novem ſunt ſimplices canonici. Sunt inſuper 4. hebdomadarii, 14. præbendati, 12. capellani, e quibus octo Noſtræ Dominæ nuncupantur, duo ſacellani de Caſertis, & duo de Montebruno. Collatio 13. canonicatuum pertinet ad epiſcopum, capitulum diſponit de aliis ſacerdotiis, ſive, ut aiunt, beneficiis. An. 1391. erant ſex archidiaconi & unus operarius; 1. archidiaconus Caturcenſis; 2. de Tornezio; 3. de Figiaco; 4. S. Cereni; 5. de Vallibus, & 6. de Montepenſato. Canonici geſtant pelliceum villoſumque amiculum cinerei coloris, ut in aliis cathedralibus, hebdomadarii vero rufum ſive ſubrufum, præbendati nigrum, capellani candidum.

* Inde emiſſo D *Caur. Caur.*

[a] Hoc ſudarium putant illud eſſe, quod S. Johannes dicit fuiſſe ſuper caput Domini, donatumque Cadurcenſi eccleſiæ ab Carolo Magno traditur.

In diœceſi Cadurcenſi ſunt archipreſbyteratus ſequentes:

1. Archipreſbyteratus Cadurcenſis, unitus eccleſiæ S. Andreæ in urbe.		9. De Figiaco,	*Figeac.*
2. De Luſecgio,	*Luzech.*	10. De Caiarco.	*Cajarc.*
3. De Belayco,	*Belayc.*	11. S. Cirici,	*S. Cirq.*
4. De Peſtilhaco,	*Peſtillac.*	12. De Montepezato.	*Montpezat.*
5. De Salviaco,	*Salviac.*	13. De Moyſſaco.	*Moyſſac.*
6. De Gordono,	*Gourdon.*	14. De Vallibus.	*Vaux ou Lauzerte.*
7. De Giniaco,	*Giniac.*		
8. De Tegra,	*Tegra.*		

Sub his archipreſbyteratibus ſunt parochiæ circiter 700.

Epiſcopus titulo comitis gaudet, & in argumentum hujus dignitatis, uti notat Andreas Quercetanus, quando ſolemniter celebrat, habet juxta ſe gladium, galeam, digitalia & tibialia ærea, aliaque ad armaturam militum ſpectantia. Eccleſia Caturcenſis ſuberat archiepiſcopatui Bituricenſi, antequam Albiga in metropolim erigeretur; nunc autem huic ſubjicitur in ſpiritualibus, uti Toloſano parlamento in temporalibus.

Sunt in diœceſi quinque canonicorum collegia: Apud Montem-Peſatum 12. canonicorum, ad laïcalem collationem; Vigani 12. canonicorum, quorum abbas eſt epiſcopus ipſe; Caſtri-novi de Bretenou; Caſtri-novi de Monte Ratherii, & Rupis amatoris, cujus abbas epiſcopus Tutelenſis.

Domus vero religioſæ in urbe ſunt Carruſienſium, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum communis obſervantiæ, & Diſcalceatorum, Redemtionis captivorum de Mercede, Capucinorum; quibus accedunt Canonici Regulares, Jeſuitæ, & ſeminarium quod adminiſtrant Miſſionarii, & prope Caturcum Recollecti & quinque Eremitæ.

Virginum cœnobia in urbe inhabitant Benedictinæ B. M. Deauratæ, canonicæ Regulares ſancti Deſiderii, ſorores S. Claræ, & Urſulanæ, quibus adde ſcholas Chriſtianas.

De abbatiis & de his qui eas rexerunt aut regunt, infra ſeorſim agemus. At prius epiſcoporum hiſtoriam accurate litteris mandare conabimur, de quibus Guillelmus de la Croix cauſarum in Cadurcenſium curia patronus, juſtum volumen edidit. Horum quoque præſulum tabulam chronologicam conſcripſit Johannes Vidal; quas lucubrationes conſulere non omiſimus. At ex veteribus inſtrumentis præcipuum ad hoc opus ſubſidium hauſimus.

Præmonere debemus in monaſterio S. Michaëlis ad Moſam coli S. Anatolium, quem dicunt Cadurcorum fuiſſe epiſcopum, cujus depoſitio celebratur die ſeptima Februarii, ejuſdemque tranſlatio die 21. Octob. cum officio proprio, ſed non ita veruſto, in quo legitur S. Anatholium, graſſantibus in territorio Cadurcenſi infidelibus, mortem obiiſſe, quem in vineis urbi vicinis ſepelire clam coacti ſunt. Inde corpus ejus tranſlatum eſt ab Hermengaudo abbate S. Michaëlis in Lotharingia, qui ab Carolo Magno Cadurcenſem urbem tunc obſidente illud miraculorum fama detectum obtinuit; ſed de hoc epiſcopo Cadurcenſi nulla in ipſa diœceſi exſtat memoria.

Noſter D. Edmundus Martenne ex codice 800. annorum eruit vitam cujuſdam ſancti Allogioſi epiſcopi Cadurcenſis, cujus alibi nulla habetur mentio: ex hac autem vita non potuimus diſcere quo tempore vixerit: quapropter ejus acta inter inſtrumenta rejecimus.

C. I. pag. 18, col. 2.

EPISCOPI CADURCENSES.

I. S. Genulfus.

S. Genulfus vulgo primus hujus eccleſiæ præſul, in ſacris diptychis collocatur, & a Sixto pontifice in Gallias miſſus medio circiter 111. A ſeculo aſſeritur. Hujus natalem diœceſis annua celebritate veneratur XVI. cal. Februarii.

Eſt in Biturigibus vetus abbatia ſancti Genulfi, quæ prius Stradenſe monaſterium vocabatur, mutavitque nomen, eo tranſlatis anno circiter 870. ſancti Genulfi ſacris reliquiis. Meminit Guillelmus Cruceus autiqui monaſterii ſancti Genulfi nomine nobilitati, cujus ait videri adhuc rudera non procul a Teminis.

II. Exuperius.

Secundus locus in indicibus datur Exuperio, circa annum 339. In quibuſdam tamen ſchedis occurrit mihi quidam Gauſbertus epiſcopus Cadurcenſis anno circiter 301. cujus nomen legi aiunt in veteribus inſcriptionibus arcuatæ ſtructuræ majoris eccleſiæ. Ceterum J. Vidal refert Exuperium docuiſſe rhetoricam publice Burdegalæ, Toloſæ & Narbonæ; quæ eſt etiam Cruceï ſententia. Uterque vero nititur Auſonii * teſtimonio, qui Exuperium Burdigalenſem rhetorem docet factum Hiſpaniarum præſidem, auctoritate Dalmatiorum Cæſarum, quos in bonis litteris & rhetorica inſtituerat, & ex præſide vocatum ad *ſedem Caturcam*, in ea tempora vitæ abſolviſſe. At hanc laudem annalium eccleſiaſticorum parens Baronius transfert ad alium Exuperium Toloſanum epiſcopum, ab Hieronymo præſertim celebratum. Sed quomodo is in *ſede Cadurca* vitæ finem nactus eſt? Attamen cenſemus Auſonium locutum de alio Exuperio, quam epiſcopo; qui dives factus in magiſtratu apud Hiſpanias geſto *tranquilla vita*

* *in Profeſſor. n. 18.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

tempora finivit apud Cadurcos, ubi ſedem fixerat.

III. Florentius.

Is anno 370. ſediſſe dicitur; ad quem Paulinum Nolanum epiſcopum ſcripſiſſe epiſtolam * refert Roſveidus. Quamquam non ita certum ibi agi de Florentio Cadurcorum epiſcopo.

* 30. lib. IV.

IV. Alithius.

Alithius celebratur a Paulino preſbytero apud Gregorium Turon. lib. 2. cap. 13. tanquam digniſſimus fidei religioniſque cuſtos, cum Exuperio Toloſano, &c. cui & ſcripſiſſe ſanctum Paulinum Nolanum epiſt. 31. conjicit Cruceus *a*. Idem ſcriptor & Johannes Vidal inter Alithium & Boëtium ponunt Capuanum epiſcopum, a quo S. Sacerdotem Lemovicum epiſcopum inſtitutum eſſe docent breviaria Petragoricenſe & Lemovicenſe. Eum ponimus poſt S. Deſiderium.

a

V. Boetius.

Boëtius ſubſcripſit ſynodo Agathenſi anno 506. & Aurelianenſi I. 511. epiſcopus *eccleſiæ Cadurcinæ* dictus in hac ſubſcriptione, & epiſcopus *de Cadurcis* in priori.

506. 511.

VI. Sustratius.

Suſtratius ſuo chirographo firmat canones concilii Aurelianenſis II. an. 533. ac per Vincentium preſbyterum tertio ſubſcripſit an. 538. necnon quarto per Minurulum preſbyterum anno 541.

533 538. 541.

VII. Maximus.

Hic epiſcopus ſimul dictus Leucadius interfuit Aurelianenſi concilio quinto an. 549.

549.

VIII. Maurilio.

De hujus præſulis patientia, morbis, voluntariiſque cruciatibus ita loquitur Gregorius Turon. lib. 5. hiſt. *Maurilio Cadurcenſis urbis epiſcopus graviter agrotabat ab humore podagrico, ſed ſuper hos dolores quos ipſe humor commovit, magnos ſibi cruciatus addebat; nam ſæpe candens ferrum tibiis ac pedibus defigebat, quo facilius cruciatum ſibi amplius adderet.* Ante mortem ſibi ſucceſſorem in Cadurcina ſede deſignavit Urſicinum eximiæ pietatis virum, ne in manus ambitioſorum veniret.

cap. 49.

IX. S. Ursicinus.

De hoc epiſcopo audiendus eſt Gregorius Turon. loco ſupra laudato: *Cum epiſcopatum ejus* (Maurilionis) *multi expeterent, ipſe Urſicinum qui quondam referendarius Ultrogotha reginæ fuerat, elegit. Quem dum adhuc viveret, benedici deprecans, migravit a ſeculo. Fuit autem valde eleemoſynarius, in ſcripturis eccleſiaſticis valde inſtructus, ita ut ſeriem diverſarum generationum, qua in libris veteris Teſtamenti deſcribitur, quod a multis difficile retinetur, hic plerumque memoriæ recenſeret. Fuit etiam & in judiciis juſtus, ac defendens pauperes eccleſiæ ſuæ de manu malorum judicum, juxta illud Job:* Conſervavi egenum de manu potentis: & inopi, cui non erat adjutor, auxiliatus ſum: Os viduæ benedixit me, cum eſſem oculus cæcorum, pes claudorum & invalidorum pater.

Job. 29. 12. 13. 15.

Controverſiam illi movit Innocentius Ruthenenſis Præſul, repetendo aliquot parochias *b* ſuæ diœceſis; placito autem metropolitani, epiſcoporumque provinciæ diremta legitur apud Gregorium lib. 6. *Innocentius Gabalitanorum comes*, inquit, *eligitur ad epiſcopatum, opitulante Brunichilde regina. Sed aſſumto epiſcopatu, confeſtim Urſicinum Cadurcinæ urbis epiſcopum lacceſſere cæpit, dicens quia diœceſes Ruthenæ eccleſiæ debitas retineret. Unde factum eſt, ut diuturna intentione gliſcente, poſt aliquot annos conjunctus metropolis* cum ſuis provincialibus apud urbem Arvernam reſidens c judicium emanaret, ſcilicet ut parochias quas nunquam Ruthenæ eccleſiæ tenuiſſe recolebatur, reciperet, quod ita factum eſt.*

b

cap. 38.

* *id eſt* metropolitanus.

c

Sanctus præſul in iram Guntramni regis incurrit, qui coacto concilio Matiſconenſi II. egit ut ab epiſcopis damnaretur & excommunicaretur, uti narrat Gregorius Turon. lib. 8. hiſtor. *Pro eo quod Gundobaldum excepiſſe publice eſt confeſſus. Accepto hujuſmodi placito, ut pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum neque barbam tonderet, vino & carnibus abſtineret, miſſas celebrare, clericos ordinare, eccleſiaſque & chriſma benedicere, eulogiaſque dare penitus non auderet: utilitas tamen eccleſiæ, ſicut ſolita erat, omnino exerceretur.* Hanc ſententiam tantum comminatoriam fuiſſe contendit Cruceus, quod huic ſynodo, a qua condemnatus dicitur, Urſicinus ſubſcripſerit. Sed Fauſtianus durius habitus in hoc cœtu, nihilominus eidem nomen in ſignum conſenſus appoſuit inter epiſcopos qui ſedem non habebant.

c. 10.

In actis epiſcoporum Autiſſiodorenſium c. 20. Deſiderius Autiſſiodorenſis poſt Aunarium epiſcopus, commutationem feciſſe dicitur *cum viro apoſtolico Mammone eccleſiæ Cadurcinæ epiſcopo.* Eum Urſicino coadjutorem datum fuiſſe conjicimus, ad epiſcopalia munia obeunda tempore hujus interdicti.

X. Eusebius.

Euſebium ſancto Urſicino datum fuiſſe ſucceſſorem probant acta ſancti Deſiderii cap. IV. mox referenda.

XI. Rusticus.

Ante epiſcopatum Ruſticus frater S. Deſiderii, de quo brevi agendum, *archidiaconatus officium in urbe Ruthena, & abbatiæ ſub Chlotario* rege adminiſtraverat*, ut legitur capite 1. vitæ S. Deſiderii. Abbatis Palatini munus quod geſſit Ruſticus, erat præeſſe clericis aut monachis,

* ſecundo.

a Utrum Paulinus preſbyter idem ſit ac Nolanus epiſcopus, diſputatur. Eundem eſſe veriſimillimum eſt. Alithium preſbyterum ob ſcripturarum ſanctarum ſcientiam laudat Hieronymus inter epiſtolas ad Algaſiam; ſed minime dicit eum duxiſſe Ruſinam filiam ſanctæ Paulæ, ut quidam volunt. Idem Hieronymus in epitaphio ſanctæ Paulæ, quod miſit ad Euſtochium, recenſet omnes Paulæ liberos, in his Ruſinam, quam dicit immatura morte raptam, nulla facta mentione nuptiarum. Secus facit de ea loquens quæ Pammachio collocata fuerat.

b Suſpicatur noſter Theodericus Ruinart in ſuis notis ad hunc Gregorii locum, has fuiſſe parochias quæ Anſitenſi epiſcopatui attributæ erant, de quibus idem Gregorius l. V. c. 5. Hanc conjecturam hauſit ab Valeſio ut ipſe ultro profitetur.

c In ſynodo III. Atrebat. anno circiter 584.

ANNI CHRISTI.

qui divina officia perſolvebant in regio palatio, & in rebus ſacris miniſtrabant. Ea enim fuit regum noſtrorum pietas & religio, ut in palatiis, in caſtris etiam divinum officium diu noctuque cani curarent. Viri autem religioſi qui aut divinis laudibus concinendis in palatio vel caſtris operam dabant, aut pœnitentes reconciliabant, aut geſtabant ſanctorum patrocinia, abbatem ſuum habebant cui obedirent.

Mortuo Euſebio antiſtite Caturcenſi, *qui ſucceſſor in epiſcopatum ſanctæ memoriæ Urſicini fuerat*, ei ſubrogatus eſt Ruſticus. At poſt annum ſeptimum in paſtorali munere exactum, a ſceleſtis & perfidis incolis interemtus eſt: *Ob quod conturbatio magna facta eſt in eccleſia, non ſolum in urbe Cadurca, ſed etiam in regis aula: ſi quidem vehementer ira regis commota, terribilia valde promulgavit præcepta, adeo ut alii obtruncati, alii interemti, alii exſilio damnati, alii etiam perpetuæ ob hoc ſervitute addicti ſunt, ſic quoque ut nunquam in ſempiternum ad libertatis ſtatum meruerint pervenire*; ex laudata ſancti Deſiderii vita c. 5. Interfuerat ſynodo Remenſi anno 625. Cur autem ſynodum hanc non referamus ad an. 630. ſed quinque annis citius, docebimus in Senoco Eluſano metropolita. Legendus ea de re Carolus Cointius, qui eandem ſynodum ad an. 625. revocat. Porro ex tempore celebrationis hujus ſynodi ſtatui poteſt chronologia de epiſcopatu Ruſtici, & ejus fratris Deſiderii.

Ibid. c. 4.

625.

Ruſticus, ex vita S. Deſiderii octavum ſui pontificatus annum incipiebat quando occiſus eſt, tuncque Dagobertus inchoabat etiam octavum regni annum. Id autem intelligendum de regno Auſtraſiano, non de regno ampliori quod conſecutus eſt poſt mortem Chlotarii patris, quæ non contigit niſi an. Chriſti 628. qui erat jam ſaltem quartus annus Ruſtici, cum interfuiſſet ſynodo Remenſi an. 625. Si ergo coincidunt anni pontificatus Ruſtici cum annis regni Dagoberti in Auſtria, cœpit ſedere an. 622. Occiſus eſt an. 629. menſe Februario deſinente, vel ineunte Martio, & Deſiderius ei ſucceſſit an. 630. inchoante in diebus ſolemnibus Paſchatis. *Conſule Mabillon. in diſſertatione de anno & die ordinationis, &c. Deſiderii Cad. tom.* III. *Analectorum p.* 629.

XII. S. Desiderius.

S. Deſiderius Obrege (*Albige*) natus ex nobili genere, patre Salvio, matre Herchenefreda, fratres illuſtres habuit Siagrium qui ampliſſimos geſſit magiſtratus, & Ruſticum, qui in epiſcopatu Cadurcenſi fratrem ſuum præceſſit. Deſiderius vero qui in bonis litteris apprime fuerat eruditus, adhuc adoleſcens theſaurarii regis * officio defunctus eſt; quo in munere magnam prudentiæ, æquitatis ac integritatis laudem conſecutus eſt. Neque vero rerum temporalium ſollicitudo, ſtudium colendæ virtutis ac pietatis in eo vel leviter imminuit. Mortuo fratre Ruſtico Cadurcorum epiſcopo, cujus cædem ad an. 629. referunt Cointius & Mabillon. Dagobertus rex filius Chlotarii II. ſcripſit ad S. Sulpitium Bituricenſem epiſcopum de ſubrogando in locum Ruſtici Deſiderio ejus fratre. Præterea præceptum direxit *ad epiſcopos, duces cunctumque populum Galliarum*, ea de re, ut doceret Deſiderium, etſi adhuc laïcum, ob *angelicos mores & ſacerdotalem converſationem* non eſſe ab epiſcopatu arcendum tanquam neophytum; maxime cum acceſſiſſet *civium abbatumque Cadurcorum* conſenſus. Jam vero quanta ſollicitudine commiſſi ſibi gregis cuſtodiæ invigilarit, ejuſque ſaluti proſpexerit, non eſt facile dicere. Monaſtici ordinis propagationi ſtuduit; in primis ſancti Amantii vetus monaſterium non longe ab urbe denuo magnis ſumtibus ædificavit, & prædiis dotavit; ad cujus dedicationem invitavit plurimos epiſcopos, in his Paulum Virdunenſem, ut probat Deſiderii ad eum epiſtola. Cum anno ſui epiſcopatus 23. profectus eſſet Deſiderius ad *Albienſe territorium paternæ poſſeſſionis* inviſendum, ibi in natali ſolo ad cœleſtem patriam evolavit, condito prius teſtamento, quo eccleſiæ ſuæ *quidquid ex parentum ſucceſſione, quidquid regio munere, quidquid propria comparatione adquiſiſſet*, contulit. Eum obiiſſe XVII. calendas Decembris in confeſſo eſt apud omnes pene ſcriptores. De anno vero mortis diſceptatur. Annum hunc fuiſſe 654. docet Mabillonius analectorum tomo 3. Carolus Cointius vero anno 649. Guillelmus Cave in hiſtoria litteraria, an. 652. ſcriptor vitæ S. Deſiderii ait c. 19. eum profectum eſſe ad Albienſe territorium viſitandum an. XVII. Sigeberti regis, & ſui pontificatus XXIII. Paulo poſt vero eum obiiſſe, ex rerum ſerie intelligitur. Emendat autem hunc ſcriptorem Cointius, & vult annum XVII. Sigeberti non anno XXIII. epiſcopatus Deſiderii, ſed XXI. eſſe illigandum. Nobis ſufficiat varias indicaſſe ſententias, in quibus excutiendis diu immorari non licet. Ex his tamen quæ ſupra præmiſimus agendo de Ruſtico, ubi oſtendimus anno 630. inchoato S. Deſiderium factum eſſe epiſcopum, liquet annum 652. fuiſſe vigeſimum tertium ejus epiſcopatus, quo ſanctus præſul profectus eſt ad territorium Albienſe; paulo poſt vero migravit ad ſuperos; hoc eſt vel anno eodem 652. vel 653. ineunte. Corpus ipſius ad eccleſiam ejus munificentia prius inſigni opificio conſtructam, ſcilicet S. Amantii delatum, ibidem multis fulſit miraculis. Vita ejus duobus comprehenſa libris edita eſt primum in Gallia chriſtiana, an. 1656. quam ad hagiographos amandandam cenſuimus. Scripſit varias epiſtolas ad amicos Sulpitium Bituricenſem epiſcopum, Dadonem ſeu Audoënum Rotomagenſem, Paulum Virdun. &c. quæ apud Caniſium Antiq. Lect. tom. V. habentur, & in bibliotheca Patrum tom. VIII. Ibidem editæ ſunt libro altero variorum ad illum epiſtolæ. Inter Uſſerii epiſtolas Hibernicas una exſtat, ſcilicet decima, quæ eſt S. Galli ad S. Deſiderium.

* Clotarii II.

p. 534.

XIII. Capuanus.

Hunc epiſcopum, quem Cruceus, Chenutius, & Robertus in ſuis Cadurcenſium pontificum indicibus, collocant anno 440. cum noſtris Sammarthanis, quibus Cointius calculum addit, ſucceſſorem ſancto Deſiderio damus. Errorem Crucei & aliorum arguit vitæ S.

ANNI CHRISTI.

Sacerdotis Lemovic. episcopi vetus exemplar, ex quo liquet S. Sacerdotem S. Capuani fuisse discipulum. Porro S. Sacerdos longe aberat a quinto seculo, quo vixisse sanctum Capuanum volunt laudati scriptores. *Traditus est*, inquit auctor vitæ S. Sacerdotis, *puer sancto Capuano Cadurcensi episcopo, viro inter præsules Aquitaniæ præcellenti, ut eum litteris & christiana institueret disciplina. Sic igitur jam nominis dignitate, parentum nobilitate, dono regio, sanctique præsulis magisterio dilectus Domini Sacerdos decoratus est in infantia: unde venerabili Capuano, sub cujus degebat magisterio, admodum carus erat, & ei semper assistens, doctrinam quam ab eo hauriebat, in suo pectore recondebat. Memoratus autem Capuanus episcopus per angelicam admonitionem ordinavit eum levitam.* Errandi occasionem præbuit vitæ scriptor, tradens S. Sacerdotem floruisse sub Clodoveo I. cum vixerit regnante Clodoveo III.

XIV. S. Ambrosius.

Sedisse legitur in Cadurcina cathedra tempore Pippini regis, qui anno 752. rex est salutatus. De eo consulendum vetus *Sanctorale* Caturcense, ubi præsertim legitur, quod cum propter bona ecclesiæ suæ in eleemosynis expensa, molestiam pateretur a suis civibus, noctu se subduxerit, & in spelunca per tres annos latitarit, solis oblationibus tertio quoque die sumtis victitans, catena ferrea lumbos præcinctus; ex quo carcere divino indicio coactus est egredi; moxque Romam petiit, & inde redux, prope Bituricam urbem animam exhalavit. Inscribitur Romano martyrologio die XVI. Octobris. Avarici colitur in ecclesia parochiali & abbatiali Canonicorum Regularium ordinis S. Augustini, quæ ipsius nomen retinet. Ejusdem duplex elogium habetur tom. 2. bibliothecæ Labbei. Obiisse creditur anno 770. Hoc loco quidam ponunt Aimatium seu Amarum episcopum ex fictitia inscriptione Anianensi, quem expungunt Cointius & Mabillonius.

Mab. ad an. 783. n. 11.

XV. Angarius.

C. XVI. p. 36. col. 1.

Angarius, *al.* Agarnus & Awarnus, nunc satis notus est ex veteri ejus instrumento pro Moissiacensi monasterio apud Cadurcos, quod ex hujus loci chartario Mabillon. edidit in annalibus ad annum 783 [a]. n. 39. *Datum est anno* DCCLXXIII. (lege ex Mabill. DCCLXXXIII.) *domini Hludovici secundo regni Francorum*; id est *Aquitanorum*, inquit Mabillonius. Ex quo instrumento intelligitur hunc præsulem suam quoque ecclesiam locupletasse. Hujus episcopi mentionem facit vetus membrana monasterii Figiacensis de permutatione cellulæ Ionante D. Martino sacræ, in qua fundata est abbatia, facta inter illum episcopum & Pippinum Aquitaniæ regem, cum ea subscriptione: *Datum* IV. *cal. junii anno* VI. [b] *imperii Ludovici, &* VII. *regni nostri.*

[a] Irrepsit error in edendo instrumento hic laudato, nam pro 673, legendum 783. Ludovicus rex in diplomate indicatus est Ludovicus Pius.

[b] Cointius qui veteris schedæ Figiacensis de hac permutatione auctoritatem admittit, putat sic emendandas chronicas notas: *Datum anno* VII. *imperii D. Ludovici, &* VI. *regni nostri.* Vide ad annum 820. n. 27.

Annotare hic haud erit inutile, in vita sancti Desiderii fieri mentionem Agarni episcopi ecclesiæ Cadurcensis, cum agitur de miraculis ejus, & sanitate virtute sancti hujus reddita Aredio Ruthenæ urbis episcopo, sic enim loquitur: *Cum post aliquot dies urbem Cadurcam & medicum suum gratiarum jura soluturus inviseret, ea qua retulimus germano suo Agarno episcopo referre studuit. Ille vero dubius exstitit, nec mora & vehementissima febre correptus, non aliter sanari meruit; nisi frequentissima repetitione crebris discurrentibus missis ad medelam B. Desiderii sese convertens, ex corde conferret.*

Quamvis hoc loco Agarnus non legatur episcopus Cadurcensis, id tamen satis innotescit ex contextu: nempe Aredius Cadurcum venit ad medici sui Desiderii sepulcrum, ubi Agarnum episcopum certiorem facit sanitatis suæ recuperatæ ope sancti Desiderii. Cujus vero sedis episcopus erat ille, qui Cadurci manebat, nisi Cadurcinæ?

XVI. Stephanus I.

C. XXXV. p. 43. col. a. Nomen hujus episcopi occurrit in bulla Paschalis I. anno 822. de qua tamen silet Mabillonius; an quia ei visa est parum certa? sed aliunde nobis innotescit Stephanus episcopus, nimirum ex hist. abbatum Figiacensium, quam 2. tom. Miscellan. inseruit Baluzius, ubi Aimarus abbas legitur mortuus post annos 32. regiminis, temporibus Raimundi Tolosani comitis, & Stephani episcopi Cadurcensis, an. ab incarnat. Dominica octingentesimo quinquagesimo secundo, indictione decima-quinta; quæ temporis notæ sunt optimæ. *Ex tab. monasterii Figiac.* 852

XVII. Willelmus I.

Subscripsit hic præsul privilegio concesso monasterio Tornusiano, seu Trenorchiensi (*Tournus*) in conventu Cabilonensi anno 875. anno vero 876. canonibus & decretis Pontigonensibus; postmodum an. 887. testamento Frotarii Bituricensis archiepiscopi, quo concedit Garulfo abbati Belli-loci in Lemovicino tractu, res proprietatis suæ in comitatu Lemovicensi; nempe villam Orbaciacum. Vide Mabillon. ad annum 887. n. 21. 875 887.

XVIII. Gerardus I.

Interfuisse legitur translationi reliquiarum sancti Antonini, cum sancto Theodardo archiepiscopo Narbonensi, aliisque præsulibus. Sedebat adhuc anno 917. ex vetusto exemplari. 917.

XIX. A. *seu* Amblardus.

Hic episcopus, cujus primam nominis litteram tantum tenemus, sedebat an 930. Rodulfo rege Francorum regnante, regni ejus anno V. quo testis fuit donationis Soliaci*curtis, in vicaria de Casiliaco, factæ Aureliacensi monasterio, apud Justellum. Vide Mabill. ad an. 983. n. 36. In chartulario ecclesiæ Cadurcensis memoratur Amblardus Caturcensis episcopus scilicet, in instrumento Benjamin archidiaconi, mense Aprili anno VIII. sub Ludovico rege Transmarino, qui regnavit post Radulfum. Hinc ita- 930. * Smillac. *In instr. hist. Turon. p. 9* *Instrum. p. 29. col. 2.*

que conjicimus anonymum supra memoratum, Amblardum esse. Aliunde constat episcopum nomine Amblasdum Cadurci sedisse anno sexto Radulfi regis; uti legitur in quodam instrumento chartularii Cadurc. cujus excerptum vide inter instrumenta. In eodem chartulario noster D. Jacobus Boyer legit Amblardum episcopum Cadurcensem viaticum dedisse sancto Geraldo comiti fundatori cœnobii Aureliacensis morti proximo.

ANNI CHRISTI.

p. 30. col. 2.

XX. Bernardus I.

Bernardus episcopus Cadurcensis nominatur in testamento Pontii Raimundi comitis Tolosani, condito, ut censet Mabillonius, an. 960. *Illa ecclesia de sancto Marcello Bernardo episcopo remaneat. ..... & post mortem Bernardi episcopi, ipsa ecclesia sancti Salvii remaneat.* Vide Mab. de re Diplomatica p. 572.

960.

XXI. Stephanus II.

Antistes hic sedebat circa an. 960. occurritque ejus memoria in tabula Ranulfi de dono ecclesiæ sanctæ Mariæ de Artellis cœnobio Figiacensi facto. Adhuc sedebat anno 964. attigitque tempora Benedicti papæ V. juxta historiam Figiacensis monasterii tom. 2. miscellan. Baluzii, ubi legitur Calstonem abbatem sub Benedicto papa & Stephano episcopo Canurc. Fontense condidisse monasterium.

964.

XXII. Frotarius.

Cadurcensem cathedram obtinebat Frotarius an. 968. ut probat charta dedicationis ecclesiæ de Vairiaco, super fluvium Dordoniæ fundatæ, a Bernardo sancti Martini (*Tutelensis*) abbate, quam consecravit hic præsul, an. præfato indictione XI. regnante Lothario rege anno XV. quæ chronicæ notæ optime conveniunt. Chartam hanc damus inter instrumenta. Non vixit ultra an. 990. ut mox ostendemus.

968.

C. IV. p. 30. col. 1.

XXIII. Gausbertus.

Exstat tom. 8. Spicilegii forma electionis Gausberti episcopi in episcopum Cadurcensem, ubi legitur: *Vir inclytus Dagobertus* (Dagbertus) *primæ sanctæ Bituricensis ecclesiæ sedis archimandrita, cognoscens obitum beatæ memoriæ Froterii episcopi sanctæ sedis Caturcensis ecclesiæ..... in ipsius loco jubeo & absolutionem facio ad coepiscopos nostros eligere & benedicere Gausbertum ..... anno* DCCCCXC. Quæ charta inter nostras recusa nos docet 1°. omissum fuisse Froterium seu Frotarium episcopum in Cadurcensium catalogo. 2°. Gausbertum alio ordine recensendum, quam in vulgatis horum præsulum catalogis. Gausberti curam & sedulam operam in visitanda sua diœcesi testatam facit cartul. Cadurc. ubi etiam legimus cellam quamdam in honore Dei genitricis Mariæ, in qua *S. Karitas humana quieſcit*, ab ipso fuisse dotatam. Ceterum vereor ne chartæ quam laudamus subscriptiones vitiatæ sint.

990.

p. 28. col. 2. & p. 29. col. 1.

C. III. p. 29. col. 1. instrument.

XXIV. Bernardus II.

De hoc episcopo sic loquitur Aimoinus Floriacensis lib. de vita S. Abbonis cap. 10. *Bernardum pater Hugo haud infimo* [a] *inter proceres Aquitanicos ortus loco, ex copiosa filiorum caterva Deo obtulerat ad serviendum; ac ad Floriacense sancti Patris Benedicti cœnobium miserat literis imbuendum. Quem hic totius bonitatis plenus Abbo, ex precepto abbatis sui honorabilis Richardi susceptum valde dilexit, & in quantum temporis opportunitas adrisit, liberalibus artibus erudivit. Sed idem Bernardus, non longo annorum interjecto spatio, a patre suo evocatus, Solemniacensi abbatia quam sanctus quondam construxit Eligius, est donatus. At non multo post Bellilocensem locum, quem ejus genitor jure belli armisque conquisierat victricibus, est adeptus* b. *Cui cum Wilelmus comes Tolosanus, Caturcensem præsulatum quem nunc regit, committere disposuisset, & ob hoc tam ipse comes, quam & archiepiscopus Bituricensium, sub cujus diœcesi eadem ecclesia consistit, non minimam pecuniæ summam ab eo exigerent, ad hunc alumnum suum, sanctum dirigit Abbonem, quid facto opus esset interrogans, ad quem ille caritativam direxit epistolam ita se habentem: Quia te divina pietas servum suum multis honoribus admodum extulit, quos virtutum prærogativa adeo excelis, ut te imitabilem præbeas pluribus bonis; hortor & admoneo ut tua memor professionis illos gradus excellentiæ appetas, in quibus Dominum non offendas.* Post aliqua Aimoinus de itinere Hierosolymitano verba faciens, subjungit: *Bernardus tandem aliquando bonorum hujus vitæ pertæsus, videns multorum frigescere caritatem, & ideo superabundare iniquitatem, deliberavit animo, relictis omnibus quæ possidebat Hierosolymam petere. Quod iter a patre ejus, pœnitentiæ voto, ante omnes fere in hoc tempore Galliæ habitatores cœptum, ac percursatum fuerat. Nec tamen hoc absque sui sententiæ didascali, aut consilio, perficere disponens, ad Floriacum venit monasterium, secreta cordis sui, huic suo totius bonitatis patefacturus magistro. Ille, Hierosolymitano interdicto itinere, ne omnino ejus voluntati contraire videretur, Romam petere, montem Garganum adire concessit.* Hactenus Aimoinus. Bernardus adhuc præerat an. 1005. quo Aimoinus scripsit vitam sancti Abbonis, ut ipse testatur his verbis: *Caturcensem præsulatum quem nunc regit*; proindeque successor ejus Deus-dedit minime cathedram hanc adeptus fuerat an. 1000. Beneficus fuit erga Cluniacum, quo tempore S. Odilo celeberrimum hoc asceterium moderabatur; habuitque imitatorem fratrem suum Robertum, ut docebit charta VI. inter instrumenta.

1005.

C. VI. p. 30. col. 2.

XXV. Deus-dedit.

Deus-dedit, *al.* Deodatus, interfuit dedicationi sancti Salvatoris Lemovicensis, anno 1028. & synodo Lemovicensi II. anno 1031. die XVIII. Novembris, in cujus sessione 2. refertur oratio quam habuit de sepultura ecclesiastica excommunicatis deneganda. Paulo antea eodem scilicet anno calendis Novembris sederat in synodo Bituricensi pro asserendo sancti Martialis apostolatu habita.

1028. 1031.

[a] Erat de genere vicecomitum Combornii.

[b] Erat etiam simul abbas Tutelensis, ex notitia quam editam leges in appendice ad tom. V. annal. Mabill. col. 672. charta 61.

ANNI CHRISTI.

XXVI. Bernardus[a] III.

Certam temporis quo sedit hic episcopus, notam nobis suppeditant acta electionis Ictterii in Lemovicensem episcopum, ubi legitur:

1052. *Electus est dominus Ictterius anno Domini* MLII. *ab incarnatione, & ordinatus a præsentibus episcopis.... laude & consensu Petri Ruthenensis .... Bernardi Caturcensis episcopi. Electus est autem D. Ictterius mense Januario pridie nonas anno* XXII. *Henrici Regis.* Memoratur in variis chartis ecclesiæ Tutelensis, regnante Henrico rege; erat enim simul Tutelensis abbas.

XXVII. Fulco Simonis.

Cognomen hujus episcopi nos docet vetus inscriptio, de qua mox loquemur. Hic jam epis-
1055. copus erat an. 1055. quo assensum præbuit do-
1061. nationi ecclesiæ de Duravel factæ monasterio
1063. Moissiacensi. Idem quoque an. 1061. ratam habuit donationem ecclesiæ sancti Petri *de Chos* a Guillelmo comite Tolosano factam eidem monasterio Moissiacensi. An. 1063. cum ad dedicationem ecclesiæ Moissiacensis plurimi convenissent præsules, defuit Fulco, ut docet vetus inscriptio, quam alibi integram edituri sumus. Interim vero quæ ad Fulconem spectant describemus:

Auscius Ostindum, Lactora dedit Raymundum.
Convena Guillermum direxit, Aginna Vilelmum.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
Respuitur Fulco Simonis dans jura Cadurco.

Annus quo hæc dedicatio facta est signatur his versibus:

Myriades lustris apponens tres duodenis.
Virgineum partum dabat orbi.

Hoc est mille anni additi duodecim lustris, quæ faciunt annos 60. & tribus annis, indicant annum a partu virgineo, quo dedicata est ecclesia Moissiacensis. Qua ratione rejectus fuerit Fulco Simonis, non audemus decernere. Conjicimus tamen eum contendisse de jure dedicandæ hujus ecclesiæ, cum Duranno simul Moissiacensi abbate & Tolosano episcopo, vel etiam cum Ostindo Ausciensi archiepiscopo; unde pacis causa rogatus est non adesse.

XXVIII. Bernardus IV.

Confirmavit sua subscriptione litteras Pontii comitis Tolosani, quibus univit Moissiacum Cluniaco, vel potius unionem jam factam ratam habuit ac corroboravit consilio Almodis uxoris
1067. suæ ac principum sibi subditorum, venerabilium scilicet Bernardi Caturcensis episcopi, &c. *Sub die* III. *kal. Junii feria* III. *anno ab incarnatione Domini* MLXVII. Vide inter instrumenta.
C. VII. p. 30. col. 2.

XXIX. Geraldus II.

de Gourdon. Geraldus de Gordonio Cadurcensis episcopus recensetur inter episcopos, qui adfuerunt
1068. concilio Tolosano, an. 1068. indict. VI. Ale-
1072. xandri papæ II. anno VIII. Anno 1072. eccle-

[a] Bernardi II. nepos erat, ex quadam notitia abbatum Tutel. in appendice ad t. V. annal. Bened. c. 672.

A sias de Carenaco, de S. Speria, &c. Magengodo, priori Cluniacensi dedisse dicitur. Idem consentit unioni monasterii Figiacensis, cum Cluniacensi an. 1074. ut videre est in charta ea de re confecta, quam damus in serie instrumentorum. Meminit Mabillonius litterarum ejus, quibus committit Viganensem ecclesiam clericis sancti Saturnini apud Tolosam, ut illic viveretur secundum patrum decreta, &c. *Actum sub papa Gregorio, regnante Philippo mense Junio in festivitate B. Johannis.* Vide Mabill. ad an. 1050. n. 35. Anno 1083. consensum dedit fun- 1083.
B dationi monasterii subtus castrum Brunechildum, ab Armanno & Ademaro vicecomitibus constructi. Multa alia de Geraldo episcopo leguntur, quæ una serie referemus, quamvis quædam forte ad alium Geraldum pertineant, ut infra ostendemus vero similius esse. Sed quo tempore unus ex his duobus Geraldis desierit, alterque sedere inceperit, difficile est definire. Charta Rupis-Amatoris anni 1093. Geraldi Ca- 1093.
turcensis episcopi nomen præfert. Anno 1095. adstitit Urbano II. Casæ-Dei ecclesiam consecranti post assumtionem B. Mariæ. Ex ejus-
C dem papæ bulla data an. 1096. x. kal. Septem- 1096.
bris, quam inter instrumenta legesis, compertum habemus Geraldum faviisse plurimum canonicis Cadurcensibus[b], qui statum regularem amplexi fuerant, eisque multos proventus assignasse, qui enumerantur in ejusdem testamento condito an. 1090. editoque tom. VIII. Spicilegii p. 161. Ad eumdem an. 1097. scripsit idem sum- *C. XXV. p. 40. col. 1.*
mus pontifex pro Moissiacensibus. Anno 1101. 1101.
auctoritate sua confirmat donationem ecclesia- *C. XXVI. p. 40. col. 2.*
rum B. Mariæ & S. Audoëni, quas Moissiaco Raimundus vicecomes factus monachus contulerat. Jussit quædam a capitulo cedi Gausberto de Castro-novo, ea lege ut ejus filius, cum perveniisset ad annum decimum ætatis, canonicum habitum indueret. Vide Spicilegii t. VIII. p. 360. Eodem præsente Raterius de Bello-forti donationem fecit canonicis Cadurcensibus. Vide ibid. p. 365. Cessit ecclesiam sancti Martialis de Beyssaco Geraldo abbati Bellilocensi an. 1107. quod 1107.
donum postea Raimundus Turenæ vicecomes ratum habuit mense Septembri an. 1118. Eodem an. 1107. decanatum & alias dignitates ecclesiæ Viganensi attribuit. Anno 1110. memo- 1110.
ratur in tabulario Tutelensi, & anno 1112. in 1112.
Bellilocensi.

ANNI CHRISTI.

Hist. ms. major. prioratus Clun.

1074. *Charta XXXVI. p. 44. col. 1.*

1083. *C. XXIII. p. 39. col. 2.*

XXX. Geraldus III.

de Cardalaco.

Superius monuimus, non uni forsan Geraldo adscribenda esse quæ retulimus acta ab an. 1068. ad 1112. Id autem nos docet chartarius liber ecclesiæ Cadurcensis, qui nobis exhibet quoddam instrumentum ubi legitur: *Ego W. Dei gratia Caturc. episcopus ... qua prædecessores nostri, Geraldus videlicet bona memoriæ Caturc. episcopus, qui dictus est de Gordonio, contulisse dignoscitur; vel etiam quicumque successor, antecessor noster, qui dictus est de Cardalaco, &c.* De eodem infra legitur: *Secundum concessionem prædicti bona memoriæ Geraldi de Cardalaco in indumentis illorum obvenire conlaudo.*

C. IV. instrument. p. 29. col. 2.

[b] Lege chartul. Caduic. inter instrumenta p. 28. col. 1.

Ex

ANNI CHRISTI.

Ex his liquet, si fides chartulario sit adhibenda, Geraldum de Cardalliaco fuisse prioris Geraldi de Gordonio successorem, nullumque inter eos admittendum episcopum. Valeant ergo Bernardus, quem aiunt memorari in bulla Urbani II. an. 1088. & Stephanus admissus a Cruceo, ex testimonio bullæ, quæ alioquin multas suppositionis notas præfert, uti quæ leguntur de *decretalibus litteris, glossis & bullis beatæ memoriæ Stephani papæ II.* quæ perhibent ecclesiam Figiacensem *a Christo fuisse dedicatam*, de insolita *delictorum indulgentia plenaria*; maxime de recenti destructione Figeaci a paganis, cum nuper an. videlicet 1074. fuisset collata Cluniacensibus, qui eam meliorem in statum restituerunt.

Plus difficultatis occurrit in epistola Urbani II. ad Guillelmum Cadurcensem, quam Baluzius inseruit suis miscellaneis tom. VI. sed suspicamur in authentico epistolæ scriptum G. qua littera quidam amanuensis conjecit significari Guillelmum, non Geraldum. Hunc Geraldum conjicimus rexisse ab an. 1093. ad annum 1112. sicque ipsi tribuenda esse acta omnia superius ab hoc relata tempore usque ad annum 1112. quo legimus Geraldum Caturcensem episcopum cum consilio Gausberti Caturcensis prioris, Seguini, Guidonis, Willelmi archidiaconorum suorum dedisse, id est confirmasse ecclesiam S. Martialis de Beyssaco, monasterio S. Petri de Bello-loco, in manu Geraldi abbatis, infra ecclesiam S. Serini ante altare cal. Martii an. ab origine mundi VI. CCC. XII. an. ab incarnatione Domini M. C. XII. indict. V. Paschali papa II. regnante Ludovico rege Francorum. Nemo vero mirari debet, si hæsitabundi de rebus tam obscuris loquamur.

1112.

XXXI. GUILLELMUS II.

Guillelmus jam sedebat an. 1113. ut probat judicium ab eo latum hoc an. Inscribitur chartis Tutelensibus annis 1113. 1118. 1120. Anno 1125. dedit ecclesiam de Calviaco Arnaldo abbati Sarlatensi, de assensu archidiaconorum suorum. Vidit Guillelmus a Cruce veterem membranam abbatiæ sancti Marcelli, cujus hæ sunt notæ chronologicæ: *Anno Domini* MCXXX. *ind.* IX. (melius VIII.) *epacta* XX. *solari cyclo* II. *Henrico rege Anglia & Ludovico Gallia, & duobus apostolicis ob papatum S. R. E. certantibus*, Willelmo *episcopo Caturcensi*. Anno 1143. ejus precibus Petrus archiepiscopus Bituricensis concedit privilegium Viganensi canonicorum Regularium cœnobio. Aliquam portionem oppidi & territorii de Calmont ad ipsum jure patrimonii pertinentis dedit ad fundationem monasterii Bonævallis apud Ruthenos, ut nos docet charta ejus fundationis; unde docemur etiam ipsum fuisse ortum ex illustri genere de Calo-monte.

1113. 1120. 1125. 1130. 1143.

Vide in hac abbatia.

Expungendi videntur fratribus Sammarthanis Gofridus & Raimundus. Et quidem Gofridus invectus est a Roberto, testimonio diplomatis Ludovici & Philippi regum Franciæ pro monasterio Dionysiano an. 1129. ubi legit Gofridum Cadurcensem pro Gaufredo Carnotensi. Quod spectat ad Raimundum, Mabillonius in notis ad epist. 329. S. Bernardi, ubi meminit episcopi *Catinensis* electi, cujus causa commissa fuerat episcopo Lemovicensi, putat hîc agi de Raimundo electo ad sedem Caturcensem; legendumque autumat, *Caturcensis* pro *Catinensis*. Et aiunt hunc episcopum notatum in actis Montalbanensium consulum ad annum 1144. quæ non exploravimus. Certe nihil vetat quominus ei locus detur hoc in catalogo.

ANNI CHRISTI. *D. Vidal*

XXXII. RAIMUNDUS I.

Pauca de hoc episcopo ad nos pervenerunt, præter ea quæ supra præmisimus. Dicunt etiam ipsi ablatum fuisse comitatum urbis, postea redditum Guillelmo de Cardalliaco. Potuit sedere usque ad annum 1150. qui primus notatur ejus successoris. 1150.

XXXIII. GERALDUS IV.

Hector.

Geraldi cognomento Hectoris nobile genus probat ejus cognatio cum vicecomite & marchione de Albucione * de qua loquitur in epistola ad Fridericum imperatorem infra referenda. Frater erat Johannis Petracoricensis episcopi, ut liquet ex donatione ab eodem Johanne facta Uzerchiæ, de qua suo loco. Confirmavit & sigilli sui impressione communivit conventionem factam inter domnum Stephanum abbatem Obazinensem, & Giraldum de Vineirafont archipresbyterum, pro decimis ecclesiæ de Gunnac an. ab incarnatione Domini MCLIII. Ibidem notatur adhuc annis 1168. 71. 1186. 1191. 1192. Adfuit Albæ in festo Dominicæ nativitatis, *celebritati gaudii corona* Friderici I. imperatoris, an. 1152. In ramis palmarum eumdem adiit apud Placentiam. Cum in Italia adhuc moram faceret, audivit Eborum vicecomitem consanguineum suum ab Jerosolymis redeuntem; apud montem Cassinum ægrotare, ad quem invisendum perrexit. Sed in itinere captus est a marchione Marchiæ Guarnerii; qua de causa scripsit ad imperatorem, orans ut juberet se e carcere liberum dimitti. Epistolam hanc edidit Dacherius tom. 2. spicilegii p. 403. Anno 1158. VI. Kal. Novembris erat in Gallia, quo tempore dedit Hugoni abbati Useschiæ & monachis ecclesiam sancti Boniti. Anno 1163. interfuit benedictioni basilicæ sancti Germani a Pratis factæ ab Alexandro papa III. pridie Kal. Maii. In clausula chartæ abbatiæ sancti Marcelli datæ an. 1164. legitur: *Ludovico rege Francorum, Gerardo Hectore episcopo Cadurcensi, Henrico rege Anglia cum Raimundo comite litigantibus inter se.* Anno 1172. R. abbati Obasinæ donavit ecclesiam de Serra, consilio B. Caturcensis archidiaconi (Benjamini) & aliorum clericorum. Convenit ad concilium Lateranense anno 1179. Interest elevationi corporis sancti Stephani de Mureto apud Grandem-montem mense Augusto sub annum 1189. Anno sequenti excepit sacramentum clientelare Raimundi vicecomitis Turenæ, pro feodo de Brassac emto a Guillelmo Calviniaci vicecomite. Anno 1199. adhuc notatur in charta Grandis-silvæ; quo anno e vita migravit. In chronico manuscripto Gaufredi, ubi agitur de ordinibus a Geraldo collatis in vigilia S. Matthæi apud Benevenum (quod est cœnobium canonicorum Regularium

* *Aubusson.*

Ex charta Obasinæ.

1153. 1158. 1163. 1172. 1179. 1189. 1199.

ANNI CHRISTI.

in pago Lemovicino) additurque de eo : *qui perseveravit in episcopatu plusquam quinquaginta annis*; unde liquet ejus episcopatum incœpisse saltem an. 1150. Grandimontense monasterium magnis sumtibus ampliavit & ditavit, ubi elegit sepulturam in medio chori. Epitaphium, & variæ inscriptiones quæ olim ejus ornabant sepulturam, exstant in Gallia Christiana fratrum Sammarthanorum; nihil autem continent scitu digna; quapropter ab ipsis describendis abstinemus. Sufficiat itaque decretum capituli attexere ex chronico Grandimontensi :

B

Prior & totum Capitulum Grandimontis universis inspecturis salutem. Notum fieri desideramus, quod cum æterna dignus memoria Geraldus Caturcensis pro sua suorumque omnium, pro quibus ipse qualibet ratione tenetur salute, plurimum sollicitaretur, attendentes illius donationem, & devotissimam quam semper ad nos, & nostrum ordinem pra omnibus exhibuit dilectionem concessimus & concedimus jam dicto venerabili domino Geraldo episcopo, & patri ejus & matri, suis avunculis, episcopis videlicet Lemovicensibus Eustorgio, & domino Geraldo, æterna memoria dignis, & domino G. abbati Tutellensi, de communi fratrum C *nostrorum assensu & voluntate speciali volumus atque præcipimus, ut missam in Grandimontensi ecclesia cunctis perpetuo diebus pro eis celebrari, nisi proprietas impedierit, &c.*

XXXIV. Guillelmus. III.

Hujus episcopi mentio fit in charta concordiæ initæ cum G. de S. Germano an. 1199. Interfuit an. 1202. pactis matrimonii Guillelmi X. comitis Arverniæ cum Petronilla; uti observat Baluzius in hist. domus Arvern. Vacabat sedes an. 1206. ut probant quæ Cruceus protulit acta consularia Montalbanensia.

1199. 1202. p. 84. 1206.

D

XXXV. Bartholomæus. I.

Breve tempus quo Cadurcensem ecclesiam gubernavit Bartholomæus, in causa fuit, ut hujus episcopi nomen paucis in tabulis legatur annorum 1207. & 1208. quo anno sedem vacasse docent Moissiacensia instrumenta.

1207.

XXXVI. Guillelmus IV.

Guillelmus, Bertrandi domini de Cardalliaco, & Helenæ de Combornio, Archembaldi ejusdem loci vice-comitis natæ filius, nobilitatem generis ardore fidei, pro debellandis hæreticis Albigensibus, superavit. Quæ forsitan causa fuit, ut eligeretur ad sedem Cadurcensem, cujus in diœcesi hæresis hæc grassabatur. Id factum an. 1208. probant ejus litteræ datæ hoc an. pridie nonas Augusti, quibus confirmavit Obasinæ ecclesiam de S. Felice a prædecessore suo G. concessam. An. 1211. XII. cal Junii hominium præstitit Simoni comiti Montis-fortis, Biterris & Carcassonæ vicecomiti, pro comitatu Caturcensi, in obsidione Tolosæ, coram Uticensi episcopo & abbate Cisterciensi sedis apostolicæ legatis, F. episcopo Tolosæ, abbate S. Antonii Appamiensis, & fratre Dominico Prædicatore, ut legimus in ipso instrumento. Eodem anno mense Octobri Philippus rex dictus Augustus eum admisit ad homagium & fidelitatem, ut docet hoc instrumentum : *Philippus Dei gratia Francia rex : noverint universi, quod dilectus & fidelis noster Guillelmus Cadurcensis episcopus ad nos accedens, homagium & fidelitatem obtulit. Nos autem habito cum fidelibus nostris consilio, eundem in hominem nostrum recepimus de comitatu & civitate Cadurci, & de ipsius pertinentiis : & de omnibus aliis de quibus tenens erat ea die qua ad nos venit, propter illud homagium faciendum. Et sic homagium ligium nobis fecit & fidelitatem. Ad hoc & eidem concessimus, ut si de iis de quibus jus suum reclamabat, quod eomes Tolosanus & alii ipsi disforciabant, aliquid per se vel per amicos suos posset recuperari, bene nobis placeret; si quid vero ad manum nostram devenisset, vel alius acquisisset super quem posse haberemus, si prædictus episcopus exinde requisisset, jus eidem & usus, & consuetudines Francia super hoc faceremus. Actum Parisiis anno* 1211. *mense Octobri.*

ANNI CHRISTI.

Quidam putant hoc regio diplomate restitutum fuisse Guillelmo comitatum Cadurcensem, quem ablatum Raimundo quondam episcopo contendunt : at de hac restitutione nihil legimus in litteris regiis, nihilque nobis occurrit de hoc comitatu ablato. Anno 1214. testis nominatur juramenti fidelitatis præstiti Simoni comiti Montis-fortis, pro castro de Capdenac diœcesis Cadurcensis. Anno 1215. cal. Aprilis apud Vaurum (*Lavaur.*) adhuc homagium fecit Simoni comiti Leycestriæ, & domino Montisfortis, pro castro de Pestillaco, sub servitio unius militis. Eodem anno ad ejus preces conventus monialium S. Mariæ de Deaurata civitatis Caturcensis concedit dominabus Ayglinæ & Sobeiranæ ecclesiam de Leime cum pertinentiis suis, retentis in eadem ecclesia XX. solidis censualibus. *Actum anno incarnationis Dom.* MCCXV. *in præsentia venerabilis patris Willelmi episcopi Caturcensis assistentibus G. præposito de Nairac, magistro B. Poiter, & magistro A. serviente, & G. de Casals capellano de Daurata, & G. de Rymaco.*

1214. 1215. Ex regist. curiæ Paris. Ex tab. Deaurata.

Alteram clientelæ professionem obtulit Ludovico regi Parisiis an. 1223. mense Februario; qui rex eundem ei comitatum confirmavit & asseruit. Donum autem avi & patris ratum habuit Ludovicus IX. rex sanctissimus, ut probat ejus diploma datum an. 1228. mense Octobri. Quæ omnia suis litteris corroboravit Gregorius. IX.

1223.

De jure cudendæ monetæ argenteæ cum civibus urbis Guillelmus pactus fuerat mense Julio an. 1212. tabulis, quæ adhuc supersunt cum sigillis. Idem jus postea pigneravit ad sex annos consulibus & urbi, pro sexies mille solidis, instrumento scripto Cadurci in vigilia natalis Domini an. 1224. Guillelmum a rege præfecturam accepisse Cadurcini pagi, persuadere possunt quæ legimus in tab. Moïssiac. *Willelmo episcopo Caturc. provinciam gubernante*, Simonem Tolosæ comitem, ducem Narbonæ, & dominum Montis-fortis, hominii & clientelæ sacramentum præstitisse abbati Moïssiacensi.

Ex regist. curiæ Franc.

In biblior. Colbert.

ANNI CHRISTI.

Laudatur a Petro Vallium Cernaii monacho in hist. Albig. quod strenue se gesserit in bello adversus illos hæreticos; adeo ut fugientes ad certamen redire verbis & exemplo coëgerit. Hujus præsulis cura & studio Franciscanis & Dominicanis in urbe sedes concessæ sunt an. 1226. necnon S. Claræ monialibus. Raimundus de Monte-Pesato in litteris pro fundatione Xenodochii subtus Moïssiacum, in loco ad Punctam dicto, datis 1232. meminit hujus episcopi. Memoratur adhuc mense Julio, an. 1234. in chartario Bituricensis archiepiscopi, quo anno ipsius obitus consignatur VIII. idus Februarii, in capituli necrologio.

XXXVII. PONTIUS.

Pontius cui cognomen fuit *de Antejato*, ex sacrista ecclesiæ Caturcensis, Guillelmo successor datur; cujus electio in chartario archiepiscopi Buturic. legitur facta mense Augusto an. 1235. In Prædicatorum familia Cadurci fovenda beneficiisque locupletanda plurimum laboravit. Ipso annitente Aimericus de Gordonio nobilis toparcha, Grandimontensibus quemdam fundum dedit mense Septembri an. 1235. Anno sequenti testamentum condidit, & nonnulla donavit suo capitulo XIII. cal. Maii. Eodem anno mense Decembri, dicitur obiisse in necrol. majoris ecclesiæ. De eo sic fragmentum libri obituum Cadurcensis ecclesiæ habet: *Anno Domini* 1236. *obiit dom. Pontius episcopus Cadurcensis* XIII. *cal. Maii, pro cujus anniversario Bartholomæus archidiaconus Cadurc. frater suus acquisivit reddituus annuales, quos sacrista Cadurc. qui pro tempore fuerit, debet tenere, & de ipsius redditibus dare in die obitus cuilibet canonicorum, qui præsentes adfuerint* 12. *denarios, & archidiacono majori* 2. *solidos, sacerdotibus vero residentibus cum canonicis cuilibet sex denarios, aliis vero sacerdotibus de villa, qui ad missam & processionem fuerint, cuilibet* 4. *denar. & debet oblationem generalem dare in ecclesia ad missam.*

1226. 1232. 1234. 1235. 1237.

Ex tab. capitul. Cad.

XXXVIII. GERALDUS. V.

Orbata pastore Cadurcensi ecclesia, archidiaconus, & capitulum convenerunt ad electionem successoris, qui ad tres ex canonicis detulerunt facultatem eligendi episcopum coram archiepiscopo Viennensi S. sedis legato. Hi vero unanimiter elegerunt Geraldum de Baras archipresbyterum de Salivaco Caturcensis diœcesis; qui cum consentire nollet, ad Gregorium papam IX. provocarunt electores. Scripsit pontifex ad Bituricensem archiepiscopum, ut confirmata electione, electum consecraret. Bullam inter instrumenta retulimus. Capitulum petiit confirmationem electionis a Philippo Bituricensi metropolitano, in crastino Epiphaniæ an. 1236. nunc 1237. in litteris autem Philippi electionem confirmantis Geraldus dicitur *vir nobilis, providus, discretus*. Sane ex genere nobili Barascorum in superiore pagi Cadurcini parte, haud procul Figiaco ortus erat. Cum Albigensium error in Cadurcis plurimum pullulasset, spem ipsius exstirpandæ tanti præsulis prudentia & potentia conceperant electores, ut in bulla Gregorii papæ legitur. Nec præconcepta fefellit opinio. Primo enim episcopatus sui anno, pactum fecit pro Catholicæ religionis cultu, cum urbis civibus.

Singuli fere ejus regiminis anni notantur variis in tabulis, Cadurcinis, Moissiacensibus, Bellæ-perticæ, Carcassonensibus, Montalbanensibus. Subscriptum legitur ejus nomen in instrumento anni 1242. [a] pro villa Montalbani; eodemque anno admittit clientelarem professionem Geraldi a Raterio de Caussada, pro baronia de Caussada, & vicecomitatu Montis-clari. Cum episcopis Albiensi & Ruthenensi fidejussor fuit comitis Tolosani pro 5000. libris quas pro dote Cæciliæ neptis suæ duci Sabaudiæ Amedeo desponsandæ promittebat. Testes fuerunt R. episcopus Tolosanus, &c. circa an. 1144. Anno 1245. mense Decembri ecclesiam B. Petri de Ortis unit monasterio sanctimonialium B. Mariæ Deauratæ.

Eodem anno mense Martio confirmavit bona omnia, quæ collata erant Hospitali domui fundatæ a nobili viro Guirberto de Themines, in strata publica inter villas de Themines & de Grammat. An. 1246. mense Aprili cum esset nonnulla controversia inter ipsum & Raimundum comitem Tolosanum, elegerunt arbitros qui eam componerent. An. 1247. lite orta cum consulibus, ab Innocentio IV. pontifice vocatur in controversiam, super temporali jurisdictione civitatis Cadurcinæ, coram Johanne sancti Nicolai in carcere Tulliano cardinale; deinde in negotio juris cudendæ monetæ litteras dedit apud Cadurcum 1249. qua in causa, quæ vertebatur inter ipsum & consules, partes consenserunt stare judicio Guillelmi Aginnensis præsulis. Adest autem eodem anno Raimundo comiti Tolosano morienti, cujus testamenti cum aliis præsulibus statuitur curator, dato diplomate apud Amillavum IX. cal. Octobris 1249. Hoc ipso anno permisit nundinas semel quotannis haberi apud Cairacum, litteris datis die Mercurii post festum S. Johannis. Attigit annum 1250. quo dedit litteras de persolutis sibi ducentis quinquaginta marchis argenti a consulibus urbis. *Datum Cadurci mense Aprili*, &c. Hoc anno vitam terrenam cum meliore commutavit, ex litteris datis pridie nonas Junii quibus mors ejus archiepiscopo Bituricensi nuntiatur, & ex tabulis obituum, ubi legitur: *Anno Domini* 1150. V. *idus Maii obiit dom. Gerardus Barasci, pro cujus obitu dom. Guillelmus Barasci nepos ejus obtinuit penes Cadurcense capitulum, quod dentur* 100. *solidi annuatim die prædicta, quos debet solvere ille qui tenebit domos dom. Guillelmi. Obiit vero nepos ille anno* 1282. IX. *cal. Julii, cum eodem privilegio obtento a capitulo ob domorum illarum meliorationes. Situs vero est dom. Geraldus in capella B. Mariæ in dextera parte juxta parietem. Itaque sedit ab anno* 1236. *ad* 1250. *quatuor supra decem annos.*

1241. 1242. 1244. 1245. 1246. 1247. 1249. 1250.

Ex thes. regio chart.

C. XLVII. p. 47. col. 2.

Ex thes. regio chartarum.

Ex tab. domus publicæ Cadurci.

[a] Hinc non mediocriter nos torquet, quod legimus in quibusdam transsumtis ex thesauro regio chartarum, scilicet Bartholomæum Caturcensem episcopum de jure feudi in castro *de la Cassaigne* compromisisse cum Alfonso filio regis Franciæ, anno MCCXLII. sed haud dubie irrepsit mendum in notis numericis; nam facile potuit L. pom post X. cum præsit fortasse debuisset.

De Baras.

C. IX. p. 31. col. 1.

ANNI CHRISTI.

XXXIX. Bartholomæus[a] II.

Bartholomæus Innocentii papæ IV. familiaris, ab eo ſedis apoſtolicæ, & totius eccleſiæ plurimis præfectus negotiis, ad epiſcopatum Cadurcenſem ejuſdem bulla data Lugduni v. cal. Auguſti pontificatus anno VIII. Chriſti 1250. evehitur, in qua hoc donatur elogio. *Volentes ... eccleſiæ Cadurcenſi .... de tali pontifice providere, qui plus præſulatus dignitatem extollat, quam ipſe pontificatus efferatur honore, dilectum filium mag. Bartholomæum ..... utique ſecundum cor noſtrum, morum honeſtate decorum, litterarum ſcientia præditum, & conſilii maturitate præclarum, eidem eccleſiæ .... præfecimus in paſtorem, ſperantes .... quod idem qui diu apud ſedem apoſtolicam ſic eſt laudabiliter converſatus, quod nobis & eiſdem fratribus ſua prærogativa virtutis carum ſe reddidit plurimum & acceptum, apoſtolicæ ſedi valde utilem, nobis & eccleſiæ Romanæ ſubſtraximus, ut eum vobis & præfatæ eccleſiæ præberemus, noſtrum incommodum, ut veſtrum procuraremus commodum, non vetantes, &c.* Alia bulla data VI. idus Auguſti ejuſdem anni, ipſum immunem fecit a quavis eccleſiaſtica cenſura, præterquam judicio Romani pontificis. Laudatur ob applicatum ad reſtaurationem majoris eccleſiæ animum. Canonicorum quos ſeculares fecit ex regularibus, numerum ad 25. reducendum judicavit, ut haberent ſufficienter, unde honeſte viverent. Ejus litteræ ea de re datæ ſunt menſe Februario an. 1250. De eorum ſtipendiis poſtea, & de ſacris ritibus, ceteriſque ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentibus ſtatuit ſapientiſſimus præſul; quæ fuſius proſequitur Cruceus. Ejus prudentiæ conſcii canonici, ipſi jus conferendarum præbendarum omnium, ipſiuſque ſucceſſoribus conceſſerunt, quod Alexander IV. diplomate confirmavit, an. VI. ſui pontificatus. At hanc ceſſionem gratam habens Bartholomæus, jus præſentationis ad multas eccleſias, & alia largitus eſt capitulo, maxime fructus illarum eccleſiarum vacantium, litteris datis annis 1262. & 1272. Quædam ſtatuta condidit an. 1252. An. 1260. Carmelitæ Cadurci recipiuntur.

Ex inſtrum. epiſc. Multa cum conſulibus urbis ab epiſcopatus exordio jurgia habuit, quæ menſe Julio an. 1250. compoſuit P. abbas Tutelenſis. Sed acrius poſtea exarſerunt odia, propter cujuſdam canonici cædem, quam a Raimundo fratre, & a Petro nepote epiſcopi factam probarunt conſules. At conjectos in vincula reos dimiſit liberos Bartholomæus; ideoque conſules ad regem pro- *Ibid. 1258.* vocarunt prima Quadrageſimæ Dominica an. 1258. Raimundus tamen Toloſanus epiſcopus electus eſt judex a partibus, cujus ſententia pulſus eſt ex diœceſi Raimundus clericus & canonicus hujus eccleſiæ de cæde accuſatus, qui obtemperavit, juravitque die ſabbati poſt Paſcha, an. 1259. ſe nunquam in eam pedem relaturum, nec quicquam machinaturum adverſus conſules, a quibus fuerat cuſtodiæ mancipatus.

Aliam altercandi occaſionem obtulit immutatio monetæ; cujus uſum interdicere coactus eſt epiſcopus, aliamque reſtituere, qualem ſuo tempore cudendam curaverat Geraldus anteceſſor. De his exſtant hujus epiſcopi litteræ datæ die ſabbati poſt feſtum S. Andreæ an. 1265. Regi clientelare obſequium juravit apud Anicium, pro comitatu Cadurcenſi, an. 1258. An. 1259. communem cum multis aliis epiſcopis epiſtolam ſcripſit ad eundem regem S. Ludovicum de reſtituendis nonnullis eccleſiæ bonis. An. 1271. hominium præſtitit regi, de comitatu & urbe Caturcenſi. Pro reſtauratione parthenonis B. Mariæ Deauratæ ſatagens, an. 1273. litteras dedit ea de re ad omnes eccleſiarum rectores; quas videſis inter inſtrumenta. Aliud fundavit monaſterium monialium Ciſtercienſium, in loco dicto *Laricerras*, quam fundationem confirmavit capitulum. Mortuus eſt nonis Septembris Bartholomæus an. 1273. vacabatque ſedes die XV. intrante Auguſto hujus anni, & die XI. Septembris, ex tabulis Cayraci.[a] Adhuc vacaſſe ſedem reperimus anno 1275. quo Philippi regis exſtant litteræ datæ Pariſiis de bonis vacantis epiſcopatus, quorum omnimoda adminiſtratio capitulo relinquitur. Item an. 1276. die Martis ante feſtum ſancti Lucæ; die Martis poſt feſtum B. Benedicti in Quadrageſima; die lunæ ante feſtum S. Andreæ, & 1279. denique an. 1280. Sabbato ante Ramos Palmarum. Quæ tam diuturnæ vacationis cauſa exſtiterit, nos latet. Eo tempore quidam Guillelmus-Bartholomæus fuit electus; & Nicolaus papa III. ſui pontificatus an. III. hac electione confirmata ſcripſit ad regem Francorum, electum commendans, in quibus papæ litteris notatur electionem hanc factam eſſe poſt multarum litium ambages. Non credimus tamen hanc electionem, etſi confirmatam a papa, viguiſſe, imo caducam fuiſſe probant quæ mox dicturi ſumus.

Ex tabul. Obaſina. 1280.

Ex inventar. ch. tom. VI. muſei D. de Clairambault fol. 141.

XL. Raimundus II.

Raimundus cognominatus de Cornelio, ex archidiaconatu Caturcenſi evehitur ad ſedem epiſcopalem an. 1280. quo ſolemniter urbem ingreſſus eſt de more, fidemque ac hominium recepit die X. Octobris tam ab urbis conſulibus, quam a nobilibus vaſſallis. Verſabatur apud ſedem apoſtolicam anno tertio pontificatus Nicolai III. ex ejuſdem papæ reſcripto dato IV. nonas Julii. Anno 1281. ſexta die introitus menſis Junii, confirmavit monaſterio S. Maurini diœceſis Aginnenſis eccleſias ſuæ diœceſis ad illud pertinentes; anno vero 1283. die ſabbati proxima poſt feſtum B. Nicolai hyemalis, præcepit militibus de Tezaco & de Bovevilla, ut liberam relinquerent hujus loci monachis perceptionem decimarum & primitiarum in eccleſiis ſancti Petri de Monmancherie, & ſancti Petri de Bugato. Eodem anno litem inter Gerardum de Rupe priorem de Moleriis, & B. de Rouſſillon, ejuſque fratrem G. de Antejaco dirimit. Adfuit concilio provinciæ Bituricenſis an. 1286. aut 85. quo anno ad ſarta tecta majoris eccleſiæ conceſſit proventus eccleſiarum vacantium. Vi-

De Cornelia.

1280.

1283.

Ex tabul. S. Maurini.

1286.

[a] Baluz. in notis ad vitas pap. Avenion. c. 750. autumat illum fuiſſe de nobili gente Ruffiorum Cadurcenſium, ex qua poſtea fuit Raimundus Ruffi cardinalis, factus a Johanne XXII. an. 1320.

[a] Cayracum, olim monaſterium ord. S. Benedicti ſub abbatia Aureliacenſi, ſitum erat ad ripam fluvii Lavetonis, nunc ſeculari toga donatum. Canonici reſidentes in eccleſia Caſtri-novi Ratera-

ganenſem eccleſiam novo cenſu adauxit. An. 1287. ad preces reverendi in Chriſto patris, & *cariſſimi conſanguinei ſui* Aymerici epiſcopi Colimbrienſis confirmat donationem eccleſiæ S. Eulaliæ factam domui d'Eſpanhac ab abbate de Corona. Ejus tempore fundatur monaſterium de Hiſpaniaco an. 1192. In quadripartita Gallia Chriſtiana exſtat hujus præſulis epiſtola ad Simonem de Bello-loco archiep. Bituric. data an. 1192. die Veneris poſt dominicam qua cantatur *Lætare*; itemque reſponſio Simonis ad Raimundum; forte nos etiam utramque dabimus in metropoli Bituricenſi. Ex necrologio: *Anno Domini* 1193. II. *calend. Octobris obiit bonæ memoriæ dominus Raimundus de Cornelio Caduręenſis Epiſcopus, pro cujus obitu ſunt per capitulum aſſignati centum ſolidi ſuper domibus olim ſuis, quas ipſe dum erat archidiaconus Caduręenſis ædificari fecit, quæ domus cohærent cum domibus epiſcopalibus, & dictos* 100. *ſolidos debet ſolvere annuatim in die dicti obitus ille, qui pro tempore dictas domos tenebit.* Terræ mandatus eſt in ſacello cathedralis, quod fieri curaverat. Vide ejus teſtamentum conditum an. 1289. die Mercurii in feſto S. Matthæi tom. IV. Miſcellan. Baluz.

ANNI CHRISTI. 1287. — 1292. t. I. p. 179. — 1293. — p. 502. de Montaigu.

XLI. Sicardus.

Sicardus de Monte-acuto, frater Armandi *al.* Bertrandi equitis caſtri Lienardi toparchæ, poſt interpontificium 5 menſium circiter, e canonicorum gremio ad infulas vocatur, an. 1293. die 7. Martii, de cujus majoribus magnifica narrantur in inſcriptione ipſius tumulo non ita pridem affixa, quam inter inſtrumenta duximus referendam. Nobiles ad clientelæ juramentum adegit Sicardus, ut cathedram adeptus eſt. Aureliacenſi concilio adfuit III. cal. Octobris an. 1294. Cum capitulo diſceptavit, pro ſpoliis ſeu bonis canonicorum, qui ab inteſtato decedebant, an. 1297. Hoſpitio Bellilocenſi, cujus loci religionem & pietatem longa didicerat experientia, eccleſiam de Soannaco donavit. Caſtrum Montis-penſati ex veteri novum fecit. Anno 1299. mors ejus adſcribitur, quo anno memoratur adhuc ſedens III. idus Maii in tabulis [a] beatæ Mariæ Deauratæ; item in charta eccleſiæ Sarlatenſis pro prioratu de Gordonio. *Dat. ... die lunæ in feſto Beati Matthæi apoſtoli an. Domini* MCCLXXXXIX.

C. XI. p. 31. col. 2. — 1294. Ex tab. — 1297. — 1299. — a

Frequens eſt ejus memoria in tabulis Cairaci quibus etiam docemur ſedem vacaſſe Caturcenſem, die Sabbati poſt feſtum B. Martini hyemalis an. 1300. Ceterum jacet Sicardus in templo S. Stephani ſub tumulo lapideo, appoſita pontificis effigie ornato, cui anno 1646. inſcriptio encomium hujus epiſcopi continens eſt addita, de qua jam monuimus. Notat Guillelmus Cruceus Philippum regem bona ſedis vacantis intacta reliquiſſe capitulo.

XLII Raimundus III.

Pauchelli

Canonicus & ſacriſta Caduręenſis erat eccleſiæ Raimundus cognomento *Pauchelli*, quando electus eſt in antiſtitem anno 1300. Certe occurrit an. 1301. die Mercurii ante feſtum ſancti Barnabæ apoſtoli in inſtrumento Guillelmi Deſcorralha decani Cayraci. Ut ſollicitus fuit a conſulibus hominium exigere, ita viciſſim ad eorum urbis privilegia conſervanda ſeſe obſtrinxit 18. Martii an. 1303. An. 1304. propter ſubſidium regio exercitui in Flandria opportune miſſum, rex multa conceſſit privilegia, quæ continentur in ipſius litteris inter inſtrumenta excuſis. Eodem anno iniit compoſitionem cum Bernardo abbate Sarlatenſi, & cum priore Calviaci, pro procuratione centum ſolidorum in viſitatione eccleſiæ S. Mundanæ. *Datum in caſtro noſtro de Pradinis noſtræ diœceſis Caturc. die Martis ante feſtum B. Catharinæ virginis an. Dom.* MCCCIV. Ut ſuam eccleſiam a magnatum rapinis & uſurpationibus tutaretur, ſimulque cives in officio melius contineret, regem in ſocietatem dominii admiſit, ex tabulis pariagii datis anno 1306. menſe Februario, quas excudi curavimus inter inſtrumenta. Verum ſecus quam ſperarat, accidit; nam capitulum ſedem apoſtolicam appellavit contra Raimundum, quod juriſdictionem temporalem, ut regi gratificaretur, abalienaſſet. Ad hujus porro cauſæ proſecutionem, bona ſui epiſcopatus oppignerandi ad ſummam 6000. florenorum aureorum facultatem conſecutus eſt bulla Clementis papæ V. data XII. cal. Junii, ejus pontificatus anno IV. In eccleſiæ Caduręenſis augmentum & ornamentum ſacellum ædificavit, & turrim renovavit, quæ adhuc epiſcopali palatio aſſurgit An. 1310. de ſynodo ſemel in anno convocanda conſtituit. Eodem anno Armandus de Monte-acuto vicem gerens epiſcopi in temporalibus, ejuſdem munitus eſt procuratione, ut præeſſet ſingulari certamini inter Guillelmum de la Roque provocantem, & Gailhardum Borcelli provocatum; ex litteris Armandi datis hoc anno die Jovis poſt feſtum nativitatis B. Mariæ. Adhuc fit ejus mentio in chartis Cayraci an. 1311. die 6. Aprilis; imo adhuc pro epiſcopo ſe gerebat die Lunæ ante feſtum ſancti Georgii, & die Martis poſt feſtum Paſchæ anni 1312. quo demum ſedes vacabat in feſto Transfigurationis Chriſti: ſcilicet propter diſſidium cum capitulo, variaſque pro pariagio ſupra memorato lites epiſcopatui renuntiavit. Porro licet fiſci rectores in reditus hujus eccleſiæ vacantis ſtatim involaverint; attamen agnito jure capituli, poſtea quieverunt, & ab eccleſiæ bonis abſtinuerunt.

ANNI CHRISTI. 1301. — Ex tabul. Cayrac. — 1303. — C. XII. p. 32. col. 2. — 1306. — C. XIII. p. 35. col. 1. — Ex tab. Eccl. Caduręenſis. — 1310. — 1311. — Ex tab. Cayraci.

XLIII. Petrus I.

De Cabillac.

Petrus ex nobilibus toparchis de Cazillaco ortus, archidiaconus antea Catalaunenſis, decreto Clementis papæ, in locum Raimundi viventis, ſed ſponte cedentis ſuffectus eſt an. 1312. de cujus geſtis nihil eſt dicendum; quando quidem *cum ad ipſius Petri notitiam perveniſſet proviſio, idem m. Petrus ... ſponte renuit conſentire*, ex bulla Clementis V. qua Hugonem Geraldi donat hoc epiſcopatu.

1312.

XLIV. Hugo.

Geraldi.

Hugo Geraldi ex archidiacono Augiæ * in

* Deu.

a An. MCCXCIX. III idus Maii indictione XII. Bonifacii VIII. an. V. abbatiſſa & conventus de Leime, cedit aliquas domos quas habebat Caduręi pro XX. ſolidis, Guillelmæ priorifſæ de Deaurata ac dominabus Margaritæ de *Neulhis*, Adhemaræ de Bellopodio, &c. monialibus, *Sicardo exiſtente Caduręenſi epiſcopo.* ex tab. S. M. Deauratæ.

ANNI CHRISTI. 1312.

ecclesiâ Rotomagensi, Petro abnuenti onus pontificium subrogatus est 1312. bulla Clementis papæ V. qui ita de ipso loquitur ad Philippum regem scribens, ex Cruceo p. 181.

Clemens, &c. carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem, &c. Ne Cadurcensis ecclesia prolixa vacationis exponeretur incommodis, cæpimus intendere diligenter; & post deliberationem quam ad deputandum eidem Cadurcensi ecclesiæ personam utilem & etiam fructuosam, cujus industria probitatis in suis valeret juribus adaugeri, ac etiam defensari, ad D. F. Hugonem electum Cadurcensem, archidiaconum Augensem in ecclesia Rotomagensi in sacerdotali ordine constitutum, capellanum nostrum, cui litterarum scientiam, honestatem morum, & vitæ circumspectionem in spiritualibus & temporalibus, & alia multiplicia dona virtutum familiari experientia suffragari conspicimus, quem & tu nobis per tuas litteras, de præmissis & aliis multiplicibus probitatis meritis commendasti, direximus aciem mentis nostræ. Quibus omnibus diligenti meditatione discussis, de persona ipsius Hugonis, utpote nobis, & dictis fratribus nostris, ob suorum exigentiam meritorum probati, præfata Cadurcensi ecclesiæ auctoritate apostolica, de ipsorum fratrum consilio duximus providendum. Eundemque Hugonem illi in episcopum præfecimus & pastorem: curam & administrationem ipsius Cadurcensis ecclesiæ, sibi in spiritualibus & temporalibus committendo; firma spe, fiduciaque concepta, quod eadem Cadurcensis ecclesia sub tuo felici regimine, dextera Domini sibi assistente propitia, salubriter & prospere dirigetur, & grata suscipiet incrementa. Quocirca serenitatem regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem electum ob reverentiam apostolicæ sedis, & vestram benigne recipiens, te sibi reddas in regio favore munificum, & in cunctis opportunitatibus gratiosum: ita quod idem electus tua celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii, possit assidue Deo propitio prosperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Avenione XIV. calend. Martii, pontificatus nostri anno octavo. Porro decem millia florenorum auri a Clemente V. dono habuit, & varia obtinuit diplomata, de quibus fuse in historia Cadurcensi; ait enim Clemens in quodam instrumento dato apud prioratum de Grausello prope Malausanam, diœcesis Vasionensis: *Grata devotionis studia, quibus nos & Romanam diligis ecclesiam, & grandia tuarum virtutum merita promerentur, ut personam tuam condignis favoribus & gratiis prosequamur.* Pauca illius acta in ecclesiæ urbisque tabulis occurrunt, forte quod in curia Romana manere soleret. Unicum duntaxat annotabimus. An. 1315. die Jovis post nativitatem B. Joh. B. in bona consulum urbis Cayraci manum injecit, quod jussi adesse, ut sub signis suis ad bellum proficiscerentur pro rege Franciæ in Belgio militaturi, renuissent. In registris urbis occurrit etiam an. 1316. feria v. post octavas Paschæ. Iste autem Hugo, infortunatissimo sane exitu, vitam fœdavit, nam de criminibus variis insimulatus, nominatis inquisitoribus Reiensi & Atrebatensi episcopis per papam Joannem XXII. Clementis successorem, post multas consultationes, Avenione 16. Aprilis uti tabulæ docent, episcopali sede exauctoratus, ac ordine sacro dejectus publice an. 1317. a Berengario Fredoli episcopo cardinali Tusculano, insigniis episcopalibus & clericalibus ei ablatis, supplicium mortis luit, quod in pontificem conjurasset. Narrant id Almaricus in actis Romanorum pontificum, Bzovius num. 16. Platina, Ciaconius ac Goffridus prior Vosiensis rem gestam describit his verbis in chronico MS. *Eodem anno* MCCCXVII. *magister Ugo Gerardi episcopus Caturcensis, referendarius quondam papæ Clementis, fuit accusatus super potionibus & aliis factis, quæ contra eum objecta fuerant coram papa Joanne oriundo de villa Caturcensi. Et propter ista fuit degradatus, postea seculari brachio traditus, & ad extremum per dictum brachium condemnatus, & ad excoriandum, & ad treinandum, & ad extremum ad comburendum. Ista condemnatio fuit facta circa Assumptionem B. Mariæ, & condemnatio dicti Gerardi fuit lecta in curia Lemovicensi die Sabati post quindenam Assumptionis B. Mariæ anno quo supra. Et ille qui de nihilo creavit omnia, ipsum quem de nihilo creavit, in nihilum redegit.*

ANNI CHRISTI. 1317. 1317. 1316. 1318. 1320. 1315. 1316.

XLV. GUILLELMUS V. DE LA BROA.

Guillelmus cognomento de la Broa, Cadurci ortus, ordinis Dominicanorum, Johanni papæ XXII. cognatione proximus erat, ut habet codex de origine familiæ Prædicatorum in hæc verba: *Frater Willelmus de Labroa licet bene personatus, & gratus prolocutor, competens clericus & laudabilis vitæ, modicum tamen in ordine fuit promotus. Nam ex subprioratu Agennensi assumptus est in episcopum Cadurcensem per eumdem dominum Johannem papam. Erat enim de semine dicti pontificis procreatus. Hic ex quo sessor fuit, sedem suam non vidit: parentes carnales modicum carnaliter dilexit: obiit in curia.* Ab anno 1316. Hugoni exauctorato, necdum morti addicto subrogatus est. Ante ipsum, episcopatum aliquandiu administraverat quidam Bertrandus, Hugone in carcere detento. Apud pontificem vero variis negotiis curiæ occupatus Guillelmus, constituit vicarios in spiritualibus, Guillelmum Othonis legum professorem, & Berengarium Mercerii civem Ruthenensem rectorem ecclesiæ de Pradiniaco diœcesis Ruthenensis, ex litteris institutionis datis 12. Januarii anno 1318. Eodem tempore statuta synodalia evulgavit; tum anno 1320. juramento clientelam 19. Januarii profitetur regi, confirmatque jam confectas pariagii tabulas, cujus instrumenta in publicis chartulariis asservantur. Hujus episcopi tempore fundatur apud Pojetum monasterium virginum S. Claræ. Dies ejus obitus consignatur in necrologio, VI. nonas Julii, anno, ut conjicimus, 1323. De eo vetus calendarium seu necrologium Dominicanorum Cadurcensium ad diem 1. Julii sic habet: *Obiit R. dominus D. frater Guillelmus Cadurcensis episcopus, de eadem civitate ortus, qui instituit conventum istum heredem in omnibus bonis suis, de quibus habuimus duo millia floreno-*

ANNI CHRISTI.

rum, qui fuerunt positi ... in structuram ecclesia, de mandato sanctissimi patris domini Johannis (papæ XXII.) qui de civitate Caduci originem traxit .... est sepultus in Avenione in domo fratrum Predicatorum, in capella quam ipse fecit construi in ecclesia dictorum Fratrum, ad honorem eximii doctoris S. Thomæ de Aquino ejusdem ordinis. Hoc episcopo defuncto bona temporalia episcopatus ad manum regiam posita sunt; sed libera restituuntur anno 1324. sabbato ante festum S. Mariæ Magdal.

1324. *Ex tab. eccles. Cad.*

DE CARDAILLAC.

XLVI. BERTRANDUS.

Bertrandus de Cardalliaco, Guillelmi episcopi S. Papuli germanus, Geraldo de Cardalliaco capellæ Marivalii toparcha procreatus, ex ecclesia Rivensi transfertur ad Caturcensem, bulla Johannis XXII. data anno ejus pontificatus VIII. Debita nobilium clientelæ officia & obsequia, paulo post sumtum episcopatum, admittit; de quibus varia exstant instrumenta in chartophylacio. An. 1326. ad fovendam plantatam religionem, & relevandam necessitatem pauperum, præcipue *religiosarum*, quas non decet nec expedit extra monasterium evagari, attendens parthenonem Vallis-Paradisi de Spanhaco suæ diœcesis, in quo Deo in divinis laudabiliter serviebatur, & fervor religionis observabatur, *adeo facultatibus & proventibus exiguum, & in predictis pati defectum, quod moniales predicti monasteris absque penuria & mendicitate non valerent sustentari*, eorum cœnobio ecclesiam de Cayraco univit.

1326.

Infra pag. 481. col. 1. Hujus episcopi tempore Cartusianorum familia an. 1328. in urbe recipitur, assignata domo quæ olim Templariorum, tunc autem Hospitalariorum erat, quam emerat Johannes papa XXII. fundator hujus novi asceterii, ut liquet ex ejusdem litteris Avenione datis XIV. cal. Januarii an. XIII. ejus pontificatus, quæ leguntur apud Cruceum. Ibidem erigitur academia per eundem Johannem papam bulla data VII. idus Junii, ejus pontificatus an. XVI. quam damus inter instrumenta.

C. XIV. p. 35. col. 2. Porro Bertrandus adfuit synodo Bituricensi, an. 1336. XVI. cal. Novembris, cujus acta vide tom. XI. concil. parte 2. pag. 2522. Anno 1351. paciscitur cum consulibus urbis die 15. Maii; a quibus cum multas passus esset injurias, omnia ipsis condonavit die 6. Junii an. 1353. Deodato de Lentillac facultatem fundandi moniales de Vico, dedit litteris scriptis 14. Octobris, anno 1360. Anno 1362. decretum pro reformatione divini cultus ob hostiles motus imminuti edidit. Expulsus dicitur an. 1364. ab Anglis urbe potitis.

1336. 1351. 1353. 1360. 1364

Refert Anastasis Augustiniana Robertum Waldeby Anglum ordinis Augustiniani ab Anglorum rege nominatum per duos annos rexisse. Mortuus nonis Februarii legitur in necrologio, anno circiter 1366.

1366.

DE CASTELNAU.

XLVII. BEGO.

Bego ex nobili genere dynastarum de Castronovo erat oriundus, qui per papam constitutus est episcopus Cadurcensis, bulla data mense Maio an. 1366. ut docet Baluzius in notis ad vitas pap. Avenion. Certe an. 1367. sedebat ex codice hominiorum; quamquam nondum urbem esset ingressus; adhuc sub dominio Anglorum gementem; quorum tamen paulo post excussit jugum. An. 1368. [a] varia recepit clientelæ sacramenta per suum vicarium generalem Reginaldum de Theminis, quem suum appellat consanguineum, in litteris quibus ipsum instituit die 17. Aprilis an. 1368. Habuit controversiam cum capitulo pro collatione prioratus de *Biole*, cujus finiendæ causa Urbanus papa V. judicem constituit Arnaldum patriarcham Alexandrinum ecclesiæ Montalbanensis administratorem, bulla IV. nonas Junii data sui pontificatus anno VI. Solemni ritu urbem invectus est an. 1370. die 12. Novembris. Anno 1384. composuit pro jure spolii clericorum beneficia ecclesiastica possidentium, quo fruebatur; ea lege ut ad illud redimendum quotannis episcopo centum quinquaginta libras persolverent, sicque possent de suis bonis testamentum condere. Loco movit ædes episcopales ob incommoda fluminis vicini, & insalubrem aërem. Vixit saltem usque ad annum 1388. die 8. mensis Junii, ut probant ejus litteræ datæ hoc tempore, pro capitulo S. Martini de Monte-pensato. Tempore hujus episcopi fundantur Cadurci duo collegia, alterum pro egenis adolescentulis, dictum *Pelegrini*, a Raimundo de Pelegrino archidiacono Cadurc. dotatum: alterum dictum *de Rutena*, a Bernardo de Rutena Cadurci orto, archiepiscopo Neapolitano, ut vult Cruceus, an. 1371. ad docendam grammaticam & logicam.

1366. 1368. 1370. 1384. 1388. *C. XV. p. 36. col. 1.*

DE CARDAILLAC.

XLVIII. FRANCISCUS.

Ex nobili gente Cardalliacorum tertius est hic episcopus, qui Cadurci sederit; filius enim erat Guillelmi domini de Varaire vicecomitis de Murato, ex Anna de Gordonio. Is cum in ordine Fratrum Minorum Deo se devovisset, inde assumtus est ad Cavalionensem sedem, postea vero ad Cadurcensem, ubi toto tempore episcopatus, non aliam domum habuit quam Fratrum suorum, hoc est alumnorum sancti Francisci ædem. Solemni pompa urbem ingressus est anno 1389. mense Julio. Ex libro autem hominiorum, in quo inter cetera notatur admisisse clientelam vicecomitatus de Calviniaco, seu de Gordonio, & de Ceneveriis, nullus ab hoc anno 1389. usque ad 1404. vacat hujusmodi hominiis redditis. Migravit ad superos non sine sanctitatis opinione hoc anno 1404. Corpus ejus ad sepulturam delatum est in chorum monialium de Hispaniaco, seu Vallis-Paradisi, diœcesis Cadurcinæ, ubi gentis Cardalliacæ, cui fun-

1389. 1404.

[a] Eodem tempore Johannes dictus episcopus Cadurcensis exstabat, qui legitur adfuisse synodo Vaurensi an. 1368. ut refert chartularium apud Catellum. Fortasse ex his episcopis unus erat Francus, & a rege Francorum designatus, alter nominatus ab Anglorum rege. Eadem ratione explicari debet, quod supra notatum in Roberto Anglo. Quin etiam in tabulis urbis Albiensis occurrit quidam Raimundus Cadurcensis episcopus, qui 17. Junii anni 1368. litem inter capitulum Albiense, & consules urbis composuit. Unde tot simul ejusdem urbis episcopi? Forte quod unus esset datus ab Anglis, alter a Franciæ rege, vel quod unus per electionem capituli, alter per pontificiam bullam sibi episcopatum vindicaret.

dationem ſuam debet, commune eſt ſepulcrum. A
ANNI CHRISTI. A Clemente VII. facultatem condendi teſtamenti impetrarat bulla data an. XI. ejus pontificatus, qui erat Chriſti annus 1389.

Diſſimulare non debemus occurrere quemdam Cadurcenſem epiſcopum nomine Bartholomæum, qui an. 1391. die XVIII. Martii compoſuit cum capitulo, pro decimis de Autriaco; quo tempore conſtanter ſedebat Cadurci Franciſcus, ut probat hominiorum liber. Quî autem id factum ſit, nos latet. Facile tamen fieri potuit, ut quo tempore duo de papatu contendebant, Angli & Franci in Aquitania digladiabantur, eamque ſcindebant provinciam, ac ſummi pon- B
tifices jus providendi eccleſiis vacantibus trahebant ad ſe, dum ex adverſa parte capitula canonicas electiones retinere ſatagebant; duo eodem tempore ſe unius ſedis dicerent epiſcopos.

D'ARPAJON.

XLIX. GUILLELMUS VI.

Guillelmus d'Arpajon, quæ illuſtris eſt gens apud Ruthenos, poſſeſſionem apprehendit die
1404. XI. Auguſti an. 1404. Poſtero autem die vicarium ſuum in ſpiritualibus conſtituit Petrum de Buſſucijolis, litteris datis in caſtro *Daienta* dioce-
1407. ceſis Ruthenenſis. An. 1407. die XIX. menſis Novembris urbem ingreſſus ſolemni pompa, capitu- C
1409. lo præſtitit juramentum. Anno 1409. die IX. Aprilis univit Cartuſiæ prioratum ſancti Symphoriani de Canbaco: canonicorum auxit ſtipendia, numerumque 15. prabendarum ad 14. contraxit, ac nonnullas ſuppreſſit dignitates; quæ omnia bullis ſuis confirmarunt Martinus V. & Eugenius IV. ſummi pontifices. Pro ſuo anniverſario dedit capitulo ſacerdotium ſancti Præjecti (*S. Projecti*) univitque, ex tabulis eccleſiæ, in quibus notatur uſque ad annum 1423. Sub id tempus urbs aucta eſt nova religioſa familia, videlicet ordinis B. Mariæ de Mercede, recepta, tabulis Cadurci datis die VIII. Octobris anno D
1429. quo tempore vacaſſe videtur ſedes epiſcopalis, cum in litteris pro hac fundatione, nulla fiat epiſcopi Cadurcenſis mentio. Baluzius in notis ad vitas pap. Avenion. c. 966. meminit cujuſdam inſtrumenti facti die XII. Martii anno 1413. cujus confectioni præſens fuiſſe legitur *Johannes epiſcopus Cadurcenſis*. Sed mendum irrepſiſſe autumamus. Certe Guillelmus Cruceus multa exhibet acta, quæ probant Guillelmum
1412. d'Arpajon præfuiſſe annis 1412. 1418. nec ſuſ-
1418. picari poſſumus aliquem alium epiſcopum nomine Johannem an. 1413. hanc ſedem occupaſſe, cujus locum poſtea idem Guillermus iterato re- E
ceperit. Potuit tamen multiplicitas papatum duplici in eadem eccleſia epiſcopo locum dare.

L. JOHANNES.

Johannes de Podio, forte idem quem monuimus occurrere an. 1413. poſt mortem Guillelmi pro epiſcopo agnitus, ſolemni pompa excep-
1435. tus eſt in urbe die XXII. Septembris anni 1435. *Ex tab. eccl. Cad.* Hujus præſulis pauca ſuperſunt acta; quem abeſſe a ſua ſede forſan coegerant Anglorum bella, qui omnia epiſcopi caſtra occuparant. Anno 1435. die IV. Novembris dedit quadraginta dierum indulgentias in dedicatione eccleſiæ Moiſ-
ſiacenſis; notaturque adhuc eodem anno die IX. Decembris in tabulis urbis. An. 1438. jam fatis functum Johannem docent litteræ ſynodi Baſileenſis, de indebitis exactionibus, quarum cauſa capitulum & clerus Caturcenſis, querelam moverant, prohibendis.

ANNI CHRISTI. 1438.

Cruceus.

LI. JOHANNES II.

CASTELNAU.

Johannes de Caſtro-novo Pontii baronis Caſtri-novi ex Burguina Claromontia filius, propatruus Franciſci Claromontii Auſciorum archiepiſcopi & cardinalis, per fratrem Pontium toparcham Clari-montis de Lodeva, archidiaconus erat Amiliavi in eccleſia Ruthenenſi, licet tantum ſubdiaconus, quando poſtulatus eſt a capitulo Cadurcenſi in epiſcopum, & inſtitutus bulla Eugenii papæ IV. cujus erat notarius, data Ferrariæ an. 1438. IX. kal. Novembris. Col- 1438.
legii dicti *Ruthenenſis* [a] apud Cadurcum, cenſus a
auxit, uniendo eccleſiam ſancti Petri de Dalmayraco an. 1439. die XXII. Feb. Eodem an. le- 1439.
gavit 2000. nummos aureos pro annuis poſt ſuam *Ex reb. eccl. Cad.*
mortem precibus. In caſtris gentilitiis de Caſtro-novo, & Bretenoſio, inſtituit clericorum collegia. Memoratur an. 1444. die II. Auguſti 1444.
in charta Luminis-Dei. Necrologio Cartuſiæ apud Villam-francham in Ruthenis, inter benefactores inſeritur. Obiit an. 1460. In archivo 1460.
Obaſinenſi exſtat authenticum inſtrumentum, cujus clauſula eſt: *Petrus Ebroicenſis epiſcopus, adminiſtrator perpetuus Obaſine die* IV. *Aprilis an.* MCCCCLX. *ſede Caturcenſi vacante*. Hujus epiſcopi conſiliis, & potiſſimum ſumtibus Angli toto Cadurcorum comitatu pulſi ſunt.

Inſtrum. p. 42. col. 2.

LII. LUDOVICUS.

D'ALBRET

Ludovicus de Lebreto electus eſt an. 1460. cum eſſet ſanctæ ſedis protonotarius, & Senis 1460.
moraretur, uti nos docent monaſterii Caunarum tabulæ *b*. Urbem ſolemniter ingreditur b
die ultima Februarii an. 1461. Debita clientelæ 1461.
obſequia recipere non neglexit, ut fidem faciunt tabularia. Erat ſimul abbas Craſſenſis & cardinalis titulo accepto ſanctorum Petri & Marcellini, quo inſignitur in tabulis Craſſenſibus anni 1464. Obiit Romæ an. 1465. jacetque in ec- 1464.
cleſia Aræ-cœli. De eo ejuſque potiſſimum genere plura addemus in epiſcopis Adurenſibus & 1465.
aliis.

LIII. ANTONIUS I.

ALLEMAND.

Antonius ex clara ac pervetuſta Alamandorum in Delphinatu familia, de qua alibi dicemus, genitus poſſeſſione epiſcopatus donatus eſt die
VIII. Februarii an. 1466. ſeu 1465. juxta tunc 1466.
uſitatum morem. Anno 1467. canonici beatæ Mariæ de Roca-amatoris hominium ei præſti-

[a] Propter fundatorem Bernardum de Rodez.

[b] De eo ita in tabulis monaſterii Caunarum: *Rigaltus de Abrinhaco Caunenſis abbas, canonicorum Caturcenſium, ſcilicet Petri de Galerano archidiaconi majoris, Johannis Roux archidiaconi de Tavoſio, Guillelmi de Monte-buxerio cancellarii, Petri Comberti, &c. procurator Senis exiſtens, Ludovico de Lebreto S. ſedis protonotario, decretum electionis & poſtulationis de eo a prafatis canonicis per viam compromiſſi ad Caturcenſem epiſcopatum, per obitum Johannis* (de Caſtelnau) *ultimi epiſcopi vacantem facta exhibet Senis in domo habitationis ipſius de Lebreto, IX. Julii an. a nativit. Domini* MCCCCLX. *indict.* VIII. b Lege de Tor-
nafo.

erunt

ANNI CHRISTI. 1470.

terunt. Anno 1470. Carolus Aquitaniæ dux, Ludovici regis XI. frater, interturbatum assiduis bellis ordinem restituturus, jus omne actionemque in ecclesiasticas personas Antonio episcopo reddidit; vetans ne senescallus aut alius laïcus judex causas ecclesiasticas attingeret. An. sequenti ad comitia Aquitaniæ Santonis congregata evocatur. Cum abbate Marciliacensi & academiæ professoribus, veteribus simultatibus depositis, paciscitur. Ipsius potissimum cura fundatur Caduici seminarium seu collegium dictum S. Michaëlis. Hoc fere tempore Ludovicus rex XI. accepit *in protectionem dilectam filiam universitatem Cadurcensem*, cujus quoque jura Sixtus papa IV. conservanda mandat episcopo Sarlatensi & abbatibus Marciliacensi & Moissiacensi. Transfertur Antonius ad episcopatum Claromontensem a Sixto papa IV.

LIV. GUISCARDUS.

Guiscardus de gente Albuçonia, cui originem dedisse Marchia gloriatur, filius Reginaldi & Margaritæ de Comborn, ex episcopatu Conseranensi, & post gestam in parlamento Parisiensi senatoriam dignitatem translatus est ad Cadurcensem cathedram bulla Sixti papæ IV. data
1475. XII. kal. Septembris an. 1475. Paulo post, videlicet die x. Octobris urbem solemniter invehitur. Quædam ejus acta e tenebris eruit Crucius, sed pauca; nam ad tertiam sedem transiit, nempe Carcassonensem anno circiter 1476. aut 77. Obiit an. 1489.

ALEMAND.

LV. ANTONIUS II.

Antonius Alemand in chartis dictus *Alamandi*, alterius de quo supra, consobrinus, ejusque olim vicarius, necnon abbas Grandimontensis,
1477. adiit possessionem anno 1477. die 18. Decemb. tuncque *requisivit major archidiaconus, quatenus juramentum per prædecessores suos & per ipsum alias præstari solitum..... præstaret.* Quæ verba persuadere possent hunc episcopum non alium esse ab Antonio Guiscardi antecessore, qui redierit ad sedem pristinam. Sed respondet Crucius Antonium præstitisse olim juramentum, ut vicarium episcopi, non ut episcopum; vicarios enim generales iisdem verbis conceptis sacramento se obstrinxisse ac ipsos episcopos contendit vir doctus.

Inter homagia Antonio reddita, unicum notabimus, Guillelmi videlicet domini de Mon-
1478. tesquieu an. 1478. die XVI. Februarii. Ceterum cum capitulo gravem litem habuit, quod illud immune sese ab episcopali jurisdictione asseret, bulla Sixti papæ IV. data XIV. kal. Octobris anno XIII. ejus pontificatus, quam edidit Crucius; sed provocavit episcopus ad senatum Tolosanum, qui bullam quasi subrepticiam, nullam esse declaravit, placito dato anno
1484. 1484. & Innocentius papa VIII. alia bulla data III. kal. Decembris sui pontificatus anno II. Christi 1485. ordinariam in capitulum jurisdictionem ei restituit.

Octo capellanias creavit Antonius die 28. Ja-
1491. nuarii an. 1491. de qua fundatione fundatorisque devotione erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, ac pia affectione in cultu B. Virginis legendus est Crucius. Exstinctus in villa S. Nazarii apud Delphinates, anno 1493. ibidem jacet.

ANNI CHRISTI. 1493.

Post mortem hujus episcopi, magnum schisma in ecclesia Cadurcensi ortum est, tribus sibi hunc episcopatum vindicantibus. Nam Benedictus *de Jean* dictus de S. Mauris Antonii coadjutor & Christianissimi regis orator in curia Romana, petente Carolo VIII. rege, factus est episcopus Cadurcensis auctoritate pontificia. Hæc nos docent hujus principis litteræ scriptæ senescallo Cadurcensi, & abbati Grossiboscii. Aliunde vero Antonius de Lusech, *al.* Luczet, haud dubie electione capituli fretus, episcopatum ad se trahebat. Ex laudatis Caroli regis litteris discimus, pro hoc episcopatu litem primum in Magno Consilio disceptatam, inde vero delatam ad curiam parlamenti. Scripsit rex ad consules & cives Cadurci, necnon ad senescallum Cadurcensem, ut Benedicto faverent, mitterentque eum in possessionem castrorum & omnium ad episcopatum Cadurcensem pertinentium. Attamen Antonius cathedram tandem obtinuit; forte quia lite pendente Benedictus obiit, videlicet anno 1501. Vide hæc acta apud Cruceum in historia episcoporum Cadurc. in Antonio de Luzech.

Alia ex parte lego Jacobum Tremoleriæ ord. S. Augustini pro episcopo Cadurcensi se gerentem ab Innocentio VIII. provinciam accepisse, *ut per se vel per alium episcopum catholicum gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem absolveret a censuris, &c. Claudium episcopum sancti Flori vitiose ordinatum, &c. qui Jacobus ordines solemniter in civitate sancti Flori celebravit, de mandato dicti Claudii*, ex litteris Alexandri papæ VI. ad Guichardum episcopum Carcassonensem, datis Romæ apud S. Petrum ..... sub annulo piscatoris die XXIX. Martii an. 1493. pontificatus ejus anno I. De hoc Jacobo nihil aliud ad nos pervenit. De Antonio vero nunc agendum.

DE LUSECH.

LVI. ANTONIUS III.

Luzechii genus, ex quo Antonii nostri cognomen, in Cadurcensi pago a longo tempore florebat, quando hic episcopalem thronum conscendit. In chartis Exiensis monasterii, cujus abbas erat, electi Cadurcensis & confirmati titulum tantum præfert annis 1497. ac 1501. An.
1497. 1500. ut electus & confirmatus episcopus Cadurcensis dedit litteras, uti aiunt, dimissorias, Petro filio Guillelmi Laudo priori de Cassilhaco, I. die mensis Martii. Ejus æquitas eluxit, *Ex chart. S. Ilidii Clarom.* quando census non paucos de Luzechio ecclesiæ ademtos, suisque a gentilibus occupatos, facta permutatione, eidem ecclesiæ restituit.
1508. Anno 1508. pastor vigilantissimus totam diœcesim sedulo perlustravit. Anno vero proximo, die XXX. Maii, ad meliorem vitam migravit apud castrum de Albaribus, conditus in ecclesia cathedrali intra chorum, ante principem aram sancti Stephani, uti ejus testamento cautum erat.

DE GANAY.

LVII. GERMANUS.

Germanus de Ganay frater Johannis Fran-

ANNI CHRISTI.

ciæ cancellarii, filius Nicolai *al.* Guillelmi in A suprema curia Pariſienſi regis advocati, ex ſenatore Pariſienſi, canonico Bituricenſi, & decano Belvacenſis eccleſiæ deſignatur epiſcopus Cadurcorum litteris datis Viennæ die 14. Auguſti an. 1509. tametſi electus eſſet Guido [a] de Caſtro-novo (*Caſtelnau*) e linea Bretenoſii * abbas Bonæ-vallis, epiſcopus Petracoricenſis; ſed de jure ſuo ceſſit. Itaque Germanus admiſſus eſt ſolemniter IV. idus Maii 1511. favore Ludovici XII. ad quem acceſſit bulla Julii papæ II. data id. Julii, ejus pontificatus anno VI. Chriſti 1509. An. 1512. permutavit cum Carolo Dominico de Caretto, qui ſequitur, tunc archiepiſcopo Turonenſi. Non legimus tamen Germanum ſediſſe Turonis. Inde factus eſt epiſcopus Aurelianenſis.

1509. * Bretenoux. 1511. *Ex tab. arbor.* 1512.

DE CARETTO.

LVIII. Carolus-Dominicus.

Carolus-Dominicus de Caretto, natione Ligur, cardinalis dictus Finarii, frater Alfonſi I. marchionis de Final, & Fabricii magiſtri equitum ſancti Johannis Jeruſalem in Rhodo inſula, qui tres patrem habuerunt Galeotum comitem & marchionem Finarii; ex permutatione facta cum Germano, Cadurcenſem cathedram obtinuit, cum eſſet tunc Turonenſis archiepiſcopus, in qua ſedit per biennium. Ejus vero opera & induſtria Ludovicus rex XII. in multis legationibus uſus eſt. Conſecratus fuerat archiepiſcopus Thebanus a Julio papa II. anno 1505. In marchionatu Finarii pietatis ſuæ varia reliquit monumenta, in conſtruendis, reſarciendis, ornandiſque templis. Protectoris pauperum titulum jure conſecutus eſt; idcirco morte ſua qua obiit, in ſede pontificia XIX. Kal. Septembris an. 1514. magnum ſui deſiderium reliquit. In eccleſia ſui tituli ſepultus eſt, hoc eſt ſanctæ Cæciliæ, quem ultimum habuit; nam duos D alios prius habuerat, ſcilicet primum ſancti Viti, alterum ſancti Nicolai. Ante mortem fratri ſuo tranſcripſerat epiſcopatum, retenta penſione. De eo conſule archiepiſcopos Remenſes & Turonenſes.

B C E

DE CARETTO.

LIX. Ludovicus II.

Hic epiſcopus dictus etiam Aloyſius, Caroli frater vel conſanguineus, per ceſſionem Caroli an. 1514. bullas obtinuit a Leone papa X. cum Romæ degeret. De ejus ad eccleſiam ſuam acceſſu nihil in tabulis nobis occurrit, veriſimileque putamus ipſum nunquam eam inviſiſſe. E Adminiſtravit autem eam per quemdam epiſcopum nomine Guillelmum. Cum hunc epiſcopum, alii Ludovicum, alii Aloyſium appellarent, ex unico duo ſunt facti, quorum prior uno tantum menſe ſediſſe dicitur; alter *Aloyſius* dictus, per plures annos. At cum hic Aloyſius obtinuerit epiſcopatum per ceſſionem Caroli, inter utrumque perperam medius ponitur Ludovicus.

1514.

ANNI CHRISTI.

DE CARETTI.

LX. Paulus.

Paulus de Caretto filius Alfonſi I. marchionis Finarii, qui frater erat Ludovici; abbas Bonæcumbæ in Ruthenis, & præfectus oratorii regis; ob egregias virtutes Franciſco I. & Henrico II. regibus carus, ceſſione ſui patrui pervenit ad Cadurcenſem ſedem an. 1524. tametſi non niſi quarto poſt ſuam inaugurationem anno poſſeſſionem nactus ſit. Per illud vero quadriennium Laurentium Toſcanum Lodovenſem epiſcopum papæ auctoritate fultum hanc eccleſiam rexiſſe legimus. Accepta poſſeſſione Paulus vicarium aliquamdiu habuit Hieronymum Raimundi canonicum. Hunc porro epiſcopum Franciſcus rex papæ commendavit anno 1532. litteris datis per Bochetellum Sanctioris Conſilii commentarienſem; quibus ut Paulum de Caretto ſuum carum conſanguineum, de regno, regibuſque more majorum optime meritum, cardinalitia veſtiat purpura impenſe rogat. In actis publicis duo dumtaxat notata de ipſo obſervavimus, primum quod pro adminiſtratione epiſcopatus Guillelmum Leyga Caronienſem epiſcopum vicarium generalem inſtituerit, qui eodem munere functus erat ſub anteceſſore: alterum quod ratum habuerit quoddam pactum inter epiſcopum Lodovenſem, & priorem ac procuratorem collegii S. Stephani de Rhodes in urbe Cadurcenſi, die 3. Martii an. 1536. Obiit an. 1553. quo ſede vacante per ejus obitum a capitulo creatus eſt officialis die 21. Septembris.

1524. 1532. 1536. 1553.

FARNES.

LXI. Alexander.

Alexander Farneſius Pauli III. nepos, primum cardinalis diaconus titulo S. Angeli, deinde Oſtienſis epiſcopus, adminiſtratione eccleſiæ Cadurcenſis donatus eſt per bullam Julii III. pridie idus Nov. ejus pontificatus an. 5. Chriſti 1554. quo, die 4. Decembris facultatem dedit procuratori ad ineundam ſua vice poſſeſſionem. Abdicavit an. 1557. De eo conſulenda quæ diximus in Avenionenſibus antiſtitibus.

1554. 1557.

BERTRAND.

LXII. Petrus II.

Petrus Bertrandi Toloſas, frater aut conſanguineus Johannis archiepiſcopi Senonenſis, Franciæ procancellarii & cardinalis; abbas erat Grandis-ſilvæ, officialis & archidiaconus major Cadurcenſis, juriſque doctor & in epiſcopatu vicarius generalis, quando ſedem hanc adeptus eſt, ceſſione a Cardinali Farneſio facta an. 1557. ultima die menſis Julii. Conſecratus eſt apud Montem-panſerium a Franciſco de Seneterre epiſcopo Sarlatenſi, ſolemniterque urbem eſt invectus die 31. Julii 1558. Inter bellorum procellas a Calviniſtis tunc motas, a perduellibus capitur in caſtro epiſcopali Mercueſio 1562. Sed eripitur poſtea, & in libertatem aſſeritur a ſtrenuo duce Blaſio de Montluc. Fatis conceſſit Romæ 3. Septembris, an. 1563. ſepultuſque eſt in cathedralis eccleſiæ choro prope altare ad ſiniſtrum latus, cum hoc epitaphio:

1557. 1558. 1562. 1563.

Ex tab. Loth. armis Choiſeul.

[a] Guido de Caſtelnau adhuc anno 1509. die 21. Novembris appellatur electus epiſcopus Cadurc. in litteris dilatoriis quas ipſe & fratres ejus, ac ſorores heredes Annæ de Beaujeu aviæ ſuæ, quæ nupſerat Johanni de Baudricourt Franciæ mareſcallo, obtinuerant ad recuperandam mediam partem toparchiæ de Colombey a duce Loth. occupatam.

Ex actis Cadurcenſibus, quæ patria lingua dedit Cruceus, compoſitione facta inter Germanum de Ganay & Guidonem de Caſtelnau, epiſcopatus Cadurcenſis ceſſit Germano, & Petragoricenſis Guidoni.

ANNI CHRISTI.

Christo servatori sat.
Petro Bertrandi Tolosati Cadurcensium episcopo optimo, piissimo litterarum patrono, Johannes Bertrandus Tolosas in supremo regis consilio consiliarius, ex asse hæres, dum acceptorum beneficiorum recordaretur, patrono benemerenti posuit. Obiit IV. *non. Septembris anni* MDLXIII.

Pro anniversario suo donavit capitulo 1000. libras Turonenses.

[DE BALAGUIER.

LXIII. JOHANNES III.

Johannes de Balaguier ex gente nobili de Mont-salez, Francisci Vasatensis episcopi germanus, cum jam esset electus ad episcopatum Vasatensem, quem cessit Francisco fratri, fit Cadurcensis antistes bulla Pii IV. data IV. Kalend.
1564. Maii an. 1564. contra statuta, inquit quædam charta ecclesiæ cathedralis Cadurcensis, quibus cautum, *ne quis nisi de gremio capituli*, ad ecclesiæ regimen tanquam pontifex assumeretur; necnon & præter regis Francisci I. conventiones & pacta cum Leone papa X. juxta quæ *promovendi ad episcopatus, doctores, aut certe licentiati esse deberent.* Eodem anno mense Decembri solemniter invectus urbem ingreditur. Capituli statuta vetera confirmavit IV. Kal. Julias
1566. 1566. Morbis fractus & senio (jam enim erat septuagenarius quando accessit) patria civilibus
1576. bellis afflicta, an. 1576. IV. idus Aprilis e vita sublatus est, cum pro celebrando suo anniversario 1300. libras capitulo legasset.

Ex tab. eccl. Cad.

EBRARD.

LXIV. ANTONIUS IV.

Ebrardorum gens inter nobiliores pagi Cadurcini conspicua lucem dedit Antonio episcopo, orto videlicet a patre Johanne sancti Sulpicii toparcha, qui fuit Christianissimi regis legatus apud Hispaniarum regem, & matre Johanna de Gontaldo Johannis baronis de Bironio filia.
1576. Ab anno 1576. episcopatum obtinuit admodum juvenis, duodeviginti annos videlicet tantum natus; Cadurcumque solemniter advenit eodem anno, III. idus Novembris. Romam accersitus a Gregorio papa XIII. perhonorifice excipitur
1579. an. 1579. Inde in patriam reversus, concilio provinciali Bituricensi an. 1584. mense Septembri
1584. adfuit, uti comitiis generalibus regni apud Blesas an. 1588. congregatis. Ob tumultus Cadurcensium studia in contraria scissorum, urbe sex annos exsulare cogitur, in Albario oppido, loco peramœno & tuto clausus, ne quid in ipsum molirentur Henrici III. regis hostes, cui a secretioribus consiliis erat hic præsul. Tandem post diuturnum secessum, magna omnium gra-
1594. tulatione revocatur Cadurcum an. 1594. Biennio post Rotomagum ad regni comitia regis mandato evocatur. Diem clausit extremum Albarii. Testamenti sui tabulis confectis die 17.
1599. Januarii an. 1599. voluit terræ mandari in medio chori majoris templi, ubi legitur hæc inscriptio: *In pace hic situs est V. C. Antonius Ebrardus a S. Sulpitio, episcopus, baro & comes Cadurc. baro Podii Cornets & Berenguis, Henrici III. & IV. regum Franciæ & regni status consiliarius, cujus magna mens & auctoritas diœcesi hæresi. & civil. motibus afflictæ præsidio stetit 22. annos quibus ipse sedit. Quievit nunquam, nisi cum lapsa valetudine migravit ad Christum ejusdem anno sæculari* XVI. VI. *calend. Augusti. H. M. H. H. posuere ex testam.*

ANNI CHRISTI.

Fuit strenuus vindex canonum ac jurium ecclesiæ. Præter episcopatum Cadurcensem abbatias S. Ebrulfi & Marciliaci consecutus erat.

Ex eadem gente Ebrardæa celebres fuerunt Christophorus Antonii episcopi patruus, archidiaconus major Cadurcensis, & abbas Marciliaci, a Baronio cardinali sæpe commendatus; Johannes, Flotardus & Willelmus ejusdem monasterii item abbates, Aimericus & Raimundus Conimbricenses in Lusitania episcopi.

DE POPIANO.

LXV. SIMEON STEPHANUS.

Simeon, *al.* Simon St. de Popiano Biterrensis patria, canonicus & præcentor ecclesiæ urbis hujus, ac per 23. annos episcopalis fori judex primarius, quem officialem vocant, his muniis digne obitis, regis existimationem promeritus, ejusdem litteris destinatur episcopali Cadurcorum cathedræ; accedentesque bulla Clementis papæ VIII. data IV. idus Septembris anno
1601. consecratur IV. idus Decembris in templo sancti Nazarii Biterrensis. Mense vero Mar-
1602. tio an. 1602. magno nobilium cœtu comitante, acclamantibus ceteris urbis & diœcesis ordinibus, in primo ad ecclesiam suam accessu solemniter excipitur. Mox templum majus a sectariis prophanarum expiavit, ecclesiæque suæ plus prodesse quam præesse cœpit; sacramentorum administrationi assidue incumbens, in synodis statuta de rebus ecclesiasticis condere sollicitus [a], in sartis tectis ædium episcopalium magnificus. Hoc præsule sedente patres Societatis Jesu an.
1606. 1606. accersiti collegium *S. Michaelis* dictum, novis proventibus ditatum, maxime ex duorum prioratuum unione occuparunt, prioribus incolis & alumnis in alium locum migrare jussis. Item Minoritæ dicti Capucini die 27. Septembris an.
1607. 1607. admissi, quorum ecclesia an. 1610. ab hoc episcopo dedicatur. Eodem anno Minoritæ Recollecti apud Moissiacum recipiuntur. Commentarios de rebus & episcopis Cadurcensibus a Guillelmo Crucio scriptos, Cosmas Guillelmi
1621. frater ipsi nuncupavit an. 1621. Ejusdem Simeonis cura edita est tabula chorographica totius diœcesis. Obiit apoplexia postridie Dominicæ Palmarum anni 1627. sepultusque est in cathe-
1627. drali cum ea inscriptione: *Simeoni-Stephano a Popiano Cadurcorum episcopo R. I. P. qui cum adhuc in humanis degeret, mundum nihilominus superandum, quin & seipsum vincendum existimavit; tum loculum sibi hunc dormitionis in spem vivam resurrectionis præsignavit. Quæque vero ex munere gesserit, episcoporum Cadurcensium series indicabit.*

HABERT.

LXVI. PETRUS IV.

Petrus Habert abbas beatæ Mariæ de Columbis Carnotensis, & de Rocha, Parisiensis diœcesis, ex dominis de Montmor; comes antea consistorianus, senator Parisiensis, & supplicum libellorum in regia curia magister, prior sancti

[a] Quædam promulgavit pro divino cultu 31. Octob. an. 1611.

ANNI CHRISTI.

Arnulfi Criſpeienſis in Valeſio, atque Gaſtonis a Francia ducis Aurelianenſis, regis Ludovici XIII. germani, major eleemoſynarius, conſecratur epiſcopus Cadurcenſis ab Andrea Fremiot archiepiſcopo Bituricenſi apud Recollectos ordinis ſancti Franciſci Pariſiis die 2. Maii
1627. anni 1627. Interfuerat comitiis generalibus regni apud Pariſios, delegatus a Remenſi metropoli 1610. & 1614. pro clero Valeſienſi. Mortuus
1636. Lutetiæ die 27. Februarii anni 1636. jacet in choro eccleſiæ Carruſianorum.

DE SOLMINIHAC.

LXVII. ALANUS.

Alanus de Solminihac nobilis Petracoricenſis, cum juvenis militiæ ſeculari nomen dediſſet, poſtea vitæ religioſæ ſe addixit, & regularis abbas cœnobii beatæ Mariæ Cancellatæ factus, ordinis canonicorum Regularium ſancti Auguſtini, collapſam diſciplinam, eccleſiam & domum reſtauravit; ipſe factus forma gregis ex animo, ut præcipit apoſtolus, multos ad ſui exemplum pertraxit; unde cum plures religioſos admiſiſſet, quos pietatis & ſacræ ſcientiæ præceptis ipſe imbuebat, eos in varias colonias poſtea amandavit, ut ejuſdem regulæ abbatias ad meliorem vivendi modum revocarent. Ipſam quoque electionem abbatis Cancellatæ, juxta veterem eccleſiæ ritum ad capitulum ſpectare, impetrante Alano rex permiſit, & eos tantum poſſe eligi conceſſit, qui ſe arctioris vitæ inſtituto mancipaſſent. Poſtea inſtante Armando-Johanne Pleſſio cardinali Richelio a rege Ludovico XIII.
* 1636. nominatur Cadurcenſis epiſcopus*, per obitum Petri Haberti. Conſecratus eſt Lutetiæ in
1637. templo ſanctæ Genovefæ Montis 1637. die 27. Septembris, a Carolo de Montchal archiepiſcopo Toloſano, aſſiſtentibus Nicolao Sanguin Silvanectenſi, & Dominico Seguiero Autiſſiodorenſi poſtea Meldenſi, epiſcopis. Urbem ingreſſus an. 1639. gregis ſui cuſtodiæ vacavit, cujus viſitationem integram quinquies intra decennium abſolvit, novies ante obitum: ſtatutis editis ex ſancto Carolo Borromæo excerptis, omnes ad officium ſuum excitavit; & ne quid deeſſet curæ paſtorali, clericos ſeminario, ut vocant, addixit, eccleſiaſticis moribus imbuendos, emta domo in urbe Cadurcenſi, factaque nonnullorum eccleſiaſticorum beneficiorum unione. Plebem vero in fide catholica & bonis moribus erudiendam commiſit miſſionariis ex Cancellatæ monaſterio accerſitis, quibus intra urbis mœnia monaſterium ſuis condidit ſumtibus. Multas eccleſias bellorum civilium & hæreticorum furore diſturbatas e ruinis excitavit, quibus bona reſtitui curavit. Eo ſedente Carmelitæ diſcalceati Cadurci admiſſi ſunt, ut & moniales Canonicæ ſancti Auguſtini, quas ſancti Deſiderii nuncupant. Multa fundavit xenodochia, in his domum pro puellis orphanis. Vitam tot piis operibus cumulatiſſimam clauſit 31. Decem-
1659. bris an. 1659. ſepultus in eccleſia ſuorum alumnorum Canonicorum Regularium; cui parentavit ejus ſucceſſor, & in exſequiis ſolemnibus orationem funebrem dixit Petrus Bertier Montalbanenſis epiſcopus. Ejus vita typis evulgata auctore Leonardo Chaſtenet priore beatæ Mariæ Cadurcenſis Canonicorum Regularium, an. 1663. optimi pontificis & ſanctiſſimi aſcetæ iconem exhibet. Eamdem vitam latinitate donavit Dominicus Biſſelius Canonicus Regularis ad S. Crucem Auguſtæ-Vindelicorum, ediditque typis ducalis monaſterii Campidonenſis, per Rudolphum Dreherr MDCLXXIII.

ANNI CHRISTI.

Hoc Alani elogium legitur juxta ipſius tumulum e terra prominentem:

Alanus de Solminiac, nobilis Petrachorenſis, factus abbas Regularis beatæ Mariæ de Cancellata, ordinem Canonicorum Regularium S. Auguſtini in Aquitania pene collapſum reſtauravit; dein creatus epiſcopus Cadurcenſis, totam diœceſim continuis laboribus in meliorem ſtatum redegit, paſtoralem beati Caroli Borromæi ſollicitudinem imitatus, vir plane divinus, ſanctitate admirabilis, omni virtutum genere conſpicuus, ſibi & mundo rebuſque omnibus mortuus Chriſto Domino ſoli vixit, cujus majorem gloriam in omnibus ex voto ſemper quæſivit, Angelos caſtitate, veteres Anachoretas quadraginta annorum pœnitentia æquavit. Orationum aſſiduitate nulli ſecundus. Clericorum ſeminarium inſtituit in civitate Cadurco; prioratum ordinis canonici ibidem conſtruxit & dotavit. Noſocomium unum, duoque orphanotrophia fundavit, unum puerorum, puellarum alterum, perpetua ſuæ liberalitatis monimenta. Denique multa alia pie & laudabiliter operatus eſt, ac tandem omnibus quæ ſupererant in pauperes erogatis, ipſe pauper & latus dum hæc verba paſſionis legerentur (& inclinato capite tradidit ſpiritum) *inter crucifixi amplexus obiit Mercurii, anno ætatis ſuæ 67. die ultima anni 1659. relicto Cadurcenſibus ſui zeli & ſanctitatis æque ac ſacerdotii ſucceſſore Nicolao Sevin. Jacet hic corpus ejus, ubi pio populorum concurſu ob frequentes gratias ejus interceſſione receptas honoratur.*

SEVIN.

LXVIII. NICOLAUS.

Nicolaus Sevin Pariſinus, abbas ſancti Wlmari in diœceſi Bolonienſi, deinde epiſcopus Sarlatenſis, poſtmodum Alani coadjutor, per ejus obitum factus Cadurcenſis antiſtes, ſolita pompa urbem ingreſſus eſt anno 1660. quo anno ſa-
1660. cras celebravit ordinationes. Regi ſacramentum fidelitatis juravit Toloſæ exiſtenti, unde rediens prædeceſſori juſta ſolemni ritu perſolvit, præſentibus omnibus diœceſis ſuæ paſtoribus, quos ad primam ſynodum convocaverat. Magno populorum applauſu & concurſu per quadrageſimam in eccleſia cathedrali concionatus eſt
1661. an. 1661. nec ſine fructu idem præſtitit in aliis
1671. ſuæ diœceſis eccleſiis. An. 1671. conſecravit eccleſiam Dominicanorum in honorem ſancti Ludovici. Anno ſequenti quaſdam ſancti Franciſci Saleſii reliquias expoſuit venerationi fidelium, in eccleſia Canonicorum Regularium S. Auguſtini Cadurci. Paſtor vigilantiſſimus diœceſim ſedulo luſtrabat; diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtrenuus defenſor Pariſiis occubuit 1678. Sepultus
1678. apud ſanctum Lazarum. Canonicos Regulares reliquit hæredes. Ejus tempore ſcholas, ut vocant, chriſtianas Cadurci fundavit Mirapicenſis marchioniſſa, in quibus optimus præſul 12. puellas ad fidem recenter adductas inſtitui procuravit,

assignatis ad earum victum ex proprio reditibus.

ANNI CHRISTI. DE NOAILLES.

LXIX. LUDOVICUS-ANTONIUS.

Ludovicus Antonius de Noailles, de quo plura dicenda in archiepiscopis Parisiensibus praetermittimus, filius natu minor Annae ducis de Noailles paris Franciae, praefecti primae cohortis stipatorum regis, ex Ludovica Boyer, piissimae matris cura maxime, ad omnia Christianae pietatis officia informatus, institutae jam tum vitae usque tenax fuit. Doctoris theologi Facultatis Parisiensis laurea donatus est die 14. Martii anno 1676. Designatur episcopus mense
1679. Martio anno 1679. Parisiis consecratur in B abbatia sancti Antonii a campis, mense Junio ejusdem anni a Francisco Harlaeo archiepiscopo Parisiensi, cooperantibus Dominico de Ligny Meldensi, & Harduino Fortin de la Hoguette Briocensi, episcopis. Nominatur ad sedem Catalaunensem mense Junio an.
1680. 1680. Demum fuit archiepiscopus Parisiensis an. 1695. commendator regiorum ordinum die 26. Maii an. 1697. designatur, torque ornatur regiis manibus die 1. Januarii an. 1698. creatur cardinalis ab Innocentio papa XII. die 21. Junii anni 1700. Ipso auspice concepta est quae nunc C in lucem prodit Gallia Christiana. Cetera prosequemur suo loco.

1681 JAY. LXX. HENRICUS-GUILLELMUS.

Henricus Guillelmus le Jay, ex illustri apud Parisios familia natus, patre Carolo libellorum supplicum magistro, matre Gabrielide de Lefrat, doctor Sorbonicus, vir singulari prudentia praeditus, schedula regia donatur pro Cadurcensi episcopatu obtinendo, die 9. Martii anni
1680. 1680. Die 1. Junii an. 1681. inauguratur; deinceps que omnia vigilantissimi pastoris, & optimi patris munia implevit; in perlustranda dioecesi D assiduus; in seminando verbo Dei impiger; in sublevanda pauperum egestate prodigus; in tutanda ecclesiastica disciplina contra morum corruptelas, invictus. Odaeum in ecclesia elegantissimo construxit opere, & duo palatia episcopalia; unum Mercurii, alterum in urbe, patrimonii sui sumtibus; praematura tamen morte raptus die 22. Aprilis anni 1693. ultimum absol- 1693.
vere non potuit. Jacet in choro ecclesiae cathedralis, cum brevi epitaphio, quod ipse praescripserat:

Hic jacet Henricus Guillelmus le Jay episcopus, baro & comes Cadurcensis, inauguratus die 1. mensis Junii 1681. *Obiit die 22. Aprilis an.* 1693.

R. I. P.

Tempore episcopatus Henrici Guillelmi, Bullonii dux, toparcha S. Sereni, fundavit hac in urbe moniales a Visitatione B. Mariae nuncupatas an. 1684. Ibidem an. 1690. construitur xenodochium generale. Sub eodem episcopo Raimundus Fouilhac doctor Sorbonicus, vicarius generalis sub tribus episcopis, obiit maximo civium luctu an. 1692.

de Briqueville

LXXI. HENRICUS ULTIMUS.

Henricus de Briqueville de la Luzerne, filius Gabrielis marchionis de la Luzerne in Normannia inferiori subpraefecti ex Margarita de Bounoux filia Juliani causarum capitalium praetoris apud Blesas, doctor theologus Facultatis Parisiensis in regia Navarra, sereniſſimae Delphinae Victoriae a Bavaria ab eleemosynis, nominatur ad episcopatum Caturcensem die 31. Maii, anno 1693.
1693. Consecrationis munus accepit Parisiis in ecclesia Societatis Jesu vici sancti Antonii a Carolo le Goux de la Berchere, tunc Albiensi archiepiscopo, assistentibus episcopis Briocensi & Vaurensi, die 28. Octobris ejusdem anni; biduo post regi fidem obsequiumque juravit. Abbas simul est Gardae-Dei in sua dioecesi, prius Cantus-Merulae dioecesis Trecensis. Adhuc sedet hoc anno 1714. Ejus auctoritate editum est proprium Sanctorum ecclesiae & dioecesis Cadurcensis, apud Arnaldum Bonnet.

DE PRAEPOSITIS, DECANIS, ET MAJORIBUS ARCHIDIACONIS CADURCENSIS ECCLESIAE.

CApitulum Cadurcense suum olim habuit praepositum, maxime quando vigebat in hac ecclesia regularis status. In chartulario Cadurcensi aliquot nobis occurrunt.

PRAEPOSITI.

Ex chartul. Cad. instrumentorum p. 19. col. 2. Ch. VIII. p. 31. col. 1.

Feraldus sub Froterio episcopo, anno 17. regnante Lotario rege, hoc est Christi circiter 970.

Gosbertus prior Cadurcensis ecclesiae, cui bulla Urbani II. confirmantis ejusdem ecclesiae canonicos in professione vitae regularis quam recens professi erant, inscribitur; data est an.

Chartul. p. 29. col. 2.

1096. Forte idem qui prima tantum nominis littera G. designatur praepositus, tempore G. episcopi, sub Paschali papa, regnante Philippo rege Francorum. Et iterum tempore Petri

Chartul. p. 30. col. 1.

Lemovic. episcopi, P. G. Vencensis, & P. abbatis Aureliacensis.

Gausbertus praepositus in cujus manu G. Sarlatensis abbas & Petrus Poncii totius monasterii procurator, &c. concesserunt ecclesiam S. Agapiti de Pairiniaco, sanctae matri ecclesiae Ca- E turcensi, tempore Geraldi nobilissimi episcopi. *Ibid.*

Willelmus, cujus electionis instrumentum legitur in chartulario, factum mense Julio hebdomada III. feria V. anno Dominicae incarnationis MCIII. indictione XI. tempore Geraldi II. episcopi. Vide chartularii excerpta. *Instrumentorum p. 28. col. 2.*

Bernardus Caturcensis ecclesiae prior *, tempore W. episcopi, regnante Ludovico * rege. Ex chartul. memoratur in charta W. episcopi, de qua in Petro I. abbate S. Marcelli. *episcopo. * VI. vel VII.*

DECANI.

Engilbertus decanus an. 773. vel potius 783. Vide in Angario episcopo, & instrumenta. *p. 36. col. 2.*

Ragambaldus decanus aedificavit basilicam

Digitized by Google

ANNI CHRISTI. in honore S. Petri Apoſtolorum principis, tempore ejuſdem Froterii epiſcopi; ex cartul. ubi tamen error irrepſit in regis nomine, ſub quo hæc eccleſia conſtructa eſſe dicitur, vel certe in anno. Decanus erat poſt præpoſitum; nam in duabus chartis Froterii epiſcopi legitur: *Froterius epiſcopus, & Feraldus præpoſitus, & Ragambaldus decanus. . . anno* XIV. *ſub Lotario rege, Froterius feria* II ..... *Feraldo præpoſito & Stephano decano, &c.* Cartul. *Inſtrum. p. 29. col. a.*

Stephanus decanus Caturcenſis ſub Froterio epiſcopo, anno 17. regnante Lothario rege. Cartul. *Ibid.*

ARCHIDIACONI.

Aſterius archidiaconus ſubſcribit Chartæ Angarii epiſcopi Cadurcenſis pro Moiſſiacenſi monaſterio, ante Engilbertum decanum anno 773. aut 783. Vide in Angario epiſcopo.

Benjamin archidiaconus tempore Amblardi Caturcenſis epiſcopi, anno VIII. ſub Lodoico rege. *Chartul. p. 29. col. 2.*

Geraldus archidiaconus tempore Froterii epiſcopi anno XXV. ſub Lothario rege, ex cartul. *Ibid.*

Engelbertus abbas & archidiaconus ſub Gauſberto epiſcopo. Cartul. *p. 29. col. 2.*

Petrus de Born & Rotlandus archidiaconi nominantur in charta Bernardi Caturc. eccl. prioris, tempore W *. epiſcopi, regnante Ludovico rege. Cartular. *II. *Ibid.*

Sub Geraldo II. epiſcopo, ut conjicimus, erant in eccleſia duo archidiaconi, Seguinus ac Willelmus; quando videlicet G. Sarlatenſis abbas, Petrus Pontius, &c. dederunt ſanctæ matri eccleſiæ Caturcenſi eccleſiam de Pairiniaco, *In manu domini Gausberti Caturcenſis præpoſiti, & Seguini, ac Willelmi archidiaconorum.* Vide excerpta cartul. A

B. an. 1172. in charta G. Cadurc. epiſcopi, donantis eccleſiam R. abbati Obaſinæ, cum ipſius conſilio. Forte idem qui cognominatus de Rouſilhac reperitur in charta B. Mariæ Rupis-Amatoris an. 1193. ANNI CHRISTI. *p. 28 col. 2.*

Bernardus litem componit inter Ægidium abbatem Bellæ-perticæ, & Guillelmum Raimundi rectorem S. Aviti 1224. Sabb. poſt feſtum S. Luciæ virg. *Ex chart. Moiſſ.*

Guillelmus de Valon archidiaconus Caduren- B cenſis 1248. in charta Obaſinæ.

Bernardus de Autejaco an. 1250. *Ex tab. urbis Cad.*

Pontius de Gaulejaco bulla Pii papæ II. VI. id. Nov. pontific. an. III. 1460. delegatus ſtatuta pro collegio S. Sephani de Rodez, fundato in urbe Cadurc. a Bernardo de Rodez archiepiſcopo Neapolitano conſcribit 7. Septemb. 1471. Aliunde notus eſt nobis ex tabulis Caunenſis monaſterii. Vide in Ludovico de Lebreto epiſcopo LII. ubi cognominatur de Galerano. *Ibid.*

Antonius d'Ebrard de S. Supplice abbas deſignatus Gardæ-Dei, cuidam ſtatuto circa C divinum cultum facto a Simone Stephano a Popiano epiſcopo Cadurc. conſenſit 31. Octobris 1611. Jam an. 1609. has duas obtinebat dignitates, ſuperſtes ad annum 1616. ſed archidiaconatum, ut videtur, jam an. 1615. dimiſerat. *Ibid.*

Claudius-Antonius Hebrard de S. Supplice, archidiaconus major Cadurcenſis an. 1615. adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani. Vivebat an. 1642. abbas Gardæ-Dei.

Chriſtophorus Hebrard de S. Supplice, canonicus & archidiaconus major Cadurcenſis 1647. & 1656. abbas ſimul Gardæ-Dei.

DE ABBATIIS DIOECESIS CADURCINÆ, ac primum de iis quæ amplius non exſtant.

ANTE S. Deſiderium Caturcorum epiſcopum, nulla fuiſſe in hoc pago monaſteria perſuadere videntur hæc ejus vitæ verba ab auctore gravi ſcriptæ §. 9. *Nullum*, inquit, *eo tempore in urbe Caturca præpoſitum monachi, neque habitus religionis, aut regulæ cœnobialis intraverat. Secta Columbani procul, inſtituta B. Benedicti longe diſtabant.* Sed contrarium probant tum Gregorius Turon. lib. VII. hiſt. cap. 30. ubi meminit abbatis Cadurcini, qui vivebat an. circiter 585. tum ea quæ de monaſteriis jam ante apud Cadurcos conditis infra dicturi ſumus. Et quidem epiſtola Dagoberti regis, qua confirmat S. Deſiderii electionem, teſtatur eam factam *civium abbatumque Caturcorum conſenſu.* Quibus vero monaſteriis præeſſent hi abbates ignoramus. Jam tum tamen florebat Moiſſiacenſe monaſterium; imo etiam cœnobium S. Amantii tanta magnificentia a S. Deſiderio inſtauratum, ut ſcriptor ejus vitæ, auctorem eum velit fuiſſe piæ hujus fundationis; jamdiu tamen antea exſtabat; etenim Deſiderius Autiſſiodorenſis epiſcopus, qui vix pervenit ad annum 622. inter dona locis ſacris munificentiſſime facta, quædam contulit *baſilicæ S. Amantii, quæ eſt exſtructa in pago Cadurcino ad ſtipendium monachorum ibidem Deo deſervientium, ubi & genitrix ipſius Nectaria corpore requieſcit.*

I. S. Amantii. Huic monaſterio primum locum damus inter vetera cœnobia, quorum vix ulla nunc ſuperſunt veſtigia. De eo ita loquitur ſcriptor vitæ S. Deſiderii §. 11. *Deſiderius præter alia magnifica opera ædificavit monaſterium ſub ipſo Caturcæ municipio in cunctis ædibus eximium,* DCC. *circiter & quinquaginta paſſus a præcipua pontificum ſede diſtans, quod ſummo ſtudio miro ac ſingulari opere in domorum, vel eccleſiarum extructione patratum, vinearum quoque ac ſegetum, ac pontis adjectione circumſcripſit. Monachos etiam copioſo numero aggregavit, quibus poſt Urſitinum venerabilem virum Dadalenum abbatem inſtituit. Ipſe autem profluo ſe amore erga ipſum cœnobium dedit, ut omnia qua habebat neceſſaria, tam in utenſilibus, quam ſpeciebus affluentiſſime miniſtraret: ſepulturam quoque ſibi in eodem monaſterio ſub dextri lateris baſilicæ volutione præparari juſſit, ubi hodie in Del*

nomine humatus quieſcit. Unde propter hoſpitium corporis ſancti viri, mutavit nomen, dictaque eſt *S. Deſiderii*, vulgo *S. Geri*

Abſoluta baſilicæ fabrica, S. Deſiderius de ejus conſecratione cogitavit, & ad eam multos congregavit antiſtites; in his ſanctum Paulum Virdunenſem, & Abbonem Metenſem epiſcopum, qui in epiſtola ad ſanctum Deſiderium meminit *Bobilanæ* Matronæ ſenatorii ordinis, cujus munificentia in S. Amantii cœnobium enituit; ob quam ibidem ſepulta eſt.

Ex his quæ ſcriptor vitæ S. Deſiderii dicit de hoc ab ipſo condito monaſterio, habemus duos ſancti Amantii abbates, *Urſicinum* & *Dadolenum.*

Neque vero ſatis fuit ſancto præſuli cœnobium iſtud excitaſſe; *aliud enim ſub ipſo adhuc Caturcæ oppido ædificavit in honore ſanctæ Mariæ ſemper virginis, cujus operis profecutorem Claudium abbatem conſtituit, ibique abbatiam gerere permiſit*, inquit laudatus ſcriptor. Is eſt Claudius abbas, quem ſanctus Deſiderius miſit ad Modoaldum Trevirenſem epiſcopum, cum litteris * & munuſculis, gratias agens quod ſe in illas oras profectum tam paterno affectu excepiſſet. II. S. Mariæ. * Ep. 14. S. Deſiderii.

Mulierum cœnobium in Cadurcenſi pago erat tempore ſancti Deſiderii, qui *Aſpaſiam* hujus loci abbatiſſam ad pœnitentiam propoſito feminæ peccatricis exemplo, vehementer cohortatur. Peccatum Aſpaſiæ occultum fuiſſe conjicimus; ſi enim notum fuiſſet, Deſiderius canonum peritiſſimus eam loco moviſſet, nec amplius permiſiſſet præeſſe. Forte parthenonis hujus præfecturam habebat Ermenana, cujuſdam monaſterii in pago Cadurcino abbatiſſa, ad quam Andulfus abbas ſancti Maxentii in pago Pictavienſi, miſit libellum de miraculis ſancti Leodegarii Auguſtodunenſis epiſcopi & martyris. Ipſa vero perſuaſit quemdam monachum Auguſtodunenſem Anonymum, ad ſcribenda ſancti Leodegarii acta, quæ Hermenario Auguſtodunenſi nuncupavit. III.

Nunc de abbatiis, quæ adhuc ſuperſunt, quamvis mutato quarumdam ſtatu, breviter eſt agendum, præmiſſo earum ſyllabo.

Moïſſiacum *al.* Muſciacum,	Ord. Bened.	S. Marcelli,	Ord Ciſter.
Figiacum,	Ord. Bened.	Garda-Dei,	Ord. Ciſter.
Marciliacum,	Ord. Bened.	Gratia Dei femin.	Ord. Ciſter.
Soliacum *al.* Sublacum,	Ord. Bened.	Bellus-locus,	Ord. S. Johan. Jeroſol.

MOISSIACUM.

Moïſſiacum vel Muſciacum S. Petri monaſterium inſigne in oppido pagi Caturcini, ordinis Benedictini, & congregationi Cluniacenſi addictum tempore S. Hugonis, nunc ſeculare, a Clodoveo primo Francorum rege chriſtiano conditum ſub patrocinio SS. apoſtolorum Petri & Pauli fertur, anno Domini DVI. cum reverteretur victor a bello Gothico contra Alaricum regem, ut memorat chronicum Moïſſiacenſe nondum typis editum. Sed Chlotario II. potius tribuendam cœnobii hujus originem cenſet Mabillonius, quia *expletum* dicitur a viris laudabilibus Anſeberto & Leutado, Deſiderio jam Cadurci ſedente, cum paulo ante *regiis impenſis initiatum* fuiſſet, ut eſt in codice Moïſſiacenſi. Imo vir eruditiſſimus illud putat a Pipino rege tantum conſtructum. In monaſteriorum cenſu Aquiſgrani facto, inter Aquitanica numeratur, & his accenſetur quæ nec dona nec militiam, ſed ſolas debent preces; haud dubie propter inopiam: pleraque enim a Saracenis fuerant deſtructa. Certe monaſterium Muſciacum nonum locum habet inter monaſteria, quæ Aſtronomus refert a Ludovico pio vel reſtaurata, vel a fundamentis ædificata. Situm eſt ad pedem montis prope confluentes Tarnis & Saræ, paulo antequam Tarnis excipiatur a Garumna: nomen traxiſſe ab Hebraïco Moys propter aquarum & fontium copiam aſſeverat Petrus Vallis-Cernaii: *Caſtrum autem Moſaici*, ait, *tum erat ad pedem montis, in quadam planitie prope fluvium Tarni in loco plurimum fertili, & amœno. Vocatur Moſaïcum a* Moys, *quod eſt aqua, eo videlicet quod dulciſſimis intus fontibus abundat.* Ad an. 631. n. 33. c. 63 hiſt. Albig.

Moïſſiacum nunc oppidum eſt, in quo præter abbatiam ſunt conventus Minorum Recollectorum; & ſororum S. Claræ, necnon collegium, ſeu gymnaſium, quod moderantur patres a doctrina chriſtiana, quam tradere profitentur, nuncupati. Incrementa hæc debet Moïſſiacum cœnobii famæ, ad quod magna confluere ſolebat populorum frequentia. Celeberrima fuit Moïſſiacenſis eccleſiæ dedicatio facta plurimis ab epiſcopis an. 1063. ut produnt antiqui verſus lapidi inſculpti in hoc templo, quos profert Guillelmus a ſancta-Cruce in catalogo epiſcoporum Caturcenſium:

Idibus octonis domus iſta dicata decembris,
Gaudet pontifices hos convenisſe celebres,
Auxius Oſtindum, Lactora dedit Raimundum,
Convena Willelmum, direxit Aginna Willelmum,
Juſſit & Eraclium non deeſſe Beorra benignum,
Elloreus Stephanum conceſſit & Adura Petrum,
Te Duranne ſuum, noſtrumque Toloſa patronum.
Reſpuitur Fulco Simonis dans jura Cadurco.
Myriades, luſtris apponens, tres duodenis,
Virgineum partum dabis orbi tunc venerandum.
Hanc tibi Chriſte Deus rex inſtituit Clodoveus
*Auxit munificus poſt hanc * domis Ludovicus.*

* hunc.

Sive Ludovici Pii, ſive aliorum regum, principum & procerum donis ita potens evaſit hæc abbatia, ut comites Toloſani ab ipſa in feudum tenerent Moïſſiacum clientelæ lege, cui etiam legi clientelari ſuberant domini de Duro-forti, de Monteſquivo, de Malanſa, & de Bruniquello, ut legitur in bulla Gregorii IX. Quatuor etiam ab hoc monaſterio pendebant abbatiæ, Lezatenſis, Exienſis S. Gervaſii, Arulenſis diœceſis Helinenſis, & Campi-rotundi in diœc. Gerundenſi.

Ex tab. Moiſſiac. Hanc autem abbatiam a regulari ſtatu ad ſecularem tranſire permiſit Paulus V. ſummus pontifex bulla data precibus Ludovici regis XIII. die 9. Julii pontificatus ſui an. XIV. Chriſti 1618. cujus executio officiali Cadurcenſi demandata eſt; hæc inter alia bulla complectitur: abbatem jus nihilominus habiturum mitram & baculum gerendi paſtoralem, corrigendi ac plectendi canonicos cum aſſenſu capituli, necnon privilegia Moïſſiacenſi monaſterio a fundatione conceſſa, eadem prorſus intacta permanſura. Bullam Pauli confirmavit Urbanus VIII. altera bulla, utramque Ludovicus rex XIII. Interceſſere tamen monachi Cluniacenſes, & ſyndicus urbis Moïſſiacenſis. At re diſcuſſa in Magno Conſilio, duplicem bullam vim habere decernitur; ſicque an. 1626. monachi in canonicos mutati ſunt.

Abbatum ſeriem, compendioſamque collegimus hiſtoriam, ex chronico, variiſque monaſterii chartis, & ex multis aliis veteribus inſtrumentis, maxime locupletiſſimi Cluniacenſis tabularii, & abbates laicos ſeu advocatos aliquandiu monaſterio potitos, quantum licuit, a legitimis ſecrevimus.

I. S. Amandus primus præfuiſſe legitur in domeſticis tabulis. Aiunt quidam ipſum poſtea traductum ad ſedem Trajectenſem. Alii eum fingunt Lirinenſem fuiſſe monachum, qui vixerit regnante Chilperico rege, anno circiter 574. Neuter autem accedit ad Clodovei I. tempora, qui obiit 511. hunc [a] abbatem expungunt Cointius & Mabillonius, ac primum dant locum inter abbates Anſberto qui ſequitur.

II. S. Anſbertus commemoratur in vita S. Deſiderii, ubi poſtquam dictum, ſancti præſulis tempore inſtitutum monaſticum apud Cadurcos cœpiſſe adoleſcere, additur: *Nam & Moiſſiacenſe cœnobium paulo ante regiis impenſis initiatum, hujus tempore a viris laudabilibus Anſberto & Leocadio* competenter expletum eſt.* His verbis tamen non excluditur prior abbas, qui præfuerit tempore, quo regiis impenſis *initiatum* eſt monaſterium. In veteri martyrologio Silvæ-majoris legitur: *pridie cal. Octobris Muſciaco monaſterio S. Anſberti abbatis.*

III. S. Leothadius laudatus in vita S. Deſiderii, ſocius Anſberti in ſtructura Moïſſiacenſis monaſterii, ipſi ſuperſtes, abbas in ejus locum eligitur. Multa huic ejuſque monaſterio prædia divendit Nizerius, cum Hermintrude uxore ſua, menſe Maio, ſeptimo anno regnante Theoderico rege III. hoc eſt juxta Cointii chronologiam an. 680. *Refertur charta in appendice ad tom. I. annal. Mabill. p.* 686. Perperam dicitur ad Auſcienſem cathedram provectus, in qua vixerit adhuc an. 718. cum a tempore S. Deſiderii, quo jam Leothadius erat Anſberti coadjutor, in monaſterii regimine ac conſtructione, uſque ad annum 718. nimium ſit temporis ſpatium.

IV. S. Paternum S. Leothadio fuiſſe ſubrogatum in abbatis officio conſentiunt Carolus Cointius & Mabillonius. Hunc factum eſſe Auſcienſem epiſcopum narranti additque Perrius in hiſt. MS. Moïſſiacenſium abbatum, oſſa ejus ante annos quinquaginta inventa fuiſſe in ſacelli infimi quodam ſepulcro, aperto juſſu Dominici de Vic archiepiſcopi; ac de illorum detectione factum fuiſſe inſtrumentum.

V. S. Amarandus ex veteri catalogo, Paterno ſucceſſit; poſt quem ſequuntur Retroaldus *al.* Petroaldus, Clodorinus, Edaranus *al.* Dedaranus, Remedius, Deodatus. Abbates iſti multa perpeſſi dicuntur a Saracenis, a quibus etiam funditus everſum legitur monaſterium. Hinc illorum abbatum ſola nomina ad nos uſque pervenere.

VI. Ermerinus vel Ermeninus præerat *maximæ congregationi*, tempore Angarii epiſcopi Cadurcenſis, qui Moïſſiaco dedit prædium in pago Caturcino ſitum juxta alveum Avarionis. Facta charta donationis an. DCCLXXIII. vel ut legendum putat Mabillonius DCCLXXXIII. Vide inter inſtrumenta.

VII. Andraldus memoratur anno VI. quo Lotharius ſumſit imperium, id eſt 846. ſi ejus imperii exordium ſumatur a morte patris.

VIII. Witardus laudatur in charta cujuſdam viri nobilis *Altonovi*, qui ipſi & monachis Moïſſiacenſibus caſtrum ſuum*Cerruticem donat, Lothario rege regnante an. VII. ſeu Chriſti 847. ut vult Mabillonius; Cui videtur Rangarius abbas præponendus Witardo, ex præcepto Pipini regis, pro Rangario abbate ac monachis Moïſſiacenſibus, dato V. anno poſt deceſſum Ludovici Auguſti. Sed corruptelæ expers non putamus hoc diploma, jamque ſuſpicionis cauſas delibavimus. Hanc auget ſuſpicionem, quod Mabillonius legerit V. *anno poſt deceſſum Caroli* &c. ubi pro Karolo noſter Edmundus Martenne legit, *Ludovici*, qui etiam legitur in ipſo fere præcepti exordio.

IX. Poſt Witardum in veteri indice ponitur Dido, cum magna abbatum ſerie quorum nomina adſcribere ſufficiat. Simpronianus. Didymus. Galſinus. Dido II. [a] Froterius. Laudricus. Andralius. Aſpaſius. Eradius. Vaſorius. Arquinarus. Bernardus I. Aquarius. Atilius. Germias Amaldus. Hugo. Raimundus I. Petrus. Duranus. Superatis his ſalebris, aliunde hiſtoriam abbatum, qui præfuerunt a ſeculo nono me-

*Lothadio

* Caſtel Cerafin, & *corrupte* Caſtel Sarafin. *ad an. 937. n. 16.*

[a] Exſtat Pipini regis Aquitaniæ præceptum, in quo meminit S. Amandi tanquam conditoris Moïſſiacenſis monaſterii, ſed falſitatis ſuſpectum: ſi enim eſt Pipini filii Ludovici pii, ut præfert, quomodo legitur datum poſt mortem Ludovici: conſtat enim Pipinum ante patrem occubuiſſe. Si ſit Pipini junioris, non potuit appellare Ludovicum ſuum genitorem.

[a] Monaſterium quod inſtauratum fuerat a Ludovico imperatore, ſub Didone II. & abbatibus ſequentibus, legitur in regiſtris vaſtatum primum a Normannis, tum ab Hungaris, itemumque a Normannis, ut obſervavit J. Vidal in tabula chronologica epiſc. Cadurc.

ad an. 732. n. 39. C. XVI. p. 36. col. 2.

dio

dio depromamus; videlicet ex variis tum hujus monaſterii, tum aliarum eccleſiarum inſtrumentis.

Eſtiennot. X. Andraldus anno 868. ſedebat quo tempore corpus ſancti Auſberti abbatis refertur.

XI. Bernardus, cui anno 6. regnante Rodulfo rege, menſe Junio Remidius & Garlindis vineam in pago Caturcino in loco vocabulo de *Vallibertmer* concedunt.

XII. Hugo I. abbas Moïſſiacenſis erat regnante Lothario rege, quo tempore Siguinus filius Dimberti & Bertanæ, & Ermerſendis uxor ejus, filia Stephani & Richeldis, pro peccatis ſuis & parentum ſuorum, Deo & congregationi Moïſſiacenſis monaſterii, filium ſuum Dimbertum offerunt cum oblatione; ut ibi fiat monachus uſque ad obitum mortis, *ubi Hugo abbas ſecundum regulam ſancti Benedicti præeſſe videtur.*

XIII. Gauſbertus præerat etiam regnante Lothario rege, quo tempore Arnaldus & Hugo ſancti Petri, alodem ſuum nuncupatum *Villabremarium* ipſi conceſſerunt.

XIV. Hugoni II. abbati Moïſſiacenſi anno 1003. regnante Roberto filio Hugonis, præſente Guillelmo Engoliſmenſi comite, & Grimoaldo epiſcopo, alodem *Colonicas* dictum in pago Sanctonico, in vicaria Mucronenſi injuſte poſſeſſum Amelia uxor Gammonis dimittit.

XV. Erloſus an. 1020.

XVI. Raimundus hoc loco ſubjiciendus videtur, utpote qui regnante Roberto rege a Mirone abbate, pro ſalute animæ Malfredi fratris ſui, alodem cum eccleſia S. Andreæ accepit. Quo etiam tempore ſimile donum a Remundo abbate obtinuit. *Hujus* (abbatis) *tempore*, ut habet fragm. chron. Moïſ. *eccleſia ſancti Petri cecidit, & paulo poſt, proh dolor, eidem cœnobio Pontius comes* (Toloſanus) *præfecit abbates milites; & primus abbas miles fuit Gausbertus; & abbas monachus eodem tempore fuit Odilo.* Qui ſibi ſubſtituit abbates ſecundarios, quales putamus fuiſſe Stephanum, & Augerium quemdam, qui videtur Duranni abbatis epiſcopi facti vices egiſſe.

XVII. Stephanus etiam Roberto rege regnante, alode qui Mons-ſancius, (forte ſanctus) dicebatur, & adjuncta S. Petri eccleſia, conceſſione Remundi Segui de la Landa donatur. Idem Stephanus præfuit etiam cum Gauſberto abbate ſeculari, regnante Henrico rege, quo tempore Bernardus monachus maternam hereditatem monaſterio Moïſſiacenſi conceſſit. Ceterum Gauſbertus, quem aliquando legimus fuiſſe abbatem, erat vir potens ex præcipuis proceribus aulæ Pontii comitis Toloſani, qui emerat jus *Advocatiæ* monaſterii, cujus vocatur *princeps*, & ſecundus a comite in abbatia, ut exſtat in diplomate præfati Pontii, pro unione Moïſſiaci cum Cluniaco; quod damus inter inſtrumenta. Ipſi ſubjungimus litteras ejuſdem Gauſberti jus ſuum cedentis S. Hugoni abbati Cluniacenſi ejuſque ſucceſſoribus. Attamen poſt Gauſbertum, Bertrandus legitur abbas ſecularis an. 1073. quo ſcilicet *advocatiæ* ceſſionem factam olim abbati Duranno a Pontio comite, ratam habuit.

C. XVIII. p. 37. col. 1. & C. XIX. col. 2.

XVIII. [a] Durandus monachus Cluniacenſis, præerat 1052. indict. 5. quo anno Bernardus & Guillelmus de Doeza fratres, Cluniacenſi & Moïſſiacenſi monaſteriis, atque Durando abbati mediam partem eccleſiæ ſancti Dionyſii in pago Agennico ſitæ, Seguinus vero de *Illevolveno* quartam ejuſdem eccleſiæ partem, præſentibus Bernardo Agennenſi, & Arnaldo Lactoratenſi epiſcopis conceſſerunt. Idem Durannus abbas 1055. eccleſia de Duravel aſſenſu Fulconis epiſcopi Caturcenſis donatur. Hic Durandus factus poſtea epiſcopus Toloſanus abbatiam nihilominus Moïſſiacenſem retinuit, ut conſtat ex donatione monaſterii ſancti Genii Lactoratenſis facta Duranno epiſcopo & abbati anno 1059. cujus donationis charta exhibetur inter inſtrumenta. Abbatiam adhuc retinebat an. 1061. quo Guillelmus Toloſanus comes aſſenſu Fulconis Cadurcenſis epiſcopi, petente viro nobili Bernardo Gauzelini, & filiis ejus Arnaldo abbate ac Gauzelino in manu *Duranni epiſcopi & abbatis*, Moïſſiacenſi cœnobio eccleſiam S. Petri juxta caſtrum *Chos* in pago Caturcino conceſſit. Idem ſignificat hic verſus inſcriptionis, cujus ab initio meminimus:

C. XVII. p. 36. col. 2.

Te, Duranne, ſuum noſtrumque Toloſa patronum.

Anno etiam 1066. Rigaldus quidam eccleſiam SS. Johannis & Leodegarii vulgo dictam *Veirangas* in pago Arvernico præfato monaſterio Moïſſiacenſi, & *domno Duranno epiſcopo, qui nunc ibi abbatis fungi videtur officio*, conceſſit. Eidem quoque epiſcopo & abbati Duranno Willelmus Toloſanus comes filius Pontii comitis, & Adalmodis ejus mater, alodem S. Petri de Coquinas donaverunt. Iſte Durannus fratrem habuit Bernardum Henrici, qui in pago Arvernico eccleſiam de Bredoms poſſidebat, quam Moïſſiaco Guillelmus vicecomes de Caſtello-murato, pro anima Girberti patris ſui conceſſit. Accepit abbatiam Vabrenſem regendam ſub congregatione & diſciplina Cluniac. an. 1062. quod tamen effectu caruit; hanc enim abbatiam eodem anno datam S. Victori Maſſilienſi certo ſcimus. Perveniſſe autem videtur uſque ad annum 1072. quo, die feſto ſancti Petri ad vincula, Siguinus cognomine Aimericus, & Guillelmus Boſco conſobrinus ejus, redituum ſuorum, & eccleſiæ de *Marcels* donationem Raimundo monacho primo factam in manu Duranni ipſius loci abbatis, firmaverunt. *Hic abbas*, inquit chronici Moïſſiacenſis fragmentum, *acquiſivit abbatiam Exienſem, Lezatenſem eccleſiam beatæ Mariæ Deaurata, Villam de Coquinis*, (S. Pierre de Cuyſines, *&c.*) Pro ſancto habetur & colitur in monaſterio Moïſſiac. De eo necrol. vetus ſic habet. VIII. *idus Maii depoſitio Durandi ſimul epiſcopi & abbatis.*

Ex chron. Moiſſiac. Vide prolegom. Dom. Arvern. Baluz. p. 51.

XIX. *Hunaldus de Bearn* Centulli comitis Bearnenſis frater, vicecomes de Brulheſio ex diviſione hereditatis, veſte induitur monaſtica 1062. Vivente S. Hugone Cluniacenſi abbate

[a] Cui nonnulli cognomen *de Breden* accommodant; atque præfuiſſe ab an. 1047.

pedum paſtorale ſuſcepit, virtutis & probitatis merito, æque ac proſapiæ ſplendore clarus. Nuncupatur eloquentiſſimus in actis relationis miracul. S. Hugonis. Erat abbas 1079. ex charta Morlanenſi; ceſſit autem monaſterio Moïſſiacenſi eccleſ. S. Martini in villa Aleirag *, S. Saturnini, S. Petri de Caſale, ceteraſve in veteri documento recenſitas, pro redemtione animæ patris Rogerii, fratris Hugonis, & matris ſuæ. Subſcripſit & diplomati Guillelmi Toloſatum comitis, quo expulit canonicos ab æde S. Saturnini Toloſæ, & monachos eorum loco introduxit anno 1083. 10. calend. Auguſti.

* Leirac.

Hunaldo abbati anno 1073. Bertrandus abbas ſecularis confirmat ceſſionem defenſionis monaſterii Moïſſiacenſis olim factam Duranno abbati a Pontio comite, ac Adalmode ejus uxore, & eorum filiis. Statim autem ac factus eſt abbas, decimationes varias a ſecularibus hactenus poſſeſſas pretio redimere cogitavit, qua de re teſtamentum condidit anno 1073. inter inſtrumenta relatum. Anno vero 1074. donum eccleſiæ ſancti Saturnini in pago Caturcino excepit ab Artmaro & Ademario vicecomite, & Pontio a ſancto Petro; & an. 1076. donum eccleſiæ Chriſtinachi in pago Agennenſi. Eidem etiam Guillelmus comes Toloſanus 1077. hortum, fontes & viridarium in parochia de Vendalor, conceſſit. Quo item anno Fidis comitiſſa Narbonenſis, eccleſiam ſancti Petri de Sermur cum multis prædiis ei donavit, cujus donationis charta infra inſtrumentis addita. Anno 1078. Bernardus comes Biſuldunenſis in manu Hunaldi abbatis conſobrini ſui tres abbatias Campi-rotundi, Arulenſem, & ſancti Pauli de Oleis, Hugoni abbati, ac monaſterio Cluniacenſi ſubjecit, ad diſtrictioris diſciplinæ normam reformandas, cujus conceſſionis chartam integram damus infra inter inſtrumenta. Sedebat adhuc 1083. Hunaldus abbas, quo anno Armannus & Adermarius vicecomites monaſterium ſubtus caſtrum Brunechildum in pago Caturcino fundaverunt, Cluniacoque ac Moïſſiaco, eorumque abbatibus Hugoni & Hunaldo ſubdiderunt, ut docet ipſius fundationis inſtrumentum ſubjectum eodem loco. Denique anno 1084. ſubſcripſit litteris Willelmi Auxitani archiepiſcopi, & Remundi Lactoratenſis epiſcopi pro Cluniaco. An. 1091. obiiſſe dicitur (ſed tardius, ut infra videbimus) & Alairiaci, (*Leyrac*) ſepulturam accepiſſe in monaſterio ſancti Martini abs ſe condito & dotato, ubi cella eſt ordinis Cluniac. etiamnum conventualis, in diœceſi olim Aginnenſi, nunc Condomienſi. Illic ad ejus tumulum lampas olim jugiter ardebat.

Ch. XX. p. 37. col. 2.

Ch. XXI. p. 38. col. 2.

Ch. XXII. p. 39. col. 1.

C. XXIII. p. 39. col. 1.

XX. Anſquitinus abbas Moïſſiacenſis, occurrit primum an. 1085. in charta Gaufredi de Roviniano, Caritatis ejus uxoris, & filiorum eorum Centulli, Arnaldi & Maſcharelli, de dono eccleſiæ S. Lupi in agro Agennenſi, & in dono eccleſiæ S. Severini de Moiſſiac a Raimundo Bernardo & Odgario fratribus facto Moſiaco, & Anſquitillo abbati. Sedente Urbano papa II. donatur etiam eccleſia de Godervilla. Anno 1091. Antonium filium Bernardi & Blanchæ recepit in monachum. Tribus poſt annis ſcilicet 1094. Willelmus Traucaprettus dictus, & Petrus ejus frater, Anſquitino ſeu Anſquitillo (utroque enim modo legitur) eccleſiam ſanctæ Mariæ de Buxa, dederunt. Circa idem tempus Urbanus papa II. ad Guillelmum comitem Toloſanum ſcripſit in gratiam Anſquitini abbatis, cujus dignitatem Unaldus monachus invadere tentaverat. Has litteras integras ſuo loco ſubjicimus. Alias habemus ejuſdem ſummi pontificis an. 1097. ad Iſarnum Toloſanum, Simonem Agennenſem, Geraldum Caturcenſem, & Raimundum Lectoratenſem epiſcopos, pro monaſterio Moïſſiacenſi infra referendas. Eodem anno 1097. Iſarnus Toloſanus ratam habuit donationem eccleſiæ de Magraduni, factam Anſquitino abbati, qui anno 1100. tranſigit cum Seguino & Bernardo filiis Bernardi de Vologul. Sequenti anno Remundum Caturcenſem vicecomitem ad converſionem venientem recepit, atque ab eo, annuentibus duobus ejus filiis Pontio, & Petro vicecomitibus, duabus eccleſiis apud Calſzadam donatus eſt, cujus conceſſionis chartam integram referimus. Varias præterea excepit donationes, memoraturque in variis chartis 1103. 1104. 1107. Ex quadam inſcriptione in tab. marmorea hujus abbatis tempore factum eſt clauſtrum an. MC.

C. XXIV. p. 40. col. 1.

C. XXV. ibid.

C. XXVI. p. 40. col. 2.

XXI. Rogerius regnante adhuc Philippo rege ſedere cœpit, ſub cujus regno eccleſiam d'Enazac Grimaldo de Monte-Valcanno ad vitam ea lege concedit, ut infra decem annos eam reſtauret. Anno 1119. Bernardus vicecomes Biterrenſis, & Cæcilia ipſius uxor, ejus implorant opem, ad inſtaurandum ordinem monaſticum in cœnobio B. Mariæ Soracenſis, ex eorum litteris datis menſe Maio feria v. A Gauſberto Fumel abbate ſeculari, præſente Ildefonſo comite Toloſano, accepit in pignus reditum annuum, quem ille de Moïſſiaco percipere ſolebat, pro mille ducentis vigenti quinque ſolidis monetæ Cadurcenſis an. 1125. De eo vetus lectionarium ſic habet: *Tempore domini Rogerii abbatis corpus S. Cypriani tranſlatum eſt, III. nonas Julii de loco Vallium in diœceſi Caturcenſi, ad abbatiam regalem quæ Moyſacus nuncupatur, ubi nunc honoratur & colitur, &c.*

Tabul. caſſin. Fun.

Ad eum ſcripſit hanc epiſtolam Petrus de Mont-boiſier abbas Cluniacenſis.

Venerabili & dilecto fratri domino Rogerio abbati Moiſſiacenſi, frater Petrus abbas Cluniacenſis ſalutem & dilectionem. Prapoſitus ſancti Stephani Toloſana ſedis de fratribus ſanctæ Mariæ querimoniam in concilio feciſſet, ſi non illum compoſuiſſemus, promittentes eidem juſtitiam de fratribus prædicti loci. Mandamus igitur vobis, ut fratres ipſos cum canonicis judicium juſtitiæ ſubire faciatis, & quod æquitas judicii dictaverit, ita teneri ac proſequi, ut non ſit unde merito querimoniam debeant facere. Sic enim illis promiſimus, & ſic fieri volumus atque præcipimus.

Ad hunc etiam ſpectat Ildefonſi comitis Toloſani charta iſta:

NOtum ſit omnibus hominibus, quod ego Ildefonſus comes Toloſæ, feci contra fas & contra jus quod facere non debui, quia miſi ſine conſilio domini abbatis Moyſſiacenſis, & ſine conſilio congregationis illius loci, militem dictum abbatem in villa illa, & in honoribus & in caſtris quæ procedunt ad locum S. Petri: & nunc, quia tunc puerilis ſenſus erat in me, recognoſco me culpabilem coram Deo & ſanctis apoſtolis Petro & Paulo, & coram Domino meo Amelio Toloſano epiſcopo, & coram domino Rogerio abbate, qui modo locum præfatum S. Petri regit, quod nunc hanc electionem reddo domino dicto, & ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo, & domino Rogerio abbati, & omnibus monachis qui modo ſunt ibi & futuri erunt, ut jam amplius nullus comes Toloſanus ordinet militem dictum abbatem in honore S. Petri, neque in terra illa, neque in caſtris ſine conſilio & conſenſu domini abbatis monachi, & omnium fratrum illius loci. Hanc chartulam juſſi ego Ildefonſus comes facere, quod quicumque eam confringere voluerit, de maledictionibus Datan & Abiron particeps ſiat. Facta charta iſta in menſe Julio ſub die feria quinta, regnante Ludovico rege. Videntes ſunt Rogerius comes Fuxenſis, Raimundus de Duno, Jordanus de Roquefort. Signum Guillermus abbas Lezatenſis.

XXII. Guicardus anno 24. regnante Ludovico rege, id eſt 1131. excipit donum Leodgarii & Albergæ alodem ſuum in villa de Linars, ad monaſterii luminaria concinnanda, & tres eccleſias in pago Arvernico, ſcilicet ſancti Hilarii ſuper flumen Elenionis & Elenchæ, S. Euſtaziæ, & S. Saturnini in villa Avolvil concedentium ad victum monachorum.

Chartul. Moiſſiac. XXIII. Willelmus an. 1135. communitatem ſtatuit in villa ſancti Nicolai, & ſtatuta edidit pro bono ipſius regimine. Pepigit cum Viviano epiſcopo Lactorenſi, juvante Willelmo Auſcienſi archiepiſcopo. Seguinus de Volvenis ceſſit ipſi omne quod habebat in honore de Pomerio vico, aſſentientibus Bern. de Monteſquivo Bern. de Caſtanerio, & aliis.

XXIV. Geraldus abbas 1140. laudat donum Arnaldi Arvei Cellararii Petro de Bartela factum. Præerat adhuc annis 1145. & 1147. Huic Odo vicecomes fecit ſacramentum pro villa S. Nicolai.

Tab. B. M. Deaurat. XXV. Philippus de Roca-forti gente nobili in Aginnenſi pago natus præeſt an. 1155.

XXVI. Robertus de Alba-rocha, a Petronilla vicecomitiſſa excipit donum decimarum omnium quæ poſſidebat in parochia de Biule. Charta hujus doni nota temporis deſtituta eſt, ſed in chartulario occurrit Robertus an. 1164.

XXVII. Bertrandus an. 1165. paciſcitur cum Bertrando Bolliaci abbate, G. exiſtente archiepiſcopo Auxitano. An. 1185 &c. eccleſiam de Cutzac ſub annuo cenſu 10. ſolidorum Geraldo abbati Cancellatæ concedit. An. 1188. Unaldo clerico S. Martini de *Chriſtinag* eccleſiam ſub annuo quoque cenſu donat. An. 1190. teſtis fuit

A confirmationis privilegiorum Silvæ-majoris factæ a Richardo Anglorum rege, & duce Aquitaniæ. An. 1193. Raimundo d'*Albiac* in commendam concedit honorem de Garda, S. Mamerti & de *Marcels*. *Chart. S. map.*

XXVIII. Raimundus cognomento *de Proeto*, præerat anno 1199. quo Bernardus Sequi Campi-rotundi abbas, ipſi obedientiam promiſit. Cum Raimundo comite Toloſano, & Narbonæ duce atque Provinciæ marchione concordiam iniit, in qua comes caſtrum Moïſſiacenſe a prædicto abbate tenere ſe cognoſcit, pro quo annuum ei obolum aureum debebat. An. 1200. die Jovis ante ramos hora 1. idem dux & comes concedit ei omnimodam juriſdictionem altam & baſſam, corporis, membrorum, ſanguinis, &c. in loco dicto de Catalens. Chartam damus inter inſtrumenta. Raimundo abbati ad opus beatæ Mariæ Deauratæ, eccleſiam S. Michaëlis de Caſtello cedit Geraldus abbas Cluſinus, pro pretio centum marcharum argenti ad pondus Trigarum, an. 1214. ſed quidam volunt alium fuiſſe Raimundum, cui cognomen erat de *Luzechio*. *C. XXVII. p. 41. col. 1.*

XXIX. Augerius an. 1214. die 9. Novembris Bertrando domino de Duro-forti, quaſdam decimas ſub certis conditionibus dimittit.

XXX. Raimundus de Roffiac promiſit obedientiam Guillelmo abbati Cluniacenſi menſe Februario 1214. ſeu 1215. juxta hodiernum morem. Ejus juramenti formulam hic exhibendam duximus:

NOtum ſit omnibus præſentes litteras inſpecturis, quod ego R. humilis Moiſſiacenſis abbas, tactis ſacroſanctis evangeliis juravi in præſentia venerabilis patris noſtri domni Guillelmi Cluniacenſis abbatis, ſtare preciſe abſque omni reclamatione, mandato ipſius abbatis Cluniacenſis, tam ſuper renuntiatione abbatiæ Moiſſiacenſis, quam ſuper correctione & ordinatione, & ſuper aliis querelis contra me propoſitis. Coram ipſo hoc idem juraverunt ſocii noſtri Robertus & Petrus quantum in ipſis eſt ſe ſervaturos, in cujus rei teſtimonium præſenti cartulæ ſigillum noſtrum appoſui. Rogavimus etiam venerabiles viros H. de Charitate, & ſ. ſancti Martini de campis priores, & magiſtrum R. decanum Cluniacenſem, & magiſtrum Johannem Galenum canonicum Bituricenſem archidiaconum de Umſena, & magiſtrum Aimonem, qui præſentes erant, ut litteris præſentibus ſigilla ſua apponerent, & ea ipſi rogatu noſtro appoſuerunt. Actum an. gratiæ MCC. *quarto decimo menſe Februario.*

Raimundus eodem an. 1215. excepit hominium Guillelmi Calveræ. Anno ſequenti cum Veſia vicecomite Leomaniæ tranſigit. Hominium A. * ducis Narbonæ, comitis Toloſani, & domini Montis-fortis recepit 1218. cujus inſtrumentum damus in appendice. * Arnaldi. *Charta XXVIII. p. 41. col. 1.*

XXXI. Fr. W. domini papæ capellanus abbas Moïſſiacenſis appellatur in inſtrumento eccleſiæ Sarlatenſis, datum Moïſſiaci III. idus Novembris an. Domini MCCXXV. ex quo diſcimus ipſum a ſummo pontifice fuiſſe delegatum unicum judicem, pro componenda controverſia inter Alfonſum comitem Pictavienſem & Toloſanum, ac Heliam abbatem Sar-

latenſem. Anno 1226. litteris ſuis condonat incolis oppidi offenſam omnem quam vendendo Moïſſiacum Raimundo comiti Toloſæ, ipſi intuleranr.

XXXII. Raimundus de Monte-peſato, cum eſſet abbas Lezatenſis, poſtulatur ab H. priore Moïſſiacenſi & monachis, litteris ſcriptis ad abbatem Cluniacenſem, in quibus maxima dona virtutum hujus præſtantiſſimi viri recenſentur, & multa alia ſcitu digniſſima; unde & eas e tabulario Cluniacenſi deſcriptas excudi curavimus inter inſtrumenta. Sedebat an. 1229. quo Berengarius de Maccaneto Campirotundi, & Geraldus de Relhaco Exienſis abbas obedientiam ei ſolemniter promiſerunt, coram Bernardo de Saranta Lezatenſi abbate, & Arnaldo Berenger Arulenſi. Hoſpitale ſubtus Moïſſiacum in loco qui *ad Punctam* dicebatur, fundavit an. 1232. Monaſterium Exienſe an. 1236. viſitavit.* Cum Bernardo abbate Lezatenſi contendit ſuper jure electionis abbatis Lezatenſis 1238. Electionem P. de Curtibus abbatis Campirotundi, confirmat, qui viciſſim ſuperioritatem ejus agnoſcit 1243. Obiit an. 1245. ex necrologio, ubi legitur: *Obiit an.* MCCXLV. *dominus Raimundus de Montepeſato abbas, & hoc ipſo anno dominus Guillelmus de Beſſens ...* * *rexitque annis* XVI. Ceterum ante mortem abdicare conatus eſt, minus idoneum ſe judicans, præ animi demiſſione, ad paſtorale onus ſuſtinendum. Argumentum eſt epiſtolarum quas hic damus.

C. XXIX. f. 41a l. 2.

* f. electus eſt.

Epiſtola Raimundi abbatis Moïſſiac. ad W. abbatem Cluniacenſem, qua regiminis onus abdicat.

*Vuillelmo.

Venerabili patri ac domino W. Dei gratia abbati Cluniacenſi, Remundus abbas Moïſiacenſis, cum omni reverentia & devotione. Quia timemus, ne Moiſiacenſis eccleſia ſub regimine noſtro tum propter malitiam temporis, tum propter diſcordiam, tum propter inſolentiam monachorum, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus graviter collabatur, animæ noſtræ ac dictæ eccleſiæ conſulere cupientes, abbatiam ipſam in manibus veſtris abrenuntiamus, & ut eandem abrenuntiationem acceptare dignemini, humiliter poſtulamus a vobis.

Epiſtola R. abbatis Moïſſiac. priori & conventui Cluniacenſi, in qua dimittit abbatiam & dimiſſionis cauſas deſcribit.

Raim. de Monte-peſato.

Religioſis viris & patribus ſuis in Chriſto carijſimis priori Cluniac. & toti ſacro ejuſdem conventui, frater R. dictus abbas Moiſiac. ſalutem cum omni ſubjectione, reverentia, obedientia, & honore. Cum in aliis litteris, quas veſtræ ſanctitati tranſmittimus *, *per cariſſimos noſtros B. de ordine & G. decanum Cluniacenſem, propoſitum noſtrum ex certa ſcientia non duxerimus revelandum, ne videlicet occaſione hujuſmodi revelationis aliquid poſſit ab aliquibus, ſuper futura electionis negotio, attemptari. Ne tamen ſuper tanto facto vos teneamus diu ſuſtra ſuſpenſos, pro certo vobis ſignificamus, quod præter alios magnos defectus quos patimur, tanta corporis debilitate laboramus, quod in tanta eccleſia, & in membris ſuis tam longe lateque diffuſa, inſufficientes & impotentes ſumus ad exercendum officium paſtorale. Ideoque paternitati veſtræ, inſtantia quanta poſſumus ſupplicamus, non inſtante* * *electione de perſona noſtra facta, eccleſiæ viduatæ de paſtore curetis idoneo providere, habentes nos in hac parte miſericorditer excuſatos. Datum Moiſſiac. IX. kal. Aprilis an. ab incarn. Domini* MCCXLIV.

* t. transmiſimus.

* f. ſtante vel obſtante

a Cum audiſſet hic abbas R. epiſcopum Agennenſem viſitaſſe abbatiam Exienſem, ſacramentum a monachis exegiſſe, nonnullaque ita ſtatuiſſe, monaſterium adiit, Montis albani, & Manſi de Virodano abbatibus locis adhibitis, abbatique ac monachis hoc factum exprobravit, qui ſe coactos id egiſſe confeſſi ſunt IV. nonas Aprilis 1236.

Tempore Raimundi Gregorius IX. bulla data XV. calendas Auguſti an. 1240. in tutelam S. Sedis ſuſcepit monaſterium, decernens ut ordo monaſticus in eo *perpetuis temporibus obſervetur*. Vide bullam hanc inter inſtrumenta. Mortuo Raimundo, P. tertius prior in ordine Cluniacenſi, & conventus Moïſſiacenſis ſuis litteris tum ad abbatem tum ad conventum Cluniacenſem, petierunt licentiam eligendi ſucceſſorem, an. 1245. Has conſule ibidem ex tab. Cluniac. deſcriptas.

Chartæ XXXIII. p. 42. col. 2.

C. XXX. & XXXI. col. 2.

XXXIII. Guillelmus de Beſſens 1246. menſe Aprilis, occurrit in veteri inſtrumento, quo Arnaldus Hodz Lomaniæ vicecomes ratum habet pactum, quod cum Bermundo de Mont-pezat contraxerat de honore S. Nicolai. Monaſteria Campirotundi, & Arulenſe viſitavit 1248. P. abbatem Campirotundi 1249. depoſuit IX. cal. Junii, & die 15. Junii ejuſdem anni rogatur ut confirmet electionem Guillelmi Arulenſis camerarii in dejecti locum ſubrogandi. Super lite quam cum Geraldo epiſcopo Lectoratenſi de limitibus quarumdam parochiarum habebat, compromittit in Raimundum de Caro-monte 1256. Viam univerſæ carnis ingreſſus eſt in vigilia aſſumtionis B. Mariæ 1260.

XXXIV. Bertrandus de Monte-acuto, filius Arnaldi, cujus mors conſignatur in tabulis die 5. Februarii 1276. electus eſt an. 1260. in vigilia aſſumtionis beatæ Mariæ. Cum Guillelmo epiſcopo Agennenſi compromittit ſuper ſubjectione Exienſis monaſterii, in Stephanum Biterrenſem, & Guillelmum de Clucello canonicos Agennenſes 1261. Bertrando vicecomiti de *Bruniquel* 1265. in fevum medietatem juſtitiæ & ditionis *de la Salvetade*, & totius parochiæ S. Petri de *Majuze*, ea lege concedit, ut inde ſibi præſtito hominio ſingulis annis aureum Morbatinum Moïſſiaco ſolvat. Alfonſo Pictavienſi & Toloſano comiti mediam partem villæ de *Garduna* concedit 1266. quo etiam anno cum eodem comite tranſegit ſuper urbis Moïſſiaci juſtitia. Hominium Stephani del Poget excepit 1273. Memoratur etiam in variis actis 1274. & 1275. Prioratui de Serinaco, eccleſiam S. Martini de Cultur uniri ab epiſcopo Toloſano procurat 1281. in cujus litteris ipſe appellatur domini regis conſiliarius. Certe hoc nomine tenuiſſe cum duobus aliis parlamentum Toloſæ annis 1287. 88. 89. & 91. memoratur. Ab Honorio IV. ſummo pontifice delectus eſt ut Grandi-montis ordinem reformaret. An. 1286. Bertrando abbati Exienſi, nomine Bertrandi de Inſula epiſcopi Toloſani,

Ex annal. Grandi-Mont.

ſolvit libras quinquaginta pro anniverſario Indiæ matris prædicti epiſcopi. Cum Raimundo abbate Cluſano permutat prioratum S. Anaſtaſii, pro prioratu ſanctæ Mariæ de la Salvetat, & prioratu S. Gabellæ 1291. Vitam præſentem æterna commutavit 1295. De eo ita fragmentum necrologii: *Electus eſt abbas ... an. 1260. præfuit annis* 37.* *Pene totam abbatiam ædificavit .... erat doctor decretorum, & homo facundiſſimus, & in temporalibus & ſpiritualibus circumſpectus, & regum Franciæ, qui ſuo tempore fuerunt, conſiliarius .... fratrem habuit Gallardum abbatem Figiaci.* Ipſe Bertrandus huic abbatiæ præfuerat ex tab. Cluniac. ubi etiam legitur quod factus abbas Moïſſiacenſis ſe excuſavit, quod non adfuerit capitulo generali an. 1263. 67. 78. 83.

* f. 33.

XXXV. Guillelmus de Duro-forti electus eſt an. 1293. ſed ejus electioni interceſſerunt monachi Moïſſiacenſes,* in capitulo Cluniacenſi; fruſtra tamen, etenim abbatiæ poſſeſſionem adeptus eſt. Nec mirum, cum in curia Romana, gratia plurimum valeret, unde poſtea fuit capellanus Clementis papæ V. ex ejuſdem papæ litteris ad Philippum regem Franciæ de gravaminibus eccleſiæ Galliæ, ſcriptis v. cal. Aug. an. 1. ejus pontificatus, hoc eſt 1305. Idem poſtea factus eſt ab eo epiſcopus Lingonenſis, ut videre eſt in epiſcopis hujus ſedis. Ceterum ut abbas Moïſſiacenſis an. 1301. memoratur in ſententia arbitraria inter ipſum & Petrum epiſcopum Lactoratenſem, qua media pars decimarum & redituum capellæ de Moteto epiſcopo adjudicatur, & altera abbati; quam ſententiam confirmavit Remundus Petri ſucceſſor 1304. Quo anno Amuſtanus de Garanduno domicellus Guillelmo abbati cedit decimas de Dorſo. Idem Guillelmus Bertrando de Caſtanherio nepoti ſuo prioratum de Lorſo contulit eodem anno 1304. Quædam ſtatuta ſuper veſtibus monachorum condidit 1305. Ex epiſcopo Lingonenſi factus eſt archiepiſcopus Rotomagenſis, ut docet fragmentum necrologii, ubi quoque legitur fundaſſe an. 1306. anniverſarium pro fratribus ſuis domino Geraldo, & Bernardo priore B. Mariæ Deauratæ.

* qui forte elegerunt Petrum notarium in chartul. Savigniaci an. 1258.

XXXVI. Augerius de Duro-forti an. 1306. electus, an. 1312. viſitat cœnobium B. Mariæ Deauratæ. Exſtant ad eum Henrici Campirotundi abbatis litteræ datæ an. 1317. quibus excuſat ſe quod occupatus auctoritate apoſtolica in inquirendis limitibus epiſcopatus Limoſi recens creati, non poſſit intereſſe Moïſſiaci capitulo generali. Anno 1319. confirmat inſtitutam in monaſterio B. Mariæ Deauratæ miſſam ſolemnem de *Beata Maria* ſingulis ſabbatis celebrandam. Obiit an. XVIII. Johannis papæ XXII. ſeu Chriſti 1334. Ex necrologio electus an. 1306. rexit an. 26. ubi cognominatur *de Duro-forti.*

XXXVII. Raterius de Lenaco, *al.* de Lautrice *al.* de Venaſco ſedebat anno 1338. Idem anno 1352. appellat ad ſedem apoſtolicam a ſententia excommunicationis lata ab abbate Trenorchienſi in eos qui impoſita a capitulo generali Cluniacenſi ſubſidia ſolvere recuſabant. Præfuit ad an. x. Innocentii papæ VI. hoc eſt Chriſti 1361. cum fuiſſet donatus abbatia bulla Johannis papæ XXII. an. 18. ejus pontificatus, Chriſti 1334. Juxta necrologium prius fuerat abbas S. Victoris Maſſilienſis. Ex ſchedis doctiſſimi Suarezii, & actis pontificii Avenionenſis anno 1361. ſponte ceſſit, cum rexiſſet annos 27.

XXXVII. Fredolus de Lautrice e priore Villænovæ diœc. Ruthenenſis, cedente pedum Ratherio de Lenac, fit abbas Moïſſiac. bulla apoſtolica Innocentii papæ VI. an. pontificatus x. Avenione data. Præfuit autem ad an. 1. Greg. XI. quo obiit, hoc eſt ad an. 1370. ex act. pontif. Avenion. An. 1366. 28. Maii cameræ apoſtolicæ ſolvit communia ſervitia; item an. 1370.

XXXIX Bertrandus Roberti, & ipſe prior Villænovæ diœc. Ruthen. mortuo Fredolo, abbas Moïſſiac. brevi apoſtolico Greg. papæ XI. Avenione an. pontificatus 1. dato inſtituitur, e familia dominorum de Roberto oriundus, ex ſerie MS. abbatum Moïſſiacenſium.

XL. Aimericus de Peiraco 1371. a Petro Campirotundi abbate, exigit rationem adminiſtrationis ſuæ. Bernardi de Roquemadour abbatis Exienſis ſacramentum fidelitatis excipit 1377. & an. 1402. eumdem emendat. An. 1386. compoſuit cum Seguino de Roſeto abbate Bellæ-Perticæ. Solita ſervitia ſolvit cameræ apoſtolicæ 1388. Matthei Royadas novitii Campi-rotundi vota ſolemnia permittit admitti 1403. ſcripſit vitam quartam Urbani papæ V.

XLI. Remundus de Vajraco in decretis licentiatus, prior B. Mariæ Deauratæ, Aimerico ſubrogatur, cujus electionem pontificatus ſui anno 13. ratam habuit Benedictus XIII. III. idus Januarii, id eſt 1407.

XLII. Guido de Vairaco ab anno 1419. ad 1422. ſi fides cuidam catalogo MS. debeatur.

XLIII. Aimericus de Rupe-Maurelli 1434. prioratum S. Leopharii confert Jacobo Joculatori, & 1438. prioratum de Bruniquello Petro de Caramanno. Prioratum de Cuquomonte cellarii officio univit 1444. Epiſcopus Montis-albani electus 1445. abbatiam retinuit in commendam* uſque ad 1449. quo obiit ſepultus in eccleſia Moïſſiaci 16. Octobris.

* In quodam actu reformationis anni 1447. die 6. Junii appellatur adminiſtrator perpetuus. Vide chartam XXXII. p. 42.

XLIV. Petrus de Caramanno electus 25. Octobris 1449. cujus electionem confirmavit Jacobus de Monſiaco vicarius generalis Odonis abbatis Cluniacenſis 28. Januarii inſequentis. Decimas eccleſiaſticas in diœceſi Mont-albanenſi an. 1456. exigebat ex delegatione Triſtandi de Aura Conſeranenſis epiſcopi.

Statuta pro monaſterio Campi-rotundi condit an. 1460. A Sixto papa IV. bullam obtinuit 1481. cujus auctoritate a juriſdictione Jacobi abbatis Cluniacenſis ſolvitur.

Fuit etiam abbas Galliacenſis. An. autem 1484. abbatiam Moïſſiacenſem tranſcripſit Antonio de Caramanno nepoti ſuo.

XLV. Antonius de Carman Petri nepos an. 1490. 1492. 1499.

XLVI. Antonius de Narbonne, cujus proventus intercepti ſunt jubente rege an. 1516. quod ipſo invito abbatiam nepoti ſuo in manibus papæ reſignaſſet.

XLVII. Johannes de Narbonne Antonii ex fratre nepos, jam an. 1524. An. 1532. cauſa excidit quam adverſus quoſdam e monachis ut refractarios habebat. Anno 1559. ſolemne funus Johannis Des-prez Montalban. epiſcopi cum pontificalibus indumentis in ipſa principe eccleſia celebravit. Abbatiam, permittente rege, epiſcopatu Biterrenſi commutavit an. 1543. cum Joanne de Letes Johanis Des-prez nepote.

XLVIII. Johannes de Letes, ex permutatione, ut dictum eſt, monachos ad numerum 30. contraxit, qui nobiles forent. Cum iiſdem tranſegit annis 1543. & 1544. quam tranſactionem Paulus III. ſummus pontifex bulla confirmavit VII. cal. Junii, an. 1. ſui pontificatus. Eam quoque rex ratam habuit, annoque 1556. Johannes abbatiam ſuam cardinali Guiſio reſignavit, quo facto Catholicam fidem abjuravit.

XLIX. Ludovicus de Lorraine S. R. E. cardinalis, abbas cœnobiorum S. Dionyſii, Fiſcamni, S. Remigii, Dervenſis, &c. & Moïſſiaci an. circiter 1560. deinde Remenſis archiepiſcopus, Moïſſiacum poſſedit ad an. 1578. quo germano pedum ceſſit.

L. Carolus de Lorraine S. R. E. cardinalis, dictus de Vaudemont, cedente Ludovico, pedum cœnobii Moïſſiac. aſſumit an. 1578. geritque ad annum 1597.

LI. Franciſcus de Valette de Cornuſſon, alterius Franciſci de Valette Cornuſſon epiſcopi Vabrenſis, & Johannis ſummi magiſtri Melitenſis ordinis ſancti Johannis Hieroſolymitani nepos, abbas Moïſſiac. nominatur an. 1597. An. 1600. mortuo patruo factus eſt epiſcopus Vabrenſis. An. circiter 1610. pedum ceſſit nepoti cognomini.

LII. Franciſcus epiſcopus Vabrenſis abbatiam obtinebat 1618. adſcito ſibi coadjutore Franciſco epiſcopo Philadelphienſi, tam epiſcopatus quam abbatiæ Moïſſiacenſis. Uterque eo anno egit apud pontificem maximum Paulum V. ut vita regularis in monaſterio exſtingueretur, canonicis in locum monachorum ſubſtitutis.

LIII. Julius Mazarini S. R. E. cardinalis, regni Franciæ adminiſter primus, Moïſſiaci commendam habet ad annum 1662.

LIV. Arnaldus S. R. E. cardinalis Ateſtenſis (*d'Eſt*) regit ad an. 1672. quo Mutinæ obiit II. cal. Octobris.

LV. Johannes-Franciſcus d'Eſtrades filius Godefridi comitis d'Eſtrades Franciæ mareſcalli, nobilitate generis, eruditione, facundia, peritia in tractandis regni negotiis clariſſimus, meritoque ſuſpiciendus, adhuc ab anno 1672. præeſt hoc anno 1714. Variis legationibus pro rege Chriſtianiſſimo apud rempublicam Venetam, & Sabaudiæ, Pedimontiique, &c. tetrarcham, feliciter perfunctus, in ſeceſſu peramœno prope Pariſios nunc doctis quæ ſibi fecit otiis fruitur, & Deo, ſibi, amicis, muſis vivit; utinam diu.

FIGIACUM.

FIGIACUM, quandoque Fiacum, monaſterium ordinis S. Benedicti antiquum & illuſtre in diœceſi & pago Caturcenſi, ad Sellam amnem qui influit in Olitim (*le Lot*) non longe a Divona Cadurcorum, ſitum eſt verſus orientem; ubi propter celebre hoc cœnobium, populorum frequentia condendæ urbis non ignobilis occaſionem præbuit; in qua Prædicatores, Eremitæ S. Auguſtini, Minores dicti Capucini, cœnobia habent. Ibi etiam duo ſunt monialium parthenones, unum Benedictinarum, Clariſſarum ſeu ſororum ex inſtituto S. Claræ, alterum. Iis ſacris locis adde ſeminarium juniorum Clericorum.

Monaſterium hoc Pipinus [a] fundavit (ſenior pater Karoli Magni, an junior Aquitaniæ rex quæritur) cujus ea de re diploma editum eſt tomo XIII. Spicilegii, ex quo hæc pauca deſcripſimus: *Notum eſſe volumus cunctis Chriſtum colentibus præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter locum in convalle Lonantis* [*] *olim a predeceſſoribus noſtris in pago Caturcino conſtitutum, & ab aquis irruentibus jam pene diſſipatum, nos proxima ſilva in eodem pago, habiliori loco, cui* Fiacum *nomen impoſuimus, mutantes, monaſterium, vel cetera ædificia a fundamentis ædificavimus: quod præſente Domino Stephano papa mirabiliter a Deo conſecratum proſpeximus, ubi monachorum turmam ſub cultu religionis divina miſerante clementia congregavimus, cui auctore Deo venerabilem virum Anaſtaſium abbatem ordinavimus.*

Quæ de Figiacenſis templi dedicatione & conſecratione ab ipſo Chriſto ſervatore, in cujus honore fuit conditum, facta teſtibus Stephano papa & Pipino rege, narrantur, prætermittimus, uti opima dona loco ſacro a Pipino ejuſque ſucceſſoribus collata; ut in abbatum catalogo accurate contexendo diutius immoremur.

I. Abbas fuit Anaſtaſius, ex Pipini regis ejus fundatoris diplomate, anno 752. ex noſtro D. Jacobo Boyer.

II. Johannes.

III. Stephanus. Hi duo fuerunt Anaſtaſii ſucceſſores, ante Barbarorum irruptionem, ex hiſtoria monaſterii edita a Baluzio t. 2. miſc. p. 300.

IV. Aidmarus [b] I. primum Figiacenſis clericus, a Paſchali papa in monachum & abbatem benedictus, quod in monaſterio nullus monachus ſupereſſet, cœnobium inſtauravit circa annum 822. de quo vide inter inſtrumenta, & vixit annis 32. Mortuus an. 852. indict. XV. temporibus Stephani Cadurcenſis epiſcopi, ſepultuſque eſt Figiaci, non apud Conchas, quam tamen abbatiam ſimul regebat. Ceterum Conchenſes hunc abbatem minime norunt, uti plures infra commemorandos. Ego vero hic non quid ſentiam, ſed quid legerim in Figiacenſibus tabulis bona fide expono.

[a] p. 455.

[*] Gallice *la Vallée de Zunault. Mabil. t. 2. annal. p. 402. legit* Jonantis. *Vide ch. XXXIV. p. 43. col. 1.*

[a] In archivo urbis Figiacenſis exſtant literæ Philippi VI*. regis, quibus confirmat privilegia conceſſa a Pipino rege Figiaco, an. 755. Pipini autem diploma inſeritur litteris Philippi VI. proindeque Pipinus qui cenſetur fundator abbatiæ Figiac. non eſt rex Aquitaniæ filius Ludovici Pii, ſed Pipinus Caroli-Magni pater.

Mabillonius primum putavit hoc diploma fuiſſe Pipini Aquitaniæ regis; verum hoc monaſterium antiquius eſſe Pipino juniore, poſtea confeſſus eſt tom. 1. annal. ad an. 812. n. 3. Certe literæ Stephani papæ II. quas ſuo loco exhibemus, non poſſunt convenire tempori Pipini junioris. Optimé vero congruunt tempori ſenioris; datum eſt enim an. Chriſti 754. quarto Stephani, indict. 8.

* al. Phil. IV.

[b] In catalogo abbatum ad me tranſmiſſo præcedunt Aidmarum Raimundus & Geraldus qui ſediſſe an. 816. dicitur.

[b] *C. XXXV. p. 43. col. 2.*

V. Geraldus cognomento *Regularis*, poſt Aidmarum præfuit utrique abbatiæ. Sepultus eſt Fiaco, in podio S. Mariæ.

VI. Radulfus Figiacenſis monachus, ſimul abbas Conchenſis rexit ſub Carolo Calvo, filio Ludovici Auguſti ejuſdem regis anno 17.

VII. Adalardus in deſcribendis libris ſtudioſiſſimus, utrique abbatiæ præfuit, & ſepultus quieſcit Fiaco.

VIII. Geraldus II. ei ſucceſſit, in conſtruendis ædificiis ſtrenuiſſimus, vixitque Caroli *Stulti* (hoc eſt, ut conjicio *Simplicis*) temporibus. Hic Hugonem monachum ſuum priorem apud Conchas conſtituit; quod cœnobium, ob injuriam ſibi hoc in loco factam, omnino deſeruit, ac regere ceſſavit.

IX. Calſto loci alumnus a ſuis fratribus electus, a Benedicto papa Romæ benedictionem accepit. Auctor fuit Raimundo Aureliacenſi abbati, ut librum de cantu, juxta Romanum morem ſcriberet. Fontenſe * monaſterium in honore S. M. ſemper virginis, facta donatione a Ranulfo, condidit tempore Benedicti papæ, & Stephani epiſcopi Caturcenſis. Vixit tempore minoris Lotharii regis, & mortuus eſt ac ſepultus Fiaci, an. ab incarnatione 974. indictione II. epacta XXV. concurrente III.

X. Adacius præfuit temporibus ejuſdem Lotharii, & Ludovici regum. Cum pergeret Romam obiit apud ſanctum Ægidium, ibique ſepulturam accepit an. ab incarnat. 988. indict. I. epacta nulla, concurrente VII.

XI. Geraldus III. multorum operum perfector ſtrenuiſſimus, ſub Hugone & Roberto regibus præfuit. Obiit an. IX. Roberti, terræ mandatus Fiaco.

XII. Rogerius ſub Roberto rege multum honorem monaſterii dedit militibus, perrexitque Jeroſolymas, unde ultra non eſt reverſus.

XIII. Adalgerius, cum ancipites eſſent monachi de Rogerio abbate, Fiacum venit, & miſſa ad marſupium manu, comparavit abbatiæ miniſterium. Verum crure fracto ex caſu, pœnas dedit ſui ſceleris, & Conchas rediit, quam abbatiam iiſdem artibus jam antea occupaverat.

XIV. Lautardus nobiliſſimus vir Figiaci monachus nutritus, ſedit ſub Ainrico rege, & Conchas more ſuorum anteceſſorum ſuſcepit regendas, utramque tamen abbatiam non adminiſtravit ultra triennium; quorumdam enim, ut fertur, malitia infirmatus, apud Conchas diem clauſit ultimum, ubi quieſcit.

XV. Willermus I. in Figiacenſi abbatia ſucceſſit Lautardo; ſed de ſimonia inſimulatus, cui peſti bellum indixerat Gregorius papa VII. eam invitus dimiſit. Fiacenſes vero Hugonem abbatem Cluniacenſem elegerunt, & Conchenſes admonuerunt ut eidem ſe ſubderent. Illi vero indignati Fiacenſes ejecerunt, & Airardum Figiacenſem abbatem, cui ſubditi apoſtolica auctoritate fuerant, projecerunt. Forte hic Airardus erat conſtitutus abbas a ſancto Hugone, ſub cujus poteſtate gubernabat.

XVI. S. Hugo abbas Cluniacenſis electus eſt in abbatem Figiacenſem, quando monachi ſe ſuumque monaſterium an. 1074. Cluniaco ſubdiderunt, ut docet charta Begonis de Calo-monte. *Charta XXXVI. p. 44. col. 1. & charta XXXVI. col. 2.*

XVII. Willelmum II. Figiaco præpoſuit abbatem vice ſui S. Hugo eodem an. 1074. An. vero 1076. idem Willelmus ſubſcripſit litteris quibus Bellilocenſes in Lemovicibus ſe Cluniaco tradiderunt. Bulla Urbani II. ad ſopienda continua inter Conchenſes & Figiacenſes jurgia decernitur unicuique monaſterio præficiendum proprium abbatem. *Annal. Mabil.*

XVIII. Airaldus adfuit Geraldo Caduricorum epiſcopo teſtamentum ſcribenti anno circiter 1090. Vide Spicilegii tom. VIII. *Charta XXXVIII Ibid. p. 163.*

XIX. Deuſdet abbas Figiacenſis anno 1119. memoratur in charta Willelmi & Aimerici de Gordone pro Cluniaco.

XX. Ademarus II. an. circiter 1140. ad quem Petrus Venerabilis abbas Cluniacenſis ſcribit epiſtolam 7. lib. 6. qua conqueritur hunc abbatem ſibi ſcribenti non reſcripſiſſe, eumque hortatur ad faciendum ſatis pro hac culpa. Anno 1146. Eugenius papa III. eidem Adhemaro jura & poſſeſſiones monaſterii Figiacenſis confirmavit, XI. Kal. Feb. indict. X.

XXI. Ebulus filius Ebuli de Ventadour, ex Alixende filia Guillelmi domini de Monte-peſſulano, & frater Ebuli IV. vicecomitis de Ventadour, monachus Cluniacenſis, & abbas Figiacenſis circa annum 1180. Vide Baluz. hiſt. domus Arvernicæ. *L. 4. pag. 285.*

XXII. Guillelmus III. dat in feudum Simoni comiti Montis-fortis caſtellum de Peyruſſe, cum iis quæ comes Toloſanus in caſtellis de Capdenac, de Dentilhac, &c. habebat, menſe Octobri an. 1214. Idem ſcribit ad Ludovicum VIII. regem Franciæ, menſe Oct. an. 1226. paratum ſe ad reſtituendum regi caſtellum de Peiruſia, ſi illud recuperare poſſet, cui viciſſim rex pollicetur ſe jura eccleſiæ Figiacenſis ad *aſpectum* curiæ ſuæ conſervaturum. *Ex invent. regii Theſ. Pariſ.*

XXIII. F. Figiacenſis abbas 1226.

XXIV. Raimundus de Caſa electus menſe Maio an. 1237. ut probat epiſtola abbatis Moiſſiacenſis, quam inter inſtrumenta retulimus. *CXXXIX p. 45. col. 1. Extat. Carcaſſ.*

XXV. Willelmus IV. dictus de Becenis, elig.tur anno 1243. ex ejuſdem abbatis Moïſſiacenſis alia epiſtola ibidem excuſa.

XXVI. Ademarus III. cellerarius & monachus Aureliacenſis, die Sabbati ante Nativitatem Domini 1244. electus eſt. Anno 1251. die Lunæ proxima ante feſtum ſancti Andreæ, a conſulibus Figiaci accepit 10000. ſolidos Caturcenſis monetæ, pro liberatione & immunitate lectorum & pannorum hominum, ac mulierum in villa Figiaci decedentium, juxta compoſitionem de his factam per Guillelmum * Venerabilem Pariſienſem epiſcopum, tempore Guillelmi olim abbatis Figiaci. Excuſavit ſe apud Guillelmum abbatem Cluniac. quod ad capitulum generale non conveniſſet. ** Vide chart. XIV. p. 46. col. 1.*

* Ramnulfus dedit Calſtoni abbati eccleſiam B. Mariæ de Artellis, & eccleſiam S. Medardi, quam ab ipſo abbate adquiſierat, &c. ad ſuſtentationem monachorum qui ad eccleſiam B. Mariæ de Exarcellis mittendi erant. Sed & abbas Calſto ad monaſterium iſtud novum fundandum donavit eccleſiam de *Themines Abbadilis*, cum illo honore qui datus olim fuerat monaſterio quondam conſtructo in loco *Anglarico* nuncupato, a Geraldo nobiliſſimo viro, ubi ſtare debebant 12. monachi, ſed tunc deſtructo. Alia quoque prædia, *Theſaurum* ac reliquias conceſſit.

Digitized by Google

XXVII. Abbas Aureliaci erat adminiſtrator abbatiæ Figiacenſis an. 1252. ex litteris Radulfi de Bonivia ſeneſcalli regis Franciæ, ad hunc adminiſtratorem, quibus eum rogat ut permittat fratribus Prædicatoribus ſibi conſtruere domum apud Figiacum, eiſque opem impendat. Datæ ſunt litteræ die Martis poſt octavas Nativitatis B. Virginis 1252. Ex archivis Fratrum Prædicatorum Figiac.

XXVIII. Galliardus* an. 1254. ex charta authentica parthenonis de Lumine-Dei *Leime.*

* *f.* Gualardus de Cardailhac inſcriptus Necrol. S. Steph. Lemov. calendis Octob.

XXIX. Bertrandus de Monte-acuto, teſtis occurrit in litteris Guiberti de Themines, dantis quoddam xenodochium inter villas de Themines, & de Gramat, ordini S. Johannis Jeroſolymitani an. 1259. Tranſlatus eſt ad abbatiam Moïſſiacenſem an. 1260.

XXX. Gaillardus de Monte-acuto frater Bertrandi, monachus Moïſſiacenſis electus eodem anno; cujus electionis confirmationem petierunt Figiacenſes a Cluniacenſi patre. Anno 1273. interfuit promiſſis Gaſtonis vicecomitis Bearn. datis Eduardo regi Angliæ. Obiit an. 1288.

XXXI. Lucas electus eſt eodem an. Verum ejus electionem reprobari a Cluniacenſi abbate petierunt quidam Figiacenſes monachi, qui corruptos electi mores cauſabantur.

XXXII. Berengarius I. de Aquis-vivis an. 1291. excipit abbatem Cluniacenſem ad viſitandum monaſterium accedentem. Permittit Fratribus Prædicatoribus, ut conſtruant pontem ligneum ſuper fluvium *de Scelle*, die Lunæ ante feſtum S. Mariæ Magdalenæ 1291.

Marca hiſt. Bearn. l. 7. c. 17.

XXXIII. Geraldus IV. abbas Figiac. cedit Philippo IV. regi Franc. juriſdictionem majorem & mediam in urbe Figiacenſi, certis conditionibus; quæ pacta rata habuerunt monachi die Martis poſt Epiphaniam, an. 1309. ex archivo urbis Figiac.

XXXIV. Berengarius II. an. 1314. die 2. Auguſti excipit ſacramentum obſequii & clientelæ ab Arnaldo de Concorez vicario (*Viguier*) Figiacenſi. An. 1314. VII. cal. Januarii monaſterium Figiacenſe viſitavit Henricus abbas Cluniacenſis, cum Petro priore Charitatis, & plurima edidit ſtatuta, quibus diſciplina ibidem penitus collapſa reſtitueretur, ac Berengario abbati qui hactenus in regimine ſpiritualium & temporalium negligenter ſe geſſerat, Petrum de Preſſignaco priorem monaſterii Alti, ordinis Cluniacenſis, ſocium & coadminiſtratorem dedit, & ſtatuit ut nihil deinceps abbas abſque ejus conſilio & conſenſu agere præſumeret, quod fortaſſe illum coëgit abdicare. Tranſcripſit abbatiam ſequenti, an. 1315.

XXXV. Guillelmus de Ventodoro prior de Volta per ceſſionem Berengarii fit abbas an. 1315. Petrus de Sainte-Artemie domicellus vicarius Figiacenſis (*Viguier*) præſtat ipſi ſacramentum fidelitatis die VIII. Junii 1317.

XXXVI. Geraldus de Lentillac præerat anno 1327. quo ſe excuſatum haberi rogavit, quod capitulo generali non interfuiſſet; idemque ſcripſit annis 1351. & 1361. Obiit an. 1377.

XXXVII. Guibertus de Boiſſet, præfectus a Gregorio papa XI. pontificatus ſui anno VI.

XXXVIII. Auſtorgius præerat 1395. quo excuſationem mittit ad capitulum generale Cluniacenſe, uti annis 1401. & 1404. Obiit 1410. Eo mortuo Johannes papa XXIII. abbatem creavit Johannem Hoſot S. Wandregiſili monachum, qui poſſeſſionem adire neglexit; quapropter idem papa ei ſubrogavit Begonem.

XXXIX. Bego de Rupe-Maurelli baccalaureus in decretis, prior S. Crucis ordinis S. Benedicti diœceſis Cadurc. creatur abbas bulla Johannis XXIII. data X. cal. Septembris, an. IV. ejus pontificatus, hoc eſt an. 1413. cum electus fuiſſet die 26. Julii anni 1410. Plurimæ exſtant ejuſdem papæ bullæ aliæ in gratiam præfati Begonis, qui ad poſſeſſionem adeundam inſtituit ſuum procuratorem Aimericum de Rupemaurella priorem S. Felicis litteris datis 17. Decembris 1413. Præfuit uſque ad annum 1441. quo vivere deſiit die 10. Auguſti.

XL. Aſtorgius de la Roqua prior de Fontibus eligitur abbas a monachis die 10. cujus electionis confirmationem poſtularunt ab Eugenio papa IV. Hic præpoſito monaſterii Montis-Salvi mandat, ut inquirat de genere, natalibus, idoneitate electi, ac de modo electionis, ut ſi aptus ſit ad regendas animas, ejus electionem confirmet. Bulla Eugenii data eſt XII. kal. Octobris an. 1441. Obiit 1447. ut diſcimus ex litteris Odonis abbatis Cluniacenſis conferentis prioratum de Fontibus vacantem per obitum Aſtorgii de la Rocha abbatis Figiacenſis. Eo vero obeunte monachi elegerunt Antonium de Naucauſe 27. Septembris 1447. ſex religioſis vota ſua conferentibus epiſcopo Caturcenſi, cujus confirmationem cum a ſede apoſtolica poſtularent, abbas Cluniacenſis utriuſque electionem irritam declaravit.

XLI. Johannes Lupi 21. Octobris creatus ab abbate Cluniacenſi duobus contendentibus reprobatis.

XLII. Johannes Narboneſii 1452. 1453. 1469. excuſat ſe quod non venerit ad capitulum generale apud Cluniacum.

XLIII. Raimundus Bonnaut electus 28. Octobris 1475. ſed ejus electio non prævaluit, nam

XLIV. Ludovicus de Saint-Germain a Sixto IV. rege intervenient, creatur abbas Figiaci, datis bullis 18. calendas Januarii 1475. Idem forte cum Ludovico de S. Germano, qui annis 1512. 1515. 1523. excuſat ſuam a capitulo generali abſentiam. Geraldus de Graſſays, prior Cluniaci tempore hujus abbatis advenit Figiacum, ut officium viſitatoris exſequeretur.

XLV. Antonius de Roca-Maurelli 1516. & 1536. ſimilem excuſationem mittit ad capitulum generale Cluniacenſe. Ejus tempore monachi per bullam Pauli papæ III. datam V. kal. Sept. an. 1536. an. 2. ejus pontificatus, licentiam impetrarunt excutiendi jugum regulæ S. Benedicti, ut fierent canonici ſeculares. Id tamen exſecutione caruit, uſque ad annum 1556. quo Henricus II. rex rogatus a Gregorio d'Armagnac cardinali abbate Figiaci conſenſum præbuit menſe Februario. Nunc igitur Figiacum eſt eccleſia collegiata, conſtatque abbate, decano, duobus archidiaconis, uno archipreſbytero, cantore

cantore, & duodecim canonicis.

XLVI. N. Cardinalis Caraſa anno circiter 1540.

XLVII. Georgius cardinalis d'Armagnac, filius nothi cujuſdam ex domo comitum Armeniaci potiebatur abbatia anno 1559.

XLVIII. Melchior de Levis.

XLIX. Franciſcus d'Amboiſe.

L. Franciſcus de la Tour.

LI. Ludovicus de Cruſſol, de quo vide in abbatibus Conchenſibus.

LII. Johannes-Armandus Fumée des Roches S. Quentin 1670. & 1680. Obiit an. 1712.

LIII. N. de la Vallete, deſignatus a rege Chriſtianiſſimo 26. Martii in pervigilio Paſchæ ejuſdem anni.

MARCILIACUM ORDINIS S. BENEDICTI.

MARCILIACUM non longe a Figiaco ad Sellam amnem conſtructum, ſub S. Petri patrocinio, in pago diœceſique Cadurcenſi, non alio auctore gloriatur quam Pipino, Concharum Figiacique fundatore; ſi popularibus traditionibus fides non ſit deneganda. Nullibi tamen antiquior ejus habetur mentio, quam in teſtamento Pontii Raimundi comitis Toloſani, condito 960. ubi legitur: *Illo alode de Vidaliaco, quantum ibi aſpicit, cum ipſa eccleſia, S. Petri Marciliaco remaneat.* Huic monaſterio *Martinus & Arſius de Vaſſa, &c.* contulerunt eccleſias S. Quiriaci, & S. Nicomedis menſe Maïo II. cal. luna 1. in feria III. regnante Philippo rege, & in diebus Raimundi epiſcopi de Lectoria, & Odonis vicecomitis. Philippus cœpit regnare anno 1060. Raimundi epiſcopatus fere eodem tempore inchoatus eſt; nam anno 1063. adfuit dedicationi eccleſiæ Moïſſiacenſis. In chartis monaſterii quarum inventarium vidimus in bibliotheca Colbert. aliqui abbates nobis occurrunt, quibus nonnullos adjecimus ex probatis inſtrumentis.

De re diplomat. Lib. p. 572.

SERIES ABBATUM.

I. Stephanus, cujus frequens eſt mentio in chartis prioratus de Madiran, nunc aſſervatis in collegio Patrum Societatis Jeſu.

II. Gumbertus abbas Marciliaci, qui adfuit an. 1090. Geraldo epiſcopo Cadurcenſi teſtamentum ſcribenti, uti ex inſtrumento hoc liquet, edito tom. VIII. Spicilegii. Alicubi dicitur quartus abbas a Stephano.

Pag. 163.

III. Goſbertus I.

IV. Raterius, inter quem & Bernardum matris eccleſiæ priorem motam controverſiam pro eccleſia ſancti Urſicini finit Guillelmus Caturcenſis epiſcopus, *A. epiſcopo Agennenſium conſulente & laudante, & ſententiæ verba referente.* In hoc inſtrumento legitur Goſbertum fuiſſe ſucceſſorem Gomberti.

Ex chartul. Caturc. ejus a D. J. de Boyer.

V. Aimericus abbas de Marciliaco teſtis adeſt ſcriptioni chartæ Obaſinæ an. 1177.

VI. Gauſbertus II. abbas S. Petri de Marciliaco, bona quædam permutat cum Guillelmo abbate Grandis-Sylvæ x. cal. April. 1183.

Ex tabul. Grand. Silv.

VII. Geraldus II. abbas Marciliacenſis ſuo & monachorum ſuorum nomine ſcribit ad Bernardum abbatem Tutelenſem, pro ceſſione ipſi Bernardo facienda eccleſiæ *de Roc-Amadour*, anno 1193. regnante Philippo rege Franc. G *. in Caturc. ſede epiſcopo reſidente, ex archiv. cap. eccl. B. M. de Roc-Amadour in diœc. Cadurc.

Gerardo.

VIII. Raimundus I. 1233. eccleſiam Flaviaci Guillelmæ Luminis-Dei abbatiſſæ, toto annuente conventu donat. Memoratur in charta Grandis-Sylvæ an. 1237.

IX. Guillelmus I. de ſancto Brixio an. 1270. nobis notus ex charta Grandis-Sylvæ, an. 1286. cum Raimundo epiſcopo Caurcenſi quaſdam permutat eccleſias. Memoratur anno 1301. in tranſactione inter Gibertum de Themines militem, & Hibertum filium ejus domicellum de Canaco ex una parte, & Gallardum rectorem eccleſiæ de Canaco ex altera.

X. Raimundus II. 1402. electus, ſtatuta & monaſterii conſuetudines obſervare promittit.

XI. Gaſbertus III. 1408. ratam habet tranſactionem initam inter marquiſium de Cardaillaco dominum de Theminis, & ſyndicum Marciliaci. Legatas teſtamento Guillelmi de Theminis ſex ceræ libras recipit 1410. die 16. Junii.

Ex tab. monaſterii.

XII. Raimundus III. Ebrardi epiſcopus Biblienſis, & abbas Marciliaci.

XIII. Guillelmus II. Ebrardi poſſeſſionem adepturus, monaſterii ſtatuta ſervaturum ſe jurat 13. Februarii 1461. Fundationem Margaritæ de Caſtro-novo dominæ caſtri Arnagolii excipit 1472. Quoſdam redditus acquirit a Pontio de Penna (alias de Gordono) barone Gordoni & & Guippiæ, domino de Podio-garde, de Limonha, S. Johannis, de Laurco, & caſtri de Somberiis die 14. Junii 1490. Pervenit ad 1496. An. 1473. Sixtus IV. proſpiciens defenſioni jurium Univerſitatis Cadurcenſis, ea turanda mandavit tum epiſcopo Sarlatenſi, tum abbatibus Marciliacenſi & Moïſſiacenſi.

XIV. Frotardus Ebrardi 1496. factus abbas quoſdam redditus conventui cedit, qui multa annis præteritis ab Anglis nationis Gallicanæ hoſtibus paſſus fuerat. Memoratur etiam 1515. die penultimo Junii quo quædam fratribus ſuis relaxat.

XV. Johannes Ebrardi, & monachi 1530. quædam ſtatuta condunt die 27. Septembris.

XVI. Antonius Ebrardi de S. Supplice epiſcopus Caurcenſis 1576.

XVII. Chriſtophorus Ebrardi de S. Supplice clericus Toloſanus, archidiaconus Caturcenſis, & abbas commendatarius Marciliaci, præcedentis patruus. Obtinuit in commendam cameram monaſterii S. Petri de manſo Garnerii bulla Pauli papæ IV. confirmantis aliam bulla m Julii papæ III. 26. Maii 1555. Teſtamentum fecit an. 1587. XIII. cal. Auguſti, cui addidit codicillum ſcriptum 12. Aprilis an. 1594.

XVIII. Silveſter de Cruzy an. 1627. Vide in abbatibus Solliacenſibus.

XIX. Humbertus Ancelin epiſcopus Tutelenſis abdicavit an. 1685.

XX. N. d'Eſcorbiac deſignatur abbas a rege Chriſtianiſſimo an. 1685. die 15. Junii.

Digitized by Google

SOLLIACUM *vel* SUBLACUM ORDINIS S. BENEDICTI.

MONASTERIUM B. Mariæ de Sublaco (*Souillac*) Cadurcenſis diœceſis, ac pagi a, in valle pinguiſſima & feraciſſima conditum eſt ad rivum dictum vulgo *Boreſe*, non longe a Durannio flumine (*la Dordogne.*) Johannes de Vidal, in compendioſa hiſtoria epiſcoporum Cadurcenſium, fundationem Solliacenſis monaſterii refert ad S. Eligium Noviom. epiſcopum monaſtici inſtituti propagatorem, an. 655. ejuſdem vero inſtaurationem ad Ludovicum Pium an. 806. vivente adhuc Carolo patre. Verum probabilior ſententia docet Geraldum a S. Sereno * abbatem Auriliaci, ex pago Cadurcino, nobili genere ortum, *ſub quo*, inquit chronicon Aureliacenſe, *reſpublica monachorum valde aucta fuit*, hoc cœnobium conſtruxiſſe anno circiter 961. Sane Solliacum datum Aureliacenſi monaſterio an. 930. a Frotardo Turennæ vicecomite legimus in his ejuſdem litteris:

** S. Cerd.*

EGo Frotardus vicecomes & Adelberga vicecomitiſſa, & Geraldus filius noſter monaſterio Aureliacenſi donamus urbem noſtram dominicariam, quæ eſt infra terminos Caturcenſis epiſcopatus in vicaria de Caſilinco, qua dicitur Soliacus; quicquid vero in tota terra noſtra in ipſa videlicet vicaria, vel in aliis noſtris vicariis, ſcilicet de Croxia b, de Braſſiaco c, de Calvinhaco d, de ſancto Soſico e, vel de feudalibus noſtris militibus vel ruſticis, deinceps monachi Aureliacenſes acquirere potuerint, totum & integrum ad præfatum locum donamus. Actum eſt hoc anno ab incarnatione Domini DCCCCXXX. *Rodulpho Francorum rege regnante anno quinto. S. A. Caturcenſis epiſcopi. S. Frotardi vicecomitis. S. Adalberga vicecomitiſſæ. S. Geraldi junioris comitis.*

Ab hoc monaſterio, quod nunc eſt congregationis ſancti Mauri, pendent pluſquam 80. prioratus aut parochiæ, quorum præſentatio vel etiam inſtitutio ad abbatem pertinet. Hoc monaſterium Aureliacenſis abbas regebat per decanos; primorum nomina exciderunt.

DECANORUM ET ABBATUM SERIES.

Primus nobis notus fuit Petrus I. de caſtro Ciſennii * anno 1100. qui poſtea fuit electus abbas Aureliacenſis.

** Ciſen.*

II. Geraldus anno 1122. ex chartulario Uſerchienſi, ubi legitur: *Conventio inter Geraldum abbatem Uſercenſem, & Geraldum decanum Soliacenſem, præſente vicecomite Turena* MCXXII.

Inſtal.

III. Archembaldus vivebat tempore Honorii II. & Arnaldi abbatis Sarlatenſis circa annum 1128. ex hac charta Sarlatenſis tabularii:

VVillelmus Dei gratia ep..... notum facio me eccleſiam de Calviaco conſilio & nutu archidiaconorum Caturcenſis eccleſiæ Stephani, Arnaldi & W. de Peireta, in manu D. Arnaldi abbatis, monaſterio Sarlat. conceſſiſſe.... Dat. Honorio papa..... videntibus W. abbate S. Amandi, Archembaldo Soliacenſi decano, &c.

IV. Robertus an. 1176. in charta Dalonis.

V. Raimundus intereſt pactis inter vicecomitem Turenæ & dominum de Caſtro-novo (*Caſtelnau*) an. 1219.

VI. Petrus 1248. ex charta Obaſinæ, cui monaſterio domum vendidit hoc anno. *Inſtal. p.* 40.

VII. Hugo de Caſtro-novo 1256.

VIII. Guillelmus I. de Duro-forti 1281. legitur præſentaſſe ad eccleſiam (*capellaniam*) S. Amantii.

IX. Augerius de Duro-forti anno 1298.

X. Helias de Tutela an. 1309. quo fit amicabilis compoſitio inter hunc decanum ejuſque monachos, ex una parte, & cives urbis ex altera. 26. monachi huic inſtrumento nomen appoſuerunt.

XI. J. cardinalis diaconus titulo S. Agathæ 1311.

XII. Beraldus an. 1315. & 1317. quo præſentat ad eccleſiam S. Juliani de Calmeta.

XIII. Petrus II. Charmeleus 1337.

XIV. Nicolaus Faraldi ab Aimerico abbate Aureliac. inſtituitur 1344.

XV. Guillelmus II. de Tornemire 1350. & 52.

XVI. Pontius de Bormia 1372.

XVII. Petrus III. de Silva 1388.

XVIII. Vitalis Ragac 1444.

XIX. Guido de Ornacho, perpetuus camerarius Aureliacenſis, decanus & adminiſtrator perpetuus decanatus Soliacenſis, auctoritate apoſtolica, uti legitur in charta quadam ab an. 1447. ad 71.

XX. Petrus IV. de Ornacho, abbas S. Michaëlis de Cuxano, decanus commendatarius, ſtatuta edidit pro diſciplina regulari. Erat monachus Aureliacenſis; & in quibuſdam decretis laudat *Regulam ſancti Patris noſtri Benedicti.* Præfuit ab an. 1474. ad 1493. Titulum abbatis ſumſit ab an. circiter 1476.

XXI. Johannes I. Marre monachus ſtrictioris obſervantiæ prior de Meiraco electus eſt in abbatem, poſt mortem *fr. Petri de Ornhaco de S. Chamans.* Sed ob infirmam valetudinem, ſuæ electioni aſſenſum recuſavit.

XXII. Philibertus Bergouli, al. *Bourgoins*, ex monachis ſtrictioris obſervantiæ electus & confirmatus abbas legitur in charta eccleſiæ Albienſis anno 1497. Obiit 1508. Plurimos habuit æmulos, Galterium Stuard monachum Benedict. a Cæſare de Burga cardinali Valentiæ abbate Aureliac. creatum abbatem, fr. Gratianum de Villa-nova Carmelitam a papa donatum hac abbatia, & magiſtrum Ægidium de Turre in utroque jure licentiatum, S. A. protonotarium, de genere vicecomitum Turenæ.

a Hadrianus Valeſius tamen Soliacum ad Durannium flumen Petracoris tribuit, in notitia Gall.

b *Creyſſe*, ubi ſunt duo prioratus Soliaco ſubditi. c *Braſſac.* d *Carennac.* e *Saint Sefy*, ubi eſt prioratus abbatiæ de Brajaco ſubjacens.

Sed electio Philiberti ſenatus Burdigalenſis placito dato die 7. menſis Septembris an. 1499. Ludovici regis ſecundo confirmata eſt.

XXIII. Petrus V. de Villeſonnes an. 1508. eligitur, quo tempore congregationis Caſalis-Benedicti arctior obſervantia recepta erat in monaſterio. Annis 1509. & 1511. Fr. Simon Clou abbas ſancti Sulpicii Bituricenſis, & congregationis Caſalinæ viſitator, acceſſit ad Soliacenſe cœnobium ipſius viſitandi gratia, ſede abbatiali vacante.

XXIV. Ludovicus I. de Couſtin abbas, an. 1514. rexit uſque ad an. 1532.

XXV. Johannes II. de Ragaut cellerarius monaſterii an. 1538. ſtudio promovendæ obſervantiæ regularis fulſit, & poſt paucos annos, cum regis conſenſu, ceſſit ſequenti.

XXVI. Petrus VI. de Ragaut protonotarius, Johannis conſobrinus, ejus ceſſione abbas factus eſt anno 1542.

XXVII. Carolus de Lorraine archiepiſcopus Remenſis 1546.

XXVIII. Joachim de Ballioles 1547.

XXIX. Franciſcus I. de la Saigne protonotarius, 1548. & 1551.

XXX. Ludovicus II. de Montalambert, 1559.

XXXI. Franciſcus II. Gaultier epiſcopus Viterbienſis annis 1562. & 1566.

XXXII. Alfonſus Vercelly epiſcopus Lodovenſis an. 1566. & 1573.

XXXIII. Johannes III. de la Combe monachus ordinis ſancti Benedicti, 1577.

XXXIV. Ludovicus III. du Boiſſet, 1587.

XXXV. Antonius de Themines an. 1602. & 1604.

XXXVI. Guillelmus III. Merle 1617. & 1627.

XXXVII. Silveſter de Cruzy de Gont de Marcillac, per ceſſionem Guillelmi 1627. poſtea epiſcopus Mimatenſis.

XXXVIII. Henricus de la Mothe Houdancour, an. 1628. idem fuit archiepiſcopus Auſcienſis, obiitque menſe Februario, *al.* Maio 1684.

XXXIX. Jacobus Auguſtus de Thou, monaſterii benefactor, nunc ſedet. Utinam ad multos annos.

ABBATIA SANCTI MARCELLI.

ABbatia ſancti Marcelli ordinis Ciſtercienſis, filia Cadunii ſub Pontigniaco, in diœceſi, & ſeneſcallia Cadurcenſi, ſita eſt in amœna valle juxta regalem villam (*Real-ville*) ad rivum de *Lere* qui influit in Averonem media abhinc leuca. Sex leucis diſtat ab urbe epiſcopali, duabus ab urbe Montis-albani. Olim monaſterium poſitum erat intra fines parochiæ ſanctæ Catharinæ, nunc ipſa parochia ſita eſt in eccleſia abbatiali; parochialis enim eccleſia a ſegregibus diruta eſt.

Monaſterium primitus fundatum fuit in loco de Septem-fontibus diœceſis Cadurc. prope Cauſſadam oppidum: nunc oppidum de Septem-fontibus eſt ſub ditione epiſcopi Cadurcenſis, nihilque omnino ibi poſſident monachi ſancti Marcelli.

Inſtrum. p. 46. Ex inſtrumentis ad hanc abbatiam ſpectantibus, quæ damus in appendice, liquet Armandum de Monte-peſato, & fratres ejus dediſſe locum ſancti Marcelli Deo, & beatæ Mariæ, in manu Petri primi abbatis de Septem-fontibus ordinis Ciſtercienſis. Fratribus Septem-fontium ibi Deo famulantibus ab exordio prior præerat; legimus enim anno MCXLVII. quo orta eſt diſcordia inter monachos Cairacenſes, eorumque decanum, Aureliaco ſubjectos, ac monachos de Septem-fontibus, qui in loco ſancti Marcelli morabantur, tunc ipſis præfuiſſe Arnaldum de Beroza, *qui tunc temporis prior ſancti Marcelli dicebatur.* Poſtea circa an. 1163. monachi Septem-fontium ad locum ſancti Marcelli migrarunt, & coaluerunt cum iis, qui jam illum ex ſuo ſodalitio incolebant. In Gallia Chriſtiana Fratrum Gemellorum legitur fundata hæc abbatia XII. cal. Aprilis an. 1130. & juxta hunc antiquitatis ordinem abbas ſancti Marcelli ſedere ſolebat in capitulis generalibus. Iidem doctiſſimi viri in Geraldo Hectore Cadurcenſi epiſcopo docere videntur Ademarum vicecomitem de Bruniquel eſſe monaſterii hujus fundatorem. Noſter D. Jacobus Boyer, qui chartas omnes ſedulo inſpexit, inter eas invenit vetus inſtrumentum an. 1090. Per hoc Ademarus & filius ejus principes provinciæ Caturcenſis, conſilio Giraldi epiſcopi Caturcenſis, & W. comitis Toloſani, donant Deo & B. Petro (proculdubio de Cayraco, quod diſtat leucæ ſemiquadrante a monaſterio ſancti Marcelli ex altera parte Regalis-villæ) fundum ad conſtruendam eccleſiam ſancti Ægidii in ſilva inculta & ſpinoſa, anno ab incarnatione Domini MXC. indictione XIV. Nunc iſta eccleſia ſive prioratus ſancti Ægidii de Negrepeliſſe, unitus eſt menſæ S. Marcelli, cujus abbates e variis tabulis fideliter damus.

ABBATUM CATALOGUS.

I. Petrus I. abbas Septem-fontium reperitur in charta monaſterii ſancti Antonini an. 1134. Teſtis etiam occurrit in charta, qua W. epiſcopus Caturcenſis donat inveſtituram & poſſeſſionem omnium eccleſiarum quæ ſunt in Caturcenſi civitate, præter eccleſiam B. Mariæ de la Daurada, B. ejuſdem eccleſiæ Caturc. priori, & ejuſdem ſedis canonicis; quibus etiam donat idem epiſcopus eccleſias de Cathlac, de Cajart, de Caſtnac, & ſancti Sereni, abſque temporis nota. Idem P. abbas Septem-fontium teſtis eſt in altera charta W. epiſcopi Caturcenſis, qui cupiens reformari pacem & concordiam inter ipſum epiſcopum & B.* priorem & canonicos ejuſdem ſedis, eis concedit ut moneta fiat in terra ipſorum ubicumque voluerint. Eidem Petro abbati datus eſt locus S. Marcelli ex charta A. de Monte-peſato.

Vide chart. XLV. pag. 46. col. 1.

Ex chart. eccleſ. Cadurc.

Bernardum. Ibid. Inſtrumen. p. 46. col. 2.

II. Raimundus I. abbas hic collocandus videtur ex dicto inſtrumento Armandi de Monte-peſato.

III. Willelmus I. 1147. concordat cum monachis Cayracenſibus tempore Eugenii papæ. Ex inſtrumento hujus concordiæ videtur, quod

Ibid.

tunc essent monachi apud S. Marcellum abbati Septem-fontium subditi, qui eisdem præposuerat Arnaldum de Broza.

IV. Bernardus I. memoratus in donatione G. de Pomaret an. 1159. & Arnaldi Bernardi Montis-lavardi 1163. ex qua postrema donatione inferre licet dictum Bernardum primum fuisse abbatem sancti Marcelli, & ultimum Septemfontium. Reperitur & abbas sancti Marcelli idem Bernardus in charta denticulata, seu alphabeticis characteribus distincta. *Anno incarnationis* MCLXIV. *feria* V. II. *idus Maii luna* XXI. *epacta* XXV. *regnante Ludovico rege, & Geraldo Hectore Caturcensi ecclesiæ præsidente, Henrico rege Anglorum cum Raimundo Tolosanorum consule litigante.* Item Bernardus abbas & fratres Eremitæ sancti Marcelli compositionem ineunt cum Raymundo Ayma priore sancti Nazarii, ac Decano Cayraci, decimo die introitus mensis Aprilis, an. Domini MCLXXIX. Ludovico rege regnante. Ex quo instrumento colligi potest monachos sancti Marcelli nondum ordinis Cistercienſis instituta suscepisse, cùm nominentur *Fratres Eremitæ*, forsan ex institutione Geraldi de Salis fundatoris Cadunii, & plurium monasteriorum, quorum alia monachis nigris, alia Cistercienſibus cesserunt.

Occurrit adhuc Bernardus abbas sancti Marcelli an. 1218. sed nescio an idem sit cum præcedenti qui jam præerat anno 1159. imo dubitandi locus est an abbas Septem-fontium, qui vivebat 1159. sit idem cum B. abbate sancti Marcelli 1163. Quidquid sit, certe adhuc anno 1218. erant Heremitæ apud sanctum Marcellum, quo anno Raimundus comes Tolosæ fecit donum monasterio S. Marcelli.

V. Bernardus II. de la Barda, componit cum Raimundo Rogera priore sancti Nazarii, & decano Cayraci pro decimis S. Nazarii 6. April. 1220.

VI. Petrus II. Emeric, pactum fecit cum Raimundo de Montagut priore sancti Nazarii & decano de Cayraco, pro decimis parochiæ sancti Nazarii decimo nono cal. Jan. MCCXX.

VII. Helias I. de Longual concordiam facit cum Johanne Manual abbate Gardæ-Dei anno 1242.

VIII. Stephanus an. 1245. testis est in charta Guillelmi Mafredi de Columbario pro Ardorello.

IX. Bertrandus 1256.

X. Helias II. de Longual an. 1268. 1270. 73. 76. 80. plura suo monasterio acquisivit. Greg. papa X. confirmat privilegia monasterii S. Marcelli. Datum Lugduni nonis Octobris, pontificatus anno tertio.

XI. Petrus III. de la Trilha, nobili genere ortus regebat 1283. 1286. mense Octobri. Hic abbas an. 1285. *se excusavit ab excipiendo Simone Bituricensi archiepiscopo, propter paupertatem.*

XII. Guillelmus II. de Tarbe, 5. die exitus mensi Junii anno Domini MCCLXXXIX. regnante Philippo, Raimundo Caturcensi episcopo. Item 1290.

XIII. Arnaldus I. de la Barde, 1297. 98. 1302.

XIV. Petrus IV. de Tarbe, 5. Maii 1305.

XV. Willelmus III. 1313.

XVI. Arnaldus II. de la Barde 1318. 1319.

XVII. Petrus V. Borgny, *al.* Borgy, cum Petro Molinerii, & Raimundo Bernerii an. 1325. sententiam fert ut judex electus a partibus litigantibus pro nonnullis decimis, inter capitulum Cadurcense & abbatem Gardæ-Dei.

XVIII. Johannes I. in charta Gardæ-Dei, 1325.

XIX. Guillelmus IV. de la Valette, abbas S. Marcelli, transigit cum Jacobo Folchier abbate Gardæ-Dei, die 10. Novemb. MCCCXXVI.

XX. Petrus VI. Borgy 1327. 1328.

XXI. Johannes II. de la Ribe, e nobili familia ortus 1328.

XXII. Petrus VII. Borgy 1329. 1331.

XXIII. Johannes III. de la Ribe 1333. Tunc temporis in monasterio S. Marcelli præter abbatem erant prior, subprior, claviger, cellerarius, sacrista, panetarius, vinitarius, granatarius, syndicus, & octo monachi claustrales, ex conclusione capitulari 1333. Item 1336.

XXIV. Bernardus III. de la Ribe, 1339.

XXV. Johannes IV. de la Ribe, 1341. 1345.

XXVI. Petrus VIII. de la Trilha 1347.

XXVII. Guillelmus V. de la Valette e nobili stirpe 1349. 1351. 1368. An hi cognomines sint diversi vel iidem, modo abbatiam regentes, modo regimen dimittentes, quis possit divinare?

XXVIII. Helias III. de Boulhac 1377. 1394.

XXIX. Guillelmus IV. de Sezoa, 1416. 1431. 1434.

XXX. Geraldus I. Arquery, 1434. 1440. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49.

XXXI. Petrus IX. Libaudy, reperitur nihilominus abbas, 1446. 48. 49. & 1450.

XXXII. Geraldus II. Benedicti, 1452. obiit 8. Januarii 1475.

XXXIII. Johannes V. de Ramondou, alias de Folmon, licentiatus in decretis, primus abbas commendatarius 1476. 77. 88. 90. 99. 1506. erat & primus commendatarius abbatiæ Gardæ-Dei dissitæ ab abbatia S. Marcelli una leuca.

XXXIV. Antonius I. de Ramondou, 1507.

XXXV. Antonius II. Johannis (de Jean) 1515. 1516. Eo sedente erant 12. monachi anno 1518.

XXXVI. Jacobus I. de Roque-Maurel, 1534. 1549. 1560. erat præpositus ecclesiæ Montis-Albani, obiit 1561.

XXXVII. Jacobus II. (de Jean) 1567. obiit 1577.

XXXVIII. Antonius III. de Roque-Maurel archidiaconus major Montis-Albani, 1592. 1601.

XXXIX. Johannes VI. Regius (Rey) presbyter ac professus ordinis Cistercienſis post obitum Antonii de Rupe-Maurelli providetur, & investitur de abbatia S. Marcelli per fratrem Petrum Senſat in sacra theologia doctorem, abbatis Cistercienſis vicarium generalem in spiritualibus & temporalibus, *in districtibus* parlamentorum Tolosæ ac Burdegalæ, die 14. Decembris 1601. Præcipuus monasterii sui restaurator,

bona a commendatariis alienata recuperavit, ecclesiam & monasterium reædificavit; quibus laudabiliter expletis abdicasse videtur abbatiam; quippe annis 1615. & 1616. nominatur Johannes Rey prior S. Marcelli in pluribus instrumentis. Sepultus est ante majus altare.

XL. Johannes VII. Bertrandus de Caminade, 1621.

XLI. Raimundus II. de Caminade, ultimus abbas regularis, 1631. 1647.

XLII. Johannes VIII. Bertrandus de Caminade, ex illustri apud Tolosates familia, abbas commendatarius S. Marcelli, & Bellæ-perticæ, 1649. 1650. 1654. obiit 21. Februarii 1656. tumulatus in conventu Fratrum Prædicatorum Tolosæ subtus altare S. Thomæ ad cornu epistolæ.

XLIII. Petrus X. Johannes Franciscus Persin de Montgaillard diœcesis Lactorensis 1657. nominatus ad episcopatum sancti Pontii abbatiam dimisit ad vitandam beneficiorum pluralitatem an. 1667. obiit anno 1713.

XLIV. Franciscus de Camps, sedebat anno 1713. simul abbas Signiacensis.

GARDA SEU CUSTODIA-DEI.

ABbatia hæc ordinis Cisterciensis filia Obasinæ fundata est 11. kal. Decembris anni MCL. a B. Stephano Obasinæ abbate, qui præfecit huic nascenti asceterio primum abbatem. Situm est in diœcesi & comitatu Cadurcensi, in senescallia Montis-Albani, & in territorio de Mirabel, ac parochia B. Mariæ de Viminiez. Quinque leucis dissitum ab urbe episcopali in valle satis amœna secus rivulum de Lambous, qui influit in Tarnium. Olim ædificatum fuerat in valle parochiæ S. Martini d'Ezarnac, cujus præsentatio idcirco adhuc ad abbatem Gardæ-Dei pertinet. Ab exordio institutum Cistercienſe ibi minime fuisse observatum probat bulla Innocentii papæ IV. qua confirmat bona, ecclesias, decimas, &c. quas idem monasterium, antequam Cisterciensium fratrum instituta susciperet, possidebat. Itaque erat primitus ordinis S. Benedicti. Præcipuus monasterii benefactor fuit Raimundus comes Tolosæ, qui anno 1181. multa contulit, quæ inter instrumenta legi possunt.

Ezarnac distat 8. leucis a Garda-Dei

SERIES ABBATUM.

I. Abbas datus huic loco a B. Stephano fuit Gerardus I. qui postea magistro suo Stephano successor est suffectus in Obazinensi monasterio.

II. Bernardus I. abbas testis nominatur anno 1177. in chartulario Obasinæ.

III. Geraldus II. abbas 1181. cui Raimundus comes Tolosæ multa contulit.

Ex tab. Belbon. IV. Johannes I. mense Julio an. 1191. Vide in Aimerico Candelii abbate. Item 1192.

Ex tab. Obasin. V. B. Bonus Tolosanus, 1210. 1230.

VI. G. 1230.

VII. Johannes II. Manualis an. 1242. regnante Ludovico Francorum rege, Alfonso comite Tolosano, die Veneris in festo sancti Lucæ, concordiam facit pro molendino cum Helia de Longual abbate sancti Marcelli.

VIII. Bernardus II. anno 1243. præerat, ut liquet ex donatione Petri de Bellefort facta hoc anno, in qua memoratur.

IX. Johannes III. Vidal, 1252. 1258.

X. Johannes IV. Manul, 1261. pro monasterio Obasinæ emit terram de la Mothe a Jacobo Donadei, ex charta abbatiæ Novæ, data die Jovis ante festum sancti Martini hyemalis. Idem an. 1262, in charta B. Mariæ de Eremo. Item annis 1265. & 1270.

XI. W. 1274.

XII. Petrus I. Golfur, 1275. in charta Obasinæ, & 1293.

XIII. Guillelmus I. Cepiere 1306

XIV. Jacobus I. Folchier, 1307. 1316. 1322.

XV. Arnaldus I. Raimond 1322. 1323.

XVI. Petrus II. Folchier. 1323.

XVII. Guillelmus II. abbas Gardæ-Dei, 1325.

XVIII. Jacobus II. Folchier, 1326.

XIX. Arnaldus II. Raimundi die 11. Febr. an. 1327. convenit cum capitulo Caturcensi de limitibus ecclesiæ de Mourat, & aliis. Idem 1329. & 1332.

XX. Guillelmus III. de Malesset, 1334. 1342.

XXI. Arnaldus III. de Caselot, 1344. 1347.

XXII. Petrus III. de Serazac, Sezarat, vel Seserat, 1349. 1360.

XXIII. Geraldus III. Garnier, 1366.

XXIV. Johannes V. Batude, 1371.

XXV. R. 1389.

XXVI. Durandus de Bono-fonte, an. 1418.

XXVII. P. Sereyjol, vel Sirieygol e diœcesi Lemovicensi oriundus 1443. 1463.

XXVIII. Johannes VI. de Ramon, vel de Ramondou, *alias* de Folmon, filius nobilis Petri de Ramondou equitis, Domini de Folmon, & senescalli Cadurcensis, licentiatus in decretis, primus abbas commendatarius Gardæ-Dei, 1464. & 1506. erat & abbas sancti Marcelli ab anno 1476. ad 1504. Obiit 1506.

XXIX. Johannes VII. de Gaulejac protonotarius sanctæ sedis apostolicæ, e nobili ortus familia, consiliarius regius in majori Consilio, rector sancti Germani d'Espanel, archipresbyter de Tiniers, cessit abbatiam sequenti 10. die Martii 1606. ex placito senatus Tolosani.

XXX. Johannes VIII. Desprez presbyter, dominus de Montpesat, Puy-la-Roque, &c. prior sancti Petri de Bridon, adversus Johannem de Gaulejac contendentem obtinuit abbatiam 1506. quam regebat & anno 1517. curavit scribi librum de prædiis & agris vectigalibus.

XXXI. Antonius I. d'Oriole e nobili stirpe 1533. obiit an. 1542. die 24. Nov. uti probat ejus epitaphium, in ecclesia beatæ Mariæ Deauratæ apud Tolosam, cujus prior erat. Damus hoc epitaphium inter instrumenta.

XXXII Antonius II. de Gouzoles, qui erat abbas sanctæ Margaritæ prope Belnam in Burgundia, providetur a summo pontifice de ab-

batia Gardæ-Dei 1543. vivebat 12. Julii 1544.

XXXIII. Bertrandus de Narbonne protonotarius S. ſedis apoſtolicæ, 1544. 1555.

XXXIV. Antonius III. Hebrard de S. Supplice, 1578.

XXXV. Antonius IV. Hebrard de S. Supplice, epiſcopus, baro ac comes Cadurcenſis, abbatiam obtinebat, 1587. 1600.

XXXVI. Antonius V. Hebrard de ſaint Supplice, archidiaconus major eccleſiæ Cadurcenſis, 1609. 1616.

XXXVII. Claudius-Antonius Hebrard de ſaint Supplice, archidiaconus major eccleſiæ Cadurcenſis, an. 1615. quo adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani, 1616. 1642.

XXXVIII. Chriſtophorus Hebrard de ſaint Supplice, canonicus & archidiaconus major Cadurcenſis, 1647. 1656.

XXXIX. Franciſcus de Peyronenc de ſaint Chamaran, 1667.

XL. Franciſcus Natalis de la Grange, 1673. 1677. 1706.

XLI. Henricus de Briqueville de la Luzerne epiſcopus, baro & comes Cadurcenſis, nominatur ad abbatiam Gardæ-Dei, menſe Januario 1707. ædificavit clauſtrum, refectorium, & alia loca regularia, partim ex hereditate anteceſſoris, partim ſuis ſumtibus, majora ſpondens.

B. MARIA DE GORDONIO.

ABbatia B. Mariæ de Gordonio, vulgo abbatia Nova, filia Obaſinæ ſub Ciſtercio, in diœceſi Cadurcenſi, ad rivum Sceaunis *, qui influit in Duranium fluvium ad duas leucas in pingui valle ſita eſt. Diſtat 5. leucis a Cadurco, unica a Gordonio. Ipſius autem fundatio referenda eſt ad Guillelmum de Gordonio, qui Obaſinenſibus dedit locum, ubi conſtructum eſt hoc cœnobium, & prædia quibus dotatur. Nunc jacet hæc abbatia pene deſtructa, ſtant enim tantum ædes abbatis, in quibus degit unicus monachus ſuperſtes. Charta Guillelmi de Gordonio ea omnia recenſet, quam idcirco hic damus poſt fratres Sammarthanos. *Guillelmus de Gordonio, dominus de Salvinco, omnibus Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Sub hujus ſcripti teſtimonio notum facio univerſis, quod ego dedi & conceſſi in puram & perpetuam eleemoſynam, factam donatione inter vivos pro ſalute animæ meæ, parentumque meorum, G. venerabili abbati Obaſin & conventui præſenti & futuro, in perpetuum poſſidenda Albacaſſania [a] & boiriam de Las Prevairias [b], & terram de Gros Cayro [c], Mairas [d] & Malaſmoliers [e], & podium Cisbertum [f] & manſos & poſſeſſiones de Aurimonte [g], & de Pradello [h], & de Genebra [i], & de Podio Fulcano [k], cum omnibus hominibus ſuis, & feodis, & cum omnibus juribus ſuis, terris, pratis, aquis, nemoribus, paſcuis, poſſeſſionibus cultis & incultis, & pertinentiis ſuis, quæcumque ſint, & ubicumque ſint, ita quod homines domus & fratres Obaſinæ habeant, teneant in perpetuum, & poſſideant tanquam veri domini, & pro voluntate ſua ordinent, & diſponant, nihil juris in his omnibus me vel meis retinens, ſed penitus me deveſtiens inveſtivi, in omnibus & per omnia pleno jure dictam domum Obaſinæ. Sciendum quoque quod eodem modo dedi & conceſſi dictæ domui & fratribus Obaſinæ totum jus quod habebam, vel dominium in fontibus de Mairagues *, & in omnibus hominibus & terris de Blanzagues *; præterea conceſſi dictis fratribus & domui Obaſinæ ut per omnem terram meam ſint immunes ab omni pedagio, conſuetudine, & exactione cum omnibus rebus ſuis, & hominum ſuorum, tam ipſi quam donati, vel homines ſui. Actum hoc in capitulo Obaſinenſi anno Domini 1241. menſe Martio 7. die menſis; & ad majorem firmitatem habendam, has præſentes litteras prædictarum rerum, prædicto abbati & conventui conceſſimus ſigilli noſtri munimine roboratas.* Idem G. de Gordonio præfatam donationem confirmavit in capitulo Obaſinenſi, præſentibus Johanne de Salis milite, & domno de Thorneſo, & dom. Antonio archipreſbytero de Daviniſiaco, 10. Martii 1243. Anno 1259. Domna Serena uxor Petri de la Marqua militis plurima concedit prædia eidem monaſterio: item Hugo Archambaldi, dedit feudum quod vocatur Moyſſen, in parochia de Perignaco, anno 1260. quod feudum pertinet ad abbatiam de Gordonio. Ex his fundata eſt nova hæc abbatia. Eidem monaſterio privilegium hoc ſummus pontifex impertitur: *Gregorius* * *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui monaſterii B. Mariæ Gordonii, Ciſtercienſis ordinis, Caturcenſis diœceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus inclinati, omnes libertates & immunitates a prædeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus, per privilegia, ſeu alias indulgentias vobis & monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum a regibus & principibus, & aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis indultas, ſicut eas juſte & pacifice vobis, & per nos eidem monaſterio auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti communimus. Nulli ergo &c. Datum Lugduni nonis Julii, pontificatus noſtri anno* III. *

* La Sceau.

* Maineſmot. * Blanzaguet.

* Greg. X.

SYLLABUS ABBATUM.

* An. Ch. 1273.

I. Abbas B. Mariæ de Gordonio ex Gallia Chriſtiana fuſiori jam vulgata, eſt Odo de Ventadorio; ſed noſter Jacobus Boyer teſtatur in monaſterii tabulis, quas accurate inſpexit, nullibi ejuſdem haberi mentionem. Itaque cenſet primum qui præfuerit, eſſe Durandum, qui annis 1261. & 1262. multa emit ab Hugone de Cazato, a Bernardo de la Cappelle, & ab Amalvino de Felenor milite.

II. Petrus de la Tieyra primo loco collocandus poſt Durandum I. nam in capitulo Grandis-ſylvæ ordinis Ciſtercienſis legitur hoc epitaphium circa lapideam tumbam inciſum, cui monachi effigies inſculpta eſt: *Anno Domini* MCCCXIII. *pridie idus Januarii, obiit frater Petrus de la Tieyra, monachus Grandis-ſylvæ, ma-*

a Albe-Caſſagne. Preveiries. c Gros Cairou. d Mairs. e Males-Moulieze. f Peeb-Silbert (ubi nunc ſitum monaſterium) idem eſt ac Podium Silveſtre. g Auximont. h Pradel. i Genebre. k Peeb-Foulque.

giſter artium condamque abbas de Gordonio, cujus anima requieſcat in pace.

III. Bonus abbas B. Mariæ de Gordonio, 1320.

IV. Durandus II. 1337. 1339.

V. N. la Coſte, 1345.

VI. Durandus III. 1351.

VII. Geraldus Porqueri, 1395.

VIII. Bernardus de Maranſac ab an. 1452. ad 1478. reperitur in pleriſque inſtrumentis, & multa ſuo acquiſivit cœnobio.

IX. Johannes I. Lobaudy (non l'Obaudry) ab an. 1479. ad an. 1483. prædeceſſoris veſtigia ſecutus eſt.

X. Johannes II. de Ventadour protonotarius, abbas Obaſinæ, & B. Mariæ de Novella, matrem ſimul & filiam obtinebat an. 1495. 1500. obiit 1518.

XI. Frater Johannes III. Vialard abbas 1538.

XII. N. Cipel 1540.

XIII. Deodatus I. Sarred ex oppido Montis-falconis oriundus, canonicus S. Honorati Pariſienſis, abbas commendatarius 1543. 1554.

XIV. Franciſcus Capelle clericus diœceſis Cadurcenſis e loco de Peyrat, nominatur a rege Carolo IX. 1572. inſtitutus eſt bulla Pii papæ V. data apud S. Petrum XVI. cal. Junii pontific. anno ſexto incarn. 1571. per ceſſionem Deodati Sarred canonici eccleſiæ collegiatæ ſancti Honorati pariſienſis.

XV. Deodatus II. Capelle ſuperioris nepos, profeſſus abbatiæ Novæ, ab Henrico III. 1575. nominatur abbas.

XVI. Martinus Metail filius nobilis Antonii Metail, & Clementiæ Sarred. Huic Martino clerico Cadurcenſis diœceſis Johannes Balaguerius epiſcopus Cadurcenſis confert prioratum S. Alauziæ vacantem per ſimplicem renuntiationem Caroli Briſſonnet clerici Pariſienſis. Actum Cadurci 20. Octob. 1573. Erat ſecretarius ærarii regii 1597. abbatiam Novam obtinebat in commendam, an. 1610. 1612. 1618. 1620.

XVII. Carolus I. de Vic clericus Pariſienſis, abbatiam conſecutus eſt bulla Urbani papæ VIII. data Romæ apud S. Petrum anno incarn. 1623. III. nonas Martii, pontific. an. primo. Erat nepos Deodati de Sarred. Obiit. an. 1650.

XVIII. N. de Francoules ex domo de Beſſe.

XIX. Matthæus des Pruets canonicus Santonenſis, doctor Theologus, protonotarius apoſtolicus permutavit cum ſequenti.

XX. Carolus II. de Cairol, regia conſiliis & eleemoſynis 1660 Erat natus in loco de *Limon* in Occitania. Obiit in loco de *Prouille*.

XXI. Andreas de Cami Gordonienſis, filius Johannis Petri de Cami, domini d'Aymare, & Margaritæ de Jaubert de Raſſials, abbas B. Mariæ de Gordonio 1680. adhuc ſuperſtes 1713.

Sunt & alii duo abbates quorum tempus ignoratur, alter e domo *Aymare* prope caſtrum de *Saint Chamarand* in Cadurcenſi diœceſi, cujus ditionem emit dominus de Cami; alter e domo de *Raymond d'Auty*, in eadem diœceſi prope Gardam-Dei. Hujus autem ſtemmata cernuntur in camino Aulæ abbatialis ſanctæ Mariæ de Gordonio.

GRATIA-DEI.

GRatia-Dei virginum monaſterium ordinis & filiationis Ciſtercienſis diœceſis Caturcenſis, dictum etiam Lumen-Dei, Gallice *Leime*, & *de Heremo*, primam ſui originem Guillelmo de Cardaillac epiſcopo Caturcenſi debere videtur, qui obtenta a Caturcenſibus B. Mariæ Deauratæ ſanctimonialibus Benedictinis eccleſia Luminis-Dei, ſita in montibus Cadurcinis, in valle ſilvis circumſepta, una leuca ab oppido ſancti Sereni, octo vero ab urbe Cadurco, moniales ordinis Ciſtercienſis in eadem inſtituit. Saltem id innuere mihi videtur primarium ejuſdem parthenonis inſtrumentum de conceſſione præfatæ eccleſiæ, quod hic referre operæ pretium duximus.

Conventus ſanctimonialium ſancta Maria de Deurata civitatis Caturcii præſentibus & futuris ſalutem. Notum fieri volumus univerſis, quod ad preces venerabilis patris noſtri, & domini Guillelmi Caturcenſis epiſcopi, dedimus G. præpoſito de Vairac fratri ejuſdem domini epiſcopi eccleſiam de Leme cum pertinentiis ſuis, retentis in eodem loco viginti ſolidis cenſualibus in feſto nativitatis Domini annuatim reddendis: volentes quod in nullo alio eadem eccleſia noſtro monaſterio de cetero teneatur, nec rectores ejuſdem loci nobis vel ſucceſſoribus noſtris in aliquo alio teneantur, niſi tantummodo in dictis viginti ſolidis dicto termino perſolvendis, ſed libere a nobis perpetuo permaneant abſoluti. Conceſſimus inſuper ipſi G. quidquid juris habebamus in dicta eccleſia & pertinentiis illius, tali modo quod ipſe G. dictam eccleſiam de Leme cum pertinentiis eccleſia & poſſeſſionibus acquiſitis & acquirendis libere cuicumque voluerit concedat, homini vel mulieri vel etiam monaſterio religioſo, *ſalvo jure epiſcopali. Promiſimus inſuper eidem G. quod noſtras daremus litteras quittationis noſtræ facta illi, cui idem G. conceſſerit memoratam eccleſiam vel* monaſterio; *nullamque movebimus querelam de cetero ipſi G. vel alii, qui eamdem eccleſiam de ſua donatione habuit vel monaſterio, nec aliquam moleſtationem faciemus; aſſiſtentibus & præſentibus, & concedentibus Raimunda de Avarſonio, Sibilla de Concours, Marſibilia Ricart de Begos, Geralda, Majoſa, Bernarda Mancipa, Petrona, Agarna, Geralda, Johanna, Umberga, Guillelma, Frotarda, Petronilla Chatgueira, Narengard Na. Elias, Raimunda de Avarſonio minore. Actum in choro monaſterii, in præſentia domini & patris noſtri Guillermi Caturcenſis epiſcopi menſe Januarii anno incarnati Verbi milleſimo ducenteſimo decimo tertio: & ad majorem firmitatem præſentes litteras ſigillo noſtri capituli volumus præmuniri, teſtibus Ponsio archidiacono de Vallibus, Ar. archipreſbytero Caturcenſi, B. archipreſbytero Figiacenſi, C. de Caſals capellano noſtro. R. de Faurguetas, P. Barrau Arnaldo Mancip, Petro Dets-Plas monacho Tute-*

lenſi, G. Sarralha, Bolonhin. Ut autem quæ A *præmiſſa ſunt majorem obtineant firmitatem, ſigillo Pontii archidiaconi ſupradicti fecimus roborari.*

Septem poſt annis, conſtructo monaſterio, præfatæ B. Mariæ Deauratæ ſanctimoniales eamdem eccleſiam Luminis-Dei Anglinæ abbatiſſæ confirmaverunt ſequentibus litteris. *G. prioriſſa eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Deaurata: & conventus ipſius loci omnibus has litteras inſpecturis ſalutem. Noveritis quod nos dedimus & conceſſimus ad preces domini Willelmi Caturcenſis epiſcopi eccleſiam de Leme, cum pertinentiis ſuis domina abbatiſſæ Luminis-Dei, ſcilicet Anglinæ* B *& filiabus ſuis, ſalvis duodecim ſolidis, quos in domo retinemus cenſuales, niſi in alio loco ad noſtram voluntatem dicta abbatiſſa vel prioriſſa de Leme aſſignaret. Et debent perſolvi annuatim apud Caturcum dictis monialibus de Deaurata ad natale Domini; quod ſi non perſolverant, debemus requirere dictum cenſum, ſcilicet duodecim ſolidos ad locum de Leme. Ad majus robur teſtimonii præſentem paginam ſigilli noſtri munimine fecimus præmuniri. Actum anno incarnati Verbi* MCCXX.

Eidem Parthenoni Guillelmus epiſcopus Cadurcenſis conceſſit eccleſiam B. Mariæ de Roëriis, an. 1246. *Die Luna poſt octavas ſanctæ Joh.* C *Bapt.* addita hac laude: *Novella plantatio Ciſterc. ordinis, quæ divino numine adeo pullulavit, quod per Dei gratiam in eadem viget religio; ac etiam devotiſſime cuſtoditur, ad honorem Jeſu Chriſti, & glorioſiſſimæ matris ejus obſervantia regularis.* Huic monaſterio Eremi ſubſunt quatuor prioratus, ſeu monaſteria monialium ordinis Ciſtercienſis, videlicet de Liſſac, de Vic, de Liſieres, & de Coſte-Jean, in diœceſi Cadurcenſi. Sane hic juvat referre clauſulam teſtamenti Deodati Baras militis, domini caſtri Montis-bruni Caturcenſis diœceſis filii quondam domini Deodati Baras militis, qui fundavit monaſterium de D Liſſac, in quo ſuam elegit ſepulturam: *Anno incarnationis Domini* MCCLXXX. *menſe Septembri in vigilia B. Matthæi apoſtoli regnante Philippo Francorum rege .... Item lego & relinquo totum aſſarium meum, & reparium vocatum de Liſſac cum juriſdictione alta & baſſa, cum mero & mixto imperio, &c. .... ad opus religionis & collegii dominarum, & monaſterii ibi faciendi & conſtruendi, ſcilicet quod ibi præficiantur domina ſub habitu Ciſtercienſi, ita quod domina Aymengua monialis domus de Leyme, ſi tunc viveret, præficiatur ibi pro prioriſſa, & ſorores ibi inſtituantur prout dicti loci ſup-* E *petent facultates, & quod dictus locus ſit ſubmiſſus monaſterio de Leyme, ita quod in dicto loco de Liſſac prioriſſa eligatur per ſorores loci de genere meo ſi ibi ſit idonea, alioquin de gremio ipſius loci de Liſſac, ſi ibi idonea inveniatur; ſin autem de gremio dicti monaſterii de Leime; & quod abbatiſſa debeat abſque diſpendio & difficultate aliqua confirmare electam; & pro ſubjectione volo quod prioriſſa dicti loci det ſingulis annis monaſterio de Leyme duos moretones aureos, & ad nihil aliud dandum teneatur.* Sequentes autem abbatiſſas, quæ videntur fuiſſe triennales, ex inſtrumentis dicti parthenonis in bibliotheca Colbertina aſſervatis, & ex aliis genuinis eruimus.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Anglina I. occurrit abbatiſſa Luminis-Dei an. 1210. quo ei datur eccleſia hujus loci, petente Guillelmo epiſcopo Cadurcenſi.

Eadem fortaſſis eſt cum Ayglina, quæ in charta monaſterii an. 1235. dicitur mater epiſcopi Caturcenſis; abdicato ſcilicet regimine, & poſtea reſumto.

II. Guillelma, cui anno 1231. Petrus del Caſtel Baſtidæ magiſter, annuentibus fratribus concedit villam de Fraugata, & villam de Corbo ſub annuo cenſu. Eidem anno 1233. Raimundus Marciliaci abbas eccleſiam de Flaviaco* ſub annuo item cenſu donavit. Quo anno excepit etiam donationem Vila-fortis de Iliverno, Guillelmæ ipſius uxoris, & Archambaldi eorum filii, & anno 1240. donationem Girberti de Caſtro-novo, Guarini de Caſtro-novo ipſius filii, & Finaſiæ ipſius uxoris. Adhuc erat ſuperſtes an. 1246. * Flaugeac

III. Aimerica ab an. 1262. ad an. 1285.

IV. Helena I. 1289.

V. Eſclarmunda *al.* Eſclarimunda, 1293. hominium præſtat Raimundo Turenæ vicecomiti, pro quibuſdam prædiis. Permutationem fecit cum Bertrando la Roca priore domus de Carmelis ordinis de Corona 1298. quo etiam anno tranſigit cum priore de Carennaco ſuper nonnullis decimis. Præerat adhuc anno 1308.

VI. Galiarda de Duro-forti, 1314. 1326.

VII. Helena II. cognomento de Baras, 1331. 1335.

VIII. Antonia, 1341.

IX. Ayglina II. de Felſine jam regebat 1342. Die 25. Sept. an. 1343. ea procurante uniuntur eccleſiæ de Flaviaco & de Roëriis. An. 1351. tranſigit cum Guillelmo Rogerii de Bello-forti vicecomite Turenæ, cui & eodem anno hominium præſtitit præſente Bertrando epiſcopo Lombarienſi, & Gallardo electo Xantonenſi.

X. Galiana ſeu Galiena 1365. 1369. 1371. Delphinæ de Lentiliaco prioriſſæ de Leiſſaco a monaſterio Gratiæ-Dei dependente, facultatem indulget tranſigendi cum Deodato Barraſli domino de Bedorio: ſub ea degebant 32. moniales.

XI. Riqua, 1378.

XII. Richarda Bona-foſſa, 1382. cal. Maii.

XIII. Bairana de Caſtelnau, 1406.

XIV. Johanna de Montemurato memoratur in litteris Caroli regis & aliis, an. 1409. & 1419.

XV. Bairana de Caſtelnau, eadem fortaſſe quæ ſuperius, iterum ad regimen aſſumta an. ſaltem 1431. menſe Maio. Obtinet litteras fundi emortui a Carolo VII. rege, menſe Auguſti an. 1435. his in litteris hic parthenon legitur fundatus a ſancto Ludovico, quod tantum de dotatione debet intelligi.

XVI. Salvana, 1438.

XVII. Barrava ſeu Barravia de Caſtro-nove, 1444. 45. 47. 52.

XVIII. Barrava de Beaufort, 1455.

XIX. Johanna de Baras, 1470.

XX. Helena de Beaufort, 1477. 1481.

XXI. Barrava de Caſtelnau 1481.

XXII. Helena de Beaufort, 1487. an. 1491. componit de quibuſdam controverſiis cum Johanna

Johanna de Baras prioriſſa de Liſſaco, die 24. Septembris, ſedit ad an. 1513. poſtquam ſenatus decreto contra Finam de Barra an. 1499. confirmata fuit abbatiſſa.

XXIII. Ludovica de Rouſſet 1526. 1535.

XXIV. Franciſca de Noailles, 1551.

XXV. Margarita de Biran 22. Febr. an. 1573. benedicitur a Dominico Bigorro Alb. epiſcopo.

XXVI. Johanna de Puydeval inſtituitur bulla Gregorii papæ XIII. anno 1579. pontificatus anno octavo, erat adhuc in vivis 1606.

XXVII. Johanna de Noailles, 1627. 1631.

XXVIII. Anna d'Orviré de la Vieuville, 1656.

XXIX. Johanna-Franciſca de Noailles profeſſa ordinis ſancti Benedicti, in monaſterio S. Saturnini ſubtus Ruthenam ex abbatia B. Mariæ de Mercoria, transfertur ad Eremum nominatione regia, die 1. Junii 1686. Bullas obtinuit ab Alexandro VIII. datas apud ſanctam Mariam majorem anno incarnationis 1690. pridie idus Aprilis, pontificatus anno primo. Jure monaſterii ſui reſtauratrix dici poteſt. Conſtruxit enim loca regularia, reſtauravit eccleſiam, & egregie adornavit; ædificavit ſacellum ſancti Eutropii. Denique piæ abbatiſſæ munificentiam clamant omnes Eremi lapides, & parochiæ Eremo ſubditæ. Obiit maximum ſui deſiderium relinquens, & ſepulta eſt egregio, ut merebatur, donata ſepulcro prope majus altare a latere epiſtolæ, ubi hæc leguntur:

D. O. M.

Quæ templum hoc incendio conſumtum reſtituit,
Locum monumento quo ipſa inferretur
Hic jacet
JOHANNA FRANCISCA DE NOAILLES
Nomen orbi notiſſimum.
Si mores requiris,
Pietas ſine fuco, imperium ſine ſupercilio,
Animi candor, indolis, ac ingenii dotes
Pene ad miraculum effinxerant:
Si dignitatem,
Mercoria Eremum abbatiſſam tranſtulit
Perſpecta LUDOVICO MAGNO *religio*
Dubiis religionis temporibus.
Amantiſſima ſorori
Chriſtina monaſterii abbatiſſa
Mœrens & ægre ſuperſtes parentabat.
Obiit anno 1705.

XXX. Maria Bouchard Deſparbés de Luſſan d'Aubeterre, filia Franciſci filii IV. Mareſcalli d'Aubeterre, & Mariæ de Pompadour, profeſſa monaſterii S. Bernardi Tutellenſis, cui ſapientiſſime præfuit 15. annis a ſuis ſororibus electa. Nominatur ad abbatiam B. Mariæ de Eremo, ſeu de Gratia-Dei, die 30. Maii 1705. inſtituitur bulla Clementis papæ XI. data Romæ apud S. M. majorem 1705. XVII. cal. Aug. pontif. anno quinto. Cum omnium laude regit hoc anno 1712.

HOSPITIUM BELLI-LOCI, Ordinis S. Johannis Jeroſolymitani.

BEllus-locus domus hoſpitalis ordinis ſancti Johannis Jeroſolymitani inſignis, diœceſis Cadurcenſis, Theminas inter & Gramatum; fundatur a nobili viro Guiberto de Theminis, & Ayglina ipſius conjuge, qui divino amore compuncti, religioſum ibidem habitum ſumſerunt, & ſanctis operibus plenam vitam in ea finientes reſurrectionem ibidem exſpectant. Guillelmus epiſcopus Cadurcenſis multa etiam contulit huic ſacro loco litteris datis menſe Martio an. 1250. Unde liquet fundatum eſſe Bellilocenſem parthenonem ante an. 1253. Imo jam conſtructum fuiſſe an. 1245. probat charta Gerardi Cadurc. epiſcopi quæ eſt inter inſtrumenta. Subjacebat autem magiſtro hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani, ac primum per prioriſſas gubernabatur, quæ ab annis circiter ſexaginta abbatiſſæ titulum aſſumſerunt. Earum ſeriem, quantum ex chartis, quæ in bibliotheca Colbertina exſtant, colligere licuit, exhibemus. *Chart. XLVII. pag. 49. ab a.*

Series prioriſſarum & abbatiſſarum.

I. Ayglina de Theminis 1298. litteras a Guillelmo de Villareto magiſtro hoſpitalis S. Johannis Jeroſolymitani impetravit, quibus ille facultatem facit ſororibus Belli-loci eligendi ſibi in poſterum prioriſſam. Quo anno die Jovis poſt inventionem ſancti Stephani excipit donum eccleſiæ de Soanaco. Cum Sicardo epiſcopo permutationem fecit 1299. a quo eccleſiam ſancti Medardi accepit, &c. A Guiberto de Themines & ipſius filio cognomine donationem non ſpernendam obtinuit, 1300.

II. Agnes de Orlhaco defuncta 1347. Quo etiam anno pie obdormivit in Domino Flora virgo ſanctiſſima, virtutibus ac miraculis illuſtris, die 11. Junii.

III. Ayglina II. de Theminis electa 29. Novembri. 1347. Guillelmo de Belhana priori ſancti Ægidii indebitam, ut contendebat, recuſat obedientiam 1349. Migravit a ſeculo 1369.

IV. Sibilla de Gordonio electa 12. Decembris, 1369. * * 1349.

V. Iſabellis de Beduerio diem clauſit extremum 1386.

VI. Maliana * Aymeriqua, cujus electionem a priore S. Ægidii confirmari 1386. 13. Februarii petunt ſorores. * Mariana.

VIII. Bertranda de la Garde, cujus electionem confirmat Bertrandus d'Arpajon prior S. Ægidii 9. Junii 1422.

IX. Anna de Caſtelnau ſimul abbatiſſa ſancti Saturnini Ruthen. teſtamentum ſcribit die 9. Novembris 1528.

X. Jacoba de Genoüillac, cui de paternis bonis diſponere permittitur 23. Novembris 1558. An. 1579. die 13. Maii breve regium accipit ad tranſcribendum cui libuerit, prioratum.

XI. Antonia de Beaumont, die ultima Decemb. 1597. facultatem obtinuit reſignandi Antoniæ de Vaſſal. Verum præerat adhuc an. 1611. quo prioratum de Feudo gallice *Fieus* Bellilocenſi hoſpitali auctoritate apoſtol. Pauli V. univit; an-

nuente Galiotà deGordon de Vailhac, dicti prioratus prioriſſæ. Porro illa domus de Feudo, vel de Feudis fundata ſeu dotata fuerat pro 20. monialibus, ab Eblone de Mederio epiſcopo Vaſionenſi, ejuſque fratribus Guillelmo abbate ſancti Ægidii, & Oliverio, ſeculo XIV. jam inclinato, ea lege ut prioriſſæ eligerentur de genere dominorum de Mederio (*de Miers*). Reſignavit ſequenti 1618.

XII. Antonia de Vaſſal du Couderc 1618. per ceſſionem præcedentis, quæ anno 1624. unionis A prioratus de Feudo cum Bellilocenſi confirmationem impetravit a Ludovico rege. Ceſſit ſequenti, 1634.

XIII. Galiota a S. Anna de Genolhac, de Vailhac, bullas ex reſignatione præcedentis obtinuit ab Urbano VIII. datas Romæ 5. Aprilis 1634. Quas hactenus retulimus, prioriſſarum tantum titulum habuerunt.

XIV. Galiota de Gourdon de Vailhac prima abbatiſſa 1661. excipit fundationem Alberti de Forbin magni prioris ſancti Ægidii.

ECCLESIA RUTHENENSIS.

* L'Aveiron.

SEGODUNUM Ruthenorum urbs Aquitaniæ primæ in conſpectu Averionis * fluvii, olim ſub Bituricenſi metropoli, nunc ſub Albienſi & parlamento Toloſano; civitas Ruthenorum appellatur in Notitia provinciarum, cujus populi Rutheni apud Cæſarem lib. 1. de bello Gallico dicti Narbonenſi provinciæ confines ſunt, & juxta Strabonem & Plinium I. ipſorum urbs Segodunum a Ptolemæo; Ruthena vocitata eſt variis locis a Greg. Turon. in hiſtoria, uti in epiſtolis ſancti Deſiderii Cadurcenſis præſulis; & Rotenus Aimoino ſancti Germani Pratenſis monacho de tranſlatione corporis ſancti Vincentii lib. 2. c. 16. ubi pagum appellat Ruthenenſem, & Rodininum. Principatum hujus regionis obtinuere olim comites Rutheni, quorum proles a multis annis defecit; fruebanturque dominio Burgi Ruthenenſis, epiſcopi vero civitate, cujus etiamnum toparchas & comites ſe inſcribunt. Aliquandiu epiſcopus & comes conjunctim comitatus juribus potiti ſunt, ex amica compoſitione, ut infra dicturi ſumus. Urbs in colle ſita montibus cincta, curia præſidiali edicto regio an. 1685. inſignita eſt. Eccleſia cathedralis ſub B. * Virginis patrocinio conſecrata, ſpectabilis eſt amplitudine ac forma. Capitulum conſtat quatuor archidiaconis, Ruthenenſi qui major eſt, Conchenſi, Antoninenſi, & Amelienſi; cantore, ſacriſta, & 25. canonicis. Tempore Urbani II. capitulum ad ſtatum regularem tranſiit, ut liquet ex bulla hujus papæ data an. 12. ejus pontificatus, qua laudat & approbat quod canonici eccleſiæ Ruthenenſis mores ſuos ſub regularis vitæ diſciplina coërcere, & communiter ſecundum SS. Patrum inſtitutionem omnipotenti Deo deſervire propoſuiſſent; ſimul interdicit ne cui poſt profeſſionem exhibitam proprium quid habere liceat, aut abſque præpoſiti licentia de clauſtro exire. In diœceſi numerantur quingentæ circiter eccleſiæ parochiales.

* Vide in Adrmaro III.

Olim ſedes epiſcopalis totum pagum Ruthenicum complectebatur, inferiorem & ſuperiorem. Poſtea ex hac ampla diœceſi diſtracta quædam portio erecta eſt in Vabrenſem epiſcopatum.

Sexto ſeculo intra fines Ruthenenſis diœceſis, fuit alius epiſcopatus, ſcilicet Ariſitenſis vel Ariſidienſis, de quo quædam hic dicenda.

Tempore Aigulfi Metenſis epiſcopi, Theudebertus rex vicum Ariſidium per ſuum præceptum eccleſiæ ſancti Stephani Metenſis contulit; quem locum Deotarius legitur conſtruxiſſe, aut reſtauraſſe. Ariſidium hereditario jure ad Deotarium ejuſque fratres Anſbertum ſenatorem, Aigulfum, alioſque pertinuiſſe conjicit Cointius ad an. 569. n. 17. *quia*, inquit, *non procul ab eo erat Trevidon antiqua Ferreolorum ſedes*: ſcilicet majorum Anſberti * ejuſque fratrum. Porro Aigulfus epiſcopus Metenſis *Germanum ſuum Deotarium in eodem vico Ariſidio epiſcopum conſtituit, & poſt dominum Deotarium nepos ipſius domnus Modericus eſt ordinatus epiſcopus, per ordinationem Metenſis epiſcopi.* Hæc auctor genealogiæ Pipini regis. Moderici meminit Greg. Tur. l. 5. cap. 5. *qui a rege indultus ac tonſuratus epiſcopus ordinatur*, inquit, *ſub ea quidem ſpecie, ut dum beatus Tetricus * viveret, hic Ternodorenſe caſtrum ut archipresbyter regeret .... migrante vero deceſſore* (Tetrico) *iſte ſuccederet*: At cum iram regis incurriſſet, ac in arcta turri ſuper ripam Rhodani cuſtodiæ mancipatus fuiſſet; inde ereptus fugit ad Sigebertum regem, a quo *apud Ariſitenſem vicum epiſcopus inſtituitur, habens ſub ſe plus minus * diœceſes quindecim, quas primum Gothi tenuerant, nunc vero Dalmatius Ruthenenſis epiſcopus vindicabat.*

* Parentes habuiſſe dicuntur Ferreolum & Induſtriam nobiliſſimi generis, Pipini & Caroli magni propagatores.

* Lingonum epiſcopus.

* id eſt parochias.

Ex ultimis Gregorii Turon. verbis, quidam autumant eo loci epiſcopatum a Gothis Arianis inſtitutum fuiſſe. Perſeveravit ſaltem uſque ad an. 625. quo Emmo Ariſitenſis epiſcopus adfuit ſynodo Remenſi ſub Sonnatio archiepiſcopo, Flodoardo teſte.

De loco ubi erat ſedes hæc epiſcopalis, digladiantur eruditi. Vix dubitamus ſtetiſſe in agro dicto etiamnum l'*Arzat*, longo circiter ſex leucas in pago Ruthenenſi, & comitatu Ameliæ, *Milhau*. In urbe Amelia eſt antiqua eccleſia, quæ anno 1070. data eſt Bernardo celeberrimo abbati ſancti Victoris Maſſilienſis; eique prioratus conventualis. Utrum hæc fuerit ſedes epiſcopi, quis aut aſſerat aut neget? Agrum dictum l'*Arzat* dedit Berengarius comes Barcinonenſis fratribus militiæ templi, & fratri Heliæ de Monbrun, in illis partibus hujus militiæ magiſtro, pro remiſſione ſuorum peccatorum, & ſalute animæ patris ſui, qui fuerat *frater* hujus militiæ. *Dat. menſe Decembri an*

MCLVIII. Ibidem fundata eſt domus militum templi ſub titulo S. Eulaliæ Ariſitenſis, ut nos docent tabulæ aſſervatæ in domo publica urbis Ameliæ, quarum exempla legimus. Pariſiis prodiit in lucem an. 1644. *Diſſertatio de Ariſitenſis epiſcopatus nomine, ſitu, inſtitutione, progreſſu & præſulibus opera P. Thomæ Aquinatis a S. Joſeph Carmelitæ excalceati*, quam conſulet qui plura voluerit de hoc argumento. His de Ariſitenſi epiſcopatu præmiſſis, nunc de Ruthenenſibus epiſcopis agendum eſt, ad quorum catalogum conficiendum, ſcribendamque hiſtoriam, adhibuimus plurima vetera inſtrumenta. Uſi ſumus inſuper commentariis MSS. de epiſcopis Ruthen. auctore Antonio Bonal prætore ſeu judice montanorum locorum in Ruthenis*, qui aſſervantur in bibliotheca Colbertina, notati 143.

c* Juge des montagnes de Rouergue.

EPISCOPI RUTHENENSES.

I. S. AMANTIUS.

ANNI CHRISTI.

PRimus in Ruthenenſium antiſtitum cenſu locus debetur (ſaltem conceditur ab omnibus ſcriptoribus) S. Amantio, quem vulgus appellat *S. Chamant*. Hic cum eſſet ex urbe Ruthena ortus, mundo valedicens ita profecit in virtutum omnium exercitatione, ut ad epiſcopatum ſuæ civitatis electus ſit. Qua in ſtatione ſedulam ſuæ ſuorumque ſanctitati promovendæ operam navans, feliciter vitam etiam plurimis C miraculis illuſtrem conſummavit, quinto ſeculo ad finem vergente, inquiunt Bailletus & alii qui ad ſeverioris cenſuræ leges ſcripta veterum diſtringunt & geſta. Perpetua tamen & conſtans eſt apud Ruthenos traditio S. Amantium a S. Martiale Aquitanorum apoſtolo fuiſſe ordinatum, inquit Antonius Bonal. Pridie nonas Novembris notatur in veteri martyrologio, Spicilegii tom. IV. *Rotenus civitate depoſitio S. Amantii epiſcopi & confeſſoris.* Idem ejus depoſitionis dies in martyrologio Romano ſignatur, addita ipſius vitæ, ob ſanctitatem & miracula, commendatione. De eo fit mentio in vita S. Quin- D tiani apud Surium, die XIII. Novembris. Ibidem ad diem IV. Novembris legitur S. Amantii vita, oratorio potius quam hiſtorico ſtylo ſcripta, auctore Venantio Fortunato; ſed quo tempore ſanctus præſul vixerit nullibi prodit ſcriptor. Tantummodo ex ejus narratione colligitur idololatriam tunc apud Ruthenos adhuc ſuperſtitem, quam non ſolum ruſtici, ſed etiam viri nobiliores ſectarentur; quod a ſeculi V. moribus, Galliam ſi ſpectemus, minime abhorret. S. Amantii vitam edidit quoque Labbeus, t. II bibliothecæ p. 474.

Cultus religioſus ſancto Amantio ab antiquis E conceſſus temporibus maxime probatur ex variis monaſteriis, aut aliis eccleſiis in ejus honorem conditis. Bercharius in hiſt. brevi epiſcoporum Virdun. in Magdalvio epiſcopo, qui obiiſſe dicitur an. 776. meminit veteris abbatiæ in *Rodenica* ſitæ, videlicet in burgo, de qua poſtea loquemur; & chronicon Fontanellenſe, cujuſdam ſacræ ædiculæ haud procul a cœnobio conſtructæ, ubi erant nonnulla S. viri pignora; Spicilegii tom. III. cap. 7. p. 193. His adde celebre aſceterium S. Amantii in Buxia diœceſis Engoliſm. de quo ſuo loco dicendum erit. Utrum S. Amandus Redonum epiſcopus V. ſeculo, idem ſit ac noſter Amantius, ſuo loco expendendum erit.

II. S. QUINTIANUS.

ANNI CHRISTI.

Inter S. Amantium & S. Quintianum, aliquem epiſcopum, immo aliquot antiſtites ſediſſe, qui etiam martyrio coronati ſunt, liquet ex epiſtola 6. libri ſeptimi Apollinaris Sidonii ad Baſilium, in qua Ruthenos accenſet aliis Aquitaniæ populis, Burdegalenſibus, Petrogoriis, Lemovicibus, Gabalitanis, &c. quorum *ſummi Sacerdotes morte truncati fuerant*; quibus cum ſucceſſores dare non licuiſſet, eccleſiæ remanſerant viduæ. Hanc orthodoxis perſecutionem indixerant reges Gothorum Ariani. Ruthenam autem civitatem tunc paſtore orbatam fuiſſe probat alia quoque ejuſdem Apollinaris epiſtola, nimirum decima quinta lib. IV. ex qua diſcimus ipſum accerſitum fuiſſe ab Elaphio, ad conſecrandum baptiſterium, quod ille vir in Ruthena urbe conſtruxerat; ſi enim proprium tunc Rutheni epiſcopum habuiſſent, cur accerſendus fuiſſet Arvernenſis epiſcopus, per itinera Alpinis rupibus cincta, brumali tempore, per ſubjectas cautes, & per ſuperjectas nives, ut ipſe deſcribit? Ceterum miramur nonnullis placuiſſe ex hoc Elaphio, baptiſterii conditore, facere quemdam epiſcopum, qui in cathedra Ruthenenſi præceſſerit S. Quintianum, cum Apollinaris Sidonius, ne verbum quidem dicat quod huic opinioni patrocinetur.

Itaque primus poſt S. Amantium notus epiſcopus Ruthen. eſt S. Quintianus, de quo Greg. Turum lib. 2. hiſt. c. 36. tum libro de Vit. Patrum c. 4. multa narrat ex quibus præcipua ſeligemus.

Quintianus natione Afer, & juxta quoſdam nepos Fauſti epiſcopi confeſſione celeberrimi in perſecutione Wandalica, eadem forſan tempeſtate actus ad Galliæ littus, cum virtutum ſplendore fulgeret, non diu ignotus manſit; ſed ad epiſcopatum Ruthenæ eccleſiæ *eligitur, expetitur, ordinatur.* Honoris augmentum magna fuit in eo virtutis, & meriti acceſſio. Singulari ſtudio cultum ſancti Amantii promovit, & aucta ipſius baſilica, ſanctum ejuſdem corpus illuc tranſtulit. *Sed non fuit ſancto acceptabile hoc opus*, inquit Greg. Turon. lib. de Vitis patrum c. 4. *Unde factum eſt ut per viſum apparens diceret ei: quia auſu temerario artus in pace quieſcentes viſus es amoviſſe, ecce ego removebo te ab hac urbe & eris exſul in regione altera.* Nec vaticinium fefellit; nam Gothi orta ſuſpicione quod vellet epiſcopus ſe ſubdere Francorum ditioni, eum gladio perfodere cogitarunt.

by Google

ANNI CHRISTI.

Quare fugiens, Arvernos petiit ubi a ſancto Eufraſio epiſcopo humane exceptus eſt; fuitque inter ipſum & Lugdunenſem epiſcopum pietatis certamen, quis exſulem pluribus aut potioribus cumularet beneficiis. Eufraſio, & qui ipſi ſucceſſor datus eſt Apollinari poſt tres regiminis menſes mortuis, ſanctus Quintianus juſſu Theoderici Francorum regis Arvernorum epiſcopus conſtituitur. Sed quæ in hujus eccleſiæ gubernatione geſſerit narrare ſupersedemus. Ut epiſcopus Ruthenæ civitatis ſubſcripſit Agathenſi concilio an. 506. & Aurelianenſi I. an. 511.

506. 511.

III. S. Dalmatius.

Nulla Dalmatii Ruthenorum epiſcopi prius occurrit memoria, quam anno 535. quo ſedit in concilio Arvernenſi I. ut perſuadet ejus ſubſcriptio. Adfuit quoque an. 541. Aurelianenſi quarto. Ejus controverſiam cum Moderico Ariſitenſi epiſcopo, pro repetendis ſuis parochiis quas obtinebat, refert Gregorius Turon. lib. 5. hiſt. c. 5. De ſancti antiſtitis morte ſic loquitur idem ſcriptor c. 47. ejuſdem libri: *Eo tempore* (ſcilicet an. circiter 580.) *Dalmatius Rutheneæ civitatis epiſcopus migravit a ſeculo, vir in omni ſanctitate præcelſus; abſtinens vel a cibis, vel a concupiſcentiis carnis: valde eleemoſynarius, & cunctis humanus. In oratione & vigiliis ſatis ſtabilis eccleſiam conſtruxit. Sed dum eam ad emendationem ſæpius deſtruxit; incompoſitam dereliquit.* Corpus ſancti Dalmatii diu jacuit in baſilica ſancti Amantii, in ſepulcro depreſſo, omnium pedibus trito. Sed Georgius de Armaniaco epiſcopus Ruthenenſis, & cardinalis, illud in capſa argentea incluſit, tranſtulitque in eminentiorem ac decentiorem locum, magna pompa; cui tranſlationi adfuit Antonius Bonal, ut teſtatur in hiſtoria manu exarata, quam ſæpe laudaturi ſumus.

535. 541. 580.

IV. Theodosius.

Hic cum eſſet Ruthenenſis eccleſiæ archidiaconus, pervenit ad ſummum ſacerdotium, uti narrat Greg. Tur. lib. 5. c. 47. ſuperius laudato. *Poſt cujus* (Dalmatii) *obitum*, inquit, *multi, ut fit, epiſcopatum expetunt. Tranſobadus vero presbyter, qui quondam archidiaconus ejus fuerat, maxime in hoc intendebat, fidus quod filium ſuum cum Gogone, qui tunc regis erat nutritius, commendaverat. Condiderat autem epiſcopus teſtamentum, in quo regis exenium, qui poſt ejus obitum acciperet, indicabat: adjurans terribilibus ſacramentis, ut in eccleſia illa non ordinaretur extraneus, non cupidus, non conjugali vinculo nexus: ſed ab his omnibus expeditus, qui in ſolis tantum dominicis laudibus degebat, ſubſtitueretur. Tranſobadus autem presbyter epulum in ipſa urbe clericis præparabat. Reſidentibus autem illis, unus presbyterorum cœpit antiſtitem memoratum impudicis blaſphemare ſermonibus, & uſque ad hoc erupit, ut eum delirum & fatuum nominaret. Hæc eo dicente, pincerna poculum oblaturus advenit. At ille acceptum dum ori proximat, tremere cœpit; laxatoque de manu calice, ſuper alium, qui ſibi erat proximus, caput reclinans, reddidit ſpiritum; ablatuſque ab epulo ad ſepulcrum, humo conſectus eſt. Poſt hæc relecto teſtamento antiſtitis, in præſentia Childeberti regis ac procerum ejus, Theodoſius, qui tunc archidiaconatu urbis illius potiebatur, epiſcopus ordinatus eſt.* Deceſſit an. 9. Childeberti regis, eodem Gregorio referente, lib. 6. Hiſtor. cap. 38. hoc eſt circiter an. 583. vel 584.

ANNI CHRISTI. 583.

V. Innocentius.

Quam infauſtis auſpiciis Innocentius, ex comite urbis Gabalitanæ, factus ſit Ruthenenſis epiſcopus, ediſſerit Greg. Turon. lib. 6. hiſt. cap. 37. ac 38. nempe ſatis ei non fuit Lupentium abbatem baſilicæ ſancti Privati, ut majeſtatis reum, quod *profanum aliquid effatus de regina* (Brunichilde) *fuiſſet*, accuſare, ſed etiam cum *diſcuſſis cauſis nihil de crimine majeſtatis conſcius eſſet inventus* Lupentius, eum diris ſuppliciis tortum obtruncavit, amputato capite, quod projecit in Axonam cum reliquo corpore. Hujus ſceleris præmium fuit Ruthenenſis epiſcopatus, ut legimus cap. 38. libri laudati. *Theodoſius*, inquit Greg. *Ruthenorum epiſcopus, qui S. Dalmatio ſucceſſerat, diem obiit. In qua eccleſia in tantum pro epiſcopatu contentiones & ſcandala orta convaluerunt, ut pene ſacris miniſteriorum vaſis, & omni facultate meliori nudaretur. Verumtamen Tranſobadus presbyter rejicitur, & Innocentius Gabalitanorum comes eligitur ad epiſcopatum, opitulante Brunichilde regina. Sed aſſumto epiſcopatu, confeſtim Urſicinum Cadurcina urbis epiſcopum laceſſere cœpit, dicens, quia dioceſes Rutena eccleſia debitas retineret. Unde factum eſt, ut diuturna intentione * gliſcente, poſt aliquot annos conjunctus metropolis [a] cum ſuis provincialibus apud urbem Arvernam reſidens judicium emanaret; ſcilicet ut parochias, quas nunquam Ruthena eccleſia tenuiſſe recolebatur, reciperet. Quod ita factum eſt.* Idem Gregorius lib. 10. c. 8. adhuc Innocentii meminit loquens de Johanne Eulalii comitis filio, qui factus ab hoc epiſcopo clericus, cœpit pane hordeaceo & aqua victitare, viliſſimiſque uti veſtimentis.

* pro extensione.

VI. S. Deus-dedit I.

De eo nihil exſtat præter hanc inſcriptionem veteris aræ ſeu tabulæ altaris, ex marmore albo, quæ litteris uncialibus exarata eſt: Deus-dedit episcopus indignus fecit fieri hanc aram. De qua inſcriptione ejuſque auctore, ſic loquitur vetus charta: *Anno Domini* MCCLXXV. XIII. *cal. Martii, circa horam noctis tertiam caput hujus Ruthenenſis eccleſiæ ſubito & unico impetu corruit .... Eodem autem an. 9. Januarii ... fuerat remotum altare B. Virginis, & in loco tutiori tranſlat. Inventa fuerant in illo præſentes reliquiæ ... Fuerant autem anni ſeptingenti, & amplius, ex quo prædictum altare cum tanta diligentia conſtructum fuerat per bona memoria Ruthena epiſcopum, cui nomen erat Deus-dedit, ſicut ex geſtis & ſcriptis antiquis in ſacrario repertis conſtat evidenter. In circuitu etiam menſæ ejuſdem altaris ſcripta ſunt tales litteræ:* Deus-dedit, &c. ut ſupra. Si ſeptingenti & amplius anni effluxerant ab hujus altaris conſtructione, ad an. 1275. Deus-dedit fuit epiſcopus Ruthen. ante annum Chriſti DXCIX. De quo nihil amplius novimus.

[a] Id eſt metropolitanus, qui tunc erat Sulpitius Severus, ut patet ex cap. ſeq. Vide notas Ruinarii ad hunc Gregorii locum.

ANNI CHRISTI.

VII. Verus.

625. Recenſetur hic epiſcopus a Flodoardo inter alios patres, qui an. 625. ſederunt in concilio Remenſi. Ad eum exſtat epiſtola ſancti Sulpitii Bituricenſis epiſcopi. Ipſe ſcripſit ad ſanctum Deſiderium nondum Cadurcenſem epiſcopum, ſed tunc Chlotarii II. theſaurarium. Vide duas ejus epiſtolas lib. 5. antiquarum lectionum Caniſii. Veri nomen exhibet fragmentum cujuſdam vetuſtiſſimi diplomatis, quod Mabillonius conjicit eſſe privilegium conceſſum a ſancto Farone Meldenſium epiſcopo, cœnobio ſanctæ Crucis, nunc ſancti Faronis. In fine autem inter plurimorum præſulum ſubſcriptiones legitur: *Verus licet peccator Rotenus urbis epiſcopus, hoc privilegium conſentiens ſubſcripſi.* Hoc pretioſum monumentum, nunc aſſervatum in bibliotheca ſanctæ Genovefæ Pariſ. edidit Mabill. tom. IV. annal. p. 752.

VIII. Aredius.

Nihil ſupereſt de hoc epiſcopo præter nudum nomen, quod abſque ulla temporis nota legitur in actis ſancti Deſiderii Cadurcenſis epiſcopi, ubi ſanctiſſimi viri miracula narrantur. Ab hoc autem epiſcopo uſque ad Ludovici Pii tempora magnus eſt hiatus in epiſcoporum Ruthenenſium catalogo; fortaſſe ob Saracenorum bella, in quibus eccleſiæ deſtructæ, flammiſque abſumta ſunt vetera eccleſiarum monumenta. Forſan quoque in eccleſiis deſolatis interrupta eſt epiſcoporum ſucceſſio. Sane ſanctus Bonifacius in epiſtolis ad Zachariam papam, Hincmarus & Flodoardus aperte conqueruntur, quod a Francorum principibus datæ eſſent laïcis eccleſiæ. Cumque nihil ſupereſſet ad epiſcoporum clericorumque ſtipendia, non mirandum ſi ad tempus ſedes epiſcopales vacuæ fuerint. Vide in Willichario Viennenſi archiepiſcopo.

IX. Faraldus.

Suggerit nobis hujus epiſcopi nomen ac tempus vetus Conchenſis monaſterii inſtrumentum, datum die 10. cal. Septembris an. 25. Ludovici
838. imperatoris, qui Chriſti fuit 838. ubi memoratur Faraldus Ruthen. epiſcopus tunc ſedens. Itaque præpoſtere poſitus eſt in aliis catalogis poſt Elizachar.

X. Elizachar.

Certa temporis hujus epiſcopi argumenta invenimus in charta fundationis Vabrenſis monaſterii; ubi ad calcem legitur nomen Elizacharis Ruthenenſis epiſcopi ipſius manu adſcriptum, in ſignum conſenſus & approbationis, poſt nomina Raimundi comitis Toloſani fundatoris, uxoris ejus Berteys, & filiorum Bernardi, Fulgualdi, & Odonis. Notatur tempus his verbis: *Facta ceſſione iſta* III. *idus* Novembris anno* XXIII. *regnante Carolo rege* (cognomento Calvo) qui annus concurrit cum anno Chriſti 862. Cum tunc *Villa-Vaber*, eſſet diœceſis Ruthenenſis, Elizachare epiſcopo inconſulto monaſterium ibi conſtruere non licebat. Notus eſt Elizachar ſub Ludovico pio referendarius, a quo tot diplomata recognita leguntur; utrum vero ſit idem cum epiſcopo cognomine, nos fugit. Potuit qui patris fuerat referendarius, evadere epiſcopus ſub Carolo filio. Alius fuit Elizachar ſub idem fere tempus Toloſatum antiſtes.

* Diverſe legitur hæc nota chronica, in vulgatis enim catalogis & apud Bonalium habetur: III. *nonas Novembris*. Mabillonium ſequimur, qui ad an. 862. ſcripſit III. *idus Novembris*, &c.

XI. Aimarus I.

Præfuiſſe dicitur an. circiter 865. certe ſedebat an. 876. quo ſubſcripſit ſynodo Pontigonenſi. 865. 876.

XII. Frotardus.

Ipſius fit mentio in veteribus actis S. Antonini, cujus corporis tranſlationi interfuiſſe narratur an. 887. XIII. cal. Julii apud Bertrandum in geſtis Toloſanorum. 887.

XIII. Gausbertus.

Gauſbertus circa annum 900. memoratur in vita ſancti Geraldi Aureliacenſis abbatis, auctore Odone Cluniacenſi lib. 1. cap. 29. & lib. II. cap. 2. ubi appellatur vir Dei cariſſimus, ac laude dignus epiſcopus; quem pro nota ſanctitate Geraldus comes Aureliaci, volens nuntium ſeculo remittere, conſulebat. Ibidem legimus Gauſbertum jam epiſcopum factum, comitem fuiſſe ſancti Geraldi in Romano itinere. Mortem ſancti Geraldi refert Mabillonius ad an. 909. Ortum vero ad 855. ex quibus utcumque poſſumus aſſequi, quo tempore Gauſbertus ſederit. 900. § 909.

XIV. Deus-dedit II.

Hic epiſcopus, alias dictus Deodatus, rexit an. 922. ut probatur ex litteris quibus A regius donat eccleſiæ Ruthenenſi eccleſiam de Barlanda, *regnante Roberto rege*, ſcilicet Odonis ſucceſſore, qui non regnavit niſi an. 922. nam alius Robertus filius Hugonis longius diſtat ab his temporibus; huic autem chartæ, quæ meminit epiſcopi Deus-dedit, ſignum ejuſdem appoſitum eſt hoc modo: *S. Deus de.* Si quis tamen contendat Robertum regem in laudata charta commemoratum, eſſe filium Hugonis Capeti, qui regnare cœpit an. 997. non præfracte negabo; nam circa hæc tempora quidam Deus-dedit obtinuit Ruthenenſem cathedram, & aram marmoream erexit in eccleſia, quod aiunt in veteri inſcriptione legi. 922. 935.

XV. Jorius *ſeu* Georgius.

Dicitur ſubrogatus Deodato, ex tabulis, an. 933. Ultro fatemur nihil a nobis inventum, quod huic faveret opinioni. Idem candide profitetur Antonius Bonal.

XVI. Aimarus II.

Ex charta donationis cujuſdam factæ eccleſiæ Ruthenenſi, ad ejuſdem gubernacula ſedebat anno 935. ſeu an. 12. Radulfi regis, qui Roberto ſucceſſit. Hæc nos docet Antonius Bonal, auctor hiſtoriæ MS. Ruthenenſium epiſcoporum, qui vidit inſtrumentum hoc indubitatæ, ut aſſerit vir oculatus, fidei. Idem rejicit Jorium ſeu Georgium in vulgatis catalogis receptum.

ANNI CHRISTI.

XVII. Mangafredus.

Episcopale munus obibat anno circiter 942. regnante Ludovico, videlicet Transmarino, ut conjicimus. Vidit Antonius Bonal chartam Ruthenensis ecclesiæ, quæ utriusque Ludovici regis scilicet & Mangafredi episcopi nomine insignita & munita est.

XVIII. Deus-dedit III.

960. Sedem Ruthenensem obtinebat an. 960. ex testamento Poncii Raimundi tunc condito; ut censet Mabillon. lib. 6. de re diplom. p. 572. ibi enim legitur de eo: *Illo allodo de Fulciaco cum ipsa ecclesia teneat Deus-dedit episcopus, dummodo vivit; post suum discessum, S. Maria Ruthenensi remaneat.* In charta de treuga & pace, quam edidit Mabillonius lib. 6. diplom. n. 144. pag. 577. adhuc commemoratur Deus-dedit episcopus Ruthenensis. An idem sit, nobis incompertum. Id tamen vero simillimum nobis videtur. Adhuc sedebat an. 975. ex vita sancti Fulcranni episcopi Lodovensis, auctore Bernardo Guidonis ejusdem ecclesiæ episcopo, ubi legitur: *consummato opere basilica sancti Genesii, quam ipse* (Fulcrannus) *erexit, ampliavit & roboravit, eandem dedicare honorifice studuit, convocatis ad ejus dedicationem, reverendissimis dominis Aymerico archipræsule Narb. Requisito* (al. Ricuino) *Magalonensi, & Deus-dedit Ruthenensi episcopis reverendis, qua dedicatio facta est an. Dom. incarnationis nongentesimo septuagesimo quinto.* Sedit usque ad tempora Roberti regis, Hugonis filii, qui regnare cœpit an. 997.

975.

997.

XIX. Arnaldus.

1028. Anno 1028. xv. cal. Decembris adfuit dedicationi ecclesiæ S. Salvatoris Lemovicensis; quo tempore sedit in concilio Lemovicis habito, pro asserendo S. Martialis apostolatu; eique ac multis aliis præsulibus Ademarus Cabanensis nuncupavit epistolam apologeticam pro eodem apostolatu, editam a Mabillonio in appendice ad tom. IV. annalium.

De Narbonne.

XX. Petrus I.

Petrus dictus Berengarii, ut tabulæ Anianæ nos docent ac aliæ, ex genere pernobili vicecomitum Narbonæ oriundus, germanus erat Bernardi Berengarii vicecomitis; uterque autem parentes habuit Bernardum Berengarium, & Grasindam, patruum vero Ermengaudum Narbonensem archiepiscopum. Eum monachum fuisse Conchensem discimus ex tabulis hujus monasterii. Quo autem anno episcopatum auspicatus sit ignoramus. Subscripsit electioni Isterii episcopi Lemovicensis, factæ mense Januarii an. 1052. in synodo. Ipsius meminit Mabillonius ad an. 1053. n. 45. in fundatione monasterii seu cellæ de Villa-nova. Anno 1056. idibus Septembribus, accessit ad concilium Tolosanum. Anno 1062. consensum dedit cessioni cellæ S. Petri factæ Brantosmensibus, ab Odolrico abbate Conchensi. * Quo etiam tempore Petro episcopo approbante Deus-dedit abbas Ruthenensis, auctoritate Roberti comitis Arverniæ, dedit sancto Hugoni abbati Cluniacensi abbatiam Vabrensem regendam. Hæc tamen donatio effectu caruit; & eodem anno idem *Deus-de* abbas dedit hanc abbatiam abbati sancti Victoris Massiliensis, sub cujus potestate semper fuit donec an. 1317. in ea erecta est cathedra episcopalis. Is est Petrus, qui commemoratur in charta de restauratione ecclesiæ sancti Petri, prope montem Castelli nuncupati Panadi, in comitatu Ruthenensi, an. 1060. Adhuc fit ejusdem mentio in tabulis an. 1072. Immo legitur an. 1077. auctoritate sua & signo firmasse donum ecclesiæ sancti Petri de Sermur factum Unaldo abbati Moïssiacensi; sed pro 1077. legendum forsan 1067. Postea translatus est ad archiepiscopatum Narbonensem, vel potius illum invasit favore consanguineorum suorum, qui Narbonæ vicecomitatum obtinebant; ideo excommunicatus est a Gregorio papa VII. in concilio Romano, ut videre est in Guifredo & in Dalmatio Narbonensibus archiepiscopis.

*Vide Mabill. ad hunc an. n. 113.

ANNI CHRISTI. Probat. hist. domus Arvernæ p. 32.

1060. 1072. 1077.

Ex hoc episcopo duo conflati sunt ab iis, qui episcoporum Ruthenensium indices concinnarunt: & quia Petrus Berengarii vocabatur, ex priori nomine Petrum, ex altero Berengarium fecerunt. Fundator fuit monasterii sancti Sepulcri de Villa-nova, ut patet ex ch. IV. quam inter instrum. edidimus. In tabul. capituli Narbon. exstat charta, qua Petrus episcopus Ruthenensis, & Aymericus ejus nepos, dant canonicis sancti Justi hortum, in territorio de Abumanum situm, III. idus Martii an. MLXXXIX. Is haud dubie est Petrus Berengarii, qui nolens ultra cum Dalmatio decertare pro metropolitana sede Narbonensi, ut absolutionem ab excommunicatione obtineret, depositio archiepiscopi titulo satis habuit se dicere episcopum Ruthenensem. Hinc suspicamur eum in vinculis excommunicationis vitam non clausisse.

Pag. 50. col. 2.

XXI. Pontius.

Pontius, cujus cognomentum *Stephani*, legitur in tabula Vabrensi [a], in chartario Piperacensi *, & in bulla Urbani II. jam sedebat an. 1079. quo cupiens restaurare abbatiam sancti Amantii, quæ ad *secularitatem* declinabat, eamdem dedit ordinandam Richardo abbati sancti Victoris Massiliensis, ex ejusdem charta, quam videbis inter instrumenta n. 11. Donavit Piperaco, & D. Petro præposito ejusque successoribus ecclesiam sancti Martini de Alto-podio, ex chartario Piperacensi fol. 17. Hoc autem factum est saltem an. 1080. quo beatum Petrum obiisse constat. Ex alia charta Piperac. an. incarnationis Domini MLXXXV. dedit Pontius Ruthen. episcopus Pibracensi ecclesiæ sanctæ Mariæ, & præposito Dalmatio, & fratribus hujus congregationis regulariter viventibus, ecclesias Castri Boissoli, &c. ex chartario S. Petri de Chavano.

[a] Qua Dordonna de Petra-bruna, & Berengarius Remundus ecclesiam sancti Laurentii de Rotlac, Vabrensi dederunt monasterio, regnante Domino nostro Jesu Christo. Id factum tempore Philippi regis tunc excommunicati mihi videtur. Pontius Stephani memoratur adhuc in notitia de Viancio, cujus meminimus in Frotardo I. Alb. episcopo. *In his diebus*, inquit Baluz. Miscellan. lib. 6. pag. 432. *Pontius Stephani Ruthenensis convenit Tolosæ in eo concilio, quo Frotardus Albiensis episcopus fuerat excommunicatus, episcopalem suscepit consecrationem.*

[a] de Pibrac.

1079.

Pag. 43.

1080.

1088.

ANNI CHRISTI.

1081. An. 1081. ecclesiæ S. Micha'elis de Alanciaco & altari de Monte-salvio plurimas concessit ecclesias tandiu possidendas, quandiu his in locis instituta S. Augustini vigerent. *Facta est hac charta an. ab incarnato Dei filio* MLXXXI. *regnante Philippo, mense Septembri indict.** X. *feria secunda.* Hanc chartam vidit Antonius Bonal, aliamque laudat Fulconis de Bartha, cui subscripsit Pontius episcopus, pro abbate & ecclesia de Conchis, factam *tempore quo Gregorius* VII. *convocavit Romæ magnam synodum adversus Hainrici regis placitum.* Per hoc placitum designatur conventus Wormaciensis an. 1076. habitus contra papam, qui eodem anno Romæ magnam synodum celebravit in laudata charta designatam. Hinc consequens est Pontium jam infulis donatum fuisse an. 1076. Anno 1088. auctoritate sua firmat donationem ecclesiæ sancti Stephani magni factam Cluniacensi, & Moïssiacensi monasteriis. Concessit iterum Rodulfo abbati S. Victoris Massil. & monachis ecclesiam S. Amantii Ruthenensis, quæ olim possidebatur a canonicis clericalis vitæ immemoribus & abnormibus, ex litteris Adhemari episcopi ejus successoris cessionem hanc confirmantis. Donationem hanc factam fuisse an. 1090. docet Antonius Bonal, & quidem merito; nam in Bulla unionis sancti Amantii cum Victorino cœnobio data an. 1120. legitur jam a triginta annis Massilienses monachos possedisse S. Amantium; proindeque ab anno 1090. Eodem tempore ejusdem Pontii, ac Guillelmi Alb. episcopi, plurimorumque aliorum præsulum consilio & auctoritate, Geraldus Cadurcensis episcopus suum scripsit testamentum, quod vide tom. VIII. Spicileg p. 163. Celebre est nomen hujus antistitis in tabulis Gellonensibus, ob plurima collata sancto Guillelmo (*S. Guillem.*) & Berengario abbati. Sæpe etiam notatur in chartario Piperacensi ob similia beneficia accepta, maxime tempore Dalmatii præpositi. Ex quadam charta ipsius pro monasterio Massilienſi, facta cum Roma rediens illac transiret, discimus eum adfuisse Romano concilio celebrato an. 1082. in quo damnatio pseudo-papæ Guiberti, qui se Clementem III. dicebat, conclamata est. In fine enim legitur: *Facta est hac charta an. ab incarn. Dei Verbo* MLXXXII. *revertente me peccatore episcopo, a concilio Romano sub præsentia & auctoritate domni papæ Gregorii VII. celebrato.* Vide chartam integram inter instrumenta c. III.

1082.

Ex tabul. Moissiac.

1090.

Pag. 50. col. 1.

XXII. Raimundus Frotardi.

Hoc Frotardi cognomen legitur in bulla Urbani II. de qua mox loquemur. Sedebat autem hic episcopus an. 1095. juxta chronicon Gaufredi cap. 27. ut notat Johannes Columbi in noctibus Blanca-landanis. Et quidem recensetur *episcopus Rothenensis Raimundus*, inter ceteros præsules, qui adstiterunt Urbano papæ II. apud Lemovicas synodum celebranti præfato anno 1095. & B. Martialis basilicam consecranti. Vide tom. X. concil. Labb p. 598.

1095.

XXIII. Adhemarus.

Anno 1099. hic præsul locum habet in tabulis publicis, teste oculato Antonio Bonal, ipsiusque meminit Urbanus II. in bulla, qua confirmat propositum quorumdam canonicorum Ruthenensium, qui vitam canonicorum regularium amplexati erant. Itaque cum Urbanus II. vitam non protulerit ultra an. 1099. de inchoato Adhemari episcopatu saltem hoc an. 1099. qui dubitari potest? Ex hac bulla duo notatu digna discimus: primum est ea confirmari ordinem, & successionem episcoporum Ruthenensium, quorum alii hucusque ignoti, alii non recto ordine collocati. Quippe Urbanus ita recensetAdhemari antecessores, Petrum Berengarii, Pontium Stephani, & Raimundum Frotardi. Alterum scitu dignum quod eruimus ex laudata bulla, est assumtum a Petro præposito, & a plurimis Ruthenensis ecclesiæ canonicis S. Augustini Canonicorumque regularium institutum. Videndus Baluz tom. II. Miscell. p. 179.

1099.

ANNI CHRISTI.

Adhemarus consentit an. 1103. unioni monasterii sancti Salvatoris de Severaco, cum Calmeliacensi, ut liquet ex litteris Deo-dati de Severac auctoris aut restauratoris monasterii, in fragmentis historiæ Aquitan. a D. Claudio Estiennot collectis. Ibidem memoratur ad an. 1106. An. 1120. confirmavit donationem ecclesiæ sancti Amantii factam cœnobio sancti Victoris Mass. sub antecessore suo Pontio, 30. *ab hinc annis*, ut docent nos ejusdem litteræ a nobis lectæ in hist. manuscripta Antonii Bonal. Quæ unio usque ad diem hanc perseveravit.

1103.

tom. IV. p. 57.

1120.

Ex tabulis Gellonensis monasterii, seu S. Guillelmi de Deserto, Ademarus Ruthenensis episcopus cum consilio canonicorum suorum Ruthenensis ecclesiæ genitricis Dei Mariæ, dat ecclesiam parochialem S. Saturnini de Castro quod vocatur Cressel, cum capella sancti martyris Juliani, altari S. Salvatoris Gellonensis cœnobii, & abbati Willelmo & successoribus ejus. *Act. mense Aug. feria* V. III. *nonas Augusti, indict.* XV. *concurrente* VI. *luna* 26. *regnante Ludovico Francorum rege, an. ab incarnatione* MCXXIII.

An. 1124. in ejus manus Aldoinus de Pansio dedit sanctæ Mariæ Loci-Dei duos mansos &c. ut dicemus agendo de hoc monasterio.

1124.

An. 1127. testis fuit sacramenti fidelitatis, quod Bernardo abbati S. Victoris, juravit Rigaldus Vabrensis abbas. An. 1133. testis adhuc legitur in donatione Begonis Pelochi facta Pontio de Larazio. Ejusdem episcopi mentio fit in actis hujus Pontii de Larazio fundatoris, aut potius auctoris Salvanensis monasterii, ubi appellatur piæ memoriæ, & magnæ auctoritatis vir. Florebat autem ex iisdem actis, quæ leges tom. III. Miscellan. Baluz. p. 205. eodem tempore, quo Petrus episcopus Lodovensis, unde usque ad an. 1138. saltem debuit pervenire.

1127.

1133.

1138.

Adhemarus obierat an. 1144. ut liquet ex litteris Lucii II. ad Petrum abbatem Massil. quibus ei confirmat possessionem ecclesiæ sancti Amantii, & ratam habet conventionem factam olim inter ipsum & Adhemarum *bonæ memoriæ* episcopum. Etenim hic papa non præfuit ecclesiæ, nisi hoc anno 1144. Dicitur *gloriosæ memoriæ* in notitia de monasterio sancti Sepulcri fundato a Petro Berengarii episcopo, cujus ibidem Adhemarus asseritur *consanguineus*, quod de nobili ejus genere dubitare non sinit.

1144.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI. 1146.

Post Adhemarum sedit, ut conjicio, indignus ille episcopus, cujus meminit S. Bernardus in ep. 240. quam Mabilon. putat scriptam anno 1146. satis hic innuit sanctus abbas quemdam nuper episcopum *Ruthinensem* ab Eugenio III. depositum: qua de re ipsi gratulatur. Quam indignus esset pontificali cathedra episcopus hic, aperte docet idem sanctus doctor in epistolis 328. & 329. nempe *qui de abbatia in abbatiam, vel potius de abysso in abyssum descendit, ut idem sit violator virginum & consecrator. ep.* 329. At nomen hujus episcopi nobis incognitum

XXIV. Petrus II.

Hunc episcopum nobis notum fecerunt plurima vetera instrumenta ab an. 1146. Præcipua vero recensere hic non pigebit. Primum est quo Petrus Dei gratia Ruthenensis ecclesiæ minister humilis, concedit monasterio S. Leodegarii Ebroliensis ecclesias sanctæ Mariæ de Longaniaco, de Seveiraco, de Cromeiras, S. Martini, de Elna, de Marniaco, anno 1146. Eugenio papa, Ludovico Franc. rege, & Aquitanorum duce. Secundum est Raimundi abbatis S. Guillelmi de Deserto, dantis in gratiam xenodochii Jerosolymitani decimas, & partem alodi in Vexeria, de consensu totius capituli sui, præsentibus Petro Ruthenensi & Petro Lutevensi episcopis, *an. ab incarnat. Domini* MCLIII. Tertium addimus Petri Jordani conferentis monasterio S. Guillelmi, quidquid in ecclesiis & capella & honore de Croissel, habet vel habere potest; testibus Petro Ruthenensi episcopo, Hugone Ruthenensi comite, &c. *Alium an. ab incarnatione Domini* MCLIV. Eodem an. subscribit litteris *Virpitionis* Hugonis Ruthen. comitis pro eodem cœnobio Gellonensi. Annis 1155. & 1163. notantur ejus beneficia in chartulario Cancellatæ, sub Helia abbate. An. 1161. per electos judices (vulgo arbitros) composuit cum Hugone comite prafato; eorumque sententia definitum est possessionem munitionum atque turrium militum civitatis, comiti restituendam salvo jure proprietatis; at comitem hominium episcopo reddere teneri. Ceteras conditiones lege in charta V. inter instrumenta. Hujus pacti authenticum, exstat in tabulario urbis Ruthen. cujus exemplum nacti sumus in refertissima bibliotheca Colbertina.

1146. *Ex tabul. Ebrolienſis monaſterii.*

1153. *Ex tab. Gellonen.*

1161. *Pag. 50. col. 2.*

Idem episcopus accepta donatione Guillelmi de Calo-monte Cadurcensis episcopi, accersitis monachis Mansiadæ ord. Cisterc. condidit monasterium Bonæ-vallis, eodem an. 1161. indict. IX. regnante Ludovico. Anno vero 1163. exemit monachos hujus loci a decimarum persolutione in suis agris, uti legimus in Adhemaro primo abbate Bonæ-vallis. Memoratur in fundatione Elnonensis parthenonis Ord. Cisterc. (*Nonnenque*) an. 1162.

Ex tab. Bonæ-vallis.

Hoc anno quoque *consilio prudentum clericorum & laicorum scripsit regulam observandam a fratribus & sororibus hospitalis, quod situm est in Albrac.* Hoc xenodochium condidit quidam Alardus, vel Adalardus in loco horroris & vastæ solitudinis, ubi latrones speluncam habebant unde exsiliebant ad spoliandos & occidendos peregrinos. Hunc locum ab ipso fundatore datum Conchensi cœnobio & Bonifacio abbati legimus. Postea tamen traditum est canonicis regularibus, qui huc usque ibi Deo ministrant & pauperibus. Præpositus hujus cœnobii *Domnus* nuncupatur, & xenodochium, *Domnerie*, gallice. Ejus fundationem, & regulas fratribus sororibusque datas, aliquando publici juris faciet noster D. Edmundus Martenne.

ANNI CHRISTI.

XXV. Hugo.

De Rhodez.

Habuit hic episcopus nobiles parentes Richardum, qui emit a comite Tolosano comitatum,[a] aut partem comitatus Ruthenensis, & matrem Ermengardam, in c arta Elnonensis monasterii commendatam. Frater ejus cognominis erat Ruthenensis comes, uti nos docet bulla Alexandri III. quæ nunc est ep. 15. tertiæ appendicis inscripta Hugoni episcopo, de quo agimus, in qua hæc lego inter cetera: *Ad audientiam nostram pervenit, quod tu ... cum nobili viro comite Ruthena fratre tuo, &c. Actum Vernelis* II. *idus Maii, pontificatus nostri an.* II. Hæc autem ultima verba nobis negotium facessunt. Nam secundus annus Alexandri completus fuit Christi 1161. Attamen in plurimis instrumentis jam supra laudatis, legitur adhuc episcopus Petrus Hugonis antecessor. Et adhuc anno 1164. consensu Aimerici præpositi, & Berengarii archidiaconi Pontio abbati Salvanensi, confirmavit ecclesiam de Geneiaco ab Ademaro prædecessore suo ipsius monasterio concessam. Forte Petrus abdicato episcopali onere, nomen adhuc retinebat episcopi; aut error irrepsit in notis chronologicis chartarum. Quidquid sit, vix dubitamus de Hugonis episcopatu inchoato an. 1161.

a

1161.

Memoratur in quodam instrumento an. 1162. ubi agitur de fundatione monasterii Bonæ-cumbæ. Nominatur in pacto amicabilique compositione inter Ildefonsum regem Arragonum &c. & Hugonem comitem Ruthenensem an. 1167. Vide tom. X. Spicilegii p. 168. Erat inter Ildefonsum seu Alfonsum cognomine Castum, & Hugonem comitem consanguinitas; nam Richardus primus comes Ruthenensis pater erat non solum duorum Hugonum, episcopi & comitis Ruthenæ, sed etiam Richardi comitis Sarlatensis, qui erat Alfonsi regis atavus. Vide Baluz. hist. dom. Arv. p. 199.

Longum esset omnia Hugonis episcopi acta consignata in tabulis publicis notare. Præcipua tantum perstringemus. Anno 1170. Berengario archidiacono laudante & approbante, Petronillæ Elnonensi prioriss æ donat ecclesias sancti Pauli de la Foz, sancti Johannis d'Oleas, sanctæ Mariæ de Cassanoiolo, & sancti Johannis des Alcapeis. An. 1172. ecclesiam B. Mariæ de Vone in manu Aymerici præpositi tradit capitulo, & eodem anno ecclesiam sancti Juliani d'Agent Agneti abbatissæ S. Saturnini. An. 1176. fuit mediator pacis inter Adhemarum Bonæ-vallis abbatem, & Hugonem Deodati procuratorem ecclesiæ de *Corrosangas*. Erat enim pacis studiosissimus, laudaturque ab Alexandro III. ob pa-

1170.

[a] Moner Ant. Bonal in hoc episcopo, Richardum totum comitatum Ruthenensem non comparasse, sed tantum tertiam circiter partem, duabus aliis ad comitem Tolosanum adhuc pertinentibus.

cem

ANNI CHRISTI. C. VI. p. 51. col. 1.

cem confirmatam in ſua diœceſi, ſtatim poſt initum epiſcopatum. Vide inter inſtrumenta. Anno 1179. dedit Guillemo abbati Conchenſi *hoſpitale* quod eſt in ſtrata publica euntibus ad S. Mariam Rochæ-amatoris (*Recamadour*) ex archiv. Conch. Anno 1180. adfuit compoſitioni factæ inter Petrum abb. Aureliacenſem, & comitem Toloſanum. An. 1194. menſe Septembri finivit controverſiam inter Templarios & fratres de Bona-cumba pro decimis eccleſiarum de Lamoza, &c. An. 1199. ipſe & Guillelmus comes Ruthenenſis concedunt Alberto abbati & fratribus Bonæ-cumbæ immunitatem ab omni exactione [a]. Unde conjectare licet fratrem ejus Hugonem comitem jam obiiſſe, cui filius Guillelmus ſucceſſerat. An. 1200. fideijuſſor fuit fratris ſui Bernardi d'Arpajon pro donatione facta Bonæ-cumbæ, unde hunc tertium ipſius fratrem eruimus. Ultimus annus ejus beneficiis conſignatus in tabulis publicis eſt 1210. quo, menſe Auguſto, feria VI. dedit Philippo abbati Bonæ-vallis eccleſiam de Solaſque. Vitam tamen produxiſſe dicitur uſque ad an. 1214. ac prius abdicarat epiſcopatum, ut mox ſumus probaturi.

1194. * Ex tabul. Bona-cumbæ.

1200.

Quo tempore mortuus ſit ignoramus. Jacet in eccleſia Bonæ-cumbæ ubi viſitur adhuc ejus ſepulcrum, cum hoc epitaphio:

Hæc jacet in tumba veneratur quem Bona-cumba
Hugo Ruthenenſis præſul patruus comitenſis.
Corpus ſub terra, ſed ſpiritus eſt ſuper aſtra.

Quamvis pacis amantiſſimus fuiſſet hic epiſcopus, quædam tamen diſcordiarum ſcintillæ inter ipſum & comitem Ruthenenſem eruperunt an. circiter 1195. quæ paulo poſt prudentia abbatis Aureliacenſis, ejuſque fratris comitis ſopitæ ſunt. Quædam ex pacto inito menſe Maio anni prædicti proferenda duximus: *Diſcordia quæ inter Dominos V. epiſcopum, & V. comitem vertebatur, amicabiliter ..... eſt terminata .... hoc modo; videlicet quod dominus V. comes, & ſucceſſores ejus, debent promotionem comitatus accipere ab epiſcopo, & epiſcopus debet eum promovere qui comes fieri debet; recipiendo eum cum proceſſione, ſine procuratione & gravamine. Et comes debet tunc auferre pallium, & facere hominium epiſcopo. Et poſtea epiſcopus debet eum aſſidere in ſua cathedra, & ita erit comes. Hæc debet facere comes epiſcopo, & ſucceſſores ſucceſſoribus, ut quod de iis dicitur inter omnes perpetuo ſervetur*, &c. Integram chartam dedimus in inſtrumentorum collectione. Ugo comes hic commemoratus, non erat frater Hugonis epiſcopi, ſed filius fratris, qui eum voluit ad comitatum promovere, & dignitatem cum illo partiri.

C. VII. p. 51. col. 2.

XXVI. PETRUS III.

de Tarzia.

Antequam fato fungeretur Hugo poſt annos 60. in epiſcopatu exactos, nuntium remiſit ſuæ cathedræ ante menſem Julium anno 1211. ejuſque ceſſione a Petro Lodovenſi epiſcopo, & B. abbate Bonæ-cumbæ Innocentii papæ III. legatis admiſſa, capitulum de ſucceſſore deligendo ſerio cogitavit. Itaque kalendis Julii anno 1211. electus eſt *Petrus de Trilia* Ruthenenſis archidiaconus, vir providus & diſcretus, vita & moribus comprobatus, in utroque jure ſufficienter inſtructus, tam clero quam populo acceptiſſimus*, ut habetur in Bituricenſibus tabulis, ſtatimque capitulum petiit electionis confirmationem a G*. Bituricenſi archiepiſcopo.

1211.

ANNI CHRISTI. * dictus etiam aliquando P. Henrici.

* Girardo.

Anno 1214. III. idus Septembris promiſit cum ſuo capitulo, Simoni comiti Leyceſtrenſi domino Montis-fortis vicecomiti Biterrenſi & Carcaſſon. facturum ſe ſatis, ſi forte prædia quædam ipſi ſubjecta tenuerint. Paulo poſt, ſcilicet menſe Octobri teſtis fuit cum Guillelmo Cadurcenſi, Guillelmo Mimatenſi epiſcopis, & Guillelmo abbate Figiaci, juramenti fidelitatis præſtiti eidem Simoni, pro caſtro de Capdenaco. Eodem tempore cum Albigenſium hæreſis graſſaretur, clam accerſivit hunc ſtrenuum fidei defenſorem; qui potius urbe comitem Ruthenenſem adegit ad homagium ſibi præſtandum VII. idus Novemb. ejuſdem anni 1214. & pactum incundum, quo ſe ſe obſtrinxit ad bellum perduellibus inferendum; quod inſtrumentum octo munitur ſigillis, inprimis ſigillo Petri Henrici epiſcopi. Anno 1217. II. idus Auguſti ipſe & Henricus comes compoſuerunt litem inter Amblardum abbatem Bonæ-cumbæ & Bernardum d'Arpajon. An. 1219. dictus comes reliquit ſuas ditiones ſub hujus præſulis cuſtodia & defenſione, ut quoties Amalricus dux Narbonæ comes Toloſæ, ac dominus Montis-fortis, ea repeteret jure dominii, non denegaret epiſcopus, charta facta IV. kal. Julii, ex tab. Carcaſſ.* Anno 1220. acquiſivit caſtrum de Caldegonſe, fere ad urbis muros. An. 1228. Romanus apoſtolicæ ſedis legatus ei provinciam dedit ejuſque collegis, inquirendi de nonnullis criminationibus impactis epiſcopo & capitulo Anicienſi. Præſens fuit homagio quod Stephanus de Paders, &c. Duranto Albienſi epiſcopo præſtitere an. 1219. in vigilia S. Petri ad Vincula, ex tab. epiſcopatus Albienſis.

Ex reb. Carcaſ.

1214.

1217.

1219.

* Ex regiſtris Fr. de ſexdis ſeneſcal. Carcaſſ. Bellicardi, & Ruth. nit Expoſitio terræ comitis Ruth.

1218.

His temporibus in urbe admiſſi ſunt Fratres Minores, & an. 1232. jacta ſunt eorum ædium fundamenta. Antonius Bonal ait Petrum non exceſſiſſe annum trigeſimum ſupra milleſimum ducenteſimum; teſtaturque nullas a ſe viſas chartas ultra hunc annum quæ nomen ejus præferrent. Nullæ quoque nobis occurrerunt præter unicam anni 1232. in qua ſola prima littera ſui nominis P. deſignatur diciturque frater Albienſis epiſcopi. Sed Bituricenſes tabulæ notant electionem ejus ſucceſſoris anno 1234. ipſo *viam univerſæ carnis ingreſſo*; quod ſufficienter probat ipſum vel hoc anno, vel paulo antea e vivis exceſſiſſe.

1232.

1234.

XXVII. B.

Mirum ſane videbitur epiſcopum hunc plurimis in chartis commemorari, nulibi vero nomen ejus ſignificari, niſi per primam ejus litteram B. qua alii Bernardum, plures Bertrandum innui volunt.

In tabulis Bituricenſibus legimus Petro epiſ-

[a] Antonius Bonal dicit hoc factum an. 1209. atque hanc immunitatem fuiſſe *a communi & a omni exactione, quæ a ſeculariibus ad faciendam pacem, vel pacis occaſione quoquomodo exigitur.*

ANNI CHRISTI.

copo viam universæ carnis ingresso, B. archidiaconum Ruthenensem electum fuisse, & capitulum pro ejus electionis confirmatione supplicasse archiepiscopo Bituricensi v. idus Augusti, an. 1234. Hic an. 1242. ratam habuit donationem quamdam monasterio Bonæ-vallis factam. An. 1245. subscripsit chartæ transactionis factæ inter Guidonem de Severiaco*, & syndicum Bonæ-cumbæ. Ex hujus loci tabul. in quadripartita Gallia Christiana, legitur eum anno 1239. mense Maio cessisse in feudum Raimundo comiti Podium Varneum. Sed legendum de* Varneiol, ut legimus in chartario Tolosano, & Raimundus vice versa concessit & remisit si quid juris haberet in Castro de Luzeso; promisitque insuper quod de feudo prædicti Podii fidens foret, uti legere est in ipso instrumento, quod exhibebit supplementum chartarum. Idem episcopus cum D. episcopo Albiensi fideijussor fuit cum D. episcopo Albiensi, &c. pro 5000. libris, quas hic comes promiserat pro dote Cæciliæ neptis suæ Amedeo duci Sabaudiæ collocatæ.

1234. 1242. 1245.

* Id est, Bibianus, al. Vivianus.

XXVIII. A.

Hic cum esset Ruthenensis archidiaconus, post obitum B. episcopi eligitur in illius successorem, cujus electionem confirmari a Philippo Bituricensi archiepiscopo petiit capitulum Ruthenense anno 1245. in festo S. Gregorii, ex tabulis Bituric. Proindeque jam currebat tertius mensis anni 1246. juxta hodiernum morem ducendi anni exordium ab ineunte Januario. Brevi autem sedit tempore; nam hoc ipso anno vel saltem sequenti Innocentius papa IV. quemdam episcopum Ruthenensem consecravit anno IV. sui pontificatus; at non placuit summo pontifici nobis notum facere consecrati nomen; credimus tamen fuisse Vivianum qui sequitur. Designatur autem frequenter per litteram B. more gentis quæ pro Viviano pronuntiat Bibianum.

1245.

XXIX. VIVIANUS.

Episcopus hic ex ordine Minorum [a] assumtus, non monasticarum tantummodo, sed etiam politicarum virtutum laude famaque celeberrimus erat. Hinc postulantibus canonicis a summo pontifice concessus est; qui etiam eum consecrare voluit, & commendavit scribens ad archiepiscopum Bituricensem in hunc modum:

1247. Ex chart. archiep. Bituric. * IV.

*INNOCENTIUS * episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Bituricensi salutem & apostolicam benedictionem.*

Cum ex injuncto nobis apostolatus officio ecclesiarum omnium teneamur curam gerere specialem, gaudemus & merito, cum ad earum regimina idonei evocantur, illi maxime qui plus suis meritis præsulatus dignitatem extollunt, quam ipsi pontificatus efferantur honore. Attendentes igitur diligentiam dilectorum filiorum capituli Ruthenensis, qui venerabilem fratrem nostrum episcopum Ruthenensem tunc notarium nostrum, virum utique morum honestate decorum, litterarum scientia preditum, & consilii maturitate preclarum in sunum elegerunt episcopum, ac eorum studium ex hoc multipliciter commendantes, electionem ipsam quia invenimus eam de persona idonea canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio confirmantes, eidem licet invito & renitenti, obedienti tamen mandatis nostris, plena sibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus ecclesiæ ipsius amministratione concessa, consecrationis munus nostris manibus duximus impendendum, sperantes firmiter, ac pro certo tenentes, quod ipse qui alèquandiu apud sedem apostolicam sic est laudabiliter conversatus, quod nobis & eisdem fratribus sua prærogativa virtutis, earum se reddidit plurimum & acceptum, prefatam ecclesiam actore Domino proinde & salubriter gubernabit. Quocirca fraternitatem tuam rogamus & monemus attente per apostolica tibi scripta, quatinus prefatum episcopum ad sæpe dictam ecclesiam cum benedictionis nostræ gratia procedentem benigne recipiens, ac honeste pertractans eumdem, sic te reddas in conservandis & defendendis ecclesiæ suæ juribus eidem opportuno favore laudabiliter gratiosum, quod ipse tuo suffultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii possit assidue Deo propicio prosperari, ac tibi exinde retributionis æterna præmium & a nobis condigna veniat actio gratiarum. Datum Lugduni idus Martii pontificatus nostri anno IV.

[a] Uti legimus in charta eccl. Vabrensis an. 1243, & alibi.

Ex his litteris pontificis discimus Vivianum ante pontificatum functum officio notarii apud sedem apostolicam. Tempus autem assumti episcopalis oneris designat quartus annus pontificatus Innocentii IV. qui respondet anno Christi 1247. Certe hoc anno VI. kal. Januarii legitur episcopus in actis publicis. Paulo post de manibus ejus Hugo Ruthenensis comes assumsit crucem, scilicet in die Epiphaniæ, ut probat chirographum ipsius Viviani, quod legesis inter instrumenta. Subscripsit cum episcopo Tolosano cuidam sententiæ promulgatæ a fidei inquisitoribus. In thesauro regio chartarum exstat ejus querela de militibus & subditis comitis, qui Ruthenensem episcopatum multis *gravaminibus* infestabant, maxime de Guidone Severaci domino, & Guidone de Arpajone. Si quidem comes quasdam *leudas* * percipiebat de singulis quæ tam in urbe quam in burgo vendebantur; reluctante episcopo ad quem omne jus in urbe pertinebat. Quæ controversia orta anno 1250. & veluti sopita per sententiam, ut aiunt, arbitralem, datam 25. Februarii anno 1253. Postea tamen vehementius erupit anno 1270.

1247.

C. VIII. pag. 52. col. 1.

Ant. Benal. * quod vi tributum, maxime quod pro mercibus penditur.

1250. 1253.

Inter tot motus vigilans episcopus, de reformando majoris ecclesiæ clero serio cogitavit. Cumque non posset canonicos ad institutum canonicorum Regularium, quod jam moribus deseruerant, revocare, præstitit ut saltem clerici adessent divinis officiis, substrahendo fructus iis qui aberant. Numerum canonicorum ad 24. redegit, totidemque vicarios, necnon clericos *cursores* dictos esse voluit. Cum autem unicus fuisset archidiaconus ex antiquo more, tres ad-

ANNI CHRISTI.

didit. Anno 1257. XII. Kal. Auguſti mandavit A ſub pœna interdicti, abbatibus, archidiaconis, &c. ut hortarentur populum ſuæ diœceſis ad aliquid conferendum ædificandæ eccleſiæ ſancti Salvii Albienſis, conceſſitque 40. dies indulgentiæ iis qui aliquid erogarent. Monachis Bonæ-vallis, eorumque abbati Petro beneficus, confirmavit anno 1258. huic monaſterio poſſeſſionem eccleſiarum de Petra-fixa, de Carieras, & de Solatque ab anteceſſoribus ſuis conceſſarum. Vivianus cenſetur alter fundator abbatiæ Bellilocenſis in Ruthenis, de qua infra dicemus.

1257. *Ex tab. S. Salvii Alb.*

1258.

1259. An. 1259. ſcripſit communem cum multis epiſcopis epiſtolam ad ſanctum Ludovicum regem B de reſtituendis eccleſiæ bonis. Teſtamento ſuo facto anno 1274. Vivianus elegit ſepulturam ſuam in conventu ſuorum fratrum, videlicet Franciſcanorum urbis Ruthenæ; ac eodem anno vitam clauſit.

1274.

XXX. RAIMUNDUS.

DE CALMONT, *vel* CAUMONT. a

Ex nobili genere de Calo-monte[a] ſuper Oldam apud Ruthenos Guillelmo patre ortus erat Raimundus, qui ob ſingulares dotes electus eſt a capitulo e gremio, an. 1274. rexitque eccleſiam 1274. per annos tres ſupra viginti eximia prudentia. C Ac primum quidem cum videret eccleſiam pene collabentem, novi templi longe amplioris & auguſtioris, quale nunc viſitur, fundamenta jecit; ad quod opus proſequendum auxit reditus operæ ſeu fabricæ (*l'Oeuvre*) inſtituitque ſub variis nominibus ædituos, qui operarum curam haberent, ac reditus aſſignatos curarent. Præterea compoſitionem fecit cum capitulo die Veneris poſt feſtum SS. apoſtolorum Petri & Pauli anno 1281. qua inter cetera promiſit dotare archidiaconatus, cantoriam & ſacriſtiam. An. vero 1286. electi ſunt probi viri & æqui æſtimatores, qui de valore beneficiorum his dignita- D tibus aut perſonatibus annectendorum ſententiam ferrent. Anno 1278. delegatur a Nicolao papa cum Stephano Mimatenſi epiſcopo, & P. abbate Tutelenſi, ad explorandum quinam forent eccleſiæ Albienſis reditus, & inquirendum de hujus eccleſiæ ſtatu, num expediret capitulo ad *ſæcularia vota* regredi. Nimirum præpoſitus & capitulum cum eſſent ordinis S. Auguſtini, totis tunc viribus nitebantur, ut a regulari vita ad ſecularem reſilirent. Vide quæ ea de re diximus in Bernardo de Caſtaneto Albienſi epiſcopo. Eodem anno 1278. convenit Raimundus ad concilium provinciale apud E Aureliacum, tunc diœceſis Claromont. nunc S. Flori. Annis 1286. 1290. & 91. aliis adfuit ſynodis ſub Simone metropolitano. Ceterum cum a primis fere ſui epiſcopatus temporibus animum applicuiſſet ad componenda diſſidia, quæ jam a multis annis inter epiſcopum & comitem Ruthenenſes exarſerant; tandem ipſe cum capitulo, una ex parte, & Henricus comes Ruthenorum, tam ſuo quam ſuorum no-
1276. mine an. 1276. judicium de variis inter ſe controverſiis permiſerunt arbitrio Henrici de Benavento, & Begonis *b* de Calo-monte VI. idus Februarii. An. 1278. die Jovis poſt feſtum ſanctæ Luciæ alios elegerunt judices, ſcilicet Bertrandum epiſcopum Toloſan. & Euſtachium Beaumarchez, ſeneſcallum ejuſdem urbis, qui eodem an. 1278. ſententiam tulerunt ſabbato poſt feſtum ſancti Vincentii. Has concertationes in apertum bellum inter incolas urbis & burgi erupiſſe ſcribit Antonius Bonal. Exſtant alia inſtrumenta de his controverſiis in tabulario urbis Ruthen. uti nos docet ejus inventarium aſſervatum in bibliotheca Colbertina. Neque tamen ita nunc ſopitæ ſunt lites inter eos, ut non amplius erumperent. Imo ſævius poſtea actum; nam in his concertationibus non pauci ex utraque parte perierunt, & ædes quam plurimæ combuſtæ ſunt; ex inventario laudato chartarum Ruthen. ad an. 1325. Cum inter Raimundum epiſcopum & domnum[c] ſeu priorem hoſpitii celeberrimi Aubracenſis eſſet controverſia pro juriſdictione, facta eſt amicabilis compoſitio calendis Septemb. an. 1279. ex archivo Aubrac. 1279. Similem exitum habuit alia lis inter ipſum & Hugonem priorem de Villa-nova, quam compoſuit Bertrandus abbas Moiſſiacencis x. Kal. Septembris 1282. ex tab. Moiſſiac. An. 1285. 1285. die Jovis ante Purificationem, pacem ſancivit inter capitulum & fratres Prædicatores, pro jure ſepulturæ rixantes, & an. 1288. inter idem 1288. capitulum & Gaucelinum de S. Jorio præceptorem domus de Spelio militiæ Templi. Anno 1291. tranſigit cum canonicis ſuper diviſione 1291. & limitatione caſtri de Calo-monte, & aliis. Teſtamentum ſcripſit aut dictavit die Mercurii poſt feſtum S. Matthiæ an. 1297. *al.* 98. hodierno more, an. IV. pontificatus Bonifacii VIII. 1297. In eo vero diſponit de bonis eccleſiaſticis, inſuperque confirmat aliud teſtamentum quod fecerat de bonis patrimonialibus, quæ acceperat tum a patre Guillelmo de Calo-monte, tum a fratre Begone. Exſtat hoc inſtrumentum in tabulario beatæ Mariæ Ruthenenſis. Servatur quoque in caſtro urbis Lectorenſis, ubi per errorem dicitur Bertrandus. Fundavit anniverſarium die 3. Martii celebrandum, & duas *capellanias*. Legavit teſtamento ſuo pecuniam ad conflandum ſignum æneum, quod ex ejus cognomine dicitur de *Calo-monte*. Ultimæ litteræ (ſi codicillos ſeu teſtamentum excipias) ejus nomine inſignitæ, quibus teſtatur a ſe viſam ſententiam arbitralem latam a Guillelmo Aginnenſi epiſcopo, inter abbatem Montalbanenſem & fratres Minores, datæ ſunt craſtina die poſt quindenam feſti ſanctorum Petri & Pauli an. 1297. ex tab. eccl. Montalban. Ignoramus utrum ultra an. 1298. viram protraxerit. Certum eſt ex chartis Elnonenſis monaſterii ſedem vacaſſe an. 1297. (more hodierno 1298.) die Lunæ ante feſtum ſancti Gregori menſe Martio. Tempore Raimundi epiſcopi Maria de Ternie abbatiſſa parthenonis ſanctæ Claræ apud Montem-peſſulanum, Amiglavum * acceſſit, ut ibi * *Milhau.* monaſterium conderet ſui ordinis, & ad ha-

a Obſervat Antonius Bonal genus hoc nobile exſtinctum eſſe, & confuſſe cum gente Claro-montanorum Lodevenſium.

b Raimundus habuit fratrem nomine Begonem, ut infra oſtendemus, & is eſt forteſſe de quo modo hæc legimus.

c Forte Guillelmum de Boſqueto, quem invenimus in nonnullis chartis ad Raimundum epiſcopum ſpectantibus.

ANNI CHRISTI.

bitum ſuſciperet Tilbordam a ſancto Mauricio, & Ticbordam a Cantobrio; quapropter miniſter provincialis Aquitaniæ excommunicationem comminatus eſt Mariæ, quæ ſanctam ſedem appellavit. Volebat quippe provincialis hanc novam coloniam educi ex conventu Cadurcenſi, ut ex ejus litteris liquet datis VIII. idus Julii an. 1291. Fundator hujus loci fuit Henricus comes Ruthenenſis, ut probat ſententia prolata ab Arnaldo de Landorre, & aliis exſecutoribus teſtamenti comitis, qui decernunt ab ejus heredibus ſolvenda monialibus ſextaria frumenti 72. *Act. die Lunæ poſt feſtum S. Clementis anno* MCCCXII. ex chartis parthenonis; quæ etiam nos docent Clementem VII. alias Robertum Genevenſem univiſſe huic conventui, qui ibidem dicitur etiam fundatus a Johanne Armaniaci comite, eccleſiam collegiatam S. Amantii de Troſſico, bulla data an. 11. ſui pontificatus. Hanc unionem approbavit Bertrandus epiſcopus Ruthenenſis die 3. Junii 1383. retento cenſu 8. librarum.

DE MONASTERIO.

XXXI. BERNARDUS I.

Inter arctos fines epiſcopatus Bernardi de Monaſterio circumſcribitur; cum nondum incœpiſſet paulo ante feſtum ſancti Gregorii an. 1298. Aliundeque nobis conſtet ex chartis ſedem vacaſſe menſe Novembri in feſto ſancti Martini
1299. an. 1299. Hinc non mirum ſi pauca de hoc præſule nobis occurrant dicenda. Unum dumtaxat referemus, ſcilicet an. 1298. feria VI. poſt Cineres, eum in manus ſuas ſuſcepiſſe jus parochiale quorumdam vicorum, de quo Vivianus abb. Altæ-cumbæ, & B. *Petri* præceptor hoſpitalis S. Johannis de Jeruſalem de Tauriaco diſceptabant.

DE CORNET, vel CORNON.

XXXII. GASTO.

Gaſto electus a capitulo die 13. Aprilis e vivis exceſſit die 2. Martii ejuſdem anni, quem ſuſpicamur fuiſſe Chriſti milleſimum trecenteſi-
1300. mum. Nam cum hoc anno paſcha incidiſſet in diem x. Aprilis, quo incipiebat hic annus, eodem an. contigit electio Gaſtonis, ſcilicet die 13. Aprilis, & mors die 2. Martii. Jacet in ſacello eccleſiæ Ruthenenſis, ubi viſuntur ejus inſignia, ſcilicet duo cornua venatorum. De eo legitur in archivo eccleſiæ Anicienſis: *Gaſto de Cornone epiſcopus Ruthenenſis legavit clericis Anicienſis eccleſiæ ſeptemdecim libras, ſuper prato ſuo in ripariæ Bornæ, pro anniverſario faciendo. Item legavit eiſdem* VI. *libras, & alia plura.*

PETRUS CHASSAGNEL.

XXXIII. PETRUS IV.

Petrum de Plana-Caſſagna, qui poſtea fuit Patriarcha Jeroſolymitanus, extulit ordo ſacer fratrum Minorum ſancti Franciſci, ut legitur apud Wadingum in hujus ordinis annalibus, ubi appellatur de Caſſano. Hinc cum titulo *Fratris Petri Ruthen. ep.* commemoratur variis in tabulis, maxime in tranſactione inter monaſterium Bonæ-vallis, & milites templi de Speleo, quam
1302. ratam habuit an. 1302. Verum antequam geſta ejus proſequamur, inveſtigandum eſt quo modo Ruthenenſi eccleſiæ præfectus ſit.

Cum canonici per tres fere annos non potuiſſent de epiſcopo e gremio eligendo convenire, ſummum pontificem adierunt, poſtulantes ut hunc religioſum virum apud Ruthenos ob virtutis famam probe notum, ſibi concederet in epiſcopum: annuitque pater ſanctiſſimus. Anno 1305. die ſabbati poſt feſtum ſancti Johannis ante Portam Latinam, univit quaſdam eccleſias, aut prioratus communi menſæ Piperaci. Anno 1307. ut morum corruptelæ in urbe graſſanti mederetur, quædam edidit ſtatuta quæ ſic incipiunt: *Quoniam ſummum bonum, &c.* quæ ex integro ſuæ inſeruit hiſtoriæ Antonius Bonal.

1305.

1307.

An. 1309. legatus mittitur a Clemente papa V. in Cyprum inſulam, ad componenda diſſidia inter Henricum II. Jeroſolymorum regem, & Amalricum ejus fratrem, qui in regem rebellarat, eumque conjecerat in vincula. Primarius tamen legationis in Orientem qua functus eſt, ſcopus fuit, ut in exercitu Cruce-ſignatorum & in Rhodia expeditione vices ſummi pontificis ageret; aderatque quando an. 1310. hæc inſula e Saracenorum dominio ab equitibus hoſpitalariis erepta eſt. Exhibet Rainaldus litteras Clementis V. quibus hunc epiſcopum inſtituit ſuum legatum in Cypro [a] & Rhodo inſulis, Armenia minori, Alexandrino, Antiocheno, atque Jeroſolymitano Patriarchatibus, ac in Cruce-ſignatorum exercitu. Quin etiam mortuo Antonio Jeroſolymitano patriarcha, eum ſummus pontifex hac dignitate donavit. Simulque permiſit retinere adminiſtrationem eccleſiæ Ruthenenſis, quia Jeroſolymitana jugo infidelium oppreſſa erat. Pontificium diploma ea de re datum eſt Montiliis diœceſis Carpentorat. IV. cal. Martii, pontificatus Clementis an. 9.

1309.

Redux ex Oriente Petrus invenit gregem ſuum bellis inteſtinis dilaniatum, quorum occaſio fuerat juriſdictio nonnullis in nundinis, quam comes Ruthenenſis hinc ſibi vindicabat, illinc vicarius generalis abſentis epiſcopi. Bellum tandem ſopitum eſt prudentia Durandi Mimatenſis epiſcopi, qui fuit electus judex a diſſidentibus. Decreto vero ſapientiſſimi præſulis in jure peritiſſimi, dato die ultima Martii an. 1316. ſtatutum eſt ut juriſdictio indiviſim ad epiſcopum & ad comitem, tam in urbe quam in burgo pertineret, ac utriuſque nomine exerceretur; quod deinceps obſervatum. Finem quoque litibus inter epiſcopum & capitulum, maxime ratione duarum præbendarum, quæ pertinent ad epiſcopum, imponi curavit Bituricenſis archiepiſcopus, per Pontium abbatem Bonæ-cumbæ, qui cum tribus aſſeſſoribus ſententiam protulit
1318. die 18. Januarii, an. 1318. Ita pace cum omnibus compoſita, ipſe in pace quievit die 6. Februarii ejuſdem anni. Corpus ejus quieſcere dicitur in ſacello ſancti Pauli, quod nunc in ſacriſtiam eſt converſum intra cathedralem eccleſiam. Exſtant ejus litteræ hortatoriæ ad Tranſmarinam expeditionem, ſeu de ſubſidio Terræ-ſanctæ, an. 1316. ſcriptæ, quæ ſic incipiunt: *Reverendis, &c. Frater Petrus miſeratione divina ſacro-ſancta Hieroſolymitanæ eccleſiæ patriarcha,*

1316.

[a] Vide quoque epiſtolam ejuſdem papæ, ad Philippum IV. Franc. regem, qua ipſi commendat Petrum Ruthen. epiſcopum in illis partibus ſedis Apoſt. legatum, in collect. Baluz. ad vitas papar. Avenion. illuſtrandas. col. 139.

ANNI CHRISTI.

episcopus Ruthenensis. Cetera vide tom. VIII. Spicil. p. 276. ubi in superscriptione per errorem dicitur cardinalis.

DE CASTRONAU, al. CHASTEAUNEUF.

XXXIV. PETRUS V.

Ex nobili apud Cadurcos genere de Castronovo Petrus episcopus alterius Petri successor natus erat: quibus autem gradibus ad episcopalis dignitatis fastigium pervenerit, nos fugit. Id scimus auctoritate pontificia ipsum promotum [a], 1318. bulla videlicet data die v. Martii an. 1318. ut discimus ex Antonio Bonal. Urbem tamen ingressus est tantum an. 1324. quod forte nonnullis occasionem præbuit asserendi, eum ante hunc annum ad episcopales infulas minime assumtum. Hujus antistitis mentio fit in causa inter patres Prædicatores ac moniales Prullianas ejusdem ordinis, una ex parte; & Johannem de Narbona ex altera anno 1333. de qua vide in Amelio de Lautrec (astrensi episcopo. Ad hunc episcopum scripsit Johannes papa XXII. ut monialibus S. Claræ apud Amiliavum (*Mihau*) daret monasterium fratrum *de Sacco* seu *de Pœnitentia* ejusdem urbis. *Datum Aven. kal. Martii, an. XI. pontificatus.* Ex regestro hujus anni n. 1075.

1324. 1333.

1334. Gravi morbo Parisiis decumbens anno 1334. die 16. Maii testamentum obsignavit, quo cavebat, ut post mortem corpus suum conderetur in cœnobio Dominicanorum hujus urbis, indeque suorum heredum cura, ad suam ecclesiam reportaretur collocandum in choro dictæ ecclesiæ, prope corpus Raimundi de Calo-monte avunculi sui. Sed mutato consilio, cum obiisset in sua urbe biennio post, scilicet an. 1336. sepultus est in capitulo Dominicanorum, ubi adhuc visitur ejus tumulus.

1336.

D'ALBY.

XXXV. BERNARDUS II.

Bernardus de Albia, patria & origine Appamiensis, electus Ruthenensis nuncupatur anno 1336. die 8. Februarii; tametsi nulla electio canonica facta fuisset, sed bulla Benedicti XII. tantum donatus fuisset hac cathedra. Solemni autem ritu urbem ingressus est die 15. Augusti sequentis. Purpura ornatur ab eodem papa die 18. Decembris an. 1338. dato titulo presbyterali S. Cyriaci in Thermis, quo tempore legatus ejus erat in Hispania, ad firmandam pacem inter reges Castellæ ac Lusitaniæ, ut junctis armis in Marrochitanos & Granatenses bellum moverent.

1336. 1338.

Sub Clemente VI. iterum legati munus gessit in Hispania an. 1343. missus ad Petrum Arragonum, & Jacobum Majoricæ regem, ut eos ad pacem & amicitiam revocaret. Jam vero episcopatum Ruthenensem dimiserat an. 1338. in favorem Guiberti seu Gisleberti, qui sequitur. Sed an. 1348. defuncto Johanne Convenensi Cardinali Portuensi, in ejus successorem assumitur. Mortuus est an. 1350. die 13. Novembris, quamquam Ciaconius & Frisonus qui ab invicem discrepant, eum citius mortuum velint. Tres reperiuntur ad eum scriptæ a Francisco Petrarcha epistolæ, qui inter cetera laudans ejus felicitatem, facilitatemque in pangendis versibus, ita canit

Dii tecum uberius, quoniam tibi conscia tecti
Vox adamantina est, calamus quoque ferreus
Promptus ad insultus, pleno tibi carmina cornu
Copia suppeditat. Versus brevis hora trecentos
Et septem decies excudit.

Sane Augustinus Oldoïnus in Athenæo Romano p. 135. observat quædam exstare hujus cardinalis poëmata in codice MS. cardinalis Sirleti. Testamento suo legavit quasdam domos Tolosæ sitas, & certam pecuniæ summam ad fundationem parthenonis Clarissarum hujus urbis. Vide Wadinghum in regesto tomi IV. p. 28. & Ughellum in serie episcoporum Portuensium.

[a] Notat Ant. Bonal deinceps omnes episcopos, usque ad Franciscum de Stanno, non electione, sed pontificia potestate creatos esse; nimirum papæ sub diversis nominibus sibi reservabant provisionem ecclesiarum vacantium.

DE CASTABR. ib.

XXXVI. GILBERTUS.

Non unicum fuisse Gilberti episcopi cognomen suspicamur ex quadam transactione, seu ex pactis inter ipsum & Deodatum Bonæ-vallis abbatem factis an. 1345. in quibus *Aibrandi* cognominantur ejus fratres. Nepos fuit Bernardi de Turre primi apud sanctum Papulum episcopi; quo in monasterio Gilbertus monachus fuit & Camerarius. Inde vero factus est sancti Ægidii abbas, tum sancti Victoris Massilienses. Porro sedem Ruthenensem conscendit an. 1338. nunc 1339. bulla provectus Benedicti XII. quæ data legitur die 27. Januarii hujus anni. Solemnis ejus ingressus notatur mense Julio sequenti ab Ant. Bonal. Quasdam indulgentias concessit, gratia constructionis pontis novi apud Ruthenos, die 8. Septembris ejusdem anni. Ejus statuta synodica anno 1340. edita asservantur in archivo episcopali. Exstant complura documenta data apud *Villam-francam* anno 1341. in quibus memoratur, uti lego in Gallia Christ. Sammarthanorum fratrum. An. 1341. die 11. Februarii officiali suo dedit in mandatis ut provinciæ suæque synodi statuta promulgari curaret. An. 1347. die 4. Januarii permisit construi murum in cœmeterio apud Villam-Francam, ne urbs incursionibus hostium pateret. Die 12. Martii an. 1348. * apud Calidas aquas in diœcesi S. Flori testamentum scripsit, ex quo didicimus quæ de ejus genere, monastica professione, &c. supra diximus. Hoc testamento pauperes urbis Ruthenæ heredes instituit, fundatque duo anniversaria, unum die 3. Januarii, alterum die 11. Martii. Duas etiam fundavit *Capellanias*, dictas ex ejus nomine *de Cantabrio*.

1338. 1340. 1341. *Ex archiv. hujus urbis.* 1347. * *ann* 1347. *juxta veteres mores.*

ATLAS-REUILL.

XXXVII. RAIMUNDUS II.

Raimundus de Agrifolio [a] pontificatum iniit,

[a] Verum hujus gentis antiquissimæ ac nobilissimæ nomen Gallicum est d'*Aigrefeuille*, cujus variæ stirpes in diversis Franciæ provinciis propagatæ sunt. In archivo urbis Montis-Pessul. legitur: *en l'an mil trois cens soixante-sept fuy Consols, &c.* Item .... *presens les Seubres cardenals nostre Senhor lo papa, se cardenal M. G. d'Agrifeulha protonotari, & filh de M^e. Adhemar d'Agrifeilla marescal de Con de Roma* Hic Ademarus curiæ Romanæ marescallus memoratur ad annum 1355. in instrumento quodam edito a Baluzio. Probat hist. domus Arvern. pag. 204.

Petit tolosanus p. 119. &c.

ANNI CHRISTI. 1349.

an. 1349. 16. Junii fultus bulla Clementis VI. apud quem magna pollebat gratia Guillelmus de Agri-folio cardinalis, ex monacho Cluniacenſi aut Bellilocenſi in Lemovicibus. Verum alium a capitulo electum fuiſſe in epiſcopum conjicimus; occurrit enim Andreas epiſcopus Ruthenenſis, qui an. 1348. die 1. Decembris teſtis eſt cujuſdam proteſtationis factæ ab Humberto Delphino, Romanis*. Vide commentarios* pro hiſtoria Delphinatus nuper editos pag. 637. Verum quiſquis fuerit ille Andreas, cedere coactus eſt Raimundo.

* Romani. * Memoires.

1343.

Is primum ſancti Martialis Lemovicenſis monachus, deinde an. 1343. abbas Angeliacenſis in Santonibus poſt Petrum de Judicia, cui eccleſiæ donavit ornamenta pontificalia, & beatæ Mariæ de Craſſa an. 1345. poſt eumdem Petrum de Judicia factum archiepiſcopum Cæſar-Auguſt. necnon prior Caſſiani; tandem epiſcopus an. 1349. Fratres habuit Guillelmum & Faiditum cardinales, Petrum Claromontenſi, Vabrenſi, Uceticnſi & Gabalitana, infulis ornatum, N. de Agrifolio toparcham de Fonte & de Tudello; ſororemque Florentiam quæ fuit abbatiſſa Elnonenſis. Hæc de ſuo genere nos docet ipſe Raimundus in teſtamento quod fecit annuente papa, die 14. Julii an. 1361. Nunc ab eo geſta tempore epiſcopatus perſtringamus.

1351.

Eo ſedente inſtaurata ſunt, & quaſi de novo excitata mœnia civitatis, ad cujus operis expenſas aliquid conferre coacti ſunt clerici urbis, uti probant litteræ Raimundi datæ 28. Septembris anno 1351. Ipſe ſuppeditavit neceſſariam pecuniam ad portam ſancti Martialis, aut ædificandam, aut muniendam, ut probant appoſita ejus inſignia, in quibus viſuntur tres ſtellæ. Eodem anno eccleſias de Alto-podio & de Boiſo-jolio menſæ communi Piperacenſi iterum univit, ſabbato poſt feſtum ſancti Johannis ante Portam Latinam; id enim jam factum fuerat an. 1305. De reformatione cleri majoris eccleſiæ ſollicitus, obtinuit a ſummo pontifice, ut Bertrandus de Deucio cardinalis epiſcopus Sabinenſis, tanquam legatus Ruthenam accederet, qui quædam condidit decreta * publicata die 1. Julii an. 1353. quæ ſic incipiunt: *Bertrandus miſeratione divina ep. Sabinenſis S. R. E. cardinalis, reformator & ordinator eccleſiæ Ruthenenſis a ſede Ap. deputatus.* An. 1359. in eccleſia Fratrum Minorum Ruthen. celebravit nuptias

1369.

Johannis comitis Pictav. filii regis Francorum, cum Johanna filia comitis Ruthen. & Armaniaci. Adhuc ſedebat Raimundus epiſcopus anno 1360. quo quamdam contulit *capellaniam*. Epiſcopatum reſignavit filio fratris ſui, ſed quo anno ignoratur. Paulo poſt teſtamentum factum 14. Julii an. 1361. obiit, nam e vivis jam exceſſerat XI. cal. Auguſti, an. 9. pontificatus Innocentii VI. qui huic anno 1361. reſpondet; hac enim die ſcripſit ad Johannem de Cavanhaco decanum eccleſiæ Compoſtellanæ apoſtolicæ ſedis nuntium, de reſervatis ſanctæ ſedi hujus epiſcopi nuper defuncti bonis. Suo teſtamento elegerat ſepulturam in ſacello de Petra-forti, alias ſancti Benedicti eccleſiæ cathedralis.

ANNI CHRISTI.

1361.

XXXVIII. FAIDITUS. D'AIGREFEUILLE.

Faiditus de Agrifolio deceſſoris ſui nepos erat ex fratre, juxta Ant. Bonal (quod tamen non audemus aſſerere) & Clementis papæ VI. conſanguineus. Cumque eſſet decanus Bituricenſis, an. 1361. ad cathedram Ruthenenſem ſubvectus eſt, & apud ſedem apoſtolicam mandato Innocentii VI. eſt conſecratus. Hanc ad eccleſiam ſolemni ritu acceſſit tantum an. 1365. die 22. Julii, quamvis antea quædam ab eo geſta ſint ad illius eccleſiæ commodum. Etenim anno 1364. dedit ad ejus ſarta tecta facienda mediam partem fructuum beneficiorum vacantium. Tranſlatus eſt ad Avenionenſem epiſcopatum, quod non contigit ante an. 1368. Quippe aſſervantur in Ruthenæ urbis archivo chartæ non paucæ hujus epiſcopi, hoc anno datæ. Creatus eſt cardinalis an. 1383. Vide reliqua in epiſcopis Avenionenſibus. Negat vero Baluzius in notis ad vitas paparum Avenion. ejus tranſlationem ad hanc eccleſiam factam fuiſſe ante an. 1371. unde expungit Bertrandum, qui ſequitur in epiſcoporum noſtrorum indicibus.

1361.

1365.

1368.

XXXIX. BERTRANDUS II. DE CARDAILLAC.

Nemini ignotum eſt nobile Cardaillacorum genus in Cadurcis, ex quo per lineam toparcharum de Varaire ortum duxit Bertrandus. Hic epiſcopus erat anno circiter 1368. ex chartis Ruthenenſibus. Certe anno 1369. litteris datis die 9. Octobris prohibuit omnibus, etiam preſbyteris, ſedere in ſubſelliis preſbyterorum ſodalitii obituum apud Villam-francam, ex archivo urbis. Fuit cancellarius principis Valliæ, in Aquitaniæ ducatu; unde non mirum ſi Anglis faverit, qui tunc Ruthenam urbem obtinebant. Auctor fuit huic principi, ut quædam imperaret vectigalia per ſingulos focos, uti docet Froiſſartus, quod occaſionem dedit excutiendi Anglorum jugum. Id forte cauſæ fuit quod Bertrandus epiſcopatum dimiſerit. Cum enim Anglorum partibus eſſet addictus, ipſis recedentibus, cedere coactus eſt, ne publico pateret odio. Jam monuimus Baluzium videri locum denegare Bertrando inter epiſcopos Ruthenenſes; qua de re vide notas ad vitas paparum Avenion. p. 1310. & 1328. Verum quid opponit tabulis Ruthenenſibus, quas laudat Bonallus, & ex parte exploravimus?

Ant. Bonal

Froiſſart vol. 1. c. 144.

XL. JOHANNES DE CARDAILLACO.

Quæ de hoc epiſcopo dicemus pleraque mutuabimur a V. C. Stephano Baluzio, in notis ad

Porro cum ipſum videamus vulgo cognominarum de *Agrifeulha*, non poteſt melius reddi gallice quam per d'*Aigrefeuille*. Fatendum tamen eſt nonnullis in provinciis, in quibus propagata eſt nobilis illa gens, hoc cognomen de *Agrifolio* diverſimode efferri vernacule. In Lemovicibus vertitur in *Argfeuille*, unde factum *Arfeuille*. Raimundus de Agrifolio epiſcopus Ruthenenſis fuit frater Petri de Agrifolio epiſcopi Claromontani, Vabrenſis, &c. quem volunt ortum in Lemovicibus, ſeu in Marchia Lemovicina. Notat vero dominus Jacobus Boyer, in hiſtoria Caſæ-Dei cujus abbas fuit Petrus de Agrifolio, ubique in chartis eum appellari d'*Arfeuille*. Vide in Faidito epiſcopo Avenionenſi circa finem ſeculi XIV.

* Ea penes ſe habet noſter D. Edmundus Martenne, quæ prope diem lucem ſunt aſpectura, cum multis aliis exquiſitis eccleſiæ monumentis.

ANNI CHRISTI

vitas paparum Avenionenſium pag. 1323. & ſeq.

Joh. de Cardaillaco e veteri nobilitate Cadurc. litteris operam dedit in academia Toloſ. ubi factus doctor, ut conſtat ex ejus bullis pro epiſcopatu Aurienſi, jus civile docuit eadem in academia; quo tempore miſſus ad Clementem papam VI. ab eadem univerſitate, ut in codice orationum ejus legitur, coram pontifice peroravit. Dum etiam ordinarie legeret Toloſæ, orationem habuit *ad univerſitatem ſtudii Toloſani*. Ex laudato codice an. 1351. Clemens VI. creavit eum epiſcopum Aurienſem in Hiſpania, ubi in feſto ſancti Martini patroni eccl. Aurienſis orationem habuit, ex dicto codice, ibidem in ſynodo quam celebravit.

Profectus videtur in Hiſpaniam, poſt mortem Clementis VI. nam ipſum mortuum laudavit ex ſuggeſtu, & celebravit *inthroniſationem* Innocentii ejuſdem ſucceſſoris, & coram ipſo concionatus eſt in feſto annuntiationis B. Mariæ an. 1353. ex concionum ejus libro. Acceſſit ergo ad ſuam eccleſiam Aurienſem, anno 1356. An. 1359. transfertur ad eccleſiam Braccarenſem, per tranſlationem Guillelmi de Gardia ad Arelat. Quo in archiepiſcopatu duas habuit ſynodos, ut ex orationibus quas ibidem promuntiavit, inſertis libro ejus concionum palam fit. Ibidem continetur *harenga* ejus, quando viſitavit eccleſiam Aſtoricenſem, & epiſcopum ſuffraganeum ſuum. Idem ſermone funebri parentavit Agneti de Caſtro reginæ Luſitaniæ, anno 1361.

Ab an. 1367. detentus eſt in carcere Burgenſi a Petro crudeli rege Caſtellæ, uſque ad 1369. quo liber evaſit Henrici regis Caſtellæ poſt Petrum crudelem fratrem ſuum, beneficio. Ab ipſo miſſus eſt ad Urbanum papam V. ut ex ejuſdem oratione conſtat. Porro veriſimile eſt in hoc Romano itinere Johannem ad ſuos inviſendos divertiſſe, nam interfuit funeri fratris ſui Bertrandi de Cardaillaco Montalban. epiſcopi, & in ejus funere oravit. Bertrandum vero mortuum eſſe an. 1369. probat Baluz. quod Petrus de Chaleſio Bertrandi locum acceperit hoc an. 1369. Poſt fratris funus Romam venit ad Urbanum papam. Ipſo Avenione mortuo, Johannes cum Petro cardinali de Stagno, ejus celebravit exſequias, legiturque in collectione ſermonum ejus *ſermo per eundem factus in obſequiis D. Urbani papæ V. in urbe Spoletana, &c.* Cum inde reverſus eſſet in Galliam, veriſimile eſt eum renuntiaſſe archiepiſcopatui Braccarenſi, cujus loco factus eſt adminiſtrator eccleſiæ Ruthenenſis, & Alexandrinus patriarcha. Inter ejus conciones legitur *ſermo in feſto Tpapantis...* per reverendiſſimum in Chriſto patrem Dom. patriarcham, factus ad populum in eccleſia ſua Ruthenenſi. Præterea Johannem Ruthenenſem fuiſſe Braccarenſem archiepiſcopum, probatur ex lib. obligat. archivi Vaticani, in quo legitur Johannem patriarcham Alexand. adminiſtratorem eccleſiæ Ruthenenſis promiſiſſe, 1371. die 26. Julii an. 1371. perſoluturum ſe cameræ domini papæ, & collegio cardinalium communia ſervitia; & recognoviſſe pro eccleſia Braccarenſi. Facta Johannis de Cardaillaco patriarchæ Alexandriæ, & adminiſtri Ruthenenſis, ſic proſequitur Baluz.

ANNI CHRISTI

An. 1372. fuit nuntius apoſtolicæ ſedis ad imperatorem, ut conciliaret pacem inter eum ac regem Hungariæ Bavaroſque. Exſtat ejuſdem oratio, quando debuit adire imperatorem, ex parte regis Caſtellæ miſſus. An. 1375. Pariſiis concionem habuit *coram domino Carolo rege*, dominica III. Quadrageſimæ in feſto Annuntiationis. An. 1377. baptizavit Toloſæ filium Ludovici ducis Andegavenſis, natum die 7. Octobris. Vide Mabill. tom. III. Analect. p. 502. 1377.

An. 1378. cum eſſet Romæ tempore mortis Gregorii XI. & electionis Urbani VI. accepit ab eo adminiſtrationem eccleſiæ Toloſanæ, quod probatur ex ejus depoſitione coram regis Caſtellæ legatis. Hanc adminiſtrationem confirmavit Clemens VII. cujus amplexus eſt partes; hujuſque pontificis exſtat bulla data anno 2. ejus pontificatus directa *Johanni patriarchæ Alexandrino, & adminiſtratori eccleſiæ Toloſanenſis*, quæ habetur in archivo collegii ſanctæ Catharinæ an. 1383. profectus eſt Pariſios, conſecravitque coram rege Carolo VI. Philippum de Molinis epiſcopum Ebroïc. Obiit an. 1390. 7. Octobris; ſepultuſque eſt in eccleſia majori Toloſæ. Pleraque hic notata ex ejus orationibus & concionibus didicimus. 1378. 1390.

Noſtri Sammarthani, Johannem de Cardaillaco epiſcopum Ruthenenſem, negant eumdem eſſe, qui ex archiepiſcopo Braccarenſi, poſtea factus eſt Toloſanus. Certe in epitaphio Johannis archiepiſcopi Toloſani, nulla fit mentio epiſcopatus Ruthenenſis. Verum præponderant rationes a Baluzio prolatæ, epitaphii ſilentio. Præterea nulla fit etiam mentio epiſcopatus Aurienſis, nec archiepiſcopatus Braccarenſis in hoc brevi epitaphio. Attamen his dignitatibus ornatum fuiſſe Johannem archiepiſcopum Toloſanum omnes conſentiunt. Itaque accedo ultro ad Baluzii opinionem, cui ſuffragari quoque videntur Sammarthani fratres, dum Johannem appellant *adminiſtratorem* Ruthenenſem. Id enim ſupponit aliam eccleſiam quam habuerit in titulum, ſcilicet Alexandrinam cujus erat patriarcha.

Præterea Johannes patriarcha Alexand. & adminiſtrator Ruthen. an. 1375. die 22. Februarii, dedit licentiam muniendi Burgum. Cujus litteras in hanc rem vide charta IX. Is autem non fuit Joh. de Armaniaco, cujus epiſcopatus non notatur niſi an. 1376. menſe Oct. Ergo eſt Johannes de Cardaillac. Habet anniverſarium die ultima Septembris. Fundavitque duas *capellanias* de quibus in catalogo beneficiorum diœceſis legitur: *Præſentatio duarum capellaniarum fundatarum per bonæ memoriæ Johan. de Cardhaillaco patriarcham Alexandriæ, adminiſtratorem eccleſiæ Ruthenenſis, in eccleſia cathedrali Ruthenæ, in capella ſancti Gabrielis, pertinet ad capitulum; inſtitutio vero ad dominum epiſcopum.* Quæ Baluzii ſententiam adhuc fulciunt. *C. IX.* pag. 32. tom. I.

De hoc præſule intelligi debet inſtrumentum illud ab Antonio Bonalio prolatum, quo a duce Andegavenſi regis fratre ejuſque locum tenente in Occitania an. 1378. civibus Ruthenæ urbis privilegia ſublata declarantur, & poſtea

ANNI CHRISTI.

tamen reſtituuntur ad preces Johannis patriarchæ Alexandr. & adminiſtratoris perpetui Ruthenenſis, etſi a dictis civibus læſi; ubi annus 1378. dicitur ſextus ejus epiſcopatus, unde ſequi videtur Johannem ad cathedram Ruthenenſem non acceſſiſſe, niſi anno 1372. vel etiam 1373. Sedebat adhuc an. 1379. ex publico alio inſtrumento, quod Ant. Bonal teſtatur a ſe viſum, ad litem inter hunc epiſcopum & cives, pro conſtructo a conſulibus quodam propugnaculo, ſpectans.

Raffin.

XLI. Bertrandus.

Ante epiſcopatum Bertrandus Raffin natione Vaſco, cujus cognominis toparchæ de Pericard & de Pecalvary, in pago Aginnenſi, inquiunt noſtri Sammarthani, in comitatu Gregorii XI. apud Avenionem diu manſerat; cujus latus ſtipabat, quando Romam ſe recepit, ut refert Petrus Amelius in itinerario hujus pontificis revertentis Romam; ubi appellatur *SS. patris Manſionator.* Per ceſſionem factam ab anteceſſore, & bullam Clementis VII. datam an. 1381. Eodem anno pervenit ad cathedram Ruthenenſem; nec tamen ingreſſus eſt urbem ante diem 7. Junii, an. 1383. Statim ac poſſeſſionem cepit, ſtuduit componere ac reſtinguere lites a longo tempore motas, inter epiſcopum & cives pro cuſtodia cujusdam propugnaculi, ad portam S. Martialis, in fundo epiſcopi, quam ſibi reſervandam ipſe contendebat. Cogitarat etiam ſerio de ſopiendis diſcordiis quæ oriri ſolebant, ex *jure ſpolii* clericorum beneficia eccleſiaſtica poſſidentium, quod pertinebat ad epiſcopum. Nam in archivis epiſcopalibus habetur compoſitio facta per vicarium generalem Bertrandi cum eccleſiaſtico ordine pro ſpolio eorum, qui beneficia obtinent. An. 1381. quo epiſcopatum eſt exorſus, die 3. Junii an. 1383. conſenſit unioni eccleſiæ collegiatæ S. Amantii de Troſſico cum parthenone monialium S. Claræ apud Amiglavum, reſervato ſibi 8. librarum cenſu, ex tab. hujus parthenonis. Obiit an. 1389. in curia Avenionenſi, ſedente ibidem Clemente VII. ſed uſque ad hoc tempus epiſcopatum minime retinuit, ut mox oſtendemus.

Papyr. Maſſ. *in vitis Pont.*

1381.

XLII. Henricus.

De Sinery *al.* de Sirent.

Henricus origine Sabaudus a Clemente VII. in cujus curia aſſidue verſabatur, accepit epiſcopatum Ruthenenſem. Jamque ſedebat die

1386. 24. Septembris, an. 1386. quo tempore fundavit aut inſtituit quatuor miſſas ſingulis annis pro ſalute animæ ſuæ celebrandas in eccleſia Ruthenenſi, datis 400. libris. Anno

Ex tab. Ruth. 1388. *in remotis* egiſſe legitur in veteri inſtrumento Bonæ-vallis. An. 1393. mandato a S. ſede

1388. 1393. accepto, ſcripſit die 3. Junii pro exſecutione cujuſdam *excambii* inter Johannem comitem Armaniaci ac Ruthenorum, & Raimundam abbatiſſam monaſterii S. Saturnini ſecus urbem, jam propoſiti an. 1381. Tempore ejus epiſcopatus, ſcilicet an. 1395. die 27. Maii, Aymericus de

Ex tab. Ruthen. Mercato conſtituit eleemoſynam tribus, diebus cujuſlibet hebdomadæ Quadrageſimæ a capitulo erogandam, anniverſarium, & quamdam

1395. ſupplicationem; pro quibus dedit caſtrum *de Pruhines.* Non invenio quo anno e vivis exceſſerit.

Male audiit hic epiſcopus apud Carolum VI. regem, qui ſcripſit ad Ruthenorum ſeneſcallum, & alios magiſtratus, ut ſummo jure agerent in ipſum, ejuſque officialem, vicarium generalem, ac Baillivum tanquam perduelles. Litteræ Caroli datæ ſunt 13. Maii 1392.

ANNI CHRISTI.

XLIII. Guillelmus.

De la Tour d'Oliergues.

Guillelmus Moïſſiaci in Cadurcis natus ſanctioris conſilii regii aſſeſſor, an. 1398. munitus bulla Benedicti XIII. *al.* Petri de Luna cathedram aſcendit. Anno ſequenti compoſuit cum Guillelmo d'Eſcoraille Dom. de Bourran die 9. Auguſti pro ſtipendiis ipſi debitis, ratione miniſterii & famulatus ſui, in adventu novi epiſcopi, quem pedes nudoque capite ſequi equitantem, equi habenas tenens, debet hujus loci toparcha. Benedicti XIII. bulla data XII. cal. Januarii, an. 3. ejus pontificatus, delegatus eſt ut præpoſitum ſancti Salvii Albienſis, priorem fratrum Prædicatorum, & Guardianum Fratrum Minorum cogeret intereſſe cum ſuis conventibus, generalibus, quæ fiebant in eccleſia majori Albienſi, ſupplicationibus. Qua de re litteras dedit die 1. Aug. an. 1404.

1398.

1404.

Ut incœptum eccleſiæ B. Mariæ ædificium promoveret Guillelmus, ceſſit ad hoc pium opus mediam partem annui reditus omnium ſacerdotiorum vacantium; qua tum quidam potiebantur epiſcopi; in his Ruthenenſis & Cadurcenſis. Cum eo tempore canonici majoris eccleſiæ, vitæ clericalis leges prorſus ignorarent, aut abjeciſſent, Bernardus II. Armaniaci Ruthenorumque comes, epiſcopo, ut creditur, conſentiente [a], intentatis minis de ſubtrahendo omni ſtipendio, eos coëgit ad quædam ſtatuta, pro reformatione eccleſiaſticæ diſciplinæ recipienda. An. 1409. Guillelmus miſit legatum aut procuratorem, ad concilium Piſanum, ex ipſius actis tom. VI. Spicilegii p. 363. Anno 1415. fundatur in diœceſi apud S. Chriſtophorum prope Valadin, collegium preſbyterorum. Guillelmum epiſcopatum adminiſtraſſe uſque ad an. 1416. indicant tabulæ. Quotannis vero pro animæ illius requie oratur bis in cathedrali Ruthenenſi, videlicet die 17. Januarii & ultima Auguſti. Hic epiſcopus magnas habuit ſimultates cum capitulo ſuo, & duos canonicos, aliumque e clericis capitulo ſubjectis qui ſubdiaconus erat, in carcerem detruſit, virgis cædit, ac ferreis catenis vinxit, ob appellatum archiepiſcopum Bituricenſem. Incarceratio canonicorum facta eſt die 26. Junii an. 1404. Quapropter inquiſitum eſt de his exceſſibus ad petitionem promotoris Bituric. ut probant inſtrumenta archivi regii urbis Ruthenenſis, quorum inventarium in Colbertina bibliotheca aſſervatur. Ex Baluzio in hiſt. domus de Arvernia, locum habet in catalogo benefactorum Carthuſiæ Cadurcenſis, in cujus bibliotheca viſuntur ſacra biblia elegantiſſime deſcripta, quæ dedit hic epi-

1409.

1415.

[a] Id perſuaderur facile ex litteris quas ſcripſit ad eumdem comitem, pro reformatione ſuæ eccleſiæ faciendæ.

ſcopus

ANNI CHRISTI.

ſcopus præfatæ Cartuſienſium domo, die 16. Maii MCCCCV.

XLIV. VITALIS.

De Mauleon.

1416. Annus Chriſti 1416. primus fuit epiſcopatus Vitalis de Maloleone. Solemnis tamen ejus ingreſſus factus eſt tantum an. ſequenti, pro cujus expenſis, quædam imperavit clero ſubſidia. Multis litibus capitulum implicuit, quas tamen ſedavit & compoſuit epiſcopus cardinalis Caſtrenſis, electus judex a partibus, die 14. Septemb. an. 1426. Antea exarſerat gravis controverſia inter ipſum & Johannem IV. comitem Armaniaci ac Ruthenorum, qui eadem a vaſſallis epiſcopi, ac ecclesiæ volebat exigere, ac a ſuis; de quibus tranſactum eſt coram electis judicibus, die 12. Martii an. 1418. An. 1422. confirmat permutationem factam inter capitulum Rutheni & Alſiacium de Launhac dominum de Bello-caſtro.

1418. 1422.

1428. An. 1428. Chriſti, qui erat undecimus Martini papæ V. a Montalbanenſi epiſcopo Jordani Albanenſis epiſcopi commiſſario facultatem impetrat vendendi turres quatuor argenteas, in eccleſiæ commodum. Attigit anni 1429. initia juxta hodiernum morem; etenim viſuntur ejus litteræ, quibus mandat ſuo vicario generali quædam pro prioratu Alti-podii (*Alpuech.*) *Datum*, inquit, *Romæ, in domo habitationis noſtræ, die* 5. *Februarii an.* 1428. al. 1429. Eodem an. 1429. ceſſit Vitalis in ſequentis favorem, & tranſiit ad ſedem S. Pontii Tomeriarum, quo tempore titulo patriarchæ Alexandrini ornatus eſt a pontifice maximo.

1429.

De la Tour d'Oliergues.

XLV. GUILLELMUS II.

Vitali tranſlato ad eccleſiam Tomerienſem, capitulum Ruthenenſe de jure electionis recuperando cogitavit, elegitque Petrum de Stagno *al.* de Stanno, d'*Eſtain*, archidiaconum Conchenſem in eccleſia Ruthenenſi, qui etſi non confirmatus, vi militari ædes epiſcopales ac caſtra ad epiſcopum pertinentia per tres aut quatuor annos occupavit. Cedere tamen coactus eſt Guillelmo de la Tour bulla pontificia munito, quem præterea in poſſeſſionem aſſeruit ſenatus-conſultus. In generis hujus epiſcopi deſcriptione non conſentiunt ſcriptores. Communis ſententia eſt eum parentes habuiſſe Agnonem II. Oliergii dominum, & Beatricem de Chalançon, quorum tertius erat filius. Antonius Bonalius vero in hiſt. MS. epiſcoporum Ruthenenſium, dicit eum filium fuiſſe Bertrandi de Turre, neporem Bernardi, & Beatricis de Rodez, qui vivebant an. circiter 1300. Bertrandus ejus pater ipſe eſt, quem ſub nomine toparchæ de la Tour d'Auvergne Froiſſartus ad an. 1360. numerat inter obſides regi Angliæ datos pro Johanne rege Franciæ liberando; quorum plurimi ex regia ſtirpe originem trahebant. Ante epiſcoparum Guillelmus erat archidiaconus S. Flori in eccleſia Claromontenſi, adfuitque hac ſolum dignitate inſignis, concilio Conſtantienſi, cujus acta deſcribi curavit; quæ exſtant MSS. in bibliotheca Eminentiſſimi cardinalis Bulloni: cum hoc titulo: *Hæc acta concilii gener. Conſtantienſis ſunt domini Guillelmi de Turre archidiaconi ſancti Flori, in eccleſia Claromontenſi, qua fecit deſcribi dum ibi erat.* Idem Bonalius addit inſigniis Guillelmi vulgatis & notis canterium * turri appoſitum. Diu decertandum fuit huic epiſcopo cum ſuo competitore Petro de Stanno, nec potuit liberam obtinere epiſcopatus poſſeſſionem ante annum 1432. vel 33. Eam [a] nactus multas capitulo lites movit, & intulit injurias, de quibus diu diſceptatum eſt in concilio Baſileenſi. Præcipua querelarum capituli capita erant, quod in negotiis majoris momenti, capituli conſilio non uteretur, maximeque non uſus eſſet in conceſſione *gabellæ* vini; quod nuper curiam ſpiritualem tranſtuliſſet apud Villam-francam, capitulo inconſulto. Denique quod hac in urbe ſynodum æſtivalem celebrandam conſtituiſſet. Facta eſt tamen compoſitio inter eos die 5. Julii an. 1438. Per biennium in proſequendis maxime his litibus in concilio Baſileenſi manſit; eoque decernente petiit *ſibi reſpondere capitulum de duabus prabendis* (quibus fruebantur epiſcopi Ruthenenſes) *pro quolibet annorum, quibus fecit reſidentiam in concilio generali Baſileenſi.*

ANNI CHRISTI.

* *au chevet broches sur la cour.*

1432. a

1438.

Ante ſopitas lites cum capitulo, alias habuit cum civibus civitatiſque conſulibus, ab an. 1436. ad 1444. Quibus in litigiis, etſi multum pecuniæ conſumſerit, præ ceteris tamen epiſcopis eccleſiæ majoris fabricam diu antea inchoatam auxit. Turrim nunc adhuc ſuperſtitem ædificavit. Multa reſarcivit, aut nova addidit in palatio epiſcopali. Caſtrum & eccleſiam de Sales de *Curan* conſtruxit, ubi clericorum collegium ab eo inſtitutum eſt. Sacellum in honorem S. Vincentii in eccleſia fratrum Prædicatorum fundavit an. 1455. Plurima denique reliquit poſt ſe epiſcopalis munificentiæ monimenta. Infulas abdicavit in gratiam Bertrandi pronepotis ſui anno 1457. Tuncque renuntiatus eſt patriarcha Antiochenus. Teſtamenti tabulas ſcripſit in caſtro Mureto die 3. Novembris an. 1461. quo heredem inſtituit neporem ſuum Agnonem de Turre vicecomitem Turenæ, ejus exſecutione demandata Bertrando de Chalançon ſuo ſucceſſori in Ruthenenſi cathedra; ex autographo relato in analectis Juſtelli ad hiſt. genealog. familiæ de Turre. Verum hoc teſtamentum mutavit addito codicillo, die 22. Novembris an. 1469. quem refert Baluzius in altero tomo hiſt. domus Arverniæ, p. 727. utrumque inſtrumentum aſſervatur in tabulis eccleſ. Ruthen. inquit vir eruditiſſimus N. Du Fourny in hiſt. geneal. domus Franciæ, &c. de Franciæ mareſcallis p. 663. Ibidem aſſerit Guillelmum vivere deſiiſſe an. 1470.

1455.

1457.

De Chalançon.

XLVI. BERTRANDUS I.

Ex baronibus de Chalançonio apud Vellavos, quo ex genere tres fuerunt epiſcopi Aniciensis eccleſiæ, patrem habuit N. de Chalançon,

a Nihilo tamen minus tunc epiſcopale munus, ſaltem quoad ſpiritualia exercebat; nam ad inſtantes Bonnæ Bituricenſis Armaniaci comitiſſæ, & Bernardi de Armaniaco filii ipſius preces unioni eccleſiæ S. Martini de Bolhac, collegio preſbyterorum B. Mariæ Aurillaci aſſenſum præbet 1430 19. Octobris. Exſequens ejuſdem Bonnæ de Biturio comitiſſæ Armaniaci & Ruthenæ ſolemniter celebravit 1435. die Decembris 30. *Ex tab. eccleſ. Ruth.*

ANNI CHRISTI.

matrem Iſabellam de Turre. Quamvis autem titulum epiſcopatus Ruthenenſis conſecutus eſſet anno 1457. reſignatione Guillelmi avunculi * ſui, aut proavunculi; attamen cum ille adminiſtrationem ſibi retinuiſſet, & primas in dioceſis regimine partes impleret, vix quidquam a Bertrando geſtum legitur, niſi mortuo Guillelmo. Paulo poſtquam adeptus eſſet poſſeſſionem, Ludovicus rex XI. Johannem V. comitem Armaniaci & Ruthenorum, tanquam majeſtatis reum, utroque ſpoliavit comitatu, quos fiſco ſuo addixit; erexitque ſedem præſidialem, & ei ſubjecta eſſe voluit etiam epiſcopi dominia, qui urbis Ruthenæ condominus erat cum comite. Ea de re diu diſceptatum eſt, ut obſervat Anton. Bonal; qui viderat inſtrumenta anni 1470. ad id ſpectantia. Vicit autem epiſcopus, & erectio curiæ præſidialis reſciſſa eſt ſupremæ curiæ Pariſienſis ſenatus-conſulto.

1470.

Liber ab his curis Bertrandus, abſolvendæ majori eccleſiæ animum intendit, & partem ædium epiſcopalium, quæ huic operi obicem ponebat, evertit, ac alio tranſtulit. In choro ſedilia poſuit affabre facta, & odeum mira arte conſtruendum curavit. Inſuper caſtrorum & domorum quæ erant epiſcopi, ædificia auxit & reſtauravit. Sedem epiſcopalem dimiſit in favorem ſequentis, reſervata ſibi per bullam pontificiam adminiſtratione. Exſtant adhuc ejus litteræ, *Viſa* appellatæ, datæ 29. Octobris 1482. in quarum ſigillo viſuntur gentilitia inſignia. Circa ſigillum legitur *S. B. de Chalançon Dei gratia epiſcopi Ruthen.* Ex tabulis Bertrandus epiſcopus *Ruſſionenſis*, & epiſcopatus Ruthenenſis adminiſtrator perpetuus die 15. Julii 1499. confirmat parochum ſancti Gervaſii. Hic Bertrandus non eſt Bertrandus de Polignac, qui erat epiſcopus, non autem adminiſtrator eccleſiæ Ruthenenſis; ſed eſt Bertrandus de Chalançon. Item Bertrandus de Chalançonio epiſcopus Ruſſionenſis, & ex reſervatione apoſtolica adminiſtrator perpetuus epiſcopatus Ruthenenſis, pro ſalute animæ ſuæ fundat duodecim obitus an. 1497. Quam fundationem acceptant Bertrandus de Poligniaco epiſcopus Ruthenenſis, & ejuſdem eccleſiæ capitulum. Ubi vides utrumque Bertrandum ſignarum. Cenſemus ad hoc referri debere quod legimus in tabulario eccleſiæ Ruthen. ubi Bertrandus de Chalançonio adminiſtrator epiſcopatus Ruthenenſis per reſervationem S. Sedis, dat Bertrando de Polignac epiſcopo Ruthenenſi & capitulo, quidquid acquiſierat ab Iſabella de Beaufort &c. *Act.* 18. *Aug.* 1497. Dies ultimus ejus vitæ fuit 24.* Octobris an. 1501.

* al. 25. Oct. an. 1501. in oppido S. Pauliani in Vellavia, *ut lego in ſchedis domni Jacobi Beyer.* De Polignac.

XLVII. B. BERTRANDUS II.

Cum Bertrandus de Chalançon cedendo epiſcopatum, ejus adminiſtrationem retinuiſſet, vix ad Ruthenenſis eccleſiæ gubernaculum manum admovit Bertrandus de Podemniaco, qui deceſſori ſuo diebus octo tantum ſuperſtes fuit: hinc vix occurrit ipſius nomen in actis publicis. Attamen in tabulis Bonæ-vallis Bertrandus de Polignac * epiſcopus Ruthen. confirmat die 8. Julii an. 1495. omnes donationes factas a ſuis anteceſſoribus cœnobio Bonæ-vallenſi; videlicet eccleſias de Cureriis, de Solargio, de Petra-fixa. Ceterum de illuſtriſſimo Bertrandi genere dicere ſuperfluum videtur. Nomen ſumſit a vetuſtiſſimo & nobiliſſimo caſtro in Vellavis quod olim *de Podemniaco*, vocabatur, ut veteres chartæ probant, poſtea per corruptionem *de Poligniaco*. Hujus toparchiæ vice-comes erat & baro de Chalançonio Ludovicus I. dictus Armandus, qui genuit noſtrum Bertrandum ex Elizabetha de Turre-Boloniæ. Proavunculum Bertrandum de Chalançon habuit, qui epiſcoparum ipſi reſignavit. Obiit in caſtro de Polignac die 2. Novembris an. 1501. octo diebus poſt deceſſorem ſuum, cum quo eodem in tumulo conditus eſt in ingreſſu chori majoris eccleſiæ Ruthen. ex parte navis.

ANNI CHRISTI.

* Polinhac.

1495.

1501.

XLVIII. B. FRANCISCUS I.

D'Estaing.

In pago Ruthenenſi floruit a b antiquis temporibus gens nobilis de Stanno, aut de Stagno, ex qua plurimi prodierunt eccleſiæ Gallicanæ præſules; in his Petrus archiepiſcopus Bituricenſis cardinalis Oſtienſis quarto-decimo ſeculo; ſed nullus plus ſplendoris attulit illuſtriſſimo generi, quam Franciſcus noſter ob notam vitæ ſanctitatem præſtantiſſimis epiſcopis annumerandus. Natus eſt Ruthenis an. 1462. in feſto Epiphaniæ ex patre Gaſpare Ruthenorum ſeneſcallo, & matre Johanna Murolii domina. Doctoris in decretis lauream conſecutus eſt in academia Papienſi 19. Maii 1488. preſbyter eſt ordinatus 18. Septembris an. 1499. cum eſſet canonicus Lugdunenſis. Electus eſt cum ſuo fratre a Ludovico XII. Francorum rege, in ſenatorem Magni Conſilii (*le grand Conſeil*) quod nuper hic ſapientiſſimus princeps inſtituerat, ob eximias dotes, ac ſummam in tractandis negotiis peritiam & integritatem. Quapropter in variis regni negotiis, eo uſus eſt rex, maxime in legatione ad Julium papam II.

Electus eſt a capitulo Ruthenenſi in epiſcopum die 11. Novembris anno 1501. ſed habuit competitorem Carolum de Turnone, quem ſuſpicamur a papa donatum fuiſſe hoc epiſcopatu; inique enim ferebat ſummus pontifex electionem in capitulo Ruthenenſi a multis annis abrogatam, reſtitui. At Carolus morte ſublatus eſt menſe Septembri an. 1504. Poſteaque Franciſcus electionis ſuæ confirmationem obtinuit eodem anno, & inauguratus eſt ab archiepiſcopo Bituricenſi, aſſiſtentibus epiſcopis Lucionenſi & Santonenſi. Anno vero 1505. in feſto S. Martini die 11. Novembris urbem ſolemni pompa ingreditur. An. 1510. die 10. Maii qui erat feſtus ob Aſcenſionem Domini, celebravit miſſam in eccleſia hoſpitalis domus Aubracenſis, ac confirmationem, tonſuramque clericalem contulit, chirographo quo immunitati religioſorum virorum cavebatur dato ſacriſtæ ob abſentiam

1501.

1504.

1510.

a Antonius Bonalius dicit Bertrandum fuiſſe nepotem Guillelmi: Baluzius, fuiſſe filium ejus conſobrinæ, nepotemque juxta uſum apud Britones receptum. Guillelmus illum nullibi nepotem vocat ſive in teſtamento ſuo, cujus ipſum inſtituit exſecutorem, ſive in codicillo quo ipſum ab hoc onere abſolvit.

b Petrus de Stagno miles ſubſcribit tabulis matrimonialibus Petri Aragonum regis, & Mariæ Montis-peſſulani dominæ, an. 1204. Vide tom. VIII. ſpicileg. p. 219

ANNI CHRISTI.

domni seu prioris, qui tunc erat Antonius d'Estain episcopus Engolism. ex archivo Aubracensi. Beneficum erga suam ecclesiam se probavit: nam campanile ligneum, lapideum magna ex parte fecit, deditque capitulo castellaniam de Rostis cum onere missæ quotidie celebrandæ. Instrumentum donationis datum est 28. Maii
1529. an. 1529. cui episcopus promittit consensuros Guillelmum (*Guillot*) d'Estain suum fratrem, & Gaspardum filium fratris sui, ex tab. eccl. Ruthen.

Sub ejus regimine fundatur Carthusianorum B cœnobium Ruthenis ab Helyone de Jaufroy, cantore ecclesiæ cathedralis, & præposito sancti Salvii Albiensis, nepote cardinalis Atrebatensis; qui etiam fundator fuit monialium sub titulo B. Mariæ Annuntiatæ, ex instituto Johannæ reginæ, in quarum ecclesia juxta altare majus a parte epistolæ legitur inscriptio hæc *Anno a partu Virgineo* MDXXIV. *ultimo Decembris sancto Silvestro dicata, Franciscus de Stanno episcopus Ruthen. hanc ædem orante Gabriele Maria, Deo, Virginique matri sub Annuntiationis titulo consecravit.* Hic Gabriel Maria ibidem sepulcus, erat Johannæ reginæ a confessionibus C & institutor generalis monialium Annuntiatarum, ut apellatur in epitaphio.

Migravit ad cœlum Franciscus die festo omnium Sanctorum an.
1529. nium Sanctorum an. 1529. cum fama sanctitatis; cujus etiam quædam circumferuntur miracula. Sed certiores in eo sanctitatis notæ sunt virtutes eximiæ, quibus tota ejus vita ornata est; liberalitas in pauperes, misericordiæ viscera erga infirmos, assidua custodia gregis sui, amor decoris domus Dei, pro celebratione divini officii ea qua decet gravitate ac pietate fervens studium. Jacet in medio presbyterii ecclesiæ Ruthen. ante gradus altaris, ubi legitur
C. X. p. 52. col. 2. ejus epitaphium editum inter instrumenta. Ejus D vitam scripsit Johannes-Baptista Beau, e Societate Jesu, editam Claromonti an. 1656. Ipsi vicelegato Avenione pro Georgio de Ambasia an. 1507. Symphorianus Campegius dicavit librum de summis pontificibus in Gallia ortis. Sigillum Francisci de Stanno præfert Virginem Deiparam sedentem in throno, & una manu sceptrum ferentem, altera puerum Jesum. Sub imaginis pedibus sunt stemmata gentilitia domus d'Estain.

XLIX. GEORGIUS.

D'Armagnac. Sæpe de hoc præsule differendi dabitur occa- E sio, quippe qui præter cardinalis titulum, tot alios variorum episcopatuum aut ecclesiarum metropolitanarum gestavit; fuit enim Tolosanus, Ruthenensis, Vabrensis, &c. denique Avenionensis antistes. Ad ejus vero generis commendationem sufficiat dicere, ipsum ab an-
a tiquis Armaniaci comitibus originem duxisse a. Cetera vero ad ipsum spectantia enucleatius expendemus in archiepiscopis Avenionensibus. Hic, cum esset abbas S. Ambrosii Bituricensis,
1529. designatur episcopus Ruthen. an. 1529. a Francisco I. Francorum rege, vi concordatorum cum Leone X. & bullis acceptis a Clemente VII. instituitur. Anno 1531. die 10. Julii confirmat priorem de Alto-podio (*Alpuech*), ejusque in litteris appensum est sigillum, in quo apparet leo. Eodem an. die 25. Julii sacramentum recipit à Paulo de Carretto episcopo Cadurcensi, nomine Henrici II. regis Navarræ, & Margaritæ reginæ, propter bona temporalia *Ex tab. Bonæ-cumbæ.* monasterii Bonæ-cumbæ, quam abbatiam præfatus Paulus habebat in commendam.

Porro quamvis in sua ecclesia Ruthen. vix
1544. fit visus, aut in hac diœcesi, nisi post an. 1544. multum tamen profuit, ob præstantes viros, quorum opera usus est ad hujus ecclesiæ gubernationem. Præcipua ejus cura fuit, gregem suum intactum a luporum morsibus, heterodoxorum videlicet Calvinianæ sectæ, conservare; quod saltem præstitit in urbe episcopali. Idcirco Jesuitas, quorum institutum Romæ exploraverat, hanc in urbem admisit, & scholis præfecit. Cum amplius non posset officium episcopale implere hac in ecclesia, libere episcopatum dimisit Jacobo qui sequitur, sibi proxime cognato.

L. JACOBUS.

De Corneilan. Episcopus Vabrensis erat Jacobus, quando per resignationem Georgii nominatus est, regia schedula data ultima Januarii 1560. Aureliæ,
1560. qua rex facultatem indulget Georgio cardinali episcopatum Ruthenensem abdicandi in gratiam Jacobi de Corneliano nepotis sui, ut vocat, & præsulis Vabrensis. Possessionem nanciscitur 1561. aliis 1562. 16. Maii in vigilia Pentecostes, quo sedente collegium Societatis Jesu in urbe florere cœpit. Ad regimen animarum & episcopale munus accessit administratio comitatus Ruthenensis, quam ei demandatam legimus. Animam emisit Ruthenæ in domo pontificia 30. Augusti 1582. & mense Septembri humatur in
1582. ecclesia cathedrali.

LI. FRANCISCUS II.

De Corneilan. Franciscus ex cancellario academiæ Tolos. & parlamenti consiliario, patruo Jacobo vivente adlectus successor, post cujus obitum sedis possessionem adipiscitur 1582. Eum fuisse guber-
1582. natorem & administratorem comitatus Ruthenensis, & quatuor apud Ruthenos castellaniarum, probant ejus litteræ, quibus instituit præfectum in castello de Cabrespines; in his enim gallice hos titulos sibi tribuit: *Gouverneur, Lieutenant General, Chef du Conseil, & Surintendant du Comté de Rodés, & quatre Chastellenies* *Ex tabul. Ruthenens.* *de Rouergue.* Virtutibus pontifice dignis præfulsit, maxime beneficentia erga pauperes, & religionis Catholicæ tuendæ studio adversus novatores. Comitiis regni Blesensibus adfuit 1588.
1588. Lapidem primarium ecclesiæ Capucinorum Francopoli, *al.* Villæ-francæ in Ruthenis imposuit. Pro clero provinciæ Ruthenensis ad conventus generales totius regni Lutetiam pro-
1614. ficiscens anno 1614. apud Speleum oppidum quatuor leucis tantum ab urbe Ruthena distitum, improviso fato correptus occubuit plusquam sexagenarius 13. Septemb. ejusdem anni. Corpus sepelitur in cathedrali ecclesia secus Jacobum patruum a majoris aræ parte, quæ spec-

a Videnda nota de ejus genere in archiep. Avenion. col. 834.

ANNI CHRISTI. D Cornelian.

tat cathedram episcopalem in choro, ubi situs est.

LII. Bernardinus.

1614. Bernardinus Franciſci nepos & coadjutor, eo exstincto cathedram conscendit 1614. Inauguratus fuerat episcopus Nicopolitanus in regali abbatia S. Germani Pratensis Lutetiæ, a Leonardo de Trappes archiepiscopo Auxitano, assistentibus episcopis Baionensi & Rivensi. In vivis agente patruo dicavit ecclesiam Capucinorum Villæ-francæ in Ruthenis, cujus instituti

1616. patres admisit in urbe an. 1616. 25. Oct. Comitiorum provinciæ Ruthenæ nomine gravissimis de rebus ad regem Ludovicum XIII. delegatus fuerat anno 1610. & ut ei novissime ad regni moderamina assumto obsequia præstaret: de-

1636. cessit anno 1636.

De Cornelian.

LIII. Franciscus III.

De hoc episcopo qui quartus ex gente Corneliana Ruthenæ cathedræ impositus est, hæc pauca legimus, nimirum quod nominatione Ludovici XIII. regis Ruthenensem episcopatum

1645. obtinuerit, quem regebat anno 1645.

De Noaillis.

LIV. Carolus.

Ampliſſimam nobiliſſimamque Noalliorum familiam Lemovicinus pagus a ſexcentis minimum annis extulit, quæ per totam deinceps Galliam in militiæ ac eccleſiæ ſummis dignitatibus refulſit. Ex hac gente prodiit Carolus de Noailles, filius videlicet Henrici comitis d'Ayen Arverniæ ſuperioris gubernatoris, ex Johanna-Germana d'Eſpagne. Hic clericali militiæ addictus abbas fuit S. Geraldi Aureliac. ac Valetæ, &c. tum epiſcopus S. Flori factus eſt. Inter cetera pia opera, cum eſſet ab anno 1609. prior commendatarius monaſterii de Regula diœceſis Vaſatenſis, illud uniri congregationi ſancti Mauri procuravit; & fundavit conventum fratrum Minorum apud Brivam, die 24. Januarii anno 1629. Traducitur ad eccleſiam Ruthe-

1646. nenſem anno 1646. Obiit autem apud Ruthenos die 27. Martii an. 1648.

De Perrixx.

LV. Harduinus.

Harduinus nobilis Picto, doctor Sorbonæ, cujus poſtea proviſor fuit, & abbas de Sabloncellis diœceſis Santon. ob eximias dotes, prudentiam, pietatem, morum caſtimoniam, electus eſt anno 1647. inter tot præſtantiſſimos viros, quos ſinu ſuo ſemper fovet Gallia, ut Ludovici XIV. regis pueritiam regeret, optimamque indolem ad ſumma quæque proveheret; quod ut felicius propoſitis exemplis exſequeretur, ſcripſit vitam Henrici IV. cognomento *Magni*, regis avi. Quantum vero profecerit ſub ſapienti ejus diſciplina tantus diſcipulus, dicat orbis univerſus, qui eum ut regum maximum etiam juniorem ſuſpexit. Deſignatus eſt epiſco-

1648. pus Ruthen. Harduinus die 10. Junii an. 1648. Conſecratur die 18. Aprilis an. 1649. in eccleſia vici de Ruel, in agro Pariſienſi, ab Ægidio Boutaut Adurenſi præſule, poſtea Ebroicenſi, cooperantibus Anthymio Dionyſio Cohon tunc Dolenſi epiſcopo, deinde Nemauſenſi, ac Rogerio d'Aumont Abrincenſi. Accitus eſt ad regiam urbem die 30. Junii an. 1662. ſchedula regis, qui eo frui liberius cupiebat, ipſumque in rebus eccleſiaſticis conſiliorum ſuorum participem effecit. Erat ordinum regiorum commendator & cancellarius, unuſque ex 40. viris academiæ Francicæ. Erit alibi locus iterum de illo loquendi, nimirum in Pariſienſibus archiepiſcopis.

ANNI CHRISTI.

LVI. Ludovicus. Abely.

Tranſlato ad archiepiſcopatum Pariſienſem Perefixo, rex Chriſtianiſſimus deſignavit epiſcopum Ludovicum Abely, Pariſiis honeſto loco natum, doctorem theologum facultatis Pariſienſis, paſtorem S. Judoci eadem in urbe, menſe Aprili anno 1662. Impoſitione manuum 1662. perficitur in ſummo apice ſacerdotii menſe Septembri anno 1664. ab eodem archiepiſcopo 1664. Pariſienſi, cui adſtiterunt epiſcopi Albienſis & Condomenſis. Anno 1666. onus epiſcopale de- 1666. ponit, ſeceditque apud preſbyteros Congregationis a Miſſionibus cognominatæ, Pariſiis; quo in otio ſcripſit compendioſe de theologia, ſub titulo *medulla theologica*, de ethica Chriſtiana, ediditque vitam Vincentii a Paula preſbyteri inſtitutoris & primi præpoſiti generalis Congregationis Miſſionum. Quievit in Domino die 4. menſis Octobris anno 1691. ætatis ſuæ anno 88.

De Voyer

LVII. Gabriel.

Gabriel de Voyer de Paulmy filius Ludovici vicecomitis de Paulmy, & baillivi Turonum, ex Franciſca de Larſay, poſt abdicationem Ludovici Abely, nominatione regia vocatur ad cathedram Ruthenenſem. Ritus ſolemnis ejus inaugurationis factus eſt Pariſiis in eccleſia S. Ludovici Jeſuitarum vici S. Antonii die 8. Maii an. 1667. ab archiep. Pariſienſi, aſſiſtentibus epiſco- 1667. pis Engoliſmenſi & Aquenſi. An. 1670. cor- 1670. pus ſancti Naamatii confeſſoris & diaconi ſancti Amantii epiſcopi Ruthenenſis, in ejuſdem ſancti eccleſia ſepultum e lapideo loculo eduxit & elevavit, aſſiſtentibus capitulo & parochiarum totius diœceſis rectoribus ad ſynodum convocatis. An. 1673. inſignem portionem reliquiarum 1673. ſanctæ Proculæ virginis & martyris Ruthenenſis, cui caput amputatum eſt Ganniaci apud Arvernos, a clero ſancti Amantii impetratam, in baſilicam ſancti Amantii ſolemniter tranſtulit die 3. Septembris, qua ejus memoria recolitur. Vitam clauſit an. 1684. 1684.

Lezé de Lusignan.

LVIII. Paulus-Ludovicus-Philippus.

Paulus-Ludovicus-Philippus de Lezé de Luſignan, licentiatus in theologia facultatis Pariſ. abbas ſancti Bartholomæi diœceſis Noviomenſis nominatur epiſcopus Ruthenenſis an. 1684. 1684. Verum ob diſcordiam inter papam & regem Chriſtianiſſimum, conſecratur tantum anno 1693. die 15. Novembris in æde ſacra Carruſianorum Pariſienſium. Die ſequenti fidem juravit 1693. ac promiſit. Hic vigilantiſſimus præſul dum ſuam diœceſim luſtraret an. 1698. invenit in 1698.

Digitized by Google

eccleſia ſancti Stephani Ruthenenſis caput ſanctæ Trojeciæ virginis, in veteri capſa eburnea incluſum, quod in majorem B. Mariæ eccleſiam tranſtulit ſolemni pompa, univerſo clero de more convocato, comitante incredibili populi frequentia, non ſine miraculorum fama; ibique ſacrum virginis caput in capſa argentea ſumtibus capituli reconditum eſt, habitis deinde per octo dies concionibus, aſſiduiſque miſſis celebratis in ſacello conſecrato ſanctæ Trojeciæ; cujus feſtum agitur die 19. Julii. Idem præſul ſancti Amantii prædeceſſoris ſui, ac diœceſis patroni oſſa in loco humido collocata perſpiciens, illa in altare majus una cum corpore ſancti Euſtachii epiſcopi Ruthenenſis & martyris repoſuit die 2. Maii 1699. Adhuc præeſt, utinamque præſit, profitque ad multos annos. 1699.

ALIQUOT RUTHENENSIS ECCLESIÆ PRÆPOSITI.

CApitulo Ruthenenſi aliquandiu præfuiſſe præpoſitos conſtat, cum iis auctoribus canonicos regulare S. Auguſtini inſtitutum amplexatos eſſe, certis habeamus argumentis. Sed non diu dignitatem hanc perſeveraſſe cenſemus; quippe tot in chartis quas evolvimus, pauci nobis occurrerunt præpoſiti, & duntaxat quinque, qui per annos centum, ſcilicet ab anno 1099. ad 1199. primatum in collegio canonicorum obtinuerunt. Hos enumeramus eo ordine temporum quo in tabulis ſignantur.

I. Petrus præpoſitus Ruthenenſis ad quem epiſtola Urbani II. data anno 1099. ex qua liquet illum cum concanonicis amplexum eſſe vitam regularem. Vide Baluz. tom. 2. miſcellan. p. 179.

II. Guillelmus archidiaconus & Guillelmus præpoſitus Ruthenenſis, aſſenſum præbent donationi Ademari epiſcopi factæ eccleſiæ B. Mariæ, quæ fundata erat in vico de Terundo. *Ex tab. Silvanenſi apud biblioth. Colb.*

III. Raimundus præpoſitus eccleſiæ Ruthen. ſedente Petro epiſcopo Ruthenen. anno circiter 1164. tempore nimirum Ademari primi Bonævallenſis abbatis, in charta Silvaneſii, cujus tunc abbas erat Guiraldus.

IV. Aimericus præpoſitus Ruthen. & Berengarius archidiaconus conſentiunt anno 1163. menſe Martio ceſſioni eccleſiæ de Padillac, in gratiam abbatis Cancellatæ, factæ a Petro epiſcopo. Iidem Aimericus præpoſitus & Berengarius archidiaconus conſenſum præbent donationi cuidam factæ Silvaneſienſi monaſterio, an. 1164. Vide in Pontio Ruthenenſi epiſcopo. *Ex chartul. Cancell.*

V. Willelmus archidiaconus Ruthenenſis, & Ugo præpoſitus teſtes memorantur in charta Bonæ-cumbæ an. 1199.

Anno 1215. Petrus epiſcopus & capitulum approbante Romano cardinali apoſtolicæ ſedis legato, decretum de vita communi & regulari abjicienda condiderunt, dignitatemque præpoſiti ſuſtulerunt; quo tempore creati ſunt quatuor archidiaconi jam a nobis enumerati.

ABBATIÆ DIOECESIS RUTHENENSIS.

ANtequam de abbatiis quæ adhuc ſtant loquamur, commemorandæ ſunt quæ jam dudum a priſtino ſtatu defecerunt. In his primum nobis occurrit abbatia S. Amantii epiſcopi, in burgo Ruthenenſi, ordinis S. Benedicti. Ejus meminit Bercarius in hiſtor. brevi epiſcoporum Virdun. ubi loquens de Magdelveo * epiſcopo e vivis ſublato an. 776. ait: *Res etiam quæ ſunt in Aquitania antiquitus iſti eccleſiæ ſubjecta, id eſt abbatia ſancti Amantii in Rodenia ſita, & Maderniacum, & Paliniacum frequenter viſitabat.* Hugo Flavin. hæc eadem habet: *Fuerunt autem*, inquit, *res iſtæ abbatia ſancti Amantii in Rothena urbe cum appenditiis, fiſcus etiam regius Maderniacus, & alius Pulinacus nomine, donata S. Petri & S. Vitoni ſervitorum uſibus, ipſius B. Amantii largitione....* Hanc abbatiam Berengarius Virdun. epiſcopus dedit monaſterio S. Vitoni. Poſtea vero graſſante fame an. 1028. Richardus abbas S. Vitoni *accepit pecuniam non parvam a comite Rutenenſi, conceſſa loco vadii abbatia S. Amantii, quæ erat juris eccleſiæ S. Petri, quam omnino pauperibus partitus eſt. Verum comes data pecunia & abbatiam ſibi uſurpavit cum redditibus & fundis, & ut aſſerunt habitatores Ruthenæ urbis, antequam pecunia recepta fuiſſet ex ejuſdem abbatiæ fundis, ipſe morte præventus eſt, & ſic abbatia a ſucceſſoribus ejus retenta eſt, quamquam ab inhabitantibus non tota S. Amantii abbatia, quæ latiſſima eſt, & poſſeſſionis enormis, juris eccleſiæ Virdun. eſſe dicatur, ſed pars quædam, videlicet abbatia S. Marii de Utra.....bra, ut moderni teſtantur etiam nunc.* Ita Hugo Flaviniac. bibliot. Labbei. tom. 1. p. 183. Anno 1079. Pontius Ruthenenſis epiſcopus ſubjecit monaſterium S. Amantii, S. Victoris Maſſilienſis abbati. Vide in inſtrumentis chartam II. An. vero 1090. datur Rodulfo abbati. Pauci ſancti Amantii abbates occurrunt

I. Deus-dedit abbas Ruthen. nomine Roberti comitis Arvern. & Petri Berengarii tunc Ruthenenſis epiſcopi, &c. dedit abbatiam Vabrenſem in manu & diſpoſitione D. Hugonis Cluniac. abbatis an. 1062. 11. idus Novembris. Ex chronico Moiſſiac. inter probat. hiſtor. domus Arv. Baluzii. p. 49. col. 2. p. 51.

II. Richardus abbas Ruthenenſis anno 1212. cujus fit mentio in Jacobo abbate S. Eucharii Trevirenſis, haud dubie abbas erat S. Amantii; quis enim alius abbas Ruthenenſis poterat notus eſſe Treviris, præter abbatem S. Amantii, quem vidimus ſubjectum fuiſſe monaſterio

1. S. Amantii.

* al. *Magdalveo*, qui erat abbas S. Vitoni.

S. Vitoni intra fines Trevirenſis metropolis A poſito.

In actis viſitationis diœceſis Ruthenenſis, factæ a Simone archiepiſcopo Bituric. an. 1286. mentio fit prioris S. Amantii burgi Ruthenenſis, tunc enim hæc abbatia mutata erat in prioratum.

II. S. Petri. Abbatiam ſancti Petri olim Ruthenis fuiſſe probant documenta nonnulla quæ de ipſius abbatibus fidem faciunt. Bertrandus de Lancor abbas S. Petri Ruthen. anno 1400. commemoratur in libro hominiorum regiorum Carcaſſon. Raimundus abbas Ruthenenſis monaſterii omnia ſua jura in monaſterium monialium S. Petri *de la Salvetat* diœceſis Albienſis dimiſit B. epiſcopo Albienſi x. kal. Decemb. an. MCCLXXVIII. Raimundus non erat abbas S. Amantii, cum apud S. Amantium tunc tantum prior eſſet, non abbas; unde conſequens videtur hunc abbatem S. Petro Ruthenenſi præfuiſſe. At de hoc monaſterio plura non occurrunt.

Ex tab. epiſc. Alb.

III. Vabrenſis. Vabrenſe cœnobium ordinis S. Benedicti, olim diœceſis Ruthenenſis, fuit celeberrimum, ſed cum in ſedem epiſcopalem fuerit mutatum, de eo alibi dicturi ſumus. Nunc agendum de abbatiis adhuc in diœceſi Ruthenenſi exſtantibus quæ ſunt. C

Conchæ ord. S. Benedicti.
S. Saturnini femin. in urbe, ord. S. Bened.
B. M. de Arpajone fem. ord. S. Bened.
Bonæ-cumbæ, ord. Ciſterc.
Bonæ-vallis, ord. Ciſterc.
Loci-Dei, ord. Ciſterc.
Belli-loci, ord. Ciſterc.

CONCHÆ.

HUjus monaſterii exordia, ſi ejus chronico fas eſt credere, referenda ſunt ſaltem ad annum 371. quo mille monachi ab idolorum cultoribus, vel potius ab Gothis Arianis interfecti dicuntur. Tunc ex eodem chronico deſtructum eſt monaſterium; ſed Chlodoveus Magnus pergens adverſus Alaricum Gothorum regem, illud reſtauravit & munivit; poſteaque ſub regula S. Benedicti cœpit florere. Iterum tamen evertitur anno circiter 730. in Saracenorum incurſione, qui & monachos occiderunt, & chartas omnes abſtulerunt, aut conſumſerunt flammis. Iterum vero e ruinis excitatur a Pipino rege, qui accerſivit Dadonem miræ ſanctitatis virum. Hic monachorum congregationem apud Conchas inſtituit, quibus ex ærario regio neceſſaria ſuppeditabantur. Carolus Magnus multis donis & privilegiis Conchas ditavit, uti Ludovicus Pius, & Pipinus Aquitaniæ rex, qui fundavit Figiacenſe monaſterium, illudque ſubdidit [a] Conchenſi. In recenſione monaſteriorum facta Aquis-grani an. 817. ſub Ludovico Imperatore, Conquenſe, *al.* Conchenſe comprehenditur, inter Aquitaniæ monaſteria, quæ nec dona nec militiam, ſed orationes debent. Vide Mabillonium tom. 2. annalium. De eodem monaſterio quod exſtitiſſe

Pag. 434.

a Figiacenſes qui ſe dicunt fundatos a Pipino ſeniore, negant ſe Conchenſibus ab exordio fuiſſe ſubjectos.

tempore regum Merovingiorum putat Cointius fuſe diſſerit ipſe tom. 7. annal. Numeratur autem ab Aſtronomo inter viginti-ſex monaſteria, quæ Ludovicus Pius aut reſtauravit, aut a fundamentis ædificavit. Tempore Caroli Calvi filii Ludovici corpus S. Fidis eo fuit delatum; cujus nomen huic cœnobio quandoque accommodatum. Omittimus longam ſeriem donationum Conchis factarum, quæ potiſſimum leguntur in codice inſcripto: *Liber mirabilis.* Pag. 103. ac ſeq.

In laudato Conchenſi chronico, multa deprehendimus minime certa. Unicum notamus hic ſpectans ad originem initiumque Conchenſis cœnobii, quod legitur a IV. ſeculo conditum, deinde reſtauratum a Pipino, &c. At ex diplomate Ludovici Auguſti, facile colligitur non reſtauratum paulo ante hunc Imperatorem, ſed de novo conditum fuiſſe, ut patebit legenti illud diploma.

Ex ipſo autographo. *IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Ludovicus divina ordinante providentia imperator auguſtus, multis fidelium noſtrorum, & præcipue iis qui in occiduas partes ſunt conſtituti. Noſſe credimus, qualiter vir religioſus Dado quondam nomine, qui noſtris temporibus, religione & ſanctitate divina ſibi adminiculante gratia emicuit: dum quietem adpeteret, & vacando videre vellet quam ſuavis eſt dominus! quoddam locellum in pago Ruthenico ſuper rivulum Dordunum *, cujus vocabulum eſt* Conchas, *invenit huic negotio aptum. Quo in loco nonnulli Chriſtiani, propter metum Saracenorum, qui illam terram pene totam devaſtarunt, & in heremum redigerunt, dudum confugientes, permodicum conſtruxerunt oratorium. Ipſe adſumpto labore, propriis manibus eundem locum juxta vires mundare, atque ſtirpare curavit; & ut aptus ejus quieti foret operam dedit. Sed non poſt multos dies vir religioſus Medraldus nomine eundem locum ſimul cum memorato Dadone ad habitandum elegit: & quum famam bonæ opinionis vera religio illorum apud convicinos ſpargerat, nonnulli proponentes ſeculum, quietam nihilominus, quam ipſi degebant, appetere vitam conati ſunt, & eorum religioſis exemplis imitatores fieri cupientes, eorum ſe magiſterio ſubdidere. At dum paulatim ipſa congregatio creſceret, eccleſiam ibidem in honore Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti conſtruxerunt, ut & Dado juxta divinitus ſibi collatum deſiderium, remotiorem adhuc locum qui dicitur* Grandevabrum, *ſicut & fecit, peteret, & ut Medraldus abba fieret, & ut ipſa congregatio regularis, juxta quod eis facultas & intellectus a Domino tribuebatur, exiſteret, communi voluntate actum eſt. His vero ita patratis, contigit tandem congregationem in noſtra propr a ſpeciali defenſione atque tuitione devenire: nam nos, ut penitus* ſub regula ſancti Benedicti *Domino militarent, & per bonorum monachorum conſultum, & per noſtram creberrime admonitionem, ſeu etiam eundem locum ſedule frequentando, efficere, Domino opitulante, ſtuduimus, & ad proprias eorum neceſſitates fulciendas de rebus noſtris quiddam ibidem delegavimus. Eccleſiam videlicet de Cermangis, & eccleſiam qua nominatur*

* Deinque

ANNI CHRISTI

domni seu prioris, qui tunc erat Antonius d'Estain episcopus Engolism. ex archivo Aubracensi. Beneficum erga suam ecclesiam se probavit; nam campanile ligneum, lapideum magna ex parte fecit, deditque capitulo castellaniam de Rostis cum onere missæ quotidie celebrandæ. Instrumentum donationis datum est 28. Maii an.
1529. 1529. cui episcopus promittit consensuros Guillelmum (*Guillot*) d'Estain suum fratrem, & Gaspardum filium fratris sui, ex tab. eccl. Ruthen.

Sub ejus regimine fundatur Cartusianorum cœnobium Ruthenis ab Helyone de Jaufroy, cantore ecclesiæ cathedralis, & præposito sancti Salvii Albiensis, nepote cardinalis Atrebatensis; qui etiam fundator fuit monialium sub titulo B. Mariæ Annuntiatæ, ex instituto Johannæ reginæ, in quarum ecclesia juxta altare majus a parte epistolæ legitur inscriptio hæc: *Anno a partu Virgineo* MDXXIV. *ultima Decembris sancto Silvestro dicata, Franciscus de Stanno episcopus Ruthen. hanc ædem, orante Gabriele Maria, Deo, Virginique matri sub Annuntiationis titulo consecravit.* Hic Gabriel Maria ibidem sepultus, erat Johannæ reginæ a confessionibus, & institutor generalis monialium Annuntiatarum, ut appellatur in epitaphio.

Migravit ad cœlum Franciscus die festo om-
1529. nium Sanctorum an. 1529. cum fama sanctitatis; cujus etiam quædam circumferuntur miracula. Sed certiores in eo sanctitatis notæ sunt virtutes eximiæ, quibus tota ejus vita ornata est; liberalitas in pauperes, misericordiæ viscera erga infirmos, assidua custodia gregis sui, amor decoris domus Dei, pro celebratione divini officii ea qua decet gravitate ac pietate fervens studium. Jacet in medio presbyterii ecclesiæ Ruthen. ante gradus altaris, ubi legitur
Ex X. p. 52. col. 2. ejus epitaphium editum inter instrumenta. Ejus vitam scripsit Johannes-Baptista Beau, e Societate Jesu, editam Claromonti an. 1656. Ipsi vicelegato Avenione pro Georgio de Ambasia an. 1507. Symphorianus Campegius dicavit librum de summis pontificibus in Gallia ortis. Sigillum Francisci de Stanno præfert Virginem Deiparam sedentem in throno, & una manu sceptrum ferentem, altera puerum Jesum. Sub imaginis pedibus sunt stemmata gentilitia domus d'Estain.

XLIX. GEORGIUS.

D'ARNAONAC.

Sæpe de hoc præsule differendi dabitur occasio, quippe qui præter cardinalis titulum, tot alios variorum episcoparuum aut ecclesiarum metropolitanarum gestavit; fuit enim Tolosanus, Ruthenensis, Vabrensis, &c. denique Avenionensis antistes. Ad ejus vero generis commendationem sufficiat dicere, ipsum ab antiquis Armaniaci comitibus originem duxisse [a]. Cetera vero ad ipsum spectantia enucleatius expendemus in archiepiscopis Avenionensibus. Hic, cum esset abbas S. Ambrosii Bituricensis,
1529. designatur episcopus Ruthen. an. 1529. a Francisco I. Francorum rege, vi concordatorum cum Leone X. & bullis acceptis a Clemente VII. instituitur. Anno 1531. die 10. Julii con-

[a] Videsis nota de ejus genere in archiep. Avenion.

firmat priorem de Alto-podio (*Alpuech*), ejusque in litteris appensum est sigillum, in quo apparet leo. Eodem an. die 25. Julii sacramentum recipit a Paulo de Carretto episcopo Cadurcensi, nomine Henrici II. regis Navarræ, & & Margaritæ reginæ, propter bona temporalia monasterii Bonæ-cumbæ, quam abbatiam præfatus Paulus habebat in commendam. Exiit Bonæ-tumba.

Porrò quamvis in sua ecclesia Ruthen. vix sit visus, aut in hac diœcesi, nisi post an. 1544. 1544.
multum tamen profuit, ob præstantes viros, quorum opera usus est ad hujus ecclesiæ gubernationem. Præcipua ejus cura fuit, gregem suum intactum, a luporum morsibus, heterodoxorum videlicet Calvinianæ sectæ, conservare; quod saltem præstitit in urbe episcopali. Idcirco Jesuitas, quorum institutum Romæ exploraverat, hanc in urbem admisit, & scholis præfecit. Cum amplius non posset officium episcopale implere hac in ecclesia, libere episcopatum dimisit Jacobo qui sequitur, sibi proxime cognato.

L. JACOBUS.

DE CORNELLANO.

Episcopus Vabrensis erat Jacobus, quando per resignationem Georgii nominatus est, regia schedula data ultima Januarii 1560. Aureliæ, 1560.
qua rex facultatem indulget Georgio cardinali episcopatum Ruthenensem abdicandi in gratiam Jacobi de Cornellano nepotis sui, ut vocat, & præsulis Vabrensis. Possessionem nanciscitur 1561. aliis 1562. 16. Maii in vigilia Pentecostes; quo sedente collegium Societatis Jesu in urbe florere cœpit. Ad regimen animarum & episcopale munus accessit administratio comitatus Ruthenensis, quam ei demandatam legimus. Animam emisit Ruthenæ in domo pontificia 30. Augusti 1582. & mense Septembri humatur in 1582.
ecclesia cathedrali.

LI. FRANCISCUS II.

DE CORNELL. AB.

Franciscus ex cancellario academiæ Tolos. & parlamenti consiliario, patruo Jacobo vivente adlectus successor, post cujus obitum sedis possessionem adipiscitur 1582. Eum fuisse guber- 1582.
natorem & administratorem comitatus Ruthenensis, & quatuor apud Ruthenos castellaniarum, probant ejus litteræ, quibus instituit præfectum in castello de Cabrespines; in his enim gallice hos titulos sibi tribuit: *Gouverneur, Lieutenant General, Chef du Conseil, & Surintendant du Comté de Rodés, & quatre Chastellenies de Rouergue.* Virtutibus pontifice dignis præfulsit, maxime beneficentia erga pauperes, & religionis Catholicæ tuendæ studio adversus novatores. Comitiis regni Blesensibus adfuit 1588. 1588.
Lapidem primarium ecclesiæ Capucinorum Francopoli, *al.* Villa-francæ in Ruthenis imposuit. Pro clero provinciæ Ruthenensis ad conventus generales totius regni Lutetiam proficiscens anno 1614. apud Spaleum oppidum 1614.
quatuor leucis tantum ab urbe Ruthena dissitum, improviso fato correptus occubuit plusquam sexagenarius 13. Septemb. ejusdem anni. Corpus sepelitur in cathedrali ecclesia secus Jacobum patruum a majoris aræ parte, quæ spec-

Ex tabul. Ruthenensi.

tat cathedram episcopalem in choro, ubi situs est. A

ANNI CHRISTI.

DE CORNEILLAN.

LII. Bernardinus.

Bernardinus Franciſci nepos & coadjutor, eo exſtincto cathedram conſcendit 1614. Inauguratus fuerat epiſcopus Nicopolitanus in regali abbatia S. Germani Pratenſis Lutetiæ, a Leonardo de Trappes archiepiſcopo Auxitano, aſſiſtentibus epiſcopis Baionenſi & Rivenſi. In vivis agente patruo dicavit eccleſiam Capucinorum Villæ-francæ in Ruthenis, cujus inſtituti patres admiſit in urbe an. 1616. 25. Oct. Comitiorum provinciæ Ruthenæ nomine graviſſimis de rebus ad regem Ludovicum XIII. delegatus fuerat anno 1610. & ut ei noviſſime ad regni moderamina aſſumto obſequia præſtaret: deceſſit anno 1636.

1614. 1616. 1636.

DE CORNEILLAN.

LIII. Franciscus III.

De hoc epiſcopo qui quartus ex gente Corneliana Ruthenæ cathedræ impoſitus eſt, hæc pauca legimus, nimirum quod nominatione Ludovici XIII. regis Ruthenenſem epiſcopatum obtinuerit, quem regebat anno 1645.

1645.

DE NOAILLES.

LIV. Carolus.

Ampliſſimam nobiliſſimamque Noalliorum familiam Lemovicinus pagus a ſexcentis minimum annis extulit, quæ per totam deinceps Galliam in militiæ ac eccleſiæ ſummis dignitatibus refulſit. Ad hujus vero gentis commendationem unus ſufficeret eminentiſſimus cardinalis Noalius, quem Romanam potius purpuram ornare, quam ab ipſa ornari, citra aſſentationem dicere poſſumus. Ex hac gente prodiit Carolus de Noailles, filius videlicet Henrici comitis d'Ayen Arverniæ ſuperioris gubernatoris, ex Johanna-Germana d'Eſpagne. Hic clericali militiæ addictus abbas fuit S. Geraldi Aureliac. ac Valetæ, &c. tum epiſcopus S. Flori factus eſt. Inter cetera pia opera, fundavit conventum fratrum Minorum apud Brivam, die 24. Januarii anno 1629. Traducitur ad eccleſiam Ruthenenſem anno 1646. Obiit autem apud Ruthenos die 27. Martii an. 1648.

1646. 1648.

DE PERE-FIXE.

LV. Harduinus.

Harduinus nobilis Picto, doctor Sorbonæ, cujus poſtea proviſor fuit, & abbas de Sabloncellis diœceſis Santon. ob eximias dotes, prudentiam, pietatem, morum caſtimoniam, electus eſt anno 1647. inter tot præſtantiſſimos viros, quos ſinu ſuo ſemper fovet Gallia, ut Ludovici XIV. regis pueritiam regeret, optimamque indolem ad ſumma quæque provocheret; quod ut felicius propoſitis exemplis exſequeretur, ſcripſit vitam Henrici IV. cognomento *Magni*, regis avi. Quantum vero profecerit ſub ſapienti ejus diſciplina tantus diſcipulus, dicat orbis univerſus, qui eum ut regum maximum etiam juniorem ſuſpexit. Deſignatus eſt epiſcopus Ruthen. Harduinus die 10. Junii an 1648. Conſecratur die 18. Aprilis an. 1649. in eccleſia vici de Ruel, in agro Pariſienſi, ab Ægidio Boutaut Adurenſi præſule, poſtea Ebroicenſi, cooperantibus Anthymio Dionyſio Cohon tunc Dolenſi epiſcopo, deinde Nemauſenſi, ac Rogerio d'Aumont Abrincenſi. Accitus eſt ad regiam urbem die 30. Junii an. 1662. ſchedula regis, qui eo frui liberius cupiebat, ipſumque in rebus eccleſiaſticis conſiliorum ſuorum participem effecit. Erat ordinum regiorum commendator & cancellarius, unuſque ex 40. viris academiæ Francicæ. Erit alibi locus iterum de illo loquendi, nimirum in Pariſienſibus archiepiſcopis.

ANNI CHRISTI.

LVI. Ludovicus.

ABELY.

Tranſlato ad archiepiſcopatum Pariſienſem Perefixo, rex Chriſtianiſſimus deſignavit epiſcopum Ludovicum Abely, Pariſiis honeſto loco natum, doctorem theologum faculratis Pariſienſis, paſtorem S. Judoci eadem in urbe, menſe Aprili anno 1662. Impoſitione manuum perficitur in ſummo apice ſacerdotii menſe Septembri anno 1664. ab eodem archiepiſcopo Pariſienſi, cui adſtiterunt epiſcopi Albienſis & Condomenſis. Anno 1666. onus epiſcopale deponit, ſeceditque apud preſbyteros Congregationis a Miſſionibus cognominatæ, Pariſiis; quo in otio ſcripſit compendioſe de theologia, ſub titulo *medullæ theologicæ*, de ethica Chriſtiana, ediditque vitam Vincentii a Paula preſbyteri inſtitutoris & primi præpoſiti generalis Congregationis Miſſionum. Quievit in Domino die 4. menſis Octobris anno 1691. ætatis ſuæ anno 88.

1662. 1664. 1666.

DE VOYER.

LVII. Gabriel.

Gabriel de Voyer de Paulmy filius Ludovici vicecomitis de Paulmy, & baillivi Turonum, ex Franciſca de Larſay, poſt abdicationem Ludovici Abely, nominatione regia vocatur ad cathedram Ruthenenſem. Ritus ſolemnis ejus inaugurationis factus eſt Pariſiis in eccleſia S. Ludovici Jeſuitarum vici S. Antonii die 8. Maii an. 1667. ab archiep. Pariſienſi, aſſiſtentibus epiſcopis Engoliſmenſi & Aquenſi. An. 1670. corpus ſancti Naamatii confeſſoris & diaconi ſancti Amantii epiſcopi Ruthenenſis, in ejuſdem ſancti eccleſia ſepultum e lapideo loculo eduxit & elevavit, aſſiſtentibus capitulo & parochiarum totius diœceſis rectoribus ad ſynodum convocatis. An. 1673. inſignem portionem reliquiarum ſanctæ Proculæ virginis & martyris Ruthenenſis, cui caput amputatum eſt Ganniaci apud Arvernos, a clero ſancti Amantii impetratam, in baſilicam ſancti Amantii ſolemniter tranſtulit die 3. Septembris, qua ejus memoria recolitur. Vitam clauſit an. 1684.

1667. 1670. 1673. 1684.

LEZÉ DE LUSIGNAN.

LVIII. Paulus-Ludovicus-Philippus.

Paulus-Ludovicus-Philippus de Lezé de Luſignan, licentiatus in theologia facultatis Pariſ. abbas ſancti Bartholomæi diœceſis Noviomenſis nominatur epiſcopus Ruthenenſis an. 1684. Verum ob diſcordiam inter papam & regem Chriſtianiſſimum, conſecratur tantum anno 1693. die 15. Novembris in æde ſacra Carthuſianorum Pariſienſium. Die ſequenti fidem juravit ac promiſit. Hic vigilantiſſimus præſul dum ſuam diœceſim luſtraret an. 1698. invenit in

1684. 1693. 1698.

Campus-hiacus, & eccleſiam S. Chriſtophori in Montiniaco conſtructam communi integritate earum; ſimili modo & eccleſiam de Garanga cum curte de Gammaleria, iterum alteram eccleſiam ad portum Acri, ſub honore S. Saturnini conſtructam cum omnibus appenditiis earum, nec non ſimiliter contulimus ibidem eccleſiam S. Salvatoris in Ciceriniaco, & alias duas eccleſias; unam in Burnacello, & alteram in Rucenniaco, cum omnibus adjacentiis earum; aliam quoque eccleſiam in Rubilia, cum omni integritate ſua, a quo quidem tenore & Selvaniacum, & omnia quæ ibidem delegata ſunt, per noſtram auctoritatem ſub immunitatis tuitione pleniter conſiſtere fecimus: ut videlicet omni tempore memoratum monaſterium cum eadem congregatione, & cum prædicto loco qui vocatur Grandevabrum, in quo memoratus Dado optatam ſibi quietem tenuit, & vivendi finem fecit, cum omnibus rebus ſibi juſte pertinentibus, ſive quæ in præſenti tempore poſſidet, ſive quæ in antea Dominus ibidem augeri voluerit, cum his omnibus prædictus locus qui dicitur Concha ſub emitione. *ſpeciali noſtra videlicet *, & filiorum, vel ſucceſſorum, Deo annuente, tempora inviolabiliter conſiſtat. Ut eadem congregatio quieta ſemper imperiali & regali defenſione tuta, abſque cujuſlibet impedimento propoſitum ſuum, Deo opem ferente, indefeſſe valeat obſervare; & pro nobis, vel pro communi imperii noſtri ſtabilitate Dominum exorare. Hæc vero auctoritas, ut ab omnibus noſtra eſſe credatur, manus noſtræ ſignaculis ſubter eam roborare, & de annulo noſtro ſigillare fecimus.*

Signum Ludovici ſerenissimi Imperatoris. Durandus diaconus ad vicem Helizachar. Data ſexto idus Aprilis anno ſexto, Chriſto propitio, imperii domni Ludovici excellentiſſimi auguſti, indictione XII. *Actum Aquis-grani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Ex hoc diplomate monachos Conchenſes vides regulæ ſancti Benedicti ab exordio adſtrictos; cujus jugum extremis temporibus excuſſerunt ut fierent canonici ſeculares, uti dicemus infra.

Situs loci hujus ita deſcribitur in quibuſdam chartis: *in pago Ruthenico, in vicaria Forracenſi,* * La Dordegne. *ſuper alveum Dordonis* ..... ubi S. Vincentius* (martyr Aginnenſis) *& S. Fides* requieſcunt.

Ex tabulis celeberrimi hujus monaſterii, quod nunc eſt eccleſia collegiata, & ex multis aliis inſtrumentis catalogum abbatum deſcripſimus a tempore Dadonis aut primi fundatoris aut reſtauratoris.

ABBATUM CATALOGUS.

I. Dado vir religioſus, ſanctitate conſpicuus, propriis manibus locum dictum *Conchas* mundavit, *ſtirpavitque*, ut ibi contemplationi vacaret. Sed ad eum acceſſit Madraldus, & poſt ipſum plurimi, quos odor & fama ſanctitatis attraxerat; utque paulatim congregatio crevit, eccleſiam ibidem in honore Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti conſtruxerunt. Tunc Dado quietis & ſolitudinis ſtudioſiſſimus remotiorem locum, qui dicitur *Grandevabrum*, petiit, deſignato prius Medraldo, qui ut abbas naſcenti congregationi præeſſet.

II. Medraldus ab imperatore Ludovico Pio privilegium obtinuit, quod jam præmiſimus. Acquiſivit abbas idem a Leutardo *Caſa Dominicale in valle Ternis, cum appenditiis Roccam-Priſcio*, menſe Februario an. 20. regnante Ludovico rege Aquitanorum.

III. Argofredus, *al.* Geofredus, de quo nihil aliud invenimus, niſi tantum quod poſt ipſum * nominatur in præceptis regalibus, ait chronographus Conchenſis. * Id eſt poſt Medraldum.

IV. Anaſtaſius ab imperatore Ludovico petiit ut ſibi liceret commutationem quamdam facere cum Bertrando-Vaſſo-Dominico, qui quaſdam res eccleſiæ Laudunenſis in beneficium tenebat, poſitas in pago Arvernenſi juxta cellulam ſancti Salvatoris, in loco qui dicitur Molini-Piſcini. Annuit petitioni imperator, deſignavitque miſſum venerabilem virum Stabilem epiſcopum, ut faciendæ commutationi præeſſet. *Facta eſt charta concambiaria iſta menſe Decembri anno* X. *regni Lodoici glorioſiſſimi regis. Stabilis indignus epiſcopus, jubente domino Lodoico imperatore ſignavit.* Integra charta exſtat in appendice veterum auctorum poſt notas Stephani Baluzii ad capitularia. Vide Cointium ad annum 823. num. 54. & 55. Nonnullis etiam aliis poſſeſſionibus ſuum monaſterium ditavit Anaſtaſius.

V. Helias venerabilis abbas Conchenſis, *cui*, ut ait chronicon, *Pipinus filius Ludovici multa largitus eſt beneficia, maxime Figiacenſem locum cum omni integritate ſua eidem attribuens poſſidendum.* Hæc pugnant contra privilegium Pipini, quo Figiaco cœnobium Conchenſe tanquam membrum ſuo capiti unitur & ſubjicitur; ideoque Conchenſes illud adulterinum putant, contenduntque Figiacum a Pipino rege Aquitaniæ fundatum fuiſſe, ut perpetuo ſub abbatis Conchenſis jure permaneret; ideoque illud voluit appellari *Novas Conchas.* *Vide chart. XI. pag. 52. col. 2.*

VI. Blandinus abbas notus ex hiſtoria de translatione corporis S. Vincentii martyris Cæſaraugustani, quæ facta eſt per Hildebertum & Audaldum Conchenſes monachos, an. circiter 855. De his legendus Aimoinus Pratenſis monachus. Vide Mabill. ſec. IV. Bened. part. 1. p. 645.

VII. Guimbertus. Hunc abbatem poſt Heliam collocavit chronographus Conchenſis: *ſimiliter*, ait, *in eodem continetur regali præcepto Guimbertum abbatem Conchenſi monaſterio præfuiſſe, qui apud Montiniacum totum fere territorium acquirere procuravit per concambium.* Hæc ille. Hic Guimbertus ſive Girbertus anno 4. regnante Carolo-magno* rege acquiſivit villam de Verneducio cum eccleſia ibidem conſtructa in honore S. Cypriani & S. Johannis, & aliam eccleſiam quæ eſt in honore S. Amantii. * Id eſt Carolo Calvo, *qui avebat ita appellari.*

VIII. Bego I. ſucceſſit Guimberto; ut conſtat ex auctore ſupius laudato, cujus hæc ſunt verba: *Perrecolendus Bego, auctore domno abbate, memorato cœnobio præfuit, qui ab ipſo Carolo Auguſto plura loca, plurimaque donativa cum ſuæ præceptionis auctoritate obtinuit; inter quæ locum præfatum qui dicitur Figiacus a, quem ipſi Auguſto abhinc Novas Conchas vocari placuit,*

a Carolus Calvus imperator conceſſit Figiacum, hoc eſt confirmavit donationem factam, iterumque decrevit ut *Nova Concha* appellaretur.

cum ſuis pertinentiis integerrime per auctoritatis ſuæ præceptionem poſſedit.

IX. Frotarius ſedebat anno circiter 888. cui duos manſos dederunt Sigaldus & uxor ejus Aiga, anno 1. regnante *Otone*, hoc eſt Odone. Hic emendamus chronicon præpoſtere praponentem Avraldum Frotario.

X. Ayraldus, de quo hæc in chronico leguntur: *Sequente vero tempore, Carolo minore* * *Ludovici filio in regnum Francorum ſublimato: ab urbe Aginnenſi furtim ſublatum eſt corpus gloriosiſſimæ virginis & martyris Fidis, & ad illud Conchenſe cœnobium tranſlatum, ubi digne & prope altare Salvatoris Domini eſt reportatum; quibus ferme temporibus domnus Ayraldus reverendus abbas Conchenſis monaſterii gubernator extitit, qui in vicaria Cerviacenſi terras, vineaſque multas, & multa alia bona ad utilitatem cœnobii emere ſtuduit.* Hactenus chronicon. Anno tertio regnante Carolo rege, Avierna cum filiis ſuis Bernardo, & Aymone dedit in pago Ruthenico, Ayraldo abbati unum manſum in vicaria Dunenſe, in villa Caranciago ſitum, cum omnibus pertinentiis.

* *dicto Simplici, filio Ludovici Balbi poſthumo.*

XI. Rodulphus manſos duos in pago Ruthenico a quodam Sigoino acquiſivit in loco qui vocatur *Redunda*, cum omnibus pertinentiis ad ſacrificium, vel ad luminaria conſignanda * a capite Quadrageſimæ, ad finem octavarum Paſchæ. Actum anno 16. regnante Carolo rege. Item anno 1. Rodulphi regis Bernardus dedit eidem abbati eccleſiam cujus vocabulum Sanciacus, fundatam in honore ſanctæ Mariæ in pago Arvernico, in miniſterio Cartladenſe. Item in eodem pago in vicaria Arpajonenſe villam quæ vocatur Judicioſa, & multa alia quæ ibi poſſidebat prædictus Bernardus.

* *f.* concinnanda.

XII. Fredolo filius Senegundis piiſſimæ feminæ, quæ curtem de Leviniago cum caſa dominicaria, & cum eccleſia fundata in honore Dei, & ſancti Adriani, cum omnibus pertinentiis, tam pro anima ſua, quam pro ipſius Fredolonis filii ſui, & genitoris ſui Warmarii, genitricisque Foleradanæ, filiorumque ſuorum Stephani, Adalgarii, & Jorii ſalute conceſſit. Charta donationis data fuit an. 26. regnante Carolo rege.

XIII. Geraldus de quo hæc in chronico leguntur: *Sub eoque tempore Guillelmus dux Aquitanorum Cluniacenſe fundavit cœnobium. Ejuſdem etiam ducis tempore domnus Geraldus vir egregiæ ſanctitatis & nobilitatis claruit.* Geraldus anno circiter 917. erat ſimul abbas Figiacenſis. Sed cum aſperrimum & arctiſſimum Concharum ſitum averſaretur, allectus amœniſſimo Figiacenſium loco, ibi fixit ſedem, & Conchas per priorem nomine Hugonem regere ſtatuit. Hoc indigne ferentes Conchenſes, hunc Hugonem virum utique pium & abſtinentiæ ſingularis, ſibi abbatem elegerunt. Vide Mabill. ad an. 917. n. 15. Itaque hoc loco deber commemorari.

XIV. *Johannes clariſſimus abbas*, infit auctor Conchenſis, *de quo legimus in chartis monaſterii, villam quæ dicitur Pedilhas, nonnullas terras & poſſeſſiones acquiſiviſſe. Et ut fertur magnam crucem Salvatoris Domini fieri juſſit. Floruit autem tempore Rodulphi regis.*

XV. *Stephanus vir egregia ſanctitatis, Conchenſis cœnobii regimen ſuſcepit, qui de abbatia, auctore Deo, epiſcopatum Arvernorum promeruit. Hic denique eccleſiam de Roſiaco cum ſuis pertinentiis, & plures alias villas in pago Arvernico beatæ Fidi conceſſit; atque ejuſdem gloriosæ virginis & martyris* (tranſlationis) *ut fertur, auctor extitit. Ubi quoque partem ipſius capitis venerabiliter repoſuit; multaque alia beneficia, ut legitur, monaſterio ſuo contulit.* De hoc Stephano vide in epiſcopis Arvern. Ejus donationem pro monaſterio Conchenſi exhibet charta XII. pag. 53. col. 1.

XVI. *Domnus Bego II. abbas, ſimili modo factus epiſcopus Arvernenſis ſuccedens, in chartis & donariis monaſterii poſt eumdem nomine tenus invenitur*, inquit chronographus. De hoc abbate & de Stephano ejus antecеſſore multa collegit Baluzius, in hiſtoriæ domus Arvern. inſtrumentis. pag. 57. ac ſeq.

XVII. Hugo. *Poſt quos*, pergit auctor noſter, *domnus ac ſanctiſſimus Hugo abbas Concharum glorioſe rexit: de quo multa bona majores noſtri teſtantur, tam in aquirendis honoribus, quam etiam in ſanctitatis religionis claris operibus.* Hæc ille. Stephanus epiſcopus [a], Bego & Hugo abbas, & cuncta congregatio Conchenſis manſum nuncupatum de Caſmaro, cum Rigaldo & uxore ſua pro manſo de Vedruna concambiaverunt anno 7. regnante Lothario rege. Anno ſequenti loco ſacro Conchenſi, ubi S. Fides & ſanctus Vincentius tumulati conſiſtunt, ubi etiam Stephanus epiſcopus, & Hugo abbas præeſſe videntur, Humbertus pro anima Havanæ uxoris ſuæ dedit in Nigrinio quatuor manſos. Anno tandem 10. ejuſdem Lotharii regis, Hugo abbas manſum de Beceira cum monte Caprerio & rivo Pedroſo acquiſivit; item duos alios manſos cum omnibus pertinentiis in Galiaco.

XVIII. Arnaldus, *ſub Hugonis tempore legitur extitiſſe, qui in vicaria Germacenſi villam quæ dicitur Licionzas comperitur emiſſe.* Arnaldus præterea Adraldo abbati, & ipſius monachis in concambium dedit alodium de Monte-Lobono cum pertinentiis ſuis, pro quo recepit alodem de Alteriaco, & alodem de Picanolo. Actum menſe Februario regnante Roberto rege.

XIX. Girbertus abbas a Gauſberto levita medium manſum in pago Ruthenico acquiſivit in vicaria Dunenſe, in villa quæ vocatur Altabetia menſe Auguſto, regnante Roberto; cujus etiam tempore acquiſivit manſum de Brogmo, & in monte Paſcentio alium manſum menſe Julio. *In eccleſia beatæ Fidis plurimum thezauriſavit*, ait chronographus, *& Hieroſolymam abiens illic Dei ordinatione vitam finiens nonnulla ornamenta ſuo monaſterio retranſmiſit.*

XX. *Cui ſucceſſit abbas Nepos, ut dicitur; qui allodium Dunenſe & alia fagia cum pluribus aliis territoriis legitur acquiſiſſe.*

XXI. *Adalgerius* [b] *ſucceſſit, primus decanus,*

[a] Scilicet Arvernenſis, qui jam epiſcopatum abdicarat, cum Bego ejus locum tunc accepiſſet, cujus ſucceſſor in ſede Conchenſi fuerat Hugo.

[b] Ex chronico Figeacenſi num. 2. Miſcellan. Baluz. Adalgerius ex Salinario (*al.* Salmario.) Figiacenſi, abbatia Conchenſi, non minimo dato pretio potitur. Nec ea contentus, etiam Figeacen-

qui

qui licet pro adipiſcendo Narbonenſem epiſcopatum, illa detraxiſſet, aliqua tamen bona iuxtatus eſt ad honorem ſui monaſterii, ſicut in teſtamentis dignoſcitur. Anno 1024. recenſetur in charta Stephani epiſcopi Agathenſis de conſecratione eccleſiæ S. Fidis in villa Palatio.

XXII. Odolricus I. dictus de Mala-villa Conchenſem abbatiam tenuit. *Nobilium ac vicinorum conſuetudines, quas in monaſterio exigebant, prout potuit, funditus extraxit;* ex chronico.

XXIII. Lautardus abbas de Vincella, *qui quia parum advixit, non multa adeptus eſt. Quemdam nepotem ſuum monachum fecit, qui poſt mortem avunculi ſui iterum ſe ſubtrahens, Figiacenſem locum per ſimoniam invaſit, & ita illum ſubtraxit. Verum poſtea apoſtolica ſedis auctoritate Conchas rediit, ibique penitens, &c.* Quæ ſequuntur in chronico ſenſu carent. Ex chron. Figeac. loco laudato; Lautardus electus abbas Figeacenſis in locum Adalgerii, etiam per triennium Conchenſem tenuit regnante Henrico, ubi quoque mortuus habuit ſepulturam.

XXIV. Villelmus in utramque abbatiam irrepſit ſimoniæ crimine, ob quod ab utriuſque regimine ac poſſeſſione repulſus eſt.

XXV. *Airardo Figiacenſi auctoritate apoſtolica ſubditi ſunt Conchenſes; verum ipſum a ſe projecerunt inobedientes monachi, qui oblatum ſibi Hugonem abbatem Cluniacenſem, quem Figeacenſes ambabus manibus acceperant, reſpuerunt.* Hic deſinit chronicon Figeacenſe. Obſervandum eſt contentionem inter Conchenſes & Figeacenſes, qui nunc a ſuo quique abbate regebantur, delatam fuiſſe ad concilium Claromontanum an. 1095. a quo definitum, ut mortuo uno ex duobus illis abbatibus, qui foret ſuperſtes utramque regeret abbatiam. Sed Airardo qui abbas erat Figeacenſis, ac ſupervixit, Conchenſes obedire noluerunt. Bullam Gregorii VII. de hac controverſia hoc loco exhibendam cenſuimus.

Gregorius papa VII. abbatiam Figeacenſem ita unit cum Conchenſi, ut unus deinceps eſſet utriuſque monaſterii pater & abbas.

1084. *Ex autheut.*

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto fratribus in Conchenſi, & Figiacenſi monaſterio habitantibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In diſcuſſione negotii veſtri diu multumque laborantes, intelleximus Figiacenſem locum ſubeſſe debere monaſterio Conchenſi, & cohærere ſibi ſicut capiti membrum, ſecundum diſpoſitionem eorum, qui eadem loca conſtruxerunt. Verum quia uterque abbas auctoritate & præcepto apoſtolicæ ſedis ordinationem ſuſcepit, paci & concordiæ utrinque providentes, adjudicavimus, ut ambo loca illa his rite ordinatis regantur abbatibus, eo videlicet pacto ut ſi Stephanus abbas Conchenſis prius obierit, Ayraldus Figeacenſis ſibi ſuccedat, & tam ipſe, quam monachi Figiacenſes, caput ſuum Conchenſe monaſterium deinceps recognoſcant, & ſicut uni abbati ſubdendi ſunt, ita uni profeſſionem monaſterio, videlicet Conchenſi faciant. Quod ſi Figiacenſis prius deceſſerit: nihilominus adjudicavimus Figeacenſem eccleſiam Conchenſi monaſterio in perpetuum unire, atque ſopita omni lite & controverſia, uni dumtaxat abbati, videlicet Conchenſi per omnia ſubdi, ſitque hoc perpetua ſtabilitate firmum & intemvulſum, ut eo defuncto, videlicet qui nunc eſt Figiacenſis, Conchenſis abbas a communi congregatione eligatur, & utrique loco præſit ſecundum regulam B. Benedicti. Admonemus itaque, & apoſtolica auctoritate interdicimus, ut contra hujus definitionis tenorem nullus agat, ſeu in aliquo contraire præſumat, & ſicut ſalubriter ac diſcrete proviſum eſt, permanere permittat. Si vero aliquis, quod non ſperamus, definitioni noſtræ contraire tentaverit, ſi abbas vel epiſcopus eſt, propriis ordinis periculo ſubjacebit. Si vero monachus laicuſve fuerit, abſque dubio excommunitabitur. Datum Romæ ſeptimo idus Januarii anno undecimo pontificatus domni papæ Gregorii ſeptimi, anno videlicet Dominicæ incarnationis MLXXXIV. *indictione ſeptima.*

Quæ ſequuntur aliunde quam ex chronico Figeacenſi deſumta ſunt; videlicet ex antiquis Concharum monumentis; unde non mirum, ſi minime cum iis quæ illud chronicon ſuppeditavit, in chronologia conveniant.

XXVI. *Odolricus II. Henrico rege magnifico Francorum, virtute ac moribus decoratus electus fuit.* Sedebat autem anno circiter 1035. quo *Garſindis comitiſſa poſt obitum Bernardi Anduſiæ principis viri ſui, ſancti Salvatoris & ſanctæ Fidei Conchenſis monaſterio ſito ad ripam Dordoniæ fluvii donat, tradidque villam pagi Agathenſis vocabulo Variacum . . . . . pro anima genitoris ſui Willelmi . . . . . necnon pro anima ſenioris ſui Bernardi (Anduſiæ principis) &c. Pro qua ceſſione Odolricus abbas & monachi S. Fidis &c. ſolidos dederunt. Actum menſe Aug. feria* III. *regnante Henrico rege.* Vide inter inſtrumenta chartam XIII. quæ litteras donationis Garſendis exhibet. Quod autem id vix potuerit contingere ante hunc an. 1035. probat Mabillonius (ad an. 1035. n. 60.) quia Bernardus de Anduſia adhuc in vivis erat an. 1034. quo Stephanus Agathenſis præſul eccleſiam *de Palas* in honorem Dei, & B. Mariæ, ſanctæque Fidis . . . . . dedicavit *cum conſilio & voluntate domni principis Bernardi de Anduſia, & Gerſendis comitiſſæ ejus uxoris.* pag. 13. col. 2.

Hugo Ruthen. comes & mater ejus Ricardis, dant eccleſiam *Tribonum*, al. *Tribonium*, ſitam in pago Ruthenico ſuper fluvium Avarionis, S. Fidi, &c. ad locum cui vocabulum *Conquas*, ubi venerabilis vir Odolricus abba præeſſe videtur anno 1051. luna XXIX. X. cal. Febr. Poſtea Robertus Ruthenenſis comes, cum matre ſua Philippia an. incarnat. 1059. *al.* 1058. dat S. Salvatori & beatæ Fidi glorioſæ virgini de Conchis, *ubi Odolricus abba præeſſe videtur*, eccleſiam quatuor manſorum fundo prædictam in comitatu Arvernico, &c. Subſcribit Robertus abbas Caſæ-Dei. Idem Odolricus quædam cedit Brantoſmenſibus an. 1062. Vide in Petro Berengarii epiſcopo Ruthenenſi. Tempore Odolrici Theobaldus Campaniæ comes, Odonis comitis filius, Co- *Probat. hiſt. domus Arvernæ Baluzii, p. 51.*

ſem dato pretio comparavit. Sed crure fracto per pedis lapſum, Conchas redut pudore ſuffuſus.

Colomiers lumbarienſem eccleſiam in pago Briegio contulit Conchenſibus, quam donationem miſſo calice argenteo, & poſtea oblato ſcypho aureo, ipſe confirmavit. At mutata mente hanc eamdem eccleſiam dedit vicinis Reſbacenſibus, non ſine ſuſpicione ſimoniæ. Inde graviſſimæ lites inter utrumque monaſterium, quibus nonniſi poſt multos annos finis eſt impoſitus. Nam ſæpius agitata eſt hæc quæſtio in conciliis,& ante archiepiſcopum Lugdunenſem S. ſedis legatum. Mortuo autem Theobaldo comite, Henricus ejus filius Jeroſolymam profecturus Adelæ conjugi, Willelmi regis Anglorum filiæ præcepit, ut tam diutinæ controverſiæ advocatis partibus finem imponeret. Indicto igitur tempore, Reſbacenſes per ſuum abbatem, & Conchenſes per Arnaldum monachum, ante comitiſſam convenere, præſentibus Waltero Meldenſi, & Milone Trecenſi epiſcopo, ac Arnulfo abbate Latiniacenſi. Re itaque attente conſiderata, eccleſia Columbarienſis, quæ uti Conchenſis S. Fidem patronam habet, ipſi eſt adjudicata, & adhuc ab ea pendet. Quo tempore id factum ſit infra dicemus.

Odolricus idem *baſilicam ex maxima parte conſummavit. Corpus beatæ Fidis de veteri eccleſia in novam baſilicam tranſtulit, ac etiam monaſterium in ea forma, in qua eſt, ad honorem Dei & beatæ Fidis feciſſe creditur tempore Henrici Francorum regis. Enumerari autem vix poteſt quot prædia, quot eccleſias, manſos, bonores, ſua diligentia & induſtria monaſterio comparaverit.*

Imo vero ſub ejuſdem poteſtate Bego de Calmonte Figiacenſe monaſterium inſigni privilegio reſtituit; ex quo certo colligi poteſt tempus quo fundatum fuit Figiacum, eaque intentione a Pipino Aquitaniæ rege dotatum fuiſſe, ut eſſet membrum a Conchis dependens. Vide chartam XI. inter inſtrumenta. *Pag. 52. col. 2.*

XXVII. Stephanus, *cujus ſtudio diſciplina in Conchenſi monaſterio perfecta exſtitit*, anno Domini 1078. venit in partes Gothiæ, & coram Raimundo Ruthenenſium comite, & Biterrenſium vicecomitiſſa Hermengardi, de malis uſibus & conſuetudinibus quas Bermundus Agathenſis requirebat in honore S. Salvatoris & S. Fidis, qui vocatur *Palatium*, litem movit. Multis utrinque habitis placitis, in concordiam venire nullatenus potuerunt. Tunc in judicium Madfredi Biterrenſis epiſcopi, & Frotardi abbatis ſancti Pontii, & Guitardi Lupi, aliorumque nobilium ſunt adducti. At ſententiam ab eis latam inſuper habuit Bermundus; qua re cognita, Ruthen. comes cuncta ei abſtulit, quæ in ſupradicto honore habebat, manſiones illius deſtruxit, & de omni honore abbati poteſtatem dedit. Paulo poſt Petrus Bermundi filius, injuſtitiam patris recognoſcens, conſilio comitis & comitiſſæ, id omne dimiſit, quod pater ſuus injuſte tenuerat, confecto dimiſſionis inſtrumento v. cal. Julii, regnante Philippo rege Francorum. Huic abbati Hugo vicecomes eccleſiam de Salars conſecratam in honore ſancti Martini dedit, & quinque manſos in *Frontimes*, regnante Philippo rege. Anno 1083. recepit ad alodium eccleſiam ſancti Johannis de Monteils. Wido comes de Saltio, conſilio R*. epiſcopi Lingonenſium, dedit eidem abbati ad alodium, locum qui dicitur *Cavani*, & locum qui dicitur *Goies* anno 1086. menſe Julio, indictione IX. Item Stephanus filius Roberti de Caſtello, dedit mediam partem eccleſiæ S. Saturnini V. idus Febr. fer. V. Philippo Francorum rege regnante. Multa denique paſſus eſt Stephanus, contra Figiacenſes jus ſuum tuendo; de qua contentione cognovit ſummus pontifex Gregorius VII. eaque diu multumque diſcuſſa, ſententiam tulit in gratiam Conchenſium. Judicium papæ per anteceſſum edidimus ſupra in Lautardo. * Roberti.

XXVIII. Bego venerabilis,ex chronico, dignus Stephani ſucceſſor, clauſtrum conſtruxit, reliquias in auro poſuit,textus evangeliorum fieri curavit & acquiſivit villam & territorium de Paſſioneto a Roſtagno, ea lege ut unus pauper quotidie paſceretur in monaſterio, additis pluribus aliis conditionibus. Facta eſt charta regnante Philippo rege. Jam abbas erat 1099. quo Fulco Barcinon. epiſcopus dedit ei eccleſiam de Caſtro. Anno 1100. Virgilius & Raimundus ejus frater quamdam ſancti Martini eccleſiam ſanctæ Fidi & Begoni abbati, necnon monachis Conchenſibus dederunt. Bego de Calmonte & uxor ejus Florentia largiti ſunt his temporibus eccleſiam ſancti Saturnini, B. Fidi, cum caſtello de Roca; donationemque confirmavit Ademarus epiſcopus Ruthen. Dedit etiam eidem abbati Aldebertus Mimatenſis epiſcopus duos manſos; manſum ſcilicet Boſonis, & de Petraſiſſa. Anno 1101. poſt diuturnam contentionem inter Conchenſes & Reſbacenſes de prioratu Columbarienſi, inſtante Begone, coram Adela comitiſſa, ſententiam tulerunt pro Conchenſibus epiſcopi Meldenſis & Trecenſis, cujus inſtrumentum damus in appendice, ubi vide ch. XIV. *p. 33. col. 2.* Eodem anno Petrus Sancii rex Arragonenſium fundavit monaſterium ſanctæ Fidis in Barbaſtro, in gratiarum actionem pro victoria contra Mauros ſibi a Deo conceſſa. Fundationis inſtrumentum vide ibidem charta XV. *p. 34. col. 2.* Pontius vicecomes, & uxor ejus Elizabeth, auctoritate Pontii epiſcopi, & Pontii Mauritii abbatis, dederunt Begoni eccleſiam de Bains an. 1105. menſe Decembri, & anno 1108. Gaucelinus & fratres ejus Arnaldus, Achelmus, ac Bonbaldus eccleſiam de Manſirot in diœceſi Burdegal. Idem abbas a Paſchali papa II. bullas obtinuit, quibus conceditur, ut in vigilia S. Fidis obſervetur jejunium, & in ordine miſſæ inter virgines ſanctas ejus memoria ex nomine celebretur. Item ut pro reverentia ejuſdem S. virginis, abbates Conchenſes pleno jure ad electionem epiſcoporum Ruthenenſium advocentur. Nec illud omittendum ſub Begone abbate Petrum de Andocha monachum Conchenſem a teneris annis in monaſterio educatum, electum fuiſſe epiſcopum Pampilonenſem circa an. 1081. virum doctrina & virtute ſuo tempore conſpicuum, qui multis fratres ſuos beneficiis cumulavit,& plurimarum fundationum regibus Pampilon. & Arragonenſium auctor exſtitit. Tomo VI. miſcellaneorum Baluz. legimus Hugonem *pag. 414.*

Lugdunenſem archiepiſcopum Begoni dediſſe A eccleſias S. Fidis de Caſtelleto, & S. Victoris.

XXIX. Bonifacius. Henricus rex Anglorum degens in Normannia in Foreſte ſupra Bonam-villam abbati Bonifacio privilegium quod conceſſerat ſanctæ Fidi de Horſans confirmavit; feriam ſcilicet unoquoque anno trium dierum in vigilia feſti ejuſdem virginis, in die feſti, & ſecunda die feſti. Hanc eccleſiam de Horſans Herbertus Norvicenſis epiſcopus conſecravera in honorem S. Mariæ Virginis, ſanctæque Fidis, & Eberardus in Norvicenſi ſede ſucceſſor Bonifacio abbati hanc eamdem eccleſiam confirmavit, & eam viſitantibus indulgentias B conceſſit. Eidem abbati & monaſterio ſanctæ Fidis Adalardus dedit *hoſpitale de Alto-braco* regnante Ludovico rege. Petrus Lutevenſis epiſcopus confirmavit domos & curtes quas Bernardus cantor ſcholarum dederat S. Fidi conſilio domni Bernardi olim epiſcopi Lutevenſis, regnante Ludovico rege. Sub eodem abbate Adela comitiſſa Willelmi regis Anglorum & Mathildis reginæ filia, eccleſiam Columbarienſem multiplici beneficio amplificavit an. 1107. regnante Ludovico rege Francorum[a]. Nominatur in chartis Bernardi de Turre, & Adelæ Bleſ. comitiſſæ ejus matris, quibus quædam dantur C Deo & ſanctæ Fidi, *regnante Ludovico rege Francorum*. Ejuſdem nomen inſcribitur chartæ Didonis de Andoca offerentis unicum filium ſuum Petrum Deo & beatæ Fidi de Conchis. Data eſt anno ab incarnatione MCX. regnante Ludovico Francorum rege. Vide tom. III. analect. Mabil.

[a] *Probat. hiſt. dom. Arvern. Baluz. Pag. 484.*

Pag. 471.

XXX. Gaucelinus ab Hugone de Broa acquiſivit medietatem decimæ de Montainac.

XXXI. Odo, cujus mentio in tabulario S. Stephani Meldenſis, ubi de quadam conventione inter utramque eccleſiam pro terra apud Gals. Teſtis inſuper legitur in charta donationis factæ Guiraldo abbati Silvaneſii tempore Petri Ruthe- D nenſis epiſcopi poſt an. ut videtur, 1154.

XXXII. Ugo 1165. tranſigit cum Ermengardo abbate Vallis-magnæ, ſequeſtro Guillelmo Agathenſi epiſcopo, eique quaſdam ceſſit decimas.

XXXIII. Iſarnus anno 1167. multas poſſeſſiones a Deodato de Mirabel ſibi & ſuis comparavit. Anno vero 1171. quaſdam decimas monaſterio Bonæ-vallis concedit.

XXXIV. Olricus Conchenſis abbas Ademario Bonæ-vallis abbati omnia jura quæ ſibi in territorio Puciaci & Verrucæ competebant, concedit circa annum 1175.

XXXV. Guillelmus ab Hugone Ruthenenſi E epiſcopo accipit *hoſpitale, quod eſt in ſtrata publica euntibus ad ſanctam Mariam Roche-amatoris, ſitum in manſo dellas Engelarclias an.* 1179.

Ex tab. Conch.

XXXVI. Guiraudus, ſeu Geraldus aut Geraudus an. 1180. teſtis memoratur in compoſitione Petri abbatis Aureliacenſis cum comite Toloſ. Idem an. 1185. P. abbati Loci-Dei conceſſit quidquid ad Cluniac. eccleſiam intra certos fines pertinebat. An. 1189. monaſterium S. Fidis de Palatio, quod S. Fidi de Conchis Gar-

[a] Videlicet Ludovico VI. dicto Craſſo, qui jam deſignatus erat rex an. 1107.

finda comitiſſa ineunte XI. ſeculo ſubjecerat, Amedeo abbati Vallemagnenſi ordinandum tradidit. Hic abbas renuntiaſſe legitur.

XXXVII. S. abbas Conchenſis anno 1195. menſe Madio, teſtis eſt in litteris pacti inter Hugonem epiſcopum, & U. comitem Ruthen. Is eſt Sicardus, cujus tempore Hugo comes Ruthenenſis dat ſanctæ Fidi quidquid juris habebat in monaſt. de Coviſon an. 1195.

Probat. hiſt. dom. Arv. Baluzii p. 361.

XXXVIII. Pontius an. 1199. menſe Martio dat Flnæ d'Aygues-mortes moniali, cunctiſque fratribus ac ſororibus ejus eccleſiam S. Fidei in territorio Narbonenſis agri cum appenditiis ſuis. Ex tab. abbatiæ de Quadraginta.

XXXIX. Guillelmus an. 1242. quo fidelitatis & obedientiæ juramentum accepit a Garſia de Fortis priore de Capairoſa & de Garitohain, ſede Pampilonenſi vacante. An. 1243. tranſigit cum domino Guidone de Seveyraco ſuper medietate manſi del Boiſſo. Eodem anno ipſe Guido de Seveyraco dedit Willelmo totum honorem quem habebat in manſo de Prada. Cum autem an. 1244. R. abbas Vallis-magnæ diœceſis Agathenſis, vice Zoëni epiſcopi Avenionenſis ſedis apoſtolicæ legati, Conchenſe monaſterium viſitaret, a venerabili Guillelmo inſtantiſſime rogatus fuit, ut ſicut in ſpiritualibus ita & in temporalibus reformandæ paci vigilanter intenderet: qui quidem annuens, nonnulla ſtatuit ad victum monachorum & infirmorum ſpectantia, certis reditibus aſſignatis; cetera vero prudentiæ Willelmi reliquit.

XL. Umbertus, cui papa uſum mitræ conceſſit litteris datis VI. nonas Octobris pontificatus anno 3. Hic tranſactionem factam cum fratribus Bonæ-cumbæ ſigillo ſuo munivit anno 1247. XVII. cal. Maii. Forte idem eſt cum Guiberto, qui unionem prioratus de Palatio Vallemagnenſi cœnobio ab anteceſſoribus factam noluit confirmare an. 1247. ex hiſt. MS. Vallis-magnæ.

Ex tab. Bonæ-cumbæ.

XLI. Hugo de Panat, de quo intelligendum puto quod legitur in hiſtoria abbatum Floriacenſium, Guillelmum abbatem iniiſſe ſocietatem precum cum Hugone abbate, & conventu ſanctæ Fidis Conchenſis. Ratam habuit compoſitionem a ſe & Alphonſo regis Franciæ fratre comite Pictav. & Toloſ. factam ſuper caſtro ſanctæ Fidis de Paracolio Toloſanæ diœceſis, anno 1255. Renuntiavit eodem anno, & ad ejus ceſſionem recipiendam Clemens papa IV. epiſcopum Lutevenſem ſequentibus litteris delegavit.

Clemens papa IV. deputat epiſcopum Lodovenſem ad ſuſcipiendam ceſſionem Hugonis abbatis Conchenſis.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri epiſcopo Lodovenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilectus filius Hugo abbas Conchenſis diœceſis Ruthenenſis tam per litteras quam per procuratores ſuos nobis cum inſtantia humiliter ſupplicavit, ut cum ipſe multis fractus laboribus, & inter perſecutionum procellas longo affectus tædio in commiſſo ſibi dudum monaſterio non poſſet proficere, ſicut vellet, propter quod monaſterium ipſum magnum jam paſſum fuerat in ſpiri-

tualibus & temporalibus detrimentum ipſius mandaremus, de ſedis apoſtolicæ providentia, recipi ceſſionem: gerentes itaque de tua diſcretione fiduciam in domino pleniorem, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, eodem abbate ad tuam præſentiam evocato, petitam ceſſionem vice noſtra recipias ab eodem. Quod ſi forte cedere recuſaris, vel in hujuſmodi ceſſione aliquatenus duxerit vacillandum, tu eum ad cedendum monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota cogere non poſtponas, reſcripturus nobis per tuas patentes litteras harum ſeriem continentes, quidquid ſuper hoc duxeris faciendum. Datum Peruſii III. *cal. Julii, pontificatus noſtri anno* I.

Verum ut ut ſit de hac ceſſione, liquet ex tab. PP. Soc. Jeſu Toloſ. Hugonem abbatem anno 1256. teſtem adhiberi commutationis factæ inter Petrum de Brolio Villemagn. & Begonem Jordani S. Marii Vabrenſis abbates. Item an. 1261. unioni prioratus de Palatio Villæ-magnæ cœnobio refragatur. Denique hic abbas & monachi dant ad cenſum multos vicos domino de Bornaſel 11. nonas Julii 1262.

XLII. Raimundus de Furno hominium recipit Petri Paulinha, pro manſo de Segonſac & pro medietate manſi Hucbal an. 1265. Tranſigit cum Aſtrugo abbate Bonæ-cumbæ anno ſequenti feria 2. ante nativitatem B. Johannis Baptiſtæ. Anno 1286. in feſto Aſcenſionis Domini ſocietatem precum ac ſuffragiorum iniit cum Guidone abbate & conventu Virzionenſi. Eidem R. epiſcopus Ruthenenſis anno 1284. unionem & incorporationem eccleſiæ S. Felicis prope caſtrum de Lunello menſæ abbatiali indulſit. Anno 1290. prabendam monachalem aſſignavit, ut pro fratribus defunctis quotidie ſummo mane in capella S. Nicolai miſſa celebraretur. Hujus etiam precibus R. epiſcopus Ruthenenſis eccleſiam S. Cypriani abbatiali menſæ annectit an. 1294. 11. nonas Septemb. Raimundus an. 1298. ſigillum apponit tranſactioni factæ inter Giraldum abbatem Bonæ-vallis & Raimundum de Petra-forti priorem. Componit ipſemet cum Helizt abbatiſſa S. Saturnini anno 1308. & excipit hominium a Petro domino de Bornaſel, die 3. Julii, cujus hominii fit mentio in alio præſtito a Gaſpare de Bornaſel, de quo infra.

Ex tab. Bonæ-cumbæ.

Ex Chartul. Virzion.

XLIII. Hugo de Milheto domini papæ capellanus, an. 1311. 17. Januarii univit menſæ ſuæ prioratus de Spairaco & de Baro, P. epiſcopo Ruthenenſi ſedis apoſtolicæ legato in partibus tranſmarinis pro negotio Terræ ſanctæ tunc agente. Anno 1312. ad prioratus ſuos Pampelonenſis diœceſis profectus eſt, viſitationis officium impenſurus. Die Martis VIII. id. Junii apud Capairoſium in aula prioratus dicti loci præbendarios de Murello ad ſe convocavit debitam præſtituros obedientiam, quoſdam vero ſub graviſſimis pœnis commonuit ut concubinas a ſua cohabitatione projicerent, factaſque ab anteceſſore ſuo Raimundo in eccleſia de Murello ordinationes obſervarent. Anno 1313. die Martis cal. Martii Petrus dominus de Bournaſel ſe ejus clientelarem profitetur, ut fidem facit aliud homagium. Anno 1316. prioratum de Capairoſo viſitavit. [a]

XLIV. Petrus de Ulmo. In vetuſto necrologio ſancti Roberti de Cornilione notatur ad XIX. cal. Septembris obitus Petri abbatis de Conchis. In catalogo non occurrit alius Petrus præter hunc cognominatum de Ulmo.

XLV. Guillelmus de Cardalhaco jam abbas erat 1323. eligitur autem epiſcopus Maſſil. an. 1324.

XLVI. Bertrandus primum abbas S. Ægidii, poſtea Conchenſis creatur an. 1314.

XLVII. Hugo 1356. paciſcitur cum Guillelmo epiſcopo Aginnenſi.

XLVIII. Bertrandus *de Barcira* an. 1364. 2. Aprilis tranſigit cum Bertrando priore d'Eſpeyrac. Celebravit capitulum generale an. 1366. die decima Junii in refectorio, propter incendium quo alia loca apta, fuerant abſumta. Inter alia vero ſtatutum eſt pro reparatione monaſterii priores omnes & beneficiatos juxta beneficiorum ſuorum facultates aliquid erogaturos, nulloſque de novo recipiendos præbendarios per ſexennium a prædicto capitulo computandum. Decretum quoque eſt de medico ægrotis procurando.

Ex tab. Bonæ-cumbæ.

XLIX. Raimundus de Rilhaco decretorum profeſſor anno 1374. in capitulo generali, multa edidit ſtatuta pro reformatione monaſterii. An. 1379. die 8. Martii præſtitit hominium pro multis prædiis. Interrogatus ab Aldeberto doctore theologo, de confeſſione annua facienda proprio ſacerdoti, & de facultate conceſſa religioſis audiendi confeſſiones, de his mentem ſuam aperit, in epiſtola data 1. Octobris anno 1382. quæ aſſervatur in tabulario Prulienſis parthenonis, una cum conſtitutione Johannis papæ XXII. circa idem argumentum, ut nos docet inventarium chartarum hujus tabularii aſſervatum in biblioth. Colb.

L. Raimundus de la Salla per Petrum Cardinalem ſanctæ Suſannæ a Clemente papa VII. ad hoc delegatum, de abbatia tanquam ſedi apoſtolicæ immediate ſubjecta, bullis datis Avenione 26. Maii an. 1390. providetur. Anno 1396. 24. Octobris in eccleſia fratrum Minorum baptizavit Johannem de Armaniaco primogenitum comitis Armaniaci, cujus patrini fuere Benedictus XIII. Avenionenſis papa, & dominus dux. In actis concilii Piſani an. 1409. recenſetur inter abbates, qui ad illud miſerunt procuratores. Chori ſedilia fecit, reædificavit dormitorium quod per octoginta fere annos fuerat deſtructum: & multa alia neceſſaria præſtitit; propter quæ beneficia monachi in capitulo generali an. 1421. 4. Junii celebrato ſtatuerunt, ut quandiu vitam duceret in humanis, pro eo quotidie in miſſa matutinali conventus in feſtis 12. lectionum collecta ſpecialis a ſubhebdomadario diceretur & poſt mortem &c. An 1424. unionem prioratuum de Novavilla, & de Speyraco a Benedicto XIII. factam collegio duodecim ſacerdotum approbavit. Iſtud collegium Amalricus de Seveyraco auctoritate apoſtolica nuper fundaverat in eccleſia S. Chriſtophori.

[a] In Commentariis hiſt. Henrici Suarez. *Hugo ab. ob. an.* 1. *Johannis* XXII. *Cui ſucceſſit Guillelmus poſtea factus ab. Manſi Auxitis. Cui ſucceſſit Bertrandus ab. S. Ægidii. Hic moritur an.* 5. *Urbani* V. *v. qui ſuccedit Raimundus de Rilhaco.*

LI. Raimundus de la Romeguiere.
LII. Fortonus Maucip de Flars.
LIII. Stephanus Bartonis Lemovicenſis.
LIV. Ludovicus de Combornio commendatarius, protonotarius S. Sedis apoſtolicæ an. 1474. ſimul abbas Burgidolenſis, & S. Aug. Lemovic. frater Jacobi de Combornio epiſcopi Clarom.
LV. Ludovicus de Crevant * filius Johannis ex Catharina Brachet quam duxerat an. 1439. fuit abbas S. Fidis Conchenſis, cum jam Vindocinenſis eſſet. Anno 1482. cum Nicolao Fardet commendatario Columbarienſi litem compoſuit. Alibi tamen legimus hunc jam abbatem Vindocinenſem Conchenſi monaſterio non niſi anno 1487. xv. cal. Februarii, præfectum fuiſſe ab Innocentio VIII. papa. Forte aliquandiu præfuit quantum ad temporalia, etſi nondum bullis donatus fuiſſet; vel potius dicendum ipſum compoſuiſſe cum Columbarienſi abbate ut abbatem Vindocinenſem. Erat adhuc abbas Conchenſis, anno 1493.
LVI. Ludovicus de Marſennaco.
LVII. Antonius de Rouſſelet innotuit ex fide clientelari illi jurata a Gaſpare de Bornaſel, an. 1513. Ceſſit ante mortem.
LVIII. Georgius tituli ſancti Laurentii in Lucina preſbyter cardinalis, de Armaniaco nuncupatus, Ruthenenſis epiſcopus, &c. ſub hoc abbate hæc abbatia facta eſt ſecularis tam in capite quam in membris an. 1537. bulla Pauli III. ad ſupplicationem regis Franciſci I. reſervatis facultate nominandi abbatem, & regaliæ jure, tempore ſedis vacantis.
LIX. Claudius de Rouſſelet cum canonicis ſuis tranſigit ann. 1544. 1545.
LX. Alexander de Caretto princeps de Finals, filius Johannis marchionis Carettani, & Genevræ Bentivoliæ, præerat annis 1566. & 1571. abbas etiam Bonæ-cumbæ.
LXI. Johannes Mignot.
LXII. Ludovicus de Cruſſol e nobili & antiqua Uticenſium proſapia Emmanuelis Cruſſolii ducis Uceticæ, ex Claudia d'Ebrard de S. Supplice filius, præerat an. 1654. Poſtea ceſſit & duxit uxorem matrem ſequentis.
LXIII. Johan. Armandus Fumée des Roches ſucceſſit Ludovico de Cruſſol, ſimul abbas Figiacenſis, obiit 1712.
LXIV. N. de Renouard nominatur die 26. Martii ejuſdem anni.
LXV. Antonius Bonal in Hiſt. MS. epiſcoporum Ruthenenſium, in Franciſco de Stagno, *d'Eſtain* laudat chartam, qua Rodulfus abbas Conchenſis, ejuſque monachi dant titulo præſtariæ *manſum .... in loco qui dicitur Stannio*, ea conditione, ut per ſingulos annos ii quibus ad vitam id concedebatur, *quartum & decimum* perſolverent monaſterio. *Facta præſtaria iſta die Martis in menſe Januario an. 5. regnante Carolo rege.* Stannio vulgo Eſtaing locus eſt unde nobilis familia d'Eſtaing in Ruthenis originem traxit. Quo tempore vixerit hic abbas, definire non audemus.

* al. de Cravant.

Bona-cumba.

Bona-cumba diœc. Ruthenenſis ordinis Ciſtercienſis, filia Candelii ſub Clara-valle fundatur ſub patrocinio Deiparæ Virginis, & omnium beatarum virtutum an. 1162. a Raimundo comite Toloſano, & Hugone Ruthenenſi epiſcopo, fratreque comitis Ruthenenſis; vetus enim martyrologium ex Antonio Bonal ſic habet: *An. incarnationis* MCLXII. III. *idus Januarii abbatia Bona-cumba ... ædificata fuit in honorem Dei omnipotentis, & ejus glorioſiſſimæ matris, & omnium virtutum, ab illuſtriſſimo principe Raimundo comite Toloſano, domino Hugone Ruthen. epiſcopo, fratreque domini comitis Ruthenæ.* Certe Catellus hiſt. comitum Toloſanorum lib. 2. c. 5. hanc fundationem refert ad an. 1166. Verum, ut nemo non videt, de perfecta monaſterii dotatione vel conſtructione intelligendus eſt. Abbatum catalogum deſcribemus præſertim ex chartis, quarum inventarium & exemplaria nobis ſuppeditavit Colb. biblioth. locupletiſſima.

Abbatum catalogus.

I. Matfredus, ſeu Manfredus ex Catello ibidem, ut ſupra, an. 1166. una cum Gauberto abbate Candelii primam miſſam celebravit de Spiritu ſancto. An. 1168. a Bremundo domino Uceticæ, & Poſcheriarum viginti cartallos olei ſingulis annis percipiendos dono accepit, præſentibus Aldeberto Nemauſenſi, qui & ſubſcripſit, & Ramundo Uticenſi epiſcopis. Eidem an. 1170. Roſtagnus filius Duranni Roſtagni, & Ademarus Caſtlas, necnon Hugo de Panath quædam elargiti ſunt.
II. Willelmus annis 1171. & 1172. bona quædam accepit ab Hugone de Panat, & Berengaria ipſius conjuge. Hoc ipſo anno eidem non pauca donaverunt Bernardus Berengarii, & Guillelmus de S. Paulo. Nonnulla etiam obtinuit a Raimundo de Cerveire, Hugone epiſcopo Ruthenis præſidente. An. 1174. quo quidem ſæpius memoratur, Bernardus & Beraldus de Calmonte fratres ſe ſe erga ipſum beneficos exhibuerunt. An. denique 1175. in donatione Petri & Begonis de Caſſannas fratrum nominatur.
III. Hugo jam an. 1175. occurrit, quo nimirum a Pontio Bernardi donationem accepit; 1176. a Roberto Caſtellini Marini, & Deodato fratribus, 1177. a Petro Raimundi de Monte-Olivo, & Bona uxore ipſius, necnon ab Hugone de Panath, conſentiente Berengaria conjuge. Anno 1178. ipſi datur acceptilatio a Pauca ſorore Petri de Panat xv. cal. Nov. Eodem an. breve apoſtolicum ab Alexandro III. conſequitur ix. cal. Aprilis, nec non donationem ab Hugone comite Ruthenenſi & Agnete conjuge. Huic demum an. 1179. comes idem alterum ſuæ beneficentiæ ſpecimen dedit.
IV. Pontius, Ponzo *Gallice*, an. 1181. innoteſcit ex donatione Guillelmi Engelbert, &c. Eodem anno in litteris Hugonis comitis Ruthenenſis occurrit. An. 1182. a Willelmo de Calmont donum recipit.
V. Ranulfus, ſive Randulfus Pontium excipit, quippe cui jam anno 1182. Hugo Ruthenenſis comes donum contulit. Plura etiam tum a Guidone de Solmieg, tum a Guilberto de Cadolla 1183. atque an. 1184. ab Amblardo de Cardalliaco dona conſecutus eſt. Ejus tempore

Digitized by Google

lego Bonæ-cumbæ monachos, *Bonos-homines* appellatos. A

VI. Bertrandus I. ſedebat annis 1184. 86. 87. &c. uſque ad an. 1198. ut patet ex iterata ſæpius ejus mentione in tabulis, maxime donationum. Præcipui autem benefactores monaſterii ſub hoc abbate fuerunt Hugo Ruthen. epiſcopus, Hugo de Panat filius Guidonis, Guillelmus de Calo-monte, Raimundus de Combreto, Hugo comes Ruthenenſis, Guiraldus de Cardaillac ejuſque conjux Ugolena, Bernardus de Arpajone, Petrus de Miro-monte, &c. Anno 1191. teſtis fuit hic abbas in charta Petri de Petra-fixa pro monaſterio Bonæ-vallis. B

VII. Arbertus, *al.* Albertus an. 1199. accipit ab Hugone de Panat allodia, & vicarias trium vicorum. Eodem anno ſæpe occurrit in chartis, ſcilicet litteras immunitatis ab omni exactione ipſi tribuit Hugo Ruthen. epiſcopus cum Hugone comite & Guillelmo ejus filio. Huic autem beneficio alia plurima addiderunt, a quibus commemorandis conſulto abſtinemus. An. 1200. beneficum experitur Bernardum de Arpajone Hugonis epiſcopi fratrem.

VIII. Bertrandus II. notus eſt an. 1200. ex donatione Raimundi de Mairan; 1202. ex dono Guillelmi Scinnorel; 1203. ex beneficio Heliæ de Panat 1204. ex litteris Roberti de Caſtro- C marino quædam cedentis, &c. Hic abbas idem eſt de quo ita legitur in charta veteri beneficiorum diœceſis Ruthen. *Eccleſia capella S. Martini fuit unita monaſterio Bonæ-cumbæ, per D. Hugonem epiſcopum Ruthenenſem, ad requiſitionem Bernardi* (*lege* Bertrandi) *tunc ejuſdem monaſterii abbatis ... actum an. Domini* MCCIII. *Littera hujus donationis inſerta ſunt in libro antiquo exiſtente in archivis, qui incipit* nos Gilbertus *fol.* 16.

IX Geraldus ſedebat an. 1205. ex dono Geraldi de Mirabel. An. 1206. Odalricus de Bello-caſtello quoddam allodium ei cedit. Helias & Geraldus de Panat fratres (ex quo genere plurimi fuerunt Bonæ-cumbæ benefactores) D huic abbati & fratribus dant decimas omnium ſuorum agrorum & prædiorum an. 1207. Anno 1210. Henricus comes Ruthenenſis, an. 1211. Rames de Cerveira, an. 1212. Raimundus de Belcaſtel cognomento *Craſſus*, ei quædam contulerunt. Quæ idcirco commemoramus, ut inſignium illorum benefactorum poſteris gratum faciamus, e tenebris eruendo, quæ ad illorum genus commendandum multum conferre poſſunt.

X. Amblardus contendit cum Bernardo d'Arpajon de quodam allodio; quæ controverſia ſopitur a Petro Ruthen. epiſcopo, & ab E Henrico comite, 11. idus Auguſti 1217. ſententiam confirmavit C. legatus ſedis apoſt. XII. cal. Novemb. an. 1221.

XI. Bernardus ſediſſe anno 1222. probatur ex litteris Caroli regis, quibus donationem Raimundi comitis Toloſani eidem abbati factam hoc anno, confirmat. Regis litteræ datæ ſunt an. 1398. regni ejuſdem 18. Eodem anno 1222. legitur abbas Bernardus in dono Hugonis de Saunac, & 1225. in litteris Deodati de Mirabel nonnulla largientis.

XII. Hugo 1226. menſe Martio.

XIII. Guillelmus an. 1230. beneficum expertus eſt Raimundum comitem Toloſanum; 1231. Guillelmum Arnaldum de Caſſaneis; 1236. B. Hectorem de Panato & ejus uxorem Agnetem, necnon Galhardam uxorem Begonis de la Roque.

XIV. P. Ozembel an. 1240. tranſigit cum Archambaldo de Panat VIII. idus Junii. Memoratur & an. 1241. in compoſitione facta cum prioriſſa ſancti Juſtini diœc. Ruthenenſis. Forte idem ac Petrus qui menſe Octobri 1242. gratioſas obtinuit litteras a Raimundo duce Narbonenſi, comite Toloſano, & marchione Provinciæ. An. 1244. decimo cal. Septembris de conſenſu fratrum dimiſit comiti Toloſano altam juſticiam de Compos cum ſuis appenditiis, ad vitam dumtaxat. Eodem anno 1244. Innocentius papa IV. Bonam-cumbam privilegiis ornat, munitque bulla data VIII. cal. Junii pontificatus ſui an. 1. Idem Petrus occurrit adhuc in tab. anno 1245. & 1248. Anno quidem 1244. S. denominatur abbas in charta donationis B. Hugonis de Panat, ſed perperam, ut videtur ex duabus chartis an. 1245. ubi dumtaxat prior deſignatus abbatis Petri nomine donationes recipit. Et iterum ſuo nomine anno 1253. XVII. cal. Maii, ubi cognominatur Ortholes.

XV. Aſtrucus adfuit Bertrando de Riom abbati Galliaci fidem & obſequium pollicenti Bernardo de Combreto epiſcopo, & capitulo Alb. pridie cal. Octobris 1263. An. 1266. feria 2. ante nativitatem B. Johannis-Baptiſtæ tranſigit cum Raimundo abbate Concheuſi. 1277. IV. idus Julii villam d'Auriac cum ſuis pertinentiis acquiſivit a Berengario de Calmont. An. 1280. componit cum rege Franciæ, de mero mixtoque imperio quorumdam locorum, vel potius cum ſeneſcallo Ruthenenſi, nomine ipſius regis, ubi pro 1280. lego in fine, *anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono in craſtino omnium Sanctorum*. Bona tamen eſt utraque nota chronica, duabus enim vicibus compoſuerunt inter ſe; & quidem an. 1280. die veneris ante feſtum B. Mariæ Magdalenæ. *Ex tabul. S. Cæciliæ Albienſis.*

Idem abbas memoratur an. 1285. regnante Philippo rege die ſabbati poſt feſtum Pentecoſtes. Anno 1291. XVI. cal. Januarii, ipſi eccleſia de Monte-pio & de Molareſio addicuntur adverſus B. epiſcopum Albienſem a B. abbate Candelii, & B. de Panat archidiacono Alb. ubi per A. ſimpliciter deſignatur. Eodem die tranſigit cum hoc epiſcopo Albienſi de iiſdem eccleſiis, & 1292. XVIII. cal. Maii tranſactionem prædictam in ſuo capitulo confirmavit. *Ex tab. epiſc. Alb.*

XVI. Helias ſola Frotardi de Bel-caſtel donatione an. 1295. feria 4. poſt natalem Domini nobis cognitus.

XVII. Vivianus an. 1296. feria 2. poſt feſtum SS. Petri & Pauli, tranſigit cum Petro de Panat pro gregum & armentorum paſcuis. An. 1298. ad ipſius petitionem litteræ Raimundi ducis Narbonenſis conceſſæ olim Petro abbati Bonæ-cumbæ, collatæ & publicatæ ſunt. Eodem anno diſſidium habuit de jure parochiali quorumdam vicorum cum B. Petri præceptore hoſpitalis domus de Tauriaco, qui tandem ope of-

ficialis Ruthenenſis reconciliantur. Dat. die Mercurii poſt feriam quartam cinerum. Anno 1299. paciſcitur cum Arnaldo de Landorre domino de Salmieg, de juriſdictione ſancti Hilarii del Baſtic &c. pridie idus Aprilis. Adhuc præerat an. 1304. feria 5. poſt feſtum S. Barnabæ ex dono Arnaldi de Lendorre.

XVIII. Pontius an. 1311. feria 2. poſt Paſcha componit cum Geraldo de Ariaco condomino caſtri de Combreto, ſuper juriſdictione, mixto & mero imperio manſi vocati *Del-laus*. Eodem an. pepigit cum Cæcilia comitiſſa Ruthen. An. 1318. inſtituitur judex diſſidiorum inter Petrum de Plana-Caſſagna epiſcopum Ruthenenſem, ejuſque capitulum, qui die 18. Januarii ejuſdem anni ſententiam protulit cum aſſumtis tribus adſeſſoribus. Item ad reformandum Albienſe S. Cæciliæ capitulum delegatus, rogatur a Petro Albienſi epiſcopo ut ſtatuta quædam a ſe condita, quæ dicti epiſcopi juriſdictioni nociva erant, revocet; quod & fecit 14. Nov. 1335.

Ex tabul. epiſc. Alb.

XIX. Raimundus an. 1354. 3. Martii tranſigit cum Gaillardo de Bello-caſtro domino de Colombiers. An. 1362. memoratur in charta ſancti Salvii Albienſis. Idem compoſuit cum comite Armaniaci an. 1384. pro juriſdictione Belli-caſtelli, quam comes ei reſtituit eodem anno, ut nos docent litteræ Johannis comitis Armaniaci & Ruthenorum ejus filii.

XX. Petrus, cui Benedictus papa XIII. bulla data XVI. cal. Septembris, pontificatus anno decimo, Chriſti 1403. utendi mitra, annulo, ceteriſque pontificalibus inſigniis licentiam indulſit. Forte idem eſt cum Petro de Aunhaco, qui anno 1419. die 9. Maii præſtat hominium Johanni comiti Armaniaci & Ruthenenſi, ex codice hominiorum præſtitorum comitibus Ruthen. Cum autem adhæſiſſet Petri de Luna partibus, excommunicatus fuit a Gerardo Brie canonico Carcaſſonenſi delegato pro exſecutione bullæ Martini V. ſententia lata die 24. Julii an. 1420. Poſtea vero delicti veniam petiit & obtinuit ab eodem papa, ut liquet ex charta quam hic ſubjicimus.

Ex archivo regio urbis Ruthen.

Profeſſio fidei & abjuratio fratris Petri de Aunhaco electi abbatis Bonæ-cumbæ, qui ſententias excommunicationis, banni, &c. incurrerat, eo quod partibus Petri de Luna poſt definitionem eccleſiæ, & ipſius condemnationem hactenus adhæſiſſet.

1421. *Ex archivo Bonæ-cumbæ ord. Ciſterc.*

Reverendiſſime pater, ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Martini divina providentia papæ quinti, veri & indubitati, Jeſu-Chriſti Salvatoris noſtri vicarii, nuntie ſpecialis. Ego humilis & abjectus frater Petrus de Aunhaco, hactenus ad abbatiam venerabilis monaſterii de Bona-cumba intitulatus & promotus, miſer peccator adverſus Deum, Romanam eccleſiam, ſanctam ſedem apoſtolicam, prafatum ſanctiſſimum dominum papam graviter peccando in hoc, quod ſeductus, nonnullorum damnatis ſuggeſtionibus, humanis & caducis paſſionibus, verſuti hoſtis ſallacia, ad ruinam meam, ſcandalum plurimorum, temerario auſu meo præſumpſi, ſanctorum patrum traditiones, & decreta ſancta ſynodi Conſtantiæ in ſpiritu ſancto legitime congregata, eccleſiam univerſalem repræſentantis, quam maxime circa exſtirpationem pernicioſi & inveterati ſciſmatis, reformationem eccleſiæ ſanctæ univerſalis Dei tam in capite quam in membris, (ad quod per damnationem illius perditionis alumni Petri de Luna nutritoris & fautoris inveterati ſciſmatis, & concordem electionem potius miraculoſam quam humanam ſanctiſſimi domini noſtri Martini prafati, de ſpeciali miſericordia divina proventum eſt) editas & edita, ordinatas & ordinata, verbo & opere, quantum in me fuit damnare, confundere & reprobare: mandatis apoſtolicis veſtris, & aliorum per eandem ſedem deputatorum, non tam contumaciter, quam injurioſe reſiſtendo, reatum & peccatum meum graviſſimum recognoſcens, cum facultas in promptu non eſſet ad patrem & fontem miſericordiarum SS. dominum noſtrum papam prafatum, & ſuos beatiſſimos pedes recurrere; ſciens, vos reverendum patrem dominum Geraldum Brie, alias de Regno, legum doctorem, canonicum Narbonenſem, camera apoſtolica clericum, ſanctæ ſedis predictæ & ſuæ ſanctitatis ſpecialem ad hoc digniſſimum nuntium miſſum & deſtinatum; in fervore ſpiritus, corde contrito & humiliato, omnique mentis pura ſimplicitate, loco illorum beatiſſimorum, & cum aliud non poſſim pro præſenti ſub illa repræſentatione, flexis genibus ac corde & corpore proſtratus pro miſericordia & venia obtinenda, duxi recurrendum ad pedes veſtræ paternitatis. Et ut illam prevenientes gratia* apoſtolica, & divina clementia potius merear obtinere; & ne non pura mente ſeu ſimulate reverſus æſtimer, contrito diviſionis laqueo quo miſerabiliter detinebar, hoc diutina mecum deliberatione pertractans, prona & ſponte-nea voluntate cognoſcens veram catholicam & apoſtolicam ſedem, & unitatem eccleſiæ ſanctæ Dei, modo præmiſſo, in perſonam domini ſanctiſſimi noſtri prafati aſſecutam. Primo abjuro, anathematizo omne ſciſma, omnem hereſim occaſione præmiſſorum quomodolibet contractam, & præcipue eam de qua hactenus infamatus ſum: qua pertinaciter & damnabiliter æſtruendo illum damnatum, & ſuis exigentibus demeritis ab eccleſia reprobatum virum Petrum de Luna univerſalis eccleſiæ ſummum pontificem, & paſtorem: ſanctorum patrum traditionibus, & decretis ſanctæ ſynodi Conſtantienſis prafata execrabiliter contradicit; ſub ordiniſque mei caſu, anathematis obligatione aliiſque pœnis quibuſcumque ſpiritualibus, & temporalibus, quas abſque ulla miſericordia incurriſſe volo, ipſo facto: ſpondeo & promitto vobis domino Geraldo nuntio venerandiſſimo, & per vos ſancto Petro apoſtolorum principi, atque ejus vicario in terris indubitatiſſimo domino Martino prafato, & ſucceſſoribus ejus, me nunquam quorumlibet ſuaſionibus vel quocumque alio modo ad ſciſma, quo redemptoris noſtri gratia liberante ereptus ſum, reverſurum; ſed ſemper me in unitate eccleſia catholica & communione Romani pontificis modo præmiſſo, per omnia permanſurum. Profiteor ejus* ſecundo coram Deo & hominibus, prafatum ſanctiſſimum dominum noſtrum, dominum Martinum, fore verum & indubitatum in terris Jeſu-Chriſti vica-*

* h. l. forte aliqua ſ. omiſſa.

* f. gratiam &c.

* f. etiam

rium ac venerabilis eccleſia ſummum pontificem & A *paſtorem, ejuſque mandatis per me & per alios cunctos fideles inevitabiliter fore obediendum. Unde jurans dico & aſſero per Deum omnipotentem, totam curiam celeſtem, & civium ſupernorum, & hæc ſancta Dei evangelia quæ in manibus meis teneo, me in unitate, ſicut dixi, eccleſia ad quam Deo propitio, & de miſericordia ſedis apoſtolicæ, ut ſpero, firmiter jam reverſurus, & in communione Romani pontificis domini Martini prafati & ſucceſſorum ſuorum abſque dubio ſemper & immutabiliter me permanere, mandatiſque ſuis, & ſedis predicta, cui auctore Deo præſidet, humiliter* B *obedire. Quod ſi, quod abſit, in tantam inſaniam deductus, ab hac me unitate & obedientia, aliqua excuſatione vel argumento contingeret diſcedere, perjurii reatum & ceteras pœnas incurrens irrefragabiliter æterna pœna obnoxius inveniar* * Lucifere *& cum actore* ſciſmatis, ſuiſque diſcipulis, Datan & Abiron, quos vivos terra abſorbuit, habeam in futuro ſeculo portionem. Hanc autem profeſſionis, abjurationis & confeſſionis mea cartulam veſtra P. R. cum conſenſu religioſorum venerabilis monaſterii prafati de Bona-cumba, qui hac me in unitate obligantes ſe, in ſuprascriptis omnibus prona ſimiliter voluntate præceſſerunt, & ſecuti ſunt, atque manibus ſuis propriis, ſaltem præſentium,* C *ſubſcripturi, ſcribendam dictavi & propria ſubſcribens manu tradidi, volens, & requirens per quoſcumque tabelliones publicos, & præſentes ad perpetuam rei memoriam publicum retineri inſtrumentum; & per alios cunctos Chriſti fideles atteſtationem fieri in futurum. Ita eſt per me factum, dictum & profeſſum; ut ſuperius eſt ſcriptum in præſentia teſtium infraſcriptorum. Frater Petrus de Aunhaco manu propria, ita eſt. Frater Bernardus Richardi monachus manu propria, ita eſt. Frater Johan. Bibalis manu propria, ita eſt. Frater Petrus de Cros monachus manu propria, ita eſt. Frater Petrus Mansfeti monachus manu propria, ita eſt.* D

Facta hac humili abjuratione in capitulo eccleſiæ Albienſis, præſentibus P. Albienſi epiſcopo & plurimis diverſi ordinis & ſtatus, nobilium imprimis copioſa multitudine, ab excommunicatione, pœnis, ſententiis, bannis, quæ incurrerat, abſolvitur prædictus abbas Bonæcumbæ anno 1421. 15. Martii, indictione 14. pontificatus Martini V. anno 4.

XXI. Hugo, cujus precibus Martinus papa V. prioratum de Leucone menſæ abbatiali univit v. cal. Octob. * pontificatus anno XI. E Chriſti 1427.

P. de Comba & Aſtorgius, contendebant de abbatia an. circiter 1439. & requirente Aſtorgio Petrus excommunicatus eſt, ſed concilium Baſileenſe miſit qui eum abſolveret an. 1439. Utrique hîc locum damus.

XXII. Aſtorgius de Savareto fecit compoſitionem cum Henrico comite Ruthenenſi.

XXIII. Petrus de Comba an. 1439. 14. Februarii, abſolvitur ex decreto concilii Baſileenſis ab excommunicatione quam in ipſum Aſtorgius de Savareto abbatis nomen ac dignitatem ſibi vindicans, vibrari fecerat.

XXIV. Johannes Garrigas hominium reddit Johanni comiti Armaniaci & Ruthen. in manibus Arnaldi de Landorre procuratoris comitis, *ſtans coram ſtante.* Act. VI.* April. 1464 * al. XVIII.

XXV. Johannes Joffredi epiſcopus Albienſis, & cardinalis, abbas Bonæ-cumbæ moritur 1473.

XXVI. Guillelmus epiſcopus Oſtienſis abbatiam Bonæ-cumbæ vacantem in commendam obtinet a Sixto papa IV. bulla pridie cal. Aug. an. 1475. ad regem Ludov. directa.

XXVII. Johan. d'Amboiſe epiſcopus Lingon. abbas quoque S. Joh. Angel. & Bonæ-cumbæ, obiit 1498.

XXVIII. Clemens de Ruvere epiſcopus Mimatenſis, an. circiter 1501. erat abbas Bonæcumbæ. Vide in epiſc. Mimatenſibus.

XXIX. Paulus de Caretto epiſcopus Cadurcenſis ſedebat an. 1524. Idem vero regi Navarræ Henrico II. & Margaretæ uxori hominium fecit pro temporalibus bonis abbatiæ in manibus Georgii de Armaniaco epiſcopi Ruthen. ex litteris præfati regis hoc atteſtantibus, quæ datæ ſunt 25. Julii an. 1531.

XXX. Alexander de Caretto 1566. & 1571. abbas etiam Conchenſis, ubi vide.

XXXI. Carolus Jacobus Gelas de Leberon epiſcopus Valentinenſis, & abbas Flarani, obiit 5. Junii an. 1654.

XXXII. Reginaldus cardinalis Ateſtenſis (*d'Eſt*) obiit an. 1672. cum eſſet ſimul abbas Cluniacenſis, Moiſſiacenſis, S. Vedaſti, Vallis-Lucenſis &c.

XXXIII. Antonius de Guiſcard de la Bourlie, anno 1672. nominatur abbas an. vero 1706. fugit in Angliam, & fidem catholicam ejuravit.

XXXIV. Franciſcus Ludovicus de Clermont Tonnerre epiſcopus Lingonenſis deſignatur abbas die 22. Aprilis an. 1706. ſed eodem an. menſe Auguſto ceſſit pro abbatia Beſuenſi.

XXXV. Joſephus de la Tremoüille de Noirmoutier cardinalis, nominatur abbas die 14. Aug. 1706. ſchedula regia, quam reddidit anno 1707. & accepit abbatiam de Grandi-ſilva.

XXXVI. N. de Lezay Luſignan, nepos epiſcopi Ruthenenſis, major archidiaconus, decanus, & vicarius generalis Ruthenenſis nunc potitur hac abbatia.

Beata Maria de Bona-valle

BOna-vallis ordinis Ciſtercienſis diœceſis Ruthenenſis, filia Manſi*, primam ſui originem Guillelmo de Calmont epiſcopo Caturcenſi debet, utpote qui Petro Ruthen. antiſtiti alodium, & quicquid juris habebat in villis de Cuzac & de Veiruca, conceſſit ad conſtruendum monaſterium, cui nomen poſtea Bonavallis inditum eſt, quod ille defuncto jam Guillelmo præſtitit, advocatis ex Manſi * monaſterio * *f.* Manſiadæ. * *f.* Manſiadæ.

a In corpore bullæ, *Decembris*, quod minime notamus ad elevandam bullæ auctoritatem, ſed monere voluimus in tranſumtis ipſius quæ habemus, irrepſiſſe hoc mendum.

lio monachis ab Adam abbate miſſis, anno 1161. ut docet nos inſtrumentum fundationis, quod hic præmittere juvat:

NOtum ſit omnibus hominibus tam præſentibus quam futuris, quod Guillelmus bonæ memoriæ Caturcenſis epiſcopus, oppida etiam de Calmont & territoria ad ipſum oppidum pertinentia, jure patrimonii verus & legitimus dominus, pro ſalute animæ ſuæ ac parentum ſuorum, terræ ſuæ aliquam portionem, videlicet alodium, & quicquid juris habebat in villa de Cuzac & in villa de Veiruca Domino Deo & B. Mariæ ſemper virgini libere & abſolute dedit, & in manu domni Petri venerabilis Ruthenenſis epiſcopi tradidit, ut idem Ruthenenſis epiſcopus homines juſtos atque religioſos in ipſa terra collocaret, eamque ad cultum Dei omnipotentis juxta arbitrium ſuum omni modo diſponeret. Hac itaque facta conceſſione atque traditione, prædictus pontifex Ruthenenſis vocavit ad ſe religioſum abbatem Manſi Adam, & Petrum Bermundi de Anduſia, eiſque eorumque fratribus ſub regula B. Benedicti religioſe degentibus præfatam terram jure perpetuo tradidit poſſidendam, in qua terra eidem Dei famuli divino fulti adjutorio ſub modico tempore adeo profecerunt, ut omni jure feudi & beneficii, quod ibi habebatur, juſte acquiſito, novoque ædificio conſtructo, plures religioſos fratres ibidem congregarint, & nomine Bona-vallis impoſito ad abbatiam uſque promoverint; fratrum denique hujus loci neceſſitatibus idem Ruthenenſis præſul pia & juſta ſemper ſollicitudine providens, inter plurima & maxima bona quæ eis fecit, donavit ipſis & tradidit alodium manſi de la Teula, & manſi de la Comba, & quicquid juris Ruthenenſis matricis eccleſiæ, in utroque manſo habebat. Conceſſit enim illis ut cultorum terræ ipſius beneficium & jus feuſalium ac cenſum vicariorum acquirerent. Pro quorum acquiſitione prædicti fratres tantam ſummam pecuniæ expenderunt; alodium manſi de la Teula, quod ſuppoſitum erat pignori, de Guillelmo Deodati centum ſolidis redemerunt. Berengario de Salas pro jure quod ibi habebat, centum ſolidos numeraverunt; Stephano de Rama quinquaginta; Petro Ademarii quadringentos; Garino de la Roqua centum quinquaginta; pro manſo de la Cumba Guillelmo Bernardi ſeptingentos. Inſuper cum præfati fratres in parochia cujuſdam eccleſiæ quæ dicitur Cabalas *aliquantulum Deo volente acquiſiſſent, prænominatus epiſcopus Ruthenenſis dedit eis liberam facultatem ejuſdem eccleſiæ decimas adquirendi, ac ſemper in uſus proprios retinendi: ita quod nec de decimis nec de aliquibus parochialibus eccleſiis reditibus ſolvendis eidem eccleſiæ aliquando obnoxii eſſent. Hanc autem donationem, ac traditionem ſeu acquiſitionem voluerunt & laudaverunt, ratamque habuerunt Ruthenenſes clerici, quorum ſubſcripta ſunt nomina: R. Armundus prepoſitus, Aimericus archidiaconus, Petrus Aldualdi, Deodatus prior, Bernardus de Rodes, Ademarus de Villa-nova, Deo-datus de Arverna, Bernardus de Salellis, Petrus Guillelmi, Petrus Stephani, Petrus Alafredi, Petrus cognomine Prior, Guillelmus de Vaureliis; & ut præſens donatio nulla unquam occaſione valeat infirmari, ſed integra & firma in perpetuum habeatur, ſa-*

pe dictus Petrus Ruthenenſis epiſcopus præſentem paginam propriæ ſigilli auctoritate corroborari atque inſigniri præcepit. Simili modo Ugo Ruthenenſium comes prætaxati monaſterii fratribus dedit alodium manſi, qui vocatur Albadils, *& alodium alterius manſi, qui dicitur* Croſtindor, *conceſſa inſuper acquiſitione beneficii cultorum hujus terræ, juriſque feuſalium utriuſque manſi. Domino igitur annuente adquiſierunt fevum manſi* Albadils *Guillelmo Aymerico d'Auzstz datis pro eo ſexaginta ſolidis; pro fevo nihilominus alterius manſi de* Croſtindor, *Guillelmo Aymerici de Rodes dati ſunt* CLXX. *& Bernardo de la Roqua trecenti. Iſtius inſtrumenti deſcriptio facta fuit anno Dominicæ incarnationis* MCLXI. *indictione* IX. *regnante Ludovico rege.*

Bego de Calomonte patruum ſuum imitatus confirmavit ejus donationem, & addidit plurima, ſicuti frater ejus Eblo. Hugo comes Ruthenenſis dedit etiam quaſdam villas, & Bernardus de Anduſia plurimas. Guarinus archiepiſcopus Bituricenſis an. 1175. confirmavit huic monaſterio decimas, primitias &c. ipſi collatas. Seriem autem abbatum ad fidem inſtrumentorum in bibliotheca Colbertina repertorum contextam exhibemus.

SERIES ABBATUM.

I. Ademarus 1162. bullam protectionis ab Alexandro papa III. impetravit. Sequenti anno Petrus Ruthenenſis epiſcopus eumdem & ejus monaſterium a perſolvendis decimis terrarum quas poſſidebant exemit. Quo anno Hugo Ruthenenſis comes jus pedagii ipſi remiſit. Donum Bertrandi comitis filii Beatricis Melgorienſis comitiſſæ excepit 1165. Duobus poſt annis nempe 1167. Arnaldus de Turre-rubra magiſter templi ſuper Hiſpanienſem provinciam, Bego de Verperiis, Helias de Monte-bruno, & Deodatus de Corbeyra eidem Ademaro territorium de Felqueriis, & quidquid ibi juris habebat domus templi de Speleo, tradunt ſedente Hugone Ruthenæ epiſcopo, primo ejus epiſcopatus anno. Varias donationes a Begone de Calmonte accepit 1169. qui & donationes factas olim a Guillelmo epiſcopo Caturc. avunculo ſuo ratas habuit. Ab Iſarno Conchenſi abbate quibuſdam decimis donatur 1172. Cum priore ſancti Flori tranſegit 1175. & cum eccleſia de Corro-ſangas 1176. Memoratur etiam in quibuſdam actis 1177.

II. Guillelmus de quo vide infra in Arberto ſeptimo Loci-Dei abbate.

III. Petrus I. 1181. ampliſſimam donationem a Bernardo de Anduſia accepit. Simili donatione ditatur a præpoſito & capitulo Montis-Salvii 1183. Quo anno ab Hugone epiſcopo Ruthenenſi decimæ & primitia terrarum, quas in parochia de Petra-fixa &c. colebant, ipſi indulgentur; donum Hugonis comitis Ruthenenſis excepit, & etiam Bernardi de Anduſia 1184. Decimas de manſo de Somers accepit a Stephano de Benavant 1186. Recenſetur etiam in quibuſdam actis 1189. Nota tamen quod in omnibus chartis prima tantum ipſius nominis littera P. ponitur.

[1] Cæsar Germanos, qui ante Rhenum
in Belgis, Gallos vicerant, ad se accersit.
Ab his cognovit, quæ in Gallia gerantur,
quæque ad bellum apparentur. Quod ubi
comperit, Gallos, quod in se auxilium
Germanis dedissent, supplicio adficere
constituit.

[2] Ubiorum, qui maxime ex Germanis
Rhenum accolunt, legatos ad se venire
jussit. Cum his de reliquorum Germanorum
perfidia agere coepit. Quod si vellent
secum amicitiam bonam colere, obsides
sibi mittere, et quæ sibi ab Ariovisto
imperata essent, facere, se illis auxilium
laturum. Ubii, cum ipsi non magnas
opes haberent, neque ad Suevos, quorum
magna auctoritas esset, satis pares
viderentur, ad Cæsarem legatos mittunt,
quæ imperaret, se facturos, obsides
quæque vellet, daturos, dicunt. Suevi
autem, quæ fama de adventu Cæsaris
perlata esset, legatos ad eum mittunt,
quibus imperet, ne quem omnino Germanorum
obsidem recipiat, neque per se
neque per alios, sese, quo minus in
Ubios arma inferat, non recusare.

[3] Cæsar, cum omnia præterea in
Gallia essent pacata, Germanos, qui
trans Rhenum incolerent, ut supra
demonstravimus, sollicitari, et ad
transducendas in Galliam copias Rhenum
incitari hoc maxime bello intellexit,
quod videret, omnibus fractis, quos
ante commemoravimus, exercitibus,
totam Germaniam ad Rhenum a Suevis
esse coactam. Quibus adjungebantur
Sicambri, qui Lupinum proelio fugatum
receperant, et Usipetes et Tencteri,
quos ipse in Gallia superaverat. Quorum
de adventu cum per nuntios certior
factus esset, neque sibi consilia
inimicorum latere oporteret, frumentum
comportari jubet, pontem in Rhenum
fieri contendit. Ubii, qui ante hæc
tempora fidem publicam secuti, obsides
dederant, accedunt ad eum, et
docent, non temere Suevos exercitum
sine impedimentis ad se adduxisse,
quod ipsis difficilis ad reperiendum
copia frumenti esset, tanto tamen
longius abesse, ut bellum inferre
possit. Hæc esse in potestate, si
Ubios, suos clientes, obsidibus datis
in fide retinere velit, ut omnia
certiora ad se deferantur, quæ trans
Rhenum gerantur. Hæc ut ab amicis
videbantur, ita consulebant. Cæsar
obsidibus acceptis, quo facilius, si
opus esset, auxilium Ubiis ferre posset,
quinque navium spatio a superiore
loco pontem infra instituit, qui
paucis diebus est confectus. Relicto
præsidio Ubiis, ad frumentum
comportandum discedit.

[4] Suevi, ex quibus maximas
copias Ariovistus habebat, ut primum
per Ubios cognitum est, se non
longius abesse, ut bellum inferre
possit. Hæc esse in potestate, si
Ubios, suos clientes, obsidibus datis
in fide retinere velit, ut omnia
certiora ad se deferantur, quæ trans
Rhenum gerantur. Hæc ut ab amicis
videbantur, ita consulebant. Cæsar
obsidibus acceptis, quo facilius, si
opus esset, auxilium Ubiis ferre posset,
quinque navium spatio a superiore
loco pontem infra instituit, qui
paucis diebus est confectus. Relicto
præsidio Ubiis, ad frumentum
comportandum discedit.

[5] Suevi, ex quibus maximas
copias Ariovistus habebat, ut primum
per Ubios cognitum est, se non
longius abesse, ut bellum inferre
possit. Hæc esse in potestate, si
Ubios, suos clientes, obsidibus datis
in fide retinere velit, ut omnia
certiora ad se deferantur, quæ trans
Rhenum gerantur. Hæc ut ab amicis
videbantur, ita consulebant. Cæsar
obsidibus acceptis, quo facilius, si
opus esset, auxilium Ubiis ferre posset,
quinque navium spatio a superiore
loco pontem infra instituit, qui
paucis diebus est confectus. Relicto
præsidio Ubiis, ad frumentum
comportandum discedit.

[6] Suevi, ex quibus maximas
copias Ariovistus habebat, ut primum
per Ubios cognitum est, se non
longius abesse, ut bellum inferre
possit. Hæc esse in potestate, si
Ubios, suos clientes, obsidibus datis
in fide retinere velit, ut omnia
certiora ad se deferantur, quæ trans
Rhenum gerantur. Hæc ut ab amicis
videbantur, ita consulebant. Cæsar
obsidibus acceptis, quo facilius, si
opus esset, auxilium Ubiis ferre posset,
quinque navium spatio a superiore
loco pontem infra instituit, qui
paucis diebus est confectus. Relicto
præsidio Ubiis, ad frumentum
comportandum discedit.

[7] Suevi, ex quibus maximas
copias Ariovistus habebat, ut primum
per Ubios cognitum est, se non
longius abesse, ut bellum inferre
possit. Hæc esse in potestate, si
Ubios, suos clientes, obsidibus datis
in fide retinere velit, ut omnia
certiora ad se deferantur, quæ trans
Rhenum gerantur. Hæc ut ab amicis
videbantur, ita consulebant. Cæsar
obsidibus acceptis, quo facilius, si
opus esset, auxilium Ubiis ferre posset,
quinque navium spatio a superiore
loco pontem infra instituit, qui
paucis diebus est confectus. Relicto
præsidio Ubiis, ad frumentum
comportandum discedit.

[8] Suevi, ex quibus maximas
copias Ariovistus habebat, ut primum
per Ubios cognitum est, se non
longius abesse, ut bellum inferre
possit. Hæc esse in potestate, si
Ubios, suos clientes, obsidibus datis
in fide retinere velit, ut omnia
certiora ad se deferantur, quæ trans
Rhenum gerantur. Hæc ut ab amicis
videbantur, ita consulebant. Cæsar
obsidibus acceptis, quo facilius, si
opus esset, auxilium Ubiis ferre posset,
quinque navium spatio a superiore
loco pontem infra instituit, qui
paucis diebus est confectus. Relicto
præsidio Ubiis, ad frumentum
comportandum discedit.

[9] Suevi, ex quibus maximas
copias Ariovistus habebat, ut primum
per Ubios cognitum est, se non
longius abesse, ut bellum inferre
possit. Hæc esse in potestate, si
Ubios, suos clientes, obsidibus datis
in fide retinere velit, ut omnia
certiora ad se deferantur, quæ trans
Rhenum gerantur. Hæc ut ab amicis
videbantur, ita consulebant. Cæsar
obsidibus acceptis, quo facilius, si
opus esset, auxilium Ubiis ferre posset,
quinque navium spatio a superiore
loco pontem infra instituit, qui
paucis diebus est confectus. Relicto
præsidio Ubiis, ad frumentum
comportandum discedit.

[10] Suevi, ex quibus maximas
copias Ariovistus habebat, ut primum
per Ubios cognitum est, se non
longius abesse, ut bellum inferre
possit. Hæc esse in potestate, si
Ubios, suos clientes, obsidibus datis
in fide retinere velit, ut omnia
certiora ad se deferantur, quæ trans
Rhenum gerantur. Hæc ut ab amicis
videbantur, ita consulebant. Cæsar
obsidibus acceptis, quo facilius, si
opus esset, auxilium Ubiis ferre posset,
quinque navium spatio a superiore
loco pontem infra instituit, qui
paucis diebus est confectus. Relicto
præsidio Ubiis, ad frumentum
comportandum discedit.

hoc est anno 1362. & ei succeſſor datur Rigaldus de Galliaco ; ex Henrico Suarez.

XXIII. Rigaldus ſub quo, anno 1374. Raimundus Grandmon ſe ſuaque monaſterio Bonæ-vallis dicavit.

XXIV. Petrus IV. 1381. permutationem facit cum B. Scaffres magiſtro S. Eulaliæ.

XXV. Deodatus III. 1388. a nobili viro Amblardo Lavaiſſiera domicello domino caſtri de Canthoeneto recipit 40. florenos auri monaſterio ſuo legatos a nobili femina Helena Roſſa relicta nobilis Philippi Lavaiſſiera matre prædicti Amblardi. Exhibet hominium comiti Armaniaci, & Ruthen. die 1. Martis 1391. Litteras protectionis a Bernardo comite Armaniaci & Ruth. accipit 1394. Quo etiam anno cum Guillelmo de Monterodato domino caſtri Mureti in diœceſi Mimat. tranſegit ſuper juriſdictione loci de Bono-albergo, &c. Obtinet a Bernardo comite Armaniaci ac Ruthen. litteras emortui fundi (*amortiſſement*) pro quibuſdam acquiſitis. *Datum anno* 1397. Carolo regi hominium præſtitit 1399. Intuitu beneficiorum a Bernardo Armaniaci comite acceptorum, quatuor pro ipſius animæ felici requie inſtituit annis ſingulis poſt ejus mortem celebranda anniverſaria an. 1400. Guidoni de Severaco pro bonis quæ in terra de Buſenxs poſſidebat hominium præſtitit 1403. quædam bona acquirit 1406. & 1407.

Ex cod. hominiorum comit. Ruth. B

Ex archivo regio in urbe Ruth. C

XXVI. Johannes III. Geraldi, in ſacra pagina magiſter anno 1415. die 12. Aprilis, Bernardo Armaniaci & Ruthenæ comiti fidelitatis juravit obſequium ; ſimile juramentum 1418. Bonæ a Bituria comitiſſæ & Johanni comiti Armaniaci & Ruthenæ comiti ipſius filio præſtitit. Uſum mitræ & annuli ipſi indulſit Martinus papa V. pontificatus ſui anno 7. Ad ſedem apoſtolicam acceſſit anno 1427. Ad eamdem ſedem appellat de ſententia in ipſum ab officiali Ruthenenſi lata 1431. a cujus juriſdictione eum exemtum declarat Eugenius papa IV. 1432. Fuit hic abbas legatus concilii Baſileenſis, cum Aimaro de Ruſſilione canonico Lugdun. ex litteris concilii, quas damus in probationibus. Vide chartam ultimam.

D

p. 55. col. 2.

XXVII. Johannes IV. Roberti fuit, ut conjicimus, æmulus & competitor alterius Johannis; quippe ex tabulis Johannes Roberti abbas electus Bonæ-vallis in Ruthenis adhærens Petro de Luna antipapæ excommunicatur a Geraldo Brie canonico Carcaſſonenſi delegato a ſancta ſede, pro executione bullæ Martini V. Sententia in hunc abbatem lata eſt die 24. Julii anno 1420. In litteris Geraldi Brie ad Amalricum baronem de Severac cognominatur *Brie*, al. *de Regno*, & dicitur canonicus Narbon. Litteræ datæ ſunt 12. Aug. 1420. Verisimile eſt mortuo Johanne Geraldi hunc ſucceſſiſſe. Obiit 4. Febr. an. 1446.

Ex archivo regio urbis Ruth. E

Ibid.

XXVIII. Petrus V. Rigaldi electus 4. Martii 1446. cujus electionem cum irritam declaraſſet Eugenius papa IV. abbatialem tamen ei dignitatem tradidit VII. idus Aprilis 1446. Servitia cameræ apoſtolicæ debita ſolvit 1449.

XXIX. Guido de Caſtello-novo, *al.* de Caſtro-novo (*Caſtelnau*) protonotarius S. ſedis, A abbas commendatarius Bonæ-vallis apud Ruthenos, litteras dat 2. Febr. an. 1474. quibus vicarium ſuum generalem conſtituit Arnaldum de Solatges ſyndicum monaſterii. 1495. a Bertrando de Polinhac epiſcopo Ruthenenſi donationum monaſterio Bonæ-vallis ab epiſcopis Ruthenenſibus factarum confirmationem impetravit ; quo anno miſſam ſingulis diebus ad altare S. Johannis celebrandam fundavit, cum tribus quorannis obitibus. Super quibuſdam juribus tranſigit cum capitulo Ruthenenſi 1507.

Ex tabul. Salvanez.

XXX. Raimundus II. Raynaldi 1531. Henrico Navarræ regi, & Margaritæ comitiſſæ ejus uxori hominium præſtitit.

XXXI. Jacobus de Caſtro-novo S. Pontii Tomeriarum epiſcopus 1553. tranſigit cum Antonio de Montalegre magiſtro Templi de Speleo.

XXXII. G. de Noygue ceſſit, ſed vivebat adhuc 1630.

XXXIII. Stephanus III. Carrier, cujus nomine 1630. Franciſcus Taſſier monachus Bonæ-vallis hominium præſtitit Ludovico de Arpajone marchioni & baroni de Severaco & de Laiſaco, &c.

XXXIV. Aymardus de Freſſinoux obiit an. 1695. cum eſſet profeſſor regius theologiæ in academia Toloſana.

LOCUS-DEI.

LOcus-Dei diœceſis Ruthenenſis filia Dalonarum ordinis Ciſterc. fundatur 12. kal. Aprilis 1123. Ex præcipuis benefactoribus fuit Aldoinus de Pariſio, qui dedit B. M. de Loco-Dei & monachis ibi ſub regula S. Benedicti libere Deo ſervientibus, quidquid poſſidebat in quibuſdam pagis menſe Maio an. 1124. De initiis hujus monaſterii hæc ſelegimus ex multis veteribus inſtrumentis, maxime ex chartulario beneficio clari viri Claudii Fleury, olim abbatis hujus monaſterii, Sereniſſimi ducis Burgundiæ, aliorumque regiorum puerorum ſubpræceptoris nobis commodato. Philippi regis tempore Geraldus quidam *venit in partibus* Aquitaniæ, ubi deſerta requirens, ſeptem fundavit monaſteria in quibus victum & veſtitum ad formam Ciſtercienſium inſtituit, & ſuſceptam a communi monachorum patre Benedicto regulam. Nomina monaſteriorum accipe : Cadunium, Caſtellaris, Dalonium, Abſia, Grandis-Silva, Bornetum, Allodii, cui frater Geraldi dom. P. vir non inferioris ſanctitatis primus abbas præfuit. Pro P. hic legendum G. nam Grimoardus primus abbas B. M. de Allodiis creatus eſt epiſcopus Pictavienſis an. circiter 1141. ut videre eſt in epiſcopis Pictavienſibus. Omiſſis autem quæ ad alia monaſteria ſpectant, de Dalonenſis fundatione hæc leguntur in tabulis.

pag. 886.

Domnus Geraldus de Sala, an. Dom. incarnat. MCXVII. Philippo [a] rege Francorum, Euſtorgio pontifice Lemovicenſium, vicecomite ejuſdem provinciæ Ademaro, accepit a nobilibus viris Geral & Golferio de Turribus, jus ad conſtruendum cœnobium, antiquo vocabu-

[a] Nomen Philippi regis mendoſe interpſu hic & infra.

lo *Dalonem* nominatum. Paulopoſt Geraldus moritur apud Caſtellarem. Dalonenſes vero poſt ejus obitum monaſticam profeſſionem, qua nondum alligabantur amplexi ſunt, & abbatem elegerunt Rotgerium, qui volens amplificare gregem, ſuos miſit in Ruthenorum provinciam. Ibi invento loco ſolis latronibus apto, & multis homicidiis infami, impetrarunt a viro nobili nomine Alduino, licentiam conſtruendi monaſterium, cum juſſione Ruthenenſis epiſcopi, quod *Locus-Dei* eſt appellatum, cum prius eſſet locus diaboli. Inchoarum eſt monaſterium an. incarnationis D. MCXXIV. indictione VIII. epacta XIII. concurrente IV. & luna 30. die natali Auguſtini confeſſoris, & Juliani martyris, Philippo rege Francorum, Honorio ſummo pontifice, Ademaro præſule Ruthenenſi, Richardo & filio ejus Ugone principatum hujus provinciæ tenentibus.

SERIES ABBATUM.

I. Abbas Loci-Dei electus eſt III. id. Novembris die Dominica in die S. Martini dominus Willelmus anno 1134. qui obiit VIII. id. Junii die Dominica an. 1144. Huic abbati multa contulerunt Stephanus de Podio-longo, Raimundus de Seveiraco, Frotardus de Bello-Caſtello, Robertus de Caſtello-marino, Guillelmus Bonafos, &c.

II. D. Amelius electus V. id. Julii die Dominica anno 1144. dicitur ſecundus abbas in donatione Raimundi Oalrici de Pariſio cedentis quidquid erat ſui juris in vico de Grez an. 1146. eccleſiæ Loci-Dei fundamenta jecit V. id. Junii an. 1159. die Dominica. Eodem vero an. tranſlatus eſt ad abbatiam Dalonis.

III. Hoc ipſo anno ſucceſſit D. Willelmus II. della Caſſania, qui anno 1162. tranſiit ad abbatiam Fulgenſis * IV. Kal. Septembris.

IV. Arnaldus dicitur quartus abbas in inſtrumento donationis factæ a Raimundo de S. Grato VIII. id. Aprilis fer. V. 1162. Tempore quo regebat abbatiam, D. Amelius abbas Dalonis & ceteri abbates qui ab eo pendebant ob fervorem ordinis, tradiderunt ſe ordini Ciſtercienſi & domui Pontiniacenſi.

V. Stephanus I. an. 1169. IV. non. Auguſti ad regimen vocatur. Anno 1172. Raimundum de S. Grato beneficum experitur, ut ex inſtrumento donationis ab ipſo factæ liquet. Idem abbas occurrit in charta anno 1173. Dimiſſa vero abbatia an. 1175. IV. Kal. Decembris.

VI. Willelmus III. della Caſſania ipſo die ſucceſſor datus, qui jam abbas fuerat. At poſt annum & fere dimidium rurſus dignitati renuntiavit. Ceſſavit autem abbatia fere per menſes VI.

VII. Arbert[us] m[onachus] ipſius domus (hoc eſt Arbertus monachus) an. 1177. Kal. Decembris accepit abbatiam ære alieno prægravatam. Hic a Dalonenſi domo eam ſeparavit, domuique Pontiniacenſi per annum conjunxit. Cum autem Pontiniacenſes eam viderent pene deſtructam, arbitrarenturque ſibi impoſſibile fore eam reparare, abbas egit ut domui Bonevallenſi ſubjiceretur, conſentientibus Adomare* viro venerabili, primo abbate Bonevallenſi, & Guillelmo ejus ſucceſſore; a quo Aribertus accepit XX. millia ſolidorum. Rexit fere per annos 4. dimiſit abbatiam anno 4. * al. Admao.

VIII. Petrus I. prior domus, & Ariberti cooperator creatur abbas IV. Kal. Decembris an. 1181. Dicitur migraſſe ad Chriſtum III. id. Jun. an. MCLXXXXIX. poſt laudabilem adminiſtrationem. Verum qui ſequitur,

IX. Guillelmus IV. abbas Loci-Dei, ſedebat menſe Julio 1191. Vide Aimericum abbatem Candelii. *Ex tab. Belbon.*

X. Guillelmus V. vir omni præconio dignus abbatiam regendam ſuſcepit XII. Kal. Auguſti anno 1199. eamque XII. kal. Auguſti an. 1213. ceſſit ſequenti.

XI. Bernardus I. ipſius domus monachus ſedit uſque ad annum 1235. quo anno III. idus Martii feliciter migravit e ſeculo; ceſſaviteque ablatialis dignitas fere per menſes tres.

XII. Johannes I. prior ipſius domus abbas factus idibus Junii anno 1235. numerum monachorum duplicavit, Deoque flagrantiſſimo zelo ſervivit. Migravit e vita XIV. kal. Novembris an. 1248.

XIII. Petrus II. Moyco ex alumno domus electus eſt in abbatem IV. idus Novembris ejuſdem anni; at poſt annum cum dimidio dimiſit abbatiam.

XIV. Guido I. prior, ex ceſſione Petri ſuſcepit abbatiam regendam IV. id. Maii an. 1249. uterque obiit eodem anno.

XV. Johannes II. de quo interpretor quæ in actis capituli generalis ordinis Ciſterc. anno 1259. lego, fratrem Johannem quondam Loci-Dei abbatem adminiſtrationis ſuæ tempore hæretico cuidam condemnato communicare præſumſiſſe; ejuſdem conſilio carnes prohibitis locis & temporibus pluries comediſſe; imaginem glorioſæ Virginis quibus ornata fuerat ſpoliaſſe; quibus de cauſis a regimine amotus, addicitur pœnitentiæ, ita ut de abbatia non exeat quacumque de cauſa, niſi cum aliis ad laborem. Hæc cenſeo pertinere ad aliquem abbatem Loci-Dei Ruthenenſis, non vero Pontivenſis, quod in Ruthenis tunc hæretici Albigenſes graſſarentur, non in Pontivo.

XVI. Bernardus II. prior unanimi conſenſu electus III. Kal. Februarii anno 1260. ſumma cum laude rexit monaſterium. Mortuus menſe Aug. an. 1269.

XVII. Bernardus III. monaſterii monachus ac Bernardi II. nepos, abbas factus III. non. Septembris, poſt laudabilem adminiſtrationem migravit ad Dominum III. non. Septembris an. 1281.

XVIII. Eodem an. V. id. Septembris Guillelmus VI. prior, electus eſt, obiitque pridie kal. Octobris, anno 1301.

XIX. Helias prior ei ſucceſſit, nemine renuente, laudabiliterque rexit uſque ad mortem quæ contigit an. 1320. III. id. Aug.

XX. Eodem anno pridie nonas Septembris electus eſt Bernardus IV. Saumade dictus, monaſterii ſyndicus. Obiit VII. Kal. Oct. an. 1324.

* Forte legendum *Fulienſem*, quæ a Loco-Dei pendet. Tertius abbas Fulu fuit Willelmus.

XXI. Hoc anno Pontius Guillelmus I. prior, A vocatus ad abbatiam, eam rexit uſque ad Kal. Junii anno 1357. quo die ipſam dimiſit capitulo.

XXII. Durandus I. de Pradis, antea ſacriſta fit abbas, & poſt optimam adminiſtrationem occubuit Kal. Maii anno 1371.

XXIII. Idibus Junii ſeq. in abbatem electus eſt omnium conſenſu Johannes III. qui multa domui contulit beneficia. Rexit per annos 7. & aliquot menſes. Henricus Suarez docet Durandum e vivis exceſſiſſe an. VIII. Urbani papæ V. quo ei ſucceſſit Johannes Genſols.

XXIV. Raimundus I. Saumade ſacriſta, ſucceſſit defuncto Johanni die 3. Auguſti anno 1378. ceſſit abbatiam capitulo poſt annos 12.

XXV. Geraldus-Vincentius prior, electus fuit III. kal. Novembris anno 1391. qui munere recte defunctus, migravit e vita pridie kal. Decembris anno 1407. Vacavit abbatia per duos annos, quo tempore communitas cunctis proventibus potita eſt.

XXVI. Ramundus Amelius I. prior meritiſſimus, an. 1409. die 23. Decembris capitulariter electus eſt, ac non minus virtute quam genere illuſtrem ſe præſtitit in monaſterii regimine. Ejus tempore Angli monaſterium vaſtaverunt, cujus deprædationis proceſſus verbalis, *Ch. XVII. Nº. col. 2.* quem habes in inſtrumentis, docet paulo poſt C Raimundum abbatem mortuum eſſe, & abbatiam in qua ſupererant 13. monachi tunc vacaſſe, hoc eſt ante diem 4. Octobris anni 1411. quo tempore factus eſt hic proceſſus verbalis. Lego in ſchedis C. V. Claud. Fleury, Raimundum ceſſiſſe nepoti ſuo qui ſequitur.

XXVII. Ramundus Amelius II. abbatis munere rite perfunctus, occubuit feliciter IV. id. Febr. anno 1428.

XXVIII. Durandus II. de Pradis prior, electus tertia die Aprilis an. 1428. moritur menſe Febr. an. 1434.

XXIX. Deodatus de Firminiaco loci de Conchis vir nobilis, monachus ejuſdem domus ſucceſſit Durando die 12. poſt ejus obitum; & tam in ædificiis conſtruendis quam in reparandis grangiis multa præſtitit beneficia. Abbatiam reſignavit ſequenti. D

XXX. Stephanus II. Rebairoli, prior & ſyndicus ex ceſſione Deodati abbas factus V. id. Martii an. 1446. plus contulit conventui quam ceteri prædeceſſores. Vita ceſſit IV. id. Aprilis an. 1454.

XXXI. Pontius Guillelmus II. ſacriſta, electus hoc anno laudabiliter rexit, & fato functus eſt III. kal. Maii anno 1464. E

XXXII. Durandus III. de Nadaſe prior duobus annis gubernavit.

XXXIII. Johannes IV. Boiſſet ex cantore creatus eſt abbas 1466. Obiit nonas Julii an. 1468.

XXXIV. Stephanus III. de Firminiaco electus kal. Octob. hujus anni, ceſſit abbatiam nepoti ſuo IV. Kal. Aug. an. 1480. vitamque produxit uſque ad annum 1498. Sepultus eſt in medio capituli, juxta ſedem abbatis.

XXXV Ramundus II. de Firminiaco poſt annos 19. optimæ gubernationis obdormivit in Domino 6. Decembris an. 1499.

XXXVI. Guillelmus VII. prior, creatur IV. id. Febr. an. 1500. ad ſummam domus utilitatem, obiit plenus dierum & virtutum pridie nonas Martii an. 1511.

XXXVII. Petrus III. ſyndicus domus, a 15. Aprilis anni præfati, uſque ad kal. Maii anno 1523.

XXXVIII. Antonius de Boulonſac monachus domus, vir nobilis, eodem anno factus abbas, poſt annos quindecim abbatiam ceſſit ſequenti ſub beneplacito ſummi pontificis, & obiit anno 1542.

XXXIX. Stephanus IV. de Boulonſac in ædificio domus perficiendo magnam proventuum B partem conſumſit. Feliciter occubuit 14. Aug. 1557.

XL. Eodem anno IV. id. Novembris primus abbas commendatarius a rege Chriſtianiſſimo creatus fuit Johannes V. de Lætis (*de Lettes*) epiſcopus Biterrenſis & Montalbanenſis, jam plurimis aliis abbatiis gaudens, qui calviniana infectus hæreſi, venditis beneficiis præter abbatiam Loci-Dei, & epiſcopatum Montis-albani, nobili puella in uxorem ducta, cum ſummo argenti ac auri pondere Genevam ſe contulit, ibique baroniam d'Aubonne comparavit.

XLI. An. 1571. Jacobus I. de Prez de Monpezat nepos ſupradicti, donatus eſt abbatia; tandemque a propriis domeſticis proditorie occiſus eſt anno 1590. Dicitur tamen occiſus ab hæreticis, quibuſcum bellum atrox gerebat, ſui epiſcopatus Montalbanenſis præcipue bona repetens; at ſuorum familiarium proditione.

XLII. Petrus IV. Laclede preſbyter Arvernus per decem annos abbas fuit. Mortuus circa initium anni 1601.

XLIII. Petrus V. Labrune Arvernus preſbyter, per duos menſes.

XLIV. Guido II. a Porta preſbyter & canonicus Claromontanus an. 1602. factus abbas. An. D 1604. obiit.

XLV. Eodem an. nobilis Jacobus II. de Peſtels abbatia potitus, poſt tres menſes moritur. Porro ſub his quatuor abbatibus Petro Laclede, Petro Labrune, Guidone a Porta, & Jacobo de Peſtels, mater ejuſdem Jacobi Johanna de Levi comitiſſa de Caylus, proventus abbatiæ in integrum perceperat. Hæc autem an. 1619. legavit ad obitum baroniam S. Georgii de Salvaniac in diœceſi Cadurcenſi, juxta Podi-rupium.

XLVI. Johannes VI. de Levi frater ſupradictæ comitiſſæ, primus eleemoſynarius reginæ Margaritæ Valeſiæ anno 1605. abbatiam obtinuit, & habitu monachali ſuſcepto abbas regularis factus monaſterium in ſtatum priſtinum reſtituit. Abbatiam ceſſit Gabrieli de Tubieres pronepoti, obiitque 30. Maii an. 1643.

XLVII. Gabriel de Tubieres de Caylus an. 1623 poſſeſſionem adiit, obiitque Pariſiis in ſeminario ſancti Sulpitii menſe Martio anno 1677.

XLVIII. Franciſcus de Fontanges de Maumont hoc anno ex regiis litteris deſignatus, vivere deſiit 16. Aug. anno 1684.

XLIX. Claudius Fleury preſbyter Pariſienſis, regiorum liberorum ſubpræceptor eodem anno die 1. Septembris nominatus, abbatiam ceſſit

anno 1706. Vir eruditione quam teſtantur tot eximia volumina, ac pietate conſpicuus; nunc eſt prior Argentolii prope Pariſios.

L. N. de Remond de Pomerol, menſe Aug. anno 1706. a rege deſignatur.

Bellus-Locus.

Hæc abbatia ordinis Ciſtercienſis filia Clarævallis, condita dicitur anno 1141. *al.* 1144. die 26. Auguſti; ſed Vivianus epiſcopus Ruthenenſis, velut novus fundator exſtitit, unicus huic cœnobio quatuor eccleſias, ſcilicet S. Johannis-Baptiſtæ de Giralh, S. Petri de Lezac, S. Petri de Cornuſſo, S. Petri Baia, ut legitur in veteri charta beneficiorum diœceſis. Nunc unita eſt abbatia epiſcopatui Ruthenenſi. Paucos hujus loci abbates e tenebris eruere licuit.

Abbatum catalogus.

I. Philippus ſedit anno 1210. quo Hugo Ruthenenſis epiſcopus ei dedit eccleſiam de Solaſque menſe Aug. feria VI. Vide in Hugone epiſcopo Ruthenenſi.

II. P. Belli-loci in diœceſi Ruthenenſi abbas ſigillum apponit litteris Raimundi Marcilliaci abbatis pro parthenone Luminis-Dei 1233. Forte idem eſt ac Philippus.

III. Bego filius Radulfi de Scorralia abbas *de Bellæ* legitur an. 1254.

IV. Bernardus, qui, ut docet Henricus Suarez, cedit ſequenti, anno V. Johannis papæ XXII. hoc eſt 1320.

V. Guillelmus monachus Grandis-ſylvæ tranſcripſit abbatiam anno XI. Johannis XXII.

VI. Geraldus Carelli monachus Grandis-ſilvæ anno IX. Innocentii factus eſt abbas Bellæ-perticæ.

VII. Arnaldus Fabri monachus ejuſdem monaſterii, ſcilicet Belli-loci. Alibi aliter diſponit ſeriem illorum abbatum Henricus Suarez; nam Bernardo ſufficit Arnaldum, Arnaldo Guillelmum, quem dicit obiiſſe anno IX. Innocentii papæ VI. ſeu Chriſti 1359. quo ſucceſſorem habuit Arnaldum Fabri.

VIII. Stephanus abbas Belli-loci diœceſis Ruthenenſis præſtat homagium Bernardo comiti Armaniaci & Ruthenenſi pro grangia & loco munito de Boiſgarel, villis, agris, &c. die 24. Septembris, & 3. Octobris 1407. *Ex libro homagiorum comitatus Ruthen.*

IX. Durandus 1430. promulgat Martini V. bullam de reductione canonicorum S. Anthonini a numero quindeno ad duodenum.

Parthenon S. Saturnini.

Quo tempore conditum ſit hoc cœnobium, ordinis S. Benedicti in urbe Ruthen. & a quibus, nos latet; verum abbatiſſarum ſeriem ſatis amplam variis ex tabulis collegimus.

I. Kariſſima coram Raimundo comite tranſigit cum Segurio, Alidulfo & Hictario, anno primo regnante Ludovico rege poſt obitum Caroli imperatoris. Hunc Ludovicum interpretor Balbum, qui poſt Carolum Calvum imperatorem regnavit. *Ex chart. eccleſ. Vabrenſis.*

II. Agnes præerat 1172. quo anno XVIII. cal. Julii Hugo Ruthenenſis antiſtes parthenoni S. Saturnini in manu Agnetis abbatiſſæ eccleſiam S. Juliani d'Agent conceſſit & tradidit. In nonnullis chartis appellatur *Agna*, vel *Anna*.

III. Fizal abbatiſſa monaſterii Ruthenenſis donationi factæ a parentibus domui Bonæ-cumbæ conſenſit an. 1197. *Ex tab. Bonæ-cumbæ.*

IV. Sibilla abbatiſſa, cui 1239. Hugo Ruthenenſis comes alodium in villa de Centres donavit menſe Aprili. Cum eâ Durantus epiſcopus Albienſis tranſigit ſuper nonnullis decimis viturlorum, &c. parochiæ de Trevas.

V. Naſlora (*Naſlours*) an. 1246. excipit hominium Heliæ de Panat, pro villis de Baſolas, d'Angles, &c. menſe Martio, ubi cognominatur de Laugnac.

VI. Jauzionda abbatiſſa 1263. tranſigit cum capitulo Ruthenenſi ſuper quibuſdam decimis lanæ, caſeorum, &c. Eodem anno memoratur in tranſactione inter Gallardum Salvanefii abbatem & Florem prioriſſam de Beſolhs. Donum Begonis de Calo-monte domicelli, cujus Aicelinam filiam in monacham admiſerat, excepit 1266. Cum Ruthenenſi epiſcopo, per ejus procuratorem Arnaldum archidiaconum permutationem facit 1267. Eodem anno paciſcitur cum Pontio Aſtoaudi & Odone de Montoneria clericis Alfonſi comitis Pictav. & Toloſ. ſabbato poſt Natale Domini 1267. Cum conventu de Alto-braco tranſigit 1268. Cum Rugone de Landorra domino caſtri de Solomedio tranſigit 1278. & cum B. Albienſi epiſcopo 1283. ſuper eccleſia S. Saturnini de Caſtro-Garric. VI. idus Junii. *Ex tabul. PP. Suc. I. Toloſ.* *Ex tab. epiſcopatus Alb.*

VII. Helis 1306. die Martis poſt Aſſumtionem tranſigit cum Berengario de Arpajone domicello domino caſtri de Calo-monte, de Plantargio, ſuper juriſdictione in quibuſdam villis, & anno 1319. cum monialibus ſuper officiorum collatione, nominatione ad ſacerdotia, &c. die Mercurii poſt feſtum S. Petri.

VIII. Raimunda abbatiſſa S. Saturnini agit de quodam excambio cum Johanne comite Armaniaci & Ruthenorum an. 1381. Vide in Henrico Ruthen. epiſcopo.

IX. Ademara anno VI. Clementis papæ VII. hoc eſt 1383. a ſententia excommunicationis abſolvitur, quam ob ſimoniacam monacharum receptionem incurrerat. Sane notatu maxime dignum videtur inter inſtrumenta hujus abbatiæ exſtare litteras legati Avenionenſis ad epiſcopum Ruthenenſem, cui jubet ut ab excommunicatione abſolvat quaſdam moniales S. Saturnini, quæ ob receptionem monialium pecuniam aut jocalia conſentiente abbatiſſa acceperant, qua de cauſa Urbanus papa V. eas excommunicationis vinculis innodarat.

X. Helipdis de Caſtro-novo abbatiſſa S. Saturnini prope Ruthenos de vita, moribus, & miraculis Braymeræ filiæ Berengarii d'Auzis ſarcinatoris, & Alicis Beulaigua incolarum Ruthen. teſtificatur, quæ pia virgo aliquandiu in dicto monaſterio converſata fuerat 8. Febr. 1484. *Ibid.*

XI. Anna de Caſtelnau abbatiſſa S. Saturnini Ruthenen. ac prioriſſa Belli-loci nobilium virginum ordinis S. Johannis Jeroſolym. nunc Melitenſis, præerat an. 1528. quo condidit teſtamentum.

Digitized by Google

XII. Catharina de Roquelaure filia Antonii Franciæ mareſcalli abbatiſſa Ruthenenſis, obiit Pariſiis in uno parthenonum Lutetiæ, ſub titulo Calvarii inſtitutorum ſeculo proxime elapſo.

Du Fourny Mareſch. de France.

XIII. Johanna-Franciſca de Noaill.s, ſoror Annæ ducis de Noailles, præfecti primæ cohortis prætorianæ, ſeu regiorum ſtipatorum & excubitorum, erat non ita pridem abbatiſſa hujus monaſterii.

F. Maria de Arpajone.

HOc monaſterium quod eſt ordinis ſancti Benedicti feminarum, an 1298. fundatum legitur *ab Hugone de Arpajone* milite, cujus tamen litteræ pro hac fundatione datæ ſunt apud Cardalhacum die Mercurii poſt feſtum S. Johannis ante Portam Latinam anno 1297. Sed non ſtatum ejus conſilium de fundatione hac impletum eſt, & anno ſequenti per ſui teſtamenti codicillos donationem priorem ampliavit. Litteras fundationis hic exhibemus.

Inſtrumentum fundationis B. Mariæ de Arpajonia prope urbem de Amiliano *, diœceſis Ruthenenſis.

* Milhau.

Ex archiv. epiſcopat.

*AD honorem & gloriam ſummæ & individuæ Trinitatis, & gloriosæ virginis matris Dei, & confeſſoris SS. Benedicti, & omnium Sanctorum, ac C. . . . . præſidente patre ſanctiſſimo domino Bonifacio divina providentia univerſalis eccleſiæ VIII. ſummo pontifice, & domino R. Dei gratia epiſcopo Ruthen. regnanteque domino Philippo eadem gratia Francorum rege; univerſis & ſingulis, præſentibus & poſteris hoc inſtrumentum publicum inſpecturis, fiat ejus ſerie manifeſtum, quod nobilis vir dominus Hugo de Arpajone miles, dioceſis Ruthenenſis, in montem Domini levans oculos, unde veniat auxilium ſibi, diem meſſionis extremæ cupiens operibus miſericordiæ prævenire, æternorum intuitu . . . . . ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere poſſit in cœlis, & per bona opera * ſic tranſire quod non admittat * æterna. Quod nullatenus efficacius & dignius efficere credit quam fundando & dotando loca religioſa & pia ad exaltationem cultus divini nominis, & operum miſericordiæ complementum, & vitam æternam vivis & defunctis fidelibus obtinendam. Ad hæc igitur dictus miles ſana mentis dictus conſilio, & ſinceræ devotionis affectu, juris & facti plena deliberatione prahabita, ordinavit & ſtatuit irrevocabiliter inter vivos, & omnibus vi . . . . metu ac dolo ſemotis, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, & ex ſua grata & ſpontanea voluntate & diſpoſitione decrevit fundande ſeu fundare volendo, & ædificare ac dotare; remittendo novam monialium religionis domum, pro redemptione & ſalute anima ſua, & animarum parentum ſuorum, & majorum, ac poſterorum, & omnium defunctorum fidelium, & viverum; quod in ſolo territorio prædicti militis per ipſum ad hoc ſpecialiter acquiſito, ſito juxta, ſeu prope villam Amilliani diœceſis Ruthenenſis, in quo fuit olim domus, oratorium Fratrum Minorum de Amiliano, fundetur per ipſum militem realiter & dotetur, ac fundavit, ſeu fundare ac dotare voluit & promiſit ac decrevit; quod ſic perpetuo ibi conſiſtat domus religioſa monialium ſub regula & habitu & ordine almi confeſſoris BB. Benedicti cum eccleſia & clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis & debitis officinis, & cum collegio ſeu conventu decem monialium, vel etiam numeri ampliceris, ſi domus eadem ad ſuſtinendum majorem numerum bonis ejus & facultatibus ſuccreſcentibus per Dei miſeritordiam in poſterum proſperet; per cujus collegii ſeu conventus electionem canonicam in domo prædicta majoriſſa creabitur ſeu prælata in diebus ſeu temporibus oportunis, neceſſitate urgente, confirmanda jure ordinaria poteſtatis, per R. in Ch. patrem D. epiſcopum Ruthen. qui nunc eſt & ſucceſſores ſuos qui pro tempore fuerint, vel etiam infirmanda ſi de jure & de ratione fuerit . . . . ſubjectio enim debita ac correctio dicta domus tam in capite quam in membris, ad dictum D. epiſcopum & ſucceſſores ipſius ut ordinarios, pro ut de jure eſt, & fuit perpetuo, obtinebit, ſalvis tamen jure & juriſdictione, quod & quam abbatiſſa ſeu prælata debet in ſubjectas habere. Rurſus præfatus dominus Hugo de Arpajone, ut patronus dictæ domus, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, & voluntariis, quibuſcumque ſpecialiter & expreſſe ſtatim & ſine omni intervallo retinuit, & eſſe voluit in præmiſſis, ac dixit, ſibi & ſuis ſucceſſoribus eſſe ſalva, videlicet jus patronatus, honorem, reverentiam, & emolumentum, & ad Deum preces & orationes devotas, & jus ibi præſentandi prælatam, quod de jure poteſt & poterit ac debebit competere patrono laico ex præmiſſis, vel perſonæ eccleſiaſtica, ſi forte ad perſonam eccleſiaſticam dictum jus patronatus in poſterum deveniret; vel ſi forte dicta domus aliquando ad ſtatum clericorum ſecularium, ſive collegii verteretur, & omnia alia univerſa & ſingula patronatus jura quæ debent in rebus & locis eccleſiaſticis competere, de jure patroni. Hoc acto etiam in prædictis ſpecialiter & expreſſis quod ſi eidem militi, ſeu ſucceſſoribus ejus plures heredes ab inteſtato ſucceſſerint, ad majorem natu illorum heredum ſolummodo & in ſolidum, dictum jus patronatus perveniat, & nullo modo tum ad alium, vel alios valeat pervenire. Retinuit etiam dictus miles ſibi & ſuis ſucceſſoribus in præmiſſis quod ipſe, poſt ejus obitum ſucceſſores, ſive ille vel illi de ipſis ad quem, vel ad quos dictum jus patronatus pervenerit in futurum, poſſint & debeant, ſi voluerint eligere & præſentare quinque dominas velpuellas, majoriſſæ ſeu prælatæ dictæ domus, per ipſam recipiendas, ad dictam religionem in domo prædicta; & eis vel earum aliqua decedentibus, vel dictam religionem & domum deſerentibus, alias loco ipſarum decedentium vel deſerentium; & ſic deinceps prædicto modo ſubſtituere ad præmiſſa omni tempore, & in perpetuum ſucceſſive: ita quod de hujuſmodi præſentationis per dictum militem, ſeu ipſius ſucceſſores ſi eis placuerit & per ipſam majoriſſam in dicta domo recipienda quinque ſint in dicta domo perpetuo moniales, quas dicta majoriſſa, ſi ſint idoneæ, recipere teneatur in dictam religionem & domum omnimode (ſi tamen SS. pater ſummus pontifex præſentem articulum approbare voluerit & dignetur.) Item fuit actum in præmiſſis, quod poſtquam ſummus pontifex approbaverit articulum ſupra proximo contentum, dictus miles & ſucceſſores ejuſdem dotent & dotare teneantur ſufficienter dictam

* f. temporalia.
* f. amittat.

domum. Fuit actum etiam in pramissis quod dictus miles, & qui sibi in posterum in dicto patronatu succedent, presentent & presentare possint presbyterum qui celebret & divina conficiat & ministret in dicto loco dominabus qua ibidem domino servient in futurum & famulis earumdem. Retinuit etiam dictus miles sibi & suis successoribus in pramissis, in signum & probationem juris patronatus, unum denarium aureum marrobothinum totiens patrono dicta domus solvendum quotiens patronus vel pralata mutabitur. Ibidem promisit quoque idem miles solemni stipulatione interposita pro se & successoribus suis prafato domino episcopo presenti & recipienti pro se & successoribus suis, & episcopatu & ecclesia Ruthenensi, & loco, seu domo predicta & personis presidentibus eidem domui & religioni cum dedicata fuerit, predicta omnia & singula complere & tenere, & perpetuo observare, & in contrarium nunquam facere, seu venire, nec feciss e, seu procurasse aliqua ex quibus seu propter qua ea possent seu possint annullari in posterum seu infringi, & dolum malum abesse, & bonam fidem adesse; renuntiansque & super pramissis idem miles jam dictus pramissa aut aliquod pramissorum propter ingratitudinem revocari, & omni alii juri divino & humano, canonico & civili, & omni primitus concesso vel concedendo, & omni usui & consuetudini generali & speciali, per qua impugnari possent pramissa aut aliqua pramissorum; rursus igitur dictus dominus episcopus pro se & suis successoribus & episcopis & ecclesia Ruthenensi, & loco seu domo predicta, & personis presidentibus eidem domus & religioni cum dedicata fuerit, seu fundata, predicta omnia recipiens & acceptans auctoritate episcopali & ordinaria eadem omnia & singula approbavit, & in perpetuum rata & firma haberi voluit & decrevit, & ex certa scientia confirmavit, donavit & concessit dicta domui & religioni & personis qua in ea in posterum presidebunt, & qua irregulari habitu morabuntur, seu Domino famulabuntur, ibidem cimiterium & oratorium qua nunc sunt in loco predicto, & quod possint ibidem ecclesiam & capellam construere, & altaria erigere, & locum religiosum construere, absque tamen ejusdem domini episcopi & dicta ecclesia Ruthen. prajudicio & alterius ecclesia cujuscunque. Acta fuerunt hac apud Cardalhacum de prope Ruthenam die Mercurii post festum S. Johannis ante Portam Latinam an. Dom. MCCLXXXXVII. *indict.* X. *in presentia & testimonio venerabilium virorum domini Petri de Scorali archidiaconi Ruthenensis, & domini Joannis Labacalaria officialis Ruthenensis, & domini Berengarii de Arpajone, domini Pilifortis, domini Alacherti de Petrafarti canonicorum Ruthen. domini Bernardi de Solnizco, domini B. Conort, domini B. de Trinitate, domini Gauberti del Castagnier presbyterorum, magistri Rigaldi Morelli, magistri Guillelmi .... jurisperitorum, Hugonis Azemari clerici, & mei Guicherni de Podio publici notarii civitatis & episcopatus Ruthenensis, qui predictis omnibus & singulis interfui, & rogatus hoc scripsi, & in presentem formam redegi, & signavi solito meo signo, & collaturam feci supra in verbis.*

His ex litteris discimus locum ubi parthenon hic fundatus est, prius fuisse oratorium ac coenobium [a] Fratrum Minorum prope Amilianum. Quæ urbs ejurata fide catholica, hæresi Calvinianæ se subdidit, unde monasteriorum clades & eversio maxime dicti parthenonis secuta est; nec mirum si nulla aut pauca sint super ejus vetera monumenta. Ecclesia fuit consecrata die Dominica post Pentecosten anno 1305. ab episcopo Ruthenensi, petente *Berengario de Arpajone*, Hugonis filio; simulque octo moniales ejusdem cœnobii, Deo ab eodem præsule sunt dicatæ; ut palam fit ex litteris Hugonis de Bories notarii publici apud Ruthenam.

Seriem abbatissarum texuimus variis ex chartis quæ in manus nostras inciderunt.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Aiglina abbatissa anno 1305. recipit in monialem Agnetem filiam Pontii de Monte-rotundo.

II. Saurina abbatiam regente Guillelmus de Creissel dominus de sancto Genesio obtulit filiam suam ad professionem monasticam, quæ admissa est, litteris ea de re datis per Monaosco notarium Amiliani an. 1307.

III. Aiglina II. forte eadem, quæ supra, sedebat annis 1314. 1316. 1323. quo die 16. Februarii comparavit quædam apud Amilianum, ut nos docet instrumentum factum a Vitali ejusdem urbis notario.

IV. Marsibilia quædam alia emit in eadem urbe die x. Martii anno 1341. ex instrumento Guillelmi Creissel notarii.

V. Alasaisia Guiraudona anno 1377.

VI. Heraclia (*Heraille*) de Senaret solvit Carolo regi debitum pensum pro emortuo fundo, ut docent litteræ patentes ejusdem regis, annis 1389. 96. 99.

VII. Alix Guiraudona acquirit agrum in parochia de Tournemire, confirmante & approbante Hugone de Arpajone vicecomite de Lautreco, die 6. Augusti anno 1434.

VIII. Delphina de Rocoletis præerat jam anno 1458. & 1461. anno tamen 1470. pro dignitate abbatiali cum ea contendit Catharina de Castrac, sed irrito conatu; nam Delphinam in sede perseverasse demonstrat emtio vineæ cujusdam ab ea facta in territorio Amilianensi, ex instrumento emtionis dato 28. Februarii an. 1480. Obiit 29. Decembris anno 1484.

IX. Johanna de Cardaillac possessionem adiit anno 1484. ex actis publicis die 29. Decembris. Resignavit in gratiam sequentis.

X. Isabella d'Anglars neptis Johannæ, per ejus resignationem die 25. Julii 1498. in possessionem est admissa. Interim moniales elegerunt eodem anno & die Ludovicam d'Arpajon, quæ obtinuit a Julio papa abbatiam de Olivis prope Narbonam, in commendam bullis datis an. 1508. Sed mortua Isabella de Anglaribus

XI. Ludovica d'Arpajon confirmatur in abbatissam de Arpajone a Francisco de Stanno episcopo Ruthenensi 31. Octobris an. 1525. Anno vero 1529. die 10. Aug. cessit in gratiam Annæ

[a] Hoc cœnobium prius erat conditum pro monialibus ordinis Fratrum Minorum. Vide in Rumentio de Calo-monte Ruthenensi episcopo. Ut fieret parthenon ordinis sancti Benedicti Hugo de Arpajone multa adjecit primæ fundationi factæ ab Henrico Ruthenensi comite.

d'Arpajon

d'Arpajon, quam ceſſionem ſummus pontifex A admiſit die 3. Februarii.

XII. Anna d'Arpajon poſſedit ſimul abbatiam de Olivis per diſpenſationem quam a ſancta ſede obtinuit anno 1537. Hanc abbatiſſam Franciſcus rex commendavit cardinalibus de Armaniaco & de Tremolia ſuis legatis ad ſanctam ſedem, litteris datis die 12. Aprilis 1546.

XIII. Ludovica de S. Suplice anno 1564.

XIV. N. Hebrard de S. Suplice quædam acquiſivit anno 1573. die 13. Junii apud Caſtrumnovum (*Caſtel-nau*). Anno 1590. reſtituitur ei poſſeſſio bonorum quæ Calviniſtæ uſurparant.

XV. Ludovica de Montal adepta eſt poſſeſſionem die 25. Februarii anno 1601. quo tempore moniales propter bella confugerant in caſtrum epiſcopi Ruthenenſis dictum *les Salles de Curans*. B

XVI. Johanna de Calmont miſſa eſt in poſſeſſionem anno 1606. die 16. Octobris, in ipſis ruinis parthenonis; at abdicavit 13. Novembris anno 1618.

XVII. Aldontia d'Arpajon deſignata abbatiſſa acceſſit ad poſſeſſionem abbatiæ in ſuis ruinis ſepultæ die 12. Auguſti anno 1619. Sed eam reſtauravit ut in temporalibus, ita in ſpiritualibus; ædificavit enim eccleſiam, ædes & integrum monaſterium; chartas pleraſque & ablata bona recuperavit, ut jure dici poſſit altera fundatrix. Vitam clauſit 16. Novemb. 1673.

XVIII. Maria-Angelica de Simiane de Monſcha monialis S. Columbæ Viennenſis, per nominationem Ludovici ducis d'Arpajon, factam die 2. Decembris anno 1673. apud Severacum, aditum habuit ad regimen hujus parthenonis, in quo potiſſimum ædes abbatiſſæ reſarciri curavit. Obiit die 16. Sept. an. 1685.

XIX. Gabrielis de Gaulejac de Ferals proneptis ducis d'Arpajon monialis Veteris-muri, ubi ejus matertera N. d'Arpajon abbatiſſa erat, cepit poſſeſſionem abbatiæ die 2. Aprilis anno 1686. quam e manibus ejus mors eripuit die 25. Maii an. 1694.

XX. Maria Ludovica Tercha d'Alboy de Monroſier, prius præfecta monaſterii B. Mariæ apud Ruthenam urbem, nominatione Catharinæ d'Arpajon, uxoris Franciſci de Roye comitis de Roucy, accita ad parthenonem hunc regendum an. 1694. poſt multa pro ipſius commodo & emolumento prudenter facta, vivere deſiit die 10. Febr. an. 1710.

XXI. Maria Anna de Morshon de Laumiere cœnobii alumna, deſignata eſt abbatiſſa ab eadem Catharina d'Arpajon, die 26. Aprilis 1710. poſſeſſionem apprehendit die 19. Maii an. ejuſdem, ac nunc præeſt.

VABRENSIS ABBATIA ET EPISCOPATUS.

* LE DOURDAN.

VAbrenſe monaſterium ord. S. Benedicti in pago Ruthenenſi conditum eſt ad Dordonam * fluviolum, a Raimundo comite Toloſano, pro Palnatenſibus monachis eorumque abbate *Adalgaſio*, qui poſt everſum a Normannis Palnatenſe cœnobium in Petracoricenſi pago ſitum, ad comitem confugerant, ab eo invitati. Charta fundationis, quam Catellus in hiſt. comitum Toloſanorum refert lib. 1. data eſt an. XXIII. regnante Karolo rege, videlicet Calvo, qui anno ſequenti, regni ſui viceſimo quarto, præcepto ſuo confirmavit omnia quæ Raimundus comes, ejuſque uxor Berteys novo contulerant cœnobio. Cum hæc pia comitiſſa viro ſuo annos 20. ſupervixiſſet, non deſtitit locum illum beneficiis cumulare, ubi quartus ejus filius habitum monaſticum induit.

Eccleſia Vabrenſis dedicata eſt Deo Servatori, ejuſque ſanctiſſimæ matri, ſanctoquo Dionyſio. Noſter D. Claudius Eſtiennot ejuſdem eccleſiæ patronos docet eſſe SS. Marium & Amantium epiſcopum Lutevenſem. Chenutius addit his ſanctis tutelaribus principem apoſtolorum. Sane hos omnes præter S. Amantium complectitur diploma Berteiz comitiſſæ, quod infra legeſis. Ceterum cave putes caſtrum Vabrenſe, cujus meminit Gregorius Turonicus lib. 9. hiſtoriæ c. 9. & pagum Vabrenſem cap. 12. intelligi debere de pago & caſtro Vabrenſi in Aquitania, uti viſum eſt Chenutio, Roberto &c. Etenim pagus Vabrenſis a Gregorio commemoratus, cui caſtrum videtur nomen dediſſe, extendebatur inter Moſam & Moſellam, cujus pars adhuc nomen retinet, appellaturque vernacule *le Pais de Vavre*.

C. III. inſtr. p. 57. col. 1.

Tanta fuit religionis & ſanctitatis opinio in monaſterio Vabrenſi, ut S. Geraldus volens monaſterium Aureliacenſe condere, ad illud miſerit *nobiles pueros* in regulari diſciplina inſtituendos, per quos poſtea pietas in novo floreret cœnobio. Attamen (ut eſt fluxa & inſtabilis rerum omnium humanarum conditio) ſeculo XI. inclinante, monaſterium hoc *erat ab omni ordine deſtitutum, & habitatoribus vacuatum*; quod movit abbatem Deodatum *al. Deusde*, ut illud abbati S. Victoris Maſſilienſis ac monachis traderet ordinandum. Sub quorum poteſtate perſeveravit uſque ad an. 1317. quo Johannes XXII. illud erexit in eccleſiam epiſcopalem, cujus erectionis bullam damus in inſtrumentis. Porro antequam de epiſcopis Vabrenſibus loquamur, operæ pretium eſt abbatum ſeriem exhibere, quam præſertim ex chartis hujus eccleſiæ collegimus.

C. IV. pag. 57. col. 2.

C. VI. pag. 58. col. 2.

SERIES ABBATUM VABRENSIUM.

I. Abbas fuit Adalgiſus, qui Palnatenſe * monaſterium pagi Petracoricenſis prius gubernarat, uti jam diximus. Mortuo Raimundo Toloſano comite duobus poſt fundatum monaſterium annis, Berteiz comitiſſa, & filius illius Bernardus comes, multa contulerunt ex

* De hoc monaſterio loquemur, quando Petracoricenſis diœceſis abbatias recenſebimus.

bonis paternis, ſacro huic loco, diplomate da- A
to anno 25. regnante Karolo rege, Chriſti circi-
C. I. p. 56. col. 2. ter 864. edito in probationibus.

II. Rollandus Raimundi comitis clericus, poſtea monachus, excepit Adalgiſum in abbatiæ regimine; cujus tempore Karolus Calvus anno regni ſui 30. fundationem a Raimundo comite factam ratam habuit, confirmavitque
C.II. p. 56. col. 2. præcepto ſuo, infra in probationibus excuſo. Is eſt Rodlandus, de quo in chartulario legitur inſtrumentum, quo fundat pro monachis Vabrenſibus eccleſiam SS. Vincentii & Amantii, menſe Januario an. xxx. regnante Karolo rege.

III. Bernardus I. ſedebat an 35. regnante Ka- B
rolo rege Francorum, ſeu an. 875. quo tempore menſe Decembri plures monaſterio dantur eccleſiæ, a Richardo & Rotrude ejus uxore.

IV. Fredolo I. an. 38. regni Karoli regis, id eſt 878. excepit fundationem Nanti monaſterii fac-
C. IX. pag. 60. col. 2. tam a Bernardo, & uxore ipſius Udalgarde. Vide in probat.

V. Bernardus II. præerat an. 883. quo anno Berteiz comitiſſa inſigne donum contulit monaſterio, & *Bernardo* qui appellatur *Cuſtos loci &*
C. III. p. 57. col. 1. *abbas*. Chartam donationis habes inter probationes. Occurrunt quædam aliæ factæ Bernardo abbati IX. cal. Junii, *Domino regnante, & regem ſperante* (Francia) & menſe Septembri die C
6. *regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto*. Sed hæc pertinent ad alium Bernardum, qui regebat tempore Philippi regis.

VI. Aigo, idem forte eſt ac Agius archiepiſcopus Narbonenſis, quem Catellus docet fuiſſe Vabrenſem abbatem, ex hujus monaſterii chartis, ut obſervat Mabillonius ad annum 922. num. 51. Ejus tempore S. Marcelli monaſterium Vabrenſi ſubjectum fundatur an. 8. regnante Odone rege, hoc eſt an. 895. vel 96. & aliud in honore S. Petri, ſitum in loco *Comprunisco* dicto, anno XI. regnante Karolo rege (cognomento Simplici) Chriſti an. 903. aut 904. D

Aigoni abbati Vabrenſi Aimeradus ejus aut avunculus aut patruus, donat unam villam, &
Ex tab. Vabr. alia prædia, *ſub die Jovis in menſe Septembri an. 12. regnante Karolo rege*. Scripſit Aigo ſeu Agio inſignem epiſtolam de primordiis ſui monaſterii, quam ex parte refert Catellus in comitum Toloſanorum hiſtoria. Idem fragmentum recudit Mabill. ad an. 849. n. 86.

VII. Fredolus II. abbas Vabr. filius Amblardi & Senegundis præerat jam an. 18. regnante Ka-
Ibidem. rolo rege, quo tempore accepit a matre villam Juliacum, &c. & anno 22. regni ejuſdem prin- E
cipis, aliquid in villa *Macerdania*, eadem Senegundis ipſi contulit. Adhuc memoratur anno 3. regnante Rodulfo rege in multis inſtrumentis,
Catel. l. 1. c. 13. legiturque in hiſtoria comit. Toloſ. nonnulla commutaſſe *cum Ermengando egregio principe, & Regimundo filio ſuo, & Ramone vicecomite.*

VIII. Ramnulfus I. pedum tenebat an. 7. regnante Rodulfo rege, ex inſtrumento donationis villæ de *Ubertas* &c.

IX. Aigfredus I. notatur in charta Odonis eccleſiam S. Sulpicii cœnobio concedentis, anno quo Ludovicus rex cœpit regnare, ſcilicet an. 936.

X. Ramnulfus II. memoratur an. 7. quo Ludovicus (ſcilicet IV. dictus Tranſmarinus) regnare cœpit; & anno ſequenti, quo Bernardus mille ſolidos dedit monaſterio. Item an. 949. indict. VIII. in dono eccleſiæ S. Cyrici. Denique anno 3. regni Lotharii, ſeu an. 956. in charta Geneſii S. Eugenii eccleſiam concedentis. Idem eſt ac Ramnulfus cui Raimundus donat inter
Ferum Vab. cetera locum dictum *Fernium* ad ædificandum ibi monaſterium, quod a Vabrenſi penderet, pro ſalute animæ ſuæ, necnon Fredolonis patris ſui, Uddanæ matris, atque pro animabus Ludovici regis, Raimundi comitis anteceſſoris ſui &c. die Veneris menſe Martio an. 8. regnante Ludovico rege. Habetur compoſitio facta inter Ramnulfum abbatem, ejuſque monachos ex una parte, & Bernardum Artenumque filios Ademari, menſe Septembri anno incarnationis 942.

XI. Aigfredus II. cui Feretum ad conſtruendum monaſterium a Saluſtio datur, regnante Lothario rege.

XII. Bernardus III. an. 1. regnante Philippo rege, id eſt an. 1060. in charta Raimundi & Aicfredi fratrum de dono eccleſiæ ſancti Privati inſcribitur. Paulo poſt, anno videlicet 1062. Deus-dedit abbas Ruthenenſis, quem ſuſpica- C
Vide Petr. Ben. garii hiſt. epiſc. mur fuiſſe laicum, voluit S. Hugoni abbati Cluniacenſi Vabrenſe monaſterium tradere: ſed rem infectam remanſiſſe conjicimus ex charta ejuſdem abbatis *Deus-dedit* monaſterium hoc
Videatur hac tom. IV. pag. 7. col. 2. ſubjicientis Bernardo Maſſilienſi ſancti Victoris abbati. Bernardus abbas Vabrenſis ſubſcripſit litteris Almodis comitiſſæ, & Raimundi comitis Ruthenenſis ejus filii, quibus continetur donatio abbatiæ ſancti Ægidii, facta Cluniacenſi congregationi.

XIII. Hugo abbas occurrit anno 1082. Huic Bernardus de Combreto, Frotardus & Berardus ejus filii, &c. dant eccleſias S. Severi, S. Marcelli &c. menſe Martio feria 4. regnante Philippo rege. Sub eodem principe menſe Jan. feria 7. Arnaldus de Turre & ejus uxor donant huic abbati &c. eccleſias & prædia.

XIV. Bernardus IV. notus eſt ex donatione ipſi & Vabrenſi monaſterio facta a Larfredo, ejuſque conjuge Farana vel Fara, menſe Madio ſub die XII. cal. Junii, *Domino regnante & regem ſperante*. Hæc nota chronologica deſignat tempus, quo Philippus I. rex, ob repudiatam legitimam uxorem & aliam ductam, fuit excommunicatione multatus; quod non contigit ante annum 1092. Hoc inſtrumentum obſervatione C. V. pag. 58. col. 1. dignum probationibus inſeruimus.

XV. Andreas præerat tempore Paſchalis II. qui confirmavit monaſterio donationes omnes factas, II. idus Apr. indict. II. *an. 1116. Eodem * 12. anno menſe Aug. regnante rege Ludovico in Francia, Andreæ abbati, Arnaldus ejuſque fratres cum matre Aldiarde, donant eccleſiam B. M. de Condabrias.

XVI. Rigaldus Bernardo abbati ſancti Victoris obedientiam jurat 1127.

XVII. Petrus I. donat monaſterio Salvaneſii, & Guiraldo abbati quidquid habebat in territorio de Marnis anno 1146. Idem Petrus Sil-

vanesiensibus cedit quidquid habebat in territorio de Grauson anno 1148.

XVIII. Guillelmus an. 1159. in charta Salvanesii.

XIX. Arnaldus quos in duobus vicis de Landis habebat redditus declarat Guiraldo abbati Silvanesii, sub testificatione Ermengaudi abbatis Vallis-magnæ anno 1159. Idem, consentientibus monachis, dat Pontio abbati Silvanesii, certis conditionibus, quidquid juris habebat in pago de Serretto an. 1162.

XX. Geraldus 1177. in dono Ademari de Brulia.

XXI. Ademarus anno 1190. quoddam excambium facit cum Belixendi prioriſſa Elnonensi (*Nonnenque.*)

Ex tab. Elnon.

XXII. Bernardus V. de Arulis abbas Vabrensis anno 1195. quo ab ipso Berengarius abbas Villæ-magnæ quædam acquisivit apud Arenasses.

In sebedis D. Ebienses.

XXIII. Raimundus 1220. & 1246. quo anno donum Gaillardi de Aunaco excepit.

XXIV. Bego abbas Vabrensis transigit cum Tiburtia (*Tiebors*) prioriſſa Elnonensi, de quorumdam mansorum decimis anno 1248. XI. cal. Junii, subscribente B. Ruthen. episcopo. Item an. 1253. cum eadem componit. Fortasse idem est qui *Jordani* cognominatus in tab. PP. Soc. Jesu Tolos. Ecclesiam S. Petri de Fundamento commutavit pro ecclesia S. Mariæ de Soumartre, cum Petro de Brolio abbate Villæ-magnæ. an. 1256. Hic autem, ut conjicimus, in gratiam Bernardi qui sequitur consanguinei sui, regimen abdicaverat anno 1253. retento abbatis nomine, aut ipse Bernardus binominis erat, simulque Bego vocabatur.

Ex tab. Elnon.

XXV. Bernardus VI. Jordani annis 1253. & 1262. Præerat etiam abbas nomine Bernardus 1268. & 1271. Sed an Bernardus Jordani, an sequens ambigimus.

XXVI. Bernardus VII. de Turre abbas Vabrensis an. 1280. quo judex Ameliæ (*Millau*) inter illum & dominam de Cailus, ejusque filium Bernardum de Cailus ex una parte, ac consules urbis dictæ S. Africi ex altera, fert sententiam VI. nonas Aprilis. Idem paciscitur cum Petro Bouche seneſcallo apud Ruthenos nomine regis, pro jurisdictione urbis Vabrensis, die Veneris post quindenam Paschæ an. 1285. ineundo cum rege *parcagium*.

XXVII. Petrus II. 1307. in recognitionibus, & 1311. Forte idem cum Petro de Olargio, qui primus creatus episcopus Vabrensis a Johanne XXII. & qui 1317. die Martis post octavam Pentecostes parcagium fecit cum Petro de Ferreriis regis procuratore.

VABRENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI. DE OLARGIO.

I. PETRUS I.

Ex tab. epis.

PETRUS de Olargio ultimus abbas Vabrensis, & primus episcopus, electus est novæ hujus ecclesiæ præsul a Johanne XXII. bulla data Avenioni XIII. Kal. Octobris, ejus pontificatus anno 2. Christi 1317. quam bullam edidimus inter instrumenta. Idem papa propriis manibus Petrum consecravit. Paulopost, scilicet VIII. Kal. Octob. bullam dedit ad *capitulum Vabrense ordinis S. Benedicti*, jubens ut Petro episcopo quem creaverat, obedirent. Scripsit quoque ad vassallos ecclesiæ Vabrensis, ut eumdem honorifice acciperent. Alia bulla data X. Kal. Decembris distraxit ex diœcesi Ruthen. ecclesias quæ novam diœcesim Vabrensem constituerent, & utrique suos præscripsit limites; nam per primam erectionis bullam satis fuerat Johanni absolvere Vabrensem ecclesiam a subjectione tam episcopi Ruthenensis, quam abbatis sancti Victoris Massilienſis. Parochiæ Vabrensis diœceſis sunt 130. præter alias ecclesias, inter quas insignis est collegiata sancti Africi olim 22. canonicorum, nunc duodecim. Alia est canonicorum S. Saturnini*. His adde præpositurum canonicorum Regularium Belli-montis, cujus præpositus a rege designatus 15. canonicis & nonnullis prabendariis præest. De abbatiis sigillatim infra dicemus. Quod spectat ad capitulum ecclesiæ majoris, continet duodecim canonicos, ex quibus præpositus, archidiaconus, & cantor dignitates censentur. Episcopus est canonicus decimus-tertius.

1317. *C. VII. p. 1. an. 2.*

*S. Sernin.

Petrus assignavit redditus sufficientes ad sustinenda capituli onera. Quædam insuper statuta pro novæ ecclesiæ regimine edidit cum consilio R. episcopi sancti Papuli, & delegatorum e capitulo X. Kal. Julii anno 1320. Quæ autem decrevit, Johannes papa confirmavit bulla data XVIII. Kal. Februarii, sui pontificatus an. VIII. Fato functus est Petrus VII. Kal. Novembris anni 1329. uti docet decretum electionis ejus successoris.

ANNI CHRISTI. 1320. 1329

II. RAIMUNDUS.

DE OLARGIO.

Raimundus de Olargio Petro cognatione conjunctus, ex priore de Vernhia electus est die 17 *. Octobris anno 1329. Cujus electionis decretum, eligentium omnium signis & sigillis obsignatum, servatur in archivis ecclesiæ Vabrensis. Anno 1333. in vigilia sancti Jacobi apostoli, monachorum ad 20. numerum reductionem factam a Berengario abbate Nantensi laudat. Anno 1336. die 16. Octobris juramentum fidelitatis præstat per procuratorem, Fulcaudo Bituricensi archiepiscopo.

*29. 1329.

Ex tab. Nantensi. 1336.

Negotium nobis facessit Rogerius de Armaniaco, qui legitur episcopus Vabr. an. 1332. quo, die 7. mensis Dec. Johannes comes Armaniaci ad longinquam profectionem se parans instituit hunc Rogerium patruum *episcopum Vabrensem*, suarum toparchiarum gubernatorem. Litteræ Johannis exstant in tabul. castri Fuxensis, ex ejus inventario asservato in Colbert. bibl. sed perperam legitur his in litteris *Vabrensis* pro *Vaurensis*. Constat enim Rogerium fuisse episcopum Vau-

renſem anno 1332. Raimundus fundavit anno 1346. ſodàlitium preſbyterorum apud ſanctum Africum, cujus fundationis inſtrumentum vide in appendice. Vitam non protulit ultra annum 1347.

ANNI CHRISTI 1346 C. VIII. p. 60. col. 2. 1347.

III. Guido.

DE VENTADOUR.

Guido ex nobilibus dynaſtis de Ventadorio in Lemovicibus, Vabrenſem obtinuit cathedram ab anno 1347. ad 1351. nec plura de illo ad nos pervenere. 1351.

IV. Petrus II.

D'AGRIFEUILLE, al. D'ARTEUILLE.

Petrus de Agrifolio nobilis Lemovix, ex monacho & abbate Caſæ-Dei, epiſcopus Claromontanus factus, poſtea traducitur ad ſedem Vabrenſem anno circiter 1352. Hunc legimus fratrem fuiſſe Florentiæ abbatiſſæ Ennonencæ (*Nonnenques*) & Raimundi Ruthenenſis epiſcopi, in quo de Agrifolii nobiliſſima gente, & de vero ejus cognomine quædam notavimus. Fuit etiam Petrus Ucetienſis epiſcopus, & Mimatenſis, ex teſtamento Raimundi Ruthenenſis epiſcopi ejuſdem fratris.

V. Bertrandus.

DE PEBRAC.

Bertrandus de Pebrac fuit prior de Ventadorio, tum beati Martini a Campis in urbe Lutetia. Præſul autem Vabrenſis creatus eſt anno 1353. die 28. Octobris, ex actis conſiſtorialibus. Conſulenda eſt hiſtoria S. Martini Campenſis, in qua modo de Peberaco, modo de Peberiaco nominatur; legiturque tranſlatus ad epiſcopatum Vabrenſem; quem dum adminiſtraret, confirmavit fundationem ſodalitii preſbyterorum in eccleſia ſancti Africi anno 1355. indictione VIII. Innocentii papæ VI. anno III. die 4. Aprilis.

1353. *l. 3. p. 225.* 1355.

VI. Guillelmus I.

BRAGOSE.

Guillelmus Bragoſe, quem ſcriptor vitæ Innocentii papæ VI. teſtatur ex pago Mimatenſi fuiſſe oriundum, juris canonici doctor fuerat in urbe Toloſa, & vicarius[a] generalis in ſpiritualibus & temporalibus Stephani archiepiſcopi. Abbas Moiſſiacenſis qui ſcripſit vitam Urbani V. appellat eum *magnum canoniſtam, & hominem magni cordis.* Itaque non ſolum epiſcopatu, ſed etiam ſacra Romanaque purpura dignus viſus eſt ſummo pontifici Innocentio VI. qui eum in collegium cardinalium adſcivit die 17. Septembris anno 1361. Primum autem obtinuit titulum ſancti Georgii in Velo aureo, deinde S. Laurentii in Lucina. 1361.

VII. Stephanus.

DE VASSIGNAC.

Stephani de Vaſſignaco ut epiſcopi Vabrenſis mentio fit in hujus eccleſiæ inſtrumentis anno 1364. & 1370. Anno 1374. contulit eccleſiam ſancti Pauli, præſentante Elixendi Elnonencæ abbatiſſa. Occurrit quoque in chartis monaſterii Salvaneſiæ an. 1378. & 1396. Miſit procuratorem ad concilium Piſanum an. 1409. coactum, tollendi ſchiſmatis cauſa. Obiit rem ſu- 1370. 1396. *Tom. VI. Spicil. pag. 363.* 1409.

[a] Ex Wadingho tom. VI. in regeſto pontificio pag. 50. & ſeq. Vide Baluz. not. in vit. pap. Avenion.

premam anno 1412. die 24. Novembris, ex Chenutio.

ANNI CHRISTI 1412.

VIII. Guillelmus II.

DE BASTIDOS.

Guillelmus de Baſtidos chartæ Ennonenſis parthenonis 3. Octobris anno 1418. inſcribitur. Nihil de illo ſcitu dignum ſignatur in tabulis. Mortis annus apud ſcriptores omnes notatur 1421. 1418. 1421.

IX. Johannes.

PETRI.

Johannes cognomento Petri publicis actis probatur ſediſſe annis 1421. 30. 49. 51. Societatem preſbyterorum ſancti Africi in collegiatam eccleſiam erigi curavit anno 1440. XII. Kal. Februarii, Eugenii papæ anno X. Obtinuit poſtea titulum epiſcopatus Beritenſis. 1440.

X. Bernardus.

BLANCHI.

Bernardus Blanchi nepos Johannis, antea præpoſitus Belli-montis anno 1453. & ſequentibus, ſaltem uſque ad annum 1475. commemoratur in chartis. An. 1453. die 3. menſis Septembris, cum de novo pontificalem aſſumeret poſſeſſionem in eccleſia ſua, conſules S. Africi eum adierunt, dixeruntque mirari ſe, quod nondum acceſſiſſet in ſuam urbem, inſigniorem videlicet locum ſuæ diœceſis, ut iniret poſſeſſionem ſui epiſcopatus, exemplo ſuorum anteceſſorum, *domni Stephani bonæ quondam memoriæ, domni Guillermi, & domni Johannis, ejuſdem epiſcopi avunculi ſui, & nunc epiſcopi Veritenſis* *. Eorum precibus obſecundans Bernardus, in cathedra epiſcopali poſitus promiſit ſe quamprimum acceſſurum. Anno 1460. tranſegit cum capitulo, ſuper collatione beneficiorum eccleſiaſticorum, &c. Nominatur in pactis matrimonialibus Johannis de Roquefeuil factis 25. Maii an. 1461. in monaſterio de Salvanis diœceſis Vabrenſis. Obiit 12. Decembris 1485. ſi iis qui de ipſo ſcripſerunt fides eſt adhibenda. Diu tamen antea ſucceſſorem habuit in ſede Vabrenſi. 1453. 1460.

* Beritenſis.

XI. Antonius-Petrus.

DE NARBONA.

Antonius-Petrus de Narbona filius Johannis de Narbona baronis de Talairano, ex Sibylla de Carman, abbas Fontis-frigidi, cujus monaſterii monachus erat, inquit Chenutius, renuntiatus eſt epiſcopus ſaltem an. 1477. etenim hoc anno die 23. Aprilis, ſolemni ritu exceptus eſt in urbe, ea pompa quæ recens creatos epiſcopos decet. Ipſo judice cum Simone Fulter canonico de Elnis, querela ſopitur inter Carolum epiſcopum de Elnis, & Petrum epiſcopum Lacturenſem, abbatem Craſſ. de jure patronatus circa eccleſias de Commiliano, de Ripparia, de Ripis-altis, & de Canois diœceſis Elnenſis 4. Martii 1488. Varia in eccleſia Craſſenſi conſecravit altaria an. 1491. Anno ſequenti ut abbas Fontis-frigidi tranſegit cum domino de Gaſparet. Præſulem hunc extremum diem clauſiſſe die feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ XIII. Kal. Auguſti anno 1499. & quidem in domo paterna, teſtatur necrologium Craſſenſe. Sepulturam ipſi datam in monaſterio Fontis-frigidi legitur 1477. *Ex tabul. Craſſ.* 1491. 1499.

ANNI CHRISTI.

apud Chenutium, Robertum, ac Sammarthanos fratres.

DE NARBONA.

XII. Ludovicus I.

Ludovicum de Narbona Antonii-Petri fratrem electum fuiſſe anno 1499. in tabulis ſignarum reperimus. Chorum eccleſiæ ſuæ conſtrui curavit, uti ædes epiſcopales. Templum omne decoravit, ſacramque ſuppellectilem plurimis vaſis ac ornamentis auxit. Nec minorem curam geſſit abbatiarum ſuarum. Fuit autem abbas Fontis-frigidi & Grandis-Silvæ. Obiit die 7. Februarii an. 1518. juxta Chenutium & Robertum, vel 1519. juxta noſtros Sammarthanos. Conciliari vero facile poſſunt duæ illæ opiniones, quæ prima fronte pugnantibus ſimiles ſunt, ratione habita diverſi modi inchoandi annum vel a Januario, vel a die Paſchatis.

1499. 1518.

DE MARTIGNY.

XIII. Reginaldus.

Reginaldus de Martigny frater Petri Caſtrenſis epiſcopi, antea canonicus Elnenſis, electus eſt die 8. Aprilis anno 1519. Reperitur in chartis 1521. & 1532. Anno 1528. cum regni optimatibus & præſulibus ſolemni conventui in ſenatu habito coram Franciſco I. rege interfuit. Obiit apud Montem-peſſulanum die 27. Maii 1536.

1519. 1528. 1536.

D'ARMAGNAC.

XIV. Georgius.

Georgius de Armaniaco, de quo jam diximus in Ruthenenſibus epiſcopis, adminiſtrationem Vabrenſis epiſcopatus nactus eſt an. 1536. Poſtea Toloſanis, demumque Avenionenſibus infulis redimitus eſt, ac petaſo cardinalitio ornatus. Anno 1545. obtinuit indulgentias pro viſitantibus Vabrenſem eccleſiam.

1536. 1545.

DE CORNEILHAN.

XV. Jacobus.

Jacobus de Corneilhan, cum eſſet epiſcopus Vabrenſis an. 1554. litteris Antonii ducis Vindocini, & Belli-montis comitis, Armaniaci & Ruthenorum, fuit inſtituturus præfectus (*Surintendant*) in comitatu Ruthenenſi, & in quatuor caſtellaniis Ruthenorum, ob abſentiam Caroli cardinalis Borbonii, quem rex conſtituerat adminiſtratorem omnium toparchiarum & dominiorum principis Navarræ, ejuſque matris. Quæ litteræ datæ ſunt 2. Decembris prædicti anni. Anno 1560. vocatus eſt ad cathedram Ruthenenſem. Eo agente an. 1561. Pius papa IV. indulſit monachis cathedralis eccleſiæ, ut ſeculares fierent canonici. Anno 1524. Franciſcus I. Francorum rex jam litteras dederat ad obtinendam monachis facultatem deficiendi ad ſtatum ſecularem. Pius IV. vero 1561. bullam ſeculariſationis conceſſit, quam ratam habuit Pius V. Utramque bullam exſecutioni mandare permittit Henricus III. Francorum rex, datis Avinioni litteris 1575. Ad hæc acceſſit ſupremæ parlamenti curiæ decretum bullæ promulgationem confirmans 1582.

1554. *Ex tab. Ruthen.* 1561.

DE VALETTE CORNUSSON. *De Fourny.*

XVI. Franciscus I.

Franciſcus de Valette Cornuſſon nobilis Caſ-durcus, natus Franciſco de Valette torquato equite, regi a ſanctioribus conſiliis, prorege & ſeneſcallo Toloſano, ac Gabrielide de Murat domina de l'Eſtang, pronepos Johannis de Valetta ſummi Melitenſium equitum magiſtri, qui Melitam inſulam obſeſſam a Turcis an. 1565. ſtrenue propugnavit; Jacobo ſucceſſit. An. 1568. Vabrenſis eccleſia combuſta eſt ab hæreticis. Obiit Franciſcus die 18. Maii in caſtro S. Izerii, ſepultuſque eſt in parochiali ejuſdem loci eccleſia.

ANNI CHRISTI.

DE LAURO.

XVII. Thomas.

Thomæ de Lauro ſimplex nomen inſeritur omnibus catalogis Vabrenſium antiſtitum. Iis vero id unum addendum a nobis ſuppetit, quod vivere deſierit anno 1599. ſepultura donatus in parochiali S. Amantii eccleſia.

1599.

DE VALETTE CORNUSSON.

XVIII. Franciscus II.

Franciſcus de Valette Cornuſſon, de quo jam loquendi ſe præbuit occaſio, dum ſeriem abbatum Moiſſiacenſium ediſſeruimus (unus quippe ex ipſis fuit) ex comite conſiſtoriano conſecratus eſt in Vabrenſem epiſcopum anno 1600. menſe Januario. Adfuit generalibus cleri Gallicani comitiis anno 1614. Anno 1618. ſedebat adhuc, adſcito ſibi coadjutore, quocum apud ſummum pontificem egit ut vita regularis e monaſterio Moiſſiacenſi eliminaretur. E vivis exceſſit anno 1622.

1600. 1618. 1622.

DE VALETTE CORNUSSON.

XIX. Franciscus III.

Franciſcus de Valette Cornuſſon nepos ſuperioris ex fratre Johanne ſeneſcallo & gubernatore Toloſæ, matrem habuit Urſulam de Loubans de Verdales frater ejus Franciſcus de Valetta dominus de Cornuſſon & de Pariſot, munus ſeneſcalli Toloſatum & Albienſium geſſit. Ipſe vero abbas Moiſſiaci & patrui coadjutor conſecratus eſt ſub titulo epiſcopi Philadelphiæ. Adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani an. 1615. ut nos docent ſubſcriptiones. Mortuo patruo an. 1622. onus omne curæ paſtoralis excepit in humeros, quod ſuſtinuit uſque ad 20. diem Decembris an. 1644. ejus vitæ ultimum. Interfuerat cœtui cleri Gallicani apud Meduntam anno. 1641.

1644.

HABERT.

XX. Isacius.

Iſacius Habert Pariſinus, Sorbonæ doctor, abbas de Allodiis in Pictonibus, regis concionator, & eccleſiæ Pariſienſis canonicus theologus, inauguratur Lutetiæ anno 1645. die 17. Decemb. in templo abbatiæ S. Victoris canonicorum regularium beati Auguſtini, a Dominico Seguier Meldenſi, Carolo Vaurenſi, & Dionyſio S. Brioci epiſcopis; præſente Armando Borbonio principe de Conty; apoſtolico nuntio; Franciæ cancellario; & aliis multis præſulibus. Interfuit poſthæc cœtui cleri Pariſienſi 1650. ſcripſit ac edidit opuſcula variis metro tum ſoluta oratione de gratia, ex patribus Græcis, de conſenſu hierarchiæ & monarchiæ adverſus Paræneticum Optati Galli libros ſex, de cathedra ſeu primatu ſingulari S. Petri libros duos vulgavit, ac denique cæremoniale eccleſiæ Orientalis latine reddidit: unde a Jacobo Sirmondo in epiſtola dedicatoria ad Theodulfi Aurelianenſis epiſco-

1645. 1650.

pi opera, laudatur a præclare ſcriptis, concionibus, lucubrationibus, ſcientia, & epiſcopalis muneris ornamentis. Auguſtinum Janſenii cui favere viſus fuerat, librum patris Gibieuf de libertate Dei & creaturæ approbando, in concionibus & ſcriptis impugnavit poſtea quamdiu vixit. Apoplexia ſuffocatus expiravit 15. Septembris 1668. apud pontem de Salas haud procul a Ruthena; unde tranſlatus, in cathedrali quam conſtruxerat eccleſia, ſepultura donatur 24. Septembris ejuſdem anni.

ANNI CHRISTI. 1668.

DE LA VERGNE.

XXI. LUDOVICUS II.

Ludovicus de la Vergne de Montenard de Treſſan diœceſis Agathenſis, abbas beatæ Mariæ de Quadraginta, ſereniſſimo principi Philippo regis unico fratri, duci Aurelianenſium ab eleemoſynis, ejuſdemque capellæ magiſter, menſe Aprili anni 1669. ſchedula regia deſignatus eſt Vabrenſis epiſcopus. Ab archiepiſcopo Bituricenſi ſacram accepit unctionem in caſtri Vincennarum ſacra capella die 19. Octobris anni 1670. Acceſſit ad ſuam eccleſiam 18. Julii an. 1671. unde tranſiit ad Cenomanenſem menſe Novembri ejuſdem anni.

1669. 1671.

DE BARADAT.

XXII. LUDOVICUS III.

Ludovicus de Baradat, ex nobili apud Campanos gente, nepos Henrici de Baradat Noviomenſis epiſcopi, abbas Clarimontis in diœceſi Cenomanenſi, menſe Aprili 1673. nominatus, apud Vitreium in Armoricis 31. Decembris ordinatur a Briocenſi epiſcopo, aſſiſtentibus S. Pauli Leonenſis & Maclovienſi præſulibus. Coram cœtu totius cleri Gallicani laudavit Franciſcum Harlæum archiepiſcopum Pariſienſem oratione funebri, die 25. Septembris anni 1695. in eccleſia patrum Auguſtinianorum. Vivere deſiit 17. Martii 1710. ſepultus in eccleſia cathedrali.

ANNI CHRISTI. 1673. 1710.

XXIII. ALEXANDER.

Alexander le Filleul de la Chapelle ex nobili apud Normannos familia natus, nepos domini de Piencour epiſcopi Mimatenſis, ejuſque vicarius generalis, doctor Sorbonicus, ſchedula regia nominatus die 12. Julii 1710. cum Pariſiis ageret delegatus a provincia Albienſi ad generalia comitia cleri Gallicani, ibidem ordinatur ab illuſtriſſimo archiepiſcopo Pariſienſi cardinali de Noailles, aſſiſtentibus Cadurcenſi & Sagienſi epiſcopis 4. Januarii 1711. Die 12. ejuſdem menſis præſtitit fidei ſacramentum regi in capella caſtri Marliacenſis, poſſeſſionem adeptus 1. Octobris inſequentis.

LE FILLEUL.

ABBATIÆ DIOECESIS VABRENSIS.

Abbatiæ diœceſis Vabrenſis ſunt:
Nantum ord. S. Bened.
Salvaneſium ord. Ciſterc.
B. Mariæ de Elnonenca ord. Ciſterc. fem.

NANTUM.

Sancti Petri de Nanto monaſterium ordinis ſancti Benedicti, olim abbatiæ Vabrenſi ſubjectum, poſtea Maſſilienſi ſancti Victoris, conditur, ut nonnullis placet, a ſancto Amando Trajectenſi epiſcopo, tunc in Aquitania degente anno circiter 679. juxta illa verba vitæ ſancti epiſcopi: *Vir ſanctus Domini Amandus Hildericum adiit regem, eumque humiliter poſtulavit, quatenus ei aliquod municipium ad conſtruendum monaſterium... largiri dignaretur. Deditque præfatus rex ei locum nuncupante* Nanto, *in quo vir Domini.... cœpit ædificare cœnobium.* Verum hoc monaſterium quærendum videtur in Francia, non in Aquitania; nempe prius legitur: *Iſdem vir Domini Amandus in jures remeavit Francorum.* Nantenſe cœnobium in valle ſatis amœna ſitum eſt, diſtatque quatuor circiter leucis a Vabro; cui abbatiæ ſubditum eſt a ſuis fundatoribus Bernardo & Udalgarda ejus conjuge, ut nos docet charta fundationis facta III. *Idus Februarii, anno trigeſimo octavo regnante Carolo rege*, hoc eſt anno Chriſti 8-8. Ex prioratu ab Innocentio papa II. in abbatiam erigitur anno 1135. ut probat ejus bulla, quam ex archivis monaſterii eruimus, in inſtrumentis inſerta. Eamdem abbatiam Maſſilienſi ſancti Victoris cœnobio ſubjecit, & ab epiſcopi Vabrenſis juriſdictione ſubtraxit Urbanus papa V. pontificatus ſui anno quarto, Chriſti 1366. Seriem abbatum ex paucis quæ ſuperſunt monaſterii inſtrumentis, & ex aliis eruimus.

Vide in inſtrument. C. IX. p. 60. col. 2.

C. XI. p. 61. col. 2.

ABBATUM CATALOGUS.

I. Raimundus I. anno 1135. memoratur in bulla Innocentii papæ II. Comitatur Hugonem Albienſem epiſcopum levantem corpus ſancti Guillelmi in monaſterio Gellonenſi anno 1138. III. kal. Martii. Anno 1153. dat cum conſenſu fratrum, monaſterio Salvaneſii, & Guiraldo abbati quamdam decimam. Ejuſdem Raimundi fit mentio anno 1154. in litteris Ugonis Ruthenenſium comitis, quibus aſſenſu uxoris ſuæ Ermengardis, & filii ſui Hugonis, cedit cœnobio Gellonenſi eccleſias ſancti Saturnini, & ſancti Juliani de Creyſſet.

Ex tab. Salvaneſii.

Ex chart. Gellon. fol. 195.

II. Petrus Berengarii confirmat donationem a ſuo prædeceſſore Salvanenſibus factam, litteris datis an. 1165.

Ex tab. Salv.

III. Guillelmus cum Hugone Ruthenenſi epiſcopo, & Guiraudo abbate Conchenſi, teſtis eſt compoſitionis factæ inter Petrum abbatem Aureliacenſem, & comitem Toloſanum anno 1180. Idem forte eſt ac

IV. Willelmus, qui anno 1217. judex & arbiter eligitur pro ſopienda lite inter Petrum abbatem Gellonenſem & Guillelmum Pontii.

Ex Gellon. chartul. fol. 216.

V. R. de Mala-vetula anno 1224. ſocietatem iniit cum G. Tomerienſi abbate XV. kal. Nov. an. 1240. Arnaldus de Cantobrio archidiaconus Lutevenſis multa contulit monaſterio Nantenſi.

VI. Bernardus I. abbas excipit hominium Petri de Cantobrio pro his quæ poſſidebat in parochia ſancti Salvatoris de Larzat, &c. XIV. Martii an. 1240.

VII. Guillelmus II. Peirini anno 1244.

VIII. Bernardus II. cui anno 1252. VII. Kal. Maii Petrus de Cantobrio præſtitit quoque hominium, reperitur in tab. 1257. & 1263. Idem eſt ac Bernardus de Carboneriis, qui *quondam abbas monaſterii Nantenſis*, dicitur in bulla Clementis, papæ XV. cal. Novembris, pontificatus anno 1. ad epiſcopum Claromontenſem directa, qua prædicti abbatis abdicatione laudata, ejuſdem precibus inclinatus, ultro concedit quod idem Bernardus remaneat monachus monaſterii ſanctæ Fidis Conchenſis ordinis ſancti Benedicti, Ruthen. dioeceſis, a quo fuerat aſſumtus in ejuſdem monaſterii Nantenſis abbatem. In hac vero bulla Urbanus dicitur anteceſſor Clementis; proindeque bulla eſt Clementis IV. electi anno 1265. Bernardus duos prioratus, ſcilicet de Marciliaco & de Cubiſone ad monaſterium ſanctæ Fidis ſpectantes obtinuerat ab abbate Conchenſi, cujus poſtea incurrit inimicitiam, quia ab Urbano papa inquiſitor & judex fuerat conſtitutus cum epiſcopo Agath. ſuper diverſis ejuſdem abbatis criminibus.

IX. Guillelmus III. cognomento de Villeta an. 1269. ex laudato chartul. Gelſon. Forte is eſt Guillelmus cognominatus Vilate, qui quædam prædia dat ad acapitum anno 1296. Recenſetur adhuc anno 1298. in charta Elnonenſis monaſterii.

X. Raimundus II. annis 1310. & 1311.

XI. Berengarius I. annis 1317. & 1325.

XII. Bernardus III. an. 1325. 8. Junii quædam ſtatuit de forma eligendi cuſtodes ſigilli conventus, & bonorum mobilium. Abdicavit; & vivebat adhuc anno 1334.

XIII. Berengarius II. anno 1333. ſabbato in vigilia S. Jacobi, cum conſenſu fratrum conſtituit non plures quam 20. monachos in monaſterio recipiendos.

Ex arch. eccl. Lodov.

Is eſt haud dubie Berengarius de ...llanqueſio genere nobilis abbas Nant. qui fundat an. 1334. anniverſarium in eccleſia S. Geneſii Lodovenſis. Forte idem quoque eſt de quo in necrologio Anianenſi: XI. *kal. Julii obitus D. Berengarii olim abbatis Nantenſis pro quo dantur* 25. *ſolidi.*

XIV. Raimundus III. obiit 17. Febr. 1342.

XV. P. anno 1343. die 8. Martii in Romana curia morabatur. In jus vocatus eſt a monachis, quod ſine ipſorum conſenſu, conventionem & pacta feciſſet cum Arnaldo de Rocafolio milite,

Ex tab. Nant.

ſuper alta juſtitia de Nant. Anno 1346. monachi litteras regias obtinuerunt adverſus Arnaldum.

XVI. Durandus I. anno 1354. die 10. April. ſolvit Guillelmo epiſcopo Tuſculano & cardinali, camerarioque collegii cardinalium 25. florenos auri, pro ſervitio communi erga dictum collegium, & florenum aureum pro cardinalium familia. Anno ſequenti 19. Septembris pendit cameræ papæ 50. florenos aureos, & ſeptem ejus familiæ, ex ſchedula Stephani Toloſani archiepiſcopi papæ camerarii.

XVII. Gaillardus I. pro libertate ſui monaſterii pugnavit adverſus Ogerium abbatem ſancti Victoris Maſſilienſis, qui ſibi vindicabat juriſdictionem in illud, & ad ſedem apoſtolicam provocavit. Quapropter Innocentius VI. commiſit officiales Vabrenſem, Lodovenſem, ac Nemauſenſem ad hanc litem dirimendam, bulla data V. Kal. Nov. anno 6. ſui pontificatus, ſeu Chriſti 1357. aut 58. poſtea abbas Nantenſis & monachi conſenſerunt ſolvere ſancto Victori in ſignum ſubjectionis annuatim 4. francos aureos, pacto facto die 12. Febr. an. 1380.

XVIII. Durandus II. inſcribitur chartis an. 1368. & 1380. quo tranſigit cum abbate ſancti Victoris 12. Febr. necnon 1382. ex chirographo prioris S. M. de Caylar ſubcollectoris, quo profitetur, quales quantaſque pecuniæ ſummas perſolverit cameræ apoſtolicæ 22. Julii 1382.

XIX. Bernardus IV. an. 1400.

XX. Jacobus I. an. 1403. Miſit ad concilium Piſanum anno 1409. procuratorem cum plena poteſtate, ex ejuſdem actis tom. VI. Spicileg. Anno 1413. 24. Martii litteras protectionis obtinet a Carolo rege, judici de Millau directas, pro conſervatione altæ, mediæ & baſſæ juſtitiæ in loco de Nanto adverſus epiſcopum Vabrenſem.

XXI. Guillelmus IV. de Nogaret eligitur abbas die 31. Auguſti 1416. qui huic electioni aſſenſum præbuit die 16. Septembris ejuſdem anni. Sub hoc abbate Martinus V. bullas duas dedit, quibus jubet reſtitui monaſterio bona ablata, comminaturque excommunicationem ſecus facientibus. Guillelmus adhuc ſedebat menſe Januario 1424. ex querela monachorum adverſus illum, quod unum e fratribus detineret ſub cuſtodia laïca. Imo ſuperſtitem illum adhuc invenimus an. 1446. niſi ſit alius abbas cognominis.

XXII. Gaillardus II. 1449. 1451. & 1489. in bulla Innocentii papæ VIII. Vivebat 1494. ſed non abbas.

XXIII. Jacobus II. de Teſano commendatarius 1579.

XXIV. Henricus-Annas-Robertus de Meleun 1605.

XXV. J. J. de Febvre deceſſit 20. Auguſti 1658.

XXVI. Johannes de Bentivoglio abbatiam tenuit ad 1694.

XXVII. Jacobus-Antonius Phelippeaux epiſcopus Lodovenſis 1694.

XXVIII. O. abbas Nantenſis recenſetur in litteris W. Tornacenſis epiſcopi & apoſtolicæ ſedis legati numericis notis deſtitutis.

XXIX. Geraldus abbas de Nant legitur obiiſſe XII. cal. Octobris, in vetuſto necrologio S. Roberti de Cornilione; ſed annus minime notatur.

SALVANESIUM.

SAlvania dioeceſis Vabrenſis, ordinis Ciſtercienſis monaſterium, filia Manſiadæ, de linea Ciſtercii, primam ſui originem debet illuſtri ac nobili viro Pontio de Leratio, ejuſque ſociis, qui abjectis ſeculi pompis, & auſteriſſimæ agendæ pœnitentiæ deſiderio accenſi, in ſolitudinem ſeceſſerunt, eum in locum præſertim qui Silva-

nia dicebatur, quique poſtmodum a ſalute quam in eo plurimi conſecuti ſunt, Salvania nuncupatus eſt. Cumque arctiſſimam per tres aut quatuor annos ibidem vitam duxiſſent, accerſitis e Manſiada Petro I. abbate & monachis, ſe ſuaque omnia ordini Ciſtercienſi dediderunt anno ſalutis reparatæ 1136. At Pontius Leratienſis habitu monaſtico indignum ſe reputans, in converſorum ordine per totam vitam permanſit. Geſta[a] hujus ſancti viri plane mirabilia edidit Baluzius in ſuis Miſcellaneis. Multas donationes factas Pontio de Larazio, ejuſque ſociis legimus ab anno 1132. etiam ante oratorium conſtructum. Nam Bernardus Guillelmi de Verſolio profecturus Jeroſolymam dedit altari beatæ Mariæ *conſtruendo* per Pontium & ſocios, quidquid habebat apud Terundum. Anno 1133. Arnaldus de Pons dat huic altari omnem villam ſeu locum de Terundo, ubi conſtructum eſt oratorium ſanctæ Mariæ.

Præcipui benefactores fuere Ademarus epiſcopus Ruthen. Ermengarius de Caſtro-lucio*, Bernardus de S. Felicio, Bernardus Begonis, ejuſque fratres, &c. qui donarunt villas integras, prædia, eccleſias, decimas, &c. Tempore Pontii de Larezio donationes omnes ipſi ejuſque ſociis factæ ſunt, nulluſque abbas nominatur uſque ad annum 1138. regnante Aenrico rege, quo nulla deinceps habita Pontii mentione, in donatione facta ab Hugone de Cornucio memoratur Deſiderius abbas.

* *Chalus.*

Abbates qui Salvanezium rexerunt, ex variis tum monaſterii, tum aliorum locorum monumentis, nunc ordine ſunt ponendi.

SERIES ABBATUM.

I. Ademarius primus abbas vix ſex menſibus præfuit. *Vir ſapiens, bonus, atque litteris eruditus.*

II. Deſiderius Ademario mox ſubbrogatur 1136. Ipſi manſum de *Felgaretas* Ugo de *Cornutto* conceſſit 1138. Bullam protectionis ab Innocentio papa II. obtinuit 1140. XIII. cal. Junii, ind. III. an. pontific. XI. quo etiam an. Deodati de Tornamira, Gasfredi & Petri ejus fratrum donum excepit. Item an. 1141. manſum majorem, qui eſt in territorio de Galliaco obtinuit a Guillelmo de Lauro & Berengario fratre ejus, & an. 1142. nonnulla a Begone Pelauqui. Memoratur etiam 1143. in charta Guillelmi Garini. Eodem anno 1143. huic conceſſit caſtrum de Petra Arnaldus de Petra; exactisque in regimine octo dumtaxat annis, teſte Hugone monacho in vita B. Pontii de Leratio, ad ſuperos evolavit.

III. Guiraldus I. præerat 1144. quo an. Bernardus de S. Felice quidquid in manſo de Embaſio poſſidebat ei conceſſit. Anno 1154. privilegium protectionis ab Anaſtaſio papa IV. accepit. Variis auctum donationibus vidit monaſterium, quarum auxilio parthenonem in valle Elnonenca duabus a Salvania leucis fundavit. Inter præcipuos monaſterii benefactores, commemorandi ſunt Raimundus Ricardi de Foderia, & Jordanus frater ejus. Inter inſtrumenta donationum inſigne eſt illud quo Deodatus Guillelmi monachus Villæ-magnæ de conſenſu abbatis ſui Hugonis, præſentibus Berengario Narbonenſi archiepiſcopo, Guillelmo Biterrenſi, Petro Lodovenſi epiſcopis, ac Ermengardi Narbonæ vicecomitiſſa, ſe ſuaque dat Salvaneſio & Gerardo abbati. De eo ita Ugo monachus in vita Pontii de Leratio: *Tertius abbas dominus Guiraldus fuit, qui jura regiminis decem & ſeptem annis ſtrenue gubernavit, monaſterium multis poſſeſſionibus ampliavit, & multa bona in eo patravit, inter quæ & domum de Annonenca fundavit, & in ea religionem ſanctimonialium propagavit.* Obiit autem anno gratiæ MCLXI. menſe Septembri XV. cal. Octobris. Sub hoc abbate mutatum loco monaſterium legimus, ad jactus *arcus-baliſtæ* diſtantiam. Ad conſtruendam eccleſiam 200. marchas argenti miſit Guillelmus quidam *de tranſmarinis partibus*. Petrus Aibrandi ſacriſta Lodovenſis eccleſiæ, & frater ejus Guiraldus fecerunt dormitorium; Ricardus Clarii ejuſdem eccleſiæ clericus, refectorium. Primum locum in quo ſitum erat monaſterium, dederat Arnaldus de Monte, qui poſtea converſus in eodem quievit monaſterio.

IV. Pontius ex priore monaſterii Guiraldo ſubrogatur, electus menſe Octobri 1161. Ab Arnaldo abbate Vabrenſi comparavit an. 1162. quidquid ille in manſo *de Sarret* poſſidebat. Donum Raimundi de ſancto Capraſio excepit 1163. Anno 1165. iniit tranſactionem cum Gaufrido priore hoſpitalis ſancti Ægidii, &c. Hoc abbate jubente Hugo monachus Salvanezii ſcripſit hiſtoriam converſionis Pontii de Larazio, peregrinationes cum ſex amicis, receſſum in locum Salvaneſium dictum, fundationem monaſterii, &c. Exſtat autem hæc hiſtoria manu deſcripta in archivo Salvaneſii, cum duabus epiſtolis ejuſdem Hugonis, ad Gaucelinum epiſcopum Lutevenſem, cui proponit quaſdam de ſcriptura ſacra quæſtiones, & reſponſiones Gaucelini ad priorem Hugonis epiſtolam. Vide Miſcell. Baluz. tom. III. Anno 1166. recenſetur in dono Guillelmi de Cabraria. Anno 1170. in litteris Ermengardis comitiſſæ Ruthenenſis ſe ſuaque tradentis Elnonenſi monaſterio; & an. 1172. in charta Guillelmi de Lauro. Alii tempore hujus abbatis inſigniores benefactores fuerunt Hugo & Raimunda ejus uxor, Petrus Jordani ejuſque conjux Aldiardis. p. 105.

V. Raimundus, is forte qui ſub Pontio abbate prior exſtitit, Salvaniæ præficitur 1172. quo anno Rogerius Biterrenſis comes dona Rogerii avunculi ſui & Raimundi Trencavellis vicecomitis (*patris ſui*) eidem confirmavit. Anno 1175. recurrit ejus memoria in dono Adalaiſiæ uxoris Rogerii vicecomitis Biterrenſis; & in charta Guillelmi Begonis. Occurrit etiam in variis actis 1176. 1177. 1181.

VI. Bernardus I. abbas Salvaneſii accipit varia prædia ab Ermengardi uxore Guillelmi de Avena, quæ videlicet ſuo teſtamento reliquerat monaſterio, petens ſepulturam in cœmeterio fratrum, & eaſdem pro ſe preces quæ pro ipſis fieri ſolerent fratribus, inſuper filiam ſuam Sibillam inter moniales Annonencæ recipi. Factum eſt

[a] Auctore Hugone monacho Salvaneſii, de quo infra.

eſt illud teſtamentum menſe Julio anno 1182. An. ſequenti Bertrandus & Guillelmus de Avena fratres Sibillæ, pro dote ſororis ſuæ multa dant prædia. Idem Guillelmus de Avena cum aliis electis judicibus componit controverſiam inter Bernardum abbatem & Petrum de Brolio, menſe Januario 1184. Occurrit Bernardi mentio in tabulis an. 1188. & 1191. Alios benefactores hoc tempore expertus eſt Bernardus, Gaucelinum Lodovenſem epiſcopum & Ricardum de Monte-Pavone.

VII. Berengarius I. 1192. ex donatione Petri de Caſtro-lucio. Cum Brunone de Molinez tranſigit 1193.

VIII. Bernardus II. 1194. in charta Frotardi de Rocoſello.

IX. Guillelmus I. 1199. in dono Petri de Clarenſa.

X. Geraldus 1208. quædam prædia acquirit a Flandrina uxore Bernardi Gaucelini de Monte-pavone.

XI. Petrus I. abbas præerat an. 1212. quo Petrus de Caſtro-lucio, forte idem qui ſupra, cedit omnia jura ſua in agris & bonis quæ fuerant Rigaldi de Cabreſpines. Idem Petrus abbas memoratur in donationibus factis 1215. a Guillelmo Frotardi de Rocoſello, & aliis an. 1216. & 1218.

XII. Andreas 1219. Vivebat adhuc 1231. ſed dignitatis onere rejecto.

Ex D. Cl. Eſtiennot. XIII. Antonius I. Salvaneſii curam gerebat anno 1229. quo pepigit cum Raimundo abbate Vallis-magnæ pro Camers. Diem clauſerat extremum aut ceſſerat an. 1231. quo

XIV. Thomas ſedebat jam Silvaneſii, nam iterum concordiam iniit cum Raimundo abbate Vallis-magnæ.

XV. Guillelmus II. accipit a B. epiſcopo Ruthenenſi quaſdam decimas & eccleſias IX. kal. Aprilis an. 1237.

XVI. Deſiderius II. dono accipit ab Arnaldo de Pons quemdam montem an. 1240.

XVII. Johannes I. 1241.

XVIII. P. 1247.

XIX. Gaillardus de Mirabel 1248. tranſegit cum Guillelmo Caſtrias præceptore ſancti Felicis. Anno 1263. tranſigit cum Flore prioriſſa de Beſellis. Recenſetur etiam in variis actis 1256. 1261. 1264. 1266. 1273. 1274. Præcipui doni facti Gaillardo fuit auctor Guillelmus de *Montanhol*, qui anno 1256. IV. kal. Febr. ceſſit quintam partem dominii in ſaltu dicto *de Monier*.

XX. Johannes permutationem facit cum Deo-dato Rotbaldi milite 1276. Ermengardis de Arpajone abbatiſſæ Elnonencæ electionem confirmavit. Occurrit anno 1292. in charta abbatiæ Camporum-bonorum. Ejus conſilio Ranſa abbatiſſa Elnonencæ procuratorem ſuum conſtituit Pontium monachum Vallis-magnæ 1295. Recenſetur in actis depoſitionis Ermengardæ de Arpajone 1299. & in variis inſtrumentis 1301. Monaſterium Elnonenſe viſitavit 1303. die Dominica poſt feſtum S. Jacobi apoſtoli.

XXI. R. 1304. Forte Raimundus quem legimus pactum feciſſe de pareagio, ſeu de juſtitia exercenda & juribus percipiendis in communi, inter regem & abbatem, ac monachos, quod confirmavit Philippus rex menſe Julio 1311.

XXII. Johannes II. 1310.

XXIII. Bertrandus monaſterium Ennonenſe viſitat 1318. & 1321. ſedebat adhuc 1331.

XXIV. Arnaldus Guillelmi viſitavit Ennon. monaſterium 1334. & 1337. præerat etiam 1339.

XXV. Aymericus 1345. tranſigit cum abbatiſſa S. Saturnini Ruthenenſis.

XXVI. Reginaldus I. 1359.

XXVII. Bernardus III. 1364.

XXVIII. Reginaldus II. 1374.

XXIX. Bernardus IV. 1391. 1394. 1398. 1404.

XXX. Berengarius II. 1423. 1425.

XXXI. Petrus II. 1430. 1431. in recognitionibus.

XXXII. Antonius II. Bonnefons abbas erat an. 1438. ex D. Stephano du Laura.

XXXIII. Petrus III. Solerii, ſeu Petrus Celerii in quibuſdam actis 1440. & 1441.

XXXIV. Hugo Radeſii 1444. 1445. 1448. 1452. 1460. 1466.

XXXV. Guido de Caſtro-novo protonotarius apoſtolicæ ſedis, commendatarius 1477. 1488. 1501. 1508. Fuit etiam abbas Bonæ-vallis dioec. Ruth.

XXXVI. Guillelmus III. de Ruthena *de Rodez*, apoſtolicæ ſedis protonotarius 1511. 1514. 1522. 1526.

XXXVII. Triſtandus de Clermont anno 1539. die 7. Julii homagium exhibet regi. Teſtamentum condidit 1572. 1. Auguſti.

XXXVIII. Johannes III. de Leſtrades monachus obiit 1591.

XXXIX. Olivarius de Diovago comes Vetmundi per obitum Johannis de Leſtrade breve regium a Margarita regina & comitiſſa Ruthenenſi accipit 1591. Abbatiam adhuc tenebat 1630.

XL. Chriſtophorus de la Fare Tournac cedit in gratiam ſequentis.

XLI. Antonius-Aurelius de la Fare Tournac clericus Nemauſenſis accipit bullas v. idus Julii an. 1683. migravit a ſeculo 1699.

XLII. Gregorius Cabane 1699.

B. M. DE ELNONENCA, *vulgo* NONENQUE.

ELnonenſe, ſeu Ennonenſe virginum monaſterium ordinis Ciſtercienſis, dioeceſis Vabrenſis[a], ad rivulum Ennonem ſitum, patres agnoſcit Silvanenſes abbates, quorum primi monaſterium fundaſſe dicuntur in valle Elnonenca, quam Deodatus Raimundus de Montanolio Salvanienſi cœnobio conceſſerat anno 1139. ut conſtat ex hac charta.

ANno incarnationis Dominicæ MCXXXIX. *ego Deodatus Raimundi de Montanolio, & ego Guillelmus, & ego Arnaldus filii ejus, nos tres, unuſquiſque cum conſilio alterius, pro amore Dei & remiſſione peccatorum noſtrorum, & refrigerio animarum parentum meorum, bona fide, totiuſque fraudis remota fallacia, donamus & laudamus cœnobio Salvanienſi in honore B. Mariæ conſ-* Ex autog. Elnon.

[a] Olim tamen ad dioeceſim Lodovenſem pertinebat.

tructo, & fratribus omnibus ejuſdem loci præſentibus & futuris, totum quod habemus & quidquid de nobis aliqua perſona habet in valle Elnonenca, & in coſtis eidem valli pertinentibus, de cruce uſque ad locum qui appellatur Catuſclat, *& manſum de robore, & apud ſanctum Amantium quemdam campum & manſum de* Andenaves, *pro quo videlicet manſo de Andenaves ego Deodatus Raimundi accepi a prænominatis fratribus roncinum quemdam cum ſella & frano. Iſtum præſcriptum honorem & omnia ad eundem honorem pertinentia, culta & inculta nos prædicti datores ſine ulla retentione donamus & laudamus, ſicut jam dictum eſt, monaſterio prædicto & fratribus ad faciendum inde quidquid facere voluerint; ut ab hodierno die & deinceps jure perpetuo habeant & poſſideant tam præſentes quam eorum ſubſequentes. Hujus donationis ſunt teſtes Arnaldus de Ponte & uxor ejus, quæ vocatur* Bovilſona. *& Bertrandus* eorum filius, & Raimundus Cedalii, & Guillelmus de Vite. Raimundus ſcripſit.*

*Bernardus in apograph. bibliotn. Colbert.

Quonam anno fundatum fuerit cœnobium aut unde eductæ fuerint ſanctimoniales, non ſatis conſtat. Petrus epiſcopus Ruthenenſis in litteris datis v. nonas Maii anno 1162. docet hoc aſceterium ſuis fundatum eſſe temporibus, papamque ei dediſſe decimas, quas ab Hugone abbate Villæ-magnæ impetrarat. Has litteras inter inſtrumenta quære. Certum aliunde eſt monaſterium jam exſtitiſſe anno 1146. ex charta Pontiæ cujuſdam, quæ eo anno vitam monaſticam in eo parthenone amplexa eſt. Seriem autem prioriſſarum & abbatiſſarum quæ rexerunt texuimus ad fidem inſtrumentorum monaſterii.

C. XII. f. 62. col. 1.

Series priorissarum et abbatiss.

I. Nazaria cujus tempore *Guiraldus de Monteacuto* & uxor ejus *Engleſia* dant pro 12. ſolidis Melgorienſibus, medietatem decimæ territorii de Elnonenca 1151. recenſetur & 1152. in veteri charta Salvanienſis monaſterii, in qua dicitur Nazariam matrem habuiſſe Elizabeth prioriſſam Bellæ-cumbæ.

II. Petronilla I. 1156. acquirit manſum de *Concenuz*. Eidem 1159. Engleſia & ipſius filia *Raimunda* & *Guiraldus* frater ejus & *Pontius Stephani* prædictæ Raimundæ conjux, dant duodecimam partem fevi totius campi, qui vocatur *Jordaiz*. Anno 1162. litteras accepit a Petro epiſcopo Ruthenenſi jam commemoratas. Eodem anno *Petrus de Roiais*, & *Maria* ipſius uxor *Jordanam* filiam ſuam Petronillæ prioriſſæ offerentes in monacham dant monaſterio quidquid in valle Elnonenſi uſque ad vivarium *del Sang* poſſidebant. Duobus poſt annis bullam protectionis ab Alexandro papa III. obtinuit. Anno 1170. Ermengardem Ruthenenſem comitiſſam vitam religioſam amplexantem in monaſterio ſuſcepit, cujus chartam habes in inſtrumentis. Anno 1171. Hugo Ruthenenſis comes Petronillæ prioriſſæ conceſſit quidquid habebat in villa de *Lenjatz*, ſubſcribente Richardo ejus fratre. Anno 1173. manſum de Calmezilla recipit ab *Hugone de Tornamira* pro dote ſororis ejus Stephaniæ. Anno 1178. acquirit a *Pontio de Roca-forti* quidquid habebat in manſo de *Forteleiras*. Vivebat adhuc Petronilla 1181. ſed prioriſſæ titulum jam exuerat.

C. XIII. p. 62. col. 2.

III. Pontia ſeu Ponza reperitur in duobus antiquis inſtrumentis 1183. 1184.

IV. Belizendis 1184. excepit donum Guillelmi de Auriaco, & eodem anno donum *Gerardi Raimundi*. Anno 1188. Hugo epiſcopus Ruthenenſis Belixendi prioriſſæ eccleſiam S. Petri de *Caſſac* annuente Guillelmo archidiacono conceſſit. Anno 1190. donatur eccleſia B. Mariæ ab Raimundo epiſcopo Lodovenſi, & facit quoddam excambium cum Ademaro abbate Vabrenſi, menſe Julio. Eidem Belixendi 1191. *Berengarius Delpunt* & *Brunixens* ejus uxor, pro mille ſolidis Melgorienſibus mittunt in pignus, honorem quem habebant in parochia ſancti Romani de *Tarn*. Occurrit etiam in variis actis ad 1205. Tempore hujus prioriſſæ dominus de Claromonte exemit monaſterium ab omni leuda, pedagio, &c. litteris datis die XI. Aprilis anno 1195.

V. Petronilla II. 1205. 1206. Excepit donum *Arnaldi de Turre* & *Angleſiæ* ejus uxoris. Reperitur etiam 1207.

VI. Agnes I. quædam acquirit 1208. 1209. Obedientiam & reverentiam exhibuit Petro Froterii Lutevenſi epiſcopo, pro dictis eccleſiis de Cornelio, &c.

VII. Aidelina 1216. tranſigit cum *R. Aldeberti* ſequeſtro P. abbate Salvanienſi. Eidem Aidelinæ *Aimeriens* vicecomes Narbonenſis, & *Margarita* ejus uxor 1217. donant beſtiam unam oleo oneratam ſingulis annis in caſtro S. Petri de Claro, initio Quadrageſimæ.

VIII. Petronilla III. 1225.

IX. Sibionda de Avena 1231. in variis actis epiſcopi Lodovenſis.

X. Sibilla præceſſit Tiburgam.

XI. Tiburtia, ſeu Tiburga de Vintro, quæ acquirit quædam prædia 1233. 1235. 1238. 1241. hactenus cum prioriſſæ titulo in variis actis occurrit, etiam anno 1246. quo caſtrum de Peira (*la Peire*) ipſi ceſſerunt Deodatus de Caſtrolucio (*Chatlus*) ejuſque uxor Maria. Sed anno 1251. 1252. 1253. abbatiſſæ nomen & dignitatem aſſumſit prima [a]. Cum Begone abbate Vabrenſi tranſegit 1253.

XII. Agnes II. de Claviers 1254. excepit donum Bernardi Gauberti. 1258. ab Hugone comite Ruthenenſi filio Henrici comitis accepit litteras, quibus ille confirmavit donum ab Hugone comite Petronillæ prioriſſæ olim factum. Cum Petro præceptore domus ſanctæ Eulaliæ militiæ Templi permutationem fecit 1259. Prioratum ſancti Sulpicii in diœceſi Toloſana 1267. fundavit & dotavit; cujus fundationis chartam in inſtrumentis conſulendam edidimus. Cum capitulo Ruthenenſi quædam permutavit, pridie kal. Julii anno 1266. Eidem Agneti abbatiſſæ Alfonſus frater regis Franciæ, & comes Pictaviæ & Toloſæ confirmavit, ea quæ habebat in caſtro de *Rupe-abel*, & in loco de *Alcaſio* 1270. Eccleſiam ſancti Baudelii cum

C. XIV. p. 62. col. 2.

Ex tab. eccleſ. Ruthen.

[a] Alii volunt in abbatiam jam erectum fuiſſe Nonnaticum, ante id tempus, quo evaſit in nobile & opulentum cœnobium.

Petro abbate ſancti Salvatoris Lodevenſis permutavit 1275. Hominium Petri Pelfort domicelli recepit eodem anno. Occurrit etiam in quibuſdam actis 1279.

XIII. Beatrix I. 1280. tranſigit cum incolis S. Johannis de Dalmaſio,

XIV. Agnes III. 1282.

XV. Ermengardis de Arpajone 1283. excepit donum Guillelmæ Ganaldonæ. Cum Guillelmo de S. Mauritio milite domino de Montepavone tranſigit 1284. quo etiam anno quædam prædia acquiſivit a Deodato Robal milite, domino de Montalegre. Ejus etiam nomen cum titulo abbatiſſæ reperimus in variis actis 1289. 1290. 1292. 1293. Poſtea a capitulo generali depoſita fuit; poſt cujus dejectionem ea adhuc vivente, nec cedere volente tres reperio abbatiſſas.

XVI. Margarita I. 1293.

XVII. Agnes IV. 1293. Memoratur etiam 1296. in ſententia arbitraria ipſam inter & incolas de Roca-bella pro paſcuis.

XVIII. Ranſa I. de Villareto Ermengardi depoſitæ ſubrogata cum abbatiſſæ titulo reperitur in veteri inſtrum. Salvan 1295. ſed cum nihilominus Ermengardis dignitatem retineret, re ad ſummum pontificem delata, Bonifacius VIII. reſcriptum dedit ad Gaucelmum Magalonenſem, & fratrem Iterium Lodovenſem epiſcopos, ut de utriuſque jure cognoſcerent; qui auctoritate apoſtolica utramque cedere cogentes, Elixim elegerunt.

XIX. Elix de Fara prioriſſa monaſterii Medii-montis in diœceſi Claromontenſi, a Magalonenſi & Lodovenſi epiſcopis abbatiſſa anno 1299. conſtituitur. Cum Guillelmo de Rupefolio domino de Verſols tranſegit an. 1309. & cum Petro de Chauderac præceptore S. Felicis ordinis ſancti Johannis Jeroſol. eodem anno XVI. Kal. Octobris.

XX. Ranſa II. incolis de la Peyra quædam prædia conceſſit 1311. Caſtrum de Peyra a Deodato de Caſtro-lucio acquirit 1320. Occurrit etiam in variis actis 1321. 1324. 1326. 1328.

XXI. Marqueſia de Roca-folio hominium præſtat Bernardo epiſcopo Lodevenſi 1328. Cum priore S. Amantii tranſegit 1329.

XXII. Braida I. in quibuſdam inſtrumentis ſeu regiſtris epiſcopi Lodovenſis 1331. 1333. reperitur, & in variis monaſterii tabulis 1341. 1344.

XXIII. Beatrix II. 1347.

XXIV. Braida II. dicta Sammarthanis de Rocoſel, quod cognomen in chartis non reperimus, 1348. 1349.

XXV. Florentia ſoror Petri de Agrifolio Claromontani, tum Vabrenſis, & Raimundi de Agrifolio Ruthenenſis epiſcoporum, ut liquet ex ejuſdem Raimundi teſtamento. Sedebat 1351. 1355. 1357. 1358. 1365.

Baluz. in notis ad vit. pap. Aven. col. 505.

XXVI. Iſabellis de Roca-folio varias recipit recognitiones 1368. 1369.

XXVII. Alixendis de Monte-mirato 1371. ab incolis de Peyra de Sorga hominium recepit. Ad parochialem eccleſiam S. Pauli præſentavit 1374. Occurrit etiam 1379. Eam Sammarthani conſignant ad 1387. Raimundi du Rieux donum recipit 1384. Forte æmulam habuit Marquiſiam de Rocafolio, quam legimus electam anno 1368. obedientiam profeſſam eſſe præſuli Lutevenſi, ex Lutevenſi pontificio fol. 296. & ad annum 1373. quo obiit VI. Kal. Maii, ſuperſtitem fuiſſe.

XXVIII. Helena, cui cognomen *Lourdelli** attribuunt Sammarthani, præerat 1390. quo anno reperimus eam in duobus ſaltem inſtrumentis, & 1391. Eidem 1395. hominium præſtat Andreas Rogerius de S. Stephano. Anno 1404. Deodatus de Claro-monte confirmat immunitatem ab omnibus vectigalibus & juribus canobio jam conceſſam, in gratiam Helenæ abbatiſſæ ſuæ conſanguineæ, ac Iſabellæ, necnon Helipidis filiarum ſuarum. *Datum* XI. *Aprilis præfati anni.* Sedebat adhuc anno 1405.

* al. Lordelli.

XXIX. Flos de Caſſiliaco 1410. recenſetur in charta Berengarii & Azemarii Martini de Bello-monte. Exhibet hominium Bonæ de Berry & Bernardo d'Armagnac ejus filio comiti Armaniaci & Ruthen. die 7. Octobris an. 1418. ubi Flora dicitur. Eamdem Florentiam de Caſſiliaco dictam reperio 1444. & Florem de Caſſiliaco 1448.

XXX. Beatrix III. de Caſſiliaco ſuperioris conſanguinea, imo ſoror, ut nonnullis placet, & coadjutrix, cœpit regere, & nuncupari abbatiſſa 1455. 1458. Obiit 1463. V. idus Maii, ex Sammarthanis fratribus.

XXXI. Borguina, *al.* Burgunda de Caſtro-novo ſedebat 1465. & 1466. Cum capitulo Ruthenenſi tranſegit 1467.

XXXII. Johanna I. de Caſtro-novo dat ad accapitum quædam prædia 1480. Anno 1486. adhuc præfuiſſe probatur ex tabulis.

XXXIII. Catharina de Turre 1497. tranſegit cum incolis de Roca-bella. Præerat etiam 1501.

XXXIV. Johanna II. de Caſtro-novo, defuncta 21. menſis Septembris 1507.

XXXV. Delphina de Rupefolio electa 7. Octobris 1507. bulliſque obtentis poſſeſſionem iniit 27. Novembris. Benedictionis munus ab Euſtachio epiſcopo Sanctonenſi accepit 9. Aprilis 1508. Reſignavit ſequenti 1513.

XXXVI. Margarita II. de Rocafolio, ex parthenone Veteris-muri ordinis S. Benedicti aſſumta per reſignationem Delphinæ bullas accepit a concilio Piſano Lugdunum tranſlato, datas XIX. Kal. Februarii 1513. Reſignationem quam in gratiam Margaritæ de Rocafolio fecerat revocavit 1538. Sedebat adhuc 1540.

XXXVII. Ludovica de Rocafolio præerat 1553. quo tranſegit cum incolis de Roca-bella. A fide defecit 1559.

XXXVIII. Blanca de Rocafolio vacantem abbatiam per ſacrilegum matrimonium Ludovicæ de Roqueſeüille obtinuit, bullas vero IV. Kalend. Junii ejuſdem anni. Poſſeſſionem adepta 19. Auguſti menſis inſequentis, adverſariam paſſa Helenam de Rabaſtens.

XXXIX. Ludovica de Pratis de Montpezat ſoror Antonii de Pratis de Montpezat, Franciæ mareſcalli, bullas accepit datas Romæ XI.

Kalendas Septembris 1560. Poſſeſſionem iniit 22. A Junii 1561. tranſegitque cum Helena de Rabaſtens, & cum Bertrando & Philippo de Rabaſtens vicecomite & barone de ſancto Paulino. Ejus tempore monaſterium a perfidis ſectariis in favillas redactum, infinita prope detrimenta accepit, deſtructo etiam ſancti Johannis de Oleaſio * caſtro ab eodem monaſterio dependente, abbatiſſa ſapientiſſima vix mortem evadente. Ceſſit & exceſſit 1595.

* d'Olet.

XL. Margarita III. de Pratis de Montpezat per obitum præcedentis eligitur 29. Auguſti 1595. adverſariam paſſa Franciſcam de Ballaguier abbatiſſam ſancti Saturnini Ruthenenſis B quæ breve regium per ſubreptionem obtinuerat, adverſus quam arreſtum obtinuit 1596. Soror fuit ex matre ducis Meduanenſis (*de Mayenne*) famoſiſſimi in bellis, quæ colore quæſito tuendæ in Gallia veræ ac avitæ religionis, diu regnum ſciderunt. Hunc occiſum in obſidione Montalbanenſi luxit. Margarita hæc multa in monaſterii commodum bona effecit. Vivere deſiit 27. Aprilis 1660.

XLI. Anna Suſanna de Simiane de Gordes, nata ex illuſtriſſimo marchione de Gordes, primæ ſtipatorum regis cohortis duce, torquato equite, regique Chriſtianiſſimo a ſanctioribus conſiliis, & ex Gabrielide de Pontavex de Carces, ſoror Ludovici-Mariæ-Armandi epiſcopi Lingonenſis, monialis Viennenſis ſanctæ Columbæ parthenonis ætatis ſuæ 23. monaſterio præficitur 1650. illudque reſtauravit, argenteamque pro eccleſia ſuppellectilem ex pecuniis a Margarita de Montpeſat ſibi relictis comparavit. Obiit 28. Aprilis 1694.

XLII. Elizabeth de Bermond, du Caylard, de S. Bonet, de Toiras, d'Amboiſe, abneptis Joannis de Toiras, Franciæ mareſcalli, filia Ludovici de Bermond, de Caylard, de S. Bonet, marchionis de Toiras, præfecti caſtrorum, urbis & arcis Montis-peſſulani gubernatoris, &c. & Eliſabethæ d'Amboiſe ſororis Franciſci Jacobi comitis d'Aubijou, ex moniali de Vignegolio, nominatur 29. Maii 1694. benedicta a Magalonenſi epiſcopo 8. Septembris, poſſeſſionem iniit eodem anno 2. Octobris. Hactenus feliciter & ſummo omnium bono præeſt.

QUÆDAM ADDENDA.

Addenda abbatibus Galliacenſibus dicc. Albienſis. C

GAudemarus abbas Galliacenſis in necrologio veteri ſancti Roberti de Cornilione notatur obiiſſe v. idus Julii, ſed ignoramus quo anno. Omittitur in abbatum catalogo.

Notanda de Antonio LII. epiſcopo Mimat. col. 103.

Hujus epiſcopi electionem *nequicquam* a Ludovico rege XI. probatam eſſe diximus; ubi legendum *nequaquam*. Sed hic perpendendum utrum Antonius ad epiſcopatum ſit promotus D Ludovico rege non probante. In manus noſtras incidit epiſtola Pauli papæ II. ad hunc regem, in qua præfatur majeſtatem Chriſtianiſſimam ſibi commendaſſe per litteras Antonium de Panuſia olim cantorem eccleſiæ Mimatenſis, tunc epiſcopum Mimatenſem, ut eum promoveret ad dictam eccleſiam quæ vacabat per anteceſſoris reſignationem. Litteræ pontificiæ datæ ſunt die 8. Januarii anno MCCCCLXVIII. pontificatus anno 4. unde ſequitur gratam fuiſſe regi promotionem hanc. At vero eam poſtea diſplicuiſſe Ludovico pene lego in his papæ verbis: *Hortamur ſerenitatem tuam . . . . ut ipſi Antonio moderno epiſcopo Mimatenſi faveas in poſſeſſione prædicta eccleſia aſſequenda, quod nobis gratiſſimum erit, & tua ſerenitate dignum.* Cur enim papa regem hortaretur, ut Antonio faveret, ſi eum noviſſet in id propenſum? Hanc pontificiam epiſtolam habuimus ex ſchedis noſtrorum Sammarthanorum, qui eam erutam dicunt ex camera computorum.

Addenda abbatiſſis S. Saturnini.

In abbatiſſis S. Saturnini Ruthenenſis omiſſa eſt Franciſca de Ballaguier, reponenda poſt Annam de Caſtelnau, quæ eſt in catalogo undecima.

Digitized by Google

Digitized by Google

Pag. 284

Notæ sequentes designant Dignitates Ecclesiasticas

- Sedes Archiepiscopales.
- Sedes Episcopales.
- Abbatias Virorum.
- Abbatias Mulierum.
- Abbatias non amplius existentes vel loca mutatas.

Litteræ sequentes designant varia Nomina ordinem etc

- O S B ordinem Stⁱ Benedicti
- O Cist ordinem Cisterciensem
- O S Aug ordinem Stⁱ Augustini
- Cⁱᵃ Designat loca ubi habita sunt Concilia
- Cast vel Cⁱᵃ Castrum.
- R Rivus

30 23

PARS PROV. VIENNENSIS

DIOE

VAPINCEN

PROVINCIA

DIOECESIS SISTARI-CENSIS

DIOECESIS APTENSIS

DIOECESIS

AVENIONENSIS

PARS PROV. NARBONENSIS OCCIDENS

PARS PROVINCIÆ AQUENSIS

PROVINCIÆ

Vivarium

Buryum St Andeoli

Augusta Tricastinorum Villa St Pauli Tricastinensis

Pons St Spiritus

Vasio

Arausio

Carpentoracte

S. Andreas

C. Avenio

Barbentana

Tarasco

Arelas

Cabellio

Mons Ventosus

Saltus

Sorgia Fl.

Durentia Fl.

Fossæ Marianæ

Mons Albanus

Auriopra

Maximo

de Aguilonis

Castrum de Burgo

Sistaricum Segustero-rum Sistaron

Armarolicum

Banonum

Simiana

Vallis St Cir.

Vinosum

Apta Julia

Cereste

Mons Leberonius

Mons Maurus

Vienna

Valentiola

Cast de Greola

Castrum Rhodani

Castrum de Lambesco

Cast. de Ventabrenc

Aquæ Sextiæ

Cast. de Boco

Cast. de Trictis

St Saturnini

Gredarque

Insula

Speculæ Massilienses

Massilia

Ostium majus Rhodani

MARE MEDITER

Liébaux Sculpsit

30 23 30

GALLIÆ CHRISTIANÆ NARBONENSIS SECUNDA PROVINCIA ECCLESIASTICA AQUENSIS

Continens Dioeceses
Aquenſem, Aptenſem,
Regenſem, Forojulienſem,
Vapincenſem & Siſtaricenſem.

Deſcripta a J.B. Nolin
Regii Geographi filio.

Scala Leucarum

Leucæ Provinciæ.
1 2 3 4 5 6 7 8

Leucæ majores Gallicæ.
1 2 3 4 5 6 7 8

Leucæ Horariæ.
1 2 3 4 5 6 7 8

SEPTENTRIO 24 30 25

MERIDIES 24 30

ORIENS 44 30

PARS PROVINCIÆ

EBURODUNENSIS

ARELATENSIS

RANEUM

CESIS

SIS

DIOECESIS

ENSIS

DIOECESIS

FOROJULIENSIS

ESIS

S. Benetus

Vapincum

Caergum Caturigo-magus

Castrum de Tallardo

Carbonum

Motta

Bayons

C. Dromoni

Abbatia Clarissarum de Balma

S. Petrus de Subrapio O.S.B.

Spelonacum

Forta

Thoarcum Theopolis Thouard

Mirabel

Scala

Blovas

Digna

de Medis

Spinasa

Podium Michaelis

Sanitium Senez

de Stoblono

Monasterium

Alebece

Apolinaris vel Reios

Castrum de Berduengio

Suenon

de Castro Veteri

Cast: de Comps

de Berjamons

de Podio Bersono

Cast de Alps

B. Maria de Floregia

Tourtour

Villa Crosa

Barjols

Pontevez

Castrum Draguignan

Lauriea

Lauruas

B. Maria de Correna

Torrenteum B. Maria de Floregia O.C.R.

Pons Argenteus

Arcia Villa O.S.B.

Cast. de Cabassia olim Matavorium

Castrum de Pugeto

FORUM JULII Forojulii

Pignarianse Castrum

Guardia Fraxineti

Ostium Argentei

Orinoldum Forte Athanopolis

Forum Sti Eutropii C. de St Trope Forte Heraclea Cacaberia

Nicæa

Graasa

Antipolis

Lero Lerina Insulæ

Castrum Avenionetis la Napoule

GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

PROVINCIA AQUENSIS,
SEU NARBONENSIS SECUNDA,
cujus metropolis Aquæ-Sextiæ.

CIVITAS AQUÆ-SEXTIÆ dicta, nomen ſumſit tum ab aquis ibi ſcaturientibus, frigidis & calidis, tum a Caio Sextio Calvino conſule, qui ibidem hiberna habuerat, & Salios acie vicerat, locoque delectatus cum muro cingi ac ſuo nomine *Aquas-Sextias* appellari voluit. Narrat Velleius Paterculus amplius CL. Teutonorum millia Caium Marium IV. conſulem in prælio trucidaſſe, gentemque hanc exciſam in loco quem *Aquas-Sextias* vocant. Ceterum monet Solinus aquarum hujus loci calorem diuturnitate temporis defeciſſe, *nec jam parem eſſe famæ priori.*

Aquas-Sextias oppidis Latinis accenſet Plinius, Ptolomæus vero coloniis Romanis; quod nummus Veſpaſiani, & veteres quidam lapides a Scaligero & Sirmondo prolati confirmant. In antiquis provinciarum & civitatum Galliæ notitiis, provinciæ Narbonenſis ſecundæ metropolis appellatur civitas Aquenſium, quod utrum de eccleſiaſtica quoque metropoli ſit intelligendum infra expendemus. Nunc etiam caput eſt Provinciæ, ſedes parlamenti ab Ludovico rege XII. inſtituti, cameræ computorum, ſubſidiorum curiæ, quæſtorum conſeſſus *. Hanc etiam urbem commendat academia ſive univerſitas ſtudiorum, ab Alexandro papa V. fundata. Eccleſia Aquenſis jus metropolis habet in quinque alias epiſcopales, *Aptenſem*, *Regienſem*, *Forojulienſem*, *Vapincenſem*, atque *Siſtaricenſem*. Majus templum dedicatum eſt Chriſto Servatori transfigurato, capitulum habet præpoſitum, archidiaconum, ſacriſtam, capiſcolum, qui titulo dignitatum gaudent, & 13. canonicos. Olim eos fuiſſe regulares ſancti Auguſtini regulæ addictos probat teſtamentum a Ludovici de Cadeneto, ſcriptum an. 1450. In eccleſia, more vetuſtiorum obſcura, viſitur baptiſterium ex marmore ſtupendi operis, ob ſingularem elegantiam; & in choro duo comitum provinciæ ſepulcra. Urbs licet montana, fluviolo Arcu * alluitur, quam nunc ſpectabilem reddunt baſilica* vel domus conſularis, aliaque tum publica tum privata ædificia. Præter commemoratam ſupra academiam habet collegium patrum Societatis Jeſu. Nulla nunc in diœceſi proprie abbatia eſt: ſuo tamen loco dicemus de Silvacana, cujus recens eſt memoria, & de Arta-cella, quæ abbatia vocatur aliquando. Nunc vero ad Aquenſium antiſtitum hiſtoriam aggrediamur, poſt Sammarthanos fratres, qui ultro profitentur, in deſcribendis horum præſulum actis adjutos magnopere fuiſſe variis codicibus manuſcriptis & ſchedis exquiſitæ bibliot. Peireſkianæ. Nobis vero longe plura adfuerunt ex tabul. & virorum doctorum muſæis ſubſidia, quæ ſuo loco non diſſimulabimus.

*Gassendi

a

*P. Ant.

*Hist. Vale.

a Teſtamentum L. de Cadeneto: *In nomine, &c. Anno ab incarnatione ejuſdem* MCCCCL. *& die Jovis* 3. *menſis Decembris, regnante ſerenissimo & inclito principe, ac domino Renato, Dei gratia Hieruſalem & Siciliæ rege, duce Andegaviæ, Barri & Lotharingiæ, Furo comitatuum Provinciæ & Forcalquerii, notum ſit, quod cum nihil morte certius, nihilque incertius hora, &c.... Ego Ludovicus de Cadeneto habitator Lambeſci, filius quondam nobilis Bertrandi de Cadeneto de civitate Aquenſi, & de domicella Catharina de Sabran, ſanus mente & memoria, &c. Volo diſponere de bona mea & ultima mea voluntate, in primis, &c. ego dictus teſtator, &c. Item lego filio meo Laurentio de Cadeneto canonico regulari ſancti Auguſtini in eccleſia divi Salvatoris Aquenſis, quinque ſolidos ſolvendos ſemel tantum, in deductis per heredem meum infra ſcriptum, &c. Petrus Gayeti notarius Lambeſci.*

ANNI CHRISTI.

ARCHIEPISCOPI AQUENSES.

ANNI CHRISTI.

I. S. Maximinus.

COmmunis eſt ſententia primum Aquenſium epiſcopum appellatum Maximinum; ſed quis ille fuerit, quo ſederit tempore, quidve geſſerit, divinare non audemus. Pro dubiis enim, ne dicam falſis, nunc habentur inter eruditos fere omnes, quæ vulgo aiunt; mota Jeroſolymis in J. C. diſcipulos perſecutione, poſt obrutum lapidibus ſanctum Stephanum, Lazarum, Mariam-Magdalenam, Martham, Marcellam ejus pediſſequam, Maximinum & Chelidonium, in quos Judæorum odium maxime fervebat, non ſolum Jeroſolymis pulſos, ſed etiam navi abſque remigio in certum mortis periculum impoſitos, divina providentia ad oram Provinciæ appuliſſe; & Maſſilienſium quidem Lazarum epiſcopum creatum eſſe, Aquenſium vero Maximinum.

II. S. Sedonius.

S. Sedonius, quem alii Chelidonium vocant, C ſucceſſor ſancto Maximino ab omnibus datur in ſede Aquenſi; hunc que tradunt fuiſſe cæcum illum a nativitate, cujus oculos Chriſtus dominus aperuit & luce donavit. Ad abolendam vero tanti miraculi memoriam, Judæos eum mari ad certum naufragium commiſiſſe, cum Lazaro, ejuſque ſororibus. Hæc vero toties a viris doctis verique ſtudioſis exſufflata ſunt, ut eadem retractare tædeat.

Poſt Sedonium, 14. alios epiſcopos adducit Bouxius (*Bouche*) prorſus ignotos; quos utpote ſine probatione intruſos & invectos reprobamus. Nec parcendum putamus *Tripherio*, qui D poſt illos quatuordecim recenſetur in epiſcoporum catalogo ad nos miſſo. Adfuit quidem concilio Taurinenſi anno 397. quidam epiſcopus nomine Tripherius; ſed cui ſedi adſcribendus ſit ignoratur; de ejus enim ſede altum ſilentium hac in ſynodo epiſcoporum Galliarum, qui fere omnes puro nomine appellantur, nulla facta ſedis mentione.

Nullus tamen dubito a ſeculo ſaltem tertio Aquas-Sextias ſuos habuiſſe epiſcopos; quandoquidem finitimas urbes pene omnes jam factas ſedes epiſcopales nobis compertum, ut poſtea oſtendemus. Verum qui ſedem Aquenſem rexerint tertio quartove ſeculo nos fugit. E

III. Lazarus.

Primus certo nobis cognitus Saliorum, ſeu Aquenſium epiſcopus, eſt Lazarus, qui Chriſti anno 417. jam ſedebat, cum de illo Zozimus papa a Cæleſtio Pelagii ſocio deceptus, ſcripſit ad Africanos epiſcopos epiſtolam tertiam, & ad epiſcopos Africæ, Galliæ, & Hiſpaniæ epiſtolam ſeptimam. Nimirum Lazarus cum Herote Arelatenſi epiſcopo, Cæleſtium infectatus fuerat; indeque in ſanctos pontifices Pelagianorum hæreticorum iræ ac calumniæ. Quapropter ſanctitati Lazari officere non debet, quidquid de eo in Zozimi legitur epiſtolis[a]. Inter cetera Zozimus exprobrat Lazaro, quod fuerit in ſynodo Taurinenſi calumniæ damnatus, cum Briccii innocentis epiſcopi Turonicæ civitatis vitam falſis objectionibus appetiiſſet; quem tamen poſtea ordinatum epiſcopum queritur, ab ipſo Proculo Maſſilienſi epiſcopo, qui unus erat ex judi- B cibus a quibus fuerat condemnatus. Aliud gravius ei exprobrat, quod in ipſum penetrale & ſacerdotale ſolium ſanguine innocentis pene reſperſum irruperit: *Stetitque*, inquit, *in eo hactenus umbra ſacerdotii, donec in tyranno imago ſtaret imperii.* Sed hæc ſcripſit Zozimus dolis & calumniis Cæleſtii deceptus. Ceterum ultima ejus verba nos docent Conſtantinum qui imperium in Galliis uſurparat contra Honorium Auguſtum, faviſſe Lazaro; & viciſſim forte Lazarum ab ejus partibus ſtetiſſe; unde Conſtantino interemto, epiſcopatu ſe abdicaſſe dicitur. Ceterum in concilio Taurinenſi, ne verbum quidem occurrit de Lazaro pro calumniis damnato.

IV. S. Basilius.

S. Baſilius interfuit exſequiis S. Hilarii Arelatenſis epiſcopi, ex ejuſdem vita, auctore ſancto Honorato, cujus hæc verba ſunt: *Sancti Baſilii tunc presbyteri, nunc pontificis ſummi invenit induſtria, ut maximam partem cooperturi* (quo tegebatur corpus ſancti Hilarii, dum ad ſepulturam deferebatur) *utraque manu dilaceratam..... arriperet, & longius recedens dividendo populis erogaret*, ut videlicet turbam eorum qui confluebant ad diripiendam *aliquam fimbriam*, & funus impediebant, removeret. Porro hæc de Baſilio epiſcopo Aquæ-Sextienſi Jacobus Sirmondus, ſumma eruditione & pietate inſignis Societatis Jeſu presbyter, interpretatur, & poſt ipſum Queſnellius in nota ad vitam S. Hilarii. Quod ſpectat ad tempus quo ſedit Baſilius, conſtat eum adhuc fuiſſe in gradu presbyterii anno 449. quo ad Deum migravit S. Hilarius. Idem 449. Sirmondus ex Sidonii Apollinaris lib. VII. arguit eum ipſum eſſe Baſilium cujus meminit epiſt. 6. & quem orat ut Eurico rege Gothorum Ariano in orthodoxos ſæviente, ſollicitudine paſtorali invigilet deſolatis cura diœceſibus parochiiſque quas limes Gothicæ ſortis includit.

V. Maximus.

Hic epiſcopus notus eſt ex plurimorum conciliorum ſubſcriptionibus; videlicet Arauſicani II. anno 524. Vaſenſis eodem anno, Aure- 524. lianenſis IV. anno 541. ubi nomen ejus ſedis, 541. quod deſideratur in aliis duobus, enuntiatur.

VI. Avolus.

Concilio V. apud Aurelianum habito poſt

[a] Legé præſertim epiſtolas tertiam, quartam, ſeptimam, ac notas poſthumas J. Sirmondi ad ipſas.

ANNI CHRISTI 549. Theodeberti regis mortem, anno 549. v. cal. A Novembris adfuit Avolus & subscripsit; ac paulo post concilio Arvernensi secundo, in quo 16. canones selecti ejusdem concilii Aurelianensis approbati promulgatique sunt. Anno denique 554. 554. cum plerisque finitimarum civitatum episcopis, Aptensi, Forojulienſi, Cavellicensi, &c. Arelatensem synodum sub Sapaudo primate celebravit. Idem esse videtur Avolus episcopus concilii II. Parisiensis an. 555. *al.* 551. cujus sedes tacetur.

VII. Franco.

Franco regnante Sigeberto Aquensem pontificatum obtinuit, isque divino quodam judicio B
95. Mirac. B. Metria * Aquensi confessore ad Deum exorante a calumnia liberatus est; quod imprimis ostendit luculente Gregorius Turonensis episcopus, antiquissimus & fidelissimus Francorum historiæ scriptor, lib. de gloria confessorum cap. 71. *Aquensibus*, inquit, *est concessus inclytus athleta Metrias, vir..... magnifica sanctitatis..... Tempore igitur quodam cum Franco episcopus hujus municipii ecclesiam gubernaret, Childericus, qui tunc primus apud Sigebertum regem habebatur, villam ejus competit dicens: quia injuste ab Aquensi ecclesia retineretur; & dicto citius convenitur episcopus, datisque fidejussoribus, in præsentia regis adsistit clamans & obsecrans, ut rex ab hujus causa audientia præsentiam suam averteret, ne cœlesti judicio condemnetur..... Conjuncti auditores causam discutiunt: insurgit Childericus, atque improperans, criminibus exacervatum episcopum, quod res fisci ditionibus debitas, iniquo ordine retineret; extrahi eum vi a judicio jubet, & ablata per judicium præsentium villa, trecentis aureis condemnavit..... Denique condemnatus, spoliatusque sacerdos, ad urbem rediit, atque prostratus in orationem, coram sepulcro sancti, dicto psalmi capitulo ait: Non hic accendetur lumen, neque psalmorum modulatio canetur, glorioſissime* D *sancte, nisi prius ulciscaris servos tuos.... Nec mora, corripitur pervasor a febre, &c. Episcopus autem obtinuit ultionem de inimico ecclesiæ, quam promiserat, per athletæ Dei virtutem.* Hactenus Gregorius, qui prolixiorem narrationem conscripsit; atque ita certo constat vixisse Franconem
561. post annum 561. quo Sigebertus regni habenas
566. suscepit. Noster Ruinartius hoc factum refert ad annum Christi 566. in notis ad Gregorium Turonicum.

VIII. Pientius.

Pientius, quem alii Piencum vocant, sede- E
581. bat anno 581. quo tempore Theodorus Massilienſis episcopus vexatus a Dynamio rectore Provinciæ & a clericis suis, eum misericordem & beneficum expertus est. Cum enim ad Guntramnum regem Theodorus ab adversariis miserabili equo impositus, per Aquensem deduceretur urbem, Pientius *condolens fratri, datis clericis ad solatium, impositisque necessariis*, ipsius molestias lenire conatus est. Quare laudatur a Gregorio Turon. lib. VI. hist. cap. XI. An.
585. 585. idem Pientius, cum concilio Matisconensi
II. non posset adesse, per missum seu vicarium aut legatum ipsi subscripsit.

ANNI CHRISTI.

IX. Protasius.

Ex vicedomino ecclesiæ Arelatensis sub Sapaudo metropolitano, creatus est episcopus, uti nos docet epistola 55. S. Gregorii magni lib. VI. *Invet. edit. lib. 1.* ad eundem scripta. Jam regebat Aquensem ecclesiam anno 595. aut 96. quo scripta est hæc 595. epistola, in qua sanctissimus pontifex dicit se ab Augustino servo Dei, quem in Angliam miserat prædicandæ fidei causa, edoctum de affectu & studio veritatis quo ardebat Protasius. Gratias agit de *excellenti* ipsius erga B. Petrum amore & devotione *circa Romana ecclesiæ utilitates.* Simul adhortatur, ut Virgilium Arelatensem episcopum de mittendis Romam pensionibus, quas ipsius prædecessor per annos plurimos de *patrimonio* Romanæ ecclesiæ perceptas apud se retinuerat; quod ipsi non ignotum, qui tunc temporis in Arelatensi ecclesia curam vicedomini gesserat. Vicedomini enim officium erat, res ecclesiæ aut episcopi temporales administrare ac tueri, uti nos docet sancti Gregorii epist. 71. lib. XI. novæ nostræ editionis. Protasii nomen legitur subscriptum in fragmento privilegii, cui consensum præbuerunt multi episcopi, qui usque ad seculum septimum medium pervenerunt. Concessum legitur pro reverentia Faronis Meldensis episcopi, & forte pro cœnobio S. Crucis, seu S. Faronis quod fundavit anno circiter 628. asservatur autem in bibliotheca S. Genovefæ, estque editum tom. IV. annal. Mabillon. in appendice p. 752. Post Protasium desunt multi episcopi in catalogis; neque enim admittimus, quos Buxius ad illos replendos, nulla adhibita ratione accersit.

X. N.

In concilio Francofordiensi anno 794. cele- 794.
brato anonymus episcopus Aquensis, cum Tarentasiensi & Ebredunensi petiit, ut honor metropoliticus suæ sedis imminutus, in integrum restitueretur. Hic videtur esse sensus canonis octavi laudati concilii, ut interpretatur Sirmondus in nota ad hunc canonem. Porro operæ pretium est paulo morosius huic quæstioni de jure metropolitico Aquensis ecclesiæ enucleandæ incumbere, maxime ex his, quæ hac de re viri docti Petrus de Marca *a*, Sirmondus, Carolus Cointius, & alii scripserunt. Episcopum Aquarum-Sextiarum metropolitanum fuisse secundæ Narbonensis, post divisionem provinciæ Narbonensis in duas, quod jam factum erat an. 411. in confesso est apud omnes, ita tamen ut a primæ Narbonensis episcopo tamquam a primate penderet. Postquam vero Narbonensis metropolis a Gothis occupata est, Aquensis præsul, qui extra Gothorum potestatem erat, excussit primatis jugum. Sed Arelatensis episcopus Cæsarius per Ægidium abbatem & Messianum notarium a Symmacho papa postulavit, ut eum cogeret adesse Arelatensis provinciæ synodis; annuitque summus pontifex, ut liquet ex ejus epist. X. In concilio Francofordiensi habito an. 794. iterum de jure metropolitico Aquensis episcopi

a Vide P. de Marca histor. Benearn. l. 1. c. 29 Sirmondum in notis ad can. 8. concil. Francofurd. Cointium ad an. 794. n. 31.

y Google

ANNI CHRISTI.

mota eſt quæſtio, ad quam finiendam *legatio facta eſt ad ſedem apoſtolicam*, ut probat canon octavus Francofordienſis, quo etiam præcipitur, ut *quidquid per pontificem Romanum definitum fuerit, hoc teneatur.* Ad quem canonem Sirmondus: *Etſi*, inquit, *tres iſtæ civitates* (Tarantaſia, Ebredunum, Aquæ) *jam olim capita & metropoles erant ſuarum provinciarum, videntur tamen illarum epiſcopi ſuperioribus ſeculis ſub aliarum provinciarum metropolitanis fuiſſe.... Aquenſis ſub Arelatenſi.* Hanc eſſe cauſam cur Carolus magnus teſtamento ſuo ſingulis metropolitanis multa tribuens, Aquenſis nullam fecerit mentionem, autumat Petrus de Marca; videlicet quod etſi metropolitanus, non eſſet αὐτοκεφαλὴς, ſed imminutæ auctoritatis.

XI. Benedictus.

Unus fuit ex metropolitanis, quos ad concilium Lugdunenſe convenire voluit Ludovicus Pius imperator anno 828. Idem Benedictus an. 15. imperatoris Ludovici, qui reſpondet anno 828. XVII. Kal. Aprilis, ſubſcripſit donationi factæ monaſterio Lirinenſi, ab Leybulfo viro illuſtri.

828. *Vide Coinn ad an. 828. n. 3. 8. 11. & ad an. 829. n. 113.*

XII. Rotbertus.

Rotbertus I. ſynodo Mantalanenſi territorii Viennenſis adfuit, in qua regis nomen Boſoni, ab Arelatenſis regni proceribus, epiſcopiſque delatum eſt idibus Octobris anno 879. Ad eundem ſcripſit Johannes papa VIII. epiſtolam 191. in cauſa Nemauſenſis epiſcopi, qui monaſterium aliquod ad eccleſiam Romanam pertinens uſurparat, monachis inde pulſis.

879.

XIII. Matefridus.

Matefridus intereſt concilio Nemauſenſi, in villa Portu a Theodardo archiepiſcopo Narbonenſi celebrato, ſub an. 886. ut prodit ſcriptor vitæ ſancti Theodardi, quæ exſtat tum in monumentis eccleſiæ Narbonenſis, tum etiam apud Guillelmum Catellum ſenatorem Toloſanum, in Septimaniæ commentariis, lib. 5. de archiepiſcopis Narbonenſibus.

886.

XIV. Odolricus.

Hic archipræſul notus eſt tum ex hiſtoria Flodoardi, tum ex ejuſdem chronico, in quo ad annum 928. narrat eum ab Heriberto comite receptum fuiſſe in eccleſia Remenſi, *ad celebrandum dumtaxat epiſcopale miniſterium, vice Hugonis ipſius comitis filii adhuc parvuli.* Quid cauſæ fuerit ut Odalricus eccleſiam ſuam deſereret, & vices Hugonis Remenſis archiepiſcopi adhuc impuberis ageret, Flodoardus tacet. Communis tamen opinio eſt ipſum Saracenorum perſecutione exagitatum fugere coactum fuiſſe. Addit Flodoardus datam Odalrico abbatiam ſancti Timothei apud Remos tantum, cum præbenda canonica. Scrupulum movet nonnullis, quod Odolricus a Flodoardo epiſcopus dicatur, non archiepiſcopus; unde ſubodorantur Odalricum a Flodoardo commemoratum fuiſſe Aquarum Tarbellicarum epiſcopum. At ſolet Frodoardus archiepiſcopos, ſimpliciter epiſcopos appellare, juxta veterem morem, & in chronico jam laudato loquens de archiepiſcopis Turonenſi & Rotomagenſi, ad annum 931. non aliter eos vocat quam epiſcopos. Certe nullus ad id tempus comparet Odalricus in catalogis epiſcoporum Aquarum Tarbellicarum. Ex eodem Frodoardi chronico compertum habemus tunc temporis Saracenos oras Italiæ & Galliæ, maxime vero Provinciæ depopulantes, habuiſſe ſtationem tutiſſimam apud Fraxinetum, in Italorum Provincialiumque confinio. In ſynodo Virdunenſi anni 947. Odolricus Aquenſis commemoratur poſt Artaldum Remenſem, ante Adelberonem Metenſem, & ceteros præſules. De eodem meminit fragmentum hiſtoriæ Franciæ, auctoris anonymi, a Ludovico Pio imperatore, uſque ad Robertum regem. In charta tabularii Floriacenſis, data Hlotarii anno 13. in qua fit mentio Richardi abbatis Floriac. cui confirmantur omnia conceſſa a Ludovico rege Hlotarii genitore legitur: *Geto notarius ad vicem domini Odelrici archiepiſcopi, ſummique cancellarii, recognovit.* Non occurrit autem his temporibus alius Odelricus archiepiſcopus, cui hæc tribuantur quam noſter. Alia eſt ejuſdem regis charta data eodem tempore pro Floriacenſibus, ubi commemoratur hic cancellarius.

ad an. 931.

947.

XV. Israel.

Iſraël adhuc vivente Odolrico qui abdicarat, ſedere cœpit. Teſtis nominatur nonis Octobris anno 12. regnante Conrado rege Alamandorum, vel Provinciæ, cum Boſone comite, & Lamberto judice, in commutatione facta Arelate ex conſenſu Manaſſis archiepiſcopi, Honorati Maſſilienſis præſulis, & Garnerii abbatis ſancti Victoris, inter Teucindam, & Gontarum epiſcopum Forojulienſem, præpoſitumque Arelatenſem, de juribus ſibi & eccleſiæ ſancti Stephani competentibus in inſula Montis-majoris, ad præpoſituram pertinente; cui vice verſa, titulo ceſſionis concedit Teucinda jura ſibi competentia in villa Barcianicis, multaque prædia: cujus rei inſtrumentum reperitur in antiquo originali monaſterii ſancti Petri Montis-majoris prope Arelatem numero 3. Id factum an. Chriſti 950. notatur; ſed referri debet ad annum 948. qui reſpondet anno duodecimo regis Conradi, in charta commutationis Teucindæ notato. Nam ſi annus 38. regni Conradi concurrit cum anno Domini 974. ut legitur in alia Teucindæ charta, quam exhibet Mabillonius ad annum 948. n. 11. annus 12. ejuſdem regis alligari debet anno Chriſti 948.

948.

XVI. Silveſter.

Silveſter ſubſcripſit donationi eccleſiæ ſancti Verani de Valle-cluſa, factæ cœnobio ſancti Victoris Maſſilienſis, a Walcaudo epiſcopo Cavallicenſi anno 979. indictione VII. Silveſter in authentico capituli Arelatenſis num. 3. memoratur archipræſul ſecundæ Narbonenſis cum Lauderico, Thederico (qui fuit epiſcopus Aptenſis) Airardo, Honorato, Pontio, Umberto digniſſimis eccleſiarum ſuarum paſtoribus, ſub Iterio

979. *Ex archivo S. Victoris Maſſil.*

ANNI CHRISTI.

Iterio Arelatensi primate. Ex istis quidem episcopus nullus reperitur in catalogis vulgatis, sed vacat locus quo reponantur circa annum 966. quo circiter tempore factum est istud authenticum. Apud Bouxum legitur quædam epistola Johannis papæ XIII. ad nostrum Silvestrum, quæ in collectione conciliorum desideratur.

XVII. Amalricus I.

991. Hic anno saltem 991. præesse cœperat; quando constat ex charta Theuderici Aptensis episcopi facta hoc anno, indictione IV. pro fundatione 12. canonicorum, id actum cum consilio & voluntate Willelmi totius Provinciæ principis, & domni Annonis Arelatensis archiepiscopi; *recens Amalrici Aquensis archiepiscopi, &c.* Itaque Pontius archiepiscopus recensitus in testamento Willelmi principis & marchionis Provinciæ, quo restituitur ecclesia sanctæ Mariæ monasterio sancti Cæsarii anno 992. non est annumerandus Aquensibus archipræsulibus, quando jam tunc, sedebat Amalricus. Hic Adelaide comitissa petente, confirmat donationem Villæ-pertusi cœnobio Montis-majoris factam VII. kal. Octobris, anno M. indictione XIII. Archinrico abbati ejusdem monasterii postulanti dedit Almaricus quasdam decimas anno 1002. XIII. kal. Novembris indictione I. In alia donatione Pontii Massilienſis episcopi, facta sancto Victori, comitibus Provinciæ Rotbaldo & Guillelmo Adalaidis filio, anno 1005. testis legitur hic præsul. Post multa bona monasterio Montis-majoris collata, mirum est Sergium papam IV. ei quodammodo comminatum esse excommunicationem, ob vexatum idem monasterium, ut legitur in litteris hujus pontificis, quæ asservantur in hujus loci tabulario.

Vide in hoc epise. Apt.

C. I. p. 63. col. 2.

1000.

1002.

1005.

C. II. p. 63. col. 2.

XVIII. Ingilrannus.

Ingilrannus ex canonico Aquensi sancti Salvatoris, dicitur factus Cabellicensis episcopus, deinde translatus ad sedem Aqui-Sextiensem; sed quo tempore, inquirendum. Anno MXIV. adhuc erat episcopus Cavellicensis, ut probatur ex ejusdem litteris. Opponitur quædam donatio facta ecclesiæ sanctæ Perpetuæ anno MXI. indictione IX. sed hoc in instrumento nullatenus legitur Aquensis archiepiscopus; unde pro certo habemus illum ad metropolitanam sedem Aquensium non migrasse, nisi an. MXIV. aut postea; vel etiam nunquam fuisse archiepiscopum.

XIX. Pontius I.

Pontius Aquensis archiepiscopus invenitur anno 1019. in consecratione ecclesiæ sancti Stephani ejus manibus facta. Plurimis collatis ecclesiis sancto Victori Massilienſi, monachos & abbatem celebris hujus asceterii demeruit; qui memores beneficiorum, ea majori suo chartario inscripserunt. Forte idem est cum Pontio, quem perperam anno 992. notatum inter archiepiscopos Aquenses supra monuimus; quo videlicet tempore Amalricus constanter præerat. Alius autem post Pontium gubernavit Amalricus; de quo modo.

1019.

fol. 72. vers.

XX. Amalricus II.

ANNI CHRISTI.

Alter hic Amalricus sedit saltem anno 1032. ex tabulis Montis-majoris, in quibus exstat membrana qua Pandulfus & quidam alii sancto Petro Romæ, & monachis monasterii Voraginis in comitatu Aquensi (Montis-majoris alumnis) sancti Petri & sancti Johannis, seu sancti Severini martyris, vel sancti Stephani de Ungula Cabalii ecclesias cum consilio senioris sui *Amalrici archiepiscopi*, concedunt mense Martio an. MXXXII. 1032. *Dominus Amalricus archiepiscopus firmavit.*

In ampliori Gallia Christiana sequuntur Amalricum Ingilrannus & Fronto. Primum Cavellicensibus episcopis restituimus; alterum vero Sistaricensibus. Certe totum tempus quod ipsis tribuitur in sede Aquensi debetur Amalrico; quem conjicimus vixisse quoque ultra annum 1032. quo superstitem eum fuisse probat instrumentum supra adductum.

XXI. Petrus I.

Petrus genus suum ipse designat in charta pro sancto Victore, data anno 1038. ubi sic loquitur: 1038. *Petrus Aquensis archiepiscopus & fratres mei Isnardus & Eldebertus, atque alter Isnardus, necnon & Acelina Guillelmi fratris mei jam defuncti uxor, donamus aliquid alodis nostri, qui nobis ex progenitorum hereditate nostrorum obvenit, monasterio sancti Victoris ..... in comitatu Aquensi, in territorio castri quod vocatur Rodanas; id est ecclesias sancti Maximini, sanctæ Mariæ, sancti Johannis, sancti Mitrii, &c.* Idem anno 1040. subscribit chartæ Amelii reddentis quasdam ecclesias sancto Victori, quo anno interfuit solemni consecrationi basilicæ hujus monasterii factæ a Benedicto papa IX. idibus Octobris. An. 1043. III. non. Julii confirmavit huic sacro loco ecclesiam sancti Maximini cum aliis plurimis. Anno 1044. signo suo firmat chartam Bertrandi marchionis & comitis Provinciæ pro basilica S. Promasii in castro Forcalcariensi, quam reddit S. Victori Massilienſi. Bertrandi breve diploma damus in instrumentis. Cum illa ecclesia sancti Promasii esset destructa & eversa, eam restauraverat idem Bertrandus, uti docent ab eo scriptæ tabulæ eodem anno; addiditque dona, cessit enim loco sacro *burgum* & terras quæ erant suæ possessionis. Interfuit donationi Petrus archiepiscopus Aquensis, cum multis aliis præsulibus, Ismido Ebredunensi archiepiscopo, Stephano Aptensi, Francone Carpentoractensi, Petro Vasensi, Udalrico Tricastrensi, Geraldo Sigistericensi episcopis. Hæc Promasio sacra ædes etiamnum stat. Non omittenda insignis donatio signata in Aquensi tabulario, castri videlicet de Solario, quod dedit Fulco vicecomes Massilienſis cum Odila conjuge, sub Henrico rege anno 1044. indictione XII. IV. kal. Augusti. Litteris principum subscripsit Petrus archiepiscopus. Dicitur dedicasse in honorem S. Benedicti, ecclesiam de Bersa, in territorio castri de Flascianis anno 1045. indictione XIV. II. idus Decembris; & 1048. indictione I. XV. kalendas Julii, ejusdem jussu consecratum fuisse templum sancti Stephani in comitatu Tolo-

1040.

C. III. p. 64. col. 2.

1045.

1048. *Archiv. S. Victoris.*

ANNI CHRISTI. CHATEAU RENARD.

nensi, a Deodato Tolonensi episcopo.

XXII. PONTIUS II.

Pontius cognomento de Castro-Rainardi nobili stirpe in Provincia natus, Eldeberti domini de Correns, & Mathildis Correnensis monasterii fundatricis filius, Dodonis, Willelmi & Arberti de Castro-Rainardo, Baldæque sanctimonialis frater, hanc sedem Aquensem obtinebat
1050. anno 1050. aut etiam anno 1048. ut autumat vir eruditus dominus d'Ache. Pontii vero sacramentum præstitum ecclesiæ Arelatensi, & Rajambaldo archiepiscopo, in vetusto codice, *auctoritatum sanctorum patrum* dicto, qui asservatur in Arelat. eccl. his conceptum verbis legitur: *Ego Poncius S. Mariæ Aquensis sedis nunc ordinandus episcopus, subjectionem & reverentiam, & obedientiam a sanctis patribus constitutam, secundum præcepta canonum, S. sedi Arelatensis ecclesiæ, rectoribusque ejus, in præsentia domini Rajambaldi, perpetuo exhibiturum promitto, & super sanctum altare firmo.* Subscripsit cum episcopo Massiliensi Poncio, atque Odila, in donatione de Auriolo, & in satisfactione coram Rajambaldo Arelatensi pontifice facta a Rainardo milite, sextæ partis castri Pertusi, qui eam violenter auferre tentaverat a monachis abbatiæ Montis-majoris; cujus rei mentio in archivis S. Petri. Denique Poncius cum Rajambaldo Arelatensi metropolitano ut sanctæ sedis legatus, & Victoris papæ II. præstuit syno-
1056. do Tolosanæ congregatæ 1056. ad restituendam disciplinam ecclesiasticam. Eodem anno indictione IX. VI. Kal. Februarii ejus mandato Willelmus Tolonensis antistes ecclesiam sanctæ Mariæ in territorio villæ Bruniolæ consecravit, ut est in chartario Massilienſi, quamquam alibi legam ipsum Pontium per se operam dedisse
1058. huic dedicationi. Demum an. 1058. XVII. Kal. Decembris, adstante procerum corona, qui ad consecrationem basilicæ sancti Stephani convenerant, ipsi contulit omnes ecclesias territorii Torreves.

* HIERES.

XXIII. ROSTAGNUS I.

Ex dominis Arearum in comitatu Tolonensi, ortum ducebat hic archiepiscopus vulgo cognominatus *d'Hieres*. Cum primum vero ad regendam Aquensem ecclesiam est accitus, fidem & obedientiam juravit Rajambaldo Arelatensi archiepiscopo, ut legitur in authentico. Nonnullis in schedis lego illum adfuisse concilio Avenionensi anno 1060. Verum nullum novimus concilium tunc hac in urbe celebratum.
1062. Anno 1062. ecclesiam sancti Maximini reconciliavit, & VI. idus Decembris, indictione XV. ecclesiam sancti Stephani de Ungula Caballi
1068. dedicavit. Anno 1068. indictione VI. IV. idus Januarii, Willelmus Carpentoractensis, adstante Tolonensi episcopo, vice hujus archiepiscopi ecclesiam sanctæ Mariæ castelli Paracollis in comitatu Aquensi a Balda religiosa femina Pontii archiepiscopi sorore constructam, attributa in dotem honoris parte seu medietate castri de Petroxio, divino cultui consecravit. An.
1069. 1069. cessit cum suæ ecclesiæ canonicis castrum A Pertusi abbati & monachis Montis-majoris, ut legere est in notitia illius cessionis. Eidem abbati Rotlanno nomine, & monasterio dedit in eleemosynam vallem antiquitus nuncupatam S. Petri, vel potius olim datam restitui curavit, ex charta anni 1072. indictione X. Non debet omitti alia donatio ab ipso & ejus fratre Amelio facta anno 1075. duarum scilicet salinarum, in territorio castri, quod vocatur Airas *; unde genus hujus archiepiscopi facile potest cognosci. Hujus donationis factæ monasterio sancti Victoris & Bernardo abbati chartam reperies inter instrumenta. Idem Rostagnus & ejus frater Amelius sanctorum Gervasii & Protasii monasterium diœcesis Arelatensis, situm apud castrum Fossas, quod eorum parentes seu propinqui in proprio allodio fundaverant, male ordinatum esse videntes, circa annum 1081. Hugoni Cluniac. abbati ordinandum commisere. Litteras ea de re datas luce dignissimas, & generi Rostagni perhonorificas edidimus in instrumentis. Vixit, præfuitque ad annum saltem 1085. hoc enim anno ipse & fratres ejus, &c. non solum confirmarunt donum parentum factum ecclesiæ *Avennica*, sed etiam auxerunt. Ex charta ea de re confecta eruimus patrem eorum fuisse *Guidonem*, matrem *Astrudem*. Plura alia nos docet laudata charta nostris inserta instrumentis.

ANNI CHRISTI C. IV. p. 64. col. 1.
1072.
1075.
* Hieres.
C. V. p. 64. col. 2.
1081.
C. V. p. 64. col. 2.
1085.
C. VI. p. 65. col. 2.

XXIV. PETRUS II.

DE MARSEILLE.

Petrus cognominatus Goffredi, a patre Goffrido Massilienſi vicecomite, matrem habuit Rixendam, fratres Hugonem vicecomitem Massilienſem, Aicardum Arelatensem archi-
præsulem, & Raimundum Massilienſem episcopum. Ipse monachus factus in monasterio sancti Victoris Massilienſis, inde assumtus est ad regendam ecclesiam Aquensem anno circiter 1085. Memor tamen religiosi status quem
1085. amplexus fuerat, nomen monachi retinere non erubuit in litteris suis. Gratum se ostendit erga præpositum nomine Benedictum, & capitulum, quibus ob ingentes impensas factas in restauratione, ac decoratione ecclesiæ, dedit ecclesiam suburbanam sancti Andreæ. Anno 1093. dedit
1093. monasterio, cujus alumnus erat, ecclesias sancti Jacobi de Sparono, & sanctæ Fidis de Arrigua. Eidem cœnobio confirmavit possessionem omnium olim a suis antecessoribus concessorum. In litteris vero ea de re datis, præfatur se sancti Victoris monachum, servum & filium. An. 1095. adfuit concilio Placentino, ac subscripsit privilegio Urbani II. pro sancto Ægidio*. Sedit quoque in concilio Claromontano, sub eodem Urbano. Inscribitur in chartis Victorinis anno 1099. quo ecclesiam S. Michaëlis de Mala-morte addidit jam collatis huic monasterio beneficiis. Anno 1102. cum Fulcone præposito laudavit donationem Bertranni Sistaricensis episcopi, factam ecclesiæ & canonicis S. Marii Forcalcariensis, præsente Adalaxi Provinciæ comitissa. Etsi nobis non constet quo tempore Petrus Goffredi vivere aut præesse desierit, conjicimus tamen ejus episcopatum non excessisse annum 1103. V. C. Antonius de Ruffi in differta-

C. VIII. p. 65. col. 2.
1093.
C. IX. ibid.
Ex majori chart. S. Victor. fol. 56.
* Vide Baluzii tom. VI. miscell.
1099.
1102.
1103.

ANNI CHRISTI.

tione nuper edita de origine vicecomitum Maſſilienſium, ex quibus notter Petrus erat ortus, teſtatur a ſe inſpecta plurima vetera ſigilla horum vicecomitum, potiſſimum Raimundi Goffredi, in quibus palum dumtaxat obſervavit, nulla vero crucis, ut aiunt, Toloſanæ veſtigia; quæ tamen eis pro ſymbolo gentilitio vulgo tribuitur.

XXV. Petrus III.

1103. Sammarthani fratres circa annum 1103. archiepiſcopalem ſedem ab uno Petro tranſiiſſe ad alterum notant. Id ſuadere videtur libellus ſupplex anno 1103. oblatus Petro archiepiſcopo, ab præpoſito & canonicis, quo poſtulant 1°. ſibi confirmari poſſeſſionem quarumdam eccleſiarum quas acquiſierant *poſt exceſſum Domini Petri archiepiſcopi anteceſſoris ejus.* 2°. ut *eccleſias & honores canonicis B. Mariæ & glorioſi Salvatoris ab anteceſſoribus ejus conceſſas, quas ſcilicet anteceſſor ejus Petrus conceſſerat, & ab aliis conceſſas ſuis ſcriptis confirmarat, iſdem venerabilis P. hac ſerie corroboraret.* Hæc ſane innuunt, hunc Petrum a quo iſta poſtulantur tunc aut paulo antea auſpicatum eſſe epiſcopatum. Conjecturam auget ac corroborat bulla Paſchalis II. qua Petro dat pallium anno 1104. Si hic Petrus cepiſſet epiſcopale regimen anno 1085. cur tamdiu pallio caruiſſet? Certe Paſchalis tamdiu dilati hujus honoris cauſam attuliſſet. Itaque non ad Petrum Goffredi, ſed ad alium cognominem ejus ſucceſſorem Paſchalis II. pallium miſit, anno Chriſti 1104. Anno ſuperiori novam S. Salvatoris eccleſiam conſecrarat in frequenti præſulum cœtu. Anno 1110. dicitur conſecraſſe quoddam oratorium & altare ſub honore Dominicæ Reſurrectionis, adſtantibus Geraldo Siſtaricenſi, & Aimino Tolonenſi epiſcopis.

C. X. p. 66. col. 1.

C. XII. p. 66. col. 2.

C. XI. ibid.

1110.

XXVI. Fulco.

Nulla hujus archiepiſcopi, qui prius fuit præpoſitus, occurrit memoria ante an. 1118. menſe Martio, quo in tranſactione inita apud Romanum Delphinatus urbem, cum Petro abbate Montis-majoris commemoratur. Intererant his pactis Avenionenſis, Arauſicanus, Aptenſis, Regienſis, & Vapincenſis epiſcopi. Sedit in concilio Toloſano anno 1119. idibus Julii ſub Calliſto II. habito, & ſua ſubſcriptione confirmavit judicium a ſummo pontifice latum pro Anianenſibus, quod exhibetur Spicileg. tom. VI. pag. 25. Erat in comitatu papæ quando apud Viennam Guido comes Forcalcarienſis ab ipſo abſolutionem impetravit, reſtitutione facta prius villæ Pertuſi, abbatiæ Montis-majoris, uti legitur in veteri codice hujus cœnobii. Porro necrologium vetus ſancti Andreæ ſecus Avenionem, hujus præſulis depoſitionem notat die IV. Kal. Auguſti; at incertum quo anno mortem opperierit. Mortuum eum ſuſpicamur anno 1132. nam hoc anno D. electus Aquenſis legitur teſtis hominii quod Raimundus Gauffredi de Maſſilia juravit Bernardo Arelatenſi archiepiſcopo. De altera vero ſede Aquenſi quam metropolitana, id non videtur eſſe intelligendum. Neque objici poteſt eum teſtem nominari poſt L. id eſt Leodegarium, vel Laugerium Avenionenſem epiſcopum; cui procul dubio præponi debuiſſet, ſi fuiſſet Aquenſis archiep. Nam ut electus tantum & minime conſecratus aut etiam confirmatus, debuit epiſcopo ſubjici. Utrum vero Aquenſem ſedem obtinuerit hic electus, ignoratur.

Ex chart. Montis-majoris.

1118.

1132.

Sub Fulcone præſule floruit in eccleſia Aquenſi Albertus, aliter Albericus canonicus & cuſtos, ſcripſitque ſatis accurate hiſtoriam Hieroſolymitanæ expeditionis ab an. 1095. ad an. 1120. Anno 1147. Silvacanæ monaſterium ordinis Ciſtercienſis de linea Claræ-vallis fundatum eſt prope locum *Roque* dictum.

XXVII. Pontius III.

De Luperiis.

Pontius cognominatus de Luperiis anno 1153. compoſuit litem inter Gaufredum epiſcopum & canonicos Avenionenſes. Eodem anno ſubſcribit chartæ Bonifacii pro ſancto Victore. Recens fundato Silvacanæ monaſterio ſe beneficum exhibuit hic archiepiſcopus, ut demonſtrat charta ea de re facta, quam ſubjicimus, quia hucuſque ignotus fuit hic præſul.

1153.

Notum ſit præſentibus & futuris, quod dominus Pontius archiepiſcopus dedit Deo & B. Mariæ de Silvacana, & domno Guiſliberto abbati, & monachis ibidem Deo ſervientibus, & omnibus ſucceſſoribus ſuis, & archidiaconus ſimiliter Raimundus nomine, & omnes canonici, decimas de omni laboratione quam fecerint in terra, quam dedit eis Petrus de Lambiſco, & Roſtagnus de Cadeneto, & eorum coheredes, de Paludibus, de Villalaura, & de Cadeneto. Teſtes ſunt, Guillelmus, Hugo epiſcopus ſancti Pauli, Raimundus, Aldebertus, &c. Hoc quoque donum factum eſt in præſentia domni Pontii de Luperiis Aquenſis archiepiſcopi, & apud Podium juxta domum ſuam, anno ab incarnatione Domini MCLVIII. *indictione* V. *Girardus ſcriptor ejuſdem archiepiſcopi ſcripſit hanc chartam.*

1158.

Amovenda eſt hoc loco difficultas quædam petita ex epiſtola ſcripta, ut aiunt, ab Anaſtaſio papa IV. ad Petrum Aquenſem archiepiſcopum, an. circiter 1153. pro abbate & monaſterio Maſſilienſi, ibidem aſſervata. Hujus epiſtolæ meminit Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana; verum forte deſignat archiepiſc. Aquenſem ad quem directa eſt, prima tantum littera P. Ita ſcriptum in authentico eſſe autumamus; quidam autem amanuenſis pro P. quo deſignabatur Pontius, ſuppoſuit Petrum. Ceterum præfuiſſe Pontium ab anno 1153. uſque ad 1158. ex allatis teſtimoniis minime dubium eſt. Itaque ſi legeretur in Anaſtaſii papæ epiſtola *Petrus*, huic locus aſſignandus eſſet inter Fulconem & Pontium.

1153.

1158.

XXVIII. Petrus IV.

Petrus anno 1162. adfuit ſynodo apud Montem-peſſulanum, in qua Alexander papa III. die Aſcenſionis excommunicavit Octavianum antipapam, adſtantibus multis Galliæ præſulibus. Exorta olim fuerat controverſia inter præpoſitum & canonicos Aquenſes, ex una parte, & abbatem monachoſque S. Victoris Maſſilien-

1162.

ANNI CHRISTI.

sis ex altera, pro decimis parochialium ecclesiarum de Rianz, & S. Mauricii, in curia decessoris Pontii archiepiscopi. Sed transactione inita, monachi præposito & canonicis dederunt ecclesiam S. Mauricii, omnes decimas in valle, quidquidve ad cameratiam in territorio castri de Rians, burgique S. Stephani, juris monasterii Massilienſis esse videbatur. Vice autem versa, canonici monachis donaverunt, quidquid in villa S. Stephani de Clocario, & S. Michaëlis de Brusa, aliisve locis ex eorum dominio pertinebat. Eam pactionem Petrus metropolitanus Aquis-Sextiis, Fredolus Massilienſis abbas, atque Henricus præpositus, cum canonicis sancti
1165. Salvatoris scripto laudaverunt 1165. indictione XIII. ut est in archivo Aquensis ecclesiæ. Mortem hujus archipræsulis brevi secutam esse pactionem hanc mox ostensuri sumus.

XXIX. Guillelmus I.

Guillelmus aut Willermus post Petrum collocari debet in serie ac ordine archiepiscoporum Aquensium, & ante Hugonem de Monte-lauro; quippe die Veneris qui erat septimus dies
1165. post nonas Maii anno MCLXV. indictione XIII. subscripsit donationi ecclesiæ de Roca, quam fecit Rasinus abbas Fructuariensis Deo, B. Roberto, & monachis Casæ-Dei, & sanctimonialibus B. M. de Cumis (*de Comps*, al. *la Vaudieu* tribus milliaribus a Brivate distantis, ubi nunc præest Eleonora d'Angennes prioriſſa.) Vicissim vero Willermus marchio Montis-fereti, cujus soror Deo se consecrarat Cumis, abbati Fructuariensi dedit ecclesiam B. M. de Gramondio.

DE MONTE-LAURO.

XXX. Hugo I.

Cognomen de Monte-lauro quod gerebat hic archiepiscopus, nobilissimi generis ex quo prognatus erat, argumentum est. Hic ex præposito, ut nonnullis placet, verius ex archidiacono *a* fa-
a 1167. ctus est archiepiscopus, an. circiter 1167. Præsens fuit donationi Ildefonsi regis Arragonum, ducisque Provinciæ, factæ monasterio Silvacanensi, cui signum nomenque addiderunt Hugo Tarraconensis, & Raimundus Arelatensis archiepiscopi. Eodem anno subscripsit diplomati laudati Ildefonsi regis, ducisque Provinciæ pro monasterio Artacellæ, cujus authenticum lego asservari in regio apud Aquas-Sextias chartophylacio, editumque est infra. An. 1168. interest donationi Bertrandi comitis Forcalcariensis, pro hospitalariis apud Manuescam, ex chartulario Boscaudunensi: *Anno* 1173. *mense Martio, quinta die, Idelfonso illustri rege Aragonis Provinciam regente, Guillelmo comite Forcalquerii comitatum tenente*, facta est quædam permutatio inter Petrum Massilienſem, & Bernardum * S. Eusebii abbates, consilio Hugonis Aquensis metropolitani, & Petri Aptensis episcopi. Hæc pacta, quibus Victorini cedebant ecclesiam sanctæ Mariæ castri de Avellone, cujus loco accipiebant ecclesias sanctorum Stephani & Johannis extra castrum de Cadenero, &c. confirmavit Alexander III. Anagniæ II. nonas Julii, bulla quæ asservatur in sancti Eusebii tabulario. An. 1174. subscripsit pactis conventis inter Bernardum d'Anduze electum Sistaricensem, & Stephanum canonicum Templi Domini, & administratorem domorum Provincialium. Plura de Hugone ad nostram notitiam non pervenerunt.

C. XIV. p. 67. col. 2.

*1. Bertrandum.

ANNI CHRISTI. 1174.

XXXI. Bertrandus.

Bertrandus cui cognomen erat de Roquaveira, ut Buxius asserit, appellatur testis in privilegio ecclesiæ Arelatensi concesso a Friderico imperatore an. 1178. indictione XI. Chartam autem hanc amandavimus ad instrumenta pro Arelatensi ecclesia. Anno sequenti ad Lateranense concilium convenit, ubi perperam pro Bertrando dicitur Bernardus *b*, errore familiari, ut sæpius observavimus. Eodem anno in signum approbationis, apposuit suum nomen chartæ Raimundi Berengarii marchionis & comitis Provinciæ pro Boscoduno; & alteri ejusdem anni, quam edidimus inter instrum. datæ IV. Kal. Jun. pro Artacella. Item alii pro Boscoduno ejusdem anni, quam ibidem reperies. Paulo post celebratum concilium Lateranense IV. cui adfuit Bertrandus, e vita excessit. Habita est enim hæc synodus diebus quinta, septima, & decima-nona mensis Martii, anni quem nunc dicimus 1180. quia inchoamus annum a mense Januario. Henricus vero ejus successor jam præerat hoc eodem anno, ut mox sumus ostensuri.

Hist. Provinc. l. 9. sect. 2. c. 4.

1178.

b

C. XV. p. 67. col. 2.

C. XVI. Ibid.

XXXII. Henricus.

Henricus prius præpositus Aquensis & Rejensis episcopus, in metropolitana cathedra sedebat jam anno 1180. prout in chartis Victorinis exploratum a se testatur Ruffius. Et quidem hoc anno adfuit transactioni inter sancti Victoris monachos, & canonicos de Cardano. Non accessit rudis ad officium pontificale, jam enim pluribus annis Regiensem ecclesiam gubernarat, ex qua profectus fuerat ad concilium Lateranense IV. anno 1179. Anno 1181. mense Augusto Sancium comitem Provinciæ, Magalonensi ecclesiæ castra de Avemoneto & de Valerio donantem laudavit, ejusque dono subscripsit apud Diniam. Ipse vidit ecclesiam suam ditatam pii regis beneficiis, etenim *anno Christi millesimo centesimo octuagesimo-quinto mense Martio, in prima hebdomada quadragesima, facto conventu apud Aquas nobilium virorum in præsentia Ildefonsi gratia Dei regis Aragonensis, comitis Barchinonensis, & Provinciæ principis, adierunt præsentiam ipsius regis canonici Aquenses, magno desiderio postulantes quatenus ecclesias sanctæ Mariæ & sancti Salvatoris, & sancti Andreæ suo beneficio ditaret: quorum voluntati & petitionibus idem rex minime acquiescere renuit, hoc modo donationem faciens, &c.*

1181.

Boxus l. 9. sect. 2. c. 4. §. 1. p. 170. 1185.

a In episcopis Regiensibus fratres Sammarthani docent eum ex præposito S. Salvatoris factum esse Regiensem episcopum, ex qua sede ascendit ad metropolitanam.

b In catalogo prælatorum qui interfuerunt concilio Lateranensi sub Alexandro III. mense Martio anno 1179. occurrit Renardus Aquensis archiepiscopus (Vide tom. XII. Spicileg. in calce.) In vulgatis actis hujus concilii legitur Bernardus; ubi vides ex Bertrando factum Bernardum, & ex Bernardo Renardum.

ANNI CHRISTI.

XXXIII. Guido.

Guido de Foſſis e familia dominorum de Foſſis & de Borma, in pago Arelatenſi, prope Martigum ortus, idem haud dubie quem præpoſitum legimus in charta Raimundi Berengarii pro parthenone de Artacella, præficitur eccleſiæ
1188. Aquenſi an. circiter 1188. quo amicabilis compoſitio facta per Guillelmum Vencienſem epiſcopum, inter Fredolum epiſcopum Forojulienſem & Hugonem præpoſitum, capitulumque anno 1180. renovata eſt, iterumque confirmata
1190. anno 1190. ſubſcribente Guidone Aquenſi archiepiſcopo, & R. Antipolitano epiſcopo. Anno
Ex chart. S. Vict. 1194. menſe Decembri, diremit controverſiam inter Maſſilienſe monaſterium, & Silvacanæ
1196. monachos. Anno 1196. menſe Martio promulgavit 60. ſolidos regales marcam argenti æquare. Judex fuit diſſidii inter eccleſias de Cadeneto, & de Verunis, pro dividendis oblationibus; quo in judicio aſſeſſores habuit G. præpoſitum Aptenſem, Roſtagnum, Willelmum & Bertrandum de Cadeneto. Excommunicavit G. de Sabrano comitem Forcalcarienſem, qui vocatus
C. XVII. p. 67. col. 2. Ex chart. S. Salvatoris. ad judicium in cauſa quam habebat adverſus monachos Montis-majoris, adeſſe detrectarat. Guidoni archiepiſcopo Ildefonſus comes Provinciæ confirmavit donum R. Guiranni, de val-
1204. le caſtri de Rians, anno 1204. indictione VI. Sub Sancio autem Provinciæ quoque comite, Dulcia domina de Aſperello, ſe & ſua omnia dicavit monaſterio Artacellenſi, excepto caſtro de Favars; quam donationem confirmavit Gui-
1209. do noſter. Anno 1209. VIII. idus Decembris, interfuit concilio Avenionenſi, cum Viennenſi, Arelatenſi & Ebredunenſi metropolitanis. Hoc eodem anno, menſe Decembri, uti indicant Aquenſes tabulæ, Petrus dominus caſtri de Lambeſco, cum monaſterii Maſſilienſis monachos quoſdam carceri nequiter manciparos bonis ſpoliaſſet, in culpæ damnorumque emendationem, poſſeſſiones ablatas G. de Petra S. Victoris abbati reſtituit, & conſenſu Pontii filii id factum profitetur, coram Guidone archiepiſcopo, & Hugone Regienſi antiſtite pontificio legato. Subſcriptus etiam in antiquis chartis privilegiorum monialium de Areis, notatur Guido, ſeu in membrana immunitatis Petri Arragonum regis, conceſſæ ſacris virginibus ſancti
Vide chart. XVIII. p. 68. col. 1. Pontii, de iis quæ adquirent, ſalvo jure & dominio ſuo, nepotiſque ſui in tota Provincia, ut in originali, numero 126. exprimitur. Anno 1210. una cum B. Cavallicenſi epiſcopo cunctis fidelibus ſignificat ſe in mandatis ab Innocentio papa accepiſſe, ut quas in Guillelmum de Sabrano pro detentione Caſtri-Pertuſi, & condaminarum de Graviſone ad monaſterium ſancti Andreæ pertinentium auctoritate apoſtolica jam promulgaverant excommunicationis ſententias, facerent eadem auctoritate, uſque ad ſatisfactionem condignam obſervari. Recenſetur vero Guido de Focis in chartulario Forojulienſi, iſ-
1211. que vitam cum morte commutavit 1211. IV. id. Martii, impletis in archiepiſcopatu annis 25. menſibus 7. Legavit eccleſiæ ſancti Salvatoris,
Ex mss. necrolog. patrimonium quod Aquis-Sextiis poſſidebat.

ANNI CHRISTI. CORNUTI.

XXXIV. Bermundus.

Bermundus cognomento Cornuti, prius fuit præpoſitus Aquenſis, ut lego in quibuſdam ſchedis eruditi viri Aquenſis eccleſiæ preſbyteri; quo in munere (ſi eo perfunctus ſit) paſtoralis officii tirocinium ponere potuit. Ipſum Forojulienſem eccleſiam rexiſſe conſtat, antequam Aquenſem cathedram conſcenderet anno circiter 1211. Certe ipſius mentio habetur in tabulis eccleſiæ ſancti Salvatoris, anno 1213. quo 1213.
etiam anno menſe Januario indict. I. ſigillum appoſuit in recognitione permutationis Ilnardi domini de Antravenis, & Dulcelinæ dominæ de Ponteves; eorum ſcilicet quæ poſſidebat in caſtello de Paracollis. Anno 1214. *in quindena Nativitatis Dominicæ convenerunt apud Montem-peſſulanum archiepiſcopi & epiſcopi vocati a magiſtro Petro Beneventano apoſtolicæ ſedis legato, ad concilium, &c.* Inter illos autem prælatos recenſetur Aquenſis archiepiſcopus a Petro hiſtoriæ Albigenſium ſcriptore; cujus hic verba retulimus. Idem conſtitutus eſt judex & arbiter in cauſa pro hereditate comitatus Forcalcarienſis, mota inter Garſendam matrem Raimundi Berengarii, & Willelmum Forcalquerii comitem. Item inter monaſterium Montis-majoris, & R. de Baucio pro dominio caſtri de Miromari, anno 1216. Fratres Minores admiſit Ber- 1216.
mundus anno 1220. Ejus obitus in necrologio 1220.
his conſignatur verbis ad diem 14. Januarii: *Eodem die obiit dominus Bermundus Cornuti bonæ memoriæ Aquenſis archiepiſcopus anno ab incarnatione Domini* MCCXXIII. *qui vixit in epiſcopatu annis* XI. Obiiſſe tamen ſeptimo vel octavo* 1223.
idus Aprilis, legitur tum apud Robertum, tum apud Sammarthanos fratres. * Ex necrologio Forojulienſi.

Notat Johannes Columbi Societatis Jeſu preſbyter, quemdam Bertrandum Aquenſium archiepiſcopum anno 1221. fuiſſe judicem arbitrarium inter Roſtagnum de Agouto, & Bertrandum de Simiana, atque Gaucherium Aptenſem epiſcopum, ex Aptenſi tabulario. Aſſeritque in appendice ad *noctes Blancalandanas*, quæ de Bertrando ſcripſit, lecta a ſe *in ſinceris tabulis manu publica exaratis, & obſignatis in chartario Caroli a Simiana marchionis Planitianum*; ubi vides nullam Aptenſis tabularii factam eſſe mentionem. Hunc Bertrandum (ſi ita ſcriptum ſit, uti legit J. Columbi) non alium eſſe cenſeo, quam Bermundum, quem corrupte quidam amanuenſes ſcripſerunt Bertrandum pro Bermundo.

Audiatur

XXXV. Raimundus.

Raimundus, quem in ſchedis jam laudatis lego cognominatum Aldiberti, a Petro Aldiberti avunculo ſuo, jam ſedebat anno 1225. 1225.
Conceſſit eccleſiæ S. Stephani de Cadeneto, & Pontio de Monte-ferrando priori, jus & decimas totius territorii de Reillaneta, nonis Septembris 1233. In actis capitularibus anniverſa- 1233.
riorum eccleſiæ metropolitanæ, legitur quædam conſtitutio ab ipſo facta, anno 1236. idib. 1236.
Septembris, de bonis a Bermundo deceſſore, eccleſiæ S. Salvatoris relictis; & teſtameni Rai-

ANNI CHRISTI.

mundi Berengarii comitis & marchionis Provinciæ, exſecutio ipſi eſt demandata, necnon epiſcopis Regienſi & Forojulienſi, litteris datis XII. kal. Julii anni 1238. Idem comes pro ſuo anniverſario in Aquenſi eccleſia celebrando conſtituens trecentos ſolidos regales annuales anno 1243. hunc nominat archiepiſcopum, uti docet inſtrumentum ea de re confectum. Raimundo autem ſedente Aquis ſponſalia de futuro contrahuntur inter Sanciam Raimundi Berengarii comitis Provinciæ filiam, cum Raimundo comite Toloſæ, adſtantibus Jacobo rege Arragoniæ, Arelatenſi, Toloſano, Regienſi & Carpentoratenſi præſulibus III. idus Aug. 1241. quorum inſtrumentum aſſervatur in Pariſienſi regiarum rationum camera, editumque eſt tomo VIII. Spicilegii, & in Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum, in Raimundo Toloſate epiſcopo.

1238. 1243. p. 251.

XXXVI. JOHANNES. I.

Johannem admiſiſſe Carmelitas in urbe circa annum 1248. legimus, judicemque electum a diſſidentibus partibus ſediſſe inter Bertrandum de Baucio, & Guillelmum Porceletum. Menſe Decembri anni ejuſdem 1248. celebrata eſt ſynodus Valentinenſis, ad quam acceſſit Aquenſis archiepiſcopus, ex ejuſdem actis, quæ nomen hujus præſulis non indicant.

1248.

XXXVII. PHILIPPUS I.

Philippus non memoratur in tabulario Aquenſi ante annum 1251. IX. kal. Decembris; etſi forte antea ſedere cœpiſſet. Anno 1252. conſecravit altare Montis-rivi ordinis Cartuſienſis in diœceſi Tolonenſi, cum Benedicto Maſſilienſi, & Fulcone Regienſi epiſcopis. An. 1253. tulit ſententiam, qua dominii Montis-peſati partem Guillelmo de Sparono reſtituit, aſſentiente Fulcone Regienſi epiſcopo. Hoc etiam anno poteſtatem accepit a ſancta ſede ratam habendi præbendarum diviſionem in Forojulienſi eccleſia factam, ſub Berengario epiſcopo; quod docet chartularium Forojulienſe. Anno 1255. quaſdam eccleſias donavit majori apud Siſtaricum eccleſiæ. Accepto mandato S. Ludovici regis, cum Pontio a ſancto Ægidio ordinis fratrum Prædicatorum, Roberto de Bellicadro ordinis fratrum Minorum, & Guidone Fulcodii, ad reſtituenda Dalfinæ uxori Raimundi de Roca-folio, quæ ablata fuerant, in ſeneſcalliis Bellicadri & Carcaſſonæ, ea de re quædam decernit id. Julii 1256. Eodem anno III. idus Julii tulit ſententiam cum iiſdem fere collegis in gratiam Salvaneſii monaſterii, cui reſtituendas decreverunt multas poſſeſſiones abblatas a regiis miniſtris. Poſt annos quinque & octo menſes in epiſcopatu conſumtos, Philippus e vita migravit IV. idus Februarii 1256. ut legitur in obituario Aquenſi. Depoſitum eſt ejus corpus in ædicula ſacra beatæ Mariæ *Spei*; unde anno 1629. tranſlatum eſt ad aliam, prope valvas majoris baſilicæ metropolitanæ.

1251. 1252. 1253. 1255. *Ex tab. Ruthen.* *Ex regio apud Carcaſſ. tabul.* 1256.

XXXVIII. VICEDOMINUS.

Ipſum appellatum Willelmum conjicimus; nam tempore quo ſedebat in Aquenſi cathedra, Beatrix Siciliæ regina comitiſſaque Provinciæ, ſui teſtamenti exſecutionem demandavit *Willelmo Dei gratia Aquenſi archiepiſcopo*, adjunctis aliis epiſcopis, Bertrando Avenionenſi, Fulcone Regenſi, Alano Siſtaricenſi, & Galtero Tolonenſi, cujus teſtamenti tabulæ editæ ſunt Spicileg. tom. VI. Porro cognominatus videtur *Vicedominus*, quia de Vicedominis, gente in Italia nota, ortus erat. Hic patria Placentinus (Patavinum alii dicunt) matrem habuit ſororem Gregorii papæ X. Nonnulli volunt, eum cauſis procurandis utilem operam collocaſſe, uxoremque duxiſſe, antequam militiæ clericali adſcriberetur. Præpoſitus erat eccleſiæ Graſſenſis, quando in Aquenſem archiepiſcopum favore Caroli comitis electus eſt. Anno 1257. III. kal. Septembris, ſubſcripſit litteris ejuſdem Caroli comitis Provinciæ, ejuſque conjugis Beatricis de privilegiis urbi Siſtaricenſi conceſſis. Eodem anno hominium præſtitit iiſdem principibus, & ſuſcepit provinciam dirimendi controverſiam ortam inter eos & Maſſilienſem epiſcopum, pro vicecomitatus Maſſiliæ portione. Vicedominus Aquenſis archiepiſcopus legitur teſtis cujuſdam permutationis Stephani abbatis Maſſilienſis cum Carolo comite Provinciæ 1259. .... kal. Aug. cum B. Forojulienſi epiſcopo. Statuta diœceſana edenda curavit, quorum acta ſervat tabularium capituli. Anno 1261. ſynodum provincialem, ad morum diſciplinæque reformationem, celebravit; in qua forſitan illa decrevit ſtatuta, promulgavitque. Subſcripſit fœderi pacis ſancito inter Carolum regem ſupra laudatum, fratrem S. Ludovici regis, conjugemque ipſius Beatricem, una ex parte, & civitatem Maſſilienſem ex alia, 1262. pridie idus Novembris. Eumdem principem in Apuliam & Siciliam ad capeſſendum ſceptrum proficiſcentem, anno 1263. comitatus eſt Vicedominus. Reverſus vero anno 1269. pridie kal. Decembris, donationem quamdam Willelmi comitis Forcalcarienſis ſigillo ſuo munit. W. Aquenſis archiepiſcopus anno 1265. III. nonas Martii arbiter aſſumitur a priore Peliſſanæ ex una parte, & Imberto ac Petro de Aurono fratribus ex altera; unde eruimus nomen Vicedomini fuiſſe Willelmum. An. 1271. X. kal. Decemb. ad petitionem Guillelmi Forojulienſis epiſcopi, ac præpoſiti eccleſiæ, metropolitico jure acceſſit in hanc urbem ad dirimendas eorum controverſias. Eodem anno kalendis Septembris electus eſt in papam Theobaldus de Placentia, ex archidiaconatu Leodienſi pulſus, qui tempore ſuæ electionis *abſens erat in tranſmarinis partibus apud Accon.* Hic cum eſſet Vicedomini avunculus, eum cardinalem & epiſcopum Prænestinum creaſſe anno 1272. [a] dicitur. Sane *fecit* hoc anno *ordinationem cardinalium proborum virorum* novus pontifex, ut refert Ptolemæus Lucenſis; ſed eorum nomina non indicat hic ſcriptor, niſi Petri de Tarantaſia, & ſancti Bonaventuræ. Debemus notitiam promotionis Vicedomini ad car-

ANNI CHRISTI.

p. 480.

C. XX. p. 68. col. 2.

Ruf. hiſt. Prov.

1257. 1259. 1261. 1262. 1263. 1269. 1271. 1272. [a]

[a] Hoc anno admiſſi feruntur in urbem fratres Prædicatores.

ANNI CHRISTI.

dinalatum, bullæ Gregorii X. pro Grimerio archiepiſcopo, de qua infra, & necrologio fratrum Minorum Aquenſium, qui eum ſuo ordini nomen dediſſe volunt. Nec mirum hunc archiepiſcopum earum regibus, ſummique pontificis nepotem, purpura Romana donatum eſſe. De ipſius obitu ita præfatum necrologium: *Anniverſarium pro illuſtriſſimo Vicedomino ordinis fratrum Minorum, Gregorii X. nepote, cardinali, archiepiſcopo almæ S. Salvatoris Aquenſis, qui*
1276. *obiit an.* MCCLXXVI. *& 6. Septemb. denuntiatus & acclamatus ſummus pontifex, & ipſomet die dignitate ſuprema & vita functus eſt.*

Ejus tempore Auguſtiniani eremitæ Aquis fundari creduntur.

XXXIX. Hugo II.

Hugo, ſi ſolius electionis ratio haberetur, deberet præcedere Vicedominum; electus eſt enim anno 1256. At cum electio hæc minus placeret Carolo Provinciæ comiti, hic princeps egit apud Alexandrum IV. ut eam non confirmaret; adegitque Hugonem juri ſuo cedere. Et certe anno 1257. *electus Aquenſis* dicitur in pacto inito inter Carolum comitem, & Rogerium d'Hieres. Verum neque præfuit, neque conſecratus legitur; unde vix archiepiſcopis videtur accenſendus.

Vide in inſtrument. C. XXI. p. 69. col. 1.

XL. Grimerius.

Vicedomino tranſlato ab Aquenſi eccleſia ad Prænestinam, præpoſitus & capitulum eccleſiæ viduæ Alanum Siſtaricenſem epiſcopum poſtularunt, & poſtulationem ſuam confirmari a Gregorio papa X. ſupplicarunt. Summus vero pontifex metuens ne Alani tranſlatio ad aliam ſedem, damnum grave afferret Siſtaricenſi, perpendenſque ſatius eſſe archiepiſcopum ex gremio cleri Aquenſis eligere, cenſuit e re utriuſque eſſe magis, ut rejecta poſtulatione Alani, præficeret Grimerium archidiaconum, ſuum capellanum. Ejuſdem dotes recenſet in bulla
1272. pro ejus promotione data Lugduni idib. Januarii, anno MCCLXXII. ſecundo ſui pontificatus. Grimerius clientelarem fidem pro rebus temporalibus archiepiſcoparus, juravit Guillelmo ſeneſcallo Provinciæ & Forcalquerii, regis vices agente, anno 1276. die 10. Septembris. An.
1281. 1281. apud ſanctum Maximinum, Dominica poſt Aſcenſionem Domini, teſtis fuit tranſlationis reliquiarum B. Mariæ Magdalenæ in capſam argenteam, vocatus a Carolo primogenito regis Jeruſalem & Siciliæ, qui adfuit, & cum Grimerio litteras ſcripſit hujus rei teſtes. Quædam decrevit pro eccleſiaſtica diſciplina; legiturque ſcripſiſſe adverſus hæreticos. Memoratur in necrologio Aquenſis eccleſiæ his verbis: *Anno ſa-*
1282. *lutis* MCCXXCII. II. *calendas Decembris obiit dominus Grimerius archiepiſcopus Aquenſis, qui reliquit ſine dominio affare, quod emit in caſtro Podii-Richardi ad faciendum anniverſarium in hebdomada ſancta.*

De Novis

XLI. Rostagnus II.

Ejus gentilitium nomen erat *de Novis*, ut patet ex tabulis monaſterii ſancti Andreæ Avenionenſis, in quibus legitur Matthæum ſancti Laurentii in Damaſo preſbyterum cardinalem, prioratus ſanctæ Tulliæ collationem a Roſtagno de Novis archiepiſcopo Aquenſi, Ricavo de Inſula clerico factam annullaſſe anno a Nativitate Domini MCCLXXXIX. Hunc ordini Minorum nomen dediſſe nonnulli aſſerunt, alii fratrum Prædicatorum. Ante XIV. kal. Septem-
1284. bris anni 1284. ſucceſſerat Grimerio, ſi anno 1283. ut archiepiſcopus, permiſerit Judæis ſynagogam conſtruere, ut in nonnullis Aquenſibus ſchedis lego. Anno 1285. XV. kal. Martii, apud
1285. Regienſem urbem ſynodum habuit cum aliis ſuæ provinciæ præſulibus, in qua plurimas conſtitutiones ad reſtituendam, tuendamque politiam eccleſiaſticam neceſſarias edidit. In hoc cœtu preces publicæ, ſupplicationeſque indictæ ſunt pro impetranda libertate Caroli Salernitani principis in vinculis Arragonum periclitantis. Deſideratur illa ſynodus in collectione Labbeana. Fragmentum ejus non contemnendum habemus in epiſcopis Siſtaricenſibus Columbi. Bouxus etiam adeundus in hiſt. Prov. Ex libro *l. 9. fol. 3. c. 2.* *piloſo* Siſtaricenſi, *interfuerunt venerabiles ſuffraganei, R. Aptenſis, M. Regienſis, P. Siſtaricenſis ..... Forojulienſis epiſcopi, P. præpoſitus & officialis Vapincenſis epiſcopi, juſta de cauſa abſentis, & abbates Croſſienſis & de Lura, præpoſiti, archidiaconi, & procuratores dictarum eccleſiarum, & alii plures diſcreti viri. Condita ſunt ſtatuta uſque ad 22. quorum ultimum: quod nulli impediantur quominus ad metropolitanum appellent, aliter excommunicetur, ſicut a prædeceſſore G. archiepiſcopo Aquenſi ſtatutum fuit.*

Sub Roſtagno Aquis fundari cœptum eſt monaſterium [a] pro ſororibus inſtituti Dominicani, quæ jam apud Maſſiliam receptæ fuerant. Hujus inſtituti propagandi Carolus II. Siciliæ rex & comes Provinciæ, ſollicitus fuit. Cum enim e captivitate Arragonica liberatus, per Prulianum ejuſdem ordinis parthenonem, in Occitania tranſiret anno 1290. quam ſancte religioſe- 1290.
que Deo famularentur admiratus, locum de Duranna prope Aquas-Sextias dedit ad conventum monialium idem vitæ genus ſectantium conſtruendum. Inde vero ab eodem rege tranſductæ ſunt in locum a Maſſilienſibus S. Vict. monachis comparatum, ubi fundatum eſt celebre monaſterium B. Mariæ de Nazareth, pro centenario

[a] De fundatione hujus monaſterii hæc legimus:

Anno 1286. capit locus pro ſororibus vedanis fratrum Prædicatorum in Maſſilia primitus promoveri, ubi dominus Hugo Berri Lombardus, cum conjuge ſua domina Kantimonda emit & dedit locum pro ſororibus juxta fratres. fuitque ibi patronus ſororum, fuerantque illuc addutte ſorores quatuor ex monaſterio Prulani, ubi omnes aliquot permanſerunt.

Deinde vero Carolus II, rex Siciliæ comes Provinciæ, a Siculorum captivitate expeditus, rediens ex Aragonia, tranſiit per monaſterium Prulliani, anno 1290. paſchali tempore, ubi percepto quam ſancte ibidem ſorores Deo famularentur, mox decrevit in Provincia terra ſua fundare ſororum monaſterium, & veniens in Provinciam, locum de Duranna prope Aquas procuravit, & eas de Maſſilia illuc tranſferri fecit, & ipſe rex perſonaliter in locum de Duranna prope Aquas introduxit paulo ante feſtum S. Andreæ anno 1290.

Deinde idem rex eaſdem ſorores introduxit juxta civitatem in locum qui fuerat Sacatorum, quem emptum abbas Maſſilienſis poſſidebat, & rex cum archiepiſcopo Aquenſi domino Roſtagno, & tota curia regia eas comitatus eſt die feſto ſanctæ Margaretæ 20. die Julii 1292. inſtituens monaſterium B. Mariæ de Nazareth, centenarium numerum ibidem inſtituendo, de quibus darem converſas voluit pro ſervitio earumdem, ac eleemoſynam ibidem omni die faciendam perpetuo omnibus pauperibus advenientibus.

ANNI CHRISTI. * *al.* 1291. *die* 20. *Julii.*

sororum numero, quæ eo introductæ sunt a rege & a Roſtagno archiepiſcopo, menſe Julio an. 1295.* Eadem aut etiam majori munificentia rex Carolus cœnobium ædificavit pro fratribus Prædicatoribus, apud S. Maximinum, in loco quem prius incolebant Victorini monachi. Nomen Roſtagni archiepiſcopi conſignatum eſt in actis publicis annorum 1303. 1305. 1310. quo anno vivente adhuc Roſtagno Robertus rex filius Caroli II. fraterque natu minor ſancti Ludovici Toloſatum epiſcopi fundavit Aquis cœnobium monialium ſanctæ Claræ, hortante inprimis Sancia ejus conjuge. E vita abiit menſe Februario anni 1310. exactis in epiſcopatu annis 27. menſibus 5. diebus 21. ex Aquenſi necrol.

1303. 1310.

XLII. GUILLELMUS II.

DE MANDAGOTO. a

Guillelmus de Mandagoto[a], ex gente nobili pagi Lodovenſis, ut habet Johannes Plantavitius Pauſæus in chronologia epiſcoporum Lodovenſium, ab Ebredunenſi cathedra transfertur ad Aquenſem metropolim, circiter annum 1311. quo videmus alium ipſi ſubrogatum in ſede Ebredunenſi. Id vero probat Stephanus Baluzius, tum ex libro obligationum, tum ex ſcriptoribus vitæ Clementis V. tum ex Neapoleone de Urſinis cardinali ſcribente ad Philippum Francorum regem poſt mortem Clementis V. Ex his enim omnibus conſtat Guillelmum, quando ad epiſcoparum Prænestinum & cardinalatum aſſumtus eſt, fuiſſe Aquenſem archiepiſcopum. In vita 4. Clementis V. auctore Bernardo Guidonis epiſcopo Lodovenſi, legimus Guillelmum de Mandagoto archiepiſcopum Aquenſem factum eſſe cardinalem anno 1312. in ſabbato 4. Temporum Adventus. Tunc vero de more archiepiſcoparum dimiſit. Obiit anno 1311.

p. 188. 271. 1311.

V. Baluz. in not. ad vit. papar. Av. p. 666. 1312. 1311.

XLIII. ROBERTUS II.

Robertum cognomen *de Malovicino* habuiſſe conjicimus, ex documento S. Andreæ ſecus Avenionem, quo Robertus Aquenſis archiepiſcopus Iſnardum de Pontevez, monaſterii Cellæ priorem, & Guillelmum de Malovicino fratrem ſuum canonicum Lugdunenſem, B. Mariæ de Laure œconomos inſtituit 15. Febr. an. 1317. indictione XV. unde etiam eruitur Robertum uſque ad annum 1318. juxta noſtrum computandi modum vixiſſe; nam menſis Februarius, qui inchoando annum a Paſchate, pertinet ad annum 1317. ſi auſpicemur annum a Januario, tunc ad 1318. ſpectabit. Baluzius in notis ad vitas paparum Avenion. appellat eum Robertum Arrufati, & dicit eum prius fuiſſe archiepiſcopum Salernitanum; at non indicat e quibus fontibus id depromſerit. Idem conjicit Robertum obiiſſe tantum 1318. ex tempore quo ejus ſucceſſor factus eſt archiepiſcopus. Quod ſpectat ad ejus nomen, potuit cognominari *Arrufati*

pag. 642.

[a] Johannes Columbi in noctibus Blancalandanis, docet eum ex Ebredunenſi archiepiſcopo factum Aquenſem a Clemente V. profectum Aquas Sextias die 10. menſis Julii anno 1311. Poſtea factum epiſcopum Avenionenſem, & cardinalem Prænestinum. Mortuum tandem anno 1324. notatque tantum Fornerium in Ebreduno, num 5. p. 493. Objicit ſibi J. Columbi in appendice alterum rationum pontificalium librum, in quo Guillelmus dicitur mortuus anno 1321. at reſpondet de fide hujus libri poſſe dubitari.

& frater ejus *de Malovicino*, ſive tantum uterini fratres fuerint, ſive *de Malovicino* titulus eſſet ſumtus a dominio alicujus loci ſic dicti. Præterea per hæc verba *fratrem ſuum*, poteſt intelligi Iſnardi de Pontevez fratrem fuiſſe Guillelmum de Malovicino. De hoc Roberto archiepiſcopo nihil nobis occurrit ante annum 1316. quo conſules Narbonæ nomine totius *Communia*, appellarunt ſedem apoſtolicam contra ſententiam excommunicationis in civitatem latam a Raimundo de Agone præpoſito Magalonenſi, ſubdelegato Roberti Aquenſis archiepiſcopi, conſervatoris deputati a ſede apoſtolica. Hac pœna præpoſitus mulctaverat Narbonenſes, qui vel miſſis fratrum Minorum intereſſent, vel ſacris concionibus, aut quocumque modo cum ipſis communicarent; nam ipſos fratres anathemate percuſſerat Raimundus. Ab hac ſententia lata VIII. kalend. Martii anno 1316. Johannes Amelius juriſperitus provocavit die 2 Martii anni ejuſdem. Quo etiam tempore Roberto regi clientelam juravit Robertus archiepiſcopus. Plura de illo neſcimus, niſi quod anno 1317. menſe Auguſto fideles hortatus eſt ad eleemoſynas pro ſartis tectis eccleſiæ B. Mariæ de Sede faciendas.

ANNI CHRISTI.

1316. *Tab. baſilicæ Narbon.* 1317.

XLIV. PETRUS IV.

DES PRAZ.

Petrus de Pratis, patre Raimundo domino de Pratis in lucem editus ex nobili genere pagi Cadurcenſis, doctor in decretis, primum Regienſis præſul renuntiatus eſt, deinde Aquenſis archiepiſcopus; quod Baluzius in notis ad vitas pap. Avenion. dicit factum anno 1319. alibi tamen docet liquido conſtare ex libro obligationum Vaticani Petrum de Prato factum eſſe archiepiſcopum Aquenſem an. 1318. Attamen pallium non accipit niſi an. 1320. Johannis papæ quinto. Tandemque ab eodem Johanne papa XXII. creatur cardinalis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cujus jam erat vicecancellarius. Eum in ſacrum collegium cooptatum fuiſſe anno 1320. XIV. kal. Januarii, feria VI. in jejunio quatuor temporum Adventus, ſcribit auctor tertiæ vitæ Johannis XXII. Primum fuit cardinalis preſbyter cum titulo ſanctæ Pudentianæ, ut legitur in bulla Johannis XXII. qua Petrum Aureolum promovet ad Aquenſem cathedram. Poſtea multis in actis legitur cardinalis Prænestinus, mutato titulo. Ipſi & Petro de Mortuo-mari etiam cardinali, Johannes papa XXII. commiſit judicium controverſiæ, inter Ademarum Valentinenſem epiſcopum, & Aimarum de Pictavia comitem Valentinenſis pagi, pro Criſta oppido, an. 1332. Sub Clemente VI. anno 1342. legatione functus eſt apoſtolica ad Philippum IV. Franciæ, & Eduardum Angliæ reges, ut eos ad pacem hortaretur. Multis piis operibus & fundationibus monumentum ære longe perennius ſibi exegit. Nam Avenione templum beato Petro apoſtolo ſacrum, a quadringentis & amplius annis dirutum, in collegiatam eccleſiam exſtruxit, cujus patronatum ſummo pontifici reliquit. Sed & in patria ſua, diœceſique Cadurcenſi, aliam ædem ſacram caſtri Montis-peſati, ex integro ædificavit, bulla impetrata a Benedicto XII. pontificatus

1319. p. 749. p. 642. 1320.

Ibid. p. 163.

ANNI CHRISTI.

catus an. 3. 1337. ſub regimine decani aggregatis XIV. canonicis, cum redditibus ampliſſimis, & ſacris reliquiis ibidem collatis, quas Roma advexerat. Hanc vero baſilicam ſancto Martino tutelari patrono circa 1343. conſecravit, atque fratri Bertrando, ſuiſque ſucceſſoribus Montis-peſati toparchis, patronatum & jus nominandi ad præbendas attribuit. Poſt hæc teſtamentum condidit anno 1360. herede inſtituto Raimundo Arnaldo ſuo nepote. Tandemque longævus apud Villam-novam prope Avenion. deceſſit ex peſte 13. Maii 1361. ut colligitur ex necrologio eccleſiæ Montis-peſati, quarto ab urbe Cadurcenſi lapide diſtantis, in qua ſub marmoreo tumulo ſepelitur. Hic autem cardinalis de Pratis, qui ab aliis *de Prato*, modo *Præneſtinus* a variis auctoribus, & nonnullis in chartis dicitur, ſcripſit librum de laudibus Dei-paræ Virginis, quem ferunt aſſervari in bibliotheca ſancti Victoris Pariſienſis. De quo præſule meminit Ferdin. Ughellus abbas in epiſcopis Præneſtinis. Sed plura de illo fratres Sammarthanos edocuerat eruditus Leo Gothofredus, canonicus ejuſdem eccleſiæ collegiatæ Montis-peſati in Cadurcis, viri clariſſimi, doctiſſimique Theodori ſacri conſiſtorii comitis, & regii hiſtorici filius. Ex eadem nobili gente de Pratis prodierunt Johannes Caſtrenſis, & tres epiſcopi Montalbanenſes. Ex eodem genere erat Antonius Deſprez de Montpezat, Franciæ mareſcallus juxta Quercetanum.

AUREOLI.

XLV. PETRUS V.

Petrus dictus Aureoli, Vermeriæ oppido diœceſis Sueſſionenſis, ad Iſaram flumen, quatuor conciliis ibidem celebratis noto natus, Deo in ordine ſancti Franciſci ſe devovit. Cumque diu in Pariſienſi toto orbe celeberrima ſchola publice ſacras litteras docuiſſet, ad regimen archiepiſcopatus Aquenſis evectus eſt an. 1321 *. ut patet ex actis conſiſtorialibus. Certe in regiſtro epiſtolarum Johannis XXII. pro anno 5. num. 647. occurrit ea qua Petrum præfecit eccleſiæ Aquenſi, vacanti per aſſumtionem Petri archiepiſcopi ad cardinalatum tit. S. Pudentianæ: *Datum Avenione* III. *kal. Martii, anno* 5. Eidem pallium mittit: *Datum Avenione* XII. *kal. Julii anno* 5. Brevi tempore præfuit hic archiepiſcopus, quando anno 1322. alius reperitur in Aquenſi cathedra. Qui eum cardinalium albo inſcribunt, nihil ea de re afferunt certi. Quo anno diem ſupremum obierit æque incertum. Superſtitem eum uſque ad annum 1345. fuiſſe probat *Breviarium bibliorum* hoc anno ab ipſo in vulgus editum. Alia ejus opera ſunt, commentaria in libros quatuor ſententiarum, tractatus de immaculata Conceptione Dei-paræ Virginis, quodlibeta varia. Alia latere in conventu Sagienſi Franciſcanorum dicuntur.

* III. kal. Martii. 1321.

DE CONCOZ.

XLVI. JACOBUS.

Jacobus de Conqueſio, ex nobili familia de Cabrairez in Cadurcis, primum ordini Dominicanorum ſeſe addixit; unde poſtea fuit aſſumtus ad epiſcopatum Lodovenſem, tum ad Aquenſem pontificatum anno 1322. die 10. Jul. bulla Johannis papæ XXII. cui fuit a confeſſionibus, ſi fides ſit Aquenſibus ſchedis ad me miſſis adhibenda. Anno 1326. menſe Junio venit ad concilium San-ruffenſe ſecus Avenionem, cum ſuæ provinciæ epiſcopis, aut eorum vicariis, de quo vide in Guaſberto Arelatenſi archiepiſcopo, qui huic ſynodo præfuit. Moritur die 1. Maii, anno 1329. ex necrologio Dominicanorum Cadurcenſium. Humatus legitur Aquis-Sextiis apud ejuſdem inſtituti religioſos viros, in latere dextro majoris altaris; quorum conventui legavit ſuam bibliothecam, omnem ſacram ſuppellectilem, ac decem libras Cadurcenſes annuas pro ſui anniverſarii celebratione; ad quas perſolvendas Hugonem de Conqueſio fratrem ſuum obligavit. Verum necrologii verba videntur intelligenda potius de conventu Prædicatorum Cadurcenſium, quam Aquenſium; ita enim legitur: 1. *Maii obiit anno Domini* MCCCXXIX. *reverendus dominus frater Jacobus Aquenſis archiepiſcopus, & ſepultus eſt in ſepulchro, quod eſt in medio chori eccleſia, ſub crypta arem: qui fecit edificari hoſpitium in vita ſua quod eſt prope portale ſancti Petri, ſupra murum conventus, via communi media juxta flumen*[a], *& legavit conventui indumenta eccleſiaſtica integra de dias pro albo meliora qua haberet, & omnes libros ſuos; & nihilominus x. libras Caturcenſes annales pro anniverſario ſuo, quas tenetur ſolvere dominus Hugo de Conqueſto* [sic] *frater ſuus, & heredes ejus.*

ANNI CHRISTI. 1326.

1329.

Necrol. Dominic. Caducenſium.

[a] f. Conqueſio.

[a] Cœnobium Prædicatorum Caturcenſium poſitum eſt secus flumen Oltum (*le Lot.*)

XLVII. ARNALDUS I.

Arnaldus vel Arnaudus, cui Claudius Robertus cognomen *Bernardi de Pireto* dat perperam, clientelarem fidem pollicitus eſt Philippo de Saxineto Provinciæ ſeneſcallo, comitis vices agenti, anno 1331. die 28. *al.* 25. Aprilis. Animam efflavit in caſtro Podii-Ricardi, de cujus funere in majori eccleſia celebrato legenda eſt charta, in qua ritus ſepeliendi epiſcopos Aquenſes deſcribuntur.

1331.

C. XXV. p. 70. col. 1.

XLVIII. ARMANDUS.

Armandus cognomento de Barceſio * anno 1337. die 3. Septembris ſedit in concilio Avenionenſi trium provinciarum, habito in monaſterio ſancti Rufi. Miſſus fuit a ſummo pontifice tanquam legatus apoſtolicæ ſedis, ad reges Jacobum Majoricarum, & Petrum Arragonum, ut pacem inter ipſos & concordiam conciliaret; ejuſque induſtria conſenſit Jacobus ſtare judicio ſummi pontificis; quod inſtrumento publico declaravit coram Armando, die Mercurii 24. Julii anno 1342. Iterum a Clemente VI. miſſus eſt ut nuntius, ejuſdem pacis procurandæ cauſa, anno 1344. uti liquido conſtat ex hujus papæ epiſt. Cap. 7. libertatum eccleſiæ Gallicanæ n. 12. leguntur Petri Arragoniæ regis litteræ, ad Clementem VI. quæ ſic incipiunt: *Filiali devotione veſtra clementiæ litteras per venerabilem Armandum Aquenſem epiſcopum noviter nobis miſſas reverenter accepimus.* Hæc intelligi de noſtro Armando utcumque poſſunt, cum Aquen-

BARCEI.

* al. Narceſio.

1337.

Tom. 2. vit. papar. Aven. pag. 607.

1344. Ibid. p. 661.

sis episcopus hoc nomine nullus tunc occurrat. A
ANNI CHRISTI. 1348. E vita migravit Armandus anno 1348. VIII. id. Maii, quo tempore lues magna grassabatur; jacetque Aquis-Sextiis in capella sancti Gregorii ab ipso fundata.

Hoc loco operæ pretium est subdere elogium hujus archiep. editum tom. 2. analect. Mabil. ex necrol. Carnot. *VIIJ. id. Maii reverendus in Christo pater dominus Armandus de Narcesio quondam canonicus, & præpositus de Ingreio, ac decanus in ipsa sancta ecclesia Carnotensi, capellanus ac familiaris sanctissimi patris domini Johannis papæ XXII. auditorque sacri palatii, & postea archiepiscopus Aquensis in Provincia, &c.* Subditur B hunc præsulem partes capituli Carnotensis adjuvisse contra episcopum, cum litigarent in curia Romana, ipsumque legasse eidem capitulo centum libras Turonenses.

In schedis Johannis Claudii Sobolis presbyteri Aquensis, præter Armandum de Barcesio, admittitur Arnaudus de Narcesio, qui idem est. Hic, ut ferunt, natus in territorio Cadurcensi, in loco qui dicitur *Mons-acutus*, anno 1337. 8. die Aprilis a Benedicto XII. providetur de episcopatu Aquensi. Nosocomium ædificavit in honorem S. Michaëlis, & in ejus ecclesia fundavit capellam S. Michaëli dicatam, quæ destructo nosocomio in ecclesiam cathedralem translata est. Cetera quæ de Armando diximus, huic Arnaudo tribuunt. C

XLIX. ARNALDUS II.

BERNARDI. 1349. Arnaldus Bernardi de Pireto, an. 1349. 23. Martii, oblatas sibi a consulibus urbis camerarii apostolici litteras exsequitur, de portione bonorum Armandi decessoris sui nosocomio Aquensi tribuenda. Cum Avenioni commoraretur, pauca de illo in tabulis publicis occurrunt. Legitur tamen diversa statuta fecisse annis 1354. 1351. 52. 54. quo anno etiam dicitur absolvisse D ab excommunicatione Percevallum de Composio, & Johannem Simeonis, quos Hugo de Tolosa vicarius generalis & officialis anathemate percusserat. Obiisse dicitur anno 1358. X. Kal. Augusti, sepultusque prope Armandum decessorem. Sed refragatur V. C. Stephanus Baluzius, existimatque ipsum esse Arnaldum Bernardi patriarcham Alexandrinum, qui administrator fuit episcopatus Montalbanensis, saltem ab an. 1361. ad 1368. & in quibusdam schedis vocatur *Arnaldus Peirarcdus*; quod cognomen convenit cum *de Pireto*. Autumat autem vir eruditus, eum, relicto Aquensi throno transiisse E ad cathedram Montalbanensem amore patriæ. Idem Baluzius rejicit ex albo Aquensium metropolitarum Guillelmum Amici hac dignitate donatum ab Johanne Chenutio, Claudio Roberto, & fratribus Sammarthanis. Et merito quidem expungitur, cum apud veteres scriptores nullibi dicatur episcopatum hunc habuisse; nisi quod schedæ jam sæpe commemoratæ testantur eum Aquensi necrologio inscriptum, cum Aquensis archiepiscopi titulo.

Tab. urbis.

Tom. I. vit. pap. Aven. p. 1016.

Vide in ep. Montalb.

Ibid. p. 911.

L. JOHANNES II.

PEISONI. Johannes Piscis, *al.* Peisoni, ex episcopo Dinensi, an. 1360. creatur archiepiscopus Aquensis ab Innocentio VI. Anno 1363. Urbanus V. ipsum cum Johanne episcopo Vasionensi cognoscere jubet de sanctitate vitæ & miraculis Dalphinæ virginis in S. Elzearii conjugio 27. annos moratæ. His adjunctus a pontifice Geraldus Sistaricensis negotia excusavit, datis ad ipsos litteris quas illic vide. Mota inter præsulem hunc & capitulum controversia de beneficiorum ecclesiasticorum collationibus, anno 1365. statutum est, omnia esse ab archiepiscopo & capitulo simul conferenda. Obiit die 10. Octobris anni 1368. De eo martyrologium sancti Salvatoris: *Obiit R. D. pater Johannes Piscis, sive Peissoni S. Aquensis ecclesiæ archiepiscopus, qui reliquit eidem caput* M1000. *virginum cum alio pulchro reliquiario de cristallo, in quo sunt quam plura reliquiæ sanctorum. Eodem die dominus Rolandus capellanus suus dedit dictæ ecclesiæ pro anniversario dicti domini & sui ipsius XVJ. florenos auri, de quibus fuerunt empti XVIIJ. denarii censuales.*

ANNI CHRISTI. 1363. *J. Columbi in epist. Sardar.*

1365.

1368. *Sch. Aquens.*

Dominus Bouche Johanni Pisoni successorem dat Petrum Iterium cardinalem, deceptus fortasse illius epitaphio, quod in ecclesia fratrum Prædicatorum Avenion. legitur his verbis: *In præsenti capella jacet RR. in Christo pater dominus Petrus Ieterus episcopus Albanensis cardinalis Aquensis, doctor legum egregius, qui obiit die 19. mensis Maii anno Domini* MCCCLXVIII. *post recessum D. Urbani V.* Sed Petrus Iterius fuerat episcopus Aquensis in Novempopulonia, non Aquensis archiepiscopus, ut docet Petrus Frizon in Gallia purpurata. *Ibidem.*

Sedente Johanne statuta pro bono regimine tam Provinciæ quam Forcalquerii facta sunt Niceæ 5. Junii, anno 1366. sub Johanna Siciliæ regina & comitissa Provinciæ.

LI. GERALDUS, *seu* GUIRAUDUS. POSILHAC.

Geraldus de Posilhaco die 4. Junii jam confirmatus archiepiscopus *recognovit* sacrum cardinalium collegium; eorum scilicet cameræ pro communibus, ut tunc aiebant, serviciis quamdam pecuniæ summam pendendo; ex libro obligationum Vaticani, quem vocant acta consistorialia. Memoratur in actis publicis annis 1372. & 1377. die 22. Junii, præsens transactioni factæ pro translatione parthenonis B. M. de Nazareth ordinis S. Dominici, in urbem juxta S. Sulpitii ecclesiam, consentiente Fulcone de Agouto Vallium, & Reliana domino comitatuum Provinciæ & Forcalquerii seneschallo. De morte cogitabundus Giraldus VIII. idus Martii an. 1378. emit possessiones ecclesiæ cedendas pro suo anniversario. Obiit paulo post X. Kal. Junii.

1372. 1377.

1378.

LII. JOHANNES III. D'AGOULT

Floruit multis a seculis, adhucque superstes est in Provincia illustris Agultorum familia, quæ baronibus, comitibusque de Salu* ortum dedit. Ex hoc claro genere prodierat Johannes d'Agoult Aquensium archiepiscopus, qui hujusce ecclesiæ regimen adeptus est X. Kal. Junii anno 1379. creatus ab Urbano a VI. Dicitur ad- 1379.

* *Sault.*

a In schedis Claudii Sobolis lego id factum ad supplicationem optimatum Provinciæ; Clementem vero VII. æmulum Urbani VI.

ANNI CHRISTI 1390. 1394.

fuisse comitiis generalibus Provinciæ congregatis anno 1390. mense Augusto, apud Aquas-Sextias, in Dominicanorum aula. Mors ejus anno 1394. consignatur; sepultusque est in sua ecclesia juxta Carolum regem, Provinciæ comitem. Huic archiepiscopo præmittitur quidam Franciscus Thabaldescus, in schedis Aquensibus nobiscum communicatis; in quibus lego Franciscum hunc fuisse provectum ad Romanam purpuram. Factus quidem est cardinalis Franciscus Thabaldescus Romanus die 22. Septembris anno 1368. Sed de ejus promotione ad archiepiscopatum Aquensem, nihil certi reperimus. Sane in ipso S. Salvatoris necrologio cujus solum testimonium referunt schedæ, Franciscus legitur archidiaconus Aquensis, non archiepiscopus.

d'Agoult

LIII. PETRUS VI.

Post mortem Johannis, eædem schedæ produnt electum a capitulo fuisse Guillelmum Fabri canonicum Aquensem, & præpositum ecclesiæ Forojulienſis; sed reprobatam a summo pontifice fuisse hanc electionem, & Petrum de Agulto consanguineo suo Johanni subrogatum. Sammarthani fratres non inficiantur Petrum d'Agoult in antiquo catalogo inscribi successorem Johannis gentilis sui; ubi etiam aiunt legi sepultum eum esse ante altare corporis Dominici. *Sed de illo antiqua*, inquiunt, *silent chartophylacia.* At vero silentium istud non omnino elevat testimonium veteris catalogi. Quapropter locum dandum putamus huic Petro, in Aquensium archipræsulum serie.

du Puppio.

LIV. THOMAS.

Thomam de Puppio civem Aquensem aiunt in utroque jure fuisse peritissimum, multisque operibus ac lucubrationibus apud æquales suos claruisse; quæ si ad nos perventissent, testatam nobis fecissent ejus eximiam doctrinam. Quid igitur causæ fuerit, ut in patria sua ad summum promoveretur sacerdotium, ulterius inquirendum non est. Bulla autem Benedicti XIII. alias Petri de Luna creatus est archiepiscopus Aquensis anno 1397. aliis tardius anno 1399. Anno MCCCCVII. die 31. Decembris, ut deputatus a papa univit abbatiam sancti Pontii de Gemenos, diœcesis Massilienſis, cum parthenone sancti Petri de Almanara, diœcesis Tolonensis. In actis concilii Pisani anno 1409. editis Spicileg. tom. VI. nominatur inter archiepiscopos qui ad hoc concilium miserunt ambassiatores aut procuratores. Etsi vero diu vixerit & præfuerit, nulla pene ab ipso facta memoriæ prodita sunt. De eo in necrologio legitur: *Anno* MCCCCXX. *die* XVIII. *Februarii* (al. A xv. kal. Octobris) *obiit R. D. Thomas de Puppio archiepiscopus sanctæ Aquensis ecclesiæ, qui reliquit omnia bona sua præditæ ecclesiæ.* Illo præsule sedente fundata est universitas Aquensis ab Alexandro V. anno 1409. confirmata deinde per Ludovicum II. regem Siciliæ & comitem Provinciæ anno 1413. Variis postmodum honoribus & divitiis aucta ab Henrico Magno; denique a Ludovico XIII. approbata an. 1622. uti refert liber continens catalogum doctorum hujus academiæ, Aquis-Sextiis excusus an. 1645.

1397. 1407. 1409. 1410.

C. XXIII. f. 69. col. 2.

Johannem suspendisse. In bulla Clementis, quam damus inter instrumenta, ipse dicit Johannem a se amoenum fuisse ob discordias inter hunc archiepiscopum & Ludovicum regem, &c. exortas. *Attendens*, inquit, *quod idem Johannes archiepiscopus, alterius quam Aquensis ecclesiæ regimini, quæritus & utilius præesse possit, pariterque & prodesse.* Itaque *administrationem hujus ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus ad suas manus recepit nostra, quoadusque de persona idonea ipsi ecclesiæ provisum fuisset.* Bulla Clementis data est Avenione 11. nonas Maii, pontificatus anno 10.

Notat Raynaldus in annalibus ad annum 1381. n. 26. hoc lucuosissimo tempore, magnos tumultus fuisse apud Aquenses; in quibus ipse archiepiscopus fuit suorum sanguine cruentatus.

LV. GUILLELMUS III.

Filastre.

Guillelmum Philastrium Cenomanicus pagus ingenio præstantium hominum ferax, in lucem protulit, honesto loco natum, cujus frater Stephanus apud Cenomanos prætura pro Siciliæ rege, Cenomanensi comite functus est. Quod spectat ad Guillelmum, liberaliter institutus est; ita ut in mathematicis esset exercitatissimus, græce vero ita doctus, ut nonnullos Platonis libros latine interpretatus fuerit; juris autem utriusque peritissimus doctor. Primum sacerdotium illi collatum, fuit præbenda ecclesiæ collegiatæ sancti Symphoriani apud Remos. Postea eligitur ecclesiæ metropolitanæ Remensis decanus, cujus bibliot. eximiis libris & codicibus ditavit, ornavitque. Tantum virum purpura dignum judicavit Johannes papa XXIII. eumque creavit cardinalem diaconum S. Mariæ. Deinde fuit presbyter cardinalis tituli S. Marci anno 1411. & archipresbyter divi Johannis Lateranensis, administratorque ecclesiæ S. Chrysogoni. Archiepiscopatus vero Aquensis administrationem nactus est anno 1421. kalend. Januarii. Adfuit concilio Constantiensi anno 1417. & in sessione 34. peroravit, sumtis pro themate his sancti Petri verbis: *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei.* A Martino V. missus est in Galliam legatus a latere cum Jordane cardinali Ursino, ad unionem in ecclesia procurandam & fovendam. Notant nostri Sammarthani Guillelmum oratione habita coram rege Carolo VI. acerbe invexisse in libertates Gallicanas; unde in principis indignationem incidit, & e Francia secedere coactus est. Postea tamen regis gratiam recuperasse argumento est, quod ad Gallicanam legationem fuerit delectus. Romæ animam egit 1428. sepultus ad sanctum Chrysogonum, ubi palatium sibi a fundamentis construxerat. Ad ejus sepulcrum hoc epitaphium legitur: *Sepulchrum Guillelmi tituli sancti Marci presbyteri cardinalis, Cenomanensis diœcesis, ministri ecclesiæ sancti Chrisogoni, olim decani Remensis, & utriusque juris doctoris. Habet Deus quam creavit animam ejus, habet natura quod suum est, expectans resurrectionem, & utriusque vitam æternam; oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Obiit anno Domini* 1428. *mense Novembri, die vero sexta, ætatis suæ an.* 80.

1411. 1. Petri 4. 1428.

Nicolai

LVI. AIMO.

Aimo Nicolai honoribus ordinis Dominicani rite perfunctus, bisque in provincialem electus jam fuerat, quando ad episcopatum tractus

ANNI CHRISTI.

est. Et primum quidem cathedræ Senecienſi est impoſitus, inde Tomerienſi, denique ad metropolim Aquenſem aſcendit. Verum cum Ludovico III. Neapolitano regi, Provinciæque comiti carus eſſet, ſæpius Neapoli verſabatur. Unde factum eſt, ut pauca in hoc pontificatu geſſerit memoratu digna. Curavit ſacellum conſtrui in honorem ſancti Mitrii, ubi ſepulcrum habet, cui inſcripti annus & dies ejus obitus. De eo necrolog. hæc habet: *An.* MCCCCXLIII. *& die* XV. *menſis Junii obiit domnus Aimo Nicolai miſeratione divina ſanctæ Aquenſis eccleſiæ archiepiſcopus, qui reliquit pro anima ſua & parentum ſuorum, & pro ſervitio capellaniæ fundatæ in eccleſia præſenti, retro majus altare ad honorem beatiſſimi & gloriosiſſimi martyris Mitrii. Et fuit extractum de ſepulcro dicti beati Mitrii caput in præſentia R. in Chriſto patris ac domini Johannis de Gotono epiſcopi Forojulienſis, & duorum dominorum canonicorum & ſindicorum hujus civitatis anno* 1464. *& die* XXVIII. *Maii.* Ceterum Aimo ante mortem ceſſerat cathedram alteri, cum habuerit ſucceſſorem anno 1437.

ROBERT.

LVII. ROBERTUS III.

Robertus vulgo dictus *Damiani* cognominabatur *Rogier*, eratque Bituricus, ex tchedis D. du Fourny eruditiſſimi, in inveſtiganda veritate & ſcrutanda antiquitate diligentiſſimi, qui laudat regiſtrum Caſtelleti Pariſienſis ad annum 1447. Excepit ſacramentum Renati regis Neapolitani, & Provinciæ comitis, quo pollicitus eſt in choro Aquenſis eccleſiæ, ſe ipſius jura & privilegia ſervaturum, anno 1437. die 19. menſis Decembris, uti probat inſtrumentum tunc confectum. Huic archiepiſcopo Eugenius IV. ſcripſit v. kal. Julii anno 1446. ut ſchiſmaticos (ſic appellat eos qui Baſileenſi adhærebant concilio) privatione beneficiorum, dignitatum, officiorumque multaret. Inſcriptio epiſtolæ eſt: *Venerabili fratri Roberto archiepiſcopo Aquenſi, oratori noſtro, & apoſtolicæ ſedis nuntio.* Qui ſucceſſit Eugenio Nicolaus V. eidem quoque in mandatis dedit, ut in Amedeum Sabaudum pſeudo-pontificem eccleſiaſtica ſeveritate decerneret, ac ſententias in eum, ejuſque ſequaces jam latas, iterum promulgaret. Dat. Romæ an. 1447. Quia tamen ſpes paulo poſt affulſit pœnitentiæ Amedei, Nicolaus papa ſcripſit Roberto, ut Amedeum, ſi regis Francorum conſiliis aſſentiretur, & ſchiſma ejuraret, a cenſuris omnibus ſolveret, ſponderetque illi cardinalitiam, ac legati apoſtolici dignitatem. Honoratus Bouche eum recenſet in capite præſulum omnium qui convenerunt anno 1448. ad tranſlationem trium ſanctarum Mariarum. Roberto archiepiſcopo fidem jurarunt juris & legum in academia adminiſtri, an. 1450. die 26. Novembris. Anno 1457. præfuit cum duobus legatis Alano & Petro de Fuxo concilio provinciali apud Avenionem. Palatium archiepiſcopale ab ipſo reſtauratum dicitur. Sepulturam habuit apud fratres Minores, quos heredes inſtituit.

1437. *C. XXVI. p. 70. col. 1.*

1446. *Raynald. ad an. 1446. n. 7. tom. 18.*

Ibid. ad an. 1447.

1450. 1457. *Nouvelle hiſt. eccleſ. Avenion. p. 179.*

DE PENNART.

LVIII. OLIVARIUS.

Olivarius de Pennart natione Cenomanus dicitur; quamvis ex ejus teſtamenti tabulis, videatur ortus in illa inferioris pagi Andegavenſis parte, ubi eſt abbatia de Rota (*la Roë*) cui teſtamento legat 40. ſcuta. Item legavit nobili Yvonæ de la Roa filiæ Jacobi de la Roa *neptí ſuæ* 100. *ſcuta auri in maritagio ſuo.* Fuit primum canonicus Aquenſis, & coadjutor aſcitus a Roberto, quem excepit in regimine hujus eccleſiæ. Fuerat etiam cancellarius academiæ Aquenſis, priuſquam infulas acciperet. Ipſi thecas reliquiarum ſanctorum Andreæ & Stephani obtulit Renatus Siciliæ rex, dux Andegavenſis & comes Provinciæ, cum Johanna conjuge ſua. Anno 1481. die Veneris, viceſima prima menſis Septembris, ſcripſit teſtamentum ſuum, quod legeſis in inſtrumentis. Navim eccleſiæ a ducentis & amplius annis inchoatam abſolvit. Diem obiit v. kal. Februarii anni 1484. Viſitur in ſacriſtia ejus humerale* epiſcopale coloris albi, quod nonnullis perſuaſit eum fuiſſe Carruſianum, aliis canonicum Regularem abbatiæ de Rota in Andibus, cujus meminit in ſuo teſtamento. In eccleſia ſancti Salvatoris & ſacello quod ipſe ædificarat, conditus eſt cum hoc epitaphio.

C. XXVII. p. 70. col. 2.

1481. *Ibid. p. 70. col. 2.*

1484. * *Camail.*

Hic quieſcit memoria colendus domnus Olivarius de Pennardo natione Cenomanus, iſtius eccleſiæ metropolitanæ digniſſimus archiepiſcopus, jurium ampliator & defenſor, qui hanc eccleſiam tanquam unicam ſponſam ad Dei omnipotentis laudem & virginis Mariæ ejus genitricis honorem inſtituendo pretioſis jocalibus inſignivit. Præſentem capellam ſuo ſumptu vita ſibi comite adificatam opulenti diſtributione dotavit & conſtruxit quarto idus Novembris MCCCCLXX. *Obiit* V. *kal. Febr. anno* MCCCCLXXXIV.

LIX. PHILIPPUS II.

Philippus Pariſienſis, e dominis d'Auſſonvilliers & de Courcy oriundus erat, & cognatione conjunctus Ludovico Hebert, Abrincenſi epiſcopo, ac Johanni ærarii Galliarum præfecto, ſeu quæſtori Franciæ, regnante Ludovico XI. Fuit & Philippo noſtro frater Gaufridus Conſtantienſis epiſcopus, cujus ope ac ſuffragio, ut erat omnium bonarum artium longe opulentiſſimus, ſuaque virtute, apud Aquas-Sextias archipræſulatus apicem adeptus eſt, favente quoque rege Carolo VIII. anno 1484. Febr. 27. uti habent acta conſiſt. Vatic. Solemni autem pompa receptus eſt in eccleſia ſancti Salvatoris 1485. Februarii 13. Philippus Aquenſis archiepiſcopus anno 1486. ſuum viſitavit capitulum. An. 1487. comitiis generalibus in urbe Aquenſi celebratis præfuit, adſiſtentibus epiſcopis comprovincialibus, tumque luculentam orationem habuit, pro inſolubili unione comitatus Provinciæ cum Francica corona, ut auctor eſt Cæſar Noſtradamus in hiſtoria. Antonius Furnerius Cuciacenſis doctor theologus, in epiſtola ad eumdem Philippum, qua illi ſuum de immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis dialogum dicat, his verbis utitur: *Non mihi ſumerem, præſantiſſime præſul, ad te ſcribendum, tam propter literarum omnium elegantiam, quam propter virtutum cumulum, (in quo ſplendor omnis juris &*

1484.

1485.

1487.

ANNI CHRISTI.

eloquentiæ forma) *quæ omnia apud te sunt, nisi animadverterem eam manſuetudinem & humanitatem, quæ te cognovi redimitum.* Sedebat adhuc 1498. 17. Octobris, ex charta collationis capellæ ſancti Sebaſtiani, juxta forum Aquis in palatio archiepiſcopali, ut continetur in archivis Aquenſis univerſitatis. 1498.

DE BRILLAC. LX. CHRISTOPHORUS.

Chriſtophorus de Brillac Biturix, Petri Argil Montiumque domini, & Annæ de Tranchelion filius, cujus generis deſcriptionem offert nobis Johannes Maan in hiſtoria eccleſiæ Turonenſis, primum fuit decanus Aurelianenſis ſub patrono ſuo Franciſco epiſcopo; deinde unctus eſt in archiepiſcopum Tripolitanum *in partibus infidelium*, ac Trojanum; denique archiepiſcopus Aquenſis creatur poſt Philippum Hebert. At diu non incubuit huic ſedi; eam enim ceſſit nepoti ſuo Franciſco tunc Aurelianenſi epiſcopo, & viciſſim ab ipſo accepit Aurelianenſem epiſcopatum; permutationis inſtrumentum factum eſt anno circiter 1501. In ſchedis Aquenſibus memoratur quædam tranſactio data hoc anno inter archiepiſcopos Chriſtophorum & Franciſcum, una ex parte, ac capitulum Aquenſe ex altera. Attamen Franciſcus de Brillac ex ſede Aurelianenſi non receſſit ante annum 1502. quo dedit eccleſiæ ſex columnas ex ære fuſiles, & totidem angelos columnis ſuperpoſitos, ad cingendum ſanctuarium. Nec Chriſtophorus adeptus eſt poſſeſſionem Aurelianenſis eccleſiæ ante annum 1504. ex Symphoriano Guyon, qui ſcripſit hiſtoriam eccleſiæ, urbis &c. Aurelianenſis. Chriſtophorus non retinuit ſecundam hanc cathedram uſque ad vitæ exitum, ſed poſtmodum factus eſt Turonum archiepiſcopus. Idem fuit Pontis-levii abbas. 1502.

DE BRILLAC. LXI. FRANCISCUS.

Franciſcus de Brillac poſt annos 30. in epiſcopatu Aurelianenſi tranſactos ſolum vertere viſus eſt, atque eccleſiæ Aquenſi datus eſt rector & antiſtes. Sed non diu præfuit; anno enim 1505. mortuus erat & habebat ſucceſſorem.

Johannes Columbi, qui ſcripſit de epiſcopis Siſtaric. dicit mortuo Franciſco de Brillac Laurentium Burellum epiſcopum Siſtaricenſem, legatum ſummi pontificis ad Ludovicum Francorum regem, & viciſſim Ludovici regis ad Julium papam ſecundum, *pro multarum a Julio ad Ludovicum, contraque a Ludovico ad Julium curſitationum præmio donatum fuiſſe Aquenſi pontificatu*, ut ait Belerius. Verum hæc non ſunt intelligenda de Laurentio Burello, ſed de Petro Fillioli qui ſequitur. *l. 10. n. 13.*

DE FILLIOLI. LXII. PETRUS VII.

Petrus Fillioli e Ganato Borbonii pagi oppido ortus, fuit epiſcopus Siſtaricenſis poſt Laurentium Bureau. Johannes Columbi qui agit de eo in epiſcopis Siſtaricenſibus, docet ipſum ante ſuſceptum epiſcopatum, fuiſſe primum regiorum Lutetiæ computorum præſidem, & poſt annos tres ad epiſcopalem Siſtaricenſium cathedram aſſumtum fuiſſe. Mortuo Franciſco de Brillac Aquenſi archiepiſcopo ſuffectus eſt noſter Petrus, quem lego ſuſceptum fuiſſe a capitulo die 8. Octobris anno 1508. Anno 1510. electus eſt in cancellarium academiæ Aquenſis. Fratres Servitæ in urbe recipiuntur anno 1515. Cum variis regni negotiis diſtineretur, rexit diœceſim, ut plurimum per vicarios. Petrus Filholi Aquenſis archiepiſcopus an. 1518. ſuum viſitavit capitulum. Aliquot annis ante mortem coadjutorem poſtulavit Antonium Imberti. Certe jam anno 1513. Petrus Filleul erat *locum tenens* Caroli ducis Borbonii in Occitania. Sub Franciſco I. anno 1534. præfectus urbis Pariſienſis, gubernatorque totius inſulæ Franciæ creatur. Sacram eccleſiæ ſuæ ſuppellectilem plurimum auxit, & navim ejuſdem eccleſiæ decoravit. Duobus annis centenario major, obiit Pariſiis poſt annos 34. 3. menſes, & dies 14. in ſede Aquenſi exactos. Sepultus eſt menſe Februario apud Lutetiam, in Franciſcanorum eccleſia, cum effigie lapidea, & hoc epitaphio. ANNI CHRISTI. 1510. 1518.

Icy giſt reverendiſſime pere en Dieu meſſire Pierre Filleli natif de la ville de Gannat en Bourbonnois, archeveſque d'Aix en Provence, & lieutenant general pour le Roy au gouvernement de Paris Iſle de France, lequel aprés avoir veſcu honorablement CII. *ans, mourut regreté de tout le peuple dans la ville de Paris le* XXII. *janvier* MDXL. 1540.

De eo necrologium S. Salvatoris: *Obiit R. in Chriſto PP. Filholi B. M. archiepiſcopus ſanctæ Aquenſis eccleſiæ, primus præſes in camera computorum Lutetiæ, & vixit in archiepiſcopatu annos* XXXIV. *menſes* III. *diebus* XIV. *ætatis ſuæ* CII. *qui fundavit miſſam novam, quæ dicitur miſſa puerorum, ſalutationem ſingulis diebus & completorium diebus Sabbati in eccleſia B. V. M. Conſolationis extra muros, quique eccleſiam ſuam tanquam ſponſam ad Dei laudem & honorem multis jocalibus decoravit; crucemque, baculum paſtoralem, mitram & multa alia bona contulit, ſepultus Lutetiæ in eccleſia fratrum Minoritarum.*

LXIII. ANTONIUS.

Hic archiepiſcopus cognominatur *Filholi* in ipſis concilii Tridentini actis, quod nonnullis perſuaſit ipſum fuiſſe filium fratris Petri Filholi. At alii contendunt verum Antonii cognomen fuiſſe *Imberti*[a]; quamvis grati animi cauſa erga Petrum archiepiſcopum patronum ſuum, eum ſuum patruum appellaret, ac ipſius cognomento delectaretur; idque aiunt erui ex ejuſdem epiſtola ad dominum cancellarium ſcripta. Antonium Imberti poſtulatum a Petro coadjutorem ſupra diximus. Anno 1540. creatus eſt Aquenſis academiæ cancellarius. An. 1541. quo mortuus eſt Petrus deceſſor, juxta hodiernum morem incipiendi annum a Januario, ſolemni pompa exceptus eſt die 28. Auguſti. Anno 1545. adfuit concilio Tridentino, & ipſius pars magna fuit, ut liquet ex ejuſdem actis, quæ doctiſſimus ille antiſtes etiam collegiſſe dicitur. Certe noſter D. Edmundus Martenne in archivo illuſtriſſ. archiepiſcopi Aquenſis reperit privilegium ab Henrico II. Chriſtianiſſimo rege conceſſum 1540. 1545. *Iſtrum. C. XXVIII. p. 71. col. 1.*

[a] Quippe qui filius eſſet nobilis Johannis Imberti, natus Luti in Provincia.

ANNI CHRISTI, 1550. DE S. ROMAIN.

archipræſuli, pro collectione hac typis vulganda. Animam efflavit die 2. Decembris anno 1550.

LXIV. JOHANNES IV.

Johannes San-Romanus quem ferunt ortum ex illuſtri familia dominorum de S. Chamond, ſucceſſor Antonii, an. 1558. viſitaſſe dicitur eccleſiam & monaſterium fratrum Prædicatorum, quo fere tempore Minimorum familia in urbe Aquenſi recipitur; cui capitulum dedit eccleſiam B. Mariæ *de Sede* urbis antiquiorem, & primam epiſcoporum ſedem, circa annum 1563. Defecit a fide hic archiepiſcopus, ut refertur in hiſtoria concilii Tridentini. Jacobus Auguſtus Thuanus tom. I. hiſt. lib. 35. & Spondanus Annal. tom. III. magnæ auctoritatis hiſtorici, rem ab exordio narrant. Cum ob factam in Gallia pacem, ultra modum exanduiſſet pontifex Pius IV. idque epiſcoporum de ſectaria labe ſuſpectorum, qui in aula & conſiſtorio regis plurimum poſſent, ſuggeſtione fieri putaret; eos aggredi ſtatuit, ut aut præpoſtero juris ordine damnatos de gradu dejiceret, aut ſaltem fulminatis contra eos decretis, ipſos in religionis cauſa ſuſpectos, & eorum conſilia irrita in poſterum redderet. Sic autem rem exſecutus eſt. Speciale mandatum dedit, dum concilium Tridentinum haberetur, cardinalibus Rom. eccleſ. generalibus inquiſitoribus, ut hæreticos & hæreticorum fautores, etiamſi epiſcopali, vel ipſa cardinalatus dignitate præfulgerent, in errores prolapſos, nullis aliis deſuper habitis probationibus, Romæ, vel in confiniis oppidorum eccleſiæ, ad ſe ſiſtendum perſonaliter certo die citarent, & ſi non comparerent, ad ſententiam uſque procederent, quam ipſe Pius in conſiſtorio ſecreto pronuntiaturus eſſet. Hoc quantumvis contra leges, muniti mandato inquiſitores, inquit Thuanus, protinus citant quoſdam epiſcopos, ad eluendum crimen hæreſeos. Onuphrius, qui tunc Romæ agebat, in vita ejuſdem Pii IV. decem numerat, & in iis Odetum Colinium Caſtellionæum cardinalem, Johannem San-Romanum Aquenſem archiepiſcop. Johannem Antonium Caracciolum epiſcopum Tricaſtinum, Johannem Barbanſonum Appamienſem, Carolum Guillarium Carnutenſem; quibus poſtremo addit Homerus Tortora, Claudium Reginum Oleronenſem, Johannem de S. Gelaſio Uticenſem; & auctor vitæ Pii V. Ludovicum de Albreto epiſcopum Laſcurrenſem in Bearnia: Franciſcum de Noailles Aquenſem quoque antiſtitem in provincia Auxitana, alioſve præſules calumnioſe delatos intelligitur ex litteris cardinalis Burdeſerii. Itaque ea de re, graviter rex Carolus apud pontificem expoſtulatus eſt, & ad Henricum Clutinium Oiſellium tunc Chriſtianiſſimæ majeſtatis Romæ oratorem, mandata pro epiſcoporum cauſa miſſa ſunt, quibus inſtructus, ut erat impiger regis miniſter, pervicit apud pontificem, ut jure immunitatum ac libertatum eccleſiæ Gallicanæ & coronæ, judicialia contra epiſcopos acta omitterentur; aſſeruitque regis ſubditos, etiam præſules, in diſſidiis, ex quacumque cauſa, extra regnum, aut alio, minime poſſe ad tribunal pontificium evocari, ſed tantum papam debere judices, ſeu epiſcopos comprovinciales in partibus conſtituere, quibus ſine apoſtolicæ ſedis ſententia, judicium rite faciendum concedatur; quomodo olim in plurimis epiſcoporum cauſis fuit obſervatum, puta in diſſidio Prætextati Rotomagenſis epiſcopi, a Chilperico rege in exſilium ablegati, & Salonii Ebredunenſis, Sagittariique Vapincenſis epiſcoporum; exemplo item Maximi Valentiæ præſulis, hæreſis & plurimorum criminum rei, quorum cognitionem tamen ad eccleſiæ Gallicanæ antiſtites pertinere, Bonifacius I. papa pronuntiavit, in epiſtola decretali ad eccleſiam Gallicanam miſſa, ut videre eſt in canone *Decrevimus* 3. quæſt. 3. Exemplo tandem id conſtare Deſiderii Viennenſis, Ægidii, ac Ebonis Remenſium præſulum, quorum negotium in ſynodo ab epiſcopis Galliæ diſcuſſum, uti & Hincmari Laudunenſis, qui regi Carolo Calvo, ac Remenſi metropolitano obedire compulſus eſt. Hæc porro, multaque alia proſequitur præſes Thuanus de San-romano, quem aiunt abjectis pontificalibus infulis *, Proteſtantium deinde doctrinam profeſſum, poſteaque ſtudiis militaribus fuiſſe deditum. Deceſſit autem Avenione cum prius archiepiſcopatum abdicaſſet, in gratiam Andreæ Eſtienne canonici eccleſiæ ſancti Salvatoris; qui litteras quidem a rege obtinuit; ſed bullas recuſavit ſummus pontifex, etſi regiis litteris datis anno 1567. rogatus.

ANNI CHRISTI.

* a

LXV. LAURENTIUS. STROZZI.

Laurentius Strozzi Italus, Philippi Strozzi equitis Florentini, & Clariſſæ Mediceæ Leonis X. pontificis maximi neptis, amitæ Catharinæ Francorum reginæ, filius, ad percipienda litterarum rudimenta Ludovico Varcherio id ætatis doctiſſimo viro traditus eſt inſtituendus; deinde adoleſcens Paduæ juriſprudentiæ operam dedit. At ſtatim in Galliam profectus militarem vitam amplexus, miles ac ſtrenuus dux evaſit. In provincia enim Narbonenſi, Henrici II. Francorum regis nomine præfectus, diverſa hæreticorum loca munita virtute maxima expugnavit, & ad catholicam religionem reduxit. Verum ſacris poſtea initiatus, abbas ſanctæ Mariæ de Stapharda in Pedemontio 1550. & a Catharina Medicea regina aliis ditatus ſacerdotiis *b*, ob præclare facta ſacri regis conſiſtorii conſiliarii, ac Biterrenſis epiſcopatus dignitate meruit cohoneſtari anno 1548. atque in gratiam Petri Strozzi fratris, equitum Franciæ tribuni, qui geſtorum fama Magni nomen ſibi comparavit, a Paulo IV. 1557. preſbyter cardinalis tituli S. Balbinæ * renuntiatur; & ex Biterrenſi ad Albienſem 1561. moxque ad Aquenſem eccleſiam tranſlatus eſt. Pro munere cancellarii academiæ Aquenſis, ſolitum juramentum præſtitit Nicolao Flote primicerio ſenatori Aquenſi, 1566. poſtea urbem & eccleſiam ſolemniter in-

* S. Sabinæ. 1561. 1566.

* Dicitur in feſto natalis Domini conſcenſo pulpito contra papam & fidem orthodoxam debacchatum eſſe, moxque arreptam crucem projeciſſe, infulas & omnes veſtes pontificales exuiſſe.

b Abbatus S. Victoris Maſſilienſis, Villani, Belli-becci in Normannia, & Anianæ, pro qua contendit cum Roſtagno de la Baume epiſcopo Arauſicani.

ANNI CHRISTI.

greditur 14. Aprilis 1568. Fatis concessit Avenione XIX. Kalend Januarii 1571. Hujus cardinalis elogium scripsit Franciscus Augustinus ab Ecclesia Salutiensis episcopus, in historia chronologica Pedemontanæ regionis. Legendi Antonius Petramellarius, Ciaconius, alique pontificum & cardinalium historici. Ex eadem gente Philippus Strozzius pedestrium copiarum Gallicanarum præfectus generalis, Henrico III. rege, multique in sacro ordine antistites prodierunt, Alexander archiepiscopus Firmanus, Alexander Volaterranus, Robertus Fesulanus, Robertus alter Collensis, & Alexander sancti Miniati apud Italos episcopi.

1568. 1571.

DE MEDICIS.

LXVI. JULIANUS.

Julianus de Medicis ex ducum Etruriæ familia Petri Francisci & Mariæ Soderinæ filius, Laurentii Medicei qui contra Alexandrum, Florentinis a Carolo V. Cæsare ducem creatum pro patriæ libertate conjurare non dubitavit, frater. Is a regina Catharina Medicea, in Galliam evocatus, Biterrensi, & Albiensi episcopatu donatus, ac tandem Aquensis metropolita nominatus a Carolo IX. renuntiatur academiæ cancellarius 1571. Variis morbis conflictatus abdicavit in gratiam Alexandri consanguinei sui anno 1575. Obiit autem in secessu castri d'Auriol 1588. sepultus in monasterio S. Victoris Massilienſis, cujus erat abbas commendatarius. Eidem epitaphium inscripsit vir doctus Franciscus Antelmy Massilienſis. Porro ex serenissima domo Medicea nati sunt tres Romanæ ecclesiæ pontifices maximi, Leo X. Clemens VII. & Leo XI.

1571. 1575.

CANIGIANI.

LXVII. ALEXANDER.

Alexander Canigiani Florentinus, Antonium Canigianum & Argentinam Soderinam Mediceæ familiæ consanguineam parentes habuit; archiep. autem factus est abdicante Juliano Mediceo. Hic pro more cancellarius academiæ declaratur 1575. solemniterque ecclesiam sancti Salvatoris ingressus est 16. Septembris 1576. Interest celebri cleri Gallicani cœtui, habito primum Meloduni, deinde Parisiis in abbatia sancti Germani a Pratis convocato 1580. Februarii 26. Ipse synodum provincialem congregavit, cui adfuerunt episcopi suffraganei 1585. mense Septembri, in qua de rebus fidei, ritibus ecclesiæ, ac morum reformatione actum fuit. Anno 1586. cum aliis sex episcopis quosdam articulos reformationis condidit Parisiis, quos observare spoponderunt, usque dum concilium Tridentinum promulgaretur. Convenit & ad Blesensia comitia generalia regni 1588. inter antistites delegatus e sacro ordine Provinciæ. Quo anno & sequentibus Gallia bello civili misere affligitur. Quare hic antistes tot motus exosus, cupiduſque tranquillioris vitæ, Romam se recepit, ubi extremum diem clausit 1591. Martii 21. cum paulo ante in Franciam suscepta cum aliis præsulibus legatione advenisset nomine Sixti V. pontificis maximi, pro pacificatione belli civilis. Oratione vero funebri laudatus est a Laurentio Jacomini Malespini, edita Italice

1575. 1576. 1580. 1585. 1588. 1591.

A B C D E

1591. qua inter alia recenset, eundem ortum ex stirpe Soderinorum procerum. Ejusdem gentis Canigianæ meminit Carolus a Basilica, in vita sancti Caroli Borromæi cardinalis, ex qua ortus item Joannes Maria episcopus Hipponensis, mortuus 1523. abbas generalis Vallis-umbrosæ.

ANNI CHRISTI.

Tempore hujus archiepiscopi Minoritæ dicti Capucini in urbem admissi sunt.

GENEBRARD.

LXVIII. GILBERTUS.

Gilbertus Genebrard Ricomagi in Arvernia natus, professione Benedictinus in Mausacensi Clarom. diœcesis monasterio, Lutetiæ sub optimis præceptoribus bonis litteris operam navavit; primum quidem, in Græcis celeberrimi viri Adriani Turnebi regii professoris auditor fuit, in philosophicis Jacobi Carpentarii, in theologia Claudii Sanctæi. Is deinde ex doctore theologo Facultatis Parisiensis, domus Navarræ, linguarum peritia, Hebraïcarumque rerum cognitione conspicuus, quas in abbatia sancti Illidii didicerat, earumdem in academia Parisiensi regius professor & interpres fuit, atque etiam ex priore sancti Dionysii de Carcere in eadem urbe Parisiensi, spectata virtute, Aquensis archiepiscopus creatus est a Gregorio XIV. pontifice 1591. VI. idus Maii. Consecratur autem 1592. April. 10. Lutetiæ in æde sanctæ Genovefæ-Montis, a Jacobo de Beton archiepiscopo Glascuensi in regno Scotiæ, assistentibus Aymaro Hennequin Redonensi, & Guillelmo Rose Silvanectensi episcopis. Aquensem urbem solemniter ingressus 19. Septembris 1593. quinque annis hanc metropolim rexit. Sed quoniam per turbas Unionis Henoticæ* cui & Hispanicæ factioni nomen impotenter dederat, sacram hanc dignitatem contra regni leges adeptus fuisset, licet ejus meritissimus esset, criminis læsæ majestatis postulatus est, maxime quod voce & scriptis fœderatorum causam adjuvaret, ac populorum animos a regis obsequio alienos in rebellione confirmaret, qua propter eo archiepiscopatu postea privatus est senatusconsulto Aquensis parlamenti 1596. die Jan. 26. ut referunt Spondanus in annal. ecclesiast. & Thuanus præses histor. tom. V. lib. 119. *Diu*, inquit, *litteras Hebraïcas magna frequentia in regio auditorio Lutetiæ docuit, & per has turbas, non interveniente regii nominis auctoritate, archiepiscopus Aquensis creatus est, ob idque dignitate ea, rebus per pacem ordinatis, statim exutus, in causa regni & scriptis suis, quæ complura & multijuga eruditionis plena evulgavit, iniquior & acerbior, & vitæ quam stilo temperantior creditus.* In vivis autem esse desiit Semurii in Æduis sexagenario major, quem prioratum religiose administraverat, ibique depositus, ut inscriptio monumenti ejus in dextra parte chori ecclesiæ beatæ Mariæ habet: *Gilbertus Genebrardus archiepiscopus Aquensis, prior hujus cœnobii. Obiit anno* 1597. 14. *Martii.*

1593. 1596. 1597.

Urna capit cineres, nomen non orbe tenetur.

Amicos & familiares habuit, Petrum Danesium episcopum Vaurensem, Arnaldum Pontacum Vasatensem, Jacobum Billium Prunæum abbatem sancti Michaëlis in Eremo, Johan-

* *In Ligue.*

ANNI CHRISTI.

nem Savaronem Arvernum præſidem Claromon. alioſque eruditos Galliæ viros. At inter exteros, Cæſarem Baronium annalium eccleſiæ ſcriptorem eximium, Fabricium Caraffam, Paleotum, Faſchinetum, Valerium Veronenſem, Cajetanum, Alanum, Columnam, & Borromæum juniorem, omnes quidem Rom. eccl. cardinales. Quod vero ſpectat ad lucubrationes tanti viri, iſtæ ſunt editæ: libri de ſanctiſſima Trinitate; pſalmi Davidis commentariis illuſtrati; opus in ſacra quatuor evangelia; notæ in libros de Euchariſtia Claudii Eſpenſæi docti præſtantiſque theologi, & in tractatum de miſſa; chronologia ſacra, uſque ad annum 1584. perducta; Flavii Joſephi opera Gallice reddita, ejus ſtudio excuſa; opuſcula item varia e Rabinis; vetuſque teſtamentum cum vulgata editione. Origenis opera recenſuit; quædam nondum edita protulit, ex manuſcripto Græco bibliothecæ regiæ, hoc eſt Philocaliam, quem tractatum latinitate donavit. Multa alia ſcripſit cum theologica, tum hiſtorica, variis linguis in quibus verſatus erat, ideoque haud immerito præclarum eccleſiæ, litterarumque ſidus ab Opmeero Belga nuncupatur. Legendi Poſſevinus in apparatu ſacro, Vion in ligno vitæ, Hilarion de Coſte, ordinis Minimorum, unus ex ſancti Franciſci a Paula nepotibus, eruditione & pietate commendandus, in elogiis clarorum Galliæ virorum, beatus item Franciſcus de Sales epiſcopus & princeps Gebennenſis, l. 2. theologiæ & de amore Dei, l. 2. c. 11. Guillelmus du Vair Galliarum procancellarius, & antiſtes Lexovienſis, primæ notæ ſcriptor eruditiſſimus in oratione ad Ludovicum XIII. regem Chriſtianiſſimum. Demum Scævola Sammarthanus in elogiis Gallorum doctrina illuſtrium, qui noſtra patrumque memoria floruerunt lib. 4. cujus verba referre libet Genebrardo noſtro plane honorifica: *Arvernia bonis ingeniis fœcunda, cujus e gremio prodiere togati ordinis tot illuſtres viri, hunc etiam edidit ſacrati ordinis eruditum virum (utinam pari conſilio fuiſſet) qui ſancta linguæ regius apud Pariſios interpres, Hebraicæ antiquitatis arcana plurima, ea maxime quæ ad rationes temporum ſubducendas pertinent, adhibito perſpicacis ingenii lumine perquiſivit, ac in lucem protulit. Hoc enim ex fonte ortum eſt chronologicum illud opus, & alii, qui nunc ſunt in manibus hominum, ſimilis induſtriæ fœtus, maximis ab eo vigiliis & laboribus elucubrati. Multa ille ex Hebræis & Græcis accurate tranſtulit, multa recognovit, multa commentatus eſt. Noviſſimeque muſarum penetralia ingreſſus, amatorium Salomonis Latine tentavit poema, molle illud quidem ac tenerum, ſed pium; quo Servatoris piiſſimos in eccleſiam ſuam amores intelligi ſapientiſſimi homines tradidere. Nec eum ab inſtituta verſione deterruit, quod alii ſumma doctrina viri & hujus ætatis facile principes poëtæ, lepores omnes & gratias in eodem carmine transferendo felicißime jam impendiſſent. His ſtudiis inſeneſcentem, partaque præſtantis eruditionis opinione late celebrem, Gregorius XIV. eorum commendatione, qui a regio nomine deſciverant, Aquenſi archiepiſcopatu donavit; Sed magnanimo rege rerum potito, impetratam his authoribus a pontifice dignitatem diu ſervare ac tueri non potuit. Hanc enim Paulo Huralto magni Hoſpitalii nepoti ſumma eruditione, ſummaque facundia viro, ſua in principem & rempublicam fides merito reſervabant. Fato functus eſt Semuri Burgundionum, quo in oppido non ignobile ſacerdotium poſſidebat, anno ſalutis* M. D. XCVII. *circiter ætatis annum ſexageſimum.*

ANNI CHRISTI.

LXIX. Paulus.

HURAULT DE L'HOSPITAL.

Paulus Hurault de l'Hoſpital, Roberti Huralti domini de Beleſbat, Margaretæ a Francia ducißæ Sabaudiæ cancellarii, itemque Magdalenæ Michaëlis Hoſpitalis magni incomparabiliſque viri, Galliarum cancellarii natæ, filius erat. Et Paulus quidem ex libellorum ſupplicum in regia magiſtro, ac conſiſtoriano comite, nominatur Aquenſis archiepiſcopus ab Henrico Magno rerum potito 1595. Fuit ſumma eruditione & facundia præditus. Urbem autem ſolemniter ingreditur 1599. Decembris 23. Antonio de Cuppis Siſtaricenſi, & Guillelmo le Blanc Graſſenſi epiſcopis aſſiſtentibus. Superiore anno 1598. in ſacello ſancti Maximini repertæ fuerant permultæ ſanctorum reliquiæ, quorum nomina interciderant; quod non mediocre gaudium urbi attulit, ſed præſertim pio archiepiſcopo. At paulo poſt turbamentum ſucceſſit. Etenim anno 1601. die Aprilis 13. convocatis pleriſque ſuæ civitatis confeſſoribus, prohibuit ne abſolutionem impertirent parlamenti ſenatoribus, qui ſacerdotem quemdam criminis peſſimi convictum, non degradatum a ſe, ultimo ſupplicio affecerant, erepta judicibus eccleſiaſticis ejus criminis cognitione. Quamvis autem illam prohibitionem ſuam poſtridie revocaſſet atque ſuſtuliſſet, non nihil tamen exagitatus eſt a regio cognitore, donec certo quodam modo ſatisfeciſſet. Qua in diſſenſione Carolus d'Esbier præpoſitus ſancti Salvatoris, cum ad matutinas horas tertio poſt prohibitionem die, ſe conferret, præ foribus ipſius majoris baſilicæ confoſſus eſt a ſicariis, quos ad injuriam ſenatus ulciſcendam ſubmiſſos conjectura fert.

1595.

1599.

1601. *Libert. eccl. Gallic. c. 30. n. 14.*

Biennio poſt 1603. Octob. 23. comitia Provinciæ indicta fuere Aquis-Sextiis juſſu ejuſdem principis Henrici, qui academiam illuſtravit. Intereſt autem Paulus comitiis generalibus cleri Lutetiæ congregatis 1606. Ipſeque concionator eximius orationem funebrem habuit in exſequiis illuſtriſſimi principis Mathiæ imperatoris anno 1619. celebratis in æde metropolitana B. Virginis. Admiſit patres Oratorii & Soc. Jeſu, ac Urſulanas, in urbem Aquenſem, necnon Minoritas dictos *Recollectos*, anno 1621. quibus data eſt eccleſia ſancti Laurentii. Eccleſiæ vero quam nunc obtinent, fundamenta poſuit anno 1624. Item excepit Auguſtinianos diſcalceatos, Trinitarios, & moniales ſub titulo Viſitationis B. Mariæ. Fuit acerrimus juris eccleſiaſtici & auctoritatis epiſcopalis aſſertor, in diſſidiis quæ habuit cum ſenatu Aquenſi pro juriſdictione. Exactis autem in pontificatu annis viginti novem, moritur anno 1624. menſe Septemb. Sepultus eſt in monaſteriolo quodam vici dicti *du Fay*, cujus Huraltii toparchæ ſunt in agro Waſtinienſi.

1603.

1619.

1624.

LXX.

ANNI CHRISTI. HURAULT DE L'HOSPITAL.

LXX. GUIDO.

Guido Hurault de l'Hoſpital filius Michaëlis Navarræ cancellarii, domini du Fay, ac Olympiæ du Faur de Pibrac, ex coadjutore Pauli patrui ſui deſignato menſe Aprili anni
1618. 1618. conſecratur antiſtes cum titulo archiepi-
1619. ſcopi Auguſtopolitani 1619. quo anno eligitur academiæ cancellarius. Adfuit cœtui cleri Gal-
1621. licani Burdigalæ congregato 1621. Obiit Lutetiæ dum ibi generalia comitia cleri haberentur,
1625. Decembris tertia die anno 1625. Antiſtites delegati in templo Auguſtinianorum ipſi juſta perſolvere. Sepultus fuit in eccleſia caſtri gentilitii de Beleſbat. Anno 1624. tranſtulerat in urbem Carthuſianos, & anno ſequenti moniales Carmelitas. Ex eadem gente Huralta exorti ſunt alii præſules, Jacobus Æduenſis, Philippus Carnotenſis, plures abbates, ac Philippus Huraltus comes Chevernius, Franciæ nomophylax regnantibus Henrico III. & Henrico Magno.

DUPLEISIS DE RICHELIEU.

LXXI. ALFONSUS-LUDOVICUS.

Alfonſus-Ludovicus du Pleſſis de Richelieu cardinalis Lugdunenſis, magnus Franciæ eleemoſynarius, ordinis ſancti Spiritus præceptor, & plurium in Galliis abbatiarum commendatarius, Armandi Johannis Pleſſii cardinalis ducis Richelii germanus frater, filiuſque Franciſci domini de Richelieu equitis torquati, Lucionenſis epiſcopus deſignatus, poſt aliquod tempus eam dignitatem ceſſit circa 1605. non conſecratus, & per plures poſtmodum annos Carthuſianorum inſtitutum profeſſus, ex quo aſſumitur ad archiepiſcopatum Aquenſem, regia Ludovici XIII. Juſti nominatione, 6. Decemb.
1625. 1625. bullaſque pontificias Urbani VIII. obtinet, datas Romæ apud S. Mariam Majorem IV. kal. Maii 1626. in quibus religionis zelo, litterarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque virtutum donis decoratus prædicatur. Tertia Junii ſequentis, Romæ per procuratorem pallium accepit, ab ſereniſſimo principe Mauricio cardinali a Sabaudia nuncupato, ac poſtridie inaugurationis ſuæ apud Carthuſianos Pariſienſes celebra-
1626. tæ 22. Junii 1626. a Guillelmo d Hugues, archiepiſcopo & principe Ebredunenſi, perſonaliter illud excepit e manibus Johannis Franciſci Gondii Pariſiorum archiepiſcopi. Solemniter vero receptus eſt Aquis, in æde ſancti Salvatoris die 6. Decembris ejuſdem anni; atque, ut ait Arnoldus Raiſſius Duacenus in dedicatione originum Carthuſianarum Belgii, ædificandam curavit Carthuſiam Aquis-Sextiis a Johanne Aymardo ſenatore. Tandem ſacra purpura ornatus eſt abeodem Urbano VIII. pontifice maximo, & ad Lugdunenſem primatum evehitur
1629. anno 1629. De quo dicemus amplius in Lugdunenſibus metropolitis.

DE BRETEL.

LXXII. LUDOVICUS.

Ludovicus de Bretel, abbas commendatarius beatæ Mariæ de Alneto, & ſancti Victoris de Caleto, in Neuſtria, ſenator Rotho nagenſis, & metropolitanæ eccleſiæ decanus, Ludovici de Bretel domini de Gremonville præſidis in eodem ſenatu Rothomagenſi filius, ex Franciſca le Roux. Ad hanc ſedem ex cardinalis Lugdunenſis reſignatione, regia nominatione accepta promotus eſt anno 1630. cujus inaugu- 1630.
ratur antiſtes, in eccleſia cathedrali Rothomagenſi 1632. die 11. Januarii a Franciſco Harlæo 1632.
archiepiſcopo, & Normanniæ primate. Conventui ſacro generali cleri Gallicani Pariſiis habito interfuit 1635. Eoque ſedente Aquis, ani- 1635.
mam Deo reddidit VIII. kal. Julii 1637. clariſſimus Nicolaus Claudius Fabricius Peireskius abbas Aquiſtrenſis, genere, doctrina & integritate notiſſimus, in Aquarum-Sextiarum curia ſenator, qui reconditiſſimos antiquariæ 1637.
ſuppellectilis theſauros ſagacitate, conſilio, liberalitate, cunctis orbe toto diſciplinarum ſtudioſis aperuit, ut refertur in ejus epitaphio. Petrus autem Gaſſendus præpoſitus Dinienſis, vir eruditiſſimus, Peireskii vita ſelecto opere proſecutus eſt; eumque appellat jure merito patriæ lumen, quo, ut hactenus coruſcavit, ſic in poſterum gloriari poteſt. Ludovicus antiſtes morte ſublatus eſt 1644. die 26. Martii. Multa pretio- 1644.
ſa ornamenta contulit eccleſiæ ſuæ, & ſacram qua utebatur ſuppellectilem.

Sub hoc archiepiſcopo in urbe recipiuntur Carmelitæ diſcalceati anno 1630. eodemque anno moniales beatæ Mariæ de Miſericordia, quarum inſtitutum Aquis ortum, paulo poſt Avenioni, deinde Pariſiis receptum eſt. Denique virgines ordinis Ciſtercienſis anno 1639. licentiam habuerunt ibidem conventum ædificandi.

MAZARINI.

LXXIII. MICHAEL.

Michaël Mazarini Romanus, Julii cardinalis Mazarini frater, Romæ in conventu F. Prædicatorum theologiam aliquot annis primum docuit; deinde electus prior; mox provincialis in Apulia, & in Romana provincia, atque ab Urbano VIII. papa creatus eſt magiſter ſacri palatii. Evectus poſtea ad hanc Aquenſem metropolim conſecratur Romæ menſe Julio an. 1645. 1645.
in æde ſacra beatæ Mariæ ſupra Minervam, ab Hieronymo cardinale Grimaldo, aſſiſtentibus Alfonſo Sacrati epiſcopo, olim Comaclenſi, almæ urbis viceſgerente, & Ranutio Scoti epiſcopo burgi ſancti Domnini, nuper apud Helvetios, deinde etiam ad Ludovicum XIII. regem Chriſtianiſſimum ſedis apoſtolicæ nuntio. Menſe Auguſto ejuſdem anni pallium accepit ab Innocentio X. ſummo pontifice; mox in Galliam profectus, ibi ſolitum fidei clientelaris ſacramentum regi præſtitit, & confeſtim ſe in ſuam diœceſim contulit, civitatem Aquenſem ſolemniter, neglecta tamen ordinaria pompa, ingreſſus 30. Octobris ejuſdem anni. Iterum in Italiam reverſus, ab eodem Innocentio die 7. Octobris 1647.
1647. factus eſt cardinalis tituli ſanctæ Cæciliæ, ac paulo poſt Cataloniæ prorex, illuſtriſſimo principi Condæo Ludovico Borbonio datus eſt ſucceſſor in ea præfectura. Sed brevi tempore in hac regione commoratus, Romam iterum ſe recepit, ubi morbo correptus mortalitatem explevit kal. Septemb. 1648. cum vixiſſet annos 41.

ANNI CHRISTI.

ibidem jacet in ecclesia Minervæ patrum Dominicanorum cum hac inscriptione: *Fratri Michaëli Mazzarino ordinis Prædicatorum, Apulo Romanoque provinciali, sacri palatii magistro, Aquensi archiepiscopo, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali tituli sanctæ Cæciliæ, Catalaunia prorogi, a Ludovico XIV. Galliæ rege ad Innocentium X. pontificem maximum oratori electo, immatura morte sublato kalend. Septembris anno* 1648. *Fratres S. M. S. Minervam fratri benefactori amantissimo posuere.*

GRIMALDI.

LXXIV. HIERONYMUS.

Hieronymus Grimaldi filius Johannis-Jacobi baronis S. Felicis*, ex Hieronyma Mari nobilis Genuensis, gente satus illustrissima quæ supremo jure Monœci * principatum possidet, abbas sancti Florentii Salmuriensis & Blancalandæ in diœcesi Constantiensi, antea Romæ gubernator & præfectus, nuntius apostolicus ad regem Christianissimum, atque regni Franciæ comprotector, schedula regia designatus est Aquarum-Sextiarum archiepiscopus post Michaëlis Mazarini obitum 20. Sept. 1648. Sed summus pontifex bullas dare cunctatus est; sicque vacavit sedes per annos septem, & aliquot menses. Mortuo autem Innocentio X. qui ipsum excepit in sancti Petri cathedra Alexander VII anno 1655. pontificio suo diplomate Hieronymum constituit archiepiscopum. Eodem anno ceteris de more gestis, adeptus est possessionem solemni ingressu in urbem, & accessu ad ecclesiam suam. Anno 1656. die 17. Aprilis regi fidem obsequiumque juravit. Postea in pascendo tutandoque suo grege cui forma vivendi factus est, totum se devovens, ecclesiasticam disciplinam resarcivit, juniores clericos in seminario ad virtutes omnes, ad sacerdotalia officia, sacraque ministeria informavit, & in puriori morum doctrina curavit institui. Bona ecclesiæ, non ut sua, sed ut patrimonium pauperum, ipsis abunde sollicitus fuit erogare. Ita vixit primo die sui episcopatus, ita ultimo qui fuit anni 1685. 4. Novembris; quo die celebratur festum sancti Caroli Borromæi, quem sibi proposuerat imitandum. Obiit nonagenarius.

*St. Feli in regno Neapol.
* Monaco.

1648.

1655.

1685.

LXXV. CAROLUS.

CHRISTI. LE GOUX. 1685.

Carolus le Goux de la Berchere episcopus Vaurensis anno 1685. mense Novembri accepit schedulam regiam, qua destinatus est ad metropolitanam Aquensium sedem. Transiit ad cathedram Albiensem mense Januario an. 1687. Itaque consule quæ de tanto præsule diximus in Albiensibus episcopis & archiepiscopis.

LXXVI. DANIEL.

DE COSNAC.

Daniel de Cosnac[a], filius Francisci & Eleonoræ de Talairan de Chalais, natæ Danielis principis de Chalais, & Franciscæ de Montluc, cujus pater fuit Blasius Franciæ marescallus, ex episcopo Valentino & Diensi nominatur ad archiepiscopatum Aquensem an. 1687. mense Jan. Sed propter dissidia inter curiam Romanam & Gallicam, non fuit propositus & postulatus ad hanc ecclesiam in sacro papæ cardinaliumque consilio, seu *consistorio*, nisi anno 1693. die 16. Octobris. Die 9. Novemb. consequentis donatus est pallio. Pro clientelari obsequio regi sacramentum dixit die 11. Junii anni 1695. quo tempore S. Richarii abbas fit. An. 1701. die 19. Aprilis factus est præceptor seu commendator regiorum ordinum. Obiit octogenario major, & antiquissimus omnium præsulum Galliæ, die 21. Januarii. Quædam legavit seminario suo, plura vero duobus urbis xenodochiis.

1687.

1693.

1701.

LXXVII. CAROL. GASPAR GUILLELMUS.

DE VINTIMILLE.

Carolus Gaspar Guillelmus de Vintimille du Luc Francisci Castrorum præfecti filius, ex Anna de Forbin sorore patrueli eminentissimi cardinalis de Janson de Fourbin, ex antiquo genere comitum Luci & Massiliæ, doctor theologus facultatis Parisiensis, an. 1684. fuit designatus Massiliensis episcopus, consecratus tamen anno tantum 1692. Anno 1708. die 1. Februarii transfertur ad Aquensem ecclesiam pro qua nova dignitate sacramento fidem regi obstrinxit die 1. Julii ejusdem anni in sacello Fontis-Bellaquei. Die 4. Novembris sequentis pallio est ornatus, & adiit possessionem. Adfuit comitiis cleri Gallicani Lutetiæ celebratis an. 1710.

1708.

PRÆPOSITI AQUENSES.

C. IV. pag. 64. col. 2.

I. BEnedictus an. 1069. memoratur in Rostagno archiepiscopo, laudaturque ob multas impensas in restauranda & ornanda ecclesia factas. In veteribus monumentis refertur eundem Benedictum 1072. probasse donationem ecclesiarum sancti Mauricii, & beatæ Mariæ de Grayssola, Richardo sancti Victoris Massilienfis abbati, quæ olim a Pontio archiepiscopo oblatæ fuerant in eleemosynam, ut habetur in tabulario Aquensi. Sub eundem annum indictione x. confirmavit donum Rostagni archipræsulis, factum Rotlanno abbati Montis-majoris de Valle sancti Petri. Anno circiter 1092. Petrus II. archiepiscopus, ipsi & capitulo confert suburbanam S. Andreæ ecclesiam.

C. VIII. p. 65. col. 2.

II. Fulco anno 1098. confirmat sancto Victori & Richardo abbati ecclesias ab Aquensibus præsulibus concessas. Commemoratur in chartis duabus anni 1103. Vide in Petro II. archiepiscopo ad annum 1102. Postea fit archiep.

C. X. p. 66. col. 1. & XI. col. 2.

III. Bermundus I. 1127. ac 1128. in charta Raimundi Berengarii Provinciæ comitis.

IV. Gaufredus anno 1145. Vide in Guillelmo præposito Sistaricensi.

V. Henricus subscripsit anno 1165. transac-

[a] Nobilissimæ hujus familiæ apud Lemovices descriptionem habes in notis Baluzii ad vit. pap. Avenion. col. 1443. & seq.

y Google

tioni factæ inter capitulum & monachos sancti Victoris. Fuit assumtus ad episcopatum Regiensem, & tandem ad sedem Aquensem. Eodem anno 1165. XVII. Kal. Novembris testis fuit, imo judex una cum Arelatensi archiepiscopo, &c. compositionis initæ Petrum inter Massilienſem episcopum & vicecomites Massiliæ. Vide in hoc archiepiscopo dicto Raimundo II.

VI. Hugo de Monte-lauro qui præpositis accensetur in vulgato catalogo, fuit archidiaconus, juxta nonnullos. Archiepiscopalem postea cathedram obtinuit.

C. XV. pag. 69. col. 2. Bouche tom. 2.

VII. Guido de Frossis aut de Fossis præpositus legitur in charta Raimundi Berengarii pro Arta-cella. Jam præerat anno 1179. adhucque anno 1185. quando Ildefonsus rex Arragonum confirmavit præposituræ & ecclesiæ Aquensi jura & immunitates. Instrumentum refert Buxus.

VIII. Bertrandus Garcini 1180. 9. April. in charta donationis monasterio Carthusiæ Montis-rivi factæ. Ab Hildefonso autem comite confirmationem accipit burgi S. Salvatoris Aquensis, cujus & mentio 1192. in tabulario Carthusiæ Vernensis. Quidam volunt eum electum fuisse Regiensem episcopum anno 1189. sed nunquam possessionem iniit, & supra relata probant eum fuisse adhuc præpositum anno 1192. Certe anno 1191. hoc officio fungebatur; quippe nominatur in bulla Cælestini III. pro confirmatione bonorum sancti Salvatoris; qui pontifex rexit ecclesiam anno tantum 1191.

IX. Hugo Raimundus vel Raimundi an. 1197. testis in exemplari compositionis cum Rainerio episcopo Massilienſi, & Bermundo priore Carthusiæ Montis-rivi.

X. Bermundus II. testis memoratur in compositione inter Ildephonsum & Guillelmum comitem Forcalquerii an. 1202. Testis an. 1205. in charta fundationis sancti Pontii de Gemenos. Postea fuit archiepiscopus Aquensis ex nonnullis; certe anno 1212. qui sedebat Aquis, vocabatur Bermundus. Josephus Anthelmius docet eum fuisse Bermundum Cornuti, postea episcopum Forojulienſem.

XI. R. Aldeberti præpositus Aquensis 1216. testis in veteri charta S. Victoris

XII. Guillelmus I. an. 1243. in charta Raimundi Berengarii comitis Provinciæ, quæ in instrumentis Aquensibus legitur.

C. XIX. p. 68 col. 2.

XIII. Otto in registro Pergameno dicitur præpositus Aquensis anno 1251. quo est electus in episcopum Vapincensem. Vide quæ de eo facto episcopo dicimus.

XIV. Quidam Aqui-Sextiensis ecclesiæ præpositus per primam nominis litteram G. designatur in compositione inter episcopum Aptensem, & Rupertum ejusdem ecclesiæ præpositum anno 1265. Is est fortasse Guillelmus qui sequitur.

XV. Guillelmus II. de Colobreriis 1293. legitur in instrumento ordinationis factæ pro decimis ex parte Caroli Siciliæ regis, una cum archiepiscopo & capitulo Aquensi 4. Maii 1296.

XVI. Guillelmus III. Agardi an. 1306. testis in venditione a Raimundo domino Medullionis facta castri de Sedarano Vapincensis dicec. nomine Caroli II. Siciliæ regis, Richardo de Gambatesa militi, comitatuum Provinciæ & Forcalquerii seneschallo die 6. Decemb. 1308. ut constat ex regiis senatus Aquensis chartophylaciis.

Forte legendum *Guill. Agarin*, unus ex octo quibus Clemens V. commisit inquisitionem causæ Templariorum, litteris datis Auguſtoridi Pictonum, pridie idus Augusti anno tertio, quas edidit Petrus Puteanus in hist. Templariorum.

XVII. Gaufridus Isnar, medicus Johannis XXII 1320. a rege Roberto privilegium obtinuit.

XVIII. Guillelmus IV. de S. Severino 1363.

XIX. Raimundus Gaufridi adfuit concilio provinciali Provinciæ anno 1365. Non comparet hæc synodus in collectione conciliorum; sed aliunde constat Urbanum V. jussisse ut hoc anno 1365. singuli metropolitani cum suis suffraganeis convenirent ad sententiam ferendam contra clericos pluribus præditos beneficiis, ut docet ipse Urbanus.

XX. Johannes I. Gumii anno salutis 1374. cujus meminit antiquus codex manuscriptus. Forte idem est ac

XXI. Johannes II. Guissi 1378. Junii 7. ex tabula antiqua monasterii B. M. de Nazareth.

XXII. Arnulphus la Caille anno 1387. civibus Aquensibus persuasit ut recognoscerent Ludovicum II. *Bouche tom. 2. p. 418.*

XXIII. Nicolaus Dominici anno 1414. ex archivis S. Salvatoris.

XXIV. G. de Littera in decretis licentiatus, præpositus Aquensis, quo præsente Renatus rex Jerusalem, &c. juravit servare libertates & jura ecclesiæ Aquensis in manibus Roberti archiepiscopi 1437.

XXV. Rogerius, quem Eugenius papa IV. præposuit ecclesiæ Arelatensi administrandæ, in locum Ludovici Alemandi ab ipso exauctorati, anno 1440. Vide in Ludovico Arelatensi archiepiscopo.

XXVI. Isnardus de Grasse episcopus Grassensis, electus præpositus an. 1477. Obiit anno 1483. die 26. Junii. Erat etiam præpositus Senecensis & abbas sancti Honorati.

XXVII. Robertus de Naucort sedis apostolicæ protonotarius, ad præposituræ officium promovetur 1483. Julii die 8.

XXVIII. Acurtius de Petra canonicus S. Salvatoris, successit 1486. Aug. 8.

XXIX. Guillelmus V. de Puget canonicus ac juris utriusque doctor 1499. 20. Junii.

XXX. Petrus Baudoni, ex canonico 1504. Januar. 21. hanc dignitatem adipiscitur, ut legitur in actis capitularibus hujus ecclesiæ.

XXXI. Michaël I. Baudoni superioris gentilis designatus anno 1507.

XXXII. Johannes III. Cotteron an. 1516. ex iisdem archivis ecclesiæ metropolitanæ.

XXXIII. Claudius Cotteron electus 1520. Martii die 20.

XXXIV. Johannes IV. de Carriolis canonicus Aquensis, academiæ cancellarius, & apostolicæ sedis protonotarius, creatur præpositus 1526. April. 27.

XXXV. Michael II. Bruni renuntiatus anno 1552. Januarii 8. Cardinalis Laurentius

Digitized by Google

Strozzi archiepiſcopus Aquenſis, Franciſcus A de Peruſſis dominus & baro de Lauris regis conſiliarius & præſes in curia ſuprema Provinciæ, ac Michael Brun præpoſitus ſancti Salvatoris Aquenſis ſubdelegati a cardinalibus Lotharingo & Borbonio in Provincia, pro venditione 50000. nummorum annui redditus repartienda in eccleſias Franciæ; de epiſcopo Siſtaricenſi, qui ſibi impoſitæ taxationi non ſatisfecerat, ſtatuunt inquirendum eſſe quis foret valor condominii de Jarjayes, ad dictum epiſcopum pertinentis, ac poſtea procedendum ad venditionem B 21. Julii 1569.

XXXVI. Gilbertus-Carolus d'Eſbier capituli ſuffragiis nominatus 1579. Julii 16.

XXXVII. Joſephus I. Pelicot, canonicus ac præceptor Aquenſis, deinde præpoſitus 1601. Aprilis 24.

XXXVIII. Joſephus II. Pelicot anno 1627. Januarii 10.

XXXIX ..... Marchier 1629. quo anno in nullo defuit peſte laborantibus, quibus impavidus die noctuque invitis amicis ſubvenit.

XL. Bonifacius Pelicot anno 1632.

XLI. Antonius d'Arbaud dominus de Bargemon ex canonico factus præpoſitus 1638. 10. die Decembris, poſtea ſede vacante, archiepiſcopatus Aquenſis vicarius generalis & officialis 1644. ac tandem Siſtaricenſis epiſcopus.

XLII. Johannes V. de Chazelles juris utriuſque doctor, dominus temporalis burgi ſancti Andreæ civitatis Aquenſis, ex canonico electus anno 1648. die 6. Auguſti.

XLIII. Joſephus III. Figuiere nominatus a rege jure regaliæ anno 1671. poſſeſſionem iniit 9. die Februarii anno 1672. Vicarius generalis archiepiſcopatus, ſede vacante, an. 1685. Mortuus in præpoſitura anno 1690. 22. Februarii.

XLIV. Gabriel de Coſnac nepos Danielis de Coſnac archiepiſcopi, filius Armandi de Coſnac, & Mariæ de Veilhan de Penacors, præpoſitus, factus eſt epiſcopus Dienſis anno 1701.

XLV. Benjamin de Juliac anno 1702. per reſignationem præcedentis, procancellariam univerſitatis Aquenſis etiam exercebat.

XLVI. Franciſcus de Fargues, in ſacra theologia doctor, dominus de Naves, prior S. Germani de Creiſſe, necnon S. Michaëlis de Mirabellis, eſt canonicus ac præpoſitus eccleſiæ metropolitanæ Aquenſis hoc anno 1714.

ABBATIÆ DIOECESIS AQUENSIS.

SILVA-CANA.

l. 2. c. 18. Veterum in diœceſi Aquenſi monaſteriorum nulla exſtat memoria ante ſeculum decimum. Attamen Gueſnayus in ſuo Caſſiano illuſtrato meminit cujuſdam monaſterii S. Maximini, quod Cointius ex ejuſdem Gueſnayi D teſtimonio aſſerit recentius fuiſſe Maſſilienſi S. Victoris cœnobio; ſed valde obſcura ſunt hujus antiqui monaſterii veſtigia, noſtroque Mabillonio prorſus incognita: nam aliunde conſtat fuiſſe ſeculo XIII. deſinente monaſterium S. Maximini in diœceſi Aquenſi, quod fratribus Prædicatoribus attribuit hoc ſeculo XIII. Carolus II. Siciliæ rex & Provinciæ comes, *fol. 74. & 75.* ut leges in advena Maſſilienſi Magdalena & in Caſſiano illuſtrato Gueſnayi, libro 2. Hanc *cap. 23. fol. 490.* vero unionem monaſterii ſancti Maximini ordini Prædicatorum an. 1295. Bonifacius papa VIII. confirmavit ad preces Caroli II. Siciliæ *lib. 9. fol. 310. & 311.* regis, ut fuſe refert Honoratus Bouche in hiſtoria Provinciæ.

Primum quod nobis occurrit monaſterium E eſt cella S. Perpetuæ, ex qua poſtmodum facta eſt abbatia monialium, (ſic enim quandoque appellatur) de qua infra.

In hiſtoria manu exarata majorum priorum Cluniacenſium fit mentio abbatiæ ſanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii ſuper ripam maris, cui Pontius Miles de Foſſis quoddam donum fecit, approbante Roſtagno Aquenſi archiepiſcopo & fratribus ejus, anno circiter 1081. Hujus vero donationis confirmationem admiſit Ivo de ſaint Seigne prior Cluniacenſis. Sed hæc abbatia male tribuitur diœceſi Aquenſi: pertinet enim ad Arelatenſem. Reſtat ergo ut de duabus loquamur, quæ ſunt

Silva-cana, Ord. Ciſterc.
Arta-cella, Ord. S. Bened. fem.

SILVA-CANA.

Silva-cana abbatia ordinis Ciſtercienſis ex filiabus Morimundi *, in diœceſi Aquenſi, D fundata dicitur an. 1147. poſtea unita eſt capitulo eccleſiæ metropolitanæ ſancti Salvatoris. Fundator ejus fuit Raimundus de Baucio; exſtat enim in tab. archiepiſcopi Arelatenſis *notitia*, quomodo nobilis vir Raimundus de Baucio pro remedio animæ ſuæ & parentum ſuorum dedit Deo & abbati, & monachis B. Mariæ de Morimundo locum de Silva-cana ad monaſterium conſtruendum ſecundum ſtatuta ordinis Ciſtercienſis. Datum fuit anno 1147. Longe antiquior eſſet hæc abbatia, imo etiam exſtitiſſet antequam ordo Ciſtercienſis fuiſſet inſtitutus & propagatus, ſi vera forent quæ Ruffius dicit in hiſtoria S. Victoris Maſſilienſis, quam hiſtoriæ Maſſiliæ attexuit; nempe in Richardo abbate, cujus vicarius nomine Guillelmus dicitur dediſſe Guillelmo abbati Silvæcanæ eccleſiam S. Victoris de Gontardo, ante annum 1112. At Richardus hoc anno abbas ſancti Victoris non erat, ſed Otto, quo tempore vix vagiebat ordo Ciſtercienſis. Sed quæ Ruffius tribuit Guillelmo vices gerenti Richardi facti Narbonenſis archiepiſcopi, debent intelligi de Guillelmo qui ſedebat anno 1150.

Primus fortaſſe Silvæ-canæ abbas fuit Gilabertus, cui Guillelmus abbas ſancti Victoris, *Ex chart. Maſſil.* dedit quaſdam eccleſias *an. 1151. Anno 1158. Pontius de Luperiis archiepiſcopus Aquenſis, & canonici ejus dederunt Guilliberto & monachis decimas de omni laboratione quam fecerint in terra, quam dedit ei Petrus de Lambiſco & Roſtagnus de Cadeneto, &c.

* *Vel* Clarævallis.

* Eccleſiam S. Victoris de Gontardo & alias.

* f. Silvacanenſis.

II. Raimundus abbas Silvatanenſis * menſe April. feria 6. an. 1177. ex chart. Elnonenſi.

III. Norbertus. Anno 1188. fundationis Vallis-ſanctæ teſtes ſunt abbas Norbertus Sylvacanæ, cellarius Augerius, Albericus prior apud Bouxum hiſt. Provinc. l. 9. ſect. 2. c. 4. p. 167. Idem Norbertus teſtis in donatione facta S. Mariæ Vallis-ſanctæ per Bertrandum Raimbaldi eodem an. 1188.

Bouche tom. 2. p. 169.

IV. Guillelmus anno 1242. XVI. kal. Auguſti teſtis occurrit compoſitionis initæ inter Guillelmum de Sabran comitem Forcalquerii & abbatem Montis-majoris. An. 1243. III. kalend. Maii tanquam procurator monaſteriorum ſui & S. Andreæ approbat ſententiam a duobus arbitris inter R. Aquenſem archiepiſcopum, & hæc monaſteria pronuntiatam ſuper eccleſiis de Valle-boneta & de Goro. Vivebat adhuc anno 1264. ut conſtat ex inſtrumento domini de Porcelet, de quo in regeſtis D. de Peiresc. In necrologio Andaonenſi memoratur ad XII. kal. Febr.

Extab. S. Andreæ Avenion.

V. Bernardus, alias Bertrandus an. 1281. adfuit tranſlationi reliquiarum B. Mariæ Magdalenæ apud S. Maximinum.

VI. Raimundus anno 1318. affuit inquiſitoris ſententiæ contra Minoritas quoſdam Maſſiliæ prolatæ. *Baluz. tom. I. Miſcel.*

VII. Bonifacius, de quo exſtat ſupplicatio ad regem Robertum Provinciæ comitem pro ſalis immunitate 13.....

Ex actis pontificii Avenion.

VIII. Petrus Silvam-canam rexit ad annum 7. Innocentii papæ VI. quo factus eſt abbas Camporum-bonorum diœceſis Vivarienſis.

IX. Armandus de Spaleto abbas inſtituitur ab Innocentio VI. an. 1359. ex ſchedis doctiſſimi domini Henrici Suarez Henrici filii nobilis Avenionenſis.

Anno 1404. abbatia Vallis-ſanctæ bellorum procella deſtructa, unita eſt Silvæ-canæ auctoritate abbatis, & capituli generalis Ciſtercienſis; ex hiſt. Vallis-ſanctæ

X. Antonius Bonifacii, abbas ſimul Vallis-ſanctæ 1432. cujus tempore cum Durantia Silvam-canam evertiſſet, ipſius reditus capitulo Aquenſis eccleſiæ conceduntur, bulla ſcilicet Eugenii papæ IV. ad an. 1440.

ARTA-CELLA ORD. S. BENEDICTI.

HIc parthenon qui vocatur aliquando abbatia, originem habuit a quadam S. Perpetuæ martyris eccleſia prope Bruniolam *, quam donavit Ingelrannus epiſcopus S. Victori Maſſilienſi, in cujus magno chartul. fol. 82. verſo legitur: *Ego Ingelrannus gratia Dei epiſcopus, & fidele meæ Adalgue facimus donationem monaſterio S. Victoris Maſſiliæ de Alode noſtro intra terminos de villa quæ vocant Bruniola, id eſt eccleſiam, quæ fundata eſt in honore Dei, ſanctæque Perpetuæ an.* MXI. Donationem hanc confirmarunt Nevelongus, ejuſque uxor Theucindis, Guillelmus, Rainaldus, & Leufridus eorum filii, an. 1016. quorum chartam damus inter inſtrumenta

* Brignole.

C. XXIX. p. 71. col. 2.

Iſta ceſſio cellæ S. Perpetuæ, poſtea fuit impugnata; deinde aſſerta magis ac magis, ut ex ſequenti charta diſcimus.

Charta memorialis de placito, quod factum eſt inter Bernardum abbatem, & monachos S. Victoris, & infantes Geraldi, qui vocatus eſt Epiſcopalis, & definitionem inter eos. Imprimis oſtenſa eſt ſcriptura ubi legebatur quod Ingulrandus epiſcopus donaverat eccleſiæ vel monaſterio S. Victoris Maſſilienſis omnem ſuam hereditatem, vel portionem quam habebat in Bruniola. Contradixerunt nepotes epiſcopi prædicti Inguilrani, & amici eorum. Iterum monſtraverunt monachi aliam ſcripturam quam donavit prædictus Geraldus Epiſcopalis pater eorum totam ſuam partem de omni dominicatura patris ſui, cum omni decimo, & unum manſum optimum, quæ omnia ſunt in villa ſeu territorio de Bruniola, & adhibuerunt teſtes donationis hujus adhuc viventes. Iterum non conſenſerunt filii prædicti Geraldi, Aicardus & Leufredus & amici eorum: parati fuerunt abbas & monachi deffendere chartas & auctoritates ſuas. Exclamaverunt omnes viri boni & ſeniores, qui aderant, quia peccatum theſauriſabant ſibi prædicti filii Geraldi; quia deſtruebant eleemoſynam patris, & avi ſui; tandem recognoſcentes peccatum ſuum & juſtitiam ſancti Victoris prædicti filii Geraldi, Aicardus & Leufredus dereliquerunt omnem illam hereditatem quam habuit Ingilranus epiſcopus avus eorum in caſtro, & villa & territorio de Bruniola, quantum habuit pater eorum Geraldi, &c.

Facta eſt definitio & guerpitio anno 1054. publice *in cella quæ vocatur ad ſanctam Perpetuam* præſentibus ſenioribus & vicinis. Aicardus filius Geraldi, & Leufredus frater ſuus firmaverunt. Martinus Epiſcopalis f.

Ex magn. chart. S. Vict. Maſſ. fol. 83. verſo.

Monaſterium Artæ cellæ ſub ſua tuitione recepit Ildefonſus rex Arragonum, & marchio Provinciæ litteris datis an. 1176. quas habes hiſtoriæ Provincialis Honorati Bouche fol. 148. Huic bene multa ceſſerunt Raimundus Berengarii comes ſeu marchio Provinciæ, & ipſe Ildephonſus rex Arragonum annis 1179. 1185. & 1189. ut fuſius leges in hiſtoria Provinciæ Honorati Bouche & Caſſiano illuſtrato.

Hanc cellam S. Victoris monachis incolendam traditam abbates celeberrimi hujus monaſterii per priores ſeu præpoſitos rexerunt; meminitque Zuritta cujuſdam prioris de Cella, qui adfuit anno 1095. dedicationi eccleſiæ de Hueſca. Poſtea mutatis in moniales monachis, prior tamen ſemper præeſſe viſus eſt.

I. Guillermus, an. 1167. prior erat hujus cellæ ut videre eſt in Petro de Nogaret abbate S. Victoris Maſſilienſis. Anno 1190. Bermunda priori & monialibus de Arcellis bene multa vendidit, aut ceſſit.

II. Willelmus II. de Pennis.

Caſſian. Illuſtr. fol. 602.

II. Guillermus III. de Serveria prior Artæcellæ teſtis legitur in charta Rancelini vicecomitis Maſſiliæ donantis caſtrum S. Marcelli cum ſuis appenditiis Guilhermo abbati Maſſil. an. 1212. indict. XV. nonis Nov. item in donatione ejuſdem facta eodem anno indict. XIV. XI. kal. Aug. Item an. 1214. XVIII. kal. Aug. tranſigit cum Fulcone de Pontevès pro ingreſſu matris

ejus Lauræ in monaſterium.

III. G. de Mandagot prior Artæ-cellæ an. 1220. kalendis Januarii eccleſias de Berlart, & de Canduerno accepit ab Aimerico priore de Corredis, annuente Bonifacio abbate ſancti Victoris.

IV. Willelmus IV. de Cerverio prior erat an. 1232. quando Willelmus abbas S. Victoris donavit Arta-cellæ domum S. Zachariæ ſubtus Balmam. Chartam exhibet noſter D. Cl. Eſtiennot tom. XI. fragment. hiſt. p. 45.

V. Anno 1278. obiit in feſto Aſſumtionis Petrus de Cabreria rector Cellæ, ac prior, cujus legitur epitaphium in eccleſia parochiali, quæ intra parthenonis ſepta includitur.

VI Iſnardus de Pontevez prior monaſterii de Arta-cella Aquenſis diœceſis, inſtituit Petrum de Campis in eccleſia S. Petri de Caſtelleto Regienſis diœceſis, approbante Petro Guillelmo * Regienſi epiſcopo 1316. 13. Auguſti.

* al. Gantelmo.

VII. Petrus Tardivi an. 1392. tranſigit cum Alaxacia de Ponteves prioriſſa.

VIII. Frater Salvator Fornerii monachus S. Victoris Maſſilienſis, baccalaureus in decretis, priorque monaſterii Artæ-cellæ Aquenſis diœceſis, confeſſus eſt ſe debere Johanni Emerici priori & domino de Corredis ratione dicti prioratus de Arta-cella pro penſione annorum 1449. & 1450 ducenta ſextaria annonæ bonæ & pulcræ 5. Aprilis 1451.

IX. Gibertus de Authono S. Victoris Maſſil. monachus, priorque monaſterii dominarum de Arta-cella Ord. S. Benedicti, pepigit cum procuratore Alani Avenionenſis epiſcopi, & prioratus de Corredis commendatarii pro arreiragiis penſionis annuæ centum ſextariorum annonæ, quos eidem priori de Corredis ſolvere debet ſingulis annis prioratus de Arta-cella, 6. Januarii 1460.

X. Honoratus Amalrici monachus ſancti Victoris Maſſil. abbas Vallis-ſanctæ, priorque ſacri monaſterii Artæ-cellæ & totius Piniacenſis præpoſituræ in diœceſi Forojul. firmarius 1487. 28. Martii, e ſchedis D. de Mazaugues.

XI. Claudius de Auſſonvilla [plurimi dicunt de Corſonvilla] monaſterii ſancti Victoris pitanciarius, qui fuerat prior de Cella, eligitur abbas ejuſdem Maſſilienſis monaſterii 1516.

C. XXX. p. 72. col. 1.

Anno 1292. die 27. menſis Julii Carolus II. rex Jeruſalem, &c. & comes Provinciæ, ad monaſterium acceſſit; qua data occaſione moniales querelas retulerunt ad regem, dicentes ſuum monaſterium ab ejus prædeceſſoribus fundatum, conſtructum & ditatum, vexari a ſancti Victoris abbatibus & rectoribus, quos ipſi præponebant. Maxime vero petierunt ſibi reſtitui caſtrum de Cabaſſia, quod illi occuparant, ut poſtea regeretur per prioriſſam. Annuit rex præſente abbate S. Victoris. Hoc tamen tempore priores minime amoti ſunt. Parthenon an. 1660. tranſlatus eſt Aquas-ſextias, ubi cura optimæ Francorum reginæ Annæ Auſtriacæ, ac ſtudio laboreque ſanctimonialium parthenonis Vallis-gratiæ Pariſienſis ad priſtinum revocatum fuit ſplendorem.

SERIES PRIORISSARUM, QUARUM nonnullæ dicuntur abbatiſſæ præſertim ab anno 1660.

I. BOnifacia, an. 1167. in charta Ildefonſi regis.

II. P. prioriſſa 1221. in charta Gaſpardi de Mandagot prioris, ſub cujus regimine G. comitiſſa & *marquiſia* Provinciæ, ac comitiſſa Forcalquerii monialem induit, & vota vovit Domino, quæ confirmavit Raimundus Berengarii comes & marchio Provinciæ, ac comes Forcalquerii litteris datis an. 1220.

III. Cœcilia de Ettena, 1265. ex libro viridi Maſſil. Item 12-8. & 1287.

IV. Maria de Norris recepit regem Carolum an. 1292.

V. Hermeſſendis de Sabran 1320. 1335. 1343. Exſtat diploma Roberti Jeruſalem, ac Siciliæ regis, quo Ermecendi prioriſſæ ac monialibus in monaſterio S. Perpetuæ apud Brignolam de Arta-cella Deo ſervientibus tam præſentibus quam futuris, albergam de Brinonia, ſeu redemtionem ejuſdem villæ perpetuo poſſidendam omnino dimittit. Datum eſt anno 1335.

C. XXX. p. 72. col. 2.

VI. .... Baralle de Ponteves, 1344.

VII. Ancelina 1364. in bulla Urbani V. Cognominatur de Cappaluno in charta anni 1372. Hoc anno Anglicus epiſcopus Albanenſis & S. Romanæ eccleſiæ cardinalis, juſſu papæ ad monaſterium Artæ-cellæ acceſſit pro pace firmanda inter priorem & monachos, una ex parte, prioriſſamque & moniales ex altera; & pro diſciplina reſtituenda, ſtatuitque ſub pœna excommunicationis, quod ſanctimoniales in eccleſia & clauſtro deferrent habitum regularem & floccum; quod initio quadrageſimæ traderent omnia quæ habebant prioriſſæ, &c. ex tomo XI. fragment. hiſt. D. Cl. Eſtiennot. p. 46.

VIII. Alaxacia de Ponteves anno 1392. tranſigit cum Petro Tardivi priore.

IX. .... Baude de Ponteves ſoror Ebrardi de Ponteves domini de Cotignac 1424. 1455.

X. .... De Gane de Villeneuve, 1488.

XI. Romana de Renco, circa an. 1578. moritur.

XII. Heliona de Caſtellana filia Honorati de Caſtellana, de Mont-mejam, & Margaritæ de Glandeves, die 29. Januarii 1578. providetur de abbatia Artæ-celiæ vacante per obitum Romanæ de Renco.

Nunc abbatiſſæ ſeu prioriſſæ præſunt tantum ad triennium, & in parthenone viget ſtrictior obſervantia, qualis floret in regio Vallis-gratiæ cœnobio apud Pariſios.

ECCLESIA APTENSIS.

APta Julia Vulgienſium populorum caput, Narbonenſis Provinciæ urbibus a Plinio annumeratur. Idem ſcriptor inter oppida Latina recenſet *Aquas-ſextias Salyorum*, *Avenionem Cavarum*, *Aptam Juliam Vulgienſium*, quæ ab utraque æquali fere ſpatio diſtat. Ex oppido factam fuiſſe Coloniam ſuadet lapidis Arelatenſis inſcriptio a Jacobo Sirmondo prolata, in qua vocatur *Colonia Apta Julia* cognomen a Caio Julio Cæſare Galliarum domitore inditum traditur; qui Galliæ urbes plurimas Romanis operibus exornavit, & Aptam muris cinxit. Obſervat Maſſonus muros hujus urbis adhuc operis Romani eſſe. Quæ tamen de Caio J. Cæſare diximus, poſſunt etiam referri ad Auguſtum, qui a Caio Julio adoptatus, ejuſdem nomine cognomineque gaudebat. Hic autem Dione teſte plurimas Galliæ (maxime Narbonenſis,) & Hiſpaniæ urbes colonias Romanas fecit. Aptæ appellationem ei datam putat Hadrianus Valeſius, ob commodum ſitum. Eſt enim, ad ripam Calvonis * fluvii, qui in Druentiam influit, inter Segeſteronem & Caballionem.

Notitia Galliar. * Le Coulon.

Porro epiſcopatus Aptenſis non ſolum primus eſt ſecundæ Narbonenſis poſt Aquenſem metropolim; ſed etiam inter ceteros Provinciæ, antiquitate, ſanctitate præſulum, dignitateque commendatur. Principis titulum Aptenſi collatum epiſcopo probant Frederici & Caroli IV. imperatorum diplomata. Superſunt quidam ærei nummi, qui hos epiſcopos jure cudendæ monetæ donatos fuiſſe arguunt. Ex variis chartis quas ad probationes amandavimus, liquet ſub dit one epiſcopi & eccleſiæ Aptenſis fuiſſe partem Aptæ urbis, caſtra Sanionis, S. Martini, de Torta-mole, cum Crugeria, villam de Turreta, mediam partem in Claro-monte, &c. Quæ magna ex parte adhuc ad eorum dominium pertinent

Templum patronam habet Deiparam virginem. In dono caſtri de Sagnone, in bulla Paſchalis papæ II. & aliis chartis B. Mariæ adjungitur S. Caſtor. Nunc in hac eccleſia invaluit S. Annæ cultus, quæ pro tutelari a nonnullis cenſetur.

Capitulum, cui præeſt præpoſitus, conſtat duodecim canonicis, & 12. clericis, ut aiunt, præbendatis. Diœceſis viginti octo eccleſias parochiales duntaxat continet, 120. prioratus, 7. abbatias, quarum pleræque deſtructæ ſunt (de quibus ſeorſim infra dicemus) & plurima variorum religioſorum ordinum monaſteria. In urbe habitant Carmelitæ, Fr. Minores conventuales, Minores Capucini, Recollecti, moniales Urſulinæ, & aliæ a Viſitatione B. Mariæ nuncupatæ. Sunt præterea tria in ea urbe ſodalitia Pœnitentium, Alborum, Nigrorum & Cæruleorum. Sunt etiam duo pauperum & ægrotorum hoſpitia. Extra urbem ſunt Carmelitæ apud ſanctum Hilarium, & Recollecti Bonilii.

In contexendo epiſcoporum Aptenſium catalogo Sammarthani fratres uſi ſunt, ut ipſi candide profitentur, commentariis manu exaratis Johannis-Jacobi Provenſal Aptenſis, ſacræ theologiæ doctoris, Aptenſis eccleſiæ clerici præbendati, necnon Marci Antonini Groſſy item Aptenſis, theologiæ licentiati, prioris de Liëus. Gratos etiam ſe exhibuerunt erga illuſtriſſimum epiſcopum, qui tum Aptæ ſedebat, Modeſtum de Villa-nova pro hujuſmodi ſubſidiis hiſtoricis ad ſe miſſis. Nos multa debere viro erudito D. de Remerville de S. Quentin ultro agnoſcimus.

APTENSES EPISCOPI.

I. S. AUSPICIUS.

ANNI CHRISTI.

PRimus, qui fidem Chriſtianam Aptenſibus prædicavit, & apud eos epiſcopalem inſtituit cathedram, fuit Auſpicius, quem eccleſia hæc ut martyrem colit. Hoc decoratur titulo in charta Roſtagni, quam exhibemus in probationibus. Utrum vero fuerit Romanus civis, & E quidem ordinis ſenatorii, diſcipuluſque SS. Nerei & Achillei, ac educator S. Flaviæ Domitillæ, aliis inquirendum excutiendumque relinquimus.

C. I. p. 73. col. 1.

II. S. LEONIUS.

S. Leonius epiſcopus Aptæ commemoratur tempore irruptionis Alamannorum in Gallias Chroco duce anno circiter 266.* a quo tyranno Leonius morte affectus eſt ob Chriſti fidem, juxta S. Amati Avenion. epiſcopi teſtimonium, de quo in hoc epiſcopo. Paulo poſt [a] cum fortaſſe vacaret ſedes ob ſancti Leonii martyrium, Romanus preſbyter & Victor exorciſta de civitate Aptenſium interfuere concilio I. Arelatenſi, an. 314. juſſu Conſtantini Magni coacto.

* *vel* 312.

[a] Juxta opinionem quæ Chroci irruptionem an. 312. tribuit.

ANNI CHRISTI. 314.

III. S. QUINTINUS.

S. Quintinus in breviariis Aptenſi, & Maſſilienſi S. Victoris celebratus, ſedebat anno circiter 400. In veteri codice manu exarato vitæ S. Caſtoris epiſcopi legitur: *Igitur Aptenſis eccleſia beato Quintino pontifice, ad cæleſtia tranſmigrato, beatum Caſtorem ſibi eligunt in paſtorem.*

400.

IV. S. CASTOR.

Caſtor frater S. Leontii Forojulienſis epiſcopi, ut nos docet Caſſianus in præfatione primæ collationis, patria Nemauſenſis & abbas monaſterii S. Faultini, quod ipſe conſtruxerat, accepta ab Caſſiano Maſſilienſis monaſterii abbate regula, quam ipſe vocavit *ſpeculum monachorum*, jam ad Aptenſem cathedram aſſumtus

ANNI CHRISTI

fuerat an. 419. quo Bonifacius papa, interpellatus libello accusationis a clericis Valentinæ ecclesiæ adversus Maximum episcopum Manichæorum sectatorem, scripsit ad septem provinciarum vicinarum episcopos, eis causam hanc examinandam delegans. Inter illos vero præsules leguntur in inscriptione epistolæ Castorius ejusque frater Leontius. Porro tam sapienter, tam feliciter commendatam sibi a Christo ecclesiam rexit Castor, totque seu virtutum seu miraculorum signis in ea fulsit, ut præ ceteris pastoribus suis cum in patronum elegerit. Nempe antiquitus Aptensis ecclesia, *S. Mariæ & S. Castoris* dicebatur. Cassianus ipsi nuncupavit libros XII. institutionum, circa annum 422. In pervetusto Aptensis ecclesiæ martyrologio commemoratur XI. kal. Octobris. De ipso eximius est locus apud Cassianum, quem leges in S. Leontio Forojulienſi.

419.

422. *Vide infr. C. II. pag. 73. col. 2.*

V. Auxanius.

Adfuit consecrationi ecclesiæ Avenionensis nuper instauratæ post cladem ruinamque quam passa fuerat ab Alamannis duce Chroco. Etenim Debo episcopus Avenionensis restitutum suis sumtibus & curis hoc templum volens consecrare, accersivit episcopos, imprimisque Auxanium anno Christi 436, *al.* 433.

Vide in Debone Aven. ep. 436.

VI. Asclepius.

Præerat hic anno 439. quo ad synodum Regiensem convenit. Legitur ejus nomen in inscriptione, & subscriptionibus epistolæ synodicæ episcoporum Galliæ ad Leonem papam. Recensetur quoque inter plurimos episcopos ad quos scripsit idem sanctus papa epistolas 52. & 109. quæ ultima scripta pro componenda controversia ecclesiarum Arelatensis & Viennensis, data est III. nonas Maii anni 450. vocatus etiam legitur a Ravennio Arelatensi metropolitano ad synodum Arelatensem III. in qua judex fuit in causa inter Theodorum episcopum & Faustum abbatem, monachosque Lirinenses anno circiter 455.

439.

450.

455.

VII. Leontius.

Hunc episcopum addimus nomenclaturæ præsulum Aptensium ex schedis domni Polycarpi de la Riviere ascetæ Cartusiensis eruditissimi, & sacræ antiquitatis studiosissimi. Testatur ergo vir fide dignus lectum a se in vetustissimo instrumento Evaricum Gothorum regem expugnata Apta Julia, an. 474. Leontium hujus urbis episcopum, in exsilium ejecisse, haud dubie in odium catholicæ fidei, quam impugnabat hic rex Arianus. In exsilio Leontium paulo post mortuum fuisse suspicamur, nam Prætextatus anno 475. jam sedebat apud Aptam.

474.

VIII. Præextatus.

Prætextati episcopi, cujus sedes tacetur, legitur nomen in inscriptione epistolæ Lucidi presbyteri, quam post concilium quoddam Arelatense, scripsit ad plurimos episcopos anno circiter 475. errores suos emendans. Ceterum non est nostri instituti excutere motas occasione tum hujus concilii tum epistolarum Fausti & Lucidi, controversias. Ambigimus autem utrum hic Prætextatus Aptensem gubernaverit ecclesiam. Certe vix potest idem esse qui Aptensis episcopus dicitur in Epaonensi concilio, cui subscripsit an. 517. ut Arelatensi 4. an. 524. Arausicano 2. anno 529. denique anno 541. Aurelianensi quarto. Nam produxisset episcopatum suum saltem ad annos septuaginta sex. Imo per annos septuaginta præfuisset, si de hoc Prætextato interpretamur epistolam Vigilii papæ scribentis ad Auxanium Arelatensem, *de cognoscenda causa Prætextati episcopi*, anno quarto post consulatum Basilii, qui illigatur an. Christi 545.

475.

524.

541.

545.

IX. Eusebius.

Eusebius anno 546. sedebat, ex tabulario Aptensis ecclesiæ, juxta Sammarthanos fratres quos satis approbat Carolus Cointius in annalibus ad annum 546. num. 6. ubi lego: *hoc anno diœcesim Aptensem regebat Eusebius, qui cum multos scriptores fugisset, novissime restitutus est a Sammarthanis, &c.* Notus tamen fuit sanctus Eusebius D. Polycarpo de la Riviere, ut liquet ex ejus epistola XI. ad Peireskium data die 30. Januarii anni 1632. in qua redarguit chronicon Hispalicum, ubi S. Eusebius appellatur episcopus Arelatensis pro Aptensi, a quo ait S. Laureanum Hispalensem episcopum a Totila occisum in civitate Bituricensi sepultum fuisse, pro civitate Biterrensi. Ab hoc sancto episcopo titulus S. Eusebii datus est cuidam abbatiæ antiquæ diœcesis Aptensis.

546.

X. Clementinus.

Debemus conciliis quæ sæculo V. & VI. frequenter in Galliis habita sunt, notitiam plerumque episcoporum, qui nostras his temporibus rexerunt ecclesias. Certe de Clementino Aptensi episcopo nihil ad nos pervenisset, nisi inter fuisset aut subscripsisset synodo Aurelianensi anno 549. quæ quinta appellatur, Arelatensi etiam V. anno 554. secundæ Parisiensi quæ ad annum 555. rejicitur in collectionibus conciliorum, & anno 551. assignatur a Carolo Cointio. Denique concilio Parisiensi quarto, anno 573. adfuit; ubi facta est constitutio adversus Promotum, quem Ægidius Remensis episcopus ordinarat episcopum in castro Dunensi, reluctante Pappolo Carnotensi præsule, ad cujus parochiam locus hic pertinebat. Ea de re scripserunt episcopi epistolam ad Sigebertum regem, rogantes ut Promoto non patrocinaretur. Inter illos qui scripserunt episcopos Clementinus est decimus.

549.

554.

573.

XI. Pappus.

Pappus subscripsit constitutionibus concilii Matisconensis I. 581. Valentinensis 2. 584. & Matisconensis II. per missum episcopalem 585. post quem plurimorum antistitum nomina in diptychis ecclesiasticis exciderunt.

581.

585.

XII.

Digitized by

ANNI CHRISTI.

XII. MAGNERICUS *al.* MAGNICUS & Magineus.

788. Magnericus an. 788. *vel* 791. ſedit in concilio [a] Narbonenſi contra Felicem Urgelitanum coacto, cum multis aliis præſulibus. Circa id fere
792. temporis an. 792. Dominica in Albis, corpus beatiſſimæ Annæ matris ſanctiſſimæ Dei genitricis, Aptæ evidenti miraculo inventum fertur; quod aiunt celebritati annuæ inventionis locum dediſſe, quæ cum magno populi concurſu Aptæ religioſe fit; ex breviario eccleſiæ.

XIII. GERALDUS I.

Solæ tabulæ Anianenſes nobis hunc Aptenſis eccleſiæ antiſtitem conſervarunt, ſuppeditaveruntque. Nempe adfuit dedicationi eccleſiæ
796. monaſterii percelebris Anianæ, anno 796. Quæ tamen de hac ſolemnitate leguntur, non omnino certa videntur viris doctis.

XIV. SEUDARDUS.

Seudardus perſuaſit *Miloni Montano* Aptenſi comiti, ut eccleſiæ B. Mariæ daret abbatiam quandam S. Martini, cum omnibus ad eam pertinentibus. Charta de hoc dono confecta legitur anno Chriſti 835. regnante *Carolo Ludovici filio*, indictione XI. Forte pro 835. legen-
C. III. p. 74. col. 1. 833. dum 833. qui annus convenit cum indictione XI. Carolus hic rex, eſt Carolus cognomento Calvus, cui pater Ludovicus eo tempore dedit regnum Aquitaniæ, a quo pendebat Provincia.

XV. PAULUS I.

Hic e tenebris eruitur ope inſtrumenti quo quædam permutat cum Bono Siſtaricenſi epiſcopo, *anno* 8. *regni Lotharii, indictione* XV. qui an-
852. nus alligatur cum anno Chriſti 852. Poſt commiſſum inter Lotharium ejuſque fratres Ludovicum & Carolum, cruentum pro regno prælium apud Fontanetum in pago Altiſſiodorenſi, an. 841. nova partitio inter ipſos facta eſt, an. 842. Rurſumque anno 843. fratres Virodunum convenientes, menſe Auguſto Franciam tripartito diviſerunt, ex Annaliſta Bertiniano. Hac diviſione Lothario obtigerunt inter cetera quæ *erant ad Ararem Rodano influentem, & per deflexum Rodani in mare cum comitatibus ſimiliter ſibi utrimque adhærentibus.* Ita Provincia ad regnum Lotharii pertinebat. Antequam poſſeſſionem novarum ditionum obtineret hic prin-
[b] ceps, non parum effluxit temporis, [b] ſicque ab anno circiter 844. cœpere computari anni novi regni Lotharii in Provincia, & ita annus octavus concurrebat cum anno Chriſti 852.

XVI. TEUTBERTUS.

Adfuit comitiis epiſcoporum & nobilium Burgundiæ Salmorenci in Delphinatu celebratis an. 2. Caroli filii Lotharii. Poſt mortem hujus imperatoris, quæ contigit die 29. Septembris an. 855. ejus ditiones diviſæ ſunt inter tres ejus filios quorum natu minimus Carolus obtinuit Lugdunum, Provinciam, Delphinatum, majoremque Burgundiæ Transjuranæ partem. Sicque annus ſecundus hujus regis ad annum Chriſti 857. refertur.

ANNI CHRISTI.

Chorier hiſt. Dolph. p. 116.

XVII. RICHARDUS.

Anno 879. apud Mantalam territorii Vienenſis convenerunt regni Arelatenſis epiſcopi & proceres, de variis eccleſiæ regnique negotiis tractaturi. Quo in cœtu regis nomen Boſoni fratri Richildis imperatricis, qui duxerat Hermengardam Ludovici II. imperatoris ſororem attributum. Huic electioni Boſonis in regem Arelatenſis regni ſubſcripſerunt archiepiſcopi Viennenſis, Lugdunenſis, Tarantaſienſis, Aquenſis, Arelatenſis, Veſontionenſis, & epiſcopi harum provinciarum ſuffraganei fere omnes, in quibus recenſetur Richardus, qui perperam in collectionibus conciliorum legitur epiſcopus Agathenſis, pro Aptenſis. Certe quid cauſæ erat ut ad hanc electionem conveniret Agathenſis epiſcopus, qui minime ad regnum Arelatenſe pertinebat? Nam in hac ſynodo nihil aliud actum præter hanc electionem. Ceterum non aſſertionem hic damus, ſed conjecturam doctiſſimi viri, qui epiſcoporum ſuæ patriæ hiſtoriam a multis annis parturit.

XVIII. PAULUS II.

Recenſetur inter epiſcopos, qui Nemauſenſe concilium celebrarunt XV. kal. Decembris, ſub annum Chriſti 886. contra Selvam clericum
886. Hiſpanum, qui archiepiſcopatum Narbonenſem affectabat, S. Theodardo legitimo pontifice eam ſedem tenente. In vita ejuſdem ſancti, Paulus memoratur ad annum 888.
888.

XIX. WERNERIUS.

Memoratur an. 894. in veteri præcepto eccleſiæ Aptenſis dato VIII. kal. Januarii anno 4.
894. regni Ludovici Boſonis. Quod ſpectat ad Teutbertum anno 896. recenſitum inter Aptenſes epiſcopos, quo petente Ludovicus rex quædam concedit eccleſiæ Aptenſi; non erat epiſcopus ſed appellatur illuſtris comes in diplomate, quod exhibet Honoratus Bouche in hiſt. Provinciæ c. 6. p. 774.

XX. ROSTAGNUS.

Anno Chriſti 950. occurrit epiſcopus Roſtagnus, docente hoc monumento ex tabulis Montis-majoris: *Criſo comes, & nepos ejus Roſtagnus clariſſimus epiſcopus, villam vocabulo Vallem & campos, necnon ſancti Albani eccleſiam in eadem villa, Aptenſe comitatu conſtructam Montis-majoris monaſterio in Atenſe civitate concedunt, an. incarn. Dominicæ* CML. [950.]
950. XI. *cal. Martii an.* XIII. *regnante Conrado rege Alamannorum vel Provincia. Signum Criſoni comitis. S. Roſtagni epiſcopi. Sign. Ermengardæ matris ejus, &c.* Cum apud Aptam villarum & eccleſiæ præfatarum in diœceſi Aptenſi conſtitutarum præſente Roſtagno epiſcopo, nulla ei aſſignata ſede, facta ſit conceſſio, manifeſtum videtur ipſum Aptenſis eccleſiæ clavum tunc tenuiſſe. Eodem anno Caſtus Vapincenſis epi-

[a] De tempore hujus concilii agemus infra in Donadeo Vapincenſi epiſcopo.

[b] Maxime cum inviti regem hunc paterentur populi, qui anno ſequenti rebellarunt, impellente Fulcrado duce; ex annalibus Bertinianis.

ANNI CHRISTI.

ſcopus, dedit aliquid de alode ſuo eccleſiæ Aptenſi, ut infra dicemus.

In nonnullis ſchedis invenio quemdam [a]epiſcopum Sulbogum nomine, qui dicitur fediſſe annis 927. 932. uſque ad annum 955. ex chart. Aptenſi optimæ notæ. Additur huic alius nomine Udolricus, ſeu Laudoricus, qui eodem in
970. chartario legitur ab anno 970. hæc pugnant cum indubitatis teſtimoniis, quæ probant alios epiſcopos tunc Aptenſem ſedem obtinuiſſe, ſcilicet Arnulfum & Nartoldum qui ſequuntur.

XXI. ARNULFUS.

959. Arnulfus regebat anno 959. aut 960. nam in chartario S. Mayoli Cluniac. abbatis exſtat quædam præſtaria quam fecit *Arnulfo Atenſi epiſcopo*, de quibuſdam rebus cœnobii Cluniac. ſitis in pago *Atenſi* ſeu Aptenſi. *Act. apud ſanctum Saturninum an.* 23. [a] *regnante Conrado rege* hoc eſt anno 959. aut 960.

XXII. NARTOLDUS I.

In chartario Aptenſi legitur præſtaria de caſtro *Sagnone* a Nartoldo epiſcopo facta in gratiam Rotberti & Waraconis. *Anno* XXX. *regnante Conrado rege*; hoc eſt anno Chriſti
967. 967. Donum hujus caſtri factum eſſe legimus a *Georgio* quodam ejuſque uxore *Deda*, qui *de ſuo honore*, voluerunt dare *Deo*, *S. Mariæ*, *S. Auſpicio martyri & epiſcopo*, *& epiſcopo præcipuo Caſtori* ... id eſt caſtrum inſigne & nobile quod eſt poſitum ſupra civitatem ad Orientem nomine *Sagnone*. Deſunt temporis notæ, legiturque tantum id factum tempore Caroli. Anno
Vide chart. VI p. 71. col. 2.
969. 32. ejuſdem regis Alamandorum & Provinciaciarum, ſubſcribit donationi Agilberti præpoſiti. Anno 38. ejuſdem regis convenientiam fa-
978. cit cum Saloardo. Anno 41. regnante eodem rege, fecit præſtariam, de quibuſdam decimis, in qua exiguum ſe dicit epiſcopum.

XXIII. STEPHANUS I.

Marca hiſt. l. 912. Illuſtriſſimus ſcriptor Petrus de Marca, notat ad annum 979. quemdam epiſcopum *Atenſem*, (hoc eſt Aptenſem) nomine Stephanum, ſubſcripſiſſe cuidam bullæ Benedicti papæ VII. cum archiepiſcopo Narbonenſi, epiſcopo Albienſi, &c. Attamen pene inviti hunc epiſcopum admittimus inter Aptenſes epiſcopos, quod difficile ſit ſibi perſuadere Nartoldum, quem huic Stephano ſubjicere cogimur, non eundem eſſe cum eo qui præceſſit.

XXIV. NARTOLDUS II.

Nartoldus approbavit fundationem capituli Carpentoratenſis factam ab Aeirado Carpentoratenſi epiſcopo, *anno* DCCCCLXXXII. *indictione* X. *calendis Martii regnante Chuonrado rege Alamannorum ſive Provinciarum.*
982.

XXV. TEUDERICUS.

991. Teudericus anno 991. indictione IV. ſecundo nonas Auguſti in ſua eccleſia conſtituit clericos *canonico more*, qui officia divina perſolverent; & eis contulit ad quotidianum victum, aliaque vitæ neceſſaria ſufficientes reditus: vetans ne in poſterum canonici plures forent, aut pauciores, quam duodecim; id factum eſt de conſenſu domini *Annonis Arelatenſis, necne domni Amalrici Aquenſis archiepiſcopi, Ingilranni Cabelliscenſis epiſcopi*. Id etiam firmavit Wanerius Avenionenſis epiſcopus. Præterea acceſſit conſilium & voluntas *Willelmi totius Provincia principis*, hoc eſt comitis, *regnante Chuonrado rege Alamannorum ſive Provinciarum*. Eodem anno Ermengarda pia matrona dedit multa *de ſuis rebus* in pago Aptenſi pro ædificatione eccleſiæ, & *ad conſortia canonicorum ſedis Aptenſis*. Idem Theudericus præſtariam facit anno IV. regnante Rodulfo rege, incarnationis anno 997. Memoratur in veteri charta anno ejuſdem regis quinto indictione XII. Permutat quædam pridie cal. Jul. indict. X. regnante Rodulfo rege Alamandorum ſeu Provinciarum. Indictio X. indicat annum 997.

ANNI CHRISTI. *Vide chart. IV. in prob. p. 74. col. 2.*

Vide chart. V. p. 75. col. 2.

997.

XXVI. HILBOGUS.

Hilbogo epiſcopo anno VI. regnante Rodulfo rege Garibaldus dedit eccleſiæ Aptenſi villam quæ dicitur *Jugus*. Anno 20. eodem Rodulfo rege, & Hilboldo epiſcopo ſedente, Ingilbaldus donum quoddam facit.

XXVII. S. STEPHANUS II.

S. Stephanus Agathæ in Occitania natus, epiſcopus creatur, ſed non ante annum 1010. in quo munere omnes meritiſſimi pontificis partes implevit. Adfuit Wifredo Narb. archipræſuli, an. 1022. III. nonas Octobris baſilicam monaſterii Rodenſis (Roſes) in Catalonia dedicanti, & concilium celebranti anno circiter 1032. In ſecunda quam pietatis ergo ad loca ſancta Jeruſalem inſtituit peregrinatione, morbo valde ancipiti per viam correptus, præter omnem ſpem officioſo aditu ſanctiſſimæ Dei genitricis, & ſanctarum virginum Agnetis & Luciæ, repente ſaluti priſtinæ reſtitutus eſt, & in patriam rediens de B. Virginis mandato reædificandæ ſui epiſcopii eccleſiæ a barbaris diru tæ, ſub ejus titulo omnem curam adhibuit. Anno 1040. adfuit cum aliis XXII. epiſcopis Benedicto IX. eccleſiam S. Victoris Maſſilienſis ſecundum conſecranti. Sedit in concilio Narbonenſi ſub Guifredo, de quo agemus in hoc archiepiſcopo. Teſtis recenſetur in tabula facta indict. XII. Henrico rege, 1044. ſeu in donatione Bertrandi comitis & marchionis Provinciæ facta S. Victori Maſſilienſi, de eccleſia S. Promaſii in territorio caſtri Forcalcherienſis: ex chartulario hujus monaſterii. Demum bonis operibus plenus, miraculis clarus, immortalitatis coronam adeptus eſt 1046. VIII. idus Novembris, & in eccleſia quam conſtruxerat, tertia ſuæ mortis die ſepultus eſt.

1010.

1022.

1040.

1044.

1046. *Ex tab. Capituli.*

Ex auctore ejus vitæ ſynchrono, anno ab incarnati Verbi myſterio MXLVI. ordinationis ſuæ 36. diebus plus minus 35. totius autem

[a] Sumitur initium regni Conradi a morte ejus patris, ſcilicet ab an. 937. juxta eundem calculum, diploma ejuſdem principis pro Monte-majori, has notas chronicas habet. *Datum* VII. *idus Decembris indict.* VII. *anno incarnationis Dominæ* DCCCCLXIII. *anno* XXVII. *Chuonrado rege. Actum Vigenna civitate.* Annal. Mab. ad an. 963. n. 71.

ANNI CHRISTI.

vitæ fuæ an. 71. ſanctus Stephanus migravit ad A Chriſtum.

XXVIII. Leodegarius I.

Hunc epiſcopum legimus ex nobili Rajambaldorum, qui comitatum Arauſicanum poſſidebant, genere ortum fuiſſe. Ipſius nomen an. 1046. legitur in tabulis eccleſiæ majoris, quam brevi rexit tempore. Mortis ejus dies notatur XII. cal. Januarii in necrologio S. Andreæ ſecus Avenionem; cujus monaſterii prius abbas fuerat.

XXIX. Elifantus.

Elifantus, aliter Elfandus; quem legimus B Guillelmi & Roſtagni Aptæ principum fratrem, ob reſtauratam ſuis ſumtibus & conſiliis eccleſiam ſuam, in qua jam erat congregatio clericorum in comnuni viventium immortalem gloriam meretur. Anno circiter 1048. cum ejus conſilio Bertrannus & Raimbaldus fratres confirmarunt ceſſionem Aptenſis abbatiæ ſancti Euſebii factam ab avo ſuo Eldeberto, monaſterio ſancti Ægidii. Nominatur adhuc in donatione hoc circiter facta tempore Odiloni abbati & S. Ægidio, a Raimundo, Gaufredo, tribuſque eorum fratribus. Commemoratur etiam in ſcheda Rajambaldi Arelatenſis archiepiſcopi ejuſdem temporis. Anno 1053. tranſigit cum Pontio Pulverello. An. 1055. teſtis fuit ceſſionis factæ S. Victori Maſſilienſi, duarum *peciarum* terræ, a Gaufredo comite Provinciæ, ut dicemus in Riperto Vapincenſi epiſcopo. Eccleſiam Jocaſſii dedit capitulo, eccleſiæque Aptenſi antea multis vexationibus attritæ ceſſit condaminam ad Cardacias, VI. nonas Octobris, regnante Chriſto Domino; item conceſſit villam in territorio Turritarum an. 1056. VI. cal. Julii. Huic quoque dono addidit fratrum D ſuorum liberalitate eccleſias S. Petri Caſtellionis, & S. Mariæ. *Domum S. Saturnini* conſecravit cum Rajambaldo Arelatenſi archiepiſcopo, & Hugone Sanacienſi præſule, menſe Maio ... ex epigraphe lapidi inſculpta, quam refert Bouxus. Adfuit concilio Toloſano anni 1056. & Avenionenſi, anno circiter 1060. cui præfuit S. Hugo Cluniacenſis abbas legatus Nicolai papæ II. Teſtatur enim Bouxus nomen hujus epiſcopi obſervatum a ſe in ſubſcriptionibus præfatæ ſynodi, cujus excerpta viderat penes domnum Polycarpum de la Riviere Cartuſianum, qui ea inſerere hiſtoriæ Avenionenſi pollicebatur. Hunc præſtantiſſimum præſulem E Grimaldinæ familiæ tribuit Venaſcus Ferreolus.

1046.

Hiſt. Prov. l. 9. ſect. 1. c. 8.

1056.

Genealog. fol. 67.

XXX. Isoardus.

Hujus epiſcopi nulla exſtat memoria quam in ſchedis doctiſſimi viri Polycarpi de la Riviere aſcetæ Cartuſiani, qui omnia Provinciæ maxime tabularia exploraverat, ad antiquitates eccleſiaſticas illuſtrandas. Hic in obſervationibus ad epiſcopos Aptenſes collocat inter eos Iſoardum anno circiter 1095. ut me monet vir eruditiſſimus D. de Remerville S. Quentin, qui ſcribit doctos commentarios in epiſcopos Aptenſes. Idem aſſeverat (quod in confeſſo eſt apud omnes) Polycarpum eſſe in his quæ ſcripſit teſtem fide digniſſimum.

ANNI CHRISTI.

XXXI. Bertrandus I.

Quo tempore Bertrandus epiſcopatum ſit auſpicatus nos fugit. Ignoramus etiam quouſque Iſoardus Aptenſem obtinuerit ſedem; & utrum inter ipſum & Bertrandum aliquis medius præfuerit. De Bertrando vero unum duntaxat habemus, videlicet ipſum anno 1102. compoſuiſſe litem inter Petrum Auriac. abbatem S. Andreæ Avenion., & priores de Viens, Meyrigues, Thoueſſe & Carnuol.

1102.

XXXII. Leodegarius II. *al.* Laugerius.

D'Agoult.

Leodegarius ſeu Laugerius de Agulto, ſplendori generis addidit virtutum omnium laudem: optimi ſponſi officium gerens erga ſuam eccleſiam, bona ipſius injuſte amiſſa redemit; in his caſtrum Sagnionis, an. 1113. quod confirmavit Paſchalis II. bulla data 1115. neque tamen conſanguineos ſpoliavit, ut ſponſam ſuam ditaret; nam filiis & filiabus fratris ſui *Ragembaldi de Agolt*, Guiranno, Bertranno, &c. dedit medietatem caſtri Gordæ, partem Aptæ civitatis, &c. quæ habebat ex patre ſuo Roſtagno. Occurrit in tabulis Montis-majoris, anno 1118. Adfuit concilio Viennenſi habito anno 1114. Quo tempore vivere & præeſſe deſierit, prorſus neſcimus. Bulla Paſchalis II. ſupra laudata cautum erat, ut nullus deinceps epiſcopus ſubſtitueretur, niſi de canonicorum *conſilio & electione promotus*; præterea ut res *deficientis* epiſcopi ſub canonicorum *proviſione permanerent*; nec cuiquam liceret eas invadere.

Vide chart. IX. X. & XI. p. 77.

1113.

Vide chart. XII. & XIII. pag. 78. col. 1.

1118.

1114.

XXXIII. Raimundus I.

Hunc epiſcopum debemus tabulario ſancti Ægidii, ubi aſſervantur litteræ Petri Narbonenſis archiepiſcopi, Aldeberti Nemauſenſis epiſcopi, & Raimundi epiſcopi Aptenſis, quibus teſtantur Raimundum comitem (Toloſanum) ceſſiſſe S. Ægidio omnem honorem quem habebat, aut habere ſe dicebat in hoc loco. Litteræ datæ an. 1150. indicant tempus quo ſedebat hic præſul, aliunde notus ex tranſactione facta an. 1145. de qua loquimur in Willelmo præpoſito Siſtaricenſi. In jam laudato necrologio ſancti Ægidii legitur: *idibus Aprilis obiit Raimundus epiſcopus Aptenſis.*

1145.

XXXIV. Rainardus.

Rainardus vel Rainaldus adhuc obſcurior eſt Raimundo; id enim unum de eo tenemus, quod in chartis Aptenſis eccleſiæ memoretur anno 1152. Ceterum ſi quis contenderet Rainaldum eſſe eundem cum Raimundo, nollem id pervicaciter negare. Facile enim potuit amanuenſis ſcribere Rainaudum pro Raimundo: ex Rainaudo vero poſtea alii Rainaldum, alii Rainardum confecerunt.

1152.

XXXV. Guillelmus I.

Astra.

Guillelmus cognominatus *Aſtra*, an. 1158. bullam ſeu litteras ab Hadriano papa IV. accepit, quibus ſummus hic pontifex confirmavit menſæ

1158.

ANNI CHRISTI.

episcopali burgum episcopalem, & alia ejus A bona infra civitatem, prioratusque in diœcesi. Instituit festum B. Caltoris episcopi; obiitque VIII. idus Aprilis, ex necrologio capituli, quanquam in necrologio S. Andreæ legatur idibus Decembr. An. 1160. (al. 1161.) plurima concessit S. Andreæ Montis Andaonis monasterio, ex charta ea de re confecta, quam inter instrumenta consule-sis.

C. XIV. p. 78. col. 2.

XXXVI. PETRUS I.

De S. Paul.

Petrus a S. Paulo exorsus est episcopatum saltem anno 1168. Canonicum Sistaricensem &

1168. Forcalquerienſem se dicit subscribens an. 1174. B transactioni factæ inter Bermundum Sistaricensem episcopum & Templarios, ex libro Sistaricensis episcopi, quem vocant Viridem.

1173. Anno 1173. auctor fuit cum Hugone Aquensi archiepiscopo permutationis factæ die 5. artii inter Petrum S. Victoris Massilienſis abbatem & Bernardum S. Eusebii, pro ecclesia S. Mariæ de Avellone. Eodem anno pridie idus mensis Martii præsens legitur donationi factæ, Sinaquæ abbatiæ diœcesis Cavellicensis, ab Guiranno de Simiana; cujus instrumentum dabimus agendo de hac abbatia. Anno 1178. *facta*

Ex chartar. S. Eusebii. Friderico imperatori, *& imperio debita fidelitate cum hominio*, regalia recepit de manu C imperatoris, *per rectam investituram*, jusque possidendi nobilia prædia, videlicet partem Aptæ urbis, quam episcopus habet cum canonicis, castrum S. Martini, medianum castrum, quod dicitur Torta-mollis, cum Crugeria; villam de

tom. XII. spicil. pag. 647. Turrita, & mediam partem in Claro-monte. Perrexit Romam ad concilium Lateranense,

1179. an. 1179. An. sequenti commemoratur in transactione facta inter monachos S. Victoris, & canonicos de Cardo. Necrologio inscribitur dies ejus obitus ad III. idus Novembris.

De Vienn.

XXXVII. GUIRANNUS.

Guirannus patrem habuit Imbertum de Viens, ex diplomate Henrici imperatoris quo

C. XVII. p. 79. col. 2. docemur partem Aptæ civitatis ad Imbertum pertinuisse, & ad ejus fratres; qui spontanea voluntate Aptensi episcopo eam contulerunt. Guirannus factus episcopus adiit Fredericum imperatorem, cui & imperio *fecit debitam fidelitatem & hominium*; sicque recepit regalia tam de novo quam de antiquo jure. Itaque scripsit imperator *clero & populo Aptensi; dominis quoque & militibus de Sagnione* præcipiens, ut Guiran-

C. XVI. p. 78. col. 2. no tanquam episcopo & *dilecto principi* honorem & reverentiam exhiberent. Annus quo id E factum est non notatur in privilegio Frederici, qui anno 1190. mortuus est. Qui successit Friderico Henricus VI. eundem episcopum Aptensemque ecclesiam insigni donavit privilegio, ut libere, & *sine ulla conditione* posset quælibet prædia rustica vel urbana accipere; simul etiam burgi episcopalis (quæ urbis portio erat ad episcopum pertinens) terminos descripsit. Diploma imperatoris datum legitur VI. nonas Ju-

1193. lii anni 1193. indictione XI. anno 3. sui imperii. Vixit usque ad annum 1208. quo ejus me-

1208. minit sancti Victoris charta. Mors ejus in archivo ecclesiæ ad XIII. cal. Novembris consignata est.

ANNI CHRISTI.

De S. Paul.

XXXVIII. PETRUS II.

Petrus dictus de S. Paulo, ex præposito Aptensis ecclesiæ factus est episcopus. Quo vero tempore cathedram hanc conscenderit, expendendum est. In schedis viri doctissimi lego eum sedisse anno 1202. & interfuisse cum archiepis-

1202. copis Arelatensi, Aquensi, & Ebredunensi, cuidam cœtui habito ad tractandum de pace inter Provinciæ & Forcalquerii comites. Id tamen pugnat adversus ea quæ supra diximus de D Guiranno episcopo, adhuc commemorato, an. 1208. in charta S. Victoris. Sed nihil vetat eum ante mortem circa annum 1202. abdicasse, sicque dedisse locum Petro; & nihilominus episcopi Aptensis titulo usum fuisse. Familiaris fuit Berengarii Provinciæ comitis, & Guillelmi comitis Forcalquerii; memoraturque circa annum 1209. & 1210.

1209. *Reg. perg.* D'Apt.

XXXIX. GAUFRIDUS I.

Gaufridus *de Apta* cognominatus, prius ecclesiæ B. Mariæ præpositus fuit, quo in munere animarum regendarum periculum fecerat. Postea successit in locum Petri episcopi demortui, anno circiter 1211. Anno 1216. locum habet in

1211. 1216. chartis Victorinis, ut observavit dom. de Ruffi. Fratres Minores vivente S. Francisco admisit, ex veteri membrana episcopatus Aptensis, in qua hæc leguntur: *G. episcopus cum tota universitate, dederunt pauperi Francisco ecclesiam parochialem sancti Georgii, ut in ea fodales .... De ejus morte docet Aptense necrologium eam contigisse* 21. *Februarii an.* 1229.

1229. D'Apt.

XL. GAUFRIDUS II.

Hic episcopus eodem nomine & cognomine ornatus ac superior, cum excepit in officio pastorali anno 1221. juxta Sammarthanos fratres;

1229. & anno tantum 1229. ex schedis dom. de Remerville; obiitque circa annum 1243.

1243.

Comtesse.

XLI. GUILLELMUS II.

Guillelmus cognomento Centulio, ex præposito ecclesiæ Aptensis, creatur episcopus anno 1244. quo memoratur in veteri instru-

1244. mento; moriturque die 26. Januarii 1246. Hic

1246. observandum quatuor consequenter episcopos sedisse in Aptensi cathedra, quorum nomina a littera G. incipiebant. Cumque olim in more E positum esset, ut in instrumentis actisque publicis, nomina plerumque per primam litteram nominis designarentur; hinc difficile admodum est, cujusnam eorum sint facta in chartis descripta definire, & singulis singula tribuere.

Dalmat. T. I.

XLII. GUILLELMUS III.

Guillelmus ex illustri Dalmatiorum Massilienſium familia, ad episcopatum veniens anno 1246. potentem adversarium habuit debellan-

1246. dum, videlicet Bertrandum Rajambaldum de Simiana. Causam controversiæ suspicamur fuisse castrum S. Martini, de quo jam pugnandum fuerat cum Rostagno de Agouto, &

nepotibus ejus filiis Guirandi de Simiana. Adversarii sui pervicaciam fregit episcopus, solis excommunicationis telis usus, cui ad sãniora consilia converso, an. 1247. sinum aperuit; atque in signum argumentumque sinceræ reconciliationis ipsi tradidit in feudum brevia civitatis Aptensis, & castrum S. Martini, sub annuo censu, fidejussoribus Rainone de Caslario, & Willelmo de Malo-torteliosuti nos docet charta ejusdem episcopi ex schedis Peireskianis erута, quam damus inter probationes. Univit ecclesiæ suæ prioratum S. Saturnini an. 1252. Massiliæ decessit die 28. Aug. an. 1256.

ANNI CHRISTI. 1247. C. XVIII. p. 79. col. 2. 1252. 1256.

XLIII. PETRUS III.

Baile.

Petrus Bajulus prius præpositus Aptensis, electus est in episcopum die XI. Novembris anni 1256. Anno sequenti, excepit hominium consulum urbis IV. idus Aug. qui scriptum reliquerunt cum consensu *consilii & universitatis seu majoris partis civitatis*, consulatum ejusdem civitatis *sub dominio Aptensis episcopi & ecclesiæ teneri*. Bertrandus Augerii S. Andreæ secus Avenionem abbas, de Galburgis in abbatissam S. Crucis Aptensis electione absque suo consensu facta, coram Petro Bajulo Aptensi episcopo conqueritur; unde ille jubet Galburgim abbatiali dignitati renuntiare. Actum in S. Crucis ecclesia (ut habent tabulæ S. Andreæ) idib. Januarii an. Domini 1259. Sepulcretum commune ecclesiæ Aptensis muris cinxit, an. 1265. Eodem anno approbavit permutationem factam inter magistrum de Sorbonio canonicum Parisiensem, & Ludovicum Francorum regem, duarum scilicet ædium olim Radulfi de Paciaco, & Henrici de Riangier militis in vico Hirundinis sitarum in censiva S. Germani de Pratis, quam dederat dicto canonico, vice collegii pauperum magistrorum Parisiis studentium in theologica facultate; pro domo quæ fuerat quondam magistri Roberti de Duaco, sita ante palatium Thermarum, & aliis quas habebat dictus rex in via * Latomorum ante prædictum palatium. Datum an. 1265. mense Julio. Petrus migravit e vita Massiliæ, die 30 Maii an. 1268. jacet tamen in ecclesia Aptensi, sine epitaphio.

C. XIX. p. 81. col. 1. 1259. 1265. * *Les maçons. Thes. ebenum. 3.* Louis 31.

XLIV. RIPERTUS.

De Viens.

Ripertus de Viens nobili genere ortus ex præposito factus est episcopus anno 1268. Eundem esse putamus, qui ut archidiaconus subscripsit chartæ Guillelmi Dalmatii episcopi, pro reconciliando ecclesiæ Bertrando Rajambaldo de Simiana, an. 1247. Alius fuit, ex eodem haud dubie genere, Rupertus de Viens Aptensis præpositus an. 1213. Ripertus episcopus mortuus legitur calendis Februarii, jacereque in sacello S. Spiritus. Sub hoc fere tempus conventus fratrum Minorum apud Aptam, postea ditatus & illustratus Sanctorum conjugum Elzeari & Delphinæ corporibus, ædificatur munificentia toparcharum de Simiana.

1268.

XLV. RAIMUNDUS II.

Centullio.

Raimundus Centulio episcopus renuntiatus est anno 1271. mense Junio, cum esset canonicus Aptensis. Consecravit altaria S. Mariæ & S. Johannis mense Septembri anni 1272. Festum Inventionis S. Crucis in sua instituit ecclesia, an. 1275. & pro ejus celebratione solemniori, distributiones seu stipendia canonicorum de propriis bonis auxit. Eodem anno in ecclesia sua mortuus est die 10. Julii.

1271. ANNI CHRISTI 1273.

XLVI. RAIMUNDUS III.

Botti.

Raimundus Botti filius Bertrandi militis, domini de Rupe Saleria, & dominæ Thibaudæ Isoardæ nobilissimorum parentum, ex canonico & archidiacono Aptensi ad summum tollitur sacerdotium nonis Septembris anni 1275. Clientelæ professionem recepit in festo S. Auspicii primi Aptæ antistitis an. 1276. a magnificis dominis Bertrando Ragembaldo filio Rostagni d'Agoult, & Bertrando Raimbaldo filio Guidonis de Simiana, præsente Grimerio Aquensi archiepiscopo; & an. 1281.* a Bertrando Raimbaldo, & Guiranno de Simiana cum obligatione medii *Cas-bovis* (de qua voce consule chartam XVIII. inter instrumenta) & agni albi pro castro S. Martini. An. 1278. x. cal. Octob. univit mensæ prioris Caroli-loci ecclesias sancti Pauli & B. Mariæ de Mayricis, annuentibus canonicis. Anno 1289. mense Octob. adhibitus est testis pacis Ildefonsi regis cum Bonifacio de Castellana, ex veteri registro. Subscripsit concilio provinciali habito apud Regium sub metropolitano Aquensi Rostagno. Permutationem fecit cum Raimundo abbate S. Victoris anno 1291. concessis ecclesiis S. Arigii & S. Salvatoris Bonilii, pro prioratu S. Johannis de Campaneis, & B. Mariæ de Briciis. Delegatur a Bonifacio papa VIII. ad componendam litem inter Gaufredum de Laincello episcopum Vapincensem, & senescallum, aliosque ministros Caroli II. Siciliæ regis & comitis Provinciæ. Ejus tempore Carmelitæ in urbe admittuntur 8. Octobris anni 1296. consensitque consecrationi eorum oratorii & cœmeterii. Anno. 1299. fundavit abbatiam S. Catharinæ pro monialibus sub regula S. Augustini, ut infra dicemus. Instituit festum revelationis SS. Auspicii, Castoris & Martiani die 1. Maii celebrandum. Sanctorum Auspicii & Castoris vitas elegantiori stylo conscripsit. In nonnullis veteribus monumentis appellatur eruditissimus in ecclesiastico officio. Ad meliorem vitam migravit die 22. Augusti anni 1303. sepultus in parte navis ecclesiæ ad Septentrionem, ubi etiam ejus frater sepeliri voluit.

1275. 1281. p. 79. col. 2. 1289. 1291. 1296. 1299. 1303.

XLVII. HUGO.

Botti.

Hugo Botti Raimundi frater operarius Aptensis, electus est episcopus per compromissum mense Novembri anni 1303. Eodem anno mense Decembri Roberto regi Siciliæ & Provinciæ comiti hominium fecit; testisque fuit sacramenti, quod huic principi dixit Durandus Massilienſis episcopus eodem fere tempore, præsentibus Vencienſi, Forojulienſi, & Gaietano episcopis. Bertrandum Raimbaudum de Simiana a fratre suo excommunicatum ecclesiæ re-

1303.

* Quo anno adfuisse dicitur translationi S. Magdalenæ.

conciliavit, & ad hominium reddendum recepit anno 1306. Bertrando mortuo, Rosa & Mabilia sorores ejus heredes idem præstiterunt anno 1309. Homagium fecit Roberto regi comiti Provinciæ an. 1310. Rostagno de Salices abbati S. Eusebii electo benedictionem solemnem denegavit mense Januario an. 1307. quod suæ electionis confirmationem ab eo de more petere contemsisset; cujus controversiæ judicium Durando Massilienſi episcopo pari partium consensu delatum est. Monachis Eusebianis interdictionem quoque comminatus est, nisi partem impensarum suæ consecrationis, quæ ipsis indicta fuerat, exsolverent. Tertium ecclesiæ *Pronaon* * a latere Septentrionis proprio ære absolvit, uti probant ejus gentilitiæ[a] tesseræ, quæ in hujus cellæ parietibus & fornicibus adhuc visuntur. In hac vero ecclesiæ parte sepulturam elegit. Obiit v. Kal. Februarii anni 1318.

ANNI CHRISTI. 1306. 1310. 1307. * *al.* 1318.

XLVIII. Raimundus IV. Botti.

Raimundus Botti utroque patruo mortuo ad insulas Aptenses vocatus est, cum operarii hujus ecclesiæ munere fungeretur. Quam primum sedere cœpit in sancti Castoris cathedra de ipsius cultu sollicitus, ejus sacrum caput theca argentea exstantis operis inclusit, an. videlicet 1320. ut constat ex membranula in hoc vase inclusa, & gentilitiis Raimundi symbolis. Caput sancti Elzeari comitis Ariani Parisiis Aptam allatum excepit, & in ecclesia fratrum Minorum magna pompa sepelivit anno 1327. mense Octobri; anno vero sequenti v. nonas Maii libello supplici, nomine totius cleri & populi Aptensis postulavit ab Johanne XXII. ut eum in album sanctorum referret. Eodem in loco hactenus sancti Elzeari reliquiæ honorifice servantur & coluntur. Carmelitarum ecclesiam consecravit anno 1323. & anno 1326. adfuit concilio San-Ruffensi secus Avenionem; cujus acta edidit Petrus Gassendus ad calcem notitiæ ecclesiæ Dinienſis; exstantque tomo XI. concil. parte 2. Ejus obitus in Aptensi ecclesia consignatur anno a nativitate Christi 1330. mense Januario desinente. Jacet in majori templo.

1320. 1327. *Ex tab. fr. Min.* 1330.

[a] Hæ tesseræ sunt: *de gueules au chasteau gothique d'or soutenu de 3. tours pavillonées, celle du milieu surmontant les deux autres.*

XLIX. Geraldus II.

Post Raimundi mortem occurrit maxima confusio in successione episcoporum per unum aut alterum annum, ob multitudinem præsulum qui sedem hanc salutasse potius quam occupasse dicendi sunt. Certe in tomo II. litterarum communium Johannis XXII. anni 16. ejus pontificatus, reperiuntur litteræ, seu bullæ quibus Guillelmum Astræ (*al.* Asterium) præfecit ecclesiæ Aptensi, per translationem Bertrandi ad ecclesiam Bononiensem. *Dat. Avenioni* II. *idus Junii, an.* XVI. *ejus pontificatus.* Hic annus apud sacros historicos est Christi 1331. Itaque post mortem Raimundi, quæ contigit an. 1330. jam tenemus duos episcopos mense Junio anni 1331. Bertrandum & Guillelmum. Verum præterea in regiſtris capituli summa fide a D. de Remerville descriptis, Geraldus datur successor A Raimundo Botti episcopo, diciturque electus die 17. Februarii anni 1330. Paulo post cum Johannes XXII. concessisset prioratum sancti Saturnini, qui a mensa episcopi Aptensis pendebat, Stephano Sauvet presbytero, Geraldus de ea collatione ad papam conquestus est; qui respondit inquirendum esse utrum unio hujus prioratus cum episcopali mensa legitima foret. Postea ante mensem Decembrem, cessit in gratiam Guiraudi, qui legitur electus die 18. Decembris anni 1330. Ecce episcopos quatuor tam brevi tempore. Sammarthani fratres tamen post Geraldum nullum alium substituunt usque ad Bertrandum Acciaoli. Sed vir doctus qui nunc historiæ Aptensium episcoporum describendæ operam dat, suasque nobis schedas humaniter utendas permisit, Geraldo dat successorem Guiraudum nomine, qui paucos post menses translatus fuit ad sedem Petracoricensem. Certe debetur integra fides regiſtris Aptensibus; nec falsitatis nota litteris Johannis papæ inuri debet. Itaque dicendum est papam tunc inconsulto capitulo, vacanti sedi prospexisse & providisse pastorem; capitulum vero jure suo utendo, nihilominus elegisse sibi episcopum. In annis autem consignandis papæ computant annos sui pontificatus, qui non incipiunt cum annis vulgaribus, tunc inchoari solitis ab Paschate. Idcirco non sunt omnino respuendi illi episcopi, sed hic statuatur ordo inter illos, ut Geraldus sit XLIX. Bertrandus ab Johanne provectus L. Guiraudus Gerardo successor datus, qui minime sedit omittitur. LI. Guillelmus Bertrando suffectus bulla pontificia. LII. alter Guillelmus. Porro observatione dignum est, præcipue penes episcopos a papa promotos, remansisse episcopatum; quapropter de his sigillatim dicemus, sed breviter.

ANNI CHRISTI. *S. h. dom. de Remerville.*

L. Bertrandus II. Acciaoli.

Bertrandus Acciaoli, Leonis filius, nobilis Florentinus, Angeli Acciaoli cardinalis consanguineus, qui legitur electus 7. Julii anni 1331. idem est cujus Johannes XXII. meminit in bulla pro Guillelmo Asterio, ubi dicitur, inde translatus ad sedem Bononiensem. Et vere bulla illa data legitur II. idus Junii, anno 16. pontificatus Johannis, qui non est expletus nisi die 8. Augusti anni 1331. A Bononiensi ecclesia legitur migrasse ad ecclesiam Nivernensem, ubi Albertus dicitur; quod nomen aliquando ipsi est accommodatum.

Ibid. 1331.

LI. Guillelmus IV. Astræ.

Guillelmus Asterius ex ordine Minorum creatur episcopus bulla Johannis XXII. die 12. Junii anni 1332. ut contendit D. de Remerville. An. 1337. in comitatu sui metropolitani & aliorum provinciæ præsulum perrexit ad synodum Avenionensem. Transfertur ad ecclesiam Petracoricensem bulla Benedicti papæ XII. data Kal. Oct. an. 7. ejus pontificatus, qui est Christi 1340.

1332. 1340.

LII. Guillelmus V. Audebert.

Guillelmus Audebertus Carnotensis, ordinis Minorum, sub finem anni 1340. aut 41. conscendit thronum ecclesiæ Aptensis, uti lego in

ANNI CHRISTI.

ſchedis docti viri domini de Remerville. Fratres Sammarthani huic Audeberto fere omnia tribuunt, quæ ſupra oſtendimus pertinere ad Guillelmum Aſterium; unde gravis nobis ſuſpicio Guillelmum Aſterium eundem eſſe cum Guillelmo Audiberti. Quod ſi id damus teſtimonio viri docti ut duos eos dicamus; at negamus ſedem tenuiſſe uſque ad annum 1343. VIII. idus Aprilis, quo tempore legitur mortuus in obituum libro; nam Guillelmus Amici jam tum erat Aptenſis epiſcopus. Hanc declinat difficultatem vir eruditus, poſtponendo Audebertum Guillelmo Amici. Sed ut id illi concedamus, debet ipſe differre Audeberti epiſcopatum, uſque ad finem anni 1342.

Amici.

LIII. GUILLELMUS VI.

Guillelmus Amici Lemovix, commendatione Petri Rogerii cardinalis Rotomagenſis, cujus familiaris erat, creatur epiſcopus Aptenſis.

1342. Anno 1342. die 11. Septembris adfuit pactis matrimonii Ahelidis Rogerii neptis Clementis papæ VI. cum Guillelmo de Turre; ita enim legitur in calce inſtrumenti [a] tunc confecti: *præſentibus.... Stephano Alberti, Petro Andreæ, & Guillelmo Amici, Claromontenſi, Noviomenſi, & Aptenſi epiſcopis.* Poſtea migravit ad eccleſiam Carnotenſem menſe Novembri ejuſdem anni. Demum factus eſt patriarcha Jeroſolymitanus & perpetuus adminiſtrator eccleſiæ Forojulienſis. Cum aſſiduus eſſet in curia Romana, mortuo Benedicto XII. cardinales eum miſerunt in Galliam VI. nonas Maii anni 1342. ad pacem fovendam inter epiſcopos Galliæ & Angliæ; quam legationem ei confirmavit Clemens VI. paulo poſt electus. Obiiſſe legitur anno 1360. cum aliqua ſanctitatis fama.

LIV. ARNALDUS.

Arnaldus Neapolim profectus Johannæ reginæ gratiam aucupaſſe dicitur; qua uſus eſt ad componendum pro dominio epiſcopali negotium. Multam impendit operam pro revocando ad menſam epiſcopalem prioratu ſancti Saturni-

1346. ni anno 1346. A Clemente VI. electus eſt ac conſtitutus conſervator privilegiorum ſanctæ Claræ, cum archiepiſcopo Aquenſi, & Cavellicenſi epiſcopo.

LV. BERTRANDUS III.

1348. Electus eſt die 17. Septembris anni 1348. ex regiſtris Vaticani. Anno 1349. hominium præſtitit Raimundo d'Agoult baroni de Saltu, Provinciæ ſeneſcallo, cui Johanna Neapolitana regina comitiſſaque Provinciæ vices ſuas demandarat ad recipienda omnium nobilium homagia.

Nominatur in diplomate quo indulgentiæ conceduntur eccleſiæ de Vicinis monialium Ciſtercienſium diœceſis Aurelianenſis anno

1351. 1351. die 5. Aprilis, an. pontificatus Clementis VI. nono.

LVI. BERNARDUS.

Bernardus ſacrum capeſſivit magiſtratum an. Chriſti 1351. Hoc autem anno Guiranus de Simiana baro de Caſa-nova dominus Aptæ aliqua ex parte, ab omnibus comitiorum Provinciæ ordinibus delegatus eſt ad procurandam apud Clementem papam VI. ſancti Elzeari de Sabrano comitis Ariani, inter ſanctos relationem. Qui pontifex inquirendi de ejus vita & miraculis provinciam demandavit epiſcopis Uticenſi & Carpentoratenſi.

ANNI CHRISTI. 1351.

LVII. BERTRANDUS IV.

Meiſſenerius.

Bertrandus de Meiſſeneſio anno 1353. ex ſancti Franciſci familia electus eſt ad gubernandam Aptenſem eccleſiam, ob notam ſapientiam, vitæque ſanctitatem. Ejus ſuaſu beata Delphina ſancti Elzeari conjux amplum comitatum dimiſit, ac ſtrictiorem vitæ rationem amplexa eſt; deincepſque illum habuit conſiliorum omnium participem, & in virtutum ac bonorum operum aſſidua exercitatione moderatorem. Edidit vero conſtitutiones pro optimo eccleſiæ ſuæ regimine, quarum fit mentio in capituli ſtatutis. Miſſus ab Innocentio papa VI. ad Johannam Neapolitanam Siciliæque reginam, & Provinciæ comitiſſam, obtinuit compenſationem dimidii juris brevium epiſcopalium Aptæ & Sanionis, ipſi reginæ divenditi a nobiliſſimis feminis, Raimbauda, Roſa & Mabilia de Simiane ſororibus. A Carolo IV. imperatore indultorum ſuis anteceſſoribus privilegiorum confirmationem obtinuit, diplomate Piſis dato die 8. Maii anno 1355. in quo Bertrandus appellatur *epiſcopus Aptenſis & princeps.* Demum a Johanna regina quæ eadem privilegia confirmaverat, vocatur ad archiepiſcopalem Neapolis cathedram anno 1357. ubi e vita migraſſe dicitur anno 1368.

1353. 1355. 1357.

Ex tab. communit. Apt.

LVIII. ELZEARIUS.

de Ponteves.

Elzearius de Ponteves, ex illuſtri apud Provinciales, veterique Pontevenſium proſapia ortus, cum Franciſcanæ militiæ nomen dediſſet, coactus eſt ex monaſterii latebris ad ſedem Aptenſem aſcendere, electus die 27. Junii anni 1357. A Guiraudo de Simiana hominium excepit an. 1359. Sub ejus epiſcopatu Delphina Elzeari comitis conjux & virgo Aptæ migravit ad Dominum anno 1360. cujus exſequias celebravit hic epiſcopus; elogium vero funebre pronuntiavit Philippus Caballe patriarcha Jeroſolymitanus. B. Dalphinæ vitam ſcripſit Elzearius Borelli Aptenſis Minorita, theologiæ doctor. Pontevenſius diem obiit menſe Decembri anni 1361.

1357. 1360. 1361.

LIX. RAIMUNDUS V.

Botti.

Raimundus Botti natus Aicardi militis, & Sanciæ Dalmatii, Aptenſi eccleſiæ præficitur an. 1362. Libellum ſupplicem an. 1363. Urbano papæ V. cujus ipſe conſanguineus erat, obtulit, pro referenda in ſanctorum cenſum Delphina nuper mortua. Pietate motus erga primum fidei Chriſtianæ ſatorem in Aptenſi civitate, & epiſcopum ſanctum Auſpicium, ejus ſacrum caput proprio ære theca ornavit argentea. Sub ejus pontificatu habitum eſt Aptæ concilium [a] percelebre,

1362. 1363.

[a] Vide hiſt. domus Arv. auctore Baluzio, p. 317. & probat. tom. 2. p. 604.

[a] Corrupte legitur hæc ſynodus habita die 14. Maij, indictione

ANNI CHRISTI. 1372.

anno 1365. Guillelmo de Gardia Arelatenſi archiepiſcopo ac patriarcha demum Jeroſolymitano præſide. Anno vero 1372. ſtatuta conduntur, & obſervanda capitulo dantur auctoritate Gregorii XI. miſſo ad id muneris Johanne Sabaterio decretorum doctore. Eodem anno parthenon ſanctæ Crucis ordinis Ciſtercienſis, prius fundatus in territorio de Roſſilione, transfertur intra urbem Aptam, ſumtibus Anglici cardinalis Albanenſis epiſcopi, qui erat frater Urbani papæ V. E vivis exceſſit Raimundus
1382. die 13. Aprilis anni 1382. ſepultuſque eſt juxta gentiles ſuos, Hugonem & Raimundum Botti B ſuos anteceſſores.

SAVINI.

LX. RAIMUNDUS VI.

Raimundus Savini e primaria capituli dignitate, nimirum præpoſitura, conſcendit ad ſupremum ſacerdotii apicem, paulo poſt obitum deceſſoris ſui, vixque duobus ſedit annis. Sub id tempus vas argenteum formam capitis habens, in quo caput ſancti Elzeari comitis collocandum erat, ut populi Chriſtiani cultui pateret, benedicitur ab Anglico cardinali in eccleſia fratrum Minorum Aptenſium.

LXI. GERALDUS III.

C Nepos hic fuit cardinalis Oſtienſis, quæ cognatio forſitan ipſi viam munivit ad eccleſiaſticas dignitates, & ad epiſcopatum Aptenſem,
1385. quo jam potiebatur anno 1385. quo videlicet, die 8. Junii fidem obſtrinxit reginæ Mariæ, cuſtodi pupillari Ludovici II. regis Neapolis &
1388. Provinciæ comitis. Ipſe anno 1388. die undecima Novembris hominium excepit a Ludovico de Anduſia Voltæ domino, pro caſtro ſancti Martini; & anno 1390. a Bertrando de Simiana pro parte urbis Aptæ, & caſtro Sanionis, ex commentariis cenſualibus epiſcopatus. Poſt 5. D epiſcopatus annos migravit e vita menſe No-
1390. vembri anni 1390.

FILLETI.

LXII. JOHANNES.

Johannes Filleti, Foreſii in diœceſi Claromontana ortus, avunculum habuit Johannem de Grangia epiſcopum Ambianenſem & cardinalem. Electus eſt autem die 9. Januarii anni
1390. 1390. vel 1391. novo more. Anno 1396. die ul-
1396. tima Junii, Raimundus Riperti Siſtaricenſis præpoſitus vicariuſque generalis hujus antiſtitis, ipſius loco excepit fidem clientelarem Dalphinæ de Sabrano relictæ viri magnifici Guiraudi E de Simiana, Aptæ partim, Caſæ-novæ, & de Gordis domini, quam juravit flexis genibus nobiliſſima hæc femina nomine filiorum ſuorum Guiraudeti & Bertrandi Raimbaudi, quia nondum erant milites, ex authentica tabula domus de Simiana. Cultus ſanctæ Annæ ſtudioſiſſimus a Benedicto papa dicto XIII. in ſua obedientia bullam obtinuit, qua liceret oblationes colligere ad ornandam capſam reliquiarum ſanctæ Annæ, *cujus corpus*, inquit bulla, *in quodam oratorio, ſeu cryptæ, ſub magno altari eccleſiæ, a multis*

III. tempore Urbani V. anno 1365. quo vivebat adhuc Innocentius VI. & currebat indictio non III. ſed VIII. itaque legendum eſt anno 1365.

temporibus requievit. Habemus litteras Johannis epiſcopi, quibus hortatur ad conferendas eleemoſynas in hoc pio opere impendendas. Conceditque erogantibus quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis, modo facta confeſſione pœnitentes ſint. Litteræ datæ ſunt Aptæ die 4. Novembris anno Domini MCCCCVII. An. 1409. adfuit concilio Piſano per procuratorem, uti legitur in illius actis. Eodem anno condito teſtamento die 6. Septembris, heredes inſtituit Carthuſianos Villæ-novæ prope Avenionem, & Cæleſtinos Gentiliaci ad pontem Sorgiæ. Vita defunctus eſt die 10. * Junii anni 1410. quo anno adfuerat conſecrationi Antonii Juvenis Wapincenſis epiſcopi.

ANNI CHRISTI.

1407. C. XX. p. 31. col. 2.

Tom. 6 Spicileg. pag. 361.

* al. 16.

1410.

LXIII. PETRUS IV.

PRICAUDI

Petrus cognominatus Pricaudi legitur aſſumtus ad epiſcopatum anno 1410. de quo nihil ultra reperimus.

1410.

LXIV. PEREGRINUS.

Nec longiorem moram fecit in ſede Aptenſi hic epiſcopus vere peregrinus; obtentis enim bullis a Johanne XXIII. die 23. Martii anni
1411. 1411. menſe Novembri 1412. morte ſublatus eſt, poſſeſſionem nondum adeptus. Ipſo ad confeſſionem & pœnitentiæ ſacramentum utebatur Ludovicus II. Siciliæ rex & comes Provinciæ.

LXV. NICOLAUS.

Nicolaus electus menſe Octobri anni 1413.
1413. nondum adepta poſſeſſione moritur in concilio Conſtantienſi, cui ut orator Caroli III. Navarræ regis intererat.

Sub id tempus Carmelitæ, capitulo Aptenſi conſenſum præbente, intra urbem monaſterium conſtruxerunt, in palatio a dominis de Volta conceſſo.

LXVI. CONSTANTINUS.

DE PERGULA.

Conſtantinus de Pergula in Provincia generalis collector ſubſidiorum pro camera apoſtolica, archidiaconus Aquileienſis, & in curia Romana referendarius, & prior de Grauſſello Vaſionenſis diœceſis, nec non abbas ſancti Euſebii Aptenſis, anno 1416. * die 1. Martii Anto-
* al. 1419. niæ de Volta dominæ ſancti Martini hominium excepit; & eodem anno Bertrandi Raimbaudi de Simiana pro parte civitatis Aptenſis, *manibus junctis & genibus flexis, quia nondum erat*
1419. *miles.* Anno 1419. menſe Auguſto legatione fungens pro Iolanda Jeruſalem & Siciliæ regina, ducilla Andegavenſi, comitiſſa Provinciæ, &c. cum cardinali a S. Marco & Petro d'Acigné Provinciæ ſeneſcallo, Sabaudiæ ducem adiit, ipſi ceſſionis jurium omnium reginæ in comitatum Nicienſem, & quædam alia Provinciæ caſtra faciendæ cauſa. Cardinali Piſano apud regem Arragoniæ ſedis apoſtolicæ legato comitem ſe adjunxit hac in legatione. Mortem oppetiit menſe Octobri anni 1430.

1430.

LXVII. STEPHANUS III.

Mortuo Conſtantino electus eſt die 17. Julii anni 1431. Stephanus, qui erat Ludovico III.
1431. regi

ANNI CHRISTI.

salem & Siciliæ, Provinciæque comiti a sacris confessionibus. Eidem regi hoc ipso anno hominium præstitit die 18. Septemb. apud Aquas-Sextias. Solito more solemnique ritu excipitur apud Aptam mense Octobri sequenti. Sacramentum ipsi dixit mense Novembri Bertrandus Raimbaldus de Simiane. Jam e vivis excesserat die 25. Novembris anni 1437.

NASONDI.

LXVIII. PETRUS V.

Petrus Nasondi, Sagii in Normannia natus, Aptensis ecclesiæ canonicus fit, posteaque eli-
1437. gitur episcopus ante 25. Novembris anni 1437. Anno 1438. donum accepit ab abbate Vallis-Sanctæ pro jucundo introitu. Renato Neapolitano regi & comiti Provinciæ hominium præ-
1440. stitit, & sacramentum dixit anno 1440. Fidem quoque ipsi pollicitus est Bertrandus Raimbaldus de Simiana anno eodem, die 11. Februarii. Litteras tutelæ ac patrocinii huic concessit episcopo Provinciæ seneschallus, addita mulcta centum argenti marcarum in eos qui contra hunc præsulem aliquid moliri auderent.

NASONDI.

LXIX. PETRUS VI.

Ex hoc Petro unum eundemque cum superiori episcopo Sammarthani fratres conflarunt; quamvis duo fuerint ejusdem tum nominis, tum cognominis. Alter vero, de quo hic agimus, prioris vicarius generalis fuerat, postea in sede epi-
1448. scopali successor anno circiter 1448. Hoc anno adfuit elevationi sanctarum Mariarum apud Arelatem; attamen hoc tribuit Petro Nasondi decessori ejus Honoratus Bouche lib. 9. histor. sect. 4. Anno sequenti suscepit Jacobum de Simiana pro brevibus Aptæ, & pro Sanione clien-
1457. telarem fidem profitentem. Anno 1457. interfuit concilio Avenionensi, cui præerat Petrus cardinalis Fuxiensis Arelatensis archiepiscopus. Condito testamento Petrus heredem ex asse instituit ecclesiam suam. Morte sua defunctus est
1467. die 1. Julii anni 1467. Jacet in ecclesia sancti Andreæ Avenionensis.

URTICA.

LXX. JOHANNES II.

Johannes Urtica ex præposito Aptensi electus est episcopus die Dominica sexta Sept. 1467. quo etiam die solemni apparatu exceptus legi-
1482. tur, & in possessionem admissus. Anno 1482. facto prius hominio Renato regi Siciliæ comiti Provinciæ confirmatur ab eo in omnibus privilegiis & juribus quæ habebat apud Sanionem & Oribellum, datis litteris 20. Maii & 7. Junii. Eodem anno migravit e vita.

PANISSA.

LXXI. AGRICOLAUS.

Agricolaus Panissa Lucæ in Tuscia oriundus, juris utriusque doctor, in Avenionensi academia lector ordinarius & primicerius, ut nos docet historia hujus academiæ nuper conscri-
1482. pta, electus est die 18. Julii 1482. eodemque anno regis comitis hominem se esse professus est, fidemque juravit. Innocentius papa VIII. eum constituit conservatorem privilegiorum monasterii sancti Ægidii, & prioratuum, ecclesiarumque ab ipso pendentium, litteris datis 20. Septembris anni 1485. Anno 1489. juxta receptum tunc morem, vel 1490. juxta hodiernum, die 5. Februarii vivere desiit.

ANNI CHRISTI. 1490. CHABAUdis.

LXXII. JOHANNES III.

Non accessit rudis & inexpertus ad episcopatum Johannes cognomento Chabrolus; quippe cum esset canonicus, & sacrista ecclesiæ Valentinensis, officio vicarii generalis episcopi functus fuerat. Ad hæc accessit negotiorum rei publicæ tractandorum peritia; fuit enim magister libellorum supplicum in aula Caroli VIII. Verum brevi tempore Aptensem rexit ecclesiam; etenim electus est mense Maio anni 1490. men- 1490.
se Julio proximo cœpit episcopum agere, ut liquet ex libris recensionum episcopatus. Anno vero 1491. mense Novembri translatus est ad 1491.
sedem Valentinensem regendam, sive tanquam episcopus, ut placet D. de S. Quentin, sive tanquam vicarius generalis, quod alii volunt. Certe vacavit sedes Aptensis a mense Novembri anni 1491. quod liquet ex actis capituli, ubi legitur Elzearus Autric canonicus factus vicarius generalis.

DE MONTAGU.

LXXIII. JOHANNES IV.

Johannes ex genere nobili de Monte-acuto, filius Raimundi de Furmigieres, & de sancto Marcello in territorio Vivariensi natus, electus est die 6. Augusti 1494. Possessionem adi- 1494.
piscitur per procuratorem 23. Februarii ejusdem anni 1494. Orta anno 1505. de pecuario pastu in agro Turritarum cum civibus & communitate Aptæ controversia, pro talliæ solutione & dominio etiam Turritarum, cum illis convenit secundum capita transactionis actæ olim a Guillelmo antecessore suo. Anno 1508. ex 1508.
concessione summi pontificis dedit ad acapitum & emphyteosim totam terram de Rocafura, & de ea muneris clientelaris professionem accepit, ut pro castro sancti Martini, a Ludovico de Levis barone de Volta, & castri S. Martini; item anno 1509. a domina Pontii d'Astoaud pro vil- 1509.
la de Murs in agro Turritarum sita, anno quoque 1516. ab Antonio d'Auraison vicecomite de Cadenet, pro villa & territorio de Miles, in eodem Turritarum agro. Decidit etiam anno 1520. cum fratre Carolo Johanne de Pen- 1520.
nis equite Jerosolymitano beneficiario de Jocassio, & sancti Johannis de Rossilione, pro vicinis prioratuum & castri Turritarum fundis certo termino definiendis. Demum in amplificandis episcopalis mensæ bonis, & divulsis ejus ditioni restituendis, multam impendit operam. Fratres Sammarthani mortuum eum dicunt anno 1524. Vir eruditus, qui de historia episcoporum Aptensium scribit, docet famam quidem de ipsius morte percrebuisse hoc anno; ita ut cardinalis de Claromonte sedis apostolicæ legatus de episcopatu Aptensi tanquam vacante proviserit Johannem Nicolai; & Franciscus I. Francorum rex vi concordatorum cum Leone X. factorum, designaverit episcopum Antonium Trivultium Mediolanensem: *sed uterque*, inquit, *Aptensi episcopatu frustratus est.*

ANNI CHRISTI. NICOLAI.

LXXIV. JOHANNES V.

Johannes Nicolai, quem vir eruditus laudatus ſupra dicit fuiſſe vicelegatum Avenionenſem, ſubrogatus eſt Montacutio in Aptenſi cathedra. Breviarium eccleſiæ ſuæ meliorem in
1532. formam diſpoſuit typis editum anno 1532. An-
1533. no proximo menſe Martio magnum moriens reliquit deſiderium ſui viris doctis, quos amicos habebat, imprimis Jacobo Sadoleto epiſcopo Carpentoratenſi, qui eum laudavit quod flagra-
l. 6 epiſt. 9. ret ſtudio ſacrarum litterarum; hæcque ſubjungit perhonorifica: *Te vero mi optime & jucundiſſime Nicolae, quibus efferam laudibus? novi tuam bonitatem, juſtitiam, integritatem, ſenſus tuos novi pleniſſimos pietatis, animum quoque optimis ſemper deditum, & artibus & litteris; quod ſæpe miratus ſum. Atque eo magis, quod te ex maximis curis & occupationibus quibus diſtinebare, aliquid ſemper videbam ſurripientem temporis, quod verioribus ſtudiis impartires. Vincit tua virtus ſtudium meum, neque eſt noſtra tuis laudibus facultas ullo pacto par. Veruntamen etſi tu neque nunc primum, nec unquam mediocriter, ſed diu ante totus in optimis ſtudiis fuiſti, hoc tamen recente tuo facto, quod ſummi doctoris & præconis magni Dei lectionem provehere, atque illuſtrare pro tua parte conatus es, ſic me tibi devinxiſti, ut in vetere noſtra, mutuaque benevolentia meus in te amor quaſi novo igni inflammatior eſſe videatur.*

TRIVULC.

LXXV. CÆSAR.

Cæſar Trivultius ex genere apud Mediolanenſes illuſtri, atque in Gallia præſtantioribus dignitatibus cohoneſtato genitus, adhuc junior deſignatur epiſcopus Aptenſis a Franciſco I. re-
1533. ge Chriſtianiſſimo. Anno 1533. ad epiſcopales functiones uſus eſt miniſterio Bartholomei Portalenaſii Carmelitæ Trojani epiſcopi. Organa pneumatica canora in eccleſia fieri curavit. An-
1539. no 1539. ſedem Comenſem obtinuit auctoritate ſedis apoſtolicæ, retento epiſcopatu Aptenſi, uſque ad annum 1541.

FORLIVIO

LXXVI. PETRUS VII.

Petrus de Forlivio filius Marci Avenionenſis, & Delphinæ de Fulgeria, canonicus & præcentor Avenionenſis eccleſiæ, abbas etiam ſancti Euſebii Aptenſis & Sinanquæ, diœceſis Cabellicenſis, ſchedula regia deſignatur Aptenſis epi-
1541. ſcopus die 1. Decembris anni 1541. ſolemnique pompa urbem eſt ingreſſus die 24. ejuſdem menſis. Anno 1546. conventionem fecit de quibuſ-
1549. dam litigioſis cum capitulo ſuo. Anno 1549. die 16. Maii ſacramentum dixit, fidemque clientarem præſtitit Henrico II. regi Chriſtianiſſimo,
1553. tanquam Provinciæ comiti. Anno 1553. orta inter ipſum & conſules Aptenſes contentione, pro tributariis præſtationibus de toto Turritarum agro ab epiſcopo exſolvendis, tandem conventum eſt ſub certis pactionibus, ſupernæ in Provincia curiæ ſenatuſconſulto confirmatis anno
1557. 1555. Ceſſit anno 1557. Avenionemque profectus, ibi fere uſque ad vitæ exitum permanſit, hoc eſt uſque ad annum 1559. quo in abbatia ſua Sinanquæ, nuper ejus curis magna ex parte refecta, animam exhalavit die 5. Februarii. Jacet tamen Aptæ in ſuæ olim eccleſiæ ſacello dicto *Corporis Chriſti*. Quædam contulit collegio Avenionenſi.

ANNI CHRISTI.

DE SIMIANA.

LXXVII. JOHANNES-BAPTISTA.

Johannes-Baptiſta Rambaldus de Simiana filius Bertrandi Rambaldi baronis de Gorda & de Caſa-nova, ex Perota de Ponteves, transfer-
1560. tur anno 1560. ab epiſcopatu Vencienſi ad cathedram urbis Aptenſis, cujus dominium ex parte ad gentem nobiliſſimam Rambaldorum
1561. de Simiana a longo ævo pertinebat. An. 1561. die 21. Junii Carolo IX. Galliarum regi fidem
1565. clientarem profeſſus eſt. Anno 1565. mota denuo controverſia pro agro Turritarum, quem conſules Aptenſes legi communi tributorum ſubjicere volebant, ſenatus illum immunem a publicis muneribus novo ſenatus-conſulto declaravit. Hic epiſcopus defecit a fide catholica anno 1571. chartis & inſtrumentis eccleſiæ igni damnatis. Simul erat abbas S. Saturnini Toloſ.

DE SIMIANA.

LXXVIII. FRANCISCUS.

Franciſcus de Simiane, ſeu de Caſa-nova; Johannis-Baptiſtæ nuperi epiſcopi frater, monachus ordinis Cartuſienſis in monaſterio Avenionenſi, qui præfecturam geſſerat in monaſteriis Villæ-novæ & Boni-paſſus, vocatus eſt ad
1571. ſedem Aptenſem anno 1571. ut offenſionem ex ſui fratris apoſtaſia orthodoxæ plebi datam, bonis dilueret exemplis. Nec fefellit ſpes de eo concepta; nam frequens diœceſim ſuam viſitabat, & quidem pedes, largas ubique ſpargens eleemoſynas, omniaque boni paſtoris munia ſedulo exſecutus eſt. Ingenti cum lætitia exceptus eſt urbem ingrediens, anno 1572. quo
1572. ſacramentum dixit Carolo regi IX. An. 1585.
1585. concilio adfuit Aquenſi. Recrudeſcente contentione de prædiario tributo ex agro Turritano, factam a fratre ſuo cum civibus conventionem renovavit; ſicque paci gregis conſultum eſt. Decem præbendas in eccleſia ſancti Saturnini apud Toloſam, cujus abbas erat, fundavit. Migravit ad Dominum anno 1587. ſepultuſque eſt in tumulo gentilitio, intra majorem eccleſiam. De eo necrologium Cartuſianorum Caſtrenſium ita habet: *vj. Maii obiit reverendiſſimus dominus Franciſcus de Caſa-nova epiſcopus Aptenſis, profeſſus & alias prior domus Avenionenſis & aliarum domorum, viſitatorque Provinciæ.* Habet anniverſarium in eccleſia ſancti Saturnini die 4. Februarii.

DE PERILLI.

LXXIX. POMPEIUS.

Pompeius cognomento Perillus e Seguſione* in Pedemontio oriundus, inſignis theologus & concionator ordinis Minorum, habuerat magiſtrum in ſacris litteris Sixtum V. ſummum pontificem, quod forſitan ad infulas ipſi viam munivit. Erat præterea medicæ artis peritiſſimus. Henricus Engoliſmenſis major Franciæ prior Jeroſolymitani ordinis, & Provinciæ prorex, Pompeium pro concionatore[a] habuit. Hoc

* Saluz.

[a] Ipſum eodem munere functum fuiſſe apud Philippum II. Hiſpaniarum regem dicit D. de S. Quentin.

principe mortuo Henricus III. Francorum rex eundem accerſivit, & Aptenſi eccleſiæ nominavit epiſcopum anno 1587. Anno 1594. die Maii 6. decimam quam nomine epiſcopatus Aptæ percipiebat, commutavit pro prioratu noſtræ Dominæ de Claro-monte, cum Aptenſi capitulo. Anno 1604. oculis captus prædicandi officium minime intermiſit. Anno 1607. die 28. Januarii mortuus poſt abdicatum epiſcopatum, jacet in ſua eccleſia a latere evangelii altaris ſodalitii B. Annæ. De eo agit Cæſar Noſtradamus in hiſtoria Provinciæ. Laudatur autem ob ſingularem modeſtiam & amorem in pauperes.

ANNI CHRISTI. 1587. 1604. 1607.

LXXX. JOHANNES VI.

PELISSIER

Johannes Peliſſier Benedictinus, monachus S. Andreæ ſecus Avenionem, prior Simianæ, quo ex loco oriundus erat, Pompeio ſucceſſit poſt ipſius abdicationem 1607. ac Dominica 1. Adventus die 30. Novembris in urbem adventans, a populo ſolemni pompa exceptus eſt. In diœceſi, divi Franciſci familiam duobus conventibus auxit, regularis obſervantiæ patribus dictis Recollectis evocatis, & in Bonilli caſtro receptis; necnon Capucinis Aptæ admiſſis an. 1612. quorum deinde eccleſiam ſolemni ritu conſecravit 1617. Junii 18. quod munus etiam obiit in parochiali Simianæ eccleſia an. 1620. v. cal. Novembris. Anno 1621. Turritarum controverſiam ſæpius apud judices agitatam ſenatuſconſulto decidit, quam mutua deinde pactione confirmans, exſtinctoque litis fomite, quæ jam per 68. annos urbem & epiſcopum vexaverat, gloriam aſſecutus eſt paſtorem ovibus conciliaſſe. 1629. 28. Novembris moriens, pontificalis cathedræ circulum eodem Adventus tempore quo inceperat, abſolvit. Jacet in cathedrali in ſacello SS. Sacramenti. Concilium Tridentinum anno 1615. in ſua eccleſia recipi curavit, ſalvis eccleſiæ Gallicanæ libertatibus.

1607. 1612. 1620. 1629. 1615.

LXXXI. MODESTUS.

DE VILLANUVA.

Modeſtus de Villa-nova des Arcs Arnaldi de Villa-nova marchionis des Arcs, & Iſabellis de Haluin de Piennes filius, frater natu major Antonii marchionis des Arcs & de Trans, dynaſtæ ac baronis d'Allemagne, e nobiliſſima & veruſtiſſima Villæ-novæ gente ortum ducit, quæ primo Provinciæ, & ſecundo Galliæ marchionatu illuſtris floret, ſuoſque inter proceres jam a plurimis ſeculis numerat Helionem a Villa-nova III. Rhodienſium equitum præfectum, cognomento Bonum, Hugonem Franciſcani ordinis doctorem, Elzearium Diniæ epiſcopum miræ ſanctitatis præſulem, & beatam Roſſelinam Carthuſiani ordinis virginem, cum eorum conſanguineis D. Elzeario comite Ariani, & B. Dalphina ejus conjuge caſtiſſima. Tot clarus majoribus Modeſtus, ordinem patrum ſtrictioris obſervantiæ, qui Recollecti audiunt, ingreſſus, duorum marchionatuum, & totidem toparchiarum jure primi nati ſucceſſor legitimus, eas reliquit, ſervire Deo pluris æſtimans. Exinde autem a Ludovico XIII. pontifex Aptæ deſignatur die 28. Februarii 1629. Bullas obtinuit ab Urbano VIII. menſe Septembri, conſecraturque die 29. Novembris ejuſdem anni, Forojulii ab urbis antiſtite Bartholomæo Camelin; aſſiſtentibus Petro Camelino Philadelphiæ præſule ipſius nepote ac coadjutore. Prima-vero die Maii anni 1630. Aptam ſolemni ritu ingreditur, ſingulari plebis exceptus lætitia. In ſede pontificia poſitus, vitæ prioris haud immemor, Recollectos patres a deceſſore ſuo vocatos, ad epiſcopalis oneris ſubſidium admiſit. Moniales ſacras Viſitationis ſub ſanctæ Mariæ vulgari nuncupatione, B. Franciſci de Saleſio epiſcopi Gebennenſis filias 1637. in urbe recepit; quo etiam anno virginibus Præſentationis ſub B. Urſulæ appellatione ſuam in Apta figere ſtationem permiſiſſe dicitur a Sammarthanis fratribus. A novorum parthenonum inſtitutione, ad veterum regimen tranſiit, annoque 1638. in Ciſtercienſi S. Crucis monaſterio Carlotam de Chauvigny de Blot abbatiſſam electam, ſecunda Dominica Adventus benedixit. Abbatiam canonicarum ſanctæ Catharinæ, in qua paulo remiſſior erat obſervantia, reformavit. An. 1642. in dominica Paſſionis vas argenteum ad conſervandum decentius cranium B. Dalphinæ affabre factum apud Minoritas Aptenſes benedixit. In ſuaque eccleſia imaginem ex argento conflatam, ſancti Martiani ordinis ſancti Benedicti, fundatoris & abbatis ſancti Euſebii Aptenſis, cultui ſacro dedicavit. Patrum Recollectorum eccleſiam conſecravit anno 1664. Novum eccleſiæ ſuæ breviarium typis mandari curavit. Anno denique 1670. die 7. Jan. obiit optimus paſtor, ſepultura donatus in novo S. Annæ ſacello.

1637. 1638. 1642. 1664. 1670.

LXXXII. JOHANNES VII.

DE GAILLARD.

Johannes de Gaillard Aquenſis filius Petri, & Marqueſiæ de Village de la Salle, frater Magdalenæ de Gaillard de Venel, quæ regiorum puerorum educatricis vices ſupplebat, cum eſſet canonicus theologus eccleſiæ Conſtantienſis in Normannia, nominatur ſchedula regis Chriſtianiſſimi ad epiſcopatum Aptenſem die 1. Jan. anni 1671. Ordinationem epiſcopalem accepit in eadem eccleſia Conſtantienſi die 18. Julii anni 1672. Poſſeſſionem adipiſcitur 20. Sept. ejuſdem anni. Anno 1693. pallium auctoritate apoſtolica contulit Danieli de Coſnac Aquenſi archiepiſcopo. E vita migravit die 18. Januarii, anno 1695. Jacet juxta deceſſorem ſuum.

1671. 1693. 1695.

LXXXIII. JOSEPHUS-IGNATIUS.

DE FORESTA.

Joſephus-Ignatius de Foreſta de Colongo, filius Scipionis domini de Colongo, & Venello, ex Ludovica de Mouſtiers, præpoſitus eccleſiæ Maſſil. deſignatur a rege Chriſtianiſſimo epiſcopus Aptenſis, die 7. Septembris anni 1695. Bullas accepit ab Innocentio papa XII. xv. cal. Februarii anni 1696. Conſecratur die 14. ejuſdem anni Pariſiis in eccleſia Carmelitarum vici ſancti Jacobi. Poſſeſſionem apprehendit per procuratorem die 1. Aprilis ſequentis, & die 14. ejuſdem menſis, ſolemni pompa invectus eſt in urbem. Seminarium inſtituit pro clericis, cujus curam demandavit patribus Societatis Jeſu.

1695. 1696.

PRÆPOSITI APTENSES.

Ex MS. hiſt. D. de Remerville de S. Quentin, nonnullis additis.

C. XIII. p. 78. col. 1.

I. REgimundus 870.

II. Agilbertus præpoſitus tempore Nartoldi epiſcopi 981.

III. Pontius I. ſub Leodegario II. anno 1103.

IV. Rodolphus de Apta ſub eodem epiſcopo 1113. & 1122. Vide inter inſtrumenta.

V. Gaufredus I. 1198. Poſtea epiſcopus Aptenſis anno 1211.

VI. Petrus I. de S. Paulo creatus præpoſitus deinde epiſcopus Aptenſis.

VII. Gaufridus II. Forte idem ac primus, qui iterum factus eſt præpoſitus.

VIII. Ripertus I. de Viens 1213.

IX. Guillelmus I. Centulio 1230. electus epiſcopus 1244.

X. Petrus I. Bajulus 1244. deinde epiſcopus Aptenſis 1256.

XI. Ripertus II. de Viens 1257. præpoſitus, ex charta XIX. deinde epiſcopus 1268.

XII. Audebertus deceſſit 9. Januarii 1269.

XIII. Ripertus III. de Viens. Forte idem iterum factus præpoſitus, notus ex compoſitione cum ſuo epiſcopo anno 1265. migravit a ſeculo 1270. fundato feſto ſancti Martiani.

XIV. Roſtagnus de Porta-majori, operarius capituli Aptenſis, deinde electus præpoſitus 1270. Feſtum Annuntiationis B. Mariæ ſolemnius celebrandum fundavit, defunctus 1277.

XV. Raimundus I. Botti obiit III. nonas Octobris 1283.

XVI. Gaufredus III. de Lanuncello, filius Imberti domini de Lanuncello (*Lincel*) & Tiburgæ d'Allamanon electus præpoſitus IV. nonas Novembris 1283. factus epiſcopus Wapincenſis 1289. Interfuit tractatui inter Carolum II. regem Siciliæ & comitem Provinciæ, ac urbem Maſſilienſem 1288.

XVII. Raimundus II. de Apta electus XIV. cal. Martii 1293.

XVIII. Laudo deceſſit 1296. ſepultus in eccleſia Franciſcanorum.

XIX. Hugo Vaſta Villani brevi præpoſituram tenuit.

XX. Guillelmus II. Agarni memoratur in veteri inſtrumento 25. Aug. 1297. deinde factus Graſſenſis epiſcopus poſt ceſſionem Lantelmi epiſcopi dara bulla VIII. cal. Novembris 1298. ſedem Graſſenſem retinuit ad annum 1320. aut circiter.

XXI. Pontius II. Augerius erat præpoſitus 1322. ortus legitur ex illuſtri comitum Forcalquerii familia.

XXII. Ademarius de Volta filius Raimundi domini de Anduſia, & Eleonoræ de Pictavia factus epiſcopus Valentinus 1331. deinde Vivarienſis 1336. ad 1365.

XXIII. Artaudus de Baſtida Rollandi præpoſitus reperitur 1337. deceſſit 1360.

XXIV. Raimundus III. Savini ceſſit præpoſituram 1363. Poſtea factus epiſcopus Aptenſis 1382.

XXV. Stephanus de Saineſt (*Sanitale*) per reſignationem præcedentis factus præpoſitus 1363.

XXVI. Durandus Andreas memoratur in ſtatutis capituli 1371 deceſſit Romæ 1379. cujus corpus Aptam allatum in eccleſia ſanctæ Crucis ſepultura donatur. S. Dalphinæ longo tempore conſcientiæ fuit moderator. Feſtum ſancti Timothei fundavit.

XXVII. Gerardus de Domnis 1382.

XXVIII. Guillelmus III. Hortolanus 1384. a Clemente VII. multis legationibus honeſtatus, patriarcha Jeroſolymitanus fit anno 1389. Hoſpitalem domum ſancti Caſtoris fundavit eodem anno.

XXIX. Raimundus IV. de Bretennes 1400. poſtea factus epiſcopus Lombarienſis.

XXX. Richardus de Boſonvilla obiit IV. cal. Februarii 1405.

XXXI. Olivarius de Solerio 1405.

XXXII. Ludovicus Filieti defunctus 1413.

XXXIII. Petrus II. Alfanti doctor in decretis electus VI. cal. Maii 1413.

XXXIV. Franciſcus Angelus de Senis 1414. & 1420.

XXXV. Philippus Meyers præpoſituram accepit virtute bullæ Martini papæ V. 29. Aprilis 1420. Poſſeſſionem adeptus 25. Junii ejuſdem anni. Deceſſit 8. Auguſti 1451.

XXXVI. Colinus Rochonus baccalaureus in decretis, clericus præbendatus electus præpoſitus 13. Auguſti 1451.

XXXVII. Johannes I. Urtica Avenionenſis, occurrit cum titulo præpoſiti in veteri membrana 1454. factus epiſcopus Aptenſis 1467.

XXXVIII. Ludovicus Savini.

XXXIX. Guillelmus IV. Urtica factus præpoſitus 29. Junii 1469.

XL. Guigo, Guigonetus & Guinotus Materonus protonotarius apoſtolicus 1474. 1477. 1480. ad 1518.

XLI. Augerius Materonus præpoſitus poſſeſſionem adipiſcitur 15. Novembris 1518. per ceſſionem Guigonis. Duo iſti præpoſiti ex illuſtri dominorum de Salignac & d'Entrepieres proſapia orti erant.

Quidam Guigonetum diſtinguunt a Guigone, voluntque priorem præfuiſſe annis 1474. & 77. alium ab an. 1480. ad 1518.

XLII. Petrus III. Richardi 1523.

XLIII. Johannes II. Bernardi 1529. deceſſit menſe Martio 1574.

XLIV. Claudius Bernardi 1574.

XLV. Antonius I. Bernardi per ceſſionem præcedentis 15. Januarii 1577.

XLVI. Antonius II. Seignoret 1611. Reſignavit ſequenti.

XLVII. Johannes Stephanus Seignoret, præcedentis nepos 1613.

XLVIII. Leontius de Bermond de Vaſcher doctor in ſacra facultate theologiæ, condomi-

Digitized by

nus & prior de Vaſcheriis.

XLIX. Poncetus de Bermond doctor theologus per reſignationem præcedentis, præpoſituram & prioratum de Vaſcheriis obtinuit 1660.

A Deputatus eſt ad comitia generalia cleri Gallicani 1682.

L. Joſephus de Solier doctor in theologia, prior de Vaſcheriis præpoſitus Aptenſis ab anno 1684.

DE ABBATIIS DIOECESIS APTENSIS.

VETERA MONASTERIA QUÆ NON EXSTANT.

I. IN ſchedis V. C. Dom. de Remerville S. Quentin, qui Aptenſium epiſcoporum hiſtoriæ inſudat, mihi occurrit *Manancha* vetus B cœnobium a Caſtore, poſtea epiſcopo Aptæ-Juliæ conſtructum. Hujus loci monachos fuiſſe Helladium & Leontium, quibus 10. priores collationes Caſſianus nuncupavit, cenſet vir doctus, quos ambo Aptenſem ſedem ſucceſſive tenuiſſe autumat; licet Leontius hic Forojulienſi adſcribendus eccleſiæ magis videatur. Monaſterii hujus nulla putamus ſupereſſe veſtigia; in cujus loco nunc eſt oppidum Menerbum.

II. Claudius Robertus agens de Aptenſi epiſcopatu, recenſet inter abbatias quas complectitur, Vallis-cellam (*Vaucelle,*) cujus vir C. D. C de Remerville a S. Quintino ſedulus & curioſus explorator antiquitatum omnium, nulla reperit veſtigia, vel in actis publicis, vel in totius pagi monumentis. Attamen ipſo teſte in quadam Aptenſis territorii parte quæ vocatur *Vallis*, erat antiquitus abbatia, ſi fides adhibenda ſit veteri membranæ a viro docto inſpectæ. Hac in valle olim fuit prioratus ſeu *Cella* pendens a Majoris-montis monaſterio Arelatenſi, appellabaturque *Carus-locus*, cujus adhuc ſuperſunt non ſolum rudera, ſed ædificia pene integra; dormitorium, clauſtra, refectorium, quæ ſpecimen exhibent ampli & ſumtuoſi monaſterii. In ſuperliminari portæ cujuſdam, qua intratur in D clauſtrum, hæc legitur inſcriptio litteris Romanis, quæ nihil habent Gothici characteris: MARIÆ DV. CE. Hac in inſcript. deeſt initium lineæ; conjicitque vir ſagax ſupplendum eſſe BEATÆ; legendumque *Beatæ Mariæ de Valle-cellæ.*

Alias abbatias nunc deſtructas commemorat idem vir eruditus; ſcilicet ſancti Petri de Turrita, ſancti Martini, & noſtræ Dominæ inter Valles, quæ abbatia ſita erat in territorio, quod hodie Rupem Salariam vocant.

Abbatiæ nunc exſtantes ſunt:

S. Euſebii, ordinis S. Benedicti.
Vallis-ſanctæ, ordinis Ciſterc.
S. Crucis, ordinis Ciſterc. femin.
S. Catharinæ, ordinis S. Auguſtini, femin.

ABBATIA S. EUSEBII.

DE hujuſmodi monaſterii exordiis, nihil certi nobis ſuppetit. Vir nobilis & eruditus D. de Remerville a S. Quintino, ejus primordia putat referenda ſaltem ad finem ſeculi VIII. Quippe nomen ſancti Martiani primi ejuſdem loci abbatis, inſcribitur pervetuſto martyrologio, in quo nullus ſanctorum ſeculi noni, aut poſteriorum continetur. Vero propius tamen eſt hoc monaſterium non diu poſtea ſtetiſſe, ſed in Saracenorum procella, quæ tot aliis ſacris locis excidium attulit, deſtructum fuiſſe, & in manus laïcorum deveniſſe. Ceterum nulla vetera monumenta diſerte de ſancti Euſebii cœnobio loquuntur, præter iſtud fragmentum chartæ, ex tabulario ſancti Euſebii deſumtum:

DOnatio loci ſancti Euſebii, cum eccleſiis Deo conſtructis, videlicet eccleſias ſancti Euſebii, ſancti Mauricii & ſancti Juſti confeſſoris, cum vineis, pratis & campis, cultis & incultis, pomiferis, non pomiferis, cum ipſis decimis, conſortes de uno latere de via publica quæ pergit ad vallem quæ dicitur Marcella, & de alio latere muro cinctо, quod pergit ad ipſas valles, de uno fronte via publica quæ pergit ad ipſas eccleſias cum muro cinctо, & de alio fronte ipſam vallem, quantum infra ipſas terminationes eſt; ſic donamus ac derelinquimus ad ſanctum Euſebium, ſanctum Mauricium, ac ſanctum Juſtum, & ad ipſum abbatem & monachos. Robertus, & uxor ſua Moigla, Maraco*, & uxor ſua Aramberta fundatores. Anno incarnationis* MIV.

* Mogla.
* Imaraco.

Anno etiam 1017. Guillelmus comes & uxor ejus Gerberta donationem huic loco fecerunt; ut fidem facit Peireskius.

Hoc monaſterium in territorio Sanionis prope Aptam fundavit ſanctus Martianus, qui eo ſecedens vitæ ſolitariæ ſtudio, nonnullos tamen ſecum ſocios habitare paſſus eſt, quibus mendicando victum ſuppeditaſſe legitur. Oratorium ſeu eccleſiam ſancti Euſebii conſecravit Urbanus papa II. anno MLXXXIX*. Iſtud cœ- * al. 1096. nobium conceſſum abbati & monachis ſancti Ægidii anno 1032. dicemus infra. Singulari privilegio donavit abbatiam hanc Anaſtaſius papa IV. quod ex tabulis ejuſdem depromtum hoc loco edendum cenſuimus:

ANaſtaſius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ſalutem. Dilecto abbati ſancti Euſebii, &c. Statuimus ut nulli omnino archiepiſcopo, vel epiſcopo liceat ſuper idem cœnobium, vel abbatem, ceu monachos, manum excommunicationis & interdictionis extendere, ſed monachi & monaſterium cum villa quieti ſemper ac liberi ab omni epiſcopali exactione, vel gravamine, per omnipotentis Dei gratiam maneant. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium inpræſentiarum poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ceu aliis juſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Eccleſiam ſancti Mi-*

* Bertranno.

Digitized by Google

chaëlis de Avollarone, & quartam partem ipſius castri, eccleſiam ſancti Fervioli de Cavellione, S. Mariæ de Coſta, cum capella & villa, S. Bricii cum villa, S. Salvatoris de Roura, cum capella, decima & villa, S. Petri de Dena, ſancti Martini de Nogareto, ſancti Clementis de Antrannis, ſanctæ Mariæ de Tudone, quartam partem caſtri quod dicitur villa Calcaria. Decimas de Signione, de caſtro ſanctæ Crucis, & de Codols. Illud autem auctoritate apoſtolica prohibemus, ut nullus abbas vel monachus theſauros, honores, poſſeſſiones modo habentes, aut in futurum largiente Domino acquirentur, alienare, diſtrahere, impignorare, vel in feudum, cenſum ceu beneficium alicui militi dare præſumat, &c. Datum Romæ apud S. Petrum per manum Rolandi presbyteri cardinalis ac cancellarii, XV. kal. Junii, indictione XI. incarnationis Dominicæ MCLII. *pontificatus Anaſtaſii IV. papæ anno . . .*

Emendandæ ſunt hic notæ chronologicæ, & pro indictione XI. legendum II. qui error inde forſitan profectus eſt, quod numerus II. qui in characteribus arithmeticis Romanis ſignificat *duo*, *undecim* deſignet in notis arithmeticis Arabicis. Pro anno MCLII. legendum quoque MCLIV. qui annus reſpondet indictioni ſecundæ. Certe Anaſtaſius IV. non potuit munire privilegio ſancti Euſebii abbatiam an. 1152. quando conſtat ipſum ſancti Petri ſedem non conſcendiſſe ante annum 1153.

Seriem abbatum ſancti Euſebii Sammarthani fratres texuerunt ex collectione domini Johannis-Jacobi Provençal, & Marci-Antonii Groſſi. Nos quædam aut emendavimus, aut addidimus ex hiſtoria manuſcripta viri C. Dom. de Remerville S. Quentin, & ex variis monumentis.

SERIES ABBATUM.

I. SAnctus Martianus memoratur in veteri martyrologio x. cal. Septembris hoc modo: *Eodem die Aptenſi civitate ſancti Martiani presbyteri & abbatis*; quo die ſolemni ritu ejus feſtum recolitur in Aptenſi eccleſia. Imaginem ſancti Martiani ex argento conflatam benedixit in ſua eccleſia Modeſtus de Villa-nova epiſcopus ſeculo proxime elapſo.

II. Durandus, ex abbate ſancti Euſebii factus eſt epiſcopus Vencienſis, præſidente in ſede Aptenſi domno Stephano, non an. 1005. ut legitur in chronologia Lerinenſi, ſi quidem Stephanus ante 1010. non erat epiſcopus Aptenſis; neque anno 1015. ut corrigere voluit Bouche; nam indictio chartæ Lerinenſis huic anno minime coincidit, ſed, ut videtur, anno 1034. Hoc circiter tempore, anno nimirum 1032. legimus in charta quadam referenda in ſuo loco, Edilbertum cum uxore ſua & liberis donaſſe hanc abbatiam ſancto Ægidio; neque tamen ceſſavit regi a ſuis abbatibus.

III. Guntardus memoratur in perveteri inſtrumento conſcripto tempore Elifanti, qui anno 1048. factus eſt epiſcopus Aptenſis, & ſancti Odilonis abbatis Cluniacenſis, qui vita functus eſt 1049. Sub ipſo unio jam facta Aptenſis abbatiæ cum monaſterio ſancti Ægidii confirmata eſt anno 1048. ut jam monuimus in Elifanto epiſcopo.

IV. Gaufridus, *al.* Galafridus 1086. cujus tempore Urbanus papa II. eccleſiam ſancti Euſebii conſecravit.

V. Rainaldus occurrit anno 1113. in veteri charta Leodegarii epiſcopi donantis parentibus ſuis caſtrum de Torta-molle, in qua ſubſcripſit ante præpoſitum Aptenſem Rodulfum. Cum iiſdem vero, tum epiſcopo tum præpoſito tranſegit pro quibuſdam decimis eodem anno 1113. Cum abbate quoque ſancti Victoris nonnullas eccleſias permutavit.

VI. Bertrandus & Bertrannus I. ad quem exſtat bulla Anaſtaſii IV. quam ſupra retulimus.

VII. Bernardus 1173. ſequeſtro Hugone archiepiſcopo Aquenſi, eccleſias ſancti Stephani, ſancti Johannis, &c. commutat cum abbate ſancti Victoris Petro, pro eccleſia ſanctæ Mariæ de Avellone. 1174. bullam protectionis obtinuit ab Alexandro III. Anno 1176. eccleſiam ſancti Mauricii in territorio ſancti Saturnini dedit Templariis ſub annuo cenſu. Eodem abbate, Lucius III. omnia monaſterii privilegia confirmavit 1183. XV. cal. Junii.

VIII. Bertrandus II. de Montilio ſententiam obtinuit anno 1215. latam a Gaufredo epiſcopo adverſus milites Templi. Berengarius Forojulienſis epiſcopus cum Bertranno ſancti Euſebii abbate, & aliis, quædam edidit ſtatuta pro inſtauratione diſcipl. monaſt. in cœnobio ſancti Andreæ Avenion. anno 1253. Vide Spicileg. tom. VIII.

IX. Petrus I. de Monte Torſolio* 1269. in veteri inſtrumento legitur factus abbas Andaonenſis anno 1270. *pag. 236. *Urſonis.

X. Petrus II. de Lunello S. Ægidii monachus fit abbas an. 1270. Anno 1271. quaſdam excipit recognitiones. Poſtea præficitur cœnobio ſancti Ægidii anno 1275.

XI. Iſnardus I. de Combes e monacho ſancti Ægidii fit abbas ſancti Euſebii anno 1275. ex tab. ſancti Ægidii.

XII. Guido 1292.

XIII. Pontius I. de ſancto Michaële 1301. in veteri tranſactione.

XIV. Iſnardus II. an. 1303. in ch. pro prioratu B. Mariæ. Anno 1305. quædam acquirit.

XV. Roſtagnus I. de Salices, Roſſilionis prior, cui anno 1307. impendere munus benedictionis recuſat epiſcopus Aptenſis Hugo Botti, imo ipſum excommunicavit, eo quod ipſi nollet munus donare pro jucundo ejus introitu; quæ controverſia poſtea ſopita eſt, ut diximus in hoc epiſcopo. Præerat adhuc 1324. & 1325.

XVI. Guillelmus I. Roſtagno ſufficitur anno 13. Johannis papæ XXII. ex ſchedis V. C. Henrici Suarez. Memoratur autem in variis actis ab an. 1334. ad 1355.

XVII. Roſtagnus II. de Baucis ex illuſtri Bauciorum genere, abbas inſtituitur bulla Innoc. papæ VI. anno pontificatus 5. Avenione data, hoc eſt an. 1357. An. 1364. viſitavit prioratum S. Mauricii. Interfuit tranſlationi reliquiarum S. Elzearii de Sabrano, factæ ab Anglico Grimoaldi cardinali 1373. anno autem proxime elapſo

pepigerat cum Raimundo Apt. epiſcopo pro decimis tam monaſterii quam prioratus Saujon.

XVIII. Simon occurrit abbas ad an. 1382.

XIX. Petrus Andreas, ſacriſta eccleſiæ Sarliani, præficitur a Clemente VII. 1382. poſſeſſionem adeptus menſe Octobri 1383. recognitiones accepit ab omnibus abbatiæ ſuæ ſubjectis prioribus. Rexit ad an. ſaltem 1403.

XX. Johannes I. de Podio *al.* de Puteo. 1414.

XXI. Johannes I. de Gratina, alias de Grateria, electus abbas 6. Decembris 1415. pacifice nunquam ea dignitate potitus eſt, qua ceſſit tandem in gratiam ſequentis.

XXII. Conſtantinus de Pergula epiſcopus Aptenſis, abbatiæ poſſeſſionem adeptus eſt 1421. tenuitque ad an. 1433.

XXIII. Johannes III. de Podio præpoſitus Carpentoratenſis, œconomus abbatiæ S. Euſebii reperitur 1431. deinde Conſtantino defuncto eam ſub nomine abbatis obtinuit 1433. migravit e vita 1438.

Andreas de Podio ſedis vacantis (vacavit autem ad an. 1442.) vicarius generalis inſtituitur a Fuxenſi cardinali Avenionenſi legato prima die Octobris anni 1438.

XXIV. Gaucherius de Forcalquerio, filius Raimundi de Ceſarilta & Angelicæ de Braneau 1442. plura poſſedit beneficia.

XXV. Firminus Aurifaber 1445. 1449.

XXVI. Petrus III. Rape ordinis Prædicatorum, dicitur adminiſtrator & procurator generalis venerabilis monaſterii S. Euſebii 1449.

XXVII. Robertus Camelin capellam ſancti Ægidii in eccleſia S. Euſebii fundavit 16. Februarii 1455.

XXVIII. Laurentius Mercator ordinis Minorum, abbatiam obtinuit per reſignationem præcedentis 19. Julii 1456. poſſeſſionem adeptus 17. Auguſti, ceſſit in gratiam abbatis ſancti Ægidii, 1460.

XXIX. Stephanus Fabri prior de Metamis diœceſis Carpentoratenſis ordinis S. Benedicti a Renato rege deſignatur 1460. ſed bullas non obtinuit.

XXX. Raimundus Magnaudi de Alvernia, alias Fructuori, cujus nominatio ab abbate S. Ægidii facta 15. Januarii 1461. prævaluit adverſus præfatum Stephanum Fabri. Tranſigit an. 1469.

XXXI. Pontius II. de Sadone præpoſitus eccleſiæ Avenionenſis, filius Andriveti domini Vedenenſis 1470. Fuit epiſcopus Vaſionenſis.

XXXII. Guillelmus II. de Remerville protonotarius ſedis apoſtolicæ, a conſiliis & ſecretis regi Renato comiti Provinciæ, & Aquenſis archivi præfectus, curiæque rationum magiſter, filius Johannis Guillelmi domini de Remerville, nominatus a rege Renato, bullas obtinuit datas 12. Novembris 1479.

XXXIII. Jacobus Herbeline prior de Scala diœceſis Siſtaricenſis, canonicus S. Deſiderii Avenionenſis, concionator ordinarius Caroli comitis Provinciæ, abbatiam adeptus eſt 1481. pulſo Guillelmo prædeceſſore. Varia privilegia obtinuit ab Innocentio VIII. 1485. Præerat adhuc 1512.

XXXIV. Johannes-Baptiſta de Aureſono epiſcopus Senecenſis 1517.

XXXV. Petrus IV. de Forlivio Avenionenſis, epiſcopus Aptenſis, & abbas Sinanquæ, ſancti Euſebii commendam obtinebat an. 1536. ceſſit 31. Maii 1540. retenta ſibi penſione.

XXXVI. Philibertus Lambertus de Nions per reſignationem præcedentis 1540. obiit 1563.

XXXVII. Beraldus Bracque Catharinæ Mediceæ reginæ ab eleemoſynis, nominatur ſchedula regia data 6. Junii 1563. ſed bullas non impetravit.

XXXVIII. Johannes IV. de Maubuiſſon monachus Benedictinus brevi regio donatus eſt 11. Junii 1564.

XXXIX. Petrus V. de Tulles de Villefranche canonicus Avenion. breve regium obtinuit 18. Junii 1564. & alterum 3. Junii 1565. Obiit menſe Junio 1593.

XL. Johannes IV. de Tulles, nominatus a Carolo Cenomanenſi duce, poſtea hominium & fidem juravit Henrico regi 1596.

XLI. Gaſpardus Biquier per ceſſionem Johannis de Tulles 1597. migravit a ſeculo 1601.

XLII. Johannes V. de Tulles epiſcopus Arauſicanus bullas accepit datas Romæ 13. Septembris 1601. reſignavit nepoti 1624. deceſſit Avenione 1640. ſepultus in eccleſia Minorum.

XLIII. Johannes Vincentius de Tulles epiſcopus Arauſicanus, deinde Vaurenſis, poſſeſſionem adeptus eſt 1626. vita functus menſe Octobri 1668.

XLIV. Paulus de Manchot nominatus 18. Decembris 1668. vi ſchedulæ regiæ, nullis obtentis bullis abbatiæ reditibus gaudebat ad annum 1684. quo animam exhalavit.

XLV. Ludovicus Fouquet, regi ab eleemoſynis a quo deſignatus abbas 1. Septemb. 1684. nec poſſeſſionem adeptus, nec bullis donatus abbatiæ reditus per manum œconomi percepit ad annum 1686. quo renuntiavit.

XLVI. Renatus Billus de Pradaloüet Armoricus, regia nominatione fit abbas 31. Decemb. 1686. bullas obtinuit ab Alexandro VIII. 15. Januarii 1690. poſſeſſionem iniit 12. Maii ejuſdem anni. Fidem regi juravit per procuratorem 25. Junii. Obiit Pariſiis, 1710.

XLVII. Franciſcus de Carcioles d'Eſpinouſe 1710. deſignatur abbas die 12. Julii. Adfuit eodem anno comitiis generalibus cleri Gallicani, miſſus a provincia Arelatenſi.

Hoc in catalogo omiſſus eſt Ugo abbas S. Euſebii, qui inſcribitur necrologio Lirinenſi, idibus Februarii, anno incerto.

Abbatia Vallis-sanctæ.

Vallis-ſancta ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Aptenſis, filia Silvæ-canæ de linea Morimundi, fundatur ſeu reſtauratur an. 1188. a Bertrando Raimbaldo de Simiana, ut docet hoc vetus inſtrumentum quod refert Bouche in hiſtoria Provinciæ tom. 2. p. 169.

Notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus, quod ego Bertrandus Raimbaldi dominus de Simiana, totam terram meam de Bolenete, quam poſſidebam ultra Carſilum, cultam vel incultam, ſicut conjungitur ab una parte territorio

de Carnuols, ab altera vero parte, territorio de Va- A
chieres, & ab alia territorio de Oppedo, cum vo-
luntate & assensu uxoris meæ Sacristæ, dedi in elee-
mosynam Deo & S. Mariæ Vallis-sanctæ, patribus-
que ibidem Deo servientibus, ipsis, ipsorumque in
perpetuum successoribus. Contuli autem præfatæ ec-
clesiæ in omni possessione mea usuaria & pascua ad
quæcumque voluerint animalia. Præterea quicum-
que miles aut rusticus aut alius quilibet aliquam
possessionem, quam de me teneat, illis in eleemo-
synam dare aut vendere voluerit concessi ut recip-
piant, & in perpetuum libere possideant. Hoc au-
tem donum in eleemosynam contuli præfatæ eccle-
siæ bona voluntate, bona fide, absque omni reti- B
nemento ab anno incarnationis domini 1188. *im-*
peratore Friderico regnante, tam pro me quam pro
uxore mea, necnon & pro animabus patris mei &
matris meæ, seu omnium cognatorum, & amico-
rum meorum vivorum & mortuorum, quatenus in
die judicii omnium bonorum quæ in eadem domo
vel in toto ordine eorum fiunt, participes inveniа-
mur. Testis abbas Norbertus Sylva-canæ, cella-
rius Augerius, Albericus prior Sylva-canæ, &c.
Sigillum e cera flava serico filo viridi appensum equitem exhibet altera manu lanceam, altera clypeum gestantem, quo in clypeo aries cernitur, circum vero legitur, *sigillum Bertran. Raim-* C
balt.

Abbatum seriem summa cum diligentia ad fidem chartarum contexuit clarissimus vir dominus de Remerville de S. Quentin, quam hic subjicimus, nonnullis additis.

SERIES ABBATUM.

I. Ogerius, 1188.

II. Stephanus I. 1198.

III. Guillelmus I. 1225. in charta Berengarii de Vascheriis. Ipsi Guillelmus de Rocha Corberia concedit quidquid apud Corberiam possidebat.

IV. Georgius, 1247.

V. Antonius I. 1252. D

VI. Bernardus I. Bertrand 1268. transigit cum Raimundo d'Agoult.

VII. Petrus Alboinus, 1279.

VIII. Petrus Rostagnus, 1284. Anno 1287. adfuit Rostagno abbati Bonæ-vallis monasterium Camporum-bonorum visitanti.

IX. Audibertus de Cordua, 1296.

X. Raimundus I. 1305.

XI. Hugo Commarcii hominium præstitit 1309. 5. Januarii Roberto regi Siciliæ, & comiti Provinciæ, pro his quæ apud Corberiam possidebat.

XII. Guillelmus II. de Cadeneto, 1310. ad E
an. 1323. quo bulla Johannis papæ XXII. pontific. an. 8. factus est abbas Aquæ-bellæ ex actis pontific. Avenion.

XIII. Bernardus II. monachus & prior Candelii, postea Vallis-sanctæ abbas eligitur anno 1323. tandem abbas Candelii creatur an. 13. Johan. papæ XXII. Vide in abbatibus Candel.

XIV. Guillelmus III. Gauterii, bulla Johan. papæ XXII. pontific. an. 14. abbatiam consequitur, cui præfuit ad an. 1337.

XV. Stephanus II. 1338.

XVI. Raimundus II. Constantii, 1346.

XVII. Petrus hominium fecit comiti Provinciæ pro his quæ Corberiæ possidebat 1351. Petrus Sorgie appellatur in charta Sinanquæ an. 1361.

XVIII. Faulus Atanulphi interfuit translationi reliquiarum S. Elzearii, 1370. jam præerat an. 1366.

XIX. Rostagnus, 1370.

XX. Antonius II. 1377. judicem Carnuoli instituit, 1383.

XXI. Bernardus III. Ceroni, vicarium Carnuoli nominavit 1404. Destructa tunc temporis bellorum impetu abbatia unitur auctoritate abbatis Cistercienſis, & capituli generalis, monasterio Silvæ-canæ.

XXII. Antonius III. Bonifacii abbas Silvæ-canæ & Vallis-sanctæ 1432. cujus tempore cum Durantia Silva-canam monasterium penitus evertisset, ipsius reditus capitulo ecclesiæ Aquensis conceduntur. Tunc Vallis-sancta restaurata proprio gaudere cœpit abbate.

XXIII. Gaspardus Nigrelli ex monacho Sinanquæ electus 5. Septembris 1440. præerat adhuc 1455. 28. Aprilis.

XXIV. Honoratus Amalrici, *al.* Amandi, filius Ludovici domini de Sclangon ex monacho sancti Victoris Massilienſis 1461. & 1463. testamentum condit 5. Decembris 1489. Comitiis generalibus apud Aquas-sextias anno 1487: non 1491. interfuit. Vivebat adhuc 1496. Jacet apud S. Victorem. Erat etiam prior Artæ-cellæ diœcesis Aquensis in Provincia.

XXV. Serisius Maurini electus 1503. statim designatur cum episcopis Dignensi, & Grassensi a Georgio Ambasiano ad reformanda Provinciæ monasteria. Ipsius nomen consignatur an. 1504.

XXVI. Robertus de Nidis præpositus ecclesiæ Massilienſis recognovit regi tertiam partem castri de Corberiis 1531. & 1532. in charta S. Salvatoris Massilienſis, & 1533.

XXVII. Gabriel de Laye *al.* del Haye canonicus Albienſis 1554. Obiit 1558. die 4. Novembris, ex libro obituum Albienſi.

XXVIII. Benedictus Bonajusti transigit, 1566.

XXIX. Jacobus Bonajusti, 1569.

XXX. Johannes de Risio Aptenſis ecclesiæ theologalis, 1579. 1590.

XXXI. Thomas Illy Aptenſis, 1598.

XXXII. Leonardus Carolus œconomus abbatiæ, 1600.

XXXIII. Johannes-Bapt. de Orisono, 1604.

XXXIV. Alphonsus de Orisono, 1612. 1620.

XXXV. Johannes Nicolaus de Garnier filius Marci Antonii domini de Montferon, 1620. 1622. Obiit 1649.

XXXVI. Henricus de Garnier præcedentis nepos. 1649.

XXXVII. Alphonsus Pajot hactenus præsl.

ABBATIA S. CRUCIS.

SAnctæ Crucis monasterium olim ordinis S. Benedicti, nunc ordinis Cistercienſis puellarum in diœcesi Aptenſi primam sui debet originem Calveriæ abbati Avenionenſi S. Andreæ, qui

qui Cæciliæ nonnulliſque virginibus religioſæ vitæ deſiderio flagrantibus eccleſiam S. Crucis in Roſſilione ſub annuo cenſu conceſſit an. 1234. reſervato ſibi jure abbatiſſam confirmandi. Deinde vero cum anno 1361. hic parthenon a militibus devaſtatus eſſet; Anglicus Grimoaldi cardinalis Albanenſis, frater Urbani papæ V. & archiepiſcopus Avenion. eiſdem ſanctimonialibus in Apta urbe monaſterium conſtruxit, quod anno 1372. inhabitare cœperunt. Chartam fundationis hoc loco exhibere operæ-pretium duximus.

Fundatio S. Crucis Aptenſis.

IN nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, anno ab incarnatione ejuſdem MCCXXXIIII. *videlicet* VII. *idus Auguſti, Nos Calveria abbas monaſterii S. Andreæ Aveniqnenſis diœceſis, pro utilitate monaſterii prædicti, de voluntate & conſenſu expreſſo totius capituli ejuſdem monaſterii, concedimus & donamus vobis Cæciliæ ſanctimonialis Chriſti, ad exſtruendum monaſterium monacharum, quandam eccleſiam noſtram deſertam cum omnibus juribus, rationibus & pertinentiis ſuis, quæ eccleſia vocatur ſanctæ Crucis, & eſt ſita in epiſcopatu Aptenſi, videlicet in territorio de Roſſilione. Damus ſiquidem vobis prædictam eccleſiam & ſucceſſoribus veſtris, retento tamen nobis & monaſterio S. Andreæ cenſu antiquo, quem prædicta eccleſia præteritis temporibus nobis ſolvere conſuevit, videlicet ſeptem ſaumatas frumenti cenſuales ſingulis annis in feſto B. Mariæ de Auguſto, a vobis & ab aliis locum veſtrum ſucceſſive tenentibus, Avenionem, ſumptibus veſtris monaſterio prædicto S. Andreæ ad menſuram civitatis Aptenſis ſolvendas; & ſalvo & retento monaſterio S. Andreæ quod vos & eccleſia prædicta, & alia quæ pro vobis ſucceſſive in eccleſia prædicta manſerint, nos & monachos noſtros præſentes & futuros, cum eos ad dictam eccleſiam venire contigerit, teneamini honeſte recipere, & decenter tanquam dominos, ſecundum facultates ipſius eccleſiæ procurare. Concedentes etiam vobis Cæciliæ ſanctimoniali Chriſti jam dictæ, de conſenſu prædicti capituli noſtri, quod collegium quod in prædicta eccleſia fuerit, habeat liberam poteſtatem eligendi abbatiſſam, recipiendi monachas, & omnia vobis, & poſt vos omnibus in prædicta eccleſia ſive monaſterio ſuccedentibus abſolute concedimus, quæ conventus ſeu capitulo de jure communi pertinere noſcuntur. Omnia autem prædicta concedimus ſalvo nobis & monaſterio S. Andreæ eo jure, quod ſi in eccleſia prædicta monacha aliqua non maneret, abbas S. Andreæ omnia ad prædictam eccleſiam pertinentia, cum omnibus incrementis & adſpiciis ibidem factis, authoritate ſua per ſe vel per nuntios ſuos valeat occupare, & ſibi tanquam proprietatem monaſterii S. Andreæ in perpetuum retinere, ac ibidem pro voluntate ſua priorem inſtituere poſſit, prout facere conſuevit; & quod quælibet monialis quam cito profeſſa fuerit, jurabit quod obſervet omnia ſupradicta. Et hæc omnia prædicta concedimus vobis ſalvo jure & honore D. epiſcopi Aptenſis, in obedientiis, correctionibus, viſitationibus & procurationibus, & omnibus quæ ad dioceſanam juriſdictionem pertinere noſcuntur. Et nos prædicta Cæcilia ſanctimonialis Chriſti, nomine noſtro & ſuccedentium nobis, prædictam eccleſiam ſanctæ Crucis cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis recipimus, & cum omnibus libertatibus & honoribus, ſicut ſuperius eſt expreſſum, concedentes vobis, domne abbas prædicte, & per vos ſucceſſoribus veſtris, quod nos & nobis ſuccedentes in eccleſia ſeu monaſterio ſupradicto, fideliter obſervabimus omnia ſupradicta; & quod nos & abbatiſſa ſeu perſona nobis ſuccedentes, quæ pro tempore in eccleſia ſeu monaſterio memorato fuerint inſtitutæ, qualibet in ſua creatione venient in propria perſona ad monaſterium S. Andreæ, prædicta omnia recognituræ, & quod ita ut ſcriptum eſt obſervabimus integre per interpoſitam perſonam juraturæ; quod juramentum qualibet monialis quam cito profeſſa fuerit, præſtabit ſe obſervaturam, præſente conventu & domno abbate ſicut ſuperius eſt expreſſum. Factum fuit hoc in capitulo monaſterii S. Andreæ, in præſentia W. Raimundi operarii dicti monaſterii, P. * Ruffi, Johannis Bajuli, Calveria, W. de Coirano, B. de Meſoaga, W. Peleti, W. de Angulis prioris Clauſtralis, magiſtri Hugonis ſacriſtæ. Roſtagnus Lombardi, Bertrandus Laugerii, Roſtagnus Rebuli, Petrus de Anguſtias * Bertrandus Augerii, Bertrandus Girardi, Bertrandus Ruffi, Petrus Ruffi, Johannes Bajuli Calviere, Villelmus de Cuirana, Bertrandus de Meſoaga, Villelmus Peleti, Bertrandus de Avenione, monachorum, qui omnia prædicta laudaverunt & confirmaverunt. Teſtes alii interfuerunt Bertrandus Marcus, Villelmus, Johannes, Pontius, Benedictus, & ego Raimundus de Villa actarius interfui, qui authoritate & mandato domini abbatis prædicti & monachorum prædictorum, & mandato dictæ domnæ Cæciliæ hanc chartam ſcripſi, & ſignum meum apoſui: & dominus abbas præſens ſigillo capituli dicti monaſterii ſigillavit.*

* B. Ruffi.

* Auguſtrinus.

Edita eſt tom. VII. Spicileg. p. 266. adjecimus nonnullas earum antea lectiones, ad exemplar V. C. D. de S. Quentin ſumſimus.

Seriem abbatiſſarum contexuit V. C. D. de Remerville de S. Quentin poſt noſtros Sammarthanos, a quibus parum diſcrepat.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Cæcilia de Apta 1234. ex charta fundationis mox laudata.

II. Tibauda 1255. ex charta S. Andreæ Avenion. quo videlicet anno obedientiam exhibuit Calveriæ de Clauſonne abbati Andaonenſi.

III. Galburga al. Galburgis I. qua cum electa eſſet abſque conſenſu Bertrandi abbatis S. Andreæ, delata ſuper hoc querela a Petro Bajuli commiſſario præfati abbatis ad P. Aptenſem epiſcopum, dignitate ſua ceſſit, quam deinde, approbante decano monaſterii nomine abbatis, recuperavit 1259. idibus Januarii. Occurrit adhuc anno 1260.

IV. Aliſſendis de Apta triplici Borguæ, Gratiæ, & Sanciæ monalium calculo comprobatur abbatiſſa, quibus nimirum procuratores abbatis Andaonenſis electionem commiſerant. Hiſce vero ob reverentiam & honorem Raimundi Aptenſis epiſcopi, conſuetudinem veniendi perſonaliter ad monaſterium S. Andreæ, ut fidem præſtaret, abbatiſſæ indulgentibus, hæc per Borguam prioriſſam de conſervanda inter ipſos facta compoſitione ſacramentum dixit, III. cal. Julii anni 1290. Præerat adhuc 1300.

V. Galburgis II. e gente nobiliſſima de Cadeneto anno 1301. Bertrando Raimbaudi abbati S. Andreæ Avenion. obſequium præſtat.

VI. Raimunda de Venaſca 1308. defuncta
* al. 4. Feb. eſt 1311. VIII. idus * Februarii, ex necrologio S. Andreæ Avenion.

VII. Galburgis III. ſeu Girburgis de Cadeneto electa eſt per compromiſſum 6. die Febr. anni 1311. Huic autem benedictionis munus impendi poſt confirmatam electionem, ab Hugone Bot Aptenſi epiſcopo flagitat conventus ſancti Andreæ Avenionenſis, datis litteris 19. Febr. ejuſdem anni 1311. Obiit 1331.

* de Saltu. VIII. Sancia Laugeria, * filia Guillelmi militis de Apta, eligitur 1331. cujus electionem ratam habuit Dalmatius monachus S. Andreæ, nomine Roſtagni abbatis. Anno 1334. ab incarnatione Domini die 29. Septembris eidem abbati promiſit obedientiam flexis genibus coram Johanne de Aramone S. Andreæ monacho, cui ad hoc vices ſuas abbas delegaverat.

IX. Aiſelena de Apta, 1352. & 1356. apud Sammarthanos, cujus tempore transfertur Aptam monaſterium 1372. Præerat adhuc 14. Julii 1379.

* al. Suberia. X. Catharina Suveria, * 1380.

XI. Adalaxis de Lauduno, 1386.

XII. Margarita I. de Saltu, 1400. & 1402.

XIII. Garſendis Rigorde 1404. ceſſit 18. Februarii 1436. in gratiam Margaritæ Rainaude abbatiſſæ de Molegeſio, quam admittere noluit conventus, qui Rixendem ſibi elegit, ſed fruſtra.

XIV. Margarita II. Rainaude abbatiſſa Molegeſii,[a] & S. Crucis poſſeſſionem adepta eſt 1437. quo anno S. Crucis monaſterium ad Ciſtercienſes tranſiiſſe videtur. Molegeſii certe nomen accepit, ut conſtat ex inſtitutione vicarii Molegeſii an. 1443. 15. Januarii, ubi legitur: *Margarita abbatiſſa monaſterii B. M. de Molegeſio Aptenſis, olim S. Crucis.*

XV. Lucia Boreſſia 1465. & 1485. quo denegatam hucuſque obedientiam exhibuit abbaExtabul. Andam. ti Andaonenſi.

XVI. Honorata Albertaſia 1500. deceſſit 16. Junii 1517. jacet in eccleſia cum hoc epitaphio: *Hic ante magnum altare ſepulta fuit venerabilis domina Honorata Albertaſſia monaſterii B. Mariæ de Molegeſio abbatiſſa.*

XVII. Johanna Garcendis, alias Garenſa, 1518. 1521. & aliis annis.

XVIII. Brenna d'Aſtuaud.

XIX. Leona d'Aſtuaud.

XX. Carola de Chauvigny de Blot, ex moniali Benedictina Marſæ in Arvernia, virtute brevis regii & bullarum pontificiarum fit abbatiſſa S. Crucis 1638. Monaſterium reformavit, & deceſſit 1648. Jacet in eccleſia cum hoc epitaphio:

Hic jacet pauperum mater dominâ Carola de Chauvigni de Blot, mulebre nihil habuit niſi ſexum, fortis in utraque fortuna, virago fuit a teneris, manu benefica, miſeris ſubſidio, ortu clara, meritis excellentior, caritatis operibus in omnes fœcundiſ-

[a] Hæc abbatia erat in diœceſi Arelatenſi, ubi de ea ſumus acturi.

ſima: labantem hanc domum quinquaginta annorum cura firmavit, pietate œconomica reſtituit, reditibus ampliavit. Fama tantis virtutum innixa fulcris erit neſcia lapſus. Miſericors tandem heroiſſa ubertim collegit miſericordiæ fructus: fœnerabatur enim domino octogenaria major.

XXI. Claudia Franciſca de Thenay de S. * al. Clara. Chriſtofle, nominata coadjutrix & benedicta a Modeſto epiſcopo 1652. X. cal. Octob. abbatiæ poſſeſſionem adepta eſt 28. Auguſti 1688. Obiit die 2. Aprilis an. 1712.

XXII. Claudina ſeu Claudia de Marnais La Baſtie, huic abbatiſſæ ſufficitur.

Abbatia S. Catharinæ.

Sanctæ Catharinæ monaſterium ordinis S. Auguſtini monialium in civitate Aptenſi, cujus primordia innoteſcunt ex ſequenti inſcriptione, quæ hactenus in clauſtro abbatiæ legitur: *Anno Domini* MCCXCIX. *ſcilicet in feſto ſancti Stephani R. in Chriſto P. D. Raimundus Botti bonæ memoriæ Apt. epiſcopus quondam hoc monaſterium edificavit & dotavit, cujus anima requieſcat in pace Chriſti. Amen.* In ſyllabo abbatiſſarum edito a noſtris Sammarthanis, quædam mutanda cenſuimus judicio præſtantis viri D. de Remerville.

Abbatiſſarum Catalogus.

I. Aicarda Botti, filia Aicardi domini de Roca-ſaleria, prima abbatiſſa, 1302.

II. Mathildis Ferenqua, filia Imberti militis de Ceſoriſta, electa 15. Julii 1328. deceſſit 2. Septembris 1350.

III. Lucia Bermunda eligitur 11. Januarii 1351.

IV. Catharina Gerauda, regimen capeſſivit 18. Januarii 1356. defuncta eſt 16. Octob. 1369.

V. Tiburgia de Sabrano, electa 17. Februarii 1370. Obiit 26. Julii 1380.

VI. Jordana Ferenqua, paucis poſt diebus ſuffecta, ad meliorem vitam tranſiit 1413.

VII. Eleonora de Agouto 20. Junii 1413. regere cœpit. Vita fungitur 14. Januarii 1414.

VIII. Mona Nicolai 1414. Obiit 29. Januarii, 1429.

IX. Groſſa Autrica I. electa menſe Martio 1430. defuncta eſt 1. Aprilis 1451.

X. Groſſa Autrica II. filia Elzeari domini de Baumete, eligitur 1. Martii 1452. moritur 26. Aprilis 1460.

XI. Groſſa Autrica III. filia Raimundi domini de Balmeta, electa 4. Januarii 1461. ceſſit 1470.

XII. Antonia de Coriaco, ſive *de Caiart*, religioſa S. Claræ monaſterii de Pugeto diœceſis Caſtrenſis, poſſeſſionem adipiſcitur præſente archiepiſcopo Arelatenſi 4. Septembris 1470. defuncta 12. Februarii 1474.

XIII. Groſſa Autrica IV. filia Sebaſtiani domini de Balmeta, electa 1474. vita fungitur 23. Novembris 1484.

XIV. Eleonora de Cordes 1484. vitam reliquit 1488.

XV. Johanna Delphine I. 1488. 1491. vivere deſiit 12. Junii 1493.

XVI. Gabriëlis de Cruce 9. Julii 1493. elec-

ta, deceſſit 1513.

XVII. Jacoba Johanna, electa 12. Januarii 1514. ſequenti anno morte præreptа eſt.

XVIII. Johanna Delphine II. electa 1. Mart. 1515. ceſſit ſponte 4. Julii ejuſdem anni.

XIX. Leoneta de Polarquis ex moniali Ciſtercienſi S. Crucis per ceſſionem præcedentis 1515. 4. Auguſti. Obiit 1518.

XX. Eleonora de Caſtillione, filia Fulcheti domini de Cuculon electa 15. Novembris 1518. migravit e vita 28. Maii 1565. cum propter laxiores mores depoſita fuiſſet 15. Maii 1546. cujus loco monaſterium rexit Catharina Calveria auctoritate Petri de Forlivio Aptenſis epiſcopi.

XXI. Perreta de Ponteves, filia Angeli domini de Buouſſe, electa 1551. ceſſit 20. Julii 1590. in manu Pompeii Perilli epiſcopi.

XXII. Feliſa de Brunete, ex moniali S. Crucis inſtituta a Pompeio epiſcopo 1590. moritur 6. Maii 1631. Ejus tempore Peliſſerius epiſcopus Aptenſis moniales S. Catharinæ habitum nigrum per ſex anni menſes portare fecit, cum antea ſemper album geſtarent.

XXIII. Blanca Bonifacii 1631. Ejus tempore reformatur monaſterium 1638. tuncque abbatiſſa regimen abdicante, quæ ſucceſſerunt in poſterum factæ ſunt triennales, quarum prima fuit

Franciſca de Beaulieu de Mazel, educta e monaſterio ſanctæ Magdalenæ de Valle prope Anicium.

Franciſca de Brin.

Franciſca de Mazel.

Sibilla d'Etienne de Ville-mure.

Honorata de Brunet.

Ludovica de Village la Salle, filia Gaſpari domini de la Salle, electa 7. Februarii 1673. & confirmata ab epiſcopo 4. Februarii 1674. hactenus præeſt.

ECCLESIA REGENSIS.

REjus urbs in mediterraneo Provinciæ, amœno in ſolo, irriguo fertilique ſita, Plinio *Alebecum Rejorum Apollinarium*, in veteri inſcriptione apud Euſtachium in Dionyſium, *coloniæ Rejorum*, unde territorium Rejenſe, & Regenſe appellatur a Gregorio Turonenſi lib. IV. hiſtoriæ. Antiquitatem urbis hujus demonſtrant inſcriptiones quamplurimæ, aliaque vetera monumenta In notitia provinciarum & civitatum Galliæ, quæ dicitur condita Honorii Auguſti temporibus, civitas Rejenſium ſecundo ponitur loco, poſt metropolim provinciæ Narbonenſis ſecundæ Aquas-ſextias, cui etiamnum ſubjacet non ſolum quantum ad juriſdictionem ſpiritualem, ſed etiam quantum ad civilem Provinciæ parlamento Aquis ſedente. Eccleſia cathedralis patronam habet Deiparam * virginem, & S. Maximum primum, qui nobis notus ſit, Regenſem antiſtitem. Capitulum componunt præpoſitus, archidiaconus, ſacriſta, capiſcolus, & octo alii canonici. In urbe ſunt cœnobia Minorum, Capucinorum, Urſulinarum, ſodalitates pœnitentium tres, ſcilicet candidorum, nigrorum, cærulæorumque. In diœceſi quinquaginta quatuor eccleſiæ parochiales numerantur, abbatiæ vero nullæ.

Corolim. 37. num. 43.

** V. in inſtr. chart. II. p. 12. col. 1.*

Hiſtoriam chronologicam epiſcoporum Regenſium ſcripſit Simon Bartelli preſbyter Aquenſis, ex qua plurimum ſe profeciſſe fatentur noſtri Sammarthani fratres. De eccleſia Regenſi, & monaſterio Lirinenſi diatribam edidit Aquis-Sextiis anno 1680. vir eruditione clarus Joſephus Anthelmi. Nonnullas obſervationes in Regenſes epiſcopos nobis ſubminiſtravit V. C. H. Ache. His addidimus ſummam diligentiam & laborem improbum in eruendis ex reconditiori antiquitate monumentis argumentiſque, quibus ſeriem horum epiſcoporum, & emendatiorem & auctiorem daremus.

REGENSES EPISCOPI.

I. S. PROSPER.

ANNI CHRISTI.

Regenſes epiſcopum habuiſſe quinto ſeculo S. Proſperum vulgata eſt opinio. Cumque hoc tempore floruerit Proſper Aquitanus, doctrinæ ſancti Auguſtini adverſus preſbyteros Maſſilienſes propugnator acerrimus, proclive fuit, eum facere hujus eccleſiæ antiſtitem. Hac fuit eminentiſſimi cardinalis Baronii ſententia, Bellarmini, Henrici Spondani, Claudii Roberti in ſua Gallia Chriſtiana. Sed eundem Proſperum S. Leonis papæ notarium, concertationibus adverſus Semipelagianos, & præſertim contra Collatorem ſeu Caſſianum, ſuo tempore famoſum ſibi vindicat Regii-Lepidi eccleſia in Æmilia. Nunc vero inter eruditos conſtat Proſperum S. Auguſtini amicum, quem ſcriptis anno 426. litteris certiorem fecit de erroribus in Gallia pullulantibus, rogavitque ut eos refelleret, non fuiſſe epiſcopum aut in Italia aut in Gallia Narbonenſi. Certe Auguſtinus ad eum ſcribit tanquam ad laïcum, & alio prorſus ſtylo quam ſi epiſcopum litteris compellaret. Gennadius lib. de ſcriptoribus eccleſ. eum tantum appellat hominem Aquitanicæ regionis, nulla epiſcopalis dignitatis facta mentione, quam tamen ſcriptor coævus & Regenſis urbis vicinus, ignorare minime poterat. Idem de hac dignitate ſilentium obſervatur apud Victorium libro de cyclo paſchali ad Hilarium; in quo de Proſpero loqui-

ANNI CHRISTI.

C. 14.

Digitized by

ANNI CHRISTI.

tur. His adde Gelasium papam II. de libris apocryphis, Marcellinum comitem in chronico, Bedam in martyrologio VII. cal. Julias. Denique ante Honorium Augustodunensem, qui duodecimo floruit seculo, nullus est qui Prospero episcopalem honorem detulerit.

Aliunde demonstratur Prosperum Aquitanum non potuisse esse Regensem in Provincia episcopum. Certe hac in cathedra post S. Maximum sedisse Faustum docet Sidonius. Ante Maximum autem Prosper minime sedere potuit: Maximus enim Hilarii Arelatensis temporibus jam Regensis episcopus erat, ut ex Regensi & Arausicano conciliis liquet, atque ex ipsius Hilarii vita; ac proinde, superstite adhuc Prospero, qui ultra Hilarii ætatem suum chronicum perduxit, videlicet usque ad urbem Romam a Wandalis captam. Aliquem episcopum ante S. Maximum, Regensi præfuisse ecclesiæ, ibique sedem habuisse, manifestum est ex ipsius S. Maximi actis sinceris, ubi legitur ecclesiam hanc suo viduatam pastore, ipsum sibi quæsivisse. Verum quis hic fuerit nobis prorsus incognitum; & si Prosper vocabatur, ut verosimile videtur, alius erat a sancto Prospero doctrinæ Augustinianæ defensore.

II. S. Maximus.

S. Maximus in urbe Regensi natus est juxta Tillemontium, vel in pago Decomero prope Diniam, ut censet Bailletus post Barralem. Certe ipse vir sanctus, quando mortis vicinæ præscius, a grege suo licentiam petiit abeundi ad propinquos, & invisendi patriam, non obscure indicavit aliam eam fuisse ab urbe Rejo. Sed quo ex loco Provinciæ fuerit oriundus, non satis liquet. Hic adolescens Lirinensis monasterii fama allectus, S. Honorato celeberrimo abbati se in monastica disciplina instituendum mancipavit, eaque in conversatione brevi sic profecit, & ceteros monachos virtutibus antecelluit, Fausto teste, ut S. Honoratus ad Arelatensem raptus cathedram, ipsum ad regendum mo-
426. nasterium sui loco sufficerit anno circiter 426. Præfuit autem septem annis; quo tempore quantum floruerit Lirinensis eremus docet S. Eucherius ad S. Hilarium tunc sancti Maximi discipulum scribens. Erumpentibus ex hac insula sancti abbatis meritis, ecclesia Forojulensis amisso suo episcopo S. Leontio, an. 432. jacturam hanc resarciendam putavit eligendo S. Maximum: sed gloriæ declinandæ causa se silvis abdidit; ubi inedia & aëris intemperie, pene exstinctus est. Neque vero diu periculum evasit; nam cedere coactus est Regensibus & provinciæ episcopis eum sufficere volentibus sancto
433. episcopo nuper mortuo, an. 433. aut 434. Virtutes Maximi quarum satellitio cinctus episcopalem cathedram ascendit, describuntur in homilia 34. inter eas quæ Eusebii Emisseni falso nomen ferunt; quæ Faustum successorem sancti Maximi in sede Regensi, ac sodalem in asceterio Lirinensi sapit. Easdem virtutes additis multis miraculis descripsit Dynamius patricius, tempore Urbici Regensis episcopi, de quo Dynamio non semel occurrit mentio in Gregorii magni epistolis. Ad insulas provecta jam ætate promotus Maximus, forsitan anno 433. ut putant eruditi, subscripsit concilio in sua urbe habito, anno 439. Arausicano I. anno 441. & epistolæ synodicæ ad Leonem papam an. 451. Conjicimus eum esse Maximum illum episcopum, cui & plurimis aliis præsulibus inscripta est S. Leonis papæ epistola 109. de componenda inter ecclesias Arelatensem & Viennensem controversia. In alia orta inter Theodorum Forojulensem episcopum, & Faustum abbatem Lirinensem S. Maximi postea successorem in sede Regensi, pro nonnullis juribus, is abbatis partes tueri visus est; quam concertationem finierunt patres synodi Arelatensis III. cui adfuit Maximus an. circiter 455. Migravit ad cœlum vir sanctus, die 27. Novembris circa annum 460. miraculis in vita & post mortem, ipso maxime sepulturæ tempore, clarissimus. Sacrum ejus corpus conditum est in ecclesia Regensi quam ipse construxerat sub titulo sanctorum Apostolorum; quæ jam tempore Dynamii Patricii S. Maximi nomen gerebat. Nunc est ecclesia cathedralis, in qua cum virgine Deipara pro patrono habetur. Vitam ejus scripsit jam laudatus Dynamius Provinciæ rector & patricius, relatam a Vincentio Barrali in chronologia sanctorum Lirinensium. Gregorius Turon. lib. de gloria Confessorum meminit miraculorum ad ejus sepulcrum suo tempore patratorum, testaturque se vidisse puerum jam adultum, quem anno ætatis tertio mortuum ad vitam revocaverat. Quædam inter Eusebii Emisseni sive Eucherii Lugdunensis homilias, sancto Maximo sunt restituendæ. Certe scripsit homiliam quartam de Paschate, quæ inter Homilias Eusebii Emisseni nomine publicatas circumfertur, ut Savaro in notis ad Sidonium l. 4. ep. 3. censet. Tres præcedentes eidem Maximo titulus vindicare videtur. Homiliam porro de S. Maximo a Fausto conscriptam esse Dynamius in vita ejusdem Maximi testatur.

ANNI CHRISTI.

439. 441. 451. 455. 460. Cap. 83.

III. Faustus I.

Faustus in Britannia (Gallicana an insulana incertum) primo monachus, postea S. Maximo ad sedem Regensem assumto, Lirinensis abbas; quo in munere gravem controversiam habuit adversus Theodorum episcopum Forojulensem, de qua vide in Theodoro; tandem S. Maximi, ut in monasterii præfectura, ita in episcopatu successor, in utroque gradu magnam sibi famam sive ob morum integritatem, sanctimoniamque, sive ob eruditionem & eloquentiam comparavit. Non mirum itaque est ti eum Apollinaris Sidonius tot laudum flosculis coronavit, duabus in epistolis tertia & nona libri noni. In tertia: *Servat*, inquit, *consuetudinem suam tam facundia vestra quam pietas. Animam male sibi conscian, & per horas ad recordata pœnalis vitæ debita contremiscentem, frequentissimis tuis illis, & valentissimis orationum munerare suffragiis, precum peritus Insulanarum, quas de palæstra congregationis eremiticæ, & de senatu Lirinensium cellulanorum, in urbem quoque (cujus ecclesiæ sacra superinspicis) transtulisti, nil*

ANNI CHRISTI.

ab abbate mutatus per ſacerdotem: quippe cum nova dignitatis obtentu, rigorem veteris diſciplinæ non relaxaveris. Et ep. 9. ejuſdem libri: *Nam quis æquali veſtigia tua greſſu ſequatur? cui datum eſt ſoli loqui melius quam didiceris, vivere melius quam loquaris. Quocirca merito te beatiſſimum boni omnes, idque ſupra omnes tua tempeſtate concelebrabunt, cujus ita dictis vita, factiſque duplicitèr inclaruit, ut quandoquidem tuos annos jam dextra a numeraverit, ſeculo prædicatus tuo, deſiderandus alieno, utraque laudabili actione, decedas, te relicturus externis, tuæ proximis.* Egregie autem ipſius præconia cecinit euchariſtico poëmate, ubi inter cetera gratias agens quod ab ipſo Rejis humaniter & laute admodum exceptus fuerit; ſic canit:

Seu te Lirinus priſcum complexa parentem eſt,
Qua tu jam fractus pro magna ſæpe quiete,
Diſcipulis ſervire venis, vixque otia ſomni,
Vix coctos capture cibos, abſtemius ævum
Ducis, & inſertis pingis jejunia pſalmis,
Fratribus inſinuans, quantos illa inſula plana
Miſerit in cælum montes, quæ ſancta Capraſi
Vita ſenis, juveniſque Lupi: quæ gratia patrem
Manſit Honoratum; fueris quis Maximus ille,
Urbem tu cujus, monachuſque, antiſtes, & abbas
Bis ſucceſſor agis, celebrans quoque laudibus illis
Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari.
Seu te commiſſus populus tenet, & minor audet
Te medio tumidos majorum temnere mores,
Seu tu ſolicitus curas, quæ languidus eſca,
Quave peregrinus vivat, quid paſcat, & illum
Lubrica crura cui tenuat ſub compede carcer,
Seu magè funeribus mentem diſtractus humandis,
Livida defuncti ſi pauperis oſſa virescant,
Infaſtiditum fers ipſe ad buſta cadaver.
Seu te conſpicuis gradibus venerabilis ara
Concionaturum plebs ſedula circunſiſtit,
Expoſitæ legis bibat auribus ut medicinam.
Quicquid agis, quocumque loci es, ſemper mihi Fauſtus,
Semper Honoratus, ſemper quoque Maximus eſto.

Quod ſpectat ad tempus inchoati a Fauſto epiſcopatus, jam ſedebat anno 462. Nam adfuit ſynodo Romæ celebratæ hoc anno ab Hilaro papa. Quin etiam hoc in cœtu cum Auxanio judex eſt electus inter Leontium Arelatenſem & Mamertum Viennenſem epiſcopum, qui antiſtitem Deenſibus conſecrarat *in injuriam fratris & coepiſcopi Leontii.* Horum autem judicium confirmavit Hilarus papa ex ejuſdem epiſtola 10. Aliquo tempore in exſilio vixit: rediit autem ad ſuam eccleſiam circa annum 484.

462

Tillemontius.

484.

Fauſtum inter ſcriptores eccleſiaſticos celebrant Gennadius, Sigebertus, & alii plurimi. Præcipua ejus opera ſunt: de Gratia Dei & libero arbitrio libri duo. Epiſtola ad Lucidum preſbyterum. Contra Neſtorii errorem libellus ad Gratum diaconum. Libellus de creaturis, quod in illis nihil ſit incorporeum; quem tribus libris confutavit Claudius Mamertus. Sermones aliquot, qui ſub Euſebii Emeſeni nomine ſunt editi: in his homilia de ſancti Maximi laudibus. In Fauſti ſcriptis duo potiſſimum reprehenduntur; quod Semipelagianorum erroribus faverit, & quod animam corpoream eſſe docere videatur; quam opinionem refellit Claudius Mamertus. Quod ſpectat ad Semipelagianiſmum, venia dignus videtur Fauſtus, qui ſcripſit ante concilium Arauſicanum II. a quo hæc hæreſis eſt damnata. Ipſius tamen ſermones inter apocrypha rejecit Gelaſius papa. Cetcrum de Fauſto multa habent annales eccleſiaſtici Baronii, & Spondanus, ubi de ejus vita & erroribus a ſede pontificia damnatis fuſius diſſeritur. Apologiam *S. Fauſti* epiſcopi Regenſis edidit Aquiſextiis anno 1636. Simon Bartellus. Obiit circa annum 485. colituruque ut ſanctus in ſua eccleſia; quin etiam ſacris eccleſiæ Gallicanæ faſtis nomen ejus eſt inſcriptum.

485.

IV. CONTUMELIOSUS.

Hic epiſcopus recenſetur inter patres, qui in concilio Arelatenſi IV. ſederunt, anno 524. Convenit quoque ad ſynodum Carpentoratenſem anno 527. & ad Vaſenſem II. vel III. an. 529. Sed de gravibus criminibus accuſatus juſſus eſt deponi, & in monaſterium detrudi, uti legimus in epiſtola 6. Johannis papæ II. ad Cæſarium Arelatenſem epiſcopum ita ſcribentis: *Caritatis tuæ litteras animo libenti ſuſcepimus, in quibus corporeas neceſſitates allegans, etiam quæ ſacrius ille, qui lapſus eſt, fecerit, indicaſti. Dolemus de amiſſione pontificis: rigorem tamen canonum ſervare neceſſe eſt. Atque ideo prædictum ab epiſcopatus ordine noſtra ſuſpendit auctoritas. Neque enim fas eſt polluturn criminibus, ſacris miniſteriis deſervire. Sed te ordinante in monaſterio dirigatur: ubi delictorum memor in pœnitentia lachrymas effundere non omittat. . . . In cujus locum viſitatorem conſtitui te, donec proprium eccleſia qua evacuata eſt ejus ſacerdotio, merere valeat ſacerdotem.* Miſit & duas alias epiſtolas ſummus pontifex, unam ad epiſcopos Galliæ, & alteram ad clericos Regenſis eccleſiæ, ut viſitatorem in locum Contumelioſi ſubſtituant, qui ad Sedem apoſtolicam appellavit, quod patet ex reſcripto Agapiti papæ Johannis ſucceſſoris ad Cæſarium, ſeu ex epiſtola ejus . . in qua legimus: *Suſpenſus igitur, ſicut prælati ſumus, epiſcopus Contumelioſus, habeat tantum quam præſumſiſſe dicitur, celebrationem miſſarum, & patrimonio eccleſiæ in gubernatione archidiaconi ejuſdem eccleſiæ conſtituto, ita ut alimonia ſufficienter epiſcopo non negentur, viſitatoriam in ejus loco præcipimus ordinari perſonam.* Neque tamen hoc pro decretorio judicio habendum eſt, cum Agapitus in conſequentibus polliceatur ſe judices pro finienda ejus cauſa conſtituturum. Mota ea de re controverſia, nondum finita erat anno 536. Quem vero exitum habuerit, ignoramus.

524.

529.

tom. IV. concil.

536.

V. FAUSTUS II.

Fauſtus alter anno 549. Contumelioſo vel demortuo, vel depoſito ſuffectus fuerat; quippe in concilio V. Aurelianenſi tunc temporis habito Claudianus ipſius vicegeſſit, conſenſitque

a Fauſtum hic centenarium fuiſſe ſignificat; nam veteres digitis dextræ ad computandum non utebantur, niſi a centenario ſiniſtro.

ANNI CHRISTI.

his verbis: *Claudianus diaconus directus a domino meo Fausto episcopo ecclesiæ Regensis, subscripsi.*

A

VI. Emeterius.

Emeterium ignoraremus, nisi nomen ipsius suggessisset concilium Arelatense, celebratum anno 554. ad quod misit sui loco jam memoratum Claudianum diaconum. Vide Cointium ad hunc annum.

554.

VII. Claudianus.

Qui jam non semel conciliis interfuerat vices gerens episcoporum suorum Claudianus diaconus ecclesiæ Regensis, ab hoc gradu ad episcopatum promotus, in synodo Parisiensi IV. an. 473. sedit.

B

473.

VIII. Urbicus.

Urbicus consedit in concilio Valentino II. anno 584. & in Matisconensi II. an. 585. Anno circiter 589. una cum Ætherio Lugdunensi & octo coepiscopis, scripsit epistolam in causa Chrodieldis, & aliarum Pictav. monialium, uti narrat Greg. Tur. l. 9. hist. c. 41. Huic episcopo Dynamius patricius nuncupavit vitam sancti Maximi Regensis episcopi, quam ipso hortatore & auctore ad incudem revocaverat, & additis multis mirabilibus ornaverat. Epistolam nuncupatoriam Dynamii edere hic operæ pretium duximus Urbico episcopo perhonorificam: *Domino beatissimo patri Urbico papæ Dinamius patricius salutem. Cum apostolicæ fidei ardor successus universa de virtutibus sancti Maximi, quæ fidelis relatio gestorum manifestat, sollicita indagatione perquiris; imperitiam meam pulsare non desinis: paternis etiam monitis prædicandi auctoritate confirmans, quod non parum ipsius delicti noxa reus efficiar, nisi omnia in vita ejus, quæ ipse me ante aliquot annos rurali sermone conscripsisse constitit, studeam addere quæcumque vos de illius mirabilibus protinus manifestum est invenisse; præceptis vestris parere dispositi, placiturus obedientia, non doctrina. Vetera vos igitur chartarum indicasti revolvisse volumina, in quæ quid ex ejus operibus B. Faustæ antistitis prædecessoris vestri solertia devota collegerat, unde pauca sensu potius quam obtutu, vix decernere potuistis. Nam plurima annis vetustatis edacitas consumserat, quæ latebant: dubium non est, quod quantum integra devotione cordis, ipsius S. antistitis gesta profers, tantum opera meaveris, ut ejus integra aviditate mentis coneris sequi vestigia, cujus actionum diligis ornamenta: dummodo divino beneficio, & ipsius patrocinio tibi concedatur temporalis vitæ prolixa tranquillitas, & sancti operis expetita facultas, domine vere sancte & beatissime papa.*

584.

C

D

E

IX. Claudius.

Unus fuit ex episcopis, qui anno 625. cum Sonnatio Remensi archiepiscopo concilium Remis celebrarunt, cujus acta debemus Flodoardo lib. 2. historiæ ecclesiæ Remensis. Post annos viginti quinque adhuc occurrit Claudius episcopus Regensis inter patres concilii Cabilonensis, Clodovei II. regis evocatione celebrati VIII. calend. Novembris, circa annum 650. Ante Claudium in Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum, præmittuntur Bonifacius, & Paulinus, quorum nuda nomina ponuntur: sed expungendi sunt ex hoc catalogo, & restituendi syllabo præsulum Regensium in Calabria; ut jam observavit vir doctissimus Carolus Cointius. Idem Mauricium, qui anno 680. subscripsit concilio Romano [a] sub Agathone papa, pertinere ad antistites Regii-Lepidi in Insubria non immerito censet, quod in subscriptionibus ejus nomen præcedat subscriptionem episcopi Placentini, subsequanturque proxime nomina episcoporum Mutinensis ac Parmensis. Certe qui e Gallicanis præsulibus huic interfuerunt concilio Romano, Felix Arelatensis, Adeodatus Tullensis, &c. se *venerabilis synodi per Galliarum provincias constituta*, legatos esse profitentur; a quo titulo abstinet Mauricius.

625.

Cap. 5.

650.

Mauricio Thomas subrogatur à Bartello, & fratribus Sammarthanis; sed ipsum accensendum esse Regensibus apud Æmiliam episcopis, duo potissimum probant. Primum quod Thomas dicatur corpus S. Prosperi transtulisse quod jacebat in basilica sancti Apollinaris. Porro apud Rejos Provinciæ nulla unquam fuit basilica S. Apollinaris, cultus nullus; cum ex adverso constet ex Ughello apud Regium-Lepidi cathedralem ecclesiam Deiparæ Virgini consecratam esse & sancto Apollinari. Alterum est Flaminium laudatum a Sammarthanis notare S. Prosperum in veteri sepulcro jacuisse *usque ad Luitprandi Longobardorum regis christianissimi tempora.* Ut quid autem fieret mentio Luitprandi Longobardorum principis, si de Regio Gallicano ageretur. Sed apud Regium-Lepidi, quod Luitprandi subjacebat imperio, debuit rex hic commemorari.

X. Archinricus.

Hic episcopus solo notus nomine in tabulis, Claudio, qui ad annum circiter 650. pervenit, proxime suffectus est juxta Carolum Cointium ad annum 739. Huic successit, in ejusdem chronographi sententia

n. 191

XI. Absalon.

Hujus episcopi memoria pene oblitterata est; ita ut quo tempore sederit, minime statuere possimus. Ipsum tamen proximum conjicimus luctuosissimorum temporum belli Saracenici, quod interpontificio forsan locum dedit. Post hanc procellam sedisse dicuntur Anthimius tempore Pipini regis, Riculfus regnante Carolo-magno, Rostagnus Ludovico Pio imperante; sed nullo allato testimonio.

Vide Coint. ibid.

XII. Nortbertus.

Nortbertus Regensis erat episcopus an. 813. scilicet illo tempore, quo Michaëli imperatori Constantinopolitano subrogatus est Leo Armenus, ex vita Ludovici Pii incerti auctoris, ubi legitur: *Cum imperator remitteret missos imperatoris Michaelis, simul cum eis misit missos suos Leoni substituto imperatori, Nortbertum Regensem epis-*

813.

V. Bellinz. hist. com. Pist. p. 67.

[a] Vide act. IV. concilii III. Constantinopol. tom. VI. concil. col. 708.

Digitized b

ANNI CHRISTI.

copum, & Richoinum Pictav. comitem &c. Idem legitur in annalibus rerum geſtarum a Ludovico Pio. Neque vero par eſt credere Nortbertum fuiſſe Regii-Lepidi epiſcopum in Æmilia, quia hæc Italiæ urbs non erat tum in ditione Ludovici. Quorſum autem epiſcopum alienigenam elegiſſet imperator, ad tanti momenti legationem cum comite Pictavorum obeundam?

A

XIII. Bernarius.

Bernarius e Lirinenſi cœnobio ad infulas Regenſes aſſumtus juxta Galliam Chriſtianam quatuor in tomos diſtributam, idem eſt ac Bernharius commemoratus in vita ſancti Adalhardi abbatis Corbeienſis, auctore Paſchaſio Radberto ipſius diſcipulo, ſi credimus Cointio, loco jam ſuperius laudato. Iſte autem Bernarius ex eodem ſcriptore fuit ſancti Adalhardi frater & Walæ abbatum Corbeienſium; proindeque Pipini magni regis nepos, Caroliique Magni conſobrinus. In illa autem procella ob diſſidium Ludovici Pii Auguſti, & filiorum ejus commota, quæ Adalhardum in exſilium ad Herii inſulam ejecit, Bernarius, qui tunc erat monachus Corbeienſis, *Lirinum remittitur*, inquit Radbertus; quæ verba ſignificare videntur ipſum prius apud Lirinum vitam egiſſe monaſticam. Poſtea Lirino Floriacum abductus, inde evocatus eſt; & poſt reconciliationem ſuam cum imperatore forſitan Regenſem conſecutus eſt epiſcopatum. Quid vero in ea geſſerit nullus nos docet. Imo etiam utrum in Regenſi cathedra ſederit, non omnino compertum habemus. Ita cenſemus de Rodulpho quodam cui vigeſimus primus locus datur inter epiſcopos Regenſes in Gallia Chriſtiana fuſiori.

B

C

XIV. Edoldus.

879. Anno 879. idibus Octobris celebrata eſt ſynodus apud Mantalam in territorio Viennenſi, ab epiſcopis provinciarum Viennenſis, Lugdunenſis, Arelatenſis, Aquenſis, &c. & a proceribus; in qua Boſo electus eſt rex; cujus ea de re decreto ſubſcripſit Edoldus epiſcopus Regenſis, cum Rotberto ſuo metropolitano.

D

XV. Geraldus.

936 Geraldus an. 936. cum ſancto Odone abbate Cluniacenſi inviſit limina apoſtolorum, per Alpes Cotias iter aggreſſus, ut teſtis eſt Johannes ſcriptor vitæ S. Odonis lib. 2. *Sæpius*, inquit, *eum* a. 6. *hoc vidi facere. Illo enim tempore, quo cum Geraldo Regenſis eccleſiæ epiſcopo Cotias tranſivimus Alpes, & Romam venimus pariter; memini eum de quadam muliere damoniaca hoc feciſſe, quæ ſtatim reddita eſt ſanitati, & una nobiſcum uſque Senam venit*, liberata videlicet a dæmone per tactum ſellæ equi ſancti Odonis, etſi Senæ remanere coacta ſit, quod dyſſenterico morbo laboraret.

E

966. Hic locus dandus eſſet cuidam epiſcopo Regenſi, qui ſedebat anno 966. ex his quæ diximus in Silveſtro Aquenſi archipræſule, ubi recenſentur nomina ſex ipſius ſuffraganeorum; ſed quæ cuilibet eorum aſſignanda ſit cathedra prorſus incertum.

XVI. Almeraldus *ſeu* Almeradus.

ANNI CHRISTI

Hujus epiſcopi fit mentio in chronologia Lirinenſi, ob varia beneficia collata huic monaſterio, nec minus beneficum ſe exhibuit erga Clunienſe aſceterium, & beatum Odilonem tunc abbatem. Etenim conſtructum a ſe monaſterium de Valentiola, Cluniacenſibus contulit, ut ſub eorum jure perſeveraret immunitate omnimoda donatum a ſuo auctore.

De Almerado hæc leguntur in chartulario majori Cluniac. tom. I. *Notum ſit omnibus ..... quod Almeradus epiſcopus Regenſis conſenſit ad preces Odilonis abbatis, ut monaſterium quidam fratres conſervarent* quod Valentiola nuncupatur, prope eccleſiam in honore almi confeſſoris Maximi antiquitus conſecratam. Decrevitque ut nulla perſona dominationem habeat aut aliquam conſuetudinem in dicto loco.* Videſis inter inſtrumenta eccleſiæ Regenſis, litteras hujus epiſcopi, quibus ſupra præmiſſa confirmantur. Almeradus unus fuit ex epiſcopis Burgundiæ & Aquitaniæ, ad quos Benedictus VIII. ſcripſit pro Cluniacenſibus; cujus epiſtolam ea de re conſule tomo IV. collectionis ſcriptorum hiſtoriæ Francorum. Cumque Benedictus VIII. eccleſiæ præfuerit ab anno 1012. ad annum 1023. inde licet conjicere, quo tempore Almeradus Regenſibus præfuerit. Sedere jam cœperat tempore Sergii IV. qui anno 1009. pontificatum auſpicatus eſt, tenuitque quatuor annis: etenim ex tab. Montis-majoris hic papa Amalricum Aquenſem, & Pontionem Arelatenſem archiepiſcopos, Frodonem, Eldibertum, Jocelinum & Almeradum [Regenſem] epiſcopos certiores facit ſe Alchinrico Montis-maj. abbati conceſſiſſe, ut Stephanus epiſcopus, S. Mariæ, ſancti Johannis, S. Petri & ſancti Benedicti de Correns eccleſiam benedicat & conſecret. Porro conjicimus Almeradum ſediſſe ab an. 990. huncque eſſe Lirinenſis monaſterii benefactorem, perperam annumeratum epiſcopis Forojulienſibus, de quo agemus in Riculfo epiſcopo Forojulienſi.

* *ſuſtinuerunt.*

C. I. pag. 81. col. 1.

p. 169.

1009.

XVII. Ermengaudus.

Ermengaudus Regenſis eccleſiæ præfecturam obtinuit circa annum 1032. ſubſcripſit enim cuidam Narbonenſi concilio habito, Guifredo metropolitano præſide, cujus tempus, ſi attendatur ad epiſcoporum, qui ſubſcripſerunt plurimi, ætatem, vix poteit ultra differri. De hac ſynodo agemus, in hiſtoria Narbonenſis eccleſiæ.

1032.

XVIII. Bertrannus et Bertrandus I.

Anno quadrageſimo ſupra milleſimum Benedictus papa IX. conſecravit eccleſiam S. Victoris Maſſilienſis idibus Octobris, in frequenti antiſtitum cœtu, quos inter recenſetur epiſcopus Regenſis nomine Bertrannus. Ipſius affectum erga ſacrum hunc locum probat donum huic monaſterio factum tam ab eodem, quam ab ipſius fratribus, qui anno 1043. IV. cal. Aprilis contulerunt abbati, & monachis ibidem Dei ſervitio mancipatis, quidquid habebant in caſtro Salencii. Lirinenſibus quoque benefecit,

1040.

ANNI CHRISTI.

eisque anno 1052. dedit locum dictum *monasterium*,& decimas hujus loci,ex schedis D. Estiennot. Ceterum idem vir doctus inducit in numerum episcoporum Regensium Raimundum quemdam, notum, inquit, ex donatione ecclesiæ de Aquina collatæ iisdem Lirinensibus an. 1051. sed quem locum ipsi assignabimus,Bertranno quem sedisse diximus an. 1043. sedem adhuc obtinente anno 1052. teste ipso ClaudioEstiennot Bertrannus interfuit concilio apud S. Ægidum, quod nonnulli tribuunt anno 1050. in collectione conciliorum vero refertur ad annum 1056. Concessit clericis Deo servire volentibus, & canonicali regulæ colla submittere cupientibus, aliquid de rebus ecclesiæ suæ, quæ recensentur in charta ejusdem episcopi,anni 1052. vel etiam 1050.

1052.

C.II. p. 82. col. 1.

XIX. Hugo.

Nihil nobis suppetit de hoc episcopo,nisi quod memoretur in veteri charta celeberrimi apud Massiliam monasterii sancti Victoris, an. 1056.

1056.

XX. Bertrannus II.

l. 9. fol. 1. c. 8.

Bouxus in historia Provinciæ asserit Bertrannum episcopum Regensem an. 1062. cum Pontio Alberto fratre suo, Fulcone de Pontevez, & Augerio de Blanqueria, dedisse multa & magna ecclesiæ sanctæ Mariæ de Barjolo canonicorum regularium ab archiepiscopo Arelatensi Rajembaldo ante annum erectæ, in episcopatu Forojulienſi. Idem Bertrannus, & Fulco frater ejus, nec non Accelina Fulconis uxor an. 1063. dant S. Victori Massilienſi ecclesiam sancti Romani, & S. Martini, in comitatu Forojulienſi. Forsitan hic Bertrannus idem est ac prior, qui duabus vicibus in cathedra Regensi sederit.

1062.

1063.

XXI. Agelricus.

Ibidem.

Idem historiæ Provinciæ scriptor affirmat quemdam Agelricum Regensem episcopum,ecclesiæ Arelatensi subjectionem, reverentiam & obedientiam a sanctis Patribus constitutam de more promisisse coram archiepiscopo Rajembaldo, quem ab anno circiter 1030. ad annum 1065. sedisse liquet. Agelricum ponit Bouxus inter Guillelmum I. & Amalricum. Guillelmi nomen legimus in Gallia Christiana quadripartita, post Bertrannum, cui ibidem successor datur Amalricus. De neutro nihil nobis occurrit, nisi quod Vincentius Barralis in chronologia Lirinensi dicit eum prius fuisse Lirinensem abbatem.

XXII. Augerius.

Cepit Augerius sacros fasces anno saltem 1069. quo,mense Martio ecclesias sancti Juliani, S. Petri de Stoublon & S. Petri Cavati, annuentibus Regensibus canonicis, in Montis-majoris jus transfert. An. sequenti occurrit in tab. Victorinis, nam Richardo abbati concessit ecclesiam S. Cassiani in villa quæ dicitur Tavernas. Anno 1098. ipse & Petrus præpositus confirmarunt eidem abbatiæ quotquot in episcopatu Regensi possidebat ecclesias. Anno 1103. cessit eidem cœnobio ecclesiam S. Saturnini *de monasterio*. Locum etiam habet in chronico Lirinensi eodem anno 1103. ob quædam dona facta. Habemus tomo XI. fragmentorum histor. domni Claudii Estiennot cjus litteras, quibus Pontio abbati Lirinensi cedit ecclesiam S. Petri: subscripserunt Petrus episcopus Vencicnsis & Petrus præpositus; sed carent litteræ chronicis notis. Adfuisse legitur dedicationi ecclesiæ sancti Salvatoris Aquensis,& commemoratur in charta tabularii Massilienſis anni 1116. pro castro de Soleriis. Anno 1118. testis est pacti inter archiepiscopum Aquensem,& Petrum Montis-majoris abbatem, pro nonnullis ecclesiis. Ob multa quæ ad ornatum spectabant ac decorem ecclesiæ suæ collata, ejusque jura fortiter propugnata laudatur a Bartello. Anno 1124. adfuit concilio Viennensi; proindeque non est assignandus ejus obitus pridie id. Martii anni 1123. Obiisse autem Vapinci, & ibidem jacere dicitur. Augerii meminit Eugenius papa III. in epistola infra laudanda.

ANNI CHRISTI.

1116.

1124.

XXIII. Fulco.

Fulconis ingressus in ecclesiam Regensem notari potest ad annum 1125. quo legimus eum restituisse Lirinensibus monasterium sancti Saturnini, & sanctæ Mariæ de Bello-visu. Postea altum est de rebus ab eo in episcopatu gestis silentium. Itaque sufficiat nobis post scriptores qui nos antecesserunt ejus mortem ad diem 2. Aprilis anno 1130 referre,vel 1129.

1125.

Johannes Solomé presbyter Regensis,& unus ex duodecim clericis prabendaris cathedralis ecclesiæ, qui novam suorum episcoporum nomenclaturam elucubravit,nondum publici juris, post hunc Fulconem ponit Henricum episcopum ex donatione quadam cujus vidit chartam non originalem, ut ait; ancepsque est utrum sit adscribenda anno 1138. vel 1158. Unde Henricus hic episcopus nobis videtur plurimum dubius, nam si charta sit anni 1158. pertinet ad alium Henricum satis notum, cui locum vigesimum quintum dedimus.

XXIV. Petrus Geraldus.

Eugenii III. temporibus hic episcopus Regensi præerat ecclesiæ, uti probat summi hujus pontificis epistola [a] ad ipsum & ad Bertrandum episcopum Forojulienſem scripta anno (ut conjicit Baluzius) 1145. qua ipsis mandat, *quatenus nullas novas exactiones, neque receptiones, vel pastus, &c.* imponant aut exigant a Bariolensi ecclesia, ut pote quæ juris beati Petri existat; sed eam dimittant in ea libertate, qua eorum prædecessorum *Augerii* & Berengarii temporibus potiebatur. Berengarius erat antecessor proximus Bertrandi Forojulienſis episcopi; unde non absurde forsan quis asserere posset inter Augerium, & Petrum Geraldum, nullum medium sedisse præsulem. Idem episcopus testis est in transactione facta anno 1145. cujus meminimus in Willelmo Sistaricensi præposito. Morte sublatus est Petrus Geraldus IV. calend. Februarii anno 1152.

1145.

1152.

[a] Vide tom. II. Miscellaneorum Baluzii p. 222.

ANNI CHRISTI. DE MONTE-LAURO.

XXV. HUGO II.

Hugo de Monte-lauro, forte idem quem ſupra diximus archidiaconum fuiſſe ſancti Salvatoris Aquenſis, & demum archiepiſcopum Aquarum-Sextiarum, ponitur in ſerie epiſcoporum Regenſium poſt Petrum Geraldum.

XXVI. HENRICUS.

Henricus prius militavit in clero ſancti Salvatoris Aquenſis, cujus fuit præpoſitus. Inde aſſumtus eſt ad gubernandam Regenſem eccleſiam. Anno 1167. ſacras reliquias ſancti Maximi epiſcopi eccleſiæ ſuæ patroni tranſtulit. Anno 1179. convenit ad concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. ex codice Sirmondiano. Paulo poſt tranſiit ad metropolitanam Aquarum-Sextiarum ſedem; etenim concilium Lateranenſe habitum eſt menſe Martio anni 1179. quem nunc dicimus 1180. & hoc eodem anno jam Aquis-Sextiis Henricum ſediſſe ſuo loco probavimus.

1167. *Tom. X. concil. col. 1531.*

DE GALBERT.

XXVII. ADELBERTUS.

Adelbertus cognominatus de Galberto, ſuffectus eſt in locum Henrici. Perperam autem legitur hic epiſcopus adfuiſſe concilio Lateranenſi anno 1179. niſi fortaſſe dicatur acceſſiſſe clericum, & rediiſſe epiſcopum Regenſem. Conſtat tum ex codice Sirmondiano ſupra laudato, tum ex Acheriano edito in calce tomi XII. Spicilegii, Henricum Adelberti deceſſorem ſediſſe hoc in concilio, cum Bertrando ſuo metropolitano. Habitum eſt concilium diebus 5. 7. & 19. menſis Martii, anni quem nunc octogeſimum ſupra milleſimum centeſimum numeramus, quo anno Henricum ſediſſe in Aquenſi cathedra plurima demonſtrant vetera monumenta. Forſitan Bertrandus tempore concilii morte ſublatus eſt, cui Alexander papa conſentientibus concilii patribus Henricum ſubrogavit; & ad Regenſem cathedram promovit Adelbertum. Nulla autem hujus epiſcopi acta ſcripto relicta ſunt, etſi vitam produxiſſe legatur uſque ad VIII. cal. Decembris anni 1188.

p. 647.

1188.

GARCINI.

XXVIII. BERTRANDUS III.

De Bertrando cognomento Garçini pauca ſuperſunt addenda iis quæ jam diximus, texendo catalogum præpoſitorum ſancti Salvatoris Aquenſis, e quorum numero fuit. Poſtquam vero decem fere annos hoc in officio exegiſſet, electus fuit in epiſcopum Rejenſem anno 1189. ſed poſſeſſionem minime aſſecutus eſt, ſi fides adhibeatur animadverſionibus manu exaratis Claudii Sobolis preſbyteri Aquenſis, de epiſcopis & præpoſitis Aquenſibus. In Gallia Chriſtiana vero Fratrum Sammarthanorum dicitur eccleſiam hanc circiter per annum adminiſtraſſe.

1189.

XXIX. IMBERTUS.

Hunc epiſcopum eccleſiæ Rejorum dedit Lirinenſis monaſterii ſolitudo, circa annum 1190. eundemque abſtulit. Etenim poſt novem annos regiminis, tranquillioris vitæ ſtudio abreptus, ad priſtinam ſolitudinem reverſus eſt. Vita defunctus eſt XIV. calend. Junias anni 1199.

1190.

1199.

ANNI CHRISTI. RAIMUNDI.

XXX. HUGO III.

Hugo Raimundi legatus ſummi pontificis in bello contra hæreticos Albigenſes, & Simonis Montisfortis comitis ſtrenuus adjutor, quem Lerini abbatem fuiſſe ex Barralis chronologia conjicit Bartellus, anno 1202. memoratur in charta compoſitionis factæ Manueſcæ, inter Willelmum comitem Forcalquer. & nonnullos nobiles de gentibus Balcia, Simianæa, Reilliana, qui feuda quædam obtinebant in comitatu Forcalquerienſi. Iiſdem pactis interfuerunt cum Hugone Ildefonſus comes Provinciæ, Sancius comes, Raimundus de Medultione, Willelmus de Baucio, Roſtagnus de Sabrano conſtabularius, Raimundus de Agoldo, &c. Eodem anno teſtis legitur in privilegio Ildefonſi marchionis Provinciæ, pro Boſcoduno, cui monaſterio confirmavit donationes factas a Raimundo de Auraſone. Anno 1208. confirmavit dona facta ſancto Victori a Roſcelino comite cum R. epiſcopo Antipolitano, & W. abbate Floregiæ. Anno 1209. ſubſcripſit diplomati Petri Arragonum regis pro ſancto Pontio. Eodem an. VIII. Idus Martii controverſiam inter Bernardum de Monte-petroſo monachum ſancti Salvatoris de Pinu priorem ex una parte, & Guiraldum de Garriga Francarum-vallium ſubpriorem ex altera, diremit, teſtibus tabulis Montis-majoris. Ab Innocentio III. electus legatus in ſacro bello adverſus Albigenſes hoc ipſo anno 1209. die 6. Septembris, celebravit cum Milone altero ſanctæ ſedis legato concilium apud Avenionem, cui adfuerunt archiepiſcopi Viennenſis, Arelatenſis, Ebredunenſis, Aquenſis, & viginti epiſcopi, abbateſque ac rectores quam plurimi; ubi multa ad reſarciendam diſciplinam eccleſiaſticam conſtituit, ratus non immerito, emendationem morum clericorum, optimam compendioſamque viam eſſe ad hæreticorum converſionem. Anno ſequenti aliam habuit ſynodum cum Theodiſio ſuo in legatione collega, apud villam ſancti Ægidii, in qua Raimundus comes Toloſanus iterum excommunicatus eſt. Anno 1213. qui erat quintus-decimus Innocentii papæ III. ſummus hic pontifex acceptis litteris & nuntiis Petri Arragonum regis, quibus Raimundum comitem Toloſanum, comites Fuxi, Convenarum, Benearnenſem, &c. paratos ad ſatisfaciendum eccleſiæ, ejuſque fidem profitendam, aſſeverabat, ſcripſit ad archiepiſcopum Narbonenſem, ad Regenſem epiſcopum, &c. ut in loco ſecuro & apto[a] cœtus haberetur, non ſolum antiſtitum, ſed etiam comitum, baronum, conſulum, coram quibus oblatæ ab Arragonum rege conditiones pacis proponerentur, de quibus deliberarent, & quid ſibi facto opus eſſe videretur, ad papam referiberent. Quid a ſe geſtum ſit in toto hoc negotio Hugo ipſe perſcribit ad Innocentium papam; & ex hac epiſtola liquet quanta in agendis prudentia polleret hic epiſcopus. Aliæ ſunt ejuſdem Hugonis litteræ Raimundo comiti Toloſano ſcriptæ, in quibus multa ei exprobrat, mille cruce ſignatorum cædem, longam cuſtodiam abbatis Mont-

1208.

V. inſtrum. Aquenſia C. XVIII. p. 48 col. 2.

Tom. II. Spicileg. p. 609. & tom. XI. concil. p. 41.

1213.

Ibid. col. 42.

Ibid. col. 96.

[a] Synodus hæc apud Vaurum eſt habita.

ANNI CHRISTI.

albanenſis, ejectum e ſua ſede ſpoliatumque A Agennenſem epiſcopum, violata ſæpiſſime promiſſa facta ſanctæ ſedi. Mortuus dicitur 11. cal. Novembris anni 1223.

DE SABRAN

XXXI. ROSTAGNUS.

Roſtagnus e nobili ſtirpe de Sabrano renun-
1226. tiatus epiſcopus circiter annum 1224. an. 1226. IV. cal. Februarii teſtis fuit fidei clientaris datæ ac promiſſæ a Bonifacio de Caſtellana, Raimundo Berengarii comiti & marchioni Provinciæ, inſuper Forcalquerienſi comiti: *Acta fuerunt hæc apud Regium in domo domini epiſcopi.*
Bouche hiſtor. Provinc. l. 8. ſect. 11. *Teſtis D. R. Regienſis epiſcopus. Dom. R. Forojulienſis* B *præpoſitus. Iſnardus de Romole ſacriſta Regienſis, &c. Romæus notarius mandato utriuſque partis, hanc chartam ſcripſi, & ſigillum Dom. comitis, & ſigillum Dom. epiſcopi, & ſigillum Bonifacii de Caſtellana appoſui, & hoc ſigno meo ſignavi.* Roſtagnus nominatur adhuc in teſtamento Berengarii
1238. an. 1238. Toto ſui epiſcopatus, qui 16. annorum fuit, tempore, plures Rejenſi ſedi univit toparchias, dominium nempe Montis-pezati, caſtrum S. Johanneti, & mediam partem pagi S. Laurentii. Nec temporalibus tantum eccleſiæ ſuæ bonis providit, ſed & ſpiritualibus & iis maxime. Minoritarum cœnobium fundavit, quod ſanctus Franciſcus vivens Reji inſtituit, & præſentia C ſua miraculiſque honeſtavit. Idem conventum fratrum regulæ Franciſcanæ, quos de pœnitentia vocant, erexit; de S. Maximo ad XIII. cal. Junias feſtum magno apparatu quotannis celebrandum indixit. Deinde ſocietatem fecit
1232. anno 1232. cum clero collegiatæ beatæ Mariæ Vernonenſis in diœceſi Ebroicenſi, propter S. Maximum utriuſque eccleſiæ patronum. No-
1234. minatur vero 1234. pridie idus Decembris in Raimundi Berengarii aſſignatione facta Johanni Arelatenſi archiepiſcopo, totius bajulæ Altavezii & Aquenſis. Quo uſque vixerit ignoramus. D

XXXII. GUILLELMUS I.

Guillelmum Roſtagno ſucceſſorem dant qui ante nos epiſcoporum Regenſium ſeriem ordinaverunt. Verum errant dum illum ſedi:ſſe anno 1250. docent; diu enim antea Fulco qui ſequitur, cathedram hanc obtinebat, ut mox demonſtraturi ſumus.

DE CAILLA.

XXXIII. FULCO II.

Fulco, cui cognomen de Cailla tribuunt, Briniolæ ortus, electus eſt Regenſis epiſcopus cir-
1240. ca annum 1240. uti probatur ex tabulis Montis- E majoris, in quibus legitur Guillelmum Forcalquerii comitem, probantibus filiis Guiraudo & Gaucherio, ac Raimundum Montis-majoris abbatem, Johannem Arelatenſem metropolitam in controverſia de caſtro & villa Pertuſii judicem apud Arelatem elegiſſe, præſentibus Berengario Provinciæ comite, *Fulco Regenſi electo* & aliis, calendis Januarii anno MCCXL. Teſtis legitur in charta ejuſdem Johannis Arelatenſis, qua ceſſit juriſdictionem & dominium in *communia* Areiatenſi, die lunæ poſt feſtum om-
1250. nium Sanctorum anno MCCL. ex archivo regio Aquenſi, & anno 1251. in recognitione domini de Bauciis. Anno 1252. adfuit conſecrationi altaris Montis-rivi, ordinis Cartuſienſis factæ per Philippum Aquenſem archiep. Porro optimus hic præſul quam plurimis feudis & dominiis, partim ære proprio, partim munificentia principum acquiſitis, eccleſiæ Regenſis cenſum præ ceteris epiſcopis auxit. Quin & vetuſtate collabens epiſcopale palatium inſtauravit, ac D. Maximi baſilicam amplificavit, adjecto ſacello in honorem beatæ Catharinæ virginis, illudque ſacra ſupellectili abunde inſtruxit; dotavit inſuper monaſterium ſanctimonialium numero centum, ſub invocatione ejuſdem ſanctæ Catha-
1255. rinæ ad fontem de Sorpo * vocitatum, an. 1255. cujus fundationis apographum ex chartophylacio epiſcopali legere eſt apud Bartellum. Præſens fuit hominio Johannis Arelatenſis pontificis Carolo comiti Provinciæ, poſteaque Siciliæ regi exhibito calend. Novembris 1254. Regis uxor Beatrix Fulconem inſtituit ſui teſtamenti exſecutorem, anno circiter 1265. ut liquet ex 1265. ipſis teſtamenti tabulis editis tomo ſexto Acheriani Spicilegii. Adhuc præerat anno 1272. p. 480. 1272. quo ſequeſter & arbiter eligitur inter præceptorem de Podio-Moiſſono, & dominum de Bruneto VI. cal. Junii, ut habetur in regeſto ſenatus Aquenſis. At extremum clauſit diem paulo poſt, videlicet V. cal. Julias anno 1273. 1273.

* Scorpa.

XXXIV. MATTHÆUS I.

Matthæus ad epiſcopatum aſſumtus eſt anno 1274. quem per annos circiter duodecim ad-
1274. miniſtravit. Ejus tempore ſynodus provinciæ Aquenſis apud Regium XVI. cal. Martii 1285. 1285. celebrata eſt, præſide Roſtagno archiepiſcopo, conſidentibuſque ipſius ſuffraganeis, in qua plures canones conduntur. Inter cetera vero ſupplicationes decretæ ſunt per totam Provinciam pro libertate Caroli principis Salernitani, filii Caroli I. Siciliæ regis & comitis Provinciæ, in navali pugna capti a Lauria, atque in carcere detenti, quemadmodum legitur in actis manuſcriptis hujus concilii. Memoratur Matthæus apud Barralem in hiſtoria Lerinenſis monaſterii.

DE MILLIA.

XXXV. PETRUS II.

Petrus de Millia pietatis ſuæ erga S. Theclam martyrem argumentum dedit, decernendo an-
1294. no 1294. ut ejus officium ſolemne quotannis celebraretur. Decertavit cum Gaucelmo de Mayreriis abbate Lerinenſi, pro ſui epiſcopatus juribus; eccleſiæque ſuæ dominium integrum caſtri ſancti Johanneti acquiſivit. Mors ejus notatur anno 1304.

1304.

MONTAUBANT.

XXXVI. PETRUS III.

Ex locupletiſſimo Montis-majoris tabulario, P. olim ſancti Victoris Maſſilienſis abbas, erat epiſcopus Regenſis an. 1308. Nam Bertrandus 1308. de Sabrano, uti legitur in charta hujus tabularii, Montis-majoris monachus, beatæ Mariæ de Caro-loco prior, Iſarno Gaſte Relhanenſi priori quædam remiſit hoc anno, die 12. Junii ad preces reverendorum patrum dominorum P. Dei gratia Regenſis epiſcopi, S. Victoris Maſſilienſis olim abbatis, & Nicolai Aureoli prioris de Salicis, Maſſilienſis monachi. Hunc porro

ANNI CHRISTI. 1309.

epiſcopum intelligimus fuiſſe Petrum cognomento de Montamant, quem in tabulis Aquenſibus legimus anno 1309. Roberto Siciliæ regi, comitique Provinciæ fidem pollicitum clientelarem. Nimirum Carolus II. Siciliæ rex & Provinciæ comes e vivis exceſſerat hoc anno *quinta die introitus Maii*, cui Robertus ſucceſſit. Controverſias inter epiſcopum Rejenſem capitulumque jam olim motas compoſuit noſter Petrus die 28. menſis Decembris anno 1310. ex codice Rejenſi. Quo anno vel tempore tumulo ſit compoſitus, nos fugit.

XXXVII. PETRUS IV.

GANTELMI. *Guillelmi.

Petrus Gantelmi * quem dicunt habuiſſe fratrem nomine Raimundum archipreſbyterum & canonicum ſancti Salvatoris Aquenſis, hic haud dubie Petrus eſt qui *Gantelmi* nuncupatur in manuſcripto codice S. Andreæ Avenion. ad annum 1315. XVI. cal. Julii, tum etiam *Guillelmi* alio in loco ejuſdem manuſcripti codicis ad annum 1316. die vero 13. Auguſti. Hoc anno deceſſit ex necrol. eccleſ. Regenſis, ubi ſic legere eſt: *An. Chriſti* MCCCXVI. *die* XIII. *menſis Martii obiit reverendus in Chriſto pater Petrus Gantelmi epiſcopus Regienſis, qui reliquit eccleſiæ ſancti Salvatoris Aquenſis unam caſulam & unam capam de Diaps, & unum ferratum, & yſopum de argento: reliquit etiam 24. libras reformatas de quibus emantur reditus pro anniverſario ſuo annis ſingulis faciendo.*

1316.

XXXVIII. GAILLARDUS.

Gaillardus, quem cognominant Saumate, (jure an injuria ambigimus) anno 1317. delegatus eſt ad inquiſitionem faciendam in quoſdam maleficos, qui papam & cardinales veneno & magicis artibus interficere tentarant, ex Odorico Rainaldo. Hoc ipſo anno traductus eſt ad ſedem Magalonenſem. Demum cathedram metropolitanam Arelatenſem conſcendit fere eodem tempore.

1317. *Ann. 1317 n. 52.*

XXXIX. PETRUS V.

DES PRAT.

Petrus de Pratis Regenſi donatus eſt epiſcopatu anno 1318. ex actis conſiſt. Vatic. Deinde archiepiſcopus Aquenſis fit eodem anno vel ſequenti, & cardinalis; de quo jam diximus in Aquarum-Sextiarum archiepiſcopis. Is tamen præſul non comparet in ſerie epiſcoporum Regenſium a Bartello edita; ſed ex membranis eccleſiæ Montis-penſati in Cadurcis eum reſtituerunt noſtri Sammarthani. Certe in ipſius teſtamenti tabulis legitur: *Item legamus eccleſiæ Regienſi, ubi fuimus epiſcopus, capellam noſtram violatam.*

1318.

XL. FRANCISCUS I.

ROSSOLIN.

Franciſcus Roſſolinus creatus epiſcopus anno 1319. mandato Johannis XXII. perluſtravit reliquias in baſilica beatæ Mariæ de Rocha repoſitas coram Bernardo de Merlato vicario Regenſi, & præpoſito de Bariolis, die 16. Septembris anno 1323. Anno 1326. menſe Junio *Raimundus Johannis Regienſis præpoſitus, procuratorio nomine venerabilis patris in Chriſto domini Roſ-*

1319. 1323. 1326.

ſolini Regienſis epiſcopi abſentis, adfuit concilio Avenionenſi apud ſanctum Ruffum, ex ejus actis editis a Petro Gaſſendo ad calcem notitiæ eccleſiæ Dinienſis.

ANNI CHRISTI.

XLI. BERNARDUS.

Hoc epiſcopo ſacrum Regenſium præſulum confeſſum auxerunt noſtri Sammarthani, de quo nulla mentio apud Bartellum. Ipſum autem eruerunt ex libro obligationum Vatic. in quo legitur electus 12. Maii anni 1327. De illo autem nihil aliud ad nos pervenit.

1327.

XLII. ARNOLDUS.

SABATIER

Arnoldus Sabaterius e canonico Meldenſi, Bononiæ in Italia, unde ortus erat, factus epiſcopus, a Johanne XXII. in templo ſancti Dominici anno 1322. die 27. Octobris ſacram accepit unctionem. Sed ab hac ſede amotus, ad Regenſem tranſiit eccleſiam, eodem ſummo pontifice vocante bulla data cal. Octobris anni 1329. ex regiſtro Vaticani, quod citat Ughellus tom. II. Italiæ ſacræ in Bononienſibus epiſcopis.

1329.

XLIII. GAUFRIDUS.

RABETY. *al.* RABENY.

Gaufridus Rabery, gentilis Arnaldi de Via cardinalis tit. S. Euſtachii, a quo heres declaratur teſtamenti codicillis anno 1336. jam præerat Regenſibus an. 1334. die 5. Septembris, ex actis conſiſtorialibus. Eodem autem anno, nonis Decembris Johannes Gaſqui Maſſilienſis epiſcopus eum, additis nonnullis aliis, teſtamenti ſui exſecutorem inſtituit, inquit Ruffius. Adfuit concilio Avenionenſi a trium provinciarum epiſcopis celebrato apud ſanctum Ruffum an. 1337. menſe Septembri. Hic epiſcopus in æde ſacra beatæ Mariæ Magdalenæ Aquenſis duo fundavit ſacerdotia. Fato conceſſit Avenioni anno 1348. exeunte.

1334. *hiſt. Maſſil. l. 10. c. 1.* 1337. 1348.

XLIV. JOHANNES I.

JOFFREVAT. [a]

Johannes Joffrevry [a], doctor juris in academia Toloſana renuntiatus calendis Octobris anni 1339. preſbyter ordinatus undecimo cal. Martii anni 1345. decimo-nono cal. Septembris factus eſt epiſcopus Regenſis, inde Valentinus, Lucionenſis, Helenenſis, & Anicienſis.

XLV. PETRUS VI.

FABRI.

Rexit Petrus Fabri anno 1352. quo inſcribitur tabulis epiſcopatus. Annuas pro ſe vita functo preces inſtituit, aſſignatis ad eas perſolvendas ſufficientibus reditibus anno 1355. Adhuc ſedebat anno 1362.

1352. 1362.

XLVI. JOHANNES II.

DE MAILLAC.

Johannes de Maillac anno 1370. excepit hominium, fidemque clientelarem nobilium qui prædia beneficiaria ab epiſcopatu pendentia poſſidebant, in his Johannis de Auraiſone. Urbem ſuam a Raimundo vicecomite Turenæ oppugnatam & concrematam reſtituiſſe, atque auxiſſe dicitur. Guillelmi de Gardia Arelatenſis

1370.

[a] Vide Baluzium tomo 2. ad vitas paparum Avenionen. c. 751. Eadem enim inſeruit D. Claudius Eſtiennot ſuis fragmentis hiſt. tomo 8. p. 86 quæ legerat in miſſali biblioth. collegii Fuxenſis Toloſæ manu Johannis ſcripta, quem cognominat de Jauſenoo.

quondam archiepiſcopi, demum Jeroſolymorum patriarchæ & cardinalis teſtamento ſubſcripſit; denique exactis in epiſcopatu annis triginta mortuus eſt anno 1399.

ANNI CHRISTI. 1399.

FABRI.

XLVII. GUILLELMUS II.

Guillelmus ex Fabriciorum Regenſium ſtirpe procreatus, auctore Bartello, ſedere cœpit anno 1400. Anno 1409. ſæviente ſchiſmate œcumenicum Piſis a cardinalibus utriuſque obedientiæ concilium indictum eſt, velut unicum graſſanti malo remedium; cui adfuerunt 180. præſules. Cum vero Guillelmus ad illud accedere non poſſet, miſit legatum, qui ſuas in frequentiſſimo illo cœtu vices ſuppleret, ex actis ejuſdem editis tom. VI. Spicilegii.

1409.

DE BOULLIERS.

XLVIII. MICHAEL I.

Michaël de Boulliers ex dominis Centalli jam Regenſem gubernabat eccleſiam anno 1422. ut conjicimus ex inſtrumento publico hujus ætatis, in quo legimus M. epiſcopum Regenſem. Notant epiſcopatus tabulæ præſulem hunc Renato Siciliæ regi & Provinciæ comiti fidem pro eccleſiæ ſuæ feudis & prædiis promiſiſſe ac juraſſe.

1422.

DE BOULLIERS.

XLIX. MICHAEL II.

Hujus epiſcopi cognomen ſatis probat eum deceſſoris ſui fuiſſe cognatum. Admotus eſt Regenſis eccleſiæ regimini anno 1441. ut palam fit ex ipſius necrologio in quo legitur: *Anno Domini* MCCCCXLIX. *die* 2. *menſis Februarii, de mane ante auroram, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini Nicolai divina providentia papæ V. anno tertio, reverendiſſimus in Chriſto pater & dominus Michaël de Bolleriis epiſcopus Regienſis viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, ſedis in pontificatu annos octo, cujus anima requieſcat cum beatis in pace, Amen.*

1441.

1449.

L. ROBERTUS I.

Robertus circa annum 1450. migravit e vita. Si quidem ipſi legitur ſuffectus Johannes, XVII. cal. Aprilis ejuſdem anni.

FACCY.

LI. JOHANNES III.

Johannes Faccy cœnobii Carmelitarum apud Avenionem alumnus, quem ad ſupremam ordinis hujus præfecturam provexerunt virtutes, doteſque ſingulares, Roberto epiſcopo Regenſi ſuffectus dicitur ex actis conſiſtorialibus Vaticani ad XVII. cal. Aprilis 1450. An. 1457. Petrus de Fuxo ordinis Minorum & cardinalis, Arelatenſis archiepiſcopus & legatus Avenionenſis, celebravit concilium Avenioni, cui cum Roberto Aquenſi metropolitano adfuerunt ejuſdem provinciæ epiſcopi, in his Johannes Regenſis. Fato ſuo functus dicitur anno 1464. Ejus elogium hiſtoricum vide apud Bartellum in nomenclatura præſulum Regenſium, fol. 262. & ſeqq. Patribus Carmelitanis abbatiam S. Andreæ de Deſerto, ſeu de Boſco, variis caſibus afflictam attribuit hic epiſcopus.

1457.

Tom. XIII. concil. col. 1404.

1464.

LII. MATTHÆUS II.

Hunc epiſcopum libenter prætermitteremus, quando de illo nihil nobis occurrit. At ipſum recenſeri in tabulis anni 1466. teſtantur fratres Sammarthani, quos ſequimur quandiu nobis non conſtat eos aberraſſe, & memorialibus falſis ad ſe miſſis fuiſſe deceptos.

ANNI CHRISTI. 1466.

LASCARIS.

LIII. MARCUS.

Marcus Laſcaris[a] de Tende, filius Antonii & Franciſcæ de Bolleriis, ex comitibus Tendæ & Vintimilienſibus oriundus, præpoſitus Veſulanus in Caſalenſi diœceſi, ac prior beatæ Mariæ de Intermontio, epiſcopus fuit ab an. 1466. die 6. Octobris. Hic jurium temporalium ſollicitus, apud Regium & Caſtrum-rotundum, ſeu Cornetum, ſubditos quoſque ad ſacramentum clientelare & hominium adegit. Adhuc ſuperſtes erat anno 1489.

[a]

1466.

LASCARIS.

LIV. ANTONIUS I.

Antonius Laſcaris de Tende, præpoſitus Veſulanus, Marci fratris abdicatione epiſcopalem honorem aſſecutus eſt. Hujus ſedis vocatur electus anno 1495. 22. Octobris in ſynodo diœceſana; quo nomine deſignatus reperitur, & anno 1501. Nova ſtatuta ſynodalia condidit anno prædicto 1495. quibus hodieque eccleſia Regenſis utitur. Eo tempore capitulum variis dynaſtis egente clariſſima de Tenda nobilitabatur, Thoma videlicet præpoſito, Antonio archidiacono, Petro ſacriſta, & Honorato canonico. Cum autem baſilica beatæ Mariæ de Sede olim a Thoma antiſtite hujus nominis primo exſtructa, bellorum civilium fato, pariter cum civitate exciſa fuiſſet, Marcus Antonii germanus & anteceſſor aliam juxta mœnia erigere cœpit, quam Antonius abſolvendam curavit. Præerat adhuc anno 1517.

1495.

1517.

LV. HUGO IV.

Hugo legitur ſediſſe ad annum 1520. interfuiſſeque concilio Lateranenſi ſub Leone X. anno 1514. ex ſeſſ. 6. 8. & 9. una cum Dionyſio Tolonenſi, & Claudio Maſſilienſi epiſcopis. Sed vereor ne Hugo Regenſis hic recenſitus, fuerit epiſcopus Regii in Æmilia; maxime cum videam pleroſque epiſcopos qui huic adfuerunt ſynodo, fuiſſe Italos.

LASCARIS.

LVI. ANTONIUS II.

Antonius Laſcaris de Tende ſuperioris nepos ex fratre Honorato, qui Margaritam Carettam e marchionibus Finarii duxerat, præpoſitus Avenionenſis, abbas ſanctæ Mariæ de Soricinio, ex canonico & archidiacono Regenſi inauguratur antiſtes anno 1520. Præfuit per biennium, traductus inde ad Bellovacenſem epiſcopatum.

1520.

LASCARIS.

LVII. THOMAS.

Thomas Laſcaris de Tende Marci epiſcopi nothus, ex præpoſito Regenſi, & Antonii I.

[a] Hoc cognomen ſumtum eſt ex Eudoxia * de Laſcaris ſorore Johannis Laſcaris, quem Michaël Paleologus imperio Conſtantinopolitano exuit. Hæc princeps femina Guillelmo-Petro Balbo comiti Vintimiliæ nupſit, cujus filius primogenitus Johannes cognomen & inſignia matris ob imperatorum ipſius genus aſſumſit, ac ſuis reliquit poſteris.

*a Irene.

Digitized by Google

de Tenda vicario generali, a Julio pontifice maximo dispensatus super defectu natalium, decessoris abdicatione eligitur. Primo sui episcopatus anno 1523. ad clientelæ professionem debitam compulit Petrum Fabricium dictum de Mazano, & Maximinum de Castellana Regenses condominos, ex libro hominiorum. Diem clausit extremum anno 1526. 10. Aprilis, herede nominato ex asse Antonio de Tenda episcopo Bellovacensi.

ANNI CHRISTI. 1523. 1526.

LVIII. Franciscus II.

DE DINTEVILLE.

Franciscus de Dinteville, nobilis Campanus, decanus Autissiodorensis, & abbas Dervensis, vocatur electus Regensis 3. Augusti 1527. possessionem nanciscitur eodem anno; sed episcopatum per vicarios tantum administravit. Demum per obitum patrui Francisci, qui excessit e vivis die penultima Aprilis anni 1530. translatus est ad ecclesiam Autissiodorensem, ubi consule quæ ad eum pertinent.

1527.

LIX. Robertus II.

CENALIS.

Robertus Cenalis origine Parisinus, ex doctore Sorbonico, & episcopo Vencensi in Provincia, designatur præsul Regensis a Francisco I. apud Engolismam 7. Maii 1530. vi concordatorum inter Leonem X. summum pontificem, & eundem regem. Hic præsul eruditione clarus, per triennium quo rexit ecclesiam, saluberrimis eam constitutionibus & statutis synodalibus, quæ exstant, informavit. De ipso rursum locuturi sumus, quando agemus de episcopis Abrincensis ecclesiæ, ad quam sedem translatus est anno 1532.

1530.

LX. Antonius II. *Iterum.*

LASCARIS.

Antonius Lascaris de Tende Regensis antea episcopus, ex Bellovacensi, ad Lemovicensem præsulatum traductus est; at prioris sponsæ Regensis ecclesiæ amore illectus, eo migrare iterum constituit. Johanne ergo de Langeaco Abrincensi episcopo ad Lemovicensem cathedram, cedente illam Antonio de Tenda, & Roberto Cenali ex Regensi ad Abrincensem sponte transeuntibus, idem Antonius huic Regensi sedi secundo præficitur, solemni pompa urbem ingressus pridie cal. Decemb. 1532. opimis insuper donatus est sacerdotiis. Erat enim præpositus B. Mariæ de Donis Avenione, Prinensis, Bariolensis & Regensis, ex dispensatione apostolica, necnon abbas beatæ Mariæ de Soricinio. Clementem VII. papam Massiliæ invisit, a quo statutorum capituli Regensis confirmationem obtinuit anno 1533. Demum Barbentanæ ad Druentium juxta Avenionem codicillos testamenti scripsit 1541. 14. Novembris, quibus inter alia legat cathedrali quosdam reditus, pro majore missa singulis diebus ad sui, suorumve perennem memoriam celebranda. Decessit Avenione in ædibus præpositi beatæ Mariæ an. 14. pontificatus sui Regensis.

1532. 1541.

LXI. Johannes-Ludovicus.

DE BOULLIERS.

Johannes-Ludovicus de Boulliers abbas Villarii, & beatæ Mariæ de Stapharda in Pedemontio, Ludovico domino Centalli & Maria Trivultia Mediolanensi parentibus genitus; vir bellator potius quam pedo pastorali aptus, interfuerat pugnæ Cerisolensi cum ala equitum pugnans pro rege Francisco I. anno 1544. ut testatur Blasius Monlucius in commentariis; postmodum hujus cathedræ administratione potitur, suffectus post obitum Antonii de Tenda, prout indicant tabulæ publicæ senatus Aquensis. Ejus pontificatus non prætergreditur annum 1550. & nondum consecratus interiit, non sine veneni suspicione.

ANNI CHRISTI. 1544. 1550.

LXII. Lancelotus.

DE CARLES.

Lancelotus de Carles Burdegalensis, senatoria familia natus, filius Johannis in parlamento Burdegalensi præsidis, ex Jacoba Constantin, Henrico II. Christianissimo regi notus & carus ob peritiam dexteritatemque in tractandis reipublicæ negotiis, ab ipso missus fuit Romam circa annum 1547. cum Francisco de Rohan domino de Giez, apud pontificem de amicitia sancienda acturus, quemadmodum refert Thuanus hist. l. 3. Creatus Regensis episcopus, adiit possessionem per procuratorem anno 1550. postea Rejum solita pompa ingressus, ad ecclesiæ suæ ornatum mentem adhibuit, quam aulæis, picturis, aliisve donariis locupletavit, & maxime sanctuarii parietes, fornicemque decorare curavit. Anno 1552. Regenses condominos feudatarios ad clientelam admittit, & comitiis generalibus trium ordinum Lutetiæ interfuit anno 1557. Porro edidit versibus Gallicis cantica, *Benedictus, &c.* ut notat Antonius Verderius in bibliotheca; unde a Lurbeo in libello de illust. Aquitaniæ viris commendatur his verbis: *Lancelotus Carlus honestæ familiæ Burdigalæ genitus, in litteris omnem ætatem consumpsit; cumque eo nomine ab omnibus doctis summo esset in pretio, & præsertim Lutetiæ, ubi quasi domicilium constituerat, atque ex ea re aulicis gratus & probatus esset, ab Henrico rege Regiensem episcopatum adeptus est, in quo suis officiis memor, pie & sancte versatus est.* Exstant aliquot ejus commentationes Gallico sermone scriptæ: item epistola Gallica ad regem Carolum IX. qua obitum Francisci Lotharingi Guisii, ejusque novissima verba, post lethale vulnus acceptum in obsidione Aurelianensi eleganter expressit. Michaël Hospitalius Franciæ cancellarius lib. 1. epist. eleganti carmine magnum eum poëtam prædicat. Petrus Ronsardus poëtarum nostratium princeps lib. 1. hymnum 7. ei dicat; ac Joachimus Bellaius cum lepide hoc poëmate sic alloquitur:

1547. 1550. 1552. 1557.

Cum tibi sint Charites, Veneresque, jocique, leporesque
Aonio cum sis gratus & ipse choro.
Cum populis tam grata fluant tibi carmina, Carle,
Jam mihi non Carlus, sed Charilaus eris.

LXIII. Honoratus.

DE VILLENEUVE.

Honoratus de Ville-neuve abbas commendatarius beatæ Mariæ de Soricinio, Helionis de Villa-nova domini de Sparrono, e nobilissima

familia marchionum de Trans in Provincia, A filius, per aliquot annos adminiſtravit epiſcopatum; antequam vero ſacra unctione inauguraretur, venenata potione interiiſſe creditur circa annum 1573. in propriis ædibus quæ adhuc viſuntur Reji.

ANNI CHRISTI.

1573.

DE S. SUPLICE.

LXIV. NICOLAUS I.

1574. Is electus epiſcopus anno 1574. nuncupatur in regiſtro capitulari Regenſi, quem conſecratum fuiſſe haud liquet. Sub eo capta urbs a novatoribus, Claudio de Caſtellana Turnonii toparcha civitatis gubernatore; at poſtmodum recepta eſt pulſis hæreticis, ab Alberto Gondio Franciæ equitum tribuno. Sediſſe reperitur hic præſul per biennium tantum, aut circa.

D'AURAISON

LXV. ANDREAS.

Andreas d'Auraiſon ex illuſtri proſapia, cui nomen dedit nobile caſtrum non longe a Durancia poſitum, Antonii vicecomitis de Cadeneto, germani Claudii Caſtrenſis antiſtitis, ex Martha de Foix de Meille filius, toparcha de Cadeneto, de Soleillas, &c. cum fuiſſet creatus Regenſis epiſcopus, circa annum 1576. ſolo electi nomine contentus, non curavit recipere impoſitionem manuum & conſecrationem. Quin etiam militaribus deditus ſtudiis abdicavit; & amplexatus hæreſim quæ tum graſſabatur, ſimul uxorem duxit, ſuffecto ſibi prius Elziario de Raſtellis.

1576.

DE RASTELLIS.

LXVI. ELZIARIUS.

Elziarius de Raſtellis abbas Sinanquæ, & Firmitatis ſuper Gronam, prior Pontis ſancti Spiritus ad Rhodanum, Cavallicenſis patria; ex ceſſione Andreæ circa annum 1585. Regenſi eccleſiæ præficitur, turbulenta ea tempeſtate, qua maxima pars Provinciæ prætextu religionis a rege defecerat ad Fœderatos *. Hoc inconſulto & præcipiti ſtudio abreptus Elziarius, non tantum ſocietati perduellium religionem obtendentium nomen dedit, ſed etiam Provincialium comitiorum ſuffragiis ad ducem Sabaudiæ miſſus eſt anno 1590. cum caſtellano Ampuſio, inquit Thuanus hiſt. lib. 99. Iterum Elziarius miſſus a Fœderatis Provinciæ, acceſſit Lutetiam ad conventus a Meduanio duce indictos an. 1593. qui anno ſequenti ineunte ſunt habiti, ex eodem Thuano l. 105. Reverſus autem, cum eandem provinciam variis utrinque partium ſtudiis ſciſſam reperiſſet, in caſtrum Montiniacum prope Rejum ſecedens, a novatoribus obſeſſus, deditione facta, pecuniæ ſumma non modica ſe redemit. Cabellionem ergo ſe contulit ad patrias ædes, ſicque ab eccleſia ſua aliquot annis abfuit, donec reddita regno & eccleſiæ pace, ad ſedem ſuam poſtliminio regreſſus eſt. Baſilicæ Regenſis deſolatæ reliquias in monte S. Maximi, olim Guiſii ducis auctoritate pulvere tormentario diſjectas, vehementer doluit; eaque ruina iterum civitate ſua abeſſe coactus eſt Elziarius, qui interea quantum licuit per temporum injuriam, paſtoris boni officium non intermiſit. Synodalibus enim Provinciæ conventibus interfuit, concilio Aquenſi inprimis ſub Alexandro Canigiani metropolita celebrato anno 1585. & alteri a Paulo Huraldo Hoſpitalio item archipraſule congregato. Organa pneumatica in eccleſia ſua confici curavit, necnon pro epiſcopali palatio diruto, aliud juxta eccleſiæ novæ fores conſtruere cœpit, ſed utroque opere nondum abſoluto, Cavallione in paterna domo interiit anno 1556.

* In Liguſ.

ANNI CHRISTI.

1596.

DE S. SIXT.

LXVII. CAROLUS.

Carolus de Saint-Sixt comes conſiſtorianus, prior commendatarius S. Saturnini de Portu, alias B. Spiritus ad Rhodanum, theologiæ doctor, necnon ſedis apoſtolicæ protonotarius, Avenione natus honeſta familia, quæ olim ex Sabaudia *, & gentilitio San-ſixti municipio lares Avenione fixerat; patrem habuit Petrum de Sancto-Sixto portis Sorgiæ arcis præfectum, virum divitem, ſed in pauperes munificentiſſimum, qui cœnobium Capucinorum Avenione fundavit. Ex Raſtellia matre, Elziarii epiſcopi ſorore prognatus iſte Carolus, avunculi ſui coadjutor deſignatus, Regenſis epiſcopatus poſſeſſionem adipiſcitur 1601. quo anno funebri ſermone parentavit Guillelmo Blanco juniori, doctiſſimo epiſcopo Graſſenſi; biennioque poſt, cleri Provinciæ nomine in comitiis Aquarum-Sextiarum, jubente Henrico Magno præfuit. Nunquam vero propter ſecularia negotia boni paſtoris officio defuit, in prædicando præſertim verbo Dei ſtudioſiſſimus & acerrimus. Ad arcendos a ſuo grege lupos, conventicula Calviniſtarum in Regenſi ſuburbio bellorum tempore fieri ſolita, a civitate & territorii ſui finibus, ſupremæ Aquenſis curiæ ſenatuſconſulto eliminare curavit. Idem pro epiſcopali palatio diruto alias, partim permutationis nomine cum Claudio de Caſtellana Turnonii dynaſta pro ſancti Laurentii dominio, partim proprio ære aliud comparavit. Sæpe autem comitiorum Provincialium ſuffragiis delectus, varias legationes obivit ad eundem Henricum Magnum, cui inprimis gratus erat, ad Mariam Mediceam Galliarum reginam & regentem, uti ad Ludovicum XIII. At vero Henricum IV. in publica exſequiarum ſolemnitate in cathedrali ſua, oratione laudavit anno 1610. quam poſtea typis edidit. Monaſterium Capucinorum Reji inſtituit circa 1612. xenodochium commodius pro pauperibus de novo conſtruxit, cui de propriis pecuniis perpetuos cenſus aſſignavit. Inter tot gravia epiſcopatus negotia, quadam tamen verſibus lyricis luſit vir eruditus, ad normam odarum Horatii. Tractatum de liturgia Dionyſiana, ſive apoſtolica a Gilberto Genebrardo nuper Latine conſcriptum, idiomate Gallico reddidit; ſermonem etiam de S. Euchariſtia Ludovico XIII. regi nuncupatum edidit. Denique Carolus ægrotans leviter, venenatæ potionis hauſtu, ſibi a familiari, ut creditur, ſub ſpecie juſculi ad recuperandam valetudinem propinato, brevi tempore oppreſſus interiit die Dominica 13. Aprilis 1614. ſepultus omnium luctu in cenotaphio quod ſibi ipſe

1596.

1601.

1610.

1614.

* Lego Annecii in Sabaudia, ſuburbii cujuſdam portam nomen de *Samoſia* retinuiſſe, a Caroli proavo inde oriundo.

& ſucceſſoribus exſtruendum curaverat.

ANNI CHRISTI

LXVIII. Guillelmus III.

Aleaume. Guillelmus Aleaume ſenator Pariſienſis, ac Guillelmi Varii * in ſupremo Provinciæ ſenatu Aquenſi protopræſidis, dein Franciæ procancellarii ex ſorore nepos; hujus ſedis epiſcopus nominatur 1615. urbemque ſuam invectus eſt 12. Maii 1616. At cum Varius avunculus Lexovienſis antiſtes fuiſſet renuntiatus, & Alealmum nepotem paulo poſt ſibi pro epiſcopali munere adjutorem dari obtinuiſſet, continuo Alealmus Vario e vivis ſublato, a Regenſi cathedra ad Lexovienſem tranſiit, anno 1621.

* du Vair.

1615.

Bentivo-glio.

LXIX. Guido.

Guido Bentivoglio Ferrarienſis cardinalis, archiepiſcopus Rhodienſis, ex clara vetuſtaque apud Bononienſes gente ſatus, de qua Raphael Volaterranus, & Franciſcus Sanſovinus in hiſtoria illuſtrium Italiæ familiarum, cum adoleſcens totum ſe litteris tradidiſſet, a Clemente VIII. aſſumtus eſt in cubicularium, & a Paulo V. in referendarium. Deinde variis legationibus ad principes Chriſtianos, præcipue vero nuntiatura apoſtolicæ ſedis ad archiducem Albertum in Flandria, ubi munificentia, rerum peritia, pietateque omnium animos ſibi conciliavit; dein ad Ludovicum XIII. Juſtum Francorum regem laudatiſſime functus eſt. Poſtea urgentibus meritis creatur cardinalis a Paulo V. pontifice in ultima promotione anni 1621. 11. Januarii titulo ſancti Johan. ante Portam Latinam donatus 17. Maii. Huic autem ſedi Regenſi præficitur 1622. At cum totius eccleſiæ Catholicæ negotiis occupatus Romæ a ſummis pontificibus detineretur, ob ſingularem rerum gerendarum peritiam, ita ut epiſcopatum ſuum per ſe adminiſtrare non poſſet, obeundæ in eo viſitationis munia Ludovico Duchaine epiſcopo Senecenſi delegavit. Sed & poſtea epiſcopatum abdicavit conſenſu pontificis maximi Urbani VIII. & Ludovici XIII. an 1616. defunctus Romæ in Vaticano 7. Nov. 1644. dum comitia pro novo creando pontifice Innocentio X. celebrarentur. Jacet in æde ſancti Silveſtri in monte Quirinali ſine monumento & inſcriptione, inquit Ughellus, qui decus & honor Romanæ purpuræ fuerat. Scripſit vulgari idiomate Italico hiſtoriam Belgicam ſui temporis, & alia nonnulla typis excuſa.

1621. 1622. 1616.

De Lupis de la Fare.

LXX. Franciscus III.

Franciſcus de Lupis de la Fare Carpentoracti in comitatu Venaiſino natus, egregiæ indolis adoleſcens, cum a teneris annis Avenione Minimorum ordini nomen dediſſet, in eo tantum profecit, ut ad omnes illius dignitates brevi fuerit evectus. Non modo enim provinciæ ſuæ præfectus, ac provincialis, ut vocant, exſtitit, verum etiam Romæ in capitulo generali plurimorum votis atque ſuffragiis ad ſupremum illius miniſterium fuit expetitus. Cum autem inter præſtantiores ævi ſui theologos ac concionatores Franciſcus emineret, ejuſque in dicendo vim atque facundiam præcipuæ hujus regni civitates eſſent demiratæ, *non potuit diu lucerna latere ſub modio, ſed ſuper candelabrum poni illam oportuit, ut omnibus qui in domo Dei ſunt præluceret.* Pervenit namque fama tanti viri Romam uſque ad Guidonem Bentivolum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem, & epiſcopum tunc Regenſem, qui cum animadvertiſſet ſe in eccleſia ſua nequaquam reſidere poſſe, ac de ſucceſſore ſibi ſubrogando cogitaret, non putavit alium Franciſco aptiorem aut digniorem inveniri poſſe, qui hanc cathedram occuparet. Ceſſit igitur Guido cardinalis in illius favorem Regenſem epiſcopatum, retenta penſione; ſicque Franciſcus accepto apoſtolico mandato anno 1615. Lutetiæ inauguratus eſt in æde ſacra patrum Minimorum, a Guidone Huralto Hoſpitalio archipræſule Aquenſi, operam præſtantibus Tuſſano de Glandeves Siſtaricenſi, & Ludovico Duchaine Senecenſi præſulibus. Poſt aliquot menſes ad eccleſiam ſuam pergens, a Regenſibus publica lætitia & congratulatione ſuſceptus eſt, ac ſubinde quantus ipſe antiſtes futurus eſſet, egregiis concionibus ſatis oſtendit, quas magno cum audientium fructu habuit, tum Reji, tum in variis ſuæ diœceſis baſilicis. Sed heu! majora quæ in eccleſiæ utilitatem a Franciſco expectari poterant, præpropera mors invidit. Anno enim 1628. qui fuit ejuſdem Franciſci vitæ poſtremus, electus e provinciæ Aquenſis præſulibus, qui res cleri Gallicani in ipſius cœtu generali Pictavis, ac dein Fontiniaci congregato procuraret, cum ibi ſe opere ac ſermone potentem exhibuiſſet, ſolutis comitiis, plurimiſque a rege cumulatus honoribus, antequam ſuam diœceſim repeteret, Lutetiam tendens, febre correptus Eſtivalii in Charnia Benedictinarum monialium abbatia, Cenomanenſis diœceſis, humaniſſime exceptus, cum invaleſcente morbo decubuiſſet, paulopoſt exſtinctus eſt die vigeſima-octava Septembris, corpuſque ejus apud Saligniacum oppidum vicinum, atque inibi nuper fundatum ordinis Minimorum cœnobium, prout mandaverat, in ſepulcrum illatum eſt, ad diem 11. Septembris anni ſupra memorati. Hujus præſulis encomium habet P. Franciſcus Lanovius in chronico ejuſdem ordinis Minimorum: prorſus juxta ſui nominis etymon, clara ſapientiæ pharus, ac purum pietatis far. In cujus etiam nomine ludens Abelius Sammarthanus Scævolæ II. filius, ſacri conſiſtorii comes, hoc epigramma cecinit:

Alta pharos cæco deprenſis æquore nautis,
Conſpicuo lychni lumine monſtrat iter.
At variis actam ventorum hinc inde procellis,
Littore ſecuram ſiſtit amica ratem.
Tu quoque, magne Fari, vibranti fulmine lingua,
Ad ſupera oppreſſis limina pandis iter.
Et fere demerſam vitiorum turbine mentem
Erigis; ac tutam victor ad aſtra vehis.

1628.

Dony d'Attichy.

LXXI. Ludovicus.

Ludovicus Doni d'Attichy familia apud Florentinos illuſtri ortus eſt, e qua nonnulli in priores ac vexilliferos, vulgo Gonfalonerios, id eſt ſupremos reipublicæ Florentinæ magi-

ANNI CHRISTI.

ſtratus (penes quos jus pacis erat ac belli) delecti ſunt. Ex ea prognatus ſtirpe Octavianus Donius toparcha Attichii in Gallia, cum per Magdalenam Tornabonam matrem, ad Catharinæ & Mariæ Mediceæ Galliæ Auguſtarum progeniem, ex Lucretia Tornabona, Petri Medicei conjuge, affinitatis jure ſpectaret, a regibus Henrico III. & IV. primum ſanctioris conſiſtorii comes factus, tum regio ærario præfectus, dein Mariæ Mediceæ & Eliſabethæ Franciæ, Hiſpaniæ reginæ ejus filiæ palatii magiſter eſt conſtitutus. Is etiam Valentiam Marillacam ſibi aſcivit in conjugem, ex gente nobili apud Arvernos oriundam, e qua prodiere Carolus Viennenſis archiepiſcopus, Bertrandus Redonenſis præſul, Michaël ſub Ludovico XIII. regni procancellarius, & Ludovicus Franciæ mareſcalius, cujus bellica virtus in obſidione Rupellana, apud Ream inſulam, & in Caſalenſi expeditione potiſſimum emicuit; e quibus duo iſti poſtremi, antiſtitis Ludovici fuere avunculi. Hic cum adoleviſſet, liberalibus diſciplinis apprime inſtructus, ordinem Minimorum amplectitur, in quo doctrinæ præcipuum edidit ſpecimen, quod vix annum 24. ſupergreſſus, conſcripſit hiſtoriam ejuſdem ordinis Minimorum, ac poſtmodum vicam B. reginæ Johannæ a Francia, Biturigum duciſſæ, virginum Annuntiatarum fundatricis. Unde ad dignitates ſui ordinis vocatus, cœnobio Pariſienſi quamvis Romæ degens ſuffragiis præpoſitus fuit. Tum ad regendam inferioris Burgundiæ provinciam expetitus, tandem a rege Ludovico XIII. in obſidione Rupellæ, ad eccleſiæ Regenſis adminiſtrationem abſens nominatus eſt die 5. menſis Octob.
1628. anni 1628. An. ſequenti vero a ſummo pontifice confirmatus, conſecratur Dominica in Albis
1630. anni 1630. Pariſiis in æde S. Maglorii patrum Oratorii Domini N. J.C. a Johanne-Franciſco de Gondy archiepiſcopo Pariſienſi, aſſiſtentibus Johanne Lodovenſi, & Bartholomæo Convenenſi præſulibus. Eodem anno electus, ut apud regem totius cleri Gallicani cauſam ageret, una cum Gabriele Aurelianenſi epiſcopo, & Franciſco electo Tricaſtinenſi, in Sabaudiam fame, bello ac lue graſſantibus, iter periculoſum ſuſcepit, eoque munere egregie functus, legationem ad optatum finem perduxit, ut & Lugduni, ubi totius itidem cleri nomine regi gratias egit. Inde Regenſem civitatem pontificaliter ingreſſus
1631. eſt die 11. Maii 1631. quo ex tempore optimi præſulis partes omnes egit; nam integram diœceſim ſæpius luſtravit, palatium epiſcopale inſtauravit, ac media parte auxit; villam ſuburbanam juxta Sorpium fontem celebratiſſimo illi Sorgiæ non imparem, atque inde a fonte epiſcopi denominatam, magnis ſumtibus a fundamentis exſtruxit, atque perfecit. Moniales ſanctæ Urſulæ in civitatem Regenſem, poſtea etiam in urbem Valenzolienſem ejuſdem diœceſis recepit. Propria ſanctorum eccleſiæ ſuæ officia ab univerſo clero diu expetita, ipſe contexuit, atque ad formam breviarii Romani redacta
1637. typis excudi curavit. Anno autem 1637. tractatum edidit de jure ſuccedendi epiſcoporum, ac de excellentia dignitatis epiſcopalis, ex occaſione litis quam habuit in ſenatu Pariſienſi pro adeunda hereditate fratris Antonii Attichii toparchæ, qui adverſus Belgas pro rege dimicans, plumbea glande percuſſus occubuerat. Idem pro temporalibus eccleſiæ ſuæ juribus decertans adverſus cives & condominos Regenſes vaſſallos, ejus obſequium detrectantes, eos ad hominium compulit, quin etiam eiſdem civibus temporale dominationis eccleſiæ ſuæ jugum a cervicibus ſuis excutere tentantibus, ac regii nominis potentiam ei opponere (cum præter ſummum imperium nihil juris habeat rex in ipſa civitate, ac ejus territorio) id obtinuit, ut penes ipſum ac ſucceſſores antiſtites eſſe univerſale ipſius civitatis dominium, & omnimodam juriſdictionem ſenatus placito declararetur, eique ſoli competere jus creandi in eadem urbe judices, ac magiſtratus, qui de cauſis tam civilibus quam criminalibus quibuſcumque cognoſcerent. Cum vero cleri ſui moribus reformandis invigilaret, nefariorum quorumdam impetum ac certam necem ſola virtute divina effugit. Ceterum deſinente Aprili 1643. apud S. 1643.
Germanum in Laya interfuit cum præcipuis regni proceribus & epiſcopis ſolemni baptiſmo regis Ludovici XIV. tunc Delphini, Ludovico Juſto patre in extremis agente. Sequenti anno 1644. hiſtoriam B. Johannæ reginæ a ſe recenſitam, & auctam denuo publicavit; ac etiam homiliam, ſeu orationem panegyricam S. Maximi epiſcopi Regenſis. Eodem anno regi Ludovico XIV. nomine trium ordinum Provinciæ ipſius obſequii primitias obtulit aſſiſtentibus Graſſenſi & Tolon. præſulibus. Adfuit quoque generali cœtui cleri Gallicani anni 1645. Lu- 1645.
tetiæ celebrato. Hinc ad ſedem ſuam reverſus, cathedralem baſilicam ſeptem ſacellis ampliſſimis auxit, quorum prius ceteris auguſtius, ad ſuam & ſucceſſorum antiſtitum ſepulturam in illius hypogæo deſignavit; tum cœpit ingens opus moliri duobus tomis comprehenſum de ſanctæ Rom. eccl. cardinalibus, qui a ſex & amplius ſeculis pietate floruerunt, quod prelum exſpectat. Præmiſit vero quaſi præludium operis, libellum de vita Petri cardinalis Berulli, congregationis Oratorii Jeſu Chriſti in Gallia fundatoris. Ac demum gregem verbo ac exemplo dum paſcit Ludovicus, & in quoſdam concubinarios inceſtuoſos cenſuras eccleſiaſticas infligere parat, atque clandeſtinum matrimonium fieri vetat, tumultu plebis in ſe excitato, ut vitæ conſuleret, a civitate ſua Regenſi diſcedere coactus eſt. Deni-
que an. 1652. transfertur ad eccleſiam Æduenſem. 1652.

LXXII. NICOLAUS II. DE VALLAVOIRE.

Nicolaus de Vallavoire frater marchionis de Vallavoire Valentiæ in Italia præfecti, ex nobilibus Provinciæ, Petro patre natus eſt toparcha de Vallavoire & de Voulx, matre Gabrieli de Fourbin ſtirpis veruſtæ dynaſtarum de Soliers; quæ ad Pontevenſes maternam originem referebat. Is per Ludovici Donii reſignationem, ad Æduenſem eccleſiam tranſlati, ad Regenſem vocatur nominatione regia Ludovici XIV. apud S. Germanum in Laya 10. Maii 1652. admittitur

ANNI CHRISTI.

mittitur in consistorio Innocentii X. pont. max. A 1. Novemb. & 8. die Decembris festo Conceptionis Deiparæ virginis, unctionem sacram excepit eodem anno Lutetiæ Parisiorum in æde Fulienſium, ab ipsomet Ludovico decessore suo, assistentibus Ferdinando de Neufville S. Maclovii, & Francisco Faure Glandatensi episcopis: statimque fide regi obligata jurejurando 14. die mensis prædicti, ineunte anno 1653. dioecesim suam adiit, urbem primo solemni pompa invectus 10. Martii, ac pro faustis suæ administrationis initiis, reliquam episcopalis palatii partem, quam Ludovicus antecessor perficere meditabatur, quæque præ situ & vetustate ruinas minabatur, instauravit. Antequam ad hunc episcopatum ascenderet, interfuerat comitiis generalibus cleri Gallicani Lutetiæ an. 1645. celebrati, & ad cœtum Parisiensem 1655. delegatus est pro metropoli Aquarum-Sextiarum. Inunctioni sacræ Johannis de Vintimille in episcopum Dinienſem adfuisse legitur anno 1670. die 2. Septembris, una cum Ludovico de Fourbin episcopo Tolonensi.

LXXIII. Jacobus.

Jacobus des Marests patre quæstore Franciæ apud Suessiones ortus ex sorore Johannis-Bapt. Colbert regni administri, reique ærariæ præfecti, frater Nicolai, qui nunc regni administer, tum ærarii præpositus, summi viri Johannis Colberti avunculi sui vestigiis insistit, germanus etiam N. des Marests Maclovienſis episcopi, ac dom. de Vaubourg comitis Consistoriani, eruditione, modestia, integritate conspicui; cum clericali militiæ sese addixisset, fuit admissus in collegium canonicorum ecclesiæ Parisiensis die 19. Maii anni 1679. & in societatem doctorum Sorbonæ die 5. Julii anni 1681. Factus est etiam totius cleri Gallicani procurator * & promotor. Denique anno 1685. mense Augusto designatus est episcopus Regensis. Consecratur anno 1694. mensis Januarii die 24. Parisiis apud Fulienses a Jacobo Colbert Rotomag. archiepiscopo; collaborantibus Tarbeiensi & Valentino episcopis. Anno 1711. adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani. Anno 1713. mense Julio designatur a rege Christianissimo Auscienſis archiepiscopus.

ANNI CHRISTI.

* *Agent du Clergé.*

1685. 1694. 1711. 1713.

LXXIV. Ludovicus Balthasar.

Balth. Phelippeaux d'Herbaut abbas Toroneti, canonicus Parisiensis, designatur episcopus Regensis a rege in festo assumtionis beatæ Mariæ eodem anno. Consecratur Parisiis ab eminentissimo cardinali de Noailles archiepiscopo. Regi fidem clientarem juravit, die 3. Januarii 1714.

1714.

PRÆPOSITI REGENSES.

I. Petrus. I. 1096. confirmat donationem ecclesiarum sancti Juliani Stelæ, & S. Petri de Calvet, factam ab Augerio episcopo, monasterio Montis-majoris. Occurrit in alia charta ejusdem Augerii episcopi pro sancto Victore, an. 1098.

II. Guillelmus I. in bulla Paschalis II. Augerio episcopo Regensi, anno 1115.

III. Petrus II. ad quem Gregorius VIII. breve misit confirmans bona & jura ecclesiæ Regensis. E

IV. Elzear laudat an. 1255. fundationem monasterii monialium sanctæ Catharinæ de Sorps, factam ab episcopo Fulcone.

V. Petrus III. Giraudi de Puimichel, ex præposito Regensi electus episcopus Sistaricensis, anno 1277. *Colomb.*

VI. Hugo Caille an. 1310. componit cum Petro de Montamant episcopo.

VII. Guillelmus II. an. 1318. interfuit sententiæ inquisitoris latæ apud Massiliam, contra quosdam Minoritas. Vide notam ad Petrum Desprez episcopum Regensem.

VIII. Raimundus Johannis adest concilio Avenionensi apud sanctum Ruffum, pro Francisco Rossolino episcopo Regensi, an. 1327.

IX. Christinus Fabri fuit exsecutor testamenti Johannis cardinalis episcopi Ostiensis S. R. E. vice-cancellarii, ut liquet ex charta de fundatione collegii S. Nicolai apud Avenionem, ad an. 1428. Vide in episcopis Avenion.

X. Thomas Lascaris filius naturalis Marci de Tende episcopi Regensis, hujus ecclesiæ episcopus fuit creatus an. 1523.

XI. Bartholomeus Corvest electus 10. Aprilis 1516. quo die Thomas episcopus & præpositus obiit.

XII. Antonius Lascaris de Tende episcopus Belvacensis, & ex cessione Bartholomei Corvest præpositus. Postea rediit ad episcopatum Regensem, ac nihilominus præposituram illius ecclesiæ retinuit.

XIII. Ludovicus de Forbin d'Oppede præpositus Regensis decanus Tarasconensis, & Avenionensis archidiaconus major, nominatur episcopus Tolonensis anno 1664.

XIV. Johannes de Vintimille du Luc ex præposito Regensi, fit decanus Tarasconensis, dein nominatur episcopus Dinienſis, tandemque Tolonensis an. 1675.

by Google

ECCLESIA FOROJULIENSIS.

FORUMJULIUM, vel FORUMJULII urbs antiquiſſima eſt, uti probant vetera numiſmata Auguſti, ubi legitur *Colonia Julia Octavianorum* (vel *Octavanorum*) & Domitiani, ubi *col. For. Jul.* id eſt *colonia Forum Julii*. In nummo Neronis dicitur *col. Pac. claſſ.* hoc eſt colonia Pacenſis, claſſica. Unde titulum Pacenſis, qui legitur quoque apud Plinium, obtineat, nos fugit. Claſſica vero dicta eſt a claſſe Auguſti Cæſaris; unde Strabo Forum-julium navale Auguſti vocat, quod ad Galliæ latus tuendum, Auguſtus roſtratas naves eo miſiſſet, valido cum remige, uti docet Cornelius Tacitus lib. 3. Annalium; qui ad hujus urbis commendationem ait eam fuiſſe Cnæi Julii Agricolæ viri conſularis ſoceri ſui patriam. Urbem & regionem alluit fluvius Argenteus, vulgo *Argius* & *Argenſe*, ad cujus oſtium erat olim percommodus maris portus. At vero arenæ hujus fluvii ab annis circiter 400. ita portum obſtruxerunt, ut mare tribus vel quatuor paſſuum millibus ab urbe receſſiſſe videatur. Superſunt in urbe rudera publicorum ædificiorum, quibus Romani eam exornarunt; amphitheatri, aquæ-ductus, balneorum; quæ vetera monumenta Gothi, & Saraceni fœdavere. Cingitur Forumjulii valle pingui & fertili, ad Septentrionem; ad Orientem, montibus qui ad Alpes vergunt maritimas. Eccleſiæ Forojulienſis initia non altius repetenda, quam a IV. ſeculo videntur Joſepho Anthelmo canonico Forojulienſi erudito, & antiquitatis e tenebris eruendæ ſtudioſiſſimo. Epiſcopus urbis eſt dominus, concedente Ildefonſo comite & marchione Provinciæ, necnon rege Arragonum, ut dicemus in Raimundo epiſcopo, pluribuſque potitur nobilibus toparchiis Fajaneæ, de Bagnolis, ſancti Raphaëlis, Agayi, Puyeti, &c. Capitulum componunt præpoſitus, archidiaconus, ſacriſta, & duodecim canonici. Quinque alia ſunt canonicorum collegia in diœceſi; Barjolenſe conſtans præpoſito & novem canonicis; Alpenſe *, Leonacenſe *, Pignarienſe, Draguinanenſe. Eccleſiæ parochiales ſeptem ſupra ſexaginta numerantur. Quod ſpectat ad religioſas familias, præter unicam abbatiam Toronetum, *al.* Floregiam dictam ordinis Ciſtercienſis; apud Forumjulii ſunt Dominicani, fratres Minores quos cognominant de Obſervantia *, & Jeſuitæ. Moniales vero Ciſtercienſes, dictæ ſancti Bernardi, & Dominicanæ. In oppido Barjolenſi, Carmelitæ diſcalceati, Auguſtiniani, moniales a ſancta Urſula cognominatæ. In Leonacenſi, Trinitarii, Servitæ, moniales Ciſtercienſes, ſive ſancti Bernardi & ſanctæ Urſulæ. In Alpenſi, Auguſtiniani & Urſulinæ. Apud Draguinianum clerici a Doctrina Chriſtiana nuncupati, qui gymnaſio præſunt, fratres Prædicatores, Auguſtiniani, fratres Minores, Minimi, moniales Urſulinæ, & illæ quæ ſub patrocinio ſanctæ Mariæ cognatam ſuam viſitantis inſtitutæ ſunt. Lucum habet Carmelitas & Trinitarios; Cotiniacum preſbyteros Oratorii; Ceillanum Doctrinæ Chriſtianæ patres; Barſemons Auguſtinianos diſcalceatos. Apud Draguinanum, Leonacum & ſanctum Torpetum ſunt Minoritæ, Capucini. In hac autem recenſione amplitudinem diœceſis Forojulienſis, quæ omnium Provinciæ maxima eſt, exhibemus.

* *Lorgues.* * *Antib.* * *Obſervantius.*

Capitulum Forojulienſis eccleſiæ, multis fruitur juribus & privilegiis; nam ad ipſum pertinet collatio & omnimoda diſpoſitio beneficiorum, ut aiunt, omnium eccleſiæ majoris, in quibus jus annatæ percipere ſolet. Solum ſacriſtam nominat epiſcopus ex gremio canonicorum. Lego apud Sammarthanos fratres jus regaliæ, ſive in ſpiritualibus, ſive in temporalibus, nunquam in uſu fuiſſe hac in diœceſi; unde vicarius generalis, ſede vacante, confert beneficia ad collationem epiſcopi pertinentia, ſua vero capitulum. Patronus eccleſiæ poſt Dei-param Virginem, eſt ſanctus Leontius, ejuſdem tertius epiſcopus. Quod ſpectat ad juriſdictionem ſpiritualem, Forojulium pendet ab archiepiſcopatu Aquenſi, & pro foro temporali pertinet ad ejuſdem urbis, ac totius Provinciæ ſenatum.

Antiſtitum Forojulienſium catalogum, jubente Bartholomæo Camelino epiſcopo, in ordinem digeſſit Nicolaus Anthelmus hujus eccleſiæ canonicus. De initiis eccleſiæ Forojulienſis diſſertationem edidit anno 1680. Joſephus Anthelmus ejuſdem Nicolai gentilis, Forojulienſis quoque canonicus, addita præſulum Forojulienſium nomenclatura chronologica. Multa ex ſchedis Peireskianis mutuati ſunt fratres Sammarthani, ad ediſſerendam horum epiſcoporum hiſtoriam. Nec tamen deſunt difficultates & ſalebræ, ad quas ſuperandas veritatis face plurimum indigemus; quam nobis e cœlo affulgere, eum qui vera lux eſt, enixe poſtulamus.

EPISCOPI FOROJULIENSES.

I. ACCEPTUS.

ANNI CHRISTI.

ACceptus a clero & plebe eccleſiæ Forojulienſis conſentientibus omnibus, poſtulatus eſt ad epiſcopatum, & Concordius unus ex epiſcopis concilii Valentinenſis anno 374. habiti, de ejuſdem prudentia virtutibuſque ceteris quæ virum Chriſtianum decent, coram patribus teſtimonium tulit. Sed Acceptus, declinandi honoris cauſa, ut par eſt conjicere ex epiſtola ſynodi hujus Valentinæ, quorumdam criminum reum ſe dixit. Quapropter patres eum ad epiſcopatum admittere nequaquam cenſuerunt: *Quamvis*, inquiunt patres Valentini, *tam ea*

374.

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI. *benedictus frater noster Concordius de sanctissimi Accepti persona suggesserit, quæ prudenti & Christiano viro digna sunt, quam quod studio omnium vestrum ad honorem sacerdotii pascatur, edixeritis tamen quia in synodo jam sederat, ordinationes hujusmodi submovendas, quæ sine scandalo esse non possunt; non potuimus præstare uni quod ceteris negabatur. Et licet non ignoraremus, multos verecundia, & nonnullos suscipiendi sacerdotii metu trepidos, quæ utique signa sunt sanctitatis, falsa in se, rejiciendi honoris causa dixisse: tamen quia omnium fere ad ea quæ sunt pejora proclive judicium est, & materies disputationum ex obtrectatione sacerdotum Dei quæritur; sedit in synodo, ut quisquis de se vel vera, vel falsa dixisset, fides ei, quam suomet testimonio confirmaret, haberetur. Quapropter decretum est submovendos protinus esse ab eo gradu, quem ab omni scandalo liberum esse decet.*

Ceterum ex hac liquet epistola tunc ecclesiam Forojulienſem fuisse jam episcopalem, & alios habuisse episcopos ante Acceptum. Nec mirum cum Forumjulii maxima esset civitas, & eo tempore finitimæ urbes pleræque amplitudine inferiores, haberent episcopos. Verum priorum qui hac in cathedra sederunt, memoria prorsus obliterata est.

II. S. Cyllinius, *al.* Quillinius.

De eo eruditi non pauci ambigunt.

III. S. Leontius.

S. Leontius S. Castoris Aptensis episcopi frater, patria Nemausensis, B. Honorati I. abbatis Lerinensis, posteaque Arelatensis episcopi coætaneus, qui a B. Hilario Arelatensi funebri oratione de sancto Honorato decessore suo summis laudibus effertur, cathedram Forojulienſem ob-
419. tinebat anno 419. quo nominatur in inscriptione epistolæ 2. Bonifacii papæ I. ad Galliæ episcopos. Unus fuit ex Gallicanis præsulibus ad
q. 1. quos Cælestinus papa scripsit, ut presbyteros (Massilienses) qui novis quæstionibus turbabant ecclesiam, reprimerent, eisque commendaret sanctum Augustinum, cujus vitam & doctrinam magni semper feciſſe sedem apostolicam asseverat. Ibidem non obscure hos episcopos arguit, quod suo silentio connivere viderentur presbyteris adversantia veritati prædicantibus. *Timeo*, inquit, *ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas si falsitas displiceret.* Hæc maxime scripta conjicimus in nostrum Leontium, qui cum Cassiano Semipelagianorum Galliæ antesignano erat amicitia & familiaritate conjunctissimus; unde Leontio decem priores collationes nuncupavit Cassianus.

De hoc episcopo multi viri eruditi hæc sancti
q. alias 19. al. 18. Leonis papæ verba interpretantur: *Quoniam honoranda est semper antiquitas, fratrem & coepiscopum nostrum Leontium probabilem sacerdotem, hac, si vobis placet, dignitate volumus decorari, ut præter ejus consensum alterius provincia non inuascatur a vestra sanctitate concilium.* Qui ultimus edidit sancti Leonis opera, notat sanctum Leontium hoc veluti decreto quinque provinciis tanquam primatem præpositum fuisse. At S. Leone ita scribente S. Leontius jam in cœlum migraverat, ut infra ostendemus. Ad alium quoque Leontium, scilicet ad Arelatensem, spectant quæ leguntur apud Apollinarem Sidonium epistola 3. lib. 6. Singularis autem laus est Leontii Forojulienſis, quod condendi Lirinensis cœnobii causa fuerit; ipso enim alliciente S. Honoratus, post lustratum Orientem sedem fixit in insula Lirinensi; ubi seculo V. nondum adulto fundamenta jecit celeberrimi illius toto orbe monasterii, quod statim tot episcoporum, quodque majus est, tot sanctorum seminarium fuit. Audiendus ea de re S. Hilarius Arelatensis, de gestis sancti Honorati: *Vacantem*, inquit, *insulam ob nimietatem caloris, & inaccessam venenatorum animalium metu, Alpino haud longe jugo subditam petit* (Honoratus) *prater secreti opportunitatem, sancti ac beatissimi in Christo viri Leontii oblectatus vicinia, & caritate constrictus.* Hinc forsitan erga S. Honoratum indulgentior Leontius visus est Theodoro ejus successori, de jure suo multum remisisse; nam Lirinenses ab episcopi Forojulienſis jurisdictione quodammodo absolvit, ea tamen lege ut Lerinenses clerici atque altaris ministri, a nullo nisi ab ipso episcopo, vel ab eo cui permisisset, ordinarentur, & ab eodem chrisma acciperent. Controversiam ea occasione ortam infra referemus. Jam ad superos evolarat S. Leontius an. 432. quando post ejus mortem quæsitus est ad locum vacuum implendum S. Maximus postea episcopus Regensis, ut de ipso agentes probavimus ex Fausto. De hoc sanctissimo pontifice consulendus est Tillemontius tomo XII. hist. eccles. in sancto Honorato art. III. & in notis. Cassianus, qui ei, ut diximus, e suis collationibus nuncupavit decem, & Helladio abbati, ita illum, ipsiusque fratrem Castorem commendat in præfatione ad priorem collationem: *Debitum quod beatissimo papæ Castori in eorum voluminum præfatione promissum est, qua de institutis cœnobiorum duodecim libellis Domino adjuvante digesta sunt, utcumque sarcitum est. Viderint sane quid super hoc vel illius, vel nostri fuerit examinis æquitate perpensum, utrum in rebus tam profundis, tamque sublimibus, dignum aliquid cognitioni vestræ, omniumque sanctorum fratrum desiderio promserimus. Nunc autem quia derelinquens nos pontifex supradictus migravit ad Christum, has interim decem collationes summorum patrum, id est anachoretarum, qui in eremo Scythica morabantur, quas ille incomparabili flagrans studio sanctitatis, simili sibi jusserat sermone conscribi, vobis potissimum, beatissime papa Leonti, & sancte frater Helladi, credidi consecrandas. Alter si quidem vestrum memorato viro & germanitatis affectu, & sacerdotii dignitate, & quod his majus, sancti studii fervore conjunctus, hereditario fraternum debitum jure deposcit. Vestrum igitur est, conatus nostros piis orationibus adjuvare.* In veteribus breviariis ejus anniversaria solemnitas notatur calend. Decembris, qui dies est ejus obitus. De sancto Leontio fuse & doctissime disseruit Josephus Anthelmius.

ANNI CHRISTI.

IV. THEODORUS.

Mortuo ſancto Leontio, Forojulienſes elegerunt in epiſcopum & paſtorem ſanctum Maximum tunc abbatem Lerinenſem, teſte Fauſto ipſius ſucceſſore tum in præfectura monaſterii Lerinenſis, tum in epiſcopali Rejorum cathedra; hujus enim ſcriptoris fœtus eſt homilia de ſancto Maximo, quæ eſt 34. inter homilias ſub nomine Euſebii Emeſeni editas. Sed in ſilvis ſeſe abdidit, magno etiam vitæ periculo ſanctus Maximus, humilitate duce; ſicque ad tempus honorem ſacerdotii deprecatus eſt. Itaque electus eſt, eo abnuente, Theodorus prius abbas inſularum Stoechadum (*d'Hieres*) anno circiter 432. Adfuit ſynodo Rejenſi anno 439. Arauſicanæ I. anno 441. Arelatenſi III. anno circiter 455. quæ occaſione controverſiæ inter Theodorum ipſum & Fauſtum abbatem, monachoſque Lirinenſes celebrata eſt. Nimirum hic epiſcopus deceſſoris ſui Leontii pactis cum Lirinenſibus monachis & abbate ſtare noluit; motus forſitan novo concilii Calchedonenſis decreto, quod monachos epiſcopis omnino ſubjectos eſſe jubet. Fauſtus abbas Lerinenſis, vir magni nominis ex adverſo, pro ſua ſuorumque libertate decerrabat. Itaque motam contentionem ſopire volens Ravennius Arelatenſis metropolita, coegit concilium Arelatenſe. Quid vero ea de re judicaverint & ſtatuerint patres, diſce ex his: *Cum Arelate in ſecretario eccleſiæ convenisſemus*, inquiunt, *de remedio ſcandali quod in monaſterio in inſula Lerinenſe obortum fuerat, pertractantes, placuit nobis ſancto, ut credimus, Spiritu gubernante, ut omnibus qui in querelam venerant, ſollicite ventilatis, atque diſcuſſis, ſanctus ac beatiſſimus frater Theodorus epiſcopus primum exoraretur a nobis, ut ſcandalum quod & ipſe, ſicut & nos, graviter dolebat exortum, differendo in tempora manere diutius non pateretur; ſed potius ad recipienda ſatisfactionum remedia feſtinaret; & ſanctum presbyterum Fauſtum abbatem monaſterii ſupra dicti, indulta ſi qua illa eſſet, culpa venia, in priſtina pace toto caritatis affectu, reciperet, & ad inſulam, ac congregationem ipſi, Deo diſpenſante commiſſam, cum ſua gratia & caritate remitteret. Nec quicquam deinceps ex his, quæ ſibi fratrem Fauſtum arguebat feciſſe, aut verbis repeteret, aut animo retineret. Quin potius collationem, ut pote antiquus abba & epiſcopus, ei ut piam ac neceſſariam perpetuo exhiberet, & ſolatia ſecutura, quæ verbis dignabatur promittere, rebus ipſis, in quo uſus exigeret, pleniſſime exhiberet. Hoc tamen ſibi tantummodo vindicaturus, quod deceſſor ſuus ſanctæ memoriæ Leontius epiſcopus vindicaverat, id eſt, ut clerici atque altaris miniſtri, a nullo niſi ab ipſo, vel cui ipſe injunxerit, ordinentur; chriſma non niſi ab ipſo ſperetur; neophyti ſi fuerint, ab ipſo confirmentur; peregrini clerici abſque ipſius præcepto, in communionem vel ad miniſterium non admittantur. Monaſterii vero omnis laïca multitudo, ad curam abbatis pertineat, neque ex ea epiſcopus ſibi quidquam vindicet, aut aliquem ex illa clericum, niſi abbate perente, præſumat.* Utrum Theodorus diu poſtea in pace adminiſtraverit eccleſiam Forojulienſem incertum. Joſephus Antelmius, perſpectis veteribus eccleſiæ monumentis, in quibus memoratur S. Leontius epiſcopus & martyr, quod priori Leontio minime convenit, autumat poſt Theodorum ſediſſe Forojulii alterum Leontium, qui a Wandalis martyr ſit effectus. Judicet lector prudens utrum hoc ad novum epiſcopum, & quod majus eſt, martyrem inducendum ſufficiat.

Ad eum ſcripſit ſanctus Leo epiſtolam 91. cujus argumentum eſt, iis qui in exitu ſunt pœnitentiam & communionem non negandam. Ipſi quoque ac plurimis aliis epiſcopis inſcribitur epiſtola 109. ejuſdem ſancti Leonis pro componenda controverſia eccleſiarum Arelatenſis & Viennenſis. Theodoro adhuc abbati in inſulis Stoecadibus, & duobus aliis earumdem inſularum abbatibus, Johannes Caſſianus ſeptem ultimas collationes dicavit.

ANNI CHRISTI.

V. VICTORINUS.

Anno Chriſti 506. Alarico rege Ariano annuente, coactum eſt apud Agatham provinciæ Narbonenſis urbem concilium celeberrimum, in quo promulgati ſunt 71. canones ad diſciplinam eccleſiaſticam ſive reſtituendam, ſive communiendam utiliſſimi, qui epiſcoporum hujus ævi prudentiam, ſanctitatem, ſtudium pro eccleſiæ quæ Chriſti ſponſa eſt integritate, ſapiunt. Ad hunc cœtum Victorinus convenire non potuit, ſed miſit qui vices in eo ſuas ſuppleret Johannem; legitur enim in ſubſcriptionibus: *Johannes presbyter miſſus a domino meo Victorino epiſcopo de civitate Forojuli ſubſcripſi.* 506.

Joſephus Antelmius Victorino anteponit illum Aſterium epiſcopum Forojulienſem, qui adfuit concilio Romano anno 465. contendens nullum epiſcopum ſediſſe apud Forum julii Carnorum in Italia oppidum, niſi precario, antequam patriarcha Aquileienſis eo ſuam transferret ſedem; maxime vero ſeculo VI. nullum fuiſſe Forojulienſem epiſcopum, præter eum, qui in Forojulienſi Galliarum eccleſia ſedebat. Unde conſequens eſt Aſterium epiſcopum Forojulienſem in concilio Romano anni 465. memoratum, noſtratem fuiſſe. Antequam pedibus eam in hanc ſententiam, dandum aliquid temporis ut matureſcat.

VI. LUPERCIANUS.

Huic epiſcopo locus datur in ſerie præſulum Forojulienſium, aſſignatis annis 527. ac 529. quibus ſederit. Ignoramus autem unde id eruerint qui nos in hac ſerie texenda præceſſerunt; niſi quod in ſynodis Carpentoratenſi anni 527. & Arauſicana II. anni 529. ſederit epiſcopus Lupercianus, non aſſignata ejus ſede. 527. 529.

VII. DESIDERIUS.

Deſiderium ſediſſe anno 536. quando ex provincia Narbonenſi II. Oſtrogothi diſceſſerunt, autumat Carolus Cointius in annalibus; ſed minime probat. Anno vero 541. præerat, quando quidem ad ſynodum Aurelianenſem IV. Gratianenſis preſbyter miſſus a domino Deſiderio epiſcopo Forojulienſi conſenſit & ſubſcripſit. *ad hunc an. n. 11.* 541.

ANNI CHRISTI.

VIII. Expectatus.

549. In concilio quinto Aurelianenſi anno 549. coacto, Childeberti regis anno 38. ſubſcripſit *Epiphanius presbyter directus a domino Expectato epiſcopo eccleſia Forojulienſis.* Sedit hic epiſcopus
554. in Arelatenſi V. anno 554. & in Pariſienſi II.
555. anno 555.

Epiphanium in concilio Aurelianenſi V. commemoratum conjicit Cointius Expectati fuiſſe ſucceſſorem in eccleſia Forojulienſi, & de ipſo
c. 24. Gregorium Turonicum agere lib. 6. hiſt. probabile putat; ubi legimus Theodorum epiſcopum ductum fuiſſe ad Guntheramnum regem cum *Epiphanio* epiſcopo, qui tunc Langobardos fugiens, Maſſiliæ morabatur; ſcilicet quod & ipſe conſcius hujus cauſæ fuiſſet, nimirum quod cum Theodoro Maſſilienſi epiſcopo faviſſet Gundovaldo, qui ſe filium Chlotarii ſimulabat. Alteſerra Epiphanium hunc, eundem eſſe vult cujus meminit Paulus diaconus hiſtor.
c. 34. Langob. l. 4. quique fuit Gradenſis patriarcha; ſed tempora minime conveniunt. Neque tamen audemus addere hunc Epiphanium Forojulienſium antiſtitum catalogo, quem Cointius refert ad annum 582.

IX. Asterius.
X. Rusticus.
XI. Augerius.
XII. Jacobus I.
XIII. Bartholomæus I.
XIV. Berengarius I.
XV. Romanus.

Horum ſeptem epiſcoporum nuda nomina exhibent catalogi, reperiunturque eodem ordine in variis annalium Cointii tomis, qui cauſam, cur aut Forojulium epiſcopis caruerit, aut eorum geſta his temporibus fuerint oblitterata, putat fuiſſe frequentes Saracenorum incurſiones, quibus hæc civitas fuit expoſita. Forſitan Ruſticus qui decimus recenſetur, is eſt qui anno circiter 684. ſubſcripſit chartæ Petruini epiſcopi Vaſenſis, pro fundatione cœnobii Graſellenſis in ſua diœceſi. Chartam hanc exhibet Mabillonius
p. 638. in appendice ad tom. 1. annal.

Per Claudium Robertum & Joſephum Anthelmium non ſtabit, quominus Belto, qui ſubſcripſit concilio Cabilonenſi anni circiter 650. his adjiciatur epiſcopis. Sed epiſcopus Tricaſtinenſis fuit non Forojulienſis. Anno 788. vel 791. quidam Forojulienſis epiſcopus ſubſcripſit concilio Narbonenſi, ſed nomen ejus ignoratur.

XVI. Benedictus.

Benedictus cum titulo epiſcopi ſanctæ eccleſiæ Forojulienſis, ſubſcripſit concilio Magalo-
909. nenſi, apud Juncarias, habito anno 909. v. nonas Maii, quod ante editionem conciliorum Narbonenſium cura & ſtudio viri clariſſ. Stephani Baluzii, in qua multa emendata ſunt, ad annum 894. revocabatur.

XVII. Guntharus.

De hoc epiſcopo hæc leguntur in charta quadam monaſterii Montis-majoris:

Teucinda Deo devota alodem ſuum vocabulo S. Hippolyti cum Manaſſe Arelatenſi archiepiſcopo, Gontaro Forojulienſi epiſcopo, Arelatenſi præpoſito, & Arelatenſis eccleſiæ capitulo, pro Montis-majoris inſula commutat nonis Octobris, regnante Conrado rege anno decimo.

Memoratur in Arelatenſi tabula, ſcilicet pro commutatione facta a Manaſſe archiepiſcopo cum ipſo de villis quibuſdam. Porro annus x. Conradi regis eſt Chriſti annus 946. quia in 946.
charta ejuſdem regis, quam magna ex parte edidit Mabillonius ad annum 963. annus viceſi- a 71.
mus-ſeptimus regni ipſius, illigatur cum hoc anno 963. Idem Guntharus ſimul epiſcopus Forojulienſis & præpoſitus Arelatenſis, anno XII. regnante Conrado rege Alamannorum, vel Pro- 948.
vinciæ, aliam facit commutationem cum præfata nobili matrona Theucinda, de qua videndum in Iſraële Aquenſi archiepiſcopo.

Joſephus Antelmius Guntharo ſubjicit Johannem, ex ſynodo Romana anni 963. inter cujus patres obſervatur Johannes epiſcopus Forojulienſis; ſed ex ipſius concilii actis conſtat hunc epiſcopum fuiſſe Italum.

XVIII. Riculfus.

Riculfus ex nobili genere ortus erat, nepoſque Theucindæ illuſtris feminæ ſupra commemoratæ, ut probant tabulæ Montis-majoris, quibus Theucinda Deo devota Montis-majoris inſulam Moringo abbati ejuſque conventui cedit XIII. *cal. Septembris an. ab incarnatione Domini* CMLXXV. *Conradi regis anno* XXVIII. *Riculfo Teucindæ nepote Forojulienſi epiſcopo volente & conſentiente.* Eundem Montis-majoris monachi nutritum ſuum vocant, & ideo licet jam Forojul. epiſcopum, eum in abbatem cooptant tempore Gregorii V. papæ ab anno 996. ad 999. Itaque ex monacho Montis-majoris prope Arelatem[a], a
electus eſt epiſcopus Forojulienſis, jamque ſedebat an. 974. quo ſubſcripſit litteris ejuſdem 974.
Theucindæ, ut epiſcopus hujus eccleſiæ. Quo tempore poſt ſuam aſſumtionem ad epiſcopatum fuerit electus abbas Montis-majoris retento epiſcopatu, non liquet; id tamen tardius factum eſt, ex jam dictis, hoc eſt non ante annum 996. 996.
Jam e vita migrarat anno milleſimo; nam Adalax, ſeu Adelais comitiſſa Provinciæ, illiuſque 1000.
filius Willelmus, & *Archimricus abbas* Montis-majoris Riculfi ſucceſſor, hoc anno adierunt Amalricum Aquenſem archiepiſcopum, & ab eo impetrarunt ut ratam haberet donationem Villæ-Pertuſii pro eodem monaſterio factam a Boſone comite. *Facta .... Avenion. publice, an. incarn. Dom. M. ind.* XIV. *ſeptimo cal. Octob. &c.*

Riculfus multa bona ſuæ eccleſiæ a Saracenis deſtructæ procuravit, ut docet vetus inſtru- *C. I. p. 82. col. 1.*

a Ut propius accedamus ad tempus quo Riculfus ſedere cœpit, obſervandum eſt inter ipſum & Guntharum alium fuiſſe epiſcopum Forojulienſem; nimirum in authentico capituli Arelatenſis anni 966. n. 3. Silveſter Aquenſis archiepiſcopus vocatur ſecundæ Narbonenſis dignus archipræſul cum ſuis ſubjacentibus, Landerico, Theodetico (qui fuit epiſcopus Aptenſis,) Ærardo, Honorato, Pontio, Umberto. Hic ſex numerantur ſuffraganei archiepiſcopi ſecundæ Narbonenſis, quia præter quinque qui nunc ei ſubſunt, adhuc ipſi ſubjectus erat epiſcopus Antipolitanus. Itaque ex enumeratis unus fuit Forojulienſis epiſcopus anno 966. Proindeque exordium pontificatus Riculfi ponendum eſt inter 966. & 974. quo eum ſediſſe compertum eſt.

ANNI CHRISTI.

mentum tabularii episcopalis, quod damus inter instrumenta. Necrologium vetus Montis-majoris de eo habet: *cal. Martii depositio domni Riculfi episcopi & abbatis istius loci.* In ejusdem monasterii tabulario exstant litteræ, quibus conventus supplicavit Gregorio papæ V. ut Riculfum dicto cœnobio juberet præesse.

Quandoquidem nostri propositi est, nullas difficultates transilire aut dissimulare, quamvis ad eas solvendas minime pares nos judicaremus, silentio præterire non debemus, D. Claudium Estiennot, qui Lirinensis tabularii perlustrandi & explorandi copiam habuit, meminisse Almeradi Forojulienſis episcopi, qui anno 990. dedit Garnero abbati Lirinensi ecclesias sancti Petri & sanctæ Mariæ d'Ampus*, & de Valle-munita. Inde vero consequens videtur Riculfum non sedisse Forojulii ab an. 974. ad 996. neque licet dicere duos fuisse Riculfos episcopos, inter quos medius sederit Almeradus. Constat enim illum Riculfum ex monacho Montis-majoris factum episcopum, nepotem Theucindæ matronæ, qui ejusdem chartæ subscripsit anno 974. eundem esse, quem monachi Montis-majoris ut suum *nutritum* elegerunt in abbatem anno circiter 996.

* *de Ampuriis.*

Si per abbatem Lirinensem licuisset investigare ac perlustrare hujus monasterii tabularium, forte nodum hunc solvere possemus; sed nobis hujus loci denegatus est aditus. Suspicamur hunc Almeradum, esse episcopum Regensem, qui hoc anno 990. sedere potuit, quique inter insigniores Lerinensis cœnobii benefactores numeratur, Amamuensem vero scripsisse Forojulienſem episcopum pro Regensi.

XIX. P.

Riculfum in regimine cœnobii Montis-majoris habuisse successorem anno Christi millesimo, jam demonstravimus; haud dubie, quia ipsius morte sedes vacabat. Id autem confirmat quod legimus apud Sammarthanos fratres, in veteribus actis ad annum millesimum notari P. episcopum Forojulienſem hoc anno diœcesim visitasse. Josephus Antelmius hunc P. interpretatur Petrum.

1000.

XX. Berengarius II.

Berengarius legitur floruisse anno 1030.

1030.

XXI. Gaucelmus, *al.* Gauselinus.

Nomen hujus episcopi multis modis torquetur a scriptoribus qui ejus meminerunt; etenim legitur Anselmus, Gaucelinus, & Teucelmus. Recensetur cum *Gaucelmi* nomine in tabulis Lirinensibus anni 1030. quo dedit ecclesiam in villa sancti Pauli, in dominio de Calliano, ex chronologia Lirin. & an. 1038. quo dedit cum consensu canonicorum omnium, Amalrico hujus cœnobii abbati, & monachis, ecclesias quinque in comitatu Forojulienſi; ut fusius legere est in ejusdem litteris. Anno 1040. *Anselmus episcopus Forojulienſis* adstitit Benedicto papæ S. Victoris Massilienſis ecclesiam consecranti. Post annos quatuor, *Teucelmus* gratia Dei *Fregulensis* ecclesiæ episcopus, cellas quæ sunt in comitatu Fregulensi, in loco qui dicitur Avenione *la Napoule*, ad sanctam Mariam, cum consensu suorum clericorum, sive etiam fidelium laicorum donavit Deo & sancto Victori martyri, & monachis ibidem permanentibus, futuris & præsentibus. *Acta publice apud sanctum Victorem, calendas Decembris* MXLIV. *Dominica incarnationis, indict.* XII. Forte cessit episcopatum ante mortem, Bertrando qui sequitur, servato tamen episcopi Forojul. titulo; nam in concilio apud S. Ægidium habito an. 1056. Gaucelinus Forojul. episcopus, recensetur præsens, quo tempore Bertrandus sedebat Forojulii. Quidam sane revocant hanc synodum ad annum 1050. sed hoc etiam anno & longe antea Bertrandus cathedram obtinebat Forojulienſem.

Prob. C. II. pag. 83. col. 1.

1040.

1044.

XXII. Bertrandus I.

Bertrandus memoratur in veteri charta S. Victoris 1044. Ipse parentes suos designat his verbis: *Ego Bertrannus Forojulienſis episcopus, cum matre mea Aelya, & fratre meo Adelberto, & uxore ejus, dedimus Domino Deo & monasterio S. Victoris Massilienſis obedientiam quamdam, quæ in honore sancti Cassiani ædificata est, cum terris & appenditiis ipsius ecclesiæ pro remedio peccatorum patris nostri, qui ibi sepultus est, &c.*

1044. *Vide in probat. Chart. III. & IV. p. 83. col. 1.*

Idem Bertrannus in alia charta alios fratres habuisse designat scilicet Willelmum & Hugonem.

Et in charta donationis cujusdam in comitatu Forojulienſi in territorio quod vocatur Marsendis 1058. de ejus parentibus hæc lego: *Ego Aldebertus & frater meus Bertrandus episcopus & mater nostra Aelyas, & uxor mea Ermengarda, & filii mei Petrus, Hugo & Willelmus, &c.*

Anno 1051. confirmavit donationem ecclesiæ de Mota, a Guillelmo quodam, ejusque conjuge Adalgarda factam cœnobio Massilienſi XIV. cal. Decembris, probante Rajambaldo Arelatensiar chipræsule. Huic tanquam primati juraverat subjectionem, reverentiam & obedientiam, si Honorato Bouche historiæ Provinciæ scriptori fides sit adhibenda. Anno 1085. quasdam sancto Victori apud Massiliam restituit ecclesias. Utrum tamen hic Bertrandus idem sit qui sedere saltem cœpit anno 1044. ancipites sumus. Sane ab anno 1058. usque ad 1085. effluxerunt anni 27. in quibus nulla nobis occurrerunt de Bertranno. Contra vero legimus Berengario Forojulienſi episcopo volente anno 1070. quemdam Petrum dedisse Lirinensibus ecclesiam S. Michaëlis de Ampus. Sed ut de charta in qua hæc leguntur dubitemus, cogit, quod in ea legatur anno 1070. Berengarium Lirino præfuisse, quando pene constat tunc abbatem fuisse Adalbertum.

1051. *l. 9. fol. 2. c. 2.* 1085.

XXIII. Berengarius III.

Berengarius erat filius Rostagni Berengarii, & Hermensendis, frater Gaufredi vicecomitis, &c. ex instrumento donationis ab ipsis factæ ecclesiæ Avenionensi, quod damus in probationibus. Idem an. 1094. indictione 11. donat Aldeberto Lirinensi abbati, & cunctis monachis,

Ch. V. pag. 83. col. 2. 1094.

cum conſenſu Amalrici præpoſiti, & canonicorum, eccleſiam de Rocabruna. Anno ſequenti cum a Placentino concilio ſub Urbano II. celebrato rediret, ac in Ramis palmarum, in cœnobio Lirinenſi hoſpitaretur, antiquam ſocietatem inter Forojulienſem eccleſiam, & Lirinenſe monaſterium renovavit; cui contulit eccleſiam ſancti Raphaëlis. Anno 1100. aſſenſum præbuit Arberto Avenionenſi epiſcopo eccleſiam, *Villam*, &c. cedenti abbati ſancti Remigii Remenſis, & monachis. Anno 1103. adfuit conſecrationi eccleſiæ S. Salvatoris Aquenſis. Hujus epiſcopi exſtant litteræ ad Pontium abbatem Cluniacenſem de reſtauratione pontis Sorgiæ. An. 1104. dedit monaſterio Lirin. eccleſiam S. Stephani de Draguiniano, quam donationem confirmavit annis 1108. & 1124. An. 1107. ab incarnat. indictione xv. teſtis fuit donationis cujuſdam factæ Lirinenſibus, ab Auberto Avenionenſi epiſcopo; & anno 1116. compoſitionis cum monachis Maſſilienſibus. Anno 1119. cum iiſdem & Rodulfo eorum abbate paciſcitur de variis eccleſiis; pacti autem conditiones lege in probationibus. Anno 1120. præſens fuit quando comes Forcalcarienſis abſolutus fuit certis conditionibus. Eodem anno judex ſedit inter abbates Montis-majoris, & Lirinenſem pro eccleſia de Rocabruna; & de judicio in ea cauſa lato monuit Calixtum papam.

Cum Garinus abbas Lirin. tranſegiſſet anno 1129. pro eadem eccleſia de Rocabruna, cum eccleſia Forojul. præſente Mamfredo epiſcopo Antipolit. Berengarius epiſcopus cum Bertranno præpoſito, chartæ compoſitionis ſubſcripſit, ex tabulis Lirin. a Stephanotio noſtro inſpectis.

Denique frequens eſt mentio hujus epiſcopi in donationibus huic aſceterio factis uſque ad annum 1131. quo adhuc ipſi dedit eccleſiam de Miramas. Depoſitionis ejus dies eſt III. nonas Julii, in ſancti Andreæ Avenionenſis necrologio.

Ad eum ſcripſit Paſchalis papa II. ut reſtitueret Montis-majoris monachis partem eccleſiæ ſanctæ Mariæ Deauratæ, ſecundum judicium Gibelini Arelatenſis archiepiſcopi. Neque effectu caruit papæ epiſtola; nam ex tab. Montis-maj. Berengarius Forojul. epiſcopus ejuſque canonici, Amalricus præpoſitus, &c. laudaverunt Guillelmo abbati Montis-maj. eccleſias ſui epiſcopatus, nempe ſanctæ Mariæ de Barjols, ſanctæ Mariæ de Spelunca, ſanctæ Mariæ Deauratæ, ſanctæ Mariæ & S. Petri de Rocabruna cum omnibus appenditiis ſuis, anno circiter 1109.

ANNI CHRISTI. *Vide in prob. C. IV. p. 84. col. 2.* 1100. *Vide prob. C. VII. p. 84. col. 2.* 1103. 1104. 1107. 1119. *C. VIII. p. 84. col. 2. Vide prob. Aquenſ. C. XIII. p. 67. col. 2.* 1119. 1131. *Ex chart. Montis-maj.*

XXIV. BERTRANDUS II.

1131. Bertrandus commemoratus in chronologia Lirinenſi, circa annum 1131. nominatur præſertim in documento reſtitutionis factæ eidem monaſterio, a Fulcone & Guillelmo de Graſſa Guillelmo & Gaufredo de Relania, coram Raimundo Berengario Barcinonæ & Provinciæ comite, atque Imberto Glandatenſi epiſcopo. An. 1138. confirmavit tranſactionem factam, cum Garino abbate Lirinenſi, de qua ſupra, cui ſubſcripſerat, ut putamus. Veriſimile enim eſt eum eſſe Bertrannum præpoſitum, cujus nomen huic inſtrumento eſt ſubſcriptum. Beneficus legitur erga Fulconem abbatem hujus cœnobii ex tab. anni 1144. Anno ſequenti Eugenius papa III. ad illum & ad Petrum Rejenſem epiſcopum ſcripſit, pro Bariolenſi eccleſia, ut legere eſt tomo 2. Miſcellaneorum Baluzii.

ANNI CHRISTI. 1138. 1144. p. 218.

XXV. PETRUS I.

Petrus anno 1153. præſens legitur quando Raimundus Berengarii Barcinonenſis comes, dux Toloſæ, marchio Provinciæ, Nicienſem eccleſiam ſuo patrocinio imperiebatur; cujus diploma dabimus in probationibus Nicienſibus. Anno ſequenti dedit Guillelmo abbati Victorino eccleſiam B. Mariæ in territorio de Cilas. An. 1155. teſtis fuit in charta venditionis, qua idem Raimundus comes Barchin. princeps Arragonum, & marchio Provinciæ ceſſit nonnulla Guillelmo de Benevento Ebredun. archiepiſcopo pro undecim millibus ſolidorum Melgorienſium. Vide in præfato Guillelmo archiepiſcopo. Anno 1156. interfuit donationi factæ ab eodem principe, præfato Guillelmo archiepiſcopo, inquit Columbi, ex Fornerii Ebreduno MS. p. 396. Ad eundem annum refertur quod legimus in Gallia Chriſtiana quadripartita, videlicet Petrum præſentia ſua vim ponduſque dediſſe tranſactioni cuidam factæ a liberis R. Gaufredi vice-comitis, pro tertia parte caſtri de Sexfurnis, Guillelmo abbati ſancti Victoris Maſſilienſis, ex tab. Victorino; & vices geſſiſſe Raimundi Berengarii comitis Barcinonenſis, in civitate Arelatenſi, cum Petro de Cabanis. In Authentico cujuſdam donationis ab eodem Raimundo comite circiter annum 1160. factæ, ejuſdem principis dicitur dapifer.

1153. 1155. 1156. 1160. Guiche- D'ANDUSE.

XXVI. FREDOLUS I.

Fredolus, cui cognomen de Anduſia legimus accommodatum, electus eſt anno 1164. ex quibuſdam notis & obſervationibus factis ad diſſertationem Joſephi Anthelmi, ubi legitur ex abbate S. Victoris creatus epiſcopus; laudaturque ob inſignem ſanctimoniam. Sammarthani fratres in nomenclatura Forojulienſium præſulum, eum quoque dicunt prius fuiſſe abbatem Victorinum. In catalogo vero abbatum S. Victoris, Fredolum qui abbas erat an. 1164. nequaquam dicunt ſtatum mutaſſe, ſed poſt tres annos regiminis mortem oppetiiſſe. Docet Joſephus Anthelmius Fredolum ſeu Fredolonem fuiſſe cum Petro Telonenſi epiſcopo fundatorem Carthuſiæ Vernenſis (La Verne) anno 1170.

1164. 1170.

XXVII. BERTRANDUS III.

Notus tantum nobis eſt hic epiſcopus ex beneficio collato; legitur enim dediſſe monaſterio Lirinenſi eccleſiam S. Raphaëlis cum pertinentiis ſuis anno 1173. Hujus Bertrandi epiſcopi occurſus nos cogit ad duos epiſcopos nomine Fredolos admittendos, cum unicus huc uſque ſit agnitus. Niſi forte dicamus eundem Fredolum duplici vice hanc rexiſſe eccleſiam.

1173.

ANNI CHRISTI.

XXVIII. Fredolus II.

In actis publicis hujus episcopi nomen nobis non occurrit ante annum 1179. in instrumento 1179. donationis Castri de Claverio & de Baudonio, factæ ecclesiæ Antipolitanæ ab Hugone de Claverio præposito Forojulienſi, sub Fredoli episcopi testimonio. Chartam dabimus in Grassensibus episcopis. Anno 1180. amicabilis compositio facta est per Guillelmum Vencienſem episcopum, inter Fredolum episcopum Forojulienſem, & Hugonem præpositum capitulumque, anno 1190. postea renovatam, subscribentibus Guidone Aquenſi archiepiscopo, & B R. episcopo Antipolitano. In codice ecclesiæ Forojulienſis, qui dicitur *Pilosus*, legitur Fredolonem episcopum, Hugonem præpositum & canonicos Forojulienſes, dedisse ecclesiæ Magalonenſi ac Petro præposito, sub certis pactionibus, ædem S. Petri quam habebant in ca- 1190. stro Avinionis. Anno vero 1190. fit hæc compositio inter dictos episcopum & præpositum, quod episcopus de consensu præpositi sacristam instituеret unum ex canonicis. Hoc ipso anno transigit cum Eustorgio S. Victoris abbate. Interfuere huic pacto Guido Aquensis archiepiscopus, R. Antipolitanus præsul, B. Aquensis præ- C positus, & archidiaconus Forojulienſis. Anniversarias habet preces Fredolo, 11. idus Septembris, in libro obituum. Memoratur etiam in antiquo statutorum capituli codice.

Inter episcopos Forojulienſes Nostradamus in historia Provinciæ locum dat Bertrando de Castellana, ad annum 1189. qui cum frater esset Bonifacii toparchæ Petræ-Castellanæ, & pro ipso staret fidelitatem & hominium denegante regi Arragonum Ildefonso comiti Provinciæ, obsessus & captus in regis potestatem venit, & perduellionis crimen capite luit. Episcopi vero prædia & facultates principis fisco addicuntur; D sed postmodum restituuntur fratri Raimundo ad hunc episcopatum provecto. Bonifacius Bertrandi frater ejus sorte perterritus, ad regis misericordiam confugit, Petro Romano Ebredunenſi archiepiscopo, & Maurilio Senecienſi præsule supplicantibus, & in gratiam regis, iniquis tamen conditionibus, susceptus est. Hæc si vera essent, quomodo impune fuisset Ildefonso regi? Num episcopi & summus pontifex tacuissent, & de cæde Bertrandi nullas repetiissent pœnas? Quomodo Ildefonso licuisset, occiso Bertrando, Raimundum dare successorem? Quo vero pacto factum, ut episcopi memoria quæ ip- E sius sanguine consignata fuerat, penitus perierit, adeo ut nullis in catalogis compareat? Certe ipse Honoratus Bouche, qui ea refert ex Nostradamo, Bertrandi hujus non meminit in serie Forojulienſium episcoporum. Neque vero Bertrandus, qui anno 1173. sedebat, is fuit quem comminiscuntur capite minutum; hic enim successorem habuit Raimundum, alter vero Fredolum, cujus episcopatus tempus certissimis & plurimis notis consignatum est, ut mutari non possit.

XXIX. Berengarius IV.

Solæ tabulæ Lirinenſes nobis suppeditant nomen hujus episcopi, qui anno 1194. subscripsit 1194. chartæ donationis de Rocabruna factæ cœnobio Lirinenſi. Honoratus Bouche alium Fredolo successorem tribuit, scilicet Humbertum de Grimaldis, anno 1183. Sed hoc tempore sedebat proculdubio Fredolus.

XXX. Willelmus seu Guillelmus.

Willelmus quem de Ponte cognominatum invenio in notis Anthelmianis, notatur in ta- 1195. bulis ecclesiæ Forojulienſis anno 1195. & anno 1200. quo præpositus & capitulum, ex assensu præsulis hujus donant in feudum Petro de Faentia, Castrum de Clapierio * cum omnibus juri- * *Clavois.* bus; & Petrus vicissim donat capitulo quidquid habebat in valle de Rairano. Occurrit etiam in Victorino tabulario anno 1202. 1202. Autumat Josephus Anthelmius eum abdicasse, ac de eo Innocentium III. scripsisse ad Aquensem ar- *t. 1. ep.* chiepiscopum, ut ejus cessionem admitteret, ac idonei episcopi electionem promoveret.

XXXI. Raimundus I.

Raimundus probe notus Ildefonso regi comiti Provinciæ, cui erat a confessionibus, ex aliquo religioso ordine assumtus est ad episcopatum Forojulienſem; suis enim in litteris *fratrem* se se præfatur; quem morem servabant, religiosi facti episcopi. Profuit ecclesiæ Forojulienſi regis in novum episcopum benevolentia; quippe princeps, ut aiunt, ipsi ejusque succes- 1203. soribus concessit anno 1203. jura dominica & regalia, in urbe, jurisdictionem, justitiam, &c. a quibus exciderant episcopi, propter perduellionem civium & ipsiusmet qui tunc sedebat episcopi. Exemplar diplomatis Ildefonsi, quod dedimus in probationibus, nullam facit hujus *Ch. IX. p. 85. col. 2.* perduellionis mentionem. Privilegium illud ratum habuere Raimundus Berengarius, an. 1224. in urbe Draguiniano, & Carolus II. Siciliæ rex.

XXXII. Bermundus. Cornuti.

Bermundus Cornuti prius archidiaconus Forojulienſis & præpositus Aquensis, ex transactione anni 1202. inter comitem Forcalquerienſem, & nobiles quosdam, cui subscripsit iisdem 1206. titulis, præerat ut episcopus an. 1206. ex chartulario Vernensis Carthusiæ, & ex Forojulienſi, in quo legitur donasse R. præposito (forte R. Feraudi) quandam domum. Deinde translatus est ad metropolim Aquensem. In notis Anthelmianis lego Bermundum produxisse suum episcopatum usque ad annum 1213. quo cessit in gratiam Oliverii ascetæ Vernensis carthusiæ, viri spectatæ sanctitatis, cui exactis in regimine 5. annis, subrogatur Bertrandus. Sed tamdiu differri non potest episcopatus Bertrandi, quod nunc demonstrandum.

XXXIII. Bertrandus IV. de Camareto.

Bertrandus dictus de Camareto in necrologio S. Andreæ secus Avenionem anno saltem 1208.

ANNI CHRISTI. 1208. 1208. auſpicatus erat epiſcopatum, cum eo anno menſe Novembri datæ ſint litteræ Ildefonſi comitis & marchionis Provinciæ, quibus ipſi ejuſque ſucceſſoribus confert jus emendi, permutandi, acquirendi, recipiendi, in toto comitatu, etiam comite inconſulto. *Hanc autem donationem facio*, inquit, *Deo & ſanctæ Mariæ Forojulienſi .... in recompenſationem & emendationem multorum quæ contra eccleſiam Forojulienſem, & ejus membra feci multoties minus bene.* Eodem an. ut arbitrarius judex, fert ſententiam de controverſia inter Raimundum Ebredunenſem archiepiſcopum, & canonicos, ex Fornerio in p. 411. Ebreduno MS. inquit J. Columbi in noctibus Blancalandanis. An. 1219. occurrit in chartario Carruſiæ Vernenſis. Die 25. Martii 1220. Raimundus Berengarius comes & marchio, apud Fayantiam in eccleſia beatæ Mariæ de Cipreſſo, legavit eccleſiæ S. Mariæ, B. epiſcopo, & Raimundo præpoſito Forojulienſi, medietatem gabellæ ſalis, a portu S. Torpetis uſque Antipolim; quod jus pacifice perceptum eſt per quatuor ſecula, ut probant acta capituli. Poſtea 1224. Januarii 20. an. 1224. fit permutatio inter Forojulienſem eccleſiam & præpoſitum, cum abbate Lerinenſi, de eccleſia S. Martini Malavillæ, quam Lirinenſes acquiſierant a Magalonenſibus, abbaſque dedit capitulo & præpoſito eccleſiam S. Laurentii, ac quæcumque habebat in toto tenemento Forojulii, Poëſeti, Poliſoni, Rochæ-brunæ, Villæpiſſiæ, Reveſti, & S. Maximæ, caſtrique de Miramas, ſicuti continetur in codice Forojul. dicto Piloſo. Eodem anno apud Draguinianum confirmat ipſi eccleſiæ Forojul. Raimundus Berengarius comes Provinciæ, donum Ildefonſi parentis. Biennio poſt menſe 1226. Decemb. 1226. in eodem loco Draguiniani facta eſt permutatio inter præfatum Raimundum Berengarium & epiſcopum, caſtri de Pugeto ac territorii d'Agay, pro caſtro de Marſans, cujus acta relata ſunt in tabulario epiſcopali. An. 1227. 1227. Honorius papa conſtituit eum arbitrum controverſiæ inter B. D. de Caſtellana, & abbatem S. Victoris ex chartul. juxta notas Anthelmianas. De eodem Bertrando fit mentio in 1233. actis capituli annis 1228. & 1233. Obitus ejus in necrologio S. Andreæ Avenionenſis aſſignatur XVII. cal. Januarii.

XXXIV. Oliverius.

Damus hunc epiſcopum teſtimonio V. C. A. Ruffii, qui dicit in chartulario Vernenſis carruſiæ Oliverium hujus loci alumnum notari 1234. mortuum epiſcopum Forojulienſem, an. 1234. & quidem x. cal. Aug. ex veteri necrol. Forojul.

XXXV. Raimundus II.

Raimundus in ipſo fere ſui epiſcopatus exordio, fecit cum præpoſito ſtatuta quædam, de promovendis ad ſacros ordines electis, intra annum poſt electionem; quæ Johannes archiepiſcopus Viennenſis ſedis apoſtolicæ legatus confirmavit 1235. x. cal. Octobris an. 1235.

Rata habuit Raimundus alia ſtatuta, quæ præpoſitus & capitulum condiderant pro canonicorum aſſidua commoratione ſeu *reſidentia*. & eorum ſtipendiis ac diſtributionibus. Tunc coadjutorem habebat R. ſacriſtam Arelatenſem, qui hoc quoque officio diu poſtea fungebatur. Hoc epiſcopo ſedente Carolus comes & marchio Provinciæ & Forcalquerii confirmat apud Forumjulii an. 1245. omnia privilegia huic 1245. eccleſiæ per Raimundum ſocerum ſuum, & alios anteceſſores collata, ex documentis capitularibus. Sedit ſaltem uſque ad annum 1247. 1247. quo ipſius coadjutor legitur adhuc R. Arelatenſis ſacriſta.

ANNI CHRISTI.

XXXVI. Berengarius IV.

Jam leges ſacras dicebat Forojulienſibus an. 1248. quo Beatrix comitiſſa Provinciæ ac Forcalquerii, Balmam prope Siſtaricum dedit ordini fratrum Prædicatorum. Donationis *teſtes vocati & rogati fuerunt dominus Henricus Siſtaricenſis epiſcopus, B. Forojulienſis epiſcopus, Mabilia comitiſſa Forcalquerienſis.* Eodem anno conſenſum dedit concilio Valentino. Anno 1253. cum 1253. præpoſito & capitulo fecit præbendarum diviſionem, tam dignitatum quam canonicatuum, aſſignando archidiaconatui, ſacriſtiæ, & aliis octo præbendis certas eccleſias, & jura illis annectendo, ex diſtributionibus, quas, ut aiunt, præpoſitus dare conſueverat. Eodem circiter anno, quædam ſtatuta edidit cum Bertrando abbate S. Euſebii, pro inſtauratione diſciplinæ monaſticæ, in cœnobio S. Andreæ Avenionenſis, quæ ſunt edita tomo VIII. Spicilegii Acheriani. His temporibus imminuta eſt præpoſiti auctoritas conſtituto communi, ad quod adminiſtrandum unus vel duo ex canonicis a capitulo præponi debebant. p. 238. *Extrag. cap. fol. 22.*

XXXVII. Bertrandus V.

Quamvis Bertrandus acceſſerit ad regendam Forojulienſem eccleſiam an. 1256. ejus tamen mentio in actis publicis non occurrit nobis ante annum 1259. [a] quo teſtis eſt inter Stephanum abbatem Maſſilienſem, & Carolum comitem 1259. Provinciæ. Anno 1262. die Veneris poſt feſtum 1262. B. Magdalenæ unus fuit e ſequeſtris, qui cum Vicedomino Aquenſi archiepiſcopo, compoſuerunt controverſiam inter Carolum I. regem Provinciæ comitem, & militarem ordinem S. Johannis Jeroſolymit. An. 1263. adfuit tranſlationi S. Adhelardi abbatis in monaſterio Corbeienſi, ut probat inſcriptio in tabula plumbea inventa menſe Septembri an. 1710. cum aperta eſt ſancti abbatis capſa; & delatæ ſunt Ambianum ejus ſacræ reliquiæ, ob imminentium hoſtium metum; ubi deſignatur tantum prima nominis littera B. Joſephus Anthelmius & Peireſkius docent eum prius fuiſſe præpoſitum Arelatenſem, & poſt epiſcopatum Forojulienſem, Arelate ſediſſe; ac eſſe Bertrandum de ſancto Martino, poſtmodum cardinalem; at nihil profert ad id probandum.

XXXVIII. Petrus II. De Camarato.

Petrus cognominatus de Camarato tam brevi temporis ſpatio in cathedra Forojulienſi

[a] Lego tamen ipſum inſcribi *regiſtro pergamenorum* ad annum 1257. p. 44.

ANNI CHRISTI. 1266.

oſtenſus eſt, ut diem tantum & annum, quibus A ſuo functus eſt fato ſciamus, nimirum 14. Decembris an. 1266. *Dimiſit menſa refectorii pro anniverſario ſuo* 20. *ſolidos ſuper domo ſua*, uti legitur in obituum libro.

XXXIX GUILLELMUS III.

1269. Guillelmus anno 1269. cum multas controverſias habuiſſet cum capitulo quoad juriſdictionem, & nonnulla alia, maxime vero cum Guillelmo de Garda præpoſito, de rebus litigioſis compromiſſum fecit cum partibus, quo litium omnium judicium deferebatur Vicedomino de Vicedominis Aquenſi archiepiſcopo, B

1271. anno 1271. II. cal. Decembris, qui eodem anno ſententiam tulit. Hoc ipſo anno plebem Forojulienſem litteris hortatus eſt, ut ad reſtaurandam Vernenſis Cartuſiæ eccleſiam, quæ corruerat, ſtipem conferrent.

XL. BERTRANDUS VI.

1285. Bertrandus anno 1285. concilio Regenſi ſub Roſtagno Aquenſi metropolita interfuit; de quo cœtu egimus in archiepiſcopis Aqui-ſextienſibus. Inſcribitur nomen hujus præſulis tabulariis Forojulienſibus annis 1293. 94. & 96.

1296. Obiit VII. calend. Martii *al.* VI. idus Decem- C bris.

XLI. JACOBUS I.

de Eusa. Jacobus de Euſa, vulgo tamen dictus d'Oſſa filius Arnaldi ſutoris apud Cadurcos, ut fert communis opinio, quam tamen refellit Baluzius in notis ad ejus vitam, in aula regis Siciliæ

p. 689. diu verſatus, ubi præceptor fuerat S. Ludovici filii regis, poſtea Toloſani epiſcopi, & cancellarius regis ac regni poſt Petrum Ferrerium archiepiſcopum Arelatenſem ſingularem ſuum benefactorem, & patronum; ipſius ope factus eſt epiſcopus Forojulienſis. Jamque his inſulis or- D

1300. natus an. 1300. indictione 13. die V. Septembris, cum Guillelmo Ebredunenſi archiepiſcopo, componit controverſiam, inter epiſcopum Vapincenſem, & comitem Wapinceſii, ſuper conſulatu & juriſdictione urbis, ex memorialibus pro

Capſa Gapenſis. hiſtoria Delphinatus deſcriptis, quæ regiarum rationum curia ſuppeditavit. Sub hoc epiſcopo recruduit concertatio jam ſæpius agitata inter antiſtitem & capitulum pro juriſdictione in civitate. Tandemque anno 1301. die 21. Aprilis Bertrandus de Morſillis præpoſitus, Audibertus de Sclapon, & Alfantus Raimundi judices electi a partibus, ſententia decretoria totam juſti- E

Ex lib. Pilos. tiam epiſcopo dedere, certis nihilominus conditionibus in gratiam & commodum capituli. An. 1302. regi bona epiſcopatus recognovit ex regi-

1308. ſtro pergamenorum p. 66. ubi ad annum 1308. dicitur cancellarius regni Siciliæ. An. præfato idem epiſcopus & Raimundus Robaudi præpoſitus, quæ tunc conſtituta fuerant rata rurſus habuerunt. An. 1309. gratum ſe huic exhibuit epiſcopo Carolus II. rex Siciliæ, eique ac ipſius ſucceſſoribus dedit partem in caſtris de Reveſto, & Villepiſceis, &c. Diploma regis damus inter inſtrumenta, in quo *grandia & fructuoſa Jacobi ſervitia* commemorantur. Poſtea factus eſt a

T. XI. pag. 85. col. 2. Clemente V. epiſcopus Avenionenſis an. 1310. tandemque pervenit ad ſummum pontificatum; annoque primo ſui pontificatus confirmavit quaſdam conventiones factas cum Forojulienſibus anno 1303. die 13. Junii: *Inter nos olim*, inquit, *dum nos minor ſtatus haberet, & preſideremus Forojulienſi eccleſiæ, ex parte una, ac ſyndicos & univerſitatem Forojulienſem, ſuper preconiſatione vini, ac ſervitute, ſeu jure quod gabella vulgariter nuncupatur.* Utrum factus epiſcopus Avenionenſis reliquerit cathedram Forojulienſem non auſim aſſeverare. Fiunt pro ipſo preces anniverſariæ hac in eccleſia III. idus Octobris, ex necrologio.

ANNI CHRISTI. 1310.

I. Pilosus.

XLII. BARTHOLOMÆUS.

GRASSI. Nihil de Bartholomæo Graſſi Forojulienſi epiſcopo poſt Jacobum de Euſa novimus, uſque ad annum 1317. quo idem Jacobus tunc 1317. Johannes papa XXII. ipſi judicium quorumdam facinoroſorum hominum, qui magicas artes in ipſius ſummi pontificis & cardinalium perniciem exercebant, demandavit, litteris datis III. cal. Martii, ut refert Odoricus Rainaldus ad hunc annum n. 53. Anno 1326. die 1326. 18. Junii ſedit in concilio San-ruffenſi prope Avenionem, cujus acta exſtant ad calcem notitiæ eccleſiæ Dinienſis, auctore Petro Gaſſendo. Iterum anno 1337. habita eſt ſynodus Avenionenſis ad S. Ruffum, cui adfuit hic epiſcopus. Diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtabiliendæ ſollicitus cum capitulo ſtatuta promulgavit quæ adhuc obſervantur; vocanturque *ſtatuta antiqua*. Anno 1338. adhuc Bartholomæi mentio fit 1338. in actis publicis. Vita functus III. nonas Martias legitur in necrologio Forojulienſi; ſed quo anno, minime annotatur.

1337.

XLIII. GUILLELMUS IV.

D'AGOUSSAC. Guillelmus de Albuſſaco fuit archipreſbyter Bituricenſis, & vicarius generalis Petri Rogerii archiepiſcopi Rothomagenſis an. 1331. die 20. Aprilis; ut conſtat ex chartulario archiepiſcopi Rothomagenſis. Erat archidiaconus Vulcaſſini Franciæ 1333. die 24. Decembris, ex eodem chartul. & 1335. ex tom. 3. monaſt. Angl. pag. 60. Verum 1339. & 1340. erat cantor Rothomagenſis, ex eodem chartul. An. 1342. die 11. Septembris, ſubſcripſit tabulis matrimonii Guillelmi de Turre cum Helide Rogeria, qua in ſubſcriptione ſolum cantoris Rothomagenſis titulum aſſumit, neque de eo alia ſcimus. Electus epiſcopus Forojulienſis 1343. die 6. Junii ſo- 1343. litam facit promiſſionem ſolvendi certam pecuniæ ſummam cameræ apoſtolicæ. Quanto tempore manſerit hac in ſede nobis incompertum. Ejus anniverſarius dies celebratur in eccleſia Forojulienſi, III. idus Auguſti, qua die pro eo centum ſolidi perpetuis temporibus diſtribuuntur, ex necrol. Forojul. Certe paulo poſt tempus hic aſſignatum occurrit nobis alius ejuſdem loci epiſcopus.

XLIV. JOHANNES I.

Hic præſul ex tabulario S. Andreæ ſecus Avenionem in lucem prodit; nam legimus fratrem

ANNI CHRISTI.

Dalmatium Dalmatii S. Andreæ monachum priorem de Thoro, caſtra de Todone & de Junqueriis, nomine Armandi S. Andreæ abbatis, Johanni Forojulienſi epiſcopo comitatus Venaiſſini rectori recognoviſſe, anno Domini 1343. die 23. Novembris. Ipſe eſt haud dubie Johannes de Arpatella, ita cognominatus ab Joſepho Anthelmio, qui e tenebris eruit veterem membranam anni 1349. in qua vaſa argentea & ſacra alia jocalia ab ipſo legata eccleſiæ recenſentur.

XLV. Petrus III.

Hic epiſcopus, cui Joſephus Anthelmi dat cognomen Alemanni de Claromonte, ut deceſſor B Guillelmi Amici nominatur, in bulla Innocentii papæ VI. data VI. cal. Septembris anno 9. ejus pontificatus, qua promovet Guillelmum ad eccleſiam Forojulienſem, *vacantem per obitum Petri.* Opportune hic ſeſe obtulerunt duo illi præſules, nam ab anno 1343. uſque ad annum 1359. nullus alius occurrebat. Obiit itaque
1359. hic Petrus anno circiter 1359. Ex eadem bulla.
Amici.

XLVI. Guillelmus V.

Guillelmus cognomento Amici, de quo jam locuti ſumus in Aptenſibus epiſcopis, cum eſſet Jeroſolymitanus patriarcha, ſub titulo adminiſtratoris perpetui obtinuit epiſcopatum Forojulienſem, vel anno 1357. uti docent Sammarthani
1359. fratres, vel potius an. tantum 1359. uti con-
p. 911. tendit Baluzius in notis ad vitas paparum Avenionenſium, & probat bulla in ſuperioribus laudata, in qua appellatur præpoſitus Ahentenſis eccleſiæ diœceſis Lemovicenſis; in epitaphio tamen quod ſubjiciemus non appellatur adminiſtrator, ſed epiſcopus. Communis eſt opinio ipſum poſtea factum eſſe archiepiſcopum Aquenſem; cui refragatur Baluzius, uti jam monuimus in archiepiſcopis Aquenſibus. In notis Anthelmianis, dicitur obtinuiſſe ſedem hanc metropolitanam, retenta nihilominus Forojulienſi, uſque D
1360. ad obitum, qui contigit anno 1360. menſe Junio. In regiſtris Heraldi, quæ laudantur in obſervationibus Anthelmianis, die 17. hujus menſis memoratur ſuperſtes; & die 20. ſequenti, ut recens defunctus. Subjiciendum putavimus Guillelmi Amici epitaphium quale legitur in eccleſia S. Stephani Lemovicenſis, in qua jacet. Ante ipſius effigiem inſculptum legitur:

Guillelmus
Amici
Patriarcha
Jeroſoly
mita
nus.

Guillelmus Amici ex urbe Lemovicenſi oriundus patriarcha Jeroſolymitanus, & Forojulienſis quondam epiſcopus, vir pietate inſignis, & miraculis clarus apud Montem-peſſulanum ex hac vita excedens, migravit, in cœlum die IX. *menſis Junii anno* 1360. *cujus corpus ſacrum cum primum in templo S. Mariæ de Carmelo honorificis exſequiis eccleſiaſtica ſepultura mandatum eſſet; poſt aliquod tempus juxta ſua pia voluntatis ultimum elogium in eccleſiam Lemovicenſem tranſlatum ibidem in ſa-*

cello S. Thomæ nuncupato celeberrime conditum eſt, beatam cum ſanctis reſurrectionem exſpectans. ANNI CHRISTI.

Ex hoc epitaphio palam fit Guillelmum minime fuiſſe archiepiſcopum Aquenſem, quando obiit; ſi enim ea dignitate ornatus fuiſſet, quare, illa diſſimulata, vocaretur epiſcopus Forojulienſis? Non mirum ſi in hoc epitaphio nulla fiat mentio epiſcopatuum Aptenſis & Carpentenſis, quibus moriens non potiebatur. At ſi in horâ mortis, utramque cathedram obtinuiſſet Aquenſem & Forojulienſem; abſurdum fuiſſet ultimam & quidem minorem epitaphio inferere; p. 1140
alia prætermiſſa. Joſephus Anthelmius libro de initiis eccleſiæ Forojul. docet hunc epiſcopum ſanctis ordinationibus, & laudabili munificentia nobilitaſſe iſtam eccleſiam.

XLVII. Guillelmus VI.

Guillelmus electus & confirmatus legitur anno 1361. pro quo vicarii generalis partes ſuſti- 1361.
nens Hugo de la Vadade canonicus, confert quamdam vicariam perpetuam, 5. Octobris anni 1361. Hic Guillelmus in inſtrumento anni 1364. memoratur tanquam nuper defunctus, 1364.
apud Heraldum in regiſtris n. 12. Quæ mox dicemus de ipſius ſucceſſore, tempus ejus mortis confirmabunt. Is autem non immerito videtur C cognominatus *de Rophilhaco*; a Sammarthanis fratribus, quando in Forojulienſi necrologio ad nos a domino de Maſaugues humaniter tranſmiſſo reperimus dominum de Rophiſlaco epiſcopum Forojulienſem, anno 1367. III. idus Julii tranſlatum. Forte vero idem eſt ac G. de Soſilhaco, qui III. nonas Novembris in eodem necrologio legitur dimiſiſſe pro ſuo anniverſario *croſſam & mitram, & duos platellos argenti magnos de capella, & duas vinacherias argenti; & unam capellam quam habebat.*

XLVIII. Raimundus III. Daronis

Raimundus Daronis, *al.* Draconis, ex familia religioſa eremitarum ordinis S. Auguſtini, epiſcopus Tolonenſis factus, ex hac ſede tranſfertur ad Forojulienſem vacantem per obitum Guillelmi, ab Urbano V. idibus Novembris, pontificatus ejus anno III. Non omnes conſentiunt eundem eſſe, ac R. * de Podio-Richardo. Præfuiſſe legitur uſque ad annum 1367. Habet anniverſarium V. idus Septembris. Joſephus Anthelmius ipſi ſufficit quemdam Guillelmum de Fonte, nullo adducto teſtimonio.

* *hic obiit 3. cal. Aprilis ex uterili.*

XLIX. Bertrandus VII. de Villa-muro.

Bertrandus ex proſapia vice-comitum de Villa-muro genitus creditur; etſi cognomen hoc deſideretur in tabulis Forojulienſibus. Ejus tempore bellum flagrabat inter Gallos & Anglos, a quibus cum captus eſſet Johannes de Villa-muro, Bertrandus pro ipſius redemtione perſolvit centum libras ex actis ſenatus Pariſienſis. In chartis Forojulienſibus ſignatus dicitur, 1373.
annis 1373. & 1375. Anno 1383. cum vacaret 1383.
ſedes Vaurenſis poſtulat us eſt in epiſcopum ab uno canonico, uti ex tabulis Vaurenſibus didicimus.

In regiſtro II. veterum inſcriptionum a Peireſkio collectarum, viſitur epitaphium hoc ex

ANNI CHRISTI.

inſcriptione ſepulcrali quæ legitur in eccleſia Fayentiæ diœceſis Forojulienſis oppidi : *Hic jacet dominus Bertrandus de Villa-muro, epiſcopus Forojulienſis, qui obiit anno Domini* MCCCLXXXV. *die* XXX. *Maii*, cum gentilitiis ipſius inſignibus.

1385.

L. Ludovicus.

DE BOILHAC.

Ludovicus de Boilhaco de Nova, prior de Carmelis ord. ſancti Auguſtini, diœceſis ſancti Flori, uti legitur in bulla Clementis VII. ab hoc pontifice inſtituitur an. 1385. III. nonas Auguſti, ex arch. capituli. Obitus ejus notatur idibus Aprilis, & quidem anni 1405. Agitur tamen ejus mortis anniverſarius dies, XVIII. cal. Dec.

1385.

1405.

LI. Ægidius.

DE JUVEN.

Ægidius Juvenis cantor eccleſiæ Remenſis illuſtriſſimorum principum & dominorum Franciæ & Siciliæ regum conſiliarius, & eorumdem hoſpitiorum *requeſtarum* magiſter, electus eſt epiſcopus Forojulienſis, cujus electio a Thoma archiepiſcopo Aquenſi confirmari poſtulatur. Ipſe vero litteras dedit 17. Januarii 1409. quibus citat omnes electioni ejus, ſi qui ſint, ſe opponere volentes. Plura de ipſo reſcire non licuit, niſi quod eodem anno perrexit ad concilium Piſanum, & anno 1421. fundavit collegium canonicorum in oppido Leonacenſi *Lorgues*, cal. Septembris. Eodem anno evolavit ad ſuperos.

1409.

1421.

In vulgatis catalogis notatur E. epiſcopus, qui ſediſſe dicitur annis 1409. & 1413. Et poſt Johannem, cui aſſignatur idem annus 1413. quo præfuerit, ſequitur quidam Ægidius ad annum 1417. diciturque obiiſſe x. cal. Februarii ex libro obituum. Sed idem eſt, ut putamus, ac noſter Ægidius Juvenis. Ubi nos tabulæ deficiunt & vetera documenta, augurari cogimur.

1417.

LII. Johannes II.

BELARD

Johannes Belard electus die 26. poſt obitum ſui deceſſoris, fuit Cenomanenſis decanus, conſiliarius Iſabellis Siciliæ reginæ, comitiſſæ Provinciæ, necnon Caroli VII. regis Franciæ, cui propter probata officia & expenſas, necnon in comitatu prædictæ reginæ Siciliæ aſſiduam operam navatam, idem rex largitus eſt 200. libras Turonenſes diplomate anni 1423. Octobris 25. Eodem anno etiam recenſetur in tabulis Forojulienſibus ut epiſcopus. Die 6. Decemb. 1427. idem Johannes & canonici in ſacello S. Andreæ domus epiſcopalis condiderunt quædam ſtatuta quæ dicuntur *de Novo*. Nominatus fuit exſecutor teſtamenti Gregorii Angli * epiſcopi Saienſis, nondum epiſcopus. Memoraturque præſens hominio præſtito eidem reginæ Iſabelli apud Aquas-Sextias anno 1435. 7. Decembris ab hominibus *Univerſitatis*, ſeu communis Apæ civitatis, cujus exemplar eſt in archivo regio Aquenſi. Fuit legatus Ludovici III. in ſynodo Baſileenſi. Dedit pro alendo monacho uno, cœnobio Cœleſtinorum Avenionenſium. Fundum ſufficientem conſtituit anno 1433. pro anniverſariis precibus, quæ die 19. Februarii fiunt ex libro obituum eccleſiæ Forojulienſis. Aliud anniverſarium inſtituit, cujus fundum aſſignavit ſuper albergam caſtri de Baynoliis vel Balneolis. Forte illud eſt, quod Joſ. Anthelmius dicit fundatum an. 1447.

1423.

1427.

* L'Aſſeſſeur.

1433.

ANNI CHRISTI.

LIII. Jacobus II.

Jacobus Seguin, prior regalis monaſterii S. Martini de campis Pariſienſis, epiſcopum electum eccleſiæ Forojulienſis ſeſe vocitat 26. Januarii an. 1452. in ſchedula, qua ſuis fratribus S. Martini quædam ſpondet, dummodo aſſequi pacifice poſſit eccleſiam Forojulienſem, ejuſque fructibus gaudere; hujus fragmentum retulit Martinus Marrier in hiſtoria ejuſdem prioratus S. Martini. Forte pro epiſcopatu contendebat cum Jacobo Juvenali des Urſins, quem Joſephus Anthelmius docet, abdicato archiepiſcopatu Remenſi, ſuſcepiſſe adminiſtrationem eccleſiæ Forojulienſis an. 1449. menſe Februario, & anno 1451. ibidem fundaſſe anniverſarium. Huic dari locum inter epiſcopos Forojul. per nos licet.

1452.

LIV. Guillelmus VII.

Guillelmus titulo S. Sabinæ preſbyter cardinalis, ſubſtituitur Jacobo defuncto per bullam Nicolai V. an. 1453. v. cal. Julii ex ſchedis & obſervationibus V. Cl. Antonii de Ruffi Maſſilienſis.

1453.

LV. Johannes III.

DU BELLAY

Johannes du Bellay monachus & abbas D. Florentii prope Salmurum in Andibus, parentes habuit Hugonem dynaſtam Bellaii, ex nobiliſſima & veruſta Bellaiorum ſtirpe in pago Andegavenſi, & Eliſabetham de Montigny: creatur epiſcopus 1455. 7. Novembris, & inauguratur per Alanum cardinalem de Coëtivy, dominica in ramis Palmarum 21. Martii anno 1456. in majore eccleſia Andegavenſi S. Mauricii.

1456.

Veriſimile eſt Bellayum hunc epiſcopatum obtinuiſſe favente Renato rege Jeroſolymorum, & Siciliæ, duce Andeg. & comite Provinciæ, cui erat a ſecretis conſiliis. Litteræ hujus principis quibus abſens dat adminiſtrationem ducatus Andegav. Frederico duci Lotharingiæ, inſcribuntur huic epiſcopo: *Vous l'Eveſque de Frejus, les Sieurs de Precigni* &c. datæ ſunt 25. Aug. 1456. Poſtea tranſlatus eſt ad epiſcopatum Pictavienſem. Obiit die 3. Septembris anni 1479. ut docent litteræ Ludovici abbatis S. Florentii ad capitulum Forojulienſe, quibus pro ejus animæ requie rogat preces. Ejus anniverſarium in necrologio notatur III. idus Septemb. Plura de illo dicemus in Pictavienſibus epiſcopis.

LV. Leo I.

GUERIN, NOT.

Leo Guerinet Pictavinus ſenator Pariſienſis ex decano Pictavienſis eccleſiæ, electus epiſcopus ſuæ patriæ, quam ſolemniter ingreſſus ſumma omnium ordinum gratulatione eſt exceptus, cedere locum Johanni Bellaio coactus eſt penſione retenta, Carolo VII. ita cupiente; indeque traductus eſt ad ſedem Forojulienſem circiter annum 1462. Adhuc præfuiſſe dicitur an. 1472. Forſitan toto hoc tempore non caruit æmulo; etenim legimus in necrologio Aquenſi, ubi

1462.

ANNI CHRISTI.

commemoratur Aimo Nicolai archiepiſcopus, A quemdam *Johannem de Gothono* Forojul. epiſcopum anno 1464. adfuiſſe, quando caput ſancti Mytrii martyris fuit extractum de ſepulcro.

De Fliſco.

LVII. URBANUS I.

Urbanus de Fliſco e nobiliſſima proſapia Genuenſi Fliſcorum comitum, quæ in Gallia quoque ac in aula Chriſtianiſſimi regis propagata eſt, ſummoſque ad honores provecta; legitur epiſcopatum Forojulienſem obtinuiſſe anno 1477. Commemoratur in archivis hujus eccleſiæ ad
1481. annum 1481. quo ſtatutum quoddam a præpoſito & capitulo Forojul. factum, ab Urbano quo- B que ratum habitum, Sixtus papa IV. diplomate apoſtolico confirmavit. Johanne de Brammetot abbate S. Wandregiſili mortuo, an. 1483. idem Sixtus papa contulit hanc abbatiam Urbano de Fliſco; monachi vero ad petitionem regis, elegerunt Andream d'Eſpinay archiepiſcopum Burdegalenſem. Adhuc lis erat ſub judice anno
1484. 1484. Sed vicit Andreas, uti probant multi prioratus ab ipſo collati ſubſequentibus annis 1492. 94. &c. Inde liquet noſtrum Urbanum vixiſſe uſque ad 1484. Forojulienſes tabulæ docent vacaſſe ſedem anno 1485.

Ancesunæ.

LVIII. RAIMUNDUS IV.

Raimundus d'Anceſune *al.* d'Ancedune ex
1488. illuſtribus toparchis de Anceſuna legitur epiſcopus an. 1488.

Ancesunæ.

LIX. ROSTAGNUS I.

Roſtagnus d'Anceſune ſuperioris gentilis, Guillelmi de Anceſuna ex dominis de Caderouſſe in Vindaſcino comitatu (Le Venaiſſin) filius, Johannis & Aimari germanus, epiſcopatum adminiſtrabat ex regiſtris, anno 1489. quo ipſi præſtant hominium pagani de Monteauroſo (Montauroux). Anno 1491. die 28. D Maii confert vicariam de Caſtro-veteri, Johanni de Monte-acuto officiali ſuo. Deinde aſcendit cathedram Ebredunenſem. Romæ mortem oppetiit anno circiter 1510. ubi quieſcit apud Franciſcanos.

De Fliſco.

LX. NICOLAUS I.

Nicolaus de Fliſco cardinalis ab Alexandro VI. creatus, Urbani de quo ſupra germanus,
1496. Jacobi filius, ex comitibus Lavaniæ an. 1496. epiſcopus notatur. Joſephus Anthelmius eum dicit S. Catharinæ Genuenſis fratrem, & pene E in ſanctitate parem; quippe qui ſummis pontificibus Alexandro VI. ſuo licet benefactori, & Julio II. ſalubria conſilia etiam cum fortunæ periculo libere dederit, & mortuo Adriano papa oblatam ſupremi pontificatus dignitatem ideo non ſit conſecutus, quod alienos a ſe cardinales noluerit muneribus demereri. Fuit adminiſtrator perpetuus Tolonenſis & Forojulienſis; ejus autem adminiſtrationis tempore habita eſt an. 1507. ſynodus diœceſana.

De Fliſco.

LXI. URBANUS II.

Urbanus ex vicario & coadjutore patrui ſui fit epiſcopus an. 1512. Habuit autem vicarium generalem Baptiſtam ..... Tripolitanum epiſcopum; obiit die 22. Maii anni 1516. jacetque ante altare ſancti Stephani ex regiſtro capituli.

ANNI CHRISTI. 1512. 1516.

De Urbinis.

LXII. FRANCISCUS I.

Franciſcus *al.* Franciottus de Urſinis Romanus, cardinalis titulo S. Georgii in Velabro ſeu in velo aureo, creatus ex protonotario apoſtolico a Leone X. an. 1517. Florentiæ ſub Laurentio Medicæo melioribus diſciplinis imbutus fuerat. Eccleſiæ autem Forojulienſis adminiſtrationem nactus eſt ſaltem anno 1526. E vivis 1526.
exceſſit Romæ, jacetque in baſilica Vaticana, ubi legitur inſcriptio hæc: *Franciſco cardinali Urſino Leonis X. pontificis maximi amitino, qui dum annum prope* LXI. *ageret, diem clauſit extremum* IV. *idus Januarii* MDXXXIII. *Octavius Urſinus patri optimo poſuit.* 1533.

LXIII. LEO II.

1533.

De Urbinis.

Leo ex eadem Urſina familia, Franciſci nepos & coadjutor, legitur præfuiſſe ab anno 1533. ad 1564. quo mors ejus inſcribitur martyrologio, vel melius necrologio Forojulienſi ad diem 11. Maii. Claudius Robertus meminit Simonis Aleoti epiſcopi Foroſulienſis, qui exſtinctus eſt in concilio Tridentino, die 20. Auguſti anni 1562. ſed ille Simon epiſcopus Indinenſis, tantum erat Leonis vicarius & adjutor ad pontificalia exer- C
cenda. 1562.

De Romanis.

LXIV. BERTRANDUS VIII.

Bertrandum de Romanis canonicum & ſenatorem Aqui-ſextienſem, aiunt præfuiſſe ab anno 1565. ad 1579. quo obiit die 22. Martii Fayentiæ, ubi jacet in eccleſia parochiali. Subdelegatus legitur cum duobus aliis an. 1577. in negotio alienationis 50000. nummorum annui
reditus ab eccleſiis totius regni faciendæ, ex 1577.
conceſſione domini papæ in gratiam regis, quantum ſpectat ad diœceſim Forojulienſem.

De Boulliers.

LXV. FRANCISCUS II.

Franciſcus de Boulliers, filius Philiberti dynaſtæ de Manne, ex nobili ſtirpe dominorum de Cental vicecomitum de Demont & Relianæ, ex Claudia Valpergia; deſignatur epiſcopus
paulo poſt Bertrandi mortem an. 1579. & haud 1579.
multo poſt accepto pontificio diplomate, die 23. Decembris ejuſdem anni poſſeſſionem adit, ac ſolemniter urbem ingreditur, acceditque ad eccleſiam ſuam. Apud fratres Sammarthanos, quibus conſentit Joſephus Anthelmius, legitur miſſus ad ſynodum Tridentinam a Carolo IX. cui perſpecta erat ejus ſolertia. Id autem diu ante ipſius epiſcopatum fieri debuit, cum anno 1574 Carolus rex morte præreptus fuiſſet; neque vero Franciſcus iſte fuit unus ex oratoribus a rege ad ſynodum Tridentinam miſſis, quorum nomina optime nobis nota ſunt. Sed potuit alio quam legati & oratoris nomine & titulo mitti, ut clanculum proſpiceret ne jura regis Chriſtianiſſimi aut regni violarentur. Sub

Digitized by Google

ANNI CHRISTI. Franciſco II. epiſcopo lis a plurimis ſeculis mota inter epiſcopum & cives, qui propter abſentiam præſulum, plerumque alienigenarum, multa uſurparant, a majori conſilio finita eſt anno 1586. menſe Martio; & ſenatus-conſulto epiſcopo omnimoda juriſdictio in cives, mulctandi poteſtas, creandi magiſtratus, eiſque decernendi ſtipendia, adjudicata eſt. Sed cum Lutetia victor epiſcopus rediret ad ſuam eccleſiam, Siſtarici morbo correptus interiit, ubi ſepultura donatur apud fratres Minores. Franciſcus erat ſimul abbas ſancti Honorati Lerinenſis, & Boni-portus in Neuſtria.

BELLEN-GER.

LXVI. GERALDUS.

Geraldus Bellengerius Forojulienſis ex Aquenſi canonico epiſcopus deſignatus, delectus eſt a Fœderatis * Provinciæ, ut ad comitia indicta Lutetiæ a duce Meduanio, anno 1593. pergeret, cum Eleazaro de Raſtellis epiſcopo Regenſi, quæ anno ſequenti die 26. Januarii ſunt inchoata. Plura de illo reſcire non licuit.

* *Ici Ligueurs.*

1593.

CAMELIN.

LXVII. BARTHOLOMÆUS II.

Bartholomæus Camelin ex honeſta familia Forojulii natus, licet avum haberet alienigenam, adhuc adoleſcens canonicus hujus eccleſiæ evaſit, poſtea archidiaconus & vicarius generalis ſede vacante poſt Franciſci de Bolleriis obitum, tandemque patrocinio domini de Crillon ab Henrico IV. rege Chriſtianiſſimo anno 1594. deſignatur epiſcopus menſe Aug. ſed non niſi an. 1599. & poſt ingentes labores admiſſus eſt a ſummo pontifice in conſiſtorio cal. Sept. habito. Anno ſequenti ſua in eccleſia ordinationem unctionemque ſacerdotalem accepit a Guillelmo le Blanc epiſcopo Graſſenſi & Vencienſi, aſſiſtentibus Clemente Iſnard Glandevenſi, & Ægidio de Septris Tolonenſi epiſcopis. Indutus virtute ex alto eccleſiam ſuam bellorum civilium tempeſtate bonis & juribus ſpoliatam, priſtino ſplendori reddere aggreſſus eſt, potentiſſimoſque adverſarios, pleroſque e ſuis gentilibus, magni conſilii regis judiciis & placitis ablata reſtituere coëgit. Sollicitior autem fuit bonis ſpiritualibus quam temporalibus eccleſiam augere. Quod ut facilius feliciuſque præſtaret, multas religioſas familias, quæ ſuppetias ferrent accerſivit; fundavit enim Dominicanos in urbe, necnon patres Societatis Jeſu. Providit doti ſex monialium ordinis ſancti Benedicti, & ut eis ab urbe domus daretur, curavit. Cum palatium epiſcopale reparare cœpiſſet, anno 1633*. die 12. Junii migravit e vita, annum agens circiter 75. relicto ſucceſſore fratris filio, quem olim coadjutorem aſſumſerat. Jacet in ſacello quod in eccleſia majori condiderat, ſub ſepulcro marmoreo cum effigie. Huic epiſcopo debemus epiſcoporum Forojulienſium catalogum meliorem in ordinem digeſtum a Nicolao Anthelmi ejuſdem eccleſiæ canonico.

* *Sammarthani ſicut an. 1637.*

1594. 1633.

CAMELIN.

LXVIII. PETRUS IV.

Petrus Camelin, ex archidiacono Forojulienſi, patruo petente deſignatur coadjutor a rege, qui tum Caleti agebat 31. Decembris anno 1620. a pontifice Gregorio XV. promotus ſub titulo Philadelphiæ epiſcopi 1621. quo anno Decembris 5. in cathedrali a patruo inunctus eſt, comitantibus Ludovico du Chaine Argolicenſi præſule, coadjutore Senecenſi, & Octavio Iſnard Glandevenſi; ſub finem menſis Junii 1637. ſedis iniit poſſeſſionem exſtincto Bartholomæo. Hic epiſcopus virginibus ſancti Bernardi arctioris obſervantiæ habitationem in urbe conceſſit titulo fundatoris 1642. palatiumque ſuum abſolvit & exornavit. At terreſtrem domum corporis reliquit 75. annorum ſenex Forojulii 1654. menſe Februario *, & die 4. ejuſdem menſis humatus juxta patruum reſurrectionem exſpectat.

* *vel exeunte Januario.*

1621. 1637. 1642. 1654.

ONDEDEI.

LXIX. JOSEPHUS.

Joſephus Zongo Ondedei Italica familia Piſaurenſi natus, Ludovici & Mariæ Jordanæ filius Bononiæ laurea doctoratus in jure civili ac canonico donatus, a Gregorio XV. pontifice maximo in Luſitaniam auditor generalis apoſtolicæ legationis miſſus; deinde Avenionem ab Urbano VIII. Romæ collateralis Capitolii per decennium, civilem inter Romanos juriſdictionem exercuit; quo tempore in Germaniam deputatus fuit apud cardinalem Ginettum de latere legatum ad tractandam inter reges pacem. Odoardo Parmenſi duce ducatibus Caſtri & Roncilioni ab eodem Urbano ſpoliato, ditiones illas apoſtolicæ ſedis nomine gubernavit. Tandem a Ludovico XIV. menſe Octob. 1654. epiſcopus Forojulienſis nominatus, ab Alexandro VII. creatus eſt. Regi fidem promiſit & juravit Pariſiis die 13. Octobris, & die 20. ejuſdem menſis conſecratur in baſilica ſancti Germani a Pratis ab epiſcopo Carnotenſi, aſſiſtentibus Pictavenſi & San-Papulenſi. Moritur die 23. Julii 1674. relicto ampliſſimo cenſu eccleſiis, religioſis familiis & xenodochiis. Ejus tempore ſeminarium clericorum inſtituitur, cujus præcipuus benefactor fuit Carolus Taxius canonicus. Poſt ejus mortem ſchedulam regiam pro ſede vacante obtinenda Michaël Poncet accepit, ſed ante bullas datas deſignatus eſt Bituricenſis archiepiſcopus.

1654. 1674.

DE CLER-MONT.

XX. ANTONIUS-BENEDICTUS.

Antonius-Benedictus de Clermont-Tonnerre-Cruſy, filius Rogerii marchionis de Cruſy in comitatu Burgundiæ, ex Gabrielide [a] de Pernes, frater Henrici marchionis de Cruſy & de Vauvillars, doctor theologus ex regia Navarra, nominatur a rege Chriſtianiſſ. ad hanc eccleſiam die 22. Nov. anni 1674. Unctionem ordinationemque accepit Pariſiis, in oratorio monialium Carmelitarum vici dicti *du Bouloir*, die 26. Aprilis anni 1676. manibus Franciſci Harlæi hujus urbis archiepiſcopi, collaborantibus Ludovico Armando de Simiane de Gordis Lingonum, & Johanne-Armando de Rotondis de Biſcaras Biterrenſi, epiſcopis. Inchoatum ſeminarium abſolvit, & omnem optimi paſtoris laudem brevi quo præfuit tempore conſecutus eſt; unde mortuus donatus eſt perhonorifico epitaphio a cano-

[a] *Al.* Elizabetha filia Ludovici & Claudiæ comitiſſæ d'Eſpinac.

1674. 1676.

nicis. Obiit Forojulii menſe Auguſto anni 1678. Poſt hunc epiſcopum deſignatur ejus ſucceſſor Ludovicus d'Anglure de Bourlemont menſe Martio 1679. ſed nondum inita poſſeſſione, nominatione regia vocatur ad ſedem Carcaſſonenſem menſe Januario anni 1680. eodemque anno ad metropolim Burdegalenſem. Jacobus Potier de Novion, filius principis ſenatus Pariſienſis, epiſcopus Siſtaricenſis, ad ſedem vacantem deſtinatur anno 1680. die 12. Januarii; ſed nondum acceptis bullis ceſſit 12. Septemb. creatus poſtea Ebroicenſis epiſcopus.

ANNI CHRISTI.

D'Aquin.

LXXI. Lucas.

Lucas d'Aquin ex gente Avenionenſi, patre Ludovico Henrico Thoma hujus urbis medico & archiatro reginæ Angliæ Henricæ Franciæ, ex matre Clara Lopes, frater Antonii archiatri Chriſtianiſſimi regis, epiſcopus Tricaſtinenſis, ad vacantem ſedem a duobus annis regiam nominationem obtinet die 13. Septembris anni 1680. cujus tranſlatio admittitur Romæ ab Innocentio XI. XVI. calendas Aprilis anni 1681. Recipitur in urbe ſolemni pompa die 22. Nov. 1682. Ceſſit an. 1697. ſed poſt ceſſionem reclamavit, quod liti diutinæ occaſionem præbuit.

1680. 1682. 1697.

D'Aquin.

LXXII. Ludovicus.

Ludovicus d'Aquin abbas SS. Sergii & Bacchi, procurator generalis cleri Gallicani, ſocius Sorbonicus, nepos Lucæ, deſignatus die 2. Januarii anni 1697. bullas obtinuit datas Romæ 27. Martii ejuſdem anni. Conſecratus 16. Junii a Daniele de Coſnac archiepiſcopo Aquenſi ſuo metropolitano, cui cooperati ſunt epiſcopi Conſtantienſis, & San-florenſis, poſſeſſionem adeptus eſt per procuratorem 12. Aprilis 1698. Ad ſedem ſuam non acceſſit; ſed non multo poſt tranſlatus fuit ad Sagienſem epiſcopatum, nominatione regis die 1. Novembris ejuſdem anni; quo loco de ipſo fuſius agemus.

ANNI CHRISTI. 1697. 1698.

LXXI. Andreas-Hercules.

Andreas-Hercules de Fleury, reginæ primum, deinde regi ab eleemoſynis, abbas beatæ Mariæ de Ripatorio, doctor theologus facultatis Pariſienſis, & canonicus Monſpelienſis; qua in urbe ex nobili genere ortus eſt, deſignatus fuit die 1. Novembris 1698. Bullas accepit datas Romæ 30. Martii 1699. Conſecratus Pariſiis 22. Novembris ejuſdem anni in eccleſia Fulienſium vici S. Honorati a Ludovico-Antonio de Noailles archiepiſcopo Pariſienſi, nunc eminentiſſimo cardinali, comitantibus Ambianenſi & Lingonenſi epiſcopis, ſacramentum regi præſtitit die 9. Decembris in ſacello caſtri de Meudon. Præeſt adhuc dignitſſimus præſul eruditione ac morum ſanctitate, animique candore præſtantiſſimus.

1698. 1699.

FOROJULIENSES PRÆPOSITI.

Ex adverſariis cl. viri Joſephi Antelmi.

I. Amalricus I. 1085. memoratur in donatione Bertrandi epiſcopi facta ſancto Victori Maſſilienſi; & in alia donatione Berengarii epiſcopi conferentis abbati & monachis Lirinenſibus eccleſiam de Roca-bruna an. 1094. indictione 11. Vide in Berengario epiſcopo.

II. Raimundus I. teſtis donationis factæ ſancto Victori a Berengario 1098.

III. Amalricus II. 1104. aſſenſum præbet donationi eccleſiæ ſancti Stephani Draguiniani a Berengario epiſcopo Forojulienſi Lerino conceſſæ. Item alteri donationi eccleſiæ ſanctæ Mariæ Aven. collatæ Lirinenſibus ab eodem Berengario. Conſenſit etiam tranſactioni inter Berengarium epiſcopum & monachos Maſſilienſes 1119.

IV. Bertrannus I. 1124. aſſenſum præbet donationi eccleſiæ de Roca-bruna. Anno vero 1129. ſubſcripſit compoſitioni ſeu tranſactioni factæ hac de re inter Garinum abbatem Lirinenſem & eccleſiam Forojulienſem; ex tabula Lirin. teſte noſtro D. Eſtiennot.

V. Raimundus II. ad quem & ad Bertrandum epiſcopum Innocentius papa II. bullam direxit in gratiam Lerinenſium. Teſtis etiam reperitur in litteris Petri epiſcopi pro ſancto Victore 1154.

VI. Gerinus 1171. componit cum Roſtagno Raybaudo.

VII. Hugo de Claverio Forojulienſis eccleſiæ præpoſitus, filius Hugonis Rodoardi pro anima fratris ſui V. de Claverio dat eidem eccleſiæ, præpoſituræ, & canonicis, caſtrum de Claverio, & caſtrum de Baudrono, cum ſuis pertinentiis, & quidquid habet in caſtro de Calars & in valle de Bariamono, retento ſolummodo uſufructu in vita ſua, ſtipulantibus FF. Antipolitano, V. Geraldi Vencienſi epiſcopis, & W. de Benevento Dinienſi electo, ac Amelio Tolonenſi præpoſito. Hanc vero donationem illico ratam habuit R. Berengarius comes & marchio Provinciæ, acceptis ab Hugone præpoſito pro hac firmatione 7000. ſol. Melgor... Facta eſt hæc charta ſub Era 1179. menſe Julio, feria 6. luna 15. Fredulo Forojulienſi exiſtente epiſcopo. Item eodem anno menſe Januario, feria III. luna 29.

VIII. Hyginus, *alibi* Hugo 1190. in controverſia quam habuit cum F. epiſcopo.

IX. R. Feraudi, de conſilio capituli & W. epiſcopi donat in feudum caſtrum de Claverio Petro de Faentia, ut illud ad fidelitatem eccleſiæ poſſideat, & in placitis & guerris quæ eccleſiæ contigerint, ipſe cum caſtro & caſtri hominibus, prout eccleſia expetierit, ſuum fideliter impendat obſequium an. 1200. Memoratur etiam 1208. menſe Novembri in litteris Ildefonſi comitis Provinciæ, ei quædam & ſucceſſoribus largientis, ubi nuncupatur etiam prior de Mota.

X. Raimundus III. anno 1220. in donatione facta a Raimundo Berengario. Anno 1224. in-

dictione XII. die 20. Januarii ecclesiam sancti Martini de Villa, &c. permutavit cum V. Lirinensi abbate pro ecclesiis sancti Lamberti & sanctæ Maximæ. Item anno 1225. & 1226. Vide in Sabrano Rejensi episcopo, & in Raimundo Forojulensi.

XI. Raimundus IV. Berengarius, 1227. in litteris Raimundi Berengarii comitis Provinciæ, &c. pro ecclesia Arelatensi, & 1233.

XII. Fulco 1235. 1236. XVIII. calend. Julii in charta Raimundi Berengarii comitis & marchionis Provinciæ immunitatem ecclesiæ Forojulensi concedentis.

XIII. Otto 1247.

XIV. Amablicus I. sub quo facta est præbendarum divisio, qua cuique canonico certæ ecclesiæ reditus & jura assignata fuere 1253.

XV. Olivarius 1253.

XVI. Guillelmus de Garda contendit cum Guillelmo episcopo pro variis juribus canoniæ, urbis & territorii, littoris & pascui jurisdictionem præcipue spectantibus; quorum omnium debita portio servata est capitulo judiciaria sententia Vicedomini archiepiscopi Aquensis 1271. sedit ante annum 1260.

XVII. Bertrandus II. de Morzellis 1293. & 1301. Vide in Jacobo episcopo ad hunc annum.

XVIII. Alfantus Robaudi consentit cuidam ordinationi factæ per Jacobum episcopum circa anniversaria 1306. 20. Januarii.

XIX. Raimundus V. Robaudi 1308. & 2. Maii approbat ratamque habet ordinationem factam a Jacobo de Eusa episcopo & Bertrando de Morzellis decessore suo. Factus postea archiepiscopus Ebredunensis.

XX. Bertrandus III. de Morzellis 1310. Idem haud dubie qui supra.

XXI. Amablicus II. de Podio, seu de Podireto 1318.

XXII. Rostagnus Mali-sanguinis ex canonico præpositus 1319.

XXIII. Franciscus Garibaldus 1324. fundat anniversarium. Præerat jam anno 1321.

XXIV. Guillelmus II. de Bos, nuntius apostolicus in partibus Portugalliæ 1331. Nominatur in testamento Ademari episcopi Massilienſis condito anno 1333. die 15. Decembris, cujus authenticum penes nos habemus.

XXV. Petrus I. de Bos 1347.

XXVI. Armandus de Langiaco Arvernus 1357.

XXVII. Raimundus VI. de Gazellis 1367. remittit capitulo integram bonorum canoniæ administrationem.

XXVIII. Guillelmus III. de Torando præpositus 1375.

XXIX. Guillelmus IV. Fabri, canonicus Aquensis & præpositus Forojulensis quem lego electum fuisse in archiepiscopum Aquensem post mortem Johannis d'Agoult anno 1394. Vide in Petro d'Agoult archiepiscopo Aquensi.

XXX. Johannes I. Cailletini 1398.

XXXI. Bertrandus IV. Raphaëlis 1399.

XXXII. Stephanus Chaberti, alias Laberelle 1418. forte Cabrelle.

XXXIII. Horatius de Castilione anno 1423. in spontanea subventione Ludovico III. regi Siciliæ facta ab ecclesia Forojulensi ccc. florenorum. Item anno 1427.

XXXIV. Raimundus VII. Assonis 1431. 1439. Vicarius fuit generalis anno 1427. Recepit recognitiones 1452.

XXXV. Bernardus de Candia 1464.

XXXVI. Nicolaus de Flisco 1482. receptus 1. Januarii.

XXXVII. Raimundus VIII. de Candia 1494.

XXXVIII. Nicolaus II. de Flisco 1495. confert vicariam.

XXXIX. Johannes II. de Pictavia 1495. receptus mense Martio.

XL. Alanus de Pictavia 1495.

XLI. Lambertus Arbaudi 1510. 1527.

XLII. Angelus Oddo de Confinio 1527.

XLIII. Georgius Fenilis 1538. 1540.

XLIV. Johannes III. Fulconis 1540. transigit cum oppidanis Claverii 15. Octobris 1547.

XLV. Antonius Fulconis 1547. 1564.

XLVI. Johannes IV. de la Garde 1570.

XLVII. Johannes V. Isnard abdicat anno 1595.

XLVIII. Petrus II. Saurin 1600. collitigabat cum Johanne Gautier pro præpositura.

XLIX. Ludovicus Queirats Romæ præposituram obtinuit 1611. quam ei adjudicavit curia parlamenti 1614. adversus Petrum Saurin & Johannem Gautier litigantes. Obiit 14. Martii 1636.

L. Artus de Castellane receptus 29. Octobris 1636. virtute brevis regii; cum tamen electus fuisset a capitulo Johan. Gautier, & nepos Queiratii per resignationem præposituram habere contenderet. Sed his duobus juri suo cedentibus, Artus iterum possessionem adipiscitur 1637.

LI. Claudius de Castellane per resignationem præposituram obtinuit. Solemnem transactionem fecit cum universitate Claverii pro variis juribus præposituræ 1655. 3. Julii.

LII. Johannes VI. Coriolis Aquensis possessionem adipiscitur 12. Maii 1663. Jurisdictionem in terram de Baudron a præpositis alienatam recuperavit, & iterum suæ dignitati univit.

LIII. Vincens Arelatensis per resignationem præposituram adeptus, possessionem iniit 1679.

LIV. Eustachius Belin thesaurarius Arelatensis vi permutationis 1683.

LV. Carolus Leontius Octavianus Antelmy a capitulo electus 1702. ex canonico.

DE

DE ABBATIIS DIOECESIS FOROJULIENSIS.

VETERA MONASTERIA QUÆ NON EXSTANT.

DEcimo ſeculo jam exſtabat monaſterium B. Mariæ de Correno (*Correns*) diœceſis Forojulienſis, cui videlicet Mathildis de Caſtro-Rainardo, ceſſit eccleſias *de Paraceolis* anno DCCCCLXXII. Iſtud monaſterium unitum fuit abbatiæ Montis-majoris.

Circa idem fere tempus exſtabat monaſterium B. M. de Auri-luco (*Arluc*) quando quidem illud Montis-maj. abbati regendum dedit Conradus rex anno regni ſui 27. ſeu Chriſti an. 964. B

In eadem diœceſi fuit olim monaſterium de Villa-croſa quod recenſetur inter ea quæ cœnobio S. Victoris Maſſilienſis ſubjecta erant tempore Paſchalis papæ II. ut ejuſdem bulla nos docet.

Una modo eſt ſub hoc epiſcopatu abbatia, Toronetum videlicet, de qua paucis dicendum.

TORONETUM.

TORONETUM, ſeu B. Mariæ de Floregia monaſterium diœceſis Forojulienſis ordinis Ciſtercienſis, filia Manſiadæ, in quo ſanctus Guillelmus ejuſdem loci monachus celebri populorum concurſu honoratur, fundatorem agnoſcit Raimundum comitem Barchinonæ & Provinciæ marchionem, ut docet nos inſtrumentum fundationis quod cum ſerie abbatum accepimus ex ſchedis clariſſ. viri Joſephi Anthelmi; eam autem chartis ejuſdem monaſterii a nobis luſtratis conformem reperimus. C

FUNDATIO BEATÆ MARIÆ FLOREGIÆ, ſeu TORONETI in diœc. Foroj. ord. Ciſterc.

Ex ſchedis D. Claudii Eſtienne.

IN nomine Domini, &c. Ego Raimundus gratia Dei comes Barchinonenſis, ac Provinciæ marchio, dono, laudo atque confirmo Domino Deo omnipotenti, & ejus genitrici B. Mariæ, ipſum locum quo ſitum eſt monaſterium ſanctæ Mariæ Floreyæ, cum omnibus infra eundem locum exiſtentibus, vel ad ſe qualicunque modo pertinentibus, propter remedium animæ meæ, & parentum meorum, ut pius & miſericors Deus ſit noſtris peccatis propitius. Concedo etiam, & firmiter laudo cœnobio ſanctæ Mariæ quidquid hactenus acquiſivit, vel deinceps acquirere poterit ubique locorum, & quidquid ei huc uſque donatum eſt, vel in antea Domino autore donabitur; ita ut abbates præſentes & ſecuturi ibidem Domino ſervientes, & monachi ejus, habeant ea omnia libere & quiete, ad faciendum quidquid inde voluerint regulariter. Prædictam quoque donationem & laudamentum facio & firmiter concedo, in manu domini Paulini jam dicti monaſterii abbatis pro Dei amore & precibus abbatis. Quod ſi ego donator, aut aliquis ex heredibus meis contra hanc ceſſionem ſeu laudationem venerit ad irrumpendum, non valeat vindicare quod requiſierit; ſed componat omnia jam dicta in duplum, & cum Juda proditore particeps efficiatur in ſecula ſeculorum. Amen. Facta carta donationis & laudationis decimo octavo cal. Aprilis anno Dominicæ incarnationis MCXLVI. † *Raimundi comitis. Sunt teſtes hujuſce donationis & confirmationis ſeu laudationis, Bonefacius de Petra Caſtellana, qui hoc laudavit & voluit, Bonifacius & Cleammols Ollebertus, Hugo de Monteabriſo, Guillelmus de Caſtello-Reynardi S..... Pontii ſcriptoris comitis, qui hoc ſcripſit per mandatum comitis die & anno præſcripto.* D E

Hac in charta nulla fit mentio Toroneti, ſed ſolum Floregiæ, quia hoc in loco prius ædificatum fuit monaſterium; nomen ſumſit a Floregia fluviolo. Monaſterium diſtabat a Toronero, quo poſtea tranſlatum eſt, ſex circiter milliaribus; adhucque viſuntur ejus rudera juxta oppidum de Tourroux, quo etiam conveniunt abbates Toroneti, quando in poſſeſſionem inducuntur. Jam facta erat tranſlatio conventus in locum dictum Toronetum, quando datum eſt ab Ildefonſo rege privilegium quod ſubjicimus.

IN nomine Domini ego Ildefonſus Dei gratia rex Aragonum, comes Barchinonenſis, ac Provinciæ marchio, dono, laudo atque confirmo Deo omnipotenti illum locum quo ſitum eſt monaſterium S. Mariæ Toroneti, & tibi Petro abbati & fratribus ejuſdem loci..... propter remedium animæ meæ & parentum meorum, & conſobrini mei Raymundi Berengarii, &c. Dono iterum & laudo ſupranominati monaſterii fratribus præſentibus atque futuris, ut per omnem terram meam libere vadant, vendant & emant, & aquas tranſeant, & omnia eorum animalia paſcantur, abſque ulla exactione & uſatico vel diminutione paſtus. Facta eſt autem charta donationis & laudationis anno Dominicæ incarnationis MCXCVI. *feria* IV. IX. *cal. Julii, lunæ* XII.

Honoratus Bouche in hiſt. Provinciæ l. 9. ſect. 2. cap. 4. Ildefonſum hunc regem docet filium fuiſſe Raimundi Berengarii dicti *Senioris*, comitis Barchinonenſis, principis Aragonum, & Provinciæ marchionis; cognatum vero alterius Raimundi Berengarii dicti *junioris*, cui & ſucceſſit in Provinciæ comitatu.

Plurima dederunt monaſterio nobiles viri, quorum nomina par eſt poſteritati commendare. Stephanus de Baucio & Hugo filius ejus, qui dederunt ſalinas prope Marignanum, &c. anno 1140. Guillelmus Groſſus & Gaufredus Baralli contulerunt agros prope Maſſiliam 1185. Guillelmus Lumbardi inſulam Eremitarum anno 1195. G. Baralli eodem anno 25. libras piperis annuatim percipiendas in portu Maſſilienſi, cujus urbis dominus dicitur. Amelius de Foſſo burdigam quam habebat apud pontem S. Geneſii, anno 1213. Roſſelinus dominus Maſſiliæ 15. libras piperis annuatim ſolvendas, anno 1339.

Series Abbatum.

I. PAulinus 1146. cujus occurrit mentio in charta fundationis.

II. Johannes, cui Pontius abbas Montis-majoris conceſſit & laudavit eccleſiam ſancti Petri Belli-montis ſub cenſu octo ſolidorum, regnante Lodoico rege, ex chartul. Montis-majoris. Memoratur & anno 1149.

III. Pontius anno 1157. quo Pontius abbas Montis-majoris donationem præcedentem illi confirmavit. Pontius abbas Toroneti teſtis eſt pacis & concordiæ initæ inter Arnaldum epiſcopum Nicienſem, ac populum, conſuleſque hujus urbis, anno circiter 1159. Vide in Arnaldo Nicienſi.

Ex tab. Montis-majoris.

IV. Fulco I. ab anno 1170. ad annum 1174. quo electus eſt epiſcopus Maſſilienſis.

V. Petrus 1176. in privilegio Ildefonſi comitis donationes patris ſui Raimundi confirmantis. Quam quidem confirmationem ratam habuit Raimundus Berengarius anno 1180. Vide ſupra hoc Ildefonſi privilegium. Anno 1181. pepigit cum Raimundo archiepiſcopo Arelat.

Bouche p. 157.

VI. Stephanus 1188. excipit donum Willelmi de Taradel, præſente Fredolo epiſcopo Forojulienſi. Eidem quoque 1189. Willelmus de Caſtello-Rainardi impignorat paſcua totius terræ ſuæ de Carceribus*.

* *Carros, a quo loco parum diſtabat To-*

VII. Hugo abbas Floregiæ anno 1197. teſtis reperitur in veteri charta Bonarum-vallium.

VIII. Franciſcus anno 1201. teſtis eſt in litteris fundationis monialium ſancti Pontii de Gemenos. Vide in Fulcone Maſſilienſi epiſcopo.

IX. Fulco II. an. 1205. factus eſt epiſcopus Toloſanus, ex Guillelmi de Podio Laurentii, chron. c. 7. Difficultates vero de Fulcone enodabimus in Fulcone Maſſilienſi epiſcopo.

X. W. 1208. in charta ſancti Victoris: quo etiam anno cum Hugone Regenſi & B. Antipolitano epiſcopis confirmavit donationes factas S. Victori, a Roſſelino vicecomite Maſſil. Guillelmus abbas Toroneti anno 1209. in capitulo generali Montis-majoris laudavit compoſitionem factam a Fulcone prædeceſſore ſuo ſuper eccleſiis ſanctæ Crucis & Belli-montis tenendis in emphyteoſim a monaſterio Correnenſi.

XI. Radulfus abbas Toroneti 1209. Teſtis legitur in charta Hugonis de Baucio vicecomitis Maſſiliæ donantis S. Pontio de Gemenos totum honorem quem habebat in caſtro Albaniæ anno 1213. indictione XV. IV. cal. Junii. Interfuit capitulo generali Ciſterc. anno 1214. Factus eſt epiſcopus Siſtaricenſis 1216.

XII. Guillelmus II. Martinus 1221. tranſigit cum Hugone de Luco.

XIII. Guillelmus III. del Monaſtier 1221.

XIV. Willelmus IV. de Signa teſtis in ordinatione facta anno 1227. a Raimundo Berengario comite Provinciæ de perſolvendis eccleſiæ Arelatenſi decimis ex bonis condaminæ Maſſil. territorii caſtri de Trebons, ex regiſt. Peyreſcii. Idem Guillelmus abbas Toroneti an. 1238. III. cal. Auguſti promiſit Bertrando de Barjolis priori de Corredis ſe ſuoſque ſucceſſores ſolutu-

A ros illi 23. marmudinas[a] aureas novas & legales ſingulis annis pro eccleſia ſanctæ Crucis, &c.

XV. Amfoſius 1270. 1278. Interfuit translationi reliquiarum B. Mariæ Magdalenæ apud S. Maximinum 1281. *al.* dicitur Alphonſus.

XVI. G. 1295.

XVII. Bernardus an. 1345. menſe Martio tranſigit cum capitulo Forojulienſi.

XVIII. Bertrandus an. 1361. Innocentius VI. ſcripſit epiſtolam ſic inſcriptam: *Dilectis filiis* Bertrando abbati monaſterii de Toroneto ordinis Ciſterc. Forojulienſis diœceſis. Data eſt IV. nonas Maii, anno 9. pontificatus Innocentii, qui reſpondet anno 1361. Item V. cal. Sept. ejuſdem anni.

B

XIX. G. 1371.

XX. Mitrius I. Veſian 1380. ex ſchedis D. d'Ache.

XXI. Guillelmus V. Dalmatii 1389.

XXII. J..... 1397. 1399. ex diverſitatibus Antonii Lombardi notarii Maſſilienſis.

XXIII. Johannes I. Sicardi 1400.

XXIV. Raimundus Drogoli 1402. ex regiſt. Johannis Durand notarii Maſſilienſis. 1405. & 1412. ex regiſtris ejuſdem.

XXV. N. miſit procuratorem ad concilium Piſanum anno 1409. celebratum pro ſchiſmatis exſtinctione. Vide tom. VI. Spicilegii.

C

pag. 374

XXVI. Mitrius II. Gaſtinelli 1417. 1420. & 1423. ex ſcripsis Antonii Gaſſans notarii Maſſil.

XXVII. Johannes II. de Subino prior Alti-cellæ & abbas Toroneti 1428. ex codicibus Guillelmi Barbani notarii Maſſilienſis.

XXVIII. Antonius 1439. qui permutavit abbatiam ſuam cum Ludovico abbate Lerinenſi 1440.

XXIX. Ludovicus de Ponte prius abbas Lirinenſis, anno 1441. indictione IV. 14. Novembris damnatur ad ſolvendum ſex libras legales Johanni Hemery priori de Corredis pro eccleſia ſanctæ Crucis, & ſex ſolidos pro eccleſia de Bellomonte, judice & commiſſario Ludovico de Fraſſongis decretorum doctore, decano eccleſiæ S. Petri Aven. Sedit ad annum 1443.

D

XXX. Guillelmus VI. de Ponte an. 1443. I. Auguſti confeſſus eſt Johanni Aymerici priori de Corredis & de Valle, ſe ſuumque monaſterium tenere ſub dominio & ſegnoria monaſterii de Corredis eccleſias ſanctæ Crucis & S. Petri de Bellomonte ſub penſione 24. marmudinarum auri annis ſingulis ſolvendarum eidem priori ejuſque ſucceſſoribus.

XXXI. Marquetus de Ritiis, vel de Rivis, legum doctor, protonotarius apoſtolicus, abbas commendatarius 1449.

E

XXXII. Gaucherius de Forcalquier epiſcopus Vapincenſis 1466. & 1475.

XXXIII. Franciſcus de Riviere epiſcopus Volaterranus 1519.

XXXIV. Johannes B. Urſinus.

XXXV. Jacobus Urſinus 1557. præeſt electioni Florentiæ de Peruciis abbatiſſæ Montis-Sion.

XXXVI. Johannes III. Clauſſe 1561. fuit

[a] Hæc vox derivatur a *marbotino*. Marbotinus autem eſt monetæ genus, nam dicitur etiam *marmotinus*, unde *marmudinus* & *marmudina*.

epiſcopus Senecienſis, interfuitque ſynodo Tridentinæ.

XXXVII. Nicolaus de Pellevé card. archiepiſcopus Remenſis. Bullas jam obtinuerat 1593.

XXXVIII. Johannes IV. de Matignon 1596.

XXXIX. Leonardus de Moulong 1599.

XL. Honoratus de Chienſe 1628.

XLI. Johannes V. de Graſſa de Cabris 1650. 1681. An. 1684. annuente rege Toronetum permutavit pro abbatia Ripatorii, ex ſch. D. d'Achery.

XLII. Johannes-Baptiſta de Monteil de Grignan coadjutor Arelatenſis 1684.

XLIII. Ludovicus II. Baltazar d'Arbaut de Phelyppeaux doctor Sorbonicus, ex canonico Pariſienſi & cleri Gallicani agente, ſeu procuratore, epiſcopus Regenſis, abbas optimus ab an. 1698. omnes abbatiæ ſuæ reditus in decorando templo impendit.

ECCLESIA VAPINCENSIS.

VAPINCUM urbs poſita ad amniculum qui in Druentiam vicinum flumen influit, intra Delphinatus provinciæ fines concluſa; unde a Gratianopolitano pendet parlamento; pertinet tamen ad Narbonenſem provinciam ſecundam, & ad Aquarum-Sextiarum metropolim, ratione eccleſiaſticæ juriſdictionis. Cum priſcis ignota geographis fuerit hæc urbs, non mirum ſi quibus populis tribuenda ſit, ambigatur; etenim a Samſone adſcribitur Caturigibus, Vocontiis a Salvangio. Valeſius vero in notitia Galliarum eam cenſet Tricoriorum caput fuiſſe; probatque ex veteribus itinerariis in quibus commemoratur.

Etſi varia hujus ſint civitatis nomina, parum tamen ab invicem diſcrepant; qualia ſunt, Vapincum, Vapicum, Vapigum, Vapingum. Vapigenſis eccleſiæ meminit Gregorius Turon. l. 5. c. 21. agendo de Sagittario epiſcopo.

Urbs hæc in bellis ſeculo XVI. pro religione geſtis, multas paſſa eſt ruinas, eaſque graviſſimas, ſæpius ab oppoſitis partibus expugnata. In ea ſunt monaſteria ſeu conventus fratrum Prædicatorum, fratrum Minorum, Minorum Capucinorum, & parthenon Urſulinarum. Epiſcopus comes eſt, in cujus dignitatis ſignum geſtat ex una parte ſcuti ſui gentilitii pedum paſtorale, & gladium ex altera. Eccleſia patronam habet Dei-param Virginem in cœlos aſſumtam. Capitulum quatuor habet dignitates & duodecim canonicos; totidemque dictos paneterios, qui ad miſſas majores toto anno celebrandas tenentur, debentque omnibus officiis divinis intereſſe, & cantui deſervire. Capituli caput eſt decanus.

Unica eſt virorum in tota diœceſi abbatia de Cloſſo, nunc ſine monachis, peneque deſtructa; altera eſt ſancti Petri de Subripis feminarum, quæ nunc quoque unita eſt parthenoni Urbaniſtarum Siſtaricenſium. De ea tamen agemus infra. In diœceſi ſunt circiter 250. parochiæ; præpoſitura canonicorum Regularium e pago Chardavon, Balmam prope Siſtaricum tranſlata; Cartuſia Durbonis; alia ordinis ſancti Antonii præpoſitura apud Vennam; præter religioſorum familias Vapinci commorantes, quas jam recenſuimus, ſunt fratres Prædicatores Balmæ, Trinitarii Motæ.

Nunc de epiſcopis Vapincenſibus, quidquid in veteribus monumentis invenimus, proferamus in lucem.

VAPINCENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI.

I. S. DEMETRIUS.

II. S. CONSTANTINUS.

439. S. Conſtantinus regebat eccleſiam Vapincenſem anno 439. quo miſit Vincentium preſbyterum ad concilium Rejenſe hoc anno celebratum. Neque tamen legitur in ſubſcriptione Vincentii, cujus ſedis fuerit epiſcopus Conſtantinus, qui eum miſerat; ſed nullus occurrit his temporibus epiſcopus vicinarum eccleſiarum, imo in tota Gallia, nomine Conſtantinus, præterquam Vapinci. Etenim vetus martyrologium editum Spicilegii Acheriani tomo IV. habet: *Pridie idus Aprilis in Vapingo civitate depoſitio beati Conſtantini epiſcopi.* Legendæ doctiſſimi viri J. Sirmondi notæ poſthumæ ad Rejenſe concilium, & conſulendus eſt cardinalis Baronius ad annum 441. poſt quem Sirmondus non dubitavit Conſtantinum in laudato concilio commemoratum adſcribere eccleſiæ Vapincenſi. Idem Conſtantinus epiſcopus calculum addidit concilio Arauſicano, anno 441. Denique cum multis præſulibus ſubſcripſit epiſtolæ Gallicanorum epiſcoporum ad Leonem papam anno 451. & eſt ordine tertius. Ei & plurimis epiſcopis aliis, inſcripta eſt epiſtola 109 S. Leonis papæ, pro componenda controverſia eccleſiarum Arelatenſis & Viennenſis. Princeps fuit epiſcoporum Arelatenſis provinciæ, qui Ravennium ſancti Hilarii defuncti loco, in Arelatenſem elegere metropolitam, ut ex epiſtola S. Leonis 36. ad ipſos data liquet. Tandem cum ceteris comprovincialibus epiſcopis numero 18. ſupplicem libellum de conſervanda ejuſdem metropoleos dignitate, per legatos miſit ad eundem Leonem papam, ut ex illius reſponſo liquet, ubi primus omnium ſalutatur Conſtantinus.

ANNI CHRISTI 441. 451.

III. S. CONSTANTIUS.

Hic præſul ſubſcripſit concilio Epaonenſi an-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

no 517. in hunc modum: *Conſtantius in Chriſti nomine epiſcopus civitatis Vappincenſis relegi & ſubſcripſi, die & conſule ſupraſcripto.* Conciliis
517. Carpentoractenſi anni 527. ac Araufícano II.
527. anni 529. ſubſcriptum adhuc legitur nomen
529. Conſtantii epiſcopi, minime addito eccleſiæ cui præeſſet titulo. Proprium officium Vapincenſe ſancti Conſtantii meminit ad diem 12. Aprilis. Sed ſubodoramur ipſi tribui perperam quæ de ſancto Conſtantino ſupra retulimus, ex veteri martyrologio.

IV. S. TIGRIDES.

Nihil de hoc ſancto antiſtite novimus, niſi quod legimus in martyrologio ad diem 3. Februarii.

V. S. REMEDIUS.

S. Remedius honoratur maximo cultu in prioratu Bertii ordinis S. Benedicti, in finibus Arvern. & Lemov. ubi legitur corpus ejus aſſervari.

VI. VELLESIUS.

541. Subſcripſit anno 541. concilio Aurelianenſi IV. ex manuſcripto codice Murbacenſi, quem exploravit noſter D. Edmondus Martene. Item
549. concilio Aurelianenſi V. anno 549. & Pariſienſi
555. II. anno 555. ubi legitur in utraque ſubſcriptione epiſcopus eccleſiæ Vappincenſis.

VII. SAGITTARIUS.

Sagittarius ſub S. Nicetio Lugdunenſi antiſtite educatus, & diaconatus perfunctus officio, ad epiſcopatum pervenerat, quam dignitatem ſceleribus dedecoravit, cum fratre Salonio Ebredunenſi epiſcopo, *qui*, inquit Gregorius
c. 43. olim 37. Turon. l. 4. hiſt. *non cruce munitis, ſed galea aut lorica ſeculari armati, multos manibus propriis, quod pejus eſt, interfeciſſe referuntur*, in illo videlicet prælio, quod Mummolus commiſit cum Longobardis in Galliam irrumpentibus, non
566. longe ab Ebreduno, an. circiter 566. Idem Gre-
c. 21. gorius l. 5. de iis duobus fratribus fuſius loquitur, qui a ſancto Nicetio Lugdunenſi epiſcopo educati, honorem diaconatus adepti erant. *Sed aſſumto*, inquit, *epiſcopatu in proprium relati arbitrium, cœperunt in pervaſionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diverſiſque in ſceleribus inſano furore graſſari.* Eorum veſaniam expertus eſt Victor epiſcopus Tricaſtinorum in ipſa ſui natalitii ſolemnitate; nam in ipſum cum armata cohorte irruerunt, ejuſque veſtimentis ſciſſis, ipſius miniſtros cæciderunt. His auditis Gun-
* an. 567. tramnus rex juſſit cogi concilium* apud urbem Lugdunenſem ſub *patriarcha* ſancto Nicetio; quo in cœtu convicti fratres, epiſcopatus honore privantur. Sed ſedem apoſtolicam, rege quoque favente, appellarunt, & a Johanne papa III. ſunt reſtituti. Qui abutentes tanta indulgentia *in majoribus ſceleribus quotidie miſcebantur*; aſſueti enim armis tanquam laïci, non ſolum hoſtes propriis manibus occiderant, ſed etiam cives ſuos fuſtibus uſque ad ſanguinis effuſionem verberare conſueverant. His commotus rex, quem Sagittarius ſermonibus in reginam jactatis læſerat, duos fratres in monaſteria detrudi juſſit, ubi a militibus cuſtodiebantur, ne quiſquam ad eos accederet. Attamen rex precibus quorumdam e ſuis familiaribus permotus, & morbo majoris natu filiorum ſuorum, eos liberari juſſit, dicens: *Ite quantocius & laxate eos, deprecantes ut orent pro parvulis noſtris.* Igitur ſedibus ſuis reſtituti, magna pœnitentiæ ſigna ſtatim dedere, *ut viderentur nunquam a pſallentio ceſſare, celebrare jejunia, eleemoſynas exercere, librum Davidici carminis explere per diem, noctesque in hymnis ac lectionibus meditando deducere. Sed non diu hæc ſanctitas inlibata permanſit, converſique ſunt iterum retrorſum.* Subdit Gregorius eorum continuas computationes, curſus, hoc eſt officii divini neglectum, uſum veſtium mollium; *ſed nec mulieres deerant, cum quibus polluerentur . . . . . ſic faciebant ſingulis diebus, donec ira Dei irruit ſuper eos.* Itaque coacta juſſu Guntramni regis apud Cabilonem ſynodo anno 579. objiciuntur eis vetera
579. crimina & flagitia; *illudque eſt additum, quod eſſent rei majeſtatis, & patriæ proditores. Qua de cauſa ab epiſcopatu diſcincti* * in baſilicam beati Marcelli ſub cuſtodia detruduntur, ex qua per fugam lapſi diſceſſerunt per diverſa vagantes.*

* al. dejecti. ibid. c. 22.

Poſtea Sagittarius partes ſectatus Gundovaldi, qui ſe Chlotarii regis filium dicebat, ac regem, Sagittarioque Toloſæ pollicitus fuerat epiſcopatum, miſere periit, amputato capite cum cucullo, dum obtecta facie fugere niteretur, ut ait idem Gregorius. Sagittarii meminit Ma-
l. vij. c. 39. rius præſul Aventicenſis in chronico, anno 13. conſulatus Juſtini junioris Auguſti.

VIII. S. ARIDIUS, *ſive* AREGIUS.

Singularem de ſancto Aregio exiſtimationem generat arctior inter ſanctum Gregorium Magnum ipſumque amicitia & familiaritas, tribus confirmata epiſtolis, quas papa ſanctiſſimus ad eum ſcripſit. In priori quæ eſt 107. lib. 9. eum de morte *ſuorum* (forte propinquorum) conſolatur, pro qua ſe ſummo quoque dolore affectum teſtatur, *quia*, inquit, *nos de duobus charitas unum fecit.* Aregius a ſancto Gregorio popoſcerat licentiam utendi dalmaticis, quam ſuo quoque dari archidiacono poſtulabat. In vita ſancti Cæſarii Arelatenſis archiepiſcopi ſexto ſeculo ſcripta lib. 1. legimus Symmachum pa- anno 514
pam eum pallio donaſſe: *diaconos quoque ipſius ad Romana inſtar eccleſiæ, dalmaticarum habitu præeminere feciſſe.* Dalmaticæ illæ amplis erant manicis, talares, ſericæ, auro ornatæ, & plagulis ex purpura aſſutis diſtinctæ*. Gregorius ad mentem revocans bona quæ erant in hoc epiſcopo maxima, ipſum ejuſque archidiaconum *dalmaticarum uſu decorandos* judicavit, eaſque Cyriaco abbati in Galliam proficiſcenti Vapincum deferendas tradidit. Secunda Gregorii ad Aregium epiſtola, quæ eſt 15. lib. 11. ſic incipit: *In quanta apud nos memoria fraternitatis veſtræ ſit charitas, cordis veſtri ſecreta requirite, & ex eo quem circa nos habet amorem colligetis. Et quoniam ſincera in dilectione nec vires abſentia, nec locum habet oblivio, ita ſibi ſæpius imaginata veſtræ fraternitatis præſentia mens noſtra reficitur, ac ſi corporeis vos oculis nobis ſiſti cernamus: quia*

* Videantur in hanc ep. S. Gregorii.

ANNI CHRISTI.

nec abeſſe credendus eſt qui per dilectionis vinculum animis inhæret. Quæ verba vim amoris teſtatam faciunt. Neque minora ejuſdem argumenta continet epiſtola 57. ejuſdem libri ad eundem Aregium; in qua etiam ſanctiſſimus papa exiſtimationem de virtute amici ſui præconceptam ſignificat, ita ſcribens: *Cum in fraterna dilectione unum cor, unus ſit animus, ſicut in alterius proſperis mens lætatur, ita in adverſis affligitur: quia in utroque particeps eſſe lege caritatis adſtringitur. Atque ideo major nos de triſtitia veſtra mœror invaſerat, ne fortaſſe prolixi luctus afflictio aſſiduo cor veſtrum dolore pulſaret..... Sed ſuſceptis caritatis veſtræ epiſtolis, optato ſumus gaudio conſolati...., quia & unanimitatem incolumem, & animum ad conſolationem rediiſſe cognovimus. Nec enim aliter de vobis fuerat æſtimandum, niſi quia quidquid adverſitatis eſſet, ſacerdotali ſine dubio patientia vinceretis.*

S. Aregii vitam ex manuſcripto Silviniacenſi erutam a Jacobo Sirmondo edidit Philippus Labbeus tom. I. bibliothecæ; quam emendatam ex conjecturis recudi curaverunt Bollandiani die 1. Maii; ex qua hæc delibavimus.

p. 695.

S. Aregius patrem habuit Aprocaſium ex præclariori Francorum progenie, matrem Semproniam. Pii parentes primogenitum hunc filium Deo bimulum obtulerunt in eccleſia Cabilonenſi, nondum baptizatum; unde ſubodoramur patriam Aregii fuiſſe pagum Cabilonenſem. Eum aquis luſtralibus tinxit B. Deſiderius epiſcopus. Deinde ætate & ſcientia maturus, ad regimen eccleſiæ Morgecenſis, (quæ leucis quinque diſtat a Claromonte) an. circiter 553. aſſumitur, cui præfuit annis 14. quibus elapſis, ſubrogatus eſt Sagittario in ſedem Vapincenſem. Bis dejectus eſt Sagittarius, ſcilicet anno 567. ac 579. Si Aregius ſuffectus ſit Sagittario ſtatim poſt ipſius priorem depoſitionem, ejus epiſcopatus inchoandus eſt ab anno 567. ſicque præfectus fuit eccleſiæ Morgecenſi * anno 553. quam ſententiam propugnant Bollandiani. Si vero Sagittarius nullum habuerit ſucceſſorem, niſi poſt ſecundam in eum latam ſententiam; ut multa ſuadere videntur, (nam quando poſt primam ſuam dejectionem revocatus eſt ad eccleſiam Vapincenſem, non legitur inveniſſe cathedram ab alio præſule occupatam) non eſt ſumendum initium ejus regiminis, niſi ab anno 579. ſicque non accepit gubernandam Morgecenſem eccleſiam ante annum 565.

567. * Morgei. 579.

Aregius factus epiſcopus magnam geſſit ſollicitudinem totius gregis, maxime vero juniorum clericorum. Poteſtatem exercuit ſummam in dæmones, & multis miraculis Deus notam fecit ejus ſanctitatem. Nihilo tamen minus corpus diverſis exquiſitiſque laboribus affligebat indeſinenter, quaſi militiæ Chriſtianæ ſtadium nuper eſſet ingreſſus. Interfuit concilio Valentino II. anno 584. & Matiſconenſi II. anno ſequenti. Adhuc ſedebat anno 601. quo ſanctus Gregorius ei duas ſcripſit epiſtolas. Romam profectus orationis cauſa, & ut SS. apoſtolorum limina viſitaret, a ſancto papa perhonorifice eſt exceptus. Per hanc autem profectionem & moram Romæ factam, coaluit potiſſimum ſingularis inter eximios illos viros amicitia. De ſancti Aregii morte ita loquitur ejus vitæ ſcriptor coævus: *Nudato corpore ante altare ſancti Euſebii, cum cinere & cilicio jacens, cum viaticum corporis & ſanguinis Chriſti de manu Iſicii epiſcopi *, & Dicmeii epiſcopi presbyteri accepiſſet, ait:* Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, &c. *Obiit autem ipſo die kalendarum Maii.* Sed quo anno minime conſtat; licet id anno 604. factum fuiſſe videatur. Fit mentio ſancti Aregii in vita ſancti Attalæ abbatis Bobienſis, quem pater litteris liberalibus imbutum huic commendavit pontifici.

584. 601. 564 &

* videlicet Gratianopolitani.

Sec. 1. Benedict. pag. 123.

IX. Valatonius.

Hic cum eſſet archidiaconus ſancti Aregii & diſcipulus, eum excepit in ſede Vapincenſi ut clare docet ſcriptor ſynchronus vitæ hujus ſancti, iis verbis: *Ergo & beatiſſimo viro Valentonio, qui tunc temporis archidiaconus ſub ſæpe dicto pontifice Vapincenſem regebat eccleſiam, viſus eſt dalmaticam cauſa muneris indulſiſſe; & quia compererat, quod eſſet ſacris litteris decoratus.....; & quod ipſe in ſui magiſtri ſuccederet ſede, beatiſſimus Gregorius papa palam ſuis pronuntiavit oraculis.*

X. Potentissimus.

Potentiſſimus ſub Clodoveo II. rege adfuit concilio Cabilonenſi habito anno 650. juxta vulgarem opinionem; quod tamen anno 644. coactum putat Carolus Cointius; melius autem aſſignatur anno 648. Frequens fuit hic epiſcoporum, ex omnibus fere Galliæ provinciis congregatorum cœtus. Poſt hunc epiſcopum magnus eſt hiatus in Vapincenſium epiſcoporum catalogis.

XI. Symphorianus.

Symphorianum ex illuſtri genere ortum conjicimus, quod Abbo Patricius fundator monaſterii Novalicienſis eum appellet modo patruum, modo avunculum ſuum, in ſuo teſtamento, ex quo liquet Abbonem plurimas ditiones habuiſſe in pagis Seguſiano, Mauriennenſi, Tarentaſienſi, Lugdunenſi, Viennenſi, Gratianopolitano, Dienſi, Matiſconenſi, Arelatenſi, Maſſilienſi, Tolonenſi, &c. Teſtamentum hoc anno 789. conditum putat Cointius. Sed Mabillonius invictis probat argumentis illud referendum eſſe ad annum 739. *Sub die* III. *nonas Maias, anno viceſimo primo gubernante illuſtriſſimo noſtro Karolo regna Francorum, indictione ſeptima.* Carolus enim hic commemoratus, qui non dicitur rex, ſed gubernator, minime eſt Carolus Magnus, ut vult Cointius, ſed Carolus princeps cognomento *Martellus*, ſeu *Tudites*. Porro diſcimus ex Abbonis teſtimonio Symphorianum ejus patruum fuiſſe epiſcopum Vapincenſem, & de ſuo epiſcopatu *a malis hominibus ejectum fuiſſe*. Priuſquam vero expelleretur, eccleſiæ ſuæ contulerat medietatem de *Rogationes* in valle Seguſia; ſed cum fuiſſet paulo poſt deturbatus, nunquam *portio hæc de Rogationes ad ipſam Vapincenſem* (eccleſiam) *tradita fuerat*. Ideoque, *nos*, inquit Abbo, *tam pro anima noſtra remedio, quam & pro ipſius ſupraſcripti patrui no-*

ANNI CHRISTI.

ſtri communi ratione domni Semſoriani, donamus ad ipſam eccleſiam ſanctæ Mariæ Vappencenſem locella noſtra nuncupantes Braëtio, una cum Voconcio, quæ de parente noſtra Godana ad nos pervenerunt, una cum libertis & colonis & ſervis, domibus, ædificiis, terris, vineis, campis pratis, paſcuis, ſilvis .... Immoque donamus ad ipſam eccleſiam S. Mariæ Vappencenſem locella noſtra in ipſo pago Vappencenſi nuncupantes Ruarno, Ambellis in Taraone, una cum libertis ad ipſa loca aſpicientibus; in pago Cavellico Memianam, quam dominus & avus noſter Marro quondam de domno Crammelino epiſcopo conquiſivit. De iſtis omnibus ſuprascriptis dum adhuc vixero, uſum & fructum mihi reſervo. Poſt obitum quidem meum, quandoquidem Deus voluerit, agentes eccleſia S. Mariæ Vappencenſis ipſa loca recipiant, volo ac jubeo.

Plura de Symphoriano epiſcopo non habemus, ſedebat autem circa annum 725. & 730.

725. 730.

XII. DONADEUS.

Notus eſt hic epiſcopus ex ſynodo Narbonenſi habita intra *baſilicam ſancti Juſti & Paſtoris*, ſub Daniele metropolita, præſente quoque Eliſanto Arelatenſi archiepiſcopo, quem ex provincia Arelatenſi & Narbonenſi ſecunda, multi comitati ſunt epiſcopi; in his Donadeus Vapincenſis, ut probat ejuſdem ſubſcriptio. Synodus hæc habita legitur anno 788. anno 23. regnante Carolo imperatore; quod de anno ejus imperii minime intelligi poteſt, neque enim tot imperavit annis, ejuſque imperium anno tantum 800. incœpit. Annus vero 23. regni Caroli cum anno Chriſti 791. illigatur; unde C. Cointius præfatam ſynodum differt ad annum 791.

791.

XIII. BIRICO.

Anno 876. ſedebat hic præſul, ut liquet ex actis concilii Pontigonenſis hoc tempore celebrati, cui ſubſcripſit, uti & Mantalenſi coacto pro electione Boſonis in regem Arelatenſem ſeu Provinciæ, anno 879.

876.

879.

XIV. CASTUS.

Caſtus Emone & Indulgarda parentibus natus ſedebat anno 950. quo *de alode ſuo proprio, qui ſibi de genitore ſuo & de genitrice* legibus obvenerat dedit aliquid, *ad ipſam S. Mariam, vel ſancto Caſtori, ad ipſum epiſcopum* (Aptenſem) *& ipſis canonicis in villa quæ dicitur, Domonovo. Actum in Atenſe civitate .... anno* XIII. *regnante Conrado rege Alamandorum.* Hic annus decimus tertius Conradi concurrit cum anno Chriſti CM L. Quandoquidem in ejus diplomate pro abbatia Montis-maj. annus 27. regni ejus eſt colligatus cum 963. incarnationis. Conſule ſis annales Mabillonii ad annum 963. n. 71. Itaque Caſtus ſedebat hoc anno. 950. Vide in prob. chartam I.

950.

p. 86. col. 1.

Anno 966. Silveſter Aquenſis archiepiſcopus hos habebat ſuffraganeos, qui in authentico capituli Arelatenſis recenſentur numero 3°. Landericus, Thedericus (qui Aptæ ſedebat) Æyrardus, Honoratus, Pontius, Vinbertus. Ex his unus erat Vapincenſis epiſcopus; ſed quis hic fuerit, nefas nobis videtur divinare.

In præcepto Conradi regis Burgundiæ Jurenſis, pro Hildeberto abbate Inſulæ-Barbaræ, inter hujus monaſterii cellas recenſetur *cella de Occiaco.... & quidquid in Gapincenſi pago ab Hugone epiſcopo* ... conceſſum eſt. Non immerito hic Hugo epiſcopus Vapincenſis creditur; ſed quo tempore ſederit, inde non eruitur, veriſimile tamen credimus non longe fuiſſe a tempore ſcripti præcepti, quod datum legitur anno 971. Conſulendus Mabill. in annalibus.

ad hunc an. num. 71.

Aſtorgium epiſcopum Caſto ſubjungit Honoratus Bouche, quem eruit ex diplomate Bertrandi comitis *Fontiſcalquerii, Montis-fortis & Ebredunenſis*, ejuſque fratrum Gaufredi & Guillelmi, pro monaſterio S. Michaëlis de Cluſa, ubi Benedictus abbas tunc præerat. Donationis per diploma factæ ſunt teſtes Aſtorgius epiſcopus Vapincenſis, & Gaufredus Nicæenſis. *Facta iſta donatione ſeu laudatione in eccleſia de Culea coram altari ſancti Michaelis, non. Decemb. anno Dominі milleſimo vigeſimo-ſeptimo indict.* XI.

l. 9. hiſt. foſſ. l. c. 7.

1027.

Rejicit epiſcopum Aſtorgium V. C. Antonius de Ruffi junior, in differt. de comitibus Forcalquerii, quia videlicet nulli unquam comites Forcalquerii titulum comitum Ebredunenſium & Montis-fortis aſſumſerunt. Præterea, inquit, nulla facta eſt mentio comitum Forcalquerii uſque ad annum ſaltem 1068. quo adhuc ſub nomine comitatus Siſtaricenſis agnoſcebatur pagus, cui poſtea titulus comitatus Forcalquerienſis datus eſt. Addit Ruffius Feraldum epiſcopum ſediſſe ab anno ſaltem 1024. uſque ad annum 1031. juxta Sammarthanos fratres; proindeque Aſtorgium non potuiſſe eamdem obtinere cathedram an. 1027. Alias rationes ſuppeditabunt, quæ de Faraldo mox dicturi ſumus.

p. 59.

XV. FARALDUS. *vel* FERALDUS.

Jam præerat hic epiſcopus anno 1010. quo conſecravit & dotavit eccleſiam S. Andreæ extra urbem. Hanc ſubjecit Cluniaco an. 1029. uti refert Mabillonius ad hunc annum. In tabulario ſancti Victoris Maſſilienſis reperitur ſubſcriptus dono Bertrandi comitis Provinciæ, de manſis in Petrafoco, Forocalcherio, comitatu Tolonenſe & aliis, facto S. Victori ad faciendum ſatis pro damnis quæ intulerat. Actum eſt menſe Auguſto anno 1031. regnante Rodulfo rege, propria manu firmante Feraldo, ſubſcribenteque Raimbaldo archiepiſcopo.

1010. 1029. n. 68. 1031.

Anno 1040. idibus Octobris adſtitit Benedicto papæ IX. baſilicam S. Victoris apud Maſſiliam dedicanti, uti docent ejuſdem pontificis litteræ editæ in Pontio Maſſilienſi epiſcopo.

Feraldus ſub nomine Geraldi deſignatur inter epiſcopos Burgundiæ & Aquitaniæ, ad quos Benedictus papa VIII. qui ſedit ab anno 1012. ad 1024. pro Cluniacenſibus ſcripſit.

XVI. RADULFUS.

Radulfo epiſcopo certum non poſſumus aſſignare locum & tempus. Id unum de ipſo conſtat, videlicet quod ſubſcripſerit chartæ Pontii clerici, qua vendidit S. Odiloni abbati Cluniacenſi, quæ poſſidebat in eccleſia S. Andreæ;

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

unde liquet præfuiſſe tempore præfecturæ S. Odilonis apud Cluniacum. Sed diu monaſterium hoc rexit S. Odilo, videlicet ab anno circiter 991. ad 1048. hinc fieri poteſt ut Radulfus anteceſſerit Faraldum in regimine eccleſiæ Vapincenſis. Cur autem eum poſtpoſuerimus, id cauſæ fuit quod charta cui ſubſcripſit, ſit inſtrumentum venditionis factæ S. Odiloni partis eccleſiæ S. Andreæ, quam haud dubie non acquiſivit ſanctus abbas, niſi poſtquam hæc eccleſia Cluniaco fuit ſubdita, an. 1019.

XVII. RIPERTUS I. *vel* RUPERTUS.

1055. Hic epiſcopus, anno 1055. ſubſcripſit diplomati Gaufredi comitis Provinciæ, ejuſque uxoris Stephaniæ ac filii Bertranni, quo dant aut vendunt ſancto Victori *duas pecias de terris in Triponcio, conſilianie & præſente Rajambaldo archiepiſcopo* (Arelatenſi) *volentibus & præſentibus epiſcopis Alfanto Apenſi, & Riperto Vapincenſi, necnon Roſtagno Avenionenſi, Calendis Julii, anno ab incarn. Domini* MLV. Porro ſimoniæ reus hic epiſcopus e ſede ſua eſt dejectus, quam tamen putamus poſtea eum recuperaſſe. Forte etiam nunquam illam deſeruit, etſi judicio eccleſiæ pulſus. Teſtatur Honoratus Bouche in proverbium abiiſſe illic *ſimoniam Ripertinam*, quod Ripertus huic vitio in primis eſſet deditus. Eum exiſtimamus fuiſſe ex ſex illis epiſcopis, quos Hildebrandus, tunc tantum ſubdiaconus, a Victore (ſcilicet II.) apocriſiarius in Gallias deſtinatus, in ſynodo, apoſtolica auctoritate, epiſcopali honore ſpoliavit, ut narrat Petrus Damiani, in epiſtola ad Dominicum & fratres eremi, necnon alia in epiſtola ad Nicolaum papam. Depoſitionem Riperti contigiſſe putamus anno 1055. quo videmus alium epiſcopum ipſi ſubrogatum.

Bouche l. 9. ſect. 1. c. 8.

XVIII. S. ARNULFUS.

Beatus Arnulfus monachus ſanctæ Trinitatis [a] Vindocinenſis, ordinis S. Benedicti, cum in cœnobio S. Priſcæ Vindocinenſibus dato Romæ degeret, ob morum facilitatem & ſuavitatem papæ carus, juſſus eſt ſuccedere Riperto, & quæ male egerat, emendare; quod feliciter præſtitit. Juſtitiæ tenax, & injuriarum clero illatarum vindex acerrimus communionem interdixit cuidam militi nomine *Laidet* domino de Charance, qui canonicum eccleſiæ Vapincenſis acerbius tractaverat; qui etſi delicti veniam Romæ obtinuiſſet, poſtea tamen, cum in B. Arnulfum debacchatus eſſet, fortuito caſu Canterii mox interiit miſerrime.

Quo tempore S. Arnulfus ad Vapincenſem acceſſerit cathedram, nunc perpendendum. Hildebrandus Victoris II. legatus Ripertum depulit ac deturbavit ab epiſcopatu. Victor papa pontificatum exorſus anno 1054. abſolvit an. 1057.
1055. Itaque depoſitio Riperti potius ad annum 1055. revocari poteſt ac debet, quam ad 1065. & quidem in ejus vita legitur conſecratus & miſſus Vapingum ab Victore II. migravit ad cœlum virtutibus ac miraculis clarus, die 19. Septembris [a].

ANNI CHRISTI.

XIX. RIPERTUS II.

Ripertus, idem quem ſupra diximus a ſede pontificali pulſum, ut par eſt credere, an. 1060. eam recuperarat, & obtinebat, quo dedit ſancto Victori Maſſilienſi eccleſiam ſancti Petri de Rionia; in charta donationis ſe dicit Percipiæ filium, fratrem Laugerii, Hugonis, & Raimbaldi. Anno 1075. Bernardo abbati ſancti Victoris donationem facit in caſtello quod *Traſelens* vocatur ad condendum monaſterium.

1060.

1075.

XX. LEODEGARIUS I.

De hoc epiſcopo ita ſcribit Gregorius VII. epiſt. 21. l. 6. ad Arelatenſes; anno 1079. cal. Martii: *Miſimus ad vos fratrem noſtrum videlicet Leodegarium Wapincenſem epiſcopum quatenus cum illius conſilio talem perſonam ſecundum Deum eligatis*, (in archiepiſcopum) *quem vicarius noſter Hugo Dienſis epiſcopus, literis ſuis nobis commendat, &c.* Habet anniverſarium in monaſterio ſancti Andreæ ſecus Avenionem die 3. Auguſti, ex veteri obituum libro.

1079.

XXI. OTTO.

Nomen huius epiſcopi libro ſeu regiſtro pergamenorum p. 61. inſcriptum ad annum 1081. nos cogit eum Vapincenſibus antiſtitibus accenſere.

XXII. ISOARDUS.

Ex variis donis cognitus eſt hic epiſcopus; nam contulit capitulo ſeu congregationi beatæ Mariæ Avenionenſis, & Roſtagno ejuſdem præpoſito plurimas eccleſias. Quo tempore præfuerit non indicant ejus chartæ; nam chronicis carent notis. Sed aliunde nobis conſtat Roſtagnum Avenionenſis eccleſiæ præpoſitum vixiſſe anno 1099. & 1100. Erga Cluniacenſe cœnobium, & S. Hugonem abbatem beneficus contulit eccleſiam ſanctæ Mariæ de Vedenero, quæ erat ſui patrimonii, coram Paſchali papa II. rogante Petro Cluniacenſi monacho, & papæ camerario. De hoc epiſcopo intelligenda ſunt quæ Urbanus II. ſcribit ad Hugonem Lugdunenſem archiepiſcopum, an. 1099.

Vide C. II. inſtrum. p. 86. col. 2.

1100.

Vide Chart. III. ibid.

Quod de Guapicenſi ſeu Dienſi epiſcopis prudendenſtam tuam egiſſe ſignificaſti, nobis admodum gratum eſt, & ſi jam amplius actum eſſet, gratius haberemus, ut & Guapenſis ab incubantis porci faucibus eruceretur, & Dienſis paſtore quem appetit, frueretur, &c.

XXIII. ARMANDUS.

Tempus quo ſedit præſul hic, indicat proprium Vapincenſe, quando aſſerit eum ſacra B. Arnulfi oſſa poſt annum ab ipſius morte triceſimum tranſtuliſſe in pulpitum eccleſiæ, die 13. Junii. Id contigit anno 1104. ſi, uti dicitur, S. Arnulfus ad Dominum migraverit an. 1074. Hæc ſunt verba proprii eccleſiæ Vapincenſis:

1104.

[a] Honoratus Bouche dicit S. Arnulfum fuiſſe natum in pago Vindoniſſenſi *Vindiſch* prope Helvetios; cujus urbis epiſcopatus Conſtantiam ad Rhenum tranſlatus eſt. Sed vereor hallucinationem; forte enim lectum eſt *Vindoniſſenſis monachus*, pro *Vindocinenſis*.

[a] Legitur obiiſſe, anno 1074. quod ſi ita ſit, epiſcopatum minime retinuit uſque ad mortem.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

Episcopus qui tunc praerat Armandus nomine, vita pius, habitu monachus, cum clero devotus accessit, ac orationi incumbens, tumuli lapidem revolvi praecepit, quo veneranter amoto, ab oratione surgit episcopus, & illato in monumentum lumine, veste incorrupta integrum invenit corpus. Tunc adstantibus visum est, ut ad veritatis notitiam brachium a sancti corpore secaretur, & extra sepulcrum retentum, posterorum memoria servaretur.

XXIV. LEODEGARIUS II.

Notæ chronicæ fundationis Cartusiæ Durbonis in diœcesi Vapincensi, nobis suppeditant quo tempore Leodegarius II. pedum gesserit; etenim in instrumento de fundando hoc Cartusianorum monasterio, legitur id factum anno Christi 1116. undecimo episcopatus Leodegarii II. Itaque ab anno 1105. sumendum est ejus episcopatus initium. Anno praefato 1116. xv. cal. Novembris in synodo laudavit & corroboravit cum omni conventu clericorum suorum, donationem a Matfredo de Blesdinar, & ab ejus fratribus nepotibusque factam, Lazaro ipsiusque sociis, eremi videlicet *spatiosæ*, cujus terminii describuntur in instrumento fundationis, quod habes in probationibus. Ad consecrationem ecclesiæ Durbonis convenit Leodegarius cum Stephano Diensi episcopo & clericis quamplurimis cal. Octobris anni 1121. Satis non fuit huic episcopo dona ab aliis facta rata habere, sed ipse beneficum se exhibuit Victorinis apud Massiliam abbati & monachis, quibus dedit ecclesias de Treselens, an. 1115.

1105. 1116. *C. IV. p. 86. col. 2.* 1121.

XXV. PETRUS I.

Petrus anno 1122. subrogatus est Leodegario. Biennio post Bernardus Rufus sacerdos in ipsius manu quædam largitus est Lazaro priori Cartusiæ Durbonis, teste Geraldo Grafinel fratre episcopi. Occurrit adhuc annis 1128. & 1129. quo ecclesiam sancti Petri & S. Romani de Subripis donat Victorino apud Massiliam cœnobio, septimo cal. Septembris. In sententia Leodegarii Avenionensis pro suis canonicis, memoratur Petrus Gratinelli episcopus Vapincensis. Forte legendum *Grafinelli*.

1122. 1128. 1129.

XXVI. GUILLELMUS I.

Brevi temporis intervallo Guillelmus excepit Petrum, eique in officio pastorali suffectus est; nam in instrumento donationis factæ Cartusiæ Durbonensi, ab Isoardo Diensi comite annus Christi 1149. dicitur decimus-nonus episcopatus Guillelmi, qui proinde cœpit praesse anno 1130. Idque confirmatur ex alia charta Durbonensi. Petrus venerabilis abbas Cluniaci ad eum & ad tres alios antistites Arelatensem, Ebredunensem, & Diensem, communem scripsit epistolam, in qua de Petrobusianis haereticis agit: *Vobis eam misto*, inquit, *quoniam in partibus vestris, aut circa eadem stulta illa & impia haeresis, more pestis valida, multos interficit, plures infecit. Sed gratia Dei concitante & adjuvante studia vestra, a regionibus vestris sese paululum removit.* Mors Guillelmi inscribitur necrologio S. Andreæ secus Avenionem ad diem 2. Novembris, anno praetermisso.

1130.

ANNI CHRISTI.

XXVII. RAIMUNDUS.

Praerat Raimundus anno 1150. ex tabula Durbonensi, juxta Sammarthanos fratres. Cum Guillelmo Ebredunensi archiepiscopo & Jacyntho cardinali confirmavit apud Vapingum donationem Raimundi de Mont-brun, factam anno 1156. Bertrando Durbonis priori, Hadriano papa IV. tunc sedente, ex Ebredunensis ecclesiæ archivis.

1150.

XXVIII. GREGORIUS I.

Gregorium legimus iniisse episcopatum anno 1157. Donum fecit Cartusianis Durbonensibus, *de libertate capellaniæ S. Juliani*, an. 1166. quod praeter Guillelmum Ebredunensem archipraesulem laudarunt, approbaruntque decanus & canonici ecclesiæ Vapincensis. Ipse etiam Alexander papa III. idem donum ecclesiæ sancti Juliani confirmavit bulla data VII. idus Decembris, circiter annum 1169. ubi dicitur Guillelmum quondam Ebredunensem archiepiscopum illam ecclesiam impetrasse a Gregorio Vapincensi praesule. Testis legitur in privilegio dato fratribus Durbonis, per Guillelmum comitem Forcalcharienscm, apud Aptam, cum esset accinctus ad S. Jacobi peregrinationem. Interfuit conventui habito pro ordinanda successione comitis Forcalcherii tunc sub tutela Garsendis aviæ suæ constituti. Fridericus imperator huic Gregorio praeceptum dedit apud Arelatem, anno 1178. in quo illum appellat *dilectum principem*. Huic, post acceptum hominium & *fidelitatem*, *omnia regalia per legitimam investituram* concessit, anno eodem pridie cal. Augusti, asseruitque pro futuris episcopis, sub clientelæ professione. Notat autem Chorerius Provinciæ & Forcalcherii comites, necnon delphinos, illa per Fridericum Augustum indulta privilegia saepius impugnasse, ita ut ad arma ventum sit. Gregorius adhuc memoratur in tabulario sancti Victoris, anno 1180. & Durbonensi pridie cal. Augusti indictione XIII. quo tempore donavit aut confirmavit iterum huic Cartusiæ, & Chatberto tunc priori *libertatem S. Juliani*.

1157. *Cartul. Durbon. f. 167.* 1178. *Vide Chor. V. pag. 87. col. 2.* *l. 11. fol. 13. p. 825.*

XXIX. GUILLELMUS II.

Guillelmus dicitur obtinuisse dominium urbis Vapincensis, cum territorio, castrum Raibaudum, & Rabaonem, ex diplomate asservato in archivo regali Aquensi, dato an. 1184. III. cal. Octobris indictione III. Subscripsit eodem anno diplomati Friderici imperatoris concesso Casæ-Dei, postulante Lantelmo abbate, ad omnes hujus asceterii possessiones asserendas ob religiosam monachorum conversationem, ex authentico in tabul. Casæ-Dei asservato, dato praefato anno, ind. III. III. nonas Novembr.

Idem imperator anno 1186. indulsit huic episcopo ejusque successoribus, ut nullus posset eorum feuda & ecclesiæ Vapincensis acquirere citra eorum consilium & assensum: concessum ea de causa Friderici privilegium in probationibus exhibemus.

1184. 1186. *C. VI. p. 87. col. 1.*

XXX.

ANNI CHRISTI.

XXX. Guillelmus III.

De eo pauca nobis innotuerunt, nimirum
1205. quod federet anno 1205. & anno sequenti testis nominetur in donatione Aonis de Benevento facta de his quæ possidebat in Vauz, Willelmo priori Durbonis; ex tab. Durbon.

XXXI. Gregorius II.

Hic episcopus memoratur in registro pergamenorum archivi regii Aquensis, ad annum
1210. 1210. cum Guillelmo de Benevento Ebredunensi archiepiscopo, & Petro de sancto Paulo Aptensi præsule.

XXXII. Hugo.

Hujus episcopi meminerunt tabulæ tum Vapincensis ecclesiæ, tum Cartusiæ Durbonensis,
1215. ex quibus intelligitur illum præfuisse an. 1215.

De Sclapono.

XXXIII. Guillelmus IV.

Guillelmus de Sclapono ex abbate [a] Lirinensi, evehitur ad episcopalem sedem Vapincensem: *vir*, inquit Chronicon Lerinense, *doctus & pius*. Huic Andreas delfinus comes Albonis & Viennensis recognovit ea quæ habebat in toto episcopatu Vapincensi, hominii titulo, charta da-
1222. ta 1222. xv. cal. Novemb.

XXXIV. Robertus.

1225. Robertus adfuit anno 1225. cum Guigo dalfinus Viennensis fidem juraret ut vassallus, Humberto archiepiscopo Ebredunensi. Memoratur in testamento Andreæ dalphini Vienn. condito an. 1236. iv. non. Martii, in quo hic
1236. princeps nostro antistiti commendat uxorem, filium, homines suos, & aliis tum archiepiscopis tum episcopis. Vide probat. pro historia Delphinatus nuper edita, p. 71. Obtinuit confirmationem privilegiorum ecclesiæ Vapincensis, videlicet de castris Bastidæ veteris & novæ, castrorum de Tornafor, Montistenerii, Montaëriot, de Talardo veteri & aliis; cujus exemplar in codice archivi regii Aquisextiensis reperitur datum anno 1238. mense Aprili, coram
1238. Johanne Viennensi, Aymone* Ebredunensi archiepiscopis, Petro Gratianopolis pontifice, Bonifacio Montisferrati; & Mafredo marchione Salutiarum. Eodem anno subscribit privilegio, quo Fredericus imperator confirmat Aimaro Ebredunensi archiepiscopo privilegia ejus antecessori Guillelmo concessa annis 1147. & 1151. a Conrado imperatore. Eidem diplomati simul subscribunt Johannes Viennensis archiepiscopus & Petrus episcopus Gratianopolitanus. R. an. 1242. nominatur cum Aimaro Ebred. Guillelmo Seneciensi antistite, &c. ubi per R. male quidam intelligendum putant Raimundum.

*Aimaro.

De Grassa.

XXXV. Otho *vel* Odo.

Otho de Grassa avum habuit Raimundum de Grassa, patrem B. de Grassa, fratrem R. de Grassa & sororem Beatricem. Nepotes autem

[a] Id factum anno 1212. legitur in chronologia Lirinensi, sed mendose, alioquin falsi argui deberent chartæ omnes pro Hugone & pro ipso Guillelmo laudatæ.

p. 167.

ANNI CHRISTI.

Hermelinam, Taburgiam, Guillelmum & Bertrandum, ut intelleximus ex veteri instrumento, quod servatur in archivis illustrissimi episcopi Grassensis. Hinc colliges Othonem ex illustri prosapia procreatum.

Otho ex præposito Aquensi, eligitur episcopus anno 1251. cui hominium præstitit XIII. cal. Julias Guido dalfinus, de iis quæ possidebat in comitatu & civitate Vapincensi, ex archivis regiis Provinciæ, ubi etiam videre est notam hujusce hominii redactam a notario in publicam formam anno 1265. VII. cal. Novemb. id annuente precibus Othonis Hugone de Masalgnia curiæ Vapincensis judice. Memoratur in tabulis ecclesiæ Regensis 1258. præsens cuidam confirmationi nonnullarum possessionum; anno autem 1260. 2. cal. Aprilis Inda abbatissa monasterii sancti Petri de Subripis Vapincensis diœcesis, ecclesiam B. Mariæ de Saxobaudo Forojulienſis diœcesis, quæ monasterio de Subripis suberat, de consensu conventus ac sororum, necnon Othonis episcopi legat ordini Cartusiensi, & speciatim domui de Bertaudo, retento censu quinque solidorum, & quod dominabus de Subripis quandiu vixerint debeat monasterium de Saxobaudo necessaria providere, ut patet ex authentico. Contra hunc episcopum cives urbis Vapinci rebellarunt, seseque dederunt Beatrici Viennensi & Albonis comitissæ; unde coactus ad senescallum regis in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii confugere, qui auxilium pollicitus est, modo *fidelitatem faceret de temporalibus*, quæ ipse & ecclesia Vapincensis tenebant in civitate & episcopatu Vapincensi, uti tenebatur ratione comitatus Forcalquerii. Annuit episcopus, uti narratur in veteri instrumento, & recognovit se teneri *ad faciendam fidelitatem*: id factum est anno 1271. Postea mediam partem jurisdictionis in civitate Vapincensi cessit Carolo I. Siciliæ regi comiti Provinciæ fratri S. Ludovici, & Carolo principi Salernitano ejusdem filio, charta facta mense Maio anni 1281.

Regist. pergam. 1251.

V. probat. C. VII. p. 870. col. 2.

1271.

Ibid. C. VIII. p. 88. col. 2.

1281.

De Medullione

XXXVI. Raimundus II.

Otho successorem habuit Raimundum de Medullione, anno circiter 1281. qui anno 1288. XVII. cal. Decembris scripsit epistolam, in qua meminit bullæ Nicolai papæ IV. provinciali ordinis Fratrum Prædicatorum directæ, ubi mandatur, ne quis dicti ordinis religiosus, qui tempore sui noviciatus vestem abjecerit, ad ullam promoveatur dignitatem, nisi ex concessione summi pontificis. Edidit statuta, quæ Gaufredus ejus successor renovavit. De hoc præsule, qui Dominicani fuit ordinis alumnus & ornamentum, sic loquitur Leander lib. 3. de illustribus Dominicanis:

1288.

Ex tab. Fr. Præd. Bitur.

Raimundus de Medullione, vir & nobilitate, & quadam animi lenitate conspicuus circa annum millesimum ducentesimum octogesimum primum ecclesiam Vapincensem jussu pontificis gubernandam suscepit. Deinde post non multum temporis Ebredunensis civitatis archiepiscopali infula donatus est. His enim duabus ecclesiis, annis tredecim omni cum laude præfuit. Verum paulo post

ANNI CHRISTI.

conventum generalem per patres nostros apud Montem-Pessulanum, quem sua præsentia compositione morum, ac virtutum elegantia ornaverat, diem suum devote obiit anno 1274. *apud Buxum. Exinde vero ad cœnobium nostrum Sistaricense translatus est.*

Plura de hoc præsule dicemus in Ebredunensibus archiepiscopis.

XXXVII. GAUFREDUS.

De Leoncello.

Gaufredus de Leon-cello, vel Lanuncello (*Lincel*) primum fuit Aptensis ecclesiæ præpositus, ubi de ejus genere diximus. Translato autem Raimundo ad metropolim Ebredunen-
1289. sem anno 1289. creatus est episcopus Vapincensis. Anno 1295. die 8. Martii jure quod sibi in ecclesiam S. Mariæ sub Medullione sibi vindicarat, cessit in gratiam Bertrandi Raimbaudi abbatis S. Andreæ Avenionensis, amoto ab illius cura quem ei præfecerat Guillelmo Petri de
1297. Bedoino clerico. Anno 1297. confirmavit conventiones factas cum senescallo Forcalquerii
1300. nomine regis. Anno 1300. indictione XIII. 5. mensis Septemb. hic episcopus & capitulum, civesque Vapincenses ex parte una, & Johannes comes Vapincensis ex altera, pacta fecerunt
Mem. pour l'hist. de Dauph. super consulatu & jurisdictione civitatis, arbitris & compositoribus amicis Guillelmo Ebred. archiepiscopo & Jacobo episcopo Forojulienſi.
1309. An. 1309. Roberto regi Siciliæ comitique Provinciæ & Forcalquerii hominium exhibuit, cujus
C. IX. p. 88. col. 2. chartam damus inter instrumenta, ubi notandum venit quod in ipsa charta quam integram, postquam edita est, recuperavimus, *idem rex versa vice eidem episcopo præsenti, recipienti & stipulanti bona fide promiserit, ea qua in dictis conventionibus, permutatione & permutationibus continentur attendere, servare & complere & non contravenire: volens & præcipiens idem dominus rex quod heres & heredes ipsius domini regis & succedens & succedentes eidem in dicto comitatu Forcalquerii, vel alius vel alii in animam ipsius heredis, vel ipsorum ab episcopo vel electo confirmato recognitionem de prædictis & fidelitatis recipiant juramentum; & idem episcopus sibi ad invicem jurent & promittant, ac seneschallus dictorum comitatuum, qui nunc est & bajulus & judex Sistaricensis, promittant & jurent dictas conventiones & permutationes servare.* Varia excipit
1314. hominia anno 1314. E vivis excessisse IV. idus Junii dicitur in Andreano prope Avenionem necrologio.

XXXVIII. OLIVERIUS.

De Laya.

Oliverius cognomento de Laya ex decano Vapincensi, ad episcopatum est assumtus mense
1315. Octobri anni 1315. quo edidit statuta. Eodem anno occurrit Aymarus de Laya episcopus Vapincensis, qui die ultima Februarii recepit hominium Petri Reinerii militis, domini in parte castri de Molanis, pro castro Montherio. An idem est ac Oliverius, qui duo habuerit nomina; vel in scribendo amanuensis Aymarum posuit pro Oliverio? Forte tam brevi tempore duo ex eadem familia, ad hanc sedem accessere.

XXXIX. GUILLELMUS. V.

ANNI CHRISTI.

Guillelmus cui cognomen Gibellini, ex priore Cartusiæ Durbonis episcopus Vapinci reperitur
Gib. Lin.
anno 1317. ac anno 1318. in libro provisionum
1317. Vaticani. Biennio post fundantur Dominicani apud Vapincum, quo tempore edidit statuta quædam. Anno 1326. mense Junio comitatus
1326. est Jacobum Aquensem archiepiscopum suum metropolitanum pergentem ad synodum trium provinciarum habitam apud S. Ruffum prope Avenionem, de qua vide in Guasberto Arelatensi archiepiscopo. Attigit annum circiter 1328.
1328. quo Dragonetus ejus successor homagium præstitit Roberto regi; & paulo post pro D. Dragoneto in ipsius locum subrogato & recens electo, vexillum regium erectum est in turri palatii,
Reg. fer. parg. p. 271.
Ch. X. pag. 88. col. 2. jussu Johannis de Aqua-Blanca militis, cujus exstant litteræ in instrumentis.

XL. DRAGONETUS.

Paulo post electionem suam Dragonetus fidem obstrinxit & juravit Roberto Jerosolymorum & Siciliæ regi simulque comiti Provinciæ, &c. coram Johanne de Aqua-blanca milite seneschallo tanquam majori domino civitatis Vapincensis, de Castro Lazaro & aliis, Sistarici in palatio episcopali die 24. Julii anno 1329. An.
1329. 1332. ipse & capitulum transegere cum Guidone XIII. delphino; qua transactione pacti sunt
1332. sese feudatarios illius fore, non modo de terra S. Laurentii; verum etiam de omnibus quæ possidebant in toto mandamento atque territorio de Roischard, ultra cisque Dravum fluvium (sic Draconem *Ledrac* vocabant). Ad sy-
Chorier. l. 11. sect. 13. p. 825. nodum Avenionensem an. 1337. misit procura-
1337. torem fratrem Lantelmum d'Esparone priorem de Alanon. Anno 1339. cum capitulo decrevit officium B. Mariæ singulis diebus decantandum.
1343. Alia constituit annis 1341. 42. 43. & 44.

De Poitiers.

XLI. HENRICUS.

Henricus de Pictavia Aimari de Pictavia Valentinensis & Diensis comitis filius ex Sibylla de Baucio Francisci Andriæ ducis ac Margaritæ Tarentinæ nata, electus in episcopum
1349. Vapincensem anno 1349. 8. Julii dicitur. Ex
1354. hac ecclesia transfertur ad Trecensem an. 1354. ubi obiit anno 1370.

XLII. GIBERTUS.

Eodem anno 1354. quo Henricus migravit ad Trecensem cathedram, Gibertus Vapincensem conscendit. Hoc quoque anno, cum Carolus IV. imperator in Italiam pergens, ut Mediolani coronam ferream de more acciperet, ac per Provinciam, & Aquas-Sextias iter faceret, Ludovicus rex & Johanna ejus conjux elegerunt hunc episcopum, qui cum Fulketo de Pontevez seneschallo, & Johanne de Vicedominis judice * majori, hunc principem Aquis ex-
* Juge-Mage.
ciperet, eique certis conceptum verbis hominium profiteretur. Inde imperator Arelatem se contulit, ubi cum regnum Arelatense sibi vindicaret, multa in argumentum sui supremi juris fecit & decrevit. Ad Lodovensem thronum traductus est Gibertus anno 1358.
1358.

ANNI CHRISTI.

XLIII. Jacobus I.

Cum Jacobus eccleſiæ Montalbanenſi præſideret, ecce vocatur ad Vapincenſem ubi erat annis 1359. & 1360. Eundem Innocentius VI. promovit anno 10. ſui pontificatus, VIII. idus Aprilis, ad epiſcopatum Nemauſenſem vacantem per Johannis epiſcopi aſſumtionem ad cardinalatum, anno 1361. ante 13. cal. Octobris.

XLIV. Oto II.

In chartis Boſcodunenſibus offendimus epiſcopum Vapincenſem nomine Otonem, qui
1364. ſedebat anno 1364. & 1370. Conſtat tamen an. 1365. alium epiſcopum habuiſſe Vapincenſem eccleſiam, ſcilicet Jacobum II. Verum forſitan Oto anno 1365. huic præſuli ceſſit vel ſponte vel invitus, & ipſo exſtincto anno 1367. ad ſuam ſedem eſt regreſſus.

XLV. Jacobus II.

Jacobus qui die 30. Julii anni 1365. electus fuerat epiſcopus Tricaſtinenſis, eodem anno tranſlatus eſt ad eccleſiam Vapincenſem. Cumque capitulum Tricaſtinenſe per tres menſes non potuiſſet concordare in electione epiſcopi (ſinguli enim canonici dignitatem hanc ambiebant, onus minime curantes,) Urbanus papa V. adminiſtrationem viduæ eccleſiæ Jacobo commendavit. In hiſtoria eccleſiæ Tricaſtinenſis nuper edita, exſtant hujus antiſtitis litteræ datæ die 18. Octobris anni 1367. in quibus ita de ſe præfatur: *Jacobus miſeratione divina epiſcopus Vapincenſis, & adminiſtrator Tricaſtinenſis, &c.* Obierat jam anno 1368. die 21. Februarii, ut dicemus in epiſcopis Tricaſtinis.

Stephani.

XLVI. Guillelmus VI.

Ex canonico Forojulienſi creatus eſt epiſcopus Vapincenſis Guillelmus ſub Stephani cognomine probe notus. Fratres Sammarthani dicunt eum anno 1365. miſſum fuiſſe cum archiepiſcopo Narbonenſi Avenionem, nomine regis Navarræ; idque ex actis theſauri regii Pariſienſis eſſe compertum; quod negat Baluzius in notis
p. 1132. ad vitas paparum Avenionenſium, hac ratione fultus, quod ſibi certis conſtet teſtimoniis Navarrum pro ſe miſiſſe Johannem de Greilli capitalem Boiorum (Captal de Buch). Verum quid vetat plures ab hoc rege miſſos fuiſſe, alios clericos, laïcos alios? Et certe in concilio Aptenſi anni 1365. recenſetur quidam legatus G.
1367. id eſt Guillelmi Vapincenſis epiſcopi. Memor eccleſiæ Forojulienſis, cujus erat alumnus, ei reliquit pro anniverſario 40. coronatos, ex necrologio cal. Novembris.

de Saints.

XLVII. Johannes.

Johannes de Sanctis cui nonnulli addunt *Juvenis* cognomen, ex canonico Belvacenſi datus eſt præſul Vapincenſibus an. 1405. quo anno papa ejus præbendam dedit Petro Franchomme, die lunæ XI. Maii. Ut orator Ludovici Siciliæ regis comitis Provinciæ, &c. adfuit concilio Piſano habito menſe Martio anni 1409. cujus
1409. p. 346. & 313. acta habes tomo VI. ſpicilegii. Eodem anno ante Johannem in ſchedis nonnullis invenio Bertrandum de Malo-monte epiſcopum an. 1406. ſed de eo minime nobis conſtat. Johannes tranſlatus eſt ad ſedem Meldenſem.

Ex tab. Frigidi montis.

ANNI CHRIST.

XLVIII. Alexius.

de Siregnio.

Alexius de Siregnio Mediolan. ordinis Minorum, cum eſſet deſignatus epiſcopus Bobienſis, obtinuit ſedem Vapincenſem, anno 1409. aut 1410. Traductus paulo poſt dicitur ad Placentinam in Italia per Johannem XXIII. in 1410.
locum Brandæ cardinalis. Obiit anno 1448. die 1. Januarii. Conſulendus de eo Ughellus tom. 2. Italiæ ſacræ.

d'Eiragues.

XLIX. Leodegarius III.

Leodegarius toparcha caſtri de Ayragis, Iolandi reginæ Siciliæ, Andium & Lotharingiæ ducisſæ a ſecretis & conſiliis, quem lego an. 1420. inſignitum duplici titulo, epiſcopi Vapin-
1420. cenſis & cancellarii regii: erat etiam Francorum regis Caroli VI. ac ſereniſſimi delphini conſiliarius; pro quo officio annuam penſionem mille librarum Turon. percipiebat, ut probat ejus chirographum datum 28. Januarii anno *Ch. des comtes : Clermb.* 1418. quo teſtatur hanc penſionem ſibi perſolutam. Poſtea ſpoliatus eſt poſſeſſione caſtri de Ayragis, tanquam perduellionis reus.

de Forcalquier.

L. Galcherius.

Galcherius de Forcalquerio ex nobilibus toparchis Cæſariſtæ, Forojulienſis eccleſiæ archidiaconus & ſacriſta, epiſcopatu Vapincenſi donatus eſt; incertum quo anno. Recenſetur ab Ho-
l. 9. fol. 4. norato Bouche inter præſules, qui ad tranſlationem trium ſanctarum Mariarum convenerunt anno 1448. Sedit in concilio Avenionenſi an. 1448.
1457. cui Petrus de Fuxo cardinalis ordinis Mi- 1457.
norum præerat, vir præſtantiſſimus, variis legationibus defunctus pro ſede apoſtolica, cujus tunc erat legatus a latere. Diu vixit Galcherius, &
uſque ad annum 1480. quo, die 20. Julii, homi- 1480.
nium fecit pro civitate Vapincenſi, & caſtris Baſtidæ tum novæ tum veteris, Raimbaudi, de Noerio & de Lazaro, præſentibus Franciſco domino de Luxemburgo, Olivario Aquenſi archiepiſcopo, &c.

LI. Gabriel I.

Galcherio ſuffectus eſt, ut exiſtimamus, Gabriel de, Sclafanatis de quo hæc legimus in veteri inſtrumento: *Anno Domini* MDXXVI. *die* II. 1526.
Novembris deceſſit ab humanis reverendus dominus Gabriel epiſcopus Vapincenſis de Sclafanatis, & ſucceſſit in epiſcopatu R. P. D. Gabriel de Claromonte, & fuit ſibi proviſum per ſedem apoſtolicam, & adeptus eſt poſſeſſionem ſuam anno MDXXVII. *die* XX. *Aprilis.*

de Claro Monte.

LII. Gabriel II.

Gabriel de Claro-monte Bernardini vice-comitis de Talardo, ex Anna de Huſſon filius, Theodori epiſcopi Senecenſis, & vice-legati Avenion. frater, anno 1527. adiit poſſeſſionem 1527.
eccleſiæ Vapincenſis, menſe Aprili. Anno 1540. 1540.
die 27. Februarii clientarem fidem promiſit

ANNI CHRISTI.

Franciſco I. Francorum regi, pro feudis omnibus in Provincia, quæ tenere profeſſus eſt ſub directo regis dominio. Ejuſdem eſt mentio in chartis annorum 1550. & 1553. Prioratu Savigniacenſi potiebatur anno 1567. minime dimiſſo epiſcopatu, quem videtur retinuiſſe uſque ad annum 1572. Sub longo Gabrielis pontificatu procellis jactata, innumeris contrita eſt calamitatibus eccleſia Vapincenſis, propter Calviniſtarum bella pluſquam civilia.

1553. 1572.

PAPARIN.

LIII. PETRUS II.

Petrum Paparinum de Calido-monte legimus die 28. Novembris anni 1572. ſucceſſiſſe in epiſcopatu Vapincenſi, *per incapacitatem*, & per reſignationem Gabrielis de Clermont.* Antea vero, ſcilicet an. 1568. jam Saviniacenſem præpoſituram obtinuerat. Interfuit cœtui cleri Gallicani Pariſiis anno 1573. & ſynodo provinciali Aquenſi 1585. Edidit paraphraſim in pſalmos octoginta Gallico idiomate anno 1581.

1572. 1573. 1585.

*forte ob ſenectutem.

DU SERRE.

LIV. CAROLUS-SALOMON.

Carolus-Salomon du Serre, filius Antonii du Serre domini de Monſorcier, urbis Vapincenſis præfecti, ex Margarita de Bonne d'Auriac in Delphinatu, adfuit comitiis totius cleri Gallicani Lutetiæ celebratis anno 1608. Admiſit Vapinci Capucinos die 20. Februarii anni 1613. Obiit menſe Maio anni 1637.

1608. 1613. 1637.

DE LIONNE.

LV. ARTUS.

Arturum de Lionne reſtauratorem expectabat eccleſia Vapincenſis, tot cladibus, ut diximus, afflicta. Is patria Delphinas patrem habuit Sebaſtianum, ex antiqua & militiæ titulis illuſtri gente, matrem paris nobilitatis feminam Bonnam des Portes. Cum vero eſſet natu minor, primum parlamenti Delphinatus ſenator factus eſt, quo tempore duxit Iſabellam de Servien, ſororem Abelis de Servien ærarii præfecti; ex qua ſuſcepit Hugonem de Lionne ſanctioris conſilii commentarienſem, & regni adminiſtrum. Mortua uxore, præ ipſius deſiderio, nunquam, licet adhuc juvenis, voluit alteram ſibi adjungere; ſed clericali & cœlibi vitæ ſe addixit. Sacerdos ordin[illegible] renatus eſt a Ludovico XIII. reg[illegible] epiſcopus Vapincenſis, anno 1637. Statir[illegible]ro ad eccleſiæ ſuæ clades reſarciendas m[illegible]n applicavit. Parochorum ruralium imminuta bellis ſtipendia proprio ære ſupplevit. Diœceſim integram luſtravit, nullis locis aſperitate montium pene inacceſſis neglectis. Cathedrale templum hæreticorum impietate dirutum magna ex parte reſtituit. Summum ſuæ fidei & ſui amoris erga ſponſam ſuam (eccleſiam videlicet Vapincenſem) ſive moderati animi argumentum dedit, quando anno 1649. deſignatus archiepiſcopus Ebredunenſis, noluit ſedem mutare; quo tempore Georgius d'Aubuſſon, qui nominatus fuerat ſucceſſor Arturi in cathedra Vapincenſi, ad Ebredunenſem quam ille recuſarat, tranſlatus fuit. Ætate gravis anno 1661. onus epiſcopale depoſuit; migravitque ad Dominum Lutetiæ, die 18. Maii anno 1663. Solemniacenſem abbatiam aliquo tempore habuerat Arturus.

1637. 1649. 1661. 1663.

ANNI CHRISTI.

MARION.

LVI. PETRUS III.

Petrus Marion abbas ſancti Pauli, deſignatus epiſcopus die 14. Decembris anni 1661. poſt ceſſionem ſpontaneam Arturi, unctus eſt in epiſcopum die 8. Octobris Pariſiis anno 1662. ab Harduino de Perefixe Ruthenorum epiſcopo, & deſignato Pariſiorum archiepiſcopo, cooperantibus epiſcopis Cabilonenſi & Lumbarienſi. Mortem oppetit die 25. Aug. anno 1675.

1661. 1662. 1675.

MESCHATIN.

LVII. GUILLELMUS VII.

Guillelmus Meſcharin de la Faye nominatus per ſchedulam regiam poſt Petri mortem, anno 1675. doctor theologus facultatis Pariſienſis, canonicus & comes ſancti Johannis Lugdunenſis, majorque cuſtos hujus eccleſiæ, non diu rexit; morte enim præreptus eſt an. 1679. die 22. Februarii.

1675. 1679.

MELIAND.

LVIII. VICTOR-AUGUSTINUS.

Victor-Auguſtinus Meliand natus patre Blaſio parlamenti Pariſienſis ſenatore, poſtea præſide in una claſſium inquiſitionum, demum regio cognitore catholico, & legato apud Helvetios; matre vero Genovefa Huraltia, Annæ Auſtriacæ reginæ matri ab eleemoſynis, anno 1679. regis chirographo dato 21. Julii accitus eſt ad gubernationem eccleſiæ Vapincenſis. Anno ſequenti menſe Julio conſecratus eſt. An. 1684. menſe Junio placuit regi ut ad eccleſiam Alectenſem commigraret. Verum obſtitit turbata inter ſummum pontificem & regem Chriſtianiſſimum concordia. Rebus tamen compoſitis anno 1692. bullas ad commigrandum accepit. Anno 1698. abdicavit ob infirmam valetudinem; reliquumque vitæ egit Pariſiis in ſeminario * vici ſancti Victoris, ubi ſumma cum pietate mortem exſpectavit uſque ad annum 1711. quo mortalem hominem exuit.

1679. 1684.

* *Les Bons enfans.*

HERVÉ.

LIX. CAROLUS-BENIGNUS.

Carolus-Benignus Hervé deſignatus epiſcopus menſe Maio anni 1684. ſacro oleo non eſt inunctus in ſummum ſacerdotem ante annum 1692. ob diſſidia inter curiam Romanam & Chriſtianiſſimi regis ſacrum conſiſtorium Pace tandem reddita, in parthenone vici ſancti Honorati apud Pariſios, ſub titulo Dei-paræ Virginis ad cœlos aſſumtæ conſecrato inauguratus eſt die 7. Dec. hujus anni. Anno 1706. ceſſit accepta pro epiſcopatu præpoſitura Aubracenſi.

1692.

BERGER.

LX. FRANCISCUS.

Franciſcus Berger de Maliſſol mediocri, honeſto tamen loco Viennæ natus, ubi ejus pater vices ballivi gerebat, ex vicario generali epiſcopi Dienſis, nominatione regia deſignatur epiſcopus die 3. Aprilis anno 1706. quo anno menſe Decembri ſolemni ritu conſecratus eſt.

1706.

DECANI VAPINCENSES.

I. POntius I. decanus Vapincenſis teſtis in charta Pontii clerici vendentis ſancto Odiloni Cluniacenſi abbati quæ poſſidebat in eccleſia S. Andreæ.

II. Pontius II. Ebrardi firmat donum factum Cluniaco a Leodegario epiſcopo Vapincenſi. Memoratur etiam in charta Iſnardi epiſcopi circa annum 1099.

III. W. 1194. in charta Boſcoduni. Idem, B ut arbitror, cum Willelmo decano Vapincenſi & archidiacono Ebredunenſi, qui an. 1199. reperitur in veteri inſtrumento Boſcoduni.

IV. Rodulphus I. 1251. 13. cal. Julii teſtis legitur hominii Guidonis dalphini comitis Otoni epiſcopo præſtiti.

V. Petrus I. Rainerii 1286. 1293. 1300. forte eſt P. præpoſitus Vapincenſis & officialis, qui adfuit concilio Regenſi 1285. Vide in Petro IV. Siſtaricenſi epiſcopo.

VI. Oliverius de Laya memoratur in chartis eccleſiæ Ebredunenſis 1303. & 1304. An. 1309. ab incarnatione 10. Aprilis quæſtionem de decimis prioratus ſanctæ Mariæ de Saltu tanquam C arbiter definit. Poſtea factus epiſcopus 1315.

VII. Guillelmus I. Ethi 1317. memoratur in ſtatutis a Guillelmo Gibellino epiſcopo editis.

VIII. Gaufredus Iſnardi 1320.

IX. Jacobus Gaufredi 1325. 1327.

X. Raimundus I. Stephani 1329.

XI. Gaucherius I. de Monte-albano 1331. 1337. 1343.

XII. Rodulfus II. de Monte-bononto 1344.

XIII. Gaucherius II. de Monte-albano 1345. 1357. 1364.

XIV. Petrus II. Villani legum doctor, decanus eccleſiæ Vapincenſis, papæ capellanus, curiæ cameræ apoſtolicæ auditor generalis, teſtimonium reddit de viſo a ſe teſtamento Guidonis de Bolonia cardinalis epiſcopi Portuenſis facto anno 1371. *Probat. hiſt. domus Arv. Baluz. p. 180*

XV. Raimundus II. de Barro in decretis baccalaureus 1390.

XVI. Mathurinus Guiffardi in decretis baccalaureus 1419. 1420. 1429. 1430.

XVII. Johannes de S. Germano in legibus licentiatus 1458.

XVIII. Mattheus de Porta decretorum doctor 1476.

XIX. Antonius Palmier 1499. 1533.

XX. Sixtus de Ponat Couſtans 1544.

XXI. Felix Bouvier reginæ ab eleemoſynis 1621.

XXII. Carolus du Serre 1632. 1661.

XXIII. N. de Melve du Serre.

XXIV. Alexander le Veillain du Ronſerai per quatuor annos.

XXV. Claudius de Pina doctor univerſitatis Valentinæ 1691. hactenus præeſt.

ABBATIA DE SUBRIPIS *.

*Sou. Bus

ABbatia ſancti Petri de Subripis ordinis ſancti Benedicti feminarum, diœceſis Vapincenſis unita eſt anno 1464. parthenoni monialium ſanctæ Claræ apud Siſtaricum, quæ nunc appellantur Urbaniſtæ. R. P. Pagi ordinis ſancti Franciſci miniſter provincialis, ex veteribus inſtrumentis quaſdam eruit abbatiſſas, quibus nonnullas addidimus, ad fidem tabularum. D

SERIES ABBATISSARUM.

I. Inda abbatiſſa de Subripis, annuente Otone epiſcopo Vapincenſi donat Cartuſiæ Bertaudi eccleſiam de Cella Robaudi diœceſis Forojulienſis, anno 1260. Nunc monaſteria Bertaudi & Cellæ Robaudi Cartuſiæ Durbonenſi E ſunt unita.

II. Gerarda de Sabrano anno 1285.

III. Alixendis de Vins anno 1328.

Ex ſchedis D. Edm. Martenne.

IV. Philippa de Thoarcio anno 1338. tranſigit cum incolis loci de Subripis die 1. Aprilis. Fit ejuſdem mentio annis 1343. & 1351. quo exhibuit hominium. Pater Pagi dicit eam adhuc ſuperſtitem fuiſſe anno 1361.

V. Raimunda de Champorcin electa an. 1368. regi jurat fidem clientarem pro loco de Subripis die 8. Auguſti anni 1369.

VI. Beatrix Duranda præerat anno 1421. ex veteri tabula pergamena, in qua appellatur, *abbatiſſa de Subripis, necnon prioriſſa venerabilis monaſterii, ſeu domus ruralis Sale-Robaudi diœceſis Forojulienſis Mumbir prædicti monaſterii S. Petri de Subripis.*

Hic deſinit nomenclatura abbatiſſarum S. Petri de Subripis; quod cœnobium, ut diximus, unitum eſt conventui Clariſſarum apud Siſtaricum, anno 1464. quando his ſanctæ Claræ monialibus præerat ut abbatiſſa Johanna de Medullione. De hoc parthenone ordinis ſancti Franciſci agemus, quando quæ ſpectant ad eccleſiam Siſtaricenſem ejuſque præſules expenderimus.

Digitized by Google

ECCLESIA SISTARICENSIS.

SISTARICUM Æthico, dum iter a Mediolano Arelate per Alpes Cottias deſcribit, *Secuſtero* vel *Seguſtero*; quod etiam legitur in Antonini itinerario & in tabula Theodoſiana. Juxta Scaligerum eſt *Ceſſero* Plinii l. 3. c. 4. Sed in Adonis martyrologio ad 10. Decembris *Ceſſaro*, vel *Ceſſario* indicatur in territorio Agathenſi. Plurimis in conciliis civitas *Segeſterica* dicitur, & in aliis veteribus monumentis civitas *Segeſterium*, *Seguſterum*, *Segeſtenorum*. Urbs eſt antiqua caput pagi, qui olim erat comitatus, poſita ad Druentiam * fluvium, cum arce, ubi eſt ſedes ſeneſcalli, qui jura dat pagi populis. Eccleſia cathedralis beata Virgine Dei-para patrona gloriatur, in qua ſunt præpoſitus, archidiaconus, capiſcolus, qui eſt caput chori, ſeu ſcholæ cantorum, ſacriſta, & octo canonici, quorum unus theologus eſt capituli. Ad canonicorum ſubſidium accerſiti ſunt decem preſbyteri ab eccleſia ſportellam accipientes; his adde magiſtrum, qui præeſt pueris ſymphoniaſtis. In diœceſi quæ continet 70. parochias, duæ tantum ſunt abbatiæ; Lura ordinis ſancti Benedicti, & Crocienſis (*Cruys*) ordinis ſancti Auguſtini, quæ nunc eſt unita menſæ epiſcopali. Abbatiæ quoque titulo gaudet parthenon ordinis ſanctæ Claræ, maxime poſt unionem cum ipſo factam abbatiæ ſancti Petri de Subripis*. Siſtarici ſunt conventus Minorum & Capucinorum, virginum Viſitationis beatæ Mariæ, Urſulinarum & Hoſpitalariarum. Forcalquerii ſunt fratres Minores, Recollecti, & moniales Viſitationis. Manueſcæ Carmelitæ, Minores Obſervantini & Capucini, moniales ſancti Bernardi & ſanctæ Claræ.

* *Durance.*

* *Sorribes.*

In diœceſi celebris eſt urbs Forcalquerium caput inſignis comitatus, quem inter ſuas recenſet ditiones rex Chriſtianiſſimus, in diplomatibus ad Provinciam ſpectantibus. Forcalquerienſis vero baſilica ſe concathedralem eſſe contendit. Siſtaricenſis epiſcopatus ſubjacet Aquis-Sextiis, ob juriſdictionem tum ſpiritualem & eccleſiaſticam, tum temporalem & politicam; quippe hæc urbs ſimul eſt ſedes metropolitani ſecundæ Narbonenſis, & parlamenti totius Provinciæ.

Novam hic damus epiſcoporum nomenclaturam & hiſtoriam, his quæ præceſſerunt longe auctiorem & emendatiorem, ad quam adhibuimus codicum, ſive manu exaratorum, ſive typis excuſorum bene multorum ſubſidium, præter famoſum codicem vulgo dictum *viridem*, qui eſt opus Laurentii Burelli (*Bureau*) epiſcopi. Hic enim præſul anno 1500. chartas omnes quæ tum exſtabant epiſcopales, deſcribi fecit in membraneo volumine, quod unum ex toto tabulario Calviniſtarum furorem non eſt expertum. Præmittitur volumini ſynopſis geſtorum epiſcoporum, quæ multis referta eſt anachroniſmis. Johannes Columbi preſbyter Societatis Jeſu, qui in veteribus inſtrumentis inveſtigandis magnam vitæ partem contrivit, acta quoque illorum epiſcoporum proſecutus eſt; quæ etiam ſaltem attigerunt ſcriptores hiſtoriæ tum Provinciæ, tum Delphinatus: eos omnes conſuluimus; & ubi chartæ non ſuppetebant, adhibuimus.

EPISCOPI SISTARICENSES.

I. CHRYSAPHIUS.

ANNI CHRISTI. * *al.* 451. 452.

CHryſaphius anno 452*. ſedebat, inquit Johannes Columbi, ex manuſcripto codice concilii Arelatenſis ſub Ravennio metropolitano, ipſiuſque ac aliorum patrum epiſtolæ, in his Chryſaphii Secuſtericenſis, cui ſanctus Leo reſpondit epiſtola quinquageſima ſecunda eo anno ſcripta. Illum codicem habuiſſe olim Johannem Savaronem aſſerit idem Columbi poſt Honoratum Bouche, qui teſtatus eſt ſe id accepiſſe a D. Polycarpo de la Riviere, profitente ſe codicem illum in ipſius Savaronis manibus vidiſſe. Legenda ſunt quæ ea de re narrant noſtri Sammarthani, in Ætherio Magalonenſi epiſcopo.

II. JOHANNES I.

Johannes ut epiſcopus Siſtaricenſis, Marii abbatis Bodanenſis electionem conſenſu Gundobaldi Burgundionum regis factam roboravit; ex vita ſancti Marii, auctore Dynamio patricio rectore patrimonii Romanæ eccl. cujus laudes in epiſt. S. Gregorii Magni legeſis lib. 3. epiſt. 33. & lib. 7. epiſt. 36. Hinc colliges Johannem ante annum 509. præfuiſſe eccleſiæ Siſtaricenſi, quo Gundobaldus deceſſit, ac proinde in aliis catalogis male collocatum eſſe poſt annum 585. Ceterum de hoc epiſcopo legitur, quod fuerit de ſtirpe ſenatoria, opibus ac virtute nobilis, & quod epiſcopale onus per annos 47. ſuſtinuerit, niſi ea ſint de Johanne II. intelligenda.

ANNI CHRISTI.

De Bodanenſi * monaſterio pagi Siſtaricenſis, & S. Mario abbate dicemus ſuo loco.

* *Bren.*

III. VALERIUS.

Valerius in concilio Epaonenſi anno 517. ſedit cum præſulibus regni Burgundiæ, ſubſcripſitque illius actis & canonibus ut *epiſcopus urbis Segeſtericæ.* 517.

IV. AVOLUS.

Ex duplici concilio intra novennium Aureliæ habito notus eſt Avolus. Et priori quidem, quod anno 541. coactum eſt, interfuit, ſubſcripſitque cum titulo epiſcopi Segeſtericæ civitatis, uti Valerius. Poſteriori vero, quod quintum numeratur Aurelianenſe, non potuit ad- 541.

Digitized by Google

esse, sed vices ipsius gessit ab ipso missus Agecius presbyter anno 549. ANNI CHRISTI. 549.

V. Genesius.

Memoriam hujus præsulis conservavit & ad posteros transmisit concilium IV. Parisiense, anno 573. celebratum, in quo bis subscriptus legitur ut *ecclesiæ Segesterica episcopus*, scilicet in constitutione episcoporum, & in synodali ad regem epistola. 573.

VI. Pologronius, *forte* Polychronius.

Anno 584. *juxta imperium* Guntramni regis habita est secunda synodus Valentina, ubi confirmata sunt quæcumque rex ipsiusque conjux & filiæ Deo sacratæ puellæ, basilicæ sancti Marcelli, vel sancti Symphoriani, aliisve contulerant ecclesiis. Inter patres vero synodi hujus recensetur Pologronius *episcopus ecclesiæ Sigestaricæ*. Anno sequenti satis habuit mittere ad concilium Matisconense secundum, qui suas in eo vices ageret. In supplemento conciliorum Galliæ legitur epistola quorumdam clericorum ad Pologronium episcopum, quem, qui supplementum illud edidit, Petrus de la Lande, conjicit esse nostrum episcopum Sistaricensem. Post hunc episcopum, qui a Johanne Columbi & a Carolo Cointio, ex Burelli maxime testimonio, recensentur usque ad seculum decimum, parum sunt certi. At de iis quæ vere propiora videbuntur, seligemus, rejectis aliis. 584.

VII. Secundinus.

Hujus præsulis episcopatus per annos octo supra triginta, ab anno 619. inchoatur, & in anno 657. desinit. 619. 657.

VIII. Magnibertus.

Cui tribuuntur anni 61. pontificatus, videlicet ab anno 657. ad annum 718. 718.

IX. Amantius.

Præfuisse dicitur ab anno 718. ad annum 729. aut 730. quo e vivis discessit, antequam Saraceni, qui paulo post provinciam Narbonensem secundam vastarunt, in Galliam irrupissent. 730.

X. Vir-Magnus.

Usque ad annum 750. pedum tenuit, ut divinant. 750.

XI. Bonus I.

Ab anno 750. ad 805. 805.

XII. Johannes II.

Hoc episcopo sedente Carolus Magnus dedit & concessit, ac imperiali privilegio tradidit Deo & beatæ Mariæ, & glorioso martyri Thyrso, & sanctæ sedi Sistaricensi castrum de *Lurio*, cum omni honore & appenditiis suis, ut episcopus S. Mariæ Sistaricensis habeat & quiete possideat. Idem Johannes fundavit in loco suæ diœcesis *Baulis* dicto (*Baux*) *una cum consilio & adjutorio domini & gloriosissimi, magnifici Caroli piissimi augusti*, monasterium, ibique religiosum abbatem Ademarum constituit cum 12. fratribus, qui sanctæ conversationis regulam, juxta præscriptum beati Benedicti observarent. Actum anno 12. regnante Carolo Augusto. Vide diplomat. Mabill. p. 614. Fundationem Baulensis asceterii referimus ad annum 812. cum Mabillonio, qui ad eundem annum num. 8. meminit aliorum monasteriorum aut ecclesiarum, quibus construendis Johannes multum contulit. Hujus abbatiæ exstincta est memoria multis a seculis. ANNI CHRISTI. 812.

Aliud Johannes episcopus monasterium sua in diœcesi potius innovavit quam fundavit, scilicet Bodonense *, *in pago provincia Sistaricensis*, ubi VI. seculo fuerat abbas sanctus Marius. Destructum hoc asceterium fuisse paulo post sancti Marii mortem, ut ipse pronuntiarat, omnes consentiunt, rursusque redintegratum a Johanne II. usque ad X. seculum perseveravit. Sed ex abbatia prioratus evasit, Insulæ-barbaræ diœcesis Lugdunensis subditus. * Beron.

XIII. Campanus.

Inscriptio quædam cujus meminit scriptor Sistaricensis, Campanum exhibet præsulem, quem quidam episcopum fuisse post Johannem putant. Hæc autem sunt inscriptionis verba: *In honore D. nostri J. C. hic est locus edificatus, quem fieri procuravit Campanus præsul tempore ..... nomine Johannis ep. Sistaric. anno xij. Chlotarii filii Caroli.* Additque de suo scriba: *Hoc in petra inventum est scriptum in ecclesia ante altare sancti Johannis.* Dici potest hunc episcopum post Johannem sedisse anno 12. Lotharii, anno Christi 851. vel 852. Columbus Campanum præsulem dici autumat, quod esset Bodanensis abbas, non Sistaricensis episcopus. At iis temporibus abbates præsules appellare nondum usu receptum fuisse credimus. Lotharius hic dictus filius Caroli, ejus fuit nepos; cujus anni computari possunt, vel ab auspicato imperio, sicque duodecimus ejus, erit Christi 851. vel 852. aut ab inchoato regno (rex enim fuerat ante sumtum imperium, scilicet in Italia, ab anno 822.) sicque annus ejus duodecimus tantum foret 833. Anno circiter 859. decem episcopi Segusteronem convenerunt, ubi Saxiaco* monasterio, quod condiderat in pago Lugdunensi Aurelianus abbas Athanacensis, postea Lugdunensis archiepiscopus, privilegium concesserunt. 852. * Sellicu.

XIV. Bonus II.

Ætatem hujus episcopi utcumque nos docet Grossi prior Liourensii; testatur enim se legisse in antiquissimo codice manuscripto permutationem factam inter virum venerabilem ..... Bonum episcopum ... *Secustironæ* civitatis, & Paulum episcopum sanctæ sedis Aptensis, IV. nonas Julii, anno 8. regnante ... Lothario, indictione XV. Paulus Aptensis sedebat IX. seculo jam inclinato. Rex iste Lotharius filius fuit Lotharii imperatoris, qui cum a patre Lotharingiam primum accepisset, postea regnum Burgundicum Caroli fratris sui mortæ vacuum, cum Ludovico altero fratre divisit. Hujus vero regni pars erat Provincia, quæ tametsi Ludo-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI. 867.

vico cesserit, potuit tamen Lotharii portio Sistaricum complecti. Lotharius autem iste in vivis erat anno 867. quo fuit indictio XV.

XV. Viventius, *al.* Vincentius.

Scriptor Sistaricensis huic antistiti undecim annos regiminis assignat. In charta fundationis monasterii de Baulis facta a Johanne II. primus episcopus, qui eidem subscripserit, Vincentius appellatur. Episcopos in calce hujus instrumenti subscriptos Mabillonius opinatur fuisse Johannis successores, qui unus post alium, ut ad regendam Sistaricensem ecclesiam accesserunt, quod a Johanne pie factum fuerat, suo voluerunt calculo confirmare. Hi episcopi sunt Vincentius, Amantius, Secundinus, ac Virmagnus, qui in vulgatis ante J. Columbum & Carolum Cointium catalogis, recensentur post Johannem, qui tempore Caroli Magni sedebat. Placuit autem Columbo & Cointio illos præmittere, tum ad tollendum longum interpontificium post Pologronium (nullus enim ab illo episcopo qui seculo VI. desinente sedebat, usque ad Johannem Caroli Magni coævum, occurrebat episcopus) tum ad implendum annorum numerum, qui singulis illis episcopis assignantur a scriptore Burelliano; nam supina socordia episcopis quos medios ponit inter Johannem qui sedebat adhuc anno 851. usque ad Ursum, cui concessum est privilegium anno nongentesimo sexagesimo septimo, dividit ducentos & octoginta duos annos, si in summam ducantur anni quibus singuli præfuerunt, juxta positum ab illo calculum; cum tamen inter annum 851. & 967. anni duntaxat sexdecim supra centum fluxerint. Commode vero his episcopis qui tempus annorum 282. impleverint, invenitur locus inter Pologronium & Johannem Caroli Magni synchronum.

Hæc sunt rationum momenta quæ viros eruditione præstantes Columbum & Cointium ad disponendos alio ordine Sistaricenses episcopos adduxerunt; quibus morem gerere visus sum, præsertim auctoritate Columbi motus, qui tandiu in historia illorum antistitum desudavit.

Ex adverso tamen me trahit auctoritas chartæ fundationis monasterii de Baulis a Johanne episcopo, tempore Caroli Magni factæ; nam qui huic subscripserunt instrumento episcopi, videntur iidem quos Columbo præeunte, Cointius vult esse Johannis antecessores.

Attamen quod iidem sint, non omnino constat. Imo ne quidem liquet eos fuisse Sistaricenses episcopos. Nihil tamen vetat quominus aliquis ex illis, iis præsulibus sit accensendus, uti Vincentius, qui nemine dissentiente sedit apud Segusteronem post Johannem II. Undecim annis sedisse dicitur, & fato suo functus fuisse
881. anno 881.

XVI. Eustorgius.

Scriptor Burellanus ait Eustorgium per annos quadraginta-quatuor Sistaricensem rexisse ecclesiam. Addit ipso sedente magnam in ecclesia Dei factam persecutionem a Gothis & Wandalis qui erant hæretici Ariani. Melius dixisset a Saracenis, qui, auctore Glabro, Fraxinetum invaserant, inter Italiam & Provinciam; unde oras tum Italiæ tum Galliæ, maxime vero Provinciæ depopulati sunt, ab Arnulfi regno; usque ad Magni Othonis principatum. Hungari quoque anno circiter 924. per abrupta transeuntes Alpium juga, venerunt in Galliam, inquit Flodoardus; quorum barbarorum metu facta est procul dubio translatio corporis sancti Marii, de qua infra.

ANNI CHRISTI.

924.

XVII. Arnulfus.

Arnulfo jam in locum Eustorgii subrogato corpus D. Marii confessoris translatum est de valle Bodonensi sita in Sistaricensi comitatu, ad oppidum Forcalquerii, in dicto Sistarico pago, ubi ejus corpus quievit in æde D. Tyrsi martyris, quæ propria est sanctæ Mariæ, & D. Tyrsi, sanctæ sedis Sistaricensis, in qua basilica D. Marius multis virtutibus claruit; cujus honore postea fabricata est ecclesia, ex scriptore Sistaricensi, qui Arnulfo annos 41. pontificatus tribuit. Translationem hanc factam fuisse barbarorum metu, jam præmonuimus. Hi nimirum, Radulfo Cisalpinæ Galliæ rege & Hugone Viennensi transitus Alpium armata manu tenentibus, *montium portis exclusi, per devia* (Forcalquerii, Sistarici & Aptæ-Juliæ) *Gothiam ingressi sunt*, inquit chronicon Virdunense. Sane sancti Ægidii monachi ab iis se direptos fuisse circa annum 925. in suo precum breviario conqueruntur. Ceterum cum legimus Forcalquerium fuisse Sistaricensium perfugium, qui eo sancti Marii reliquias detulerunt, his luctuosissimis temporibus, ut in locum tutum & munitum; advertere possumus initia potentissimi comitatus Forcalquerienſis, qui pagos Ebredunensem, Vapincensem, Sistaricensem, Aptensem, aliosque trans Druentiam usque ad Rhodanum, magna saltem ex parte complectebatur. Hungarorum incursiones chronicon Augiense ab anno 899. usque ad 938. extendit; Wirzburgense vero eorum populationibus assignat annos 911. 928. 938. 955.

XVIII. Ursus.

Ursus gratia Dei humilis in Christo episcopus sanctæ sedis Sistaricensis ecclesiæ roboratus, inquit Sistaricensis scriba, *donavit ecclesiæ Canagobiensi, cum consilio canonicorum suorum decimam de villa Petroys, cum ecclesia sancti Petri ibidem constructa, qua ad ecclesiam suam pertinebat, & donavit ibidem territorium de villa Arisc, & Abusc, & terram Casemalis similiter, cum ecclesia sancti Michaelis. Facta est hæc donatio regnante Conrado rege piissimo Alemannorum & Provinciarum.* Idem episcopus obtinuit privilegium ab eodem Conrado, quod in registro Sistaricensis episcopatus, seu codice viridi legitur datum anno incarnationis DCCCCLXVII. anno 17. Conradi regis; ubi vitium est in notis chronicis; nam annus 17. Conradi, non colligatur cum anno Christi 967. sed cum 963. ut ostendimus in Casto Vapincensi episcopo, & alibi. Suspicamur autem in authentico lectum fuisse tantum a Burellano scriptore: *Actum . . . . . regnante Conrado*

V. prob. C. I. p. 89. col. 1.

963.

ANNI CHRISTI

Conrado rege anno XXVII. nulla facta mentione annorum incarnationis, ac temere ſcriptorem hunc ſane imperitum voluiſſe componere Conradi annos cum annis Chriſti; nec mirum quod aberraverit.

Silentio præterire non debemus, quemdam Johannem Arnulfo datum ſucceſſorem ab Johanne Columbo; ſed cum id ex meris, neque, ut nobis videtur, validis conjecturis, ſcripſerit, vir alioquin doctiſſimus, liceat nobis ab ipſius ſententia diſcedere.

Scriptor quidem Siſtaricenſis meminit cujuſdam Johannis epiſcopi, qui dedit Cluniaco *Podium Conoquortenſe* de patrimonio ſuo; quod Columbus factum cenſet anno 965. ſed mera eſt conjectura.

XIX. UMBERTUS I.

Authenticum capituli Arelatenſis jam a nobis alibi laudatum, recenſet num. 3. Silveſtrum Aquenſem archipræſulem cum epiſcopis comprovincialibus ipſi ſubjectis anno 966. Ex his autem nullus eſt qui Urſus vocetur; unde liquido conſtat eum jam tunc ad cœlum migraſſe. Sextus vero præſul hic numeratus, Umbertus vocatur; unde non temere judicamus ipſum fuiſſe Siſtaricenſem epiſcopum, qui videlicet ordine ſextus erat & ultimus epiſcoporum Aqui-Sextienſis provinciæ. Alia quoque ratio erat cur ultimo recenſeretur loco; videlicet quod nuper factus eſſet epiſcopus, in loco Urſi.

XX. RODULFUS I.

Nominatur in placito generali a Willelmo comite in Manoaſca habito, pro reſtitutione terræ *Camaricas* monaſterio Maſſilienſi IV. non. Jan. an. 44. regnante Conrado rege Alamannorum, ſive Provinciæ, ex locupletiſſimo S. Victoris tabulario. Vir clariſſ. Antonius de Ruffy in hiſtoria Maſſiliæ ſecundis curis edita optime refert annum 44. Conradi regis, ad annum Chriſti 981. cur autem Columbus hunc epiſcopum aut ignoraverit, aut diſſimulaverit, prorſus nos latet.

Tom. II. p. 146.

981.

XXI. FRONDONUS, *al.* FRONTONUS.

Fronto, qui & Frondonus, antequam eſſet archiepiſcopus Aquenſis, præfuit eccleſiæ Siſtaricenſi, inquit J. Columbi, qui docet eum Forcalquerienſe canonicorum collegium erexiſſe ante annum 1030. ex Bertrandi II. litteris, in quibus legitur: *Forcalquerienſis & Siſtaricenſis eccleſia, una fuerunt eccleſia, & ab epiſcopo Frondone ſedecim canonici in utraque eccleſia fuere conſtituti.* Vidit Columbus chartam ejuſdem Frondonis epiſcopi, anno 1015. dantis eidem eccleſiæ Forcalquerienſi decimas Salagonis. Putat itaque vir doctus ipſum eſſe Frondonem, cui & aliis epiſcopis, ac Amabrico (Amalrico) Aquenſi archiepiſc. ſcripſit Sergius IV.

1015.

Mabillonius ſuſpicatur eum eſſe Fraudonem epiſcopum, qui una cum Pontio epiſcopo Glandatenſi conſecravit quamdam eccleſiam Pſalmodienſi monaſterio ſubditam, anno 1029. conceſſis indulgentiis pœnitentibus qui ad hanc eccleſiam convenirent.

Annal. ad an. 1029. num. 65.

1029.

Quid-ni dicamus quoque Frondonem Siſtaricenſem ipſum fuiſſe, qui anno 999. interfuit donationi Mironi & Odilæ factæ, ut Joffredus docet in ſua Nicæa. Ceterum annuere non potuimus Columbo Frontonem ad Aquenſem ſedem transferenti, quod nulla perſuadent inſtrumenta.

ANNI CHRISTI

p. 158.

XXII. DURANDUS.

Exſtitiſſe in eccleſia Siſtaricenſi epiſcopum hunc nomine Durandum, probat Ariberti & uxoris ejus charta pro eccleſia ſancti Promaſii Forcalquerienſis, ex archivis ſancti Victoris Maſſilienſis, quæ ità habet:

NOs Aribertus & uxor ejus Lentildis, & filii ſui Geraldus, Gauterius, Petrus & Pontius, ex juſſione domino præſule Frontono, necnon & Durando pontifice; ſub caſtro Furno-Calcario conſtruximus eccleſiam in honore ſancti Promaſi, & ſancti Mauriſi, ſive ſancti Romani: Et nos propter litteras praratas, quas audivimus, non ſurda aure, nec declinata, per devia attingere cupimus, diem conſecrationis hujus baſilicæ, ſicut olim Deo juvante certaminis XV. *cal. Decembris. Et de alaudem noſtrum, quem habemus in comitatu Siſtarico, ſub caſtro Forcalquerio, donamus ſexvodiata de vinea, & alia terra, & intermedio de vias, & noſtra via publica, qua pergit a S. Probatione, donamus nos propter Deum, & remedium anima noſtra, ab omni vinculo peccatis noſtris. Factum ſponſalitium iſtud anno Dominica incarnationis* MXXX. *indict.* XIII.

1030

In his litteris fit mentio duorum epiſcoporum Siſtaricenſium, Frontonis, nuper mortui, & Durandi ejus ſucceſſoris, quorum juſſione Aribertus, ejuſque uxor conſtruxerant eccleſiam in honorem ſancti Primaſii. Itaque perperam adhibita eſt charta hæc ad probandum Frontonem fuiſſe Aquenſem archiepiſcopum.

XXIII. PETRUS I.

Petrus anno 1030. indictione XIII. Iſarno abbati ſancti Victoris Maſſilienſis dedit oppidulum d'Orbazac, in comitatu Nicienſi, ex tabulario magno Victorino. Quis eſſet iſte Petrus docet donatio Odillæ, quæ inſerta eſt chronologiæ Lirinenſi, legiturque facta an. 1032. menſe Februar. ubi Petrus hic numeratur inter Leotgerii & Odillæ filios. In ea chronologia Raimbaldus & Roſtagnus Petri fratres, eandem donationem confirmant, ibique dicitur ipſorum frater *dominus Petrus Siſtaricenſis epiſcopus.* Ex his nobile Petri genus innoteſcit; nempe Odilla ejus mater filia erat Guillelmi I. comitis ſeu marchionis Provinciæ, ut ipſa teſtatur in donatione facta Lirinenſibus, de qua ſupra. Bona etenim quæ confert, ait ſibi obtigiſſe ex marchione Guillelmo, & Atalis comitiſſa; ubi legendum puto *Adelais* pro *Atalis*. Anno 1037. ſubſcripſit chartæ Gaufridi & Bertrandi comitum Provinciæ pro Cluniaco, ex ejuſdem monaſterii tabulario. Denique conſecrationi San-Victorinæ baſilicæ intereſt idibus Octobris anni 1040. ut docet ipſe ejuſdem conſecrator Benedictus IX. in litteris ea de re ſcriptis.

1032.

pag. 366.

1037.

1040.

ANNI CHRISTI.

Non me fugit Columbum partiri in duos Petros episcopos, quæ de unico diximus. Eodem quoque modo pro unico Geraldo duos admittere cogitur; quippe constat anno 1031. Geraldum fuisse Sistaricensem episcopum, ut modo dicemus, chartæ Victorinæ fulti testimonio. Sed satius est dicere tunc duos extitisse, qui episcopos Sistaricenses se dicerent, quam episcopos ita ad arbitrium multiplicare; & unus forsitan apud Sistaricum, alter apud Forcalquerium pontificale munus exercebat; unus erat legitimus pastor, alter mercenarius, simonia insuper infamis; quod schisma diu perseveravit. Ad id refertur quod legitur in libro Viridi de emto per Rambaudum episcopatu & Forcalquerio occupato, sedeque episcopali pessundata. Itaque uno eodemque tempore sederunt Petrus I. & Girardus quoque primus. Nunc proferenda quæ de Girardo in tabulis occurrunt.

A

B

XXIV. Geraldus I.

Hic Petri in episcopali cathedra competitor, non successor, ipso Columbo fatente, jam anno 1031. tanquam episcopus Sistaricensis interfuit donationi rerum nescio quarum San-Victorinis monachis, a Guillelmo-Bertramno Provinciæ comite factæ. Anno 1035. ipse monasterio Victorino ecclesiam sancti Petri, quæ dicitur *Fontclance*, concessit, consilio & voluntate ejusdem Willelmi-Bertranni comitis, & Berengarii filii Berengarii majoris vicecomitis Sigistericensis, ejusque conjugis Acclelenæ. Anno 1044. Bertrannus marchio, sive comes Provinciæ ecclesiam sancti Promasii, cum burgo & terris, quæ erant suæ possessionis, reddit & donat omnipotenti Deo, & sancto Victori martyri, ejusque monasterio. *Facta hæc donatio anno incarnationis Dominicæ* MXLIV. *indictione* XII. *Henrico rege regnante. Bertrannus marchio sive comes Provinciæ firmat. Rajambaldus Arelatensis archiepiscopus firmat. Petrus Aquensis archiepiscopus firmat. Stephanus Aptensis episcopus firmat. Udalricus episcopus Tricastinensis firmat. Geraldus episcopus Sigistericensis firmat*, &c. Ex alio ejusdem Bertranni comitis diplomate anni quoque 1044. liquet laudatum principem cupientem restaurare locum in comitatu Sigistericensi situm, territorio castelli quod nominatur Forcalquerium in honore sancti Promasii consecratum, &c. dedisse ei locum atque ecclesiam cum burgo & terris suæ possessionis. Interfuit donationi Ismido Ebredunensis archiepiscopus, Petrus Aquensis archiepiscopus, Stephanus episcopus Aptensis, Franco episcopus Carpentoractensis, Petrus episcopus Vasensis, Udolricus episcopus Tricastrinensis, Geraldus episcopus Sigistericensis.

1031.

1035.

Mabil. ad an. 1035. n. 42.

1044.

C

D

E

De hoc Geraldo nihil ultra novimus, censetque Columbus eum anno 1045. mortuum. Quis vero duorum æmulorum, Petri videlicet ac Geraldi, potiori jure se Sistaricensem diceret episcopum, non audemus decernere. Columbi tamen observationem non prætermittamus. *Certe*, inquit, *de episcopatu fuit contentio; sed adverso Geraldum in ipsa Sistaricensi diœcesi ab omnibus constituti chartis, quas attuli, & extra illam Petrum.* Quod maximo argumento est Geraldum causa fuisse superiorem. Post utriusque mortem pax huic ecclesiæ minime est restituta, ut mox videbimus.

1045.

ANNI CHRISTI.

XXV. Petrus II.

Petrus parvulus Raimbaldi qui Petri I. frater erat, filius, ad episcopatum quem pater emerat provectus est. Itaque pater *cum militibus suis, & cum comitissa Adalaxi Forcalquerensi, invasit omnem honorem episcopalem*, inquit scriptor Sistaricensis, *& sic destruxerunt episcopatum ut vix episcopus in eo possit requiescere, vel una nocte.* De ea calamitate agens Bertrandus II. Sistaricensis episcopus, ait Petrum Raimbaldi filium postea cessisse, & fuisse Vasionensem episcopum; episcopatumque Sistaricensem fuisse sine rectore septemdecim annis: *Tandem vero*, inquit, *electus est in ipso dominus Geraldus.*

XXVI. Gerardus II.

Gerardus dictus *Caprerius* Ulcii* apud Delphinates in valle Cæsaria ortus, ubi insignis est præpositura canonicorum Regularium sub titulo sancti Laurentii de Plebe martyrum, quæ caput est plurimorum cœnobiorum ejusdem instituti, electus est episcopus Sistaricensis[a], in magno concilio Avenionensi, a sancto Hugone abbate Cluniacensi legato Nicolai papæ II. cum omnibus Provinciæ episcopis celebrato, coactus est electioni suæ assensum præbere, ut nos docent Bertrandi episcopi litteræ. Missus itaque a concilio ad Nicolaum papam, ab ipso consecratur in episcopum Sistaricensem, summo illius ecclesiæ bono, quam ab interitu quodam modo revocavit. Concilium hoc Avenionense prætermissum est in conciliorum collectionibus. Honoratus Bouche observat ipsius acta olim asservata fuisse in archivo Forcalquerensi, nunc vero desiderari; testaturque se quædam ipsorum excerpta vidisse penes D. Polycarpum de la Riviere Carusianum, qui ea historiæ Avenionensi quam adornabat, inferere pollicebatur. Quod causæ fuit ut hæc acta[b] curiosius non inspexerit, quæ videlicet prope diem lucem visura sperabat. Tempus habiti hujus concilii non potest differri ultra annum 1061. quo vivere desiit Nicolaus II. sub cujus pontificatu fuit celebratum. Ab anno autem 1045. quo cœpit ecclesia Sistaricensis esse sine pastore, usque ad annum 1061. computantur anni 17. vastitatis & calamitatis in Bertrandi episcopi litteris notati. Roma rediens Geraldus, etsi litteris* commendatus pontificiis, indigne habitus est a Si-

1061.

* Ouix.

a

b

* *est vide in instrum. C. II. pag. 89. col. 1.*

a Bulla Nicolai II. qua munivit Gerardum a se consecratum, quando eum ad clerum, ordinem ac plebem in civitate Sistaricensi consistentes direxit, docet eum fuisse electum ab Hugone Cluniacensi abbate, suo legato, & ab episcopo Arelatensi, episcopis Avenionensi, Cabilonensi, Aptensi, Vasensi, Dignensi, Diensi; quod forte movit Sistaricenses, ut eum minime reciperent.

b Tabulis tamen suis hæc illevisse dicit Honoratus Bouche, quæ notare operæ pretium est; videlicet huic concilio adfuisse archiepiscopos Arelatensem, Aquensem, Ebredunensem, cum suis suffraganeis. Arelatensem archiepiscopum fuisse Rajambaldum, Aptensem episcopum Alfantum, Vencionsem Durantum, omniumque episcoporum postremum subscripsisse concilio Stephanum Sanacionsem.

Google

ANNI CHRISTI.

stariceńſibus, qui nequidem permiſerunt ut A tranſiret per eorum civitatem. Veniens vero Forcalquerium, honorifice, & magno cum gaudio eſt exceptus. Ibi, ut ipſe dicit in charta ſua, invenit filios obedientiæ *congregatos. Tunc ſe totum addixit paſtorali curæ; incipienſque ab ordinatione cleri, canonicos Siſtaricenſes & Forcalquerienſes ſeparavit, dignitates inter eos dividens, & præpoſitum in utraque conſtituens. Hæc fere Bertrandus epiſcopus jam laudatus ex ipſius Gerardi charta. Poſtea tamen rebelles ad officium revocavit, præſertim tres fratres, Petrum, Roſtagnum & Pontium, qui urbi dominabantur, quibus cum prudenter injurias eccleſiæ illatas ob oculos poſuiſſet, deſtructionem ba- B ſilicæ ſanctæ Mariæ, occupatos eccleſiaſticos proventus, &c. factum eſt ut Deo volente reſipiſcerent, & poſtmodum ſatisfacerent, ut probat charta, ex toties decantato libro Viridi exſcripta: quam damus in probationibus. Ex his intelligitur fratres illos Siſtarici dominos ad faciendum ſatis pro rapinis & aliis malis eccleſiæ illatis conſenſiſſe homagium epiſcopo facere, pro ſuo caſtro de Sixterone (*Siſteron*). Deinceps autem nullum occurrit hominium a Siſtarici dominis præſtitum epiſcopo.

Ceterum conqueritur ſcriptor Siſtaricenſis, quod Geraldus fecerit *quidquid boni potuit eccleſiæ Forcalquerienſi, & quidquid mali Siſtaricenſi, illam exaltando, iſtam opprimendo*; quia videlicet Forcalquerienſem fecit concathedralem, memor beneficiorum a Forcalquerienſibus acceptorum, dum a propria exſularet eccleſia. Beneficia autem ipſis repenſa a Gerardo commemorat Bertrandus epiſcopus. Inter cetera vero donavit capitulo Forcalquerienſi eccleſiam S. Martini de Manueſca *, cum omnibus quæ in eadem valle erant eccleſiis. Etſi legatur inſtituto Canonicorum Regularium patrocinatus, attamen ad hoc vivendi genus ab ipſo compoſitum fuiſſe clerum, eccleſiæ Siſtaricenſis, aut D Forcalquerienſis, minime videmus. Sed ejus opera eccleſia S. Laurentii de Plebe martyrum a Saracenis prius everſa, reſtauratur, & in ea conſtituitur celeberrima Canonicorume Rgularium præpoſitura, quam ipſe rexit, habuitque in ea ſucceſſorem Nantelmum, cui Cunibertus Taurinenſis epiſcopus anno 1065. confirmavit donationes a comite Sabaudiæ factas.

Vixit hic epiſcopus uſque ad Gregorii VII. tempora, qui etiam anno 1074. ad eum acriori ſcripſit ſtylo, quod invaſiſſet Croſſienſem eccleſiam, quæ erat de jure S. Petri; unde ipſum E Ananiæ & Saphiræ comparare, intentata etiam excommunicatione niſi ſatisfaceret, non dubitavit. Gerardum ſepultum eſſe in eccleſia Forcalquerienſi ſuadent hæc Bertrandi epiſcopi verba: *Dedit ſeipſum & corpus ſuum Deo & B. Mariæ ſedi, & S. Mario confeſſori, & B. Thyrſo martyri.*

De Gerardi ſucceſſoribus non conſentiunt qui de iis ſcripſerunt epiſcopis. Bertrandus II. epiſcopus ſapius laudatus eos ſic enumerat: Carolum, Bertrandum, Geraldum, Raimbaldum, Petrum. At ſcriptor Burellanus ita recenſet illos præſules: Carolum, Petrum epiſcopum antiquum, Frodonem, Bertrandum, Raimbaudum, Petrum de Sabrano ſanctiſſimum antiſtitem, Bertrandum. Priori teſti veſcino teſti porum illorum fides eſt magis adhibenda.

ANNI CHRISTI.

XXVII. CAROLUS.

Carolus ſucceſſit Geraldo, ex omnibus qui catalogos epiſcoporum Siſtaricenſium texuerunt; ſed de ipſo nihil amplius.

XXVIII. BERTRANDUS I.

Bertrandus anno 1102. quoddam donum fecit eccleſiæ & canonicis ſancti Marii Forcalca- 1102
rienſis, quod probavit Petrus Aquenſis archiepiſcopus, præſente quoque ac laudante Adalaxi Provinciæ comitiſſa. Idem Bertrandus ſedebat adhuc anno 1105. ex plurium rerum conceſſione canonicis Forcalquerienſibus. Expun- 1105.
gimus ex epiſcoporum Siſtaricenſium ſerie Nitardum quemdam. Certe Bertrandus II. ſuos a Geraldo Caprerio anteceſſores recenſens, Nitardum tacet, uti & alios a ſcriptore Burellano inepte invectos.

XXIX. GERALDUS III.

Hic epiſcopus recuperavit caſtrum epiſcopatus *Lurii* dictum, Adalaxi comitiſſa Forcalquerii illud reſtituente, ut probant ejuſdem litteræ quas integras exhibet J. Columbi; contractæ autem leguntur in Gallia Chriſtiana fratrum Gemellorum. Id vero factum legitur anno Dominicæ incarnationis MCX. Vixit ſaltem uſ- 1110
que ad annum 1124. Nam adfuit concilio 1124.
Viennenſi tunc habito.

XXX. RAMBAUDUS.

Rambaudum eccleſiæ Siſtaricenſi dedit congregatio Cluniacenſis ordinis S. Benedicti, eratque prior S. Andreæ Ganagobienſis in diœceſi Vapincenſi, quando vocatus eſt ad epiſcopatum. Quo tempore d factum chartæ non exprimunt. Unum hoc de ipſo legitur, quod emerit jura omnia quæ *Tiburgis de Arauſica* habebat Lurii, quinque ſolidorum millibus, & *aſſare* [a] Petraruæ. Tiburgis vero non Arauſicano tantum comitatui, ſed etiam per Aptenſem, Siſtaricenſem, Vencienſem & Nicienſem epiſcopatus late dominabatur, ut palam fit ex teſtamento, quod anno 1150. condidit. Rambaudi epiſcopatus attigit annum 1143. quod mox oſtendemus. 1143

XXXI. PETRUS III.

Petrus de Sabrano nobili genere clarus, ſed ſanctitate longe illuſtrior Rambaudo ſucceſſit, anno 1142. vel 1143. ut nos docet Bertrandus ejus ſucceſſor, in quadam charta, ubi dicit Petrum de Sabrano viginti & ſex annis duobuſque menſibus ante ſe in epiſcopatu ſediſſe. Facta autem charta hæc legitur anno ab incarnatione Domini 1170. tertio menſis Aprilis, Alexandro ſummo pontifice, *primo anno*, inquit, *pontificatus noſtri jam expleto.* Anno 1149. laudavit & 1149.
approbavit eleemoſynam factam hoſpitalariis Manoſcenſibus, per Guigonem comitem Forcalquerii, quam iterum una cum archiepiſco-

[a] Notat Cangius in Gloſſario vocem iſtam apud Occitanos & Provinciales ſignificare prædium ruſticum.

* Manoſq.

fr. Aug. ab Eccl. hiſt. Pedem.

1074. ep. 67. l. 1.

Digitized by Google

po Aquenſi & epiſcopo Aptenſi confirmavit an- A
ANNI CHRISTI. no 1168. ex inſtrumento Boſcodunenſi. Anno
1150. 1150. commutavit cum Templariis eccleſiam S.
Mariæ de Olonio pro Lebrignianæ caſtro. An.
1151. 1152. litteras protectionis ab Eugenio III. ac-
1157. cepit, & anno 1157. ab Adriano. Anno 1154.
dedit Petro abbati Montis-majoris eccleſiam de
Gajanis, accepitque pro ea eccleſias de Sem-
1168. pronjaco. Anno 1168. præſens legitur quando
Bertrandus comes dedit hoſpitali Jeroſolymi-
tano quidquid in caſtro Manoſcenſi poſſide-
bat. Legimus eum excepiſſe donationem factam
Guigoni abbati Boſcodunenſi, Luræ videlicet ad
radicem Montis Loterii, ſed quo anno ambi-
gimus. Non diu poſtea eccleſiam rexit Siſtari- B
cenſem, cum certum ſit ejus ſucceſſorem anno
1169. epiſcopatum obtinuiſſe. De ejus ſacris iti-
neribus,& peregrinationibus ad ſanctum Chriſti
ſepulcrum, unde ſacris reliquiis ditatus rediit,
ſuamque ditavit eccleſiam, vide in veteri Gallia
Chriſtiana.

XXXII. Bertrandus II.

Bertrandus ex eremo, nimirum ex Carthuſia
Durbonis ubi prior erat, prodiit ad regendam
Siſtaricenſem eccleſiam; quod docet factum
1169. anno 1169. dum anno 1170. die 3. Aprilis in
charta pro canonicis Forcalquerienſibus jam C
ſupra commemorata monet id actum expleto
primo ſui epiſcopatus anno. Memor ſuorum
Durbonenſium adfuit donationi factæ Andreæ
1170. priori hujus loci anno 1172. anno vero ſequenti
coram ipſo agitata eſt controverſia inter Dur-
bonem ac milites templi, ut eam dirimeret; quæ
nos docent Boſcodunenſes tabulæ. Non diu vi-
xit poſtea. Laudatur autem ob ſummam pieta-
tem in eccleſiæ ſuæ tabulis. In gratiam Forcal-
querienſis capituli conſtituit ut epiſcopus Si-
ſtaricenſis, citra conſilium & conſenſum cano-
nicorum Forcalquerienſium nullam faceret re-
rum ſuarum alienationem ſeu diſtractionem, D
de quibus debet habere conſenſum & conſi-
lium a canonicis eccleſiæ Siſtaricenſis, *cum*
utraque, inquit, *eccleſia ſit cathedralis, & pro*
ſede epiſcopi habita ab anteceſſoribus noſtris. Nam
1170. *& hoc inſimul habebant commune, quando una*
erant eccleſia.

D'Andusia. XXXIII. Bermundus.

Bermundus de Anduſia canonicus Magalo-
nenſis, genere conſpicuus, dicitur electus Siſtari-
1174. cenſis anno 1174. die 2. Novembris, in inſtru-
mento donationis Guillelmi comitis Forcal-
querii laudantis fratribus Durbonenſibus quæ-
dam jura *per totam terram ſuam*, data charta E
apud caſtrum de Manoaſca, præſente Hugone
Ex tab. Boſcod. abbate de Luria, Chatberto priore Durbonen-
ſi. Eodem anno in tranſactione cum canoni-
cis templi non alio quam electi titulo utitur. In-
1179. terfuit concilio Lateranenſi anno 1179. tom.
p. 647. XII. ſpicilegii. Anno 1180. memoratur in ta-
bulis Victorinis. Anno 1183. conſenſit unioni
In tab. Boſcod. abbatiæ Lurenſis cum Boſcodunenſi, cujus unio-
nis vide chartam ſuo loco. Anno 1207. conceſ-
ſit eccleſiam de Ybonicis eccleſiæ ſancti Mar-
tini de Crocio ejuſque præpoſito & canonicis,
inquit Burellanus ſcriba. Sed quem ſæpius er- —
raſſe jam vidimus ducem non debemus ſequi, ANNI CHRISTI.
ubi maxime chartæ adſunt quæ falſi eum re-
vincunt, & Pontium quemdam ante hunc an-
num 1207. Siſtarici ſediſſe probant.

XXXIV. Pontius. De Sa-brar.

Humbertus epiſcopus Siſtaricenſis, de quo
infra loquendum erit, anno 1154. ſigillo ſuo
munivit quoddam tranſumtum litterarum dom.
Willelmi quondam comitis Forcalquerii, ſtatu-
ta pro Siſtaricenſi comitatu continentium, quas
Humbertus teſtatus eſt integras & vitii expertes
a ſe viſas. Porro his in litteris præſentes dicun-
tur Guillelmus de Benevento Ebredunenſis ar-
chiepiſcopus, Petrus de ſancto Paulo epiſcopus
Aptenſis, & Pontius de Sabrano Siſtaricenſis;
cumque Guillelmus de Benevento jam mortuus
eſſet anno 1207. inde conſequens eſt Pontium
de Sabrano coævum ante annum 1207. Siſta-
ricenſem tenuiſſe ſedem.

Ceterum qui volunt Bernardum quemdam
Bermundo fuiſſe ſubrogatum, & ad id proban-
dum adducunt chartam unionis abbatiæ Lu-
renſis cum Boſcodunenſi, in qua legerunt *Ber-*
nardum & non Bermundum, decepti ſunt ama-
nuenſis lapſu. Nam hoc inſtrumentum deſcrip-
ſimus ex chart. Boſcod. ubi legitur perſpicue
Bermundus.

XXXV. Radulfus II. al. Rodulfus.

Alumnus erat, & poſtea fuit abbas Floregiæ,
vulgo Toroneti, ordinis Ciſtercienſis in diœceſi
Forojulienſi. De eo liber Viridis ait, *dominus*
Rodulfus epiſcopus rexit eccleſiam Siſtaricenſem
25. annis & 3. menſibus. Hic fuit de ordine Ciſter-
cenſium abbas monaſterii Floregiæ, qui vulgo di-
citur Toroneti, ſepultus autem in eccleſia Siſtari-
cenſi. Hic augmentavit reditus epiſcopales in caſ-
tro de Lario, & comparavit caſtrum de Augetto,
& caſtrum de Reveſto 16. millia ſolidor. a domino
comite Provinciæ & Forcalquerii Raimundo Beren-
gario illuſtri ac piiſſimo. Dictus autem epiſcopus
Rodulfus ſanctiſſimus Siſtaricenſis, diem clauſit
extremum anno currente Domini 1241. & ſepultus 1241.
in eccleſia Siſtaricenſi ſubtus altare poſitum in ſca-
lerio lapideo introitus chori: per quem in vita ſua
& poſt mortem ejus Deus omnipotens multa fecit
miracula mortuos ſuſcitando, cæcos illuminando, de
morbo caduco ſanando, claudos & impotentes
exaltando.

Ex hoc ſcribæ Siſtaricenſis teſtimonio confi-
citur Rodulfum epiſcopatum inchoaſſe anno
1216. At ne forte quis contendat ſapius falli 1216.
ſcriptorem, quod inficiari non audemus, idem
aliunde argumentis adſtruamus certiſſimis. Cer-
te monuit nos doctiſſimus Ruffius in tabulario
Victorino, quod tam diligenter inveſtigavit &
exploravit, memorari R. Siſtaricenſem epiſco-
pum ad hunc annum. Hoc ipſo an. duodecimo
cal. Octobris arbitrarius judex cum B. Aquenſi
archiepiſcopo, & B. Cavallicenſi epiſcopo, com-
ponit diſſidium prioris San-mariani, & hoſpita-
lariorum ſuper juribus in Manueſcam. Anno
1220. præſens memoratur Garſendi comitiſſæ, 1220.
& marchioniſſæ Provinciæ laudanti, quæ tam

ANNI CHRISTI.

suus avus, quam pater Guillelmus monasterio B. Mariæ de Podio Ganagobiæ contulerant v. nonas Octob. An. 1221. judex cum Bermundo Aquensi archiepiscopo fuit contentionis quæ Gaucherio Apt. archidiacono, (male archiepiscopo) intercedebat cum Rostagno de Agouto, 1227. & Bertrando de Simiana. An. 1227. convenit cum G. & R. de Railana dominis Salæ, de moletrina, quam hi excitaverant in Druentia ad Lurienſem agrum. An. 1232. Raimundus Berengarii comes, & marchio Provinciæ ei donavit 1234. castrum de Augeto. An. 1234. idem comes ita loquitur: *Damus Radulfo episcopo castrum de Revesto cum territorio suo & pertinentiis suis in Sistaricensi diœcesi constitutum, scilicet in montem Luram ex una parte, & Fontanam ex altera ... retentis nobis tantum in dicto castro cavalcatis, quando eas de alia terra nostra habebimus, &* 1235. *majori dominio seu mero imperio, &c.* An. 1235. idem Raimundus eidem Radulfo dedit *cavalcatas castrorum de Revesto & de Augeto.* An. 1239. contentionem finiit 4. idus Febr. quæ diuturna & gravis ei fuerat cum R. de Villamuro, & B. ac G. fratribus, & a R. Forcalquerienſi præpositio arbitrario judice accepit Mauzeraneguense prædium.

XXXVI. HENRICUS.

1. Susa.

Henricus de Secusia (de Bartholomæis quoque non pauci vocant), decretorum doctor eximius, episcopus nominatur variis in chartis annorum 1244. 1246. 1248. quo anno adest fundationi conventus Dominicanorum Balmæ a Beatrice comitissa Provinciæ factæ. Ab episcopatu Ostiensi, quem cardinalis fortitus est, dictus est Ostiensis, unde ejus Summæ nomen *Ostiensis* inditum.

Is ergo est nominatissimus ille apud juris canonici peritos Ostiensis, ab Ebredunensi archipresbyteratu ad Sistaricensem episcopatum evectus, ubi eum sedisse docent ab an. 1241. 1241. ad an. 1250. fideles eorum temporum tabulæ, & aliæ quas Burellus episcopus in libro Viridi exscribi voluit; cui etiam an. 1244. canonici tam 1244. Crossienses quam Placiti-Dei molerinam, vineam, & alia prædia rustica concesserunt. Ex his liquet eum alium esse ab Henrico de Susa, de quo Matthæus Parisiensis agit an. 1244. eumque docet adsportata regis Angliæ pecunia, quam ad dejiciendum episcopum Vintoniensem acceperat, quemdam in suis partibus episcopatum, eo anno sibi comparavisse; quamvis Auberyus l. 1. de cardinalibus Gallis utrumque confundat, propterea quod nunc idiomate vulgari dicatur Susa apud Gallos, quæ olim fuit Secusia Pedemontanorum urbs, unde Henrico nostro cognomen. Falluntur enim etiam qui sic dictum putant, eo quod Susanorum in Delphinatu dynastarum gentilis esset; comites enim Susani *ab Aymone de Balma, quondam de Albenco*, qualem seipsum vocat in nuptialibus tabulis, descendunt: qui Aymo cum Antoniolam Salassam, Henrici Cassenatici apud Delphinates proregis viduam duxisset, Susam ab ea acceptam posteris reliquit hereditariam, sicque comites illi Balmani gente sunt, non Susani. Anno 1246. quædam a canonicis suis accepit IV. idus Septembris ut quod in capitulo vocem tanquam canonicus habere debeat privilegio personali, non ad successores transituro.

ANNI CHRISTI.

An. 1247. cum abbas Insulæ-barbaræ prope Lugdunum ex fidelibus chartis docuisset Bodanense sancti Marii monasterium in Sistaricensi non in Diensi diœcesi positum esse, Henricus voluit eam rem H. S. Sabinæ cardinalis edicto sanciri, & consequente anno Innocentii IV. pont. Romani bulla edictum cardinalis roborari. Anno 1249. IV. nonas Decembris Lugduni judicio suo diremit Sistaricensium & Forcalquerienſium canonicorum, de episcoporum electione contentionem, & quidem in favorem Forcalquerienſium. Anno incerto evasit in Ebredunensem archiepiscopum: verisimile tamen putamus id factum anno 1250. cum nonum episcopatus sui annum esset ingressus. Fratres Prædicatores anno 1247. in urbe admissos legimus.

1247. 1249. 1250.

XXXVII. UMBERTUS II. *vel* YMBERTUS.

Umbertus ex ordine Prædicatorum electus, anno 1251. VIII. cal. Augusti de conventione quadam cum hospitalariis Manuascæ compromisit, canonicis Sistaricensibus consensum præbentibus. Eodem anno XII. cal. Septemb. obtinet a Willelmo Romanorum rege confirmationem omnium jurium & bonorum episcopatus, maxime castrorum Lurii, & Laduncelli, quæ sita sunt in diœcesi Sistaricensi, & ab imperio immediate tenentur, *ab antiquo, & a tempore cujus non exstat memoria.* Sic agebat Guillelmus in Provincia, quasi summa rerum potiretur & auctoritate regia, licet sub Caroli Siciliæ regis esset dominio comitatus Provinciæ. Et sane redux liberque a bellis Palæstinis & Ægyptiacis Carolus coegit Humbertum hominium sibi præstare, & supra memorato renuntiare privilegio. Id significat Sistaricensis scriptor, quando de ipso ait: *Iste enim oppressus per curiam regiam tempore illustrissimi Caroli I. Sicilia regis, Provincia & Forcalquerii comitis, gravaminibus aggravantibus, libere dimisit episcopatum Sistaricensem .... & apud Lugdunum, ubi postmodum permansit, diem clausit extremum.* Attamen constat acceptum fuisse Beatrici reginæ hunc episcopum, cujus mandato, assumtis Falcone de Podio Ricardo, Gaufrido de Tarascone, Artaudo domino de Venelis, Roberto de Lerens, tulit sententiam de portariis per Forcalquerienſem comitatum. Cum Lambertus Laduncellius ei clientelarem fidem jurare detrectaret, judices ab eadem Beatrice regina & comitissa delegati, ad hoc officium clientelare episcopo præstandum damnarunt anno 1256. An. 1257. a Rostagno, Galterio de Revesto emit aliquot prædia, iisque emtis abdicavit. Ejus tempore Philippus archiepiscopus Aquensis univit episcopali sedi ecclesias Lurii, Revesti, Berhunesii, & sancti Martini de Nogheriis. Silentio prætereundum non est quod anno 1254. IV. idus Maii, Humbertus suo munivit sigillo, & auctoritate firmavit quoddam transsumtum litterarum domini Willelmi quondam comitis Forcalquerienſis, statuta quædam pro Forcalquerienſi comitatu

1253. 1256.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

continentium; quas Humbertus teſtatus eſt vi- A ſas a ſe integras, & vitii corruptelæque expertes. In his vero tanquam præſentes memorabantur Guillelmus de Benevento Ebredunenſis archiepiſcopus, Petrus de ſancto Paulo Aptenſis præſul, Pontius de Sabrano Siſtaricenſis.

XXXVIII. ALANUS.

Alanus ſeu Johannes Alani, ut ex inſcriptione ſepulcrali didicimus, Lutetiæ natus, nominatur in confirmatione privilegiorum Maſſi-
1257. liæ, anno 1257. Biennio poſt, tertio calend. Januarii dedit collegio canonicorum Siſtaricenſium eccleſias ſancti Gervaſii de Berontio, & B ſancti Vincentii. Anno 1260. contentionem quam habebat ſuper Ybonicorum juribus, ſopierunt Raimundus Arditi Forcalquerienſis
1261. præpoſitus, & Imbertus de Auſonis. An. 1261. concedit Forcalquerienſi canonicorum collegio omnes Manuaſcæ eccleſias, quæ Sanvictorinorum monachorum & hoſpitalariorum non
1264. erant. An. 1264. emit Aquis-ſextiis domum in epiſcopi uſus cum horto, ſolidis Turonenſibus ad tria millia. Anno 1265. *procurationes* (ut loquitur) quas Forcalquerii habebat, & menſuras aliquot ſeu frumenti ſeu hordei, quæ Ladun-celli, & Morzellis colligebantur, commutavit C cum Petraruæ eccleſia.

In ſchedis fratrum Sammarthanorum exſtat inſtrumentum, quo Beatrix filia Raimundi comitis Provinciæ, uxor Caroli filii regis Franciæ Andeg. Provincia &c. comitis, confirmat ſuum teſtamentum, incarnat. Dom. an. 1265. VII. idus Madii, præſentibus W. Aquenſi archiepiſcopo, & Alano Siſtaricenſi præſulibus qui ſua apposuerunt ſigilla.

Alanus Siſtaricenſis epiſcopus inſtituit vicariam perpetuam in eccleſia ſancti Juliani de Ferrateria diœceſis ſuæ, pendente a monaſterio S. Andreæ Avenion. ad preces Roſtagni abbatis, D & conventus, quibus rogantibus eandem eccleſiam univit cameratiæ memorati cœnobii IV. nonas Febr. 1267.

1271. Anno 1271. teſtis legitur in litteris compoſitionis factæ apud Aquas-Sextias inter Odonem Vapincenſem epiſcopum nomine ſuæ eccleſiæ, & ſeneſcallum regis Siciliæ. Circa illud tempus præpoſitus & capitulum Aquenſis eccleſiæ tunc vacantis poſtularunt in archiepiſcopum Alanum noſtrum; ſed Gregorius papa X. metuens gravia incommoda, quæ Siſtaricenſis eccleſia inde pati poſſet, maluit ad illam metropolitanam ſedem promovere Grimerium, ut intelligimus ex E ejuſdem papæ litteris pro Grimerio datis. Anno
1272. 1272. idibus Martii aſſenſus eſt Adelaidi Medullionis Carbonis dominæ, & Siſtaricenſibus conſulibus pro monaſterio Clariſſis ædificando; quod anno tantum 1285. juxta conventum Fratrum Minorum extra urbem conſtrui cœptum eſt. Ejuſdem præſulis conſilio uſus Guillelmus de Goneſſa Caroli regis ſeneſcallus, & Robertus Avenionenſis epiſcopus, graves inter ſe lites
1275. compoſuerunt. Anno 1275. die 30. Auguſti canonicorum Forcalquerienſium ſtatuta probavit. Beatrix regina Siciliæ & comitiſſa Provinciæ, &c. ei demandavit exſecutionem teſtamenti ſui, editi tom. VI. ſpicilegii. Anno 1277. fato ſuo functus eſt. De eo ita liber viridis: *Alanus epiſcopus Siſtaricenſis Pariſiis oriundus, rexit eccleſiam Siſtaricenſem 19. annis; qui multa aedificia aedificari fecit in diœceſi Siſtaric. videlicet eccleſiam & domos d Ouloin, & domos de Thonicis, & de civitate Siſtaricenſi. Iſte enim crucem argenteam cum pede lato, & reliquias ſanctorum Coſme & Damiani legavit ad honorem Dei & gloriosæ Virginis matris ejus, & glorioſi martyris ſancti Tyrſi in eccleſia Siſtaricenſi, ubi ſepultus eſt ad latus ſiniſtrum juxta altare B. Mariæ Siſtar.* Ejuſdem viſcera jacent in eccleſia Aquenſi cum hoc lemmate lapidi ſepulcrali inſcripto: *Anno Domini* MCCLXXVII. X. *cal. Octob. hic tumulata ſunt inteſtina & cetera viſcera Johannis Alani Siſtaricenſis epiſcopi. Reliquit pro ſuo anniverſario* XXX. *ſolidos hic annuatim ſuper domum ſuam. Orate pro eo.*

ANNI CHRISTI. p. 414.

XXXIX. PETRUS IV. GIRARDI

Petrus cognomento Girardi aut Giraudi de Podio-Michaëlis, anno 1277. III. cal. Novembris electus eſt, cum eſſet præpoſitus Regenſis. Anno 1278. X. cal. Martii convenit cum Iſnar-
1278. do Juſtacio Podii Pini domino. Anno ſequenti XII. cal. Februarii, emit a Guillelmo Cornuti Forcalquerienſi domicello totum affare quod eſt in caſtris de Lurio & Lebrignana cum juri-
1281. bus. Anno 1281. interfuit tranſlationi corporis ſanctæ Mariæ Magdalenæ duobus ante annis inventi a Carolo Salernitano principe, Siciliæ poſt Carolum patrem rege & comite Provinciæ. An.
1285. 1285. fecit quædam pacta cum Jacobo Buegmundi præpoſito & canonicis. Eodem anno ſive juxta Romanum morem anno 1286. XVI. calend. Martias, uti legitur in codice Siſtaricenſi qui Piloſus dicitur, celebrata eſt ſynodus provincialis in urbe Regenſi per Roſtagnum Aquenſem archiepiſcopum, cui interfuerunt venerabiles domini ſuffraganei R. Aptenſis, M. Regenſis, P. Siſtaricenſis, I. Forojulienſis epiſcopi P. præpoſitus & officialis Vapinc. epiſcopi juſta de cauſa abſentis procurator, & abbates Croſſienſis & de Lura, præpoſiti, archidiaconi, & procuratores dictarum eccleſiarum, & alii plures rectores eccleſiarum, & alii plures diſcreti viri. In hoc concilio decretum fuit, primo quod ſtatuta generalia conciliorum, imprimis concilii Valentini, & ſtatuta provincialia obſerventur: ſecundo quod preces fiant pro liberatione illuſtriſſimi D. Caroli principis in carcere detenti, per omnes eccleſias, & cuilibet ſupplicantium 40. dies de injuncta pœnitentia relaxantur: tertio quod epiſcopi deſcribant in chartulario omnia bona ſuarum eccleſiarum, & multa alia ad 21. ſtatuta, quorum ultimum, quod nulli impediantur quominus ad metropolitanam appellent; aliter qui impedit excommunicetur, ſicut a prædeceſſore G. archiepiſcopo Aquenſi ſtatutum fuit. Poſtea Petrus diem ſuum ultimum clauſit 1291. uti obſervare licet ex his verbis ci-
1291. tati codicis epiſcopalis: *Poſt iſtum vir ſapientiſſimus dominus Petrus Giraudi de Podio Michael epiſcopus Siſtaricenſis rexit annis* XIV. *Iſte enim palatium & forcalstia caſtri de Lurio fieri fecit, dominia, affaria & bona quorumdam nobilium quæ*

ANNI CHRISTI.

habebant in castro Lurii emit & acquisivit, & multa alia bona fecit, & de multis redditibus ecclesiam Sistaricensem augmentavit, qui legavit ecclesiæ Sistaricensi mitram pulcriorem & crossam argenteam, ubi sepultus est ante altare B. Mariæ Sistaric. diem enim clausit extremum anno currente Domini MCCXCI.

D'ALAMON.

XL. PETRUS V.

Petrum de Alamanono nobili genere ortum, in ordine Prædicatorum ad virtutes omnes educatum & institutum, singulari Dei beneficio episcopum consecuta est Sistaricensis ecclesia. Carolo filio regis Siciliæ & Provinciæ comitis, etiam in vincula conjecto adhæserat semper ante episcopatum; quod fortasse movit principem fidelitatis ejus memorem ad Sistaricenses insulas ipsi procurandas. Ut præcipua ejus gesta seligamus, 1293. anno 1293. mediam Y bonicorum partem emit, accepta prius facultate illam comparandi a Carolo II. comite Provinciæ regeque Siciliæ. An. 1295. 1295. Bonifacii VIII. mandato suos Dominicanos deduxit ad sacrum illud antrum, quod sanctam Balmam vocant. In ejus gratiam Carolus rex anno 1297. 1297. sua judicibus ab episcopo constitutis jura integra restitui & conservari edixit, quæ regii apud Sistaricum & Forcalquerium judices & actores invadere, sibique vindicare solebant. Insuper dedit *reditus annuos 30. librarum coronatorum Provincialium, in villa de Lebrimana & de Petrosio, pro restitutione domini de Lioncello, & quibusdam bonis, quæ petebat episcopus in villa Lebrimana.* Quibus verbis significari videtur, regem ab episcopo recuperasse locorum illorum dominium. De hoc episcopo ita liber Viridis: *Post istum* (Petrum Giraudi) *vir sanctissimus dominus Petrus de Alamanono episcopus Sistaricensis, de ordine Prædicatorum rexit annis* 13. *Iste enim episcopus fuit pissimus, eleemosynarius & largitor bonorum suorum ad honorem Dei; ita quod fere medietatem suorum redituum in piis eleemosynis pauperibus, viduis, & orphanis tribuebat, pontes & multa hospitalia in Sistaricensi diœcesi fecit compilari, & acquisivit medietatem castri de Ybonicis, & 30. libras reddituum in castro Labreillinis ad honorem Dei, & B. Virginis gloriosæ, ac gloriosissimi martyris sancti Tyrsi. Diem clausit extremum anno currente Domini* MCCCIII. *prima die Augusti, & sepultus est in domo Prædicatorum civitatis Aquensis.*

Quod hic legitur de Petro mortuo an. 1303. non caret difficultate. Anno enim 1298. occurrit apud Bernardum Guidonem episcopum Lodovensem *Petrus de Rex* Sistaricensis episcopus, qui interfuit Aquis-Sextiis, quando Carolus II. Siciliæ rex & Provinciæ comes, quasdam sanctorum reliquias in theca gemmis ornata inclusas afferri curavit ad Dominicanos, quibus monasterium ædificabat. Sed fieri potuit, ut idem Petrus diceretur, *de Alamannone*, ab avitæ ditionis pago; a gentilitio vero cognomine, *de Rex*. Si minus placuerit hæc responsio ad propositam difficultatem, admittendus est post Petrum de Alamanone, qui migraverat e vita anno saltem 1298. 1298. alius Petrus cognomento *de Rex, de Roy*, qui nonnisi anno 1303. obierit. Sicque ad ipsum pertinebit quod legitur eodem an. 1303. Petrum episcopum Sistaricensem interfuisse professioni fidei clientelaris factæ a Rainodo* Porcelleto episcopo Diniensi, comiti Provinciæ, regi Siciliæ, a quo prius obtinuerat reditus annuos librarum 30. in villa de Lebriniana & de Petrosio.

*Defund. convent. Dominican.

ANNI CHRISTI 1303.

*Rainald.

GANTELMI.

XLI. JACOBUS I.

Jacobus Gantelmi Sistaricensis episcopus admittit fratrem Guillelmum de Bello-monte S. Andreæ monachum in priorem seu rectorem ecclesiæ S. Michaëlis, ad præsentationem Bertrandi abbatis an. 1307. indict. v. mense Martio, in præsentia Isnardi abbatis Luræ. Anno 1308. die 22. mensis Aprilis, obtinuit a Carolo rege Roberti patre, ne Sistarici atque Forcalq. judices regii de subditis episcopi quærerent, ante provocationem ab ipsius episcopi judicibus, sicut ante annos undecim obtinuerat Petrus de Alamannono. Eodem anno die 14. Decembris *sex millia Turonensium argenteorum petiit a Manuascensibus*, nempe ut militem pro Roberto comite cogeret, atque in Italiam duceret. De hoc præsule liber Viridis ita habet: *Jacobus Gantelmus de genere Gantelmorum Provinciæ, episcopus Sistaricensis, rexit ecclesiam Sistaric. annis* 6. *Iste enim cum equis & armis in exercitu Lombardiæ cum illustriss. domino Roberto Jerusalem & Siciliæ rege, Provinciarum ac Forcalquerii, ac Pedemontii comite accessit cum numero* 16. *equorum armatorum & plurium peditum sociatus, & eo tempore diem clausit extremum in Alba civitate, anno Domini* MCCCX. *Postmodum translatus est ad ecclesiam Sistaricensem, & sepultus in ecclesia Sistaric. in sepulcro domini Alani prædicti episcopi Sistarit. qui ad honorem B. Mariæ virginis gloriosæ pallium aureum multis nobilibus imaginibus insignitum legavit ecclesiæ Sistaric.* Credimus autem errare scriptorem Sistaricensem, cum differt Jacobi mortem ad annum 1310. nam tunc alius Sistarici erat episcopus.

1308.

1310.

XLII. ROSTAGNUS I.

Rostagnus anno 1309. non autem 1311. die 24. Julii sigillum apposuit una cum G. Vapincensi episcopo, tabulæ hominii Avenione præstiti Roberto regi per Bertrandum Baucium Auraficæ principem; quod instrumentum asservatur in archivis regiis Aquensibus registri pergameni. fol. 84. inquit Buxus, sub Roberto; Columbus vero putat Guillelmum & Bernardum, a quibus illæ hominii tabulæ scriptæ sunt, litteram initialem R. quam in autographo solam legebant, male Rostagni nomine supplevisse, cum Raimundi debuissent, Rostagnum enim non ante annum 1328. sedere cœpisse. Sed quorsum evadat hæc illius conjectura, parum intelligo; Raimundum enim suum de Oppeda electum dicit anno tantum 1310. ex quo certissime consequitur litteram initialem R. anno 1309. Raimundum istum significare nequaquam potuisse. Servetur itaque nobis Rostagnus hoc anno 1309. quamquam vix unius anni præsul, quidquid in causa fuerit cur mox ipsi seu vivo seu mortuo Raimundus substitueretur.

1309.

ANNI CHRISTI. D'OPPEDA.

XLIII. Raimundus I.

Raimundus de Oppeda electus est a canonicis Sistaricensibus & Forcalquerienſibus die 2. Augusti anni 1310. Anno sequenti Ybonicenſes flexis genibus manibusque junctis ejus clientes se esse professi sunt. Anno 1314. die 14. Septembris, convenit cum Beatrice quondam uxore Justacii Podipinensis domini super controversia de moletrina ad Druentiam erecta Ricavi. Eidem Raimundo frater Guillelmus Berengarii monachus S. Andreæ præsentatur ad ecclesiam sancti Michaëlis, a Berengario abbate 2. Octob. 1316. Isdem, ut putamus, comitatur Jacobum archiepiscopum Aquensem venientem ad synodum San-Ruffensem prope Avenionem an. 1316. mense Junio, cujus acta legesis post notitiam ecclesiæ Dinienſis, auctore Petro Gassendo, & tomo XI. conciliorum.

1310. 1314. 1316. 1326. col. 1710.

XLIV. Rostagnus II.

Hic episcopus incognito nobis anno post concilium San-Ruffense, in quo Raimundus ejus decessor sedit anno 1326. episcopatum hunc est adeptus. Nihil autem de eo ad nos pervenit ante annum 1330. quo Roberto regi recognitionem dedit & præstitit hominium, uti legitur in libro seu regiſtro pergamen. Anno 1336. obtinuit confirmationem donationis Revesti pagi a Raimundo Berengario Provinciæ comite olim ecclesiæ collati; instrumenti autem donationis hujus apographum regii scribæ manu confici & sibi dari curavit. Anno 1337. perrexit ad trium provinciarum concilium San-Ruffense, cum suo metropolitano, aliisque suæ Provinciæ præsulibus. Anno 1346. contendit ejus officialis, cum Aquensi. Simul autem erat abbas Crosſiensis.

1330. fol. 278. 1336. 1337. 1346.

AVOGRADI.

XLV. Petrus VI.

Petrus Avogradi *vel* Avogadri e patritia Vercellensium familia natus, ex ordine Prædicatorum, præficitur cathedræ Albensi primum in Insubria an. 1337. VII. idus Februarii, apud Ughellum tomo IV. Italiæ sacræ; translatus inde ad hanc ecclesiam Sistaricensem anno 1349. ex regesto Vaticano. Quandiu vero eam rexerit, nos fugit. Potuit sedere usque ad annum 1363. ante quem nulla ejus successoris occurrit mentio.

1337. 1349.

XLVI. Geraldus IV.

Non ita pridem regere cœperat Geraldus, quando Urbanus V. volens Dalphinam conjugem Elzeari comitis Ariani, virginitate in conjugio servata, & virtutibus omnibus commendatissimam, præmio notissimæ sanctitati in terris debito donare, ac in exemplum fidelibus proponere, delegit nonnullos ex præsulibus pietate prudentiaque magis insignes, qui de sanctitate vita & miraculis ejusdem sedulo inquirerent. Ex iis fuit Geraldus Sistaricensis episcopus, qui se se his verbis excusavit, si Johanni Columbo fides sit adhibenda: *Dolco admodum, quod in commissione tam honorifica, non mihi detur vobis adjungi* (Aquensi, & Vasionensi præsulibus scribit); *ab aliquo enim tempore collabore ordinandæ meæ diœcesi, restituendaque disciplinæ ob episcopa-*

rum absentiam collabanti; cui operi satis arduo multum temporis est adhuc consistendum. Nec possum intermittere absque maximo detrimento animarum mearum a Deo sollicitudini commissarum. Et nisi pergatur, quidquid feliciter actum est, convulsum ibit. Datum in castro nostro Luris XVIII. Martii anni MCCCLXIII. Quæ profecto viri commendant elegantiam in scribendo, in exsequendo pietatem. Ita Columbus. Parum autem temporis hanc sedem tenuit, cum an. sequenti alius occurrat episcopus, quem ad fidem Joh. Columbi damus. Obstat tamen quod legimus in observationibus eruditissimi D. d'Ache, nimirum Geraldum adfuisse concilio Aptensi anno MCCCLXV. Sed de alio forsan Giraldo id intelligendum.

ANNI CHRISTI. 1363. 1364. 1365. 1367

XLVII. Petrus VII.

Petrus hic notatur anno 1364. in Manuascensium Carmelitarum chartis, inquit Columbi, qui non solum Sistaricensium episcoporum scripsit historiam, sed etiam Manuascæ suæ patriæ.

XLVIII. Bertoldus.

Hic anno 1365. in bulla aurea Caroli IV. imperatoris dicitur imperialis aulæ cancellarius, vice Cunonis archiepiscopi Trevirensis.

XLIX. Geraldus V.

Gerardus eodem anno adfuit synodo Aptensi, cujus acta nunc typis mandat D. Edmundus Martenne. Ad illud autem convenerunt Provinciales episcopi cum suis metropolitanis Arelat. Ebredunensi & Aquensi. Is non multo post vivere desiit teste J. Columbo, qui scilicet legit in Manuascensium consulum diario mortuum esse anno 1367. & eos quatuor de suo senatu viros Lurium misisse, qui sui antistitis funeri, universorum civium vice, interessent, honore non alias ulli præsulum delato, nec immerito; nam cum ab hostibus periculum immineret, hujus episcopi hortatu, clerus omnis ad murorum fossarumque restitutionem, & bellicum apparatum pecuniam contulerat. Quæ dubiam hanc nobis narrationem reddant, infra dicemus. Utrum hic Gerardus sit diversus ab illo, qui anno 1363. sedebat, definire non audeo. Facile adducerer ad unicum admittendum, & expungendos Petrum & Bertoldum, qui forte titulo tenus fuere episcopi.

L. Rainulfus.

MONTIRUC al. MONTIRAC.

Rainulfus de Monteruco patria Lemovicensis, Innocentii papæ VI. nepos ex sorore, patruum habuit Petrum de Monteruco cardinalem. Factus est autem episcopus anno 1370. VII. cal. Februarii; ut docet regestum Urbani V. ubi annotatum Sistaricensem ecclesiam tunc vacasse per obitum Gerardi. Verisimile autem est non vacasse a tribus annis, sed recenti hujus episcopi morte. Novus hic episcopus eodem anno Manuascæ consecravit basilicam sub titulo mundi Servatoris. Rainulfus nominatur episcopus in actis publicis Roltagni Boneti, anno 1371. Ab Urbano VI. inter purpuratos patres ascitus est anno 1378. titulo S. Pudentianæ donatus. Præterea rexit vice-cancellariam pro patruo suo Petro de Monteruco, quem hac dignitate spoliare

1370. 1378.

liare noluit Urbanus VI. quamvis æmuli ſui partes ſecutum; quod olim fuiſſet de ipſius familia, ut obſervat Baluzius in notis ad vitas paparum Aven. Moritur Romæ XVIII. cal. Septemb. anni 1382. condituſque eſt ante fores eccleſiæ tituli ſui, ſub marmoreo tumulo cum hac inſcriptione: *Hic jacet Rever. pater dominus Rainulfus tit. S. Pudentiana presbyter card. natione Lemovicen. de genere D. Innocentii PP. VI. qui in hoc titulo ſuo monachos conſtituit* ... LXXXII. *die* XV. *menſis Aug.* Obſervat J. Columbi in appendice ad noctes Blancal. Rainulfum appellatum *Borſe*, & dici canonicum Tornacenſem decretorumque doctorem in litteris Urbani V. epiſcopum eum inſtituentibus; licet in Siſtaric. tabulis vocetur de *Monteruco*; qui locus forte erat natalium. In teſtamento etiam appellatur *de Cruco*.

ANNI CHRISTI. 1382.

LI. ARTAUDUS.

Artaudus, a nonnullis Bertrandus, an. 1382. jam celebratur in actis publicis. Anno 1383. juſſu ipſius Manuaſcæ promulgatur pontificium diploma, quo clerici tenebantur pecuniam conferre ad mœnia reſtauranda. Anno 1385. 10. Decemb.* nominatur in charta pro civitate Arelatenſi Ludovici regis Siciliæ, comitis Provinciæ, cum Johanne Carnotenſi præſule regis cancellario, Raimundo de Agouto domino de Saltu magno regis Siciliæ camerario, Fulcone de Agouto vicecomite Relianæ Provinciæ ſeneſcallo, Roberto de Drocis, Lionello de Coeſme militibus Gallis regiis cambellanis, Elzeario domino de Auraiſone, Franciſco domino de Baucio, Fulcone de Ponteves, Vallium, Cottiniaci, Carcerum & Barremæ domino, Blancaſſeo de Ponteves Caſtri Rainardi domino, Guinoto de Simiana domino de Caſa-nova, & aliis nobilibus. Anno 1387. Fratrum Minorum, qui *Obſervantes* audiunt, cœmeterium Manuaſcæ aqua luſtrali benedixit & conſecravit, ex tabulis conventus. Anno 1389. die 7. Julii adeſt Mariæ reginæ Siciliæ nonnulla cum Johanne le Maingre Franciæ Mareſcallo paciſcenti. Quidam ejus epiſcopatum uſque ad annum 1400. proferunt, ſed nihil afferunt, ex quo id probetur. Nihil quoque habemus, unde id falſi revincatur, cum ante hunc annum 1400. nullus alius in ſede Siſtaricenſi memoretur epiſcopus.

1383. 1385. 1387. 1389.

* Sept.

LII. ROBERTUS.[a]

Poſt Artaudum nonnulli locum dant Nicolao, de cujus epiſcopatu nulla tamen vel leviſſima oſtendi poſſunt veſtigia. Itaque veniendum ad Robertum de Furno. Is Creponæ in Arvernis natus, jam erat Siſtaricenſis epiſcopus anno 1400. ut conſtat ex collatione capellaniæ in eccleſia Manuaſcenſi hoc anno facta. An. 1404. prioratum ſancti Martini d'Aygremont univit prioratui de Turre de Beuvons. A quo tempore uſque ad annum 1414. magnum de ipſo ſilentium in chartis; quo anno, ipſo ſedente Siſtaricenſes canonici pacta fecerunt cum Fratribus Minoribus. An. 1415. die 14. Aprilis Ludovicus II. rex Siciliæ, comes Provinciæ, Roberto dedit confirmationem libertatum Lurii: charta ea de re confecta exſtat in Aquenſi* archivo regio. Anno 1417. die 15. Januarii, obedientiam jurat ei Andoinus Giraudi abbas Luræ. Anno 1423. confirmat donationem Bertrandi II. Forcalquerienſium collegio, multaque alia concedit. An. 1431. eo epiſcopo Aimo Aquenſis archiepiſcopus, & Bertrandus epiſcopus Dinienſis, reformant Siſtaricenſium canonicorum collegium. Anno 1432. Bertrandus Rodulfus Dinienſis epiſcopus pro Siſtaricenſis capituli reformatione quædam ſtatuit die 16. Decembris. Roberti epiſcopatum anno adhuc 1436. aſſerunt chartæ multæ.

1400. 1404. 1415. 1417. 1423. 1431. 1432. 1436.

* quod appellant armorum p. 115.

[a] Eſt alius, ut mihi perſuadeo a Roberto quodam dicto de Furno Arvemo, qui fuit decanus de Lehuno * in ſanguine terſo. Fit rector collegii S. Martialis *Avenionenſis*; ex ejuſdem computo 4. Junii 1409. ad 4. Junii 1411. Erat prior de Urro 1406. & prior de Vampone 1410.

* Lihons en Sangters.

LIII. MITRIUS I.

Poſt Robertum Nicolaus Saurinus Siſtaricenſis Theologus, in *Adverſariis* ſuis de Siſtaricenſibus epiſcopis, quemdam Raimundum Taloni præpoſitum Forcalquerienſem electum ab utroque capitulo, anno 1436. die 14. Februarii contendit. Sed aut electio iſta fictitia eſt, aut caduca fuit; nam J. Columbi aſſerit hunc Raimundum Taloni præpoſitum Forcalquerienſem inveniri adhuc anno 1438. Itaque Mitrius Robertum excepit in epiſcopatus honore, jamque ſedebat anno 1438. ut probant litteræ Renati Jeruſalem & Siciliæ regis, Andegaviæ, Barrii, & Lotharingiæ ducis, &c. an. 1438. 10. menſis Januarii datæ, quibus ad Ferrarienſe concilium oratores & procuratores mittit, ipſum ſcilicet Mitrium Siſtaricenſem, Bertrandum Auraſicenſem epiſcopos, Johannem, Vitalem & Alanum ... apud Raynaldum. Renati regis hæc ſunt verba: *Notum facimus quod nos de fide, legalitate, ſcientia, probitate, & aliis virtutibus, & meritis reverendorum in Chriſto patrum nobilium & egregiorum virorum Bertrandi Auraſicenſis, & Mitrii Siſtaricenſis epiſcoporum, Johannis Caſſani de Neapoli hoſpitis noſtri ſeneſcalli, vitalis de Cabannis legum doctoris, & Alani Coci requeſtarum hoſpitii noſtri magiſtri, conſiliariorum noſtrorum fidelium dilectorum plenarie ab experto confidentes, ipſos epiſcopos, Vitalem &c. & duos in ipſis in ſolidum facimus ... noſtros Ambaſſiatores, oratores & nuntios ſpeciales, ad ſe præſentandum nomine noſtro ... coram SS. Dom. noſtro D. Eugenio divina providentia univerſalis eccleſiæ ſummo pontifice ... necnon ad ſe præſentandum ... nomine noſtro, & pro nobis .... in ſacro-ſancta ſynodo univerſalis eccleſiæ Catholicæ in loco Ferrariæ, &c.*

1438.

To. XVIII. annal. ad. an. 1438. n. 10.

LIV. GALCHERIUS.

Gaucherius de Forcalquerio ſanctæ ſedis apoſtolicæ protonotarius, domini papæ referendarius, in poſſeſſionem epiſcopatus Siſtaricenſis miſſus eſt die 5. Februarii anno 1441. notario Artaudo Toleri apud Petrum Cortaſſe, verba ſunt Antonii Pagi Minoritæ conventualis in litteris ad Siſtaric. epiſcopum ſcriptis.

1441.

[a] Eum D. d'Achc cognominat *Gaſtinelli*, quod cognomen alii dant alteri Mimio.

ANNI CHRISTI.

LV. Raimundus V.

1442. Anno 1442. hic epiſcopus aderat concilio Baſileenſi, ut narrat Auguſtinus Patricius in ſumma hujus concilii quam conſcripſit anno 1480. eſtque inſerta tom. XIII. concil. legitur enim cap. centeſimo triceſimo tertio. *Decembri menſe* (anni 1442.) *Ferdinandus dux Calabriæ, Alphonſi regis Aragonum filius nuntium Baſileam miſit, qui ſuo nomine obedientiam, reverentiamque concilio exhiberet in omnibus, quæ patri ſuo contraria non eſſent; ſed cum nuntius illum ducem Calabriæ appellaſſet, Raimundus epiſcopus Siſtar. nomine Renati regis proteſtatus eſt illum non eſſe ducem Calabriæ; quoniam regnum Neapolitanum ſpectaret ad Renatum, non autem ad Alphonſum occupatorem, & ducatus Calabriæ ad Johannem Renati filium; Ferdinandum ſpurium, eſſe & nihil ad eum de regno Siciliæ. Hæc vedarguit Panormitanus, multumque accuſans Siſtericenſem, quod ſine mandato Renati ea faceret, quæ facere non poſſet, propterea quod impugnaret Alphonſum & filium concilii fautorem & tueretur adverſarii amicum nempe Eugenii* IV. qui concilio adverſabatur, amicitiæ fœdere cum Renato conjuncti. Renatum autem Alphonſus ejecerat Neapolitano regno.

col. 1605.

LVI. Carolus.

Carolus, quem a Saurino cognominatum *de Bornaſſio* legimus, in gravi controverſia inter Manuaſcenſes, & canonicos Forcalquerienſes, pertinaciter agitata tribus annis, videlicet 1446. 47. 48. de numero preſbyterorum in eccleſia Salvatoris, Manuaſcæ miniſtrantium, electus eſt judex a diſſidentibus, quam litem compoſuit
1448. die 29. Aprilis, anni 1448.

Gastinelli. ## LVII. Mitrius II. al. Mutius.

Pauca ſcimus de hoc epiſcopo, eaque parum certa. Burellanus ſcriptor vicinus illorum temporum, docet eum Aquis-Sextiis natum, pauciſque annis præfuiſſe. Sedes vacabat anno 1456. quo unita eſt abbatia Croſſienſis epiſcopatui Siſtaricenſi, bulla data Romæ per Callixtum papam.

du Pont. ## LVIII. Jacobus II.

Jacobus de Ponte Lotharingus, ex ſcholaſtico Tullenſis eccleſiæ, Renati Andegavenſis ducis Lotharingiæ & comitis Provinciæ favore fit
1458. epiſcopus Siſtaricenſis. Sedit autem annis 1458.
1461. & 1461. teſte Antonio Pagi in litteris ad epiſcopum Siſtaricenſem, & ex chartis a Stephano Chalvini tabellione confectis, aſſervatiſque a Petro Cortaſſe jam laudato. Annos decem rexiſſe dicitur. In necrologio Tullenſi, ex quo habemus eum fuiſſe hujus eccleſiæ ſcholaſticum, legitur ipſi legaſſe centum florenos aureos.

de Place. ## LIX. Andreas.

Andreas quem alii de Placenda ſeu de Place, alii de Fontana cognominatum volunt, natione Pedemontanus, abbas erat Lirinenſis an. 1453.
1464. Barralis in chronologia Lirinenſi anno 1464. *Reverendus abbas Andreas fuit per ſanctiſſimum in Chriſto patrem ac dominum Pium divina providentia papam II. promotus ad epiſcopalem dignitatem Siſtaricenſis eccleſiæ, ex abbate & monacho Lirinenſi.* Anno 1470. homagium fecit
1470. regi comiti Provinciæ pro Lurio caſtro, ceteriſque pagis ditionis ſuæ. Anno 1480. principem aram templi Lirinenſis decorari S. Honorati vita coloribus expreſſa curavit. *Quo aliiſque beneficiis acceptis, ut vicem benefactori conventus Lirinenſis rependeret, illius anniverſarium quotannis in præfata eccleſia Lirinenſi celebrari conſtituit undecimo cal. Maii.* Verba ſunt Barralis, qui eo die mortuum eum ſignificat, ſed incerto anno. Ceſſit ſequenti 5 quod jam fecerat anno 1477. ut mox oſtendemus.

1480.

Esquenart. ## LX. Johannes II.

Verum cognomen Johannis eſſe *Eſquenarti*, vel *Eſquenart*, ſimulque tempus quo fuit epiſcopus, diſcimus in litteris authenticis Renati regis Siciliæ, comitis Provinciæ, &c. mihi communicatis a domino d'Hozier, quibus confertur nobilitas Albino & Petro Saurini fratribus, datis 14. menſis April. an. 1477. quo paſcha in-
1477. cidebat in diem 6. Aprilis; in quarum fine legitur: *per regem, domino Johanne Eſquenart epiſcopo Siſtaricenſi, & aliis præſentibus*, &c. quæ probant hunc epiſcopum jam ineunte anno præfato in Siſtaricenſi cathedra ſediſſe. Hic patria Cenomanus, profeſſione doctor medicus, Renato rege Siciliæ favente creatus eſt epiſcopus Siſtaricenſis, per Andreæ ceſſionem. Anno 1481. ultima die Aprilis & 1481. 14. Octobris tamquam dominus temporalis caſtri de Lurio tranſegit cum hominibus ejuſdem caſtri. An. 1487.
1487. adeſt comitiis Provinciæ Aquenſibus ex Noſtradamo in hiſtoria Provinciæ. Anno 1491. ſcribit ad conſules Manuaſcæ de antiquo Clariſſarum in Saunaria monaſterio hoſpitalariis ſancti Spiritus concedendo. Die 3. menſis Januarii ejuſdem anni convenit cum canonicis Croſſienſibus, quorum conventionem Siſtaricenſe capitulum die 2. Januarii an. 1492. comprobavit. Ædes
1492. epiſcopales plurimis ædificiis adauxit, in primis vero palatium Siſtaricenſe, domum abbatiæ Croſſienſis, & in caſtro ſuo Lurienſi complura ædificavit; vir inſuper vitæ laudabilis, qui zelo Domini flagrans, optimis exemplis ſuam plebem clerumque inſtituit, ac multis egregiis operibus clarus naturæ debitum perſolvit Cenomani, ubi in eccleſia parochiali de Cultura jacet ſine cœnotaphio. Vacabat eccleſia die 4. Julii 1492. qua Guillelmus * Nogaretus electus fuit vicarius generalis.

* al. Nogaret'us.

Dela Toua. ## LXI. Theobaldus.

Theobaldus erat filius nothus comitis Alverniæ & Boloniæ, pro quo Ludovicus XI. rex Franciæ ſcripſit ad ſuum legatum in curia Romana, ut curam daret ipſius poſtulationem in abbatem de Boſcheto admitti, ut legimus in probationibus hiſtoriæ domus Arverniæ Baluzii. Johannes Columbi, qui nihil dicit
p. 671. de ejus genere, notat ejus electionem anno

ANNI CHRISTI.

1492. * factam a ſolis canonicis Siſtaric. a Forcalquerienſibus improbatam fuiſſe: quippe qui ad electionem vocari debuiſſent, cui tamen poſtmodum aſſenſum præbuerunt. Etſi juvenis acceſſerit ad ſedem hanc, diu tamen eam non
1499. retinuit, ſed mortuus eſt anno 1499. menſe Julio.

BURELLUS.

LXII. LAURENTIUS.

Laurentius Burellus Divionenſis Carmelita, humili loco natus, theologus Pariſienſis, ac facundus ævi ſui concionator, Carolo VIII. & Ludovico XII. regibus Franciæ a confeſſionibus; cum fuiſſet provincialis Narbonenſis, eligitur epiſcopus 1499. die 11. Julii, quo anno idibus Octobris epiſcopum Siſtaricenſem & Narbonenſem Carmelitarum Provincialem ipſum vocat Badius Aſcenſius in præfatione ad
1500. Parthenicen Mantuani. An. 1500. Siſtaricum venit atque privilegia incolarum caſtri Lurii confirmari curavit, quorum authentica exſtant in publicis Provinciæ tabulariis regiis; qui etiam pro cleri & populi commodis multa utilia procuravit. Eum rex Ludovicus & pontifex maximus Alexander VI. ſpeciatim elegere cum Thoma Paſchale officiali Aurelianenſi, ut in Delphinatu de vita, dogmatibus & moribus Valdenſium hæreticorum inquirerent an. 1501. referente Johanne d'Authon regio hiſtoriographo. Quo etiam anno provincialis officium depoſuit hiſce litteris: *Nos F. Laurentius Burellus Carmelita de Divione, doctor Pariſienſis, provincialis Narbona, Chriſtianiſſimi Francorum regis Ludovici* XII. *confeſſor, epiſcopus Siſtaricenſis, præſentium tenore fatemur, quod quanquam a pontifice maximo Alexandro VI. nobis eſſet privilegium datum, & conceſſa gratia etiam conſiſtoriali ter, ut cum epiſcopatu provincialatum obtineremus cum loco & voce activa & paſſiva, ut etiam ad generalatum poſſemus eligi; tamen quia hoc eſt contra ordinis libertatem, & contra religionis ſacra ſtatuta, a quibus diſpenſabat pontifex maximus, nos Deum pra oculis habentes, volentes & nunc & in poſterum provinciam Narbona ſua libertate gaudere, in manibus magiſtri noſtri Ægidii Borgeſii provincialis Provincia, & reverendiſſimi magiſtri Odonis generalis vicarii provincialatum cum ſigillo dimiſimus, &c. anno*
1502. *Dominica ſalutis* 1501. *die* 5. *Maii.* Anno 1502. ultima die Martii epiſcopo Dinienſi epiſcopatum omnino regendum tradidit, a quo abeſſe cogebatur maxime occupatus circa *perſonam &*
1504. *negotia regis.* An. 1504. miſſus eſt a pontifice maximo nuntius ad Maximilianum imper. Eodem anno canonici Lugdunenſes Chriſtophoro Baſileenſi epiſcopo per litteras percunctanti, eſſent ne vera quæ de Johannis Gerſonis miraculis inaudierat, & illud præſertim quod jactabatur de pœna a Deo inflicta regio confeſſario ipſius contemtori, alia quidem in Gerſonis laudem reſponderunt, iſtud autem ſcripſere, confeſſorem regis, non illius contemtorem ſed encomiaſten ſemper fuiſſe: addiderunt vero ſequentia: *Frater Laurentius theologus, doctor Pariſienſis, ordinis Carmelitarum, aliqua carmina in B. Johannis Gerſonis laudem ſcripſit, qua altari ſuo in S. Pauli juncta ſunt. Prafatus frater nunc epiſcopus Siſtaricenſis, per ſex quadrageſimas & annos plurimos coram regibus & clero & populo Lugduni pradicavit.*

ANNI CHRISTI.

Heliadem, ſeu de laudibus magni vatis Heliæ librum conſcripſit, quam curavit in clauſtro ſui ordinis Lutetiæ depingendam; & alterum de viris illuſtribus ejuſdem inſtituti: de quo Trithemius, Gaguinus epiſtola 54. Symphorianus Champerius de viris illuſtribus Galliæ, Poſſevinus, Chopinus l. 2. titulo 8. ſacræ politiæ, Gerardus Johannes Voſſius de hiſtoricis latinis, & alii. Obiit anno 1504. Bleſis 5. Julii: 1504.
cadaver quieſcit ad Carmelitas Aurelianenſes, cor vero apud Divionenſes, quorum indigena. Jam monuimus hujus epiſcopi juſſu deſcriptas fuiſſe eccleſiæ veteres chartas, & in unum compactas codicem, cui præmittitur ſynopſis epiſcoporum.

FILLIOLI.

LXIII. PETRUS VIII.

Petrus Fillioli Ganato in Borbonienſi pago natus, de quo jam actum eſt in Aquenſibus archiepiſcopis, ex primo cameræ computorum præſide, urbiſque Lutetiæ, & Inſulæ Franciæ gubernatore, jam Siſtaricenſis erat epiſcopus anno 1504. menſe Septembri, quo tempore ut legatus Julii papæ II. cum Carolo de Carreto marchione Finarii interfuit fœderi Bleſis ſancito cum Maximiliano I. rege Romanorum, & Ludovico Francorum rege XII. adverſus Venetos. Rex autem Ludovicus, *tametſi Julio ſubiratus erat*, inquit Belcarius, *tamen ad eundem Siſtaricenſem pontificem illius ipſius legatum amicitiam & opem adverſus Venetos ſuo nomine oblaturum miſit.* Et infra, *Siſtaric. pontifex Aquenſi pontificatu multarum a Julio ad Ludovicum, contraque a Ludovico ad Julium curſitationum pramio donatus eſt.*

Ex theſaur. regio chart.

l. 10. n. 13. & ſeq.

Hæc quidem Johannes Columbi in noctibus Blancalandanis, interpretatur de Laurentio Burello; ſed perperam; noviſſimuſque hiſtoriæ Francorum ſcriptor R. P. Daniel e Societate Jeſu preſbyter, in Ludovico XII. loquens de fœdere Bleſis ſancito anno 1504. die 22. Septembris, non hæſitanter dicit epiſcopum Siſtaricenſem, qui his interfuit pactis, fuiſſe Petrum Filholi. Reliqua ad præſulem hunc ſpectantia, require in Aquenſibus archiepiſcopis.

DINTAVILLA.

LXIV. FRANCISCUS.

Franciſcus de Tintavilla nobilis Campanus, Claudii Tintavillani, & Johannæ ex Baltnenſium Montis-Rebelli* genere filius, Divione primum puer, poſtea Æduæ operam litteris dedit, juriſperitiæ vero apud Papiam anno 1506. Ineunte Julio Siſtaricenſem aſcendit cathedram anno 1508. Inſcribitur tabulis die 3. menſis Septembris & 28. Novembris. Anno 1514. ad epiſcopatum Autiſſiodorenſem migravit.

* MONTREVELLI.

1508. 1514.

a Eodem anno Claudius d'Auſſonville monachus & pitanciarius ſancti Victoris Maſſilienſis accepit bullas a ſummo pontifice, quibus epiſcopus ſiſtaricenſis inſtruebatur, ut lego in ſchedis D. Cl. Eſtiennot, quas collegit ex Peireſchianis & Ruffianis. Theobaldum tamen æmulo prævaluiſſe vix dubitamus.

tom. XI. fragm. p. 299.

ANNI CHRISTI.

LXV. Claudius I.

DE LOUVAIN.

Claudius de Lovanio Sueſſionenſis, vicecomes de Berzi, primogenitus natorum Johannis de Lovanio equitis, & toparchæ de Nigello, vicecomitis Berziaci, urbis Compendii præfecti regii, inter alios fratres habuit Nicolaum caſtri Mediolanenſis gubernatorem. Hic Franciſco
1519. Tintavillæo ſuffectus, quinto poſt anno moritur. Obſcura ſunt, latentque nos quæ in epiſcopatu geſſit.

LXVI. Michael I.

DE SAVOYE.

Claudio defuncto Michaël de Sabaudia ad B ſupplicationem ſereniſſimi domini Franciſci I. Francorum regis Chriſtianiſſimi promovetur a Leone papa X. in epiſcopatum Siſtaricenſem, uti ſcribitur in libro Viridi. Is ad Bellovacenſem cathedram poſt unum annum electus eſt, inquit Johannes Columbi; non videtur tamen in
1522. illius poſſeſſionem immiſſus. Moritur anno 1522. menſe Decembri. De electione hac ad Bellovacenſem eccleſiam nihil invenimus in hujus eccleſiæ monumentis.

DE HAUSSONVILLE.

LXVII. Claudius II.

1522. C

An. 1522. die penultima Decembris, canonici cum accepiſſent Michaelem e vita migraſſe, de eligendo ſucceſſore cogitarunt, & vocatis Forcalquerienſibus, elegerunt Claudium de Hauſſonvilla nobilem Lotharingum ordinis S. Benedicti alumnum, quem non Hadrianus VI. bulla promovit ad eccleſiam Siſtaricenſem, ſed Clemens VII. cujus tempore facta eſt ejus ele-
a ctio [a]. Hic a principio adeptæ pontificalis dignitatis multa reparavit, auxit & recuperavit ad cathedram ſuam Siſtaricenſem pertinentia; inter quæ eſt hoſpitium Giraudi Piſſis cum pratis, ter- D ris & appendentiis exiſtentibus in territorio Lurii, eccleſiæque Siſtaricenſis menſæ ſuis impenſis acquiſivit; ſicque multum æris alieni contraxit. Præpoſitus etiam commendatarius eccleſiæ B. Mariæ Piniacenſis, diœceſis Forojulienſis an.
1528. 1528. die 8. Februarii memoratur, quo exſecutioni mandari jubet ſententiam in ſui favorem latam ab Amedeo Imberti regio conſiliario contra conventum S. Maximini de jure fornagii & molendini in territorio de Carnulis. Fuit cuſtos ſigilli regii & regius in parlamento conſiliarius, ex conventionibus curiæ Aquenſis & conſulum Aquenſium anno 1525. Plures chartæ minoris momenti tradunt eum ſediſſe annis 1523. 24. 25. E & 28. Obiit Lugduni ultima die menſis Auguſti
1531. anni 1531.

DE NARBONNE.

LXVIII. Antonius I.

1531.

Poſt Haſſonvillæi mortem, die 4. Septembris congregatis ad epiſcopi electionem canonicis,

a Fulquetus Bernardus canonicorum Siſtaric. tabellio: *Indictione undecima die penultima Decembris 1522. Clementis VII. an. 1. bona memoria Michaële quondam Siſtaric. eccleſiæ epiſcopo, diebus ſuperioribus proxime tranſactis, viam univerſæ carnis ingreſſo, ipſiuſque corpore eccleſiaſtica ſepultura tradito &c. Siſtaricenſes & Forcalquer. canonici cum in capitulum convenirent, nullo alio tractatu intervenente, ſtatim ſubito & repente omnes unanimiter in R. dominum Claudium d'Aſſonville, dominum de ſancto Amanto abſentem conſenſerunt, & eum in continenti una voce & uno ſpiritu poſtularunt in eccleſiæ Siſtaricenſis epiſcopum & paſtorem.*

A Cherubinus de Orſeria unus ex illis, qui reginæ ab eleemoſynis erant, electus eſt unanimi conſenſu, uti in decreto electionis per tabellionem ſcripto legitur. Sed electionem hanc minime probavit rex, Antoniumque de Narbona nominavit papæ in epiſcopum, jure concordatorum cum Leone decimo factorum. Anno ſequenti novus epiſcopus Gerardum de Genebris monachum Anianæ in Occitania, cujus Antonius abbas erat, vicarium ſuum generalem conſtituit die 10 Martii. Ex veteri inſtrumento anni 1540. diſcimus ipſum vicarium fuiſſe
1540. generalem Johannis a Lotharingia cardinalis, archiepiſcopi Narbonenſis & Remenſis, epiſcopi Metenſis, Tullenſis, Virdunenſis & Morinenſis; inſuper abbatis Cluniacenſis & Fiſcanni. Non deſunt chartæ publicæ quæ probent Antonium rexiſſe Siſtaricenſem eccleſiam annis 1533. 1534. 1539. Anno 1543. jam vitam
1543. abſolverat die 16. Decembris, ut quæ infra dicturi ſumus aperte probant.

DE ROCHECHOUART.

LXIX. Albinus.

Albinus de Rupe-cavardi ex nobiliſſimis toparchis de Mortuo-mari in Pictonibus, Aymerici domini de Mortemar & Johannæ de Rupecavardi e ramo de Tonnay-Charente filius, die 16. Decembris anni 1543. jam epiſcopus erat;
1543. eo enim die ſequeſtris epiſcopalium proventuum requirentibus, jubetur Marcus-Antonius Benedicti dare tranſſumtum locationis factæ inter *quondam Antonium de Narbona* epiſcopum Siſta- *Scm. pro Forcalq.* ricenſem & Claudium Garret. Ceterum nunquam ad ſuam acceſſit eccleſiam; unde non mirum, ſi nihil de rebus ab eo geſtis in epiſcopatu inveniatur. In neſcio quibus tabulis anno 1543. die 23. Decembris modernus epiſcopus appellatur.

DE ROCHECHOUART

LXX. Aimericus.

Aimericus de Rupe-cavardi abbas ſancti Sabini (*al.* Savini) in Pictonibus, fratri Albino ſubrogatur. Alii volunt fuiſſe Albini nepotem ex fratre. Cur nihil de rebus ab eo geſtis legatur uſque ad annum 1573. uti notat Johannes Co-
1573. lumbi, ignoramus. Laudatur inter præcipuos benefactores parthenonis Malnodenſis, qui ejus potiſſimum ope in priſtinum ſtatum reſtitutus eſt, poſtquam ab hæreticis multas paſſus eſſet injurias. Anno 1576. excepit Manuaſcæ Pœnitentes quos vocant *Albos*, inquit Johannes Columbi. Ejus tempore Calviniſtæ Siſtaricenſi eccleſiæ infinita prope modum intulerunt mala, de quibus hæc in Forcalquerienſis capituli tabulis leguntur:

Anno proxime præterito 1562. in menſibus Maio & Junio, quidam hæretici Lutherani, vulgo Huguanaux *nuncupati, maligno ducti ſpiritu, in contemtum ſanctæ matris eccleſiæ ſponſæ illibatæ Jeſu Chriſti Domini noſtri ac patris mitiſſimi, non timuerunt altaria lapidea conſecrata dictæ eccleſiæ & aliarum ab eadem dependentium uſque ad numerum viginti confringere..... deinde quamplurimos libros tam in membranis deſcriptos, quam in chartis & papiro impreſſos, tam in theologica facultate, quam in juribus canonico & civili ac bonis & honeſtis litteris, partim laceraverunt, par-*

ANNI CHRISTI.

tim igni tradiderunt, cum quibus etiam libros & instrumenta omnia in quibus descripta erant omnia privilegia, statutaque, & laudabiles consuetudines prænominatæ ecclesiæ, &c.

DE CUPPIS. LXXI. ANTONIUS II.

Antonius de Cuppis Pedemontanus in urbe Astensi natus, cum fuisset Henrico Francorum regi III. ab eleemosynis, ad sedem Sistaricensem facile pervenit; quod factum legimus tan-
1584. tum anno 1584. Johannes Columbi tamen initium ejus episcopatus refert ad annum 1580. An. 1585. die 24. Februarii Aquensi suæ provinciæ concilio adfuit. Fœderatis avitæ religionis tuendæ specie in regno turbantibus adjunxit se Antonius; Lurioque castro inclusus cum militari præsidio, regi infensum animum semper osten-
1606. dit. Facta denique pace anno 1606. ad suos Pedemontanos, relicto episcopatu, rediit; & per tres annos Taurini in pauperum domo victitans, dieque ac nocte ipsis ministrans, migravit e vi-
1609. ta, die 24. Augusti anni 1609.

DE GLANDEVES. LXXII. TUSSANUS.

Tussanus de Glandeves Massilienſis, ex dominis de Cuies, & stirpe antiqua Glandevensi in Provincia, sacri consistorii consiliarius, cessione Antonii consecratur episcopus mense Ju-
1609. lio 1606. Recepit Capucinos Manoascæ 1609. Aprilis 15. & Minimos Mannæ anno 1615. Interfuit anno MDCXII. concilio Aquensi, & comitiis regni generalibus 1614. cœtuique cleri Parisiensi 1625. & Meduntæ 1641. mortuus
1648. 1648. die 17. Januarii, ac sepultus Sistarici cum hoc epitaphio.

PIIS MANIBUS

ILLUSTR. AC REVERENDISSIMI

D. D. TOSANI DE GLANDEVES,

EPISCOPI SISTARICENSIS.

Hic jacet illustrissimus dominus Tussanus de Glandeves episcopus Sistaricensis, quem nobilitas omnibus dignitatibus præparavit, sapientia præcox anno ætatis suæ 22°. episcopatui maturum auxiravit, perspicax solertia publicis Provincia conventibus sæpe necessarium fecit, prudentia singularis totius cleri Gallicani comitiis præsidem dedit, eloquentia cordium victorem, doctrina publicum oraculum, liberalitas episcopalis palatii & castri restitutorem magnificum, & ejusdem reddituum amplificatorem exhibuit: Quem pietas dum altaria pressit argenteorum donorum pondere, ex hoc etiam tumulo Dei-paræ Virginis tutelæ submisit, sub cujus patrocinio nihil mori potest. Obiit anno ætatis 62. a partu Virginis 1647. decimoquinto kal. Februarii.

D'ARBAUT. LXXIII. ANTONIUS III.

Antonius d'Arbaut de Matheron, dominus de Bargemon, regi a consiliis, ex gente nobili & antiqua, quæ ordini sancti Johannis Jerosolymitani plurimos dedit equites, etiam antequam Melitæ federent, patrem habuit Johannem-Baptistam d'Arbaut de Matheron, dominum de Peinier, matrem Annam de Rochas dominam Deiglum, patruum vero Honoratum qui Romæ obiit, cum legatione pro ordine suo, scilicet Melitensi, fungeretur apud summum pontificem, nominatur episcopus per obitum Tussani, regio diplomate 27. Julii 1648. ex præposito eccl. metropol. S. Salvatoris Aquensis, vicario generali & officiali ejusdem archiepiscopatus, sede vacante; vir juxta Columbi, gente, ingenio, scientiaque clarissimus. Creatus bullis papæ Innocentii X. IV. cal. Octobris 1648. sacram accepit unctionem Aquis-Sextiis in sacello congregationis patrum Societatis Jesu 7. Februarii 1649. a Francisco Ademaro de Monteil de Grignan archiepiscopo & principe Arelatensi, assistentibus Ludovico du Chaine Senecensi, & Renato le Clerc Glandevensi, episcopis. Postea regi fidem clientelarem præstitit pro ecclesiæ temporalibus bonis mense Junio an. 1650. Interfuit comitiis cleri Gallicani eodem anno celebratis & 1656. Eum laudat J. Columbi Soc. Jesu, ob sibi submini-
1656. strata subsidia omnia, ad scribendam episcoporum Sistaric. historiam. Obiit die 26. Maii anni 1666. sepulturæ man-
1666. datus in quodam oratorio beatæ Virginis, suæ diœcesis, ubi fratrum Minorum Recollectorum conventum condiderat.

PONCET. LXXIV. MICHAEL II.

Michaël Poncet ex togata & nobili gente ortus, Petri comitis Ablisis in sanctiori consilio & consistorio comitis ordinarii frater, doctor Sorbonicus, abbas Aureævallis*, antea regis eleemosynarius, cleri Gallicani promotor, nomi-
*Airvaux. natur episcopus mense Maio 1667. sancto un-
1667. ctus oleo Parisiis in æde sacra collegii Sorbonæ eodem anno, prima Dominica adventus, IV. cal. Decemb. ab archiepiscopo Parisiensi, assistentibus episcopis Cadurcensi & Bajocensi. Postea fit Bituricensis archiepiscopus anno 1674.

POTIER. LXXV. JACOBUS III.

In locum Michaëlis translati ad metropolim Bituricensem, rex Christianissimus designavit Jacobum Potier de Novion filium principis senatus Parisiensis, mense Novembri anni 1674.
1674. iniitque possessionem anno 1677. An. vero 1680.
1677. accepit schedulam regiam pro episcopatu Forojulien-
1680. si, mense Januario, & nondum acceptis bullis, cessit pro Ebroicensi cathedra, in qua non ita pridem exstinctus est.

THOMASSIN. LXXVI. LUDOVICUS.

Ludovicus de Thomassin in Provincia ortus, licet ex gente in Lugdunensi urbe celebri, coadjutor Antonii Godelli Vencien-
sis episcopi, ab episcopatu Vencien-
si vocatur ad Sistaricen-
sem mense Maio anni 1680. Adiit possessionem
1680. anno 1681. mense Decembri. Fundavit semi-
1682. narium Manuascæ, quod regendum dedit presbyteris sancti Lazari, & aliud Luræ sub invocatione sancti Caroli, pro pauperibus clericis. Instituit etiam Sistarici, dato fundo, Missionarios sub titulo sanctæ Crucis. Multa contulit ornamenta ecclesiæ suæ, cujus est ipse præcipuum decus, mira pietate vivendo, summa cum facundia prædicando. Anno 1692. 1. die Martii delatam sibi a reverendo patre Francisco Pagi ordinis Minorum provinciali, jurisdictionem in conventum sanctæ Claræ in urbe Sistaricensi ultro susce-
pit. Hactenus superest, utinam ad multos annos. Patruum habuit celeberrimum scriptorem L. Thomassinum Oratorii presbyterum.

SISTARICENSES PRÆPOSITI.

I. WIllelmus I. memoratur in tranſactione facta inter Tiburgim de Arauſica civitate & epiſcopum Siſtaricenſem. Teſtes ſunt Petrus Giraldi Regenſis epiſcopus, Raimundus Attenſis epiſcopus, Gaufredus Aquenſis præpoſitus, anno 1145.

II. P. anno 1154. Ejus conſilio reſtituuntur ab eccleſia Siſtaricenſi Pontio abbati Montis-majoris quædam eccleſiæ, quas idem Pontius in excambium eidem dimiſerat.

III. Willelmus II. an. 1174. memoratur in charta Bermundi electi, tranſigentis cum Stephano canonico templi Domini, & adminiſtratore domorum Provincialium. Anno 1202. ſubſcripſit teſtis compoſitionis inter Ildefonſum II. & Guillelmum comitem Forcalquerii. Idem forte ac W. præpoſitus Siſtaric. teſtis in charta fundationis abbatiæ de Tornamira, facta anno 1205. XII. cal Maii. Vide in abbatia Caleſii.

IV. Gebanolius 1232. Hoc ſolo nomine deſignatur præpoſitus in libro Viridi epiſcopi Siſtar.

V. B. anno 1234. & canonici componunt cum *Radulpho R *. epiſcopo de jure collationis ſacriſtiæ.

VI. M. anno 1246. & canonici hortum epiſcopo concedunt ut poſſit domum epiſcopalem conſtruere, & reſidere.

VII. Raimundus I. in charta Willelmi Romanorum imperatoris in gratiam Imberti epiſcopi nominatur quondam præpoſitus an. 1251.

VIII. B. 1255. memoratur in charta unionis eccleſiarum ſancti Johannis de Behons, & ſancti Martini de Nogueriis menſæ epiſcopali.

IX. M. in tranſactione O. Vapicenſis epiſcopi cum epiſcopo Graſſenſi 1259.

X. Petrus Bono præpoſitus 1266. fuit teſtis donationis factæ Alano epiſcopo per Bertrandum & Raimundum de Mura fratres anno 1269. Legitur adhuc præpoſitus 1270.

XI. Jacobus Buegmundi, vel Raimundi, ut in aliis chartis anni 1285. tranſigit cum Girardo de Puymichel epiſcopo, cui ipſe & canonici dimittunt pripratum ſancti Vincentii & ſancti Michaëlis Genſiaci, cum omnibus juribus & pertinentiis. Anno 1303. memoratur in charta eccleſiæ Ebredunenſis.

XII. Sebaſtianus, *al.* Stephanus, legitur præpoſitus ſub Petro de Alamannono. Teſtis fuit in charta Ademari epiſcopi Maſſilienſis an. 1325. ex lib. Viridi epiſcopi Maſſilienſis. Cognominabatur *de Pinu*, fuitque viceauditor generalis papæ, ex ſchedis Lud. Ant. de Ruffi.

XIII. Raimundus II. Ripert præpoſitus Siſtaricenſis, vicariuſque generalis Johannis Filleti epiſcopi Aptenſis an. 1396. Memoratur circa annum 1414. in compoſitione facta inter capitulum Siſtaricenſe & fratres Minores; ex ſchedis viri clariſſimi domini d'Ache. Anno 1416. die 10. Decembris interfuit, Siſtaricenſis capituli nomine, concilio Provinciæ in civitate Aquenſi, de mandato regis Ludovici congregato, a quo nonnulli ex patribus ad concilium Conſtantienſe delegati ſunt. Item anno 1423. die 4. menſis Martii præſens fuit confirmationi jurium Forcalquerienſi capitulo a Roberto de Furno epiſcopo Siſtaricenſi conceſſæ.

XIV. Pontius Snati anno 1430.

XV. Johannes I. Eymerici 1526.

XVI. Garetius Catin.

XVII. Johannes II. Chanut.

XVIII. Andreas Chanut frater Johannis.

XIX. Jacobus II. Renaud ſacræ theologiæ doctor anno 1682.

XX. Jacobus III. Renault ab octo circiter annis hactenus præpoſitus in eccleſia Siſtaric.

ABBATIÆ DIOECESIS SISTARICENSIS.

DE veteribus primum agemus monaſteriis quæ multis a ſeculis exolera ſunt. Poſtea de iis quæ aut adhuc ſuperſunt, aut pene noſtro deſtructa ſunt ævo.

I. Bodanenſe. *Bevens.*

I. Antiquius monaſterium cujus ad nos pervenerit memoria, eſt Bodanenſe. Honoratus Bouche in hiſtoria Provinciæ l. 4. c. 4. teſtatur locum quemdam diœceſis Siſtaricenſis prope comitatum Saltus ab incolis dictum Vallem-Badonenſem, vernacule *Baudoneiſe*; quo in loco Badonenſe monaſterium antiquitus ſitum fuiſſe arbitratur. De primordiis hujus monaſterii nihil ſcimus. Exſtabat jam ſexto ineunte ſeculo, quo tempore ſanctus Marius ab hujus loci monachis abbas electus eſt. Hujus ſancti viri memoriam celebravit Dynamius Patricius, ejus vitæ ſcriptor impenſe laudatus a S. Gregorio papa in epiſtolis. Ejuſdem quoque meminit alter Gregorius Turonenſis l. 6. hiſt.

vulgo *du Sanis.*

Capp. 7. & 11.

S. Marius, mediocri parentela genitus, civis Aurelianenſis fuit. Hic in monaſterio quod ibidem eſt, factus monachus, (forte in Miciacenſi) *ab ineunte ætate monachalibus diſciplinis eruditus puer, & factus juvenis bene operando Deo ſtuduit militare; cum autem in præfato monaſterio ſicut lilium inter ligna ſilvarum, inter fratres clareſceret, Gundobadi Burgundionum principis conſenſu a fratribus Bodanenſis cœnobii, quod eſt ſitum in Siſtaricenſi epiſcopatu, in patrem eligitur; cujus electio, Johannis qui tunc Siſtaricenſi eccleſiæ præerat, auctoritate roboratur, divina hoc providente & favente clementia, ut qui bene ſe rexerat, aliis quibus regimen neceſſarium erat, præficeretur. Quid plura? ad jam dictum monaſterium adducitur, & a ſuo pontifice in abbatem communi fratrum voluntate conſecratur.* Hæc abbreviator vitæ ipſius Marii a Dynamio Patricio olim ſcriptæ.

Ex his autem intelligitur Marium abbatem

Bodanenſem factum ante annum 509. ad quem A uſque Gundebadus Burgundionum rex Gunderici natus, Chilperico Clotildis patre, Godomaro & Godegiſilo fratribus exſtinctis, regnum, quod cum ipſis anno 473. partitus fuerat propagavit. Addit ſcriptor ejuſdem vitæ, ſexto cal. Feb. ſanctum abbatem migraviſſe ad Chriſtum; quam vitam ex manuſcripto breviario Bollandus eruit. A Lucretio Dienſi epiſcopo, cui diſcipulo ſuo Italiæ mala vaticinatus fuerat, ſepultus eſt, anno quidem incerto, ſed fortaſſe circa annum 550. cum Lucretius Dienſis epiſcopus legatur ab anno 541. uſque ad annum 573. *Poſt cujus felicem tranſitum*, ſcripſit Benedictinus Forcalquerienſis anonymus, *cum annorum luſtra plurima fluxiſſent, & quarumdam ſavarum gentium crudelitate tota Gallia ſuis habitatoribus fere deſtituta haberetur, & Chriſti monaſteria luctu perpetuo flenda in eremum verſa fuiſſent, a quibuſdam viris corpus præfati viri Dei ab eccleſia Bodanenſi ſublatum, ad hoc oppidum Forcalcarienſe Deo diſponente delatum eſt, &c.* Hæc S. Marii tranſlatio facta eſt ab Arnulfo epiſcopo Siſtaricenſi, ut ſcribit Honoratus Bouche in loco ſupra citato. Reliquiæ ſacræ illatæ ſunt in eccleſiam Forcalcarienſem, ſancti Marii nomine dehinc appellatam, eamque olim tenuiſſe Benedictinos colligitur ex hiſce verbis: *Audiant illi qui in hac eccleſia Deo & ſancto Mario morum ſtabilitatem promiſerunt, &c.* Alludit enim ad verba regulæ ſancti Benedicti cap. 58. Eſt etiam ſancti Marii vicus ab eccleſia ſic dictus, in valle de Cornillon, ſub archipreſbytero vallis Bodonenſis (vulgo *Val-Benoiſt*) in diœceſi Siſtaricenſi, iſque vicus dicitur vernacule *ſaint May*.

lib. de mirac. S. Marii.

Baxus chronogr. l. 4. c. 2. part. 4.

Paulo poſt ſancti Marii mortem Bodanenſe monaſterium deſtructum eſt in communi Italiæ (& vicinarum provinciarum) clade, quam vir ſanctus prænuntiarat. Reſtauratum fuit tempore Caroli Magni a Johanne II. Siſtaricenſi epiſcopo; perduravitque ad ſeculum X. quo ſancti Marii corpus Forcalquerium tranſlatum eſt. Monachos Bodanenſes ſaltem aliquos cum ſacro corpore Forcalquerium migraſſe, ibique monaſterium condidiſſe veriſimile eſt; cum ibidem fuiſſe monachos, & quidem Benedictini inſtituti manifeſtum ſit. Ex Bodanenſi abbatia, lapſu temporis factus eſt prioratus, qui pendet ab Inſulæ-Barbaræ monaſterio, diſſitus quatuor circiter leucis a Siſtarico ad occidentalem partem. Ceterum ex abbatibus Bodanenſibus poſt ſanctum Marium nullus ad noſtram notitiam pervenit.

V. ſec. I. Ben. p. 108.

II. Baulenſe.

Seculo IX. ineunte Johannes epiſcopus Siſtaricenſis jam laudatus, fundavit regulare monaſterium in eccleſia ſanctæ Mariæ, in loco ſuæ diœceſis Baulis* dicto, *una cum conſilio & adjutorio domini noſtri . . . . . Karoli piiſſimi Auguſti.* Chartam fundationis ex chartario Pſalmodii in Occitania eruit D. Claudius Eſtiennot, & ſuis de re diplomatica commentariis inſeruit D. J. Mabillonius; ſumma ejus eſt: Datas a Johanne eccleſias ſanctæ genitricis Dei Mariæ, ſancti Johannis-Baptiſtæ cum antiquo baptiſterio, S. Stephani, &c. in comitatu & epiſcopatu Siſtaricenſi, ſub monte in loco qui dicitur Baulis,

* Baux.

p. 614.

cum omnibus quæ ibidem erant juris Siſtaricenſis eccleſiæ, ad condendum regulare monaſterium pro monachis ſanctæ converſationis beati Benedicti regulam obſervantibus, ubi conſtituit abbatem nomine Ademarum cum duodecim fratribus. De hoc cœnobio nihil ultra ad nos pervenit, niſi quod unicum legitur Pſalmodienſi.

III. Conoquarienſe.

De Conoquorienſi monaſterio loquitur ſcriptor Burellanus, cui fane in omnibus quæ de eo ejuſque exordio refert, non debetur fides: attamen hoc monaſterium exſtitiſſe dubitari non poteſt; *Ipſe namque Johannes* (Siſtaricenſis epiſcopus, inquit hic ſcriptor) *dedit Deo & ſancto Petro Cluniacenſi, Podium Conogorienſe de patrimonio ſuo: & ibi exſtruxit eccleſias; unam in honore B. Mariæ, & aliam in honore ſancti Johannis-Baptiſtæ, in qua idem epiſcopus ſepultus eſſe videtur; & alia multa fecit ibi.* Non appoſuit annum. Columbus aſſignat 965. aliamque donationem affert monachis illis factam anno 1013. *Unicuique homini, quamdiu vivit, de rebus quas poſſidet ſervire Deo convenit. Igitur ego in dicto nomine Bonifacius dono aliquid de rebus mei juris ſacroſancto & venerabili loco Cluniaco, in honore beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ubi dominus Odilo abbas præeſſe dignoſcitur, pro remedio animæ meæ & parentum meorum. Sunt autem ipſa res ſita in comitatu Siſtaricenſi, in villa quæ dicitur Petruxo, totum & ad integrum, quantum inibi mihi portio obvenit. Confirmans ſcilicet primam donationem quam pater meus Lambertus, & mater mea Salburgis nomine, prius de illa hereditate fecerunt; ea videlicet ratione ut fratres de Cluniaco, qui habitaverint in loco ſancta Mariæ Conacorienſis, teneant & poſſideant. Si vero, quod abſit, ipſum locum a Cluniaco aliquis ſeparaverit, mea illa hereditas Cluniacenſibus fratribus ſemper ſubjaceat ſine ulla contradicente perſona. Sane ſi quis, ego, aut aliquis de filiis aut parentibus meis, hanc chartam, quam libenti animo feci, contradicere voluerit, iram Dei omnipotentis & omnium Sanctorum incurrat, ſi non emendaverit; & charta iſta ſemper ſtabilis permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Facta charta iſta anno Dominicæ incarnat. MXIII. feliciter regnante Roberto rege. Sign. Bonifacii & uxoris ejus Conſtantiæ, qui chartam iſtam fieri rogaverunt, & manu propria firmaverunt. Sign. Arnulfi. Sign. Lamberti. Sign. Raimbaldi. Sign. Boſo. Sign. Pano. Sign. Pontius. Sign. Johannes. Frater Robertus ſcripſit. Sign. Lanterio. Ego Pontius presbyter.*

Modo de abbatiis adhuc exſtantibus, aut non ita pridem everſis agendum.

Abbatia de Lura.

Monaſterium B. Mariæ de Lura, ad radices Montis-Lotherii, duabus circiter leucis ab urbe Siſtarico diſtans ad occidentalem partem, initia ſua debet ſancto Donato, ſancti Marii Bodanenſis abbatis diſcipulo, de quo Ado in ſuo martyrologio, his verbis: *In Galliis pago Sigiſterico in monte qui dicitur Lura, natale S. Donati presbyteri, qui ab ipſis infantiæ rudimentis mira Dei gratia præditus, ex urbe Aurelianenſi ad*

præfatum locum, ut ſoli Chriſto vacaret adiens, anachoreticam illic vitam multis annis exegit..... cumque dies vocationis ejus inſtaret, adveniente ſancto abbate Mario, cui ita fuerat revelatum, inter verba orationis migravit ad Chriſtum. Tametſi paulo aliter ſancti Marii vita: *Illud autem memorabile prædictis eſt inſerendum, quod cujuſdam Donati ſervi Dei tranſitum, abſens corpore, præſens ſpiritu cognovit, & cognitum fratribus cum lacrymis publicavit. Quidam autem ex his qui aderant probare volens, utrum viri Dei viſio veritate niteretur, miſit ad locum in quo jam dictus Donatus Deo militaverat, & legati aſſertionibus, ut vir Dei prædixerat, ita eſſe cognovit.* Quæ videntur conciliari poſſe, Mario etiam ad imminentem amici tranſitum profecto. Porro circa montem *Luram*, cui etiam antiquitus nomen fuit *Lucrio*, quoddam territorium etiam nunc vocatur ſancti Donati Cumba, ut teſtatur H. Bouche, hiſtoriæ l. 4. c. 4. idemque affirmat multis in locis Provinciæ diſperſas ejus reliquias, quamdamque parochialem eccleſiam Ebreduni S. Donato ſacram eſſe. Monaſterium hoc deſtructum Adelais comitiſſa Forcalquerienſis ceſſit Geraldo epiſcopo ſeculo XI. tandemque reſtauratur a Fulcone de Alſonicis, & aliis dominis, qui anno incerto, ſed ante 1170. in manu Petri de Sabrano [a] epiſcopi Siſtaricenſis, locum de Lura Guidoni abbati Boſcodunenſi, in Ebredunenſi pago & diœceſi contulere, ex cujus tabulario ſequens deſumta donationis charta:

Fulco de Alſonicis, Frezols, & Rambaudus ejus frater, ac nepos Raimundus Laltir, Undebertus de Valle, ac frater ejus Guillelmus, & filii ejus Leodegarius, & Undebertus, Bertrandus de Graveſon, Guillelmus de Montelauro, & Leodegarius frater Elfandi, donaverunt Deo & Guigoni abbati Boſcodonenſi & habitatoribus ejuſdem loci, &c. pro redemtione animarum ſuarum & parentum ſuorum, locum de Lura, ſicut ipſius terminos poſuerunt, in præſentia domini Petri Siſtericenſis epiſcopi. Hujus donationis teſtes ſunt idem Petrus epiſcopus, in cujus manu donatio facta eſt, &c.

Donationem hanc laudavit, probavitque comes Forcalquerii his litteris, ex tabulario Boſcodunenſi.

Ego Guillelmus comes Forcalquerii, & frater Bertrandus pro remedio animæ & parentum meorum, dono, laudo & concedo Guigoni abbati de Boſcodun (vel Boſcaudum) & fratribus ibidem Domino ſervientibus, & ſucceſſoribus eorum, locum in Lura juxta fontem de Martarol, ad conſtituendam abbatiam, ad laborandum in eadem in montanea quantum opus fuerit, ad nutriendum ubique in terra mea, &c. Hac donatio facta eſt in burgo Manuaſca in clauſtro B. Mariæ. Teſtes hujus donationis ſunt frater Hugo Villebis [b] archidiaconus Siſtaricenſis, &c. Girandus ſacerdos hanc chartam ſcripſit.

Guillelmus IV. comes Forcalquerii nepos prioris Guillelmi, de quo ſupra, dona ſui avi confirmavit, auxitque, ut legere eſt in ejuſdem diplomate, ubi recenſentur prædia, jura, &c. ad hoc cœnobium jam tum pertinentia. Johannes Columbi l. 4. de epiſcopis Siſtaricenſibus, meminit litterarum Alexandri papæ IV. datarum anno 1255. ex quibus liquet monaſterium tunc habuiſſe, præter locum in quo poſitum erat, diverſas eccleſias, & alia; *ſanctam Mariam de Reali, ſanctum Petrum de Lampſone, ſanctum Geraldum de Podiopino, ſanctam Mariam de Dumano, ſanctum Petrum de Roceto, ſanctum Nazarium; eccleſias Roche, de Vols, de Clauſſone, de Clavacumba, multaque prædia & jura, Maſſilia, Aquis-Sextiis, Manuaſca, Forcalquerii, Miſona, Ribiezi, Moliore, Reliana, Curelli, Monlauri, Reveſti, Alſonicis, in Fanis Michaëlis & Stephani, aliiſque in oppidis & pagis.* *Vide prob. C. IV. pag. 90. col. 1. n. 5.*

Anno 1318. Johannes XXII. univit hanc abbatiam certis conditionibus, capitulo Avenionenſi. *Vide prob. C. V. p. 90. col. 2.*

Paucos duntaxat abbates ex chartis collegimus, quos hic damus.

SERIES ABBATUM.

I. Hugo I. abbas memoratur in Bermundo de Anduſia epiſcopo Siſtaricenſi, anno 1174. Præerat adhuc anno 1183. quo Bernardus Siſtaricenſis epiſcopus Boſcoduno confirmavit abbatiam de Lura. Ejuſdem etiam meminit Guillelmus IV. comes Forcalquerienſis in ſuo diplomate. Poſtea fuit abbas Caleſienſis. Idem eſt ac Guido memoratus in Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum, qui etiam legitur Guigo. *Vide prob. C. IV. pag. 90. col. 1.*

II. Imbertus recenſetur abbas Luræ poſt Hugonem in ſupra laudato Guillelmi IV. diplom.

III. Roſtagnus regebat tempore quo Guillelmus IV. dedit diploma commemoratum, pro Lurenſi cœnobio anno 1207. Idem Roſtagnus fuit teſtis in charta fundationis abbatiæ de Tornamira an. 1205. Vide in abbatia Caleſii, diœceſis Gratianop.

IV. N. abbas Luræ anno 1285. intereſt concilio Rejenſi. Vide in Petro IV. epiſcopo Siſtaricenſi.

V. Iſnardus de Malo-vicino* nobili gente natus, jam anno 1307. menſe Martio teſtis legitur in charta Jacobi Siſtaricenſis epiſcopi pro cœnoboi Andaonenſi. Præerat adhuc an. 1346. *de Mauvoiſin.

VI. Aſtorgius abbas de Lira, forte de Lura, Cluniacenſis ordinis 1395. 9. Decembris, interfuit judicio Johannis tituli ſancti Vitalis de Marolio, & Petri tituli ſanctæ Suſannæ de Tureyo preſbyterorum cardinalium, quo Alziarus Alberti miles, dominus de Thoro in viginti francos damnatus eſt in favorem Guillelmi abbatis ſancti Andreæ, pro damnis quæ intulerat caſtro de Thodone.

VII. Andoinus Giraudi anno 1417. die 15. Januarii jurat obedientiam Roberto Siſtaricenſi epiſcopo, *ſalvo jure eccleſiæ Avenionenſis*, propter unionem factam anno 1318. Idem anno 1423. promittit juratque fidem Roberto de Furno epiſcopo Siſtaricenſi.

VIII. Bertrandus Iſtandolatii vel Standolacii* prior clauſtralis cathedralis Avenionenſis & abbas, *Standolas.

[a] Fuit epiſcopus ab anno 1142. ad 1169.
[b] Bouxus legit, *frat. Hugo. Guillelmus archidiac. Siſtaric.*

Digitized by Google

abbas, anno 1456. die 5. Decembris, jurat obedientiam, ſede vacante, vicario generali eccleſiæ Siſtaricenſis, ex libro Viridi.

IX. Gervaſius Stavonqui abbas de Lura, ex tabulis Aquenſibus circa annum 1505.

X. Antonius de Beraudin abbas beatæ Mariæ de Lura anno 1543.

XI. Johannes Aimini circa annum 1601.

Cauts. ABBATIA S. MARTINI CROSSIENSIS canonicorum Regularium.

Honoratus Bouche in chronographia Provinciæ l. 4. c. 2. par. 4. ait ſe alicubi reperiſſe fundatam fuiſſe hanc abbatiam a Raimundo Berengario comite Prov. & Forcalquerii. Plurimi fuerunt Provinciæ comites hoc duplici nomine inſigniti, quorum priorem collocat Honoratus Bouche anno 1100. At vero jam diu antea fundata erat Croſſienſis eccleſia, ut liquet ex epiſtola 67. libri 1. Gregorii VII. ad Giraldum Siſtaricenſem epiſcopum ſcripta an. 1074. ubi etiam legimus eam jam tum ſingulari hoc privilegio donatam fuiſſe, ut a juriſdictione epiſcopi libera foret; quippe quæ eſſet de jure ſancti Petri. Quapropter Gregorius papa redarguit Geraldum epiſcopum, quod illam eccleſiam liberam ſibi ſubjugare tentaſſet. Addit tamen: *Si autem te aliquam juſtitiam in præmiſſa eccleſia habere exiſtimas, ad nos cito cum prælibatis canonicis noſtris venias, ut juſtitiam in præſentia noſtra recipias.* Vides jam anno 1074. eccleſiam Croſſienſem a canonicis fuiſſe poſſeſſam. Verum in Gregoriana epiſtola nullibi fit mentio abbatis, aut præpoſiti, aut canonicorum Regularium; idcirco nihil obeſt quominus Raimundus Berengarius comes Provinciæ ineunte ſeculo duodecimo, eccleſiam illam abbatiam fecerit, aſſignatis novis fundis, & canonicos Regulares, qui ibidem Deo famularentur, accerſiverit.

p. 136.

SERIES ABBATUM.

I. Anno 1179. nobis occurrit Bernardus abbas Croſſienſis. Anno 1207. regebatur per præpoſitum; legimus enim Bermundum Siſtaricenſem epiſcopum hoc tempore conceſſiſſe eccleſiam de Y bonicis præpoſito & canonicis Croſſienſibus.

II. P. abbas Croſſienſis anno 1186. quo, die VII. cal. Julii ad ejus nominationem P. Siſtaricenſis epiſcopus eccleſiam ſancti Juliani de Ferraceriis contulit Roſtagno Alfanti ſancti Andreæ monacho. Anno 1185. abbas Croſſienſis tacito nomine intererat concilio Regenſi. Fortaſſe vero hic eſt Petrus Giraudi, qui an. 1199. die 6. Maii, emit *a nobili viro domino Bertrando de Baucio domino Corthezonis, medietatem caſtrorum de ſancto Vincentio, de Gentiaco, de Malcar, & de Acrimonte, Siſtaricenſis diœceſis ..... & breviter quidquid dominus Amelius de Agoute quondam dominus de Curbano habebat, &c.*

Bouche p. 138.

Imo vero forſitan idem eſt Petrus, qui anno 1301. die 28. Octobris, indictione XV. medietatem caſtri de Turre a Raimbaudo Guarnerii de Manuaſca acquiſiviſſe pridem memoratur. Et certe hoc anno conſulti P. Siſtaricenſis, G. Maſſilienſis & Sa.* Forojulienſis epiſcopi & Rainaudo de Lecco milite, Provinciæ & Forcalquerii ſeneſcallo, num acquiſitionem hanc, ut pote factam in damnum curiæ regiæ, eo quod in manum mortuam talis emtio deveniret, laudare vel infirmare deberet, certis conditionibus ratam habuerunt, hac imprimis, quod abbas præſens & futuri ſingulis 30. annis homagium & fidelitatem regiæ curiæ præſtare tenerentur. Annuerunt abbas & viginti circiter monachi, ſinguli fere cujuſdam eccleſiæ priores.

* f. Jo. hoc eſt Jacobus.

Ex archivo Aquenſi regio, in regiſtro pergam. fol. 142.

III. Guillelmus Giraudi abbas Croſſienſis anno circiter 1329. fecit homagium ligium & fidelitatis, coram Johanne de Aqua-blanca milite, comitatuum Provinciæ & Forcalquerii ſeneſcallo, pro Roberto rege.

Bouche pag. 538.

IV. Robertus Siſtaricenſis epiſcopus, abbas etiam erat Croſſienſis anno 1418. & Galberti canonici Croſſienſis prioriſque Sparronis ſacramentum accepit.

V. An. 1456. Mitrius Gaſtinellus epiſcopus Siſtaricenſis egit apud Calixtum Romanum pontificem, ut Croſſienſe monaſterium uniretur eccleſiæ Siſtaricenſi, quod & perfectum eſt. Itaque ut abbatum ſeries ab hoc anno uſque nunc, haud interrupta habeatur, conſulendi ſunt epiſcopi Siſtaricenſes, quorum certe hos abbatis titulo inſignitos in ſchedis domini de Maſaugues reperire licuit.

VI. Laurentius Burellius an. 1502. quo die 13. Julii cenſus & ſervitia ſibi ab incolis de Croſſia debita, monaſterio dimiſit in reparationem eccleſiæ abbatialis, necnon parochialis, quandiu ſcilicet hic abbas viveret

VII. Aymericus de Rochechouard 1559. uti mox videbimus, & 1566. quo die 10. Julii prædia quædam locavit.

VIII. Tuſſanus de Glandeves regis conſiliarius in ſanctiori ejus conſilio an. 1619. eundem regem commonet eccleſiaſtica bona alienari non poſſe, quod tamen Aymericus de Rochechouard anno 1559. 1. die Maii facere haud veritus fuerat, alienando ſcilicet dominium de Turre *les Beuvons*, Croſſienſis abbatiæ proprium. Itaque rex hanc præter edicta regis factam alienationem mox irritam declaravit. An. vero 1628. die 31. Auguſti, idem Tuſſanus vicariam fundaverat Croſſienſem, cui magiſtrum Georgium Bernard præfecerat. Sub ejus etiam regimine anno 1617. menſæ capitulari Croſſienſis monaſterii bellorum ſtrage prope diruti prioratus de Turre unitus a ſummo pontifice fuerat.

IX. Antonius d'Arbaud anno 1660. 10. die Martii ab eleemoſynarum generalium onere exemtus eſt ſententia judiciali juxta conſtitutionem Caroli IX. anno 1572. a talibus eleemoſynis beneficiorum eccleſiaſticorum poſſeſſores liberantem, pro qua regi perſolvunt decimam.

X. Ludovicus de Thomaſſin 1686.

CLARISSARUM PARTHENON

Anno 1285. monaſterium Clariſſarum extra civitatem Siſtaricenſem juxta conventum fratrum Minorum ædificari cœptum eſt, illuc ſe conferente Gerarda * de Sabrano abbatiſſa

* al. Giraudæ.

monaſterii Avenion. ejuſdem ordinis. Tranſlatum eſt autem in urbem an. 1360. propter bella, vel Druentiæ inundationes, queis olim ſuffocatas virgines plures, & everſam monaſterii partem teſtatur inſcriptio. Porro licentiam fundandi hujus cœnobii dedit Carolus primogenitus regis Jeruſalem & Siciliæ, comitis Provinciæ &c. princeps Salerni, litteris datis XI. cal. Auguſti anni MCCLXXXII. quam rex & comes factus confirmavit anno 1290. Non ſolum conſenſum præbuere Siſtaricenſes, ſed etiam, *univerſitas hominum de Siſtarico, more ſolito voce præconis in parlamento publico congregata*, ſupplex petiit ut Girauda de Sabrano Avenionenſis abbatiſſa ad hoc pium opus quantocius Siſtaricum accederet. Anno 1464. abbatia ſancti Petri de Subripis ordinis ſancti Benedicti diœceſis Vapincenſis huic parthenoni eſt unita.

Vide prob. C. VI. pag. 21. col. 2.

Ibid. p. 92.

Abbatiſſarum nomenclaturam e veteribus monumentis eruit R. P. Pagi ordinis FF. Minorum miniſter provincialis. Quiquidem an. 1692. 1. die Martii ſuum jus in parthenonem tranſmiſit in epiſcopum Ludovicum de Thomaſſins ex ſchedis D. de Maſaugues.

SERIES ABBATISSARUM.

Prima quæ occurrerit viro erudito, eſt Beatrix de Siſtarico, memorata in inſtrum. an. 1314.

II. Beatrix II. de S. Vincentio annis 1338. & 1340.

III. Johanna I. de Medullione electa an. 1440. memoratur in bulla Nicolai V. anni 1458. Ejus tempore an. 1464. auctum eſt monaſterium unione abbatiæ ſancti Petri de Subripis. Probant tabulæ Johannam adhuc præfuiſſe anno 1468.

IV. Ludovica I. de la Grolée cujus memoria in actis publicis annorum 1478. 1486. 1494. 1496. quo obiit. Ex ſchedis D. Edmundi Martenne ejus meminit Sixtus IV. in bulla data an. 1475. die 19. Januarii.

V. Catharina de la Grolée electa anno 1496. confirmatur a provinciali fratrum Minorum conventualium, litteris datis Uceziæ die 1. Maii ejuſdem anni, in quibus legitur promota ad hanc abbatiam vacantem *per mortem venerabilis & nobilis ſororis Ludovicæ de la Grolée, olim abbatiſſæ*. Hominium præſtitit pro Subripis anno 1497.

VI. Maria de Caſtelleto 1509. electa & confirmata a miniſtro provinciali ordinis menſe Martio; memoratur adhuc in tabulis ann. 1511. 1521. & 1538. D. Edmundus Martenne Mariæ ſufficit Magdalenam Grille, nec aſſignat quo tempore præfuerit. Omittit autem Philippam de Monboiſſier & quaſdam alias.

VII. Philippa de Monboiſſier an. 1540. a rege Chriſtianiſſimo deſignata comparet in actis. Diem clauſit extremum eodem anno, die 21. Julii, poſt Druentiæ reſtagnationem, qua pleræque moniales ſunt ſubmerſæ.

Tunc duæ tantum moniales ſuperfuerunt, quarum una alteram Franciſcam de Monet abbatiſſam elegit, quam inſtituit provincialis miniſter die 23. Julii anni ejuſdem 1540. *donec aliud per regiam majeſtatem, aut alium ſuperiorem fuerit proviſum.* Habuit poſtea regis diploma & bullas pontificias; ſed Emerica de Bouliers, dicta Trivultia ordinis ſancti Auguſtini, a rege quoque deſtinata eſt; quod graviſſimæ litis fuit ſeminarium inter Emericam & Franciſcam. Emericam viciſſe inde judicamus, quod in tabulis memoretur die 4. Decembris anno 1556.

VIII. Ludovica II. de Bouliers a 1562. ad 1592.

IX. Anna de Rouſſet, electa a monialibus an. 1595. confirmataque a patre provinciali, poſtea chirographum regis obtinuit. Exceſſit e vita 19. Octobris 1616.

X. Johanna II. (*al.* Anna) de Bonne, *al.* d'Auria, Annæ coadjutrix fit anno 1611. regia ſchedula, & per bullam pontificiam ejuſdem anni datam die 22. Novemb. Poſt mortem Annæ rexit uſque ad annum 1651.

XI. Magdalena I. du Soir, *al.* de Gruielle de Sais, eodem anno deſignatur abbatiſſa litteris regiis datis Auguſtoriti Pictonum die 14. Novembris. Bulla acceſſit pontificia data Romæ die 10. Januarii anni 1652. Ceſſit die 29. Januarii anni 1680. obiitque 28. Maii 1686.

XII. Johanna III. de Lambert * Maynier, die ultima Dec. anni 1680. accepit a rege ſchedulam. Anno vero 1688. transfertur ad monaſterium Azihenſe, diœceſis Narbonenſis, ejuſdem ordinis S. Claræ.

* *al.* Maynier Lambert.

XIII. Magdalena II. de Berulle an. 1688. die 15. Aug. deſignata, die 30. Octob. ejuſdem anni adepta eſt poſſeſſionem. E vita migravit die 7. Martii anni 1710.

XIV. Clementia de Sallemal * de Reſſis nata Viennæ ex illuſtri & antiqua familia, alumnaque parthenonis S. Claræ, deſignatur a rege 19. Aprilis anni 1710.

* Sallemare

MONITUM.

IN præpoſitis Aquenſis eccleſiæ col. 344. poſuimus Franciſcum de Fargues, cui de nova hac dignitate gratulatam eſſe totam academiam Pictavienſem accepimus. At vivit adhuc Benjamin de Juliac meritiſſimus hujus eccleſiæ præpoſitus.

Digitized by Google

22 30 23 SEMEN

PARS PROV. VIENNE

Monast. Adhemari

DIOECESIS

Vivarium

30

Burgum St. Andeo

TRICASTINENSIS

S. Ambrosius

Pons S. Spiritus

Castr. de Buzo

DIOECESIS ARAUSICANA

Vasio

Aletia

PROVINCIA

Ucetia

Carpentoracte

S. Andreas Andaonensis

44

AVENIO

Insula

Nemausus

PROVINCIA NARBONENSIS

PROVINCIA VIENNENSIS

Apta Jul.

Cabellio

Silva Cana O. Cist.

Castrum Mont Maiour

Castrum de Lambesca

DIOECESIS VENSIS

Magnanum de Castr. St. Mis de 1188

30

S. Gabriel

B. Maria de Nazareth O. S. Dom.

MASSILIA

I. St. Stephani

I. Pomegues

B. Maria de Ybalenis O. Præmonst.

MARE

Notæ Sequentes designant Dignitates Ecclesiasticas.

- Sedes Archiepiscopales.
- Sedes Episcopales.
- Abbatias Virorum.
- Abbatias Mulierum.
- Abbatias non amplius extantes vel loco mutatas

Litteræ Sequentes designant varia Nomina ordinum &c.

- O. S. B. ordinem St. Benedicti
- O. Cist. ordinem Cistercienſem.
- O. Præmonst. ordinem Præmonstratenſem
- O. S. Cl. ordinem St. Claræ.
- C. Deſignat loca ubi habita Sunt Concilia

Cast. Castrum. R. Rivus.

45

OCCIDENS

22 30 23 MER

TENTRIO 30 24 30

GALLIÆ CHRISTIANÆ

PROVINCIA ECCLESIASTICA ARELATENSIS

Continens Dioeceses
Arelatenſem, Maſſilienſem, Tricaſtinenſem, Telonenſem & Arauſicanam.

Deſcripta a J.B. Nolin Regii Geographi filio.

Scala Leucarum

Leucæ Provinciæ.

Leucæ majores Gallicæ

Leucæ Horariæ.

ENSIS

Vapincum

Mons Albanus

Siſtaricum

Simiana

Civitas Forcalquier

Rejas

Castrum de Peirluis

Vinc Forti

Castrum de Aps

Barjols

Fauentia

Forum Julii

Brignolles

Trop

Le Cap de Bregançon

I. de Porquere

I. de Port Cros

Insulæ Arearum *olim* Stœchades

MEDITERRANEUM

ORIENS

IDIES 30 24

GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

PROVINCIA ARELATENSIS,

cujus metropolis Arelate.

ARELATE vel ARELATÆ urbs antiquiſſima Galliæ Narbonenſis, ad ripam Rhodani ſita, colonia populi Romani, dicta fuit *Sextanorum*, quod olim milites ſextæ legionis eo deducti ſtationem habuerint, ut Mela, Plinius, Suetonius in Tiberio, Ptolemæus, Strabo, ceterique geographi tradidere. *Colonia Arelate* ſimpliciter in veteri inſcriptione legitur. *Col. Arelat. ſextan.* in nummo Caii Cæſaris. Thelinen olim nuncupatam a Græcis memoriæ prodit Feſtus Avienus, hoc eſt *mamillarium* [a], quod nomen forte obtinuit propter terræ ubertatem, aut urbis formam. Arelatis meminerunt quoque ſanctus Auguſtinus l. 1. c. 6. contra epiſtolam Parmeniani; Iſidorus, qui eam vocat *nobiliſſimum oppidum*; Prudentius poëta, apud quem legimus: *prapollentem Arelatem.* Caſſiodorus item libro 8. Variarum epiſt. 11. Fortunatus l. 3. c. 2. Gregorius Turonenſis paſſim. Illam *Gallulam Romam* Auſonius nominat, duplicemque, quod interfluente Rhodano olim divideretur, quamvis pons utramque fluvii ripam conjungeret; uti etiam eleganter ab eo deſcribitur:

Pande duplex Arelate tuos blanda hoſpita portus,
Gallula Roma Arelas; quam Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.
Præcipitis Rhodani ſic interſiſa fluentis,
Ut mediam facias navali ponte plateam.
Per quem Romani commercia ſuſcipis Orbis,
Nec cohibes, populoſque alios & mœnia ditas:
Gallia quis fruitur: gremioque Aquitania lato.

Ammianus Marcellinus Arelatem etiam lib. 25. *multarum civitatum decus* appellat; & apud Philoſtratum in vitis Sophiſtarum, dicitur civitas ad Eridanum Galatarum Heſperiorum; ſed in codicibus emendatioribus legitur ad Rhodanum.

Nomen hujus urbis nonnulli derivant ab *ara elata* Deorum, aut *ara lata*; alii ab *Arelo* vel *Arela* ejus fundatore fictitio, &c. Verum qui veterum Celtarum linguam norunt, quam multum affinem dicunt linguæ Britonum, aiunt *Arelate* ſignificare urbem in paludoſo ſolo conditam, quod Arelati convenit. Hanc urbem Conſtantinus Magnus ita dilexit, ut eam ſuo nomine donaverit, voluerintque appellari *Conſtantinam*. Hanc Valentinianus & Honorius principes ſpecialibus privilegiis *matrem omnium Galliarum* appellando commendarunt. Quocirca Joſephus Scaliger in lectionibus Auſonianis: *Arelatem*, inquit, *non immerito Auſonius Gallulam Romam vocat, quod eſſet celeberrimum & opportuniſſimum emporium; quibus commoditatibus invitatus F. Conſtantinus tyrannus, qui tempore Honorii junioris imperatoris in Britanniis declaratus fuit, Arelate fixit ſedem imperii ſui.* Quoniam vero ad eam civitatem præfectoria ſedes tranſlata fuerat e Treveris, poſt hanc urbem a barbaris everſam,

[a] Alii volunt legendum *me-millieria*, id eſt *mater milliarium*, ſeu columnarum, quæ millia notabant.

emiſſa eſt conſtitutio de celebrando Arelate annuo conventu ſeptem provinciarum Galliæ. Hanc conſtitutionem, ut auctor eſt Antonius Dadinus Alteſerra libro 5. rerum Aquitanicarum cap. 11. perperam tribuunt Conſtantino Magno Nicolaus Cuſanus, Conſtantino tyranno Scaliger; uterque forte eo deceptus, quod in ea Arelate urbs dicitur Conſtantina; rectius enim a Sirmondo reddita eſt Honorio, ex fide veteris codicis, & juvatur imprimis teſtimonio Hincmari, qui ejuſdem auctorem commendavit Honorium. Idem teſtatur Papirius Maſſonus in hiſt. calamitatum Galliæ, quam vir doctiſſ. Andreas Quercetanus hiſt. Franc. ſcriptorum coætaneorum collectioni laborioſiſſimo operi inſeruit. Hujus autem conſtitutionis verba annotare placet, quæ Arelatenſis emporii meminerunt, & ſoli fertilitatem mire deſcribunt: *In Conſtantina urbe,* (Arelate) *jubemus annis ſingulis eſſe concilium. Tanta eſt enim loci opportunitas, tanta eſt copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quidquid uſquam naſcitur, illic commodius diſtrahatur. Neque enim ulla provincia fructus ſui facultate lætatur, ut non niſi hac propria Arelatenſis ſoli credatur eſſe fœcunditas. Quicquid enim dives Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Aſſyrius, quod Africa fertilis, quod ſpecioſa Hiſpania, quod fœcunda Gallia poteſt habere præclarum; ita illi exhibetur affatim, quaſi ſibi naſcantur omnia quæ ubique conſtat eſſe magnifica. Jam vero decurſu Rhodani & Tyrrheni recurſu, neceſſe eſt ut vicinum faciant, & pene conterminum, vel quod iſte præterfluit, vel ille quod circuit. Cum ergo huic ſerviat civitati quicquid habet terra præcipuum, ad hanc vel navi, vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur quicquid ſingulis naſcitur, in qua divino quodam munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præſtatur.* Eandem urbem coluit Theodoricus rex Italiæ, qui ex epiſtola 15. ad Arelatenſes, pro urbis decore & murorum ac turrium vetuſtarum reparatione, certam pecuniæ quantitatem direxit. Stante vero Occidentis imperio, ut commercio ita officinâ monetæ, crebriſque ludorum Circenſium ſpectaculis clara fuit. Unde in notitia antiqua provinciarum imperii Romani, procuratorum monetæ Lugdunenſis, monetæ Arelatenſis, & monetæ Trevirorum fit mentio. Conſtantium Auguſtum Conſtantini Magni filium, ob triceſimum imperii ſui annum, Arelati theatrales ludos & Circenſes magnò apparatu edidiſſe, auctor eſt Ammianus Marcellinus. Ibidem proximis calendis Januariis ſeptimum conſulatum iniit hic imperator, editis de more Circenſibus ludis. Meminit Apollinaris Sidonius ſpectaculi ludorum Circenſium hac in urbe dati a Severino conſule, coram Majoriano Auguſto. De theatri Arelatenſis e marmore pro ſcenis, loquitur ſcriptor vitæ S. Hilarii Arelatenſis. Adhuc viſitur in hac urbe amphitheatrum conſtans fornicibus 56. quod *arenas* vocant. A triginta circiter & quatuor annis effoſſus eſt obeliſcus exquiſiti operis, quem cives Ludovico Magno ſolemniter dicarunt. Adhuc viſuntur plurimæ veterum templorum columnæ cum ſtylobatis, & Deorum gentilium ſtatuæ, in quibus eſt Veneris ſimulacrum, egregium ſane opus, quod nunc in regio Verſaliarum palatio ſuſpicitur. Ad hanc urbem commendandam ita loquuntur Provinciæ epiſcopi in libello ſancto Leoni papæ oblato, facta mentione nominis *Conſtantina*, ipſi dati a Conſtantino Magno: *Hanc*, aiunt, *clementiſſimæ recordationis Valentinianus & Honorius fideliſſimi principes ſpecialibus privilegiis & ..... matris omnium Galliarum appellatione decorarunt. In hac urbe quicumque intra Gallias ex tempore prædictorum oſtentare voluit inſignia dignitatis, conſulatum ſuſcepit & dedit. Hanc ſublimiſſima præfectura; hanc reliqua poteſtates, velut communem omnibus patriam ſemper inhabitant, ad hanc ex omnibus civitatibus multarum utilitatum cauſa ..... concurritur.*

l. 2. ep. xj. ad Magnum.

Regnum Arelatenſe.

Arelas autem, poſtquam Romanis erepta eſt ab antiquis temporibus regno decorata, regia & palatina ſedes Burgundionum fuit, ut canit Guntherus Ligurinus de geſtis Frederici II. l. 5. his verſibus:

Quæque caput regni, ſedeſque fuiſſe vetuſti,
Fertur Arelatum, priſcorum curia regum,
Teque ſibi jungens priſco Provincia jure,
Nomen apud veteres regni, titulumque gerebat
Cujus Arelatum ſedes, & foris ab illa
Parte ferebatur.

Burgundiones primum in parte Galliæ Rheno propinqua conſtiterunt, finibuſque per vicina loca propagatis, in prima Lugdunenſi, Maxima Sequanorum, Viennenſi, Alpibus Graiis ac Penninis, & Provincia cis Druentiam imperio potiti ſunt. Prima illorum regum familia in Sigiſmundo ab Ariana hæreſi ad fidem orthodoxam converſo, monaſterii Agaunenſis fundatore deſiit, necnon in Godemaro fratre, qui a Childeberto & Clotario in fugam actus, illo regno privatur, quod in poteſtatem Francorum redactum eſt an. Chr. 532. Deinde regnantibus in Gallia Clodovei poſteris, hæc in tria regna dividi ſolebat, Neuſtriam, Auſtriam atque Burgundiam. Sub regibus Carlovingiis Carolus Lotharii Auguſti filius natu minimus, Burgundiæ maximam partem obtinuit ac Provinciam; Lugdunique ſedem regiam conſtituit anno 855. Novum Burgundiæ regnum aliquo modo fundavit Boſo, aſſumta regia corona in concilio Mantalanenſi anni 879. faventibus Lugdunenſi, Arelatenſi, Aquenſi, Tarantaſienſi, Veſontionenſi archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis.

Ludovicus ejus filius ab archiepiſcopis Lugdunenſi, Arelatenſi, Ebredunenſi & Viennenſi eorumque ſuffraganeis an. 890. electus quoque & unctus in regem. Aliunde vero Rodulfus Conradi filius quidquid eſt inter Juram montem & alpes Penninas occupavit, coronamque in cœtu quorumdam epiſcoporum & optimatum ſibi impoſuit apud Agaunum; poſtea rex appellatus ſuperioris, ſeu Transjurenſis Burgundiæ: de his, quæ delibare ſatis nobis eſt, tractat Hadrianus Valeſius in notitia Galliarum, qui conſuli debet, uti & ii qui de Provincia ſcripſere.

Nunc Arelatem ornat maxime academia regia ſcientiarum, & eloquentiæ Gallicæ erecta beneficio Ludovici XIV. anno 1668. ad formam academiæ regiæ Pariſienſis, niſi quod Pariſienſis quadraginta viris doctis conſtet, Arelatenſis vero tantum triginta.

Quod ſpectat ad ſpiritualem eccleſiaſticamque poteſtatem ſedis Arelatenſis; cùm illa auctoritas ſequi ſoleret ac imitari politicum ſtatum & principatum; poſtquam Arelate facta fuerat ſedes præfecti prætorii Galliarum, non mirum ſi Arelatenſes epiſcopi primatum ſibi ac exarchicum jus vindicarent in Narbonenſem veterem, totque provincias maxime circumpoſitas. Antiquitatem juris hujus probant 1°. epiſtolæ Fauſtini epiſcopi ad Cyprianum, & Cypriani ad ſanctum Stephanum papam, pro deponendo Martiano Arelatenſi epiſcopo, ob Novatianam qua infectus dicebatur hæreſim. Niſi enim primatum geſſiſſet hujus urbis epiſcopus in provincia Romana, non erat cur ad tranſalpinos & tranſmarinos epiſcopos confugeretur, ad multandum & dejiciendum ex epiſcopali ſede Martianum, quod præſtare potuiſſet concilium provinciale. 2°. In concilio Agrippinenſi adverſus Euphratam, primus poſt Maximinum Trevirenſem ſuffragium fert ac ſubſcribit Valentinus Arelatenſis præſul. 3°. Saturninus in ſynodo Biterrenſi plurimarum Galliæ provinciarum præſidet; nec arguitur ob uſurpatam auctoritatem.

In ſynodo Taurinenſi anni 402. contentione inter Arelatenſem & Viennenſem epiſcopum orta de primatu, *ſtatutum eſt ad pacis vinculum conſervandum, ut uterque viciniores ſibi intra provinciam vindicet civitates.* Verum Zozimus papa non multo poſt, propter fidem Galliis traditam a S. Trophimo Arelatenſi epiſcopo, hanc ſedem primatus acceſſione inſigniendam cenſuit, etiamſi prius non habuiſſet, quod non legimus a ſequentibus pontificibus revocatum uſque ad ſanctum Leonem magnum, qui ſanctum Hilarium redarguit tanquam jura metropolitanorum pervadentem. Sed de his hactenus ſatis. Recurret autem infra ſæpe occaſio de his differendi & retractandi. Concilia vero apud Arelatem ad duodecim celebrata ſunt, & pleraque in eccleſiæ ſacrario.

Templum hoc patronum ambit & habet ſanctum Stephanum protomartyrem. Seculo tamen XI. tempore Pontii de Mariniana, ſanctus Trophimus cœpit haberi pro patrono ſecundo, ut obſervabimus in Rajambaldo archiepiſcopo. Capitulum viginti conſtat canonicis; præpoſito, archidiacono, ſacriſta & archipreſbytero, qui ſunt dignitates; capiſcolo, primicerio & theſaurario, qui ſunt perſonatus; ac tredecim canonicis, quorum unus theologus eſt ac eccleſiaſtes; præter canonicos, hac in eccleſia miniſtrant viginti clerici cum ſacerdotiorum titulis. Clerus omnis majoris eccleſiæ, vitam [a] regularem canonicorum, qui ſub regula ſancti Auguſtini militant, olim amplexus fuerat; ſed hoc jugum excuſſerunt canonici anno circiter 1484. Huic metropoli ſubſunt epiſcopatus quatuor *Maſſilienſis, Tricaſtinenſis, Tolonenſis, Arauſienſis,* & olim *Avenionenſis* cum epiſcopatibus nunc ipſi ſubjectis. In diœceſi, quæ quaqua patet ad conventum vel ut aiunt, ad parlamentum Aquarum-Sextiarum pertinet, nunc exiſtant tantum duæ abbatiæ, ſcilicet Montis-majoris S. Petri prope Arelatem ordinis ſancti Benedicti, & ſancti Cæſarii feminarum ejuſdem ordinis; quarum brevem texemus hiſtoriam ſuo ordine. Sed prius operæ pretium eſt de præſulibus, qui ſedem hanc obtinuerunt, illuſtraruntque, dicere, quæ ex antiquis eccleſiæ monumentis eruere licuit; quod quidem argumentum jam tractavit Petrus Saxius in egregia commentatione, ſub titulo pontificii eccleſiæ Arelatenſis. Diptycha etiam eccleſiæ ejuſdem Arelatenſis Mabillonius analect. tom. III. p. 432. edidit. Anno tandem 1690. Ægidius Duport preſbyter doctor in utroque jure, ex melioris notæ ſcriptoribus tum veteribus tum recentioribus collegit, vulgavitque Pariſiis hujus eccleſiæ hiſtoriam.

ARELATENSES ARCHIEPISCOPI.

I. S. TROPHIMUS.

ANNI CHRISTI.

QUamvis in diptychis Arelatenſis eccleſiæ, quæ ex perveniſto libro ſacramentorum E ad uſum hujus eccleſiæ noſter Mabillonius typis vulgavit tom. III. Analect. ſanctus Dionyſius præmittatur, tanquam prior Evangelii præco his in oris, primuſque epiſcopus; attamen ſanctum Trophimum a ſancto Paulo apoſtolo ordinatum fuiſſe, datumque paſtorem Arelatenſibus, antequam ullum habuiſſent, conſtans eſt a priſtinis temporibus opinio & traditio. Huic ſententiæ adſtipulatur Zozimus papa in epiſtola v. ad epiſcopos Galliæ, in qua dicit: *Trophimum ſummum antiſtitem ex cujus fonte tota Gallia fidei rivulos acceperunt*, a ſede Romana Arelatenſem metropolitanum fuiſſe delegatum. Hanc conſtat fuiſſe ſententiam ſanctiorum & doctiorum epiſcoporum Galliæ, medio ſeculo quinto, numero duodecim, ex tribus provinciis, qui ſcripſerunt ad ſanctum Leonem, ut reſtitueret antiqua jura eccleſiæ Arelatenſis, a qua fidem & ordinationem ipſi ſuique anteceſſores acceperant. Vide S. Leonis opera tom. I. novæ editionis.

ANNI CHRISTI.

p. 432.

p. 519.

Ado Viennenſis archiepiſcopus in chronico: *Creditur*, inquit, *Paulus ad Hiſpanias perveniſſe, & Arelate Trophimum, Vienna Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicandum reliquiſſe.*

Huic vulgatæ opinioni opponitur Gregorii Turonenſis auctoritas, Hiſtoriæ Franc. l. I. ubi agit de ſeptem epiſcopis ad totidem Galliæ urbes miſſis a Romana eccleſia, exſcribens quæ legerat in hiſtoria paſſionis S. Saturnini martyris: *Sub Decio & Grato conſulibus*, inquit, *ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſum-*

c. 28.

[a] Habemus pro manibus ſtatuta a B. archiepiſcopo Arelatenſi & P. epiſcopo Avenionenſi, &c. facta pro reformatione & meliori regimine canonicorum S. Trophimi, in quibus quidquid pertinet ad diſtrictiorem diſciplinam regularem & claſtralem continetur.

ANNI CHRISTI.

mum Toloſana civitas S. Saturninum habere tem- A *perat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonicis Gatianus epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus epiſcopus, Narbonæ Paulus epiſcopus, Toloſæ Saturninus epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius epiſcopus, Arvernis Stremonius epiſcopus, Lemovicinis Martialis deſtinatus eſt epiſcopus ... Gatianus verò, Trophimus, Stremoniuſque & Paulus atque Martialis, in ſumma ſanctitate viventes, poſt acquiſitos eccleſiæ populos ac fidem Chriſti per omnia dilatatam, felici confeſſione migrarunt.*

Ad hæc reſpondemus in actis ſancti Saturnini nihil legi de aliis epiſcopis a Gregorio commemoratis, ſed de ſancto Saturnino tantum; unde etiam non citat *veteres codices*, ſed quæ ſuo ævo memoria tenebantur & circumferebantur, ac idcirco nihil inde certi erui poſſe pro tempore miſſionis aliorum epiſcoporum. Addemus epiſcopos ſecundæ Narbonenſis, Alpium maritimarum, & Arelatenſis provinciæ, qui ſedebant medio ſeculo V. doctiores fuiſſe circa origines eccleſiarum ſuarum, & tempus quo fundatæ erant, quam Gregorius Turon. qui floruit ſeculo VI. deſinente. Certe ſi Trophimus acceſſiſſet tantum poſt medium ſeculum III. nec niſi poſtea jacta eſſent fundamenta dictarum eccleſiarum, quomodo tot epiſcopi, quorum nonnulli jam ſeniores erant, nec longe C ab his aberant temporibus, in iſtis potuiſſent occurrere: aut ſi noverant, mentiri voluiſſent, ac fucum facere? Ipſe Bailletus, qui vulgatæ traditioni huc uſque receptæ repugnat, fatetur tamen tardius differri a Gregorio Tur. miſſionem ſancti Trophimi, cum ipſe fuerit primus Arelatenſium epiſcopus. Conſulenda eſt de iis noſtra generalis præfatio. S. Trophimus pro martyre non colitur; unde conjicimus eum in pace migraviſſe ad Chriſtum. Ejus feſtum celebratur die 29. Decembr.

Vide Rainart in act. Mart.

Hæc ſufficere videntur ad rejiciendam auctoritatem codicis MS. Joh. Savaronis, qui pri- D mum Arelatum epiſcopum fuiſſe Regulum docet: *A beato autem Clemente papa recepit Gallia tunc ſibi deſtinatos epiſcopos; Vienna Zachariam, Lugdunum Poſtilianum, Avenio Carum, Turones Gratianum, Pariſius Dionyſium, Arelate Regulum, Maſſilia Reſtitutum, Genevæ Paradocum, Ebroicæ Taurinum.* Iſtius codicis Savaroniani minimam vel etiam nullam rationem habendam eſſe infra oſtendemus.

II. S. Regulus.

S. Regulus pro diſcipulo ſancti Dionyſii habitus, inſcribitur diptychis ut epiſcopus Arelatenſis. Communis fert opinio ipſum poſtea fuiſſe Silvanectenſem epiſcopum. In proprio ſancti Dionyſii prope Pariſios, fit ejus commemoratio die 14. Aprilis; ubi utriuſque eccleſiæ ſucceſſive dicitur præſul.

Feliciſſimus legitur ſucceſſor ſancti Reguli, & ab eo quidem ordinatus. Verum neque ille, neque Gratius (*al.* Iratius) in diptychis reperiuntur. Ab his quoque abeſt Martianus, verum inde minime ſequitur, Martianum non ſediſſe apud Arelat. cum hæreſis Martiani in cauſa fuerit, cur nomen ejus ex diptychis expungeretur.

III. Martianus.

ANNI CHRISTI.

Martianus tempore ſancti Cypriani præerat eccleſiæ Arelatenſi; ſed a catholicæ eccleſiæ unitate diſceſſit, Novatiano adhærens, ejuſque rigorem ſequens erga pœnitentes, quamvis cum lacrymis & gemitibus ad eccleſiæ januam pulſarent. Id reſcivit Cyprianus Carthaginenſis epiſcopus, ex Fauſtini Lugdunenſis epiſcopi litteris, qui ea de re non ſemel ſcripſerat. Quapropter idem Cyprianus[a] ſcripſit ad Stephanum papam anno circiter 254. rogans ut litteras in Provinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem dirigeret: *Quibus abſcento Martiano alius in locum ejus ſubſtituereturr, & grex Chriſti in hodiernum diem ab illo diſſipatus & vulneratus ... colligeretur.* Quid fecerit Stephanus non ſolum his S. Cypriani litteris, ſed etiam aliis ſive Fauſtini Lugdunenſis, ſive ceterorum in eadem provincia epiſcoporum admonitus, nobis incompertum. Addit in fine epiſtolæ S. Cyprianus: *ſignifica plane nobis, quis in locum Martiani Arelate fuerit ſubſtitutus, ut ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus*; quæ procul dubio non obſcure ſignificant, epiſcopum Arelatenſem jam tum fuiſſe non ſolum metropolitanum, ſed etiam primatem, cui mitti deberent litteræ formatæ præ ceteris Galliarum epiſcopis, ad communionem unitatemque ſervandam. Et ſane niſi obſtitiſſet ea dignitas, non opus fuiſſet alia quam Gallicanorum præſulum auctoritate ad exauctorandum Martianum, aliumque in ejus locum ſubrogandum. Quis ipſi ſucceſſor datus ſit hucuſque ignoratum. At conjicimus non alium fuiſſe quam S. Victorem martyrem effectum poſt aliquot epiſcopatus annos.

l. 3. ep. 15.

254.

IV. S. Victor.

S. Amatius Avenionenſis epiſcopus, in oratione ad populum, qua hortabatur, ut pro Chriſti fide mortem alacriter ſubirent, barbarorum, qui Chroco duce urbem obſidebant, gladiis mox inferendam, inter ceteros qui pro Chriſto jam fortiter decertarant, & martyrii coronam reportaverant, *recenſet Victorem Arelate* epiſcopum. Irruptio vero Alamannorum ſub hoc Chroco, cujus meminit Gregorius Turon. l. 1. hiſt. ponitur anno circiter 266. aut 312. Suorum ſcelerum paulo poſt pœnas dedit Chrocus, cui capto apud Arelatum caput, jubente Mariano, ampuratum fuit, teſte eodem Gregorio.

c. 30. 31. 32.

V. Marinus.

Marinus a Conſtantino magno judex in cauſa Cæciliani & Donatiſtarum inſtituitur cum Rheticio Auguſtodunenſi, & Materno Colonienſi. Qua de cauſa Romam convenerunt ad ſynodum ſub Melchiade papa menſe Octob. anni 313. celebrandam. In ea damnati Donatiſtæ

313.

a In editione Henrici Dodwelli hæc Cypriani epiſtola eſt 68. Quidam critici de veritate hujus epiſtolæ ſuſpicionem injecerunt, ſed perperam. Ipſe Dodwellus cui opportunum fuiſſet hanc epiſtolam papæ, ſedique Romanæ perhonorificam rejicere, bona fide fatetur eam Cypriani ſtylum proſus redolere, ipſiuſque eſſe ſanum.

ANNI CHRISTI.

pleniorem ſynodum efflagitaverunt. Quapropter Conſtantinus indixit concilium I. Arelatenſe; ad quod, præter prafatos epiſcopos, plurimi ex variis provinciis convenerunt cal. Auguſti. *Hæc ſynodo*, inquit Jacobus Sirmondus tomo I. conciliorum Galliæ, *ſive ſpectentur epiſcopi, qui ad eam convenerunt, ſive res in ea geſta, nulla unquam poſt œcumenicas habita eſt illuſtrior. In ea quippe Cæciliani & Donatiſtarum* a *cauſa iterum diſcuſſa eſt, pertinax contentio, quæ Africam vexabat, pro parte compoſita, & de baptiſmo hæreticorum eccleſiæ lex tradita, ejuſque iterandi prava conſuetudo, quæ in eadem Africa inoleverat, penitus repreſſa in poſterum atque interdicta. Epiſcopi vero tam multi, tam diverſis ex Gallia, Italia, Africa, Hiſpania, Britanniaque provinciis confluxere, ſexcenti videlicet. ſi teſtimonio Adonis Viennenſium epiſcopi accedere velimus, ut propterea concilium hoc non dubitaverit S. Auguſtinus contra Donatiſtas diſputans lib. II. de baptiſmo cap. 9. & epiſt. 162 plenarium, & univerſale eccleſiæ concilium appellare; epiſtolam autem hujus ſynodi ad Silveſtrum papam de rebus ſub ea geſtis primus epiſcoporum ſubſcripſit Marinus.* Paulo poſt, anno videlicet 316. Arelate illuſtratur Conſtantii junioris natalibus, teſte Zozimo.

§. 1.

VI. MARTINUS.

Hic epiſcopus ſolo nomine cognitus ex diptychis, forte idem eſt ac Marinus. Poſt eum in diptychis, hi ſequuntur epiſcopi, Nicaſius, Creſcentius, Concordus, Gratus, Ambroſius, Martinus, Ingenuus, Auguſtinus, Jeronymus. Additus eſt alia manu Savinus, Eros, Patrulus, Euladius, Honoratus, Hilarus &c. ut in noſtris indicibus, niſi aliter notemus.

VII. VALENTINUS.

Hunc præſulem concilio Agrippinenſi adfuiſſe anno 346. & exauctorationi Euphratæ ejuſdem urbis epiſcopi communis eſt opinio; ſed viri quidam eruditi ſynodum hanc, & quæ in ea geſta eſſe referuntur, in dubium revocant; jure an injuria expendemus, quando de Euphrata erit agendum. Anno 347. concilio Sardicenſi [b] vel interfuit, vel ſubſcripſit.

346.

VIII. SATURNINUS.

Saturninus favore Arianorum, Conſtantio imperatori factionis & hæreſis hujus defenſori, qui in Galliis, Arelatique agere ſolebat, pergratus, eligitur in Arelatenſem epiſcopum. Id factum eſſe oportet ſaltem an. 353. quo celebrata eſt pſeudo-ſynodus Arelatenſis ab anteſignanis Arianæ perfidiæ Urſacio, & Valente, cum ipſo Saturnino, coram Conſtantio Auguſto, qui edicto ſanxerat, ut qui ſubſcribere condemnationi S. Athanaſii detrectarent, in exſilium pellerentur. Itaque id facere recuſans S. Paulinus Trevirorum epiſcopus, depoſitus eſt ac exſilio addictus. Et hæc fuerunt Arianæ veſaniæ in Galliis præludia. In alio conventu Biterris habito, cui Saturninus præfuit anno 356. S. Hilarius Pictavorum epiſcopus, qui graſſanti peſti obſiſtebat, exſilio quoque multatus eſt, auctoritate Conſtantii imperatoris, qui eum in Phrygiam expulit. Saturninum interfuiſſe concilio Ariminenſi anno 359. & unum fuiſſe ex hujus ſynodi legatis ad Conſtantium miſſis, colligimus ex libello II. S. Hilarii ad eundem Conſtantium. Nam in eo ſatis deſignat Saturninum præſentem Conſtantinopoli, quando rogat Conſtantium Auguſtum, ut per eum ſibi cum auctore ſui exſilii coram ipſo diſputandi detur copia. Sirmondus cenſet in concilio Pariſienſi anni 362. Saturninum perfidiæ ſuæ pœnas dediſſe, & non ſolum ex epiſcopali ſede, ſed etiam ab eccleſia fuiſſe ejectum. In his quæ nobis ſuperſunt ex geſtis primi concilii Arelatenſis, nihil legitur de Saturnino, ſed Severus Sulpicius aperte dicit S. Hilarium ab exſilio reducem, optimum factu arbitratum eſſe revocare cunctos, qui Ariminenſem confeſſionem receperant, ad emendationem & pœnitentiam, frequentibus intra Gallias conciliis. *Reſiſtebat*, inquit, *ſanis conſiliis Saturninus Arelatenſium epiſcopus; vir ſane peſſimus, & ingenio malo pravoque; verum etiam prater hareſis infamiam multis atque nefandis criminibus convictus, eccleſia ejectus eſt.* Id factum in ſynodo I. Pariſienſi verisimile credimus. Hujus epiſcopi perfidia multum nocuit & detraxit dignitati Arelat. eccleſiæ; orthodoxi enim epiſcopi hunc metropolitanum Arianum abhorrentes, alii Viennenſi præſuli ſe ſubjecerunt, alii Maſſilienſi ſua ætate venerabili adhæſerunt.

356. 359. 362.

IX. ARTEMIUS.

Saturnino ſubrogatum fuiſſe Artemium dicit codex Savaron. cui conſentit alter Avenionenſis eccleſiæ. Additur Artemium ordinatum fuiſſe a Florentio Viennenſi, Antiſtio Avenionenſi, & Concordio Vaſionenſi epiſcopis. Oſtendemus in Avenionenſibus epiſcopis hos codices parum fide dignos.

X. S. CONCORDIUS.

S. Concordius ſedit in concilio Valentino I. die 12. Julii anni 374. habito, in quo graſſanti morum corruptelæ aliqua adhibita eſt medela: *ita enim per omnes eccleſias ejuſmodi germen vitiorum inoleverat, ut ad plena remedia difficilis eſſet recurſus*, inquiunt patres. Epiſtola ejuſdem concilii ad clerum & plebem eccleſiæ Forojulienſis, de perſona ſanctiſſimi Accepti, qui ad honorem ſacerdotii ab illis poſcebatur, Concordii & aliorum epiſcoporum nomine ſcripta le-

374.

a De hac Donatiſtarum controverſia, præcipue conſulendi ſunt Auguſtinus, Optatus Milevitanus lib. 1. adv. Donat. Euſeb. lib. 10. c. 6. aliique eccleſiaſticæ hiſt. ſcriptores.

b Hunc epiſcopum Galliæ cum aliis 33. adfuiſſe ſynodo Sardicenſi communis eſt opinio; verum eruditiſſimus vir, cui debemus noviſſimam editionem operum ſancti Athanaſii, cenſet ſolos epiſcopos, qui in apologia ſancti Athanaſii recenſentur numero 30. p. 168. & ſeq. ab Oſio ad Sapricium, concilio interfuiſſe; alios vero abſentes eidem ſubſcripſiſſe. Ex his autem ſunt 34. Galliæ antiſtites: Maximianus, Veriſſimus, Victurus, Valentinus, Deſiderius, Eulogius, Sarbatius, Dyſcolus, Superior, Mercurius, Declopetus, Euſebius, Severinus, Satyrus, Martinus, Paulus, Optatianus, Nicaſius, Victor, Sempronius, Valerinus, Pacatus, Jeſſes, Ariſton, Simplicius, Metianus, Amantus, Amillianus, Juſtinianus, Victorinus, Saturnilus, Abundantius, Donatianus, Maximus. Certe ſanctus Hilarius in fragmentis unum dumtaxat Veriſſimum Lugdunenſem epiſcopum recenſet, qui adfuerit & ſubſcripſerit ſynodo Sardicenſi.

ANNI CHRISTI

gitur. Videndus Sirmondus tom. I. conciliorum Galliæ, & Baronius ad annum 379. S. Concordium jacere in eccleſia S. Honorati Campi-elyſii * probat Vincentius Barralis ex quadam epiſtola, cujus fragmentum edidit, & poſt ipſum J. Bollandus in hiſtoria tranſlationis ſancti Honorati ad diem XVI. Januarii. Idem Barralis contendit S. Concordium fuiſſe monachum Lirinenſem juxta inſcriptionem hanc quam eruit ex antiqua hiſtoria manu exarata ſanctorum & abbatum Lirinenſium :

* Aliscamps

Integer, atque pius, & vita & corpore purus,
Æ terno hic poſitus vivit Concordius ævo.
Qui teneris primum miniſter fulſit in annis,
Poſt etiam lectus cæleſti rege ſacerdos,
Triginta, & geminos decem vix reddidit annos.
Hunc cito ſideream raptum Omnipotentis in aulam,
Et mater blanda & fratres in funere quærunt.

XI. S. Heros.

S. Heros diſcipulus beati Martini epiſcopi Turonenſis, ſingularis innocentiæ paſtor, tamen a populo Arelatenſi urbe ejectus eſt, eique Patroclus familiaris Conſtantii ſubrogatur, ad promerendam gratiam ejuſdem Conſtantii, Honorii imperat. in conſulatu collegæ, teſte Proſpero Aquitano in chronico, Honorio IX. & Theodoſio V. Coſſ. *Eodem*, inquit, *tempore Heros vir ſanctus, & beati Martini diſcipulus, cum Arelatenſi oppido epiſcopus præſideret, a populo ejuſdem civitatis, inſons, & nulli inſimulationi obnoxius pulſus eſt, inque ejus locum Patroclus ordinatus, amicus & familiaris Conſtantii magiſtri militum, cujus per ipſum gratia quærebatur: qua res inter epiſcopos regionis illius magnarum diſcordiarum cauſa fuit.* Hujus quoque mentio exſtat apud auctorem vitæ ſancti Honorati. Præcipua Herotis laus eſt, quod Pelagium ac Cæleſtium hæreſiarchas inſectatus ſit; unde ad Zozimum papam querimonias adverſus hunc epiſcopum, & alium nomine Lazarum Cæleſtius detulit; qui pontifex calumniis Cæleſtianis deceptus, in pios epiſcopos ſtudio veræ fidei flagrantes, tanquam in facinoroſos homines ſtylum acuit, in ſecunda ad Africanos epiſtola. Sed acceptis a priori ſynodo Africana reſcriptis & geſtis, quæ Pelagianam hæreſim ipſumque Pelagium & Cæleſtium ſpectabant, in eadem ſynodo, & aliis damnatos, agnovit tandem Zozimus fucum ſibi feciſſe verſipelles illos hæreſiarchas; maxime cum vocatus ad *pleniorem audientiam* Cæleſtius clam ſe ſubduxiſſet; eoſque ac ipſorum impia dogmata damnavit.

In citata Zozimi epiſtola legitur Herotem ſtetiſſe pro tyranno Conſtantino, qui in Galliis imperium aſſumſerat, & rebellarat in Honorium Auguſtum; quapropter cæſo Conſtantino, quem Zozimus appellat Herotis patronum, ipſe ſacerdotio ſe exuit, ut ait Zozimus, quod ab Lazaro Aquenſi epiſcopo in eadem cauſa ſocio factum quoque aſſerit; ſed fortaſſe deceptus falſa Pelagianorum de his epiſcopis relatione. Herotem a Conſtantio fugatum Avenionem ſe recepiſſe aiunt.

an. 411.

XII. Patroclus.

ANNI CHRIS.

Patroclus pulſo Heroti ab Arelatenſibus, quem Zozimus dicit ſacerdotium abdicaſſe, ſuffectus eſt anno 412. De Herote & Patroclo quid ſenſerit Proſper Aquitanus, jam præmiſimus; & certe huic ſcriptori res in patria ſua geſtas referenti magis credendum eſt, quam Zozimo papæ Cæleſtii mendaciis decepto. Quidquid ſit, quantum hic pontifex Heroti fuit infenſus, ut probant ejus epiſtolæ, tantum favore proſecutus eſt Patroclum. Id liquet ex ejuſdem epiſtola V. in qua 1°. decernit, ut quiſquis Romam ex Galliis veniret, *ſive epiſcopus, ſive presbyter, ſive diaconus, aut deinceps inferiori gradu ſit*, ab ipſo formatas acciperet. *Hoc autem privilegium formatarum*, inquit Zozimus, *ſancto Patroclo fratri & coepiſcopo noſtro, meritorum ejus ſpeciali contemplatione, conceſſimus.* 2°. juſſit ut præcipuam, ſicut ſemper habuerat metropolitanus epiſcopus Arelatenſium civitatis, in ordinandis ſacerdotibus teneret auctoritatem; & Viennenſem, Narbonenſem primam, Narbonenſem ſecundam ad pontificium ſuum revocaret. 3°. addit: *Quoniam metropolitana Arelatenſium urbi vetus privilegium minime derogandum eſt, ad quam primum ex hac ſede Trophimus ſummus antiſtes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus eſt: ideirco quaſcumque parochias in quibuſlibet territoriis, etiam extra parochias ſuas, ut antiquitus habuit, intemerata auctoritate poſſideat: ad cujus notitiam, ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſuimus, niſi magnitudo cauſæ noſtrum requirat examen.*

412.

Idem papa Proculum Maſſilienſem damnavit, ac epiſcopatu ſpoliavit, quod quoſdam ordinaſſet epiſcopos, prætermiſſo Patroclo metropolitano epiſcopo Arelatenſium civitatis; ſcripſitque ea de re ad epiſcopos non ſolum Galliarum & ſeptem præſertim provinciarum, ſed etiam Africæ & Hiſpaniæ. Proculus tamen nihil præſumſerat, quod ipſi a concilio Taurinenſi non fuiſſet indultum. *Epiſt. VII. &c. & XII.*

Proculus non ita propitium expertus eſt Bonifacium I. Zozimi ſucceſſorem; qui pontifex auditis querelis cleri & plebis *Lutevenſis** adverſus hunc metropolitanum, quod ſuæ eccleſiæ ordinare epiſcopum præſumſiſſet, ejus auſa repreſſit, ſcribendo ad Hilarium Narbonenſem epiſcopum, in cujus provincia id attentatum. *Ep. III.*

* Ludeva.

Quod ſpectat ad Patrocli mores, auſus eſt infami mercatu ſacerdotia venditare, ex Proſpero in chronico. S. Hilarius in ſermone de S. Honorato, Patrocli ejus anteceſſoris avaritiam notat, cum dicit de Arelatenſi ſub S. Honorato eccleſia: *crevit gratiis, decrevit metallis ingreſſa videlicet diſciplina, domo ſua tanquam domo dominica, mamona iniquitatis excluſit; & quæ otioſæ congeſta diu fuerant* (opes) *dignis tandem uſibus deputavit . . . hoc ſolum quod miniſterio ſuo ſufficiens erat, reſervavit.*

Patrocli tempore *Arelas nobile oppidum Galliarum*, inquit Proſper in chronico, *a Gothis multa vi oppugnatum eſt, donec imminente Aëtio non impunitis abſcederent*: Ad annum 426. in eodem chronico legitur: *Patroclus Arelatenſis epiſcopus a tribuno* 426.

Digitized

ANNI CHRISTI.

a trunco quodam barbaro multis vulneribus la- A *niatus occiditur: quod facinus ad occultam jussionem Felicis magistri militum referebatur.* Mors illa quam passus est Patroclus a barbaris, ei forte meruit martyris nomen, & laudem sanctitatis, quibus insignitur.

XIII. S. Honoratus.

S. Honoratus senatoria & consulari familia natus est, sed de ejus patria inter viros eruditos disputatur. S. Hilarius qui commemorans avita ejus generis insignia, dicit perveniſſe usque ad consulatum, silet de ejus patria. Arelati na- B tum eum non esse, ut plerique putant, multa nobis persuadent: primo ubi Hilarius narrat quomodo Lirino profectus sit Honoratus ipsius Christo acquirendi gratia, ait: *Mei gratia (quod ad meritum suum, & judicium meum pertinet) patriam quam fastidierat, non dedignatur accedere; nec refugit laborem tanti itineris;* quod dicere non potuisset, si tantummodo iter a Lerino usque Arelatem fuisset emetiendum. Secundo idem Hilarius de S. Honorati elatione ad sedem Arelatensem, ita populum Arelatensem alloquitur: *Sed unde illud quaeso, tam e longinquo, tam ignotus expetatur? Quis illam absentis nec prius visi gratiam ve-* C *stris pectoribus affixit?* Vides Honoratum & alienigenam & ignotum, electum fuisse in episcopum ab Arelatensibus.

Ex modo dictis unum id liquet, eandem fuisse Honorati ac Hilarii patriam, quando ad istum quærendum Honorato fuit opus patriam repetendi. Porro S. Hilarius sororem habuit Pimaniolam, quæ nupta est S. Lupo, postea Trecarum episcopo, qui ex illustri apud Tullum Leucorum genere ortus erat; unde conjicimus non longe distitum fuisse a Leucis locum tum Honorati tum Hilarii clarum natalibus. Ad hanc sententiam accedit Bailletus, qui do- D cet S. Honoratum in Gallia Belgica, circa fines Campaniæ & Lotharingiæ in lucem fuisse editum. De ejus vita hæc præcipue selegimus, ex sermone S. Hilarii.

Honoratus ab adolescentia, quæ modesta gravisque fuit, baptismum expetit, & catechumenus factus cœpit virtutes quæ fidem Christianam decent ornantque colere. Contemtis patris blanditiis, luxum omnem abdicat suscepto baptismo; *Intelligens summum esse captivitatis genus licentiam juventutis. Rediguntur ad breves capillos luxuriantes coma. Transfertur ad nitorem mentis vestium splendor, pallescit jejunio* E *speciosa facies.* His virtutum exemplis, unum e germanis suis convertit, Venantium nomine, licet junior; cum quo relicta patria, varias aggreditur sacras peregrinationes; ut autem expeditiores forent, sua prius pauperibus erogarunt. Ne quid tamen juvenili ausu temere ab ipsis incœptum putaretur, assumunt senem Caprasium in ducem custodemque suæ ætatis; qui, ut erat angelicæ conversationis, eos in terris cælestem vitam ducere doceret. Verum Venantio Methonæ in Achaia mortuo, monetur a Christo in insulam Lerinensem descendere, tunc quidem vacantem, sed squallidam & inaccessam venenatorum animalium multitudine; quæ ad ejus conspectum fugerunt; deinceps que nulli unquam periculo, sed nec pavori fuerunt. Gratam efficiebat hanc eremum vicinia S. Leontii, videlicet Forojulienſis episcopi, cum quo erat caritate constrictus. Paulo post adventum suum in has oras presbyter ordinatur invitus, forte a Leontio Forojulienſi episcopo. Tum ad construendum [a] monasterium, disponendum, ordinandum, & instituendos monachos totum se dedit, quorum commoditati prospiciens, aquas dulces ex saxo in medio mari posito elicuit. Mox advolarunt ad eum ex omnibus mundi partibus discipuli, allecti ejus fama, qui in illo sibi patriam, propinquos, & omnia simul reddita computabant. Inter hos discipulos primus debetur locus S. Hilario, quem Christo suis hortationibus, suis precibus lucratus est sanctus Honoratus, suisque lacrymis. Pene in hunc censum referrem B. Eucherium Lugdunensem antistitem, qui sanctum virum tanti faciebat.

Et hæc quidem publica de ejus virtutibus ac dotibus existimatio & admiratio, ipsum Lerino rapuit, evexitque ad sedem Arelatensem. Quando vel quomodo id factum [b] non refert S. Hilarius, cui satis est laudare sancti pontificis sollicitudinem, vigilantiam, studium disciplinæ, latitudinem caritatis; *Quod si*, inquit, *caritas ipsa exprimenda esset in vultum, Honorati pectissimum pingi debere vultu videretur.* Sed, heu, brevior fuit tanti præsulis episcopatus; nam postquam sedisset paulo ultra biennium, mors dilecto gregi carissimum pastorem invidit; qui migravit ad Dominum an. 429. die [c] 14. vel 15. Januarii. Ultima ejus verba Christi amore prorsus ignea, extremumque spiritum excepit S. Hilarius ipsius successor, ex cujus sermone de sancto Honorato coram populo Arelatensi habito, pauca hæc decerpta sunt. Pompam ipsius exsequiarum describens idem Hilarius, observat sacrum corpus magna fidei ambitione vestitum fuisse, sed majori fide pene nudatum postmodum. Nam qui aderant (confluxerant autem omnes non solum cives, sed alienigenæ variarum linguarum) pretiosissimi muneris loco habebant, *aliquam de velaminibus ipsius fimbriam decerpere.* Ejus reliquiæ Lerinum sunt translatæ anno circiter 1391. Paulo post ejus mortem, juxta ejus sepulcrum ædificata est ecclesia in cœmeterio Elysii * Campi ejus nomine insignita, ubi etiam S. Hilarius est sepultus, multique post ipsum Arelatenses archiepiscopi; postmodum cessit Massilienſibus S. Victoris monachis. S. Honorato septem e suis collationibus nuncupavit Johannes Cassianus.

* *Alias Campi.*

XIV. S. Hilarius.

S. Hilarius S. Honorati non solum conterraneus, aut consanguineus, ut nonnulli volunt, sed filius fuit; quem ut in Christo gigneret

[a] Fundatum hoc cœnobium anno 375. quidam volunt; alii an. 391. inter quos Bailletus.

[b] Circa annum. 426. factus est episcopus.

[c] Ex S. Hilario qui adfuit S. Honorato ultimo laboranti morbo, & morienti, pius hic pastor, *ultimum doloribus jam relicti anxius, epiphaniorum die, in ecclesia sermonem habuit, & octavo vel nono die a solemnitate praedicta, cum aegritudo confecit, & exstinxit.* Ergo mortuus est vel die 14. vel 15. tamen inscribitur martyrol. Rom. die 16.

ANNI CHRISTI.

nullis pepercit laboribus, nullis precibus aut lacrymis. Factus monachus Lirinensis Hilarius in virtutum palæstra magistrum æquis secutus est passibus; quem ad thronum Arelatensem assumtum mutuo amore allectus comitatus est aliquandiu; sed vicit amor solitudinis, Hilariumque Lerinum revocavit. Adfuit tamen sancto Honorato ultimo decumbenti morbo & animam efflanti; ac post mortem eloquentissima oratione parentavit, quæ eruditorum judicio, cum priscorum oratorum scriptis possit facundia contendere. Funere peracto redire Lerinum festinavit, metuens, quod tamen effugere non potuit, ne succedere magistro suo cogeretur. Cognita ejus fuga Cassius, *qui præerat militibus* in urbe, misit qui sanctum virum revocarent. Ab his itaque comprehensus ordinatur episcopus vix annos 29 natus; attamen nihil juvenile fecit in sublimi hac cathedra positus, sed vita ejus cunctis virtutibus, quæ decent episcopos, ornata fulsit in omnium oculis; retentis aliis piis operibus, jejuniis, vigiliis, chameuniis, quibus monachus assuefactus erat. In pauperes ita largus erat, ut ne sacris vasis parceret.

429. vel 430.

Ut de rebus in episcopali munere ab eo gestis quædam perstringamus, an. 433. adfuit dedicationi ecclesiæ Avenionensis, quam Debo episcopus a se refectam consecravit. Anno 439. præfuit synodo Regensi III. cal. Decembris, ubi causa Armentarii Ebredunensis est agitata; qui a duobus tantum episcopis ordinatus, redactus est ad statum chorepiscopi. Ante hunc Armentarium vero nullus reperitur in Galliis chorepiscopus; in Orientali autem ecclesia longe ante hoc tempus occurrit chorepiscoporum mentio. Anno 441. celebratum est concilium Arausicanum I. VI. idus Novembris a XVII. præsulibus ex provinciis Lugdunensi, Narbonensi &c. sanctitate aut doctrina conspicuis, inter quos eminebat Hilarius; qui etiam sedit anno sequenti in synodo Vasionensi aut Vasensi; & an. 443. in Arelatensi, ut putat auctor novissimæ editionis operum S. Leonis. Aliam celebravit synodum præsente S. Germano Autissiodorensi episcopo, cujus consiliis uti solebat, teste Honorato Massiliensi ejus vitæ scriptore. In hoc autem incerti loci concilio Celidonius Vesontionensis, ut vulgo creditum, & a Tillemontio propugnatum est, episcopus; atque judicio illustrissimi Petri de Marca, metropolitanus, damnatus, Romam ad S. Leonem papam contendit; queritur Hilarium, contra concilii Taurinensis definitionem, contra Bonifacii & Cælestini Romanorum pontificum constitutiones, fines a Patribus positos prætergressum esse, ac vicinas provincias pervadere, in ipsis ordinationes præsumendo, vel jam ordinatorum depositiones; usurpareque primatum super Viennensem provinciam. Et vere hæc sunt quæ ipsi exprobrat sanctus Leo in epistola 10. olim 89. Itaque cogitur Hilarius Romam ad sui causæque suæ defensionem, aspera licet hieme, proficisci, & pedestri quidem itinere; sed moræ impatiens, aut fortasse ut se judicio concilii tunc ea de causa Romæ congregati, papæque subduceret, quod sibi iniquius fore non dubitabat, clam recessit & Arelatem rediit, missis vice sui ad S. Leonem Ravennio, Nectario & Constantio presbyteris. Tunc sanctus Leo Chelidonium absolvit, & ecclesiæ suæ restituit. Projectum quoque episcopum, cui ægrotanti Hilarius dederat successorem, suæ iterum sedi reddidit. Hilario metropolitani dignitatem in provinciam Viennensem ademit, de quibus epistola octogesima nona episcopos Viennensis provinciæ fecit certiores. Ac ne majores tumultus ea de re in posterum ab Hilario concitarentur, adversus eundem interpellavit Valentinianum III. Augustum, qui sententiam sedis apostolicæ jussit executioni mandari per Gallias, quamvis etiam *sine imperiali sanctione valituro esset*, inquit imperator, *quid enim tanti pontificis auctoritati in ecclesias non liceret?* Novella Valentiniani Aëtio magistro utriusque militiæ & patricio ea de re inscripta, data est VII. idus Junias, eodem Aug. VI. consule, hoc est an. 445.

ANNI CHRISTI.

441.

443.

445

Nunc quid sentiamus de tota illa controversia, quæ varias in partes eruditorum animos traxit, si quis interroget, dissimulare non possumus S. Hilarium in asserendis & protendendis ecclesiæ suæ privilegiis, quæ maxime mendaciis Patrocli parta fuisse haud diffitetur Tillemontius, plus æquo præfractum visum nobis esse. Neque tamen ideo quidquam detractum volumus sanctitatis ejus opinioni: quemadmodum Quesnellius qui S. Leonem immerito exarsisse in S. Hilarium contendit, in prolixa illa dissertatione, qua causæ hujus episcopi patrocinatur, minime putat inde imminutam esse tanti papæ famam & gloriam. Qui plura de his nosse volunt, legant præfatam dissertationem, & eruditi Tillemontii commentarios tomo XV. a pag. 36. ad 97. observationes Papebrochii ad S. Hilarii vitam die 5. Maii; illustrissimum P. de Marca, J. Morinum, Baronium, qui ad an. 464. non obscure fatetur S. Leoni surreptum esse, quando acerrime in sanctum Hilarium invectus est; cui libenter subscribimus. Sanctissimam vitam egregia morte consummavit die 5. Maii a. no 449. ut nos docent duæ S. Leonis epistolæ hoc anno scriptæ. In his autem Hilarium appellat sanctæ memoriæ; quod demonstrat S. Hilarium ante mortem in gratiam tanti pontificis rediisse. Sepultus est primum in ecclesia S. Genesii; tandemque apud S. Honoratum in insula Lerinensi translatum est ejus corpus, ut indicat inscriptio, quæ ibidem in marmorea legitur tabula.

448

Res Hilarii præclare gestas scripsit Honoratus Massiliensis episcopus, quam lucubrationem reperies in appendice operum S. Leonis papæ, novissimæ editionis, cum apologia pro eodem, & apud hagiographos. Hilarii magna cum laude meminerunt S. Eucherius Lugdunensis in epistola eximia de laude eremi ad illum scripta, Constantius presbyter in vita sancti Germani Autissiodorensis episcopi, Prosper in chronico, Gennadius lib. de scriptoribus ecclesiasticis, Ado Viennensis in chronico, Isidorus Hispalensis, Honorius Augustodunensis, & alii plurimi. Inter cetera quæ ad optimam ecclesiæ suæ gubernationem fecit hic episcopus, notata

ANNI CHRISTI. præcipue dignum eſt ſeminarium ſive clericorum ſive monachorum, quod inſtituiſſe legitur ſub nomine *Congregationis*.

Alius eſt ab Arelatenſi epiſcopo Hilarius, S. Auguſtini amicus, qui ad eum ſcripſit de Maſſilienſium erroribus; hunc enim laïcum tantum fuiſſe plurima convincunt, & aliunde habemus S. Hilarium Maſſilienſium doctrinæ patrocinatum eſſe, de quo ita loquitur S. Proſper in epiſtola ad Auguſtinum: *Credimus ipſos, quos meritis & honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat* Semipelagianiſmi, *defecatiſſimum lumen gratia recepturos; nam unum eorum præcipuæ auctoritatis & ſpiritualium ſtudiorum virum, S. Hilarium Arelatenſem epiſcopum ſciat beatitudo tua, admiratorem, ſectatoremque in aliis omnibus eſſe tuæ doctrinæ.*

Habes apud ſocios Bollandianos 20. Maii p. 34. vindicias pro S. Hilario ſemipelagianiſmi calumnioſe inſimulato, contra diſcipulos Pſeudo-Auguſtini Iprenſis. Certe injuria dicuntur Janſenii diſcipuli, qui ſemipelagianiſmi notam incuſſerunt S. Hilario, quandoquidem ipſi Bollandiani ibidem fatentur ipſum Vaſqueſium ita de ipſo ſenſiſſe, ut multos alios prætermittam, quos accenſere nequaquam licet Janſenianis. Neque quidquam detractum ſanctitati Hilarii credimus, hoc errore tunc minime damnato; a quo etiam eum reſipuiſſe vero propius videtur etiam Queſnellio, qui quaſdam ſententias Hilarii notat doctrinæ S. Auguſtini de gratia Chriſti omnino conſentaneas. Multas ſcripſit homilias vir eloquentiſſimus, quem Auguſtino æquiparare nonnulli vix dubitant; ſed earum jacturam dolemus; etſi nonnullæ editæ credantur ſub nomine Euſebii Emiſſeni.

XV. RAVENNIUS.

Ravennius ex preſbytero Arelatenſi, & comite beati Hilarii epiſcopi in itinere Romano ad S. Leonem papam, ſuffectus in locum ejus ſedere cœpit an. Dom. 449. Qui & ab eodem Leone confirmatur hac epiſtoa: *Dilectiſſimis fratribus Conſtantino, Audentio, Ruſtico, Auſpicio, &c. Leo papa. Juſta & rationabilis nobis cauſa gaudendi eſt, &c. Quod ergo in Arelatenſium civitate defuncto ſanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum fratrem Ravennium, ſecundum deſideria cleri, honoratorum, & plebis, unanimiter conſecraſtis, bonum fraternitatis veſtræ opus noſtro judicio roboramus. Quia electionem pacificam atque concordem, cui nec merita morum, nec ſtudia civium defuerunt, poſtulationis quidem humanæ, ſed inſpirationis credimus eſſe divina. Utatur itaque, fratres cariſſimi, Dei munere memoratus antiſtes, & ſecundum conſonantia omnium ordinum vota, quid ex ipſo devotionis expectetur intelligat: ut diſpenſationis ſibi credita diligens ac temperans exſecutor, veſtro teſtimonio non inferior, & noſtro favore per omnia ſit dignior. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi. Dat. 11. cal. Septembris, Aſterio & Protogene VV. CC. conſulibus.*

Ipſi Ravennio ad epiſcopatum aſſumto gratulatus eſt S. Leo epiſtola 90. & eccleſiæ Arelatenſi talem nactæ epiſcopum, cujus plurimi & adjuvarentur præſidio, & incitarentur exemplo. ANNI CHRISTI.

Occaſione provectionis tanti viri ad Arelatenſem metropolim, quem accepum ſibi eſſe publice teſtatus erat S. Leo, epiſcopi provinciæ ipſi obtulerunt libellum ſupplicem pro obtinenda reſtitutione & renovatione privilegiorum eccleſiæ Arelatenſis. Summa libelli eſt, civitatem Arelatenſem primam intra Gallias meruiſſe habere ſacerdotem a S. Petro miſſum, ſcilicet S. Trophimum: acceptam fidem ab hac eccleſia ad alias intra Gallias dimanaſſe: multa eſſe quæ commendarent hanc urbem præ ceteris intra ſuas regiones civitatibus, ſecundum inſtituta principum: honoratam peculiariter ab Conſtantino magno fuiſſe, a Valentiniano & Honorio Auguſtis matrem omnium Galliarum appellatam eſſe: hic ſumtum fuiſſe conſulatum: hic *ſublimiſſimam præfecturam*, & *reliquas* poteſtates ſedem habere: huc ex omnibus civitatibus concurri: primatum in ſacerdotio merito antiquitatis, & principatum in ſeculo opportunitatis gratia ipſi deberi.

Lectis his litteris S. Leo hanc protulit ſententiam: *Conſideratis allegationibus utriuſque partis ... ita ſemper intra provinciam veſtram, & Viennenſem & Arelatenſem civitates claras fuiſſe reperimus, ut quarumdam cauſarum alterna ratione, nunc illa in eccleſiaſticis privilegiis, nunc iſta præcelleret; cum tamen eiſdem commune jus quondam fuiſſe a gentibus proderetur. Unde Viennenſem civitatem, quantum ad eccleſiaſticam juſtitiam pertinet, inhonoratam penitus eſſe non patimur, præſertim cum de receptione privilegii, auctoritate jam noſtra diſpoſitionis utatur. Quam poteſtatem Hilario ablatam, Viennenſi epiſcopo credidimus deputandam. Qui ne repente ſemetipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt Valentia & Tarantaſia, & Geneva & Gratianopoli; ut cum his ipſa Vienna ſit quinta ... reliqua vero civitates ejuſdem provinciæ, ſub Arelatenſis antiſtitis auctoritate & ordinatione conſiſtant: quem pro modeſtia ſua temperantia, ita futurum credimus ſtudioſum caritatis & pacis, ut nequaquam ſibi credat ablatum, quod fratri videat conceſſum.* p. 104.

Sic primatum Arelatenſi epiſcopo abſtuliſſe videtur S. Leo: attamen poſtea egit cum eo quaſi primatu gauderet. Nam 1°. ad eum miſit ſuam ad Flavianum epiſcopum Conſtantinopolitanum epiſtolam, in qua doctrina de Incarnatione integra contineatur; ut eam ceteris communicaret epiſcopis. 2°. Indicavit quo die celebrari deberet Paſcha, ut ipſe aliis ſignificaret, quod primatum erat officium. ep. 120. an. 452. ep. 121.

Ravennius præfuit ſynodo Arelatenſi II. an. circiter 451. cujus canon octavus ſupra decimum decernit ſynodos eſſe celebrandas ad Arelatenſis epiſcopi arbitrium. Præſedit quoque in tertio ejuſdem urbis concilio, an. circiter 455.[a] 451.

a Hunc annum concilii aſſignat Sirmondus, Anthelmius vero an. 450. hac ratione ductus, quod ſi habitum ſuiſſet concilium iſtud poſt an. 451. quo celebrata eſt Calchedonenſis ſynodus œcumenica, Theodorus epiſcopus Forojulienſis ejus decretum Lerinenſibus objeciſſet, quo monachi ſubdunur epiſcopis, ac victor evaſiſſet.

habito ad finiendam cauſam inter Theodo- A
ANNI CHRISTI. 455. rum Forojulienſem epiſcopum, & Fauſtum Lerinenſem abbatem.

Jam e vita migrarat Ravennius, quando S. Leo ad ſuperos evolavit, aut ſaltem quando Hilarus S. Leoni datus eſt ſucceſſor in Romana cathedra, quandoquidem hic de ſua aſſumtione & ordinatione ad Leontium Arelatenſem epiſcopum poſt Ravennium, ſtatim ſcripſit, ut ipſe ceteros provinciæ epiſcopos de ea certiores faceret. Verum Leontium Ravennio non eſſe immediate ſubrogatum, pene perſuaſum habemus.

XVI. AUGUSTALIS.

Hunc ex Arelatenſium epiſcoporum cenſu expungunt fratres Sammarthani, probantque non ſediſſe ad annum 462. quo tempore jam Leontio cathedra ceſſerat. Sed nihil vetat quominus Auguſtalem ponamus medium inter Ravennium & Leontium. Certe de Ravennio nihil ſcimus poſt annum 455. aut etiam 450. juxta Anthelmium virum eruditum, qui de Forojulienſibus ſcripſit epiſcopis. Quid itaque prohibet locum dare Auguſtali toto illo tempore quod
a vacuum relinquitur inter 455. & 461 a. Neque vero fingendus eſt nobis hujus nominis epiſcopus, quando ipſi Sammarthani fratres fatentur ipſius meminiſſe venerabilem Bedam, martyrologium Romanum, Saxium, alioſque ſcriptores. Iis addendum eſt martyrologii veteris, quod nomen præfert ſancti Hieronymi, teſtimonium hoc: *vij. idus Septembris Arelato civitate depoſitio ſancti Auguſtalis epiſcopi*, ut legitur tomo IV. Spicilegii.

XVII. LEONTIUS.

462. Leontius jam Arelatenſem regebat eccleſiam & provinciam VIII. cal. Febr. anni 462. quando videlicet accepit ab Hilaro papa litteras,
q. 5. quibus notam faciebat ſuam electionem ad ſummum pontificatum, ut ipſe jure metropolitani D
eam ceteris ſignificaret epiſcopis. Ex alia Hila-
q. 6. ri ad eundem epiſtola intelligimus hunc epiſcopum, antequam novi papæ litteras accepiſſet, miſiſſe ad eum ſalutandum Pappolum ſpectabilem virum cum litteris. Porro ex his & aliis Hilari papæ epiſtolis palam eſt Leontium ipſi fuiſſe cariſſimum; ad quem pro gravibus quæ occurrebant in Gallia negotiis ſcribere ſolebat; nam
q. 9. cum de Mamerto Viennenſi epiſcopo querelæ ad S. ſedem perveniſſent, quod extra fines ſuos epiſcopum Dienſibus ordinaſſet, Hilarus illius
463. cauſam Leontio examinandam remiſit an. 463.
q. 4. Idem dicendum de cauſa inter Ingenuum & E
q. 7. Auxanium epiſcopos, & de promotione Hermetis ad ſedem Narbonenſem. Denique epiſtola x. conſtituit inter cetera, ut quotannis Leontii opera concilia convocentur. Neque vero intra limites unius provinciæ coarctavit Arelatenſis epiſcopi auctoritatem, cum epiſtola XI. ſtatuerit, ut qui ordinatus erat epiſcopus Dienſibus, Leontii epiſcopi, a quo conſecrari debuerat, approbatione confirmaretur.

a Si fides deberetur codicibus manuſcriptis Savaronenſi & Avenionenſi, breviſſimum fuiſſet tempus epiſcoparus Auguſtalis; ex iis enim Leontius Auguſtalis ſucceſſor electus eſt anno 456. conſecratuſque a Donato Avenionenſi, Petronio Araufficano, Euſtachio Maſſilienſi, Ruſticoque præſertim Narbonenſi.

Anno 475. præfuit concilio cuidam Arela- ANNI CHRISTI. 475.
tenſi, quod aiunt coactum fuiſſe ad condemnandum Prædeſtinatianorum errorem, e quibus Lucidus preſbyter correptus a Fauſto Rejenſi epiſcopo reſipuit. Utrum vero exſtiterint hæretici Prædeſtinatiani, an hoc invidioſo nomine infamati fuerint diſcipuli ſancti Auguſtini a Semipelagianis, quorum Fauſtus, quo ſolo auctore novimus quidquid ad præfatum concilium ſpectat, fuit anteſignanus in Galliis, nihil moror. Quæſtio enim hæc jam ſatis inter theologos agitata eſt & jactata. Noſter Leontius laudatur ab Apollinari Sidonio libro 6. epiſt. 3. B quæ de Leontio Forojulienſi perperam olim eſt intellecta; ſcripta eſt enim a Sidonio jam inſulato & epiſcopo; proindeque non ante annum 472. quo in locum Eparchii defuncti ſuffectus eſt. At Leontius Forojulienſis diu antea e vivis exceſſerat, cum ejus ſucceſſor Theodorus anno 455. vel etiam 450. decertarit contra Fauſtum abbatem Lerinenſem.

Leontii ſuaſu Fauſtus ſcripſit libros de libero arbitrio, in quibus aberrat, non ſolum a ſancti Auguſtini, ſed etiam a totius eccleſiæ doctrina, unde facile adducor ut credam hunc epiſcopum erroribus Maſſilienſium conſenſiſſe.

Tonantium Ferreolum, qui præfectus fuerat C Galliarum, Leontio ſucceſſorem eſſe datum legitur in codice Avenionenſi, cui Savaro credit favere Apollinarem Sidonium in epiſtola 12. lib. 7. ad eundem Tonantium. Aliter ſentit Sirmondus in notis ad Sidonium, qui conſuli poteſt; & quidem quando Sidonius ſcripſit hanc epiſtolam, Leontius Arelati ſedebat.

XVIII. S. ÆONIUS.

Hunc epiſcopum acceſſiſſe ad Arelatenſis eccleſiæ regimen anno 492. vix dubitamus; quip- 492
pe hoc anno Gelaſius electus in Romanum pontificem menſe Martio, de hac electione ad ipſum ſcripſit, ut eam aliis notam faceret præſu- q. 12
libus intra Gallias. Convenit anno 499. ad col- 499
lationem epiſcoporum adverſus Arianos coram Gundebaldo rege, ut legere eſt Spicilegii tom. 3. p. 110. Eodem anno Symmachus papa ad eum ſcripſit, ut ipſe & Viennenſis epiſcopus Romam legatos & actores mitterent, qui de eorum controverſiis poſſent ſedi apoſtolicæ reddere rationem. Anno ſequenti papa b reſcidit quæ Ana- b
ſtaſius ſuus deceſſor innovarat in gratiam Viennenſis archiepiſcopi, juſſitque antiqua ſedis apoſtolicæ decreta obſervari.

De ſancto Æonio mentio eſt in vita ſancti Cæſarii relata in chronico Lerinenſi. Sepelitur autem in æde ſancti Honorati, & feſtum ejus recolitur 30. Auguſti, licet ad cæleſtem patriam migrarit XVI. cal. Septembris.

XIX. S. CÆSARIUS.

In diptychis poſt Æonium legitur Johannes, cujus alibi nulla fit mentio. Multa ſunt vero quæ diptychorum illorum auctoritatem elevent. Aliunde vero legimus Cæſarium Æonio ſuffectum fuiſſe in epiſcopatu. Hic patria Cabilo-

b Graviſſimo errore nomen Cæſarii pro Æonio in quibuſdam exemplaribus legitur. Codices manuſcripti habent nomen Æonii.

ANNI CHRISTI

nensis, genere clarus, celeberrimi cœnobii in A insula Lirinensi sub Porcario abbate monachus & cellerarius, presbyter ordinatus est a sancto Æonio, & monasterio insulæ suburbanæ præfectus, ob vitæ sanctitatem & doctrinæ laudem, nimirum sacræ, non profanæ, quam oderat; nam cum missus Arelatem curandæ valetudinis causa, ad profanas litteras comparandas, maxime sub Pomerio clarissimo rhetore, pene cogeretur, quo *monastica in eo simplicitas secularis scientiæ disciplinis expoliretur*, constanter abnuit. Mortuo sancto Æonio, qui eum designarat suum successorem, invitus trahitur
501. ad episcopatum anno 501. vel 502. quo Sym-
vel machus papa ad ipsum scripsit epistolam deci- B
502. mam, respondens ad libellum supplicem, quem ipsius nomine obtulerant Ægidius abbas & Messianus notarius, de privilegiis Arelatensis ecclesiæ. Epistola 9. jam confirmarat divisionem factam inter ecclesias Arelatensem & Viennensem, cui hæ duntaxat tribuuntur parochiæ, Valentia, Tarantesia, Geneva, atque Gratianopolis. Ceterum in episcopatu multa passus est: in his duplex exsilium, nimirum insimulatus a Liciniano notario apud Alaricum Visigothorum regem Arianum, quod Burgundionibus Francisve urbem tradere moliretur, Burdegalam relegatus est; ubi excepit Ruricium Lemo- C
vicensem episcopum fama ejus virtutis etiam miraculis comprobatæ allectum. Ab hoc tamen
506. exsilio cui addictus fuit anno circiter 506. paulo post revocatur, ejus innocentia comperta; palam enim docebat colendum esse principem vel Arianum, nulla pravi dogmatis habita ratione; & reddenda esse quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Alarico eodem fere tempore victo & occiso a Clodoveo Francorum rege in Vogladensibus apud Pictones campis anno 507. Theodericus rex Italiæ Gothus & Arianus, Arelatensis urbis potitur, & partis Galliæ Narbonensis; apud quem iterum D proditionis a Judæis & hæreticis accusatus est Cæsarius, tempore obsidionis urbis, quam irrito
508. conatu Franci oppugnarunt anno circiter 508. Itaque primum in carcerem conjicitur, moxque ducitur Ravennam ad Theodericum, qui, ut erat æquissimus, cognita non solum innocentia episcopi, sed etiam sanctimonia, cum magnis eum muneribus remisit; quæ postea in alimoniam pauperum & captivorum redemtionem impendit, additis etiam sacris vasis. Ravenna Romam perrexit Symmachum papam salutaturus, a quo & a senatu populoque Romano summo honore exceptus & habitus, gloriæ impatiens redire Arelatem festinavit. In hac autem pere- E grinatione non defuerunt miracula quæ ejus sanctitatem manifestarent. Maxime vero Deus miraculis compensavit ejus in pascendis captivis alacritatem, & fiduciam in communem omnium patrem & provisorem, navibus tritico plenis a Gundobaldo & Sigismundo Burgundionum regibus opportune aliquando missis ad
l. 2. vit. eum, quando panes & annona deerant.

Præfuit auctoritate metropolitani variis conciliis; Agathensi anno 506. Arelatensi quarto
506. an. 514. habito in dedicatione basilicæ S. Ma-
514. riæ, Carpentoractensi anno 527. Arausicano II. anno 529. ubi contra Massilienssium presbyterorum falsa dogmata, asserta est gratia Christi Servatoris, ex sacris scripturis. Ea forte de causa incurrit in suspicionem malæ doctrinæ, apud eos quibus familiaria erant Faustj & Semipelagianorum dogmata. Idcirco habita est synodus Valentina, ad quam Cæsarius infirmitatis causa convenire non potuit; ut discimus ex ejus vita, sed misit vice sui Cyprianum Tolonensem episcopum doctissimum, qui in cœtu episcoporum rursus doctrinam de gratia præveniente, sine qua nihil possumus facere, asseruit, & de errore triumphum retulit; *nam beatæ memoriæ Bonifacius a Romana ecclesia papa eadem collectatione comperta, calcata intentione jurgantium, prosecutionem sancti Cæsarii apostolica auctoritate firmavit*, inquit ejus vitæ auctor.

ANNI CHRISTI 527. 529.

Ultimum concilium sancto Cæsario præside habitum, fuit Vasense ejusdem anni 529. Diu 529.
tamen postea vixit, & quidem in episcopatu, mortuusque tantum legitur anno 542. die VI. 542.
calend. Septembris, anno ætatis suæ 73. sepultus in basilica sanctæ Mariæ, quam ædificaverat & consecrarat, ubi erat congregatio virginum.

Scripsit sanctus Cæsarius varias homilias, tractatus, regulam sanctimonialium, regulam monachorum, testamentum suum, librum de gratia Dei & libero arbitrio adversus Faustum, & nonnullas epistolas, quarum una laudatur a Bonifacio papa II. ad eundem Cæsarium scribente.

Ejus vitæ librum primum non solus scripsit Cyprianus ipsius discipulus, postea Tolonensis episcopus, sed etiam Firminus & Viventius, ipsius quoque discipuli & episcopi; Firminus (ut conjicit Baillerus post Mabillonium) Uceticæ; Viventius, incerti loci. Secundo libro elucubrando Messianus & Stephanus operam dederunt. Exstat tum apud Surium mense Augusto, tum seculo I. Benedictino. De eo legendi Ennodius Ticinensis in epistolis ad ipsum, Gennadius de illustribus ecclesiæ scriptoribus, & ceteri qui eandem spartam nacti sunt & ornarunt; denique quotquot historiæ ecclesiasticæ sedulam operam impenderunt. Noviſsime vero de vita ejus & scriptis egit vir eruditus Ludovicus Jacob Carmelita, in libro de claris scriptoribus Cabilonensibus.

Præter epistolas summorum pontificum Symmachi & Bonifacii II. ad Cæsarium scriptas, quas commemoravimus, plurimæ aliæ sunt, Hormisdæ, Felicis III. al. IV. Johannis II. Agapeti I. Exstat tom. V. concil. Labb. epistola 3. Vigilii papæ ad eum, qua respondet quæstioni de qua scripserat ad Silverium, scilicet de pœnitentia quæ Theodeberto regi esset injun-

a Vide ejus epistolam 11. ad Cæsarium, qua confirmat quæ sunt ab synodo Arausicana Cæsario præside definita. Ex ea liquet tunc temporis aliquos episcopos Galliarum (cum cetera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire) fidem tantum qua in Christo credimus naturæ esse voluisse, non gratiæ. Quæ sunt ipsa verba Bonifacii.

De eadem quæstione S. Albinus Andegavensis episcopus S. Cæsarium interrogaverat, teste Venantio Fortunato, ejus vitæ scriptore. Forsitan S. Cæsarius, antequam responderet, voluit consulere sanctam sedem.

genda, ob inceſtuoſas nuptias.

ANNI CHRISTI.

Habuit is antiſtes ſanctam virginem ſororem, nomine Cæſariam, quam Arelatenſi a ſe conſtructo cœnobio præfecit, regulaſque ſcripſit quas moniales obſervarent, in plurimis aliis monaſteriis poſtea receptas. Quin etiam parthenonem hunc privilegio donavit, quod Hormiſdas papa roboravit diplomate edito apud Bollandum tom. I. menſis Jan. Altera Cæſaria huic abbatiſſæ in regimine ſucceſſit, quam quidam quoque ſororem ſancti Cæſarii autumarunt; forte quia illam non minus diligebat quam ſi germana exſtitiſſet.

p. 736.

Tetradium ſancti Cæſarii nepotem novimus ex regula monachorum, quam ille ex ore ſancti viri ſcripſit ad multa Galliæ monaſteria transmittendam.

Sepulcrum ſancti Cæſarii, cum a Sarracenis dirutum fuiſſet, reſtituit quidam nomine Paulus anno 873. cui & adjecit hoc epitaphium:

Cernitur hic vario renovatum marmore tectum
Patri Cæſario pontificique ſacro,
Quod ſcelerata colors rabie deſtruxit acerba:
Hunc virtute Dei ſorbuit unda maris.
Præſule Roſtagno hanc Arelati ſede locato,
Cernuus id Paulus ſtrenue compſit opus.
Cui Chriſtus tribuat cæleſtis gaudia vitæ,
Cœtibus angelicis conſociavit ovans.
Et nobis, venerande pater, miſerere precando,
Diluat ut noſter crimina cuncta Deus.

XX. AUXANIUS[a].

Auxanius præfecto prætorio patre natus, defuncto Cæſario ſubſtitutus eſt an. 543. qui cum per legatos pallium petiiſſet a Vigilio papa, hicque ei dare diſtuliſſet, quoad certiorem feciſſet imperatorem, tandem anno ſequenti petente Childeberto Francorum rege, & conſentiente Juſtiniano imperatore, eidem non ſolum pallii uſum conceſſit pontifex, ſed & vices ſuas in Gallia anno 545. 22. die Maii delegavit, admonens ut pro tanto principe Deum oraret, pacemque inter ipſum & Childebertum conſervare ſtuderet. Epiſtolæ Vigilii ea de re ſcriptæ tum ad Auxanium, tum ad omnes epiſcopos ſub regno Childeberti conſtitutos, quæ leguntur in conciliorum collectione, exſtant in Arelatenſis eccleſiæ ſcriniis manu exaratæ. Idem Vigilius epiſtola 8. commiſit cauſam Prætextati epiſcopi examinandam Auxanio, cui etiam epiſtola 9. ad epiſcopos Galliæ jubet omnes obtemperare. Obiit Auxanius anno Domini 546.

543. Vigil. epiſt. 6. 545. epiſt. 7. 546.

XXI. S. AURELIANUS.

S. Aurelianus eodem anno quo Auxanius rebus humanis exemtus eſt, ad ſedem Arelatenſem vacuam eſt aſſumtus, glorioſiſſimi Childeberti Francorum regis accedente voluntate, ut docet Vigilius papa in epiſtola 10. qua ei *adminiſtrationem vicum ſuarum committit*, data x. cal. Septembris quinquies poſt conſulatum Baſilii viri clariſſimi. Monet autem eum officii, docetque ad ipſum pertinere contentiones inter epiſcopos eorumque cauſas adhibitis aliis epiſcopis judicare, graviores tamen ad ſanctam referre ſedem. Eadem epiſtola concedit ei uſum pallii, & cum hortatur ut pacem inter imperatores & Childebertum Francorum regem foveat. Aliam epiſtolam ſcripſit ad epiſcopos qui erant ſub regno Childeberti, in qua, *Quia*, inquit, *dudum Auxanio quondam Arelatenſis civitatis antiſtiti vitæ noſtrarum ſollicitudinem dederamus; ſed curſum vitæ præſentis implendo de hac luce migravit, in cujus loco Aurelianus frater noſter noſcitur ſucceſſiſſe; neceſſarium valde credimus, ſollicitudinem hanc a nobis antefato debere committi, confidentes illum & pro loci ſui qualitate bonis actibus univerſa, quæ Deo placeant, poſſe complere, & maxime cum glorioſus filius noſter Childebertus rex teſtimonium bonæ conſcientiæ pro Chriſtiana ſua voluntatis devotione perhibuit. Oportet ergo caritatem veſtram ei in omnibus, qua, ſervatis per cuncta canonibus ſalubriter, ſecundum noſtrorum definita majorum, pro noſtra auctoritate cenſuerit, præbere obœdientiam competentem.* Potiſſimum hortatur epiſcopos ut ad ſynodos ab ipſo indictas conveniant.

p. 14.

Ipſe adfuit ſynodo Aurelianenſi V. an. 549. vel etiam præfuit; nam in nonnullis codicibus nomen ejus primum legitur inter ſubſcriptiones. Præterea concilium hoc congregatum fuit a Childeberto rege, cujus regni epiſcopis præpoſitus fuerat Aurelianus, ex epiſtola undecima Vigilii ſupra laudata.

549.

Hic præſul pro fidei integritate ſollicitus, cum audiiſſet Vigilium papam tria condemnaſſe capitula, & nonnulli quererentur per illam damnationem impugnari concilium Calchedonenſe, eaque ratione a papæ communione recederent, ad eundem ſcripſit ut ſciret utrum quæ de eo ſpargebantur, vera eſſent; cui Vigilius reſpondit epiſtola 13. laudans ejus pro fide ſollicitudinem, de cetero *modis omnibus*, inquit, *confidatis nihil nos penitus admiſiſſe, quod deceſſorum noſtrorum conſtitutis, vel ſanctæ quæ una eademque eſt, fidei quatuor ſynodorum, id eſt Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ I. atque Calchedonenſis inveniatur (quod abſit) eſſe contrarium.* Poſtea rogat Aurelianum, ut opem Childeberti regis imploret, ne ſinat per Gothos fidem turbari. Hæc epiſtola ſcripta eſt anno 14. imperii Juſtiniani, & nono poſt conſulatum Baſilii, ſeu anno Chriſti 550. Anno ſuperiori Gothi ſub Totila rege Romam occuparant; a quibus fidei periculum imminebat; erant enim Ariani. Eodem anno quidam ejus mortem notant; communis tamen opinio eam differt ad annum 553. Inſcribitur martyrologio Romano & aliis ad diem 16. Junii, his verbis: *Lugduni depoſitio B. Aureliani [b] epiſcopi Arelatenſis.* Qua occaſione morte ſublatus fuerit Lugduni, nos latet. Duo condidit cœnobia, unum dictum apoſtolorum pro viris, alterum B. Mariæ pro feminis; utrique autem regulam præſcripſit pene ſimilem. Primum videtur non aliud eſſe ab

550. 553. b

[a] Poſt Cæſarium in diptychis addunter recenti manu Felicianus & Saturninus epiſc. . . . Deinde eodem characſtere Præſanus, Æſanus, qui forte idem eſt cum Auxanio, Aurelianus &c.

[b] In veteri hagiologio & necrologio abbatiæ ſancti Ægidii legitur: *xvj. kal. Julii Lugduni depoſitio Aureliani epiſcopi Arelatenſis*, omiſſo *ſancti aut beati* titulo.

ANNI CHRISTI.

eo quod Childebertus rex intra muros urbis Arelat. condidit, cuique Vigilius papa eodem rege poſtulante conceſſit privilegium, poſtea confirmatum a ſancto Gregorio papa epiſtola centeſima undecima lib. 9. ind. 2. Sane in hujus cœnobii diptychis fit commemoratio Childeberti & Ultrogothæ reginæ poſt S. Aurelianum. Vide Mab. ad annum 547. n. 31. & ſeq.

ep. olim 116. *lib. nunc* 7.

XXII. SAPAUDUS.

Sapaudus illuſtri ſanguine oriundus filius fuit Placidi viri magnificentiſſimi & patricii, ut ait epiſtola duodecima Pelagius papa I. Dicitur vir apoſtolicus in vita S. Ruſticulæ abbatiſſæ. Pelagius vero papa honoris cauſa miſit ad eum ſalutatoriam epiſtolam, priuſquam ab ipſo litteras accepiſſet. Eundem anno 557. creavit ſuum vicarium in Gallia, & ei miſit pallium hac epiſtola *.

ep. 2.

557.

ep. 12.

Dilectiſſimo fratri Sapaudo, Pelagius. Majorum noſtrorum, operante Dei miſericordia, cupientes inhærere veſtigiis, & eorum actus divino juvamine in omnibus imitari, caritati tuæ per univerſam Galliam, ſanctæ ſedis apoſtolicæ, cui divina gratia præſidemus, vices injungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana teſtantur ſcrinia, a ſanctis patribus & deceſſoribus noſtris tuis deceſſoribus eſſe conceſſum: ut illius ſtabilis petra ſempiterna ſoliditas, ſupra quam Dominus Salvator noſter propriam fundavit eccleſiam a ſolis ortu uſque ad occaſum, primatus ſui apicem ſucceſſorum ſuorum auctoritate, tam per ſe, quam per vicarios ſuos firmiter obtineret, &c. Hinc eſt, quod nos fraternitati tuæ hujuſmodi curas injungimus, ut ſedis noſtræ vicarius inſtitutus, ad inſtar noſtrum in Galliarum partibus primi ſacerdotis locum obtineas, & quidquid ad gubernationem vel diſpenſationem eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſervatis patrum regulis, & ſedis apoſtolicæ conſtitutis, divini judicii conſideratione, diſpenſes; talemque te in cuſtodiendis canonibus ſanctæ converſationis demonſtres, qualem tanti loci decet eſſe vicarium, &c. Uſum quoque pallii tibi alacriter, affectuoſeque concedimus; pariter etiam pallium dirigentes, ut in tanti loci faſtigio conſtitutus, præclaro quoque habitu decoreris, ſciturus omnibus eccleſiaſtici gradus hominibus, nullam haberi licentiam, ſine formata tuæ caritatis, ex quacumque Galliarum parte longiores petere regiones; ne prohibita præſumentes ipſi ſe proprio videantur privare officio, &c. Data III. *nonas Februarii anno* 16. *poſt conſulatum Baſilii.*

Sapaudus multas alias a Pelagio epiſtolas accepit, quæ arctiſſimæ inter ipſos neceſſitudinis argumenta ſunt. Sane cum audiiſſet papa Childebertum regem juſſiſſe ut contra ſui primatus privilegium, & vicarii ſanctæ ſedis jus, neſcio cui epiſcopo ſe judicandum ſiſteret, id indigne tulit, ſcripſitque ad regem ut curaret ſatisfieri Sapaudo, caveretque ne quid contra eccleſiaſticas regulas petentibus concederet.

ep. 14.

Præfuit præſul hic concilio Arelatenſi V. die 29. Junii anni 554. ubi pro eccleſiaſtica diſciplina canones octo ſunt conditi. Interfuit etiam Pariſienſi II. in cauſa Saffaraci epiſcopi, anno

554.

555. quod nonnulli revocant ad annum 551. Item Pariſienſi IV. anno 573. Valentino II. anno 584. Denique anno 585. ſubſcripſit ſynodo Matiſconenſi ſecundæ, ſed per procuratorem tantum.

ANNI CHRISTI. 573. 584. 585.

Sapaudi meminit Gregorius Turonenſis, l. 4. hiſt. c. 30. ubi commemorat Arelato obſeſſo, cives a Sigeberti partibus ſtantes adverſus Guntramnum regem, ad dimicandum ſub ſignis Firmini comitis Arelatenſis, contra exercitum Celſi patricii, ſuadente hoc pontifice, urbe egreſſos fuiſſe; ſed poſtea obſeratis portis, plurimi eorum obtruncati, & flumine Rhodano ſuffocati perierunt. Fato ſuo functus eſt Sapaudus Arelatenſis antiſtes, anno ſalutis 586. XI. regni Childeberti, uti docet idem Gregorius l. 8. capite 39.

586.

XXIII. LICERIUS.

Licerius Guntramni regis referendarius, Sapaudo defuncto, in epiſcopum aſſumtus fuit, ut memorat idem Gregorius lib. 8. c. 39. Deceſſit anno 13. ejuſdem Childeberti regis, Chriſti vero 588. qui annus lue peſtilentiſſima per Italiam, & loca Galliarum Italiæ vicina graſſata infamis fuit.

586.

588.

XXIV. S. VIRGILIUS.

Poſt Licerium Saxius ponit Paſchaſium, qui etiam locum hunc habet in veteribus diptychis Arelatenſibus, ſæpe a nobis in teſtimonium adductis. Sed potior eſt auctoritas Gregorii Turonenſis, ea quæ videbat ſcribentis, qui libro 9. hiſtoriæ capite 23. ait: *Obiit autem & Licerius Arelatenſis epiſcopus, in cujus eccleſiam Virgilius* [a] *abbas Auguſtodunenſis, opitulante Syagrio epiſcopo, ſubſtitutus eſt.* Expungendum ergo Paſchaſium hunc cenſemus, poſt Sammarthanos fratres & Carolum Cointium.

a

S. Virgilius patria Aquitanus, ex monacho Lerinenſi abbas Auguſtodunenſis, uti præmiſimus, pontificalem ſedem adipiſcitur anno 588. Fuit is ſancto Gregorio Magno familiaris, qui eundem non ſolum laudibus, ſed etiam variis donis & inſigniis exornavit, ut patet ex plurimis ad ipſum ſcriptis epiſtolis [b]. Ex iis enim intelligimus non ſolum ipſi conceſſum uſum pallii, & demandatas ſedis apoſt. vices, juxta antiquum morem, ſed etiam commiſſas cauſas majores, in primo juriſdictionis gradu: *Si qua vero*, inquit Gregorius, *inquiſitio de fide, vel fortaſſe aliarum rerum inter epiſcopos cauſa emerſerit, quæ diſcerni difficilius poſſit, collectis duodecim epiſcopis ventiletur, atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, diſcuſſa veritate ad noſtrum judicium referatur.* Eidem quoque indultum, ut concilia, quoties neceſſe judicaret, cogeret. Ab eo voluit ordinari in epiſcopum S. Auguſtinum, quem e ſuo Romano S. Andreæ monaſterio miſerat in Britanniam, ad Anglorum converſio-

588.

b

ep. 53. l. 5.

ep. 54. l. 5.

a Scriptor ejus vitæ dicit eum teriſſe monaſterium Lerinenſe, nulla facta mentione Auguſtodunenſis. Sed Gregorio Turon. fides magis deberur, quam ſcriptori octavi ſeculi. Forte Virgilius utrumque rexit monaſterium.

b En clenchus epiſtolarum ſancti Gregorii papæ ad Virgilium: ep. 47. libri I. 43. lib. V. 53. lib. VI. 106. lib. IX. Ejuſdem libri epiſtola 111. & 114. lib. XI. ep. 55. & 62. Hic ſervamus ordinem novi ſſimæ, quam æqueravimus, editionis.

nem, sæpeque Virgilio commendarat cum ip- A
ANNI CHRISTI. sius sociis ejusdem monasterii monachis.

Dissimulandum tamen non est sanctum Gre-
l. 9. ep. 114. gorium arguisse negligentiæ hunc præsulem, quod non obstiterit quominus Syagria, quamvis mutatis vestibus vitam religiosam assecuta, marito sociaretur. Et forte propter hanc Virgilii indiligentiam sanctus Gregorius faciles præbuit aures Brunichildi reginæ, pallium pro Syagrio episcopo Æduorum postulanti; collata enim simul cum pallio synodos cogendi facultate Augustodunensi antistiti, multum detractum est auctoritati metropolitani Arelatensis. Id autem factum est an. 599. Post annum 601. nulla
599. 601. Virgilii occurrit mentio in Gregorianis epistolis. B
Ejus vitæ scriptor dicit conditam ab ipso basilicam sancti Stephani martyris in urbe, quæ cathedralis est ecclesia. Ædificavit extra urbem templum sanctis Trophimo & Honorato dicatum, in quo sepultus est, ut docet ejus vita ex antiquo manuscripto codice eruta, quam chronologiæ Lerinensi cum notis inseruit Barralis. Festum ejus celebratur ab ecclesia Arelatensi die 7. (al. 10.) Octobris, & a Lerinensibus III. nonas Martii. Sancti Virgilii mortem anno cir-
616. citer 616. contigisse putat Mabillonius, Baillet. anno 624. At ea de re nulla certa est sen- C
tentia. Vide not. 1. ad ep. 47. l. 1. S. Gregorii novæ editionis. Idem Mabill. docet eum sepultum esse in basilica Salvatoris, quam ipse extruxerat extra muros Arel. forte eadem cum ecclesia sanctorum Trophimi & Honorati. Locus ejus sepulturæ, post varios status tandem cessit RR. PP. Minimis. Tunica cilicina semper usus est ad carnem. Noctes pleraque in sacris vigiliis, ecclesias lustrando, impendebat. Miraculis clarus in vita & post mortem fuit. Ejus acta descripsit anonymus seculo octavo in-
p. 35. eunte, ediditque Mabill. seculo II. Bened.

XXV. Florianus. D

Hunc episcopum nobis suppeditant sola diptycha sæpius laudata. Saxius eum suo Arelatensi pontificio inseruit, & Carolus Cointius catalogo Arelatensium præsulum, nulla allata ratione, nulloque assignato tempore quo sederit, nisi quod ponitur inter S. Virgilium & Theodosium.

XXVI. Cyprianus.

In vita sancti Galli abbatis auctore Walafrido Strabo, qui florebat sub Ludovico Pio, c. 22. commemoratur Cyprianus episcopus Arelatensis, qui Sigiberto regi persuasit, ut Frideburgam ad conjugium suum non cogeret. Hic vero scriptor secutus est antiquiorem, ut ipse in præfatione profitetur. Huic vero Cypriano alius non potest assignari locus, quam ante Theodosium qui sequitur. Consulendæ sunt notæ
Sæc. 2. Ben. pag. 55. & seq. Mabillonii ad vitam sancti Galli, ubi expendit quis sit Sigibertus, qui Frideburgam a dæmone liberatam petebat conjugem.

XXVII. Theodosius, al. Theodericus.

632. Theodosius jam sedebat anno circiter 632. quo sanctæ Rusticulæ virginis abbatissæ Arelatensis funus curavit, teste Florentio presbytero, qui vitam sanctæ Rusticulæ dicavit Celsæ abbatissæ ejusdem monasterii paulo post illam; hinc pro scriptore synchrono haberi potest. Is anno 648. provinciam suam lustrasse jure metropolitico legitur in veteri charta Arelatensi. Verum paulo post, quia publicam pœnitentiam egisse dicebatur, suspenditur ab omni officio episcopali, judicio concilii Cabilonensis, quod ad annum 650. vulgo refertur; revocat autem Coin- 650.
tius ad annum 644. Id nos docet hæc ejusdem concilii ad ipsum epistola:

Domino semper peculiari suo Theodosio, cœtus episcoporum qui nuper est Cabilono urbe cum Christi gratia adunatus. Omnibus veridica relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignorasse, quod glorioſus dominus Clodoveus rex in supra scripta urbe Cabilono viij. calendas Novembris synodale præcepit esse concilium. Ubi omnibus nobis, qui in basilica domni Vincentii pariter residentes, vestrum adventum, dum vos propinquos & jam in ipsa urbe esse audivimus, omnimodis præstolati sumus, datur intelligi pro qua re vos in ipso concilio non voluistis adesse, dum multa adversus vos, & de indecenti vita, & de excessu canonum, quod maxime condolemus, pervulgata narrantur. Nam & scripta, qualiter vos constitit pœnitentiam fuisse professos, vestra manu vidimus, & comprovincialium vestrorum manibus roborata. Unde vos credimus jam legisse, nec nos penitus ignoramus, quod qui publice pœnitentiam profitetur, episcopalem cathedram nec tenere, nec regere potest. Propterea salutantes beatitudinem vestram honorifice, indicamus ut usque ad aliam synodum de Arelatensi sede, ubi vos constat pontificalem cathedram tenuisse, debeatis omnimodis abstinere, & de facultate ipsius ecclesiæ nihil ad vestram dominationem, donec in audientia ante fratres conveniatis, penitus præsumatis.

Quid de eo postea statutum sit nescimus, cum ipsius non occurrat amplius mentio.

XXVIII. Johannes I.

Johannes subscripsit privilegio quod Emmo Senon. episcopus concessit asceterio S. Columbæ anno 3. Chlotarii regis, qui partim respondet anno Christi 658. partim 659. Paulo post con- 658.
sensit alteri privilegio pro cœnobio sancti Petri Vivi ejusdem civitatis. Vitæ diem clausit extremum anno 675. Legendus venerabilis Beda 675.
historiæ ecclesiasticæ Anglorum l. 4. c. 3. Item memoratur in vita S. Theodori Cantuariensis E
episcopi, quem Roma profectum in Britanniam cum Adriano abbate & Benedicto Biscopo anno 668. VI. cal. Junias, hospitio summa humanitate excepit hic præsul. Hanc vitam habes seculo II. Ben. p. 1030. excerptam ex libb. 4. & 5. histor. Bedæ venerabilis. 668.

Alius Johannes episcopus ei subjicitur in diptychis; deinde sequuntur, Anastasius, Austrobertus, Vulbertus, Aurelius, Polycarpus, Martinus, Protasius, Imnodus, Georgius, Ratbertus, Kautsarus, Wilimeris, Wiliaris, Arladis, Alafantus, Luponus, Johannes, Notinus, idem ac Notho, &c.

XXIX

ANNI CHRISTI.

XXIX. Felix.

Felix humilem episcopum sanctæ Arelatensis ecclesiæ & legatum venerabilis synodi per Galliarum provincias constituræ se appellat, subscribens concilio Romano, sub Agathone papa,
679. anno circiter 679. ut est in actione IV. synodi in Trullo, seu tertiæ Constantinopolitanæ. Porro ex hac subscriptione & aliis, scilicet Adeodati Tulli Leucorum episcopi, & Taurini diaconi Tolonensis, qui se dicunt similiter *legatos venerabilis synodi per Galliarum provincias*, infert Labbeus tom. VI. concil. col. 1887. habitam tunc fuisse synodum in Galliis adversus Monothelitas, a qua missi fuerunt hi episcopi Gallicani. Sed huic conjecturæ obstat subscriptio sancti Wilfridi episcopi Eboracensis, qui se quoque dicit legatum venerabilis synodi per Britanniam; etsi constat eum minime fuisse missum a synodo ecclesiæ Britanniæ, cum e contrario fuisset pulsus episcopatu per S. Theodorum Cantuariensem archiepiscopum.

XXX. Walbertus, seu Wolbertus.

Ut non admittamus antistites omnes in diptychis Arelatensibus antea enumeratos, & his monumentis non omnem adhibeamus fidem, præsertim nos movet, quod plurimos episcopos, quos sedisse indubitata probant argumenta, non contineant. Sane post Johannem I. sequuntur, ut diximus, alter Johannes, Anastasius, Austrobertus, &c. omisso Felice, cujus tamen nomen cum titulo Arelatensis episcopi legitur in celeberrima synodo Romana sub Agathone. Itaque ex præsulibus consignatis in his diptychis eos seligemus, qui aliunde utcumque sunt noti. Incipimus autem a Walberto, cujus nomen putamus subscriptum instrumento fundationis monasterii de Grasello, anno cir-
684. citer 684. Cœnobium hoc condidit Aredius, alio nomine Petruinus episcopus Vasionensis, *in suburbano civitatis, in loco cujus vocabulum Grasello.* Litteræ hujus episcopi ea de re inscriptæ sunt comprovincialibus episcopis, qui octo numero ipsis subscripserunt, Wolbertus, Agliacus, Ambrosius, Tredicus, Godebertus, Leodegarius, Pascasius, Rusticus post Petruinum. Tunc Vasensis ecclesia, quam regebat Petruinus, Arelatensi suberat metropoli, uti Avenionensis, Massiliensis, Tricastinensis, Tolonensis, Arausicana, Carpentoractensis, & Cabellicensis. Vix dubitamus itaque Wolbertum proxime subscriptum post Petruinum fundatorem, esse Arelatensem archiepiscopum; septemque alios episcopos cum Petruino Vasionensi episcopo fuisse octo metropolis Arelatensis suffraganeos. Sed cui sedi singuli ex illis præessent, divinare non est in promtu, quia illarum ecclesiarum indices seculo septimo sunt mutili. Hoc
p. 698 instrumentum legesis tom. I. annal. Mabill. in appendice.

XXXI. S. Polycarpus.

Hunc quoque episcopum ex turba eorum quos diptycha commemorant, secrevimus, & inserendum nostro Arelatensium episcoporum catalogo duximus, quia, ut observat Cointius, relatus est in sanctorum numerum, ejusque effigies depicta cernitur, ornataque beatitatis emblematibus, in altari matris ecclesiæ, cum imaginibus aliorum antistitum Arelatensium, qui catalogo sanctorum adscribuntur. Porro æquum non est credere, ecclesiam Arelatensem cultu religioso prosequi ab antiquis temporibus non sanctum episcopum, sed phantasma.

ANNI CHRISTI

Si auctoritati eminentissimi cardinalis Baronii, de historia eccles. ita bene meriti cedendum sit, Arelatensibus accensebimus episcopis Paulum quemdam Gemminum, quem eruit ex veteri inscript. *Saracenis*, inquit, *invadentibus civitatem Arelatensem, ab ipsis etiam sanctorum monumenta fuere contrita, penitusque delera. Ipsis vero cæsis atque fugatis, parta pace cum securitate fidelibus; qua impii fuerant demoliti, pii continuo restaurare cæperunt, & inter alia eorum patroni sepulcrum sancti Cæsarii, quod & hujusmodi versibus ornavere.*

Cernitur hic vario renovatum marmore tegmen
Patri Cæsario pontificique sacro:
Quod scelerata cohors rabie destruxit acerba,
Hanc virtute Dei sorbuit unda maris.
Præsul & in stagno Arelatis sede locato,
Gemminus id Paulus strenue compsit opus.

Ex his versibus male lectis & intellectis, Baronius infert Gemminum Paulum præsulem fuisse Arelatensem, idque significari hoc distycho:
Præsul & in stagno Arelatis sede locato,
Gemminus id Paulus, &c.
Sed legendum uti jam edidimus pag. 537.
Præsule Rostagno hæc Arelatis sede locato,
& ita legendo Gemminus Paulus ex episcopo fit tantum sepulcri S. Cæsarii artifex.

Sane deflendum est his iniquissimis & per- 731
turbatissimis temporibus, quibus Saraceni Galliam devastabant, nulla facta esse concilia, ex quorum monumentis potuissemus nomina episcoporum eruere; imo nulli aut pauci sederunt episcopi, ut conqueritur S. Bonifacius martyr epistola I. ad Zachariam papam. Hunc accersierat Carlomannus dux Francorum, ad resarciendam ecclesiasticam *religionem, quæ jam longo tempore, id est non minus quam per* LX. *vel* LXX. *annos calcata & dissipata fuerat.* Addit: *Franci enim, ut seniores dicunt, plus quam per tempus octoginta annorum synodum non fecerunt, nec archiepiscopum habuerunt, nec ecclesia canonica jura alicubi fundabant, vel renovabant: modo autem maxima ex parte . . . . episcopales sedes tradita sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis clericis, &c.* Unde non mirum si nostri episcoporum catalogi sapissime sint mutili.

XXXII. Ratbertus.

Ratbertus vel Rambertus ex veteri codice MS. Avenionensi, quem non semper respuendum censemus, comitibus Josepho episcopo Avenionensi, & aliis decem episcopis Romam est missus a Carolo magno, adfuitque concilio Romano anni 769. coacto adversus pseudo-pa- 769.
pam Constantinum.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

XXXIII. Elifantus.

Elifantus ſynodo Narbonenſi in baſilica S. Juſti congregatæ, cum Daniele hujus civitatis præſule ſubſcribit *prima ſedis epiſcopus*, anno
788. 788. ind. XII. Cointio 791. In Francofordienſi
794. concilio anno 794. vetus altercatio de jure metropolitico inter Arelatenſem & Viennenſem epiſcopum, quæ recruduerat inter Elifantum Arelatæ & Urſionem Viennæ tunc ſedentem, compoſita eſt canone 8. quo definitur *ut Arelatenſis eccleſia novem ſuffraganeas ſedes habere deberet, quibus ipſa præmineret.* In codice Lugdunenſi, ut docet Sirmondus, hæ novem eccleſiæ B hoc ordine recenſentur, Maſſilienſium, Albenſium, Deenſium, Tricaſtinorum, Vaſenſium, Arauſicorum, Cavellicorum, Avennicorum, & Carpentoratenſium.

XXXIV. Johannes II.

811. Anno 811. Carolus Magnus, Eginharto teſte, qui vitam ejus & geſta ſcripto tradidit, teſtamentum condidit, cui novem ſubſcripſere præ-
Tom. VII. concil. edit. Labb. ſules, & in his Johannes Arelatenſis. Hic ab eodem imperatore factus eſt miſſus dominicus, ut docet nos hujus principis præceptum pro Hiſpanis in Franciæ regno cis Rubricatum commorantibus; quorum cauſa imperator miſit C hunc archiepiſcopum ad Ludovicum regem fi-
812. lium ſuum anno 812. Sequenti anno præfuit concilio Arelatenſi VI. congregato in eccleſia ſancti Stephani martyris, ubi in frequenti cœtu orationem habuit. Ipſo rogante ad juſſionem Caroli imperatoris, qui ei & tribus aliis archiepiſcopis (forte etiam ceteris) ſcripſerat, ſcire volens quomodo ipſi eorumque ſuffraganei preſbyteros plebemque inſtruerent de baptiſmo, Theodulfus epiſcopus Aurelianenſis librum edidit *de ordine baptiſmi.* Ludovicus pius imperator eundem archiepiſcopum obviam miſit Stephano IV. papæ in Gallias adventanti D
816. an. 816. a quo pontifice in eccleſia Remenſi inunctus eſt, imperialique diademate cum Ermingarde regina coronatus, quemadmodum Ademarus hiſtoricus his verbis deſcribit: *Imperator ejus*, Stephani, *adventu præcognito, Bernardum nepotem eum comitari juſſit. Sed & appropinquanti alios miſſos, qui eum cum debito honore perducerent, direxit. Ipſe autem adventum ejus Remis ſuſtinere ſtatuit. Cui etiam obviam Hildebaldum archicapellanum ſacri palatii, Theodulphum epiſcopum Aurelianenſem, Johannem Arelatenſem, aliorumque miniſtrorum eccleſia copiam procedere juſſit, infulis indutos ſacerdotalibus. Ad ultimum imperator miliario proceſſit a monaſterio S. confeſſoris Remigii, & tanquam B. Petri vicarium, honeſtiſſime ſuſcepit.* Obiit Johannes anno
819. 819. ex Saxio.

XXXV. Notho.

Notho anno 11. Ludovici imperatoris, Chriſti
814. 814. III. nonas Januarias jam erat archiepiſcopus, quo videlicet tempore laudavit hic prin-
a ceps commutationem a a Nothone factam cum

a Eadem eſt commutatio, quæ in Gallia Chriſtiana Fratrum Sammarthanorum refertur ad annum 15. Ludovici Pii; Cointius pro anno 15. Ludovici; legit & ſcripſit *anno undecimo.*

A Leybulfo comite; ex chronologia Lerinenſi Vinc. Barralis. Recenſetur inter epiſcopos Toloſam accerſitos anno 828. epiſtola ejuſdem Ludovici pii. Eodem anno Ludovici imperatoris decimo quinto, ſubſcribit donationi factæ monaſterio Lirinenſi a Leybulfo viro illuſtri & ejus uxore Odda. Paulo poſt celebratur concilium VI. Pariſienſe, cui interfuit Notho. An. 835. judex eligitur in cauſa Ebbonis Remorum antiſtitis damnati, & gradu ſuo dejecti, in Theodonis-villæ ſynodo; qui ipſi & aliis epiſcopis confeſſus eſt etiam ſecretiora & occultiora piacula. Sua ſubſcriptione comprobavit judicium latum adverſus monachos Aninſulenſes, in ſyn- *Vide Mab. ad hunc an. n. 63.*
odo Cariſiaca an. 837. Hujus epiſcopi diebus Saraceni Rhodano adverſo vecti acceſſerunt Arelatum, ampliſſimaque ditati præda receſſerunt. Anno 844. Fulcradus comes Arelatenſis ac ceteri comites Provinciæ deficiunt a Lothario, ſed vel eodem anno vel ſequenti Lotharius ipſos compellit ad deditionem, iterumque & ante potitur Provincia, ut legitur in annal. Bertinianis & Metenſibus.

ANNI CHRISTI.

818. *vel* 819.

835.

844.

XXXVI. Rodlandus.

In præfatione concilii Valentini III. anno 855. habiti, & in ipſius ſubſcriptionibus legitur 855.
Rodlandus Arelatenſis archiepiſcopus; præfuitque huic cœtui cum metropolitanis Lugdunenſi & Viennenſi. Ad eum Nicolaus I. ſcripſit epiſtolam ordine nonam in appendice, datam anno
864. die 12. Maii indictione XII. in qua me- 864.
minit vicariatus S. ſedis olim dati Arelatenſibus epiſcopis; ſpemque facere videtur paris privilegii conſequendi, ſi erga eandem ſedem ſit obſervantiſſimus. Hac in epiſtola ipſum ait humilitatis, & omnium virtutum floribus redimitum. Eodem anno in concilio Piſtenſi ſecundo *Spicileg. II pag. 392.*
probavit quandam conſtitutionem factam pro Autiſſiodorenſi S. Germani cœnobio. Huic archiepiſcopo Crudatenſe monaſterium datum eſt ab Ludovico imperatore, ut legimus in charta Boſonis pro hoc monaſterio. Epiſtola quædam miſſa anno circiter 863. ad archiepi- 863.
ſcopos & epiſcopos regni Ludovici, nomen Rotlandi præfert in inſcriptione, uti & plurimorum aliorum metropolitarum. Hujus archiepiſcopi tempore Rhodani littora vaſtata ſunt a barbaris. Etenim an. 859. *pyratæ Danorum longo maris circuitu, inter Hiſpanias videlicet & Africam navigantes, Rhodanum ingrediuntur: depopulatiſque quibuſdam civitatibus ac monaſteriis, in inſula, quæ Camarias dicitur, ſe diſponunt*, aiunt annal. Bertin. Item anno 860. *Dani qui in Rodano fuerant, Italiam petunt & Piſas civitatem aliaſque capiunt, depradantur, atque devaſtant.* Danis ſeu Normannis recedentibus, ſuccedunt Saraceni ex Aimoini continuatore ad an. 869. *Rotlandus archiepiſcopus*, in- 869.
quit, *abbatiam S. Cæſarii apud Ludovicum imper. & Ingelbergam non vacua manu adeptus, in inſula Camaria* * *inclitiſſima, in qua res abbatiæ jacebant, & in qua portum ibi Saraceni habere ſolebant, caſtellum tumultuario opere de ſola terra ædificans, audito Saracenorum adventu, in illud ſatis inconſulte intravit, & applicantibus* *

* La Camargue.

* apulerunt.

Lib. V. c. 13.

ANNI CHRISTI.

ad castellum Saracenis, amplius quam trecentis suorum interfectis, ab eisdem est captus, & in eorum naves deductus est ac religatus, unde CL. *libris argenti, &* CL. *mantellis, &* CL. *spathis, &* CL. *mancipiis, praeter ea quae in placito data sunt, ad redemtionem ejus concessis* *. *Interea idem episcopus in navibus moritur* XIII. *calend. Octob. Saraceni autem accelerantes de redemtione illius ingeniose, quasi non possent ibi amplius immorari, si illum vellent recipere, redemtores illius redemtionem pro eo dare, ut acceleraret; edicunt, quod & factum est. Et Saraceni susceptâ omni redemtione, miserunt eundem episcopum sedentem in cathedrâ, indutum vestimentis sacerdotalibus cum quibus captus fuerat, & velut pro honore deportaverunt eum in terram e navibus. Redemtores autem illius volentes eum alloqui, & congratulari ei, invenerunt eum mortuum quem cum maximo luctu exportantes sepelierunt* X. *cal. Octob. in sepulcro quod sibi ipse paraverat.* Sic ille poenas dedit tum violati privilegii a S. Caesario concessi suo monasterio, quo sub gravi interminatione suis successoribus interdixerat omne jus in hoc coenobio; tum maxime Simoniaci pacti, quo abbatiam hanc emerat.

*forte concessa sunt.

XXXVII. ROSTAGNUS II.

Rostagnus monachus Anianae, quam abbatiam possedit cum Crudatensi, & cella Gordanica * in pago Ucetiensi, anno 871. v. idus Martias jam impositus erat cathedrae Arelatensi, ut patet e charta conventionis cum Benedicto quodam, & uxore ejus Richildi, inita pro emtione villae Gaudiaci, ex tabulis ecclesiae Arelatensis. Subscribunt autem huic instrumento Rostagnus archiepiscopus, Leventus praepositus, &c. Anno 874. querelam inter Livardum praepositum S. Stephani, & presbyterum qui Ugiensem regebat ecclesiam, composuit, huic remittendo partem solidorum quos pendere tenebatur; quia ecclesia haec fuerat devastata. Cum an. 875. ordinatio Adalgarii Aeduorum episcopi causa fuisset celebrandae Cabiloni synodi, ubi praeceteris gestis, concessum monasterio Trenorchiensi insigne privilegium, huic subscripsit Rostagnus cum septem aliis metropolitanis. Laudavit aliud privilegium, quod pro monasterio Carilocensi a se condito in pago Matiscensi, haud procul a Ligeri, Rutbertus Valentinensis episcopus impetravit. Frequens adfuit conciliis suo tempore habitis; Pontigonensi anno 876. Tricastino secundo, an. 878. ubi libellum obtulit, *de saltu migrandi de ecclesia ad ecclesiam episcopis vel presbyteris; & de conjugio relicto adhuc uxore vivente; & alia superducta*; Mantalanensi anno 879. in qua Boso coronam & regis titulum, consentientibus, imo rogantibus episcopis & proceribus, assumsit; a quo principe obtinuit monasterium Crudarense, quod jam Rotlandus ejus decessor invaserat. Diploma Bosonis daturi sumus in abbatibus Crudarensibus. Interfuit adhuc concilio Nemausensi, in Villa-portu anno 886. & Valentino anni 890. ubi Ludovico Bosonis filio regis nomen delatum.

871. * Gourdiques, *ubi Ia erat subdita monasterio Anianensi.*

874.

876.

878.

886.

Huic archiepiscopo Johannes VIII. suas vices super ecclesias quae sunt in regno Gallicarum commisit, ut docent epistolae 93. & 94. scripsit autem *ad universos episcopos Galliae*, ut Rostagno suo in Gallia vicario obedirent. Eidem & Sigebodo Narbonensi papa delegavit causam inter Walefredum Uceticensem, & Ructefredum Avenionensem episcopos; epistola 122. Alia quae est 191. ipsum & duos alios metropolitanos Narbonensem & Aquensem hortatur, ut Nemausensem episcopum a monasterii cujusdam invasione coërceant, recusantemque excommunicent. Hujusce praesulis precibus Ludovicus rex Bosonis filius concessit quemdam mansum pro Regimundo praeposito, anno 898. quod donum idem Ludovicus imperator confirmavit an. 904. Adhuc Rostagni mentio habetur in libro authentico cathedralis ecclesiae an. 902. videlicet in charta pactionis factae ex consensu congregationis S. Stephani, cum Eldegarda devota femina pro quibusdam feudis. Ex tabulis quoque Massilienses monasterii, ad Rostagni archiepiscopi preces, & Tuitberti comitis, Ludovicus imperator Magno abbati coenobii S. Victoris restituit Arelate fiscum, qui Pinus vocabatur, aut denuo concedit cum salinis, & piscationibus XI. cal. Maii an. 904. indictione 7. imperii Ludovici anno 4. Obiisse dicitur an. 913.

898. *Vide chart. I. & II. in probat. p. 53.*

902.

904.

913.

ANNI CHRISTI.

XXXVIII. MANASSES.

Post Rostagni mortem, quam diximus contigisse anno 913. vacavit sedes usque ad annum sequentem; necdum enim Arelatensis ecclesia pastorem habebat, quando facta est electio Pontii Arausicani episcopi, ut probat charta ejus electionis, anno 914. sed paulo post eodem anno Manasses hanc obtinuit metropolim. Genus Manassis indicatur in charta Roberti Burgundiae ducis, pro restitutione Juliaci facienda Cluniacensibus, ubi legitur: *Fuit Manasses ex majoribus & nobilioribus proceribus Burgundiae natus patre Warnerio, matre vero Teutberga, &c.* Warnerii patris sui ipse meminit in charta, qua dat Aymardo abbati Cluniac. anno 13. Ludovici regis, *res suas in comitatu Cabilonensi, quas pater suus Warnerius possederat.* Nepos aut affinis erat Hugonis Italiae regis & comitis Provinciae, cujus potentia fretus, Veronensem ecclesiam exsilio Ratherii vacuam, Tridentinam, Mantuanam, imo & Mediolanensem invasit ecclesias. Neque iis contentus adhuc Anianensem devoravit abbatiam. Nec verebatur effrenatum ambitum tueri exemplo apostolorum principis, qui Romanam, Antiochenam, & Alexandrinam ecclesiam rexit.

Vide chart. III. & IV. p. 93. & 94.

Ut res a Manasse gestas breviter prosequamur, obtinuit a Ludovico filio Bosonis tunc imperatore suo propinquo privilegium, quo asseruntur ecclesiae Arelatensi, & confirmantur antiquae possessiones; additis abbatiis B. Mariae de Gordanicis, atque de Crudatis, quibus jam nonnulli archiepiscopi potiti erant, necnon Anianensi, quam ipse primus invaserat. Datum est hoc instrumentum Viennae calendis Februarii anno XX. Ludovici Augusti, qui respondet anno 921. incarnationis Domini.

921.

Exstat in vetusto exemplari S. Victoris Mas-

ANNI CHRISTI.

filiensis instrumentum quo Manasses donat Drogoni episcopo Massilienſi, allodium juris ecclesiæ suæ, abbatiam S. Andreæ in territorii Arelatensis insula Camaricas, cum basilica S. Salvatoris & S. Gervasii, pro victu & vestimento clericorum Massiliensium, petente Hugone principe Manassi avunculo (quo nomine significatur etiam aliquando patruus) nonis Januarii anni 923. Multa damna passa fuerat ecclesia 923. Massiliensis, in quorumdam barbarorum, scilicet Saracenorum incursione, qua tempestate ejectus est episcopus e sua ecclesia. Memoratur 933. in Arelatensi quadam tabula anni 933. mense Junio, cui subscripserunt ut testes, Drogo & B Odolricus episcopi. Anno 934. circiter ejectus est in exsilium Ratherius Veronæ episcopus, quam sedem vacuam nactus Manasses invasit, 936. anno circiter 936. nec tamen semper retinuit; nam Ratherius ab Othone imperatore sedi suæ restitutus est circa annum 951. Huic ecclesiæ multas alias addidit, ut supra monuimus. Neque tot episcoparuum potitus in Italia, quibus accessit archiepiscopatus Mediolanensis, videtur deseruisse Arelatensem cathedram. Certe in tabulis commutationis factæ a Teucinda matrona pro monasterio Montis-majoris, *an. XII. regnante Conrado rege Alamandorum vel Provincia*, hoc C 948. est anno 948. subscripsit Manasses Arelatensis archiepiscopus, & post eum, Israël Aquensis, & Gontarus Forojulienſis episcopus. Ad illam commutationem faciendam, quia locus pendebat ab ecclesia Arelatensi, Teucinda convenit Manassem archipræsulem, & hujus ecclesiæ clericos, obtinuitque eorum consensum. Quid vero opus erat consensus Manassis, si deserta hac ecclesia in Italiam migrasset? Eodem pene tempore Manasses Juliacum villam pagi Cabilonensis cum rebus ad eam pertinentibus, quas pater ejus Warnerius possederat, dedit Cluniaco, & Aymardo abbati, pro anima patris D sui Warnerii, matrisque suæ Tuitbergæ, fratrumque suorum Hugonis, Richardi & Bosonis; data mense Septemb. an. 13. Ludovici regis Francorum, hoc est anno quadragesimo nono supra nongentesimum. Memoratur adhuc in commutatione facta cum Gontaro antistite Forojulienſi, de villa Barcinico, & S. Petri Issolæ, 19. cal. 952. Septembris anni 952. Bosone comite, ex libro authentico capituli. Hoc anno ut archiepiscopus Mediolanensis interest concilio Augustano, curante Othone magno imperatore celebrato; nam depositio Valperto Mediolanensi, Berengarii, Adalberti & Willæ sævitia, suffectus fuerat Manasses, ut docet Luitprandus. Ejusdem E *l. 6. c. 6.* habetur mentio annis 955. & 958. vel 959. Con- *955.* radi regis anno 22. in tabulis Arelatensibus. Notatu digna est inscriptio cujusdam commonitorii episcoporum Burgundiæ, anno circiter 955. *Tom. IX. concil. pag. 639.* ad Manassem: *summorum summo, primorum primo, domno Manassæ metropolitanæ sedis Arelatensis archiepiscopo*, &c. Nunc proponenda est erudito lectori difficultas non parva de tempore episcopatus Manassis, in ecclesia Arelatensi.

Nuper vir doctus, in historia ecclesiastica & politica Provinciæ maxime versatus, qui res ad urbem Arelatensem spectantes publica luce donare parat, misit ad me chartam cujusdam Lanfredi & uxoris ejus pro monialibus S. Laurentii, quæ ad calcem laudata legitur a Radone electo Arelatensi, Rangefrido Avenionensi, Heriberto Cavellicensi &c. *Act. anno incarnat. Domini nongentesimo quinquagesimo primo, indict. IX. XII. cal. Augusti, regni Bosonis domini nostri* XXVII. chartam hanc vide in historia abbatiæ S. Laurentii Avenionensis. Boso rex a nobis novus, qui coronam & regis nomen sumsit in synodo Mantalanensi anno 879. non potuit attingere annum Christi 951. sed mortuus legitur anno 888. At vir doctissimus dicit illum Bosonem fuisse prioris nepotem, haberque præ manibus instrumenta multa, quibus id probet. Occurrit tamen alia non minor difficultas; nempe quod Manasses archiepiscopus Arelatensis pristinam sedem retinuerit post alias a se occupatas, ut mox probavimus tot testimoniis, haberetque anno 951. quo Rado electus ejusdem sedis in laudata charta memoratur.

Vir eruditus a quo illam accepimus, autumat hunc Radonem ab Agapito papa II. archiepiscopum Arelatensibus datum fuisse, quando Manasses invasit Mantuanam, Tridentinam, Veronensem ex Luitprando l. 4. c. 1. posteaque Mediolanensem ecclesiam. Sed Radonem illum pacificam obtinuisse possessionem Arelatensis metropolis, nequaquam possumus persuasum habere. Forte hic Rado Manassis fuit vicarius ad obeunda pontificalia munia, dum abesset; quapropter archiepiscopi titulus ipsi accommodatus.

XXXIX. Iterius.

De initio pontificatus Iterii difficile est quidquam certi statuere. In charta Burchardi Lugdunensis archiepiscopi pro Saviniaco, data anno 949. subscriptus legitur *Iterius archiepiscopus*, quem suspicamur nostrum esse Iterium, qui etsi nondum sederet anno 949. potuit ali- *949.* quot annis elapsis chartam hanc sua subscriptione approbare. In authentico capituli Arela- *ann. 9.* tensis memoratur Silvester archipræsul secundæ Narbonensis, cum sex ejusdem suffraganeis, sub Iterio Arelatensi primate anno 966. In quadam epistola, quæ præfert nomen Johannis pa- *966.* pæ XIII. inscribiturque Iterio Arelatensi, iidem sex episcopi nominantur. Argumentum hujus epistolæ est dolere papam de conculcatione ecclesiæ Arelatensis, *quæ principatum & caput obtines ceterarum ecclesiarum, secunda a Romana sede*; quam ad pristinum statum re- *Bouche l. 3. tit. 1. c. 4.* E vocare studet; ideoque diris devovet hujus ecclesiæ hostes. Verum, ut sincere loquamur, epistola hæc non sapit stylum aliarum Johannis papæ litterarum, abhorretque penitus a pontificia gravitate. Eodem anno 966. in pactis & transactione inter Garnerium & Guigonem abbates, testis legitur. Anno sequenti [a] XIII. cal. *a* Januarii concessit de bonis capituli S. Stephani Arelatensis terras in pago & comitatu Ucetico, Teutberto *fideli suo*, consentientibus S. Stephani canonicis. Facultatem quoque dedit Teu-

[a] In chartul. S. Trophimi legitur an. 18. regnante Conrado rege. Ibidem bona data Teutberto, pertinebant ad S. Mariam de Gordanicis.

cindæ matronæ ecclesiam S. Hippolyti con- A
ANNI CHRISTI. 969. struendi aut reædificandi cum suo nepote Ri-
culfo episcopo Forojulienſi. Anno 969. permu-
tatio quædam facta cum Bosone & Folcoara
ejus uxore calendis Martii, ejus nomine insi-
970. gnitur & munitur. Anno 970. Crudatense mo-
nasterium adiit, ad inquirendum de *sanctæ re-*
ligionis cultu, cum Abraham abbate & cete-
ris fratribus sub ejus potestate Domino famu-
lantibus. Unde docemur hoc monasterium, et-
Vide in prob. C.Vt. p. 95. col. 1. si auctoritati Arelatensis archiepiscopi subdi-
tum, suos tamen abbates habuisse, per quos re-
geretur. Iterius cathedram cesserat anno 978.
979. aut 979. quo certo nobis constat jam sedisse B
ipsius successorem. Eum tamen adhuc vixisse,
anno 982. retento archiepiscopi Arelatensis ti-
tulo dicere cogimur; quo videlicet tempore de
ejus consilio fundatur capitulum Carpentora-
tense Leirardo episcopo, uti suo dicetur loco.
Quin etiam anno 985. quædam commutat cum
canonicis in agro Argentiæ.

XL. Anno.

Annonem, archimandritam fuisse legimus; cujus vero loci, inquisivimus frustra. Confirma-
vit ecclesiæ suæ donationes ab Iterio antecessore
factas, anno 42. regnante Conrado rege, hoc C
est anno 979. Attamen ascendisse sedem pon-
981. tificiam ante mensem Junium anni 981. non
legitur; forte quia nondum erat consecratus.
An. quadragesimo-sexto regnante eodem Con-
983. rado, hoc est Christi 983. res quasdam Rodul-
fo viro illustri concessit in præstariam. Anno
985. 985. qui legitur annus XLVIII. Conradi regis,
dedit Bernardo Nemausensi episcopo quemdam
alodem in comitatu Ucetico, in loco Gal. Zi-
989. gnano. Anno 989. faciles præbuit aures sacer-
doti Paconi postulanti ecclesiam S. Gervasii
subtus castrum *Fossas*, ad congregandos ibi fra-
tres, sub regula S. Benedicti, testibus Poncio- D
ne Massilienſi episcopo, Riculfo etiam episco-
po, Willelmo comite, & Umberto ecclesiæ
991. Arelatensis præposito. Anno 991. ejus consilio
& voluntate Teudericus Aptensis episcopus sua
in ecclesia duodecim canonicos instituit, ut pro-
Ch. IV. p. 84. col. 2. bat ipsius charta, quam exhibuimus in Apten-
sibus episcopis. Hujus denique antistitis memi-
nit testamentum Willelmi principis & marchio-
nis Provinciæ pro restitutione ecclesiæ S. Ma-
riæ maritimæ, facienda cœnobio S. Cæsarii,
anno 992. præsentibus Poncione seu Poncio
Massilienſi episcopo, Stephano episcopo, &c.
994. Moritur hic archiepiscopus anno 994. factus E
monachus Cluniacensis, ut legitur in necrolo-
gio Cluniacensi, teste D. Georgio Beurin ar-
chiclavo hujus monasterii.

Cæterum nullus locus vacat pro Udone ne-
scio quo notho vel Rodulfi III. Ignavi Burgun-
diæ regis, vel Conradi; quem nonnulli volunt
ab an. 997. sedem Arelatensem tenuisse ad
plurimos annos; cujusque Paradinus in annali-
bus Burgundiæ producit pontificatum usque ad
annum 1032. contra veterum indicum, & alio-
rum instrumentorum fidem.

XLI. Pontius.

Pontius [a] Francone patre nobilis gentis de ANNI CHRISTI.
Mariniana milite, ex Wala paris nobilitatis MARIOLAPET.
conjuge genitus, monachum induerat in Mas- a
silienſi S. Victoris monasterio, quando electus
est in Arelatensem archiepiscopum, si fides sit
Fratribus Sammarthanis. Vero tamen propius
est Pontium factum esse monachum ex archi-
episcopo, sub S. Isarni celeberrimi abbatis di-
sciplina, qui obiit anno 1048.

Hic archiepiscopus anno circiter 1000. con-
sensit cum S. Stephani canonicis emtioni quo- 1000.
rumdam prædiorum in agro Trifontio comi-
tatus Arelatensis, quæ Petrus præpositus ejus-
dem ecclesiæ comparaverat, facta sibi prius
potestate a Guillelmo II. comite, & Adalaïde
comitissa Provinciæ, non uxore Guillelmi, sed
matre quam videmus anno 1001. subscripsisse
litteris Rodbaldi comitis (Forcalquerii) qui-
bus dat Monti-majori villam Pertusi. Eodem
anno dicitur habuisse ratam donationem feu-
dorum quorumdam a suo patre Francone col-
latorum Monti-majori; cui monasterio suo
testamento plurima reliquit, in villis & castris
de Mariniana, de Riannis & de Sparrone; ubi
etiam elegit sibi sepulturam; item an. 1005. cor- 1005.
roborasse aliam donationem Honorati Massilien-
sis episcopi; denique Romam perrexisse ad di-
rimendam querelam inter Franconem patrem
suum, & canonicos Arelatenses pro ecclesia
S. Hippolyti, quam dimisit tandem ecclesiæ
Arelatensi, ad papæ preces. Confirmavit anno
1011. indict. IX. quæcumque a suo antecessore 1011.
ecclesiæ Arelatensi data fuerant; uti ea quæ eo-
dem Annone consentiente Willelmus princeps &
marchio Provinciæ parthenio S. Cæsarii resti-
tuerat. Anno 1014. subscripsit chartæ Willel- 1014.
mi II. vicecomitis Massiliæ pro monasterio Vi-
ctorino, de qua vide in Pontio II. episcopo Mas-
silienſi. Anno 1016. inchoata est basilica Mon- D 1016.
tis-majoris; & quia magnæ molis erat hoc ædi-
ficium, Pontius archiepiscopus largitus est in-
dulgentias, iis qui ad opus basilicæ hujus quid-
piam conferrent, additis nonnullis [b] conditio- b
nibus. Plurima quoque benefica manu largitus *Vide Mab. tom. III. annal. ad an. 1016. n. 16.*
est S. Victori, in his ecclesiam S. Hermetis, an-
tequam seipsum huic traderet ascetterio. Unus
fuit ex præsulibus, ad quos Benedictus papa
VIII. litteras dedit commendaticias, pro Clu- *tom. IX. concil. pag. 811.*
niacensi monasterio, præcipiens quoque ut in-
vasores bonorum cœnobii hujus excommunica-
rent, nisi facerent satis. Antequam infulas de-
poneret, voluit ecclesiæ suæ gratificari, uti
probat hoc instrumentum ex tabulario Arela-
tensi transsumptum.

Ego Pontius Arelatensis, quamvis indignus, ar-
chiepiscopus, &c. reminiscens innumerabilium mea-
rum commissa scelerum, ut omnia boni dator Deus
auferre dignetur, qua mea commissi culpa, dono
aliquid meæ hereditatis, qua mihi ex progenie pa-

a Pontio appellatur in chartis Montis-majoris quas laudavi-
mus in Almerado Regensi episcopo; Poncius in charta qua con-
cedit indulgentias in dedicatione ecclesiæ Montis-majoris, edita
tom. VI. spicilegii p. 417. nominatur Pontius inter præsules, ad
quos pro Cluniacensibus scripsit Benedictus papa VIII.

b Chartam illarum indulgentiarum edidit Mabillonius ad an.
1016. n. 16.

ANNI CHRISTI.

rentium meorum legibus obvenit, eccleſiæ S. Stephani protomartyris, & ſancti Trophimi confeſſoris Chriſti. Quem alodum hujus confirmo ſerie conſcriptionis, quatinus omni de parte ſtipatum ſervetur. Et eſt ipſe alodus in comitatu Arelatenſi. Hoc eſt quarta pars villæ, quæ Mariniana vocatur, cum omnibus terris ibi pertinentibus, cultis, & incultis, cum campis, &c. Similiter dono dictæ eccleſiæ & canonicis ibidem ſervientibus tali tenore, ut nihil ex his ſumtibus dividatur inter canonicos, niſi in communia poſſidendo & diſpenſando ſumtus. Si quis, &c. Acta hæc donatio Arelate anno ab incarn. MXXIX. XII. *cal. Julii regnante Domino noſtro in ſæcula Amen. Signum & auctor Poncius archiepiſcopus, qui hanc donationem ſcribere fecit.* Hoc eodem vel ſequenti anno 1030. archiepiſcopatui renuntiavit Pontius, vitæque cœnobiticæ ſe devovit ſub Iſarno magni nominis abbate Maſſilienſi, cujus depoſitio notatur VII. cal. Januarias in obituario Montis-majoris.

XLII. RAJAMBALDUS.[a]

Pontio monaſterium S. Victoris apud Maſſiliam ingreſſo ſucceſſorem ſuppeditavit ſacra illa congregatio, Rajambaudum videlicet ſancti Iſarni abbatis alumnum. Is ex nobili ortus genere in Provincia, patrem habuit Bonifacium dominum de Relliana, matrem Vandelmeſiam, ut docent nos tabulæ S. Victoris. Fratres ejus fuerunt Bonifacius, Fulco, Boſo, Atanulfus. Propinquitate conjunctus erat cum Guillelmo & Fulcone Maſſiliæ vicecomitibus. Cum ſub S. Iſarni abbatis diſciplina plurimum profeciſſet, Arelatenſi cathedra dignus judicatus eſt, ad
1031. quam eligitur anno 1031. indictione XIV. menſe Auguſto, & paulo poſt ſedit in concilio Narbonenſi, de quo agemus in Guifrido Narbonenſi archiepiſcopo. In pontificatu vero prioris inſtituti ſui memor, dum nomen ſubſcribebat, non ſolum archiepiſcopi, ſed etiam monachi titulum addere ſolebat. Ea procul dubio ratione gratificatus eſt S. Victoris monaſterio: dedit enim partem quam habebat in caſtro de *Auriol*,
1035. anno 1035. indict. III dedit quoque in manus Iſarni abbatis, quo magiſtro vitam edoctus fuerat monaſticam; eccleſiam S. Geneſii ſeu S. Honorati, retento pro altari S. Stephani, vel S. Trophimi cenſu unius libræ incenſi in ejuſdem S. Trophimi feſto. Obſervatione dignum eſt, nomen & titulum S. Trophimi eccleſiæ Arelatenſi, poſt S. Stephani nomen non fuiſſe adjectum, ante pontificatum Pontii anno 1029. ut videre eſt in ejuſdem charta, quem imitatus
1037. eſt Rajambaldus. Anno 1037. ſubſcribit litteris Gaufredi, & Bertrandi comitum Provinciæ pro Cluniacenſi monaſterio, ex ejuſdem tabulis.
1040. Anno 1040. idibus Octobris, adfuit dedicationi baſilicæ S. Victoris Maſſilienſis opera Benedicti papæ IX. de qua iterum loquemur in Pontio Maſſilienſi epiſcopo. Eodem anno indict. VIII. controverſiam diremit inter Maſſilienſes & Montis-majoris monachos, præſentibus Gaufredo & Bertranno comitibus, Willelmo & Fulcone vicecomitibus Maſſiliæ. Hoc ipſo anno ſubſcripſit chartæ Amelii Senecienſis epiſcopi pro S. Victore. Frequens eſt deinceps ejuſdem mentio in Victorinis tabulis; ut ſupervacaneum videatur ſingulas percurrere; maxime cum alia notatione digniora ſuperſint.

Anno circiter 1050. Rajambaldo ſubjectionem, & reverentiam promiſit, ſecundum præcepta canonum & patrum inſtituta, Pontius Aquarum-Sextiarum archiepiſcopus; teſtaturque Honoratus Bouche idem præſtitiſſe Bertrandum Forojulienſem, Agelricum Regenſem Benedictumque Avenionenſem, laudatque librum *ſacramentalem* Arelatenſem, ſic dictum, quod hujuſmodi ſacramenta contineat. Recenſetur inter patres conventus Barcinonenſis anni 1054. An. 1056. (ſi bene conjectant Baluzius & Labbeus) pridie nonas Septembris, cum Laudegario Viennenſi, & legatis Narbonenſibus, concilium celebravit epiſcoporum 22. apud S. Ægidium. Sed citius habitum fuiſſe pene certum videtur vel ex ſolo Lutevenſium epiſcoporum indice. Conſtat hanc ſynodum actam eſſe pridie nonas Septemb. & Toloſanam idibus ejuſdem menſis, anni 1056. Narbonenſi apud S. Ægidium adfuit Bernardus epiſcopus Lutevenſis, & Toloſanæ Roſtagnus. Si eodem anno celebratæ ſunt hæ ſynodi, inter utramque fluxerunt tantum novem dies. Qui vero fieri potuit ut tam brevi tempore duo fuerint Lutevenſes epiſcopi, qui iis adfuerint? Certe mortuo Bernardo non potuit fieri electio, niſi poſt facultatem metropolitani datam. Debuerunt convocari epiſcopi comprovinciales ad conſecrationem novi epiſcopi. An ſatis fuit 9. dierum ſpatium ad hæc omnia præſtanda? Præfatæ ſynodo Toloſanæ præſes delegatus eſt a papa noſter Rajambaldus tanquam S. ſedis vicarius 1060.
An. 1060. præfuit concilio Avenionenſi, de quo egimus in Siſtaric. epiſcopis.

Non contentus benefacere in ſua diœceſi, fundavit in Forojulienſi eccleſiam pro clericis, quos ſub regulari norma conſtitutos, eccleſiæ Romanæ ſemper eſſe ſubditos juſſit; uti ſcribit ad Alexandrum papam II. Proindeque id minime factum ante annum 1061. quo inchoatur Alexandri pontificatus. Gratum fuit Alexandro Rajambaldi conſilium, ideoque eccleſiam Barjolenſem ſub eccleſiæ Romanæ tutela ſuſcepit, & in argumentum ſubjectionis annuum cenſum denarii aurei imperavit. Idem archiepiſcopus, ad canonicorum Regularium inſtitutum amplectendum majoris eccleſiæ canonicos adduxit, quibus Willelmus Maſſilienſis vicecomes, ampla latifundia, & poſſeſſiones in Craudi campo donavit; quam ordinationem inſtauravit poſtea Aycardus archiepiſcopus, ut apparet ex charta in archivo Arelatenſi relata. Tandem benedixit 1065. eccleſiam S. Petri * de Correns ubi 1065.
monaſterium erat conſtructum, ac in die con- * al. B. Mariæ de Correno.
ſecrationis, abſolutionem a pœnitentia omnibus beneficia daturis huic eccleſiæ conceſſit; quo die anniverſario, magna olim feſtivitate celebratum fuiſſe Jubilæum Correnenſe patet ex tabula cœnobii Montis-majoris. Subſcripſit litteris Almodis comitiſſæ Ruthenenſis, Ne- *Baluz. tom. VI. miſcel.*

[a] Eo tempore quod damus exordio epiſcopatus Rajambaldi D. Polycarpus ſtatuit Arelatenſem archiepiſcopum filium Robaudi Forcalquerienſis comitis & Ermengardis, Hugonem nomine; ſed hanc opinionem nullus fulcit teſtimonius.

ANNI CHRISTI. mauſenſis, &c. quibus ſubdit monaſterium S. Ægidii, abbati Cluniacenſi. Dat. an. 1066. 8. cal. [a] Januarii. In ſubſcriptione ſe ſimul dicit archiepiſcopum Arelatenſem, & Romanæ eccleſiæ vicarium. Eundem vitam produxiſſe uſque ad annum 1067. probant hæ litteræ Hieronymi cujuſdam, quas ex magno chartulario S. Victoris eruit vir Cl. Antonius de Ruffi, & ad nos pro ſolita miſit humanitate:

1067.

pag. 45.

Ego Jeronimus Rainois quondam filius, & Mirmanda uxor mea, in præſentia D. Raimbaldi Arelat. urbis archiepiſcopi, donamus S. Victori manſiones quas in urbe ſupradicta habere videmur, juxta eccleſiam S. Geneſii, ſuperque Rodani fluminis B *ripam: anno* MLXVII. *ego Jeronimus & uxor mea & frater meus Boſo hanc donationem firmavimus. Dominus archiepiſcopus Raimbaldus firmavit. Ugo de Bale firmavit. Volveradus & Amelius frater ejus firmavit. Fulco frater archiepiſcopi firmavit.*

Attamen idem Ruffius contendit Rajambaldum an. 1060. jam ceſſiſſe ſedem Aicardo; quo anno, inquit, ſubſcripſit hic cuidam chartæ, quam legit ipſe Ruffius. Aliunde pro certo habetur Rajambaldum mature ante mortem depoſito paſtorali onere monaſticam in cœnobio C Victorino vitam iterum eſſe amplexum. Ut vero quæ ſit noſtra ſententia depromamus, manifeſtum nobis videtur Rajambaldum vitam produxiſſe uſque ad annum 1067. Ante mortem quidem ſtatui monaſtico rurſus ſeſe addixit, ſed quo tempore, non audemus definire. In electione Bernardi II. abbatis S. Victoris an. 1065. nomen ſubſcribens, archiepiſcopum ſe ſimul & monachum dicit. Toto illo tempore aut nulla, aut certe rara Aicardi ſucceſſoris ejus memoria. Dies depoſitionis Rajambaldi notatur XIII. Martii, in necrologio Canonicæ *.

*Le Cartulaire. De Marſeille.

D

XLIII. AICARDUS.

Aicardus a Maſſilia cognominatus, quod foret filius Josfredi Maſſiliæ vicecomitis ex Rixende uxore, monaſticæ militiæ nomen dedit in Maſſilienſi S. Victoris monaſterio, quod tunc ſanctitate florebat. Factus archiepiſcopus ceſſione Rajambaldi ſui conſanguinei, abreptus eſt forte a ſui generis proceribus in partes Henrici imperatoris adverſus eccleſiam Romanam. Quæ forſan cauſa fuit cur Aicardi res geſtæ ſaltem initio ejus pontificatus, ſilentio fuerint oppreſſæ. Nam excommunicatione dicitur multatus, tum ab Alexandro II. tum a Greg. VII. ejus E ſucceſſore. Conjicimus etiam Rajambaudum juſſum fuiſſe regimen eccleſiæ Arelatenſis reſumere; in veteribus enim monumentis ipſius tanquam archiepiſcopi mentio fit uſque ad annum 1067. Anno tamen circiter 1066. Aicardus eccleſiam B. Mariæ de Ratis prius datam vel redditam eccleſiæ SS. Stephani & Trophimi, ceſſit Montis-majoris monaſterio & abbati Willelmo, conſentientibus Rajambaldo præpoſito, Bertranno ſacriſta, Pontio decano, aliiſque canonicis, ſub certis conditionibus, quas

Vide C. X. 1066.

[a] D. Claudius Eſtiennot hoc inſtrumentum ex MS. codice bibliothecæ Clunac. deſcriptum inſeruit tomo VI. fragmentorum hiſtoricorum, ubi pag. 178. legitur, *octavo decimo calendas Januarii.*

leges in hoc Rajambaldo præpoſito. Cum Aicardo Arelatenſi archiepiſcopo convenit Raimundus comes, ſcilicet ei reſtituit eccleſiam ſanctæ Paſchæ cum omnibus ad eandem eccleſiam pertinentibus, excepto quod dedit ad faciendum clauſtrum de caſtro Bellauro. Simili modo reddit totum honorem, qui eſt in Argentia ad eccleſiam S. Trophimi pertinentem, ſicut unquam melius habuit Raimbaldus archiepiſcopus, tertiam partem de villa, quæ dicitur *Furchas*, & medietatem in caſtro Albaroni, quam Raimbaldus archiepiſcopus habuit; & de leyda navigiorum & navium, quæ *montatio* vocatur, quam Bertrannus comes habet apud Arelatem, ſi ipſe habere poterit, medietatem donat, & reddit Aicardo archiepiſcopo. Hæc autem convenientia facta eſt circa an. 1070. Non immemor monaſterii S. Victoris, in quo educatus fuerat, dedit Bernardo abbati, & monachis aquæductum quemdam cum omnibus fontibus ad eum pertinentibus, Joffredo patre & ſex fratribus ſuis, Joffredo, Hugone, Raimundo, Pontio, Fulcone, Petro ad idem donum cum ipſo conſentientibus. Charta data eſt anno 1079. Idem cum Bertranno comite reddidit Deo, & SS. Stephano ac Trophimo, canoniciſque in eorum eccleſia in commune viventibus, pontem piſcatorium, piſcatorias de ponte, ſtagnum &c, quæ uſurparat Pontius de Foſſis. Litteræ carent notis chronologicis.

ANNI CHRISTI.

Vide C. XI. p. 96. col. 1.

1079.

Vide Chart. XII. p. 36. col. 2.

Aicardum tanquam invaſorem ſedis Arelatenſis depoſitum legimus in concilio, quod anno 1080. Hugo Dienſis epiſcopus legatus ſanctæ ſedis celebravit apud Avenionem, cujus in locum tunc electus eſt Gibelinus, ex chron. Virdun. Hugonis Flaviniacenſis. Jam vero prius depoſitione multatus fuerat; nam Gregorius VII. calendis Martii anni 1079. ſcripſit ad Arelatenſes, eos objurgans, quod eccleſiam ſuam tandiu paſtore deſtitutam paterentur; monuitque miſſum a ſe Vapincenſem epiſcopum, de cujus conſilio vult ut alium antiſtitem eligant, vel promittant ſe in pontificem ſuſcepturos quemcumque ipſe ad eos mittere vellet. Itaque Hugo Dienſis judicium jam a Gregorio papa prolatum in concilio confirmari curavit, & in dejecti Aicardi locum eligi archiepiſcopum. Mors hujus præſulis notatur anno 1090. diciturque ſepultus in cathedrali eccleſia.

1080. tom. X. concil. p. 391.

l. VI. ep. 21.

XLIV. GIBELINUS.

Gibelinus [a] electus auctoritate legati ſedis apoſtolicæ, facile confirmationem ſuam obtinuit a papa, ſed adeptum eum eſſe poſſeſſionem archiepiſcopatus Arelatenſis ante mortem Aicardi, auctoritate procerum & principum Provinciæ freti non credimus. Certe nihil occurrit de eo ante annum 1094. quo multa contulit in gratiam canonicorum Avenionenſium, qui intra clauſtrum ſine proprio vivebant, ut patet ex ipſius charta edita in epiſcopis Avenionenſibus. Eo vero tempore Gibelinus hanc adminiſtrabat eccleſiam, forte jure metropolitani,

[a]

Ch. XI. p. 140. col. 2.

[a] Polycarpus de la Riviere tom. I. annal. Aven. MSS. p. 646. autumat eum eſſe, qui diplomati Raimundi comitis Toloſæ pro monaſterio S. Andreæ Avenion. anni 1088. legitur ſubſcriptus *Gibelinus de Sabrano.*

ANNI CHRISTI. 1096.

ſede tunc vacante, vel ſummi pontificis mandato. Anno circiter 1096. Richardo abbati & monachis Maſſilienſibus, campum apud Taraſconem dedit, ad conſtruendam eccleſiam, quod donum confirmavit anno indicato Urbanus papa II. Eodem anno Urbanum papam II. in ſua urbe excepit. Idem anno 1100. approbavit donationem eccleſiæ & villæ ſancti Remigii, &c. abbati & monachis ſancti Remigii Remenſis, factæ ab Arberto epiſcopo Avenionenſi. Anno 1101. 1101. ſubſcripſit chartæ qua Pontius Barbaſtrenſis epiſcopus, eccleſia ſua recens ab infidelium tyrannide liberata armis Sancii regis, tradidit in eleemoſynam Richardo abbati S. Victoris Maſſil. & monachis omnes eccleſias in caſtro *Alvalat*, ſalva obedientia & reverentia epiſcopali, anno incarnationis MCI. ind. IX. VIII. cal. Februarii, in urbe Barbaſtrenſi, regnante Petro Sancii in Pampelone & Aragone, firmante Pontio urbis epiſcopo, Stephano Oſcenſi, & Gibelino Arelatenſi archiepiſcopo. Anno ſequenti, 1102. regnante Ludovico cal. Aprilis monaſterium ſancti Romani de Aculeſa juxta Bellicadrum univit Pſalmod. aſceterio, ubi tunc abbas erat Fulco, conſentientibus... Raimundo decano, Guicaldo Martini capite ſcholarum &c. Anno 1105. 1105. Raimundus ſancti Ægidii comes ei reſtituit terram de Argentia, litteris datis hoc anno indictione XIII. menſe Januario, quas edidimus in inſtrumentis. *C. XIII. p. 97. col. 1.* Anno 1106. 1106. ipſe & Arelatenſis eccleſiæ canonici, *laudaverunt* Guillelmo abbati Montis-Majoris, Iſoardo priori & monachis, eccleſias ſancti Romani, & ſanctæ Mariæ in valle Morarii, cum decimis, oblationibus, &c. retento modico cenſu. Electionem Berengarii in epiſcopum Arauſicanum factam anno 1107. confirmavit. Paulo poſt legatus mittitur Jeroſolymam a Paſchali papa II. ad ſedandos motus occaſione Ebremari patriarchæ orti. Eoque per concilium epiſcoporum regni Jeroſolymitani depoſito, ipſe Gibelinus electus eſt in ejus locum, vir ſenior & grandævus, ut ait Guillelmus Tyri archiepiſcopus in hiſtoria belli ſacri. *l. 2. c. 4.* Papa hanc electionem confirmante, Gibelinus ſcripſit ad ſuffraganeos metropolis Arelatenſis, & ad omnem clerum ac populum. Epiſtolam refert Honoratus Bouche, cujus tantum pauca hæc deſcribam: *l. 9. fol. 1. c. 10.* *De cetero, fratres, de ordinatione veſtra eccleſia cogitate, & epiſcopum vobis, ſecundum Deum eligite. Et ſi hactenus paſtorem tam nobilis eccleſiæ qualem deceret, non habuit, modo talis eligatur, in quo per Dei gratiam, totum impleatur quod defuit. Multa vobis ſcribere diſpoſueram; ſed cogitanti mihi de veſtra amicitia, magis flere libet quam aliquid dicere. Dum* * *enim ad memoriam reduco quantam dilectionem erga me habuiſtis, quam patienter hominem nullius utilitatis ſuſtinuiſtis, nulla temporalium rerum delectatione poſſum gaudere; ſed multotiens mihi lacrima mea panis die ac nocte; nec mirum quia ſic manifeſtum eſt, nec pretio, nec precibus me dilexiſtis, ſi ſola nobilitate quæ in vobis & moribus, & genere, & in me benignitas veſtra ſemper apparuit, & nobilitas veſtra ſe celare non potuit. Nunc itaque, dilectiſſimi, ſolita dilectione vos deprecor, ut mei memoriam habeatis, quatenus ille qui veſtris orationibus fuit in via ductor, ſit modo veſtris precibus adjutor meus, ſit in fine ſuſceptor meus, qui eſt in omni tempore Deus meus.*

* Quæ ſequuntur non ſunt apud Honoratum Bouche.

Paſchalis papa ſcripſit quoque ad clerum & plebem Arelatenſem, in hæc verba: *Pro negotiis & ſcandalis, qua in Jeroſolymitana eccleſia fuerant, venerabilem fratrem noſtrum Gibelinum, quondam eccleſiæ veſtræ antiſtitem, ad partes illas cum noſtra legatione direximus. Cujus nimirum perſona ita in omnibus placuit, quod cum clerus & populus ejuſdem eccleſiæ, unanimi voto, communique deſiderio, in patrem ſibi & paſtorem elegerint. Nos enim, quoniam diu epiſcopali regimine fuerant deſtituti, electionem ipſam aſſertione noſtra firmavimus. Veſtram itaque dilectionem litteris præſentibus præmonemus & hortamur in Domino, ut & vos canonicum paſtorem vobis eligere properetis. Nec vobis grave, durum & vehementius videatur. Illum enim tanto ardore Jeroſolymitana ſuſcepit eccleſia, quod eum, etſi nos omnino velimus, vobis reddere nullo modo poſſimus. Dat. Laterani IV. nonas Januarii.* Obiit Gibelinus anno MCXI[a]. circa menſem Decembrem, teſte Guillelmo Tyrenſi. *p. 11.* a

De Gibelini ſucceſſore in Arelatenſi cathedra difficile eſt aliquid certi ſtatuere. Saxius ait Arbertum ſeu Aripertum Avenionenſem epiſcopum ſatis notum, qui nominatur in inſcriptione epiſtolæ Gibelini ad ſuffraganeos, &c. fuiſſe aſſumtum ad hanc ſedem. Noſtri Sammarthani, qui inficiantur Aripertum Arelati ſediſſe poſt Gibelinum, fateri tamen videntur ita legi in libro obligationum Vaticani; quod negat & pernegat Suareſius, qui de eccleſia Avenionenſi ejuſque præſulibus doctiſſime ſcripſit. Aliunde Arbertum perſeveraſſe in ſede Avenionenſi, uſque ad annum 1118. pene perſuadent tabulæ Montis-Majoris, de quibus loquemur in Avenionenſibus epiſcopis. Itaque conjicimus Aripertum electum quidem fuiſſe ad Arelatenſem archiepiſcopatum, ſed minime conſenſiſſe. *Arch. Avenion.*

ANNI CHRISTI.

XLV. GUARINUS.

Hunc archiepiſcopum excepiſſe Gibelinum in ſede archiepiſcopali eruimus ex chronico ſancti Victoris Maſſilienſis, quod publica luce donavit Philippus Labbe e Soc. Jeſu, tom. I. bibliot. manuſcriptæ p. 340. itaque ibi legitur: MCIII. *obiit abbas Radulfus..... poſt ipſum factus fuit abbas B. Garinus. Rexit abbatiam annos ſex; poſtea* (ſcilicet anno MCIX.) *factus fuit archiepiſcopus Arelatenſis.*

Diſſimulare non poſſumus Guarinum hunc incognitum eſſe domino le Fornier viro docto & religioſo ſancti Victoris Maſſilienſis aſcetæ, qui diligenter ſcrutatus eſt tabularium Victorinum, in quo minime reperitur chronicon Labbeanum. Hinc de hoc Guarino archiepiſcopo dubitabundi loquimur.

a Attamen vir cleriſſ. dom. Raibaud a quo doctas obſervationes in plurimos Provinciæ epiſcopos præſertim in Arelatenſes accepimus, teſtatur a ſe viſas litteras datas anno 1112. quibus ſic ſubſcripſit: *Gibelinus epiſcopus ad Orientales eccleſias pro apoſtolica ſede legatus.*

XLVI.

ANNI CHRISTI.

XLVI. Raimundus I.

Sedit ille archiepiſcopus poſt Guarinum, annoque MCXIII. litigabat cum Petro de Lambeſco; ſed lis tandem compoſita eſt, & pactis inter ipſos initis interfuit Berengarius Vaſionenſis epiſcopus, de quo inferius agemus.

XLVII. Atto.

Atto ab antiqua vicecomitum Biterrenſium proſapia originem ducens, jam erat archiepi-
1115. ſcopus Arelatenſis anno 1115. quo II. nonas Octobris adfuit dedicationi eccleſiæ S. Mariæ de Caſſano diœceſis Biterrenſis, ex tabulis ejuſdem eccleſiæ. Eodem circiter tempore memoratur in notitia cujuſdam placiti cum Adalberto, Willelmo & Raimundo Iſnardi, pro dominio de Meſencs, teſtibus viris nobiliſſimis, Raimundo de Baucio, & Gaufrido de Porcelleto. Anno 1117. teſtis & mediator legitur in
Tabul. cap. Narbon. tranſactione inter Richardum Narbonenſem
1118. archiepiſcopum, & Hugonem abbatem ſancti Pauli. Anno 1118. coram ipſo facta eſt compoſitio inter Maſſilienſes clericos & ſancti Victo-
1119. ris monachos. Anno 1119. convenit ad ſynodum Toloſanam idibus Julii, ubi in gratiam monachorum Caſæ-Dei diſceptavit coram Cal-
Tom. VI. ſpicil. p. 16. liſto papa II. pro eccleſia beatæ Mariæ de Gordiano, quam reſtituere coactus eſt Pontio abbati Anianenſi. Eodem anno IV. nonas Auguſti præſens fuit ceſſioni eccleſiæ de Oviliano, factæ Richardo Narbonenſi archiepiſcopo, a Raimundo Berengario, qui illam injuſte poſſidebat.
1120. Anno 1120. VII. cal. Maii, ſigno ſui nominis
Ex tab. capit. Narb. roboravit donationem ab R. Narbonenſi archiepiſcopo factam ſancto Paulo Narbon. Eidem & eccleſiæ Arelatenſi Bertrandus de S. Amantio ac Belielais dederunt hereditariam portionem quam habebant in territorio Anianæ, & in ſancto Siſinnio, ut patet ex charta Arelatenſis baſilicæ 1126. Raimundo decano Arelatenſi, aliiſque teſtibus ſubſcriptis. Adhæſiſſe dicitur is præſul Henrico imperatori excommunicato. Ejus autem mortis annus ignoratur. Sed in necrologio ſancti Ægidii legitur: VIII. *idus Novemb. obiit Atto archiepiſcopus Arelatenſis.* Conſentit catalogus archiepiſcoporum tempore Petri cardinalis Fuxenſis factus.

XLVIII. Bernardus I.

Bernardus, quem aiunt legatum fuiſſe apoſtolicæ ſedis, allato necrologii Toloſani manuſcripti teſtimonio, conſcendit cathedram Are-
1129. latenſem ſaltem an. 1129. quo videlicet tempore eccleſiam ſancti Thomæ Hoſpitalariis Jeroſolymitanis conceſſit, ſub annuo quodam reditu, communi conſilio canonicorum, ſcilicet
Vide in prob. Ch. XIV. pag. 97. col. 2. Raimundi decani, &c. In litteris autem ſuis Artonem anteceſſorem ſuum nominat. Sub hujus archipræſulis adminiſtratione Arelatenſes rei nauticæ peritiſſimi commemorantur apud Zuritam in indice rerum Arragonicarum. Eidem Bernardo ſacramentale exhibuit Ermenſendis, pro caſtro ſancti Amantii Arelate, menſe
1131. Februario, IX. cal. Martii 1131. præſente Raimundo de Baucio, ut eſt in libro authentico.

A Anno ſequenti Raimundus Gaufredi de Maſſilia juravit domino Bernardo archiepiſcopo *vitam & membra, & caſtella, & villas*, &c. Vivere deſiit anno 1133. ex Saxio; ſed vir doctus dominus Raibaud vidit in libris capituli tum Viridi, tum Rubro litteras Raimundi Iſnardi, uxoriſque ejus Garſendis, datas menſe Octobri anni MCXXXVII. quibus in hujus archiepiſcopi manibus invadiant condaminam de Meſencs. In veteri necrologio ſancti Ægidii legitur: VI. *nonas Martii obiit Bernardus epiſcopus Arelatenſis.* ANNI CHRISTI. 1133.

XLIX. Guillelmus I.

Ex ſacra Montis-rivi * eremo (quæ Carthuſianorum eſt aſceterium in diœceſi Maſſilienſi) *Mont-rivi.
B Guillelmus aſſumtus eſt ad regendam Arelatenſem metropolim; quem etiam legimus legationis apoſtolicæ officio functum ſub annum 12. Innocentii papæ II. Anno 1139. approbavit com- 1139.
poſitionem factam a Guidone cardinali, apoſtolicæ quoque ſedis legato, inter Stephanum abbatem Caſæ-Dei, & Ademarum ſancti Tiberii, pro nonnullis eccleſiis. Querelam inter canonicos Arelatenſes & monachos Maſſilienſes, pro eccleſiis ſanctorum Honorati, Romani, Petri de Fayrabregol, & Cæſarii de Villanova, compoſuit præſentibus Bernardo Arauſicenſi epiſcopo, & Arnaldo ſacriſta, necnon
C Ugone Amelio decano, anno 1141. die nona 1141.
Nov. Ad eum & ad tres alios antiſtites, Ebredunenſem, Vapincenſem & Dienſem, Petrus venerabilis abbas Cluniacenſis miſit epiſtolam, in qua contra Petrobuſſianos pugnat: *Quoniam*, inquit, *in partibus veſtris, aut circa eaſdem ſtulta illa & impia hæreſis ..... multos interfecit.*

L. Raimundus II.

Raimundus de Monte-rotundo natus in diœceſi Nemauſenſi, puer oblatus eſt a patre in Nemauſenſi eccleſia, ubi adolevit & ad maturam pervenit ætatem; ut etiam judicatus ſit dignus epiſcopalibus infulis. Itaque e canonico creatur
D Agathenſis epiſcopus; qua ex eccleſia migravit ad Arelatenſem thronum. Hæc nos docet Petrus venerabilis abbas Cluniaci ad Eugenium papam ſcribens, occaſione litis inter epiſcopum *l. V. ep. 4.* Nemauſenſem & abbatem Caſæ-Dei, pro ſancti Baudilii monaſterio; cujus cauſæ cognitionem ſummus pontifex Raimundo commiſerat, alteri partium adeo ſuſpecto, *ut pene idem ſit hoc imponi Arelatenſi* (præſuli) *quod eſſet ſi imponeretur epiſcopo Nemauſenſi*, inquit Petrus abbas; quia videlicet, Raimundus archiepiſcopus natus in *diœceſi* Nemauſenſi, a patre puer oblatus fuerat Nemauſenſi eccleſiæ, ubi nutritus canonicus evaſerat, indeque aſcenderat ad ſedes
E Agathenſem & Arelatenſem, cui jam an. 1142. præerat, ex Peireskio. Et quidem hoc anno dedit ad feudum Petro de Lambeſco Verneyram & Valonium; & ipſe Petrus, Ugo, Willelmus Raimundi, & Bertrandus de Lambeſco dimiſerunt huic archiepiſcopo omne jus & dominium quod habebant in caſtro de Salone; ex chartul. archiepiſcopi Arelatenſis. Tranſegit cum Ildefonſo comite de juribus ad Argentiam pertinentibus anno 1143. Litteras hujus prin- 1143.
cipis ex archiepiſcopali chartophylacio deſcriptas inter inſtrumenta edi curavimus. Exſtat *C. XV. pag. 97. col. 2.*

ANNI CHRISTI.

de Mont-roson.

ANNI CHRISTI.

vero professio fidei clientelaris ejusdem Ildefonsi comitis, qua nominatim Arelatensem ecclesiam, castra, possessionesque omnes sub tutela suscepit, testibus Ugone Amelio decano, Villelmo de Alest, Raimundo de Baucio, & Guillelmo Porcelleti. Hominium eidem antistiti præstitere, Petrus dominus de Lambisco, cum filiis Poncio, Petro, Raimundo & Hugone, de juribus dominii in castris de Salone, Alvernico & Avalone. At Raimundus Baucii dynasta cum Stephania uxore, filiorumque Raimundi & Hugonis assensu, totum honorem, ut appellant, ecclesiarum sancti Nicolai & beatæ Mariæ de Marignana canonicis Arelatensibus sancti Trophimi dimisit, sub restitutione CC. solidorum Melgoriensium, regnante Conrado
1143. rege 1143. ut patet ex instrumentis originalibus libri authentici.

Ex chartul. archiep.

Anno 1151. Raimundus de Baucio & Ugo filius ejus, juraverunt & promiserunt fidelitatem domno Raimundo archiepiscopo, coram multis probis viris. Consecutus est ab Anastasio papa IV. confirmationem privilegiorum ac possessionum Arelatensis ecclesiæ, bulla data an-
1153. no I. ejus pontificatus, Christi vero anno 1153. VII. cal. Januarii, indictione II. quam inter
Ch. XVI. p. 37. col. 2. instrumenta retulimus. Anno 1156. XV. cal. Julii dedit militibus templi Jerosolymitani ecclesiam sancti Martini de Almanara diœcesis Tolonensis, consentientibus canonicis, in manu Petri de Roveria ministri militum, retento censu 15. solid. Melgoriensium; ex archiep. archiv.

Transtulit Raimundus reliquias beati Trophimi ex basilica suburbana sancti Honorati, in urbem & in templum sancti Stephani, anno MCLII. Testis legitur in diplomate quo Raimundus comes Barchinonensis princeps Arragonum, & marchio Provinciæ, quadam prædia cessit Guillelmo Ebredunensi archiepiscopo, pro undecies mille solidis Melgoriensibus, ut videre est in Guillelmo Ebredunensi.

Obiit Raimundus an. 1160. ex Saxio & Sammarthanis, qui exhibent hanc inscriptionem in ecclesia sancti Trophimi, ubi sepultus est, ad ejus sepulcrum positam: *Decimo-sexto kal. Maii, obiit dominus Raimundus de Monte rotundo bonæ memoriæ Arelatensis archiepiscopus, anno Dominicæ incarnationis* MCLX. *Orate pro eo.* Sed legendum potius anno MCLV. facile enim fuit legere X. pro V. aut etiam forte renovatum est hujus archiepiscopi sepulcrum, & incaute insculptum est X. pro V. Quidquid sit, constat Raimundum ad annum 1160. non pervenisse.

Raimundus de Monte-rotundo, vel alius cognominis, qui paulo post ipsum sedit, utilia pro
C. XVII. p. 98. col. 2. consulum administratione, & politico urbis statu edidit decreta, quæ instrumentis adjecimus.

LI. SILVIUS.

Anno 1156. Fridericus imperator Agnetem, (quam alii Beatricem appellant) uxorem duxit, ex Burgundiæ regum sanguine genitam. Nuptias Vesontione celebratas narrat Aventi-
l. 6. annal. Boiorum, p. 501. nus, & ad eas convenisse Silvium Arelatensem archiepiscopum, Stephanum Viennensem, Heraclium Lugdunensem, cum Gaufredo Avenionensi & Odone Valentinensi episcopis. Radevicus vero lib. I. de gestis Friderici, ait Silvium Arelatensem, ceterosque antistites, per nuntios adfuisse, & fidelitatem imperatori juravisse anno 1157.

ANNI CHRISTI.

Aliunde nobis innotescit Silvius, videlicet ex testimonio D. Polycarpi de la Riviere, ascetæ Cartusiensis, & prioris Boni-passus viri eruditissimi, qui in epistola 4. ad Peireskium testatur eundem Silvium Arelatensem archiepiscopum subscripsisse litteris Odonis episcopi, pro majori, ut aiunt, Cartusia datis an. 1159. mense 1159.
Septembri. Potuit autem sedere Silvius usque ad annum 1163. ante quem nihil legimus de Raimundo ejus successore.

Radevicus lib. quarto de gestis Friderici imperatoris, qui Octaviano antipapæ dicto *Victori IV.* patrocinabatur, adversus Alexandrum papam III. dicit archiepiscopum Arelatensem subscripsisse per legatos pseudo-concilio Papiensi, anno 1160. quo Alexander papa rejectus est, & Victoris IV. electio approbata fuit; unde sequeretur archiepiscopum hunc schismati adhæsisse. At Radevico minime fides adhibenda. Certe Angliæ rex ab eo connumeratur inter eos qui synodo Papiensi consenserunt; cum tamen constet eum Alexandro III. addictum fuisse. Ibidem quoque accenseretur archiepiscopus Trevirensis, his qui Octavianum suscepere; etsi discamus ex Eberardi Bambergensis episcopi epistola ad Eberardum Saltzburgensem archiepiscopum, Hiltinum Trevirensem minime consensisse cum aliis Germaniæ antistitibus, ad Victorem antipapam suscipiendum.

LII. RAIMUNDUS III.

Ex Bolena.

Raimundus a Bolena ecclesiam regendam suscepit anno 1163. ut liquet ex transactione facta inter cives urbis Arelatensis & Judæos de 10. solidis ab ipsis solvendis, ubi legitur in fine: *Facta est hæc transactio seu compositio in porta sancti Stephani an. Domini nostri J. C.* MCLXXVIII. XVII. *cal. Julii . . . . . anno* 15. *archiepiscopatus Raimundi Arelat. archiepiscopi.* Huic archipræsuli Ildefonsus Arragonum rex, marchio Provinciæ, castra & prædia plurima concessit. Favit etiam Alexander papa, qui confirmavit permutationem inter eundem & monasterium Massilienſe, pro ecclesia sanctæ Fidei de Vacheriis; legitur autem in epist. Peireskii ad D. Polycarpum, facta compositio inter Petrum Massilienſem episcopum & vicecomites Massiliæ: *In civitate Aquensi, in claustro canonicorum, anno ab incarnatione Domini* M. C. LXV. XVI. *cal. Novembris, luna* XXVII. *epacta* VI. *Alexandro papa III. Rom. eccl. præsidente, Friderico imperante, per manum Domini Raimundi II. Arelatensis archiepiscopi, & Raimundi Carpentoratensis episcopi, iis adsistentibus sibi judicibus, videlicet Guillelmo Tolonensi episcopo, Henrico Aquensi præposito, &c.*

Ubi vides Raimundum secundum appellari hunc antistitem, quamvis foret tertius. Forte Raimundi I. cujus brevis admodum fuit episcopatus, jam abolita erat memoria. Præterea moris non fuit olim ut episcopi suis in litteris notarent se esse secundos, tertios, &c. sui nominis; aut etiam id notaretur ab iis qui litteras illas scribebant & recensebant, (quamvis aliquando fa-

ANNI CHRISTI.

ctum esse fateamur) unde gravis oritur suspicio de hac charta, quantum ad ultima verba; nam forte incaute irrepsit *secundi* post *Raimundi*.

1168. Anno MCLXVI. sopivit litem inter canonicos ecclesiæ suæ & Fredolum abbatem, monachosque Massilienses, pro variis ecclesiis rixantes, usus consilio & ope Gaufredi Avenionensis episcopi, cujus compositionis instrumentum legesis in probationibus. Cum ejus consilio & voluntate Ildefonsus Arragonum rex & *dux* Provinciæ (ita lego) pactum init cum Hugone Ruthenensi comite, pro vicecomitatu de Carlades, an. 1167. Procurandæ pacis & concordiæ causa inter Massilienſem ecclesiam & Roncelini vicecomitis consanguineos, non parum laboravit Raimundus archiepiscopus anno 1170. Anno vero 1173. Guillelmus de Bello-loco nomine regis Arragonensis, oppigneravit Arelatensi ecclesiæ castrum de Aqueria, pretio duorum millium solidorum Melgorienſium; cujus pacti tabulæ sunt in libro quem vulgo *Pancartam* appellant *nigram*. An. 1177. inter ipsum & Raimundum Berengarium comitem Provinciæ fratrem Ildefonsi regis, facta est transactio pro moneta Arelatensi. Anno 1178. comitem Tolosanum in feudatarium castri de Bellicadro, Argentiæ, aliarumque toparchiarum in Occitania recepit mense Augusto; quo etiam anno Fridericus imperator dedit ecclesiæ Arelatensi insigne privilegium quod descripsimus ex autographo, & inter instrumenta retulimus. Eodem tempore testis fuit alterius privilegii, quo Fridericus imperator donavit Robertum episcopum & ecclesiam Diensem, cujus bullam ibidem edidimus. Eo quoque anno Ildefonsus rex Arragonum, comes Barchinonensis & marchio Provinciæ, huic archiepiscopo & ecclesiæ Arelatensi laudavit atque confirmavit concambium honoris de Vaqueriis, quod fecerat cum monachis Massilienſibus, data ipsis invicem sancti Gabrielis ecclesia. Anno 1179. mense Martio, habitum est concilium Lateranense, ad quod convenit hic archiepiscopus cum subditis sibi episcopis, Fulcone Massiliensi, Pontio Cavalicensi, Petro Avenionensi, Guillelmo Tricastrinensi, & Petro Tolonensi. Anno 1181. XI. calendas Aprilis ecclesiæ sancti Stephani concessit dominium, quod acquisierat a Raimundo de Mesencs. Eodem anno diremit controversiam inter P. abbatem Toroneti & canonicos Arelatenses. Anno 1183. Lantelmo abbati Casæ-Dei confirmavit omnes ecclesias quæ sunt in castro Bellicadri. Hinc liquet eum a seculo non migrasse anno 1182. ut legitur in vulgato indice. Ad Raimundum archiepiscopum Arelatensem cellam S. Martini infra mœnia civitatis Arelatensis sibi vindicantem, scripsit Calixtus papa II. breve quod sequitur:

Tom. X. Spicileg. p. 168.

C. XVIII. p. 99. col. 2.

C. XIX. p. 99. col. 2.

Benche l. IX. sect. 2. c. 4.

1170. 1173. 1178. 1179. 1181. 1183.

Calixtus episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri R. Arelatensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Arlanenses monasterii fratres apud Montem-pessulanum super ecclesiam sancti Martini ..... præsentes in conspectu nostro querimoniam suam exposuerunt, unde dilectioni tuæ per præsentia scripta præcipimus ut judicio Vivariensis & Magalonensis episcoporum de ecclesia eadem præfatis fratribus plenam justitiam exequaris. Dat. Tolosa id. Julii.

ANNI CHRISTI.

Post Raimundum hunc, notantur in diptychis Hugo I. Hugo II. Johannes, Bertrandus, Florentius, Raymundus, Bernardus, Bertrandus Rostagnus, Petrus, Arnaldus, Halhardus, Missiardus, Gislebertus, Johannes.

LIII. PETRUS I.

Isnardi.

Petrus cognomento Aynardi, vel Isnardi; Arelatensis ecclesiæ canonicus, pastoralis officii periculum fecerat in ecclesia Tolonensi, creatus ibidem episcopus anno 1166*. diu antequam ad sedem Arelatensem vocaretur; id enim contigit tantum anno 1183. Hoc anno domnus abbas sancti Gervasii de Fossis, misit Albertum priorem nepotem suum, ad Petrum archiepiscopum, qui ei suo nomine obedientiam promitteret. Ipso sedente Urbanus III. papa ecclesiæ metropolitanæ privilegia & possessiones confirmavit, II. idus Dec. anni 1186. Urbani secundo; forte quod canonici tunc regulare institutum susceperissent. Eodem anno hic archiepiscopus Petro de Toro fabricam monetæ in civitate Arelatensi dedit; ut ipsi & suis liceret cudere monetam in ea civitate, nomine ecclesiæ sancti Trophimi; tali pacto, ut de singulis libris monetæ, sine omni onere & expensis, ecclesiæ sancti Trophimi & archiepiscopo duodecim denarios redderet; ac decimum-tertium denarium ad opus altaris sancti Stephani. Unde jus cudendæ monetæ Arelatensi asseritur archipræsuli. Obitus Petri notatur anno 1190. cujus tempore canonicos Regulares factos legimus. a

* al. 1168.

1183.

Examinatio.

V. C. XXI. p. 100. col. 1.

a

LIV. UMBERTUS.

Arbitrii.

Umbertus de Aquaria, quem alii Imbertum vocant, sacrista ecclesiæ Arelatensis, electus est ad pontificatum anno 1190. quo Guillelmus Porcelleti restituit ecclesias, oblationes, mortalagia, &c. sicque absolutionem impetravit ab Imberto archiepiscopo. Paulo post scilicet an. 1191. in festo S. Agnetis accepit fidem clientelarem Hugonis de Baucio, pro castro de Trencatellis. Consecravit templum superius Tarasconense, in honore sanctæ Marthæ, adjuvante Rostagno Avenionensi episcopo, die 1. Junii anni 1192. uti indicant vetustissima carmina ad latus majoris januæ saxo inscripta. Bulla Cælestini III. data anno 4. ejus pontificatus, seu Christi 1194. jussus est operam dare parthenonis S. Cæsarii reformationi. In alia ejusdem papæ bulla laudatur, quæ docet canonicos Regulares in ecclesia Arelatensi non ita pridem esse institutos. Umberto scripta est ista Innocentii III. epist. libri I. ex qua conditus est ille canon *cum apud sedem*, de sponsalibus, quo definitur

1190. 1191. 1192. 1194.

V. C. XXII. p. 100. col. 2.

a Domnus Polycarpus Ottonem quendam Arelatensem archiepiscopum anno 1187. qui vitam in Oriente clauserit in obsidione Accons urbis anno 1190. in veteribus, usque editis auctoribus quos tacet, se reperisse dicit in ep. 21. ad Peireskium. D. Raibaud vero in veteri catalogo legit Petrum Isnardi mortem oppetisse in hac obsidione die 30. Novembris anni 1189. sepultumque fuisse ibidem; deinde ossa ejus fuisse translata in Jerusalem.

ANNI CHRISTI. 1200.

mutum & ſurdum poſſe matrimonium contrahere. Anno Dominicæ incarnationis M. CC. nonis Novembris, præſidente & mandante D. Johanne de ſancto Paulo titulo ſanctæ Priſcæ preſbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato, a D. Imberto Arelatenſi archiepiſcopo conſecratum eſt templum in honorem ſanctæ & glorioſæ virginis Mariæ, & vivificæ Crucis, & omnium Sanctorum, quod conſtruxerat Guillelmus Magalonenſis epiſcopus, ut refert Gariel in ſerie epiſcoporum Magalonenſium, ex inſcriptione veteris ſaxi. Eodem anno & menſe litigantes abbatem & monachos Ulmeti, necnon abbatiſſam & moniales ſancti Cæſarii, paſtorali ſollicitudine ad componendum adduxit. Ipſe ortam litem inter ſe & Arbertum abbatem ac monachos ſancti Gervaſii de Foſſis, conſenſit decidi ab epiſcopo Tolonenſi & præpoſito Arelatenſi. Mortuus anno 1202. ſepultus eſt apud ſanctum Trophimum, cum brevi hoc epitaphio: *Decimo-tertio kal. Aug. obiit dominus Imbertus de Aqueria, bonæ memoriæ Arelatenſis archiepiſcopus, anno Dominicæ incarnationis* M. CC. II. *Orate pro eo.*

Gaufr. Caſſian. illuſtr. l. 2. c. 18. n. 29.

1202.

LV. MICHAEL.

de Moreſio 1182.

Michaël de Moreſio prius præpoſitus, paulo poſt ſuſceptum regimen Arelatenſis eccleſiæ, ſcilicet anno 1203. ſancto Johanni de Matha inſtitutori ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis pro redemtione captivorum permiſit habere Arelate eccleſiam & cœmeterium, quibuſdam pactis conditionibus, quoad decimas, oblationes, quartam partem mortalagiorum; quod pactum poſtea confirmavit Innocentius III. an. 1209. Mendicantium autem religioſorum nulla domus antiquior eſt in Provincia. Eodem anno creavit conſules, qui magna totius populi gratulatione excepti ſunt. Pietate motus erga tot ſanctos præſules & alios quorum conditorium erat baſilica S. Honorati extra muros civitatis, vetuſtate pene collapſa; communi epiſtola epiſcopos comprovinciales hortatus eſt ad ſubſidium pro ipſius reſtauratione ſuppeditandum. Anno 1204. ſecutus eſt Petrum Arragonum regem accedentem *ad apoſtolicam ſedem, ut a Domino papa militare cingulum & regium acciperet diadema.* Romæ autem quum eſſet Michaël, id egit apud Innocentium, quod ipſe teſtatur his verbis: *Innocentius tertius nobili viro W. Montiſpeſulan. Per venerabilem fratrem noſtrum Arelatenſem archiepiſcopum ad ſedem apoſtolicam accedentem nobis tua humilitas ſupplicavit, ut filios tuos titulo legitimationis decorare dignaremur, quatenus eis, quominus tibi ſuccederent, natalium objectio non noceret ..... ſuperſedendum adhuc duximus petitioni prædictæ; nec ad præſens ſuper tuis precibus annuendum, donec ſi fieri poterit, & culpa levior, & juriſdictio liberior oſtendatur; licet perſonam tuam ſpecialis dilectionis brachio amplexemur.*

1203.

Bouche l. 9. ſect. 2. c. 5. p. 189.

Savy. Bouche. Gaufray.

1204.

Antiq. collectio decretal. Aut. Aug.

An. 1205. habita eſt Arelatenſis ſynodus, in qua Petrus de Caſtro-novo ſedis apoſtolicæ legatus nonnulla ſtatuit pro bono regimine eccleſiæ Arelatenſis, ex tabul. ſancti Trophimi. An. 1206. hic archipræſul XIV. cal. Aprilis, excipit Raimundum Toloſæ comitem & marchionem Provinciæ clientelæ obſequium offerentem. An. 1208. Sacriſtana domina burgi Arelatenſis, & condomina loci de Moreſio, *al.* de Moligeſio, monialibus ſancti Pauli dedit hujus loci dominium, ut ibidem cœnobium conſtruerent; quod pium opus Michaël multis beneficiis promovit, ut infra dicemus. Anno 1209. menſe Septembri adfuit concilio Avenionenſi coacto a legatis papæ Hugone Rejenſi epiſcopo, & Thediſio[a] domini papæ notario, anno vero 1214. Monſpelienſi. Anno 1211. adfuiſſe memoratur ſententiæ a Willelmo Auraſicenſi epiſcopo & magiſtro Tediſio Januenſi canonico latæ contra Toloſæ comitem pro monaſterio Montis-majoris, de qua in Gaufrido Carpentoratenſi præſule.

ANNI CHRISTI. 1208.

1209.

[a] *Spicil. tom. II. p. 40.*

Verum ſilentio præteriri non debet inſigne præ ceteris privilegium, quod Michaëli & eccleſiæ Arelatenſi conceſſit Fridericus II. Romanorum rex editum apud Honoratum Bouche. Summa ipſius eſt Arelatenſem ſedem antiquitus a regibus & imperatoribus fuiſſe honoratam, quod hæc civitas ſit tanquam caput Provinciæ, ſedeſque principalis tum imperii, tum imperatoris. Idcirco archiepiſcopo confirmat regalia omnia diœceſis & ipſius civitatis; in ea plenam juriſdictionem in creandis conſulibus, telonea, pedatica, juſtitias, Judæos, cordam, quintale, pharnarium, monetam, porus, montationes & redditus navium, ſtagna, lacus, paludes, flumina, paſcua de Lapidoſo* agro, &c. Confirmat etiam dominium de Trencatellis, quartam partem de Foſſo, caſtrum de Salone, de Alvernico, caſtrum de Avalone, caſtrum S. Amantii, &c. abbatiam S. Gervaſii, &c. Teſtes ſunt Fredericus Trevirenſis, Amedeus Biſontinenſis archiepiſcopi, Conradus Conſtantienſis, Henricus Argentinenſis epiſcopi, Walterius Baſileenſis electus, Gaufridus Tricaſtrinenſis epiſcopus. Recognovit Conradus Spirenſis & Metenſis epiſcopus imperialis aulæ cancellarius, vice domini Umberti Viennenſis archiepiſcopi, totius regni Burgundiæ archicancellarii. Actum anno Dom. MCCXII. regnante Friderico II. Romanorum rege & Siciliæ anno 2. apud Baſileam VIII. cal. Decembris, indict. III. Appenſum eſt ſigillum aureum diplomati quod aſſervatur in archivo eccleſiæ Arelatenſis.

L. 9 fol. 1. c. 5. p. 197.

a la Cou.

1212.

Anno 1214. celeberrimus tot rebus adverſus Albigenſes geſtis Simon comes Montis-fortis a noſtro Michaële in feudum recepit caſtrum Belliquadri cum Argentia, &c. cujus infeudationis autographum aſſervatur in albo codice pergameno archiepiſc. Arelatenſis. Illud porro exhibemus inter inſtrumenta. Diem ſuum obiit Michaël XII[b]. cal. Auguſti anni 1217. & ex tabulis teſtamenti ſepultus eſt ante altare B. Mariæ majoris eccleſiæ.

1214.

num. 197.,

C. XXIII. f. 100. col. 2.

1217. b

LVI. HUGO I.

Hunc epiſcopum noſtro ævo incognitum debemus diligentiæ doctiſſimi dom. Raybaud jam ſæpius a nobis laudati, qui eruit cum ex veteri

[a] Gariel pro *Thediſio* habet *Milonem* in præſulibus Magalonenſibus.

[b] In ſchedis ab illuſtriſſimo Franciſco de Mailly archiepiſcopo Arelatenſi, nunc Remenſi nobis communicatis, legitur: *decimo-ſexto kal. Auguſti.*

ANNI CHRISTI 475.

catalogo confecto tempore cardinalis de Fuxo archiepiſcopi, in quo legitur:

Michaël de Moreſio obiit XII. *calendas Auguſti* MCCXVII. *& ſepultus eſt in Arelatenſi eccleſia. Hugo obiit anno Dom.* MCCXVII. IV. *calend. Septembris. Hugo Beroardi obiit* XIV. *cal. Decembris anno Domini* MCCXXXII.

Ex his habemus unum archiepiſcopum nomine Hugonem ante Hugonem Beroardi, qui pro primo hujus nominis archipræſule huc uſque eſt habitus. At cum inter diem 21. Julii, & 29. Auguſti, breve admodum fluxerit tempus, vix poſſumus nobis perſuadere ſufficiens fuiſſe temporis ſpatium ad ejus electionem & conſecrationem. Hinc non mirum ſi de eo in chartis nulla B fiat mentio. Attamen pro vero antiſtite ipſum fuiſſe habitum inde demonſtratur, quod Hugo Beroardi fuerit appellatus Hugo II. quod probatur 1°. ex quodam inſtrumento magni prioratus S. Ægidii ordinis S. Johannis Jeroſol. in quo legitur: *Act. an.* MCCXVIII. XIV. *cal. Decembris coram domino R. Arelatenſi præpoſito vicem Hugonis II. archiepiſcopi obtinente, cum eſſet abſens, & coram R. Stephano tunc temporis conſule.* Appenſum eſt huic inſtrumento ſigillum, in quo legitur: S. HUGONIS SCDI ARELATEN. ARCHIEPISCOPI. 2°. ex charta in archivo regio Aquenſi aſſervata, de quodam judicio C lato menſe Martio an. MCCX. a Michaële de Moreſio archiepiſcopo, inter Hugonem de Baucio, & Guillelmum de Aquariis (d'Aiguieres) cui Hugonis II. archiepiſcopi Arelatenſis notarius, nomine Petrus de Juncariis teſtatur ſe appoſuiſſe ſigillum plumbeum hujus antiſtitis; ad confirmandam ſententiam illam Michaëlis de Moreſio; quod factum eſt IV. idus Julii anno MCCXXII.

BEROARDI.

LVII. HUGO II.

Hugo Beroardi conſecratus eſt archiepiſcopus ab Honorio papa III. an. 1217. Illum fuiſſe D civem Arelatenſem conjicimus; nam quidam primus conſul hujus urbis cognominatus Beroardi anno 1236. præſtitit fidelitatis ſacramentum Johanni de Baucio archiepiſcopo. Præpoſitus erat Maſſilienſis, quando accerſitus eſt ad eccleſiam Arelatenſem adminiſtrandam. Aſſenſum præbuit anno 1219. cuidam permutationi factæ a Stephano Podii-rotundi abbate. Eodem anno IV. nonas Aprilis ab Hugone de Baucio Maſſiliæ vicecomite recepit homagium pro caſtro de Trencatellis. Anno 1221. IV. cal. Februarii, donationem eccleſiæ S. Marcellini diœceſis Aptenſis factam Monti-majori ab A. archidiacono Arelatenſi approbavit & ratam habuit. E

Hic archipræſul ſuppreſſo decanatu in æde metropolitana, inſtituit archidiaconatum; ſed quo anno minime novimus. An. 1224. habitum eſt concilium Monſpelienſe, cujus legatus fuit ad curiam Romanam noſter Hugo, ex chronico Alberici. Forte ab Honorio papa tunc impetravit bullam qua archiepiſcopo & capitulo Arelatenſi inhibuit ne caſtrum Salonis diſtrahere, permutare, vel quoquo modo alienare præſumerent; nam data eſt IV. nonas Januarii, pontificatus Honorii anno nono, qui reſpondet anno 1224. incarnationis. Anno 1225. conceſſit hoſpitium in urbe Arelate patribus Ciſtercienſibus Sinanquæ, & abbati Petro, charta data XVII. cal. Junii, quam vide in abbatibus Sinanquæ. Anno 1226. facta fuit pax inter dominum archiepiſcopum & Guillelmum de Moreriis, arbitris hinc inde electis Guillelmo de Pennaforti, & Berengario de Moreriis III. nonas Maii, regnante domno Friderico Romanorum imperatore, & domno Dragonero, poteſtate Arelatenſi exiſtente. Anno 1227. Raimundus Berengarius comes & marchio Provinciæ, & comes Forcalquerii, dedit eccleſiæ Arelatenſi, & per eam Hugoni archiepiſcopo decimas de tota condamina quæ dicitur Maſſilienſis, &c. uti legitur in litteris hujus principis editis inter probationes, eruti ex veteribus documentis capellæ Palatinæ S. Mauricii nunc diruæ. An. 1229. facta ſunt pacta pacis inter urbem Maſſiliam & Hugonetum de Baucio, ejuſque uxorem Barallam ac filios; in quam pacificationem ſe ſe interpoſuit Hugo archiepiſcopus, cum epiſcopis Maſſilienſi & Tolonenſi. Anno 1230. Romæ morabatur ubi IV. idus Maii adfuit benedictioni Ademari abbatis Caſtrenſis. Redierat nonis Octobris ejuſdem anni; quo ſcilicet tempore, accepta poteſtate ab imperatore, coëgit Hugonem de Baucio ad reſtituendum Monti-majori prædium quoddam. An. 1231. fratribus Prædicatoribus conventus in urbe fundatur XIII. cal. Jul. a Petro Armantio. Chartam ea de re edendam putavimus in inſtrum. Obitus Hugonis notatur in codice Arelatenſi & in necrologio Forojulienſi die 18. Novembris anni 1232. ſepulturaque donatus eſt ad S. Trophimi.

ANNI CHRISTI.

C. VIII. pag. p. 159.

1227.

C. XXIV. p. 101. col. 1.

1229.

1230. Tab. epiſt. Alb.

C. XXVI. p. 102. col. 2.

LVIII. JOHANNES III.

ex Baux.

Johannes de Baucio, alias Baucianus, ex archidiacono Maſſilienſi, anno 1223. factus eſt Tolonenſis epiſcopus, e qua ſede tandem ad Arelatenſem pervenit anno 1232. Anno 1233. cal. Februarii permiſit ut fratres Minores apud Sallonem monaſterium ædificarent, certis legibus in libro authentico expreſſis; licentia ea de re data, edita tom. III. analectorum Mabillonii, inſcripta eſt: *Fratri Bonaventura miniſtro ordinis fratrum Minorum*, quos laudat Johannes non mediocriter. In ſua urbe celebravit concilium provinciale, ad reſarciendam ſtabiliendamque eccleſiaſticam diſciplinam; quod legitur in appendice ad tom. XI. conciliorum. Alterum habuit anno 1236. tertio idus Novembris; necnon Inſulanum anno 1251. die Martis poſt feſtum exaltationis ſanctæ Crucis. Quod ſpectat ad res temporales, anno 1234. IV. idus Auguſti Bertrandus & Rainaudus Porcelleti, Johanni fidem juraverunt, pro tenementis in Cravo & piſcariis ſancti Geneſii. Item VI. idus Octobris Raimundus Porcelletus tranſegit cum eodem, pro pedagiis incolarum de Sallone, Raimundo comite pactum confirmante, apud Aqueriam in clauſtro ſanctæ Mariæ. Guillelmus de Baucio e principibus Arauſicæ recognovit quoque huic archiepiſcopo, tanquam homo ligius, feudum piſcariarum de ponte ſancti Geneſii an. 1236. VIII. cal. Octobris. In inſtrumentis de-

* al. 1214.

1232.

1233.

II. part. p. 2339.

1236.

Ex pancharta ni-ſ[ar]a.

Gal. Chr. Sammarth.

ANNI CHRISTI. C. XXVI. p. 101. col. a.

dimus hominium ipsi præstitum a Barrali de Baucio anno 1238. Ipse Raimundus Berengarius marchio & comes Provinciæ, uti & Forcalquerii, qui an. 1234. archiepiscopo assignarat omnes redditus bajuliæ Altavezii pro 50. marchis sterlingorum, anno MCCXXXIX[a]. cal. Aug. fidem huic promisit archiepiscopo, defensionem, protectionem, juriumque conservationem, necnon capitulo Arelatensi. Anno 1240. VII. cal. April. ipsi *sacramentale* fecit Bertrandus Brunus electus judex & vicarius Arelaten. pro exstirpatione Valdensium, ac observatione consulatus, societatisque cum Massilienſibus & Avenionensibus. Eodem anno, suo & ecclesiæ Arelatensis nomine promisit Salonensibus se nunquam passurum, ut castrum Salonis e sua manu ad aliam transiret; Salonenses quoque vicissim idem polliciti sunt. Primus ei locus datur inter testes in tabulis matrimonialibus Raimundi comitis Tolosæ cum Sancia filia Berengarii comitis Provinciæ an. 1241. quo etiam tempore ortam controversiam inter priorem & monachos Bellicadri, ac vicarium, clericosque super oblationum perceptione, diremit suo judicio, in quo Johannes de Baucio appellatur. Eidem Raimundus comes Tolosæ & marchio Provinciæ recognoscit castrum Bellicadri anno 1241. mense Maio. Composuit litem inter comitem Provinciæ & abbatem Montis-majoris. In dissidio pro juribus civitatis Raimundus Berengarius comes Provinciæ archiepiscopi partes adversus Arelatenses amplexus est, suadente fortasse Gregorio papa IX. qui eidem principi in mandatis dedit, ut pro eodem archipræsule staret contra Guillelmum de Sabrano Forcalquerii comitem a sex annis interdicto subjectum, quod castrum Pertusii invasisset. Anno 1245. Carolus frater sancti Ludovici regis Franciæ, ducta in uxorem Beatrice filia & unica herede Raimundi Berengarii comitis Provinciæ & Forcalquerii, omnibus ejus ditionibus potitus est: qui urbem Arelatensem pro libera civitate se se habentem sub dominio archiepiscopi, jugo suo subdere constituit. Ipsi vero Johannes[b] archiepiscopus homagium professus est anno 1250. IV. cal. Novembris, & anno 1254. cal. ejusdem mensis; ultimi formulam damus inter instrumenta. Memoratur in tabulario sancti Pauli[c] Narbonensis v. idus Maii anni 1258. Eodem fere tempore, id est cal. Maii anni 1258. subscriptus legitur in quodam instrumento pro hospitalariis sancti Johannis Jerosolymitani, ubi legitur *Johannes Dei gratia sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus*. Appensum est sigillum cereum, quod una ex parte continet verba supra expressa: *Johannes, &c.* In aversa parte legitur: *Sigillum S. Trophimi Jesu Christi discipuli*; ex epistola 40 Polycarpi de la Riviere ad Peireskium. Necrologium S. Andreæ secus Avenionem assignat pro die obitus ejus IX. cal. Decembris.

ANNI CHRISTI.

Quædam statuta edidit in synodo Insulana suæ diœcesis anno 1251. consentientibus R. Cavellicensi, B. Massilien si, G. Carpentoratensi, B. Tricastrino, R. Tolonensi, P. Auraicensi episcopis, Zoen Avenionensi, & S. Vasionensi episcopis se excusantibus, an. MCCLI. die Martis post festum exaltationis sanctæ Crucis. Gravissimas lites Johannes habuit cum capitulo quod excommunicavit anno 1246. sed eas composuit Petrus Albanensis episcopus, & sanctæ sedis legatus.

LIX. BERTRANDUS I.

DE SAINT MARTIN.

Bertrandus a sancto Martino excepit Barallum dominum de Baucio ad præstandum hominium pro castro de Trencatellis, anno 1158. IV. nonas Decembris, vel potius anno 1259. vix enim potuit esse archiepiscopus IV. nonas Decembris anni 1258. cum ejus decessor obierit tantum nono cal. Decembris hujus ipsius anni. Ratam habuit cum suo capitulo conventionem quamdam factam, Guidone Anicien si episcopo mediatore, inter sanctum Ludovicum regem & Guillelmum archidiaconum Arelatensem, ratione castri ac ditionis Bellicadri, quæ a Simone Montis-fortis comite ad regem transierant; ubi observatione dignum est regem ad centum librarum annui reditus censum se obligasse, homagii loco, *quod nemini reges faciunt*. Cautum est tamen in ea conventione, quod si quandoque ab alio quam a rege possideretur illa toparchia, dominus illius ad fidem clientarem archiepiscopo Arelatensi jurandam teneretur. Id actum est mense Octobri anni 1259. & ratum habetur XII. cal. Decemb. ejusdem anni. Eum obiisse anno 1260*. communis fert opinio; contra vero schedæ illustrissimi archiepiscopi jam sæpius a nobis laudatæ, exhibent judicium ab electis judicibus seu arbitris latum anno 1262. X. cal. Maii inter Bertrandum archiepiscopum & Barrallum de Baucio. Sed aliunde gravis oritur difficultas ex tempore quo ejus successor Florentius sedere cœpit.

Ex schedis illustr. archi.

Exstat. Comit.

*. IV. cal. Aug.

LX. FLORENTIUS.

Florentius sive Florentinus non immerito legitur impositus Arelatensi cathedræ an. 1260. quo videlicet suæ provinciæ synodo præfuit apud Arelatem habitæ. Neque irrepsit error in annorum notatione. Nam in præfatione inducuntur adversarii contra quos patres concilii pugnant, ita ratiocinantes: totum hoc spatium labentis seculi dividitur in tria tempora, quorum secundum spectat ad filium; *& duravit*, inquiunt, annis MCCLX. ergo tunc annus 1260. currebat. Huic itaque publico testimonio fidem adhibere coacti, credimus Bertrandum archiep. an. saltem 1260. ex hac vita migrasse, suffectumque ei fuisse Florentium. Nescimus autem qui factum sit, ut ab Acconensi eccl. translatus fuerit, ut dicitur, ad Arelatensem. In hoc Arelatensi

1239. *Ibidem.*

1240.

Vide in probat. C. XXVII. p. 101. col. 1.

Tom. VIII. Spicil. p. 231.

1241. *Chartul. archiep.*

Ex tab. Montis-majoris.

1245.

1250.

C. XXIX. p. 101. col. 2. c

[a] Prius legebatur 1238. cal. Augusti, quod emendavimus ex schedis illustrissimi archiepiscopi.

[b] Ægre tulerunt quod archiepiscopus Carolo faveret, Albertus de Lavania potestas (*podestat*) & alii cives qui in communi consilio decernunt, *quod nullus de Arelate sit ausus loqui cum domino archiepiscopo Arelatensi, nec in hospitium suum intrare, nec ei aliquod servitium vel sua familia facere; nec vendat, vel det, seu mittere aliquid ei, sine mandato domini potestatis & septimanariorum, & eorum qui electi sunt ad dandum consilium domino potestati. Actum anno* MCCXLVIIII. IV. *cal. Septembris.*

[c] J. archiepiscopus Arelatensis, G. Narbonensi archiepiscopo impedire jubet quominus Aymericus de Robiano capitulum sancti Pauli perturbet, in quod præter abbatis & canonicorum voluntatem assumi volebat V. idus Mau 1258. ex tabul. S. Pauli Narbonensis.

ANNI CHRISTI.

concilio anni 1260. a quo ſuum auſpicatus eſt pontificatum, curavit decerni ſexto canone ut S. Trophimi feſtum ſolemniter celebraretur per totam provinciam cum officio de apoſtolis.

1263. Anno 1263. die v. Februarii Raimundus dominus de Monte-draconis hominium exhibuit novo archipræſuli, adſtante Arauſicenſi epiſcopo; anno vero 1266. Bertrandus de Baucio. Paulo poſt exceſſit e vita Florentius, cujus mors in necrologio S. Andreæ Avenionenſis ſignatur III. cal. Junii.

1266. *Vide ch. XXX. 3. 10. mai.*

LXI. BERTRANDUS II.

De S. Martin.

Bertrandus de S. Martino ex præpoſito eccleſiæ Arelatenſis, factus Forojulienſis epiſcopus, ut volunt Peireskius & Anthelmius, & ex hac ſede tranſlatus ad metropolitanam Arelatenſem; jam ſedebat anno 1266. v. non. Martii. Et quidem in ſchedis Peireskii legimus chartam compoſitionis factam fuiſſe inter hunc Bertrandum, & Raimundum de Porcellet datam anno 1267. v. cal. Maii, præſentibus B. præpoſito, Hu. ſacriſta, B. præcentore; ac eodem anno IV. cal. Junii confirmatam ab Alaſaſia relicta dicti Raimundi, iiſdem teſtibus. An. 1270. celebravit concilium apud Avenionem idibus Julii. Anno eodem, nonis Aprilis, confirmavit auctoritate metropolitani diviſionem duodecim præbendarum capituli Tolonenſis factam a Galtero epiſcopo.

Arch. præſ. Tolon.

Legitur ad cardinalitiam dignitatem promotus a Gregorio papa X. Notat quidem Odoricus Rainaldus promotionem cardinalium primo pontificatus hujus papæ anno factam, referetque Ptolomæi Lucenſis ea de re teſtimonium. Sed neuter nomina cardinalium tunc promotorum prodit, præterquam Petri a Tarantaſia, e Prædicatorum aſſumti familia, & S. Bonaventuræ de ordine fratrum Minorum. At aliunde certa habemus argumenta, infra exhibenda, ex quibus conficitur Bertrandum noſtrum fuiſſe creatum cardinalem & epiſcopum Sabinenſem anno 1273. cui ſucceſſit tunc in ſede Arelatenſi Bernardus cognomento de Languiſel.

Saxius inter Bertrandum a S. Martino & Bernardum inſeruit quemdam Bertrandum *Maleferratum*. Sed luce clarius conſtat Bernardum nullo modo ſubrogatum eſſe Bertrando II. Saxium forſan fefellit, quod in nonnullis ſcriptis olim Bertrandus a S. Martino per aliquod dicterium fuerit cognominatus *Maleferratus*.

Et vero Peireskius chartam anni 1273. menſe Januario ſe legiſſe dicit, in qua Bernardus nuncupatur electus Arelatenſis, etſi aliunde Bertrandum aſſerat cum titulo electi Sabinenſis nomen ac dignitatem Arelatenſis archiepiſcopi ibidem retinuiſſe.

E vivis exceſſit anno circiter 1277. v. cal. Aprilis, qua die ſic habet necrologium Andaonenſe: *Depoſitio domni Bertrandi de S. Martino, cardinalis epiſcopi Sabinenſis monachi noſtri, pro quo fiat ſicut pro abbate.* Forſitan junior vitam monaſticam in hoc S. Andreæ monaſterio erat amplexus, aut propter ſingularem erga hujus loci monachos affectum petierat inſcribi fratrum catalogo.

LXII. BERNARDUS II.

ANNI CHRISTI.

De Languiſel.

Bernardus de Languiſello ex gente Nemauſenſi fratres habuit Andream & Bertrandum epiſcopos Avenionenſem & Nemauſenſem, quorum patruus erat Nemauſenſis præpoſitus. Ipſe Bernardus fuerat archidiaconus Lauracenſis in eccleſia Toloſana. Renuntiatus eſt archiepiſcopus poſt aſſumtionem Bertrandi ad epiſcopatum Sabinenſem, & cardinalitiam dignitatem. Cum eſſet controverſia inter Carolum I. regem Siciliæ, comitem Provinciæ, & Robertum Avenionenſem epiſcopum, pro caſtro de Novis, ad illam dirimendam compromiſerunt in Bertrandum, *quondam Arelatenſem electum Sabinenſem*, & Vicedominum *quondam Aquenſem*, electum epiſcopum Prænеſtinum. *Actum Florentiæ*, die XII. Junii, anno 1273.

Sententia præſulum illorum, qua definierunt caſtrum de Novis poſſideri debere ab epiſcopo & eccleſia Avenionenſi; ed ſub dominio Provinciæ comitis, data eſt anno Domini 1274. indict. II. pontificatus domini Gregorii papæ decimi anno III. menſe Aprilis die XXV. Ad majus iſtius inſtrumenti robur, menſis Maii ſequentis die quinta, *venerabilis pater B.* (Bernardus) *ſola Dei miſeratione Arelatenſis eccleſia archiepiſcopus, attendens utilitatem eccleſiæ Avenionenſis procuratam eſſe in compoſitione prædicta, certificatus de eadem, omnia & ſingula laudavit & confirmavit, & ſigillum ſuum apponi mandavit. Actum Lugduni, &c.* Subjiciuntur ſubſcriptiones hoc modo & ordine:

† S. VICEDNI DEI GRATIA EPI. PNESTINI.

† S. BERTRAND. DEI GRATIA EPISCOPI SABINENSIS.

† S. BERNARDI SCE ARELATENSIS ECCLE ARCHIEPI.

†. S. ROBTI DEI GRATIA EPI. AVENIONENSIS.

Hic legis ſimul nomina Bertrandi olim archiepiſcopi Arelatenſis, tunc epiſcopi Sabinenſis, & Bernardi ejus ſucceſſoris in metropoli Arelatenſi. Charta eſt authentica, a qua pendent adhuc ſigilla quatuor.

Bernardum præfuiſſe concilio Arelatenſi anni 1275. vix dubitare licet; certe præfuit anno 1279. ſynodo Avenionenſi. Brevi tempore quo ſedit, Bertrandum Balcii dominum filium Barralis reſtituere coëgit Nionis, Mirabellii & Vinſobrii caſtra, quæ minime conſentiente capitulo Bertrandus primus archiepiſcopus Barrali ceſſerat iniquis conditionibus. Sed Bertrandus ejus filius ſe vaſſallum eccleſiæ profeſſus eſt pro dictis caſtris; recognovitque publico inſtrumento eccleſiam Arelatenſem habere in his locis majus dominium. Factus eſt epiſcopus cardinalis Portuenſis anno 1281. a Martino IV. Bernardi Portuenſis epiſcopi meminit hic papa ſcribens ad Carolum principem Salernitanum; quem cardinalem Venetias miſerat ad

1275.

1281. *Odoric. Rain. ad an 1283. n. 40.*

galeas seu triremes conducendas.

ANNI CHRISTI.

Quæ gesserit Bernardus ut episcopus Portuensis, prosequi non est nostri instituti. Ciaconius eum mortuum dicit anno 1290. proferturque in testimonium inscriptio sepulcralis quæ legitur in ecclesia S. Francisci Urbis-veteris, ubi jacere dicitur hic cardinalis sub tumulo marmoreo ejus effigie & insignibus spectabili. E contrario Frisonius Galliæ Purpuratæ lib. 2. scribit Bernardum anno 1294. testamentum condidisse Guillelmo & Petro notariis illud excipientibus, quo suæ quondam ecclesiæ Arelatensi reliquit *quamplurimos redditus sacello* B *construendo dicandos.*

pag. 146.

Amaurr.

LXIII. Bertrandus III.

Bertrandus Amalricus canonicus Remensis Martini IV. capellanus, eligitur a capitulo an. 1281. in locum alterius Bertrandi Johannis canonici Agathensis, causarum auditoris in camera apostolica, qui libere suæ electioni renuntiavit, ut habetur in registro Vaticani epist. 98. data Urbe-veteri XIII. cal. Februarii anno I. pontificatus Martini, teste Ughello in episcopis Portuensibus. Anno 1282. concilium provinciæ suæ celebravit, apud Avenionem: mortuus est 1286. anno 1286. ex instrumento electionis ejus suc- C cessoris.

1281.

1286.

De Capra.

LXIV. B. Rostagnus II.

Rostagnus de Capra in loco Provinciæ dicto *Graus* natus, ex canonico Arelatensi factus est archiepiscopus anno 1286. sede per Bertrandi mortem vacante, ut docet instrumentum ejus electionis in archivis capituli asservatum. Anno 1288. concilium provinciale celebravit apud Insulam villam Vindascini comitatus diœcesis Cavallicensis. Quinto idus Octobris ejusdem vel superioris anni Bertrandus de Baucio comes Avellini, homagium ei exhibuit pro castro D de Trencatellis, quod idem Rostagnus comparavit anno 1300. die 13. Augusti. Fuit Rostagnus pietate insignis, cujus tamen electionem minus gratam fuisse Honorio papæ IV. legimus; quamvis postea pallium ei miserit. Bonifacio vero VIII. fuit acceptissimus, qui eum legatum misit in Hispaniam citeriorem cum Guillelmo de Mandagoto Ebredunensi archiepiscopo. Ad cælestem patriam evolavit x. cal. Aug. anno 1303. ut legitur in breviario Arelatensi: sepultus est in sacello Laurentiano ecclesiæ S. Trophimi. E

1288.

Morer. hisp. p. 557.

1303.

De Ferrariis.

LXV. Petrus II.

Petrus de Ferrariis Petro domino de Ferrariis ex Gauzide baronis de Miramont filia natus, Petri Lectorensis episcopi frater, decanus Aniciensis & Ausciensis, demumque Noviomensis episcopus, atque cancellarius Caroli II. Siculorum regis, Provinciæ comitis, mortuo Rostagno electus est a capitulo unanimi canonicorum omnium consensu: ut ex ipso ejusdem electionis instrumento constat, quod subjiciendum putamus:

Notum sit omnibus ... quod vacante Arelatensi ecclesia per mortem recolendæ memoriæ domni Ro- A *stagni Arelatensis archiepiscopi, vocatis qui fuerant vocandi, & præsentibus, die præfixo ... placuit omnibus & singulis per formam scrutinii, vacanti ecclesiæ providere; factoque scrutinio, juxta concilii generalis formam, ac eo publicato, & collatione habita diligenti, repertum est omnes & singulos de capitulo, in D. Petrum Dei gratia Noviomensem episcopum, vota sua unanimiter direxisse, virum utique providum, discretum, litterarum scientia, pro moribus ac virtuosis actibus merito commendandum, in pontificali dignitate constitutum, ac de legitimo matrimonio procreatum, in spiritualibus & temporalibus circumspectum. Idcirco ego B. præpositus, vice mea & collegarum seu sociorum meorum ... & totius capituli, ac omnium, & singulorum jus in ipsa electione, postulatione seu provisione habentium, & potestate mihi a toto capitulo tradita & concessa, prædictum dom. Petrum Noviomensem episcopum, invocata S. spiritus gratia postulo in archiepiscopum & pastorem ecclesiæ Arelatensis. Actum &c. Deinde ego prædictus præpositus clero & populo prædictam postulationem publicavi, personam postulatam multipliciter commendando, die* XXIII. *Augusti, anno* MCCCIII.

ANNI CHRISTI.

Petrus sedem adiit anno 1304. quo memoratur in tabulis Montis-majoris, in Bertrando abbate. Oppidum Salonii ingressus pompa solemni, quinque millia solidorum civibus dimisit, quemadmodum referunt veteres membranæ Arelatenses. Cum esset juris peritissimus, regno Siciliæ Provinciæque utilissimas constitutiones condidit. E vivis exemtus est anno 1308. al. 1307. die 8. Novembris. 1308.

Fonsecca.

LXVI. Arnaldus.

Arnaldus de Falqueriis, sive Faugeriis quem alii nuncupant de Falquerio, & de Faltineriis, prius præpositus ecclesiæ Arelatensis, ut docet epistola Clementis papæ V. ad Philippum Pulcrum scripta XV. cal. Decembris, ejus pontificatus anno 3. Ex qua etiam discimus ipsum ad hunc regem missum fuisse, pro quibusdam arduis & occultis negotiis. Roberti Siciliæ regis & Provinciæ comitis favore archiepiscopatum Arelatensem consecutus est, anno 1308. anno vero 1310. dedit Roberto comiti Provinciæ ducentas libras refortiatorum pro sumtibus belli adversus Pedemontanos. Robertus vero confessus est pecuniam hanc gratuito ab archiepiscopo fuisse collatam. Eodem anno Arnaldus a Clemente papa V. creatur cardinalis die 19. Decembris, & paulo post episcopus Sabinensis. Eum fuisse papæ camerarium asserunt Onuphrius Panvinus, Ciaconius, Frisonius &c. quod negat Stephanus Balusius; sed hæc controversia levioris est momenti, quam ut ipsi immoremur. Nec magis ad nostrum pertinet institutum expendere utrum cardinalis hic legatione functus pro Clemente papa V. in Italia, coronam imposuerit Henrico VII. imperatori in basilica Lateranensi, III. calendas Julii anni 1311. Anno 1313. Clemens V. ei commisit cognitionem & inquisitionem criminum, de quibus infamabantur Templarii; anno vero 1317. die 12. Septemb. obiit

1310.

In not. ad vit. pap. Aven. p. 6, 7.

Odor. Rain. ad an. 1313. n. 39.

obiit, juxta Contelorium libro ſolutionum, cui aſſentit Baluzius. A

ANNI CHRISTI. *Ibid.* Fouqueras.

LXVII. GALHARDUS I.

1311. Galhardus frater Arnaldi de Falgueriis, ei ſufficitur anno 1311. menſe Februario, ex libro obligationum. Optime vero probat Baluzius in notis jam laudatis ad vitas paparum Aven. falli Saxium, qui unicum Galhardum facit ex duobus, quorum prior erat frater Arnaldi, alter ex alio genere, ut oſtendit diverſum cognomen. Tabularium Arelatenſe exhibet plurima inſtrumenta, ex quibus liquet Galhardum jam obtinuiſſe ſedem Arelat. diu ante annum 1313. quæ ſunt tabulæ venditionis an. 1311. die 7. April. & die 10. Aprilis ejuſdem anni: confirmatio privilegiorum ab Henrico VII. imperatore an. 1312. item duo alia ejuſdem imperatoris diplomata hujus anni. Ex tabulario Montis-maj. Raimundus de Coirano Arelatenſis archidiaconus, *Guillardi* Arelatenſis archiepiſcopi in remotis agentis, una cum Guillelmo de Auriaco canonico & officiali, ac Vitali Seguini Cavellic. canonico generalis vicarius, Aicardum Boncoſium ad perpetuam, ut aiunt, eccleſiæ S. Iſidori apud Arelatem vicariam, juxta Bertrandi abbatis Montis-majoris preces admiſit xxvi. April. an. incarn. Dominicæ MCCCXIII. Tranſiit a metropoli Arelatenſi, ad eccleſiam Engoliſmenſem, retento uſu pallii, ex litteris Johannis XXII. qui eum eximit a juriſdictione archiepiſcopi Burdigalenſis, ut oſtendemus in Engoliſmenſibus epiſcopis. B C

1312. 1313.

SAUMATE.

LXVIII. GALHARDUS II.

Galhardum hunc archiepiſcopum a ſuperiore diſcernimus, tum ob diverſa eo nomina, tum quia eo tempore, quo prior cathedram Arelatenſem obtinuit, alter, ſcilicet Galhardus Saumate, aut apud Regenſem urbem, aut Magalonæ ſedebat, unde non eſt tranſlatus ad ſedem metropolitanam Arelatenſem ante annum 1317. Certe bulla Johannis papæ XXII. qua transfertur de ſede Magalonenſi ad Arelatenſem, data eſt anno 2. ejus pontificatus, ſexto idus Febr. quam aliquando daturi ſumus in Magalonen. epiſcopis. Anno 1321. cum Ciſtercienſibus diſceptavit pro abbatia B. Mariæ de Ulmeto, vel de Silva regali, ut ex tabulis Authentici archiepiſcopalis rubei docet Gueſnayus in Caſſiano illuſtrato. Eo ſedente Robertus rex Jeruſalem & Siciliæ, Provinciæ comes, Arelatenſis dominus, fœdera ſuis ab anteceſſoribus ſancita cum archiepiſcopis, confirmavit, quæ leguntur in chartophylacio archiepiſcopali: at apud Robertum Galhardus conqueſtus eſt, quod monetam ſua auctoritate archiepiſcopali fabricatam in caſtro Montis-draconis, rex non pateretur Avenione in commercio admitti. Obiit anno 1323. aut 1324. ex ſchedis Caroli Gaignon civis Arelatenſis nobis commodatis ab illuſtriſſimo archiepiſcopo Franciſco de Mailly tunc Arelatenſi, nunc Remorum archiepiſcopo. D E

1317. 1321. *Loc. cit. n. 28.*

DU VAL.

LXIX. GUASBERTUS.

Guaſbertus de Valle, papæ camerarius oriundus ex villa S. Petri de Donzaco apud Caduricos, ſaltem anno 1324. gregi Arelatenſi datus eſt paſtor poſt occupatam aliquot annis Maſſilienſem ſedem; etenim Johannes XXII. III. idus Aprilis, fui pontificatus anno IX. qui anno incarnationis 1324. reſpondet, ſcripſit ad hunc archiepiſcopum ut cognoſceret de electione Berengariæ de Corvo, in abbatiſſam monaſterii S. Clariæ Avenionenſis, poſt obitum Alaſiæ de Salvano: ex I. tom. ſecretorum ann. 9. & 10. num. 141.

ANNI CHRISTI. 1324.

An. 1326. die 18. Junii præfuit concilio San-Ruffenſi prope Avenionem an. 10. pontificatus Johannis XXII. quo metropolitani & epiſcopi trium provinciarum convenerunt, ad plurima decreta facienda, quæ edidit Petrus Gallendus, ad calcem notitiæ eccleſiæ Dinienſis. An. 1328. die 10. Maii Avenione fecit examen judiciale Franciſci Veneti aſſeclæ Marſilii de Padua, cujus inſtrumentum edidit V. C. Baluzius tomo I. Miſcellaneorum. Anno 1333. die 15. Decembris adfuit Adhemaro Maſſilienſi epiſcopo; apud Avenionem decumbenti, & teſtamentum facienti, ex authentico. Quod ſpectat ad res temporales; anno 1324. die 6. menſis Aprilis eidem clientelam exhibuit Guillelmus de Monte-olivo: & menſis Julii die 27. Renatus de Sabrano pro Monte-draconis: dieque 27. Septemb. dominus de Villa-nova. Alia ſunt in Arelatenſis eccl. tabulis documenta annorum 1325. 8. Novembris, 1326. die 30. Junii, 1327. die 21. Decembris, 1328. die 28. Februarii, & die 14. Martii. In arch. Corbeienſi notatur annis 1330. & 1333. Idem Gaſbertus Arelat. archiepiſcopus domini papæ camerarius, recognoſcit ſe a Guillelmo Fiſcann. abbate mille florenos auri accepiſſe pro complemento tam ſui quam prædeceſſoris ſui communium ſervitiorum, in quibus erat cameræ apoſtolicæ obligatus, Avenione die 4. menſis Aprilis an. Dom. 1339. ind. VII. pontificatus Benedicti papæ XII. anno 5. ex charta Fiſcann. Fundavit pius antiſtes ſacellum omnium ſanctorum in eccleſia cathedrali, & capſam ad conſervandas honorifice ſancti Trophimi, aliorumque ſanctorum reliquias fabricari curavit. In academia Toloſana fundum pro victu cultuque juniorum clericorum, qui certo numero inſtituerentur, reliquit. Documenta plurima eccleſiæ probant, ejus adminiſtrationem attigiſſe annum 1341. Poſtea factus eſt archiepiſcopus Narbonenſis.

1326. 1328. *Vide probat. eccleſ. Cavaic. pag. 48. col. 1. & 121.* 1341.

LXX. JOHANNES IV.

Cognomento Bauzianus * ex Saxio, nepos Benedicti papæ XII. ab ipſo, non favore (de ſuis enim exaltandis nullatenus curavit, ut legitur in prima ejus vita) ſed pro vitæ & doctrinæ merito, ſucceſſor datus eſt Guaſberto; aſſumtus ex aliquo ordine religioſo, forte Ciſtercienſi, an. 1341. die 27. Septembris. Sane die 6. Februarii an. 1341. habetur conſenſus datus ab archiepiſcopo Johanne, a Raimundo de Moreriis præpoſito, & ab abbate Montis-majoris, pro componendis diſſidiis, ut docent nobis ſuppeditatæ ſchedæ, in quibus aſſignatur liber privilegiorum, n. 39. in quo hæc reperire liceat. Cle-

* De Baux.

d by Google

mentem papam VI. Avenioni invisit, & suæ ecclesiæ privilegia concessa a summis pontificibus renovari curavit. Primum lapidem ecclesiæ S. Laurentii Salonensis posuit anno 1344. Naturæ debitum solvit anno 1347. ex Saxio; sed non ante octavum Junii diem, nam hac ipsa die composuit [a] litem cum senescallo Provinciæ, ex jam indicatis schedis. Alii ex veteri elencho ejus obitum assignant VIII. cal. Dec. an. 1348.

ANNI CHRISTI. 1344. 1347. a

ALDEBRAND.

LXXI. STEPHANUS I.

Stephano Aldebrando facilis fuit aditus ad ecclesiasticas dignitates, quod fuisset Clementis papæ VI. camerarius & thesaurarius. Hinc postquam episcopatum Casinensem in Italia fuisset adeptus, episcopatu S. Pontii Tomeriarum donatus est, indeque migravit ad archiepiscopatum Arelatensem. Id factum esse anno 1349. probat bulla Innocentii papæ VI. data VII. idus Januarii, anno [b] primo ejus pontificatus. Inde transiit ad sedem Tolosanam anno 1350.

1349. b

DE LA GARDE.

LXXII. STEPHANUS II.

Stephanus de Gardia ex nobili familia dominorum de Saignes in Cadurcis, ut nonnulli volunt, vel Lemovix patria Tutelensis, ut sensit Steph. Baluzius in notis ad vitas paparum Aven. cum foret Clementis papæ VI. affinis, creatur Arelatensis archiepiscopus post translationem alterius Stephani ad cathedram Tolosanam. De illo meminerunt veteres tabulæ anni 1350. quo verisimile est eum sedere cœpisse. Legatione sedis apostolicæ defunctus dicitur in Longobardia * & Romandiola *. Salonis ad Cravum plebem rebellem, interdicto multavit. Jus cudendæ monetæ, in principatu Montis-draconis recuperavit, ex documentis anni 1351. die 8. Maii, & anni 1356. Januarii die 20. De ejus cardinalitia dignitate merito ambigitur. Morte sublatus 1359. 14. cal. Junii, sepelitur in ecclesia S. Trophimi, infra sacellum sacristiæ anterioris.

cal. 839.

1350.

* Lombardie. * Romagne.

1356.

1359.

LXXIII. GUILLELMUS II.

DE LA GARDE.

Guillelmus de Gardia Bernardi domini de Pelissane fratris, Stephani de Gardia filius, patruo successit in archiepiscopatu an. 1360. cum prius esset Braccarensis archiepiscopus, ut patet ex epistola Innocentii VI. ad Petrum regem Portugalliæ scripta III. idus Julii an. 1361. seu an. 9. ejus pontific. Has autem Innocentii epistolas scriptas an. 9. ejus pontificatus ex codice Divionensi summas penes nos habemus. Aliunde constat ex I. vita Clementis VI. Guillelmum de Gardia consanguineum hujus papæ, fuisse archiepiscopum Braccarensem, & ab ipso missum Neapolim, ubi coronavit Ludovicum regem Siciliæ & Apuliæ.

1360.

Baluz. not. ad vit. pap. Aven.

Hic archiepiscopus præfuit concilio provinciali apud Aptam, anno 1365. & Carolo IV. imperatori coronam imposuit in ecclesia Arelatensi die Mercurii post festum Pentecostes ejusdem anni, præsentibus Sabaudiæ & Borbonii ducibus; qua de re vide Baluz. in notis ad vit. pap. Aven. c. 985. sed infimulatus perduellionis, bonorum ablatione mulctatur a Raimundo de Agouto Provinciæ senescallo 1367. qui castrum de Trincatallia dirui jussit; adversus quem & poëma composuit Bertrandus de Allamano, hac ætate celebris poëta; plures enim tunc poëtæ floruere in variis Provinciæ partibus. Saxius tamen, & post eum Baluzius, dubia esse putant quæ de proditione Guillelmi ac perduellione adversus Johannam reginam narrat Nostradamus, & de bonis ejus sub manu regia positis: *Constat enim*, inquit Baluzius, *reginam ante & post fictam proditionem illum sibi beneficiis devinxisse.* Idem Baluzius satyram Bertrandi Allamanonis ait in contrarium sensum interpretandam esse, hoc est potius in laudem quam in vituperium. *Quis enim*, inquit, *tam perditus, tam malus episcopus esse potest, ut de eo dici vel scribi possent, quæ poëta ille scribit de Guillelmo.* Utrum autem hæc Baluzii ratio convincat, lectoris relinquimus judicio.

1365.

ANNI CHRISTI. 1367.

Saxius in vit. pap. Aven. p. 880.

Refert Ciaconius Guillelmum ex presbytero cardinali tituli S. Stephani in Monte-cœlio, ab Urbano VI. creatum fuisse episcopum Tusculanum anno 1388. Ughellus Italiæ sacræ tomo I. in serie episcoporum Tusculanorum nusquam eum purpura ornatum fuisse contendit, sed patriarcham Jerosolymitanum creatum, & Hydruntinæ ecclesiæ administratorem fato cessisse anno 1392. Alienus valde est ab utraque sententia Saxius, qui vult Guillelmum e vita discessisse anno 1371. Verum tardius mortuum eum esse probant tum sententia inter illum & Montis-draconis dominos lata anno 1373. tum acta ecclesiæ Massilienſis, ubi legitur Guillelmum jure metropolitano visitasse diœcesim Massilienſem anno 1374. & die 4. mensis Martii rata habuisse quædam hujus ecclesiæ statuta. Putat Baluzius eum exstinctum esse hoc anno, circa mensem Maium. Scriptor hist. ecclesiæ Tricastinensis refert Ademarum Adhemari episcopum Tricastrinensem creatum anno 1378. testem subscripsisse Guillelmi testamento; unde consequens foret hunc archipræsulem non obiisse ante annum hunc.

1381.

1373.

Ibid. col. 882.

Eodem anno quo Guillelmus factus est episcopus, scilicet 1360. mense Junio, Arelatenses metu hostium destruxerunt monasterium sanctæ Claræ seu S. Mariæ de Rocqueta, consentiente Catharina Reguleria abbatissa; & receptæ sunt moniales intra civitatem ab Imberto de Lamano & Jacobo d'Avarron consulibus, & aliis ejusdem urbis civibus.

LXXIV. PETRUS III.

DE CAR.

Petrus de Crosso Lemovicensis, frater Johannis cardinalis Lemovicum episcopi, monachus S. Martialis Lemovicensis, postea Trenorchiensis * abbas, primum episcopus sancti Papuli creatus est, postea Bituricum archipræsul; tandemque Arelatensis, anno saltem 1375. ut probatur ex quodam instrumento [a] hujus anni, in quo

* Torsensis.

1375. a

a Compositionis instrumentum exstat inter imperialia privilegia num. 23.

b Vide notas Baluzii ad vit. pap. Aven. col. 988. & seq.

a Schedæ jam laudatæ exhibent præterea compositionem seu transactionem factam die 26 Septembris an 1375. inter Petrum archiepiscopum & Salonis oppidanos, confirmatam a capitulo. Ibidem fit mentio hominii debiti Petro archiepiscopo, ad quod teneri confessa est uxor Bertrandi Motet Arelatensis die 29. Junii an. 1375. Item die 9. Novembris ejusdem anni Raimundus de Porcelleto ejusque frater fidem clientatem præstant Petro archiepiscopo. Eodem Petro archiepiscopo & cardinali sedente an. 1375. mense Octobri, sacrista Arelatensis ecclesiæ ac capitulum, in jus vocarunt coram officiali mag. Petrum de Hispania vicarium perpetuum ecclesiæ Salonis. Ergo ante 1376. sedebat apud Arelatem.

ANNI CHRISTI. referuntur acta quorum teſtis fuit Petrus Arelatenſis archiepiſcopus. Hoc inſtrumentum edidit Baluzius in probationibus hiſtoriæ domus Arverniæ. In eo vero non appellatur cardinalis, ſed papæ camerarius. Purpuram enim non accepit niſi a Clemente VII. electo in papam contra Urbanum VI. anno 1378. cujus electioni adfuit & patrocinatus eſt. Hinc in noſtrum Petrum vehementer invehitur Urbanus papa in ſententia lata contra Clementem, alias Robertum Genevenſem, ejuſque aſſeclas; ubi Petrum olim archiepiſcopum Arelat. appellat iniquitatis alumnum; qui cum eſſet *camerarius noſter*, inquit, *diabolico ſpiritu inſtigatus dudum de urbe pradicta, ubi nobiſcum erat, abſque licentia noſtra quaſi furtive receſſit, & de camera noſtra quamplurima jocalia, & alias res, & bona magni valoris & pretioſa ad nos & ad Romanam eccleſiam pertinentia ſecum aſportavit, & ad dictam civitatem Anagninam conferens ſe, cum prafatis ſceleratis viris Roberto, &c.*

Balux. not. in vit. pap. Aven. tom. 1. pag. 100. & ſeq.

Rain. ad an. 1378. n. 107.

Cum legis hic *Petrum olim archiepiſcopum*; cave credas ipſum tunc mortuum fuiſſe, ſed ita loquitur Urbanus papa, quia eum depoſitione multarat: ceterum diu adhuc vixit, ut ex his quæ ſuperſunt dicenda palam fiet. Anno 1381. B. Trophimi reliquias theca incluſſit argentea. Eodem anno Avenioni inaugurationi Ludovici Neapolitani regis adfuit. Denique in tabulis prioratus S. Porciani, quem obtinuit poſt Johannem de Cros epiſcopum Lemovicenſem, & cardinalem fratrem ſuum, & poſt Hugonem
1386. de Cros, occurrit anno 1386. In teſtamento ſuo quod condidit die 27. Februarii anno 1388.
Balux. not. in vit. pap. Aven. tom. 1. legitur: *Et in quocumque loco ſepeliamur, volumus ſepeliri, ut monachus cum ſtamina, & cum area, & uno panno nigro ſuper dictam aream, & quod in dicto panno ſit deſuper una crux de panno rubeo.* Mortuus eſt anno
1388. 1388. XVI. calend. Decembris, humo tectus in eccleſia S. Martialis Avenionenſis, ubi collegium pro monachis Benedictinis fundarat, quod etiamnum floret ſub monachis Cluniacenſibus arctioris obſervantiæ. In eadem quoque urbe legitur fundaſſe xenodochium, & Arelate ſacellum ſub S. Martialis patrocinio. Ipſius monumento, quod in præfata S. Martialis apud Avenionem eccleſia conſpicuum eſt, appoſitum legitur in ære inciſum breve hoc & modeſtum epitaphium:

Hic jacet bona memoria reverendiſſimus in Chriſto pater dominus Petrus de Croſo, oriundus de Calma-forti Lemovicenſis dioceſis, decretorum doctor; qui primo fuit monachus S. Martialis Lemovicenſis ordinis S. Benedicti, & inde prapoſitus de Roſſaco dictorum ordinis & dioceſis, poſtmodum cellerarius eccleſia Tutellenſis, & poſt prior de Volta ordinis Cluniacenſis ſancti Flori dioceſis, & deinde abbas regalis monaſterii Trenorchienſis Cabillonenſis dioceſis, & poſt epiſcopus ſancti Papuli: Poſtmodum archiepiſcopus Bituricenſis, & exiſtente archiepiſcopo fuit factus camerarius domini noſtri papa per ſancta memoria dominum Gregorium papam XI. & deinde archiepiſcopus Arelatenſis; & de eccleſia Arelatenſi & camerariatu prædictis fuit aſſumtus in tituli SS. Nerei & Achillei presbyterum cardinalem, qui ſanitate fungens hic ſuam elegit ſepulturam. Orate Deum pro anima ipſius univerſi & ſinguli huc convenientes ſuum tumulum inſpecturi.

ANNI CHRISTI. Conclav.

LXXV. FRANCISCUS.

Franciſcus de Conzié, nobili ſtirpe editus in pago Beliccenſi (*le Bugey*) parentibus Petro domino de Conziaco, & Anceliza de Verbos, ad dignitates eccleſiaſticas virtute duce aſcendit. Fuit autem legatus Avenionenſis, vicecancellarius apoſtolicus, & papæ camerarius; Gratianopolitanus epiſcopus: denique archipræſul Arelatenſis anno 1388. die 31. Januarii, ex obligationum libro; & forte antea: quippe anno eodem die 17. Octobris dedit Aymerico abbati Moiſſiacenſi apocham[a] de 5. florenis auri perſolutis. Anno ſequenti die 15. Auguſti Guillelmo de ſancto Claro canonico Albienſi mandat ut in exſecutionem teſtamenti Hugonis Pelegrini canonici Albienſis ſummam 800. librarum auri duabus filiabus Bernardi Pelegrini domicelli dioceſis Cadurcenſis, nepotis prædicti Hugonis ſolvat. Eodem anno abſolvit ab excommunicatione Adeodatum abbatem Bonævallis, qua videlicet percuſſus fuerat, quod 22. florenos pendere cameræ apoſtolicæ diſtuliſſet. Datæ autem ſunt ei induciæ uſque ad feſtum S. Johannis-Baptiſtæ anni 1389. Arelate ædes
1389. archiepiſcopales ædificavit, antequam inde migraret; factus eſt enim poſtea Toloſanus, & Narbonenſis archiepiſcopus, ut ſuo dicemus loco. Sub Benedicto autem tertio-decimo legatione in Hiſpaniam functus eſt ad regem Arragoniæ, iterumque ad Sigiſmundum imper. pro Conſtantienſi concilio, atque a Martino V. legatus Avenionenſis declaratur, demumque deceſſit 1432. Decemb. 31.

Tab. collect. de Pelag. Cadurc.

LXXVI. RAIMUNDUS IV.

Nihil de illo archiepiſcopo ſcimus, niſi quod litteræ Bonifacii papæ IX. nos docent ſcriptæ ad Angelum tituli ſancti Laurentii in Damaſo cardinalem apoſtolicæ ſedis legatum; ſcilicet Raimundum Arelatenſem archiepiſcopum veneno Ladiſlaum Siciliæ regem tentaſſe. Quapropter traditus eſt in carcerem ab hoc cardinali legato. Juſſit autem papa, ut Raimundum degradatum, uti loquitur, ſeculari curiæ traderet puniendum. Datæ ſunt litteræ pontificiæ 11. idus Martii; primo ejus pontificatus anno, ſeu anno Chriſti 1389. deſinente. Ignoratur hic archiepiſcopus ab his, qui nomenclaturas archiepiſcoporum Arelatenſium ediderunt: unde ſuſpicamur tunc duos fuiſſe titulo ſaltem archiepiſcopos Arelatenſes, unum qui ſub obedientia paparum Avenionenſium archiepiſcopatu potiebatur; alterum quem papa in Italia ſedens crearat, qui nihil præter titulum habebat.

Rain. ad an. 1390. n. 16. & 17.

LXXVII. JOHANNES V.

Roccha-covara.

Johannes de Rupe-cavardi (quæ gens in Pictonibus æque antiquiſſima & nobiliſſima) prius fuit S. Pontii Tomerienſis epiſcopus, poſtea Bituricenſis archiepiſcopus, quam ſedem obtinebat adhuc anno 1389. denique Arelatenſis. Plurima indicantur inſtrumenta, in quibus memo-

du Fourny. Gener. des galeres de France.

[a] Franciſcus archiepiſcopus Arelatenſis, & camerarius papæ Aimerico abbati Moiſſiac. dat apocham 5. florenorum aureorum, quorum quatuor debebat camerariæ apoſtolicæ, & quintum dictæ cameræ officiali, ratione quatuor ſervitiorum, 27. Octobr. 1388. pontific. Clementis papæ VII. an. 10. ex tab. abbatiæ Moiſſiac.

ANNI CHRISTI.

ratur ſcilicet anni 1391. die 9. Junii; anni 1393. die 2. Decembris; anni 1395. die 3. Aprilis; anni 1398. die 22. Aprilis. Poſt conditum apud Villamnovam ſecus Avenionem teſtamentum eodem anno 1398. obiit ibidem die 13. Septembris & ſepultus eſt apud Cartuſianos, ex diario Bertrandi Boiſſet, civis Arelatenſis. Vacavit ſedes pluribus annis, quibus Benedictus XIII. ſeu Petrus de Luna potitus eſt hoc archiepiſcopatu illum regens per varios adminiſtratores. De Johannis hujus purpura, qua donatur a nonnullis, dubitant alii & recte.

1391. 1403.

LXXVIII. ARTAUDUS.

Eccleſiæ Arelatenſis regimen adeptus eſt anno 1404. deſinente, nam legitur archiepiſcopus die 5. Martii hujus anni, quem nunc 1405. computamus, in quodam inſtrumento facto in gratiam Michaëlis Martin pharmacopolæ, quod vidit D. Raybaud. In tabulario Arelat. viſuntur inſtrumenta plurima quæ nomen ejus præ ſe ferunt, facta an. 1405. die 3. Septemb. die 27. Septemb. ejuſdem anni, 19. Septemb. an. 1406. Denique exſtat charta data in caſtro Salonis, die 15. Januarii anni 1408. in qua ſe archiepiſcopum Arelatenſem & principem nuncupat. Inter archiepiſcopos qui miſerunt ambaſſiatores aut procuratores ad concilium Piſanum, an. 1409. recenſetur in ejuſdem actis editis tomo VI. ſpicil. pag. 362. Cum Benedictus XIII. in diœceſi Tolonenſi partem decimarum indulſiſſet ac remiſiſſet, ob damna quæ tempore ſchiſmatis ſuſtinuerat, Artaudus bullam promulgari juſſit additis ſuis litteris, quibus appenſum eſt ejus ſigillum exhibens tum imagines SS. Stephani & Trophimi, tum gentilitia ejus inſignia, nimirum tres cantherios, cum limbo ſeu tigillo trifido; colores non apparent. Adhuc memoratur in actis publicis confectis ab Antonio Olivari notario Arelatenſi, die 10. Julii an. 1410. quo obiit.

1405. 1408.

Trois cheurons, & un Lambel à trois pendans.

LXXIX. JOHANNES VI.

Johannes de Broniaco, quod eſt oppidulum prope Annecium in Sabaudia, juxta Franciſcum Quercetanum, ubi ortus erat ex obſcuris parentibus, Vivarienſis primum epiſcopus, poſtea Genevenſis, anno tandem 1410. ad Arelatenſem transfertur eccleſiam bulla Johannis papæ XXIII. data VIII. cal. Decembris in caſtro S. Petri prope Bononiam. Primum inſtrumentum tabularii Arelatenſis, in quo occurrat nomen hujus archiepiſcopi, conſignatur die 23. Octobr. an. 1411. Diu antea cardinalitia purpura fuerat donatus a Clemente VII. anno videlicet 1385. menſe Julio, ob ſingularem præſertim doctrinam. Inſuper S. Romanæ eccleſiæ vicecancellarius erat & præfati Clementis vicecamerarius, quo titulo ornatur in conditionibus induciarum initarum inter Clementem & Raimundum de Turenna anno 1390. quas idem archiepiſcopus nomine papæ ratas habuit die 20. Aug. hujus anni. Vide collect. Baluz. ad vitas pap. Aven. col. 1056. Benedicto XIII. non minus quam Clementi gratus, ab eo creatur epiſc. Oſtienſis, qui licet in ſchiſmate hanc & alias dignitates aſſecutus, adeo tamen pacis eccleſiæ amans fuit,

De Broniaco.

1410.

ut Benedictum hortaretur ultro ſe pontificatu abdicare. Qui cum deprecanti haud adquieſceret, damnato ſchiſmatico, ad verum pontificem in Italiam Johannes profugit, Piſaſque devenit, ubi concilium celebrabatur. Ibi cum cardinalatus honor iterum ei fuiſſet collatus, inter ceteros patres Alexandrum V. evexit ad S. Petri ſedem, a quo iterum confirmatus Oſtienſis epiſcopus & cancellarius S.R.E. adfuit comitiis in quibus Johannes XXIII. creatus eſt pontifex, & Conſtantienſi concilio, in quo Martinus V. e gente Columna ſalutatus eſt papa, cui ob excellentes animi dotes cariſſimus fuit. Ratione archiepiſcopii litem movit contra Ludovicum Neapolitanum regem, Provinciæ comitem, propter ſalinas municipii trium Mariarum. Collegium Avenioni, & alterum Genevæ ampliſſimum conſtruxiſſe dicitur, & fundaſſe conventum FF. Prædicatorum Annecii. Teſtamento legavit bibliothecam ſuam Arelatenſi eccleſiæ. Migravit ad Dominum Romæ die XVI. menſis Febr. 1426. ibique ſepultus fuit. Sed ejus corpus poſtquam aliquandiu Romæ jacuit, delatum eſt Genevam; teſtamento enim facto die 12. Auguſti anni 1422. caverat, ut corpus ſuum, ſi Romæ moreretur, non ultra annum ibi jaceret, ſed ad ſacellum quod pro ſepultura ſua conſtruxerat prope majorem eccleſiam Genevenſ. transferretur. Ejus vitam conſcripſere Ferdinand. Ughellus in epiſcopis Oſtienſibus tom. I. Ital. ſacræ, Alphonſus Ciaconius, & alii. Vicarium generalem habuit in ſpiritualibus & temporalibus, pro Arelat. diœceſi Hugonem epiſcop. Vaſionenſem, ut probant litteræ, quibus illum inſtituit die 6. Martii an. 1419. datæ apud Salonem.

ANNI CHRISTI.

1414.

1426.

LXXX. LUDOVICUS.

Allemand.

Jam diu eſt quod gens Allemandorum in pago Belicenſi, Delphinatu, Sabaudiaque vetuſtiſſima & nobiliſſima, Gallicanam eccleſiam illuſtravit, ſuppeditatis multis antiſtitibus, qui eam virtutum præſertim ſplendore decorarunt. Sed nullus ante vel poſt B. Ludovicum fuit, quem præter generis claritudinem tot tantaque commendarent; ſingularis morum caſtimonia, pietas, doctrina, dignitates, res pro eccleſia præclare feliciterque geſtæ.

Ludovicus natus eſt anno circiter 1390. parentibus Johanne Alamando domino Arbencii in pago Belicenſi, ac de Mongeffon, & Maria de Caſtellione de Michaille, a quibus pie educatus, clericali ſe militiæ addixit; ac primum quidem in eccleſia Lugdunenſi canonicus fuit, tum præcentor Valentinenſis, Trenorchienſis quoque abbas; & poſtea epiſcopus Magalonenſis, qua ex eccleſia migravit ad Arelatenſem; non ante diem 10. Septemb. anni 1413. quo die ſe tantum præfatur epiſcopum Magalonenſem, in documento quod edemus in Magalonenſibus epiſcopis. Anno 1414. die 19. Januarii electus Arelatenſis appellatur tantum. In Arelat. tabul. nullum inſtrumentum ejus nomen præfert ante diem 6. Junii an. 1425. An. 1426. nono cal. Julii cardinalis tituli S. Cæciliæ creatur a Martino papa V. An. 1430. IV. idus Martii ſubſcripſit quibuſdam ſtatutis ad cardinalium dignitatem ſpectantibus, poſt electionem Eugenii IV. qui etiam ea confirma-

ANNI CHRISTI.

vit antequam coronaretur. Ludovicus fuit præterea Bononiæ legatus, & apoſtolicus vicecamerarius. Partes quoque egit oratoris ſeu legati pro Renato Siciliæ rege in ſynodo Baſileenſi, cujus nomine interceſſit quominus Arragonum rex confirmationem ſynodi hujus conſequeretur pro Siciliæ regno a papa ſibi collato. In eo cœtu omnia geſta eſſe Ludovici noſtri nutu, poſtquam diſſidium patrum cum Eugenio IV. erupit in apertum ſchiſma, queritur Odericus Rainaldus, amaris, ne dicam venenatis verbis. At ſi auctor fuit eligendi Amedeum Sabaudum qui dictus eſt Felix V. eidem poſtea ſuaſit, imo perſuaſit abdicare papatum. Interim ab Eugenio IV. contra quem ſententiam exauctorationis pronuntiarat cardinalis Arelat. die 25. Junii anni 1439. viciſſim depulſus eſt a ſede Arelatenſi qua de re idem papa ſcripſit tum ad Arelatenſem clerum, tum ad Renatum regem Neapolitanum Provinciæ comitem. Adminiſtrandæ vero Arelatenſi eccleſiæ præfectus eſt Rogerius Aquenſis eccleſiæ præpoſitus, uti Rainaldus narrat. Abſoluto concilio cui præſidendi provinciam dederat Felix V. Ludovico cardinali, hic Arelatem rediit, reſtituente ipſi honores priſtinos Nicolao papa V. qui poſt ſchiſma electus fuerat; addita etiam apoſtolicæ ſedis legatione in Germania inferiori. Inde reverſus in dioceſim ſuam, Salonii emiſit animam die 16. Septembris anni 1450. ſepultuſque eſt magna populorum totius Provinciæ frequentia, in eccleſia S. Trophimi cum hac inſcriptione:

1439. *Vide Rainaldum ad an. 1440. n. 3.* 1450.

Omnia ſunt tenui hominum pendentia filo, & ſubito caſu quæ valuere ruunt; unde ſicut Deo placuit, anno milleno quater centeno cum quinque deno, luce vero ſexta, menſis Septembris decima, bona memoria reverendus in Chriſto pater, & dominus Ludovicus ſacro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli S. Cæciliæ presbyter cardinalis, Arelatenſis vulgariter nuncupatus, ſacræ hujus baſilicæ adminiſtrator bene meritus, princeps vitæ laudabilis, & converſationis honeſtæ, ad majus vocatus tribunal devote viam eſt univerſæ carnis & catholicæ ingreſſus. Orate pro eo, ut anima ejus requieſcat in pace.

Ch. XXXI. p. 103. col. 2. Aliud epitahium damus in probat.

B. Ludovicus multa pro ſua eccleſia Arelatenſi privilegia obtinuit a Ludovico III. rege Siciliæ, ac Provinciæ comite, cujus fuit præcipuus adminiſter. Hujus cardinalis cum laude meminerunt plurimi ſcriptores. Alii de eo acerbius ſcripſere, pœnas repetituri pro læſa S. ſedis auctoritate & dignitate. Æquius de illo hæc habet Spondanus in continuatione annalium Baronii, ad annum 1438.

Vir quidem ille, inquit, *legationibus apoſtolicis, aliiſque rebus præclare geſtis inſignis, magnaque pietate, doctrina & religione ac vita auſteritate conſpicuus (ut ſunt plurimorum auctorum elogia, quæ in unum collegerunt ſcriptores Amedei pacifici & Additamentorum in vitas pont. Ciaconii), ſed quem ſive ſimultas aliqua, ſeu zelus non ſecundum ſcientiam, & nimia credendi calumniatoribus facilitas, ab Eugenio retraxerat, & in defenſione concilii Baſileenſis, quod legitimum credebat, obfirmaverat; præcipuum ſane illius columen, poſt abſceſſum ceterorum cardinalium aliorumque præcipuorum antiſtitum.* Sed ſchiſmatis hinc exorti culpam pœnitentia ipſum diluiſſe intelligi datur, ex ſancto ejus fine; quippe quem & miraculis ad ejus ſepulcrum Arelate fieri ſolitis, ut Æneas* Silvius teſtatur, claruiſſe conſtat; & una cum Petro Luxemburgio, quem æque in ſchiſmate ſub Clemente dicto VII. ſancte obiiſſe vidimus, poſtea Clemens VII. papa an. 1527. ob memoriam egregiarum utriuſque virtutum, ac piorum operum, necnon miraculorum coruſcationem, debito beatis cultu ac veneratione honorari conceſſit, bulla data die 9. Aprilis, quam Guichenonus refert in hiſt. Sebuſ. III. parte, ubi de familiis nobilium Bugeſii p. 5. Haud tamen propterea intendit Clemens VII. ut ait, eoſdem Ludovicum & Petrum in catalogo ſanctorum eſſe relatos, donec ſervatis debitis ſolemnitatibus ad illorum canonizationem deventum fuerit. Tomo IX. fragmentorum hiſt. D. Cl. Eſtiennot p. 307. ac ſequentibus leguntur plurima ex vita & miraculis B. Ludovici Alamandi, metro & ſoluta oratione ſcripta.

* qui poſtea fuit Pius papa II.

BRAUPAG.

LXXXI. JOHANNES VII.

Johannes Bertrando de Bella-valle barone de Precigny, Renati Siciliæ regis magno hoſpitii magiſtro, Andegavenſium ſeneſcallo, ex Johanna de la Tour-Landry natus; apoſtolicæ ſedis protonotarius, poſtea eccleſiæ Arelatenſis adminiſtrator[a], & abbas commendatarius S. Petri Montis-majoris conſtituitur, quæ ſacerdotia poſſedit per annos ferme quatuor; ad annum ſcilicet 1449. cum honoribus privatus Alamannus cardinalis domi ſe contineret. Conſtat vero eum in pontificem Arelatenſem non fuiſſe inauguratum. Porro ex membranis veteribus temporales eccleſiæ ſuæ & abbatiæ proventus locaverat, Roberto epiſcopo Tiberiadenſi, cui vices etiam ſuas in ſpiritualibus commiſit idem Johannes, ut habetur in litteris ſcriptis Andegavi XI. die Novemb. 1446. poſtremo ad epiſcopatum Andegavenſem poſtulatus eſt, ubi de illo agemus.

a

LXXXII. PETRUS IV.

DE FOIX.

Petrus de Fuxo cardinalis de Fuxo ſenior nuncupatus, Aven. legatus, Archembaldi Graillii vicecomitis Benearnii & Caſtillionis, ex Iſabella Fuxenſi, Marthæi Fuxenſis comitis ſorore & herede filius, Johannis comitis Fuxenſis vicecomitis Bearn. frater, adoleſcens Toloſæ optimis imbutus diſciplinis, habitum & inſtitutum fratrum Minorum, ſolemni profeſſione in conventu Morlanenſi Bearni tunc maxime florente vovit, ac poſtea diſpenſante pontifice, epiſcopus Laſcurrenſis, & Convenarum eccleſiæ adminiſtrator perpetuus factus a Benedicto XIII. antipapa, creatur preſbyter cardinalis tit. S. Stephani in Cœlio-monte 1399. ætatis ſuæ vigeſimo-ſecundo; cui ab omnibus collegii ſacri patribus pene

Vide tom. XIII. concil. col. 1403.

a In regiſtro Pariſ. eccleſiæ (fol. 179.) Anno 1446. die 15. Julii nobilis magiſter Johannes de Bellavalle, magiſter in artibus, clericus, ſacro-ſanctæ ſedis apoſtolicæ protonotarius, adminiſtrator perpetuus archiepiſcopatus Arelatenſis & abbatiæ Montis-majoris ordinis ſancti Benedicti, in provincia Provinciarum, admittitur ad canonicatum Pariſienſem Jacobi de Cubri morte vacantem, anno 1445. ſibi collatum a Dionyſio patriarcha Antiocheno epiſcopo Pariſienſi.

ANNI CHRISTI

deſerto, uſque ad Conſtantienſe concilium fa- A vit: ſed hujus antipapæ pertinaciæ pertæſus, eo relicto ad Conſtantienſem ſynodum confugit; quem cum tanquam legitimum cardinalem complexi fuiſſent concilii patres, Martini V. Columnæ electionem ſuffragiis ſuis juvit, ſub quo pontifice legatus a latere cum ampliſſima poteſtate in Hiſpaniam, ad Alfonſum regem Arragonum deſtinatus eſt, litteris datis Romæ VI. idus Januarii 1425. ad exſtinctionem ſchiſmatis Paniſcolenſis, quod mortuo Benedicto adhuc vigebat; ſuaque prudentia Ægidium, qui ſe pro Clemente VIII. papa gerebat, inſignia, nomenque pontificis deponere coëgit; pſeudo-cardinalibus pertinacibus amandatis in carcerem. B Rebus ad pacem eccleſiæ bene compoſitis, legatus Romam reverſus, anno 1428. honorifice ab omnibus, ipſoque papa ſuſcipitur. Hic autem monere debemus, cum Spondano in annalibus eccleſiaſticis, reperiri in Eliæ Appamienſis hiſtoria Fuxenſium comitum, eundem cardinalem miſſum a Martino pontifice ad Græcorum imperatorem. Quæ Conſtantinopolitana legatio pro Græcis ad eccleſiæ Romanæ communionem revocandis, data eſt Petro Fonſecæ cardinali. Et vero diſerte in noſtri Petri Fuxenſis epitaphio, legatio Hiſpanica memoratur, de Conſtantinopolitana ſiletur. C

Rurſum Petrus de Fuxo miſſus eſt a pontifice ad Arragoniæ regem an. 1419. pro exſtinguendis ſchiſmatis quinquagenarii reliquiis; quod præſtitum eſt prudentia noſtri legati: qui poſt hæc feliciter patrata, Dertuſæ ex omnibus prælatis regnorum Arragoniæ, & Valentiæ, & Cataloniæ principatus, concilium celebravit, pro eccleſiarum illarum partium reformatione; ſicque calendis Junii ejuſdem anni laborioſiſſimæ legationi finem impoſuit, *quam laudatiſſime*, ut ait Spondanus, *ingenti catholicæ eccleſiæ bono, regnorum ac regum Hiſpaniæ commodo, æterno ſui ipſius nominis gloria, atque eximia gratulatione* D *pontificis & totius collegii cardinalium, orbiſque univerſi exercuit.* Iterum alia legatione, ſcilicet Avenionenſi nobilitatus eſt 1430. VII. id. Martii, qua uſque ad obitum functus eſt, tanta omnium gratulatione, ut *bonus legatus* vulgo nominaretur. Inde ab Eugenio IV. declaratur epiſcopus cardinalis Albanus 1431. II. idus Martii; 1450. eligitur autem antiſtes Arelatenſis 1450. VII. idus Octobris, uti referunt acta conſiſtorialia Vaticani. Demum pro eccleſiæ ſuæ juribus tuendis, cum Renato Siciliæ rege, Provinciæ comite tranſegit. E Palatium epiſcopale & caſtrum Salonis ædificiis, baſilicam metropolitanam ſacello ornavit, Franciſcanorum eccleſiæ partem erexit, & in municipio trium Mariarum in Camariæ inſulæ finibus, eodem principe deprecante ipſarum reliquias a terra levavit. Sed & Toloſæ ad decorem academiæ ampliſſimum collegium dictum Fuxenſe magnis ſumtibus con- 1457. ſtruxit, & opimis reditibus dotavit 1457. alendis ac in bonis litteris inſtituendis viginti quinque inferiorum facultatum adoleſcentibus; locupletiſſima inſuper addita omnium linguarum & facultatum librorum bibliotheca. Mortuus eſt autem Avenione hic vir magnus, de eccleſia & republica Chriſtiana adeo bene meritus, anno ætatis ſuæ 78. cardinalatus 57. regiminis Arelatenſis 12. Decembris, die 13. anno 1464. ut refertur ex ejus epitaphio, in eccleſia Minorum ubi humatus eſt: ANNI CHRISTI 1464.

Sub hoc humili jacet loco Fr. Petrus de Fuxo, creatus cardinalis anno ætatis ſuæ vigeſimo-ſecundo, qui in concilio Conſtantienſi cum cardinalibus, & in Hiſpania legatus ſchiſma delevit, & duos Hiſpaniæ reges confederavit. Tiaram B. Silveſtri Lateranenſi eccleſiæ reſtituit, Avenionem & diverſas provincias, ut pater patriæ annis XXXII. *rexit. Jacobi & Salomæ Marias alta locavit. Tandem anno* M. CCCC. LXIV. *menſe Decembri animam cœlo reddidit, quam ſanctæ ſuſcepit de terra Lucia, Pauli pontificis maximi anno primo.*

De vita hujus cardinalis qui pronepotem habuit alium ſibi cognominem, Johannis comitis Fuxenſis principis Bearnenſis filium Petrum cardinalem de Fuxo juniorem, Phœbi regis Navarræ patruum, tam Onuphrius, Ciaconius, Ughellus in epiſcopis Albanenſibus, Spondanus in annalibus eccleſiaſticis tom. II. conſuli poterunt, quam ceteri alii rerum Gallicarum qui de eo fuſe diſſeruerunt ſcriptores.

LXXXIII. PHILIPPUS. DE LEVIS.

Philippus de Levis dictus cardinalis Arelatenſis, ex utraque linea paterna & materna nobiliſſimis natalibus clarus, patrem habuit Euſtachium baronem de Quelus, matrem Adeleidem de Couſan filiam Guidonis, qui fuit ſub Carolo VI. Francorum rege præfectus * major domus regiæ. Philippus autem primum epiſcopus Agathenſis fuit aliquot annis, deinde ad Auxitanam metropolim transfertur, qua depoſita dignitate in gratiam nepotis, cedenti Petro cardinali de Fuxo, in Arelatenſi archiepiſcopatu ſucceſſor datus eſt bulla Pii II. pontificis maximi in archivis Arelatenſibus aſſervata, ex qua hæc deſcripſimus: *

Pius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis populo civitatis & diœceſis Arelatenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Hodie venerabilem fratrem noſtrum Philippum Arelatenſem, tunc Auxitanum archiepiſcopum, referendarium noſtrum apud ſedem apoſtolicam conſtitutum, a vinculo quo eccleſiæ Auxitanæ ordinis ſancti Auguſtini, cui tunc præerat tenebatur, de fratrum noſtrorum conſilio, apoſtolica auctoritatis plenitudine abſolventes, ipſum ad eccleſiam Arelatenſem dicti ordinis, tunc certo modo vacantem, de prædictorum fratrum conſilio apoſtolica auctoritate tranſtulimus, ipſumque illi prefecimus in archiepiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem ejuſdem eccleſiæ Arelatenſis ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, liberam ſibi tribuendo licentiam ad prædictam eccleſiam Arelatenſem tranſeundi, prout in noſtris litteris plenius continetur. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, quatenus eundem Philippum archiepiſcopum, tanquam patrem & paſtorem animarum

* Gallice dicimus, *Grand-Maiſtre de la Maiſon du Roy*, vel *Grand-Maiſtre de France*. Vide hiſt. geneal. domus Fr. tom. II. tit. *Grands Officiers de France.*

d by Google

ANNI CHRISTI.

veſtrarum grato admittentes honore, exhibeatis eidem obedientiam & reverentiam debitas & devotas. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Domini M. CCCC. LXII. *idibus Februariis, pontificatus noſtri quinto.*

Exſtat tomo IV. miſcellaneorum viri clariſſ. Stephani Baluzii, Philippi noſtri epiſtola ad capitulum Arelatenſis eccleſiæ, data die 26. Mar- 1463. tii anni 1463. qua præpoſito & canonicis ſignificat ſuam tranſlationem ad hanc eccleſiam. Eodem anno plurimi fidem ei clientarem jurarunt die 12. Oct. & 19. ejuſdem menſis; menſeque Novembri die 18. &c. quorum hominiorum exceptor, vel, ut aiunt, notarius, fuit Stephanus de Langlade. Plurima alia documenta eccleſiæ Arelatenſis indicata in ſchedis jam laudatis probant hoc anno Philippum poſſeſſionem hujus ſedis adeptum fuiſſe. Ad ſacrum ſenatum & collegium cardinalium aſſumtus eſt a Sixto papa IV. 1473. an. quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio ſupra milleſimum, nonis Maii. Ne ob ſuam abſentiam eccleſia ſua aliquid detrimenti pateretur, ejus curam & ſuas vices Dinienſi commiſit epiſcopo. 1475. Exceſſit e vivis Romæ an. 1475. ubi marmoreo in ſepulcro prope fores eccleſiæ ſanctæ Mariæ Majoris cum hoc epitaphio tumulatus jacet:

PHILIPPUS DE LEVIS,

Tituli ſanctorum Petri & Marcellini cardinalis Arelatenſis, e Gallia ortus, illuſtris natalibus, virtute illuſtrior, Romanis pontificibus & Chriſtianiſſimis Francorum regibus magno in pretio habitus, in ſenatum apoſtolicum probitate adſcitus. Obiit ſuo natali, magno ſui relicto deſiderio, quippe qui corporis & animi bonis præditus, ſummaque auctoritate pollens, profuit quibus potuit, obfuit nemini. Vixit annos XL. *Obiit anno* M. CCCC. LXXV. *pridie nonas Novembris. Duo fratres jacent hic eodem clauſi ſepulcro, Philippus & Euſtachius: primus cardinalis fuit, ſed uterque archiepiſcopus Arelatenſis.*

DE LEVIS.

LXXXIV. EUSTACHIUS.

Euſtachius de Levis abbas monaſterii ſancti Petri Montis-majoris, Philippi cardinalis frater, Romæ archiepiſcopus Arelatenſis renun- 1476. tiatur a Sixto IV. ſub annum 1476. Mox urbem ſuam ſolemniter ingreditur, & paulo poſt, ſcilicet die 19. Junii ejuſdem anni, hominium recipit pro Monte-draconis. Nomine regis fidem clientelarem a Galeatio Roboreo Agennenſi epi- 1479. ſcopo recepit anno 1479. Paulo poſt Carolum *Ex theſ. to. 3 Paris.* VIII. Galliarum regem Arelatem tum primum adventantem, in baſilica metropolitana ſuſcepit. Mortuus anno 1489. voluit juxta fratrem 1489. Philippum ſepeliri, & eodem claudi ſepulcro, juxta quod hæc leguntur inſculpta:

Sedente Innocentio VIII. pontifice maximo, Euſtachius, natione Gallus, nobili Leverum gente, Arelatenſis archiepiſcopus, hic ſitus eſt. O quanta fuit in hoc antiſtite fides, pietas, religio, ſanctitas: ob quæ cum merito pontifex maximus inter ſacro-ſanctos ſibi divinarum ceremoniarum antiſtites connumerari voluerit; qui cum fratrem Philippum S. R. E. cardinalem, qui juxta ſe cubat, unice dilexiſſet in vita, in morte quoque, ut tumulo illi jungeretur, mandavit. Vixit annos XLII. *Obiit* M. CCCC. LXXXIX. *die* 12. *menſis Aprilis.*

ANNI CHRISTI.

Hoc archiepiſcopo ſedente Renatus rex Jeruſalem & comes Provinciæ confirmavit anno 1478. libertates S. Trophimi.

LXXXV. NICOLAUS. Cibo.

Nicolaus Cibo abbas Montis-majoris, ex familia Genuenſi equeſtris ordinis, cujus non antiquitas modo, ſed etiam claritas & ſplendor ſexcentos annos ſuperat, Johannis-Baptiſtæ Cibo, qui poſtea fuit Innocentius papa hujus nominis VIII. conſobrinus, a Coſentino archiepiſcopatu ad hanc eccleſiam transfertur, bulla ejuſdem papæ ſcripta Romæ 1489. VIII. cal. Maii, 1489. cujus originale in archivo Arelatenſi habetur. Statum regularem beati Auguſtini a Petro Einardo præſule inductum, in ſecularem reducendum (quod factum eſt bulla data cal. Decembris 1489.) & a Ludovico XII. Francorum rege privilegia urbis diplomate confirmari curavit. Falluntur qui Nicolaum noſtrum cardinalitio donatum galero volunt; quamquam legamus ſultanum Bajazethum rogaſſe Alexandrum papam VI. ut hunc honorem virtutibus hujus antiſtitis redderet. Quod quia ſingulare videbitur, principis Mahumetani litteras damus in inſtrumentis. Mortuus eſt Nicolaus anno circi- *C. XXXII. p. 103. col. 1.* ter 1499. 1499.

Ceterum ex eadem gente præter Innocentium papam VIII. purpura decorati ſunt: Marcus Guido tituli ſanctæ Pudentianæ, Leonardus ſancti Coſmæ; Angelus ſancti Martini in montibus, Laurentius Præneſtinus cardin. Beneventanus, Innocentius Bononiæ legatus, & Alderamus Caroli Cibo Malaſpinæ hac ætate principis Maſſæ, ex Briſida Spinola filius, Urbini legatus, Innocentii X. pontificis ſupremus domus magiſter, & ſub Innocentio XI. non minorem, imo majorem, & ut ita dicam, omnem auctoritatem conſecutus, qui anno 1700. pene centenarius ſenex obiit.

LXXXVI. JOHANNES VIII. Ferrer.

Johannes Ferrerius in Hiſpania Tarraconenſi ortus, Ilerdenſis primum eccleſiæ archidiaconus, Alexandri papæ VI. cubicularius, vir nobilis, pius & doctus, epiſcopus Melphienſis eligitur 1498. Novembris 28. ex ceſſione Johannis cardinalis Borgiæ, tranſlatuſque eſt poſt annum ad Arelat. eccleſiam petente Ludovico 1499. XII. Fuit is vere apoſtolicus præſul, Gregorii Nazianzeni imitator, in amando vitæ ſolitariæ otio. Eccleſias, ac præcipue ſancti Trophimi templum ſedilibus, organis, ornamentis ſacris munificentiſſime auxit & locupletavit. An. 1500. 1500. caſtrum Salonis cum ſancti Amantii villa reſtituit, in quam frequentiſſime tranquillitatis captandæ cauſa ſecedebat. Demum eccleſiam ſuam, cum archiepiſcopali palatio, regali ſumtu ampliavit. Cum jam ſenior eſſet, legationis apoſtolicæ munere functus eſt in Gallia apud Ludovicum regem, qui in meritorum ipſius præmium, & argumentum benevolentiæ ſuæ erga ipſum maximæ, regiis liliis ejus familiæ ſcutum & inſignia exornavit. Mortuus die 17. Jan. an.

ANNI CHRISTI. 1521. jacet in eccleſia S. Trophimi, ſub exquiſiti operis cenotaphio, ubi legitur hoc epitaphium: A

DEO OPT. MAX.

Johanni Ferrerio decret. doctori, ex oppido Terraveg a provincia Tarraconenſis, epiſcopo Melphienſi, demum archiepiſcopo Arelatenſi, ſingulari probitate & religione pradito, cujus prudentia, & integritate in duabus ampliſſimis legationibus, quas juſſu Alexandri ſexti pontificis maximi ad Ferrandum Siciliæ, deinde ad Ludovicum XII. regem Galliæ Chriſtianiſſimum, cum maxima amborum principum approbatione peregit, egregie perſpecta, & honoribus ac præmiis ornata eſt. Vixit annos LVII. *dies* X. *Maſſilia moritur die* XVII. *Janna-* B
1521. *rii* M. D. XXI. *Johannes Ferrerius in eadem eccleſia ſucceſſor, patruo B. M. ſibique poſuit, ſacellumque hoc conſtrui fecit.*

FERRER. **LXXXVII. JOHANNES IX.**

Johannes Ferrerius ſuperioris archiepiſcopi ex fratre Matthia nepos, permittente Chriſtianiſſimo rege Franciſco I. coadjutor ipſius creatur anno 1518. qui teſtamenti ſui tabulis anno 1520. ſcriptis eundem heredem inſtituit. Patruo mortuo, ita ſe geſſit in adminiſtrando archiepiſcopatu, ut eum factis referret, ac veluti redi- C
vivum oſtenderet.

Ad noſtrum Ferrerium exſtant epiſtolæ viri docti Dionyſii Faucherii monachi abbatiæ Lerinenſis. Poſt annos fere triginta in officio paſtorali ſumma cum laude tranſactos, vivere de-
1550. ſiit anno 1550. ſepultus juxta patruum in ſacello Ferreriorum, quod ab eo inceptum, ipſe nepos ejus ſumtuoſo opere ad finem perduxit, ut auctor eſt Noſtradamus parte 6. hiſt. Provinciæ; qui Ferrerii elogium conſcripſit. De hoc Johanne, vel deceſſore, hos verſus recitat Jodocus Sincerus, in itinerario Galliæ, eorum cenotaphio inſcriptos: D

Quiſquis ades, & morte cares, en reſpice, plora,
Sum quod eris, modicum cineris, pro me, precor, ora.

DU BROUILLAT. **LXXXVIII. JACOBUS.**

Jacobum du Broullat clericum Meldenſem, ad multas & ampliſſimas dignitates eccleſiaſticas evexit Catharinæ Mediceæ reginæ Francorum favor. Nam fuit abbas ſancti Symphoriani
*la Rivour. Bellovacenſis & Ripatorii * ordinis Ciſtercienſis, ut nos docet inſtrumentum quoddam anni 1524. nec non Latiniacenſis monaſterii, ex domeſticis hujus abbatiæ commentariis. Tandem nominatus ab Henrico II. rege, Arelatenſi E
1551. præfuit metropoli ab anno 1551. Sed plus in aula verſatus quam in eccleſiæ muneribus ſacris obeundis, inſuper Novatorum ſectæ, & erroneis doctrinæ reformationem mentitæ opinionibus ſeſe addixit; quapropter & Ludovici Borbonii principis Condæi partes ſecutus, qui Heterodoxorum exercitui præerat, cum Odeto cardinali Caſtillonæo Bellovacenſi epiſcopo, ab eccleſia pulſus eſt, & ſenatuſconſulto curiæ Pariſienſis ejus ſacerdotia vacare declarantur an.
1562. 1562. Nonnulli affirmant eum in Germaniam ſe recepiſſe, ubi ultimum vitæ diem clauſit poſt annum 1575. uti lego in ſchedis Dom. d'Hozier.

ANNI CHRISTI. **LXXXIX. ROBERTUS.**

DE LENONCOURT. Robertus de Lenoncourt, nobilitate generis in Lotharingia ſpectatiſſimi, doctrina, vitæ etiam, ut aiunt, ſanctitate conſpicuus, patre natus Theoderico Caſtri-Theoderici domino, regis cambellano, facilem habuit aditum ad eccleſiæ præfecturas; & quidem opimas obtinuit, ac longe plures quam canones ſinerent. Nam fuit epiſcopus Catalaunenſis & Metenſis, archiepiſcopus Toloſanus, Arelatenſis, Ebredunenſis. Præterea factus cardinalis a Paulo papa III. anno 1558. biennio circiter elapſo conſecutus eſt epiſcopatum Sabinenſem. Metenſi vero eccleſiæ præcipuam curam adhibuit. Ad ſuperos abiit menſe Februario an. 1561. ſepultuſque eſt 1561.
in ſuo prioratu Caritatis ad Ligerim. De illo loquendi ſæpius adhuc recurret occaſio, & de ipſius gentilibus, quorum plurimi non ſolum infulis, ſed etiam purpura inſignes fuerunt.

D'ALBON. **XC. ANTONIUS.**

Uno eodemque fere tempore tres in catalogis annotantur Arelatenſes archiepiſcopi, Robertus de quo ſupra, Antonius & Hippolytus; ut difficile ſit certo aſſerere quo quiſque brevis hujus temporis ſpatio ſederit. Poſt Robertum de Lenoncourt in indicibus legitur Antonius d'Albon, Guillelmi domini de S. Forgent & Gabrielidis de S. Chaumont filius, abbas Saviniaci & Inſulæ-barbaræ, Lugdunenſis urbis præfectus; cujus pontificatus unius tantum anni fuit; nam commutatione facta cum Hippolyto Ateſtenſi cardinali, ceſſit archiepiſcopatum Arelatenſem pro Lugdunenſi, anno 1562. 1562.

D'ESTE. **XCI. HIPPOLYTUS.**

Hippolytus Ateſtenſis cardinalis Ferrarienſis, Alphonſi I. ducis Ferrariæ, Lucretiæque Borgiæ filius; primi Hippolyti Ateſtini cardinalis virtutes æmulatus, litteris amicus, & litteratorum ſuæ ætatis fautor, Romana purpura cohoneſtatus 1538. a Paulo III. papa, mox archipræſul Mediolanenſis, Ferrarienſis antiſtes, legatus patrimonii, & in curia Romana Galliarum protector renuntiatur. Hic princeps magno in honore habitus, ampliſſimis Gallicæ eccleſiæ ſacerdotiis ditatus, videlicet regi Franciſco I. & Henrico II. quos affinitate tangebat acceptiſſimus, ex Lugdunenſi ſede ad Arelatenſem promotus eſt 1562. & in gratiam ſequentis 1561.
Proſperi Sancta-Crucei ſe abdicavit 1567. De 1567.
illo plura, cum de archiepiſcopis Auſcenſibus agemus. Romæ deceſſit 1572. IV. nonas Decembris, Tyburim delatus apud ſanctum Franciſcum, juxta tumulum Aloyſii Ateſtini cardinalis ex fratre Hercule nepotis.

SAINTE-CROIX. **XCII. PROSPER.**

Proſper Sancta-Cruceus, nobilis Romanus, cum Patavii optimis artibus operam impendiſſet, & in iis profeciſſet plurimum, ut tradit Jacobus Sadoletus lib. XV. epiſt. ex auditore Rotæ ad epiſcopatum Chyſamenſem in Creta inſula aſſumtus eſt, ejuſque opera Julius III. & Paulus IV. in Germaniæ, Luſitaniæ, Hiſpaniæque legationibus

Digitized by Google

legationibus usi sunt. In Galliam vero 1562. missus nuntius apostolicus initio bellorum civilium, riteque hoc munere perfunctus, reginæ Catharinæ Mediceæ commendatione, in collegium cardinalium absens cooptatus est a Pio IV. pont. 1565. tum Arelat. adeptus cathedram ex demissione Hippolyti cardinalis. Arcanorum autem regni particeps effectus, rara fide & prudentia, res inter pontificem, reginamque administravit; ut vel ex Ludovici Gonzagæ Niverni ducis ad Sixtum V. papam commentariis patet; teste etiam Jacobo Aug. Thuano de vita sua lib. 2. qui Prosperi istius Sancta-Crucii facit perhonorificam mentionem. Sed cum sua ætate in Gallia hæresis maxime grassaretur, vix conflato a novatoribus in eum mortis periculo subduci potuit; quippe ita eos aversabatur, ut in diœcesim suam, quam intrepide tuebatur, nulli eorum pateret aditus. Cum vero præfuisset usque ad annum 1573. Romam secessit, ubi Albanensis episcopus declaratur 6. Maii 1589. Nonis Octobris ad meliorem vitam transmigravit, sepultus apud sanctam Mariam Majorem, ubi marmoreus tumulus a gentilibus ejus positus inscripto hoc ornatur elogio:

ANNI CHRISTI. 1562. 1565. 1573.

DEO OPT. MAX.

Prospero Sancta-Crucio S. R. E. cardinali, episcopo Albano, qui ob eximias animi, ingeniique virtutes, post primaria Palatina officia, & ecclesiasticas dignitates, a Pio IV. pontifice maximo cardinalis creatus, legationibus Germanica, Lusitanica Hispanica & Gallica, flagrante intestino bello Provincia, egregia cum laude functus, maximisque toto vitæ cursu pro republica susceptis laboribus, obiit ætatis annorum 76. M. D. LXXXIX. Marcellus ex fratre nepos posuit.

XCIII. Silvius.

Saint-Croix.

Silvius Sancta-Crucius archidiaconus sub Prospero patruo, ipsi subrogatur in cathedra Arelatensi anno 1573. Ejus tempore pestis, fames, bellum, Rhodani inundatio Dei flagella, populum Arelat. ad pœnitentiæ lamenta confugere coëgerunt an. 1580. Posuit primarium lapidem conventus Capucinorum in urbe an. 1588. & Saloni an. 1597. Biennio post Romam adiens, ob invaletudinem archiepiscopatum dimisit ex consensu regis Henrici IV. & pontificis, in favorem Horatii Montani. Jacet Romæ in ecclesia sanctæ Praxedis sub marmoreo tumulo, cum hoc epitaphio:

1573.

DEO OPT. MAX.

Silvio Sancta-Crucio archiepiscopo Arelatensi, viro probo, moris & mentis impavidæ, qui annos amplius xxx[a]. in summa Galliæ fluctuatione, sua clavum ecclesiæ constantissime tenuit. Bartholomæus Sancta-Crucius amantissimo ac bene merito patruo posuit anno salutis 1603.

Ejusdem familiæ vixit Antonius cardinalis de Sancta-Cruce archiepiscopus Theatinus, de-

a Difficile est hunc annorum numerum invenire, si tantum ab anno 1573. ducatur episcopatus Silvii exordium; maxime si anno solum 1572. possessionem est adeptus, ut legitur in Gallia Christiana Fratrum Gemellorum.

inde Urbini fato functus 1642. & Sancta-Crucius Romanus ad cardinalatus dignitatem vocatus an. 1652. ab Innocentio X. pontifice max.

ANNI CHRISTI.

XCIV. Horatius.

Montanus.

Horatius Montanus Policastro in regno Neapolitano natus 1545. patre Hieronymo rebus adversus Turcas fortiter gestis commendatissimo, Romæ litteris incubuit adolescens, adultus theologiæ laurea insignitus, a Gregorio XIII. summo pontifice, sancti Nicolai Massæ veteris prope Policastrum abbatiam obtinuit, simul canonicus sancti Petri in Vaticano, & visitator apostolicus, postea Adriæ antistes; deinde Urbini episcopus, Silvii successor datus in Arelatensi cathedra; quo anno die Dominica in Ramis palmarum solemniter ingressus est urbem. Soc. Jesu apud Henricum regem Christianissim. propugnator fuit, & apostolicæ sedis orator. Judex datus cum Francisco cardinale de Joyosa, matrimonium diremit ejusdem Henrici Magni, & Margaretæ reginæ ducissæ Valesii, Henrici III. regis Franciæ & Poloniæ sororis, cum nullus inter eos validus intercessisset consensus. Horatius interea pontifex, pastor & pater civium factus, nomine urbis iterum ad regem pergit, a quo benigne acceptus, & civium saluti consuluit & pacem composuit. Inde Arelatem reversus est in pervigilio Dominicæ in Ramis palmarum. Denique anno sequenti die XI. Septembris ætatis suæ 57. Saloni animam emisit, testamento condito eodem die, & herede constituta ex asse ecclesia sua Arelatensi. In ædis metropolitanæ sacello Ferreriorum sepultus est, cum paulo ante fundamenta ecclesiæ & conventus Capucinorum Bellicadri jecisset. Ejusdem Montani archiepiscopi meminit Arnaldus cardinalis Ossatus epist. 152.

1599. 1603.

XCV. Gaspar.

du Laurent.

Gaspar du Laurent frater Honorati Ebredunensis archiepiscopi; ac Andreæ Laurentii Henrici IV. regis archiatri doctissimi, ex abbate sancti Petri Viennensis, & Sinaquæ assumtus, Arelatensi ecclesiæ, ex qua urbe oriundus erat, præficitur anno 1603. ac triennio post interest comitiis generalibus Lutetiæ habitis mense Martio, & conventui *Notabilium*[b] Rotomagensi, an. 1617. Edidit officia propria sanctorum ejusdem ecclesiæ, cura Francisci Clareti archidiaconi. Pontificatum autem ejus illustravit regis Ludovici XIII. adventus in urbem Arelatensem an. 1622. Octob. 30. qui a Gaspare antistite in ecclesia metropolitana sancti Stephani exceptus, & luculenta oratione salutatus est. Solemnem apparatum Arelatensis urbis, ceteraque pompæ ornamenta describit fuse J. Bovis presbyter in historia regum Arelatensium. Præterea hoc præsule Capucinis conduntur ædes in oppido Martigii an. 1604. Item in urbe Minimi anno 1618. Patres Oratorii Jesu & Ursulanæ virgines admittuntur. Eodem hortante strictiorem regulam amplectuntur sancti Augustini, sancti Francisci & sanctissimæ Trinitatis reli-

1603. 1606. 1617. 1622.

b Sic appellatus est hic cœtus, ex viris probis & prudentibus, delectisque ex tota Gallia constans.

gioſi. Viam ampliſſimam in Craudi campo Salonem uſque magnis ſumtibus complanavit & conſtravit, quam de ſuo nomine *Laurentianam* appellari voluit. Sacellum magnificum in eccleſia ſancti Trophimi ædificari curavit. Huic archiepiſcopo Petrus Saxius theologus canonicus Arelatenſis nuncupavit *pontificium* Arelatenſe, ſeu pontificum qui hanc eccleſiam rexerunt, hiſtoriam, anno 1629. Anno ſequenti poſt 27. annos in epiſcopali officio tranſactos, quibus ſummæ pietatis in Deum, benevolentiæ in cives, caritatis in pauperes plurima dedit argumenta, ad meliorem vitam tranſiit, & in eccleſia ſancti Trophimi ſepulturæ traditus eſt.

ANNI CHRISTI. 1629. 1630.

JAUBERT.

XCVI. JOHANNES X.

Johannes Jaubert de Barraut Emerici comitis de Barraut, baronis de Blaignac, Aquitanici maris protalaſſiarchæ, Ludovici XIII. in Hiſpania ad Philippum III. regii legati, & Gujonæ de la Motte filius, ſanctioris conſiſtorii conſiliarius ex abbate ſancti Petri Solemniacenſis, epiſcopus Vaſatenſis conſecratur Romæ menſe Auguſto 1612. a Franciſco cardinale Rupifucaldio. Poſt biennium intereſt cœtui cleri generali Pariſienſi, & eundem regem ab expeditione Bearnica redeuntem in cathedrali ſua eleganti oratione ad eum habita excepit an. 1620. Deſignatus fuerat magnus eleemoſynarius Henrietæ Mariæ a Francia Angliæ reginæ, ſed tacita æmulatione, & invidia quorumdam, maxime ſectariorum hujus regni excluditur. Demum an. 1630. Julii 30. defuncto Gaſpardo du Laurent a ſede Vaſatenſi ad hanc metropolitanam traductus, poſſeſſionem adipiſcitur menſe Decembri anni 1631. quo abſolutus eſt ab eo liber de clypeo fidei contra Proteſtantes hæreticos. Præfuit comitiis cleri Gallicani Lutetiæ habitis an. 1635. ac 22. Julii coram rege verba fecit, ampliſſimi hujus conventus nomine, adſiſtentibus archiepiſcopis Auſcenſi, & coadjutore Turonenſi. Sub ejus pontificatu Arelate inſtituuntur Auguſtiniani diſcalceati & moniales Carmelitæ. Conventus vero ſanctæ Claræ regulam ſororum S.M. Viſitationis amplectitur. Regii diplomatis virtute an. 1639. idem præſul pro inſtauranda & reformanda regulari diſciplina, in abbatia S. Petri Montis-maj. prope Arelatem ſedulo laboravit; & pro veteriſſimi monaſterii monialium S. Cæſarii in urbe reformatione; quod opus inchoatum ab eo Franciſcus Adhemarus ſucceſſor ejus, tandem perfecit. Quinque item parochias, pro incolis ampliſſimæ inſulæ de Camaricis (*de Camargues*) in ſua diœceſi, ad adminiſtrationem ſacramentorum inſtituit, ære ſufficienti ad hoc pium opus impenſo de licentia capituli. Vita exceſſit Pariſiis die 30. Julii, anno Domini 1643. humatuſque Burdigalæ in eccleſia domus profeſſæ patrum Societatis Jeſu, quibus ſuam bibliothecam Arelatenſem legavit.

1630. 1631. 1635. 1639. 1643.

ADHEMAR.

XCVII. FRANCISCUS II.

Franciſcus Adhemar de Monteil [a] de Grignan, Ludovici Franciſci comitis de Grignan & Johannæ d'Ancezune de Venejan filius, ex antiqua & illuſtri gente Adhemara ortus, primum fit abbas commendatarius Aquæ-bellæ, deinde S. Pauli Tricaſtrinenſis epiſcopus conſecratur an. 1631. & cum per annos 13. in ea ſede optimi ac vigilantiſſimi paſtoris ſpecimen dediſſet, a Johanne Jauberto Arelatenſi archipræſule enixe in coadjutorem expetitur, obtineturque anno 1643. Ludovico rege XIII. paulo ante mortem annuente. Non multo poſt e vivis ſublato Jauberto antequam bullas ab Urbano VIII. recepiſſet Franciſcus, Anna regina imperii moderatrix, Franciſcum nomine regis archiepiſcopum confirmavit. Mox adfuit cleri Gallicani comitiis generalibus Lutetiæ congregatis an. 1645. Eodem an. menſe Maio, poſſeſſionem adiit, & 23. Dec. 1646. ſolemni pompa civitatem ſuam invehitur. Cum autem 1647. Maſſiliæ civiles tumultus ferverent, a rege deligitur, ut illos pro ſua animi prudentia & lenitate componeret, quod ex votis omnium feliciſſime præſtitit. Demum an. 1649. cum inter Ludovicum Valeſium Gallo-Provinciæ proregem, & ſenatum Aquenſem diſſidia exorta fuiſſent, iterum a rege delectus eſt, ut enaſcentem tempeſtatem ſederet. Ipſe autem ingenii ſolertia & providentia vigili, Arelatem factionibus etiam moveri cœptam intelligens, pacatam illam tranquillamque fecit. G. Boule Maſſilienſis ipſi nuncupavit præludium hiſtoriæ generalis Proteſtantium; in epiſtola vero dedicatoria, præclaras antiſtitis Franciſci dotes, hoc eſt ingenii vim non mediocrem, prudentiam ſingularem, pietatem & zelum vere ſacerdotalem commendat. In præmium tot virtutum rex Chriſtianiſſimus eum creavit ordinum ſuorum præceptorem an. 1661. Obiit anno 1689. die 9. Martii in ſua urbe, anno ætatis ſuæ 86. Duos fratres habuit epiſcopos, Jacobum Uceticæ, & Ludovicum-Joſephum Carcaſſonæ.

ANNI CHRISTI. 1643. 1645. 1649. 1661. 1689.

[a] Hæc familia ramus eſt nobiliſſimæ gentis Caſtellanæ.

ADHEMAR.

XCVIII. JOHANNES-BAPTISTA.

Johannes-Baptiſta Adheimar de Monteil de Grignan, nepos Franciſci, ejus coadjutor factus eſt anno 1666. quo in collegium doctorum Sorbonæ fuerat cooptatus, die 18. Maii, & conſecratur Uceticæ ſub titulo archiepiſcopi Claudiopolis, die 11. Decembris anni 1667. a patruo, cooperantibus S. Papuli & Vaſionenſi epiſcopis. Filius erat Ludovici Galcherii, *al.* Scævolæ, comitis de Grignan, & Margaritæ d'Ornano. Mortuo patruo anno 1689. archiepiſcopus ſedit per annos novem, mortuuſque eſt apud Montem-peſſulanum die XI. Novembris anni 1697. annos natus 59. Facultate ac facilitate dicendi præditus erat hic præſul, quem ob generis nobilitatem, & eximias dotes Ludovicus Magnus ſuorum ordinum commendatorem fecit, & multis donavit abbatiis, Ripatorii, Toroneti, Aquæ-bellæ.

ADHEMAR. 1689. 1697.

MAILLY.

XCIX. FRANCISCUS III.

Franciſcus filius Ludovici marchionis de Mailly, & Johannæ de Monchy marchioniſſæ de Neſle-Paris, hoc eſt antiquioris & illuſtrioris nobilitatis conjugum; regi ab eleemoſynis, abbas ſancti Martini Maſciacenſis, deſignatur

ANNI CHRISTI. 1697. archiepiſcopus Arelatenſis menſe Decembri anni 1697. ungitur & ordinatur in epiſcopum die XI. Maii anni ſequentis in eccleſia ſancti Victoris Pariſienſis ab eminentiſſimo cardinali Tuſſano de Forbin de Janſon Belvacenſi epiſcopo, aſſiſtentibus Auguſtodunenſi & Aleſienſi epiſcopis. Die 17. ejuſdem menſis ſacramentum præſtitit regi in ſacello Verſalienſis regiæ. Conceſſit ipſi pallium ſummus pontifex in conſiſtorio habito Romæ die 21. Julii 1698. anno vero 1710. die 12. Julii ſchedula regia deſignatus eſt archiepiſcopus Remenſis.

1698. 1710.

FORBIN. C. JACOBUS II.

Jacobus de Forbin de Janſon vicarius generalis eminentiſſimi cardinalis de Janſon ſui patrui, in eccleſia Belvacenſi, abbas ſancti Walarici ad Somonam, deſignatur archiepiſcopus Arelatenſis in feſto Paſchæ an. 1711. conſecratur die Dominica IV. nonas Auguſti ab archiepiſcopo Aquenſi, aſſiſtentibus epiſcopis Caſtrenſi & Ambianenſi, in eccleſia Belvacenſi, coram eminentiſſimo cardinale de Janſon. Die 15. Auguſti, regi fidem obſtrinxit apud Fontem-bellaqueum, utinam diu præſit ut proſit præſul pietate, modeſtia, omniumque virtutum ſocietate ac conſuetudine illuſtrior, quam nobilitate aut dignitate. [b]

ANNI CHRISTI.

ARELATENSES PRÆPOSITI.

IN capitulo præcipua dignitas ab antiquo fuit præpoſitura, quæ adhuc ſupereminet. Quamquam occurrunt aliquando decani, qui memorantur, præpoſitorum nulla facta mentione. In charta commutationis factæ a Teucinda matrona cum archiepiſcopo Arelatenſi, anno duodecimo regnante Conrado rege, ſeu anno Chriſti 948. quæ refertur in fundatione Montis-majoris, Adalbertus decanus, quaſi nomine totius capituli rem comprobans, ſubſcripſit, non præpoſitus. Duodecimo ſeculo, an. 1119. Sub Bernardo I. archiepiſcopo, præerat Raimundus decanus. Hugo [a] Amelius ſub Guillelmo I. anno 1141. & ſub Raimundo I. anno 1143. ſub Michaële anno 1214. B. item decanus.

Præpoſitorum ſeriem ſatis accuratam habemus in Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum; nunc tamen longe ampliorem damus, maxime ex ſchedis D. d'Ache.

I. Eribaldus Cernuus ſub Eliſanto archiepiſcopo anno 796. & 799.

II. Leventus anno 869. & 871. teſtis in chartis capituli Arelatenſis de convenientia Roſtagni Arelatenſis antiſtitis, cum Benedicto & uxore Richilde pro villa Gaudiaco.

III. Nivardus præpoſitus & Ugienſis rector ex beneficiali jure, pro quo exorta eſt contentio, ait vetus tabula, ante magnificum archiep. Roſtagnum Arelate VI. cal. Junii an. 874. & 879.

IV. Regimundus, de quo vide in Roſtagno archiepiſcopo, qui anno 898. obtinuit a Ludovico rege quemdam manſum. Memoratur in diplomate ejuſdem Ludovici tunc imperatoris, anno 904.

V. Razo teſtis legitur in inſtrumento Drogonis Maſſilienſis epiſcopi anno 924. ſeu anno 34. Ludovici regis filii Boſonis.

VI. Guntardus, *al.* Guntarus epiſcopus Forojulienſis memoratur in charta data anno 12. Conradi regis, hoc eſt 948. Vide in Iſraël Aquenſi archiepiſcopo. Idem occurrit in quadam præſtaria anno 15. ejuſdem regis facta.

VII. Airardus epiſcopus ignotæ eccleſiæ, & præpoſitus annis 961. & 977. memoratur in tabula Iterii archiepiſcopi.

VIII. Umbertus ſubſcripſit chartæ Annonis archiepiſcopi confirmantis donationes Iterii prædeceſſoris anno 42. Conradi regis, hoc eſt an. 978. Item conceſſioni eccleſiæ ſancti Gervaſii anno 989. ſub eodem Annone archiepiſcopo.

IX. Petrus I. præpoſitus Arelatenſis anno circiter 1000. quædam comparat in comitatu Arelat. Vide in Pontio de Mariniana archipræſule.

X. Raimbaldus I. an. 1014. pridie cal. Aprilis. Tandem factus eſt archiepiſcopus.

XI. Raimbaldus II. anno 1066. ſubſcribit & conſentit donationi eccleſiæ de Ratis factæ Monti-majori. Vide in Aicardo archiepiſcopo.

XII. Guillelmus I. Boſo teſtis tranſactionis inter Fredolum Maſſilienſem abbatem & Arelatenſes canonicos, pro eccleſia ſanctorum Honorati, Sergii & Bacchi, quo tempore Pontius de Baucio erat præcentor, ex charta Arelatenſi an. 1166. Nominatur an. 1173. in oppignoratione caſtri de Aqueria nomine regis Arragonenſis pro duobus millibus ſolidis Melgorienſibus. Viſitur ejus tumulus in æde capitulari hac epigraphe inſcriptus: *Tertio idus Septembris obiit Willelmus Boſo ſacerdos canonicus Regularis & præpoſitus ſancti Trophimi, anno Domini* 1181. *C. XVIII. p. 99. col. 2.*

XIII. Petrus II. Ferreolus recenſetur 1186. menſe Auguſto, in conceſſione cudendæ monetæ data a Petro archiepiſcopo; ad quem etiam exſtat bulla Urbani papæ pro confirmatione privilegiorum eccleſiæ. Idem in antiquo originali Arelatenſi præſens dicitur homagio Barralis vicecomitis, Imberto vel Umberto archiepiſcopo exhibito. Idem Petrus Ferreolus memoratur in quadam conceſſione facta monachis Montis-majoris, ex chartar. Montis-majoris, anno 1195. *C. XX. p. 100. col. 2.* *C. XXI. p. 100. col. 1.*

XIV. Michaël de Moreſio arbiter electus 1198. cum Tolonenſi epiſcopo, inter Imbertum archiepiſcopum, & Arbertum abbatem S. Gervaſii de Foſſis, ut eſt in pancharta nigra Arelatenſi.

XV. Gaufredus I. de Beira 1200. 1201. 1204. Anno 1206. calend. Auguſti XIV. præſens fidei clientelæ a Raimundo comite Toloſæ redditæ

[a] De Hugone vide quoque in Gaufrido Avenionenſi epiſcopo ad annum 1143.

[b] Omiſſus eſt in hoc catalogo Fulco archiepiſcopus, quem legimus in Andreano necrologio, mortuum IV. cal. Auguſti; verum quo anno ignoramus.

Arelatenſi archipræſuli ; ex archivis capituli.

XVI. Stephanus I. Firminus 1207. 1209.

XVII. Guillelmus II. 1209. menſe Julio in charta Michaëlis de Moreſio archiepiſcopi.

XVIII. Raimundus I. Fulco nominatur an. 1214. in inſtrumento traditionis caſtri Bellicadri in feudum Simoni comiti Montis-fortis. An. 1215. dicitur R. de Fulcone acquieviſſe cuidam compoſitioni inter clericos Arelatenſes & monachos Montis-majoris ; adfuitque in caſtro Salonis an. 1220. menſe Maio fidelitatis ſacramento, quod præſtitit Hugoni archiepiſcopo Raimundus de Baucio, pro iis quæ poſſidebat apud pontem ſancti Geneſii, de quo chartophylacium vetus archiepiſcopi album. Adhuc præerat anno 1221.

XIX. Willelmus III. Beroaldus chartis publicis ſubſcripſit anno 1225. & præpoſitus legitur in concordia inter urbem Maſſilienſem & Hugonem de Baucio ac filios 1229. XVII. cal. Feb. Ann. 1240[a]. III. cal. Octob. memoratur in charta Johannis Arelatenſis archiepiſcopi, qua promiſit ſe non alienaturum caſtrum Salonis.

XX. Bertrandus I. de Saint Martin an. 1250. die Lunæ poſt feſtum omnium ſanctorum menſe Novembri aſſenſu Johannis archiepiſcopi Arelatenſis, Bernardique archidiaconi, conceſſit Carolo comiti Andegavenſi, dominium & juriſdictionem in Arelatenſi communitate, ut legitur in regiis archivis ſenatus Aquenſis, bella civilia Arelate ſub poteſtatum * dignitate exorta Bauſſano præſule execratus. Archiepiſcopatum adivit ætate qua Carolus Andium dux, Arelatem pactis utrinque fœderibus ſuam fecit.

* Lege Podeſtata.

XXI. Bertrandus II. Maleferratus civis Arelatenſis, nominatur cum Hugone ſacriſta & aliis, in bulla confirmationis Bertrandi archiepiſcopi, de diviſione præbendarum capituli Tolonenſis an. 1270. nonis Aprilis.

XXII. Raimundus II. de Bariol Bernardo de Languiſello archiepiſcopo 1280.

XXIII. Bertrandus III. Richardus recenſetur in actis publicis anno Domini 1285. Hic vices gerens Duranti antiſtitis Maſſil. ſignificavit quaſdam citatorias litteras abbati Montis-majoris ad comparendum Romæ, die 13. Octobris 1296.

XXIV. Bertrandus IV. de Barjolis præpoſitus ſanctæ eccleſiæ Arelatenſis, procurator ſpecialiter conſtitutus a Sthephano Montis-majoris abbate ad providendum fratri Petro de Meſoaga prædicti monaſterii monacho de primo beneficio ad collationem præfati abbatis, vacante, contulit prioratum B. M. de Conrez, vacantem per obitum fratris Geraudi de Rellania XIV. cal. Januarii 1297. Idem adhuc anno 1303. in electione Petri de Ferrariis archiepiſcopi.

XXV. Arnaldus de Faugeriis Clementis V. capellanus, quem ad Philippum IV. regem Franciæ ei miſit ſcribens, ut plenam ei fidem adhiberet in iis, quæ ſuper captione Templario-

[a] Vereor ne hoc anno Bertrandus qui ſequitur, jam fuerit præpoſitus. Nam in homagio quod Raimundus Porcelleti fecit Johanni archiepiſcopo, ann. 1234. pridie idus Januarii legitur teſtis B. quod ſignificat potius Bertrandum, quam Vuillelmum Beroaldum. Forte in charta anni 1240. non integrum nomen, ſed ſola littera B. occurrit.

rum, aliiſque negotiis ad ipſum referret. Data Pictavis XV. cal. Decembris, pontificatus anno III. ſeu anno Chriſti 1307. Vide tom. II. vit. pap. Aven. Baluzii p. 110. & ſeq.

XXVI. Alairacus Gaillardo Saumata pontifice, vixit circa annum 1315.

XXVII. Raimundus III. de Moreriis Alairaco mortuo in ejus locum ſuffectus eſt 1325. ut tabularia eccleſiæ produnt, & 1341. in Johanne de Baucio archiepiſcopo.

XXVIII. Galhardus de Bedach decretorum doctor & præpoſitus Arelatenſis, necnon auditor Ademari Roberti cardinalis, quam dignitatem conſecutus eſt die 10. Septembris an. 1342. Vide Baluzium ibid. p. 850. ubi laudat codicem MS. bibliothecæ Colb.

XXIX. Bernardus de Cordona capituli ſuffragiis eligitur 1349.

XXX. Salvator Olivarius dignitatem iniit eo anno quo Guillelmus de Gardia archipræſulatum 1360.

XXXI. Gaillardus de Bidato canonicorum ſuffragiis expetitus, præpoſiti munere in eadem cathedrali functus eſt ſub annum 1366.

XXXII. Raimbaudus II. de monte-Orſorio (*mont-Orſier*) 1375.

XXXIII. Stephanus II. de Langlade in decretis licentiatus, Arelatenſi capitulo præfuit tempore quo Benedictus de Luna antipapa, fructus & proventus eccleſiæ Arelatenſis ſuos faciebat 1403. Memoratur 1413. Julii 7. in tranſactione qua crucem portare interdicitur Fratribus Prædicatoribus in proceſſione ſancti Trophimi, ut eſt in vetuſto originali.

XXXIV. Jacobus I. de Pinis Arelat. eccleſiam heredem inſtituit, obiitque circa an. 1440.

XXXV. Guillelmus IV. de Perreriis Ludovico Alemando cardinale archipræſule 1445.

XXXVI. Johannes I. Albaletus *al.* Arbaleti, eodem præſule 1447. & 1448. in elevatione trium SS. Mariarum, ubi dicitur vicarius & officialis Arelat.

XXXVII. Johannes II. Nicolaus Alemandum archiep. vidit miraculis clarum, 1450.

XXXVIII. Julianus Calvetus, cujus tempore eccleſia Arelatenſis iterum facta eſt ſecularis, Nicolao Cybo curante 1497.

XXXIX. Antonius Aube e dominis de Roquemartine nobili proſapia ortus in Arelatenſi urbe, præpoſitus an. 1543. cum Maſſilienſi præſule delectus 1547. ad ſalutandum Henricum regem II. poſt ipſius inauguration em.

XL. Andreas Aube Proſpero, & Silvio de Sancta-cruce archiepiſcopis, præpoſituram eccleſiæ geſſit. Hujus etiam Silvii præſulis vicarius exſtitit generalis an. 1598. quo die 22. Octob. præſentationem Montis-majoris ad vicariam de Mari comprobavit.

XLI. Bartholomæus de Porta in locum Andreæ ſuffectus fuit.

XLII. Alexander Aube.

XLIII. Jacobus II. Aube Gaſpardo Du Laurent archiepiſcopo ceſſit in favorem ſeq.

XLIV. Johannes III. de Forbin anteceſſoris demiſſione præpoſituræ dignitatem adeptus XII. Auguſti 1644.

XLV. Ludovicus Aube de Roquemartine, Jacobi nepos, quintus e gente ſua præpoſitus reſignatione ſuperioris iniit poſſeſſionem die 7. Maii an. 1650. poſtea S. Pauli Tricaſt. epiſcop.

XLVI. Ludovicus II. de Roquemartine, deſignatus epiſcopus Graſſenſis an. 1676.

XLVII. Joſephus de Grille, ſucceſſit Ludovico, & uſque ad hunc diem præeſt.

DE ABBATIIS DIOECESIS ARELATENSIS.

Vetera monaſteria jam dudum deſtructa.

I. Inſula.

NUllum antiquius monaſterium novimus in diœceſi Arelatenſi, ſuburbano quodam in inſula poſito; unde nomen Inſulæ retinuit. Illud fundatum ab ſancto Honorato Arelatenſi epiſcopo cenſet P. Saxius in Arelat. pontificio. Abbatiæ hujus Inſulanæ ac ſuburbanæ meminit Cyprianus ſcriptor vitæ S. Cæſarii, ubi legimus l. 1. n. 9. *Poſt hæc autem defuncto abbati in ſuburbana Inſula civitatis, dirigitur a S. Æonio (Arelatenſi archiepiſcopo) Cæſarius pater, ut monaſterium quod recentius fuerat deſtitutum, obitu rectoris, ipſe in eadem reverentia auctoritate ſuccedens, ad diſciplinam formaret abbatis.* Cæſarius poſtea ex abbate factus eſt Arelatenſis antiſtes. Præter duos illos abbates, Cæſarii videlicet anteceſſorem, ipſumque Cæſarium nulli fere nobis occurrerunt. Ex hoc autem cœnobio prodiere multi ſancti viri, præſertim Ailbeus ſeu Alveus, qui floruit ſub ſancto Cæſario. Exciſum eſt jam pridem hoc monaſterium. Anno 1226. Rodandus erat abbas Inſulæ; ut videre eſt in Willelmo de Bonils abbate Montis-majoris: utrum hujuſce monaſterii, an Sanct-Andreani, quod erat in inſula Camaria, non audemus definire.

II. Sanctorum apoſtolorum.

Aliud intra mœnia civitatis Arelatenſis, jubente & fundum ſuppeditante Childeberto Francorum rege Clodovei I. filio, conſtruxit S. Aurelianus archiepiſcopus Arelatenſis, qui & in eo cœnobio monachos inſtituit, & abbatem præfecit anno circiter 548. eiſque peculiarem tradidit regulam obſervandam, ut fuſe leges in codice Regularum, in diſquiſit. monaſtic. Haeftenii apud Saxium & S. Greg. Mag. lib. 9. ep. CXI. ad Vigilium; in qua meminit privilegii huic monaſterio conceſſi a Vigilio papa, petente eodem Childeberto rege, quod confirmavit S. Gregorius. Patroni eccleſiæ ac monaſterii fuerunt apoſtoli, quo nomine forte intelligi debent apoſtolorum principes Petrus & Paulus. Ex diptychis fundatum eſt xv. cal. Decemb. indictione XI. anno 5. * poſt conſulatum Baſilii junioris; quæ temporis notæ conveniunt anno Chriſti DXLVIII.

Olim l. 7. indict. 2. ep. 116.

* *Lege ſeptimo.*

I. Abbas præfuit huic monaſterio S. Florentinus, ex ejus epitaphio, in quo legitur obiiſſe pridie idus Aprilis anno 12. poſt conſulatum Baſilii, hoc eſt anno Chriſti DLIII. annis quinque in regimine exactis. Celebratur ejus memoria decimo ſexto cal. Junias.

II. Abbas D. Redemptus.

III. Conſtantinus qui tranſtulit corpus ſancti Florentini abbatis ex cœmeterio fratrum in baſilicam S. Crucis. Duplex enim erat in monaſterio baſilica, prima ſub titulo ſancti Petri vel apoſtolorum, altera S. Crucis dicta. Ignoramus utrum abbatibus accenſeri debeant Himiterus, Hilarinus, Januarinus, Reparatus, qui poſt Conſtantinum abbatem in diptychis commemorantur, hoc ordine: *Simulque precantes oramus etiam, Domine, pro animabus famulorum tuorum patrum atque inſtituterum quondam noſtrorum, Aureliani, Petri, Florentini, Redempti, Conſtantini, Himiteri, Hilarini, Januarini, Reparati, Childeberti* (regis) *Wltrogothæ* (reginæ) *vel omnium fratrum, &c.* ubi vides non ſolorum abbatum nomina commemorari, ſed aliorum quoque. Sane Petrus poſitus ante Florentinum non fuerat abbas, quando legimus in veteri epitaphio S. Florentini, eum primum præfuiſſe huic cœnobio, quod dirutum fuiſſe videtur ſeculo VIII. tum cum Sarraceni Galliam Narbon. *invaſere, & Arelatem obſidione captam peſſumdedere.*

Vide Mabill. ad an. 548. n. 31.

III. S. Mariæ Virginum.

Alterum pro virginibus monaſterium in urbe Arelatenſi a S. Aureliano conditum probat vel inſcriptio ipſius regulæ: *ſanctis & in Chriſto venerandis ſororibus, in monaſterio B. Mariæ, quod Deo jubente intra muros Arelatenſis urbis fecimus, conſtitutis, Aurelianus epiſcopus.* Hunc parthenonem eodem tempore exſtinctum credimus, quo everſum eſt S. Petri ſeu SS. apoſtolorum monaſterium.

IV. S. Salvat. & S. Honorati.

De monaſterio S. Salvatoris, cui etiam additum nomen S. Honorati, ac quandoque S. Trophimi nihil habemus quam quod ſuppeditat ſcriptor vitæ S. Virgilii Arelat. epiſcopi: *Dedicavit autem idem beatus antiſtes baſilicam quam conſtruxit in honore Salvatoris Domini noſtri J. C. & B. Honorati atque confeſſoris, atque ibidem ordinem inſtituit monachorum ſervientium Deo.* Locus ubi ædificatum eſt hoc cœnobium extra muros urbis, a multitudine ſepulcrorum dictus eſt *Campi Elyſii.* Ceſſit ſeculo XI. Maſſilienſibus ſancti Victoris monachis dono Rajambaldi archiepiſcopi, quod Gibelinus etiam archiepiſcopus confirmavit. Poſtea cella hæc annexa eſt Taraſconenſi parthenoni ordinis ſancti Benedicti, uſque ad annum 1616: quo data eſt patribus Minimis.

V. S. Andreæ.

Olim fuit in inſula Camariæ ſive de Camaricis abbatia ſancti Andreæ, quam forte deſtructam, & a monachis deſertam Manaſſes I. Arelatenſis archiepiſcopus dedit Drogoni Maſſilienſi epiſcopo, ad victum clericorum Maſſilienſium. Eadem forte eſt

VI. SS. Gervaſii & Protaſii.

Monaſterium ſanctorum Gervaſii & Protaſii ſubtus caſtrum de Foſſis in diœceſi Arelatenſi, monachorum ordinis Benedict. Fundatores ſuos

ed by Google

habuit toparchas Olbiæ vel Arearum d'*Hierres*, si fides[a] adhibenda sit diplomati Roſtag. Aquensis archiepiſcopi ex eadem familia, ubi ſic loquitur:

Ego in Dei nomine Roſtagnus Aquenſis archiepiſcopus, & meus germanus frater Amelius, & ejus filii Pontius, Raimundus, Wido, Gaufredus & Bertrannus; notum facimus quod de noſtro patrimonio & hereditate habuimus quoddam monaſterium, quod & parentes noſtri de alodo ſuo fundantes conſtruxerunt, ſitum in diœceſi Arelatenſi in territorio cuſtri noſtri, quod Foſſas *appellatur ſanctorum Gervaſii & Protaſii; quod videntes irregulariter eſſe ordinatum, ideirco dedimus ſancto Petro Cluniaci ordinandum, &c. id quoque fecimus pro anima noſtri germani Widonis fratris jam defuncti, &c. Actum anno* MLXXXI. *incarnationis Dominicæ. S. domni Roſtagni Aquenſis archiepiſcopi. S. domni Bertranni comitis. S. Amelii de Foſſis &c.*

Nos autem Pontius miles de Foſſis. & fratres mei Gaufredus & Bertrannus, & mater noſtra nomine Garſia, locum SS. Gervaſii & Protaſii, quem avunculus noſter Roſtagnus archiepiſcopus Aquenſis, & pater noſter Amelius Cluniaco dederat, confirmavimus &c. S. Pontii. S. Gaufredi. S. Bertrandi. Vide Saxium, Ruffium, maxime vero D. Honoratum Bouche hiſt. Provinciæ lib. IX. fol. 208.

At non ita compertum eſt quo potiſſimum anno fundatum fuerit hoc monaſterium; jam exſtabat tempore Manaſſis I. Arelatenſis archiepiſcopi, qui illud dedit Drogoni Maſſilienſi epiſcopo anno 923. ubi titulum habet ſancti Gervaſii & ſancti Andreæ. Anno 989. Anno archiepiſcopus Arelatenſis dedit Paconi ſacerdoti eccleſiam ſancti Gervaſii de Foſſis ad monaſterium conſtruendum, cujus poſt biennium abbas ab eodem præſule inſtitutus eſt, Arbertum non multo poſt ſortitus ſucceſſorem. Hæc abbatia anno 1138. jugum congregationis Cluniacenſis jam excutere ſatagebat, niſi Innocentius papa II. ſuo brevi apoſtolico eodem anno dato, iterum illud Cluniaco ſuppoſuiſſet, ut leges apud Saxium & D. Bouche. Quod Raimundus archiepiſcopus Arelatenſis Petro abbati Cluniacenſi ejuſque ſucceſſoribus, iterum commiſit ordinandum, cœnobio ſancti Ægidii in valle Elaviana brevi ſubjiciendum ab Alexandro papa III. pontificio diplomate Anagniæ dato XVIII. cal. Januarii atque alio rurſus Ferentini: dato III. idus Maii.

Abbatem renitentem obſequium domino archiepiſcopo Arelatenſi exhibere coegit Petrus Eynardus archiepiſcopus, ut leges apud Saxium. Cæleſtinus quoque papa III. præcepit abbati & monachis ſancti Gervaſii de Foſſis, ut obedientiam Imberto archiepiſcopo exhiberent. Et quidem an. 1185. domnus abbas ſancti Gervaſii de Foſſis miſit Albertum priorem nepotem ſuum ad Petrum archiepiſcopum, qui ei pro abbate obedientiam exhiberet. Et anno 1198. Albertus abbas (forte idem quem ſupra priorem legimus) jubente Cæleſtino papa III. dom. Imberto archiepiſcopo reverentiam promiſit, & obedientiam. Inſuper Innocentius papa III. mandavit archiepiſcopo Arelatenſi & abbati Montis-majoris, ut ad obedientiam & obſervantiam regularem, abbatem & monachos præfati monaſterii revocarent. Tandem cum nulla ratione inflecti ad æquum valerent, anno 1212. a Frederico II. imperatore Michaëli archiepiſcopo Arelatenſi ceditur, & eccleſiæ Arelatenſi adjungitur hæc abbatia, in qua præcepit Honorius III. Hugoni archiepiſcopo Arelatenſi, ut loco monachorum canonicos inſtitueret: qua de re exſtant etiam litteræ Conradi Portuenſis epiſcopi, & S. R. E. legati, quibus monachis ſancti Gervaſii Phocenſis municipii ad ſcandala proruentibus, jubente ſummo pontifice Gregorio papa IX. & petente Hugone archiepiſcopo Arelatenſi ipſam ſanctorum Gervaſii & Protaſii abbatiam ſupprimit, ejuſque redditus archidiacono Phocenſi eccleſiæ Arelatenſis attribuit. Anno 1223. Goffredus abbas ſancti Gervaſii de Foſſis dimiſit Hugoni archiepiſcopo monaſterium ſuum, pro quo aſſignavit eidem abbati quolibet anno 300. ſolidos Raimundenſes. Ex eodem monaſterio inſuper detracta eſt bonorum portio ad fundandum parthenonem ſancti Petri de Almanarra diœceſis Tolonenſis, ut videre eſt in inſtrumentis ad fundationem hujus abbatiæ ſpectantibus. *C. II. 125. 129. col. 2.*

Præter abbates jam a nobis notatos occurrit Roſtagnus abbas S. Gervaſii de Foſſis, commemoratus in necrologio Lirinenſi, VI. idus Februarii, anno mortis non notato.

Abbatia B. Mariæ de Podio-Rotundo, monachorum ordinis S. Benedicti diœceſis Arelatenſis an. 1102. Boſcodunenſi ſubjicitur ab Imberto Arelatenſi archiepiſcopo, ea ratione ut ibi inſtituantur abbas, & 12. monachi. Stephanus huic monaſterio præerat an. 1119. quo vendidit Ugoni Boardi archiepiſcopo Arelatenſi tertiam partem taſcharum & fructuum Campi-bremundi in territorio de Moreriis: ex chartul. domini archiepiſcopi Arelatenſis. Guillelmus an. 1129. VIII. cal. Maii paciſcitur cum domino Hugone archiepiſcopo Arelatenſi ſuper adquirendis in territorio de Moreriis: ex eodem chartulario. *VII. B. M. de Podio-Rotundo.*

Guido anno item 1129. quo pepigit cum eodem archiepiſcopo ſuper dominio hominum de Caſtellione, ex chartul. domini archiepiſcopi, in quo etiam habentur litteræ Michaëlis archiepiſcopi Arelatenſis, quibus cedit Jordano abbati de Chalaiſio, & Guillelmo abbati de Boſcoduno eccleſiam beatæ Mariæ de Podio-Rotundo, ut in ea conſtituatur abbatia, ubi abbas & duodecim monachi Deo ſerviant: datæ ſunt anno 1105. teſtibus Silvio abbate Liberævallis, &c.

De abbatiis veteribus, quæ huc uſque ſtant & florent nunc dicendum eſt, quæ ſunt Montis-majoris, & ſancti Cæſarii; quibus addemus nonnullas, quæ nunc quidem per ſe non exſtant, ſed cum aliis coaluerunt: Ulmetum ſcilicet ſeu Silvam-regalem & Molegeſium, or-

[a] Si nonnullis fides ſcriptoribus adhibeatur, illa ipſa eſt abbatia ſancti Geneſii, quam ceſſit ſancto Mauricio Viennenſi Carolus Francorum rex dato diplomate Arelate nonis Julii anno Caroli regis XV. hoc eſt anno incarnat. Dominicæ 855. quod leges in hiſto ia Provinciæ omini Bouche lib. V. fol. 737. conſule & pontificium Arelatenſe fol. 193.

dinis Ciſterc. Iis ſubjungemus, quæ nobis occurrerunt de quadam abbatia S. Claræ.

Abbatia Montis-majoris ord. S. B.

Montis-majoris monaſterium originem ſuam non debet S. Trophimo primo Arelatenſium epiſcopo, ut quidam ſomniant; neque a S. Hilario ejuſdem ſedis antiſtite conditum eſt, ut placet nonnullis, qui volunt illud poſtea fuiſſe reſtauratum a Childeberto Clodovei magni filio, denuoque a Carolo magno excitatum, cum in Sarracenorum procella deſtructum fuiſſet: ſed qui monaſterii vetera exploravit, inſpexitque diligenter inſtrumenta Cantelovius noſter, ex quibus accuratam cœnobii hujus hiſtoriam ſcripſit, ejus fundationem decimo ſeculo non putat antiquiorem. Hoc enim ſeculo fere medio, anno ſcilicet circiter 948. Teucinda nobilis matrona comparavit Montem-majorem ab Arelatenſi eccleſia, quadam facta commutatione; quem ceſſit nonnullis eremitis, qui eo ſeceſſerant, circa ſpeluncam quandam ſeu cellam, in qua ferunt S. Trophimum quieſcere ac feriari a laboribus apoſtolicis fuiſſe ſolitum. Locus hic milliario & ſemis ab urbe Arelate diſtans, Mons-major dicitur, quod longitudine & amplitudine ceteros ſuperet montes, ex inſula ſeu paludoſa planitie emergentes. Chartam commutationis inter inſtrumenta edidimus, ex ſchedis Peireskianis. Commutatione facta Teucinda Montem-majorem tradidit Mauringo qui jam ut abbas præerat monachis in loco illo congregatis, *& B. Mariæ Dei genitrici, & ſancto Petro apoſtolorum principi, quorum memoria in prædicta inſula venerantur & colitur. Actum Arelate civitate publice anno ab incarnatione Domini* DCCCCLXXIV. XIII. *cal. Septembris; anno* XXXVIII. *regnante Conrado rege.* Quæ charta potius confirmationem primariæ donationis continet, quam ipſam donationem. In expoſtulatione monachorum anno 996. facta Gregorio V. legitur monaſterium hoc labore & induſtria almi patris Mauringi, & devotion: cujuſdam Teucindæ Deo devotæ ædificatum.

Charta XXXIII p. 103. col. 2.

Multa poſtea prædia contulit monaſterio Berta comitiſſa, quæ nupſerat Raimundo poſt an. 947. mortuo jam Hugone rege Italiæ, quem Berta ſuum appellat avunculum. Donationis fragmentum exhibet Mabill. ad an. 960. n. 33. facta legitur IV. cal. Martii, regnante Lothario rege Francorum an. 6.

Cantelovius noſter in hiſtoria MS. hujus monaſterii plurimas collegit chartas donationum ipſi factarum a comitibus Provinciæ; ex his autem bene multas inſeruit V. C. Ludovicus Ant. de Ruffi diſſertationi, quam nuper edidit de Provinciæ comitibus.

Abbatum series.

I. Mauringus primus abbas & author novi cœnobii in Monte-majori conſtructi dicendus eſt, ut patet ex ſuperioribus; cui jam anno 963. menſe Decembri, privilegium apoſtolicum Leo VIII. impertitus eſt. Prius legebatur an. 964. ſed probat Mabil. ad an. 963. n. 71. indictionem VII. huic affixam inſtrumento, quæ incipiebat menſe Septembri, pertinere ad an. 963. quod clare confirmat Conradi regis Provinciæ diploma datum paulo poſt, ubi Leonini privilegii fit mentio, & ſubditur: *Data* VII. *idus Decembris, indict.* VII. *anno incarnationis Domini* DCCCCLXIII. *an.* XXVII. *Conradi regis.* Privilegium ſancti Leonis edidit Baluſius tom. IV. Miſcellan. p. 428. ex cod. 2668. bibliothecæ Colbert. Præceptum autem Conradi regis noſtris adjecimus inſtrumentis. Præfuit autem ad 976. quo ejuſdem rogatu Manaſſes Arelat. archiepiſcopus Deo & S. Petro Romanæ ſedis, eccleſiam ſancti Petri ſitam in loco Montis-majoris cum tota inſula ſibi adjacente conceſſit, hoc eſt confirmavit; cujus litteras ea de re damus. Anno ſequenti migravit ad Dominum, cujus tranſlationis dies e veteri in novam baſilicam annotatur in necrol. ad XV. cal. Martii.

C. XXXIV p. 103. col. 2.

C. XXXV. p. 104. col. 1.

II. Pontius ſive Pontio e præpoſito monaſterii abbas inſtituitur 977. quo anno III. nonas Decembris unam *peciam* de vinea culta dono accepit a Mercorino, & ipſius conjuge Anſetrude. Ejuſdem abbatis nomen occurrit in charta donationis a Gentio quodam ejuſque uxore Ayburga factæ. Obiit cal. Januarii, ex necrol.

III. Paulus anno circiter 990. defunctus XIII. cal. Februarii, ſepultus eſt in clauſtro, libro obituum teſte.

IV. Monachus anonymus ſancti Ægidii intruſus 997. 998. quem ægre ferentes monachi Montis-majoris, Riculfum jam epiſcopum Forojulienſem expetierunt in abbatem a Gregorio papa V. qui juſtæ piæque petitioni libenter an-

[illegible]

V. Riculfus nobilis Arelas & Teucindæ Deo devotæ cœnobii Montis-majoris fundatricis aut reſtauratricis nepos, ſub abbate Mauringo monachus factus tamum profecit, ut cathedra dignus videretur, & electus ſit Forojulienſis eccleſiæ epiſcopus, cui jam præerat anno 38. regis Conradi, XIII. cal. Septembris, ut patet ex charta Teucindæ præfatæ donantis inſulam Montis-majoris; rogantibus autem monachis & annuente Gregorio papa V. cœnobium cum epiſcopatu regendum ſuſcepit, ad paucos annos, ſed multum profuit; exſtinctus eſt calend. Martii, an. 999.

VI. Archinricus, e gremio Montis-majoris abbas, cui Amalricus Aquenſis archiepiſcopus, comitiſſa Adalais, & filius ejus Willelmus laudaverunt eccleſiam & villam ſancti Petri de Pertuſo, [a] litteris datis anno milleſimo, VII. cal. Octobr. indict. XIV. ſubſcripſit an. 1005. donationi Pontii epiſcopi Maſſilienſis factæ monaſterio S. Victoris; ex tabulis Victorinis. Præfuit ſaltem ad annum 1009. quo Sergius papa IV. qui privilegium [b] eidem indulſit, univerſa-

C. XXXVI p. 104. col. 1.

[a] Jam præceſſerat ejuſdem villæ donatio facta menſe Junio, regnante Conrado rege anno XLII. Quod inſtrumentum ſcripſit Archinricus monachus & levita, idem de quo nunc loquimur, ſed nondum abbas.

[b] Hoc qualecumque privilegium damus in inſtrumentis, quia jam editum eſt in Gallia Chriſtiana quadripartita. In exemplo hujus privilegii ad me miſſo a V. C. Dom. de Mazaugues lego in fine: Datum &c. an. Incarn. Dom. DCCCCXX. indict. 14. III. cal. Junii. Sed hoc anno Sergius papa non ſedebat.

lis ecclesiæ clavum cœpit obtinere. Postea vero dimisso regimine, in Carilocense monasterium Monti-majori subjectum secessit. Adhuc in vivis erat anno 1010. quo electioni Isarni in abbatem Massilienſem interfuit, ut leges in actis D. Isarni, in queis Archinricus quondam abbas Montis-majoris, vir altioris ingenii appellatur.

VII. Rambertus, a quo an. 1016. (inquit MS. codex) fuit inchoata basilica in honore sanctæ Mariæ matris Domini seu omnium sanctorum, feria IV. regnante Roberto rege, & in tertio anno fundationis hujus basilicæ, obiit Guillelmus inclytus comes Adalaidis filius, & honorifice sepultus est in fundamento hujus ecclesiæ, quæ diversa est ab ecclesia sanctæ Crucis, quam expetente viro illustris vitæ nomine Ramberto, cœnobii Montis-majoris post primum abbatem septimo, dedicavit Pontius Arelat. archiepiscopus; hanc enim distinguit ab ecclesia sanctæ Mariæ, *quæ*, inquit, *ibidem noviter construitur.* Charta vero [a] hujus dedicationis exstat in spicil. tom. VI. pag. 417. Circa hæc tempora Franco Pontii archiepiscopi Arelatensis pater in Montis-majoris cœnobio sepultus est, cui testamento suo bene multa legavit. Anno 1030. ecclesia S. Petri de Lumana in comitatu Sistarico, donatus est a Leufredo & Heldegetio, atque haud multo post obiit Rambertus IV. cal. Aprilis ex necrol. Jacet in claustro.

VIII. Yosmarus seu Josmarus anno 1032. mense Martio quatuor ecclesiis donatur a Pandulfo & uxore ipsius Laviarda.

IX. Benedictus 1036. & 1040. quo Bertranni comitis, ejusque fratris Joffredi dona amplissima excepit, tam in villa Pertuso, quam apud Manuascam, seu Podium Bosonis, in pago Sigesterico, atque a Raimbaldo Arelatensi præsule ecclesia S. Genesii cum adjacentiis donatus est. Decessit IV. cal. Decembris. Sic enim habet necrologium: *Depositio domini Benedicti abbatis & domini R. abbatis qui in sarcophago jacent.* Artaldus Gratianopolitanus episcopus, ei confirmans donationem quamdam a suo avo factam, eum appellat virum religiosum & honestum.

X. Eldebertus circa an. 1042. varie exagitatus est a Raimbaldo Arelatensi præsule. Quem cum animi fortitudine ac morum probitate vincere debuisset Edelbertus, audacia reprimendum putavit; fitque sic monastici canonis prævaricator, dum infamiæ propriæ notam pluſquam monasterii dispendium veritus, externorum principum vires prædiis Deo consecratis redimit, quas tantum a summo Deo abjectione propria exorandas religiosæ vitæ ratio exigebat. Contigit hoc anno 1051. maxime ob paludes monasterio vicinas, quas Lambertus, Raimbaldi avus, ipsi contulerat. Dejectus est ex præfectura anno 1053. XIV. cal. Julii; abbas Eldebertus qui jacet in claustro.

XI. Rolandus seu Rolannus exauctorato Eldeberto, suffectus est a Raimbaldo Arelatensi præsule anno 1054. indict. VII. Anno 1059. indict. XIII. XV. cal. Martii Gotfredus Arelatensis comes ei donationem fecit, Stephania comitissa anno 1063. & 1068. Rostagnus episcopus Avenionensis. Anno 1061. apostolicæ protectionis litteras a Nicolao II. obtinuit. An. 1067. ordinationis suæ nono, inquit Mabillonius, a morte nimirum decessoris, non a deturbatione recensitis annis, Raimbaldum archiepiscopum placavit ob paludes monasterio circumjacentes infestum, earumque limites figendos curavit. Denique memoratur in chartis ann. 1071. & 1072. Obiit pridie cal. Maii: jacet in claustro. Is est Rotlandus abbas Montis-majoris cui Joffredus comes (scilicet Provinciæ Arelatensis) pro redemtione animæ suæ & fratris sui Bertrandi, reddit villam & territorium Pertusi, quæ injuste detinuerat, prout avus ejus Willelmus (scilicet II.) dederat. *Bouche p. 64. tom. 2.*

XII. Bermundus abbas Montis-majoris, multis flagitiis infamis describitur in epistola Arelatensis comitis ad Gregorium septimum quæ in codice * MS. bibliothecæ Vallis-cellariæ legitur post epist. 26. lib. IX. Eam vero referendam hoc loco judicavimus: *Summo pontifici & universali P. P. Gregorio, Arelatensis comes B.* * *prosperari in omnibus & æterna perfrui beatitudinis munere, cum cæli civibus. Sublimissime domine, & princeps totius orbis terræ, si bene vales, congratulor valde: si autem, quod absit, aliter, conturbor vehementissime. Ego enim sum vester servus, & de injustitia quam hactenus passus estis ab iniquo judice, ita sum afflictus, quasi corpore & mente flagellis maximis verberatus. Mando tibi quomodo Bermundus abbas sancti P. & P. Montis-majoris abbatia expulsus sit juste, & qualiter iste susceperit, quem tibi mitto Guillelmus nomine; ille namque tanti erat flagitii & tanta impudicitia, quod pudet me alicui honesto viro dicere. Sed unum ex pluribus nequeo tacere; sodomitica quippe libido ultra modum in eum regnabat, & inde ab ullo vivente corripi non poterat. Ego quoque & monachi supradicti loci detestabilem hujusmodi rem agnoscentes, nequivimus diu pati, sed consilio invicem habito, adivimus archipræsulem Lugdunensis urbis, qui ei benedictionem tribuerat abbatis, & ejus consilio atque judicio abbatiam quam archiepiscopo Arelatensi,* [a] *Alcidn.* * *a te anathemate percusso simoniace acceperat, amisit. Et sic qui nunc præest paulo** *memorati* [b] *anno decreto regulariter surrogatus est ei, atque benedictionem ab eodem suscepit. Nunc ergo supplex imploro tui clementiam, ut propria manu abbatiam a te suscipiat, & privilegia olim loco illi, qui est tuæ ditionis a patribus indulta, corrobores manu propria, & novum sibi privilegium tui ex parte attribuas. Nostis enim quemadmodum derelinquerim Dei & sanctorum Petri & Pauli, ac tui pro amore omnes episcopatus & abbatias; & nolo ut hæc qua semper mansit libera cuilibet viventi, nisi S. P. & P. ecclesiæ, & tibi subjaceat. Valete.* Gregorius vero anno 1079. scripserat ad episcopos, principes &c. præceperatque, ut qui hujus monasterii bona invasissent, ea restituerent, sub excommunicationis pœna. Data est epistola pridie cal. Aprilis indict. 2. Epistola sic incipit: *Notum* * *Bermundi.* *lib. VI. ep. 31.*

[a] In hoc instrumento memorantur inter Ramberti prædecessores Mauringus & Riculfus, qui proinde male postpositus fuerat Ramberto in prioribus indicibus.

Notum vobis omnibus esse putamus, quod monasterium sancti Petri situm in loco, qui Mons-major dicitur, sanctæ Romanæ ecclesiæ speciali quodam jure subjectum est, & apostolicæ sedis privilegiis ex tempore longo munitum.

XIII. Guillelmus I. anno circiter 1080. Bermundo depoſito ſubrogatur, qua de re conſule epiſtolam comitis Arelatenſis ad Gregorium VII. mox relatam. Occaſione vero turbarum, hoc in monaſterio tempore Bermundi excitatarum, Gregorius Richardo cardinali S. Victoris Maſſilienſis abbati, Montis-majoris reformationem demandavit, quod eſſet de jure ſanctæ ſedis, & ad ipſius defenſionem pertineret. Ait autem ſe intellexiſſe monaſterium hoc jamdudum ſecularium monachorum culpa, a religionis tramite deviaſſe; additque: *ſcitis decentius atque convenientius esse destructa restruere, & ad gradum suum collapsa reducere, quam in dilatandis vel noviter ædificandis operam dare*, &c. In codice Montis-majoris legimus: *Datum Romæ* XIV. *cal. Maii, pontificatus nostri an.* VIII. hoc eſt Chriſti 1080. Anno 1096. indict. IV. III. cal. Auguſti Urbanus II. Guillelmo confirmavit monaſterium ſancti Martini de Alamonte in diœceſi Vapincenſi. Hunc ipſum apoſtolico privilegio dignatus eſt Paſchalis II. V. cal. Martii, indict. X. pontificatus anno 3. Domini incarn. 1102. Memoratur an. 1106. in privilegio Gibelini Arelatenſis antiſtitis, ei confirmantis eccleſias S. Romani & B. Mariæ, retento tantum cenſuali uſu ſeptem ſolidorum Egidienſium denariorum; ex originali Montis-majoris. Eo denique ſedente initium habuit monaſterium S. Antonii Viennenſis, quod diu Montis-majoris membrum exſtitit. Obiit VI. nonas Martii, ſepultus ante fores eccleſiæ.

XIV. Petrus I. cui bullam protectionis Paſchalis papa II. indulget VI. cal. Novemb. indict. VIII. pontificatus anno 16. hoc eſt 1114. Paciſcitur cum Fulcone Aquenſi archiepiſcopo pro decimis & oblationibus eccleſiæ de Rellania an. 1118. quo etiam a Gelaſio papa II. privilegium apoſtolicum obtinuit. Anno 1123. V. idus Aprilis, Calixtus papa ei confirmavit abbatiam D. Apellis juxta mare in comitatu Vigintimillienſi: cui pariter Innocentius II. bulla II. nonas Decembris an. 1130. apud Clarum-montem conceſſa decrevit poſſidendam eccleſiam ſanctæ Mariæ de Roca-bruna, de qua cum Garino abbate Lirinenſi litigabat. Ceſſit e vita VIII. calendas Januarii, in clauſtro ante fores eccleſiæ humatus.

XV. Pontius II. an. 1135. breve apoſtolicum ab Innocentio II. conſequitur; recenſetur in chartis an. 1136. 1140. 1143. in earum poſtrema Franco frater ejus & Arnoldus nepos teſtes leguntur. An. 1149. eccleſiam S. Petri Belli-montis cum omnibus pertinentiis ſuis conceſſit Johanni abbati Floregiæ, iterumque Pontio abbati Floregiæ an. 1157. An. 1152. diploma pontificium ei direxit Eugenius papa III. quo cœnobio conceſſa enumerantur & confirmantur.

XVI. Petrus II. tamen legitur a Petro de Sabrano epiſcopo Siſtaricenſi accepiſſe eccleſiam de Gaianis, eidemque viciſſim tradidiſſe eccleſias A de Semproniaco, & quidquid juris habebat in ejuſdem villæ territorio, anno 1154. Fortaſſe Pontius circa hunc annum reſignaverat, retento nomine abbatis.

XVII. Girinus, anno 1167. menſe Januario.

XVIII. Johannes an. 1177. pactum iniit cum Raimbaudo Arelatenſi præſule. An. 1180. memoratur in tab. Francarum-vallium, ob donum decimarum in honore loci de Fornelz, & in territorio ſanctæ Mariæ de Mari factum huic monaſterio. Deceſſit autem cal. Maii, jacetque in clauſtro.

XIX. Guillelmus II., cui Lucius papa III. B bullam indulſit an. 1184. quo etiam an. præſens fuit, quando Odo epiſcopus Valentinenſis facellum de Cruſſol Caſæ-Dei dedit, cujus in charta authentica vocatur Fulcherius Willelmus. *Ex ſub. Caſa-Dei.*

XX. Algo an. 1187. ex tabulis Francarum-vallium, quibus confirmavit donum a Johanne abbate huic monaſterio factum.

XXI. Fulco de Cabanis annis 1189. 1193. 1198. 1200. & 1203. Anno 1194. diploma Cæleſtini papæ III. conſequitur adverſus quemdam e ſuis monachis Pontium nomine, qui certas ſibi monaſterii poſſeſſiones nequiter vindicabat. Hugo de Baucio Raimundi Berengarii comitis Provinciæ bajulus, diremit in- C ter hunc abbatem, & Guill. Cabacium de Trincatallis, litem motam pro captura ſturionis * in fluvio Rhodano, quem uterque ſibi vindicabat, ut notatur in tabulario Montis-majoris. ** Esturgeon. Ann. Anl.*

XXII. Guillelmus III. de Bonilis ex priore ſancti Antonii electus Montis-majoris, anno VII. pontificatus Innocentii papæ III. in menſe Octobris ad ſedem apoſtolicam una cum Petro rege Arragonum, Arelatenſi archiepiſcopo, & præpoſito profectus, inaugurationem & D benedictionem accepit a pontifice ſine controverſia an. 1204. ubi & privilegia ab Eugenio III. & Lucio itidem III. ſuo monaſterio conceſſa, renovanda curavit. Anno 1205. menſe Julio viſitationis cauſa ad ſuum advocavit monaſterium Radulfum de Caſtro-novo monachum Fontis-frigidi, & legatum ſedis apoſtolicæ. Altercatus eſt cum Falcone domus eleemoſynariæ ſancti Antonii Viennenſis præpoſito, pro ædificatione oratorii in caſtro de Mota, cui intercedebat Willelmus. Sed controverſiam compoſuit Humbertus Viennenſis archiepiſcopus, judex electus a partibus, & oratorium ædificari conſenſit abbas, certis tamen conditionibus, quæ jus Montis- E majoris conſervabant. Vide in abbatibus ſancti Antonii chartam ipſam Humberti datam anno 1208. An. 1210. diploma tutelare obtinuit ab Ottone IV. adverſus Guillelmum de Sabrano pro Forcalquerii comite ſe gerentem. An. 1212. VII. idus Aprilis, ipſi dominium caſtri de Beduino reſtituendum eſt a Raimundo duce Narbonæ, comite Toloſæ & marchione Provinciæ. Huic etiam Willelmus Forcalquerienſis comes filius comitiſſæ Adalaidis villam Pertuſi cum toto ejuſdem villæ territorio recognovit, quia, ut ait, audivit ab antiquioribus comitatus ſui hominibus Willelmum quondam comitem For-

calquerienſem hoc recognoviſſe. An. circiter 1219. monaſterio Corredi ceſſit eccleſiam de Cezols cum appenditiis. An. 1221. eccleſiam S. Marcellini Apt. diœceſis accepit ab A. Arelat. archidiacono. An. 1226. Caſtelletum, conceſſit, ſuppoſuitque Draconeto de Bocairano vicario Arelat. præſentibus Rotlando abbate Inſulæ, &c. Anno 1229. indict. 2. IV. nonas Februarii, abbatem S. Ampelii in Vigintimillienſi comitatu juxta mare inſtituit Willelmum Safrani. Memoratur & anno 1231. quo Raimbaudus de Agouto filius Guiranni de Simiana, & Poncia de Agouto uxor ejus, ipſi dederunt omne jus quod habebant in caſtro & villa de Graveſons XVI. cal. Novemb. Item anno 1233.

XXIII. Guido an. 1234. ex privilegio Gregorii papæ IX. & ex hominio quod illi Raimundus Elyſiarius præſtitit pro villa de Graviſone, XIX. cal. Septembris. Bertrandus Raimbaudus de Inſula anno 1235. IV. nonas Junii ei ſe in monachum tradidiſſe confeſſus eſt. Anno 1237. XI. cal. Martii a Guiraudo filio quondam dominæ Bertrandæ uxoris quondam Guillelmi de Sabrano, accepit totum jus quod illi competebat in villa & caſtro de Graviſone, cui viciſſim Guido rependit ducentos ſolidos Raimundenſes novos. Præfuit vero ad an. ſaltem 1238. quo memoratur idibus Nov. Jacet in clauſtro, defunctus XVI. cal. Martii.

XXIV. Raimundus I. de Bulbo abbas Montis-maj. & dominus Guillelmus comes Forcalquerii, probantibus eius filiis Giraudo & Gaucherio, arbitrum querelæ ſuæ de villa & caſtro Pertuſi elegerunt dominum Johannem Arelaenſem præſulem, præſentibus Berengario Provinciæ comite & Fulcone II. de Cailla Regenſi electo, pridie cal. Jan. anno 1240. Imbertus de Aurono ipſi recognovit baſtidam de Penna an. 1246. An. 1247. pridie idus Oct. ſacramentum clientelare accepit ab univerſitate Graviſonis. An. 1249. pridie idus Septembris Raimundus Montis-majoris abbas, ſimulque ſancti Antonii prior cum conventu ſuo, auctore Viennenſi archiepiſcopo, facultatem dedit domno & fratribus domus eleemoſynariæ ſancti Antonii Viennenſis, parvulos infirmos hoſpitalis, & extraneos, qui ibi ſepulturam elegiſſent, in cœmeterio ſuo deinceps ſepeliendi, niſi illos in villa ſancti Antonii extra domum dictorum fratrum decedere contingeret. Datum die & anno præfatis. An. 1250. V. idus Januarii plura conceſſit monaſterio S. Michaëlis de Frigoleto, & Bernardo epiſcopo priori ejuſdem loci. Anno 1251. XIV. cal. Julii, juravit ei fidelitatem Guillelmus filius quondam Guillelmi de Sabrano Forcalquerienſis comitis, pro his quæ tenebat in feudum in villa Pertuſi & territorio ejus. Obiit hoc anno, aut ineunte ſequenti, ſi quidem *abbas quondam* dicitur in charta judicii arbitralis inter Guillelmum filium quondam Guillelmi de Sabrano Forcalquerienſis comitis & abbatem Montis-majoris anno 1252. XVI. calendas Julii.

XXV. Raimundus II. d'Aſois, cui anno 1252. XVIII. calend. Maii Matilda uxor quondam Atanulfi de Rellania homagium fecit pro caſtro de Sanſono, &c. apud Pertuſum. Anno 1254. XIV. cal. Februarii, obtinuit ab Innocentio IV. facultatem abſolvendi ab excommunicatione quoſdam e ſuis monachis, nec non diſpenſationem ab obſervatione ſtatutorum Gregorii IX. pro reformatione monaſterii. Anno 1257. VIII. idus Julii Carolo filio regis Franciæ Andegavi, Provinciæ & Forcalquerii comiti fidem juravit pro Pertuſo, Graviſone & Caſtelleto. Anno denique 1259. pontificatus Alexandri IV. quinto III. nonas Aprilis ab eodem pontifice diploma impetravit.

XXVI. Guillelmus IV. de Ronnis in abbatem Montis-majoris electus, & Ermeſſendis S. Cæſarii Arelatenſis abbatiſſa, compromiſerunt in Johannem Gavarronem &c. de honoribus & territoriis de Cordoa, de Inſula, Caſtelleto, &c. II. idus Novembris 1259. de quibus judicium prolatum eſt IV. nonas ejuſdem anni. An. 1260. cal. Septemb. procuratorem ſuum conſtituit Petrum de Turre Montis-majoris monachum, B. Mariæ de Aligno priorem, ubi dicitur etiamnum electus in abbatem. Vacabat autem ſedes anno 1°. pontificatus Clementis papæ IV. IX. calend. Aprilis, ex bulla ejuſdem præſulem Arelat. redarguentis, quod a monaſterio Montis-majoris procurationes exigeret. Hæc quippe ait: *Nos enim attendimus ipſi monaſterio, quod vacat ad preſens, providere celeriter de paſtore*; data eſt Peruſii die & anno præfatis.

XXVII. Bernardus de Monte-mirato monachus Anianæ anno circiter 1266. abbas eligitur, & rector prioratus ſancti Antonii. Anno 1271. ſtatuta quædam pro bono cœnobii ſui regimine condidit. Anno 1274. arbiter exſtitit inter Bertrandum epiſcopum Toloſanum & B. abbatem Moyſſiaci, ratione monaſterii Leſatenſis. An. 1284. decima die Julii indict. XII. eccleſiam S. Mariæ de Saladailli, ſitam in parochia eccleſiæ ſancti Petri de Pertuſo, contulit Bernardo de Monte-mirato clerico. An. ſeq. II. nonas Junii ſacramentum clientelare pro parte villæ Peliſſanæ accepit a Raimundo de Aurono. Bernardum perveniſſe ad annum 1286. perſuadet quod legimus, Raimundum Regis hoc anno fuiſſe electum abbatem ſancti Ægidii, Bernardo abb. Montis-majoris præſente. Hic abbas paulo poſt ad inſulas Tripolitanas in maritima Africæ ora evectus eſt.

XXVIII. Stephanus de Monte-areno, monachus primum ſancti Ægidii Vallis-Flavianæ, tum monachus & camerarius Montis-majoris, an. 1287. IV. idus Martii, Pertuſi adiit poſſeſſionem. Anno ſequenti 1288. primo ſui regiminis VIII. idus Novembris in capitulo generali ſtatuta undecim confecit, maxime ad bonum ſpirituale ſpectantia. Eodem anno X. cal. Dec. profeſſionem clientelarem incolarum Graviſonis excepit, & ab Hugone de ſancto Amantio pro parte caſtri de Cornilione IV. nonas Febr. ejuſdem anni; quo etiam a Nicolao IV. ſummo pontifice facultatem benedicendi populum in eccleſiis ſibi ſubjectis obtinuit. Bertrandus Nemauſenſis epiſcopus an. 1289. XVII. calend. Junii, præhabito cum D. Viennenſi archiepiſco-

po, & Guillelmo Taurinenſi epiſcopo &c. conſilio definivit tanquam arbiter querelam inter Stephanum abbatem Montis-majoris, & priores S. Antonii Viennenſis diœceſis ex una parte: & domnos hoſpitalis ſeu domus eleemoſynariæ ejuſdem loci, eorumque monachos & fratres ex altera, ſcilicet ratione promiſſionum, votorum & legatorum. Monaſterium autem Montis-majoris & hoſpitale præfatum connexuit & univit, ea lege ut neutrum alteri ſubjiceretur, ſed utraque pars in ſuo nomine & honore remaneret; ita ut Stephano Montis-majoris abbate, vel Aymone domno prædicti hoſpitalis domno decedente, alteruter ſuperſtes, abſque nova electione, utraque dignitate ſcilicet abbatis & domni frueretur, & domnus abbas Montis-majoris, & hoſpitalis ſancti Antonii diceretur, haberetque abbatiam & hoſpitale cum eorum omnibus juribus & pertinentiis, quod de ſucceſſoribus in monaſterio & hoſpitali præfatis alternatim eligendis vult etiam intelligi. Item ut abbas & monachi Montis-majoris, ac domnus & fratres hoſpitalis regulam ſancti Auguſtini ſimul obſervent, & in dicendis officiis morem eccleſiæ ſervent Romanæ; ut eorum habitus ſint ſcapulare cum caputio, cum chlamydibus ſeu cappis, in quibus ponendum erat ſignum *potentiæ* per fratres ſupradictos portari conſuetum. Actum apud hoſpitale S. Antonii Viennenſis diœceſis, die & anno quibus ſupra.

Stephanus de Monte-areno Montis-majoris abbas æger corpore, ſed in ſua bona & ſana memoria Viterbii exiſtens, elegit ſepulturam viſceribus ſuis, in eccleſia fratrum Minorum ejuſdem urbis, ſi in ea moreretur; volens ut oſſa ſua ad monaſterium ſancti Ægidii diœceſis Nemauſenſis deferrentur, & ibi terræ mandarentur; aſſignavitque centum libras de bonis ſuis mobilibus, ad faciendas exſequias ſuas in utraque eccleſia. Ordinavit unum anniverſarium annis ſingulis fieri in prædicto S. Ægidii monaſterio, uſque ad quantitatem 50. ſolidorum Turonenſium parvorum, & alterum in monaſterio ſuo uſque ad quantitatem 30. ſolidorum, voluitque ſolvi de bonis ſuis mobilibus &c. Actum Viterbii 5. Jan. 1297. indict. XI. Obiit Stephanus die ſequenti, ſic enim habet tabula funeraria: VIII. *idus Januarii depoſitio domni Stephani abbatis, qui jacet in clauſtro.* Obiit 1298. ex actis Pontificii Avenion. & ſchedis Henrici Suarez, qui annus convenit cum epacta XI.

XXIX. Bertrandus *de Maloſanguine*, Malſangui, 1298. 19. Octob. prioratum de Sayols contulit tanquam abbas Montis-majoris, & prior eccleſiæ de Corredis. Eodem anno XIII. calendas Aprilis, Raimundus de Aurono, ipſi recognovit quidquid in villa de Peliſſana tenebat. Anno ſequenti indictione XIII. 16. Octobris Carolo regi Jeruſalem & Siciliæ juramentum fidelitatis præſtitit pro Pertuſo, Graviſone & Caſtelleto. An. 1304. diebus 4. & 5. April. hominii fidem excepit ab hominibus de Graviſone. Eodem anno 17. Januarii ſolemnem ingreſſum fecit in villam Pertuſum. An. 1309. 26. Jan. Jacobum Malſang monachum ſuum prioratu de Corredis donavit. An. 1315. 14. Octobris mutuam ipſius & monachorum querimoniam conſopivit Guillelmus epiſcopus Prænestinus, præſente Bernardo abbate ſancti Guillelmi de Deſertis Lodovenſis diœceſis. Eodem an. XI. Octob. Petrum de Turre Montis-majoris priorem clauſtralem, procuratorem ſuum conſtituit, committendo ei vices ſuas ad tractandam unionem monaſterii de Lura Siſtaricenſis diœceſis, cum ipſo Montis-majoris monaſterio: quam videlicet abbas & fratres prædicti monaſterii affectabant, ſub ipſo Montis-majoris habitu Deo famulari, & huic abbati ſe ſuaque ſubjicere cupientes. Anno 1316. 20. Maii ipſius controverſia adverſus Guillelmum de Baucio dominum Berræ, ſuper limitibus territoriorum caſtrorum de Miro-mari & de Iſtris, per arbitros compoſita eſt. Fato functus eſt XVII. cal. Septemb. ejuſdem anni: quieſcit in ſacello ſanctæ Mariæ-Albæ ad latus eccleſiæ ſeptentrionale una cum fratre milite ſub cenotaphiis lapideis & affabre factis; ejus tamen meminit necrol. VII. calendas Decembris.

XXX. Iſnardus *al.* Bernardus de Ponteves e nobiliſſimo Provinciæ ſtemmate oriundus, ex archimandrita Caſinenſi, abbas Montis-maj. renuntiatus eſt ad paucos menſes gubernaturus, cum Bertrandum deceſſorem ſecutus ſit anno 1317. Monachus primum exſtiterat apud S. Victorem Maſſil.

XXXI. Guillelmus de Cadolla, in inſtrumento anni 1318. 9. die Aprilis, quo dimittunt monachi Montis-majoris quidquid juris habebant in loco Graviſonis ejuſque territorio, dicitur ex camerario hujus monaſterii hoc ipſo anno a Joh. papa XXII. Iſnardo abbati ſuffectus. An. 1319. XVI. cal. Maii Galhardus Arelat. archiepiſcopus cum in monaſterio Montis-majoris a Guillelmo abbate ad menſam exceptus fuiſſet, litteris datis teſtatus eſt huc ſe non veniſſe correctionis aut viſitationis gratia. An. 1320. 2. Junii, fecit pariagium Graviſonis cum Raimundo Gantelmi milite, ſive laudavit & confirmavit de conſenſu monachorum compoſitionem cum ipſo factam. An. 1323. 17. Junii Guillelmus abbas & Raimundus Gantelmi miles pro ſe & ſuis ſucceſſoribus recognoverunt Roberto Jeruſalem & Siciliæ regi, comiti Provinciæ, &c. ſe pro indiviſo habere & tenere a prædicto rege, & ſub ejus dominio caſtrum Graviſonis ſitum in vicaria Taraſconis. An. 1324. in feſto ſancti Michaëlis ambo præfati conſtituerunt Michaëlem de Agrenolo domicellum, bajulum de Graviſone in annum. Anno 1325. 19. Februarii inſtituit Andream de Crota pro parte *ducalis excellentiæ* ſuaque & monaſterii ſui judicem communem villæ Pertuſi ejuſque territorii.

XXXII. Raimundus III.* de Bulbone* ex monacho & camerario monaſterii, vacanti per obitum Guillelmi abbatiæ præficitur a Johanne XXII. XVIII. cal. Decembris pontificatus an. 13. a quo ut ad Romanam curiam Avenione ſedentem accedere, & ab ea recedere poſſet abſque ulla alia ſedis apoſtolicæ licentia, quoties ipſi videretur, obtinuit VIII. cal. Junii 1330.

* Bermundus II.
* Borbone.

Commiſſarius a Benedicto papa XII. ſpecialiter ad ordinis Benedictini reformationem deputatus una cum Gilberto de Cantabrio abbate Maſſil. ſtatuta condit pro monaſterio Montis-maj. 23. Nov. 1337. Quidam apud ipſum priores annis 1338. & 1339. ſe ſe excuſant, quod proximo generali capitulo præſentes intereſſe non poſſint. Anno 1340. 27. Martii generale capitulum celebravit. Præerat adhuc 1347. 27. Martii, quo anno mortem oppetiit XIII. * cal. Martii, ex actis pontificii Avenion. tumulatus in clauſtro.

* al. XII.

XXXIII. Petrus de Caniliaco 1348. 23. Jan. & 1349. 7. Martii, quo ſolemniter ingreſſus eſt Pertuſum. Epiſcopalem Magalonæ ſedem aſcendit an. 1353. deindeque Tomerienſem. Ejus tandem ultimæ voluntatis exſecutor exſtitit germanus ipſius Raimundus de Caniliaco epiſcopus Præneſtinus cardinalis an. 1367. quo an. Petrus teſtis fuerat homagii exhibiti a Beraldo dom. de Mercorio, die penultima Decembris Petro Gerardi epiſcopo Mimatenſi, Avenione: & hoc in inſtrumento minime dicitur epiſcopus.

XXXIV. Jaubertus * de Livrono Lemovicenſis, abbas S. Andreæ Avenion. beneficio litterarum Innocentii papæ VI. VIII. idus Julii anno pontificatus I. incarnati Verbi 1353. Petrum de Caniliaco excepit in præfectura. Recenſetur anno 1356. in charta P. Regenſis epiſcopi unientis officio camerariæ prioratum de Stablone. An. 1361. 13. Junii teſtamenti ſui codicillos conſcripſit in palatio apoſtolico Villænovæ prope Avenionem, qua ipſa die mortuus eſt, ex necrologio. Vide notas Baluz. ad vitas paparum Avenion. col. 927.

* al. Lamberti.

XXXV. Raterius menſibus aliquot Montis-majoris curam agit; ad annum ſcilicet IX. Innocentii VI. ex actis pontificii Aven.

XXXVI. Ludovicus de Bolena ex abbate ſancti Sylveſtri de Nonantula diœceſis Mutinenſis, abbas Montis-majoris, brevi apoſtolico Innoc. VI. dato VI. cal. Novemb. an. ejus pontif. nono, Chriſti 1361. poſſeſſionem adeptus eſt 21. Jan. anni ſeq. Obiit anno 1363. ex actis pontific. Avenion. jacet in clauſtro ante fores eccleſiæ.

XXXVII. Petrus de Banhaco Lemovicenſis patria, Cluniacenſis monachus, Urbani V. referendarius, calculis monachorum eligitur, atque bulla pontificia III. idus Octob. pontific. Urbani anno 1. Chriſti 1363. data confirmatur. Anno 1365. Caſtelleti locum cum ſuis juribus accepit a Johanna regina Jeruſalem & Siciliæ &c. ob varios labores in curia Romana pro ipſa exantlatos, litteris datis Neapoli 13. Julii. Inter cardinales allectus eſt ſub titulo preſbyteri S. Laurentii in Damaſo ab Urbano V. die 11. Septemb. an. 1368. ſed brevi tempore nova dignitate potitus, nam obiit Viterbii ex peſte an. 1369. ubi ſepultus eſt apud fratres Minores. Poſtea tamen corpus ejus revectum eſt in Galliam, & depoſitum apud Mortuum-mare in Lemovicibus, ſeu in Marchia Lemovicenſi. De eo vide in epiſcopis Caſtrenſibus.

Ex ſcript. vitæ Urbani V.

XXXVIII. Pontius de Ulmo, monachus Maſſil. prior de Yſpania (inquit MS. codex) Petro de Banhaco ad cardinalatum evecto, factus eſt abbas Montis-majoris V. cal. Octobris 1368. ab Urbano papa V. cujus fuerat vicarius in regimine monaſterii ſancti Victoris. Huic Raimundus de Aurono an. 1369. 28. Septemb. condaminam caſtri de Peliſſana recognovit. Ab ipſo præſentatum Elziarium Gaſqui preſbyterum ad vicariam perpetuam de Pertuſo admiſit Guiraudus Aquenſis archiepiſcopus 2. Aug. 1375. Pontius idem olim Montis-majoris, tunc vero S. Victoris Maſſil. abbas, adminiſtratorque in ſpiritualibus & temporalibus prædicti monaſterii Montis-majoris plurimas veſtes ſacras huic monaſterio contulit 14. April. 1382. Obiit paulo poſt VII. idus Aprilis, quo die necrol. Montis-majoris hæc habet: *Anniverſarium reverendi patris domni Pontii, qui turrim fecit ædificari.*

XXXIX. Petrum quemdam patria Lemovicenſem Montis-majoris abbatem per vicarium adminiſtraſſe, & officiales regiæ Arelatenſis curiæ juriſdictioni Caſtelleti inhiantes viriliter anno 1382. repreſſiſſe aiunt. Certe D. Claudius Eſtiennot Petrum ex abbate S. Bartholi renuntiatum abbatem Montis-majoris, at paucis menſibus ſediſſe refert.

XL. Clemens VII. antipapa, dictus antea Robertus de Gebennis, abbatiam regit tribus circiter annis.

XLI. Faiditus de Agrifolio cardinalis Avenion. adminiſtrator Montis-majoris ab anno 1385. ad 1391. Hic primus decimas latifundiorum monialium de Nazareth apud Aquas-Sextias in parochia Pertuſi ſitorum an. 1386. percepit. De quo necrol. ſic habet: III. *non. Octobris anniverſarium reverendi in Chriſto patris Faiditi cardinalis, qui dedit octo florenos cenſuales.*

XLII. Galeotus Tarlatus de Petra-mala, Aretinus Tuſcus S. R. E. cardinalis abbatiam adminiſtravit quinquennio, ab anno ſcilicet 1393. ex Caſſiano illuſtr. lib. II. fol. 670.

XLIII. Benedictus XIII. antipapa, ſeu Petrus de Luna hujus abbatiæ, necnon archiepiſcopatus Arelatenſis reditus cameræ ſuæ addixit 1398. in annos ſex, monachorum curam gerente fratre Johanne Hugoleno ſancti Geneſii de Martico ſeu de Juncaria priore. Johannes Hugolenus prior S. Geneſii, vicarius & gubernator monaſterii Montis-majoris, Benedicto papa illud ad manus ſuas tenente, XII. Maii anno pontificatus ipſius Benedicti decimo, Johan. Pollerium archidiaconum Vivarienſem arbitrum elegit in cauſa cum piſcatoribus Arelatenſibus; cujus ſententia, deferre ad ipſum monaſterium tenentur primum ſturionem quem capiunt. Idem Pollerius monaſterii Montis-majoris reformator a Benedicto antipapa conſtitutus, fecit inquiſitionem de ſtatu monaſterii 18. Junii 1404.

XLIII. Fulcaudo vel Fulconi de Rochechouard abbatiam hanc commendavit Benedictus papa ſub finem anni 1404.

Ludovicus II. rex Siciliæ, comes Provinciæ, Forcalquerii, &c. in fidem & defenſionem recepit fratrem Johannem Hugolenum Montis-

majoris monachum & vicarium generalem, prioremque ſancti Geneſii de Martico, necnon abbates in eodem monaſterio creandos, monaſterium ipſum, &c. Datum Taraſcone 10. Martii, indictione XIII. regnorum anno 21.

XLIV. Johannes Hugolenus* ab hujus monaſterii vicariatu ad abbatis dignitatem evectus eſt a Benedicto XIII. dato apud Niciam diplomate XVII. calend. April. anno pontificatus 12. Chriſti 1406. Recenſetur in actis concilii Piſani inter abbates qui miſerunt procuratores cum plena poteſtate ad illum cœtum anno 1409. Quædam edidit ſtatuta in capitulo generali 5. Maii 1411. Memoratur in chartis anno 1420. & 1426. 15. Martii, ubi dicitur Johannes Hugolenus de S. Remigio. Deceſſit 2. id. Septembris, anno ut videtur 1430. quo indictione VIII. 18. Novembris vacabat ſedes abbatialis; ex charta Johannis Vivarienſis epiſcopi. In clauſtro ſepultus eſt.

* Hugolenus.

XLV. B. Ludovicus Alamandi, tituli ſanctæ Cæciliæ preſbyter cardinalis, & Arelatenſis archiepiſcopus, factus eſt Montis-majoris adminiſtrator perpetuus ab Eugenio papa IV. an. 1431. Memoratur adhuc 1436. 25. Aprilis, cui poſtea ad vitam privatam amandato ab eodem papa, quod immoderatiori ſtudio pro Baſileenſi concilio ſtaret, ſuffectus eſt tum in archiepiſcopali, tum in abbatiali dignitate Johannes de Bellavalle Andegav. epiſcopus in annos fere 4. quibus potitus eſt quidem proventibus, ſed neque Arelatem neque Montem-majorem unquam inviſit, rerum ſpiritualium cura Roberto Tiberiadenſi epiſcopo commiſſa. Ludovicum Alamandi, pace eccleſiæ per ſchiſmatis exſtinctionem reddita, Nicolaus papa V. reſtituit in gradum priſtinum & in ſacerdotiorum poſſeſſionem, litteris datis IV. idus Octobris 1449. Ad meliorem vitam miraculis clarus migravit 16. Septembris 1450. in eccleſia ſua Arelatenſi honorifice tumulatus.

XLVI. Petrus de Fuxo cardinalis, adminiſtrator abbatiæ Montis-majoris 29. Ap. 1452. & 15. Julii 1454. in litteris Renati regis Jeruſalem & Siciliæ pro quadam inter ipſos commutatione. Ab eodem rege in tutelam cum ſuo monaſterio ſuſcipitur 28. Martii 1454. Obiit Avenione idibus Decembris 1464. ſepultus in eccleſia fratrum Minorum ejuſdem civitatis.

XLVII. Philippus de Levis Auxitanus archiepiſcopus, Arelatenſem archiepiſcopatum & Montis-majoris abbatiam vacantes per ceſſionem Petri de Fuxo obtinuit a Pio II. dato Romæ apud ſanctum Petrum diplomate III. idus Februarii 1462. cui unionem hoſpitalis pauperum orphanorum B. Mariæ Pontis-fracti, *alias* de Yvonio Avenione ſiti, cum Monte-majore ad majorem monachorum ejuſdem monaſterii Avenione litteris operam navantium commoditatem, fieri permiſit Sixtus IV. V. id. Septembris 1471. pontific. anno 1.

XLVIII. Euſtachius de Levis Arelatenſis archiepiſcopus vacantem per obitum Philippi germani ſui pridie nonas Novembris an. 1475. defuncti abbatiam Montis-majoris obtinuit a Sixto IV. anno 1476. cui tandem & rebus omnibus valedixit moriens die 22. Aprilis 1489.

XLIX. Nicolaus Cibo archiepiſcopus Coſentinus in Arelatenſem archiepiſcopum electus, abbatia Montis-majoris donatur ab Innocentio VIII. VIII. cal. Maii 1489. pontific. anno 5. Memoratur anno 1491. in charta collationis eccleſiæ de Miro-mari per ipſius vicarium.

L. Rodulphus Bonifacius decretorum doctor, ſancti Salvatoris Vicecomitis Conſtantienſis in Neuſtria diœceſis abbas, in paſtorem & ducem à monachis Montis-majoris, nullo diſcrepante eligitur 29. Octobris 1493. autumantibus videlicet vacare ſedem abbatialem per ceſſionem Nicolai, occaſione decreti quo Innocentius VIII. IV. nonas Junii anno 1490. pontific. ſui VI. ſuppreſſis titulo abbatiali & ipſo ordine ſancti Benedicti, Montem majorem cum prioratibus & membris ab eo pendentibus, in generalem præceptoriam, quæ a monaſterio ſancti Antonii Viennenſis diœceſis penderet, & aliarum generalium præceptoriarum naturam ſortiretur, erexerat, regulæque ſancti Auguſtini & abbati ſancti Antonii ſubjecerat.

Hanc vero unionem Alexander papa VI. Innocentii VIII. ſucceſſor reſcidit, pridie cal. Januarii an. 1495. Unde monachi Montis-majoris præfatum Rodulphum Bonifacii denuo in abbatem elegerunt 23. Februarii 1496. indict. XIV. Attamen non niſi abbas ſancti Salvatoris Vicecomitis dicitur in procuratione quam habuit una cum aliis monachis ad terminandas lites ſuas adverſus canonicos ſancti Antonii, anno 1500. vel 1501. 14. Octobris, indict. IV. Et quidem anno 1502. indict. V. IX. Martii prædicti procuratores concordiam fecerunt cum Theodoro de S. Anemundo* abbate ſancti Antonii Viennenſis, & octo ordinis hujus præceptoribus aut officialibus; ubi præfatus Rodulfus electus dicitur. Ab Alexandro papa VI. bullam accepit, qua confirmatus eſt; in cujus gratiam plures officiis clauſtralibus prioratus annexuit papa & univit, VII. id. Novembris 1502. pontificatus XI. Memoratur 1503. 10. Novemb. quo anno Georgius de Ambaſia Rotomagenſis archiepiſcopus, cardinalis, & ſedis apoſtolicæ legatus, ad reformanda monaſteria Provinciæ, Forcalquerii, civitatis Maſſiliæ, &c. commiſit, qui ſua vice hæc exſequerentur Graſſenſem & Dinienſem epiſcopos, abbatemque Vallis-ſanctæ. A Julio papa II. bullam protectionis impetravit, VIII. idus Februarii 1504. pontific. anno 2. Anno 1505. 2. Sept. confeſſus eſt ſe recepiſſe a nobilibus ſyndicis univerſitatis hominum de Pertuſo ſummam 478. florenorum, & ſex groſſorum currentium in diminutionem debiti. E vivis exceſſerat die 16. ejuſdem menſis & anni, quo curia parlamenti Provinciæ Aquis reſidens, informata juridice, abbatiam Montis-majoris abbate carere per obitum ultimi abbatis, mandavit Gaſpari de Pererio ut omnia bona temporalia & jura ejuſdem abbatiæ, quæ ſub regia tenebantur juriſdictione, ad manus regis caperet & annotaret nomine regio, &c. Datum Aquis die & anno quibus ſupra.

* S. Chimond.

LI. Claudius de Pictavia Delphinas 6. Maii 1506. Anno 1508. 7. Octobris ipſius procura-

tores transigunt cum Carmelitis Pertusi. An. 1513. indictione I. 3. Septembris, quoddam pascuum restituit monachis Montis-majoris, quod, ut asseruit, indebite occupaverat. Memoratur 1513. 19. Novembris, 1527. 28. Maii, 1532. 5. Octobris. Anno 1537. indict. X. 16. Junii, ipso Claudio sedente, monachi Montis-majoris, inter quos vicarius abbatis, statutum fecerunt de quadregenario monachorum numero. Memoratur adhuc anno 1545. 1. Februarii. Obiit anno sequenti 13. Augusti, humatus in claustro ad occidentalem plagam, prope altare B. Dei genitricis.

LII. Aymarus de Maugiron Glandatensis episcopus, abbatiæ possessionem adeptus est per procuratorem 23. Octobris 1547. præerat 1551. 15. Decembris, 1555. 12. Jan. Erat etiam Viennensis præpositus, cui triplici dignitati valedixit 28. Aprilis 1564. Sedes vacavit ab anno 1565. 1. Julii, ad 1568. 10. Januarii, & amplius.

LIII. Johannes-Franciscus de Purpurato e comitibus Lucernæ in Sabaudia factus Montis-majoris a Pio papa V. commendatarius, an. 1569. 19. Julii vicarium generalem, locum tenentem & procuratorem suum constituit in spiritualibus pro dicto monasterio & dependentiis Claudium Amodri clericum Delphinatem, jam anno præcedenti vacanti abbatiæ regendæ deputatum. Anno 1572. indictione XV. 17. Maii, ratam habuit concordiam initam inter Claudium Amodri suum vicarium generalem, & conventum Montis-majoris.

LIV. Claudius d'Anselme nobilis Avenionensis, superioris resignatione, & scheda Gregorii XIII. ac regia anno 1582. fit abbas, cui an. 1589. 2. Maii, *al.* Jan. edixit Aquensis senatus ut in abbatiam se se reciperet; ibique immobiliter constitutus correctioni fratrum intenderet, sin ad manum regiam ponerentur ejus reditus. Obiit 1590. 4. Novembris, illatus in tumulum Johannis Hugoleni in pariete ad septentrionem claustri juxta ecclesiæ fores excisum.

LV. Dominicus Grimaldi archiepiscopus Avenionensis, ex concessione & dispensatione apostolica abbatiam consequitur 1591. decessit Avenione 1. Augusti 1592.

LVI. Guillelmus de Corti Corsicus, schedula regia fit abbas; Guillelmus d'Avanson vero qui Ebredunensis erat archiepiscopus, apostolica bulla IV. cal. Novembris, anno Domini 1592. pontificatus Clementis VIII. 1°. Anno 1593. 4. die Aprilis præsidiariorum ab Arelatensibus consulibus in cœnobium missorum, ductore Piqueto, temeritate fracti tandem monachi, relictis quatuor in monasterio sacerdotibus, in sancti Juliani vulgo sancti Antonii Arelatis prioratum se receperunt. Anno 1595. 30. Aprilis Henricus IV. Galliæ rex litteras suas 16. Januarii, quibus proventuum abbatiæ perceptionem Alphonso d'Ornano adscripserat, executioni demandari voluit; Guillelmo, *al.* Johanne de Corti Agathensi canonico & camerario, duci Montmorencio ab eleemosynis, interea pro abbate se gerente. Rursus autem Clemens VIII. anno 1597. 17. Maii, pro admittendo Guillelmo d'Avanson in abbatem Montis-majoris instat, sin aliter, minatur censuras. Obiit G. d'Avanson mense Julio an. 1600. unde cessante omni litium occasione, Guillelmus de Corti bullis pontificiis donatur pridie idus Augusti, anno Domini 1602. pontificatus XI. Consulit an. 1604. 20. Junii prioratum de Mari.

LVII. Petrus d'Ornano 19. Januarii 1611. 30. Septembris & 7. Octobris, quo satagente monachi Montis-majoris tres viros ad habitum monasticum admiserunt, ubi dicitur abbas electus.

LVIII. Carolus Josephus d'Ornano Alfonsi Franciæ polemarchi, ex Ludovica de Grace de Flassans filius, cedente fratre fit abbas. In charta anni 1616. 9. Januarii adhuc legitur abbas electus, cujus Johannes Sicardi prius pædagogus, tunc œconomus erat. Huic autem jam abbati sancti Andreæ secus Avenionem anno 1616. assentiente rege, sub annua librarum 5000. oneri nulli obnoxiarum pensione, abbatiam sancti Petri Montis-majoris Carolus resignavit anno 1624. die 16. Novembris.

LIX. Johannes Sicardi, jam abbas, ut diximus, Andaonensis, regia concessione, necnon litteris vicelegati Avenionensis, datis anno 1625. 20. die Aprilis abbatiam hanc obtinuit; cujus possessionem adeptus est 10. die Martii, an. 1626. Ea vero cessit anno sequenti.

LX. Camillus Savari de Breves comes de Maulevrier clericus diœcesis Parisiensis, a rege designatus est abbas anno 1627. *al.* 1628. 8. Dec. qua die rex idem nominavit œconomum, donec bullas impetrasset Camillus. Anno 1629. die 29. Julii, nondum adierat possessionem, ut patet ex litteris.....Bertrandi Camillo gratias referentis, quod ipsum suum vicarium elegisset. An. 1631. 23. Junii statuit Aquensis senatus, ut Camillus Savari augeret sacristiam monasterii sui, casula, cappa, dalmaticis, altaris paramento, & pulpiti velo e bombycino serico densiori, vulgo, *chapelle de satin*. Anno 1632. 18. Maii creavit suum vicarium generalem fratrem Bonifacium..... ejusdem monasterii monachum & infirmarium.

LXI. Johannes-Baptista-Gasto Savari de Breves vacantem abbatiam per cessionem Camilli impetravit ab Urbano papa VIII. anno 1633. cujus procurator Johannes de Pietrequin abbas commendatarius ac dominus loci de S. Geesme, & R. pater domnus Antonius Espinasse visitator congregationis sancti Benedicti, alias Cluniacensis & sancti Mauri in provincia Tolosana, pepigerunt pro reformatione, & convenerunt de unione præfati monasterii ipsi congregationi sancti Benedicti, 22. Decembris 1639.

LXII. Alexander de Bichi S. R. E. cardinalis & episcopus Carpentoractensis ab Urbano papa VIII. providetur de abbatia vacante causa permutationis anno 1643. Obiit 25. Maii anni 1657.

LXIII. N. de Bichi nepos præcedentis & ipse cardinalis huc usque præest.

Abbatia S. Cæsarii.

MOnaſterium ſancti Johannis, modo ſancti Cæſarii in civitate Arelatenſi, vulgo *S. Ceſaire*, ſanctimonialium regulæ primo Cæſarianæ, deinde Benedictinæ huc uſque addictum, in ſuburbio Arelatenſi conditur a ſancto Cæſario, ex abbate Inſulæ ſuburbanæ, Arelatenſium præſule, finiente ſeculo quinto, aut ineunte ſexto, ut leges in teſtamento ipſius fundatoris apud Saxium in pontif. Arelatenſi & alibi.

Anno 869. abbatiam hanc Rodlannus archiepiſcopus Arelatenſis adeptus eſt apud Ludovicum imperatorem & Ingelbergam, ut fuſe narrat Aymoinus lib. 5. de geſtis Francorum, cap. 23. & Gueſnayus hiſt. Maſſil. fol. 258.

Anno 1147. hoc idem cœnobium ad meliorem vivendi rationem revocavit Raimundus Arelatenſis archiepiſcopus, ut patet ex bulla Cæleſtini papæ II. Romæ VI. idus Maii, pontificatus anno 4. hoc eſt 1147. Neque vero multo poſt, videlicet 1153. bulla data Laterani VII. cal. Januarii, cura ejuſdem cœnobii committitur Raimundo præfato, ab Anaſtaſio ſummo pontifice, regnante Henrico imperatore, & Gaufrido ac Bertrando comitibus. Rajambaldus Arelatenſis archiepiſcopus conſecravit novam eccleſiam S. Cæſarii extra muros Arelatis civitatis III. non. Maii, aſſiſtentibus multis nobilibus viris & canonicis S. Steph. Arelat. ut docet MS. cod. Dom. archiepiſcopi Arelat.

Series abbatissarum.

I. S. Cæſaria Cæſarii Arelatenſis ſoror, &c. quæ obiiſſe dicitur anno 529.

II. S. Cæſaria II. junior dicta, in cujus gratiam Cæſarius, qui obiit 542. teſtamentum conſcripſit; exſtat in pontificio Arelatenſi, apud Baronium in annal. eccl. an. 508. n. 33. & apud Cointium in annal. Franc. an. 542. n. 23. Cæſaria autem ad annum uſque 559. rexiſſe dicitur, cui & S. Cyprianus epiſcopus Tolonenſis dicavit librum de vita S. Cæſarii.

III. S. Liliola Fortunati carminibus lib. 8. c. 1. celebrata, cujus tempore Theudegildis regina Chariberti regis uxor, vitam religioſam in Cæſarienſi parthenone duxit. S. Ruſticulam quoque agente Sapaudo Arelatenſi epiſcopo, in ſuo admiſit monaſterio anno 562. Obiit vero 574. ex Mabillonio in act. SS. ord. ſec. II. in vita S. Ruſticulæ, fol. 139. & ſeqq.

IV. Ruſticula, alio nomine Marcia, orta eſt Romanis illuſtribuſque parentibus in pago Vaſcionenſi. Quinquennis a Chearonio rapta, qui eam ducere in uxorem cupiebat; cum foret nubilis, juſſu Guntramni regis reſtituitur, ac Liliolæ abbatiſſæ committitur; in cujus monaſterio Deo ſe conſecravit, ac ita in virtutibus profecit, ut Liliolæ fuerit ſubrogata anno 574. Etſi multis miraculis in dies fieret clarior, accuſatur tamen apud Chlotarium regem Francorum anno circiter 614. quod occulte nutriret *regem*, ſcilicet aliquem filium Theoderici regis, quem Chlotarius cum omnibus liberis a ſe interfectum exiſtimabat. Hac in acuſatione patronum & defenſorem habuit S. Domnolum Viennenſem epiſcopum. Itaque rei veritate cognita, ſuo reſtituitur monaſterio, ubi vitam in Chriſto clauſit anno 632. cujus dies feſtus celebratur XI. Aug. Ejus vitam ſcripſit auctor gravis & pene coævus Florentius preſbyter Tricaſtrinus, qui eam nuncupavit Celſæ abbatiſſæ poſt S. Ruſticulam. Vide ſec. II. Bened. p. 139.

V. Celſa poſt S. Ruſticulam præfuit, ſuæque magiſtræ vitam conſcribi curavit a Florentio eccleſiæ Tricaſtrinenſis preſbytero, qui eam huic obtulit abbatiſſæ. Deſtructio monaſterii per Saracenos plurimarum abbatiſſarum oblivionem attulit. Quæ ſequuntur conglobatæ, abſque certis temporis notis, in veteribus Arelatenſis eccleſiæ litaniis reperiuntur: VI. S. Eulalia; VII. S. Leocadia, VIII. S. Suſanna, IX. S. Juliana, X. S. Eugenia, XI. S. Victoria, XII. S. Euphemia.

XIII. S. Preminola memoratur in libro patris Athanaſii, cui titulus *candelabrum aureum*.

XIV. Ermengarda memoratur in charta Iterii Arelatenſis archiepiſcopi, data an. 33. regnante Conrado rege, hoc eſt 970.

XV. Eloyſſa anno 992. ipſa die ordinationis ſuæ ab Annone archiepiſcopo factæ, Willelmum principem cum conjuge ſua nomine Adalaxe, & filio nomine Guillelmo, qui ad monaſterium venerant, rogavit ut monaſterio inopi aliquid ſubſidii præſtaret ex villis quas domnus Cæſarius Arelatenſis antiſtes olim contulerat in ſtipendium ſacrarum virginum. Qui libenti animo id promiſit ſe facturum.

XVI. Giletta memoratur in Willelmi comitis teſtamento anno 992.

XVII. Adaluviz 997. in menſe Decembri; quo Teudaldus cum Anſelina conjuge ſua & filia Blijarda ſe ipſos & ſua quædam in manu ipſius dimittunt.

XVIII. Gillella obiit anno 1026.

XIX. Galburgis poſt annos, ut aiunt, triginta tres regiminis deceſſit anno 1059.

XX. Ancelina I. *al.* Eiſelina memoratur in quibuſdam inſtrumentis quæ numeritis notis deſtituuntur.

XXI. Eiſelina II. 1158. & 1161.

XXII. Jordana memoratur 1170. 1171. 1176.

XXIII. Aldiardis electa fuit anno 1176. Anno 1182. Raimundus de Baucio cum fratribus ſuis & uxore dedit Aldiardæ & monaſterio paſcaria de *Cran* & de *Camargues*. Memoratur in charta anni 1195. Anno 1194. Alphonſus rex Arragonum comes Provinciæ, abbatiæ de Ulmeto, vel potius Silvæ Regalis fundator, dedit monaſterio ſancti Cæſarii ſexaginta ſolidos annuales ſolvendos die feſto ſancti Cæſarii, & ſtatuit ut monachi eodem die Arelatem venirent miſſam monialibus decantaturi. Item voluit ut quotieſcumque novus eligeretur abbas, coram abbatiſſa juraret ſe & ſuos nunquam alienaturos bona dependentia a monaſterio ſancti Cæſarii. Memoratur hæc abbatiſſa anno 1201. in charta eccleſiæ Magalonenſis, 1211. in tranſactione cum Gaufrido Tricaſtr. epiſcopo, 1212. 1218. Anno 1220. ab Honorio III. accepit bullas confirmationis omnium poſſeſſionum & juriſdictionum monaſterii ſui; & a Friderico anno 1223.

Anno 1225. tranſigit cum Hugone Boardi archiepiſcopo Arelatenſi. Tandem an. 1228. obiit ſepulta in monaſterio cum hoc epitaphio:

Anno 1228. *tertio idus Maii obiit venerabilis abbatiſſa ſancti Cæſarii domina Aldiardis bonæ memoriæ, ſpeculum patientiæ, humilitatis norma, libro conſilii, moribus honeſta, virtutum imitatrix, pacis diſciplina, parens verbis, opere facunda, monaſterii fundatrix ſecunda, cujus anima requieſcat in pace.*

XXIV. Florentia ex ſacræ ſupellectilis cuſtode eligitur anno 1228. ſi credatur hiſtoriæ manuſcriptæ ſancti Cæſarii. Anno 1231. accepit a ſummo pontifice litteras protectionis. Anno 1233. Raimundus Berengarii dedit Florentiæ abbatiſſæ patronatum ſacelli B. Mariæ virginis *du Baron.* Memoratur anno 1241. Obiit anno 1243.

XXV. Alix de Maſſilia electa fuit an. 1243. ex hiſtoria manuſcripta. Memoratur adhuc an. 1246. menſe Januario, quo emit quaſdam piſcarias.

XXVI. Rixendis I. vel Raycendis omiſſa in hiſtoria manuſcripta ſancti Cæſarii, recenſetur in diverſis tabulis ejuſdem monaſterii annis 1245. 1247. 1248. 1250.

XXVII. Hermenſendis I. præerat an. 1250. & 1251. quo Raimundus de S. Ægidio eligit ſepulturam in ſancti Cæſarii cœmeterio. Occurrit etiam in veteri inſtrumento 1253.

XXVIII. Abrayma 1253. ex pluribus chart.

XXIX. Hermenſendis II. 1254. 1263. Annum 1266. non exceſſit, ut conſtat ex bulla Clementis papæ IV. data ejus pontificatus anno 1. in qua monaſterii bona diſſipaſſe arguitur.

XXX. Rixendis II. anno 1267.

XXXI. Alaſaiſia I. occurrit in variis chartis 1267. 1271. 1273. 1274.

XXXII. Hermenſendis III. 1275. quo anno Guillelmus Gos abbas monaſterii Silvæ-regalis recognovit Hermenſendi abbatiſſæ & conventui ſancti Cæſarii quinquaginta ſolidos annuales pro eccleſia Ulmeti. Reperitur etiam quibuſdam in chartis uſque ad 1279.

XXXIII. Adalaſia II. de Caſlario 1280. deſignat quemdam preſbyterum ad eccleſiam ſancti Cæſarii de Elyſeis-campis. Memoratur etiam in quibuſdam chartis 1284. Diem extremum clauſiſſe dicitur 1287.

XXXIV. Adalaſſia III. ſeu Alaſatia de Riali anno 1289. tranſigit cum Stephano abbate Montis-majoris. Notatur quoque 1293. An. 1295. litteris ad incolas caſtellorum de Nyons & de Vinſobres datis eos hortatur ad pacem & concordiam. Obiit anno ſequenti pridie cal. Aug. ex necrologio ſancti Andreæ ſecus Avenionem.

XXXV. Alaſatia IV. de Lambeſc ex hiſtoria manuſcripta in qua ponitur ejus obitus anno 1314. poſt novem & decem annos regiminis, anno 1296. providit eccleſiæ S. Johannis du Mouſtier.

XXXVI. Elixendis I. *al.* Rixendis de S. Cannato 1314.

XXXVII. Elixendis II. de Landa anno 1317. cui recognovit princeps dalphinus caſtella quæ poſſidebat a monaſterio dependentia & dedit ipſi duas marcas argenti.

XXXVIII. Margareta de Benevent quam anno 1319. Johannes XXII. inveſtivit de eccleſia *du Baron.* Adhuc præerat ann. 1320. 1322.

XXXIX. Elixendis III. de Vicinio* anno 1326. renovavit tranſactionem factam an. 1320. a Margareta de Benevent cum piſcatoribus, diciturque obiiſſe 1329. *al. de Vicinia.

XL. Suriana d'Arenne anno 1329. electa, memoratur abbatiſſa 1330. & 1343. quo inveſtitur de prioratu B. Mariæ Belli-loci, qui unitus fuerat monaſterio ſancti Cæſarii. Huic autem abbatiſſæ in ipſo ſancti Cæſarii parthenone ſuberant 100. moniales, ut notant chartæ.

XLI. Dionyſia de Rupe, cui hominium præſtitit anno 1345. prioriſſa de Rions. Eodem anno locavit ſalinas Gigoni de Fillan. An. 1350. transfertur ad Cuſſiacenſe monaſterium, Arelatenſe relinquens ære alieno gravatum.

XLII. Mabilia de Auriaco per tranſlationem præcedentis electa 1350. quæ brevi præfuit.

XLIII. Guillelma de Remolino anno 1350. cum titulo abbatiſſæ reperitur, uti anno 1355. Anno 1359. obtinet ab imperatore Carolo IV. confirmationem bonorum monaſterii. Anno præcedenti parthenon de Taraſcone fundatus fuit, & anno 1361. cum ejus aſſenſu aſſumtæ ſunt tres moniales ſancti Cæſarii ad inducendam in eum regularem diſciplinam. Præerat annis 1361. 1362. 1363. 1365. & tranſigit cum prioriſſa de Nions.

XLIV. Janſeonda Cadelle, *al.* Janziona de Cadela, ab anno 1366. Anno 1369. Johannes de Lengis Carthuſianus miſſus ab Urbano V. ad reformandum clerum Arelatenſem, interdixit ne in poſterum obſervaretur antiqua conſuetudo in funere canonicorum vel monialium ſancti Cæſarii ſervata. Si quidem conveniebant moniales quotieſcumque obierat canonicus, ad ſanctum Trophimum, & exſequiis aderant ſimul cum canonicis. Idem præſtabant canonici erga defunctas moniales. Memoratur adhuc abbatiſſa an. 1369. 1374. 1377. 1380. 1381.

XLV. Maria I. de Croſo* conſanguinea Petri de Croſo, Bituricenſis atque Arelatenſis archiepiſcopi cardinalis ad annum 1391. quo ipſa *quondam abbatiſſa*, & Galliena de Puget ipſi ſuccedere dicitur; quæ ambæ ſuas commutaſſe abbatias videntur. Certe Maria de Croſo bulla Clementis VII. tranſlata memoratur ad monaſterium ſanctæ Crucis Pictavienſis. *de Cruce.

XLVI. Galiena de Pugeto electa 1391. ex abbatiſſa ſanctæ Crucis Pictavienſis. Obiit an. 1416.

XLVII. Dulcia Gantelme electa reperitur 1416. Neptis erat Johannis Ganthelmi fundatoris parthenonis Taraſconenſis. Præſentavit ad capellam ſancti Blaſii 1419. Tranſigit cum abbate Vallis-magnæ anno 1421. Sedit ad annum 1433.

XLVIII. Ermengardis IV. Stephani, filia Raimundi domini de Lambeſc & de Venelles, & Thomaſiæ de Forcalquier, quæ patrem habuit Antonium de Forcalquier dominum de Viens, electa anno 1433. eccleſiam reparavit,

prioriſſæ

prioriſſæ de Nions obedientiæ ſacramentum excepit 1437. alterius prioriſſæ de Nions electionem 1452. confirmavit. Obiit 1468. v. cal. Julii: ſepulta jacet in eccleſia cum brevi epitaphio. His autem verbis ejuſdem meminit fragmentum necrologii: *vj. idus Januarii anniverſarium domina Hermengardis Stephani quondam abbatiſſæ hujus monaſterii, quæ inſtituit fieri quatuor anniverſaria.*

XLIX. Catharina I. de Saint-Michel electa an. 1468. contulit prioratum de Barone 1486. Ipſi obedientiam jurat 1493. Clara de Grammond prioriſſa de Nions. Obiit 1501.

L. Johanna I. Adhemarii de Garda electa anno 1501. patrem habuit Carolum Adhemarii de Garda vicarium * Arelatenſem. Præfuit ad annum 1521. de qua necrologii fragmentum ſic habet: *iij. idus Januarii anniverſarium religioſæ domina Johanna Aymar abbatiſſæ hujus devoti monaſterii.*

* *Viguier.*

LI. Magdalena I. de Grille ex illuſtri apud Genuenſes proſapia oriunda, patrem habuit Simonem de Grille; abbatiale autem pedum ſuſcepit 1521. Prioratum de Nions 1532. viſitavit, & ſanctiſſimis legibus ac ſtatutis communivit. Ad meliorem vitam tranſiit 1540.

LII. Johanna II. de Grille, Petri de Grille & Petræ ſeu Perettæ de Cavaillon filia, electa 1540. obiit 1552.

LIII. Margarita II. de Clermont, ex abbatiſſa Taraſconenſi per breve regium Henrici II. abbatiam ſancti Cæſarii adepta eſt. Coadjutricem habuit Magdalenam de Grille, & obiit 1569.

LIV. Magdalena II. de Grille filia Valentini de Grille, a prioriſſa de Nions obedientiæ profeſſionem excepit anno 1580. Deceſſit 1591.

LV. Anna d'Autric filia Elzeari d'Autric & Ludovicæ de Vintimille, prioratum de Nions anno 1600. viſitavit, & in eo prioriſſam inſtituit. Vitam finivit 1612.

LVI. Johanna III. de Vincent * de Cauſan poſt tres regiminis annos ceſſit, facta prioriſſa de Nions.

* al. Viniſſeus.

LVII. Maria II. de Vincent * de Cauſan, præcedentis neptis,* fit abbatiſſa ſancti Cæſarii 1625. deceſſit vero 1631.

* al. Viniſſeus. * alias ſoror.

LVIII. Catharina II. de Grille de Robiac, filia Petri de Grille primi conſulis Arelatenſis, vivere deſiit 1671. 30. Julii.

LIX. Margarita III. de Polloud Saint-Agnin, antea monialis S. Columbæ Viennenſis, ſtirpe apud Delphinates nobili oriunda, anno 1671. ſchedulis regia & apoſtolica abbatiam conſequitur, poſſeſſionem adepta die 8. Jan. anni ſequentis, ac paulo poſt ſolemnem ſuſcepit benedictionem a Johanne-Baptiſta Adheimar de Grignan, Arelatenſi coadjutore; qua quidem ſatagente, D. Claudius Eſtiennot chartas cœnobii evolvit an. 1679. Prioratum de Nions viſitavit 1691. Declarationes per modum conſtitutionum in regulam ſancti Benedicti, typis mandari curavit. Reſignata abbatia, prioratum Viennenſem ſanctæ Columbæ ſortita eſt.

LX. Angelica Roſe præcedentis neptis, antea prioriſſa ſanctæ Columbæ, breve regium accepit 15. Auguſti 1706. Vitam reliquit 10. Decembris 1708.

LXI. Margarita IV. Amat de Gravaiſon, nominatur a rege die 5. Aprilis 1709. poſſeſſionem adipiſcitur 25. Martii 1710.

Hanc ſeriem eruimus ex manuſcripta hiſtoria monaſterii ſancti Cæſarii a R. P. Melchiore Fabri antiquo provinciali ordinis Minimorum adornata, quam emendavimus ad fidem inſtrumentorum monaſterii, quæ diligenter luſtravimus.

ULMETUM.

ULmetum *, ſive Silva-regalis, ordinis Ciſtercienſis, dioceſis Arelatenſis, filia Bonæ-vallis Viennenſis dioceſis, circa annum 1175. fundatur ſub invocatione beatæ Mariæ; eccleſiam de Ulmeto ſub annuo cenſu concedente abbatiſſa ſancti Cæſarii, ut probant Imberti Arelatenſis archiepiſcopi litteræ anni 1200. inter inſtrumenta editæ. Cum autem an. 1194. Ildefonſus rex Arragonum & marchio Provinciæ Silvam-Albaronis, ſive Regalem Stephano abbati de Ulmeto conceſſiſſet ad conſtruendum cœnobium, hunc in locum monachi Ulmetenſes tranſmigrarunt, nonniſi tamen poſt annum 1200. ex charta inter inſtrumenta deſcripta. Noſter D. Claudius Eſtiennot ex chartulario Vallis-magnæ deſcripſit tomo VIII. ſuorum fragmentorum hiſtoric. quæ MSS. aſſervantur in bibliotheca ſancti Germani Pratenſis, epiſtolam Raimundi Berengarii comitis & marchionis Provinciæ, qua hominibus ſanctæ Mariæ de Mari & de Albarone diſtricte præcepit, *quatinus aliquam fuſtam in Silva* (Albaronis) *nullo modo capiant ſine licentia ipſius* (abbatis) *vel bajuli ſui.*

* *Eanmet.*

Charta XXXVII. p. 104. col. 2.

Charta XXXVIII p. 105. col. 1.

p. 153.

Abbates ſequentes eruimus imprimis ex chartis monaſterii.

SERIES ABBATUM.

I. Jocerannus prioris duntaxat titulum habebat anno 1178. quo R. Arelatenſem archiepiſcopum ſuffragiorum ordinis participem effecit; abbatis vero titulo potiebatur 1184. quo tranſegit cum Hugone Arveo.

II. Pontius 1184. 1191. quibus tamen ipſiſſimis annis Petrus abbas occurrit, terris prope Ulmetum ſitis, & ipſomet Ulmeti prædio donatus a Bernardo Willelmi & Hugone de Baux fratribus. Forte utroque nomine vocabatur hic abbas.

III. Falco 1193. privilegium accepit ab Ildefonſo Arragonum rege, quo monaſterium ſub ſua defenſione ſuſcipit.

IV. Stephanus monachus Vallis-magnæ, 1194. quo anno Ildefonſus rex Arragonum Silvam-Albaronis ad monaſterium conſtruendum ei conceſſit. Chartam fundationis damus in inſtrumentis. Hinc monaſterium novum quo Ulmetenſes monachi commigrarunt, poſtea appellatum eſt Silva-regalis.

Charta XXXVIII p. 105. col. 2.

V. Petrus I. ex monacho Vallis-magnæ, abbas anno 1196. Silvæ-regalis de Albarone confirmationem accepit ab Ildefonſo Ildefonſi regis filio, ex Honorato Bouche. Sedebat adhuc anno 1209.

l. 9. fol. 2. c. 5.

Digitized by Google

VI. Raimundus I. & ipſe monachus Vallis-magnæ, 1209. abbas Ulmeti inſtituitur, quo anno de conſenſu capituli ſui cœnobium ſuum adhærere Valli-magnæ, non Bonæ-valli Viennæ, ſtatuit. Eodem anno quaſdam cum vicinis Ulmeti proceribus finivit lites, mediantibus Antonio Bonæ-vallis, & Raimundo Villæ-magnæ abbatibus. Anno 1210. paciſcitur cum R. priore ſancti Michaëlis de Frigoleto, cui liberum attribuit paſcherium in Silva de Albarone.

VII. Petrus II. anno 1210. Raimundo priori ſancti Michaëlis de Frigoleto albergam de Brachio-emerſo francam, quæ eſt in Silva de Albarone, ſine alicujus paſcui exactione conceſſit. Præfuit ſaltem ad annum 1214.

VIII. Martinus 1216. 1217. 1219.

IX. Petrus III. 1224. arbiter electus cum Raimundo Arelatenſi archiepiſcopo, quaſdam ſopivit querimonias. Eodem quoque anno convenit cum Hugone Boardi pro decimis; ex chartul. domini archiepiſcopi Arelatenſis.

X. Johannes 1240. 1243. quo conventui B. M. de Ulmeto poteſtatem fecit Arelatenſis archiepiſcopus tranſeundi ad abbatiam B. M. de Silva-regali, eamque incolendi. Anno 1251. mediatore Arnaldo Nemauſenſi epiſcopo, pepigit cum Bernardo I. Silvæ-regalis abbate pro quibuſdam litigioſis in villa de Mari. Nimirum hîc deſinunt abbates Ulmeti, & incipiunt Silvæ-regalis abbates.

XI. Bernardus I. 1251. ut ſupra.

XII. Guillelmus I. Gos, *al.* de Goz, anno 1270. & 1275. ad quem annum vide in Hermenſende abbatiſſa ſancti Cæſarii.

XIII. Aymericus de Rutenello 1278. 1279.

*al. Arnardi.

XIV. Bernardus II. Armandus * de Magalas, monachus Vallis-magnæ 1284. 1287.

XV. Guillelmus II. de Coſta & ipſe Vallemagnenſis alumnus, 1288.

XVI. Raimundus II. Petri 1293.

XVII. Bernardus III. 1299. ſub quo monaſterii facta eſt unio cum abbatia Vallis-magnæ, quam ratam habuere capitula generalia ordinis Ciſtercienſis 1298. 1299. 1306. 1308. 1313. & 1315. neque tamen ſuum ultimum ſortita eſt effectum, niſi anno 1310. quo Gaillardus archiepiſcopus Arelatenſis, qui prius interceſſerat quominus ea fieret, Silvæ-regalis & Ulmeti abbatias uniri Vallemagnenſi conſenſit, ea lege,

Vide Ch. XXXIX. p. 205. col. 1.

ut deinceps & in perpetuum duo ſacerdotes monachi in Ulmeto, & quatuor in Silva-regali ſacra facerent, de quo vide inſtrumenta.

XVIII. Pontius II. Maurini abbas Villemagnenſis, in chartis inſcribitur abbas Silvæ-regalis an. 1313. factus autem eſt abbas Grandis-Silvæ anno 1319. & præfuit ad annum XI. pontificatus Johannis XXII. papæ, hoc eſt ad annum 1315. ex actis pontific. Avenion. De hac unione vide Caſſianum illuſtr. Gueſnayi, fol. 434. Honoratum Bouche & Saxium in pontificio Arelat. &c.

Ex D. Eſtienne.

Abbatia B. Mariæ de Molegesio.

MOlegeſium, ſeu B. Maria de Molegeſio, monialium ordinis Ciſterc. cœnobium fuit, cui domina burgi Arelatenſis, nomine Sacriſtana initium dedit. Hæc enim anno 1208. medietatem Molegeſii in diœceſi Arelatenſi monialibus* de Gemenos conceſſit ad conſtruendum ibi monaſterium; quæ donatio anno 1209. confirmata eſt ab Ildefonſo comite Provinciæ; acceſſit autem & Honorii papæ III. confirmatio multas eidem indulgentias elargientis. Michaël quoque archiepiſcopus Arelatenſis, dedit dictis monialibus eccleſiam parochialem ſancti Petri hujus loci, & eccleſiam ſancti Thomæ, retenta ſibi & ſucceſſoribus archiepiſcopis penſione annua ſex-decim ſextariorum annonæ Arelatenſis perſolvendæ in feſto ſancti Ægidii, & quinque ſolidorum in qualibet ſynodo, ut auctor eſt Gueſnayus in Caſſiano illuſtrato, l. 2. c. 18. n. 30. An. 1218. eadem Sacriſtana hanc ſuam donationem multo pluribus cumulavit; quibus nonobſtantibus anno 1225. Arelatenſis archiepiſcopus hoc cœnobium male ſitum & egenum commmendavit eleemoſynis fidelium, litteris hoc anno datis, quæ exſtant in tabulario Vallemagnenſi. Tandem vero unitum fuit parthenoni ſanctæ Crucis Aptenſis anno 1421. ex chronico Honorati Bouche, quem conſule ſi lubet lib. 4. fol. 323. & lib. 9. fol. 204. & 254. Dum autem ſui juris exſtitit, has quæ ſequuntur abbatiſſas habuiſſe reperitur.

* S. Poncii.

Series abbatissarum.

I. Cæcilia, cui anno 1222. menſe Maio Guillelmus epiſcopus Avenionenſis in præſentia legati apoſtolici, & de conſenſu Hugonis Arelatenſis archiepiſcopi, conceſſit eccleſiam ſancti Laurentii d'Eygalieres, cum ſuis juribus. Eidem quoque Raimundus Berengarius Provinciæ comes donum fecit caſtri de Anciſa in territorio d'Eygalieres anno 1228.

II. Galba anno 1235. quo donum eccleſiæ S. Laurentii d'Eygalieres B. epiſcopus Avenionenſis XIV. cal. Nov. ei confirmavit.

III. Barbara anno 1245. ex hiſtoria Honorati Bouche.

IV. Berengaria de Villa-muris 3. Aug. 1257. nonnulla permutavit cum epiſcopo Avenionenſi. Anno 1272. 23. Maii, Carolus II. Provinciæ comes in ipſius gratiam pedagiorum libertatem ſeu immunitatem ratam habuit.

V. Alciarda I. comiti Provinciæ fidelitatem exhibuit 24. Julii 1286.

VI. Aldiardis de .... anno 1291. in abbatiſſam electa domino Roſtagno Arelatenſi archiepiſcopo juravit obedientiam; qui quidem an. 1298. in viſitatione monaſterii quædam ſtatuit pro ipſius reformatione. Hunc autem anno ſequenti volentem denuo jus ſuum viſitationis exercere, noluerunt recipere abbatiſſa & moniales; quare ipſas excommunicationis vinculo innodavit. Verum anno 1307. die 7. Januarii, Petrus archiepiſcopus Arelatenſis monaſterium viſitavit, moniales in civitatem Arelatenſem induxit, eiſque dedit eccleſiam de Bello-loco ad habitandum, ac præcepit, ſicut ejus anteceſſores fecerant, ne a quolibet abbate Ciſtercienſis ordinis, ſed tantum ab archiepiſcopis Arelatenſibus viſitarentur, tum vero ipſas ab excommunicatione abſolvit.

VII. Alciarda II. 15. Decembris 1309. comiti Provinciæ clientelam profeſſa eſt. Hoc anno inita fuit concordia inter dominum archiepiſcopum Arelatenſem ac abbatiſſam & moniales de Molegeſio Arelate apud Bellum-locum commorantes, ſuper præſentandis capellanis ad eccleſias Belli-loci & S. Hippolyti de Cau, ſtatutumque ut in monaſterio præfato non eſſent pluſquam 12. moniales ſub regimine prioriſſæ.

VIII. Duriana de Malbeto electa nihilominus fuit abbatiſſa die 21. Junii an. 1321. atque domino Gaillardo archiepiſcopo Arelatenſi obedientiam exhibuit.

IX. Alciarda III. 7. April. 1337. vicariam eccleſiæ de Molegeſio contulit.

X. Gantelma de Porcellet 1351. 26. Martii comiti Provinciæ fidelitatis præſtitit ſacramentum.

XI. Huga Preucitane 1370.

XII. Hermeſſendis de Aleſco 23. Martii 1406. Molegeſii contulit vicariam. Hæc ipſa terram d'Eygalieres pro 100. florenis annui cenſus abalienavit.

XIII. Margareta de Raynaud, ſub qua anno 1436. unione facta Molegeſii & ſanctæ Crucis Aptenſis parthenonum, volente Garſendi Rigauda abbatiſſa ſanctæ Crucis, Margarita C iſti cœnobio ſanctæ Crucis abbatiſſa præficitur.

De parthenone S. Claræ Arelat. olim B. Mariæ de Roqueta.

ROqueta locus erat prope Arelatem, quem prius incoluerant fratres Minores, & ab iiſdem emerunt moniales ſanctæ Claræ inſtituto addictæ. Eas Urbanus IV. ſub tutela ſanctæ ſedis ſuſcepit, bulla data anno 2. ſui pontificatus, A ſeu Chriſti 1262. inſcripta: *Dilectis in Chriſto filiabus abbatiſſæ & conventui monialium inclauſarum monaſterii ſanctæ Mariæ de Roqueta Arelatenſis, ordinis S. Damiani.*

Clemens IV. ſcribens ad epiſcopum Magalonenſem XIV. cal. Julii, ſui pontificatus anno 2. ſeu Chriſti 1266. queritur de Arelatenſi archiepiſcopo, qui cum prius ad ſanctam ſedem pro ipſis ſcripſiſſet, iiſdem & fratribus Minoribus nonnullas irrogaverat contumelias. Idem papa ſcripſit ad populos diœceſium Arelatenſis, Avenionenſis & Nemauſenſis; quos hortatur ad erogandas eleemoſynas iis pauperibus ſororibus, ſcilicet Guillelmæ de ſancto Bonito, Gaufridæ de ſancto Guillelmo, &c. Forte prior a ſummo pontifice recenſita erat abbatiſſa.

Hujus loci quædam aliæ abbatiſſæ a nobis ſunt repertæ, quas hoc loco adjectas fuiſſe lectori fortaſſe non erit ingratum.

Series abbatissarum.

I. Guirauda de Auvilano abbatiſſa erat annis 1298. & 1311.

II. Beatrix de Puco, anno 1331.

III. Raimberta Beatrici ſucceſſit.

IV. Ermengarda Autardi, anno 1333.

V. Catharina de Peguerolia anno 1355. An. 1361. Innocentius VI. bulla data anno 10. ſui pontificatus, dedit monialibus licentiam ſe ſe recipiendi intra urbem, quia cives ob bella quæ urgebant, aut imminebant, pene deſtruxerant earum ædes.

VI. Clara Guirauda, anno 1368.

VII. Franciſca Martina, 1379. & 1381.

VIII. Gilleta Guirauda, anno 1391.

IX. Janneta de Avinione, anno 1419.

ECCLESIA MASSILIENSIS.

MASSILIA Gallicanarum urbium fere antiquiſſima, celebris Græcorum colonia, a Phocæenſibus, Aſiæ Minoris in Æolide, vel Ionia Æolibus finitima populis, conditur non longe a Rhodani oſtio orientali ad mare mediterraneum, in Salyorum finibus, ſexcentis circiter annis ante Chriſtum natum, poſt Romam conditam anno 159. Quid vero cauſæ fuerit Phocæenſibus patriæ deſerendæ, alii proferunt Harpalis præfecti Cyri regis, cui ſuberant, inclementiam; alii patrii ſoli ſterilitatem. Cum vero novi hoſpites ab indigenis oppugnarentur, ecce opportune eis adfuit Belloveſus, cum ingenti Biturigum, Arvernorum, Senonum, Æduorum, &c. exercitu, qui profecti erant ad agros quos incolerent quærendos. Ii nimirum Salyis repulſis, Phocæenſibus ad muniendum locum quem ſibi delegerant ſuppetias tulere, ut nos docet Titus Livius. Sic inito cum Gallis fœdere adverſus Ligures, qui has oras maritimas obtinuerant, Græci advenæ urbem condiderunt; quæ dives opum evaſit, ob commodum portum, qui nunc eſt triremium regis Chriſtianiſſimi fida ſtatio. *1. dec. l. 5.*

Urbem hanc celebrarunt ſcriptores plerique Græci & Latini; Maſſilienſiumque rempublicam optimis legibus conſtitutam laudarunt. Ibi florebant bonæ artes & litteræ, quo tanquam ad ludum litterarium non ſolum confluebant barbari, ſed etiam Romani Græcas litteras diſcendi ſtudio, Athenienſi peregrinatione neglecta. Unde Maſſilia ſedes ac magiſtra ſtudiorum dicitur Tacito, in Agricola. Neque vero tantum litteris, ſed etiam bonis moribus erudiendi eo mittebantur adoleſcentes. Certe frugalitatis & modeſtiæ Maſſilienſium argumentum eſt, quod apud eos maxima dos eſſent centum aurei; & in veſtitum ultra quinqu eaſſumere non liceret. In laudes Maſſiliæ civitatis ſæpius excurrit Cicero; nimirum in orationibus pro Fonteio, pro Flacco, & in Philippica tertia.

Neque vero intra ſua pomeria ſe continuerunt Maſſilienſes, ſed colonias miſerunt in inſulas Corſicam & Sardiniam, ubi fundarunt urbem Calaritanam, in Hiſpaniam, ubi Empurias condidere; maxime vero fines imperii ſui protulerunt in Salyos ſibi vicinos; eoſque parentes & fundatores habent urbes * Telo, Olbia, Antipolis, Nicæa; quam aiunt ab ipſis eſſe conditam in monumentum victoriæ de Liguribus reportatæ. ** Toulon, Hyeres, Antibe, Nice.*

Digitized by Google

Sua libertate Romanorumque amicitia potiti ſunt Maſſilienſes, uſque ad illud bellum pluſquam civile inter Pompeium & Cæſarem, qui poſt longam obſidionem & plurima terra marique commiſſa prælia, Maſſiliam Pompeii ac reipublicæ partes ſecutam expugnavit. Deinceps urbs Romano imperio ſubdita fuit per annos quingentos, donec jugo Burgundionum ſubacta eſt. Poſtea Wiſigothorum ſub Eurico rege, deinde Oſtrogothorum; quibus Francorum fortitudine devictis ad victorum ditiones acceſſit. Boſone in regem Arelatenſem & Provinciæ inaugurato anno 879. pars ejus regni Maſſilia fuit. Seculo decimo ſuos vicecomites habere cœpit, uſque ad Romelinum, a quo jura omnia vicecomitatus emerunt cives, libertatemque ſuam recuperarunt. At Carolo fratri S. Ludovici regis, Provinciæ comiti, nomine Beatricis uxoris, qui Arelatem & Avenionem, de ſimili libertate gloriantes, ad deditionem coëgerat, poſt aliquot menſium bellum colla ſubdere coactiſunt, certis conditionibus. Mortuo Carolo ultimo Provinciæ comite ex linea Andegavenſi, qui teſtamento condito die x. Decembris anni 1481. Ludovicum Francorum regem XI. heredem inſtituerat, Maſſilia Franciæ regno accrevit. Ejus portus tutiſſima eſt regiarum triremium ſtatio; urbs vero emporium mercium totius Orientis celeberrimum. Dividitur in ſuperiorem & inferiorem; prior olim ad epiſcopum pertinebat. cujus pars a præpoſito pendebat & a capitulo. Maſſilia ſubeſt Provinciæ parlamento, quod Aquis-Sextiis ſedet. His de ſtatu politico dictis, nunc de ſacro & eccleſiaſtico eſt agendum.

Maſſilia epiſcopatus eſt ſub Arelatenſi metropoli. Eccleſia cathedralis olim ſancti Lazari titulum geſſit, cujus calvaria in pretioſiſſima theca argentea multis ornata gemmis aſſervatur. Antiquitus quoque hæc eccleſia appellata eſt nomine ſanctæ Mariæ, ſeu noſtræ Dominæ antiquæ Sedis, quod etiamnum retinet. Vulgo dicitur eccleſia Major (*la Majeure*) quam plurimi Romanorum pontificum variis donarunt privilegiis. Plurima etiam conceſſerunt Fridericus I. & Fridericus II. imperatores, Ildefonſus rex Arragonum, comes Provinciæ, &c. Conſtat capitulum duabus dignitatibus, præpoſito & archidiacono, ſacriſta & capiſcholo perſonatibus, novem canonicis, ac decem beneficiariis, qui in veteribus inſtrumentis clerici intitulati nuncupantur. Capitulum providet omnibus ſacerdotiis ſive, ut aiunt, beneficiis; præterea ſunt duo vicarii & totidem diaconi, quatuor choriſtæ, & octo ſacerdotes ad nutum amovibiles.

De abbatiis urbis & diœceſis Maſſilienſis dicemus ſeorſim. In urbe quatuor tantum ſunt parochiæ, & viginti quinque extra urbem. At plurimæ religioſæ domus & familiæ ad civitatis ornatum ſanctitatemque multum conferunt; quas eo ordine quo receptæ ſunt enumerabimus.

Religioſi S. Antonii ante annum 1180. Trinitarii auctore S. Johanne de Matha anno circiter 1200. Dominicani 1224. moniales S. Claræ in ſuburbio primum, an. 1254. poſtea intra urbem admiſſæ, unde migrarunt in vicum ſancti Cannati; Auguſtiniani circa annum 1258. Carmelitæ anno circiter 1285. fratres Minores arctioris Obſervantiæ 1431. iidem conventum habent extra urbem; Servitæ 1555. Minores Capucini 1578. Minimi eodem anno; Auguſtiniani diſcalceati anno circiter 1605. preſbyteri Oratorii 1620. quibus collegium urbis in perpetuum adminiſtrandum traditum eſt. Anno 1621. Jeſuitæ inducuntur in eccleſiam olim parochialem ſancti Jacobi, quibus anno 1630. altera domus eſt conceſſa. Minores Recollecti anno 1621. Moniales Carmelitæ Thereſiani inſtituti, & virgines a Viſitatione B. Mariæ appellatæ anno 1623. uti & Capucinæ; Carthuſiani 1633. Celebre eſt in diœceſi Maſſilienſi aliud aſceterium Carthuſianorum Montis-rivi*. Eodem an. 1633. Carmelitæ diſcalceati admittuntur. An. 1636. aucta eſt urbs duabus familiis religioſis, ſcilicet monialium S. Auguſtini & S. Dominici. Preſbyteri congregationis SS. Sacramenti acceſſerunt 1638. Hujus vero congregationis auctor fuit D. Chriſtophorus Authier S. Victoris monachus, poſtea Bethleemitanus epiſcopus. Anno 1639. jacta ſunt fundamenta oratorii monialium Ciſtercienſium, vulgo Bernardinarum, inde vero pars ſanctimonialium tranſivit in ædes quas moniales ab ſancta Urſula nuncupatæ anno 1600. condiderant. Anno 1640. moniales dictæ Recollectæ recipiuntur a conſulibus & civibus, addita ea lege, quod pro virginum dote mille quingentæ libræ tantum ſolverentur, interdicta etiam parentibus facultate non nihil addendi. Moniales a Dei miſericordia nomen ſortitæ, ab Antonio Yvan Oratorii Jeſu preſbytero inſtitutæ poſtea recipiuntur, Urſulinæ, altera Viſitationis B. M. colonia, religioſi de Mercede ad Captivorum redemtionem inſtituti; Fulienſes, preſbyteri congregationis Miſſionis, auctore Vincentio de Paul, quibus Tuſſanus de Forbin de Janſon, tunc epiſcopus Maſſilienſis poſtea cardinalis ſeminarium clericorum gubernandum dedit an. 1673. An. 1654. moniales Franciſcanæ tertii ordinis, quæ ducem ſequuntur ſanctam Elizabetham Hungariæ regis filiam, ſedes Maſſiliæ fixerunt. Agmen hoc clauſerunt puellæ congregationis S. Sacramenti ſub regula ſancti Auguſtini receptæ anno 1659. Extra urbem in diœceſi viſuntur duo Carmelitarum conventus, unum apud Mazargues, alterum in loco *de Galudes*. Trinitarii diſcalceati in territorio Maſſilienſi ſibi ſedes elegerunt & conſtituerunt anno 1658. In urbe dicta *Cioſat*, quæ recens videtur conſtructa, & ideo nomine Latino in veteribus inſtrumentis caret, nunc habitant preſbyteri Oratorii, Servitæ, Minimi, Capucini, Urſulinæ, ac Bernardinæ. In caſtro Cadheria* ſunt Trinitarii; in caſtro de Albagna*, Minores de Obſervantia, & Urſulinæ; apud S. Zachariam Dominicani & moniales Benedictinæ; ad S. Balmam Dominicani. In urbe Maſſilia & aliis diœceſis hujus plurima ſunt variorum pœnitentium ſodalitia. Nunc ad enucleandam & ediſſerendam Maſſilienſium epiſcoporum hiſtoriam convertamur. Hoc opus jam tentatum eſt a Gueſnayo, qui annales Maſſilienſes publici juris fecit. Hiſtoriam urbis Maſſiliæ ſcripſit Antonius de Ruffi, regis in ſeneſcallia Maſſilienſi conſiliarius; quod opus ad incudem revocavit vir clariſſimus Ludovicus-Antonius de Ruffi ejus filius, ediditque locupletius &

* *Martiaux.*

* *Cadhiere.* * *Aubagnes*

emendatius an. 1696. Catalogum & nomenclaturam illorum præſulum exhibent Honoratus Bouche, in hiſtoria Provinciæ, & Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana. Longe ampliorem horum antiſtitum notitiam nobis ſuppeditant noſtri Sammarthani, qui uſi ſunt pluribus monumentis veteribus a viro clariſſimo æque ac doctiſſimo Peireskio ſumma cum diligentia & ſagacitate delectis & collectis; quibus omnibus noſtras inſuper adjecimus curas.

MASSILIENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

I. S. ELEAZARUS, *ſeu* LAZARUS.

COmmunis eſt non ſolum apud vulgus, verum etiam inter eruditos in Provincia viros, primum qui fidem Chriſtianam Maſſiliæ, & in locis finitimis diſſeminavit fuiſſe ſanctum Lazarum a Chriſto Servatore noſtro e mortuis excitatum. Qui vero factum ſit ut relictis Jeroſolymis has ad oras accederet diximus in ſancto Maximino primo Aquarum-Sextiarum epiſcopo. Sancti Lazari reliquias a Burgundionibus ſibi ablatas & Auguſtodunum delatas queruntur Provinciales, excepta illa capitis parte quæ calvaria vocatur, quam jam diximus in pretioſiſſima theca incluſam aſſervari. Olim feſtum S. Lazari Maſſiliæ celebrabatur die 17. Decembris, quo die notatur in Romano martyrologio. Alii cal. Septembris ejus feſtum celebrant. Poſt hunc primum epiſcopum (ſi certo conſtet eum fuiſſe Lazarum fratrem Mariæ ac Marthæ, a Domino ex ſepulcro ad vitam revocatum, adeoque primo eccleſiæ ſeculo rexiſſe) pontificia ſedes vacavit ultra ducentos annos; aut ſane dicendum eſt, memoriam eorum qui præfuerunt penitus obliteratam fuiſſe.

II. ORESIUS.

Hic præſul ſubſcripſit plenario, ut loquitur Auguſtinus, celeberrimoque Arelatenſi con-
314. cilio anni 314. cui adfuit cum Nazario eccleſiæ ſuæ lectore, ubi in recenſione epiſcoporum legitur ſeptimo loco: *Oreſius epiſcopus, Nazarius lector de civitate Maſſilienſi, provincia Viennenſi.* Juſſerat enim Conſtantinus Auguſtus, cujus auctoritate coacta eſt hæc ſynodus, ut epiſcopi ad eam convenientes ſibi deligerent aliquos e ſuis clericis viæ comites, qui concilio quoque intereſſent.

III. PROCULUS.

Proculus inter Galliæ præſules ſui ſeculi celeberrimus, ob doctrinam & ſanctitatem meruit
404. a ſancto Hieronymo commendari, in epiſtola ad Ruſticum monachum Gallum: *Habes*, inquit, *iſtic ſanctiſſimum & doctiſſimum pontificem Proculum, qui viva & præſenti voce noſtras ſchedulas ſuperet, quotidianiſque tractatibus iter tuum*
381. *dirigat.* Adfuit concilio Aquileienſi an. 381. cum Conſtantio Arauſicano epiſcopo, ubi Palladius & Secundianus Ariani epiſcopi a beato Ambroſio Mediolanenſi epiſcopo, qui præcipuas hoc in cœtu partes egit, confutati ſunt. Taurinenſi
397. quoque concilio adfuit Proculus anno 397. ubi jus metropolitani conatus eſt ſibi vindicare in ſecunda Narbonenſi, repugnantibus hujus provinciæ epiſcopis; quæ controverſia ita compoſita eſt canone primo, in quo legitur: *Cum primum omnium vir S. Proculus Maſſilienſis epiſcopus civitatis ſe tanquam metropolitanum eccleſiis, quæ in ſecunda provincia Narbonenſi poſita videbantur, diceret præeſſe debere, atque per ſe ordinationes in memorata provincia ſummorum fieri ſacerdotum: ſi quidem aſſereret eaſdem eccleſias vel ſuas parochias fuiſſe, vel epiſcopos a ſe in eiſdem eccleſiis ordinatos; & e diverſo ejuſdem regionis epiſcopi aliud defenſarent, ac ſibi alterius provinciæ ſacerdotem præeſſe debere contenderent: id judicatum eſt a ſancta ſynodo contemplatione pacis atque concordiæ, ut non tam civitati ejus, quæ in altera ſita eſt, cujus magnitudinem penitus neſciremus, quam ipſi potiſſimum deferretur, ut tanquam pater filiis honore primatus adſiſteret. Hæc igitur ipſi tantum in vita ejuſdem forma ſervabitur, ut in eccleſiis provinciæ ſecundæ Narbonenſis quas vel ſuas parochias [a], vel ſuos diſcipulos fuiſſe ordinatos conſtiterit, primatus habeat dignitatem.* Cum hujus ſynodi privilegio fretus Proculus in parochiis Arelatenſis epiſcopi antiſtites ordinaſſet, & Patroclus Arelatenſis gratia valeret apud aulam (nam Conſtantii magiſtri militum favore Arelatenſem ſedem invaſerat, expulſo ſancto Herote) tantum etiam potuit apud Romanum pontificem, ut primatus quoque obtineret dignitatem a Zozimo papa in univerſam Viennenſem, Narbonenſem primam & ſecundam provinciam, qua Maſſilienſis ſedes Proculi continebatur; epiſtola data ſub annum Chriſti 417. 417.
quæ eſt ordine 5. In ſequenti epiſtola queritur Zoſimus, quod prætermiſſo Patroclo metropolitano epiſcopo, ſine cujus auctoritate juxta majorum canones nulla potuit ordinatio celebrari, Lazarus a Taurinenſi ſynodo pro calumniatore damnatus ab ipſo Proculo Maſſilienſi epiſcopo, ab eodem tamen indebitum ſacerdotium conſecutus eſſet. Epiſtola 7. irrita declarat quæ in gratiam Proculi decreta fuerant in concilio Taurinenſi. Zoſimus aliam dat epiſtolam * ad * 12.
Patroclum, monens eum de ſententia lata adverſus Proculum, qui nihilominus pontificis ſententiæ non paruit, quippe qui Taurinenſis ſynodi decreto fulciretur. Zozimus vero III.

[a] Hic ſynodus in ancipiti relinquit utrum vere parochias haberet Proculus, hoc eſt eccleſias epiſcopales, quibus ut metropolitanus præeſſet. Certe Gregorius Turonenſis meminit provinciæ Maſſilienſis tum lib. 2. hiſt. c. 32. tum lib. 8. c. 43. ubi loquitur de Niceto Maſſilienſis provinciæ rectore; ad cujus verba noſter Ruinartus hæc obſervat: *Sub Chlotarii I. filiis Provincia in duas partes diviſa eſt. Una Arelatenſis provincia dicta, ſub qua Arelatum, Reji, &c. Guntrammo ceſſit; alteram qua Maſſilienſis provincia dicebatur, Maſſilium, Avenionem, Aquas-Sextias & alia oppida ſub ſe habentem, Sigebertus obtinuit.* Verum utrum hæc provincia, ut civilis, ita quoque eſſet eccleſiaſtica, non conſtat. Imo pene certum, maxime tempore de quo loquitur Gregorius, ſcilicet anno DLXXXVI. Maſſiliam minime fuiſſe metropolim habentem epiſcopatus ſibi ſubditos.

ANNI CHRISTI.

Non. Martias anno 418. clero, ordini & plebi conſiſtenti Maſſiliæ ſcribit in hæc verba: *Non miror Proculum in conſueta adhuc fronte durare, & oblitum penitus pudoris quotidie digna damnatione committere, nec aliquando deſiſtere, ut toties commonitus non ceſſet. Ecce cœtum veſtræ dilectionis ſuæ qua ſola notus eſt turbatione confundit: nec eccleſiam patitur eſſe concordem, cum ſuis id agat ſemper officiis; cum ipſe jam non ſit epiſcopus, epiſcopos facit, & humanus largitor aliis ſe dicit præſtare, quod datum ſibi aliquando immerito, tenere non potuit.* Damnatus eſt igitur Proculus Romæ a papa Zoſimo propter indebitas illas ordinationes, quemadmodum liquet ex prolatis epiſtolis.

Idem pontifex monet Maſſilienſes, ut Patroclo Arelatenſi obediant, cui eorum eccleſiæ curam demandavit, donec ejus conſiliis dignum acceperint ſacerdotem. Libellus emendationis Leporii, quo retractat ſuos de incarnatione Domini errores, Proculo inſcriptus legitur, & alteri epiſcopo nomine Quillenio. Si ergo libellus hic ſcriptus eſt anno 426. ut autumat Philippus Labbe in notis ad concilia, Proculus in ſede Maſſilienſi perſeveravit uſque ad hunc annum. De eo vide Baronium in annalibus, & Sirmondum tomo I. conciliorum. Quidam Paulum Maſſiliæ antiſtitem anno 418. ex Flavii Dextri fragmento floruiſſe volunt, quod pro ſuppoſititio plerique habent eruditi. Vir doctiſſimus D. d'Ache hunc Paulum ponit poſt Venerium: Ruffius vero & alii Salvianum presbyterum Treviris oriundum, faciunt epiſcopum, nixi auctoritate recentiorum auctorum Sixti Senenſis, Bellarmini & Poſſevini, ac antiquioris Adonis Viennenſis, qui hæc tantum habet: *Salvianus presbyter apud Maſſiliam*, nulla facta mentione quod fuerit epiſcopus; unde apud Gennadium in vita ipſius hæc leguntur: *Salvianus Maſſilienſis presbyter humana & divina litteratura inſtructus, & ut abſque invidia loquar epiſcoporum magiſter, ſcripſit ſcholaſtico & aperto ſermone multa ex quibus iſta legi: de virginitatis bono ad Marcellum presbyterum libros tres: adverſus avaritiam libros quatuor: de præſenti judicio libros quinque, & pro eorum merito ſatisfactionis ad Salonium epiſcopum librum unum: expoſitionis extremæ partis ad Claudianum epiſcopum Viennenſem librum unum: epiſtolarum librum unum: & in morem Græcorum de principio Geneſis uſque ad conditionem hominis compoſuit verſuum quaſi exameron librum unum. Homilias epiſcopis multas: ſacramentorum vero quanti non recordor. Vivit uſque hodie in ſenectute bona.* De epiſcopatu Salviani nulla hic mentio. Scimus quidem in quibuſdam recentioribus exemplaribus Gennadii legi: *ſcripſit Homilias epiſcopus factus multas*; at conſtat vitioſam & novam eſſe nec ita pridem invectam lectionem. Certe Venerius vivente Salviano fuit epiſcopus Maſſiliæ, cui teſte Gennadio ſucceſſit Euſtachius, & ei Græcus auctore Sidonio, tum Honoratus, quo vivente Gennadius ejus vitam deſcripſit; ſi tamen verum ſit hanc eſſe a Gennadio exaratam, qui ad annum 492. vitam protraxit. Non ergo potuiſſet ſedem tenere niſi poſt Honoratum Salvianus, qui jam tempore Euſtachii epiſcopi erat ſenex.

ANNI CHRISTI.

IV. VENERIUS.

Venerius in monaſterio ſocius S. Ruſtici Narbon. epiſcopi, factus epiſcopus creditur an. 428. Cum jacta eſſent fundamenta novæ eccleſiæ Narbonæ anno 444. Venerius amico Ruſtico ſumtuum partem ſuppeditavit. Unus fuit ex epiſcopis, qui dedicationi eccleſiæ Avenionenſis a Debone epiſcopo reſtitutæ anno 433. adfuerunt anno 436. ut videre eſt in Debone. Primus eſt in inſcriptione primæ epiſtolæ Cæleſtini papæ, ad epiſcopos Galliæ, qua redarguit quoſdam preſbyteros, qui tunc eccleſiam novis quæſtionibus turbabant, ſcilicet ſemipelagianos; commendatque ſancti Auguſtini doctrinam. In altera ejuſdem papæ epiſtola ad epiſcopos Viennenſis Provinciæ ac Narbonenſis, titulo 8. ſub annum 428. mentio fit hujus antiſtitis, cujus cauſa ab epiſcopis definienda delegatur his verbis: *Maſſilienſis eccleſiæ ſacerdotem, qui dicitur, quod dictu nefas eſt in necem fratris ſui taliter gratulatus, ut huic qui ejus ſanguine cruentatus advenerat, portionem cum eo habiturus occurreret, veſtro cum audiendum collegio delegamus. Data* VIII. *calend. Auguſtas Flaviis Felice & Tauro conſulibus.* In epiſtola autem, quam epiſcopi Galliæ ſcripſerunt ad S. Leonem papam nominatur idem Venerius anno 451. Præterea epiſtola 94. ejuſdem ſancti Leonis, inſcribitur Ruſtico, Ravennio, Venerio, &c. In concilio Arelatenſi an. 451. ſedit idem antiſtes; cujus hortatu Muſæus preſbyter Maſſilienſis ſanctarum ſcripturarum ſcientia conſpicuus, excerpſit ex ſacra ſcriptura lectiones totius anni feſtivis diebus aptas; reſponſoria etiam pſalmorum capitulaque temporibus & lectionibus congrua, ex Gennadio de ſcriptor. eccleſ. c. 79.

428. *Tillemont. to. XV. in Ruſtico p. 405.* 436. 451.

V. EUSTASIUS.

Euſtaſius ſeu Euſtathius vel Euſtachius, Venerii ſucceſſor, vivebat anno 470. nihil autem vetat dicere illum diu antea ſediſſe, quando in actis ſancti Eutropii Arauſicani epiſcopi, qui videtur acceſſiſſe ad epiſcopatum anno ſaltem 464. legitur Euſtachio auctore Eutropium clericum eſſe factum. A Gennadio, libro de viris illuſtribus, vocatur *homo Dei, qui in vita Muſæi Maſſilienſis presbyteri in ſcripturis doctus, & in earum ſenſibus ſubtiliſſima exercitatione limati, lingua quoque ſcholaſtici, ſicut Venerio ſuadente multa ſcripſerat, ita Euſtachio hortante compoſuit ſacramentorum egregium & non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum & temporum, pro lectionum textu, pſalmorumque ſerie & cantatione diſcretum, ſed ſupplicandi Deo & conteſtandi beneficiorum ejus ſoliditate ſui conſentaneum; quo opere græviſſimi ſenſus & caſtigata eloquentia agnovimus virum. Moritur Leone & Majorino conſulibus*: hæc de Maſſilienſi Muſæo Gennadius, qui Victorinum quoque Maſſilienſem rhetorem & poetam Chriſtianum laudavit, cujus opera habes in bibliotheca patrum ſeculo V.

470.

ANNI CHRISTI. Eidem Euſtaſio inſcriptus eſt liber de Sacramentis.

VI. Græcus.

Græcus epiſcopali dignitate cohoneſtatus
472. erat anno circiter 472. quo cepit epiſcopatum Apollinaris Sidonius, a quo quæcumque de hoc præſule nota nobis ſunt, didicimus, ſcilicet ex ejuſdem epiſtolis ad hunc epiſcopum
l. VI. ep. 8. l. VII. ep. 2. ſcriptis, in quibus eum conſummatiſſimum pontificem appellat, docetque Euſtachio ſucceſſiſſe his verbis: *S. Euſtachii (qui vobis deceſſit) actutum dicto factoque gemina benedictio eſt; hoſpitium brevi quæſitum, jam Euſtachii cura facile inventum, celeriter aditum, civiliter locatum*; & infra ſubdit: *vos vero Euſtachium pontificem tunc ex aſſe digno herede deceſſiſſe monſtrabitis, ſi ut propinquis teſtamenti, ſic clientibus patrocinii legata ſolvatis.* Tum epiſtola XI. declarat quantum ipſi jucundum foret Græci ſocietate frui, ſi commeandi libertas pace revocaretur. Quam vero amicus eſſet Græci, & quam eum faceret plurimi, Sidonius ita teſtatur lib. IX. epiſt. IV. *Domine papa, ſicut veſtris erigimur ſecundis, ita deprimimur adverſis. Nam quod nuper quorumpiam fratrum neceſſitate multos perculeritis angores, flebili ad flentes relatione pervenit. Sed tu flos ſacerdotum, gemma pontificum, ſcientia fortis, fortior conſcientia, minas undaſque mundialium ſperne nimborum: quia frequenter ipſe docuiſti, quod ad promiſſa convivia patriarcharum, vel ad nectar cæleſtium poculorum per amaritudinum terrenarum calices perveniretur.*

Ex alia epiſtola intelligimus Græcum au-
l. VII. ep. 7. ctorem fuiſſe Maſſilienſibus, fœderis cum Eurico Wiſigothorum rege faciendi; quo factum ut Euricus victor tranſiret ad Arvernos, eoſque debellaret. Ea de re indignatus Sidonius ad amicum ſuum ob hanc pacem ita turpem, & patriæ ſuæ exitioſam his verbis ſcribit: *Pudeat vos precamur hujus fœderis nec utilis nec decori. Per vos legationes meant. Vobis primum pax, quamquam principe abſente non ſolum tractata referatur, verumetiam tractanda committitur. Veniabilis ſit, quæſumus, apud aures veſtras veritatis aſperitas, cujus convitii invidiam dolor eripit: parum in commune conſulitis, & cum in concilium convenitis, non tam cura publicis mederi periculis, quam privatis ſtudere fortunis, quod utique ſæpe diuque facientes, jam non primi comprovincialium cæpiſtis eſſe, ſed ultimi: quapropter vel conſilio quo poteſtis, ſtatum concordiæ tam turpis incidite.* Quo ex loco manifeſtum eſt, Græcum tentaſſe potiri jure metropolitani, favore quo pollebat apud Euricum regem; ſed irrito conatu. Sub annum
475. 475. Græcus nominatur in epiſtola Lucidi preſbyteri qua ſuum errorem emendaviſſe legitur.

Huic epiſcopo ſubjiciuntur ſucceſſores, unus poſt alterum S. Cannatus & Sabinianus, in Gallia Chriſtiana quadripartita, & apud Ruffium in hiſtoria urbis Maſſilienſis recentioris editionis; qui nobis videntur ex ſerie Maſſilienſium rejiciendi, quod non ſatis certis teſtimoniis innitatur eorum epiſcopatus. Idem de ipſis ſentit doctiſſimus Tillemontius tomo XV. commentariorum in hiſtoriam eccleſiaſticam, nota VI. in ſanctum Hilarium Arelatenſem epiſcopum. Sane Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana minime illos admittit. Abſunt quoque a catalogo, quem texuit Honoratus Bouche in hiſtoria Provinciæ; Gueſnayus vero S. Cannatum amandat ad annum 621. a quo ejus epiſcopatum producit ad an. 647. Non inficiamur tamen aliquem Cannatum nomine olim floruiſſe ſanctitate in Provincia, qui colitur Maſſiliæ 15. Octobris, ubi habebat quondam eccleſiam plebanam intra Maſſiliæ muros. ANNI CHRISTI.

VII. S. Honoratus I.

Epiſcopatus Honorati exordium ducit Til-
Ibid. 475. lemontius ab an. 475. vel 476. pervenitque hic præſul ad Gelaſii papæ tempora, cui notus fuit & carus ob fidei integritatem & eloquentiam, teſte Gennadio capite 99. quod finem imponit ipſius catalogo virorum illuſtrium (ſi tamen * caput iſtud eſt Gennadii) ubi legitur: *

Honoratus Maſſilia eccleſia epiſcopus vir eloquens, & abſque ullo linguæ impedimento ex tempore in eccleſia declamator, & qui a pueritia in timore Dei creſcens, etiam in negotiis eccleſiaſticis exercitatus eſt. Os ſuum quaſi armarium ſcripturarum aperit, & in homiliarum modum ad utilitatem legentium multa componit, maximeque ad colendam fidei rationem, & revincendam hæreticorum perverſitatem; in cujus libera prædicandi conſtantia, non ſolum vicinarum civitatum ſacerdotes & populi delectantur, ſed & longe poſiti cum ad eos neceſſario pergit; ſummam ei docendi in eccleſiis ſuis rogantes injungunt. Sanctus quoque papa Gelaſius Romanæ urbis pontifex, per ſcripturam agnoſcens ejus fidei integritatem reſcripto ſuo &c. Ceterum valde erravit Sigebertus Gemblacenſis, cum hunc ipſum Gennadium, qui tantum fuit preſbyter Maſſilienſis, hujus eccleſiæ antiſtitibus annumeravit; quem ſecuti ſunt Platina in vita Symmachi papæ, & Jacobus Gaddius, qui ipſe egit de ſcriptoribus eccleſiaſticis. De ſcript. eccleſ. c. 30.

Non minus hallucinantur, qui ſanctum Antoninum [b] cujus reliquiæ in eccleſia majori aſſervantur, docent fuiſſe Maſſilienſem epiſcopum. Ipſa inſcriptio quam Ruffius dicit legi in petra quæ tegebat calvariam ſancti Cannati & S. Antonini reliquias, ſatis probat eum nunquam pro epiſcopo eſſe habitum: *Hic continentur caput beati Cannati, & reliquiæ ſancti Antonini, ſanctorum Innocentium, & de veſtibus B. Mariæ virginis.* Nam ſi fuiſſet Maſſilienſis epiſcopus S. Antoninus, haud dubie epiſcopi titulo in inſcriptione inſigniretur. Eadem ratio militat adverſus epiſcopatum ſancti Cannati a nobis ſupra rejectum.

* Ratio dubitandi eſt, quod Gennadius dicatur mortuus anno 492. At nonnulli melius ejus mortem ad annum 495. differunt.

[b] Cointius qui admittit Antoninum epiſcopum, ipſi præmittit Dalmatium: amplas autem Cointio gratias haberemus ſi nos docere voluiſſet, ubinam epiſcopum hunc reperierit.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

VIII. Emeterius.

Hic adfuit per legatum ſynodo Arelatenſi, anno 554. Diſſimulatur tamen in ſubſcriptionibus nomen ſedis Emeterii epiſcopi; at cum habeantur nomina ſedium aliorum epiſcoporum provinciæ Arelatenſis, a quibus potiſſimum hæc ſynodus eſt celebrata, conjicit Coiffius ad hunc annum n. 17. Emeterium Maſſilienſem obtinuiſſe cathedram. Quam conjecturam probavit Bailletus dum in vita ſancti Theodori Maſſil. epiſcopi, die 10. Januarii, eum docet Emeterio ſucceſſiſſe.

554.

IX. Theodorus.

Theodorus egregia ſanctitate conſpicuus laudatur a Gregorio Turonenſi. Epiſcopatum Maſſiliæ obtinuit annis circiter 575. 589. & 590. Cum autem in mota contentione Guntramnum regem inter & Childebertum ejus nepotem pro Maſſiliæ dominatione, quæ ex æquo ad utrumque ſpectabat, Theodorus Childeberti partibus adhæreret; apud Dynamium patricium rectorem Provinciæ conſtitutum a Guntramno, a clericis Maſſiliæ, & præcipue ab Anaſtaſio * abbate calumniis exagitatus eſt, quibus eum ab epiſcopatu dejicere intendebant. Theodorus itaque ad curiam profectus ut ſe purgaret, a Dynamio comprehenſus, injuriis affectus poſtea dimittitur. Unde epiſcopus ad Childebertum pergens, clericorum dolo mandante Guntramno cuſtodiæ iterum traditur. Rari vero clerici in exſilium ablegandum antiſtitem, & non amplius reverſurum, domos eccleſiæ uſurpant, & ſpoliant quaſi mortuo epiſcopo, inſuperque fictis criminibus eum infamant. Verum Theodorus a Childeberto benigne exceptus eſt, qui eum cum Gundulfo [a] ſenatorii generis viro Maſſiliam mittit, ut Dynamium qua poſſet arte reprimeret, & ut Theodorus ſedi ſuæ reſtitueretur. Turonis tranſeuntes a ſancto Gregorio epiſcopo feſtive excepti, Maſſiliam veniunt; ſed ingredi prohibente utrumque Dynamio, is aſtute ad colloquium inductus eſt in vicina muris eccleſia S. Stephani, quo ingreſſus Dynamius graviter increpatus a duce & epiſcopo, jurat eis fidem. Tum convocatis civitatis ſenioribus Theodorus a populo magno plauſu excipitur; & clericorum præcipui, qui hanc calumniam texuerant, ad regem juſſi ſunt proficiſci. At perfidus Dynamius Theodorum iterum apud Guntramnum accuſat, quaſi prohiberet eum frui parte civitatis quæ ad eum ſpectabat; confeſtimque iratus rex jubet antiſtitem vinculis teneri, & ad ſe duci; qui parum ſibi cavens, tandem incidit in laqueos, cum ad conſecrationem oratorii proficiſceretur, dejectuſque ab equo, cæſis ejus clericis ad regem deducitur; qui Aquis-ſextiis tranſiens a Pienco* præſule benigne habitus eſt. Agnita tandem Theodori innocentia a Guntramno relaxatus, a plebe ſua iterum feſtiva lætitia exceptus urbem ingreditur.

lib. VI. c. XI.

575. 589.

* alib. S. Ennodii.

* Piennio.

Rurſum vero nova bella contra Theodorum inſurgunt circiter an. 582. nam cum is a majoribus domus Childeberti regis epiſtolam accepiſſet, qua illi injungebatur, ut Gundebaldum Chlotharii regis pſeudofilium, Maſſiliam Conſtantinopoli appulſum ſuſciperet, ipſum opipare habitum cum equis ad Mummolum ducem dirigit, qui contra Guntramnum regem arma movens Avenionem conceſſerat; idcirco ſubjungit Gregorius lib. 6. c. 24. *Guntramnus dux apprehenſum Theodorum epiſcopum, in cuſtodiam pro hac cauſa detruſit, reputans cur hominem extraneum intromiſiſſet in Gallias, voluiſſetque Francorum regnum imperialibus per hac ſubdere ditionibus. At ille epiſtolam, ut aiunt, manu majorum Childeberti regis ſubſcriptam protulit, dicens: Nihil per me feci, niſi quæ mihi a dominis noſtris & ſenioribus imperata ſunt. Cuſtodiebatur igitur ſacerdos in cellula, nec permittebatur eccleſiæ propinquare ... Poſthac autem ductus eſt ad Gunthchramnum regem cum Epiphanio epiſcopo, qui tunc Longobardos fugiens Maſſiliæ morabatur: ſcilicet quod & ipſe conſcius hujus cauſæ fuiſſet. Diſcuſſi igitur a rege in nullo inventi ſunt crimine. Rex tamen juſſit eos ſub cuſtodia degere, in qua poſt multa ſupplicia Epiphanius epiſcopus obiit.* Theodorus vero ad Childebertum regem Auſtraſiæ miſſus a Guntramno, juſſu ejuſdem Childeberti eccleſiæ ſuæ reſtituitur. Nec tamen eum vexare ceſſavit Guntramnus; ita enim pergit idem Gregorius lib. VIII. c. 12. *Cum rex maxima intentione Theodorum epiſcopum iterum perſequi conaretur, & Maſſilia jam in Childeberti regis dominationem revocata fuiſſet, ad diſcutiendas cauſas Ratharius illuc quaſi dux a parte regis Childeberti dirigitur. Sed poſtpoſita actione quæ ei a rege injuncta fuerat, epiſcopum vallat, fidejuſſores requirit, & ad præſentiam regis Gunthchramni direxit: ut ſcilicet ad ſynodum, quæ Matiſcone futura erat, quaſi ab epiſcopis damnandus adeſſet ... egrediente epiſcopo a civitate, ſtatim res eccleſiæ diripit, & alia quidem ſibi vindicat, alia ſub ſigillorum munitione concludit .... Theodorus vero a Gunthchramno rege detentus eſt: ſed nihil ei rex nocuit. Eſt enim vir egregiæ ſanctitatis, & in oratione aſſiduus, de quo mihi Magnericus Trevirenſis epiſcopus hæc retulit: ante hos annos cum ad præſentiam Childeberti regis ſub ardua cuſtodia duceretur, ut quandocunque ad urbem aliquam veniſſet, neque epiſcopum, neque quemquam de civibus videre permitteretur: adveniens Treviris nuntiatum eſt epiſcopo, hunc jam in navi poſitum clam abduci. Surrexitque ſacerdos triſtis, ac velociter proſequutus, reperit eum ad littus, cauſatuſque cum cuſtodibus, cur tanta eſſet impietas, ut non liceret fratri fratrem aſpicere? viſoque tandem oſculatus eum, indulgens aliquid veſtimenti, diſceſſit. Veniens itaque ad baſilicam ſancti Maximini proſternitur ſepulcro, illud apoſtoli Jacobi retinens:* orate pro invicem ut ſalvemini, *fuſaque diu oratione cum lacrymis, ut fratrem dignaretur Dominus adjuvare, egreſſus eſt foras, & ecce mulier, quam ſpiritus erroris agitabat, clamare ſacerdoti cæpit ac dicere:* o ſceleſte & inveterate dierum qui pro inimico noſtro Theodoro orationem fundis ad Dominum. Ecce nos quotidie quærimus qualiter ab his Galliis exſtrudatur, qui nos quotidianis incendiis conflat.

Jacobi c. 5 v. 16.

582.

[a] Avunculo Gregorii Turon. fratre ſcilicet S. Nicetii epiſcopi Lugdunenſis, ut obſervat poſt Cointium noſter Theodericus Ruinart ad hunc locum.

Narrat

ANNI CHRISTI. I. VIII. c. 13.

Narrat poſtea Gregorius, quomodo Childebertus rex mitior factus, per Felicem legatum pro Theodoro Guntramnum regem patruum ſuum his verbis rogaverit: *Deprecor dominum & patrem meum, ut Theodoro epiſcopo nihil injuriæ inferat. Quod ſi fecerit, confeſtim ſcandalum inter nos germinabit.* Nihil tamen remiſit Guntramnus de concepto in hunc epiſcopum odio, qui ſe ſiſtere placito ſeu concilio apud Matiſconem indicto juſſu regis coactus eſt. At cum judicium exſpectaret, Guntramnus gravi morbo cœpit ægrotare; quod providentia Dei factum putat Gregorius Turon. *Cogitabat enim*, inquit, *multos epiſcoporum exſilio detrudere. Theodorus itaque epiſcopus ad urbem ſuam regreſſus, favente omni populo cum laude ſuſceptus eſt.* Gravi autem peſte Maſſiliam depopulante, cum interim epiſcopus ad regem Childebertum proficiſci coactus eſſet, ut de Nicetii patricii moderamine conquereretur, a rege tamen minime auditus, pravis hominibus ſæpius in aula principum gratia valentibus, dum viri ſancti repudiantur, Maſſiliam reverſus Theodorus, peſtis incendio nullis humanis remediis exſtincto, ad divina confugit. Paucis ergo cum ipſo remanentibus ſe infra ſancti Victoris baſilicam continuit, ibique vigiliis ac orationibus vacans Domini miſericordiam exorabat, ut tandem ceſſante interitu, populo liceret in pace quieſcere; precibuſque ſuis inducias duorum obtinuit menſium. Sed poſtea peſtis recruduit, fortaſſe peccatis rurſus in populo graſſantibus. Pervenit Theodorus ad annum ſaltem 591. quo Gregorius Magnus ad eum ſcripſit Judæos, qui tum Maſſiliæ frequentes erant, ad baptiſmum vi cogendos non eſſe, ſed ad fidem Chriſtianam amplectendam ſuaviter compellendos. Sanctiſſime actam vitam clauſit feliciter an. circiter 594.

ibid. c. 20.

ibid. l. IX. c. 22.

591.

lib. I. ep. 47. al. 45.

594.

X. SERENUS.

Serenus non aliunde nobis notus, quam ex epiſtolis S. Gregorii Magni ad eum ſcriptis. In priori commendavit illi Auguſtinum monachum ejuſque ſocios, quos in Britanniam ad Anglorum converſionem miſerat, necnon Candidum patrimonii eccleſiæ Romanæ rectorem in Galliis. In ſecunda, poſt commendatum Sereno Cyriacum abbatem, quem ad Syagrium Auguſtodunenſem epiſcopum legaverat, eum redarguit, quod imagines eccleſiarum fregiſſet ac projeciſſet, ne ab imperita multitudine adorarentur; laudatque illarum uſum: *Idcirco enim* inquit, *pictura in eccleſiis adhibetur, ut hi qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.* Monita Gregorii licet tanta prudentia, lenitate & benignitate temperata ægre tulit Serenus; finxitque dubitare utrum litteræ ſibi ab ipſo per Cyriacum abbatem ſcriptæ germanæ forent aut fictitiæ. Idcirco ipſum acrius increpat alia in epiſtola, damnatque zelum nulla diſcretione conditum, quo fregit imagines: *Hinc autem*, inquit, *dum in hoc animi tui incaute motus exſequeris, ita tuos ſcandaliſaſſe filios perhiberis, ut maxima eorum pars a tua ſe communione ſuſpenderet. Quando ergo ad ovile Dominicum errantes oves adducis, qui quas habes retinere non prævales? Proinde hortamur, ut ... eorum animos, quos a tua diſjunctos unitate cognoſcis, paterna ad te dulcedine, omni adniſu, omnique ſtudio revocare feſtines.* Sopita hac altercatione S. Gregorius Sereno commendavit quoſdam monachos cum Laurentio presbytero & Mellito abbate in Britanniam miſſos, ubi tanta meſſis erat ut Auguſtinus ejuſque ſocii ad eam colligendam non ſufficerent, opeque indigerent.

lib. VI. ep. 51.

lib. IX. ep. 105.

lib. XI. ep. 13.

ANNI CHRISTI

lib. XI. ep. 58.

Ex his epiſtolis utcumque diſcimus, quo quantoque tempore Serenus epiſcopalem ſedem obtinuerit. Prior enim epiſtola ſcripta eſt an. Chriſti 595. proindeque jam tum Serenus epiſcopus erat; ultima vero ad annum Chriſti 600. refertur; proindeque hunc annum attigit hic epiſcopus.

595 vel 600.

XI. ADALONGUS *.

* Adalonus. Abdalongus.

A Sereno uſque ad hunc epiſcopum fluxere fere quadraginta anni ſupra centum; quo temporis decurſu aut vacavit ſedes, aut epiſcoporum, qui ſederunt oblitterata eſt memoria, propter Saracenorum tota Gallia, maxime Provincia, præſertimque in oris maritimis aſſiduas incurſiones & populationes. An. circiter 739. hi barbari Arelatum occuparunt, Avenionem, Arauſionem, ipſamque Maſſiliam; quamquam hanc urbem in ea communi clade fuiſſe direptam neget Bouchius, quod Mauronus, cujus proditione capta eſt, ibi moraretur. Hujus procellæ tempore præfuiſſe Adalongum eccleſiæ Maſſilienſi communis eſt opinio, quem etiam titulo ſanctitatis ornant, ejuſque feſtum calendis Martii aſſignari volunt in Uſuardi martyrologio, ſeu potius in additionibus Molani ad hoc martyrologium. Nulla tamen ejus mentio fit in hodiernis breviariis; & de ipſo prorſus ſilent Bollandiani ſocii.

739.

Johannes quidam Maſſilienſis epiſcopus dicitur adfuiſſe dedicationi eccleſiæ Anianenſis an. 795. ſed levi aut etiam nullo fundamento. Huic opinioni obeſt Cointius, qui extendit epiſcopatum S. Mauronti ab anno 767. ad 804.

XII. S. MAURONTUS.

S. Maurontus epiſcopus & abbas S. Victoris ſub Hadriano I. papa, & regnante Carolo Magno ſedebat. Is villam *Caladus* traditam olim ſancto Victori a Nemphidii patricii relicta Adaltrude, ablatamque dehinc per Antenerium patricium recuperavit a miſſis dominicis Caroli Magni, & Marcellino comite Dignenſi anno regni Caroli XII. Chriſti 780. indictione XI. 8. cal. Martii; quod pervetus documentum e libro chartarum cœnobii Maſſilienſis S. Victoris erutum deſcribendum ex ſchedis Peireskianis curavimus, noſtriſque probationibus inſeruimus. Obiiſſe dicitur XII. cal. Novembris anni 804. coliturque die 20. Octobris Maſſiliæ in eccleſia majori quæ corpus ejus ſervat *a*. Cointius

780.

C. I. pag. 106. col. 1.

804.

a Sepulcus tamen dicitur in eccleſia inferiori S. Victoris in marmoreo monumento coloris albi, variis centaurorum utriuſque ſexus figuris exornato, pulcherrimique ut aiunt operis, & ipſo Mauronto longe vetuſtioris, utpote quod ſapiat paganiſmum, ejus inſcriptio quam alatæ virgines duæ ſuſtinent ſic habet: D. M. Juliæ quintinæ. Coſſutia Hycla. mater. filiæ pulcherr.

ANNI CHRISTI.

ejus episcopatus initium sumit ab anno 767. potius ex conjectura, quam ex ullo certo testimonio. Idem dicendum de episcopatu Honorati, quem Cointius obiisse dicit anno eodem 767. successoremque habuisse S. Maurontum. Hic enim scriptor includit Maurontum inter duos Honoratos.

XIII. HONORATUS II.

Successit S. Mauronto ex Ruffio & Cointio, qui ejus episcopatum ab anno 804. ad annum 811. producit. Sed de hoc episcopo nihil certi asseri potest; quem utrum exstiterit ancipites sumus. 804. 811.

XIV. VADALDUS.

Hunc episcopum subministrat nobis chartarium locupletissimum sancti Victoris, in quo legitur *convenientia* seu conventio ab hoc præsule & ejus clero facta cum Onaldo ejusque uxore Rodolena &c. de terris propriis S. Victoris in pago Arelatensi, loco cognominato *Submonte*. Id actum est x. cal. Junias imperante Ludovico, indictione XI. quæ denotat annum 818. Subscripsit inter ceteros Theotbertus archidiaconus, quem credimus eum ipsum esse, qui sequitur. Documentum ex quo episcopi hujus hausimus notitiam, editum est in probationibus; estque charta II. 818.

Ch. II. p. 106. col. 2.

XV. THEODBERTUS *al.* TEUTBERTUS.

Theodbertus tempore Ludovici Augusti archidiaconus, sub eodem imperatore in Massiliensi sedit cathedra; qui pius princeps ad ejus preces confirmavit donationem quam pater Carolus imperator fecerat monasterio S. Victoris, * datam Isemburgi in palatio regio calend. Novembris indict. I. pro jure vectigalis quod pensitarent naves in portu Massiliæ, juxta monasterium sub anchora residentes: a Lothario quoque omnia sancti Victoris privilegia eo annitente firmantur. Iste anno primo Lotharii in Francia, in Italia XII. indict. 13. Aquis-grani memoratur in altero privilegio confirmationis donationum Caroli Magni imperatoris, quod asservatur in S. Victoris tabulario Massiliensi, editumque est a nobis inter probationes.

* hoc Caroli diploma memoratur lib. IV. de re diplomatica c. 72.

Ch. III. p. 107. col. 1.

XVI. ALBOINUS.

Alboinus infulis Massiliensibus ornatus erat anno V. imperii Hlotharii, quo recuperavit teloneum de Leguino a Rotberto vicario Adalberti comitis, quemadmodum legitur in magno chartario S. Victoris Massiliensis, ubi legitur notitia de restitutione istius villæ; quod documentum jam editum in Gallia Christiana quadripartita, iterum recudi curavimus. 844.

Fol. 9 de armario dioceseos Arelat. 25. Ch. IV. p. 107. col. 2.

XVII. LEODOINUS.

Leodoinus cum episcopis Arelatensis regni, in synodo Mantalensi anno 879. idibus Octobris subscripsit electioni Bosonis regis, de qua jam non semel locuti sumus. Ruffius in historia Massiliensi, docet Leodoinum adfuisse conventui Cabilonensi anno 875. Sedit quidem hoc in 879.

cœtu episcopus *S. ecclesiæ Massiliensis*, sed nomen ejus nos latet.

ANNI CHRISTI.

XVIII. BERENGARIUS.

Hujus episcopi memoria conservatur in diplomate Carolomanni regis, quod exstat in tabulario Victorino, datum IV. nonas Februarii, anno V. regnante hoc rege indictione 2. hoc est Christi anno 884. Hoc regio præcepto villa Ciliani, ad preces hujus Berengarii episcopi, & Frotarii archiepiscopi restituitur Massiliensi sancti Victoris monasterio. Idem Berengarius adfuit concilio Nemausensi apud Villam-portus anno 886. cujus anno quoque 890. adhuc mentio fit in tabulis. 884. *Vide prob. ch. V. pag. 108. col. 1.* 886. 890.

Apud Ruffium, Honoratum Bouche, Sammarthanos fratres, Berengario Venator suffici-tur. Sed quis fuerit hic episcopus, quo tempore sederit, imo utrum exstiterit prorsus ignoratur.

XIX. DROGO.

Drogo cui Manasses archiepiscopus Arelatensis donat abbatias sancti Gervasii & S. Andreæ; quod monasterium erat situm in insula Camaricas *Camargue* super fluvium Rhodani. Donatio facta est an. 923. cal. Junii ex magno chart. S. Victoris Massil. Ejusdem Drogonis episcopi Massil. legitur compositio facta cum Pontione & uxore ejus pro rebus sitis in pago Uzetico, Arelate XIV. cal. Julii an. 34. [a] regnante & imperante Hludovico filio Bosonis regis; subscripsit Razo præpositus Arelat. ecclesiæ. 923. *Ex archivis S. Victor. Massil. in armario Uzetiensi num. 12.* [a]

XX. S. HONORATUS III.

28 Maii 961?

S. Honoratus *a Massilia* dictus propter illustre genus, filius erat Pontii Massiliæ vicecomitis, juxta V. Cl. Antonium de Ruffi in historia urbis Massiliensis, hunc autem pontificem docet fuisse fratrem Bosonis Provinciæ comitis. Hanc sententiam impugnat V. Cl. Ludovicus Antonius Ruffius Antonii filius ea ratione (tantus est in erudito viro veritatis amor) quia, inquit, Pontius vice-comes sedit judex cum aliis decem & octo ad componendam querelam inter Honoratum episcopum Massiliensem, & Bosonem Provinciæ comitem. Quî autem potuit esse judex in causa proprii filii adversus fratrem suum Bosonem? Responderi tamen potest hos judices forsan electos esse a partibus, ad sua amicabiliter componenda dissidia; quo in casu decebat operam Pontii vice-comitis adhibere. Aliæ tamen sunt rationes, quæ anceps efficiant utrum S. Honoratus fuerit Pontii vicecomitis filius. Quidquid vero sit de hujus episcopi patre, liquet eum fuisse fratrem Guillelmi I. vice-comitis Massiliæ; id enim constat ex instrumento cujusdam donationis ab hoc episcopo factæ sancto Victori, in cujus fine legitur. *Acta in Massilia regnante Conrado rege. Signum dom. Honorati, qui chartulam istam fieri jussit .... Dom. Guillelmus frater suus vice-comes, & uxor sua Bilseldis, & concesserunt & voluerunt cum*

Dissert. sur les vicomtes de Marseille.

[a] Ludovicus Bosonis filius coronatus est rex anno 890. imperator 901. tricesimus quartus annus ejus regni est 925. imperii 936.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

filiis suis Pontio & Guillelmo. Domnus Guillelmus comes firmavit.

948. Jam episcopatum auspicatus fuerat an. 948. ex tabulis Montis-majoris, nam permutationem insulæ Montis majoris ab Arelatensi archipræsule capituloque factam cum Teucinda Deo devota, pro quibusdam prædiis sigillo suo roborat nonis Octobris an. XII. regnante Conrado rege Alamannorum vel Provinciæ, qui anno supra assignato illigatur. Præcipua hujus episcopi laus est, quod celeberrimum S. Victoris monasterium a Saracenis destructum, & ab laicis abbatibus pessumdatum restaurare cœperit, multa prædia & ecclesias huic sacro loco vel conferens, vel restitui curans. Optavit quoque congregationem monachorum secundum regulam sancti Benedicti hac in abbatia constitui, ut legere est in pii hujus episcopi charta inter probationes excusa. Quo tempore data sit ipsa non docet; nisi quod legitur scripta Conrado regnante qui vivere desiit in fine anni 993. Memoratur in chartario magno sancti Victoris, in restitutione bonorum facta anno 965. & in guerpitione vinearum, &c. de Stavalo-Aquis anno 31. regnante Conrado rege, XIII. calend. Septembris. Vixit S. Honoratus saltem usque ad annum 994. regnante enim Rodulfo rege Conradi filio, qui regnare cœpit incunte hoc anno, adiit Bosonem comitem a quo restitutionem obtinuit eorum quæ ex bonis sancti Victoris injuste retinebat. Notitiæ, ex qua id deprehendimus, vitiosæ sunt notæ chronicæ, neque enim annus 962. convenire potest chartæ factæ regnante Rodulfo rege, qui tantum post annos duos & triginta regnum suum est auspicatus. Itaque legendum puto, anno 994. qui indictioni septimæ annotatæ optime convenit. Vide chartam hanc si lubet, suo loco. Migravit ad immortalitatem Honoratus 12. Martii, ex ecclesiæ Massiliensis codice.

Ch. VI. p. 108. col. 1. fol. 10. vers.

965.

fol. 72.

994.

Ch. VII. p. 108. col. 2.

D. Marseille.

XXI. Pontius I.

Pontius Guillelmo I. Massiliæ vice-comite, & Bilieldi matre supra commemoratis natus, frater Guillelmi & Fulconis vice-comitum, patruo suo sancto Honorato in sede Massiliensi successor datus, simul ipsi successit in amore pro Victorino monasterio, cui multa dona aut fecit aut fieri fategit. Etenim anno 1001. mense Decembri dedit cum patre suo Willelmo mediam partem villæ quam vocant *Almes*, regnante Rodulfo rege Alamannorum seu Provinciæ. Eo tempore sancti Victoris abbatia, ejus præsertim sollicitudine reflorescere cœpit. Eodem Pontio consentiente, imo, ut par est credere, consulente, Willelmus vice-comes Massiliensis ipsius pater in extremis positus comam capitis deposuit, & secundum regulam sancti Benedicti habitum monachalem suscepit in San-Victorino asceterio, ubi Wifredus præpositus ab abbate seculari Garnerio constitutus; ab anno 1000. restaurandæ huic abbatiæ incumbebat; dedit autem pro sua *vestitione* villam *Campanias*; quod donum Pontius episcopus idibus Octobris anno 1004. nominis sui subscriptione firmavit. In charta quam dedit anno 1005. pro eodem monasterio, confirmaque curavit a Pontio Arelatensi & Amalrico Aquensi archiepiscopis, necnon a multis aliis præsulibus &c. Honoratum episcopum antecessorem suum, avunculum; hoc est patruum suum dicit, & de suo comitumque Provinciæ genere plurima nos edocet. Denique an. 1008. omnia bona a se ipso Massilienſi monasterio facta cumulavit donatis multis prædiis in comitatibus, Aquensi, & Forojulienſi, & in urbe Arelatensi mansionibus quas ipse construxerat. Jam e vivis excesserat anno 1014. ut conjicimus ex diplomate fratris ejus Guillelmi Massiliæ vicecomitis, in quo de ipso tanquam mortuo videtur loqui. Et quidem hoc anno 1014. Pontium II. sedisse, idque probari ex tabulis Victorinis, observavit Dom. d'Ache. Sororem habuit Bellielim vel Bilieldem, quæ etiam sancto Victori benefecit, ex ejusdem loci chartario.

ANNI CHRISTI.

Ch. XI. C. XII.

XXII. Pontius II.

De Marseille.

Pontius II. Willelmi vicecomitis Massiliæ, & Aicelenæ filius, cujus fratres Willelmus III. vicecomes cognomento Juvenis, & Josfredus vice-comes Massiliæ, & Arelatum Aicardus, & Fulco nepos supradicti Pontii episcopi, patruus vero Aicardi Arelatensis archiepiscopi, Massilienſem sedem conscendit anno 1019. vel etiam antea. Erat enim episcopus ante matris Aicelenæ mortem, ut probat charta qua pater ejus Willelmus & patruus Fulco eorumque uxores Aiffelena & Odila, dant sancto Victori, sancti Mitrii martyris ecclesiam &c. Ea vero in charta Pontius noster episcopus commemoratur. Aicelina autem ejus mater anno 1019. obierat, nam Guillelmus vice-comes hoc anno aliam duxerat uxorem nomine Stephanam, cujus meminit altera ejusdem Willelmi comitis charta hujus ipsius anni, qua pro remedio animæ uxoris Asselinæ, ipse & filii ejus donant sancto Victori octavam partem villæ Cathedræ in comitatu Massilienſi prope mare. Subscripsit Stephana Willelmi uxor, Pontii, episcopi noverca. Sed omnem ambiguitatem de initio episcopatus Pontii tollit charta Willelmi vicecomitis & Aicelinæ ejus uxoris parentum Pontii, pro monasterio Victorino, data anno 1014. cui subscripsit Pontius noster episcopus. Chartam hanc descriptam ex magno chartario Victor. inter instrumenta habes Ch. XII. p. 110. col. 2.

1013.

Ch. XIII. p. 110. col. 2.

Ch. XIV. p. 110. col. 2.

fol. 29. vers. & 30.

Pontius episcopus Massilienſis an. 1037. subscriptus legitur chartæ donationis unius mansi in furno Calcario factæ S. Victori a Guitberto filio Dragonis. Et rursum anno 1039. in charta Bertrandi comitis Provinciæ plurima donantis Fulconi vicecomiti Massiliæ & Odillæ uxori ejus, ad hoc scilicet ut partem & societatem habeat in eleemosyna quam faciunt S. Victori martyri & S. Petro de Paradiso, cui noster Pontius subscripsit post Willermum majorem, cujus nuncupatur filius. Laudatur hujus episcopi sollicitudo & pietas in resarciendis multis templis quæ negligentia clericorum corruerant. Præcipuam vero curam impendit in restauranda antiqua sede. Nec defuit ejus munificentia Wifredo præposito, postea abbati sancti Victoris, qui immenso labore monasterium hoc redintegrare pergebat.

Ex schedis D. de Mazaugues.

Cum autem abſoluta fuiſſet eccleſia ſub ſancto Iſarno abbate, eam Benedictus papa IX. conſecravit in frequenti epiſcoporum cœtu, inter quos eminebat Pontius, anno 1040. idibus Octobris. Anno 1044. dedit S. Victori, ſancti Geneſii eccleſiam, ut abbas & monachi eam reædificarent, ac in perpetuum poſſiderent. Eodem anno indictione XII. multa alia contulit ſub cenſu quinque librarum ceræ. Anno 1045. indict. XIII. ſubſcripſit diplomati Guillelmi patris ſui donantis Montis-majoris monaſterio inſulam de Cotignanicis. An. 1056. cum fratribus Willelmo & Gaufredo dedit B. Victori eccleſiam S. Torpetis, regnante Henrico. An. 1058. ipſemet ceſſit terram de Fraxeneto, in comitatu Forojulienſi. An. 1056. *convenit ad ſynodum ſancti Ægidii. Vitam produxit ſaltem uſque ad annum 1072. quo Garſindem abbatiſſam ſancti Salvatoris apud Maſſiliam conſecravit, & *inthroniſavit*; addito aliquo dono, de quo in litteris ipſius Pontii datis ſeptimo idus Januarii, &c. E vita migravit longævus die 16. Februarii anno 1073.

ANNI CHRISTI. *Ch. XV. p. 110. col. 2.* 1040. 1044. *Ch. XVI. p. 111. col. 2.* 1045. 1056. 1058. *Ch. XVII. p. 111. col. 2.* 1072. *C. XVIII. p. 112. col. 1.* 1073.

XXIII. RAIMUNDUS I.

Hunc epiſcopum Gaufredo vicecomite Maſſilienſi & Rixendi ejus uxore genitum docuerunt noſtri Sammarthani, Antonium Ruffium ſecuti. At V. C. Lud. Ant. Ruffius qui patris opinionem amplexus fuerat in ſecunda editione hiſtoriæ Maſſilienſis, priorem ſententiam retractavit & mutavit, in quibuſdam obſervationibus de epiſcopis Maſſilienſibus ad me miſſis; negatque Raimundum I. epiſcopum Maſſilienſem Gaufredi vicecomitis fuiſſe filium. Nullibi enim id legitur in veteribus documentis. Imo in charta Gaufredi pro ſancto Victore, quam idem Ruffius edidit p. 485. ubi Gaufredus ſuos enumerat filios, Aicadrum quidem Arelatenſem archiepiſcopum appellat, ſed Raimundum quartum filium nudo nomine deſignat, nec epiſcopum dicit. Sedebat tamen in cathedra Maſſilienſi Raimundus, quando inſtrumentum iſtud confectum eſt, nempe anno 1079. quippe Raimundi epiſcoparus initium ducitur ab an. 1074. Subſcripſit anno 1093. chartæ cujuſdam Pontii Malnerii pro S. Victore, indictione I. An. 1098. præſens legitur quando Fulco Aquæ-Sextienſis eccleſiæ præpoſitus, confirmavit S. Victori, & Richardo abbati, eccleſias ab Aquenſibus archiepiſcopis conceſſas. De anno quo exceſſit e vita nihil poſſumus aſſerere.

1074. 1093. 1098.

Poſt hunc Raimundum clariſſimus Ruffius junior poſuit Petrum I. ex charta libri Viridis in cujus fine legitur: *Facta eſt hoc anno* MCVIII. *menſe Martio, Adriano papa IV. Romanæ eccleſiæ præſidente. Ego Aicardus Maſſiliæ præpoſitus in præſentia epiſcoporum R. Carpentoratenſis, & Guillelmi Tolonenſis ... tibi domino Petro Maſſilienſi epiſcopo fidelitatem ... promitto.* Sed vir doctus & ſagax obſervavit vitioſas eſſe notas chronologicas. Certe anno 1108. non ſedebat Adrianus IV. ſed Paſchalis II. Nec Raimundus epiſcopus Carpentoratenſis, & Guillelmus Tolonenſis præerant anno 1108. ſed 1158. Itaque optime vir eruditus ita reſtituit notam anni, ut 1158. legatur pro 1108.

ANNI CHRISTI.

XXIV. AICARDUS.

Aicardus comes Raimundi Provinciæ marchionis & comitis ſancti Ægidii, in expeditione ſacra, ratam habet donationem, quam prædictus comes fecit medietatis civitatis vocatæ *Gibbillet* inter Tripolim & Berytum, cœnobio ſancti Victoris Maſſil. menſe Januario an. 1103. Vide probationes hiſt. domus Arverniæ Stephani Baluz. Aicardus quidem non vocatur epiſcopus in laudato inſtrumento, ſed ſatis intelligitur epiſcopus ex titulo reverendiſſimi; nec dubitat Baluzius eum fuiſſe epiſcopum; cui facile aſſentimur.

1103. *Pag. 57.*

XXV. RAIMUNDUS II.

Raimundum alterum Bertrando, de quo infra ſumus acturi, præponere cogimur, non poſtponere, ut quibuſdam eruditis viris viſum eſt; quia in chartis Raimundus aliquot annis præcedit Bertrandum, nimirum anno 1117. memoratur cum Aicardo I. præpoſito in charta de emtione mediæ partis vallis, quæ vocatur *Arcula*. Hic Raimundus ſancti Victoris Maſſilienſis alumnus, ubi magnam hauſerat imbiberatque pietatem, eccleſiam majorem vaſis argenteis & aureis, maxime vero ſanctorum reliquiis locupletavit, quas ſub arca majoris altaris recondidit. Conſtat id ex hac charta quæ inventa eſt in capſa quæ continebat varias ſanctorum reliquias:

*Remundus Dei gratia Maſſil. epiſcopus vir religioſus ſub monachali habitu atque regula cunctis diebus vitæ ſuæ vivens, in hymnis & pſalmis, cum pudicitia Deo perſeveranter ſervivit; qui multos libros multaque ornamenta auri & argenti & palliorum in eccleſia S. Mariæ ſedis Maſſilienſis emendo conſtituit: ad ultimum autem ſub Chriſti nomine ad honorem genitricis Dei Mariæ antiquæ ſedis Maſſiliæ hanc arcam in anno milleſimo centeſimo viceſimo ſecundo ab incarnatione Domini fecit, in qua ipſemet propriis manibus reliquias plurimorum ſanctorum in die aſſumptionis S. Mariæ præſente ſuo clero poſuit, corpus S. Cannati epiſcopi * Maſſilienſis & confeſſoris, & S. Antonini confeſſoris, & S. Victoris martyris, &c.*

* juxta vulgarem opinionem.

XXVI. BERTRANDUS.

Huic epiſcopo graves movit lites Pontius de Podio-Nigro *, quem aiunt fuiſſe Maſſiliæ vicecomitem. Hic autem vicecomitatus in multas ſectus fuit portiones. Pontius multa eccleſiæ bona retinebat, quæ repetiit noſter Bertrandus, maxime *Portum Gallicanum*. Conjicimus autem hujus loci, ceterorumque reſtitutionem eſſe factam; etenim Pontium anathemate percuſſum a ſummo pontifice, ejuſdem juſſu Bertrandus epiſcopus abſolvit anno 1121.

* de Podio-Nigro.

1121.

XXVII. RAIMUNDUS III.

Hic præſul Bertrando ſuffectus, anno 1138. adfuit Bertrando Forojul. epiſcopo ratam ha-

a Quidam eruditi concilium hoc poſt an. 1052. celebratum non fuiſſe contendunt.

ANNI CHRISTI.

benti quamdam tranſactionem factam inter Garinum abbatem Lirin. & Forojul. eccleſiam, ex tab. Lirin. teſte D. Eſtiennot. Accepit diploma ab Innocentio papa II. die 15. Junii anni 1141. quo Maſſilienſem eccleſiam ſuæ protectioni committit, necnon ei confirmat caſtella de Ners, S. Juliani, ſancti Cannati & alia. Eugenius quoque III. ei bullas & litteras ejuſdem pene argumenti conceſſit. Teſtis nominatur in donatione facta ejus aſſenſu aſcetis Carruſianis Montis-rivi a priore Maſſili. 1141. Exſtat & in archivo Maſſilienſi charta Raimundi comitis Barcinonenſis, Provinciæ marchionis, qua ſuſcipit in defenſionem & cuſtodiam D. Mariæ Maſſilienſis eccleſiam cum omnibus pertinentiis, in manu illuſtris ac venerabilis Raimundi Maſſilienſis epiſcopi, apud Arelatem IV. cal. Septembris 1150. quo eodem anno interfuit diviſioni Vallis-bellæ cum Willelmo de Signa, & Gaufredo filio. Deceſſit anno 1151. die 26. Aprilis ex martyrologio eccleſiæ Maſſilienſis.

1141.

XXVIII. Petrus I.

Petrus anno 1152. hominium recipit Raimundi Gaufredi filii Dulcelinæ, Maſſiliæ vicecomitis, in quo Petrus appellatur Beatricis filius. Sequenti vero anno, qui fuit primus pontificatus Anaſtaſii IV. papa hic protectionis bullam ſedi conceſſit Maſſilienſi, qua ejus bona enumerantur. Ea propter inter probationes ipſam edere operæ pretium eſſe duximus. Anno 1158. Aicardus Maſſilienſis præpoſitus, huic epiſcopo fidelitatem promiſit & obedientiam. An. 1163. ejus ac Raimundi Antipolitani judicio componitur controverſia inter eccleſiam Maſſilienſem & abbatiam ſanctimonialium ſancti Salvatoris, de nonnullarum eccleſiarum parochiarumque finibus. Anno 1164. a Friderico imperatore dicto Ænobarbo confirmationem privilegiorum Maſſilienſis eccleſiæ obtinuit, ſimulque poſſeſſionum omnium. Anno ſequenti per electos judices, ſcilicet epiſcopos Carpentoratenſem & Antipolitanum finis imponitur liti de dominio urbis, ſtatuiturque urbem ad epiſcopum pertinere debere. Vitam expleviſſe anno 1170. XI. Aprilis dicitur, quo die ejus obitus inſcribitur veteri necrologio eccleſiæ Maſſilienſis. Itaque de eo non debet intelligi vetus hæc inſcriptio quæ legitur in eccleſia Victorina. IIII. NN. APL. Ō. DOM. PETR. ĒPS MASSILIENSIS.

Ch. XIX. p. 112. col. 1.

Ch. XX. p. 112. col. 2.

1158.

Vide ſupra in Raimundo I.

Ch. XXI. p. 113. col. 1.

1164.

Ex lib. Viridi.

1170.

XXIX. * Raimundus IV.

Raimundus poſt vacationem biennii hanc cathedram conſcendit an. 1172. Sanctorum Lazari, Cannati, Mauronti & aliorum SS. martyrum Maſſilienſium reliquias ferreo ſcrinio incluſas viſitat, venerandaſque populo exhibet, ex inſtrumento publico in eodem recondito. Moritur an. 1174.

1172.

* Hunc Raimundum ignoravit Polycarpus de la Riviere, ut patet ex ejus epiſt. 7. ad Peireſkium, in qua Petro ſucceſſorem dat Fulconem an. 1172. vel 73.

XXX. Fulco.

Fulco cujus cauſa tot litterariæ fuerunt concertationes, ſucceſſit Raimundo anno 1174. quo videlicet tempore ſententiam tulit pro carruſia Montis-rivi, adverſus homines de Melva, VII. idus Junii, rata habens quæ a Petro deceſſore ſuo definita erant. Subſcribunt judicio Bertrandus prior Montis-rivi, Honoratus ſacriſta, Bertrandus de Maſſilia, Bertrandus de Olioules, Guillelmus de Valbella, Gaufridus præpoſitus Tolonenſis. Inter epiſcopos qui poſt abjuratum ſchiſma fuerunt a vinculis excommunicationis abſoluti ab Alexandro III. in concilio Veneto, anno 1177. recenſetur epiſcopus Maſſilienſis, qui non poteſt alius eſſe a noſtro Fulcone. Anno 1178. Tiburgis de Borriano, ejuſque filii Fulconem epiſcopum & eccleſiam Maſſilienſem inveſtiverunt de caſtro S. Cannati, acceptis DC. ſolidis Melgorienſibus coram Raimundo Arelatenſi archiepiſcopo, Petro Tolonenſi epiſcopo, & Amelio Palagat præpoſito. Interfuit concilio Lateranenſi an. 1179. & anno ſequenti præſens memoratur cum Henrico cardinali Albanenſi ſedis apoſtolicæ legato, & Bertrando Vaſionenſi præſule, in pactis compoſitionis Manuaſcæ hoſpitalariis a Guillelmo comite Forcalquerii confirmatæ, cujus inſtrumentum edemus in Guillelmo Ebredunenſi archiepiſcopo. Anno autem 1185. VII. cal. Maii feria V. poſt paſcha donavit Fulco priori Montis-rivi omnem decimationem ad jus epiſcopale pertinentem, in terris, quas ipſi, nimirum aſcetæ Montis-rivi infra terminos ſuos acquiſiviſſent. Tum anno 1186. menſe Martio interfuit tranſactioni Willelmi de Signa, cum Amico armigero ſuo, & ſancti Victoris cœnobio reddidit quidquid in Carbilano poſſidebat; ex tabulariis. Hoc anno e vivis exceſſit, juxta quorumdam ſententiam, quæ nunc expendenda eſt ſimulque negans, & contraria opinio trutinanda: ſed ante hanc inquiſitionem, quædam ſunt præmittenda de hucuſque recepta opinione.

ANNI CHRISTI.

1174.

Chron. Montis-rivi.

tom. X. concil. col. 1490.

1177

Ex ſchedis Lud. Ant. Ruffi.

1179.

1185.

Communis opinio eſt Fulconem poëtam, qui erat in deliciis Richardo Anglorum regi & Alfonſo Arragonum, factum eſſe monachum, deinde abbatem Toroneti, ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Forojulienſis; tandem aſſumtum fuiſſe ad Maſſilienſem cathedram anno 1174. a qua ſede tranſivit ad Toloſanam. Contra opinionem hanc anonymus quidam doctiſſimus edidit epiſtolam criticam Aquisextiis typis vulgatam, & unico eam argumento everſit. Fulco, inquit, ex abbate Toroneti factus eſt epiſcopus Toloſanus an. 1205. Itaque falſa ſunt omnia quæ de ejus epiſcopatu Maſſilienſi vulgo circumferuntur. Electionis Fulconis adhuc abbatis Toroneti in epiſcopum Toloſanum, anno 1205. teſtem oculatum profert Guillelmum de Podio-Laurentii ita loquentem chronicorum c. 7. *Fulco abbas Floregiæ ſive Torondeti ordinis Ciſtercienſis, eligitur in epiſcopum Toloſanum, cujus promotionem cum audiſſet dictus legatus, qui optime eum noverat, ut jacebat in lecto infirmus, elevatis manibus in cœlum, gratias egit Deo, quod de tali perſona providiſſet eccleſiæ Toloſanæ . . . . agebatur autem quando in-*

ANNI CHRISTI. *travit Toloſam annus gratiæ* 1205. Paulo poſt A refert quædam quæ ex ore ejus audierat.

Itaque mihi perſuaſum eſt Fulconem abbatem Toroneti, qui factus eſt epiſcopus Toloſanus nunquam fuiſſe Maſſilienſem antiſtitem.

Aliud argumentum petit epiſtolæ ſcriptor, ex litteris fundationis monialium Ciſtercienſium ſancti Pontii de Gemenos anni 1205. quarum archetypum inſtrumentum aſſervatur in tabulario eccleſiæ Maſſilienſis. His autem litteris teſtis adeſt Fulco abbas Toroneti. *In lib. Viridi.*

Hoc inſtrumentum curioſe inſpexit noſter D. Edmundus Martenne, in quo plurima animadvertit, in quibus exemplum typis editum diſcrepat ab archetypo, vel ſaltem a codice manu exarato. 1°. Annus inſtrumenti confecti, in exemplari typis impreſſo, eſt 1205 in manuſcripto 1201. 2°. Typis excuſum exhibet nomen Rainerii Maſſilienſis epiſcopi; MS. Fulconis nomen, minori tamen charactere. At nullus eſt locus ſuſpicioni, quod nimirum abraſum fuerit Rainerii nomen, ut ejus loco Fulco ſcriberetur; nam Rainerii nomini ſcribendo locus non ſufficiebat, qui etiam ut ſcriberetur *Fulco* erat anguſtior; quapropter utendum fuit minuſculis litteris. 3°. Non legitur in manuſcripto *P. præpoſitus*, uti legitur in edito codice, ſed *Fr. Monoguetus*, minori tamen charactere. 4°. Inter teſtes non legitur *Fulco* in archetypo, ut in edito, ſed *Franciſcus abbas Floregiæ*. 5°. In typis vulgato legitur, *appoſito ſigillo Fulconis abbatis Floregiæ*; quæ in authentico deſiderantur.

Ex his liquet hoc inſtrumentum minime probare Fulconem adhuc fuiſſe abbatem Toroneti anno 1205. ſed teſtimonium Guillelmi de Podio-Laurentii, ad id demonſtrandum ſufficit.

Itaque conſtat eundem Fulconem non fuiſſe Maſſiliæ & Toloſæ epiſcopum. At inde non conſequitur nullum fuiſſe epiſcopum Maſſiliæ nomine Fulconem, cum id jam invictis probaverimus teſtimoniis. Nunc vero inquirendum utrum obierit anno 1286. judicium autem pendet a veteribus chartis.

Certe noſter D. Edmundus Martenne in explorandis antiquis inſtrumentis verſatiſſimus, ejuſque ſocius D. Urſinus Durand, magnæ in his ſagacitatis, in plurimis majoris eccleſiæ Maſſilienſis documentis legerunt nomen Fulconis, aut aliud pene ſimile, diu poſt annum 1186. In charta anni 1190. nominatur *Fulcus*. In libro capituli dicto *flavo*, ſeu *luteo* (*le livre jaune*) folio 10. exſtat inſtrumentum, quo F. epiſcopus Maſſilienſis, & F. præpoſitus ejuſdem eccleſiæ, conſilio totius capituli concedunt fratribus ordinis Præmonſtratenſis locum ad ædificandum cœnobium juxta mare. *Act. menſe Aprili anno* MCCI. Eodem anno in alia charta dicitur *Fulco*. In aliis tandem anni 1202. per *Fu.* [a] & *F.* deſignatur. Nec ulla ſunt in his membranis vel minima corruptelæ veſtigia. 1201. [a]

Itaque Nicolaus qui datur ſucceſſor Fulconi anno 1186. in epiſtola critica, minime recipiendus; & Rainerius qui ipſi ſufficitur, ad aliud tempus differendus; quippe inſtrumenta in quibus Rainerii nomen legi contendunt, exhibent e contrario nomen Fulconis. Parum autem curamus utrum hic Fulco fuerit ex illo genere poëtarum, qui vulgo appellabantur *Troubadours*, necne; imo etiam neganti ipſum fuiſſe Toroneti abbatem, non præfracte contradicemus. ANNI CHRISTI.

XXXI. RAINERIUS.

Poſt Fulconem fratres Sammarthani Raimundum admittunt, ex teſtimonio chartæ fundationis beatæ Mariæ de Yvelina, ſeu Ibelina, ordinis Præmonſtratenſis. Inſtrumentum hoc fundationis abbatiæ Ibelinæ in libro Viridi eccleſiæ Maſſilienſis, propriis oculis uſurpavit D. Edmundus Martenne, cum perſpicaciſſimo ſuo ſocio D. Urſino Durando, amboque teſtantur chartam non Raimundi, ſed Fulconis epiſcopi, & F. præpoſiti nomen præferre, nec legitur data anno 1204. ſed 1201.

Erit fortaſſe qui dicat Fulconem epiſcopum anno 1201. fundationem hanc approbaſſe, & Raimundum ejus ſucceſſorem eandem ratam habuiſſe an. 1204. charta omnino diverſa ab ea quæ Fulconis nomen exhibet, unamque exſtare in tabulario eccleſiæ Maſſilienſis, alteram in archivo epiſcopali.

Non licuit noſtris fratribus ſupra laudatis, hoc archivum luſtrare, quod illuſtriſſimus epiſcopus, quo tempore Maſſiliæ morati ſunt, nondum ad eccleſiam ſuam acceſſiſſet; eſſetque archivum clauſum & obſignatum. Donec vero ex illo prodeat aliquod genuinum documentum quo probetur hujus Raimundi epiſcopatus, illum minime ſumus admiſſuri. Veniendum itaque ad Rainerium.

Tempus vero quo ſedit plurimum contractum eſt. Etenim charta fundationis parthenonis S. Pontii ordinis Ciſtercienſis, quam confectam volunt anno 1205. ac nomen Rainerii habere, præfert Fulconis nomen, ut ſupra ex domni Martennii animadverſionibus obſervavimus; & aliunde dubiæ videtur fidei. Sed anno 1206. III. calend. Decembris Rainerius legitur teſtis concordiæ prioris Signæ pro capitulo Maſſilienſi, cum Petro priore Montis-rivi. Interiit anno 1214. die 16. Martii, ut habet Maſſilienſe necrologium. Candide tamen fateor anxietatem meam de tempore Rainerii, quia Peireskius teſtatur a ſe lectum diſtincte nomen ejus in quadam charta facta tempore quo Fulconem ſediſſe probavi; idemque docet D. Polycarpus de la Riviere epiſtola manuſcripta ad Peireskium. 1206. 1214.

XXXII. PETRUS II.

Petrus Raimundi ſucceſſit Rainerio anno 1214. deſinente, vel 1215. ineunte; etenim Geraldus Ademari Montilii dominus, Maſſiliæ vicecomes, cum Mabilia uxore domina Montilii & vicecomitiſſa, ipſi confirmavit, approbavitque compoſitionem jamdudum factam inter Petrum I. & W. Gaufredi vicecomitem Maſſiliæ, Mabiliæ avum. Id vero actum eſt anno incarnationis Dominicæ MCCXV. X. cal. Maii. Anno vero 1218. tertio nonas Julias memoratur 1215. *V.C.XXII p.113. col.2.* 1218.

[a] Exempli gratia: *Fu.* epiſcopus Maſſilienſis & *Fr.* præpoſitus 1201. permittunt fratri Johanni inſtitutori Redemptionis captivorum habere eccleſiam & cimiterium in civitate Maſſilienſi.

ANNI CHRISTI.

in instrumento Cartusiæ Montis-rivi, scilicet in donatione Rostagni Dalmatii. Sub hujus præsulis pontificatu Roscelinus Massiliæ vicecomes, ecc esiæ cathedrali triginta millia solidorum coronatorum largitur. Arboris lauri symbolo Petrum hunc in sigillo suo usum esse, monent Sammarthani fratres; quod Petro de Monte-lauro ipsius successori forsan magis convenit.

XXXIII. PETRUS III.

91 MONTE-LAURO.

Petrus de Monte-lauro ex canonico & operario Massiliensi fit episcopus anno 1219. Memoratur in tabulis Montis-majoris idibus Aprilis
1222. anni Dominicæ incarnationis MCCXXII. cum Bertrando Cabellicensi episcopo, qui ambo decernunt monachos hujus monasterii accipere posse pecuniam, qua suis creditoribus satisfaciant. Anno 1223. cives urbis, episcopi & capituli jurisdictioni quam violarant, consules creando, se se obnoxios agnoscunt. Anno 1225. familia Prædicatorum seu ordinis sancti Dominici
1228. in urbem admittitur. An. 1228. cum Bonfilio sancti Victoris abbate Petrus inquirit de terminis castri de Revesto. Anno proximo die 29. Augusti vitam clausit.

1223.

1225.

1229.

XXXIV. BENEDICTUS.

D'ACHERIAN.

Hic cum esset monachus ordinis sancti Benedicti, pedum abbatiæ Crassensis cum episcopali Massiliensis urbis commutavit anno 1229.
1229. quo tertio calendas Februarii constitutus est judex magnæ controversiæ, quæ Massiliam multas in partes scindebat. Civilium motuum origo fuit vicecomitum jurisdictio, quam *communia* civitatis (ita corpus urbis appellabant) exstinguere decreverat; monachi vero sancti Victoris propugnabant, quia partem ejusdem possidebant, ex Roscelini vicecomitis monachi facti cessione. Hac in concertatione cum Massilienses abbatiæ bona vi detinerent, a summo pontifice interdicto, & excommunicatione multati fuerant. Sed Benedicti episcopi prudentia ità controversia composita est, ut cives ablata S. Victori restituerent, abbas vero & monachi consenserunt ut jurisdictio a se ad civitatis communiam transmitteretur, & penes cives remaneret. Sic pace restituta, episcopus Massilienses ab excommunicatione absolvit, adstantibus Rostagno Rejensi & Johanne Tolonensi episcopis.
1230. Sed iterum turbatum est in urbe; annoque 1230. Benedictus Johanni Tolonensi de damno sibi a Massiliensibus illato conquerenti, juravit se pacem nunquam initurum cum inferiori villa vicecomitali, nisi antea ipsi pro injuriis satisfieret. In quadam charta Montis-rivi anni 1233. IV. cal. Martii Benedictus se se nuncupat Massiliæ episcopum & dominum. Anno MCCXXXIX. III. nonas Junii, sexta feria, Luna XXVIII. D. Benedictus episcopus Massilienses, & Theobaldus rex Navarrensis, & comes Campaniæ perrexerunt Jerosolymam cum multis aliis. Quæ gesserit in hac peregrinatione disces ex ipsius epistola tom. VII. Spicilegii edita p. 225. & ex tomo
p. 357. VI. Miscellaneorum Baluzii, de constructione castri Sapher, quæ ipsius curæ potissimum ac sollicitudini debita fuit. Alteram anno 1260. non. Octobris, peregrinationem suscepit ad loca sacra, ubi adhuc morabatur die 21. Septembris anni 1261. ex ejusdem epistola scripta apud Accon, ad T. episcopum Bethleemitanum. Reversus erat Massiliam an. 1263. in vigilia sancti Laurentii, quo die hac ex urbe scripsit Guillelmo Jerosolymitano patriarchæ. Nunc de his quæ in suæ ecclesiæ regimine gessit agendum.

ANNI CHRISTI.

ibid. p. 351.

Per manus hujus episcopi Aicardus de Rocha-forti, ejusque fratres tradiderunt Nicolæ abbatissæ sancti Pontii, ecclesiam & hospitale sancti Michaëlis, ut ibi constitueret abbatiam aut prioratum monialium Cisterciensium, anno 1242. III. nonas Aprilis, ut vide-
1242. re est in charta fundationis, quam mox edemus ubi de hac abbatia erit agendum. Recensetur hic episcopus inter patres concilii Va-
1248. lentini an. 1248. Ceterum Benedictus in odium civium incurrit, quod cum gratiam facere vellet Raimundo Berengario Provinciæ comiti, qui Massiliam suæ potestati subjicere moliebatur, huic principi viginti duo millia solidorum coronatorum cum quingentis mutuo dedisset, quibus emeret urbis jurisdictionem anno 1236. id-
1236. que consulibus proposuisset tanquam urbi utilissimum & opportunissimum. Illi vero libertatis suæ retinentes & studiosi ultra modum, indigne tulerunt de ipsa vel tollenda vel imminuenda episcopum vel cogitasse. Hîc paulo subsistendum, ut expendamus utrum quæ de nostro Benedicto usque ad annum 1254. quo mortuus dicitur, a variis scriptoribus referuntur, ad ipsum pertineant.

Tomo VII. Spicilegii edita est epistola H. p. 225. Massilienses episcopi ad Innocentium IV. Hic præsul fuerat monachus aut religiosus, ut satis indicat titulus *fratris*, quem suo præmittit nomini. Scripta est epistola paulo post victoriam a sancto Ludovico Francorum rege in celeberrimo prælio contra Soldanum Ægypti ad castrum de Cadro reportatam an. 1249. vel 1250. Certe Benedicti nomen non potest designari per hanc litteram H. aliunde tamen inclinamur ad credendum præsulem hunc non alium esse a Benedicto, qui ut monachus in suis litteris fratrem se præfari solebat. Cur vero nomen ejus per H. non per B. significatur? existimo quempiam hallucinatum esse, & pro B. legisse ac scripsisse H. qui characteres in veteribus scripturis sunt satis affines. Eadem sentit Stephanus Baluzius de hac epistola, in observatione ad calcem tomi VI. Miscellan. p. 567.

Sed alia superest quæstio de tempore quo Benedictus aut regere, aut vivere cessavit. Quippe cum dicatur successorem habuisse cognominem, incertum videtur quis ex duobus Benedictis, primus an secundus convenerit anno 1251.
1251. ad concilium Insulanum sub Johanne metropolitano Arelatensi die Martis post festum exaltationis S. Crucis; quis etiam adstiterit Philippo Aquensi archiepiscopo consecranti altare Montis-rivi, cum Fulcone Rejensi episcopo, an. 1252.
1252. Communis quidem sententia est Benedictum I. obiisse anno 1254. sed quibus fundamentis innitatur hæc opinio, frustra inquisivimus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

Idem forte dicendum de alia, quæ ex monacho Benedictino episcopum hunc facit Franciscanum. Ita legi in veteri codice manuscripto docet Ludovicus-Antonius Ruffius; laudatque Casimirum Oudin, in supplemento de scriptoribus ecclesiasticis a Bellarmino omissis, qui huic episcopo post abdicatam [a] episcopalem dignitatem facto fratri Minori, tribuit tractatum quemdam fidei *contra diversos errores, super titulo de summa Trinitate, & fide Catholica in decretalibus.*

Opponitur huic opinioni, unicum fuisse episcopum Benedictum nomine, qui hoc seculo decimo-tertio Massiliensem rexerit ecclesiam; quam sententiam scimus esse viri clariss. Steph. Baluzii, ceterisque præferendam censemus. Ita sane visum est quoque doctissimo Tillemontio, qui ad marginem Galliæ Christianæ, qua utebatur, tom. III p. 661. ad Benedictum de Alignano, annotavit in margine, ipsum fuisse abbatem B. Mariæ Crassensis an. 1226. proindeque eundem esse cum Benedicto I. Sane Benedictus qui sedebat Massiliæ anno 1258. etiam fuerat monachus, & vitam religiosam professus fuerat, ut satis indicat titulus *fratris*, quem præmittit his litteris descriptis ex chartulario Montis-rivi:

Nos frater Benedictus Dei permissione episcopus Massiliæ, B. archidiaconus, P. Andreas vicarius & administrator præposituræ sedis Massiliæ, pro me & Peregrino Bauciano, & Hugone Fero cum canonicis nostris, &c. approbamus compositionem factam, &c. anno 1258.

1258.

Porro non difficile est conciliare varias opiniones de religioso statu, cui se se addixit Benedictus; utrumque enim videtur amplexus. Non fuit frater Minor nisi post abdicatum episcopatum, uti colligitur ex his verbis excerpti ex veteri collectione miraculorum patratorum in diœcesi Magalonensi, tom. VI. Miscellaneorum Baluzii, pag. 356. *Dominus Benedictus quondam episcopus Massilensis, & nunc frater Minor, &c.* Ergo non erat frater Minor cum foret episcopus. Attamen tempore quo fuit episcopus, multis in actis se *fratrem* dicit; quod arguit eum fuisse tunc alicui regulari addictum instituto. Nihil itaque vetat quominus dicamus eum fuisse monachum Benedictinum.

Porro difficultas omnis de duplici Benedicto Massilienſi episcopo solvitur ex narratione de constructione castri Saphet, quæ demonstrat eundem esse Benedictum, qui anno 1240. primum lapidem hujus castri posuit III. idus Decembris, super quem obtulit cupam argenteam deauratam plenam pecunia ad subsidium operis; & post annos 20. reversus est ad subsidium Terræ sanctæ. Ita enim loquitur scriptor: *Cum autem idem episcopus reversus fuisset ad subsidium Terræ sanctæ contra Tartaros anno Domini* MCCLX. IV. *nonas Octobris & venisset ad visitandum Saphet, invenit quod ab uno passagio quo rediit episcopus apud Massiliam, usque ad aliud passagium quo reversus est apud Saphet..... dictum castrum cum tanta industria.... est constructum, &c.* Id etiam palam fiet attente legenti laudatas superius hujus episcopi epistolas.

ANNI CHRISTI.

Itaque ad unum eundemque Benedictum referamus quæcumque inter duos partiti sunt nostri Sammarthani & Ruffius, aut alii.

Anno 1257. III. cal. Septembris a Benedicto episcopo Carolus Andegavensis, rex Siciliæ & Provinciæ comes acquisivit partem superiorem urbis Massiliæ, datis in commutationem castris & prædiis pretii tripliciter majoris, ad judicium archiepiscopi Aquensis electi, episcopi Forojulienſis, & Baralli de Baucio. Eodem anno Alexandri papæ jussu, regulam sancti Augustini præscripsit quibusdam, quos vocabant *fratres B. Mariæ matris Christi.* Ii sub medium seculum duodecimum Massiliam advenerunt & admissi fuerunt. Alba veste utebantur; ipsorumque institutum anno 1266. a Clemente IV. confirmatum est. At decreto Lugdunensis concilii anni 1274. suppressi sunt, resque ipsorum datæ Prædicatoribus Ivelinæ; tametsi perseverasse reperiuntur usque ad 1287. Diversi sunt a quodam genere Pœnitentium, quos fratres *Saccitos* vocabant, ob similem facci formæ vestem, qui anno circiter 1251. Massiliæ fuerunt instituti in antiqua S. Johannis ecclesia. Paupertatem singuli & universi profitebantur. Institutos eos nonnulli credunt a sancto Ludovico, deque hujusmodi fratribus dictum ab ipso putant in quadam charta: *Concedimus fratribus de ordine pœnitentiæ J. Christi quamdam domum ad habitandum, sitam Parisiis.*

Chr. Massil.

Ruffi l. 1. c. 14.

Ruffi ibid.

Anno 1258. Simon de Signa filius nobilis viri domini Guillelmi de Signa *le Blanc*, dedit Benedicto episcopo bona sua paterna ubicumque essent in castris de Signa & de Mayra, &c. *Act. in castro Veno, quod est dicti domini episcopi, in præsentia domini Benedicti de Alignano militis.*

Ex schedis D. Ruffi.

Anno 1264. bullam ab Alexandro papa IV. accepit datam VIII. cal. Julii, pontificatus ipsius anno VI. qua præcipiebat ut ad bellum pro Terræ sanctæ subsidio Christianos hortaretur; quod ipse scripsit ad priorem fratrum Prædicatorum, & guardianum fratrum Minorum Massiliensium calendis Augusti ejusdem anni. Mors Benedicti contigit anno 1268. ex libro Viridi episcopatus, notaturque VI. idus Julias in necrologio. Ante mortem vero episcopatum abdicarat, & fratrem Minorem induerat, ut jam monuimus. Cognomentum hujus episcopi fuit, *de Aligniano*, ex tabulis Crassensibus & aliis. Certe in veteri charta anni 1243. quam vidit noster D. Edmundus Martenne, testis est quidam ejus nepos, ita cognominatus.

1264.

Tab. FF. Prædicat. Narbon.

1268.

XXXV. ROBERTUS.

Guesnayus hunc episcopum ex archivis Carmelitarum eruit: quippe anno 1268. Robertus Massilienſis episcopus concessit Carmelitis facultatem

[a] Perperam dicitur abdicasse episcopatum quando scripsit tractatum contra diversos errores. Nam in epistola ad Alexandrum papam IV. qua ipsi nuncupat hoc opus, episcopum se se appellat. Hanc autem hoc loco exhibere volebamus, descriptam ex MS. codice bibliothecæ Fuxensis collegii Tolosæ; sed quia vir clariss. Stephanus Baluzius eandem edidit tomo VI. Miscellaneorum, p. 349. idcirco supersedendum putamus. Multa alia probant eum fuisse episcopum, & remuisse sui gregis curam, etiam usque ad annum 1263. mense Augusto; nam in epistola quam scripsit Massiliæ hoc anno ac mense ad Guillelmum patriarcham Jerosolymitanum, ei se, gregemque suum commendat; uti & in alia epistola ad episcopum Bethleemitanum, scripta anno 1261. in festo S. Matthei. Vide tom. VI. Miscell. Baluz. p. 350. & 351.

ANNI CHRISTI. cultatem ſacellum conſtruendi; nec plura de A ipſo novimus.

DE NEMAU. XXXVI. RAIMUNDUS V.

Pauca quoque de geſtis Raimundi, a Nemauſo cognominati, ad nos pervenerunt; etſi per annos non paucos cathedram obtinuerit. Jam
1270. præerat anno 1270. IV. idus Novembris, quod
a probat vetus charta[a] a viro clariſſ. Ludovico-Antonio de Ruffi nobis communicata. Anno
1278. 1278. X. cal. Julii, diviſæ ſunt reliquiæ ſanctorum Cannati & Antonini, earumque pars ad eccleſiam ſancti Cannati tranſlata eſt, altera in eccleſia majori remanente.

Tempore hujus epiſcopi, Maſſiliæ in honore habebantur *sorores Beguinæ*, a Burgo-Robaldi ubi primum ſedes habuerunt, vocitatæ. Monaſterium habuere ſacello, clauſtro, refectorio & noſocomio conſtans, tametſi nullo eſſent alligatæ voto, & nubere poſſent, atque teſtamenta condere; quod inter alias multas fecit anno 1312. Philippa de Porcelet, Fouqueti de Ponteves uxor, cujus filia Maragda idem inſtitutum amplexata eſt. Ejus auctrix fuit Dulcelina
Ruff. hiſt. Maſſ. l. 10. c. 4. ſoror Hugonis fratris Minoris ſanctitate plurimum conſpicui, qui etiam ſororibus illis regulam præſcripſit. Iſtæ Beguinæ non ſunt ex earum numero quas Vienneuſe concilium exſtinxit, anno 1311. poſtea namque diu etiam floruere, ſcilicet uſque ad annum 1407.

Ruff. l. 10. c. 20. p. 373. t. II. Anno 1277. Beltramus vir pius ordinem fratrum Pœnitentium B. Mariæ-Magdalenæ ſub regula ſancti Auguſtini, non tam inſtituit novum quam antiquum reſtituit, quos etiam dixere *ſaccitos* ob veſtimenti formam, a Capucinorum indumento nulla ex parte, præterquam in cingulo diſſimilem; primumque ipſorum monaſterium fuit Maſſilienſe.

1288. Raimundus legitur occubuiſſe anno 1288. die 15. Julii.

DE TROIS-LUMIÈS. XXXVII. DURANDUS.

Durandus, cui Ruffius cognomen de tribus Heminis tribuit, Raimundum excepit in officio epiſcopali. Nulla tamen ejus memoria no-
1290. bis occurrit in tabulis ante annum 1290. quo Johannes Berengarii de Albanea domicellus recognovit poſſidere omnia quæ habebat in caſtro Male-mortis, ſub hujus Maſſilienſis epiſcopi clientela. In archivo Montis-majoris commemoratur, ubi legitur Carolum II. Jeruſalem & Siciliæ regem, Provinciæ & Forcalquerii comitem, locum dictum Junqueriam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, fratri Bertrando de Malſang, Montis-majoris monacho, priori ſancti Guerini remiſiſſe & reſtituiſſe apud Brinoniam 28. Julii anno incarnationis Dominicæ
1292. MCCXCII. præſentibus domino Durando Maſſilienſi epiſcopo, Bertrando Baucio Avellini comite, Alfanto de Saleriis Provinciæ ſeneſcallo. Fuit unus ex his quos S. Ludovicus Toloſanus epiſcopus inſtituit ſui teſtamenti curato-

[a] *Anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo, IV. idus Novembris, cum quæſtio verteretur inter dominum Raimundum Maſſiliæ epiſcopum, ex una parte, & nobiles Guilielmum de Signa & Bertrandum de Maſſilia fratres dominos de Evena, ſuper finibus caſtri de Evena & de Baucete, &c.*

res, anno 1297. Anno ſequenti Bonifacius papa VIII. dedit ei provinciam colligendi dona & oblationes ad Terræ ſanctæ ſubſidium. An. 1308. procuratorem habebat Rogerium de Rogerio dominum dicti loci. An. vero 1309. Bernardum Noguerii; ex variis chartis, quas vidit D. de Ruffi. Eodem anno Robertus rex Siciliæ & comes Provinciæ poſt patrem Carolum, urbem Maſſiliam ingreſſus eſt ſolemni & regia pompa, præſente Durando epiſcopo; qui e vita migravit ſaltem anno 1312.

ANNI CHRISTI. 1297. 1308. 1309. 1312

XXXVIII. RAIMUNDUS VI.

Poſt Durandum Ruffius inducit Fredolum; in hiſtoria Maſſilienſi; ſed in obſervationibus ad me nuper miſſis, priorem deſerit ſententiam, quam validis impugnat argumentis; oſtendit enim multiplices chartas docere Durandum eo tempore præfuiſſe, quod Fredolo prius tribuebat. Nunc itaque veniendum eſt ad Raimundum. Jam anno 1312. ſedebat die tertia Martii, uti probatur ex charta quadam tunc data, ubi legitur: *Noverint univerſi quod cum Johannes Gravelli civis Maſſiliæ eſſet domino Raimundo Dei gratia Maſſiliæ epiſcopo in quinquies millibus ſolidis obligatus, &c.* In ſententia inquiſitoris contra hæreticos Maſſiliæ combuſtos, an. circiter 1318. quæ exſtat tom. I. miſcellaneorum Baluzii, p. 198. ſæpius fit mentio Raimundi Maſſiliæ epiſcopi. Ruffius docet eum poſtea tranſlatum fuiſſe ad eccleſiam Ebredunenſem. Et quidem in Ebredunenſium antiſtitum catalogo occurrit anno 1319. Raimundus Robaudi.

1312 1316

DU VAL. XXXIX. GAUSBERTUS *al.* GASBERTUS.

Gausbertus de Valle, Cadurcenſis, Johannis papæ XXII. camerarius, hominium præſtitit Roberto regi Siciliæ, Provinciæ comiti, ut Maſſilienſis epiſcopus, Avenione in monaſterio Prædicatorum anno 1320. die 19. Martii, indictione III. Hoc hominio epiſcopus recognoſcit comiti omnia quæ habet a Druentia uſque ad mare, & a montibus Longobardiæ uſque ad Rhodanum; de quo Ingenramnus petiit fieri inſtrumentum. Eodem anno Johannes XXII. ejus opera uſus eſt ad procurandam fundationem Carthuſiæ Cadurcenſis, emtione domus, quæ erat militiæ Templi apud Cadurcum. In diſtributionis quotidianæ augmentum dedit capitulo 1600. florenos, & 40. ad ornatum thecæ capitis ſancti Lazari. Exſtant ejus litteræ an. 1322. die 18. Junii datæ, quo anno, qui erat ſeptimus pontificatus Johannis XXII. ab eodem papa creatur vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus apud Avenionem. Fundavit præterea capellaniam perpetuam, ut aiunt, ſub titulo ſancti Jacobi. Tranſlatus eſt ad archiepiſcopatum Arelatenſem; poſteaque ad Narbonenſem.

1319 1322

ANELLIM. XL. ADEMARUS.

Ademarus Amellinus anno 1323. jam ſedebat, exſtatque in libro Viridi epiſcopi Maſſil. quædam ipſius charta an. 1325. data, cujus teſtis eſt Sebaſtianus præpoſitus Siſtaricenſis. An. 1326.

1323 1325

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

venit ad Avenionenſe concilium apud ſanctum A
1333. Ruffum cum Gauſberto archiepiſcopo Arelatenſi, ſuo in ſede Maſſilienſi deceſſore. An. 1333. fundavit capellaniam litteris datis die 18. Novembris, quarum teſtis eſt abbas ſancti Victoris. Die 15. menſis Decembris ejuſdem anni condidit teſtamentum, vel potius ſcripſit codicillum * quem addidit jam prius condito teſtamento. Paulo poſt Ademarum obiiſſe credimus; tunc enim infirmus erat, decumbebatque. Præterea in libro obituum eccleſiæ Albienſis legitur: *Anno Domini* 1333. *obiit reverendus Ademarus Amellin epiſcopus Marcilienſis, qui primo fuit* B *canonicus & ſuccentor Albienſis, ſepultus in loco ſuæ originis, in eccleſia beatæ Mariæ de Montelz prope Canſacum.*

* Habemus penes nos hoc inſtrumentum factum in præſentia magiſtri Petri de Campanhaco Albienſis diœceſis publica auctoritate apoſtolica notarii.

GUASQUY.

XLI. JOHANNES I.

hiſt Maſſil. l. 10.

Ademaro Ruffius dedit ſucceſſorem Ratherium de Lenach ſancti Victoris abbatem, anno 1334. Sed in obſervationibus ad me miſſis hunc expunxit epiſcopum. Alii poſt Ademarum ponunt quemdam Johannem Artaldum, quem volunt Maſſilienſem cathedram cum Nicienſi commutaſſe; uterque nobis ignotus. Itaque veniendum ad Johannem cognomento Guaſquy, C quem dicunt ex religioſa familia vocatum ad
1334. infulas Maſſiliæ. Præerat vero 1334. ex actis conſiſtorialibus Vaticani, interfuitque concilio Avenionenſi
1337. 1337. Memoratur 1340. in libro Viridi jam ſæpe laudato. Eo ſedente
1343. 1343. 1. Decemb. præpoſitus & capitulum eccleſiæ cathedralis vendunt Johannæ reginæ juriſdictionem quam habebant in finibus præpoſituræ pretio 2300. florenorum, ex archivis capitularibus. Idem epiſcopus reliquias eccleſiæ in loculis &
1344. thecis viſitat anno 1344. 14. Novembris. Eodem anno die 5. Septembris teſtamenti ſui tabulas ſcripſit, in quibus meminit fratrum ſuorum, Jacobi, cui legat *ſuam bibliam*, & Iſnardi capiſcholi Cabellicenſis, cui legat *decretum ſuum*. Eoſdem inſtituit ſui teſtamenti curatores cum Bertrando Deucio cardinali tituli ſancti Marci, Gaufrido Rabety epiſcopo Rejenſi, &c. D

DE MANDAGOT.

XLII. ROBERTUS.

Robertus de Mandagoto nepos Guillelmi de Mandagoto cardinalis Ebredunenſis archiepiſcopi, & Aquenſis poſtea, ſucceſſor Johannis
1346. Guaſquy anno 1346. die 26. Januarii notatur in actis conſiſtorialibus. Certe eodem anno die 15. Auguſti hominium fecit Philippo de Sanguineto Provinciæ ſeneſcallo, vices gerenti regis Siciliæ & comitis Provinciæ, pro prædiis & feu-
1350. dis epiſcopatus. Anno 1350. Romam profectus eſt; & ne quid detrimenti pateretur ſuus grex, ejus cuſtodiæ præfecit Guillelmum de Theſio canonicum Maſſilienſem, & Amalricum Sahonii ſuum officialem. Ruffius ex cujus ſchedis hæc notamus, in hiſtoria Maſſilienſi refert eum ante epiſcopatum fuiſſe præpoſitum Uceticenſem; multaque alia refert quæ debuit legere in regiſtris Maſſilienſibus.

Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana Fortanerium Vaſelli ordinis Minorum miniſtrum generalem anno 1348. creatum eſſe epiſcopum Maſſilienſem docet, poſteaque inde traductum ad archiepiſcopatum Ravennenſem. At qui ſcripſit hiſtoriam Ravennæ Rubeus, dicit Fortanerium Franciſcani ordinis miniſtrum generalem eccleſiæ Ravennati præfectum eſſe, nulla ejus epiſcopatus Maſſilienſis facta mentione; de quo etiam filet Wadingus annalium Franciſcanorum ſcriptor. Præterea ſupra oſtendimus Robertum anno 1350. adhuc fuiſſe Maſſilienſem antiſtitem, qui ſaltem ſedere cœperat anno 1346. Quî ergo fieri potuit ut Fortanerius poſt occupatam ſedem Maſſilienſem crearetur archiepiſcopus Ravennas an. 1347. Hoc enim anno Ughellus eum cathedræ Ravennati docet impoſitum fuiſſe.

ANNI CHRISTI.

XLIII. HUGO.

Guillelmi de Mandagoto cardinalis erat quoque nepos Hugo epiſcopus Maſſilienſis electus ex præpoſito Ebredunenſi, menſe Aprili anni 1360.* *al. 1359. ex regiſt. Stephani Veneſſini notarii. Ejus mentio fit in archivis urbis, unde forte depromſit quæ de ipſo ait Ludovicus Antonius Ruffius, videlicet ipſum ex Ruthenenſi pago eſſe ortum, cognominatum de Arpajone, papæ fuiſſe capellanum, & archidiaconum Aurelianenſem ante epiſcopatum, cui ſimulque vitæ finem attulit mors an. 1361. cum eſſet in ſancti Cannati caſtro, unde corpus ejus ad majorem allatum eſt eccleſiam, a Guiranno de Simiana ſororis ejus filio. 1361.

TABRL.

XLIV. PETRUS IV.

Petrus Fabri, quem Ruffius dicit fuiſſe Maſſilienſem præpoſitum, eodem teſte fuit electus epiſcopus die 3. Julii anni 1361. Addit eum ad- 1361.
fuiſſe coronationi Caroli IV. imperatoris; quod etiam legitur in fratrum Sammarthanorum Gallia Chriſtiana; ſed infra oſtendemus id perperam Petro Fabri tributum, quod videlicet ſpectat ad ipſius ſucceſſorem.

SUDRE.

XLV. GUILLELMUS I.

Guillelmus Sudre natus in oppido Lemovicum dicto *Aquina*, prope Tutelam, vulgo *Laguene*, ordinis Dominicani alumnus, ſacri palatii magiſter, factus eſt epiſcopus Maſſilienſis anno 1361. quo die 2. Septembris inſtituit offi- 1361.
cialem Johannem Olerii, & die 10. ſequenti, vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus Guillelmum de Maſſilia, alias de Rupevaria *, qui erat ordinis Prædicatorum. Anno * Regnevaire.
1362. Dominica v. poſt Paſcha benedixit ſolemni ritu abbatiſſam ſancti Salvatoris, & die 5. Ju- 1362.
nii fidem clientarem promiſit pro epiſcopatus bonis, Johannæ reginæ, coram Rogerio a S. Severino majore Provinciæ ſeneſcallo. Eodem anno ſuam luſtravit diœceſim. Anno 1363. die 1363.
12. Aprilis ſynodum celebravit; nihilominus adhuc hoc anno ſollicitudine paſtorali omnes diœceſis obivit eccleſias. An. ſequenti idem offi- 1364.
cium epiſcopale iteratum. An. 1365. adfuit con- 1365.
cilio Aptenſi trium provinciarum menſe Maio;

ANNI CHRISTI

menſe vero Junio, coronationi Caroli IV. imperatoris, apud Arelatem. Anno 1366. die 27. Aprilis accepit a Judæorum Arelatenſium ſynagoga muſtelam * piſcem pro annuo cenſu. Eodem anno die 18. Septembris aſſumtus eſt ad cardinalitiam dignitatem, ab Urbano V. qui donavit illum titulo SS. Johannis & Pauli tit. Pammachii. Anno 1367. fit epiſcopus Velitermus; & 1369. miſſus eſt in regnum Neapolitanum legatus, ad ſedandas, quæ inter principem Tarentinum & ducem Atriæ exortæ erant diſcordias. Obiit Avenione die 28. Septembris anni 1373. ubi ſepultus eſt in eccleſia fratrum Prædicatorum, juxta majorem aram, uti ſuo teſtamento condito die 20. Sept. ejuſdem anni, indictione XI. conſtituerat. Hujus teſtamenti tabulis omnem funebrem pompam interdicit: legat eccleſiæ ſuæ Maſſilienſi ad emendos cenſus pro anniverſario ſuo perpetuo faciendo in ipſa eccleſia centum florenos auri, necnon ad fabricandam thecam in qua reponatur caput B. Lazari ducentos florenos. Item conventui ſancti Salvatoris de Sion, & aliis monaſteriis; maxime Dominicanis & nonnullis e ſuis conſanguineis plurima legavit. Ultimæ voluntatis curatores nominat Anglicum Albanenſem, Ægidium Morinenſem epiſcopos, Petrum Pampilonenſem Guillelmum de Agrifolio, & Guillelmum Mimatenſem preſbyteros cardinales, Guidonem epiſcopum Pictavienſem, & fratrem Heliam Raimundi magiſtrum ordinis Prædicatorum. Actum Avenioni in domo ejuſdem cardinalis. Scripſit quædam opuſcula.

* nec lampr.

XLVI. Philippus.

De Cabaſſola.

Guillelmum Sudre poſt aſſumtionem ſuam ad cardinalatum, retinuiſſe adminiſtrationem eccleſiæ Maſſilienſis uſque ad mortem, ex commiſſione papæ, docet Fontana in monumentis ordinis ſancti Dominici. At Guillelmo facto cardinali, vacavit de more ſedes Maſſilienſis, cui providit papa, ejus adminiſtrationem dans Philippo Cabaſſolæ patriarchæ Jeroſolymitano, qui rexit duobus circiter annis, ſcilicet uſque ad annum 1368. quo ſacra donatus eſt purpura ab Urbano V. Ita docet Baluzius poſt Ruffium, Gueſnayumque, quibus conſentit liber obligationum. Scrupulum tamen movet quod legitur, fatente ipſo Baluzio, in regeſto anni ſeptimi Urbani V. videlicet Maſſilienſem eccleſiam vacantem per promotionem Guillelmi Sudre ad ſacrum collegium, datam eſſe Guillelmo epiſcopo Tolonenſi. Forſitan quia Philippus rexit tantum vicaria auctoritate, quemadmodum jam eccleſiæ Avenionenſi præerat; Guillelmus vero ut titularis epiſcopus. Hujus fit mentio quibuſdam in codicibus, non alterius, videlicet Philippi.

p. 235.

Baluz. not. ad vit. pap. Aven. p. 201. 1368.

XLVII. Guillelmus II.

De la Voute.

Guillelmus de Vouta * ortus erat ex illuſtriſſimis gentibus Bauciorum in Provincia & Anduſiorum in Cebennis, ut ediſſerit Baluzius in notis ad vitas paparum Avenionenſium. Forte filius fuit Bermundi de Vouta mariti Helionordis, quæ filia erat Ademari de Pictavia comitis Valentinenſis ac Dienſis, & Sibillæ de Baucio. Erat locum-tenens camerarii papæ, ſeu regebat officium camerarii in aula pontificia. Urbanus vero papa V. anno 3. ſui pontificatus, ſeu Chriſti anno 1364. eum præfecit eccleſiæ Tolonenſi, unde tranſiit ad Maſſilienſem; at quo anno, decernere non audemus. Aliquot annis vacaſſe ſedem Maſſilienſem, poſt Philippi Cabaſſolæ provectionem ad purpuratorum patrum collegium, conjectamus, quod anno 1374. Guillelmus de Gardia perpetuus adminiſtrator Arelatenſis eccleſiæ, curam haberet epiſcopatus Maſſilienſis, cujus diœceſim viſitavit hoc anno. Porro in inſtrumento viſitationis, nulla fit mentio epiſcopi tunc ſedentis. Id ex libro ſtatutorum Maſſilienſis eccleſiæ eruitur, ubi legitur:

ANNI CHRISTI

In hoc anno Domini nativitatis ejuſdem MCCCLXXIV. *die* 8. *menſis Martii, notum ſit cunctis hoc præſens inſtrumentum publicum inſpecturis, quod reverendus in Chriſto pater & dominus G. miſeratione divina patriarcha Jeroſolimitanus, adminiſtratorque perpetuus Arelatenſis, jure metropolitano atoceſim Maſſilienſem viſitando, de ſtatutis & ordinationibus prædictis plene certificatus illa & illas ratificavit, approbavit & omologavit.* 1374.

Anno 1378. Guillelmus de Vouta epiſcopus erat, quando poſt mortem Gregorii XI. cardinales ingreſſi ſunt conclave, in quo electus eſt Urbanus VI. in actis enim rerum tum geſtarum perſcriptis legitur: *Camerarius ex ordinatione & voluntate dictorum cardinalium ſuum locum tenentem dominum Guillelmum epiſcopum Maſſilienſem, nunc epiſcopum Valentinum, ad cuſtodiendum palatium & conclave, & ad faciendum omnia quæ tunc per camerarium fieri incumbebant, conſtituit: cui epiſcopo Maſſilienſi dicti cardinales adjunxerunt epiſcopos Tyburtinum & Tudertinum, cives Romanos, de quibus dicebant ſe confidere, & nonnullos ultramontanos: qui continue fuerunt ad cuſtodiam dictorum palatii & conclavis uſque ad perfectionem electionis domini noſtri, cuſtodientes illud conclave & palatium, bene, tute, fideliter & diligenter, & perſonas dictorum cardinalium ab omni violentia, impreſſione, injuria, toto tempore quo ipſi cardinales in conclave fuerunt, & electio fuit celebrata.* 1378.

Idem teſtatur Johannes de Croſſo cardinalis Lemovicenſis, qui etiam ait eum fuiſſe unum de cuſtodibus conclavis, quando congregatis cardinalibus ad ſucceſſorem Gregorio XI. dandum, Romani vim inferre parati erant; verba hujus cardinalis hæc ſunt: *Statim dominus Valentinenſis epiſcopus nunc, ſed Maſſilienſis tunc, qui erat unus de cuſtodibus conclavis clamavit voce magna: Domini, domini, expediatis vos cito; alias omnes eritis ſeiſi per fruſta, niſi Romanum vel Italicum eligatis in brevi.*

Guillelmus epiſcopus Maſſilienſis hîc commemoratus, qui poſtea fuit Valentinus præſul an. 1379. non eſt alius a Guillelmo de Vouta, de quo in eodem proceſſu verbali, ſeu in perſcriptis rerum geſtarum actis legitur: *Inter alias autem proviſiones, quas prefatus dominus noſter* num. 94.

ANNI CHRISTI.

(Urbanus VI.) *de conſilio prædictorum tunc cardinalium in prædictis conſiſtoriis* (quæ tam publica quam privata poſt coronationem ſuam ipſo die Dominicæ reſurrectionis XVIII. menſis Aprilis factam, tenebat diebus conſiſtorialibus, videlicet Lunæ & Mercurii & Veneris) *fuerunt hæ: primo epiſcopum hunc Marſilienſem a vinculo quo tenebatur eccleſiæ Marſilienſi abſolvit, & ad adhuc vacantem eccleſiam Valentinam & Dienſem tranſtulit, ipſum præficiendo in epiſcopum & paſtorem illius eccleſiæ Valentinæ.* Exinde autem ad Albienſem cathedram tranſiit, quam occupabat anno 1383.

DE LA VOUTE. XLVIII. ADEMARUS II.

Ademarus de Vouta frater ſuperioris, prius epiſcopus Graſſenſis, ſubrogatus eſt fratri in
1379. ſede Maſſilienſi anno 1379. die 15. Julii, quando is fuit tranſlatus ad ſedem Valentinenſem. Ejus meminit Johannes Fabri epiſcopus Carnotenſis
1382. in ſuo diario die 18. Aprilis an. 1382. Exſtat in camera computorum Pariſ. *Sacramentale Ademari de Valta epiſcopi Maſſil.* quo de mandato Clementis papæ VII. promittit Ludovico regi Franciæ &c. fidem, in manibus Johannis Carnotenſis epiſcopi regis cancellarii. Chartæ appenſum eſt ſigillum, in quo videtur epiſcopus orans ante imaginem B. virginis annuntiatæ, & ſtemma gentilitium, quod eſt leo erectus. Factum eſt in civitate Aptenſi die Veneris 18. menſis Aprilis anno Domini 1382. indict. v.
1387. an. 4. Clementis papæ VII. An. 1387. nobis occurrit in chartis *Ay.* id eſt Aymarus (idem ac Ademarus) epiſcopus Maſſilienſis, cujus vicarius generalis erat Johannes Bonifacii præpoſitus.

LE TORT. XLIX. GUILLELMUS III.

Guillelmus cognominatus le Tort (*al.* le
1396. Fort) eligitur epiſcopus an. 1396. ex actis publicis Guillelmi Balbani notarii; at ſacramentum de obſervandis eccleſiæ ſtatutis non præſti-
1398. tit, niſi die 17. Januarii anni 1398. id requirente Johanne Bonifacii præpoſito, cum quo poſtea litem habuit anno 1399. & cum capitulo, pro hominio ſibi, ut contendebat, debito, & pro majoris templi ſartis tectis. Eodem an. aperitur theca capitis S. Lazari, ex conſenſu præpoſiti & capituli, in die feſto aſſumtionis, coram Ludovico rege Siciliæ, comite Provinciæ, multiſque principibus & proceribus. Suum diem
1403. obiit Guillelmus anno 1403. die 15. Novembris.

DE SADO. L. PAULUS.

Paulus ex illuſtri genere de Sado in Provincia ortus, nobilitati natalium ſplendorem eruditionis, eloquentiæ, & probatæ vitæ adjecit, quæ ipſi Iolandis reginæ amicitiam conciliavere; nam eum ſuorum conſiliorum & arcanorum fecit participem, adhibuitque ad negotia difficillima tractanda. Suffectus eſt autem Paulus Guil-
1405. lelmo anno circiter 1403. Anno 1405. die 24. Maii, recepit ornamenta epiſcopalia. Recenſe-
Spicil. t. VI. p. 351. tur in actis concilii Piſani, inter præſules, qui ad illud acceſſerunt. Eo ſedente Alfonſus Arragonum rex Maſſiliam expugnavit, ſpoliavit, eoque anguſtiæ cives redegit, ut coacti ſint, habita in aula epiſcopali coram Paulo & canonicis deliberatione, argenteam capſam S. Lazari & alia *jocalia* eccleſiæ (ſic vocant gemmas & alias res pretioſas) mercatoribus Avenionenſibus oppignerare, ut ab iis argentum mutuo acciperent: deponuntur ergo in manus Laugerii Vapincenſis epiſcopi, & Fouqueti d'Agout domini de Forcalquerio; poſt annum autem reſtituuntur, uti conſtat ex publicis documentis civitatis. Paulum ob integritatem, ſanctitatem, & eruditionem laudibus extulit Cæſar Noſtradamus in hiſtoria Provinciæ, qui prælatis & nobilibus acceptus propter ſingulares dotes, multum quoque auctoritate apud reginam pollens, munificus erga eccleſiam cathedralem fuit, ejuſque ruinoſam fornicem, ac valvam auſtralem reſtauravit, inſculptis ſtemmatibus* gentis ſuæ; quæ etiamnum viſuntur. Ad meliorem vitam evocatur 1433. ultima Februarii die, eccleſia herede relicta ex aſſe.

* *de ſymole à l'eſtole d'or de leur armoirie.*

DE RACOLI. LI. BARTHOLOMÆUS.

Bartholomæus de Racoli filius comitis de Rocacolio, ex præpoſito generali Carmelitarum
1430. XXII. electo apud Nannetas in Aremorica 1430. inſtituitur epiſcopus IV. nonas Septembris 1433. ex regiſtro Vaticani. Confeſtim æmulum habuit Ludovicum de Glandeves nobilem Provincialem. Cum enim hac tempeſtate ſynodus Baſileenſis Eugenii auctoritatem minuere ſatageret, quin etiam hoc ipſo anno 1433. ſeſſ. 12. die Lunæ 13. Julii ſtatuiſſet electiones omnium eccleſiarum metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, & monaſteriorum ac dignitatum electivarum non amplius faciendas per Romanum pontificem, ſed ſecundum juris communis præſcriptum: ideo ſynodus ut Eugenii electionem repudiaret, Ludovicum de Glandeves, qui concilio aderat, epiſcopum Maſſilienſem nominavit. Ab Eugenio committitur delegatus ut Bartholomæum in poſſeſſionem mitteret: at cum Ludovicus parentis ſui baronis de Faucon factione valeret, tum etiam patrocinio Baſileenſis concilii ſe tuereretur, necnon Johannæ reginæ regentis & comitiſſæ Provinciæ, non potuit Bartholomæus pacatam poſſeſſionem obtinere. Cum vero legatus pontificis manſuetudine nihil proficeret, fulmine eccleſiaſtico uſus urbem interdicto ſubjicit, & vicinos pagos; cui eccleſiæ des Accoules, & S. Salvatoris ſolæ non paruerunt pontifici, ceteris omnibus a ſacris ita abſtinentibus, ut defunctorum corpora in locis prophanis per quinque menſes ſepelirentur. Conſules urbis ut turbatis rebus medelam afferrent, convenerunt Johannam reginam Aquiſextiis tunc agentem; quæ adhibito ſuper hac re ſecretiori ſuo conſilio, declaravit interdictum nullius eſſe momenti, cum eſſet contentio de epiſcopatu inter duos; & provocatum eſt ad curiam Romanam de omnibus quæ acta fuerant. At cum clerus eam ſententiam ſatis intelligeret eccleſiæ canones, & auctoritatem labefactare, nec tuta conſcientia poſſe liberari urbem abſolvique per ſententiam laicorum a cenſura pontificis legitime inflicta, parere con-

ANNI CHRISTI.

ſtanter recuſavit: unde ipſi conſules Maſſiliæ ad legatos pontificis confugiunt, ut vinculum interdicti ſolvant, quod ipſi negavere. Iterum ergo adeunt reginam, quæ modeſtiore conſilio uſa Elionem de Glandeves baronem de Faucon Ludovici epiſcopi parentem enixe adhortatur, ut filio ſuadeat abdicationem infularum, ut ſic eccleſiæ pax reſtituatur: quod ipſo recuſante, tumultuque urbis uſque ad pugnas prorumpente, ſtantibus plurimis ex parte cleri & Bartholomæi, ceteris laicis ex parte Ludovici, regina miſit qui ut factionem ſedarent, pollicerentur brevi ceſſaturum interdictum. At in publico cœtu convocato ſacerdos quidam proclamat, non aliam eſſe viam conciliandæ pacis quam Bartholomæum ſedi reſtituendo. Qua voce plebs commota prorumpit in clamores, in minas, in arma; domum epiſcopalem quam ſervi Ludovici obtinebant, obſident, irrumpunt; S. Salvatoris, & des Accoules eccleſias invadunt, quæ interdicto parere neglexerant, demum involant in quoſcumque a Ludovici partibus ſtare arbitrantur. Conſules ergo his turbulentis motibus finem impoſituri, ad Bartholomæum qui Avenione ſeceſſerat, delegant a quibus advocaretur. Tum ille urbem ingreſſus feſtiva cleri & populi acclamatione exceptus eſt, & tandem eccleſiæ præfuit per annos 13. quæ conſtant ex archivo publico urbis Maſſilienſis. Anno 1434. *Bartholomæus electus & confirmatus, declarat irrita quæ ab officialibus Vencienſis diœceſis uſurpata fuerant*; nempe Ludovicus de Glandeves ejus æmulus Vencienſis erat epiſcopus. Poſſevinus autem notat Racolium, qui aliquibus Rocali dicitur, in magiſtrum ſententiarum libros quatuor ſcripſiſſe, & concionum librum unum: mortalitatem tandem explevit an. 1445. 14[illegible]5. in eccleſia majore tumulo mandatus.

Quo tempore Bartholomæus & Ludovicus de epiſcopatu contendebant, occurrit quidam Andreas Botaricus, cum titulo epiſcopi; quo vero jure titulum hunc aſſumeret, ignoramus.

De Glandeves.

LII. Ludovicus.

Ludovicus de Glandeves Elionis baronis de Faucon ex clara progenie de Glandeves in Provincia filius, epiſcopus Glanatenſis, poſtea Vencienſis, Baſileenſi adhæſit ſynodo, a qua nominatus eſt epiſcopus Maſſilienſis. Repulſus a Maſſiliæ clero, Baſileam venit ad concilium, in quo depoſito Eugenio pontifice, pontificem Amedeum de Sabaudia elegere tres & triginta a ſynodo electores nominati, quos inter epiſcopo Aquenſi Bernardo podagra laboranti ſuffectus eſt Ludovicus antiſtes Maſſilienſis 1439. Deinde a Siciliæ rege delegatur Lugdunum & Genevam, ut cum aliorum principum oratoribus ageret de ſchiſmatis inter Eugenium IV. & Felicem V. antipapam exſtinctione, quod univerſam eccleſiam perturbabat. Mortuo autem Bartholomæo competitore Maſſilienſem cathedralem obtinuiſſe dicitur, at brevi admodum tempore; de quo Amedeus Pacificus hæc habet: *Ludovicus Maſſilienſis vir animo vaſtus, & ab omni ſimulatione alienus, quem talem puta, quem audis, nuſquam fallax, nuſquam decepter.* De eo alibi dicemus.

1439.

ANNI CHRISTI.

LIII. Johannes II.

Omiſſum in catalogis omnibus hunc epiſcopum ſuppeditarunt nobis litteræ Renati regis Siciliæ, ducis Lotharingiæ, comitiſque Provinciæ, aſſervatæ in tabulario * Lotharingiæ, quæ datæ leguntur in caſtro Andegavenſi die ultimo Januarii anni 1446. his enim litteris annexum eſt chirographum Johannis epiſcopi Maſſilienſis præfecti generalis & conſiliarii regis hujus, in re æraria, quo conſentit beneficio conceſſo per litteras Renati regis. Datum eſt autem 1446. quem nunc dicimus 1447.

* arcula Andegavenſi.

1446.

Hic epiſcopus non eſt Johannes Alardel, de quo infra; collati enim ei epiſcopatus hujus diploma datum eſt a Paulo papa II. tantummodo XII. calendas Julii anni 1466. ut me docuit amicus noſter Lud. Ant. Ruffius.

LIV. Nicolaus I.

De Brancaciis.

Nicolaus ex clara ſtirpe de Brancaciis Buffili nobilis Neapolitani, Romanæ eccleſiæ ma ſcalli, qui primus hujus ſtemmatis Gallias incoluit, filius erat; frater vero Baptiſtæ Hipparchi Ludovici III. regis Neapolitani, comitis Provinciæ: delphinum Viennenſem Ludovicum, poſtea regem Galliæ XI. Maſſiliæ excepit 1447. 7. Maii, cum pietatis cauſa S. Magdalenæ cryptam viſitaſſet, ut patet ex regiſtro Raimundi Bidaudi. Anno 1448. 4. Decembris elevavit corpora 3. SS. Mariarum. Avenionenſi ſynodo provinciali, præſidente Petro de Fuxo, adfuit an. 1457. Renatus rex Jeruſalem & Siciliæ, comes Andegavi, eundem præſulem procuratorem conſtituit anno 1461. qui una cum Carolo comite Cenomanenſi ageret de dote & conventionibus conjugii Annæ Ludovici XI. regis filiæ cum Nicolao marchione Muſſi-pontano; cui tamen collocata non eſt, ſed Petro Bellijocenſi toparchæ, poſtea Borbonio duci. Ruffius in hiſtoria urbis Maſſilienſis docet Nicolaum epiſcopum diem ſuum obiiſſe die 1. Aprilis anni 1466.

1461.

1466.

Allardeau.

LV. Johannes III.

Johannes Allardel, ſeu Allardeau Andegavenſis, frater Johannis Andegavenſis ducatus quæſtoris ſeu theſaurarii, Renato regi Siciliæ comiti Provinciæ fuerat a conſiliis & ſecretis, ante ſuum epiſcopatum, cujus etiam opera utebatur libenter hic princeps multis in negotiis. Suſcepta militia clericali, factus eſt canonicus Aqui-ſextienſis, & præpoſitus Maſſilienſis, cujus eccleſiæ paſtor & epiſcopus eligitur die ultima Aprilis anni 1466. petente dubio procul Renato [a] rege, XII. cal. Julii, accepit a Paulo papa II. diploma quo huic ſponſæ conjungebatur & alligabatur. Cum eodem Renato rege baroniam d'Aubagne, & jura feudi permu-

[a]

[a] Cui carus erat. Exſtant Renati litteræ anno 1468. ad papam ſcriptæ, ut Johanni epiſcopo quem multis ornat laudibus, abbatiam S. Victoris, quando vacare contigerit, conferat. Ex variis inſtrumentis & litteris hujus principis conſtat eum fuiſſe a ſecretioribus ejus conſiliis, atque ærarii præfectum (*Gouverneur general de toutes ſes finances*, in quodam Johannis mandato 12. Octobris 1466. An. 1469. litt ris datis 7. Nov. idem rex tribuit ipſi poteſtatem componendi cum rege Galliarum, pro admodiatione redituum urbis & præpoſituræ Barrenſis. Anno 1480. 15. Aprilis tanquam procurator Renati regis Siciliæ, cum Honorato de Berre domino d'Antravenes majore domus, regi Ludovico vendit hominum caſtri ſupra Moſellam.

Layette cotée Barri Ch. des comtes. Provigny. 1. Layette Baſſes & domenb. 21

ANNI CHRISTI.

tavit, pro caſtellis & toparchiis S. Cannati, Valbonetæ,& Alenis, quæ ab epiſcopi dominio pendebant. Anno tantum 1468. die 13. Aprilis novus epiſcopus præſtitit ſacramentum capitulo ad fores eccleſiæ, jurans ſe ſtatuta obſervaturum.

1468.

Tempore hujus epiſcopi, Provinciæ comitatus ad regem Francorum tranſiit, ſcilicet ad Ludovicum XI. uti ſuo teſtamento caverat Carolus ultimus comes. Regi autem ita fuit acceptus Johannes noſter, ut eum conſtituerit urbis Lutetiæ præfectum, quo fungebatur offi-

1483. cio an. 1483. quando Margarita Auſtriaca Maximiliani imperatoris filia,in hac urbe regio excepta eſt apparatu. Hujus epiſcopi mentio fit in teſtamento Renati regis Siciliæ & comitis Provinciæ. Ipſe teſtamentum bis fecit & obſignavit, ſcilicet die 5. Junii anni 1490. & 20. Februarii anni 1493. ex regiſtris Honorati Anthelmi no-

1494. tarii. Præerat adhuc anno 1494.

D'Anglure.

LVI. Ogerius.

Ogerius filius nobiliſſimorum parentum Simonis d'Anglure, & Elizabethæ du Chaſteller (quæ gentes in Lotharingia præſertim, jam tunc inter principes erant) ex abbate Alti-villaris in diœceſi Remenſi factus eſt S. Victoris Maſſilienſis archimandrita. Erat etiam prior S. Amantii apud Ruthenos, ut liquet ex compoſitione facta inter ipſum & monachos ſancti Amantii pro alimentis conventui a priore dandis, die 25. Octobris anni 1489. Tandemque per ceſſionem Johannis Allardeli Maſſilienſem adeptus eſt epiſcopatum die 27. Decembris anni

Tab. ſancti Amantii.

1496. 1496. quem recte per decennium adminiſtravit,

1506. ſcilicet uſque ad diem 5. Maii anni 1506. quo obiit in caſtro ſuo Orioli, unde ad ſepulturam in Victorina baſilica delatus eſt. Hic ſequimur Sammarthanos fratres, Honoratum Bouche, & Ruffium, qui tamen in ſerie abbatum ſancti Victoris agens de Ogerio, ſilet de ejus epiſcopatu, exhiberque breve hoc epitaphium quod epiſcopo minime convenit: *Hic jacet in Chriſto Ogerius de Angluro abbas hujuſ-ce cœnobii, cujus anima requieſcat in pace. Anno Domini...* Hæc tantiſper nos ancipites reddunt de Ogerii epiſcopatu, de quo ſane nihil nobis occurrit.

Monent nos Sammarthani acta conſiſtorialia & elenchum Interamnenſium epiſcoporum meminiſſe Petri Bodoni Maſſilienſis antea epiſcopi, ſub Julio II. ad Interamnenſem epiſcopatum promoti 1506. die 29. Julii, ut videre eſt apud Ughellum tomo I. cujus nulla mentio in diptychis Maſſiliæ.

du Four.

LVII. Antonius.

Antonius du Four Dominicanus Aurelianenſis,doctor theologus Pariſienſis, Ludovico XII. regi a confeſſionibus, & a ſacri verbi concionibus, epiſcopus fit 1507. Anno ſequenti eccleſiæ ſuæ per ſe adiit poſſeſſionem 21. Septembris, peſte adhuc Maſſiliæ graſſante. Lugduni peroravit coram rege in conventu Prædicatorum, cum Georgius de Ambaſia legatus pileum cardinalitium impoſuit Renato de Pria epiſcopo Bajocenſi, ut memorant annales Francici: obiit in comitatu regio 1509. menſe Junio. Scripſit vernacula lingua paraphraſim in ſeptem pſalmos pœnitentiales, librum inſcriptum dietam ſalutis, ac juſſu Annæ Francorum reginæ Gallico ſermone biblia ſacra edidit, duoque concionum volumina.

ANNI CHRISTI. 1509.

De Seiſſel.

LVIII. Claudius.

Claudius nobilis familiæ de Seiſſello nothus, patria Sabaudus, relicta militia, favore Georgii cardinalis de Ambaſia fit Ludovici regis XII. conſiliarius, & libellorum ſupplicum magiſter. Vacante autem ſede Maſſilienſi per obitum Antonii ſcripſit rex die 4. Julii anni 1509. 1509. ad Maſſilienſes, & imprimis ad capitulum, ut præſtantiſſimum illum virum in epiſcopum eligerent. Epiſtolam regis edidit Ruffius, in qua fit mentio litterarum ab hoc principe de eodem argumento ſcriptarum. Eligitur itaque Claudius ab capitulo nec invito. Poſſeſſionem tamen non adiit niſi anno 1515. inquit Ruffius, etſi Maſſilienſis epiſcopus longe antea dictus inveniatur, maxime in regiſtris[a] cameræ computorum Divionenſis. Anno 1512. adfuit Treviris 1512. conventui indicto a Maximiliano Cæſare die xi. Aprilis, tanquam Chriſtianiſſimi regis orator; ubi jam epiſcopus Maſſilienſis appellatur. Ejuſdem regis legatione fungens anno 1514. acceſſit ad Lateranenſe concilium. Franciſco primo regi, & Claudiæ uxori Maſſiliam ſolemni pompa ingredientibus, obvius proceſſit uſque ad portam regiam cum clero, & cœnobitis ſancti Victoris; paulopoſt 1517. 11. menſis 1517. Martii transfertur ad metropolitanam ſedem Taurinenſem in Pedemontio, permutatione cum Innocentio cardinali Cibo, in cujus urbis academia ſumma cum laude jus civile ante adeptas infulas publice fuerat interpretatus, ut monumenta juriſprudentiæ quæ exaravit, teſtantur. Mortuus anno 1520. humatur in ſacriſtia metropolitanæ baſilicæ S. Johannis Baptiſtæ, ubi marmoreo tumulo addictum breve hoc epitaphium: *Claudio Seiſſelio Ludovici XII. Francorum regis requeſtarum magiſtro, pro eodem ad omnes fere Chriſtianos principes oratori eloquentiſſimo, Laudenſ. adminiſtratori, Maſſiliæ præſuli, Taurinorum archiepiſcopo, JC. conſummatiſſimo, atque hujus ſacelli fundatori, collegium canonicorum pientiſſimo patri P. Obiit calendis Junii* 1520. 1520. Ludovici XII. regis cui erat familiaris & ab intimis conſiliis,hiſtoriam egregie ſcripſit gallice ab anno 1498. ad 1515. quod opus in lucem prodiit cura doctiſſimi item regii hiſtorici Theodori Godefridi. Singularis quoque eruditionis ſpecimina reliquit in aliis plurimis libris quos vulgavit; nempe in Gallicam linguam traduxit hiſtorias Thucididis, Appiani Alexandrini, Trogi Pompeii, Diodori Siculi, Xenophontis, eccleſiaſticam hiſtoriam Euſebii Cæſarienſis, opera Senecæ, de laudibus Ludovici XII. apologeticum,aliave monimenta poſteritati tranſcripſit; item varia edidit contra Valdenſes hæreticos, de divina providentia, de Gallica republica, de officio regis,de feudis,de triplici ſtatu viatoris ad Leonem X. pontificem, in Evangelium Lucæ,

[a] Comte pour l'année finie le dernier Septembre 1513. *Reverendiſſime pere Meſſire Claude de Seiſſel Eveſque de Marſeille,*

denique in totum jus civile commentarios. Quamobrem a Philiberto Pingonio in ſua Auguſta Taurinorum, juriſconſultorum eloquentiſſimus prædicatur & a Bartholomæo Chaſſaneo catalogi gloriæ mundi parte 10. Vide Auguſtinum ab Eccleſia, & Ughellum tomo IV. in catalogis archiepiſcoporum Taurinenſium.

ANNI CHRISTI.

Cibo.

LIX. Innocentius.

Innocentius Cibo Genuenſis, cardinalis ſanctorum Coſmæ & Damiani, poſt titulum beatæ Mariæ in Dominica, vetuſta ſtirpe ortus Franciſcum comitem Frientilli & Anquillaræ & Magdalenam Mediceam ſororem Leonis X. papæ parentes habuit. Ex protonotario apoſtolico in purpuratorum cœtum cooptatus ab avunculo 1513. inſuperque Januenſis archiepiſcopus, ſanctæ Rom. eccl. camerarius, Bononiæ Æmiliæque legatus apoſtolicus; factus archiepiſcopus Taurinenſis anno 1517. eam ſedem paulo poſt cum Maſſilienſi commutavit reſignatione
1517. Claudii de Seiſſello anno 1517. 11. Maii, ut acta indicant conſiſtorialia, reſervato ſibi regreſſu ex illius ævi uſurpato more. Hic cardinalis Clemente VII. in Hadriana mole durius obſeſſo, plures ditionis pontificiæ civitates continuit, & ab hoſtium conatibus eripuit. In Parmenſi autem conventu, ubi nonnulli cardinales apoſtolicam ſedem Avenionem traducendam cenſebant, validiſſimis rationibus acriter obſiſtens, illud conſilium opportune omnino diſſipavit. Ceterum in reipublicæ Florentinæ perturbatione, Coſmum Medicem juvenculum tanquam Alexandri propiorem agnatum, ducem creari obtinuit; Carolo imperatori carus inter præcipuos & intimos amicos ab eodem habitus eſt, ut ſcribit Folietа in elogiis Ligurum. Iſte Innocentius omnes ſuæ ætatis purpuratos opibus, titulis, ſacerdotiis opulentiſſimis ſuperavit, quod abſit illi laudi vertere. Vivendi finem fecit Romæ, ubi ſepultus in eccleſia ſanctæ Mariæ ſuper Minervam ad pedes pontificis patruelis, hac inſculpta marmoreæ tabulæ inſcriptione donatur:

Deo optimo Maximo Innocentio Cibo Januen. diac. card. Bonifacii IX. Tomacelli Pont. Max. agnato, Innocentii VIII. Pont. Max. nepoti, Leonis X. Pont. Max. ſor. germana F. Clementis VII. Pont. Max. ſorur. patruelis F. vixit
1550. *annos* 58. *menſ.* 7. *dies* 19. *cardinalis* 37. *annis fuit. Deceſſit idibus Aprilis an.* 1550. *ſui poſuere. Vivite ut morituri.* Hujus cardinalis elogium Ughellus ſcripſit tomo IV. Italiæ Sacræ in archiepiſcopis Genuenſibus. De hac gente egimus ſupra in Nicolao Cibo Arelatenſi archiepiſcopo.

Cibo.

LX. Joannes-Baptista I.

Johannes-Baptiſta Cibo, Innocentii frater,
1530. ejus ceſſione electus eſt anno 1530. 17. Januarii, quemadmodum ferunt acta conſiſtorialia. Eo
1533. ſedente Maſſiliæ 1533. Clemens VII. papa & Franciſcus I. rex inter ſe colloquuntur; ibique Catharina Medicea papæ neptis deſponſatur Henrico poſtea regi Franciæ, ut habent Bellaius lib. 4. & Guichardinus lib. 13. A clero poſtmodum metropoleos Arelatenſis delegatur Johannes-Baptiſta, ut fidei clientelaris jura-mentum ejus nomine exhiberet Henrico II. Gallicum ſceptrum obtinenti 1547. Johannes idem epiſcopatum adminiſtravit ad annum 1551.

ANNI CHRISTI. 1547.

LXI. Christophorus.

De Mont.

Chriſtophorum de Monte Maſſilienſibus accenſent epiſcopis Claudius Robertus, Honoratus Bouche, & Ruffius junior, qui dicit eum factum eſſe epiſcopum anno circiter 1550. Quæ
1550. autem de ejus epiſcopatu refert, teſtatur legi in documentis publicis Jacobi Alphantes. Poſtea creatus eſt cardinalis, tituli ſanctæ Praxedis, a Julio III. cujus erat cognatus. Ruffius jam laudatus nuper me monuit viſas a ſe bullas (*les proviſions*) epiſcopatus Maſſilienſis, pro Chriſtophoro de Monte epiſcopo Callitano (*de Cally*) datas VI. cal. Novembris anno 1550. item eas quibus per ceſſionem cardinalis de Monte, Petrus Raguenau conſtituitur epiſcopus, quæ datæ ſunt a Paulo papa, VII. idus Martii anni 1555. Hæc non ſinunt dubitare de Chriſtophori epiſcopatu.

LXII. Petrus V.

Raguenau.

Petrus Raguenau Turonis ortus, ubi viſuntur quædam ædificia publica ejus gentis nomine inſignita, epiſcopalem ſedem conſcendit anno 1555. Anno 1564. feſtiva pompa & regali
1555. apparatu Carolum regem IX. regina matre &
1564. fratribus, aliiſque principibus comitantibus, in Majori * excepit. Ceſſit anno circiter 1572. in
1572. gratiam Frederici filii fratris ſui. Moritur Maſſiliæ die 4. Maii anni 1577.

* *Sic eccleſiam cathedralem appellant.* Raguenau.

LXIII. Fredericus.

Fredericus Raguenau ſuperioris nepos ex fratre, patruo abdicante cooptatur in ejus locum anno 1572. Anno ſequenti interfuit comitiis generalibus cleri Gallicani apud Pariſios celebratis. Fuit vir ſplendidi animi, quem liberalis facies omnibus gratum exhibebat; qui cum ſæviente bellorum civilium tempeſtate pontificatum eſſet conſecutus, & Maſſilia ad Fœderatorum partes inclinaret, iſte pro Henrico III. & IV. regibus ſtrenue ſtetit, utque his tumultibus ſe ſubduceret, Aquas-ſextias ſecedere cogitur 1584. Maſſiliam tamen paulo poſt rediit
1584. cum Henrico Engoliſmenſi, Provinciæ regulo. Anno vero 1588. a rege Henrico III. penitus
1588. deficiente Maſſilia, iterum ad principem ſe recipit Fredericus, & ſequente an. cum Chriſtina Lotaringiæ ducis filia Florentiam proficiſceretur nuptura Ferdinando Etruriæ duci, illam comitatus eſt, nec ante Italia exceſſit, ſuumque gregem reviſit, quam regis obſequio urbs ſe ſe manciparet. Ad ſedem ſuam reverſus
25. Septembris anni 1603. die Veneris, idem 1603. Fredericus Signæ epiſcopalis ditionis domo degens, a quibuſdam nefariis hominibus, qui in ejus caput conjuraverant, ictu ſclopeti glande tormentaria trajectus animam efflavit, mœrore omnium qui ejus ſuavi convictu uſi fuerant. Corpus Maſſiliæ humandum cal. Octob. in epiſcopo rum monumento reconditur.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

LXIV. JACOBUS.

TURRICELL. Jacobus cognomento Turricella natione Etruſcus, profeſſione religioſus ordinis Minorum, gradu doctor Theologus, Mariæ Mediceæ Francorum reginæ conjugi Henrici magni a ſacris confeſſionibus, deſignatur Maſſilienſis
1604. epiſcopus a rege anno 1604. munitus bulla pontificia data anno 1605. die 19. Januarii, ex actis conſiſtorialibus. Poſſeſſionem iniit menſe Maio,
1618. epiſcopatumque tenuit uſque ad an. 1618, quo obiit die 19. Januarii a cubiculario potionatus, qui ejus pecuniæ inhiabat.

D'ESPINAY.

LXV. ARTURUS.

Arturus d'Eſpinay abbas ſancti Salvatoris de Rotono in Aremorica, regi a conſiliis, & regiorum ordinum præceptor creatus in promotione facta Lutetiæ, die 31. Decembris an. 1619. Franciſci domini de S. Luc equitis torquati, rei tormentariæ in Gallia præfecti, clariſſimi belli ducis in obſidione Ambianenſi occiſi, ex Jana Coſſæa Caroli comitis Briſſaci equitum tribuni filia genitus, comitiis regni generalibus a clero Britanniæ delegatus interfuit an. 1614. poſtea deſignatus ad epiſcopatum Maſſilienſem a Ludovico XIII. paulo poſt nondum conſecratus fato eripitur 1618.

COEFFETEAU. * *Chateau du Loir.* ‡ *S. Calez.*

LXVI. NICOLAUS II.

Nicolaus Coëffeteau, ortus in caſtro-* Lœdi, aliis in ſancti Carileti * oppido, apud Cenomanos, profeſſione in ordine S. Dominici emiſſa, ab ineunte ætate litterarum amore flagravit, ſacrarum maxime; in quibus apprime verſatus factus eſt Theologiæ lector, aliiſque in ſuo ordine muniis magna cum laude eſt perfunctus. Ejus eloquentia tum in concionibus, tum in variis ſcriptis gallica lingua publicatis, maxime quæ ad Romanam pertinent hiſtoriam jam effulſerat, cum cardinali Perronio ſuadente Henricus magnus eum delegit ad reſpondendum Jacobi magnæ Britanniæ regis libro univerſis Chriſtianis principibus inſcripto. Henrico mortuo cui oratione funebri parentavit, Ludovico XIII. ejus filio, & heredi nuncupavit an. 1622. inſigne opus de Euchariſtia, adverſus Pleſſii-Mornei *myſterium iniquitatis.* Cum propter eximiam eruditionem doctis viris etiam exteris innotuiſſet, a Gregorio ipſo XV. pontifice inter præſules aſſumitur, ad errores refutandos archiepiſcopi Spalatrenſis egregio illo opere quod inſcripſit, *de ſacra monarchia eccleſiæ catholicæ, apoſtolicæ, & Romanæ, adverſus Rempublicam Marci-Antonii de Dominis, quondam archiepiſcopi Spalatrenſis*; cui operi clariſſimus antiſtes immortuus eſt Pariſiis anno
1623. 1623. die 21. Aprilis, anno ætatis 49. Conſecratus epiſcopus ſub titulo Dardaniæ, epiſcopalia munia Metis exercuit. A rege Chriſtianiſſimo deſignatus fuit epiſcopus Lombarienſis, & poſtea Santonenſis, quibus titulis nuntium remiſit; uti & Maſſilienſi epiſcopatui, quem ceſſit in gratiam Franciſci de Lomenie, nondum, ut putamus, adeptus poſſeſſionem.

ANNI CHRISTI. DE LOMENIA.

LXVII. FRANCISCUS.

Franciſcus de Lomenie Dominicani quoque ordinis alumnus, Theologiæ licentiatus, abbas B. Mariæ de Joſaphat prope Carnutum, ordinatus eſt a Franciſco Harlæo Rotomagenſi archiepiſcopo, aſſiſtentibus Baionenſi & Conſeranenſi epiſcopis, anno 1624. * in eccleſia * *Ruf.* 1625.
Dominicanorum apud Pariſios. Eodem anno 1624.
11. Septembris Ludovico XIII. ſacramentum clientelare juravit coram Franciſco cardinali Rupi-fucaldo, magno Franciæ eleemoſynario: tum anno ſequenti urbem ſolemni pompa eſt ingreſſus, & interfuit comitiis generalibus cleri apud Pariſios. Ejus tempore 1631. conditur
1631. in urbe conventus Carmelitarum diſcalceatorum, & 1633. Cartuſianorum. Vivere deſiit
1633. Lemovici anno 1639. ibique ſepultus in majori
1639. S. Stephani templo, cum hoc epitaphio.

JESUS MARIA.

Illuſtriſſimi viri F. de Lomenie Maſſiliæ epiſcopi & abbatis de Joſaphat tumulus.

Adſta viator,
Et incertas mortalium vices dole.
Dominus de Lomenie, patria Lemovix, profeſſione religioſus, dignitate Maſſiliæ epiſcopus, a finibus terræ terram hic poſiturus advenit.
Doctrina paucos habuit pares,
Nullum pietate ſuperiorem,
Non tam illi mitra honori,
Quam ipſe mitræ ornamento fuit.
Generalibus eccleſiæ Gallicanæ comitiis non ſemel adfuit, ſemper profuit.
Parentibus qui jam tertio regi ab ſanctionum commentariis fuere, non inferior,
In pauperes ſemper beneficus, ſed moriendo magnificus.
Nec enim potuit morti cedere ejus caritas fortis ut mors;
Immo & morte fortior ipſa.
Quinquageſimo quinto ætatis anno ſublatus eſt.
Immatura quidem illi ad mortem ætas,
Sed matura virtus illi ad immortalitatem fuit.
Ita vixit ut mori non poſſit.
Ita moritur ut vitam ſibi mors pariat
Priore vita beatiorem.
Apud ædes D. Stephano ſacras & decano ac novem canonicis ex ſuis decoratas ſepeliri voluit;
Ut ita illum coronam juſtitiæ jam percepiſſe intelligeremus.
Illum voluiſſet ſuis viſceribus Maſſilia complecti.
Sed heu! quæ ſpes ſolatii ſuperfuiſſet luctui Lemovicenſium,
Si quem illis vivum Maſſilia eripuit,
Etiam mortuum retinuiſſet?
O inanes hominum ſpes.
O fortunæ infida conditio
Quæ tot annorum expectationem momento temporis eludit.
Ora, plora & vade.
De more majorum in ſingulas hebdomadas inſtituto ſacro obiit XXVII. *Februarii anno a partu Virginis* MDCXXXIX.

Ejuſdem

Ejuſdem familiæ Lomeniæ fuit illuſtriſſimus vir Henricus-Auguſtus Lomenius comes Briennæ, ſacri conſiſtorii conſiliarius, & primus ſanctioris conſilii commentarienſis. ANNI CHRISTI.

GAULT. LXVIII. EUSTACHIUS.

Euſtachius Gault Turonis natus Jacobo & Margarita Poitevin honeſtiſſimi generis parentibus, cum fratre Johanne-Baptiſta, Lugduni litteris humanioribus, Flexiæ philoſophicis, in Sorbona denique & Romæ theologicis ſtudiis operam dedit. Poſtea Helvetia Germaniaque diſcendi cauſa peragratis, reverſus in patriam congregationi Oratorii Domini Jeſu cum eodem fratre, a quo tantiſper avelli ægre ferebat, ſeſe addixit: multis vero prius tum pietatis, tum prudentiæ datis argumentis, uterque in Hiſpaniam mittitur a Berullo præpoſito generali, ad conſtituendam Matriti Oratorii domum. Galliæ redditus, variis ejuſdem inſtituti domibus præpoſitus eſt. Fama vero virtutum, ſcientiæ, & ſanctitatis eximiæ percrebreſcente, ab Henrico d'Eſcoubleau Burdegalenſi archiepiſcopo evocatur, ut dum publicis regni negotiis implicatus a diœceſi ſæpius abeſſe cogeretur, Euſtachius huic utilem operam ſuam collocaret: cui obeundæ provinciæ ita diligenter incubuit, ut ſacris infulis dignus viſus ſit huic antiſtiti, qui eum cardinali Richelio commendavit. Illo vero annitente & ſuggerente, a rege Ludovico XIII. deſignatus eſt Maſſiliæ
1639. epiſcopus menſe Martio 1639. Interim archiepiſcopus Burdegalenſis rogavit ut ſuæ diœceſeos viſitationem aggrederetur, cui oneri dum ingenti zelo ſeſe componeret, lenta febre correptus, & in pulmones acrioris pituitæ diſtil-
Baſit. latione, vertere ſolum coactus eſt. Coſſionem itaque Vaſatum acceſſit fratre cariſſimo comitante, exceptuſque eſt ab optimo pontifice Henrico Loſſtofio in epiſcopales ædes, poſtque dies quadraginta ibidem inter dilecti fratris brachia exhalavit animam die 13. Martii anni
1640. 1640. Admiſſa jam tunc fuerat a ſummo pontifice Euſtachii nominatio ad epiſcopatum Maſſilienſem; quare Vaſatenſis epiſcopus, ipſius tanquam epiſcopi celebravit exſequias, & eloquentiſſimam de ejus virtutibus dixit orationem. Corpus ejus jacet in ſacello cathedralis eccleſiæ. Cor Maſſiliam detulit ejus frater poſt ipſum factus epiſcopus. Multa ſcripto reliquit ſuorum ſtudiorum monumenta; præter enim conciones ab ipſis peritiſſimis in hoc genere dicendi probatiſſimas, tractatum de conciliis ſcripſit; Veteris teſtamenti hiſtoriam compendioſam nondum abſolutam reliquit. Orationem adde qua demonſtrat eccleſiæ & reipublicæ multum intereſſe ne ſcientiarum theſaurus unico ordini hominum addicatur; item librum quo docte probat jus regis Galliæ in Navarram, &c.

GAULT. LXIX. JOHANNES-BAPTISTA II.

Johannes-Baptiſta Gault Turonis natus, patriam ſuam illuſtravit. Lugduni apud patres Societatis Jeſu litteris humanioribus tanto profectu incubuit, ut fratris ſui Euſtachii ex Italia reducis anno ætatis ſuæ 22. primorum lin-

ANNI CHRISTI.

guæ latinæ elementorum pene rudis, magiſter factus, eum intra annum ad rhetoricam provexerit. Poſt aliquot annos in theologicis exercitationibus poſitos Pariſiis in celeberrimo videlicet Sorbonæ collegio, Romæ iiſdem ſacris litteris rurſum operam navavit, & de iis theſes magna cum laude propugnavit. Summum vero Johannis-Baptiſtæ ſtudium fuit ad Chriſtianæ pietatis apicem contendere. Idcirco inſtitutum preſbyterorum congregationis Oratorii cum fratre ſuſcepit ſub Petri Berulli ſanctiſſimi ipſius auctoris diſciplina. Cum hac in congregatione adoleviſſet, profectus eſt in Hiſpaniam, jubente Berullo, ut ejuſdem propoſiti preſbyterorum ſodalitium in urbe Madrito fundaret. Variis in ſua congregatione laboribus perfunctus, cum magna etiam ſanctitatis fama, Burdigalam accerſitur, ubi fratri collaborans, qui totius illius diœceſis ſollicitudinem curamque gerebat, inſuper ſanctæ Eulaliæ parochiali eccleſiæ præficitur. Mortuo fratre aliquot menſibus ante mortem deſignato in epiſcopum Maſſilienſem, Henricus Surdiſius archipræſul Burdigalenſis, adjuvante cardinali Richelio a rege obtinuit, ut ad ſolatium orbitatis Maſſilienſis eccleſiæ, Johannem in locum fratris demortui ſubrogaret. Ejus nominationem admiſit papa die 14. Julii anni 1642. Die vero quinta Oc- 1642
tobris in ſacra æde ſancti Maglorii Pariſiis eſt ordinatus & conſecratus in epiſcopum a Victore Buthilerio Turonum archiepiſcopo, adjuvantibus Sebaſtiano de Roſmadec Venetenſi, & Johanne Dolce Bolonienſi epiſcopis. Die ſeptima Januarii anni 1643. ſuam ingreſſus diœce- 1643.
ſim ſtatim ad ſancti Lazari & aliorum ſanctorum tutelarium opem confugit. Urbem neglecta omni pompa eſt ingreſſus, ſtatimque officio paſtorali totum ſeſe addixit, ſanctum Carolum Borromæum imitari proponens; imo Chriſti paſtorum principis exempla ſemper ob oculos habebat. Itaque aſſiduus in ſeminando verbo Dei, ad tollendas morum corruptelas, interim largas in ſinum pauperum, maxime nobilium præ pudore latitantium eleemoſynas ſpargebat. Ejus autem caritas præſertim enituit in captivos ad triremes damnatos, quos ſciebat ad omnia ſcelera projectos. Itaque accerſitis preſbyteris congregationum Oratorii & Miſſionis, quæ Vincentium a Paula auctorem habuit, quibus ducem ſeſe addidit, aggreditur converſionem tot flagitioſorum hominum, inter quos erant hæretici, Turcæ, Arabeſque non pauci. Mira res! poſt ſexaginta dies in continuis laboribus abſumtos, maxima ſceleſtorum hominum multitudo ad pœnitentiam flectitur, heterodoxi hæreſim ejurant, Mahumetani ſuſcepto baptiſmate Chriſti fidem profitentur. At ex nimia in triremibus defatigatione, & aëre peſtilente contracto morbo enecatus ſanctus epiſcopus eſt, die 23. Maii anni 1643. ætatis ſuæ an- 1643.
no 48. quæ mors urbem, diœceſimque totam ingenti luctu doloreque affecit. Non defuit tamen conſolatio, quando ex ejus corporis aut veſtium, aut ſarcophagi contactu, plurimi ægroti ſanitatem recepiſſe viſi ſunt; multique peccatores ad pœnitentiam converſi, quos inter Tur-

ANNI CHRISTI.

cus quem vivens ad fidem nullis rationibus aut precibus adducere potuerat. Sepultus est in tumulo episcoporum, ad quem plurima facta sunt miracula. Nihil abs re nos facturos putamus, si coronidis vice subjiciamus epistolam cœtus cleri generalis Franciæ Parisiis an. 1645. congregati, ad Innocentium X. papam qua ejus laudes cumulate prosequitur, excusa in promptuario actorum cleri Gallicani typis edito.

Beatissime pater. Cum de fratre nostro sanctæ memoriæ Francisco Gebennensium episcopo in sanctorum numerum referendo, ad B. V. superioribus mensibus scripsimus, tanta benignitate epistolæ nostræ respondere dignatus es, ut omnibus comitiorum viris spem maximam ingesseris, nos tibi rem non ingratam facturos, si de ejusdem argumenti negotio, sed quod ad ecclesiam Gallicanam magis spectat, cum S. V. sedulo ageremus. Tribus abhinc annis obiit in Gallia Johannes-Baptista Gault Massiliensis episcopus, consummatus equidem in brevi, sed qui sex mensium curriculo, quibus sedem tenuit, multa tempora explevit. Pietate erga Deum, caritate erga pauperes, sollicitudine gregis, morum integritate, zelo, constantia, omnibus denique virtutibus quas in episcopo Paulus requirit, sanctus ille vir enituit. Sed quam ardens in illius pectore animarum salutis procurandæ zelus ferveret, erga homines ad tricenes damnatos declaratum est. Cum enim apud se perpendisset miseros illos reos damnatione pejores reddi, mala consuetudinis contagione mutuo se se inficere, & omnibus pietatis legibus solutos vivere, accuratam tricenium omnium velut totidem fluctuantium parochiarum visitationem absolvere in animum suum induxit. Incredibile dictu est, B. P. quantos labores, quam graves injurias, quam belluinam plane ferociam sustinuerit. Nec cibum nec requiem capiens inter fœtida transtra diem consumebat. Hos paterne alloquebatur, illos dure increpabat, omnes in sinu fovebat, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucraretur. Sic hominibus qui in tenebris, & in umbra mortis sedebant, lux de cœlo orta est, qua gentes perditissimos in viros modestos, summa cum omnium admiratione transformavit. Sub tanto pastore, B. P. Massilia inter ceteras Galliæ civitates caput attollebat, Provinciaque omnis ecclesiastica disciplina famam absolutissimam in clero, pietatis Christianæ pristinum candorem inter laicos, brevi restitutum iri sperabat. Sed Deo optimo maximo aliud visum est; vix enim quintum mensem sanctissimus præsul implebat, cum lecto decubuit, & post aliquot dies e corporis ergastulo solutus ad æternam patriam morte placidissima transivit. Qui eximiam pietatis famam dum viveret meruerat, ut animam cœlo reddidit, tantum sanctitatis odorem diffudit, ut omnes cives ad illius cubiculum velut conspiratione facta accurrerent, & corpus venerati, sanctum hac die obiisse proclamarent. Nec temeraria vulgi ad superstitionem mobilis vox fuit. Nam antequam humi mandaretur, multa edita sunt miracula, quæ conceptam antea sanctitatis opinionem, etiam apud incredulos adstruxere. Omnes Provinciæ urbes illorum fama peragrata est, nec ullus fuit tam ignobilis pagus, ex quo multi ægroti ad sancti præsulis tumulum non advolarent, ut quod medicorum arte non potuerant, illius precibus impetrarent. Multis secundum illorum fidem factum est, ut certissimis probationibus constat, quas viri pietate & doctrina graves illustrissimi Avenionis vicelegati confecere, & in tabulas publicas retulere. Tertius ab obitu viri Dei annus volvitur, & cum in comitiis nostris frequens de illo mentio incidisset, multaque gloriosa de ejus actibus & de miraculis ante & post mortem frater noster Stephanus episcopus modernus hujus ecclesiæ nobis sæpe retulisset, omnesque tanto exemplo ad episcopale munus diligentius obeundum sese provocari faterentur, ecclesiæ Gallicanæ dignitatem a nobis postulare censuimus, ut de sacra veneratione auctoritate apostolica tanto episcopo decernenda cum S. V. litteris ageremus. Tu enim is es ex cujus ore pendent una cum grege, quicunque sunt veri pastores, & non latrones. Tuum est fidelium pietati leges dare, & proponere exempla quæ colant & imitentur. Quidquid hac in re privata tentat devotio, non religioni, sed audaciæ, & privatis affectibus tribuendum est: quos jure quisquis recte sapit semper suspectos habebit. Annuat igitur B. V. tam æquis cleri Gallicani precibus, & ardentia populorum vota, Massiliensium præcipue, longius protrahi non permittat. Vox populi vox Dei, nec ulla festinationis incautæ suspicio esse potest, si maturius cultus sacer huic viro decernatur, quem constanti hominum existimatione, tam illustribus miraculis Deus gloriosum reddidit. Sane hac in re accelerandæ S. V. Gallicana ecclesia ornamento consuluisse, Gallosque omnes novo vinculo sibi obstrinxisse profitebimur. Deus optimus maximus gregi suo in longos annos te incolumem servare dignetur. Datum Lutetiæ anno Domini M. DC. XLVI. *die* 28. *mensis Julii. Obsequentissimi ac devotissimi filii vestri & servi, cardinales, archiepiscopi, episcopi, ceterique ecclesiastici viri in majoribus cleri Gallicani comitiis congregati. Carolus archiepiscopus Tolosanus præses.*

ANNI CHRIST.

LXX. Stephanus. Puget.

Stephanus Puget ex episcopo Dardanensi Massilienſis designatur a rege Ludovico XIV. anno 1643. consecratus jam fuerat a Francisco Harleo archiepiscopo Rotomagensi, & Normanniæ primate, assistentibus Albiensi & Conseranensi episcopis, in ecclesia patrum tertii ordinis sancti Francisci, suburbii sancti Antonii Parisiensis; & in ecclesiis Remensi ac Metensi episcopale officium diu exercuerat. Comitiis generalibus cleri Gallicani Lutetiæ habitis anno 1645. adfuit. Anno 1656. die 14. Maii consecravit Tussanum de Forbin Dinienſem episcopum. Obiit anno 1668. 1643. 1645. 1668.

LXXI. Tussanus. De Forbin.

Tussanus filius Gaſparis de Janſon, & Claræ de Libertat, secundæ ejus uxoris, ex episcopo Dinienſi fit Massilienſis, a rege Christianissimo renuntiatus anno 1668. Tempore autem hujus episcopatus a rege legatus missus est in Poloniam ad reipublicæ comitia, in quibus agente Tussano, electus est rex Johannes Sobieski regni major marescallus, rebus bello gestis clarissimus, 1668.

ANNI CHRISTI.

cujus virtute Vienna Germaniæ, totiusque orbis Christiani adversus Turcas propugnaculum ab eorum obsidione liberata est. Hujus regis petitione Jansonius sacra donatus est purpura anno 1690. Anno 1679. rex ei destinavit episcopatum Belvacensem, quem ab hoc fere tempore usque ad mortem obtinuit, hoc est usque ad annum 1713. Omnibus insuper ornatus dignitatibus, quæ decent episcopum; nam erat S. R. E. cardinalis, præceptor, seu commendator regiorum ordinum, & Franciæ magnus eleemosynarius, plurimis insuper ditatus abbatiis, & quidem pinguioribus, Corbeiensi, Marchianensi, &c.

1679.

LXXII. JOHANNES-BAPTISTA II.

D'ESTAMPES.

Johannes-Baptista d'Estampes, filius Josephi marchionis d'Autry legionis Condeæ præfecti, ex Ludovica le Grand, de cujus illustri genere agemus quando de Eleonoro d'Estampes archiepiscopo Remensi loquemur, doctor Sorbonicus, cum jam esset episcopus Helenensis, regia scheda, cui inscribebatur, pro Massiliensi episcopatu, donatus est mense Septembri anni 1680. Obiit 6. Januarii anni 1684. repentina morte correptus, cum quinque tantum annis esset major quinquagenario.

1680.
1684.

LXXIII. CAROLUS-GASPAR-GUILLELM.

DE VINTIMILLE.

Carolus-Gaspar-Guillelmus de Vintimille du Luc, ex Massiliæ vicecomitibus, mense Junio (alii Maio) anni 1684. nominationem regiam consecutus est pro episcopatu Massilienſi. Ungitur anno 1692. die 25. Martii, a Ludovico de Thomassin episcopo Sistaricensi, cui assistebant Ludovicus Aube de Roque-Martine, Tricastrinensis, & Ludovicus-Joseph Adhemar de Monteil Carcassonensis episcopus, in majori ecclesia Massilienſi. Dehinc Aquensis archiepiscopus anno 1708. de quo jam locuti sumus.

1684.
1692.

LXXIV. BERNARDUS-FRANCISCUS.

DE POUDENX.

Bernardus-Franciscus de Poudenx de Castillon, filius vicecomitis de Poudenx, ex nobili gente apud Bigerrones, legati cohortis cataphractorum equitum ducis Espernonii, hodiernæ Aquitaniæ præfecti, matrem habuit non imparis nobilitatis N. de Castillon. Hic sub patruo Francisco de Poudenx antistite Tarbeiensi vices episcopales egit. Deinde anno 1705. electus est procurator * generalis cleri Gallicani. Tum an. 1708. die 22. Februarii nominatur a Christianissimo rege ad episcopalem Massiliæ sedem. Consecratur & ungitur in episcopum die 26. Augusti in æde sacra noviciatus Societatis Jesu apud Parisios, ab eminentissimo cardinali de Noailles Parisiensi archiepiscopo cui coadjutores adfuerunt antiquus episcopus Condomiensis, & episcopus Aurelianensis. Die 4. mensis Octobris regi sacramentum clientelæ præstitit. Obiit ex alvi cruciatibus, die 19. Januarii anni 1709. magnumque sui desiderium reliquit Massilienſibus, maxime pauperibus, quos copiosissimis eleemosynis recreare cœperat. Magna animi tranquillitate & patientia, ingentes morborum sibi succedentium cruciatus pertulit, in sola eucharistia qua singulis diebus reficiebatur, solatium quærens.

* Agens de clergé.

1705.
1708.
1709.

ANNI CHRISTI

LXXV. HENRICUS-XAVERIUS.

DE BELZUNCE.

Henricus-Xaverius de Belzunce filius Armandi marchionis de Belzunce & de Castel-Moron, senescalli & præfecti pagorum Aginnensis & Condomiensis, ex Anna de Caumont Lauzun, adolescentiam suam & primos juvenilis ætatis annos transegit in Soc. Jesu, quam cogente infirma valetudine deseruit. Cum in officio vicarii generalis Aginnensis ecclesiæ, dignum se episcopatu probasset, designatus est regia schedula episcopus Massilienſis die 3. Aprilis anni 1709. Unctionem episcopalem suscepit die 30. Martii in Dominica 4. Quadragesimæ anni 1710. in ecclesia sancti Ludovici Societatis Jesu a cardinali de Noailles Parisiensi archiepiscopo, assistentibus Trecensi & Dinensi episcopis tempore comitiorum cleri Gallicani ibidem congregati, ad quæ fuerat a sua provincia deputatus. Die 19. Aprilis in vigilia Paschæ, fidem regi juravit.

1709.
1710.

MASSILIENSES PRÆPOSITI.

I. Aicardus I. præpositus Massilienſis cum Raimundo episcopo anno 1117. memoratur in charta de emtione medietatis vallis quæ vocatur *Arcula*. Reperitur etiam an. 1119. & 1131 quo Gaufredus vicecomes Massiliæ una cum Dulcelina matre laudat donum condaminæ quod Aicardus avunculus suus in manu Aicardi præpositi fecerat in testamento sui obitus. Memoratur quoque anno 1158. quo promittit obedientiam Petro episcopo.

II. Aicardus II. de Massilia, an. 1163. & 1165. Idem forte cum præcedenti; ita sentit Ruffius, atque ipsum fuisse filium Pontii de Peinier vicecomitis Massiliæ, sociumque Raimundi comitis sancti Ægidii in Jerosolymitana peregrinatione circa an. 1105. Unde sequeretur Aicardum præfuisse capitulo Massilienſi per annos 60.

III. Guillelmus I. transigit anno 1172. Anno 1177. subscribit quibusdam litteris Ildefonsi regis Arragonum. 1182. bullam accipit a Lucio papa III.

IV. Raimundus I. 1192. laudat Jaufrido Barba-rufæ quamdam aream ad domum ædificandam. Testis nominatur in litteris quibus monachi sancti Pontii auctoritati Petri episcopi Nicienſis se subdiderunt, cui Lucius papa III. dederat hanc abbatiam in commendam. Vide apud P. Jofredi in episcopis Nicienſibus in Petro II. Plura alia de eo legi possunt in Gallia Christiana fusiore.

V. Franciscus Monoguerus reperitur in variis chartis anno 1200. & 1201. quo cum canonicis ecclesiæ Massilienſis acquirit partem castri Gumberti. Reperio etiam M*. præpositum Massilienſem anno 1202. & 1209. cum Fu. epi-

* f. Monoguerum.

ſcopo, qui permittit Johanni inſtitutori ordinis A Trinitatis de redemtione captivorum habere eccleſiam & cimeterium in civitate Maſſilienſi; & qui diſceptavit cum Roncelino vicecomite Maſſilienſi.

VI. Raimundus de Petrolis an. 1201. menſe Martio pactum fecit cum Roncelino vicecomite Maſſilienſi; ex archivo eccleſiæ Maſſilienſis. Forte idem cum R. qui præpoſitus reperitur 1204. Hinc colliges duos tunc temporis in eccleſia Maſſilienſi fuiſſe præpoſitos, forte inter ſe diſſidentes, Franciſcum Monoguetum, qui præpoſituram occupaſſe videtur ab anno 1200. ad 1209. & Raimundum annis 1201. & B 1204. Poſt quem fuit quoque

VII. Petrus I. Bermundus qui reperitur in variis chartis 1203. 1207. 1211. & 1214. quo XVI. cal. Sept. in dormitorio converſorum Montisrivi, condito teſtamento, eccleſiam Maſſilienſem reliquit heredem, ut in ea tres capellani præter duos quos jam inſtituerat conſtituerentur. Poſtea ibi fit monachus, obiitque 19. Auguſti anni 1223.

VIII. Hugo Beroaldus, cui an. 1214. Raimundus de Baucio & Alazacia ejus uxor vicecomites Maſſiliæ confirmant quidquid Petrus Bermundus quondam præpoſitus dederat eccle- C ſiæ Maſſilienſi. Eidem Hugoni anno 1215. Geraldus Adhemari dominus Montilii & vicecomes Maſſiliæ, & Mabilia uxor ejus donant caſtrum Babonis. Reperitur etiam ann. 1216. 1217.

IX. Berengarius I. ann. 1226. 1230.

X. Roſtagnus I. de Agouto, ex nobiliſſima familia, teſtis legitur in hominio quod fecit Barallis de Baucio J. Arelatenſi archiepiſcopo anno 1238. Idem jam præerat anno 1234.

XI. Berengarius II. an. 1240. 1245.

XII. Roſtagnus II. de Agouto, anno 1245. tranſigit cum Nicolaua abbatiſſa ſancti Pontii.

XIII. Petrus II. Andreas in bulla Innocentii D papæ IV. data anno 4. ipſius pontificatus. Item 1250. 1252. 1255.

XIV. Raimundus III. anno 1255.

XV. Gaufridus Roſtagnus 1260. 1262.

XVI. P. anno 1271.

XVII. Berengarius III. de Segureto, camerarius papæ & præpoſitus eccleſiæ Maſſilienſis conſtituitur ſolus judex a ſancta ſede delegatus ad inquirendum de Judæis, ut nos docent litteræ ejus ſubdelegati B. Hugonis præpoſiti eccleſiæ Arauſicanæ datæ anno 1275. Jam an. 1273. interfuiſſe dicitur tranſlationi reliquiarum SS. Cannati & Antonini. E

XVIII. Hugo II. Mataplana nobilis Catalonus 1281. teſte Zurita, regem Arragonum Petrum comitatus eſt dum fœdus iniit cum Alfonſo Caſtellæ rege in loco Campilo: tum ab eodem Petro rege ad Martinum IV. legatus mittitur.

XIX. Guillelmus III. de Ferreriis, anno 1281. 1290. Ex præpoſito Maſſiliæ, preſbyter cardinalis tituli ſancti Clementis a Cæleſtino V. creatus, commendante Carolo II. Siciliæ rege, comite Provinciæ an. 1294. menſe Septembri, moritur Romæ cal. Maii 1295.

XX. Jacobus de Ferreriis, anno 1296.

XXI. F. 1297. forte Fredolus, qui in quibuſdam chartis occurrit an. 1300. 1303.

XXII. Petrus III. de Columna 1312. quem Benedictus papa XII. redarguit quod Romæ degens ab annis 20. nec reſideret, nec ſacros ordines ſuſciperet. Reperio etiam

XXIII. Petrum IV. Agapiti de Columna, præpoſitum Maſſilienſem anno 1343. Quæ de ejus cardinalitia dignitate dicit Ruffius, minime conveniunt chronologiæ.

XXIV. Antonius de Baux, Hugonis domini Baucii, comitis Avellini filius, frater autem Raimundi toparchæ de Baucio, rexit præpoſituram ex litteris anni 1355.

XXV. Johannes Bonifacii ex gente apud Maſſilienſes nobili, Antonii de Balcio fuit ſucceſſor; nam in lite quam habuit adverſus Petrum Gerardi, de qua infra, cauſabatur ſe ad ſarta tecta non teneri, quæ videlicet a tempore deceſſoris ſui Antonii debebantur. Poſtea fuit epiſcopus Glandevenſis.

XXVI. Petrus VI. Girardi *, licentiatus in legibus, cardinalis Anicienſis dictus ab epiſcopatu Anicienſi, litem habuit cum ſuo deceſſore, qui præpoſiti domum collabi paſſus erat. Ante epiſcopatum Anicienſem, Lodovenſi potitus fuerat. *Delphinat

Ruffus accenſet præpoſitis Petrum Fabri, qui hanc, inquit, gerebat dignitatem an. 1360. quo ait eum factum fuiſſe Maſſilienſem epiſcopum. Sed minime invenimus quo præpoſitum hunc ponamus loco. Non poteſt dici anteceſſor Antonii, qui an. 1355. præerat, cum ipſe an. 1361. ex præpoſito factus epiſcopus dicatur. Minime quoque licet eum ſubrogare Antonio: manifeſtum eſt enim ex dictis Antonio ſucceſſiſſe Johannem, Johanni Petrum Gerardi.

XXVII. Petrus VII. Veilhon canonicus Tolonenſis, memoratur 1444. Aug. 14. in autographo ſententiæ latæ per arbitros inter Guillelmum Gaufridi præpoſitum & compriores eccleſiæ de Coreis.

XXVIII. Franciſcus de Brancas, Nicolai Maſſiliæ epiſcopi frater 1447.

XXIX. Johannes I. Alerdel, poſtea epiſcopus Maſſil. an. 1466.

XXX. Paulus de Medivita.

XXXI. Johannes II. de Coreis, *al.* de Cuers, ſenator clericus in parlamento Provinciæ creatur in ipſa ejuſdem inſtitutione an. 1501. facta.

XXXII. Alfonſus, *al.* Antonius de Albis, Joh. nepos, ipſi ſufficitur in præpoſitura an. 1511.

XXXIII. Robertus de Indis, abbas Vallisſanctæ.

XXXIV. Philippus de la Graverie abbas Bellæ-villæ.

XXXV. Petrus Novelli præpoſitus & vicarius generalis Petri Ragueneau anno 1567.

XXXVI. Bartholomæus de Bauſſet 1575.

XXXVII. Laurentius de Bauſſet 1621.

XXXVIII. Petrus de Bauſſet 1629. vitam & miracula Johannis-Baptiſtæ Gault epiſcopi vulgavit anno 1650.

XXXIX. Philippus de Bauſſet 1668.

XL. Joſeph-Ignatius de Foreſta Colongue 1692. poſtea epiſcopus Aptenſis.

XLI. Angelus de Foreſta Colongue 1697.

VETERA MONASTERIA ET ABBATIÆ DIOECESIS MASSILIENSIS.

VIx ulla eſt urbs in qua plura fuerint V. & VI. ſeculo monaſteria, quam Maſſilia, ubi tunc numerabantur tria illuſtria cœnobia; ſcilicet ſancti Victoris, cujus auctor Caſſianus, & forte ceterorum; B. Mariæ de Yvelino*, ſancti Salvatoris, ſeu ſancti Caſſiani a; quæ duo ultimo loco recenſita feminarum erant. Id autem notatu dignum tria hæc ſupereſſe, prioremque ſtatum retinere, præter cœnobium de Yvelino, vel Ybelina, ſic dictum ab Yvelino amne, qui paulo infra in mare influit; nam cum fuiſſet non ſemel incenſum & dirutum hoc monaſterium diuque jacuiſſet, ſeculo XIII. ineunte, tranſivit ad Præmonſtratenſes; & ab ipſis ad moniales ſub regula ſancti Auguſtini. De ſingulis nunc agendum, & ceteris in diœceſi Maſſilienſi abbatiis: quæ ſunt,

Abbatia ſancti Victoris, ordinis S. Benedicti.
S. Salvatoris, femin. ord. S. Benedicti.
S. Pontii, femin. ord. Ciſterc.
Montis-Sion, femin. ord. Ciſterc.
B. M. de Yvelina, vel de Ybelina, ord. Præm.
S. Mariæ de Nazareth, femin. ord. S. Claræ.

* Venne

a

S. VICTOR.

SAncti Victoris Maſſilienſis nobile ac veteſtiſſimum Galliarum monaſterium, ordinis ſancti Benedicti, conditorem agnoſcit Johannem Caſſianum Maſſiliæ preſbyterum, qui duos cœtus monaſticos inſtituit *prope & extra muros civitatis Maſſiliæ*, ut chartæ ferunt; alterum quidem virorum, eo in loco ubi jam antiquitus erat *confeſſio*, alterum vero mulierum, de quo ſub titulo ſancti Salvatoris agetur. Eccleſia ſuperior, ſeu major vocabatur *baſilica apoſtolorum Petri & Pauli*, ſuntque pontificum bullæ inſcriptæ abbati monaſterii beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ubi requieſcere creditur corpus ſancti Victoris. Eccleſia minor vel inferior dedicata eſt in honorem S. Dei-genitricis Mariæ, ſanctique Joh. Bap. Neutram conſecravit Leo I. & Benedicti bulla quæ contrarium affirmat, ſuppoſititia cenſetur a doctis; nunquam enim in Gallia S. Leo fuit dum geſſit pontificatum, nec, dum fuit archidiaconus, potuit dedicare eccleſiam contra regulam & conſuetudinem eccleſiaſticam. Vaſtatum a Wandalis illud cœnobium chartæ ferunt, quos tamen prius in Hiſpaniam ſe recepiſſe conſtat, quam illi condendo Caſſianus manum admoveret. Fortaſſe cladem illam pertulit a Wiſigothis Arianis, qui Maſſiliam invaſerunt anno 464. Graviora etiam paſſum eſt ſeculo nono *a gente pagana & barbarica*, cujus nomen reticent chartæ. Normannos fuiſſe credo, qui Provinciam Rhodano ſubiere; vel Saracenos, qui multoties eam infeſtarunt ab ipſo Caroli Martelli ævo; nam quod aiunt auditum a nobili Dano quodam multa veterum hujus abbatiæ inſtrumentorum a Normannis in Scaniam aut Scandinaviam aſportata, ibi etiamnum ſupereſſe, neſcio an ſit uſquequaque verum. Poſtquam ergo diu deſolata jacuiſſet hæc abbatia, novis & quidem fauſtis avibus iterum eam condidere Guillelmus primus Maſſiliæ vicecomes, & ejuſdem urbis epiſcopus ſanctus Honoratus ipſius frater an. 1040. Ab anno tamen 1200. uſque ad annum 1279. iterum ædificari cœpit eccleſia, quam collabentem egregie fulcivit Urbanus V. turribuſque munivit, atque campanili, Margareta Scotorum regina mille florenos aureos *de camera* ad id opificium, teſtamenti tabulis, ſuppeditante. Magnificenter etiam eam exornavit ille pontifex, ibidem in marmoreo ſepulcro pereleganti ad dextrum latus majoris aræ ſepultus. Illuc autem Avenione pedes ſe conferebat, pedes redibat ob loci reverentiam; multa namque corpora ſanctorum ibi conſervantur; nempe ſanctorum Victoris & ſociorum martyrum Alexandri, Feliciani, Longini, quorum oſſa tegit deaurata capſa; caput autem ſancti Victoris includit argentea gemmis ornata.

In eccleſia inferiore putant habere ſe crucem ſancti Andreæ, olim quidem ferro incluſam, nunc autem argento, & ab angelo revelatam ſancto Hugoni ſacriſtæ, cum ob metum Saracenorum prope fluvium *infoſſa terræ fuiſſet. Ceteras prætermitto, quarum nonnullæ forſan infra commemorabuntur. Multis autem præceptis ac privilegiis Pippini, Caroli, Ludovici & Lotharii regum Francorum hæc abbatia decorata eſt, multis quoque vicecomitum & epiſcoporum Maſſiliæ donis, poſſeſſionibus ac prædiis nobilitata, nec paucioribus maximorum pontificum bullis ac immunitatibus illuſtrata.

* la Veanne.

At illud potiſſimum commendat hanc abbatiam; quod ſit caput multorum etiam extra Gallias monaſteriorum. Nempe cum in ea floreret obſervantia regularis, Victorinorum abbatum regimini ſubdebantur cœnobia, quæ reformatione indigebant.

Seriem abbatum eruimus tum ex jam confectis catalogis, tum ex chartis & monumentis, necnon ex chronico monaſterii, quod Philippus Labbeus inſeruit tomo I. bibliothecæ novæ, pag. 339. Multum quoque nobis profuerunt obſervationes Dom. Fornerii, Victorini aſcetæ, in ſua hiſtoria domeſtica verſatiſſimi.

SERIES ABBATUM.

I. S. Johannes Caſſianus cognomento *Collator*, natione Scytha, ut docet Gennadius; Gallum tamen eum fuiſſe colligit Holſtenius in præfat. ad cod. regul. ex ipſius Caſſiani collatione 24. ubi ſe in Provincia ortum videtur innuere. In quodam cœnobio Bethlehemitico monaſticam profeſſionem amplexus eſt; at majoris per-

Gennad. 21.

a Carolus Cointius in annalibus, tom I. ad annum 556. num. 43. hoc cœnobium aliud eſſe docet a parthenone ſancti Salvatoris, ſed perperam.

fectionis causa, varias Ægypti solitudines perlustravit, ut ex colloquiis & collationibus cum sanctissimis earum incolis, quas ipse postea evulgavit, magis proficeret. Nonnisi post illam Ægyptiacam peregrinationem venit Constantinopolim, ubi sancti Johannis Chrysostomi, a quo diaconus ordinatus est, persecutionum particeps fuit. Ejus quasi legatione fungens, Romam venit ad Innocentium papam, qui Chrysostomum suæ sedi (nam ex ea fuerat ejectus) restituit. Ibi Cassianus presbyter factus est, ex probabiliori sententia. Verum cum anno 410. Gothi urbem expugnassent & vastassent, inde fugit Cassianus, & Massiliæ sedem fixit, ubi anno circiter 413. duo condidit monasteria. Quo tempore Romæ agebat, apprime didicit Latinam linguam, qua usus est in conscribendis variis operibus, & quidem eximiis; scripsit videlicet de incarnatione Christi libros septem: de institutis monachorum libros quatuor: octo de vitiis principalibus: collationes cum patribus Ægyptiis habitas libris 24. quæ quidem ab omnibus laudantur, caute tamen legendæ propter insperssa quædam Pelagianæ doctrinæ semina. Ex his autem collationibus Cassiano Collatoris nomen inditum; ut liquet ex sancto Prospero, contra Collatorem scribente. Obiit vero Massiliæ septem & nonaginta annos natus, multis clarus virtutibus & insigni doctrina, Theodosio & Valentiniano imperatoribus, anno circiter 448*. Quiescit in ecclesia sancti Victoris ad dexteram principis altaris, annua solemnitate cultus apud sanctum Victorem 23. Julii. Porro qui fuerint ejus successores silent historiæ, propter frequentes in Gallia barbarorum grassationes.

*430. hist. Mass. Ruffi.

II. Anastasius e monacho Massilienssi assumtus abbas circa annum 580. vel ut habetur in codice chartophylacii, exeunte anno 600. incarnationis Dominicæ, monasterium rexit dum potentissimi reges Guntramnus & Childericus de urbis dominio disceptarent. Anastasius cum Proculo sacerdote fautor erat partium Guntramni, ut videre est apud Gregorium Turonensem, scilicet lib. 6. c. 11. ubi tamen non legitur Anastasium abbatem fuisse sancti Victoris, quamvis ita sentiat cum plurimis aliis D. Theoderic. Ruinart in notis ad hunc locum. Certe minime honorificum foret de abbate S. Victoris interpretari quæ de Anastasio abbate Gregorius Turon. testatur his verbis: *Clerici autem qui sceleri huic mixti fuerant, quorum caput Anastasius abbas & Proculus erant, &c.*

III. Magnus I. post Anastasium præfuit, ex Ruffio hist. Massil. l. 11. c. 2. edit. 2. 588. & ex D. Fornerio memoratur in primo instrumentorum, ad ecclesiam Massilienssem spectantium.

p. 106. col. 1.

IV. S. Maurontus episcopus & abbas Massiliæ anno 780. Carolo Magno obtulit libellum, ut ablata monasterii prædia restituerentur, sicuti prodit documentum tabularii Victorini in indice episcoporum Massiliæ.

V. Yvo episcopus post obitum sancti Maurontii, abbatiam administravit. Sic se vocat in magno chartulario fol. 24. verso: *Yvo gratia Dei episcopus, rector & gubernator ipsius ecclesiæ, anno xiij. regnante glor..... domino nostro Carolo rege Francorum & Langob. seu patricio Romanorum, indictione* IX.

781. vel 782. Fornerius.

VI. Hugo I. quo postulante cum Berengario episcopo Massilienssi restituitur per Carlomannum reg.... dominium villæ Cilliani (*de Scillans*) ex magno chart. Vict. fol. 2. & fol. 122. cujus documenti authenticum est in armario diœcesis Forojul. fol. 283. charta Carlomanni est data IV. non. Febr. an. 6. regnante Carlomanno, indictione 11. apud Compendium.

VII. Magnus II. rexit abbatiam anno 904. uti liquet ex magno libro chartarum. Ea valuit gratia, ut ejus, Rostagnique Arelatensis archiepiscopi suasu, vicina agrorum spatia, quæ Paradisus, vel porta Paradisi appellantur, tum etiam reliqua Montis-rotundi, nunc Montis Dominæ de Gardia, & circumquaque jacentia territoria acceperit *domo Ludovici imperatoris. Factum Arelate anno 904. an. 4. imperante Ludovico*; ex magno chartario fol. 2. verso.

VIII. Garinus vixisse fertur anno 926. omittitur apud Dom. Fornerium & D. de Ruffy.

IX. Honoratus Bosoni avunculo suo Provinciæ comiti, ætate pene suppar, rexisse creditur anno 960. omittitur quoque apud DD. Fornerium & de Ruffy.

X. Bernardus I. ex D. Ruffy hist. Massil. & D. Fornerio magni chartul. fol. 147.

XI. Adelardus abbas sancti Victoris Massilienssis, reclamat se de Rodulfo episcopo, & de Imone, ob terram *Camaricas* (la Camargue) ab eis occupatam: *Facta notitia ista in villa Manosca* IV. *nonas Jan. anno 42. regnante Conrado rege Alamannorum, seu Provincia*; ex dissertat. D. de Ruffy de origine comitum Provinciæ. Memoratur in actu querpitionis cujusdam factæ anno 44. regnante Conrado rege IV. nonas Januarii. In eadem charta fit mentio Pontii episcopi Massilienssis, ex magno chart. fol. 147. 961. ex D. Fornerio laudante magnum chartul. fol. 23. verso. Adalardo Pontium successorem immediatum dat Ruffy, & Pontio Hugonem.

XII. R. 981. 990.

XIII. Hugo II. 990. ex DD. Fornerio & de Ruffy hist. Massil.

XIV. Pontius I. subscripsit testamento Willelmi I. comitis anno 992. In magno chart. S. Victoris legitur: *Notitia conventionum de villa Cathedra*, (vulgo *la Chadiere*) *inter Adalardum abbatem S. Victoris, & Willelmum vicecomitem Massiliæ, quam ego Pontius abbas successor prædicti volo scribere, præcipiente & cogente mihi patre meo Ingulberto, &c.* anno circiter 993. ex mag. chart. fol. 23. verso.

XV. Garnerius an. 1003. ex magno chart. Sub hoc abbate Wifredoque præposito Willelmus vicecomes Massilienssis in extremis, monachi habitum suscepit, & multa contulit cœnobio, anno 1004. id. Octob. regnante Rodulfo rege. Donationem confirmarunt Pontius episcopus Massilienssis, & Willelmus frater ejus, necnon Ermengarda D. Willelmi mater. Vide instrumentum hoc in probationibus.

fol. 23.

Ch. XXIII. p. 113. col. a.

XVI. Wifredus per quinque annos præpo-

situs fuerat, quando electus est abbas. Instrumentum electionis Wifredi abbatis factum est postulante Warnerio abbate, præsentibus Pontio Massilienſi episcopo, Archinrico abbate Montis-majoris, Pathone abbate sancti Gervasii, Warnerio Psalmodiensi, anno 1005. indictione III. Anno 1014. memoratur in majori chartario. Obiit hic abbas post annos 15. regiminis, anno MXXI. Sub hoc abbate monasterium cœpit reflorere, ut paret ex tabulis, maxime ex bulla Johannis papæ, anno circiter 1007. data, ex armario bullarum, n. 1. & magno chartul. n. 1.

XVII. Isarnus Tolosanus prior claustralis sub Wifredo, ei anno 1021. subrogatur. Anno 1024. Willelmus comes pagi Vindascini*, fecit insigne donum monasterio; cujus litteras vir clariss. Lud. Ant. de Ruffy edidit in dissertatione de origine comitum Vindascinorum:

Ego Willelmus filius Rotbaldi, facio donationem sancto Victori, in comitatu Aquensi, in valle Cagnanam, de quarta parte, de uno fronte flumen Av. an. MXXIV. *Adalax comitissa f.* (firmavit) *Willelmus comes filius Rotbaldi fir.*

Anno MXL. idibus Octobris consecrata est nova ecclesia in frequenti præsulum & principum, optimatumque cœtu, a Benedicto papa IX. qui etiam monasterium privilegio donavit. Hoc ipso anno Isarno abbati cœnobium sancti Verani Vallis-clausæ restaurandum traditur a Clemente Cavallicensi episcopo. Anno 1044. Pontius episcopus Massilienſis dedit huic abbati & monachis ecclesiam sancti Genesii; eodemque anno huic sacro loco sancti Promasii Forcalcariensis ecclesia concessa est. Ruffius de sanctitate Isarni abbatis fuse satis differit. Paulo ante mortem in Hispaniam profectus est, ut quosdam monachos a Sarracenis in vastatione Lerinensis insulæ captos redimeret. Post mortem, quæ contigit die 2. Septembris anni 1048. indictione I. Isarnus supremis honoribus dignus visus est, colituruque Massiliæ.

XVIII. Petrus I. alumnus monasterii eligitur successor sancti Isarni, coram Rajambaldo Arelatensi archiepiscopo, qui sancti Victoris fuerat monachus, præsentibusque Fulcone vicecomite Massilienſi, ejusque uxore Odila. Instrumento electionis vitiose data est indictio III. unde parum certæ nobis videntur ejus notæ chronicæ; quapropter parum curamus quod factum legatur anno 1047. meliusque convenire putamus annum 1048.

Concilio Vercellensi contra Berengarii errorem Petrus interfuisse dicitur. Porro beneficia non pauca pro incremento monasterii sui a viris principibus & nobilibus Provinciæ accepit, de quibus tabularium sancti Victoris; præcipue abbatiam Psalmodii datam a P. Magno comite, ex magno chart. fol. 1. Obiit an. 1061. 4. nonas Martii, ex chronico; at ex aliis veteribus monumentis, anno 1060.

XIX. Durandus electus an. 1060. indictione XIII. epacta XV. luna 3. cum consensu Pontii episcopi Massilienſis, & Fulconis vicecomitis ejus avunculi, & Raimbaldi archiepiscopi Arelat. & monachi ejusdem loci, ex arch. n. 198. Huic facta est donatio monasterii Chiriaci* ab Adelberto Mimatensi pontifice, anno 1062. aliasque bonorum donationes accepit, de quibus chartularium magnum. Obiit V. cal. Decembris, ex necrol. Canonicæ, indictione 2. ex chronico, anno 1064.

XX. Bernardus filius Richardi vicecomitis Ruthenensis & Amelienſis (*de Milhaud*) ex Rixendi, dum se Deo devovit in cœnobio Massilienſi, partem bonorum suorum largitus est, anno 1061. Instrumentum electionis Bernardi in abbatem, quam confirmat Pontius Massilienſis episcopus, cum avunculo suo Fulcone vicecomite, & cum fratribus suis, ac Raimbaldo Arelatensi archiepiscopo & monacho, factum est anno Domini 1065. indict. III. epacta II. XIV. cal. Junii, luna 7. ex arch. Vict. num. 3. An. 1071. accepit monasterium Rivi-pullense, ex chronico, Castrenseque dono Froterii episcopi anno 1073. Anno sequenti Pontius Willelmi vicecomes dat eidem monasterio, in manu Bernardi abbatis omnem honorem suum, si morte prævenrus sit, sine herede legali *de corpore suo*. Synodo adfuit Tolosanæ 1068. Hugone Albo cardinali & sanctæ sedis legato præside; atque a papa Alexandro II. purpura[a] insignitus, a Gregorio successore cum Bernardo Patavino cardinali legatus mittitur ad principes imperii, necnon in Hispaniam propter dissidium Berengarii comitis Barcinonæ. Litteræ hac de re scriptæ sunt pridie cal. Junii, ind. XV. quæ an. 1077. respondet. In ea porro legatione captum eum fuisse testatur Gregorius VII. in epistola ad Udonem Trevirensem archiepiscopum: cujus cum desiderio tenerentur monachi Massilienses, ad eos scripsit Gregorius epist. 15. l. 6. monens ut ejus absentiam æquo ferrent animo; qua ex epistola discimus ipsum pro defensione ecclesiæ Romanæ passum esse persecutionem, etiam *usque ad corporis captionem*. Ceterum initio anni 1079. Romæ morabatur Bernardus, & non multo post Amato Oleronensi episcopo legationis socius adjunctus, regente interim monasterium sancti Victoris Rainaldo præposito, moritur in ea legatione hoc ipso anno 1079. XIII. calend. Aug. de quo sic habet chronicon Massil. *Obiit domnus abbas Bernardus plenus Christi dilectione, rexit abbatiam annos* 15. De ejus morte Gregorius VII. hanc scripsit epistolam ad monachos Massilienses;

Non dubitamus fraternitatis vestræ dilectionem mœroris & tristitiæ plenam, super venerandi patris sui excessu vehementi dolore constringi. De cujus transitu profecto nemini majus incommodum, quam nobis, aut æque magnum evenisse putamus, qui talem, tantumque adjutorem nobis e latere subductum sentimus. Intelleximus si quidem in ipsius prudentia & consilio, si vita aliquandiu comes maneret, plurimum utilitatis, Deo favente, non solum in Transalpinis, verum-

[a] De collata huic Bernardo dignitate cardinalis, dubitare non patitur donatio ecclesiæ B. Mariæ de Metras in diœcesi Calaritana facta in præsentia D. Richardi Rom. ecclesiæ legati, & *D. Bernardi cardinalis & Massil. mon. abbatis*; ex cod. sancti Victoris, in armario Sardin. n. 67.

*Vide chart. XXIV. p. 114. col. 1.

*al. Cytiacci. Vide C. II. eccles. Mimat. p. 14. col. 1.

Vide prob. Castrenses C. I. p. 13 col. 1.

a

Greg. VII. lib. 4 ep. 23. & 24.

lib. 5. p. 7.

in annal. Bened. tom. V. p. 149.

l. 7. ep. 8

etiam in Italiæ partibus cum multorum salute S. R. E. perventurum. Unde nos quoque tanti culminis onus quod ultra vires est, sustinentes, ejusmodi solatio sublato, cum neminem aut vix paucos suffragatores similes inveniamus, quanto mentis angore teneamur, liquido quidem potestis & ipsi percipere. Et quoniam memoratus pater vester, quod vivendo promeruit, obeundo incunctanter est Abrahæ sinu receptus, nos dulci illius memoria a vobis fricti, præcipue etiam divino amore movente locum vestrum specialiter diligere, juvare & ab omnibus violentiis, sicut Romana ecclesia specialiter hærentem defendere decrevimus: & quemadmodum Cluniacense monasterium longo jam tempore sedi apostolicæ constat esse unitum, ita quoque vestrum deinceps ut eidem sedi similiter hæreat in perpetuum volumus atque sancimus. Audivimus autem quod caritas vestra filium nostrum & presbyterum cardinalem Ricardum loco germani ipsius in abbatem velit eligere, quam denique electionem nos approbamus, & apostolica auctoritate firmamus.

XXI. Ricardus cardinalis ab Alexandro II. creatus adhuc juvenis, sancti abbatis Bernardi frater, ejus in locum subrogatur approbante Gregorio papa, uti supra vidimus; sed id clarius demonstrat epistola 7. libri septimi ubi sic loquitur: *Gregorius episcopus servus servorum Dei Ricardo cardinali in legatione Hispaniæ constituto salutem & apostolicam benedictionem. Unanimitas fratrum Massilienſium in litteris suis sancte memoriæ fratris tui memorans obitum, novo me dolore sauciavit, petens insuper contemplatione amoris sancti fratris tui, teque velut ipsum alterum futurum sperans, ut sibi te concederem in abbatem, quod & feci. Volo ergo ut fratres tuos nullo modo pertinaciter resistendo contristes, sed voluntati Dei & sanctorum fratrum facile acquiescas: Volumus etiam, atque monemus ut in quantum potes, spes tantorum fratrum de te vana non fiat, sed spiritum sanctum fratris tui viriliter induas, sæcularia ac juvenilia desideria ut mortem fugias, sancta regulæ medullitus te adstringas, ne occasione tuæ juventutis monasterium sanctum, quod avertat Deus, patiatur aliquod detrimentum religionis. Notum autem tibi facio, quia desiderium mihi est monasterium S. Pauli apostoli, & monasterium Massilienſe tanta charitatis unione constringere, ut & illud semper pro amore beatissimi Pauli ex apostolica auctoritate sucrescat, & beatissimi Pauli monasterium ad sanctam religionem ex illius monasterii religione proficiat. Postquam autem, Deo auctore, monasteria tua bene composueris, legationem tibi commissam ad Hispanias perficere non moreris. Data Romæ* IV. *nonas Novemb. indict.* III.

Anno 1080. Ricardo Gregorius VII. monasteriorum Montis-majoris, & Crassæ reformationem commisit XIV. cal. Maii an. pontificatus VIII. Centullus quoque Benearni & Bigorræ comes, eodem anno ipsi monasterium sancti Savini Levitanensis suppposuit. An. 1086. quadam ecclesia S. Mariæ in suburbio Narbon. donatur a Dalmatio Narbon. archiepiscopo, & anno 1090. ecclesia S. Grisanti prope Narbonam. Duas ab Urbano papa II. bullas obtinuit, unam decimo cal. Martii 1089. alteram II. nonas Aprilis 1096. ex tab. episc. Alb. An. 1097. recensetur in charta Centulli comitis pro sancto Severo de Rustano, cujus etiam monasterii occasione bullam a præfato papa consecutus est an. 1099. ex MS. cod. B. M. Deauratæ. Adfuit concilio Claromont. anno 1095. mense Nov. Qui medius sedit inter Gregorium VII. & Urbanum II. Victor III. eum excommunicare coactus est, quod adhæsisset Hugoni Lugdunensi archiepiscopo, qui in hunc papam præ invidia & ambitione cornua erexerat; sed mortuo hoc papa, qui parvo tempore vixit, Richardus ambivit communionem ejus, qui postea electus est in papam, a qua nusquam recessit. Richardo Alfonsus Castellæ rex monasterium sancti Servandi Toletanæ diœcesis subjecit. Idem abbas cœnobium Gersense S. Johannis-Baptistæ, & sancti Vincentii in Urgelitana diœcesi, recepit ab Artaldo comite Paillarensi 1084. non ut habet Zurita 1096. Multa illi dedit aut confirmavit Pontius Ruthenensis episcopus anno 1082. ut liquet ex ejus charta.

Clem. Caret. lib. 3. c. 72.

Vide infrum. C. XXVII. p. 113. col. 1.

Raimundus item sancti Ægidii comes suasu Guillelmi comitis Arverniæ, & Bernardi vicecomitis Biterrensis, partem dominii in territorio Gibeleti eidem Ricardo largitus est anno 1103. Guillelmus Ceritaniæ (*Cerdaigne*) comes cœnobium sancti Michaelis de Coxano in comitatu Rossilionensi; Bernardus comes Bisuldinensis monasteria de Rivo-pullo S. Petri, & sancti Stephani de Balneolis. Cetera prætermitto, de quibus in magno chartario Victorino. Præfuit Richardus annis 29. ex chronico. Sed turum non est hoc sequi chronicum. Nam postquam dixit Bernardum obiisse anno 1079. subdit Richardum ejus successorem annos novem supra viginti rexisse, & anno 1091. mortuum esse, Odonem post eum præfuisse annis quinque, Radulfum annos sex, quo mortuo anno 1103. successit Garinus. At si rexit Richardus per annos 29. ab an. 1079. pervenit saltem usque ad annum 1107. Proindeque nullus datur locus abbatibus Odoni, Radulfo & Garino. Ruffii sententia est Richardum anno 1107. fuisse creatum archiepiscopum Narbonensem non dimissa abbatia, quam vices ejus gerentes administrarunt Guillelmus & Raimundus, usque ad electionem Othonis.

Hist. de Marseille l. XI.

XXII. Otto cognomento Alamannus, clara stirpe editus, ac regum Francorum, ut aiunt, affinis, ex monacho fit abbas non multo ante annum 1113. sedit annis quinque. Ei Paschalis II. universa privilegia monasterio sancti Victoris Massilienſis a decessoribus collata speciali diplomate confirmat 1114. quod edidimus inter instrumenta ex archivo monasterii. Donationem cœnobii sancti Petri in Ruthenico, per Ricardum Ruthenensem comitem obtinuit, quod olim patruus ejus Bernardus, & Hugo ac Raimundus vicecomites testamento largiti fuerant: anno vero 1117. constituitur Otto episcopus Januensis post Aicardum, de quo plura vide apud Ughellum tomo IV. Italiæ Sacræ in episcopis Genuæ.

Chart. XXVIII. p. 115. col. 1.

XXIII. Rodulfus vel Radulfus eodem anno 1117.

Ep. 6. l. 9.

1117. electus, monasterii magno emolumento A curam gessit. Nam anno 1120. ejus haud dubie rogatu Adhemarus episcopus Ruthen. confirmavit donationem abbatiæ S. Amantii Ruthen. quæ cum prius haberet clericos, unita Victorino fuerat cœnobio. Quapropter Radulfus eo deduxit monachorum coloniam. Eo instante Callistus II. scripsit ad archiepiscopos Arelatensem & Ebredunensem, ut cœnobii sancti Victoris bonorum possessionem contra malorum insultus tutarentur. Chiriaco cœnobio in diœcesi Mimatensi, hujus abbatis suasu, idem Callistus ea privilegia largitus est anno 1123. B quibus nunc fruitur. Hoc eodem anno Adelbertus Senecensis episcopus, illa bona quæ in sua diœcesi S. Victoris abbatia possidebat, publico instrumento rata haberi voluit. Sub eo pariter fit concordia inter monasterium Victorinum & capitulum Massiliense, ut habetur in libro parvo chartarum.

XXIV. Ganselinus vel Gausselmus abbas S. Victoris Massil. subscripsit litteris Ermengaudi sacristæ ecclesiæ sanctorum Justi & Pastoris, pro prioratu de Monachia Narbon. pendente a S. Victoris cœnobio, anno 1129. Vide in Arnaldo archiepiscopo Narbon. Decessit 1129. ex Fornerio. C

XXV. Petrus I. Salomonis, regimen accepit anno 1130. ex Fornerio, & litteras ab Innocentio II. datas Pisis 1136. [a] quibus privilegia ab antecessoribus sancto Victori concessa, omniaque jura & bona specialiter confirmat, ex authentico. An. 1140. consensit concordiæ initæ inter canonicos Ruthenenses, & monachos Massilienses ecclesiæ sancti Amantii super sepulturis. Vide tom. II. Miscellan. Baluz. p. 118. concordiam hanc confirmavit Lucius II. anno 1144. bulla ad eundem Petrum abbatem missa: ibid. Obiit 1146.

[a] Ex Fornerio.

XXVI. Guillelmus I. quem Ruffius vocat D Guillelmum Petri, eligitur 1147. Exstat in tabulario instrumentum transactionis factæ anno 1155. inter ipsum & Adalbertum Mimatensem pontificem, & inter utriusque ecclesiæ congregationes, ubi cognominatur Guillelmus tantum. Eugenius III. anno 1150. decessorum pontificum Rom. privilegia ac beneficia, cœnobio Victorino, diplomate suo rata esse voluit. Anno circiter 1151. dedit hic abbas aliquas ecclesias Gileberto abbati Silvacanæ. An. 1156. nostro abbati Massilienſi Raimundus Gaufredi & uxor ejus Pontia, & liberi E restituunt quidquid habebant in castello de Sex-furnis cum omni territorio suo; Guillelmus vero titulo permutationis dimidiam partem quam habebat in Oleriis, & tertiam partem in castro de Porcilis &c. eis concedit. Eidem abbati Petrus Forojulienſis episcopus ecclesiam B. Mariæ de Cillas cessit. Paucis mensibus antequam mortem oppeteret an. 1163. item movit Petro Ruthenensi episcopo pro ecclesia Boaddenensi in ea diœcesi, quam jurisdictioni canonicorum suorum vi erepeam, & monachis attributam contendebat episcopus.

XXVII. Fredolus d'Anduse, ex hist. Massil. D. Ruffii, post Guillelmum creatur abbas 1163. qui a puero Massiliæ in monasterio educatus, cum doctrina & virtute, rerumque usu singulari polleret, ad episcopalem sedem Forojulienſem postea evehitur. Alexander III. papa eum per litteras monet de servanda ordinis disciplina. Ecclesias Arelatensis diœc. SS. Genesii & Honorati, quas olim Petro Salomonis abbati Guillelmus Arelatensis archipræsul eripuerat, suis monachis curavit restitui. Ab archiepiscopo item Pisano primate ac legato in Sardinia, simul & a Constantino antistite Calaritano ecclesiæ sancti Saturnini cessionem obtinuit. Regebat adhuc an. 1166. mense Julio, quo fecit compositionem cum Arelatensi archiepiscopo, ex parvo chart. fol. 131. verso. Mortuus est eodem anno, cum sedisset annis tribus, mensibus quatuor.

XXVIII. Petrus III. de Nogaret, post varia dissidia suffectus est abbas anno 1166. Insequente vero Ildephonsus rex Arragonum, comes Barchinonensis, Tortosæ, Ilerdæque marchio, & Provinciæ dux VIII. idus Maii laudavit sancto Victori de Massilia, necnon abbati Petro & sanctimonialibus quæ in monasterio sanctæ Perpetuæ sunt, multas ecclesias atque villas: *Omnes istas præfatas ecclesias*, (inquit) *cum villis, & omnes usaticos & albergas, confirmo, sicut pater meus Raimundus Berengarii dedit Deo & supranominatis fratribus, sanctisque monialibus, ut habeant & possideant per infinita sæculorum sæcula. Amen. Actum est hoc donum in capitulo præscripte cellæ sanctæ Perpetuæ, in manu Guillelmi tunc temporis ejusdem loci prioris & priorissæ Bonafeissæ.* Chartam vide apud Bouche hist. Provinc. lib. IX. sect. 2. cap. 4. necnon sub archiepiscopo Aquensi Hugone.

Anno 1173. quasdam ecclesias commutavit cum Bernardo abbate sancti Eusebii, ex hist. Massil. D. de Ruffi. An. 1174. intercessit pro monachis sancti Amantii Ruthenensis sibi subjectis, in causa quæ vertebatur inter capitulum ecclesiæ Ruthenensis & ipsos, maxime pro sepulturis quæ veteri more fiebant in solo cœmeterio sancti Amantii. Anno 1175. donationem antecessorum P. Salomonis, Guillelmi Petri, & Fredoli de Andusia factam fratribus de Monte-rivi confirmat sequenti charta.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, anno incarnationis ejus MCLXXV. *Notum fit omnibus hanc chartam legentibus vel audientibus, quod dominus Petrus Massilienſis abbas super discordia quæ erat inter fratres de Monte-rivi, & Johannem monachum priorem de* Belgenchiec *de terminis territorii sui, ab utriusque rogatus cognoscere decrevit. Ipsi enim fratres de* Monte-rivi *quasdam terras & possessiones asserebant per donum & traditionem abbatum Massilienſium: videlicet P. Salomonis, Guillelmi Petri, Fredoli de Andusia, habuisse, usum quarum prædictus Johannes eis inquietabat dicens quadam ab eis ultra fines dona-* Ex chartul. Vill. fol. 43c

[a] Ad Petrum abb. sancti Victoris Massilienſis exstat breve Innocentii PP. II. an. 1137. XIV. ca Jula, quo cœnobium sancti Andreæ Agathensis subjicitur Massilienſi.

tionis ſuæ auctoritate uſurpaſſe. Unde factum eſt ut prior jam dicti loci cum quibuſdam fratribus monaſterio venerabili domino abbati, & ſuo conventui ſupplicando, ut cauſa Dei ipſe dominus abbas ad locum pro quo diſcordia iſta erat, veniret, & controverſiam inter eos ſuo arbitrio terminaret. Quorum petitioni dominus abbas benignum prabens aſſenſum adiit locum illum, & jam dictis fratribus convocatis, & illorum rationibus hinc inde auditis & cognitis, conſilio ſuorum qui ibi aderant, in ipſis terris terminos aſſignavit, & congeries lapidum, & calce compoſitos ad memoriam retinendam ibidem fieri precepit in monte qui dicitur Arambert ; *pro tali modo donationem a ſuis predeceſſoribus factam confirmando laudavit. Cujus rei teſtes fuerunt R. Drocha, Fredolus de Monte-bruno, Johannes tunc prior illius loci, P. Cornutus monachi, W. Dalmacii, R. Cornutus & Boſo frater ejus. Ex parte fratrum de Monteirivi interfuerunt B. prior ejuſdem loci, Oſtendus, P. de Port, W. Bernardi & alii plures. Qua res ut memoriæ traderetur, rogatu illorum dominus abbas chartam inde fieri & eandem proprio ſigillo communiri in monaſterio precepit. Ego rogatus Girbertus hanc chartam ſcripſi feliciter: amen.*

. 3. fol. 2. c. 4. Anno 1178. honorem de Vaqueriis pro eccleſia ſancti Gabrielis commutavit cum Raimundo Arelat. archiepiſcopo. Statuta ordinis recens edita a capitulo generali promulgavit ſub anathemate graviſſimo cenſurarum in eos, qui abbatias & prioratus juris ſancti Victoris Maſſilienſis in alienæ regulæ monachorum, ſeu laicorum uſus diſtraherent.

XXIX. Deodatus de Severaco probæ vitæ in monaſterio tranſactæ fama conſpicuus, eligitur & benedicitur in abbatem an. 1179. ſed brevi præfuit ; etenim vivis exemtus eſt anno 1182. cum ſediſſet tres annos & duos menſes ; ex chronico, ſed brevius ex majori chartu-
fol. 56. verſo. lario.

XXX. Aſtorgius *al.* Euſtorgius de Cannilia-co 1180. ex maj. chart. rexit decem annis, & uno menſe, nam expungendus eſt Bertrandus de Montmurat, ex D. Fornerio qui etiam unicum facit ex duplici Aſtorgio. An. 1190. tranſigit cum Fredolo Forojul. epiſcopo, quo quidem anno ſedebat menſe Jan. ex parvo chart. fol. 139. verſo. Ejus obitus aſſignatur XVI. calend. Octobris in necrol. Canonicæ.

XXXI. Roſſolinus I. ſeu Ronſelinus *de Marſeille* Barralis vicecomitis Maſſiliæ germanus, monachus ſubdiaconus, in abbatem ſancti Victoris aſſumitur, rexitque anno uno & menſe ; vita fungitur 1193. idibus Decembris.

** Ruf. d'Anneille.* XXXII. Raimundus de Aurelio * 1193. jam ſedebat. An. 1195. menſe Nov. initam conventionem inter capitulum S. Petri Trecenſis, & cœnobium Arremarenſe, delegatus a ſummo pontifice Cæleſtino, una cum Mauricio epiſcopo Pariſienſi, & Petro cancellario Pariſ. ratam habuit.

Parv. ch. fol. 52. v. XXXIII. Hugo II. de Dolon ſucceſſit 1195. XV. cal. Decembris. Sedit per annum 1. & menſes 6. Diem clauſit extremum 1196. ſub quo reformatur monaſterium per Bernardum cardinalem 1195. ut habetur in libro parvo char-

XXXIV. Mainerius an. 1196. magnæ auctoritatis abbas, qui generalem conventum indixit an. 1202. & prius 1198. ex Ruffio ; ſedit circiter annis ſeptem, defunctus menſe Februario anni 1203. quo quidem ex eodem Ruffio quædam acquiſierat præſente Guillelmo de Ponte epiſcopo Forojulienſi.

XXXV. Willelmus II. de Petra vel de Lira, inquit Ruffius, ex ſacriſta abbas reperitur in chartis an. 1208. ſedit annis quinque & tribus menſibus, ex hiſt. Maſſil.

XXXVI. Guillelmus III. d'Alens vel d'Aligno, prior antea ſancti Honorati Arelatenſis ſuffectus 1208. quo ſedente Roncelinus partem vicecomitatus Maſſiliæ, quæ illi obtigerat, monachis S. Victoris donavit, an. 1212. indict. XIV. XI. cal. Aug. ex lib. parvo chartarum fol. 81. Eodem anno, indict. XV. nonis Nov. idem Roncelinus, jam tum monachus, caſtrum S. Marcelli cum ſuis appendicibus abbati Guillelmo conceſſit. Sedebat adhuc an. 1214. ex D. de Ruffi. Huic certe an. 1213. indict. I. VIII. cal. Novemb. Bergondionis vicecomes, ac dominus Maſſiliæ donum largitus eſt, cujus teſtis Bonus-filius prior de Triis, forte is, qui proxime ſequitur abbas. Notandum vero hunc Guillelmum, cui hæc donatio facta eſt cognominari de Lira.

XXXVII. Bonifilius, ſeu Bonus-filius rexit 19. annis ex parvo chartar. fol. 105. benedictuſque eſt in abbatem anno 1213. Eo ſedente Maſſilienſes cum a vicecomitum ſuorum dominorum poteſtate, ære dato ſe liberaſſent, ac pro ea vicecomitatus parte quam Roncelinus Guillelmo III. abbati dederat, graviſſimæ ortæ eſſent diſcordiæ inter ipſos & monachos S. Victoris, ad apoſtolicam ſedem appellavit Bonifilius: & Honorius III. delegatos hujus cauſæ judices nominavit Rejenſem & Antipolitanum epiſcopos, atque abbatem Toroneti, a quibus pro defenſione monachorum contra Maſſilienſes pronuntiatum eſt. Iſte Bonifilius generales conventus ordinis convocavit cal. Novembris anni 1216. Memoratur in ſchedis D. de Maſaugues an. 1220. 1222. 1223. 1226. 1229. 1230. & 1231. Ejus mortis dies aſſignatur in necrol. S. Andreæ Avenion. calendis Jan. Hujus abbatis tempore comitiſſa Provinciæ vitam monaſticam profeſſa eſt, & velamen de manu ejus accepit, uti ſignificat hoc inſtrumentum, erutum ex autographo :

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit præſentibus & futuris, quod ego G. Dei gratia comitiſſa Marqueſia Provinciæ & Folcalqueriæ ob remedium peccatorum meorum, & ut Deus mei miſereatur, ingredior monaſterium Arteſellæ, obedientiam promittens & velamen ſuſcipiens de manibus veſtris domine B. abbas Maſſilienſis. Et ego dictus abbas gratias Deo referens ſuper converſione veſtra do licentiam vobis predictæ domina comitiſſæ, ut poſſitis extra monaſterium permanere, donec veſtris debitis perſolutis & negotiis feliciter expeditis ad monaſterium redire, & continuam ibi reſidentiam facere auctore Domino valeatis ad ſa-

lutem anima veſtra & corporis. Acta ſunt hæc in ecclesia ſanctæ Mariæ de Arte-cella anno Domini MCCXXV. XIV. *calendas Junii in præſentia mei B. abbatis, Peregrini de Galberto, Johannis de Folcaquerii prioris S. Zachariæ, Geraldi ſacriſtæ Arcellæ, Johannis de Quintiniaco &c. Ut autem poſteri hoc non poſſint in dubium revocare, hanc memorialem cartam ſuper his factam nos ambo videlicet abbas & comitiſſa fecimus ſigillorum munimine roborari.*

XXXVIII. Guillelmus IV. an. 1232. idibus Sept. attendens deſolationi domus ſancti Zachariæ ſubtus Balmam, eam unit parthenoni Artæ-cellæ, in gratiam ſanctimonialium, quo tempore Willelmus de Cerveria prior erat Artæ-cellæ. Chartam legimus integram tomo XI. fragm. hiſt. domni Cl. Eſtiennot p. 45.

XXXIX. Petrus IV. Guilermi abbas renuntiatur 1233. qui a Berengario comite Provinciæ impetravit monaſterii ſancti Victoris juriſdictiones, privilegia, immunitates ab omnibus vectigalibus & ſtipendiis. Idem P. W. XI. cal. Jan. 1234. memoratur in parvo chartul. fol. 69. & 100 In ejus abbatis manu Bernardus Gerrenſis abbas, ſuum monaſterium Victorino ſubditum eſſe palam profeſſus eſt. Anno 1239. vivere deſiit.

XL. Petrus V. præerat XV. cal. Junii, anno 1241. An. 1242. IV. cal. Maii cum D. Albienſi epiſcopo permutat eccleſiam ſancti Præjecti de Paulin pro eccleſia ſancti Petri de Condamina prope Albigam urbem ſita ex tab. ep. Alb.

XLI. Willelmus V. de Portu notus in tabulis XVI. cal. Apr. 1245. & 1246.

XLII. Roncelinus II. 1250. Martii XVIII. 1252. 1257. idibus Aug.

XLIII. Durandus II. innoteſcit nobis ex hiſtoria MS. epiſcoporum Ruthen. Antonii Bonal in Viviano, ubi legimus hunc epiſcopum univiſſe anno circiter 1256. prioratui Canonicæ *la Canorgue* prioratum de Monſtrejolis, ad petitionem Durandi Maſſil. abbatis.

XLIV. Stephanus dat Alfonſo comiti Toloſano & Johannæ comitiſſæ uxori ejus dominium & jura quæ habebat in villa de *Romeur* in pago Aginn. cal. Octob. 1258. ex tabul. PP. ſoc. Jeſu Toloſ. Pervenit uſque ad an. 1260. ex Fornerio. An. 1259. menſe Julio Caſtrum-regale permutavit cum Carolo comite Provinciæ a quo viciſſim compenſationis titulo nonnulla recepit.

XLV. G. G. fortaſſe Guillelmus Graiſe aut de Gretzé, occurrit 1267. ex bullario fol. 17. & 1268. cal. Aug. 1270. ex Fornerio G. 1271. ex tab. PP. Prædic. Narbon. 1275. ex eodem Fornerio, & 1277. ex Ruffio.

XLVI. Johannes I. de Commis abbas poſtea ſancti Germani Pariſ. an. 1277. ex bullario & Fornerio. Præfuit annos 10. in hoc primo cœnobio.

XLVII. Raimundus II. Lordeti an. 1287. ſuperſtes adhuc anno 1291. ex archivis armarii Sardiniæ; anno 1288. comitia generalia celebravit. Anno 1291. diſcepravit cum Prulienſibus ſanctimonialibus. In necrologio Canonicæ ejus obitus notatur II. nonas Febr.

XLVIII. Guillelmus hujus nominis VII. cognomento *de Sabrano*, ex veteri & nobiliſſima familia de Sabrano in Provincia, fratrem habuit Hermeniaudum de Sabrano Ariani comitem, cujus filius Elzearius de Sabrano, patrui abbatis curæ traditus, ejus opera in monaſterio ſancti Victoris inſtitutus, doctrina poſtea virtute ac religione efflоruit. Is autem abbatiam ſuſcepit regendam 1294. Quatuor indixit capitula generalia annis 1294. * 1298. 1305. & 1312. quem variis in inſtrumentis Carolus rex Siciliæ ſanctioris conſiſtorii conſiliarium, adminiſtrum, atque conſanguineum cognominat: factus demum eſt Dinienſis præſul. Mortuum eum conjicimus an. circiter 1319 quo ex deliberatione habita in communi urbis hoſpitio conſtat ſcriptum tunc fuiſſe ad epiſcopum Dinienſem, & capitulum, ut ſinerent corpus Guillelmi de Sabrano ad Maſſilienſe cœnobium deferri.

XLIX. Guillelmus VIII. de Cardaillac 1323. celebravit capitulum generale 1324. * in die Pentecoſtes; fecitque ſtatuta ampliſſima. Epiſcopus fuit S. Pauli Tricaſtrin. ex Ruffio.

L. Ratherius de Lenacho e gente nobili Waſconiæ ortus, monachus primum Moyſſiaci tum abbas ſancti Victoris, deinde vero bulla Johannis XXII. an. pontificatus 18. fit abbas Moyſſiacenſis ex ſchedis D. Suarez, & actis pontificii Avenion. habuit bis comitia generalia, ex D. Fornerio. An. 1333. 18. Novemb. recenſetur in charta fundationis capellaniæ ab Ademario Maſſil. epiſcopo factæ.

LI. Gilbertus de Cantabrio, vulgo de *Cantobre*, legavit 200. florenos auri pro duobus cantoribus. An. 1336. feria 3. poſt feſtum ſancti Dionyſii memoratur in tabul. epiſcopi Alb. ubi dicitur Guiſbertus. Eodem an. papa ejus conſilio uſus eſt, & Guillelmi abbatis Montis-Olivi, ad Minoritarum ordinem reformandum. An. 1337. tanquam deputatus ab eodem papa Benedicto XII. ad reformationem ordinis Benedictini, una cum Raimundo Montis-maj. abbate ſtatuta pro cœnobio Montis-maj. condit 23. Novemb. Inde fit Ruthenenſis epiſcopus ex inſcriptione in majoris capituli pariete conſervata. *Anno Domini* MCCCXLIV. *Gilbertus de Cantobrio epiſcopus Ruthenenſis, fecit capitulum præſens, & claustrum pavimentari, & ſcamna ædificari.*

LII. Amalvinus 1340. & 1344. in chartis, ex D. Fornerio, qui Alamannum de Roca-laura expungit.

LIII. Stephanus II. de Claperiis 1348. Martii 12. ex tab. Habet capitulum generale 1353.

LIV. Guillelmus IX. Grimoardi de Griſac, alumnus monaſterii, an. 1358. ex Fornerio abbas adlectus poſt adminiſtratam abbatiam ſancti Germani Antiſſiodorenſis, ubi de illo fuſe. Habitum monaſticum, & nomen abbatis etiam aſſumtus ſummus pontifex dictus Urbanus V. geſſit, curans monaſterium regi per vicarios, ut nos docet ejuſdem bulla pro hoc monaſte-

* Nullus ergo locus ſupereſt Bernardo de Garve cardinali nuncupato ſanctæ Liberatæ, a loco ubi natus erat, in pago Agunenſi, quem Caſſianus illuſtratus Clementis papæ V. nepotem, ex abbate Montis-majoris abbatem fingit ſanctæ Victoris anno elapſo 1294.

* Raſtier an. 1322.

Ex Fornerio.

Vide abb. Moyſſiac.

Ch. XXX. p. 147. col. 2.

rio quam inter inſtrumenta referimus. De eo ex abbate Maſſil. in papam ſub nomine Urbani V. electo vide Reginaldi annales eccleſiaſticos ad annum 1362.

Idem papa an. 1367. menſe Maio inviſit hoc cœnobium, *quod cum prius eſſet vetuſtate conſumtum ... ex quo ad papatum aſſumtus fuerat multimode fecerat renovari & reparari, muriſque ac turribus altis claudi ... magnis etiam privilegiis decoraverat, & multis adornaverat reliquiis, jocalibus & ornamentis pretioſis*; inquit ſcriptor primæ vitæ hujus pontificis. Electus eſt autem papa cum eſſet abſens & fungeretur officio nuntii in Sicilia. Ejus corpus Avenione ad cœnobium Maſſilienſe tranſlatum fuit, & poſitum in ſacello S. Petri prope majorem aram 1372. nonis Junii. De eo fuſius in hiſtoria pontificia.

LV. Raimundus III. erat abbas tempore Innocentii VI. qui ita de illo loquitur in epiſtola ad Ægidium Sabinenſem epiſcopum apoſt. ſedis legatum data IV. cal. Januarii an. 9. ſui pontificatus: *Meminimus quod dudum per dilectos filios Raimundum abbatem monaſterii ſancti Victoris Maſſilienſis &c. apoſtolico auditui noſtro reſeraſti, &c.*

LVI. Stephanus III. commemoratur V. cal. Martii an. 9. pontificatus Innocentii VI. quo tempore idem papa deſtinavit hunc abbatem mittere tanquam ſuum legatum ad archiepiſcopos &c. Franciæ. Epiſtolas Innocentii VI. ex codice Divion. deſcriptas penes nos habemus.

Forte is eſt Stephanus Alberti Lemovix nepos Urbani V. prius abbas ſancti Illidii Clarom. An. 1372. excepit corpus Urbani V. ad hoc monaſterium delatum, ut legere eſt apud Gueſnayum in Caſſiano illuſtrato. Ejuſdem fit mentio annis 1375. 78. 79. de quo plura in abbatibus Illidianis. Anno ſui obitus, Maſſiliæ capitulum ordinis generale celebravit.

LVII. Pontius II. de Ulmo, ex abbate Montis-majoris Arelatenſis ſubrogatur Stephano 1379. 25. Januarii ex D. Fornerio, de quo reperitur in tabulario Montis-majoris hoc ſcriptum: *Pontius de Ulmo poſt promotionem Petri de Banhaco ad cardinalatum, donatus abbatia Montis-majoris ab Urbano V. cujus erat vicarius generalis in regimine monaſterii Maſſilienſis. Ædificavit majorem Montis-majoris turrim, inſtituit in urbe Monſpeſſulana collegium in quo ſtudiis vacarent monachi Montis-majoris, necnon alia plura beneficia eidem monaſterio præſtitit. Electus eſt deinde abbas Maſſilienſis, & utrique ſimul monaſterio paucis annis præfuit, mortuus enim eſt anno* 1382. Certe vivebat adhuc 1381. ex eodem Fornerio.

LVIII. Savaricus Chriſtiani monachus Montis-majoris, decretorum doctor, qui primo S. Orientii apud Auſcos prior, poſt abbas ſancti Andreæ juxta Avenionem, demum ſancti Victoris Maſſiliæ evaſit 1383. In bullis duabus Clementis VII. memoratur, altera VI. cal. Sept. pontific. anno 7. altera IX. calend. Decembris, pontificatus anno decimo, ex tab. PP. Prædicatorum Ruthenenſium.

LIX. Johannes II. Bonvin, nobilis Maſſilienſis, Mariæ reginæ Ludovici II. regis Siciliæ & comitis Provinciæ matri ab arcanis conſiliis, in abbatiæ poſſeſſionem inductus, ſedit annis 1385. 86. 87. &c. uſque ad annum 1405. quo mortuus eſt.

LX. Petrus VI. Flammenqui doctor in jure canonico & vicarius generalis Magalon. epiſcopi annis 1397. ac 1400. ex D. Fornerio. Interfuit concilio Piſano an. 1409. ex ejus actis to. VI. ſpicil. p. 355. In tab. Nantenſi memoratur an. 1416. obiit autem 1428. ex D. Fornerio.

LXI. Guillelmus X. de Lacu ex nobili genere apud Arvernos, hoſpitalarius Caſæ-Dei, poſſeſſionem iniit per procuratorem an. 1414. ſed vicarii generales ſede vacante interceſſerunt, ex D. Fornerio, & adminiſtrationem dederunt monacho Johanni de Vitrolis Rometæ priori, & Percevallo de Clavoto monaſterii eleemoſynario; ſolitudinis autem ſtudio anno præfecturæ 18. abbatiam abdicavit Guillelmus.

LXII. Petrus VII de Lacu reſcripto Eugenii IV. abbatiam ſuſcepit per reſignationem fratris 1442 Comitia ordinis generalia ex more indixit 1446. Anno 1448. 4. Decembris adfuit elevationi trium SS. Mariarum. Confert capellam ſancti Elzeari 1473. & 1474. cedit quandam domum quam habebat in careria fabrorum. Obitus ejus notatur a Ruffio, an. 1475. Sixtus papa IV. abbatiam contulit Philippo de Levis archiepiſcopo Arelatenſi & cardinali, qui ab adeunda poſſeſſione abſtinuit.

LXIII. Ogerius de Anglura abbas Alti-villaris & epiſcopus Maſſilienſis juxta nonnullos bulla Sixti IV. munitus abbatiæ ſancti Victoris poſſeſſionem iniit die 8. Julii anni 1475. & rexit uſque ad annum 1505. Anno 1488. mandavit prioriſſæ & conventui Artæ-cellæ ut reciperent in monialem Gabiellam de Glandeve quam Carolus Francorum rex præſentarat, ob jus quod habebat ſemel in vita unam virginem præſentandi. Acta collegit noſter Claudius Eſtiennot tom. XI. fragm. hiſt. p. 46. & ſeq. Anno 1489. V. cal. Novemb. fultus quibuſdam litteris apoſtolicis jus viſitationis ſibi vindicavit in abbatem & conventum de Nanto; qua de re prædicti abbas & conventus ad ſedem apoſtolicam appellarunt. Mortuus in caſtro d'Oriol, ſepelitur in eccleſia ſancti Victoris in ſacello organis ſubjecto.

LXIV. Robertus de Calach obſcuro loco natus, epiſcopus Redonenſis, poſtea Nannetenſis & cardinalis acceſſit ad poſſidendam abbatiam die 14. Maii 1506.

LXV. Claudius de Auſſonvilla *al.* de Carſonvilla ex monacho & Pitanciario monaſterii electus eſt a capitulo die ultima Novembris 1516. Verum Fredericus tit. S. Angeli diaconus cardinalis nominatur a rege 7. Aug. ejuſdem an. 1516. Julius quoque cardinalis de Medicis an. 1516. 26. Aug. poſſeſſionem iniit, electus poſtea papa ſub titulo Clementis VII. ex D. Fornerio.

LXVI. Auguſtinus Trivulcius cardinalis tit. ſancti Adriani 1516. *Ex Fornerio.*

LXVII. Philippus Trivulcius 1540.

LXVIII. Julius Feltri de la Rouere cardinalis S. Petri ad vincula, de Urbino.

LXIX. Petrus Rodulphi ſeu de Rodulfis epiſcopus Albienſis creatur permutatione facta

cum avunculo ſuo, cui ceſſit abbatiam pro hoc epiſcopatu.

LXX. Laurentius Stroſſi cardinalis, epiſcopus Biterrenſis, Albienſis & Aquenſis archipræſul, abbas nominatur reſignatione præcedentis an. 1555. ſeu permutatione.

LXXI. Julianus de Medicis archiepiſcopus Aquenſis, abbatiam obtinuit 1570. ſepultus 1588. in abbatia ſua.

LXXII. Robertus Frangipani II. nobilis Romanus, ex antiqua familia abbatiam obtinuit ceſſione Juliani 1588. rexit ad annum uſque 1622. quo ſublatus eſt e vivis die 17. Aprilis.

LXXIII. Antonius de Bourbon comes de Moret, Henrici Magni nothus, interiit 1632.

LXXIV. Ludovicus de Nogaret cardinalis de la Valette, archiepiſcopus Toloſanus obiit 1639.

LXXV. Alfonſus-Ludovicus du Pleſſis de Richelieu, cardinalis & archiepiſcopus Lugdunenſis, poſſeſſionem obtinuit an. 1640.

LXXVI. Julius cardinalis Mazarini an. 1655.

LXXVII. Philippus de Bourbon de Vendoſme, magnus prior Franciæ ord. Jeroſol. poſſeſſionem iniit per procuratorem 25. Julii 1662.

Jacobus Goujon de Matignon, olim ep. Condom. & abbas Fuſniacenſis, menſe Aug. anno 1703. deſignatus abbas S. Victoris, adhuc præeſt, de quo plura in epiſc. Condom.

Abbatia S. Salvatoris.

Sancti Salvatoris apud Maſſiliam monaſterium feminarum ordinis ſancti Benedicti, fundatum eſt a Caſſiano, ut legere eſt in his quæ jam præmiſimus, agendo de cœnobio Victorino, juxta quod ſitum erat, non vero in loco quem ei aſſignat Goeſnayus.

Ruffius hiſt. Maſſil. lib. X. c. 2. teſtatur in tabulario Victorino duas chartas fidem facere monaſterium hoc a ſancto Caſſiano conditum initio fuiſſe ad radicem montis *de la Garde*, quo loco cum an. 1685. tellus in canalem effoderetur, magni cujuſdam ædificii veſtigia reperta ſunt, craſſa maxime & antiqua, frequentes etiam tumuli virginum ibidem offendebantur, lapide quadrato, quorum unius marmoreum tegmen hoc erat epitaphio inſigne:

Hic requieſcit bone
Memorie Eugenia ancilla Dei
Cui vexit annus ZZXXVI. receſſit
VI. *nonas Marſias.*

C. Q 3.

Vidit idem Ruffius annorum 1431. & 1446. inſtrumenta quibus hoc ipſum confirmatur, ſcilicet prope monaſterium ſancti Victoris quando deſtructum eſt a Wandalis, cœnobium aliud fuiſſe, nempe virginum, ac illud ipſum quod a Caſſiano conditum Gennadius narrat, cui etiam S. Cæſarius Arelat. epiſcopus Cæſariam ſororem ſuam dedit in pietatis exercitiis informandam, ut in ejus vita prodit Cyprianus. Initio virgini Mariæ ſacrum fuit, deinde ſancto Caſſiano, ut ex epiſtola Gregorii magni ad Reſpectam abbatiſſam liquet. Cum autem V. ſeculo S. Amator epiſcopus Antiſſiodor. in Galliam intuliſſet oſſa S. Quiritii *al.* Cyrici martyris Tarſenſis, quem triennem mactaverant Diocletianus & Maximianus, ac illis oſſibus magna ex parte ſanctimoniales illæ potirentur, ab eo quoque martyre monaſterium indigitatum eſt. Hoc infertur ex quodam epitaphio Euſebiæ abbatiſſæ S. Quiritii, quod in inferiore ſancti Victoris eccleſia legitur: huic abbatiſſæ ſuberant virgines 40. prout ex chartis Victorinis annorum 1431. & 1446. intelligitur. Poſtquam autem monaſterium illud cum Victorino dirutum eſt, non quidem a Wandalis, ſed potius a Normannis incerto anno, fortaſſe 867. virgines illæ in urbem migrarunt, ibique S. Salvatoris monaſterium ſibi condiderunt, ubi nunc eſt in editiori loco urbis. Sed & aliam cladem a Sarracenis perpeſſæ videntur anno 923. cum urbe potiti principem etiam eccleſiam everterunt; ſiquidem iterum inſtauratum legitur monaſterium an. 1031. a Guillelmo & Fulcone Maſſiliæ vicecomitibus, cum præeſſet abbatiſſa nomine Adalmoiss quanquam adhuc nova reparatione indigeret an. 1060. quo Pontius II. ejuſque frater Godefridus, hic vice-comes, ille epiſcopus Maſſilienſis, ut patris ſui Guillelmi voto ſatisfacerent, eccleſiam B. Mariæ *des Accoules* illis dederunt. Ibi ergo habitare cœperunt donec cœnobium ſuum a vicecomitibus ad culmen perduceretur. Huic cœnobio Deodatus epiſcopus Tolonenſis an. 1031. ceſſit baſilicam in territorio de Solario cum omnibus pertinentiis ſuis. Ex act. epiſcoporum Tolon.

Eo in loco moniales ſancti Salvatoris VIII. ſeculo monaſterium condidiſſe volunt ſub titulo B. Mariæ de Arcubus. Alii conditum eſſe dicunt undecimo tantum ſeculo a Warburgi nobili virgine Godefredi filia, quæ an. 1033. volente Pontio Maſſilienſi epiſcopo monialis facta, huic monaſterio initium dedit. Situm erat inter ſancti Victoris abbatiam & fluvium ſeu rivum d'Auveaune; ubi perſeveraverunt moniales uſque ad annum 1560. quo ſucceſſit ipſis collegium canonicorum, cujus decanum & ſex canonicos præſentant ſanctimoniales.

An. 1458. monaſterium illud eccleſiæ majori addictum eſt ac unitum Pii II. bulla uſque ad 22. Januarii diem anni 1470. quo, procurante potiſſimum Johanne Coſſé comite Trecenſi magnoque Provinciæ ſeneſcallo, necnon Johanne Martino domino de Puilobier cancellario, ac Vivaldo Boniface majore judice, illinc avulſum eſt cum ſuis omnibus præter cenſus quoſdam & arabilis terræ partem neſcio quam.

Anno 1592. procurantibus ſancti Victoris aſcetis pene ſuppreſſum eſt Clementis VIII. bulla e monte Quirinali data, & in collegium artium liberalium verſum ipſis unitum, eo quod vix quatuor ſanctimoniales ac novitiæ duæ illic ſupereſſent: ſed parlamenti decreto an. 1596. 10. Junii facto priſtinum ſtatum retinuerunt, irrita bulla.

Anno 1678. in regalem abbatiam erigitur a Ludovico XIV. Cumque abbatiſſæ prius eſſent ad triennium, Clara de Sacco omnium prima illic ad viram ab eodem rege abbatiſſa eſt nominata; benedictionem autem accepit

cf. II. lib. VII.

a Tuſſano de Forbin de Janſon nunc epiſco- A po Maſſilienſi.

Anno 1610. reformationem in illud monaſterium induxit Jacobus de Turricella Maſſil. epiſcopus, totumque de novo monaſterium reædificari cœpit contractiori ſpatio quam antea.

Jam vero ſequuntur abbatiſſæ quas invenire licuit.

SERIES ABBATISSARUM.

Ep. 11. lib. VII. I. Reſpecta ad quam ſcripſit S. Gregorius Magnus menſe Nov. indict. xv. hoc eſt an. 597. de qua vide Caſſian. illuſtr. p. 703.

II. Huic cœnobio præfuit per aliquot annos S. Euſebia, quæ cum prædones ſeu barbari monaſterium occupaſſent, ab ipſis trucidata eſt B una cum 39. monialibus quæ ſibi, ne vim ab eis paterentur, naſum præciderant: hujus tamen heroici facinoris non meminit hoc epitaphium ex hiſt. Maſſil. D. de Ruffi.

EPITAPHIUM EUSEBIÆ.

Hic requieſcit in paſſe Euſebia religioſa
Magna Ancella Domini.
Qui in ſeculo ab hencunte etate ſua vixit
Secolares annus XIIII. *& ubi a Domino*
Electa eſt in monaſterio ſanctorum Cyrici
Servivet annus quinquaginta receſſetſub
Die pridie Cald. Octobris indictione ſexta. C

III. Tiliſiola, de qua vide Gueſnaium Caſſian. illuſtr. pag. 705. & Ruffium hiſt. Maſſil. p. 131. unde hoc ipſius depromitur epitaphium.

EPITAPHIUM TILLISIOLÆ ABBATISSÆ.

† † †

In hoc tumulo ſita eſt Tilliſiola
Abbatiſſa que nominis ſui decus
Vita factiſque ſervabit.
Chriſti Ei 1a³. *Mariam mente*
Sec. tua fidem virgo
Virginibus ſacris XL. *prefuit*
Annis VS. XII. *A* III. IX. X.
Diebus VII. *idus Aprilis indict.* VIII.

IV. Adalmois an. 1031. de qua ſuperius.

V. Guarſenda ſive Garcinda ſoror Gaufredi abbatiſſæ benedictionem ſuſcepit an. 1072. ut docet nos charta Pontii ep. Maſſil. ex Caſſian. illuſtr. pag. 703. An. 1077. vendidit Bernardo abbati S. Victoris decimam de campo, qui fuit Petri de Saumada, & vineas juxta hortum S. Victoris.

Magn. chart. p. 25.

VI. Alaſais ſeu Alaſia 1184. 1185. 1187. E 1189. 1201.

VII. Ermelina ſeu Hermelina de Baucio 1202. 1203. 1214. 1224. 1234. de qua vide Caſſian. illuſtr. pag. 705. Ipſi vetus inſcriptio tribuit ſuperioris eccleſiæ des Accoules ſtructuram; etſi alia ex inſcriptione videatur tantum illam civibus permiſiſſe.

VIII. Dulciana 1246 1250. 1257. 1266.

IX. Paſcala 1269. 1278. 1288.

X. Iſoardis 1288.

XI. Ynarda ſeu Iſnarda 1289. 1298. forte eadem cum Iſoarde præcedente.

XII. Nicolana 1309. 1319.

XIII. Maria de Torna-forti 1329. 1331. 1337. 1341.

XIV. Thomaſia ex prioriſſa an. 1357. abbatiſſæ titulo inſignita reperitur an. 1345.

XV. Laurentia Vivande, 1356. 1359.

XVI. Huga Helies 1364. 1369. 1377. 1380. 1384.

XVII. Emeniardis Vivande 1387. 1389. 1394. obiit 1405.

XVIII. Burga Merſierie 1418.

XIX. Dulciata de Favaſio, filia Bernardi de Favaſio & Floretæ 1418. 1430. obiit 1433.

XX. Gardeta Vivande 1434. jam obierat 1436.

XXI. Bartholomæa Aprimeſſe 1446.

XXII. Sancia de Scalis 1453.

XXIII. Catharina Elene electa 1455. deſiit eſſe abbatiſſa 1459.

XXIV. Agnes 14....

XXV. Anno 1478. Montoliva de *Montolieu* cum eſſet abbatiſſa, Johannæ de Favas prioriſſæ, teſtamenti condendi licentiam dedit, prout veteri ſtatuto ſibi conceſſum erat; nam ſi quæ abſque abbatiſſæ venia teſtamentum feciſſent, hoc habebatur irritum, ut contigit an. 1430. Laurentiæ de Montolieu.

XXVI. Iſabellis de Ayrerye 1491.

C XXVII. Catharina Marine 1536. ceſſit in gratiam Delphinæ Gaufride. Et tamen

XXVIII. Johanna d'Iſaac electa reperitur anno 1536. abbatiſſa vero 1537. obiit autem 1547. reſignata abbatia 1546.

XXIX. Catharina Robine de Graveiſſon per ceſſionem præcedentis 1546.

XXX. Delphina Gaufride, cujus aſſenſu 1558. eccleſia B. Mariæ de Arcubus *des Accoules* a monaſterio S. Salvat. dependens, erecta eſt in collegium canonicorum.

XXXI. Maria Anſelme 1562. 1565.

XXXII. Adriana Borille, cujus tempore D Clemens papa VIII. dedit bullam pro extinctione abbatiæ ad inſtituendum in urbe collegium, omneſque illius reditus univit abbatiæ S. Victoris 1592.

XXXIII. Catharina Gontarde præerat 1609. reſignavit an. 1612. in manu Maſſilienſis epiſcopi, in cujus præſentia electa fuit

XXXIV. Catharina Allemand de Chaſteauneuf, an. 1612. & ante obitum Catharinæ Gontardæ breve regium obtinuit 31. Decembris 1623. Præerat adhuc 1641. & 1644. Obiit 1654.

XXXV. Maria de Raſtellis 1654.

XXXVI. Clara de Sacco obiit 1687. cum præfuiſſet annis 10.

XXXVII. Agnes de Sacco poſt cujus obitum

XXXVIII. Anna Carola Roſa de Cambis de Velleron neptis domini card. de Janſon ep. Bellovac. breve regium obtinuit 6. Junii 1699. bullas vero datas Romæ VI. idus Oct. ejuſdem anni: benedicta eſt 24. Martii anni 1700.

ABBATIA S. PONTII.

MOnaſterium ſancti Pontii de Gemenoſo, ordinis Ciſterc. feminarum, prope oppidum *Aubagne*, e quo prodiere Almanarrenſe

& ſanctæ Mariæ de Monte-Sion monialium cœnobia. Vide hiſtoriam Provinciæ Honorati Bouche, fol. 334. & 335. & lib. 9. fol. 203. &c. Fundatores fuerunt epiſcopus Maſſilienſis, præpoſitus & capitulum, qui dederunt Garſendi domum ſancti Pontii, cum omnibus pertinentiis ſuis in eremo, & parochialem eccleſiam ſancti Martini de Geminis, cum omnibus, &c. excepta quarta parte mortalagii, &c. ut in dicta domo ædificaret abbatiam vel prioratum monialium ordinis Ciſterc. ea lege ut hæc abbatiſſa & quæ ſuccoſſerint, ſolverent eccleſiæ ſanctæ Mariæ ſedis Maſſiliæ centum eminas bonæ & recipiendæ annonæ, &c. Reliqua videri poſſunt in ipſa charta fundationis. Eidem poſtea parthenoni plurima contulit Petrus rex Arragoniæ, litteris datis apud Aquas, idib. Decembris, teſtibus & adſtantibus Michaële archiepiſcopo Arelatenſi, Guidone archiepiſcopo Aquenſi, Hugone epiſcopo Regenſi, & Guillelmo epiſcopo Arauſicano. Anno 1207. Sacriſtana nobiliſſima matrona dedit monialibus ſancti Pontii locum dictum Molegeſium, ad condendum ibidem cœnobium, quod poſtea unitur Aptenſi ſanctæ Crucis. Anno circiter 1210. pars monialium ſancti Pontii aſſumta eſt ad fundandum Almanarrenſe monaſterium, ſub titulo ſancti Petri, quod poſtea tranſlatum eſt Olbiam *. Anno 1242. alia monaſterii ſancti Pontii colonia fundavit monaſterium Montis-Sion. Anno 1358. moniales ſancti Salvatoris Maſſiliam ſe receperunt.

Charta XXIX. f. 116. col. 2.

* Hyeres.

Chartam fundationis hujus cœnobii edidit clariſſimus D. d'Ache.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Garſendis monialis pietate inſignis hujus monaſterii fundatrix, accepit ab epiſcopo Maſſilienſi eccleſiam ſancti Pontii, & eccleſiam ſancti Martini de Gemenos an. 1205. Vivebat an. 1213. quo indict. XV. IV. cal. Junii ab Hugone de Baucio domino & vicecomite Maſſiliæ & Barrala ejus conjuge dono accipit totum illum honorem quem habebant in caſtro Albaniæ.

II. Nicola de Roquefort 1242. opem ferentibus conſobrinis Aicardo & Raimundo de Roquefort, conſtruit monaſterium S. Mariæ de Monte-Sion in ſuburbio civitatis Maſſilienſis. Edita eſt hujus fundationis notitia in Maſſilia religioſa Guelnayi, fol. 58.

III. Maria de Montilio abbatiſſa ſancti Pontii præerat anno 1263. III. cal. Februarii, qua die Barralus dominus Baucii laudat emtionem quandam factam a monaſterio, domus videlicet de Ybelna, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis.

IV. Raimbauda de Trians 1310. ex libro Viridi Maſſilienſi.

V. Bartholomæa de Ricas-novas annis 1348. 1349. ex ſcripturis Quintini & Johannis Sylveſtri.

VI. Yſoarda de Lambeſc abbatiſſa fuit S. Pontii de Gemenos Maſſilienſis anno 1357. obtinuitque a civitate Maſſil. locum quo virgines ſuas per urbem diſperſas reciperet.

VII. Mabilla Vivaude 1364. ex ſcripturis Johannis Georgii notarii Maſſil.

VIII. Margareta Stephanè 1399. 1400. 1402. 1405. ex diverſis actis. An. 1402. vendit Caſtrum-novum *le Rouge* ad abbatiam pertinens, Johanni Arnaudo magiſtro rationum.

Anno 1407. bulla pontificia unita fuit abbatia monaſterio de Almanarra.

MONS-SION.

PEtrus Bremundus Maſſilienſis eccleſiæ præpoſitus, ipſiuſque fratres uterini Raimundus & Iterius de Roquefort, cum Aicardo cognato ſuo gentis ejuſdem olim apud Maſſilienſes inclytæ, ſed ab annis circiter 200. exſtinctæ, condiderunt initio ſeculi XIII. *eccleſiam & hoſpitale ſancti Michaëlis Iteriorum*, ut vocabatur, multiſque donationibus locupletaverunt. Illud an. 1214. monaſterio inſularum de Areis (*Hieres*) conceſſerunt jure patronatus ſibi poſteriſque reſervato. Sed cum ibi non pro ſtudio ſuo ferveret hoſpitalitas, Nicolaam de Roquefort cognatam ſuam, ſancti Pontii de Gemenos abbatiſſam advocarunt, ut Ciſtercienſe cœnobium illic inſtitueret anno 1242. qua de re cum iſta pontificium diploma obtinuiſſet ab Innocentio IV. Lugduni tunc agente, nempe an. 1245. *monaſterii ſancta Maria de Monte Sion* fecit initium. Id primo quidem ſubjectum fuit prædicto ſancti Pontii parthenoni, poſtea vero ab eodem pontifice Toroneto attributum eſt. Cum autem anno 1563. cœpiſſent illæ ſanctimoniales amplecti privatam vitam, communi neglecta, & ſeorſim apud ſe unaquæque cibis ad placitum uti, Johannes Petit Ciſtercienſis abbas ad priſtinam regulæ obſervantiam ſalubriter ipſas revocavit anno 1682.

Litteræ fundationis abbatiæ Montis-Sion.

IN nomine Domini anno incarnationis ejuſdem 1242. *regnante ſereniſſimo domno Frederico, Dei gratia Romanorum imperatore ſemper auguſto,* III. *nonas Aprilis, indictione* XV. *Pateat cunctis hominibus præſentibus & futuris, quod nos Richardus de Rochaforti, Raimundus de Rochaforti, & Petrus Bremundus de Rochaforti de noſtra bona ac ſpontanea voluntate, pro amore Dei & pro redemtione peccatorum ac parentum noſtrorum, volumus & concedimus, donamus & tradimus in perpetuum in manu noſtri D. B.* * *Dei gratia Maſſilienſis epiſcopi, tibi domnæ Nicolæ nunc abbatiſſæ monaſterii S. Pontii, mei dicti Aicardi conſanguineæ noſtrorumque Raimundi & Petri Bremundi de Rochaforti ſoror, eccleſiam & hoſpitale S. Michaëlis fundatum a noſtris parentibus in burgo Maſſiliæ ſub colle S. Michaëlis, cujus eccleſiæ patronatus ad nos dignoſcitur pertinere, cum omnibus domibus & aliis omnibus & ſingulis ad dictam eccleſiam & hoſpitale pertinentibus, ſive ſint poſſeſſiones aut cenſus, vel quæcunque alia, cum omnibus juribus & pertinentiis eorumdem, ad hoc ſcilicet, ut in dicta Nicolaa, in dicta eccleſia & hoſpitali poſſis conſtruere, ædificare, ſeu plantare abbatiam ſeu prioratum monialium Ciſtercienſis ordinis; profitentes quod in dicta eccleſia & hoſpitali hoſpitalitatis reverentia non ſervatur, ideoque dictum locum deſideramus clauſtrali bravio militiæ deborari. Hoc tamen vobis retinentes, quod in eadem eccleſia nobis &*

Ex autheutico.

*Benedicti.

noſtris ſit ſalvum jus proprie patronatus. Predictam autem conceſſionem & donationem promittimus firmam perpetuo tenere, & nullatenus contravenire, volentes & concedentes, ut inſtrumentum preſens quod inde fieri juſſimus, ad majorem omnium firmitatem ſit ſigilli noſtri domini epiſcopi munimine roboratum. Actum in capella domus epiſcopalis in preſentia & teſtimonio dicti domni epiſcopi, Guillelmi de Mari, & domnæ Alaſatiæ uxoris ejus, regnante ſereniſſ. Dom. Friderico, Dei gratia Romanorum imperatore ſemper auguſto, III. *nonas, &c.*

Bulla Innocentii IV. pro erectione monaſterii Sion ord. Ciſterc. in urbe Maſſilienſi.

INnocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri epiſcopo Maſſilienſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilectarum filiarum abbatiſſæ & monialium S. Pontii Ciſterc. ordinis tuæ diœceſis, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut eiſdem in eccleſia & hoſpitali S. Michaëlis in burgo Maſſilia ipſis a veris patronis eorum pia liberalitate conceſſis conſtruendi prioratum licentiam concedere curaremus. Volens igitur in hac parte tibi deferre qui loci diœceſanus exiſtis, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eis licentiam tribuas poſtulatam ſine juris prejudicio alieno. Datum Lugduni idus januarii, pontificatus noſtri anno II.

Abbatiſſarum, quæ ad vitam illic & electione ſemper inſtitutæ ſunt, hanc texuit ſeriem Ruffius in hiſtoriæ Maſſilienſis editione ſecunda, ex ipſis archivis monaſterii. Anno 1361. bellicis tumultibus procelliſve deturbata domo, intra civitatem ſeſe receperunt moniales ubi hactenus ſubſiſtunt.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Nicolaa de Roquefort ann. 1241. 1263.
II. Alazazia Monacha, vel de Monge ann. 1270. 1279.
III. Sibilla I. de Porcellet anno 1300.
IV. Mabilia Berengere anno 1319.
V. Vivalda de Riquis-novis anno 1335.
VI. Bertranda Groſſe ann. 1389. 1391. 1397.
VII. Sibilla II. de Soleriis an. 1400.
VIII. Boruga Meſſaria anno 1410.
IX. Catharina I. Andrea anno 1425.
X. Janona Martina anno 1435.
XI. Cæcilia de Riquis-novis anno 1441.
XII. Gaſſola Candolle anno 1443.
XIII Angela de Remezan, *al.* Remaſan an. 1478. Hæc ſingulis ſabbatis ſacrum in illa eccleſia celebrandum inſtituit teſtamento anno 1497. 2. Febr. condito.
XIV... de Caradet de Bourgogne an. 1499.
XV. Sibilla III. d'Arene 1500. 1538. ex D. de Ruffi.
XVI. Margareta de Bouquerio anno 1556.
XVII. Florentia de Peruſiis poſt obitum Margaritæ Bocquerie electa, mittitur in poſſeſſionem a Jacobo Urſino abbate Toroneti 1557.
XVIII. Catharina II. de Polo electa 1571. poſt obitum Florentiæ, præerat an. 1573.
XIX..... de Chabert an. 1600.
XX..... de Martin an. 1616.
XXI. Marquiſa de Bouquerio an. 1645.
XXII. Diana d'Epinaſſi electa 1660. ſedebat 1669.
XXIII. Thereſia d'Arcuſia du Reveſte 1696.

B. MARIA DE YVELINA, *vel* YBELINA Maſſil. ordinis Præmonſtrat.

COnditum fuit hoc cœnobium anno 1204. ſive potius reſtitutum a Præmonſtratenſibus duobus, Guillelmo & Amanſo, qui erant alumni abbatiæ Fontis-calidi diœceſis Biterrenſis, cum licentia Maſſilienſis epiſcopi, ejuſque clericorum, certis quibuſdam conditionibus in charta memoratis quam continet archivum epiſcopale, fol. 6. libri Viridis.

Nos Raimundus [a] *Dei gratia Maſſilienſis epiſcopus, & Petrus prepoſitus, de conſilio & aſſenſu eccleſiæ noſtræ capituli concedimus vobis Guillelmo & Amanſo fratribus ordinis Præmonſtratenſis, ut poſſitis in territorio Maſſilienſi circa Huveaunæ* * *amnem de novo edificare eccleſiam & domum ordinis veſtri epiſcopali jure per omnia ſalvo, &c. anno* MCCIII. *

*Veame

Attamen Honorius papa III. an. MCCXVIII. viſus eſt eximere cœnobium hoc ab epiſcopi ſubjectione, concedens abbati ut a ſummo pontifice immediate penderet. Exeunte ſeculo XIV. poſt Guillelmi abbatis deceſſum data eſt hæc abbatia in commendam Johanni epiſcopo [b] a Clemente VI. propter ſedis ejus paupertatem. Ne autem obeſſet abbas Fontis-calidi, pontifex ipſum bulla monuit anno 1403.

[b]

A Benedicto XII. data bulla ad cardinalem ſanctæ Mariæ in via-lata, monaſterio ſanctimonialium ordinis ſancti Auguſtini, quas ſub titulo ſanctæ Paulæ fundabat Yolanda d'Arragon, Ludovici II. regis Neapolit. & comitis Provinciæ uxor, unita eſt hæc abbatia cum a priſtina diſciplina religioſi multum defeciſſent.

Deſtructo vero ſanctæ Paulæ monaſterio an. 1524. quando Maſſiliam obſidebat Borbonius, cum ſe recepiſſent illæ ſanctimoniales ad virgines S. Salvatoris, res Yvelnenſis abbatiæ una cum ceteris ſuis omnibus non multo poſt eidem parthenoni contulerunt. Condita vero fuit prope fluvium Uveunam ſeu Yvelniam, qua parte ſe in mare exonerat.

Ex S. Salvatoris tabulis hos abbates eruimus.

SERIES ABBATUM.

I. Veriſimile eſt primum Ybelinæ abbatem fuiſſe Guillelmum vel ejus ſocium in ædificando cœnobio, de quibus ſupra.

II. Truncus abbas nominatur in veteri charta ante annos 400. ſcripta, ſed numericis notis deſtituta.

III. Guillelmus 1259.

IV. Johannes abbas B. Mariæ de Ybelina diœceſis Maſſilienſis 1283. in charta eccleſiæ Vencienſis.

V. Andinus monaſterii de Ybelnia diœceſis Maſſilienſis abbas anno 1318. præſens fuit inquiſitoris ſententiæ contra combuſtos Minoritas, ſeu potius comburendos perlatæ.

[a] Noſter D. Edmundus Martenne in Maſſilienſi chartario vidit literas quæ Fulconis epiſcopi nomen præferunt, non Raimundi, datæque ſunt anno MCCI.

[b] Noſter D. Edmundus Martenne legit *ep. Nimoticenſ.*

VI.

VI. Laurentius 1342.
VII. Jacobus Viridarii 1351. 1376.
VIII. Guillelmus, poſt cujus mortem
IX. Johannes epiſcopus Nimocienſ. an. 1392. providetur a Clemente VII. anno 14. ejus pontificatus. Non diu poſt a Præmonſtratenſibus abbatia tranſivit ad moniales ſanctæ Paulæ, uti jam diximus.

PARTHENON S. MARIÆ DE NAZARETH.

HOc monaſterium monialium ſanctæ Claræ fundatum eſt in ſuburbio Maſſiliæ an. 1254. juxta commentarios in archivis prædictarum monialium repertos. Biennio poſt Alexander IV. anno ſui pontific. ſecundo indulgentias conceſſit iis qui die S. Claræ prædictum viſitarent monaſterium, quod in præfata bulla & in aliis chartis vocatur *monaſterium de Nazareth, vel B. Mariæ de Nazareth ordinis S. Damiani.* Huic cœnobio Carolus II. Provinciæ comes quædam largitur anno 1297. vel 98. Item regina Sancia Arragoniæ uxor regis Roberti, mille auri unciis prædictum cœnobium dotavit.

Dirutum eſt hoc monaſterium in bellis quæ multis Provinciæ locis vaſtitatem attulere, anno circiter 1359. Decem & ſeptem moniales hujus parthenonis ſuperſtites, eo deſtructo, in eccleſiam Templi confugientes, ibi manſerunt duobus circiter annis, donec juxta paroeciam S. Cannati ædes quas hodie inhabitant conſtrui feciſſent. Urbanus autem papa V. eaſdem ipſis indulgentias tribuit, quibus in ſua veteri eccleſia gaudebant.

Maria de Tende abbatiſſa præfati monaſterii anno 1516. in ipſum reformationem induxit, novem ſcilicet ſanctæ Claræ Aquenſis ſorores advocando, a quo tempore in priori ſuo inſtituto perſeverarunt.

ECCLESIA TRICASTINENSIS.

ANNI CHRISTI. SANCTI PAULI Tricaſtinorum civitas, Plinio lib. 3. c. 4. *Auguſta Tricaſtinorum* in provincia Delphinatum, ſub Arelatenſi archiepiſcopo & parlamento Gratianopolitano, olim ſub metropoli Viennenſi in notitia provinciarum Galliæ, abeſt a Rhodano, Ponteque ſancti-Spiritus duabus circiter leucis, decem vero a Druentiæ oſtio in Rhodanum labentis, ubi quondam Auguſta Tricaſtinorum: de quibus populis Silius Italicus lib. 3. loquens de Hannibale iter in Italiam faciente: ANNI CHRISTI.

Jamque Tricaſtinis incedit finibus agmen:
Jam faciles campos, jam rura Vocontia carpit.

Unde liquet Tricaſtinos aut Vocontiis accenſeri, aut eſſe finitimos. Perperam vero ponuntur Ortelio ad Rhodani latus occidentale in veteris Galliæ tabula. Nam Tricaſtini clare locantur a Ptolemæo lib. 2. c. 10. in parte Rhodani orientali, cum eorum civitate Neomago.

Urbs Tricaſtinorum olim fuit ampla & celeberrima, cujus antiquitatem demonſtrant rudera amphitheatri, circi, formarum, hoc eſt aquæ-ductuum; necnon ſtatuæ, numiſmata, urnæ, & alia ſimilia, quæ olim & nuper quoque eruta ſunt ac effoſſa. In urbe adhuc duæ ſunt portæ, quarum una vocatur *de Fan-jou*, a fano Jovis hac in parte urbis olim condito; altera *Puy-jou*, quaſi diceretur podium Jovis. Hæc tamen urbs multas & quidem graviſſimas calamitates perpeſſa eſt a Wandalis, ſeu Alamannis, duce Chroco, Saracenis, Albigenſibus hæreticis, & recentioribus heterodoxis.

a Epiſcopus comitem a urbis ſeſe indigitat, cujus eſt reapſe condominus cum rege. Numeratur ſecundus inter Arelatenſis provinciæ ſuffraganeos. Capitulum conſtat duodecim canonicis, quorum quatuor ſunt *dignitates*, uti modo loquimur; ſcilicet præpoſitus, archidiaconus, ſacriſta, præcentor. Inſuper ſunt tres adhuc hebdomadarii, qui alter poſt alterum paſtorali funguntur officio. Eccleſiæ patronus eſt ſanctus Paulus ejuſdem urbis epiſcopus. Diœceſis ad quinque leucas extenditur in longum, & quatuor in latum, continetque triginta quinque eccleſias parochiales in Delphinatu, Provincia, & comitatu Vindaſcino * quodam modo diſſeminatas. His adde abbatiam Aquæ-bellæ, ordinis Ciſtercienſis. Nuper in urbe conditus eſt conventus fratrum Prædicatorum, cujus prior Ludovicus-Anſelmus Boyer, anno 1710. typis mandari curavit hiſtoriam hujus eccleſiæ, ac præſertim epiſcoporum, a ſe elucubratam. Profitetur autem hic ſcriptor duces ſequi Sammarthanos fratres, additis tamen nonnullis obſervationibus eruditorum virorum, Spiritus Sage canonici Tricaſtini, & N. Prevoſt capiſcoli Arauſicanæ eccleſiæ, vicarii generalis illuſtriſſimi hujus eccleſiæ epiſcopi. Sammarthani vero teſtantur in ſua Gallia Chriſtiana, ſeriem epiſcoporum Tricaſtinorum a Jacobo Adhemaro epiſcopo concinnatam, ſibi opportune communicatam, adfuiſſeque ſchedas Peyreskianas, deficientibus veteribus chartis quas Calviniſtæ flammis aboleverunt. Nos cuncta hæc probavimus & exploravimus ad delectum faciendum eorum quæ certiora ſunt, & veteribus monumentis conſentanea. (Venaſſin.

a Accepto ipſius dominio, beneficio Friderici I. imperatoris, an. 1179. Sed an. 1407. Theodatus de Stagno illud dominium partitus eſt cum Carolo delphino filio Caroli V.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

ANNI CHRISTI.

EPISCOPI TRICASTINI.

I. S. Restitutus.

Laudatus a nobis Ludovicus-Antonius Boyer traditionem secutus, ut ait, primum Tricastinæ urbis episcopum Restitutum fuisse docet, quem aiunt fuisse cæcum natum a Christo lumine donatum. At sincere fatetur primum qui id asseruerit fuisse Stephanum Genevés, qui anno 1465. ejusdem sancti reliquias transtulit. Certe tam recens opinio nullatenus potest pro traditione vendicari. Itaque demus tantummodo sanctum Restitutum primum fuisse qui Christum Tricastinis annuntiarit, aut plebi jam Christianæ factæ pastor & episcopus fuerit ordinatus. Quo vero tempore id factum ignoramus. Reliquiæ sancti Restituti in oppido ejus nominis asservatæ sunt usque ad annum 1561. quo Calviniſtæ eas succenderunt. Conjicit illustrissimus Antonius Godellus Vencienſis episcopus S. Polycarpi discipulos appuliſſe in Provinciam circa an. 169. & ecclesias Cemelienſem, Antipolitanam, Forojulienſem, Tolonenſem, aliasque Lugdunum usque fundasse.

169.

II. S. Justus.

S. Justus Tricastinorum episcopus, anno circiter 312. aut etiam 267. coronam martyrii consecutus est in irruptione Alamannorum sub Chroco duce, cujus meminit Gregorius Tur. lib. 1. hist. c. 30. &c. Consule quæ dicimus in S. Amatio Avenion. episcopo.

III. S. Sulpicius.

Scriptor Tricastinensis qui S. Justum ignoravit, monet Sulpicium secundum habere locum in episcoporum catalogo quem præ manibus habebat. Nihil tamen de eo nos docet: de ipsius tantum cultu constat; olim etenim erat in ædibus episcopalibus basilica sub ejus nomine Deo consecrata; erat quoque apud Toronnam aliquod sacellum, quod cum dirutum esset anno 1206. Bertrandi Hugonis ejus præfecti munificentia restauratum est, iterumque dotatum a Bertrando de Petra-lata episcopo.

IV. S. Eusebius I.

Adhuc pauciora nobis suppetunt de Eusebio, qui tertio ponitur loco inter nostros episcopos. Ejus festum celebratur die 23. Martii.

V. S. Torquatus.

Præter cultum solemnem huic sancto antistiti ecclesiæ auctoritate delatum, nihil de illo affirmare audemus. Festum ejus notatur in antiquo Vivarienſis ecclesiæ breviario 31. Januarii, & in proprio ecclesiæ Tricastinensis, in quo nihil de ejus vita specialiter notatur. Quiescebat in monasterio S. Mariæ de Crudatio, sed a Calvinianæ sectæ hæreticis sacrum ipsius corpus combustum est. Exstat adhuc sacellum antiquum ejus nomini dedicatum in territorio Sasæ-Ruffæ, Tricastinensis diœcesis; sed ignoratur quis fuerit ejus fundator. Torquati meminit Bollandus ad 1. Februarii.

VI. S. Paulus.

Tanta fuit sanctitatis hujus episcopi fama, ut ecclesiæ & urbi Tricastinensi nomen dederit. Eum Remis ortum dicunt acta, ubi duxerat uxorem, quam intactam servavit. Sed ob Wandalorum incursionem fugere coactus, relicta patria, in Provinciam venit, & latebras quæsivit; verum revelatione divina notus, & ab aratro avulsus sedere in cathedra episcopali Tricastinorum post Torquatum nuper mortuum cogitur. Ita acta, pro quorum sinceritate minime spondemus. Præerat an. CCCLXXIV. quo adfuit synodo Valentinæ, ad quam convenerunt quinque provinciarum episcopi. Ejus vita illustrata fuit multis miraculis; propterea ipsa civitas Tricastina eum sibi elegit patronum; ac festum ejus celebratur 1. Feb. Sacrum corpus diu requievit in ecclesia cathedrali Tricastina, thecis argenteis inclusum, unumque ex ipsius brachiis seorsim a dicto corpore separatum, cui festum solemne dedicatum fuerat: quod quidem sacrum corpus an. 1561. die 24. Decembris Novatores hæretici prædictam ecclesiam violenter ingressi, profanata divi confessoris memoria, cum reliquiis sanctorum antistitum Amantii & Eusebii concremarunt, ut legitur in archivis capituli ejusdem ecclesiæ. De sancto Paulo nihil habetur apud Bollandianos præter ea quæ ex nostris delibarunt Sammarthanis.

374. *Vide Tillemont. tom. VIII.*

VII. S. Bonifacius I.

Bonifacii nomen ut Tricastini episcopi legitur in veteri breviario, in antiquo catalogo, & in Sammarthanorum Gallia Christiana, inquit eruditus scriptor Tricastinensis. Hic vir doctus post Bonifacium dat locum Maximino, quem putat eum esse, qui cum Ravennio Arelatensi archiepiscopo scripsit ad S. Leonem. In eadem Ravennii epistola occurrit Florus episcopus, qui etiam fuit unus ex præsulibus congregatis ad finiendam controversiam quæ erat inter Theodorum Forojulienſem episcopum, & Faustum abbatem Lirinensem, ejusque monachos, anno circiter 455. At nulla est ratio quæ probet hos episcopos Tricastinis præfuisse, potius quam ulli alteri ecclesiæ.

VIII. S. Amantius.

Festus dies huic episcopo colendo indicitur in Tricastinæ ecclesiæ calendario, scilicet sextus Februarii. Verum in ejus officio nihil proprium, sed omnia dicuntur de communi; quo certissimo argumento demonstratur nihil prorsus de ipsius actis inveniri. Visitur ecclesia ejus memoriæ dicata in territorio Montis-Securi*.

* Mont-ſeu

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

A

IX. Castorinus.

X. S. Michael.

Non minus obſcura ſunt quæ ad hos ſpectant antiſtites, quibus dies feſtus conſecratur 24. Decembris, adjunctis in eodem cultu ſanctis Sulpicio & Bonifacio.

XI. Florentius.

Florentius notus eſt ex concilio Epaonenſi celebrato ab epiſcopis Burgundionum regno ſubjectis, cui ſubſcripſit hic præſul anno DXVII. B
517. Scriptor Tricaſtinenſis non dubitat Florentium Tricaſtinenſis eccleſiæ preſbyterum, qui libellum ſcripſit de vita S. Ruſticulæ cognomento Marciæ, virginis Vaſionenſis & abbatiſſæ ſancti Cæſarii Arelatenſis poſt Liliolam, eſſe hunc ipſum de quo agimus epiſcopum. At repugnat ordo temporum: nam Florentius epiſcopus ſedebat anno ſaltem 517. preſbyter autem florebat ad ſummum deſinente ſeculo ſexto.

XII. Heraclius.

Heraclii frequens eſt memoria variis in conciliis, quibus conſenſit ſubſcripto ſuo nomine, C
527. videlicet Carpentoratenſi anni DXXVII. Arau-
529. ſicano II. anni DXXIX. Vaſenſi ejuſdem anni,
541. & Aurelianenſi IV. anno DXLI. ubi legitur: *Heraclius in Chriſti nomine epiſcopus civitatis Tricaſtinenſis conſenſi & ſubſcripſi.*

XIII. Victor.

Nominatur ac recenſetur inter epiſcopos, qui ad concilium Lugdunenſe II. legatos miſerunt
567. anno DLXVII. Sedit in concilio Pariſienſi IV.
573. an. DLXXIII. & in Matiſconenſi I. an. DLXXXI.
581. Hæc de eo leguntur apud Gregorium Turonicum lib. 5. hiſtoriæ c. 21. ubi Salonii & Sagit- D
tarii fratrum epiſcoporum facinora narrantur. Cum Victor ſolemnitatem natalitii ſui celebraret, duo iſti nequiſſimi epiſcopi, unus Vapingenſis, alter Ebreduni cædibus & aliis ſceleribus aſſueti, immiſſa cohorte cum gladiis & ſagittis irruerunt ſuper eum, ſciderunt veſtimenta ejus, miniſtros cæciderunt, vaſa & omnia ad paratum prandii auferentes, relinquentes epiſcopum cum grandi contumelia. Hæc ut reſcivit Guntramnus rex, congregari ſynodum ad urbem Lugdunenſem juſſit anno circiter 571. cui præfuit B. Nicetius Lugdunenſis *patriarcha*; quo in cœtu rei convicti, honore epiſcopatus E
privantur. Tunc Salonius & Sagittarius, qui videbantur ad meliorem rediiſſe mentem, Victoris epiſcopi pacem petierunt, traditis etiam in manus ejus ſcelerum ſuorum miniſtris. Ille, ut erat vir mitiſſimus, recordatuſque Dominici præcepti, non reddenda mala pro malis, eos liberos permiſit abire. Hanc tamen nimiam indulgentiam minime probarunt epiſcopi, imo Victorem a communione in poſterum ſuſpenderunt, quod cum publice accuſaſſet nequiſſimos illos homines, clam ipſis pepercifſet abſque fratrum, hoc eſt epiſcoporum conſilio. At favente rege iterum in communionem revocatus eſt, inquit Gregorius hiſtoricus.

ANNI CHRISTI.

XIV. Eusebius II.

Euſebius preſbyteratus officio functus ſub pontifice Victore, cujus vices egit in concilio Lugdunenſi anni 567. ab omni clero epiſcopus Tricaſtinæ civitatis eligitur. Subſcripſit II. ſynodo Valentinenſi 584. & Matiſconenſi II. an. 585. 584.
per legatum. Obiit 23. Martii, quo die colitur 585.
in eccleſia ſua, ut notat proprium eccleſiæ Tricaſtinæ anno 1627. editum.

XV. Betto.

Anno DCXLVIII. aut DCL. celebratum eſt 650.
concilium Cabilonenſe II. regnante Clodoveo II. cui epiſcoporum cœtui adfuit Betto epiſcopus Tricaſtinenſis. Synodum hanc Carolus Cointius revocat ad annum 644. Poſt Bettonem per aliquot ſecula ſola habemus nomina præſulum qui hanc gubernarunt eccleſiam, ſcilicet,

XVI. Botaricus.
XVII. Salitonius.

Duos illos epiſcopos commemorat Carolus Cointius; de reliquis vero altum eſt in ejus annalibus ſilentium.

XVIII. Gemmardus.
XIX. Ingilbertus.
XX. Richardus.
XXI. Segaldus.
XXII. Bertrandus.
XXIII. Aldebranus I.
XXIV. Berniconius.
XXV. Aldebranus II.
XXVI. Pontius I.
XXVII. Odalricus I.

Ludovicus-Antonius Boyer ſcriptor hiſtoriæ eccleſiæ Tricaſtinenſis, aliquos ex iſtis epiſcopis admittit, ſed mutato quandoque ordine, alioſque addit: Leuſum in concilio Cabilonenſi anni 650. commemoratum, quo tempore Betto Tricaſtinis præerat, & ſanctum Martinum de Ulmis, quem ſucceſſorem dat Leuſo an. 657. nullis allatis argumentis, vel tantiſper probabilibus. Aldebranno epiſcopo Carolum Magnum urbem territoriumque Tricaſtinenſe ſupremo jure poſſidenda conceſſiſſe contendit. Bonifacium, qui fuit epiſcopus Arauſicanus, Tricaſtinum facit anno 827. cujus tempore Arauſicanam eccleſiam cum Tricaſtina unitam fuiſſe & coaluiſſe docet; ita ut ab unico epiſcopo, Tricaſtino nimirum, utraque regeretur eccleſia; quod cum gravis ſit momenti, nunc paulo moroſius eſt expendendum.

Unitas fuiſſe duas illas eccleſias, ita ut Arauſicana proprium non haberet epiſcopum, aſſerit Urbanus II. in bulla quam profert Ludovicus-Antonius Boyer. Id factum ante centum annos idem papa luculenter dicit, dum teſtatur Tricaſtinum epiſcopum in controverſia ea de re mota ſibi vindicaſſe *diuturnam & pluſquam centenariam poſſeſſionem*. Bulla data eſt XVII. cal. Maii anni 1095. unde conjici poteſt Arauſicanam eccleſiam multa damna paſſam nono & decimo ſeculo, proprio paſtore carere cœpiſſe, ac vicino epiſcopo Tricaſtino, ut ipſam regeret commendatam fuiſſe circa annum 990. Id ra-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

tum habuit Gregorius dato de hac unione decreto, ut diſcimus ex bulla Urbani II. in probationibus excuſa, Ch. II. pag. 119. col. 1. quod de Gregorio quinto poteſt commodius explicari. Eandem confirmaverunt Victor II. & Alexander II. in bulla laudati. Et hæc quidem ſufficere videntur ad refellendum Boyerium, qui unionem hanc opinatur anno 827. factam. Quomodo enim epiſcopus Tricaſtinus ad cauſæ ſuæ defenſionem, tantum poſſeſſionem pluſquam centenariam oppoſuiſſet, qui ter centenariam habebat fere, qua ſe tutaretur? Sed aliunde legimus anno 879. eccleſiam Arauſicanam adhuc proprium habuiſſe epiſcopum: quippe adfuit ſynodo Mantalanenſi hoc ipſo anno habitæ *Gemardus epiſcopus Arauſicanus.*

Hæc ſane rationum momenta pene nos inclinarant ad rejiciendam Boyerii opinionem, & differendam unionem Arauſicanæ eccleſiæ cum Tricaſtina, uſque ad annum 990. ſed vincit auctoritas inſtrumenti electionis Laudonis epiſcopi, in qua fit mentio Bonifacii ejus anteceſſoris, qui debuit ſedere ſaltem an. 827.

XXVIII. Bonifacius II.

Quo tempore epiſcopatum ceperit Bonifacius nos latet. E vivis migraverat incipiente menſe
839. Martio anni 839. quo tempore clerus & populus omnis Arauſicenſis, & Tricaſtinenſis ad oratorium ſanctæ Mariæ Arauſicenſis eccleſiæ, coram Hugone inclyto marchione, & Rotgone nobiliſſimo comite, aſſenſumque præbente ſereniſſimo Ludovico imperatore, unanimi concordia elegerunt Laudonem in epiſcopum utriuſque urbis, mortuo bonæ memoriæ Bonifacio; qui proinde utramque rexerat eccleſiam. Unde non immerito exiſtimamus earum unionem ſub Bonifacii epiſcopatu factam eſſe, non citra auctoritatem Romani pontificis, nimirum Gregorii IV. qui anno 827. eccleſiæ Romanæ & univerſæ datus eſt paſtor. Decreti
a Gregorii ea de re meminerunt Urbanus[a] II. & Paſchalis II. *quod Tricaſtina eccleſia clerici ſuper evangelia ſacro-ſancta juraverunt ſe vidiſſe & legiſſe Bonifacio Tricaſtino epiſcopo attributum, per quod prædicta eccleſia fuerant coünita.*

Vide prob. Ch. I. p. 119. col. 2.

Qui igitur, inquies, *epiſcopus Tricaſtinus tempore Urbani II. anno* MXCV. *ſuam poſſeſſionem, quæ erat fere ter centenaria, diuturnam tantum & pluſquam centenariam dicit?* Fortaſſe quia quandoque poſſeſſio hæc fuerat interrupta. Et certe ſub pontificatu Urbani, Arauſicenſes ſibi proprium elegerant epiſcopum Guillelmum, Pontio Tricaſtino ſpreto.

At in concilio Mantalenſi ſedit Gemardus Arauſicanus epiſcopus; proindeque Arauſicenſes proprio adhuc paſtore gaudebant anno DCCCLXXIX. Gemardus hic epiſcopus erat Tricaſtinus, qui indiſcriminatim ſe modo appellabat epiſcopum hujus ſedis, modo Arauſicenſis; quemadmodum uſitatum fuit apud antiſtites duplici eccleſiæ ordinatos & præpoſitos. Plura de Bonifacio reſcire nobis integrum non fuit.

a Boyerius in hiſt. eccl. Tricaſtina dat Urbani II. bullam, & alias Paſchalis II. necnon Alexandri II. quas etiam exhibemus in probat. Ch. II. III. IV. V. VI. VII. pag. 119. 120.

XXIX. Laudo.

ANNI CHRISTI.

Laudo *nutritus ſanctæ Mariæ Dienſis, vir bonus & eruditus, ſobrius, moribus & vitæ decenter ornatus*, a clero & populo tam Arauſicenſis quam Tricaſtin. eccleſiæ eligitur epiſcopus, ſub die Mercurii calendarum Martii anni 839. Electum 839.
ordinaverunt provinciæ epiſcopi die Dominica; quæ coram ſe geſta comprobaverunt Hugo marchio, & Rotgo comes. Quæ geſſerit poſt ſuam electionem Laudo nos fugit; quamquam vix dubitemus ſpem de ſe conceptam ab electoribus, quod videlicet eccleſiæ priſtinum honorem reſtituturus eſſet, & detrita membra ſuo capiti, tantum virum non fefelliſſe.

XXX. Pontius II.

Pontium eadem prorſus forma qua Laudo, electum fuiſſe legimus, quod anno ſaltem DCCCLII. factum diſcimus ex diplomate Lo- 852.
tharii Auguſti, quo eccleſiæ Tricaſtinæ liberalitate ſereniſſimorum Auguſtorum nobiliter ditatæ, ſcilicet Caroli & Ludovici imperatorum, confirmat, & Pontio epiſcopo, dominium prædictæ civitatis cum omnibus redditibus, & a Rhodano flumine uſque ad Egrum * fluvium, * Aigues
quidquid cognoſcitur regiæ cenſuræ eſſe ſubjectum. Diploma exhibet Boyerius, quod ex archetypo deſcriptum affirmat; hoc inſtrumento religioſus princeps non ſolum confirmat, & rata habet dona jam eccleſiæ Tricaſtinæ a ſuis collata majoribus, ſed quædam regia addidit munificentia, in his nativum ſaxum, antiquo vocabulo *Tutela* vocatum, ea conditione ut nullus judex publicus, nullus comes, nulla poteſtas ibidem habitare præſumeret, aut munitionem aliquam conſtruere, niſi prædictus epiſcopus (Pontius) ac ſucceſſores illius.

XXXI. Gemardus.

Gemardus convenit an. 879 ad ſynodum 879.
Mantalanenſem in pago Viennenſi, ubi Boſoni decretum eſt regis nomen; at in ſua ſubſcriptione ſe tantum dicit Arauſicanum epiſcopum, diſſimulato Tricaſtino epiſcopatu; nec mirum, quippe uſu tritum intelligimus, epiſcopos qui duas ſimul gubernabant eccleſias, quales fuere Noviomenſes, qui ſimul Tornacenſem obtinebant cathedram, & Cameracenſes, qui Atrebatenſem, modo utriuſque titulum, modo alterutrius indiſcriminatim in ſubſcriptionibus aſſumſiſſe. Plura de Gemardo ſcire non licuit. Huic epiſcopo Bohierius tres præmittit, Gemardum, Bonaricum, & Odalricum I. de quibus nihil certi habetur, & duos ſubjicit Gerardos æque ignotos.

XXXII. Ebroinus.

Ebroinus, Joſepho de Piſa de hiſtoria eccleſiæ Arauſicenſis bene merito Ebraonius, cum aliquot annis præfuiſſet in ſollicitudine, ægritudine correptus, perpendens ſibi integrum non eſſe optimi & vigilantiſſimi paſtoris omnia implere munia, ſibi adſcivit coadjutorem. Hoc contigiſſe anno 910. legimus.

ANNI CHRISTI.

XXXIII. Pontius III.

Pontius ex coadjutore inſtituitur epiſcopus, conſentiente Conrado imperatore, approbanteque Boſone Provinciæ comite. Ad ejus autem electionem, quæ facta videtur in eccleſia Arauſicana, convenit clerus & populus. Inſtrumentum authenticum hujuſce electionis factum
914. legitur an. 914. exſtatque (ſi Bohierio fides) in arch. eccleſiæ Arauſicenſis. Illud autem exhibebimus in epiſcopis Arauſicanis, in hoc Pontio ubi de illo adhuc loquemur & ſententiam depromemus. Pontio ſucceſſor datur a Bohierio Odalricus II. poſt quem ſedit Guillelmus I. B Nos prætermiſſis iis qui nullo vel probabili indicio nobis obtruduntur, de notis dumtaxat agimus. Vide in epiſcopis Arauſicanis alium Pontium, qui ſedebat anno 982. quod de eo qui electus fuit an. 914. minime potelt intelligi.

XXXIV. Odalricus II.

1020. Commemoratur in monumentis anni 1020. Odalricus, cujus tamen nomen varie exprimitur. Odalrico epiſcopo Tricaſtinenſi, necnon multis aliis epiſcopis Burgundiæ ac Aquitaniæ, inſcribitur epiſtola Benedicti papæ VIII. hortantis eos ut Cluniaci defenſioni proſpiciant, adverſus dominum de *Beljoco*, alioſque dynaſtas. Vide tom. IV. collect. ſcript. hiſt. Franciæ Quercetani. Hunc eſſe puto Aldiricum, qui his verbis præſtitit ſacramentum Rajambaldo Arelatenſi epiſcopo. *Ego Aldiricus Auraſicenſis & Tricaſtinenſis vocatus epiſcopus, promitto .... omnem ſubjectionem & obedientiam canonicam & fidelitatem eccleſiæ ſancti Stephani ſedis Arelatenſis ... & Raimbaldo archiepiſcopo, &c.*

Recenſetur inter præſules, qui adſtiterunt Benedicto papæ IX. baſilicam ſancti Victoris Maſſilienſis dedicanti, idibus Octobris an. 1040.
1040. uti legitur in ejuſdem papæ litteris quas edidi- D
Vide prol. Maſſ. Ch. XXIV. p. 214. col. 1. a
mus. Aderat etiam quando Bertrandus * marchio Provinciæ eccleſiam S Promaſii Forcalcarienſis eidem cœnobio Maſſilienſi donavit,
1044. anno 1044. regnante Henrico; ubi Tricaſtrenſis præſul nuncupatur. Adhuc ſedebat anno
1056. 1056. quo adfuit ſynodo apud ſanctum Ægi-
Tom. IX. anal. pag. 288. dium. Ejuſdem meminit Ildefonſus comes Toloſanus in charta anni 1126. quam edituri ſumus in Berengario Arauſicano epiſcopo.

XXXV. Martinus.

Martinus *Trecaſtenſis* epiſcopus an. circiter 1056. ſubſcribit litteris Hildebrandi legati Vi- E
ctoris II. pro nuper inſtaurato Viennenſi ſancti
num. 69. Petri monaſterio. Vide Mab. ad an. 1055. nec alibi nobis occurrit hujus antiſtitis mentio.

XXXVI. Geraldus I.

Geraldus obtinebat cathedram Tricaſtinam Alexandro II. ſummo pontifice, qui ab anno 1061. ad annum 1073. navis eccleſiæ tanquam Petri ſucceſſor gubernacula tenebat. Jam tum clerus & populus Arauſicanæ eccleſiæ moleſte ferebant carere proprio epiſcopo,

* De hoc Bertrando vel Bertranno vide diſſertationem Ruffi junioris de comitibus Forcalquerii p. 63.

A & Tricaſtino ſubeſſe. Bertrandus comes Arauſicenſis filius Raimbaldi, præſertim omnem movebat lapidem, ut unionem utriuſque eccleſiæ reſcinderet. Ea de cauſa Alexander II. ſcripſit tum univerſo clero & populo epiſcopatus Tricaſtinenſis, & Arauſicæ civitatis, tum Bertrando, cui comminatur excommunicationem & interdictum *per totam ejus terram*, ſi unionem auctoritate Gregorii & aliorum Romanorum pontificum factam ulterius tollere ac reſcindere conetur. Quæ tamen intentatæ minæ non obfuerunt quominus Arauſicani ſibi epiſcopum eligerent nomine Guillelmum; cauſati rationes unionis non amplius permanere; nam Arauſica reflorere cœperat incolarum frequentia. Quare forſitan Urbanus II. & alii papæ de legitima electione ac ordinatione Guillelmi minime dubitantes, ſatis habuerunt decernere, ut eo mortuo, in poſterum Arauſicani ab eligendo epiſcopo abſtinerent, nec alium haberent præter Tricaſtinenſem.

ANNI CHRISTI.

Vide in prob. Ch. III. & IV. p. 120. col. 1.

XXXVII. Pontius III.

Huic epiſcopo decertandum fuit contra Guillelmum electum & ordinatum in epiſcopum Arauſicanum, quod adverſabatur decreto unionis hujus eccleſiæ cum Tricaſtina, facto a Gregorio papa & a Victore, Alexandro aliiſque ſummis pontificibus confirmato. Litis hujus ſeriem deſcribit bulla Urbani II. a nobis edita in probationibus, qua controverſiam ſic diremit: *præſenti decreto ſancimus ut defuncto fratre noſtro venerabili epiſcopo, qui ad præſens Arauſicenſi eccleſiæ præſidet, utraque mox eccleſia in priſtinam redeat unitatem.* Dedit tamen Arauſicenſibus inducias unius anni ad probandum aliquo decreto pontificio eccleſias illas olim conjunctas, diviſas poſtea fuiſſe. In hoc Urbani II. decreto aſſeritur eccleſiam Tricaſtinam poſt unionem factam, principatum ſemper obtinuiſſe. Datum eſt decretum an. 1095. quo tempore Pontius vivebat.

Ch. II. p. 119. col. 2.

1095.

Mortuo poſtea Guillelmo anno 1098. in peregrinatione Jeroſolymitana, Paſchalis II. a ſuorum anteceſſorum veſtigiis non recedens, juſſit ut ad epiſcopi Tricaſtini obedientiam redirent Arauſicani, iterato ſcribens ad clerum & populum. Monuit quoque litteris Gibelinum Arelatenſem archiepiſcopum, ut Arauſicanam eccleſiam Guillelmi epiſcopi morte vacantem epiſcopo Tricaſtino reſtitueret. Boyerius docet Arauſicanos tandem obtemperaſſe, Pontioque epiſcopo ſubjectos fuiſſe uſque ad annum 1107. 1107.
Tunc enim comes Arauſicanus & clerus papam rogarunt ut ceſſante cauſa unionis, eam revocare dignaretur; frequentem populo urbem eſſe, ſufficereque eccleſiæ reditus, ad ſumtus epiſcopi. His rationibus victus Paſchalis papa negotium hoc mandavit Richardo Albanenſi epiſcopo, qui cum ſuis aſſeſſoribus Gibelino Arelatenſi archiepiſcopo & Leodegario Vivarienſi præſule, decretum fecit de ſeparatione utriuſque eccleſiæ, tuncque ordinatus eſt Arauſicanis Berengarius epiſcopus, de quo ſuo loco agemus.

Ch. V. VI. & VII. p. 120. col. 2.

ANNI CHRISTI. AUBERMAR.

XXXVIII. AIMARUS.

Aimarus cognomento Adhemari de Montilio, dicitur successisse Pontio, & non minus quam 13. annos vixisse in pontificatu; profitemur autem nihil a nobis inventum de hoc præsule, unde parum abest quin nobis persuadeamus, Pontium spatium omne, quod datur Aymaro, 1134. impleviſſe. Sane Pontius episcopus anno 1134. interfuit solemni absolutioni Guigonis Delphini, ab Hugone archiepiscopo Rotomagensi, datæ; quo etiam anno J. Columbi e societate Jesu testatur eum occurrere in chartulario S. Bernardi Romanensis. Itaque si Aymarus non sit fictitius episcopus, admittendus est post eum Pontius IV.

Hugo.

XXXIX. GUILLELMUS I.

Guillelmus, aliquando cognominatus Hugo, 1142. dicitur anno circiter 1141. cathedra donatus episcopali. Quo tempore, inquit Boyerius, debitam subjectionem, reverentiam & obedientiam promisit Raimbaldo archiepiscopo Arelatensi, quin etiam exhibet Boyerius formulam sacramenti tunc ab eo præstiti. Sed procul dubio fallitur hic scriptor in nomine Arelatensis archiepiscopi; qui enim tunc metropolitanam illam gubernabat ecclesiam, non Raimbaldus, sed Raimundus appellabatur. Nullum itaque antiquius instrumentum, in quo fiat hujus præsulis mentio nacti sumus, quam diploma Fri- *Ch. VIII. p. 120. col. 2.* derici I. imperatoris datum Wormaciæ anno 1154. 1154. qui recte dicitur tertius ejus imperii. Hoc præcepto Fridericus confirmat omnia dona facta ecclesiæ Tricastrensi a piissimis Augustis Carolo, Ludovico, aliisque antecessoribus suis; quæ ibidem recensentur. Ex hoc uno episcopo Boyerius duplicem facit, imo triplicem. Nam quia vocabatur Guillelmus Hugo, Guillelmo Hugonem dedit successorem. Et huic Hugoni suffecit alium Guillelmum, quia occurrit in nonnullis instrumentis Guillelmus episcopus Tricastinensis an. 1179. sine Hugonis cognomine. Hæc liquido patebunt ex dicendorum serie. Anno 1158. 1158. testis in donatione facta Silvacanæ nominatur Guillelmus Hugo episcopus S. Pauli, ut legere est in Pontio III. Aqui-Sextiensi archiepiscopo. Anno 1173. 1173. interfuit transactioni factæ inter archiepiscopum Arelatensem Raimundum de Bolena, & liberos Petri de Lambesco, cum Ganfrido Avenionensi episcopo, Petro episcopo Arausicensi &c. ubi legitur Hugo S. Pauli episcopus. Anno 1178. 1178. testis fuit bullæ Friderici imperat. pro immunitate ecclesiæ Arelat. quam habes in Raimundo Arelatensi archiepiscopo, ubi appellatur Guillelmus Ugo. Denique an. 1179. Guillelmus ex provincia Arelatensi episcopus Tricastinensis ad concilium Lateranense sub Alexandro III. convenit. Tempus quo mortem opperierit nos 1193. latet; licet obiisse anno 1193. legatur apud Boyerium.

PETRALATA.

XL. BERTRANDUS II.

Bertrandus cognomen sortitus ab urbecula pagi Tricastinensis Petra-lata dicta, sive quod inde esset oriundus, sive quod illius dominium ad ipsius gentem pertineret, excepit Guillelmum in episcopatu, quem auspicatus est componendo dissidia inter abbatem & monachos Aquæ-bellæ, una ex parte, & Raimundum de Uceția ex altera. Hoc Cistercienſis ordinis monasterium conditum fuerat in diœcesi Sistaricensi an. circiter 1137. Fuit etiam testis cum Jordano suo archidiacono, & sequester pacis inter Nicolaum Vivariensem episcopum & Raimundum Tolosanum comitem, de Argentaria ejusque fodinis, anno 1198. At qui gra- 1198. tum animum pro sibi procurata pace debuerat exhibere nostro episcopo, hic idem comes bellum cruentissimum intulit, ac trajecto Rhodano cum hæreticorum Albigensium exercitu, pagum Tricastinensem vastavit. Quibus malis ut occurreret noster præsul, fœdus iniit cum Raimundo, ex consensu capituli, militum & *burgensium*, cujus pacta continet instrumentum scriptum anno 1202. mense Decembri. Cives 1202. vero ea se observaturos juraverunt *mense Martio ejusdem anni*; quæ verba probant his in locis tunc morem inchoandi anni a paschate, vel 1203. a die 25. Martii viguisse. *Vide prol. Ch. VIIII. p. 121. col. 1.*

Anno 1203. mota est controversia inter hunc episcopum jura suæ ecclesiæ tuentem cum Riperto decano, Jordano archidiacono, Raimundo præcentore &c. & inter milites templi, a quibus repetebantur decimæ, oblationes, spolia mortuorum &c. sed lis finita est facta transactione, qua milites pene hæc omnia cedere consenserunt. Adhuc sedebat anno 1205. quo 1205. Bonnæ Arnaldæ prædium contulit sub annuo censu. Ante mortem legitur abdicasse, ut in secessu Deo sibique viveret, donec anima corpore soluta migraret ad cœlum; quod contigit anno circiter 1206. Notatu visum est dignum, Bertrandum suis in litteris supremum se dominum passim nuncupasse.

XLI. GAUCERANDUS.

Gaucerandus *al.* Jausserandus, ex monacho & abbate Insulæ-Barbaræ diœcesis Lugdunensis eligitur ad sollicitudinem curamque pastoralem in Tricastina gerendam ecclesia. Ejus perhonorifica fit mentio in hujus monasterii *Ruderibus* auctore doctissimo viro N. *le Laboureur*. Ejus autem episcopatum inceptum saltem ab anno 1206. probat pactio hoc eodem 1206. anno facta ab ipso cum Pontio de Caderousse. Anno 1208. adfuit ut testis Guillelmo de Bau- 1208. cio principi Arausicano ecclesiam ejusdem urbis privilegio donanti & munienti. Eodem anno die 16. Octobris Guillelmus Helie Arausicanus episcopus ecclesiam suam sub B. Mariæ & S. Pauli episcopi patrocinio consecravit; cui hoc in opere pio socios se addiderunt episcopus Tolosanus & Gaucerandus noster. Tabulæ publicæ anni 1210. adhuc ejus nomine 1210. consignatæ sunt. Eodem anno juxta Boyerium, ex hac vita migravit. In ecclesia Insulæ-barbaræ tabula exstat marmorea ubi legitur: VI. *idus Maii depositio domini D. Gaucerandi Tricastinensis episcopi & abbatis Insulæ-barbaræ, cujus anima requiescat in pace.* *Cap. 25.*

ANNI CHRISTI.

XLII. GAUFRIDUS I.

Gaufridum anno 1210. cathedram episcopalem S. Pauli conscendisse docet Boyerius, & mense Augusto interfuisse conventui episcoporum apud Montilium * Adhemari; ubi ipso petente legati apostolici, pacta olim facta cum Raimundo comite Tolosano, anno 1202. irrita esse declaraverunt & promulgaverunt, quod inconsultis papa & imperatore facta fuissent. Instrumentum ea de re confectum exhibet Boyerius; in quo tamen Gaufredus minime nominatur, quamvis ad calcem subscripta legantur plurimorum episcoporum nomina G. * Carpentoractensis, R. * Vasionensis, B. * Vivariensis, J. * Valentini, J. Diensis.

*Montis-limar.

*Gaufridi. * Raimbaldi. * Berenonis.

Ac fit Gaufredi nostri Tricastinensis mentio in quadam Montis-majoris charta data apud Balneolum pridie idus Februarii anni 1211. quam referemus in episcopis Carpentoratensibus in Gaufrido. Eodem anno transegit cum Eldiarda S. Cæsarii abbatissa. Anno 1213. habita est synodus apud Vaurum, ubi de causa principum Albigensibus faventium disceptatum est; ad quem cœtum accessisse Gaufridum asserit scriptor Tricastinus. Graves adversus eum querimonias habuit Adhemarorum gens, quorum palatium in tumultu populari vastatum & flammis consumtum fuerat, quasi episcopo instigante id factum fuisset; sed controversiam hanc sopivit episcopus Vivariensis.

*Lego H. Humberti, & ita de Decns.

1211.

Ut vero a nobilium & potentium rapinis ecclesiam suam tutaretur, obtinuit a Friderico II. Romanorum rege insigne privilegium, quo asserebantur & confirmabantur dona omnia facta olim a Carolo, Ludovico, Lothario, Friderico imperatoribus, quæ in diplomate Friderici I. jam a nobis edito expressa sunt: sed addidit quædam vectigalia & portaria. Concessit enim episcopo Tricastin. *sex denarios Viennenses in singulis bestiis grossis onustis ascendentibus & descendentibus per terram, in minoribus bestiis duos denarios, & in aqua in singulis chargiis sex denarios Viennenses.* Testes sunt Dietricus (*al.* Theodericus) Trevirensis, Amedeus Bisontinus, Conradus Constantiensis episcopus, Henricus Argentinensis, Walterus Basilæensis electus, Desiderius Diensis episcopus. Acta sunt an. Domini 1214. regnante domino Friderico II. Romanorum & Siciliæ rege, anno regni ejus II. Datum apud Basileam VIII. calend. Decembris indict. III. Conradus Spirensis & Metensis episcopus, imperialis aulæ cancellarius vice domini Humberti Vigennensis archiepiscopi, & totius regni Burgundiæ archicancellarii recognovit. Similibus privilegiis eodem anno concessis Viennensi ecclesiæ, ac Arelatensi subscripsit hic episcopus. Longum & legentibus molestum foret singula Gaufredi acta ex registris publicis describere, compositiones, venditiones, emtiones, lites, hominia recepta &c. Adfuit anno 1228. (si Boyerio fides sit) concilio Arausicano hucusque conciliorum editoribus incognito, ubi inter cetera de finibus ecclesiarum Tricastinensis & Arausicensis disceptatum est, præsertim de

Ch. VII. p. 1121. a.

1214.

1228.

A Abolensi ecclesia, quam utrique sibi vindicabat episcopus; sed nihil tunc definitum fuit. Paulo ante mortem Adhemarus de Montilio archidiaconus ei dicam scripsit pro dominio cujusdam prædii paternæ hereditatis, quod episcopus pecunia soluta comparaverat a Giraldo Adhemaro archidiaconi patre. At Gaufridus consensit Giraldum archidiaconi fratrem habere judicem hujus controversiæ. Qui vir nobilis, æquitatis, & fraternæ imo etiam propriæ utilitatis neglectus magnum specimen dedit, adjudicando ecclesiæ, & episcopo dominium de quo erat controversia. Anno 1230.

ANNI CHRISTI.

1230.

B Gaufridus plenus dierum de sua ecclesia optime meritus, ad Deum migravit. In archivis Aniciensibus visuntur litteræ multarum missarum ab ipso fundatarum in Aniciensi ecclesia, ubi canonicus fuerat, ut nos admonuit noster D. Jacobus Boyer, qui Anicienses tabulas curiose & attento exploravit animo.

XLIII. LAURENTIUS.

Laurentius ex canonico Aniciensis ecclesiæ, creatur episcopus Tricastinensis, vir æque pius, doctus, & munificus in ecclesiam suam, cui tempore ejus episcopatus plurima collata sunt a viris nobilibus, scilicet anno 1233. a Petro de Brians de Tulette: a Lamberto Adhemaro de Monteil eodem anno, a Bertrando Bers, a Berengario Milonis, & a Rostagno Alleman; anno sequenti ab Imberto de Rac canonico fit hominium Laurentio episcopo. Anno 1235. lis inter ipsum exorta est, & milites Templi pro præceptoria apud Clansayes, cujus judex electus est episcopus Arausicanus. Ejus vero sententia præceptorem teneri ad procurationem semel in anno episcopo & ipsius comitatui decretum est.

1233.

1235.

C

Cum ob sanctitatis famam Cisterciensium monachorum Aquæ-bellæ, plurimi nobiles sepeliri in eorum cœmeterio peterent, canonici Tricastinenses intercesserunt, causati magnum inde suæ ecclesiæ detrimentum oriri. At postea consensum prabuere certis conditionibus anno 1238.

1238.

D

Eodem anno Fridericus II. imperator in Laurentii gratiam privilegium quod diu antea Tricastinæ ecclesiæ concesserat, iterato confirmavit.

Anno 1240. Laurentius acquisivit ab Aymaro Adhemar Montilii domino filio Giraldi omnia bona & feuda, quæ intra aut extra urbem possidebat. Sicque rem familiarem episcopatus auxit, quæ aliunde excrevit multis donationibus.

1240.

E

Missa facimus multa hominia huic episcopo exhibita a nobilibus, Raimundo de Camareto anno 1242. Gontardeto filio Gontari de Garda Adhemari an. 1243. Pontio de Balmis anno 1244. Hugone de Balmis anno 1248.

1242.

1244.

Hoc anno adfuit synodo Valentinæ. Anno 1250. mota inter ipsum & capitulum quæstione de jure nominandi operarium, præcentorem, hebdomadarios &c. Bertrandus de Clansayes canonicus & præpositus electus judex a partibus definivit collationem *operariæ* pertinere ad epi-

1248.

1250.

ANNI CHRISTI.

ſcopum, qui teneretur dignitatem hanc nonniſi A cuipiam canonicorum ſeu ſaltem clericorum eccleſiæ conferre ; at ſpectare ad capitulum inſtituere hebdomadarios. Diſſentientes inter ſe canonicos pro quotidianis diſtributionibus, ad pacem concordiamque revocavit, judicio lato die 18. Junii anni 1251. cui pio operi pene immortuus eſt. Ex archivis Anicienſis eccleſiæ Laurentius legavit anno 1245. quædam prædia clericis in choro eccleſiæ Anicienſis miniſtrantibus, & abbatiæ de Doa ; item libros theologiæ Dominicanis, & fratribus Minoribus libros juris canonici & tractatus pios.

De Clansayes.

XLIV. Bertrandus III.

B

Bertrandus de Clanſayes (quod cognomen multis in chartis legimus) ex antiquiſſima & illuſtriſſima Adhemarorum gente, Lamberto domino de Clanſayes diœceſis Albienſis patre natus eſt, patruus Geraldi * d'Adhemar de la Garde, qui ex præpoſito generali fratrum Prædicatorum factus eſt cardinalis a Clemente VI. ſuo conſanguineo. Is Tricaſtenſem ſedem obtinuit ante annum 1252. quo tempore inchoatum ejus epiſcopatum docet ſcriptor nuperus

1251. Tricaſtinenſis ; etenim anno 1251. adfuit concilio Inſulano provinciæ Arelat. ſub Johanne

C metropolit. die Martis poſt feſtum Exaltationis S. Crucis. Anno ſeq. unione prioratus de Palude cum præpoſitura modicos ejus reditus auxit, ea lege ut præpoſitus fidem clientelarem promitteret ac obſtringeret epiſcopo, quod e veſtigio præſtitit Guillelmus Adhemar de Montilio ejus conſanguineus. Anno 1270. compara-

1270 * forte *fagetum.* vit caſtrum de Camareto, & factum * de Corbelas a nobili viro Guillelmo de Camareto, pretio 40. librarum & 550. ſolidorum Viennenſium : aliquam tamen partem hujus toparchiæ jam habebant epiſcopi Tricaſtinenſes.

Annus 1272. inſignis eſt hominio, quod Rai-

D mundus de Baucio Arauſicæ princeps epiſcopo noſtro præſtitit, pro caſtro & oppido de Suza, & de Solerio (Solerieu) die 10. Maii, in aula epiſcopali coram canonicis, adſtantibuſque plu-

1274. rimis nobilibus viris. Anno 1274. fidem clientelarem promiſit, & juravit idem Raimundus pro

* Bauſon. caſtro de Buxedone *, profeſſus ſe ſuoſque ſucceſſores teneri juvare epiſcopum *de placito &*

C. X. p. 121. col. 2. *de guerra*, ut legere eſt in ipſo inſtrumento. Eodem anno Lambertus de Montilio dominus Lumbarienſis caſtri in diœceſi Albienſi, & toparcha de Clanſayes pro ſexta tantum parte, ambivit eam ſubjicere Tricaſtinenſis epiſcopi

E clientelæ, cujus ſe hominem eſſe profeſſus eſt die 2. Novembris. Eodem menſe deſinente Bertrandus aggreſſus eſt tranſmarinam peregrinationem, in qua tres aut quatuor annos inſumſit. Quo tempore ſeditioſi homines ſibi ducem conſtituerunt quem Caſtellanum appellavere, & bona poſſeſſioneſque epiſcopi invaſerunt. At Amedeus de Roſſilione Valentinus epiſcopus vi & armis oppugnavit urbem ; qua potitus, ſolo æquavit domum quam in modum arcis munierant & caſtellaniam nuncupabant. Exſilio multavit caſtellanum ſeditioſorum ducem, ſicque ultus injurias coepiſcopo ſuo Bertrando illatas, civiles tumultus ſedavit.

ANNI CHRISTI.

Reverſus a ſacra peregrinatione noſter epiſcopus adfuit XVI. cal. Junii anni 1279. ſynodo 1279. Avenionenſi, ex ipſius actis. Anno 1282. mor- 1282. tuo archidiacono Petro Garino, Bertrandus ejus dignitatem contulit Guntardo de Rupeforti ; quod magnas in capitulo querelas excitavit, quia Guntardus non erat canonicus : ſed adhibito ſequeſtro Geraldo Vaſionenſi epiſcopo pax eſt reſtituta ; Guntarduſque factus eſt archidiaconus, poſt acceptum canonicatum. Anno 1288. Roſtagnus archipræſul Arelatenſis 1288. habuit ſynodum apud Inſulam oppidum comitatus Vindaſcini, ad quam procuratorem miſit Bertrandus magiſtrum S. Falconis eccleſiæ ſuæ canonicum. Obſervandum tamen eſt nomen epiſcopi Tricaſtinenſis in actis ſynodi hujus, ſola prima littera B. indicari ; unde in ancipiti relinquitur, utrum Bertrandus, an Benedictus ejus ſucceſſor deſignetur.

XLV. Benedictus.

Benedictum anno 1288. gregi Tricaſtinenſi datum eſſe paſtorem legimus. Anno ſequenti tranſegit cum Hugone de Turre Vivarienſi præſule pro decimis quibuſdam cis Rhodanum. Hîc vero ſubſiſtendum, quandoquidem non licuit plura de hoc antiſtite reſcire.

XLVI. Guillelmus II.

D'Augustin.

Guillelmus de Albenatio illuſtri genere natus in Septimania, non minus nobis ignotus eſt, cum de ipſo nec initium epiſcopatus habeatur nec finis, etſi per octo circiter annos præfuiſſe legatur.

XLVII. Dragonetus.

Montalban.

Genus hujus epiſcopi præcipuum in Delphinatu locum olim obtinuit, & adhuc floret ; neque enim ab urbe Montalbanenſi fortitus eſt cognomen de Monte-Albano, ſed a nobiliſſima ſua gente. Ineunte vero ſeculo decimo quarto, auſpicatus eſt epiſcopatum, quem produxit uſque ad annum 1326. quo legitur comitatus Guaſbertum Arelatenſem ſuum metropolitanum pergentem ad concilium Avenionenſe habitum apud S. Ruffum an. 1326. 18. Junii, ut videre 1326. eſt in Guaſberto Arelat. Certe in præfatione hujus concilii legimus: *Gasbertus Arelatenſis archiepiſcopus cum venerabilibus in Chriſto patribus Raimundo Vaſionenſi, Dragoneto Tricaſtrino, Othone Carpentoratenſi, &c.*

Hæc idcirco referimus, quia Boyerius dat Dragoneto ſucceſſorem Hugonem quemdam ſaltem anno 1316. Ceterum, de hoc epiſcopo in actis publicis nihil fere occurrit præter hominium ei exhibitum a Raimbaldo Alziari milite Templi & præceptore domus Richarenchiarum * anno 1304. Paulo poſt hic ordo militum * Richerenche. Templi exſtinctus eſt, nimirum in concilio Viennenſi anno 1311.

a Ita Boyerius, qui cum ſit ipſe ordinis S Dominici potuit certior fieri de iis quæ ſpectant ad Gerardum. At Frizonius in Gallia purpurata, Gerardum hunc cognominat *a ſancto Donato*, nihilque de nobili ejus genere dicit, etſi eum doceat Clementis VI. fuiſſe conſanguineum.

XLVIII.

XLVIII. Raimundus I.

ANNI CHRISTI. VENERI.

Raimundus Vehens de Mouſtajols ex monacho & ultimo priore S. Flori, fit ejuſdem eccleſiæ primus epiſcopus, a qua ſede traductus eſt ad Tricaſtinenſem, non ad San-Papulenſem. Certe Antonius Bonal, in hiſtoria manu exarata epiſcoporum Ruthenenſium, aſſerit quemdam Raimundum *de Mouſtejols* hoc circiter tempore fuiſſe epiſcopum Tricaſtinenſem, quem alii volunt non S. Pauli, ſed S. Papuli epiſcopum fuiſſe. Sed laudatus Ant. Bonal vir fide dignus teſtatur a ſe viſas & lectas chartas plurimas, in quibus deſignatur nomine & cognomine. Fuit allectus in cardinalium ſacrum ordinem, a Johanne papa XXII. xv. cal. Januarii anno 1327. De eodem plura in epiſcopis S. Flori.

1327.

DE CARDAILLAC.

XLIX. Guillelmus III.

Jam ſe ſe obtulit occaſio loquendi de clariſſimo Cardaillacorum genere, cum ageremus de Ruthenenſibus epiſcopis, inter quos decimo quarto ſeculo eminebant ſplendore natalium Bertrandus & Johannes de Cardaillaco. Eodem ex genere ortus erat Guillelmus de Cardaillaco, qui primum monachus & abbas fuit ſancti Victoris Maſſilienſis; qua in præfectura celebravit capitulum generale anno 1322. tempore Pentecoſtes, & poſt ſex annos ad eccleſiæ Tricaſtinæ regimen eſt accitus, in locum Raimundi cardinalitia purpura donati (mos enim tunc erat ut qui ex epiſcopis fiebant cardinales, epiſcopatui nuntium remitterent) anno videlicet 1328. At brevi tempore præfuit; quippe vacavit ſedes feria VI. quatuor temporum Adventus anni 1327. & Hugo ſucceſſor Guillelmi electus eſt die 10. Septembris anni 1328. unde ſuperſunt tantum octo menſes, qui poſſint aſſignari Guillelmi hujus epiſcopatui.

1328.

Attamen non diſſimulandum eſt reperiri S. Pauli epiſcopum Guillelmum de Cardaillaco, qui anno 1343. cœmeterium fratrum Minorum Ruthenenſium benedixit. Forte abdicarat an. 1327. aut 28. & nihilominus aliquando quædam epiſcopalia munia exercebat.

Januar.

L. Hugo I.

Hugo, qui aliquando decanus Hugo legitur, ſi fides Tricaſtinenſi nupero ſcriptori adhibenda ſit, alumnus fuit cœnobii ſancti Ruffi prope Avenionem, ubi etiam decanus conſtitutus eſt, unde proprio nomini titulum decani præmittere conſueverat. Certe ex aliqua religioſa familia prodierat; unde in ejus teſtamento, vel teſtamenti codicillo, legitur tabulas teſtamentarias, poſt impetratam licentiam a Johanne papa XXII. ſcripſiſſe. quippe iis qui votis religionis obſtricti erant, cum nihil proprii haberent, etiamſi forent epiſcopi, teſtari non erat integrum, niſi accedente ſummi pontificis facultate. Vero propius autem eſt Hugonem in monaſterio San-Ruffenſi vitam religioſam amplexum eſſe, quia in ſuo teſtamento cavit, ut ad monaſterium S. Ruffi *revertterentur*, quæ ampliſſima quidem eccleſiæ Tricaſtinæ legaverat, ſi epiſcopus aut capitulum ea vendere, A diſtrahere, alienare, impignorare &c. præſumerent.

ANNI CHRISTI

Ex eodem teſtamento liquet Hugonem epiſcopum fuiſſe diu ante annum 1340. jam enim epiſcopus erat quando teſtandi facultatem impetravit a Johanne XXII. qui anno 1334. e vivis exceſſit. Hinc pene mihi conſtat perperam præmitti huic epiſcopo Hugonem quemdam Adhemarum, quem Lud. Anſelmo Boyer placuit ſucceſſorem dare Raimundo Vehens, & præponere decano Hugoni Aimerico. Hallucinationi locum dedit affinitas nominum Adhemari, Aimari, Aimerici.

Hugo Aimericus electus eſt in epiſcopum 10. Septembris anni 1328. Etſi vero diu ſederit, pauca ex ejus geſtis ſuperſunt. Anno 1337. acceſſit ad ſynodum San-Ruffenſem cum metropolitano ſuo Guaſberto Arelatenſi archiepiſcopo. Anno 1340. die 12. Martii ipſe & Hugo Adhemar de Garda, condominus Montilii * Adhemari, paciſcuntur de immunitate mutuo ſibi a veſtigalibus & portoriis concedenda.

1328. 1337. 1340. * Monteli-mar.

Uſque ad pontificatum Hugonis capitulum 38. canonicis conſtiterat, præter quos plurimi in eccleſia miniſtrabant clerici inferiores choro addicti, aut aliquorum ſacellorum cultui. Sed tot alendis non ſufficiebant reditus. Hinc diſciplina regularis in capitulo intepuerat; nam plerique inſtituti canonicorum * Regularium quod amplexi erant immemores, ad paternam domum ſe contulerant victitandi neceſſitate, uti aiebant, compulſi. Ut vero licentiæ diſſolutioniſque occaſio tolleretur, placuit epiſcopo & canonicorum ſapientioribus, Clementi papæ VI. libellum ſupplicem dare, in quo exponebant eccleſiam Tricaſtinam canonicorum numero eſſe oneratam, licet reditus non excederent centum & decem ſalmatas bladi annis ſingulis, quæ communi æſtimatione valere conſueverant centum & decem florenos auri. Quapropter cenſebant ad decem canonicos & tres hebdomadarios reducendum eſſe tantum numerum, modo reductionem hanc ſummus pontifex ſua auctoritate fulcire dignaretur. Annuit Clemens VI. bulla data idibus Octobris pontificatus ſui anno 5. ſeu Chriſti anno 1346. quam exhibet Boyerius. Hoc decretum adhuc obſervatur noſtris temporibus, nec pluribus quam decem canonicis conſtat Tricaſtinenſe capitulum.

1346.

Idem epiſcopus ægre ferens templum cathedrale ornamentis, & ſacra ſuppellectile carere, ob eccleſiæ inopiam, teſtamento legavit viginti argenti marchas ſupra centum, ad fabricandam tabulam argenteam ante altare ponendam & unam minorem tabulam *pro retable*. (Sic legitur in teſtamenti tabulis). Id circo quidquid habebat vaſorum argenteorum ſtatim dedit ſacriſtæ & procuratori eccleſiæ. Addidit munificus epiſcopus alia ornamenta argentea, pelves, thuribulum, urceolos majores, crucem, candelabra &c. hiſque omnibus comparatis eccleſiam

* Scriptor Tricaſtinus docet canonicos Regulares tunc habuiſſe Tricaſtinam eccleſiam. Attamen bulla Clementis VI. pro reductione canonicorum ad numerum decem, nihil dicit de inſtituto S. Auguſtini hac in eccleſia recepto.

ANNI CHRISTI.

suam consecravit die 3. Junii anni 1348. qui ejus vitæ fuit ultimus. A

GUITARD.

LI. GUILLELMUS IV.

Notatur in tabulis Vaticani anno 1349. die 11. Aprilis, factus ex abbate S. Taurini apud Ebroicas, episcopus S. Pauli. Inde vero translatus est ad episcopatum Lexovien sem.

COTI.

LII. JOHANNES I.

1349. Johannes cognomento Coti, anno 1349. die 27. Novembris cathedram conscendit. Et anno sequenti die 11. Martii, nomen ejus præfigitur cuidam capituli instrumento, in quo Raim- B baldus de Arpajone canonicus Tricastinensis procurator capituli, cum duobus aliis collegis, nomine totius capituli nonnulla remisit cujusdam moletrinæ conductoribus. Notatur in aliis
1354. tabulis, annis 1354. 1356. 1359. die 13. Januarii.
1359. Interiit anno. 1361.
1361.

LIII. BERTRANDUS IV.

Boyerius nos docet hunc episcopum esse orum ex genere Bertrandorum apud Delphinates; sicque cognomen ejus tantum habemus, non nomen. Hic jam sedebat anno 1364. quo
1364. Petræ-latæ incolis immunitatem a portoriis C concessit. An. sequenti adfuit synodo apud Aptam habitæ a trium provinciarum Arelatensis, Aquensis, Ebredunensis metropolitanis & episcopis. Hæc de Bertrando Boyerius.

LIV. JACOBUS I.

Jacobus accepit locum Bertrandi an. 1365. die 30 Julii; adfuitque ut episcopus Tricastinensis, concilio Aptensi hujus anni. Sed eodem anno translatus est ad cathedram Vapincensem. Cumque capitulum in electione successoris convenire non potuisset (singuli enim canonici ad episcopatum contendebant) tribus mensibus elapsis, amisso eligendi jure, Urbanus V. D episcopatus administrationem detulit Jacobo, quo quidem jure usus est in venditione cujusdam vineæ facta die 2. Novembris anni 1366. ubi legitur: *Reverendo in Christo patre & D. dom. Jacobo Dei gratia episcopo Vapincensi & administratore episcopatus Tricastinensis præsidente, &c.* Anno 1367. transegit cum urbis civibus de privilegiis municipalibus, quæ olim concessa confirmavit. Paulo post die 18. Octobris Petro Robini presbytero & hebdomadario ecclesiæ Tricastinensis, *qui sigillum & bullam curiæ gubernaverat*, litteras dedit, quibus notum facie- E bat, *quod dictus dominus Petrus reddidit bonum & legale computum, ac legitimam rationem, de prædictis sigilli & bullæ emolumentis.*

DE RAIMONDIS.

LV. RAIMUNDUS II.

Raimundus cui datur cognomen de Raimundis, mortuo Jacobo, eligitur a capitulo in
1368. episcopum. *Anno* MCCCLXVIII. *die* 21. *Februarii domino Raimundo Raimundi episcopo Tricastinensi, Armandus Fabri nomine Laurete uxoris sua confessus fuit se tenere velle, ac predecessores a longo tempore tenuisse in emphytheosim perpetuam & irrevocabilem venerabilis capituli ecclesiæ Tricastinæ, quoddam molendinum situm in territorio Tricastino &c.*

ANNI CHRISTI.

Anno 1371. Raimundus composuit litem de decimis motam inter Guigonem præpositum, ex una parte, & Aimarum Boët archidiaconum, Raimundum Bruni sacristam, Berengarium Alrici præcentorem &c. ex altera. An. 1371.
1374. 1374. die 6. Decembris, decretum fecit contra ipsum Raimundum Bruni sacristam, de oleo ad duas lampades in ecclesia tempore officii tam diurni quam nocturni arsuras suppeditando, & de cereis juxta morem ipsius sumtu, tum ad altare tum in choro accendendis. Obiisse creditur anno 1378.
1378.

ADHEMAR.

LVI. ADEMARUS.

Ademarus, quem aiunt ex Adhemarorum clarissima gente propagatum, inscribitur libro provisionum Vaticani die 10. Decembris anni 1378. Anno sequenti ejus vicarius generalis ipsius nomine dedit in emphytheosim quamdam moletrinam, Michaëli de Nandeis. Notatur ejus mors anno 1385.
1385.

DE MUROL.

LVII. JOHANNES II.

Mortuo Ademaro ad electionem successoris faciendam canonici conveniunt. At cum inter se dissentirent, Clemens VII. pro papa tunc habitus in Provincia, Tricastinensis ecclesiæ administrationem dedit Johanni de Murol episcopo Genevensi. Is ex nobili in Arvernis familia, Johannis domini de Murolio & S. Amandi filius, ex Aleide de Roche-briant, frater Amblardi, ex quo geniti toparchæ de Murolio, episcopatu sub titulo administratoris potiebatur annis 1385. & 1387. Eodem anno creatus est presby- 1387.
ter cardinalis S. Vitalis titulo Vestinæ, a Clemente VII. De capitulo optime meritus est, quod ei donaverit dominium castri & territorii de Solorino *. Ex tab. Rotomag. ecclesiæ ob- * Solerieu.
tinuit præbendam in ea, anno 1387. Mortuus 1387.
sub obedientia Benedicti XIII. tumulo conditur apud Franciscanos Claromontenses, ubi gentis ejus jam erat sepulcretum, uti legimus in ejus testamento.

D'ESTAIN.

LVIII. DEODATUS.

Deodatus de Stagno, de cujus genere [a] perillustri jam dictum in episcopis Ruthenensibus, inter quos sanctitate floruit Franciscus de Stagno vel de Stanno, seculo decimo; cum esset Tricastinensis canonicus, a sodalibus suis electus est in episcopum, die 25. Januarii, anni 1389. statimque muneribus demereri potentio- 1389.
res viros cœpit, quod singularis fuit prudentiæ, quia sævientibus tunc bellis, summo in discrimine se suaque posita conspiciebat. Etiam in exteros se beneficum probavit; etenim dona- 1392.
vit anno 1392. ecclesiæ Ruthenensi domum in Ruthena civitate sitam; sed inter illum & capitulum orta est controversia pro summo jure in Solerinam toparchiam. Eam emerant cano-

[a] Boyerius dicit eum fuisse sextum filium Guillelmi III. baronis de Stagno, ex Ermengardi de Petra *la Peire*; fratremque habuisse Petrum de Stagno archiepiscopum Bituricensem, postea cardinalem.

Digitized by Google

nici a Raimundo de Baucio, acceſſeratque A
ANNI CHRISTI. inſuper donatio a Johanne de Murolio facta. Itaque adierunt Clementem papam VII. ab eo tanquam a ſupremo propter comitatum Vindaſcinum domino jus poſſidendi, quod inveſtituram vocant, poſtulantes. Contra epiſcopus injuriam ſibi inferri conqueſtus eſt; ſupremum enim hujus caſtri & territorii dominium ſibi vindicabat. Ad finiendam vero litem hanc partes conſenſerunt eam permittere judicio rectoris comitatus; at quid ſua ſententia decreverit ignoramus. Porro controverſia hac non-
1398. dum compoſita, an. 1398. corpus ſancti Martini B de Ulmis olim Tricaſtinenſis epiſcopi, tranſlatum fuit in novam eccleſiam conventus fra-
* Ventas. trum Minorum Valriaci *, ut tutum eſſet ab incurſionibus militum Raimundi vicecomitis Turenæ. Is avum habuerat Guillelmum Rogerii fratrem Clementis papæ VI. cujus favore, ac Johannæ reginæ comitiſſæ Provinciæ, immenſas opes & ampliſſimas toparchias compararat. Petro Rogerii, qui filius Guillelmi erat, ad ſummum pontificatum provecto (hic Gregorii XI. nomen geſſit) fuit in ejus familia magna fortunarum & dignitatum acceſſio. Gregorii nepos ex fratre Raimundus Rogerius vicecomes Turenæ C cum Ludovicum Andegavenſem Provinciæ comitem non æque benefícum expertus eſſet, eoque mortuo ab ejus vidua Maria nihil impetrare potuiſſet, adiit Clementem VII. Avenioni ſedentem de injuriis ſibi illatis expoſtulans. A quo frigide exceptus, indixit bellum papæ, ac comiti Provinciæ, accerſitiſque ac coactis latronibus, prædonibus, & aliis ex tota pene Aquitania, Occitania & Provincia flagitioſis hominibus, Provinciam, comitatum Avenionenſem, & finitima loca, in his agrum Tricaſtinenſem, continuis per decem annos populationibus attrivit, ne quidem rebus ſacris parcens. D

Id cauſæ fuit cur Deodatus, ut ab hujuſmodi incurſionibus urbem & territorium tutaretur, *pariagium* faceret cum rege Francorum qui Delphinatu potiebatur, cujus portio eſt pa-
1409. gus Tricaſtinenſis. Itaque anno 1409. unanimi conſenſu canonicorum & civium urbis factum eſt menſe Martio; *Siffredus Tholoni dominus S. Galla, & Ivonus de Arca ballivus Greſivaudani, conſiliarii Delphinales, & commiſſarii pro parte Delphinali, in domo epiſcopali civitatis Tricaſtina coram R. in Chriſto patre D. Deodato de Stagno epiſcopo, præſentibus Berengario Alrici baccalaureo in decretis præpoſito, Thoma Peſenti archidiacono &c. præſentibus etiam hominibus univerſitatis dictæ civitatis &c. præſ. ostenderunt ſuæ commiſſionis litteras, necnon litteras ſerenissimi principis domini Caroli Dei gratia Francorum regis Delphini.* E

Litteræ commiſſionis præferunt nomen Guillelmi de Arca domini Cornilionis cambellani & conſiliarii regii, & gubernatoris Delphinatus, qui Præfatur ſe vidiſſe litteras regias & Delphi-
1408. nales, datas Pariſiis menſe Novembri, an. 1408. continentes ad plenum confirmationem & ratificationem tractatus habiti inter ſe Delphinali nomine ex una parte, & R. in Chriſto patrem D. Deodatum epiſcopum Tricaſtinenſem &c.

Id circò mandat commiſſariis ut publicandi hunc tractatum apud urbem Tricaſtinam ſollici-
ANNI CHRISTI. iti ſint, convocatis epiſcopo, capitulo, & populo. Summa autem pactorum fuit regem Delphinum aſſumi in communionem, pariagium, & ſocietatem de bonis & juribus temporalitatis epiſcopi tam in urbe Tricaſtina, quam in ceteris locis per inſtrumentum deſignatis, quæ ſunt caſtra de S. Reſtituto, de Balmis, de Solorino, omnibus denique ad epiſcopum nomine ſuæ eccleſiæ pertinentibus, excepto Suſæ ſupremo dominio, quod alienare epiſcopo non erat integrum, juxta donationis ejus apices. Inſtrumentum illius pariagii excudi curavimus inter pro-
Ch. XI. p. 121. col. 2. bationes. Circa idem tempus Deodatus caſtrum de Balmis, excepta juriſdictione alta, ut aiunt, quæ jus vitæ & necis tribuit, ex dominio epiſcopatus tranſtulit in nobilem Hectorem de Caylario ſubpræfectum regium Delphinatus, ſalvo hominio ſibi debito, & ſuis ſucceſſoribus epiſcopis Tricaſtinenſibus, a dominis dicti caſtri: ſalva etiam appenſione inſignium cujuſlibet domini epiſcopi Tricaſtin. per unam diem ſupra portam præfati caſtri, nulla habita ratione hujus alienationis; præterea que retinuit jus ſignationis in hujus toparchiæ ſilvis. Inſtrumentum hujus venditionis ratum eſt habitum a Guillelmo de Gardia Arelatenſi archiepiſcopo, a Deodato epiſcopo Tricaſtino, & a capitulo die 1. Aprilis anni 1408. Paulo poſt anno 1409. hic epi- 1408.
ſcopus diem ſuum obiit.

LIX. JOHANNES III.

Johannes epiſcopus S. Pauli recenſetur in actis concilii Piſani an. 1409. editis ſpicileg. 1409.
to. VI. p. 363. inter præſules, qui huic ſynodo per procuratorem adfuerunt, quæ de epiſcopo ſancti Pauli Tricaſtinenſis potius intelligenda quam de Leonenſi in Armorica putamus; quia in ſede Leonenſi alium invenimus epiſcopum an. 1409. ſcilicet Guidonem, qui etiam legatum miſit ad præfatum concilium.

LX. RAIMUNDUS III.

Maiarol.

De hoc epiſcopo jam locuti ſumus in hiſtoria præſulum Caſtrenſium, ubi diximus eum ante pontificatum hunc, Tricaſtinenſem geſſiſſe; quo tamen tempore, non ita certum. Veriſimile eſt ipſum huic dignitati nuntium remiſiſſe aliquot annis, antequam Caſtrenſem conſcenderet cathedram. Teſtatur autem Boyerius ejus nomen inſcriptum eſſe duobus vetuſtis epiſcoporum catalogis. Reliqua de illo requirenda ſunt in epiſcopis Caſtrenſibus.

LXI. HUGO II.

de Theiſiaco.

Hugo de Theiſiaco Sabaudus celeberrimi Johannis de Broniaco, cardinalis & epiſcopi Oſtienſis, qui Johannem XXIII. papam conſecrarat, conſanguineus, ejuſdem pontificis auctoritate cathedram epiſcopalem Tricaſtinorum conſecutus eſt ſub adminiſtratoris perpetui titulo. Cum enim canonici de eligendo epiſcopo diſceptarent, nec potuiſſent in uno ſufficientia convenire ſuffragia, qui tunc pro papa ſe gerebat apud Avenionem Johannes, anno, inquiunt,

Google

ANNI CHRISTI 1411. 1411. præfatum Hugonem promovit ad vacantem hanc eccleſiam. Aliquanto poſt finem impoſuit liti motæ de limitibus agrorum parthenonis de Boſcheto, & S. Reſtituti, inter cognitorem regium & Dalmatiam Hugoniſſam abbatiſſam; curavitque defigi terminales lapides, qui ad hæc tempora viſuntur.

Boyerius docet Hugonem an. 1412. creatum fuiſſe epiſcopum Vaſionenſem, cum jam eſſet adminiſtrator Tricaſtinenſis. At erat, ut mihi videtur, epiſcopus Vaſionenſis, antequam Tricaſtinenſis eccleſiæ adminiſtratio ipſi demandaretur. Cur enim dictus eſt adminiſtrator & non epiſcopus hujus eccleſiæ, niſi quia jam ad epiſcoparum Vaſionenſem promotus fuerat? Non enim licebat duos in titulum epiſcopatus habere; at unum in titulum, alterum in commendam tunc frequentiſſime. Itaque ſi nonniſi an. 1412. Hugo factus ſit epiſcopus Vaſionenſis, vix poſſum credere anno 1411. eccleſiam Tricaſtinenſem adminiſtrandam ipſi commendatam eſſe: niſi forte id a papa factum eſſe conjiciamus, ut ſibi ſemper integrum foret epiſcopatum hunc alteri conferre, aut etiam ejus reditibus potiri. Noſtri Sammarthani aſſerunt Eugenium papam IV. ad Hugonis poſtulationem univiſſe eccleſiam Tricaſtinam cum Vaſionenſi, idque notari in regiſtro hujus papæ fol. 288. Iitius unionis meminiſſe videtur ipſe Hugo, quando in litteris datis die 21. Novembris an. 1425. quibus renuntiavit liti *ſuper poſſeſſorio juriſdictionis loci & territorii de Solorino*, de quo cum capitulo contendebat, ait ſe id facere, *per ſe motus & ſuos in dictis epiſcopatu Vaſionenſi & adminiſtratione ſucceſſores*. Quaſi debuiſſet ad ejus ſucceſſores in epiſcopatu Vaſionenſi, tranſire quoque adminiſtratio Tricaſtina; ſed eam poſt hujus epiſcopi mortem non videmus perſeveraſſe. Boyerius notat unionem hanc tentatam, ſed minime conſummatam fuiſſe. Nunc redeamus ad ſeriem rerum ab Hugone hac in adminiſtratione geſtarum.

1413. Anno 1413. juxta Boyerium incœpit lis, de qua modo dicebamus, inter adminiſtratorem & canonicos pro caſtro de Solorino. An. circiter 1417. Hugo vicarium generalem in diœceſi Tricaſt. conſtituit Raimundum Ebroinum canonicum, & præcentorem ejuſdem eccleſiæ, antequam rediret ad eccleſiam ſuam Vaſionenſem, in qua diœceſi ſedere conſueverat apud Creſtetum oppidum, cum in urbe Vaſionenſi 1423. ædes minime haberet. An. 1423. ejus vicarius generalis comminatus eſt excommunicationem Johanni Cotelerio ſacriſtæ, niſi capitulo quaſdam reſtitueret oblationes. An. 1425. litem diremit inter archiepiſcopum Arelatenſem, & incolas oppidi Saloni pro territoriorum limitibus. Eodem anno, die 18. Januarii ſcripſit teſtamentum, quo fundavit in eccleſia Tricaſtinenſi quinquies ſingulis annis preces, & annua ſacrificia celebranda; ſcilicet die 29. Maii, 29. Septembris, die 1. Novembris, 6. Januarii, & 1434. die 1. Februarii. Anno 1434. die 13. menſis Septembris canonici capitulum generale celebrarunt, in quibus quædam ſtatuta ediderunt, in iis ut quotannis ſimilia comitia per tres haberentur dies. An. 1436. die 15. Aprilis obtinuit ab Eugenio papa IV. breve apoſtolicum ut eccleſiis Tricaſtinenſi & Vaiſonenſi omnia bona ablata reſtituerentur. An. 1443. confirmavit tranſactionem inter capitulum S. Pauli, & collegium S. Nicolai Avenionenſis, pro nonnullis decimis. Anno 1445. efflavit animam in caſtro Creſteti diœceſis Vaſionenſis, ubi adhuc viſitur ejus ſepulcrum.

ANNI CHRISTI 1436. 1443. 1445.

LXII. ROMANETUS.

DE VELH. Canonici Tricaſtinenſes certiores facti de morte Hugonis, ad electionem epiſcopi convenerunt, quam impedivit ambitus & diſſentio. Itaque Eugenius IV. data occaſione, ad hanc ſedem ſub titulo adminiſtratoris promovit anno 1446. Romanetum de Velhieu, nobili genere ortum, protonotarium S. ſedis, qui per triennium præfuit. Anno 1447. die 24. Auguſti 1447. mortuo Johanne Montavin archidiacono, Romanetus vacantem dignitatem contulit Petro de Velhieu, quem Capitulum canonicum prius fecerat. Hoc archidiacono pro vicario generali uſus eſt adminiſtrator. Occubuit Romanetus an. circiter 1450.

1450.

LXIII. STEPHANUS.

GENTIL. Stephanus in ipſo fano ſancti Pauli ex mediocri genere ortus, ab infimo gradu ad ſupremum ſacerdotii faſtigium pervenit ſola virtute duce; fuerat enim puer ſymphoniaſtes, preſbyter beneficiarius, hebdomadarius, tandemque epiſcopus die XI. Maii anni MCCCCL. electione unanimi canonicorum. Statim vero ac ſedem hanc aſcendit, quæ in clero vitia conſpexerat ante ſuam ordinationem, maxime quantum ad officium rite perſolvendum, hæc emendare cœpit.

Anno MCCCCLIII. litigavit cum Gabriele 1453. de Bernes Delphinatus gubernatore, pro caſtro de Balmis, alienationem ipſius factam a Deodato de Stagno epiſcopo reſcindi debere contendens. Sed aliter viſum eſt curiæ Delphinatus, quæ ſententia lata die 16. Februarii anni MCCCCLVIII. declaravit alienationem & infeu- 1458. dationem rite eſſe factas. Quo tempore lis iſta ſub judice pendebat, Stephanus acceſſit Avenionem ad concilium ſub Petro de Fuxo cardinali archiepiſcopo Arelatenſi celebrandum die 3. Decembris anni MCCCCLVI. An. MCCCCLX. 1460. cœpit ædificare ſacellum *ſub titulo Dominæ noſtræ epiſcopalis*, ubi ſepulturam accepit. Anno MCCCCLXV. die 10. Aprilis feria 4. majoris heb- 1465. domadæ, poſt longas preces & jejunia, noctu perrexit ad villam ſancti Reſtituti primi Tricaſtinorum epiſcopi, & poſt ſacra myſteria celebrata, clam cum piis preſbyteris, quos e ſuo clero delegerat, acceſſit ad locum ubi eſſe tumulum ſancti præſulis communis ferebat traditio. Hîc acceptis ligonibus epiſcopus ejuſque ſocii terram effodiunt, parietem quo ſepulcrum cingebatur diruunt, tandemque inveniunt ſacrum corpus. At religio fuit Stephano ſanctas illas reliquias loco movere; nonnulla tamen oſſicula collegit, quæ cultui fidelium poſſet exponere. Anno MCCCCLXIX. ſopivit controverſiam 1469.

ANNI CHRISTI. *Reauville. 1470.

inter Antonium Martel Aquæ-bellæ abbatem & habitatores Regiæ-villæ *, pro decimis & aliis litigiosis. Anno MCCCCLXX. ad Christum migravit pius præsul, sepultusque est in sacello *nostræ Domine episcopalis*, quod ipse construi curaverat, ubi nunc est sacrarium.

21 Laye.

LXIV. IMBERTUS.

Postquam Stephano parentatum est, canonici eligendi episcopi gratia congregantur, sed tandiu inter eos disceptatum est, omnibus videlicet ad episcopatum inhiantibus, ut jus eligendi ad papam devolutum sit. Itaque Paulus II. ecclesiæ viduæ præposuit sub administratoris titulo Imbertum de Laye nobilem Delphinatem, canonicum Biterrensem, protonotarium sanctæ sedis, & juris doctorem. Hic obtinuit centum ducatus aureos a Jacobo Genevés herede nuper defuncti episcopi, qui ab Hugone Genevés præposito repetebat bibliothecam, mitram, pluvialia, vasa argentea, &c. sui patrui, quæ quidem a judicibus electis ipsi adscripta sunt, modo summam pecuniæ supradictam Imberto persolveret. Ejusdem tempore fundata est, sub sancti Michaëlis patrocinio, ecclesia collegiata Petræ-latæ ad littus Rhodani, a Ludovico rege XI. anno MCCCCLXXV.

1475. Anno MCCCCLXXVII. Stephanus Charretier intestatus mortuus est, cujus bona idcirco *jure caduci*, adjudicata sunt administratori; qui ab ipsis abstinuit magno neglectus rerum temporalium exemplo, decem tantummodo florenis contentus. Paulo post Romam profectus, ibi

1479. exhalavit animam anno MCCCCLXXIX. donatus sepulcro in ecclesia sanctæ Mariæ-majoris, seu sanctæ Mariæ de Populo, ubi habet hoc epitaphium: *R. decret. doct. Dom. Imberto de Laye familia Galliæ nobiliss. Biterrensi canonico, apostolicoque protonotario, & episcopatus sancti Pauli de Francia perpetuo administratori, frugi, pio, casto & prudenti, integroque probitate, Christianissimi regis Francia dilect. Dominicus . . . Venet. doctor Patavin. studiorum consuetudine devinctus, socio, atque amico B. M. posuit. Vixit annos* 50. *obiit an. Domini* MCCCCLXXIX.

Aimerat.

LXV. ASTORGIUS.

De Astorgio Aimerico nihil hoc loco dicendum occurrit, nisi quod dissentientibus inter se Tricastinæ ecclesiæ canonicis in electione episcopi, Sixtus IV. eum administratorem constituit. Sed anno vix elapso translatus est ad cathedram Viennensem; unde non mirum, si nulla gestorum ejus memoria ad posteros transierit.

Sirat.

LXVI. JOHANNES IV.

Johannes Sirat, etsi Gallus, Neapoli vitam monasticam amplexus est in asceterio Cartusianorum, ubi pene post emissam professionem procuratoris officio fungi coactus est, ac paulo post prioris & secundi in provincia Lombardiæ visitatoris. Præfuit postea Cartusiensi eremo apud Friburgum in Helvetiis. Inde superiorum jussu præpositus est domui Bellariensi pagi Nivernensis. Biennio elapso prior factus est Ligeti in Turonibus, prope Lochias. Jam per decennium hanc religiosam familiam gubernarat & rexerat, quando electus est in Tricastinensem episcopum, anno circiter MCCCCLXXX. Anno MCCCCLXXXII. ex hac vita excessit. In instrumento electionis Guillelmi Adhemari ejus successoris, dato 23. Maii 1482. legitur: *Pervento ad eorum* (canonicorum) *notitiam, R. in Christo patrem & Dom. Johannem Tricastinensem episcopum viam universæ carnis iis diebus non longe decursis in Francia fuisse ingressum, &c.* Quæ de eo diximus, desumta sunt ex charta capituli generalis celebrati anno 1483. aut ex memorialibus domesticis, quæ D. Johannes le Grantel prior Ligeti suppeditavit.

ANNI CHRISTI. 1480.

1482.

Adhemar.

LXVII. GUILLELMUS V.

Ut canonici certiores facti sunt de Johannis episcopi morte, Hugo Genevés præpositus collegium coëgit, & præmissa brevi oratione de electione facienda, monuit neminem episcopatu digniorem esse Guillelmo Adhemaro suo sodali (erat enim S. Pauli canonicus) cui major pars assensum præbuit. Electionem factam die 23. Maii anni MCCCCLXXXII. confirmavit Sixtus papa IV. Guillelmus, testibus fratribus Sammarthanis, ex illustrissima gente Adhemara procreatus, Giraudo patre barone d'Aps, Montilii Adhemari & Grignani, frater erat Giraudi baronis de Grignan improlis defuncti, & Gaucheri baronis d'Aps, patris Ludovici comitis de Grignano. Provinciæ proregis ultimi, ex antiqua prosapia Adhemarorum: germanos habuit quoque Bertrandum baronem de Marsane, Ludovicum dynastam S. Albani, & Guiorum sedis apostolicæ protonotarium, atque octo sorores. Guillelmus autem commendatarius perpetuus abbatiæ sancti Petri Belli-loci Lemovicensis diœcesis, auspicatus est suum episcopatum a diœcesis lustratione & sedula inspectione, condiditque statuta emendandis morum corruptelis utilissima. Sed postea multis litibus implicatus parum suo gregi profuit. Litigavit cum vicino episcopo Valentino Antonio de Balsac, pro tonsura clericali incaute in aliena diœcesi data; cum civibus Tricastinis, a quibus indebita exigebat; maxime vero cum capitulo suo, quod adeo vexavit, ut ab Alexandro papa VI. bullam ipsum obtinuerit, quo eximebatur ab episcopi jurisdictione, visitatione, correctione. Litteræ pontificiæ datæ leguntur Romæ anno Dominicæ incarnationis MCCCCXCII. idibus Octobris, anno vero I. pontificatus Alexandri. At vero anno sequenti episcopus refigi decretum hoc impetravit, tanquam auctoritati ordinarii & metropolitani exitiosum. Sed partes de nonnullis observandis mutuo convenerunt, quibus nimiæ & arbitrariæ episcopi potestati obices ponebantur, & capituli honori prospiciebatur.

1482.

1492

Hæc forte diffidia impulerunt episcopum ad Jerosolymitanam peregrinationem, an. circiter MDIV. Antequam vero proficisceretur, vicarium generalem instituit Franciscum Guillelmum de Claro-monte, qui postea fuit Valentinus episcopus, Narbonensis & Auxitanus archiepiscopus, deinde cardinalis & sacri collegii decanus. Redux erat ab illo itinere Guillelmus episcopus

1504

ANNI CHRISTI. 1507.

die 23. Martii anni 1507. quo tempore Roma- A netus de Viennois ipſi recognovit nomine Margaritæ de Bernes ſuæ conjugis, de omnibus quæ olim fuerant Gabrielis de Bernes.

In tot concertationibus inter noſtrum epiſcopum & canonicos, ejus erga ipſos caritas minime intepuit; quippe ut Capitulum ditaret, pro uniendis ejus menſæ nonnullis ſacerdotiis, plurimum laboravit, & prioratum ſancti Amandi quo a viginti annis potiebatur, in ſummi pontificis manibus reſignavit.

1516. Anno MDXVI. fama cujuſdam miraculi ad S. Reſtituti ſepulcrum patrati motus pius epiſcopus, hujus ſancti reliquias in decentiorem B locum tranſtulit, propoſuitque inſtituere ad ejus tumulum collegium ſex preſbyterorum, qui horas canonicas perſolverent. An. 1498. facta fuerat alia tranſlatio, ſcilicet ſancti Martini de Ulmis quondam Tricaſtinenſis epiſcopi. Poſt elata ſancti Reſtituti oſſa Guillelmus epiſcopus menſe Julio ejuſdem anni, in morbum incidit, quo monente diſpoſuit domui ſuæ; & quidquid acquiſierat ſui epiſcopatus tempore, ſuæ legavit eccleſiæ. Quæ vero ex patrimonio habebat, teſtamento ſuo reliquit Galcherio fratri ſuo. Poſtea ſacramentis nutritus & munitus, ad Deum migravit. Sepultus eſt in ſacello Dei-paræ vir- C gini in cœlum aſſumtæ dicato.

DE LEVI. LXVIII. ANTONIUS I.

Antonius de Levi ex baronibus de Chateaumorant, Jacobi & Ludovicæ de Tournon ſororis Franciſci cardinalis, filius, primus fuit qui nominatione regis Chriſtianiſſimi vi concordatorum cum Leone papa X. epiſcopatum Tricaſtinenſem conſecutus ſit. At cum idem rex non pateretur novum præſulem ab aula diſcedere, quod ejus opera ad regni negotia uteretur, Claudium de Tournon epiſcopum Vivarienſem conſanguineum ſuum coadjutorem aſſumſit, & D vicarium generalem inſtituit, cujus quaſi provicarius erat Alexander Adhemar archidiaconus. Antonius in aula detentus, maxime poſt captum & cuſtodiæ mancipatum regem (regina enim ejus opera & conſiliis adjuvari poſtulaverat) urbi Tricaſtinæ procuravit quatuor per annum nundinas, & diem mercatus ſingulis heb-
1525. domadis, litteris datis anno 1525. Tranſlatus eſt ad metropolim Ebredunenſem.

DE ARANDIA. LXIX. MICHAEL.

Michaël de Arandia in Delphinatu ex nobili ortus genere deſignatus eſt epiſcopus S. Pauli E
1525. anno 1525. aut 1526. eodem tempore quo Antonius ad Ebredunenſem tranſivit cathedram. Acceſſit poſſeſſionem initurus die Dominica, de-
1526. cima-ſeptima Junii anni 1526. magnaque pompa exceptus eſt. Magnis ſumtibus aſſeruit ſuæ eccleſiæ jus lignationis in ſilvis a Suza dependentibus adverſus Petrum de la Baume Suſæ domi-
1527. num. Anno 1527. adfuit ordinationi Ludovici Peliſſerii Araulicani epiſcopi, die 31. Martii.
1535. Anno 1535. comes de Marca cum ala equitum urbem ſancti Pauli ingreſſus, expilavit; majus templum ſpoliavit, thecas argenteas ſacrarum reliquiarum, vaſa ſacra, ornamenta pretiola, & quidquid ad ſacrum pertinet miniſterium diripuit, ita ut per ſex menſes in eo ceſſaverit divinum officium. Michaël tædio affectus, quod tantis malis occurrere & mederi non poſſet, anno 1539. abdicavit in gratiam ſequentis, cum 1539. Chriſtianiſſimi regis & papæ conſenſu.

ANNI CHRISTI.

LXX. JOHANNES V. DE JOLY.

Johannes de Joly nobili genere in Breſſia natus, patrem habuit Humbertum toparcham de Choin, patruum vero Johannem de Joly Dominicanum conventus Burgi in Breſſia, doctrina celebrem, Ebronenſem epiſcopum ſuffraganeum Ludovici cardinalis de Gorrevodo legati in Sabaudia, & epiſcopi Mauriennæ ac Burgi. Johannes de quo nunc ſumus acturi factus eſt Tricaſtinenſis epiſcopus voluntaria ceſſione Michaëlis, qui fortaſſe intellexerat hoc viro potentiſſimo Tricaſtinenſem eccleſiam difficillimis hiſce temporibus indigere, qui ſuis divitiis poſſet ejus paupertati ſubvenire. Poſſidebat enim Johannes multas toparchias, ipſumque Burgum Breſſiæ caput, fiduciaria emtione a Sabaudiæ regulo. Proſpiciebat ſcilicet luctuoſiſſima illa tempora, quibus jam exorta hæreſis afflatura erat multitudini rebellionem & effrenatam licentiam. Sed antequam tempeſtas hæc prorumperet, aliam ſua prudentia aut avertit, aut ſedavit.

Henricus II. rex qui deperibat Dianam Pictavienſem, ei dederat Valentinenſem ducatum, ſimulque mediam partem dominii & juriſdictionis in urbe ſancti Pauli, & in aliis locis per pariagium de quo jam locuti ſumus expreſſis. Acceſſit igitur primus ſenatus Gratianopolitani apparitor, ut nomine duciſſæ urbem aliaque loca apprehenderet. Interceſſerunt epiſcopus & capitulum per ſuos miniſtros, cauſati videlicet primo initam fuiſſe ſocietatem inter regem & epiſcopum, &c. ea lege, ut partem quæ regi ceſſerat, ipſe non poſſet alienare. 2°. Urbem pagumque Tricaſtinenſem minime eſſe appendicem ducatus Valentinenſis & Dienſis. Iis rationibus victa ceſſit Diana. Sed huic procellæ ſucceſſit alia longe periculoſior. Vide ſupra

Hæreſis Calvini privatis primum in colloquiis inſtillata jam partem Galliæ infecerat. Irrepſerant in urbem Tricaſtinam quidam hujus falſæ doctrinæ præcones, qui poſt multas nocturnas coitiones tandem e tenebris eruperunt, & libellis ad valvas etiam eccleſiæ affixis, doctrinam orthodoxam dicteriis & conviciis proſciderunt. Eo prorupit eorum furor, ut etiam in vigilia natalis Domini anno 1561. effractis ja- 1561
nuis majoris templi, omnes Domini noſtri, ſanctiſſimæ ejus matris, aliorumque ſanctorum imagines dejecerint ac fregerint, aut flammis abſumſerint; nec pepercerunt ſanctorum reliquiis, imo nec ipſi Domini corpori in altari aſſervato; aras everterunt, ſacram diripuerunt ſuppellectilem, in archivum irrumpentes omnia documenta abſtulerunt, & pleraque igni tradiderunt. Effuſi in vicos, plateas, vias, cruces omnes & alia religionis avitæ monumenta diſturbant. Hac procella plerique civium abrepti, & quod magis deflendum, e clero & canonicorum col-

ANNI CHRISTI.

legio plurimi religionem catholicam publice ejurarunt. In tanta rerum perturbatione Johannes episcopus nullis laboribus pepercit, sive ut lapsos erigeret, sive ut adhuc stantes confirmaret. At cum videret perduelles vitæ suæ insidiari, juxta consilium evangelicum cessit. Tunc in ipsius vicarium generalem Melchiorem Tarumas furor heterodoxorum desæviit, quem videlicet in foro immaniter trucidarunt. Qui excepit eum in hac vicaria potestate exercenda Vincentius Reverdit, post oblatum incruentum sacrificium, ad ipsam aram ab iisdem obtruncatus est. Hæc nostro episcopo abstulerunt spem omnem redeundi ad ecclesiam suam. Itaque abdicavit, & regi Christianissimo designavit Thomam Pobel, quem ad hunc episcopatum idoneum judicabat, ac quievit mense Novembri anni 1578. sepultusque est in ecclesia de Perosa, juxta Villarnum in sacello dominorum de Choin.

1578.

Pobel.

LXXI. THOMAS.

Thomas Pobel nobilis & senatorii generis, patrem habuit in senatu Camberiacensi præsidem. Designatus episcopus schedula regia possessionem adiit per procuratorem, cui satis fuit campanile ecclesiæ eminus conspicere; neque enim licebat ingredi ecclesiam aut ædes episcopales, quas impii Calvinistæ diruerant, neque tutum erat in urbem accedere. Itaque Thomas Romam profectus est, continuis precibus a Deo postulans ut pacem ecclesiæ Gallicanæ, ac præsertim Tricastinensi concederet. Sane spes affulsit tranquillitatis; urbs enim in regis potestatem redacta est. Qui metuens ne hic locus perfugium foret hæreticorum, jussit muros, turres, propugnacula quibus muniebantur, everti & exscindi; quod anno 1581. factum esse narrant.

Quæ negotia Thomam episcopum Romæ retinerent ignoramus; at nunquam urbem Tricastinam invisit. Forte a longo tempore de cessione episcopatus cogitabat; quod tandem exsecutus est anno 1585. Vixit adhuc diu post abdicationem, legimusque ipsum consecrationi sancti Francisci Salesii adfuisse anno 1602. Abbas fuit Intermontii, ubi legitur obiisse anno 1608.

1585.

1602.

Gaume.

LXXII. ANTONIUS II.

Antonius Gaume honesto loco natus Richerenciis * (vicus est diœcesis Tricastinensis) ex decano S. Salvatoris de Grignano promovetur ad episcopatum anno 1585. Sed cum non pateret aditus ad urbem & ecclesiam, distulit solemnem suum ingressum usque ad annum 1594. quo summa cum lætitia exceptus est a civibus, qui fere ab annis 40. suum non viderant episcopum. Attamen non fuit illi integrum sedem habere in urbe, quod templum cathedrale majori ex parte esset dirutum, nec supersessent ornamenta, vestesque sacerdotales, ad persolvendum rite divinum officium: & aliunde abesset clerus. Obiit anno 1598. apud Grignanum, ubi humo tectus est in ecclesia collegiata, cujus erat decanus.

* Richemaudi.

1585.

1598.

ANNI CHRISTI.

LXXIII. ANTONIUS III.

Ducaos.

Antonius du Cros eandem patriam habuit ac Gaumeus episcopus, cujus nepos erat ex sorore; quod fortasse movit Henricum Magnum ut eum in locum avunculi episcopum designaret, accedente præterea comitis de Grignan favore & commendatione. Mense Novembri anni 1599. ingressus est urbem & accessit ad ecclesiam suam, cujus miserabilis status ipsi lacrymas elicuit. Templum enim parietinis simile nullum habebat altare integrum; tres tantum tunc erant canonici; ab annis 40. cessaverant in templo divinum officium & sacri verbi prædicatio; unde crassa in plebe ignorantia. Tot malis mederi agressus episcopus, an. 1600. decreto publicato die 18. Augusti revocavit omnes qui aberant presbyteros, jussitque ut ad obeunda sui sacerdotii munia, quisque rediret. At cum recusasset confirmare capituli privilegia, & ad se trahere vellet collationem præbendarum, inde imminere videbatur ingens turbamentum in hac renascente ecclesia. Attamen Deo pacis placuit animos flectere ad concordiam, & die 7. Junii anni 1602. facta est transactio inter episcopum & capitulum. An. 1606. Bolenæ urbis cives accersiverunt fratres Minores Recollectos, quod pium opus approbavit & adjuvit episcopus. Magna laude dignus est hic præsul ob innumeros labores exantlatos tum ad sarta tecta majoris ecclesiæ facienda, tum ad restituendam divini officii celebrationem, tum ad recuperandos episcopatus proventus ab hæreticis occupatos, tum ad restaurandam utcumque disciplinam ecclesiasticam; in quibus adjutorem habuit Raimundum de Croso suum vicarium generalem. Ut pestem in urbe grassantem anno 1629. declinaret, Bolenam se recepit, unde post sex circiter menses Balmam venit, ubi defecit die 24. Februarii anni 1630. Corpus ejus sepultum est in ecclesia sancti Pauli cum hoc brevi epitaphio, quod ipse scripserat: *Antonius du Cros episcopus Tricastinensis 24. Februarii anni* 1630. *reddidit Deo & naturæ. Simplicia acta composita, grata sunt Deo.* Testamenti sui tabulis multa pie constituit; in his ut suus heres singulis annis in perpetuum 24. pauperes vestiret.

1599.

1602.

1606.

1629.

1630.

Adhemar.

LXXIV. FRANCISCUS.

Franciscus Adhemar de Monteil de Grignan ex clarissima, vetustissimaque Adhemarorum stirpe, Ludovico-Francisco comite de Grignan & d'Aps & Johanna d'Ancezune parentibus ortus, Guillelmo Adhemaro Tricastino episcopo seculo XV. labente, consanguinitate junctus erat; etenim proaviam habuit neptem illius Blancam Adhemaram, baronam d'Entrecasteaux, matrem Gasparis comitis de Grignano, antistitis nostri abavi. Is ex abbate Aquæ-bellæ nominatus a Ludovico XIII. episcopus Tricastinensis anno 1630. inauguratur 1631. Septembris 14. in collegiata D. Salvatoris apud Grignianum basilica, per Johannem Jaubertum de Barraut archiepiscopum Arela-

1631.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI. tenſem, Carolum-Jacobum de Gelas de Leberon Valentinenſem, & Ludovicum de la Baume Vivarienſem epiſcopos, advocatis ad celebritatem pleriſque Provinciæ nobilibus. Poſtea interfuit conventui generali cleri Gallicani
1635. apud Pariſios anno 1635. Anno 1639. obtinuit ſenatus-conſultum adverſus Calvini ſectarios, qui inſolenter agebant erga ſanctiſſimum ſacramentum, detrectabantque parietes domorum ſuarum ornare tapetiis, dum in feſto dicto *Corporis Chriſti* deferretur per vicos. Sub hoc præſule recruduit inter epiſcopum & canonicos jurgium de juriſdictione in clericos & alios a capitulo pendentes, cui ablatum eſt jus omne, & vindicatum eſt aſſertumque ſoli epiſcopo.
1643. Anno 1643. Ludovicus XIII. rex eum deſignavit coadjutorem Johannis Jaubert Arelatenſis archiepiſcopi.

ADHEMAR.

LXXV. JACOBUS II.

Jacobus Adhemar de Monteil de Grignan frater Franciſci, de quo ſupra, poſt ipſius translationem ad metropolim Arelatenſem, deſignatur a rege Chriſtianiſſimo epiſcopus ſancti Pauli ex ſyndico ſeu procuratore generali cleri Gallicani. Sed eodem rege Ludovico XIII. e vivis ſublato, antequam Jacobus Romano plumbo confirmatus eſſet, Anna regina vidua regni moderatrix pro Ludovico XIV. rege impubere, regis conjugis nominationem ſua corroboravit. Lugduni conſecratus eſt ab ipſomet fratre Franciſco Arelatenſi archipræſule ſuo metropolita-
1645. no, anno 1645. in interiore ſacello Cartuſiæ Lugdunenſis, aſſiſtentibus Ludovico Dony d'Attichy Rejenſi, & Nicolao de Grillé Uceticenſi epiſcopis; cum quibus perrexit Lutetiam Pariſiorum ad comitia generalia ejuſdem cleri, quibus adfuit, & coram regia majeſtate pluries cum laude e ſacro ſuggeſtu concionatus eſt. Iterum autem delegatur ad ſequentia comitia anni 1650. Auctor fuit reſtituendi urbis mœnia, quæ ob metum Calviniſtarum deſtructa fuerant. Palatii etiam epiſcopalis conſtructionem aggreſſus eſt, quam non potuit abſolvere, tranſlatus ut coadjutor ad ſedem Uceticenſem anno 1657. die 22. Maii a rege deſignatus.

RUFFIER.

LXXVI. CLAUDIUS.

*Provins. Claudius Ruffier Pruvini * natus ex honeſtis parentibus, adoleſcens vitam amplexus eſt monaſticam in Caroli-locenſi ordinis Ciſtercienſis monaſterio diœceſis Silvanectenſis; Pariſiis operam navavit ſacris litteris, tanto profectu, ut doctoris lauream conſecutus ſit. Nec minus in virtutis ſtudio proficere viſus; quod perſuaſit abbati generali Ciſtercienſi, eximium hunc virum inſtituere ſuum vicarium generalem in Septimania & Provincia. Hoc munere defunctus eſt Claudius ſumma cum prudentia; cujus quoque teſtis fuit ejus avunculus Nicolaus Grillé Uceticnſis epiſcopus. Quapropter eum ſibi in vicarium generalem aſſumſit. Poſt conſumtos annos 20. in hac obeunda provincia, quæ vitæ paſtoralis tyrocinium fuit, ejus fama non latuit regem. Itaque Jacobo facto Uceticæ coadjutore, deſignavit Claudium, qui ipſi in Tricaſtina ſede ſubrogatur anno 1657. die 31. Maii. Conſecrationem epiſcopalem accepit Uceticæ ab avunculo ſuo Nicolao de Grillé ejuſdem urbis epiſcopo, cui adſtiterunt Joſephus* Maria Suarez Vaſionenſis epiſcopus, & Jacobus Adhemar de Grignan coadjutor Uceticnſis, die 12. Februarii anni 1659. Rerum ab eo geſtarum compendium & quod ſpectat ad ejus mortem continet ejus epitaphium, æreæ tabulæ inſculptum in eccleſia majori ubi jacet affixum:

ANNI CHRISTI. 1657. * al. Hector Louvet Nemauſenſis epiſc. 1659.

DEO. OPT. MAX.

Siſte gradum viator & lege. Hic jacet Claudius Ruffier Pruvinenſis, ordinis Ciſtercienſis religioſus, facultatis Pariſienſis doctor, epiſcopus Tricaſtinenſis & comes; vere magnus, ſi pietatem, caritatem, integritatem ſpectes. Aſſiduus diœceſi, ubi totus ſine vicario generali animarum ſaluti vacabat. Pœnitentiæ tribunali adſtabat frequens. Docuit & fecit. Epiſcopalia jura reſtitui curavit. Palatii epiſcopalis inchoatam reſtaurationem ſuis ſumtibus perfecit. Strictioris Obſervantiæ fratres Dominicanos in hanc vocavit urbem. Pauperum domum quoad potuit, ditavit. Huic eccleſiæ largitus eſt munera, proque anima ſaluste miſſas fundavit. Tandem cum ſacroſanctum miſſæ ſacrificium celebraret, gravi correptus morbo, obiit 16. menſis Martii 1674. Orate pro eo. 1674.

In exſequiis ejus rogante capitulo celebravit Alexander Fabre Arauſicanus epiſcopus. Nullus orationem dixit funebrem; (interdixerat enim) ſed ipſum in æternum laudabunt ejus opera. Opinionem ſanctitatis in qua mortuus eſt auxit, quod poſt annos 15. inventum ſit corpus ejus integrum.

D'AQUIN.

LXXVII. LUCAS.

Lucas d'Aquin, de cujus genere jam locuti ſumus in Forojulienſibus epiſcopis, deſignatus eſt ſchedula regia ad vacantem Claudii morte ſedem an. 1674. quo in poſſeſſionem eſt admiſſus, præſtito, ex more, clientelæ ſacramento. 1674.
Ejus epiſcopatus exordium eccleſiæ fuit perutile; nam obtinuit a Chriſtianiſſimo rege, ut ad conſulatum urbis nullus pateret aditus hæreſis Calvinianæ ſectatoribus. Regium ea de re præceptum datum eſt die 7. Septembris ejuſdem anni 1674. Anno ſequenti adfuit comitiis totius cleri Gallicani in caſtro ſancti Germani congregatis. Anno 1680. migravit ad cathedram Forojulienſem.

AUBE DE ROQUEMARTINE. * Albe.

LXXVIII. LUDOVICUS.

Ludovicus Aube* de Roquemartine an. 1630. die 9. Decembris natus eſt Andrea marchione de Roquemartine & Maria de Tinelis de Caſtelet parentibus. Primum præpoſitus fuit eccleſiæ metropolitanæ Arelatenſis; anno vero 1677. poſt nominationem regiam, & bullas pontificias acceptas conſecratus eſt epiſcopus Graſſenſis die 17. * Januarii in Arelatenſi ſancti Trophimi * al. 19. eccleſia a Johanne-Baptiſta Adhemar de Monteil de Grignan coadjutore Arelatenſi, cui adſtiterunt Johannes-Baptiſta de Sade de Maſan Cavellicenſis

ANNI CHRISTI. 1680.

Cavellicenſis, & Ludovicus Alfonſus Suarez Vaſionenſis epiſcopus. Inde vero transfertur ad eccleſiam ſancti Pauli anno 1680. Capitulum audita ipſius nominatione ipſum inſtituit vicarium generalem, qui Lutetiam profectus, ut regi fidem clientelarem profiteretur, an. 1681. adfuit inaugurationi Ludovici Marcelli de Coëtlogon in epiſcopum Briocenſem. Eodem anno exceptus eſt in ſua urbe cum magna or-
1682. dinum omnium gratulatione. An. 1682. die 18. Octob. conſecravit eccleſiam Dominicanorum. Paulo poſt ſynagogam Calviniſtarum (Templum vocant) deſtrui curavit, cujus campana poſt ſolemnem benedictionem in eccleſiæ campanili collocatur. Ejuſdem eccleſiæ reparandæ & ornandæ operam dedit; ſanctuarium jaſpide, chorum marmore ſtravit; ſtalla ſeu ſedilia chori auro decoravit; porticus, ſacella, totum denique templum exquiſitis picturæ ac ſculpturæ operibus exornavit. Præcipuam vero ſollicitudinem adhibuit ad morum emendationem, præſertim in clero procurandam, quod præſtitit publicando ſtatuta ſynodalia. In eccleſia quoque ſua inſtituit canonicum Theologum, ad clericos & alios erudien-
1685. dos. Anno 1685. adfuit cœtui totius cleri Gallicani, poſt quem rediens ad eccleſiam ſuam, aſſiduus fuit in gregis ſui cuſtodia, & in aliis epiſcopalibus officiis, maxime vero in caritatis operibus tum ſpiritualibus, tum corporalibus, intelligens ſuper egenos & pauperes, ità in eorum ſinu abſcondit eleemoſynas ſuas, ut eas ipſe pene neſciret. Obiit hoc anno 1714. menſe Martio, ætate & quadrageſimali pœnitentia attritus.

ANNI CHRISTI.

LXXXIX. JOSEPHUS.

Joſephus Maurel de Chaffaut in ſenatu Provinciæ conſiliarius & vicarius generalis Aqui-Sextienſis archiepiſcopi, deſignatur epiſcopus Tricaſtinenſis die 1. Aprilis. Conſecratur in eccleſia Aqui-Sextienſi ab archiepiſcopo, aſſiſtentibus Tolonenſi & Maſſilienſi epiſcopis, die 26. Auguſti anni 1714. Die 28. Septembris ſacramentum regi præſtitit in ſacello regii palatii apud Fontem-bellaqueum.

Ignoramus quo loco ſit reponendus quidam Rigaldus epiſcopus civitatis Tricaſtinæ, qui dedit S. Fidi (Conchenſi) eccleſiam S. Mariæ in loco qui dicitur *Gavilans*, regnante Domino Jeſu Chriſto.

TRICASTINENSES PRÆPOSITI.

QUi prioribus eccleſiæ ſeculis capitulo ſeu collegio Tricaſtinenſium clericorum præfuerint, non invenimus. Ineunte ſeculo XIII. decani primum locum videntur obtinuiſſe, ſed brevi tempore, nam ab anno 1217. nullos niſi præpoſitos deprehendimus.

I. N. Riperius decanus anno 1203.

II. Hugo Florentius decanus anno 1217.

III. Lambertus præpoſitus, anno 1224. Ceteri ſunt præpoſiti.

IV. Petrus I. Chabert anno 1241.

V. Bertrandus de Clanſayes 1251. poſtea epiſcopus.

VI. Guillelmus I. Adhemar de Monteil 1259.

VII. Petrus II. de Lavanto 1273.

VIII. Petrus III. de Clanſayes 1279.

IX. Petrus IV. anno 1321.

X. Bernardus de Caſa præpoſitus erat Tricaſtinenſis anno 1348. quo Petrus de Caſa patriarcha Jeroſolymitanus & adminiſtrator Vaſionenſis ſuo teſtamento condito die 1. Julii inſtituit eum exſecutorem ſui teſtamenti. Vide in epiſcopis Vaſion. iſtud teſtamentum.

XI. Guido de la Tremoliere 1371.

XII. Berengarius d'Alrie 1395. 1406.

XIII. Hugo Genevés 1471.

XIV. Jacobus de Robertet juris doctor, ſenator in ſuprema curia Delphinatus 1486. 1491.

XV. Petrus V. Audigier 1498.

XVI. Matthæus de Moreton 1540.

XVII. Guillelmus II. de Moreton 1557.

XVIII. Franciſcus I. de Roquart 1565. 1568.

XIX. Claudius I. Siffredy protonotarius S. ſedis 1595.

XX. Claudius II. Marcel 1602.

XXI. Andreas Gaud anno 1640.

XXII. Claudius III. Marcel 1650.

XXIII. Johannes-Baptiſta Pelegrin de Tondati de Monſerin.

XXIV. Petrus VI. Pelegrin de Tondati de S. Leger 1662.

XXV. Melchior-Joſeph de Tondati de S. Leger 1682.

XXVI. Franciſcus II. de Tulles 1694.

XXVII. Petrus VII. Firminus doctor aggregatus univerſitatis Avenionenſis anno 1709.

VETERA MONASTERIA DIOECESIS TRICASTINENSIS.

ANtiquius occurrit in Provincia ad Rhodanum, inter monticulum Adhemari & urbem Tricaſtinam nomine *Duſera*, quod monaſterium in pago Tricaſtino ſub annum 680. conditum a ſancto Lamberto archiepiſcopo Lugdunenſi, ſubditumque eſt Fontanellæ, ut legitur in vita ſancti Anſberti, ſec. II. Benedictino. Nempe Theodericus rex prædium hoc dederat Fontanellenſibus, eo pacto ut inde Fontanella oleum ad eccleſiæ luminaria reciperet. Monaſterium hoc in Saracenorum procella dicitur funditus everſum; attamen in recenſione monaſteriorum facta anno 817. ſub Ludovico Pio, in concilio Aquis-granenſi, numeratur inter ea quæ nec dona nec militiam donare debent, ſed orationes ſolas. Si quæ alia fuerint antiqua cœnobia, eorum memoria minime ad nos pervenit.

Duodecimo ſeculo conditur Aqua-bella ordinis Ciſtercienſis, & eodem pene tempore aliud feminarum nomine Boſchetum. De utroque ſigillatim dicendum.

Aqua-bella.

AQUA-BELLA, *ſeu* VALLIS-HONESTA.

AQua-bella monaſterium ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Tricaſtina, a qua urbe duabus diſtat leucis, ſitum eſt non longe a vico dicto *Valaurie*. Ejus primordia diſcimus ex veteriſſima inſcriptione lapidi in clauſtro inciſa ab annis circiter quingentis hoc modo: *vj. cal. Julii anno ab incarnatione Domini* MCXXXVII. *dedit Guntardus Lupi dominus Rocha-fortis locum iſtum abbatiæ Morimundi ad abbatiam ibidem conſtruendam in honorem B. Mariæ.* Ad aſceterium illud condendum anno 1137. Otho abbas Morimundi opem tulit, ex manuſcripto codice viri clariſſ. Henrici Suarez. Seriem autem abbatum perfectam hic dare non poſſumus, cum chartas quæ apud dominos de Grignan aſſervari dicuntur, inſpicere nobis non licuerit. Sequentes ex diverſis inſtrumentis collegimus.

SERIES ABBATUM.

Tab. Piperac.

I Albericus Aquæ-bellæ abbas inter domum Aquæ-bellenſem, atque Piperacenſem ſocietatem confirmavit anno ab incarnat. 1165. indict. XIII. epacta XVII. Idem 1190. memoratur in charta Leoncellæ.

II. Elſiardus abbas Aquæ-bellæ cum Petro abbate Leoncellæ, qui præerat anno 1202.

III. Guillelmus I. de Grignan 1238. ex hiſt. S. Pauli, pag. 89. diſceptat pro ſepulturis cum eccleſia Tricaſtinenſi.

IV. Raimundus I. abbas Aquæ-bellæ fit abbas Silvaneſii anno IV. Innocentii papæ IV. hoc eſt anno 1246. Vide in abbatibus Silvaneſii.

V. Giraldus de Gaugat an. 1249. componit diſſidium inter Laurentium Tricaſtinenſem epiſc. & incolas conſuleſque oppidi de Viſano.

VI. Pontius I. abbas Aquæ-bellæ frater Mauricii præpoſiti Anicienſis eccleſiæ, & domini caſtrorum ſancti Boniti & Novæ-cellæ, ſubſcribit teſtamento nuncupativo dicti præpoſiti fratris ſui an. 1270. die Veneris poſt feſtum omnium Sanctorum. Idem Pontius an. 1279. memoratur interfuitque tranſlationi reliquiarum S. Magdalenæ 1281.

VII. Stephanus I. Chaudelas hominium præſtat Raimundo de Baucio 1304.

VIII. Guillelmus II. ex delegatione ſibi a Jacobo abbate Fontis-frigidi commiſſa, viſitat abbatiam de Populeto, cujus & abbatem electum Pontium ex abbate de Benifacatio confirmat, feria 5. poſt Pentecoſten an. 1316. ex tab. Fontis-frigidi. Idem procul dubio Guillelmus eſt, qui ex abbate Vallis-ſanctæ abbas Aquæbellæ bulla Johannis papæ XXII. inſtitutus legitur in commentariis domini Henrici Suarez. Anno 1319. præſens memoratur in tranſactione capituli Claromontenſis cum conventu Fenerienſi, ex arch. cathedr. Claromont. Moritur anno 8. Johannis papæ XXII. hoc eſt an. 1323. ex actis pontificii Avenion.

IX. Stephanus II. abbas Aquæ-bellæ concordiam fecit cum Stephano abbate Manſiadæ anno MCCCXLIV. indict. XII.

X. Raimundus II. ad annum 4. Innocentii papæ VI. quo reſignat.

XI. Guillelmus III. ex abbate Silvaneſii fit abbas Aquæ-bellæ bulla Innocentii papæ VI. pontific. anno 4. data; ex act. pontif. Avenion.

XII. Pontius II. de S. Bonet 1380. in veteri inſtrumento Bonarum-vallium.

XIII. Raimundus III. Aſtier 1399.

XIV. Joſcerandus de Villas 1437.

XV. Antonius Martel 1469. quo an. Stephanus Genevés Tricaſt. epiſcopus ſopit litem inter ipſum & habitatores Regiæ-villæ, pro decimis.

XVI. Ludovicus de Groſſée 1498. memoratur in tranſlatione ſancti Martini de Ulmis epiſcopi Tricaſtin. tempore Guillelmi Adhemar. Idem adhuc anno 1501.

XVII. Adrianus de Bazemon 1575. 1592.

XVIII. Stephanus III. Adam de Sompi jacet in eccleſia cum hoc epitaphio:

Hic jacet venerabilis vir dominus Stephanus Adam de Sompi quondam abbas Aquæ-bellæ, necnon præpoſitus eccleſiæ collegiatæ de Apibus, qui obiit Grignani die ſexta menſis Octobris an. 1607.

XIX. Marcus de la Salle ſimul decanus S. Salvatoris de Grignano, litigat cum Antonio du Cros epiſcopo Tricaſtino.

XX. Franciſcus Adhemar de Monteil de Grignan epiſcopus Tricaſtinenſis, deinde archiepiſcopus Arelatenſis, an. 1630.

XXI. Angelus Adhemar ſuperioris nepos & coadjutor, frater vero ſequentis, abbas fuit Aquæ-bellæ, inquit D. du Fourny in catalogo equitum torquat. obiitque ætatis ſuæ an. 26.

XXII. Joh. Bapt. Adhemar de Monteil de Grignan præcedentis frater, archiepiſcopus Arelatenſis ex coadjutore, præerat annis 1670. & 1680.

XXIII. Jacobus du Sauſſay ab eleemoſynis A ducisſæ Carnotenſis, & abbas Exoldunenſis, nominatur 24. Decembris anni 1697. Obiit 1700.

XXIV. Franciſcus II. le Tellier epiſcopus Dignienſis, renunciatur abbas die 14. Auguſti anni 1700. Vita fungitur 1708.

XXV. Godefridus Mauricius de Conflant major vicarius & archidiaconus Sueſſionenſis, nominatur 8. die Aprilis 1708.

Boſchet.

BOSCHETUM.

BOſchetum ordinis Ciſtercienſis parthenon, B ſub abbate Aquæ-bellæ in ſylva non longe ab oppido S. Reſtituti olim viſebatur, ubi nunc eſt vicus & eccleſia parochialis, poſtquam Calviniſtæ locum ſacrum deſtruxerunt. Ejus Fundatio videtur tribuenda Raimundo de Baucio principi Arauſicano, qui dedit cœnobio caſtrum d'Eſtagnol non longe a Suſa dicta Rufa.

Duas duntaxat hujus monaſterii novimus abbatiſſas.

I. Faidita filia Raimundi de Baucio principis Arauſicani præerat anno 1238. quo ejus pater multa contulit; ſcilicet ea quæ ſupra memoravimus.

II. Dalmatia Hugoneſſa circa annum 1411. quo Hugo de Theſiaco epiſcopus Tricaſtinenſis compoſuit controverſiam ortam propter limites inter toparchiam S. Reſtituti & agros abbatiæ de Boſcheto.

ECCLESIA TELONENSIS.

TELO-MARTIUS antiquus maris mediterranei portus, & urbs nunc celeberrima, ſeptem circiter leucis diſtat a Maſſilia, quam Maſſilienſium opus eſſe haud temere nonnulli conjiciunt ibique conſtitutum Telonium, ubi publicani τελῶναι a mercatoribus portoria & tributa nomine reipublicæ Maſſilienſis exigebant. Aut certe huic Maſſilienſium coloniæ nomen dedit quidam civis Maſſilienſis, dictus *Telo*, deducendæ coloniæ auctor. Sane hoc nomen apud Maſſilienſes peregrinum non fuiſſe diſcimus ex Lucano, qui deſcribens pugnam navalem Maſſilienſium cum Cæſarianis, Telonis cujuſdam gubernatoris navis meminit. Errant tamen qui putant *Taurenta* caſtellum Maſſilienſium l. 1. de bello civili apud Cæſarem commemoratum, eſſe Telonem-Martium; quæ eſt Sanſonis Abbavillani ſententia; utrumque enim diſtinguit Æticus in itinerario portuum, ubi legitur: *A Pompeianis Telone-Martio portus M. P. xviij. A Telone-Martio Taurento portus M. P. xij. A Taurento Carſicis portus M. P. xij.* In notitia imperii legimus: *Procurator baphii Telonenſis Galliarum.* Baphium vox Græca ſignificat vel locum ubi tingitur purpura, vel genus purpuræ. Unde autumamus vel apud Telonem fuiſſe frequentes officinas infectorum, qui purpuram fucabant & tingebant, vel hanc urbem fuiſſe famoſum emporium pannorum purpureorum. A Telone corrupte factum eſt Tolo, Molonium, Gallice *Toulon*. Apud Gregorium Magnum ſcribentem Mennæ epiſcopo hujus urbis legitur *Telona* vel *Telone* in epiſtolæ inſcriptione, de qua infra differendum erit. Itaque Telo eſt urbs celebris & antiqua provinciæ Gallicæ, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Arelatenſi, intra fines parlamenti Aqui-Sextienſis. Portus Telonis ampliſſimus & commodus excipiendis & tutandis adverſus ventorum vim triremibus, movit Ludovicum Magnum ut conſtitueret ea in urbe rerum nauticarum præfecturam, ubi armamentarium, officinæ ad tormentorum bellicorum fuſuram, ad rudentum, velorumque fabricam, ſcholæ ad edocendos in arte nautica nobiles tyrones, ſpectantibus admirationem extorquent. Ager feraciſſimus eſt vini, olearum, malorum aureorum & citreorum, ficuum, &c.

l. ij. ep. 58.

Ut de ſtatu eccleſiaſtico Telonis jam dicamus, in capitulo Telonenſi primas tenet præpoſitus, ſecundus locus archidiacono debetur. Præter has duas dignitates, duo ſunt perſonatus, ſacriſtæ, & capiſcholi, octo canonici, decem clerici dicti *beneficiati*, duo vicarii, & totidem capellani. Tres ſunt eccleſiæ collegiatæ in diœceſi, apud Olbiam*, Coreas*, Sex-furnos*. Viginti-tres numerantur eccleſiæ parochiales. In urbe ſunt preſbyteri Oratorii, qui gymnaſium moderantur, Jeſuitæ, Dominicani, anno 1303. admiſſi; fratres Minores Capucini, anno 1588. Minimi 1609. Carmelitæ diſcalceati & Auguſtiniani quoque excalceati, fratres Minores Recollecti, religioſi de Mercede redimendorum Captivorum cauſa inſtituti, moniales Ciſtercienſes ſeu S. Bernardi, Urſulinæ, & aliæ a Viſitatione Dei-paræ Virginis nomen ſortitæ; ſorores Pœnitentes ſub ſanctæ Magdalenæ patrocinio; pœnitentium laïcorum plurima ſodalitia; duo xenodochia. Apud Olbiam, *al.* caſtrum Arearum, ſunt preſbyteri Oratorii, fratres Minores antiquioris Obſervantiæ, & Recollecti; moniales S. Claræ. De Almanara abbatia ſeorſim dicemus. In caſtro de Coreis (*Cuers*) ſunt Recollecti, moniales ſancti Bernardi, & Urſulinæ. Apud Cameolam (*Camoulles*) fratres Minores de Obſervantia. Bormæ Minimi habitant ab anno 1654. Soleriis (*Solliers*) Capucini. In caſtro de Valle (*la Vallete*) Minimi. In caſtro de Oliulis (*Olioules*) Minores de Obſervantia, preſbyteri Oratorii, moniales ſanctæ Claræ dictæ Urbaniſtæ, & Urſulinæ. In loco nuncupato *la Seine*, ſunt Capucini. Denique apud Vernam (*la Vergne*) bonum odorem ſpirant Carthuſiani.

* Hieres. * Cuers. * Six-fours.

H. Bouche docet cathedralem Telonenſem eccleſiam fuiſſe conſtructam & conſecratam ſub patrocinio ſancti Stephani; alibi lego patronam eſſe B. Virginem Dei-param, cum S. Cypriano. In hac majori eccleſia eſt altare parochiale, quod forte titulum gerit ſancti Stephani, reliquo tem-

plo habente patronam beatiſſimam Virginem Dei matrem, cum ſancto Cypriano epiſcopo de quo mox agemus.

Sammarthani fratres in Gallia Chriſtiana compendioſam Telonenſium præſulum ediderunt hiſtoriam, adjuti potiſſimum veteri martyrologio ſeu necrologio manu exarato, & aliis documentis. Eodem uſus eſt manuſcripto codice, qui ad calcem officii ſancti Cypriani epiſcopi Telonenſis vulgavit * catalogum præſulum ejuſdem eccleſiæ in multis mancum. His adjecimus ſecundas curas noſtras, & damus longe auctiorem & accuratiorem.

* an. 1618.

EPISCOPI TELONENSES.

I. Honoratus.

ANNI CHRISTI.

Primus qui legatur eccleſiam Telonenſem rexiſſe eſt Honoratus, cujus nomen occurrit in epiſtola ſynodica ſancti Leonis papæ ad
451. epiſcopos Galliæ ſcripta anno CCCCLI. ex antiquo Savaronis codice.

II. S. Gratianus.

Evaricus Wiſigothorum rex, qui in Gallia Narbonenſi imperabat, cum eſſet Arianus, & ſuam hæreſim in Gallia propagare cuperet, ſæviit in Catholicos, maxime in epiſcopos. Tunc ſanctus Gratianus qui Telonenſem cathedram
471. obtinebat, martyr occubuit circa an. CCCCLXXII. ex doctiſſimo Anthelmo de initiis Forojulienſis eccleſiæ, p. 148.

III. S. Cyprianus.

S. Cyprianus Telonenſis eccleſiæ alter patronus, ſancti Cæſarii Arelatenſis epiſcopi diſcipulus & vitæ ſcriptor, ſub tanto magiſtro artem artium regimen animarum didicit, & ad Telonenſem aſſumtus eſt ſedem. Concilio adfuit
524. Arelatenſi IV. anno DXXIV. Carpentoratenſi
527. anni DXXVII. ſubſcripſit, ac epiſtolæ ſynodicæ ad Agræcium Antipolitanum epiſcopum. Convenit ad ſynodum Vaſenſem III. anno
529. DXXIX. Arauſicanæ II. anni ejuſdem interfuit, necnon Valentinæ antiſtitum ultra Iſaram, ad quam miſſus eſt a ſancto Cæſario, uti legitur in
l. 1. n. 35. ipſius vita: *Antiſtites Chriſti ultra Iſaram conſiſtentes, caritatis amore collecti, in Valentina civitate conveniunt; ubi etiam B. Cæſarius infirmitatis ſolita cauſa, ſicut diſpoſuerat, properare non potuit. Miſit tamen præſtantiſſimos viros de epiſcopis, cum presbyteris & diaconibus, inter quos etiam ſanctus Cyprianus Telonenſis magnus & clarus enituit. Omnia quæ dicebat de divinis utique ſcripturis affirmans, & de antiquiſſimis patrum inſtitutionibus probans, nihil per ſe in divinis profectibus quemquam arripere poſſe, niſi fuerit primitus Dei gratia præveniente vocatus.*

Poſt devictos Gothos Arianos, ſub quorum jugo diu gemuerant eccleſiæ Galliarum ultra Ligerim, Cyprianus ſenex perrexit ad ſynodum
541. Aurelianenſem IV. anno DXLI. Obierat anno
549. DXLIX. quo Palladium Telonenſem epiſcopum fuiſſe conſtat. Vitam ſancti Cæſarii partim a ſancto Cypriano ſcriptam, edidit Mabillonius
p. 639. ſec. I. Benedictino, & quidem emendatiorem. Nec mirum videbitur ſi libro I. numero 35. laudetur ipſe Cyprianus epiſcopus; etenim liber hic non ſolum a Cypriano, ſed etiam a Firmino & Viventio dictatus legitur; qui duo proculdubio abſolverunt hunc librum, in cujus fine occurrit Cypriani Telonenſis epiſcopi elogium.

ANNI CHRISTI.

IV. Palladius.

Palladium epiſcopum Telonenſem produnt acta concilii Aurelianenſis V. habiti an. 549. 549.
Cum autem non poſſet Arelatem proficiſci ad ſynodum quintam ibi celebratam an. 554. miſit Severum preſbyterum, qui ſuo nomine interceſſet ac ſubſcriberet. 554.

V. Desiderius I.

Nomen hujus præſulis exhibent acta concilii IV. Pariſienſis an. 573. in ſubſcriptionibus. 573.
Ad ſynodum Matiſconenſem II. anni 585. cum 585.
non poſſet convenire, miſit qui ſuas in ea vices ageret, & ſubſcribendo conſentiret.

VI. Mennas.

Hunc epiſcopum vindicarunt eccleſiæ Toloſanæ Catellus, fratres Sammarthani &c. vitioſa inſcriptione epiſtolæ cujuſdam S. Gre- p. 1151.
gorii papæ deluſi. Quippe hæc in uno e Colbertinis codicibus manuſcriptis epiſtola inſcribitur *Menna Toloſano*, quod etiam in nonnullis legitur excuſis. At alii paſſim MSS. pro *Toloſano* habent *Telone*; ſicque legi debet, tum quia tempore quo hæc epiſtola ſcripta eſt ſcilicet an. 601. alius cathedram Toloſanam obtinebat, 601.
tum quia nulla erat ratio Gregorio magno, ſcribendi ad epiſcopum Toloſatem, eique commendandi quos in Britanniam mittebat monachos. Quippe Toloſam accedere minime debebant. Idcirco vero dederat ſanctus papa literas ad epiſcopos Telonenſem & Maſſilienſem, quod illas ad urbes eſſent appulſuri, aut per eas tranſituri; ad epiſcopos Cabilonenſem, Metenſem & Pariſienſem, quod urbes iſtæ ſedes eſſent regum Burgundiæ, Auſtraſiæ & Neuſtriæ, quorum ope indigebant monachi in Britanniam tranſmiſſuri. Conſulenda eſt nota qua inſcriptionem laudatæ S. Gregorii epiſtolæ illuſtravimus in editione noviſſima, & luce clarius oſtendimus Mennam epiſcopum Telonenſem fuiſſe non Toloſanum. De eodem adhuc loqui videtur Gregorius magnus epiſtola ſexta libri XIII. ad Brunichildem reginam. Attamen in notis ad hanc epiſtolam oſtendimus de alio epiſcopo cognomine intelligenda eſſe, quæ eo loci dicit Gregorius de epiſcopo, cui prius purgato & abſoluto in Galliam redire permiſerat. Poſt Mennam deſunt plurimorum epiſcoporum non

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

solum acta, sed etiam nomina; quod in variis barbarorum cladibus documenta perierint, & alia vetera monumenta exciderint. Forte etiam aliquandiu cessavit episcopatus propter Saracenos oris Provinciæ semper imminentes, quorum furore pleræque civitates maritimæ, aut ad Rhodanum positæ excisæ sunt, uti diximus in episcopis Massilienſibus.

Tom VI. concil. pag. 700. Taurinus diaconus S. ecclesiæ Telonensis, *legatus venerabilis synodi per Galliarum provincias constitutæ*, subscripsit concilio Romano sub Agathone papa, anno 680. post Felicem Arelatensem episcopum; ubi non legimus a quo missus sit episcopo. Imo cum se dicat legatum synodi Galliarum, videtur innuere sedem Telonensem tunc vacasse.

VII. Leo.

Leo memoratur sedisse 804. inquiunt fratres Sammarthani, post Claudium Robertum; nec dicunt unde nomen hujus episcopi depromserint. Cointius in annalibus nullum post Mennam præsulem exhibet: Leonem itaque valde anceps propono.

VIII. Eustorgius.

De hoc antistite minime cunctabundi loquimur, quando ex actis concilii Mantalanensis constat ipsum sedisse inter episcopos Arelatensis, Viennensis, Lugdunensis &c. provinciarum, qui cum proceribus nomen regis detulerunt
879. Bosoni idibus Octobris anni 879. ubi Eustorgius legitur episcopus *Tolonensis*, cum ipsius antecessores *Telonenses* nuncuparentur.

IX. Armodus.

Hic præsul interest ordinationi Raganfredi Viennensis archiepiscopi anno octingentesimo
899. nonagesimo nono, ut nos docet instrumentum electionis hujus metropolitani, quod descriptum ex chartario illustrissimi episcopi Gratianopolitani edituri sumus in archiepiscopis Viennensibus; ubi etiam animadvertimus eum appellari Tolonensem, non Telonensem episcopum.

X. Jandadus *seu* Jaudadus.

Vir C. Antonius de Ruffi nos docet in archivis S. Victoris Massilienſis occurrere Jandadum Tolonensem episcopum tempore sancti Isarni abbatis, qui præesse cœpit anno 1021. obiit autem anno 1048. Deodato sedem Tolonensem occupante. Quare hic episcopus debuit antecedere Deodatum; hanc doctissimi Ruffii observationem confirmant schedæ V. C. Dom. d'Ache, qui laudat chartarium magnum S. Victoris.

XI. Deodatus

Deodatus quem in nonnullis schedis lego fuisse canonicum Massilienſem, cujusque frequens in tabulario Massilienſi exstat memoria, donavit monasterio puellarum S. Mariæ infra muros Massiliæ sito, ecclesiam in territorio de Solario, cum omnimoda ecclesiastica possessione, consilio Willelmi Grossi vice-comitis Massiliæ, uti fidem facit charta donationis confecta regnante Henrico rege 1031. Anno 1040. adfuit consecrationi ecclesiæ S. Victoris a Benedicto papa nono in frequenti præsulum cœtu factæ, de qua alibi locuti sumus. An. 1044. testis fuit donationis ecclesiæ de Auriol, monachis Græcis, & in alio dono castri de Solario, auctoribus Fulcone Massiliæ vicecomite, & Odila. Anno 1048. indict. I. XV. cal. Julii consecravit ecclesiam S. Stephani, in comitatu Tolonensi. Denique an. 1056. adfuit synodo apud S. Ægidium, quam tamen nonnulli critici volunt citius fuisse celebratam. De hac controversia mentem nostram aperuimus in Rajambaldo Arelat.

ANNI CHRISTI.
1031.
1044.
1048.
1056.

XII. Willelmus I.

Willelmus Deodatum propius consectatur; etenim an. 1056. legitur benedixisse ecclesiam S. Mariæ in territorio Brinioliæ, rogante Pontio Aquæ-sextiensi archiepiscopo. Reperitur illius notitia in documento donationis factæ S. Stephano Arelatensi, coram Rajambaldo archipræsule. Confirmavitque donum ecclesiæ S. Torpetis factum S. Victori a Pontio Massilienſi episcopo, ejusque fratribus Guillelmo & Gaufrido Massiliæ vice-comitibus. Anno 1066. pro- 1066.
bat donationem Petri Saumatæ, & aliam Petri de Massilia filii Willelmi vice-comitis, qui beneficus fuit S. Victori Massilienſi, concessa media parte villæ de Belgensiaco. Anno 1068. de- 1068.
dicat cum episcopo Carpentoratensi ecclesiam *B. Mariæ de Valle* dotatam a Dei famula Balda, ex instrumento dedicationis edito spicileg. to. p. 444.
VI. Demum an. 10[7]9. Ricardo abbati Massilienſi basilicam S. Mariæ in territorio de Petrafoco largitur, salva in omnibus episcopali & canonicorum subjectione, ex chartario S. Victoris Massilienſis.

XIII. Aiminus.

Aiminus *al.* Ariminus Raimundi comitis S. Ægidii, & Godefridi de Bullonio in expeditione sacra socius, subscripsit testamento dicti Raimundi condito in Monte-Peregrino Syriæ an. incarnat. 1105. ubi interiit hic comes die ultima Februarii subsequentis. An. 1110. Aiminus interfuit consecrationi altaris Resurrectionis in ecclesia de Hie; defunctus autem notatur in antiquo martyrologio nonis Novembris.

Vide Instrum. eccles. Arelat. Ch. XIII. pag. 57. col. 1.
1105.
1110.

XIV. Willelmus. II.

Guillelmus reperitur episcopus Tolonensis in charta fundationis cartusiæ Montis-rivi * an. *Montrieu.
1117. & in ejusdem loci chartario * ad annum * fol. 44.
1123. die 3. Maii. Inter ipsum & Petrum abbatem Massiliæ facta est concordia apud Tolonem anno 1144. pridie idus Decembris, pro 1144.
decimis parochiæ de Soleriis sancti Michaëlis, cujus exemplar habetur in chartario S. Victoris. An. 1150. cum R. Arelatensi archiepiscopo & R. Carpentoratensi præsule, concordiam facit inter R. Massilienſem antistitem, & ejus canonicos. An. 1158. cum R. episcopo Carpen- 1158.
toratensi testis fuit sacramenti clientelæ & obedientiæ, quod Aicardus de Massilia præpositus præstitit Petro episcopo Massilienſi. Anno 1162. 1162.

ANNI CHRISTI. in festo Ascensionis episcopus Tolonensis erat apud Montem-pessulanum, ubi in synodo condemnatus est Octavianus antipapa, ex epist. Alexandri III. ad Omnibonum Veron. Verum nomen hujus episcopi non legitur, uti nec aliorum præsulum. An. 1165. XVI. cal. Novembris luna XXVII. epacta VI. Alexandro papa III. Rom. ecclesiæ præsidente, Frederico imperante, adfuit una cum Raimundo II. Arelatensi archiepiscopo, Raimundo Carpentoratensi episcopo, Henrico Aquensi præposito &c. judex compositionis inter Petrum Massilienſem episcopum & vicecomites Massiliæ, in civitate Aquensi in claustro canonicorum, ex epist. Peireskii ad D. Polycarpum.

tom. X. concil. col. 1410.

ISNARDI. XV. PETRUS I.

Petrus Isnardi ex canonico Arelatensi ordi-
1168. natur episcopus Tolonensis circa annum 1168.
1170. An. 1170. fuit fundator Vernensis Cartusiæ (*La Verne*) in diœcesi Forojulienſi, cum Fredolo I. Forojulienſi episcopo, ut docet Jose-
1174. phus Anthelmius. An. 1174. Fulco Massilienſis episcopus, Petro nostro præsente sententiam pro Cartusia Montis-rivi, adversus homines de
1179. Melva, tulit septimo idus Junii. Anno 1179. interest concilio Lateranensi; anno sequenti nomen ejus adhuc signatur in Montis-rivi tabulis. Anno eodem 1180. fundationem Vernensis Cartusiæ ratam habuit. Postea traducitur ad
1183. archiepiscopatum Arelat. an. circiter 1183.

XVI. DESIDERIUS. II.

Desiderius antea præpositus Tolonensis fit Cartusianus an. 1170. & ex Cartusiano eligitur episcopus anno 1183. ut ex tabulis Cartusiæ
*La Verne. Vernensis * intelligitur, ubi memoratur annis
a 1188. a 1190. & 1197. quo ipso & Hugone Rai-
1188. mundi præposito Aquensi testibus, facta est
1190. transactio inter Massilienſem episcopum nomi-
1197. ne Rainerium, & Bermundum Montis-rivi priorem, quæ in archivis episcopalibus Massiliæ asservatur. Anno 1198. electus est judex & arbiter cum præposito Piniacensi, in litigio Imberti archiepiscopi Arelat., & Arberti abbatis S. Gervasii de Fossis, uti docet pancharta
1204. nigra Piniacensis. Anno vero 1204. iterum abdidit se in Cartusia Vernensi, ubi anno sequenti in pace compositus est.

RAUSINUS. XVII. PONTIUS I.

Pontius Rausinus Tolosanus, ordinis S. Aug. jam an. 1201. præerat ex epist. XIV. D. Polycarpi ad Peireskium. An. 1205. transtulit solemni ritu in ecclesiam cathedralem reliquias sancti

a Quæ hic dicimus de Desiderio, videntur certissimis fulta testimoniis, quæ ex ipsis fontibus, hoc est tabulis sunt depromta. Attamen in epistola VII. D. Polycarpi de la Riviere ad Peireskium, lego Desiderio præmittendum Guillelmum, qui, inquit, laudatur in tabulario (*au trésor*) Vernensi anno 1189. quo tempore tamen sedisse Desiderium demonstravimus. Observare juvat Peireskium suis notis multa emendasse in catalogo episc. Tolonensium Polycarpi. De his semel monuisse sufficiet, ne quis nos arguat, quod ab hoc viro ceteroquin doctissimo aliquando dissentiamus. Et certe quod spectat hunc Guillelmum inductum a D. Polycarpo anno 1189. ipsum reprobat Peireskius in sua ad eundem responsione, notam hanc chronicam errori amanuensis adscribens, quod quidem probat, quia nullus tunc Raimundus sedi Arelatensi præerat, ut fert ipsa charta.

Cypriani episcopi Telonensis, quæ in veteri sacello ædium episcopalium inventæ fuerant nuper, & inclusæ intra thecam argenteam, sumtibus tum episcopi & capituli, tum dominorum de Montolieu Massilienſium, qui ex genere S. Cypriani se dicunt. Hæc refert Honoratus Bouche lib. VII. hist. laudatque annales Massilienses Guesnayi. Idem episcopus decrevit festivam hujus translationis commemorationem quotannis in urbe & in tota diœcesi faciendam.

ANNI CHRISTI.

p. 194.

XVIII. WILLELMUS III.

Diso. Lirar.

De hoc episcopo tantum scimus eum non solum antiqua stirpe de Soleriis esse satum, sed etiam castri unde gentis nomen, fuisse dominum: qui cum electus fuisset in Tolon. episcopum, sponte abdicavit. Illius certe mentio fit in scheda anni 1215. Stephano episcopo tunc 1215.
sedente; ex qua habemus eum adhuc tunc vixisse. Peireskius in notis ad epistolam VII. D. Polycarpi laudat diploma Rainoardi de la *Garde* concessum Stephano episcopo Tolonensi, testibus G. de Soleriis episcopo, Guidone filio Amelii de Fos &c. die 30. Septembris 1214. ubi procul dubio per G. designatur Guillelmus noster, qui retinet episcopi titulum, propter characterem episcopalem, sed nullam sedem indicat, quod abdicasset. Hunc vero D. Polycarpus suspicatur esse, qui monachus in Cartusia Montis-rivi an. 1218. occurrit.

XIX. STEPHANUS I.

Stephanus an. 1212. commemoratur in ve- 1212.
teri martyrologio, de quo in exordio locuti sumus. Hoc autem anno, quinto idus Septembris, promulgavit quoddam statutum cum Bertrando de Orto sacrista Massilienſi, qui tunc præpositi vice fungebatur, de decimis, terris, hortis ab episcopo cedendis sacristæ apud Tolonum & Oliolas, pro cereis, epulis &c. Eodem quoque anno emit castrum novum S. Margaritæ, ex Raimundo Datil juxta instrumenta emtionis. Ceterum castri Soleriorum etiam toparcha fuit Stephanus, cujus quartam partem acquisivit ex donatione domini Willelmi de Soleriis, quondam episcopi Tolonensis, qui id ratum habuit. Hic episcopus cum capitulo dedit pascuaria de Soleriis Cartusianis Montis-rivi, confirmans donationem Raimundi Willelmi, Fulconis, Guidonis, & aliorum dynastarum coram se factam, ex charta data XII. cal. Februarii, an. 1215. Anno 1213. congrega- 1215. 1213.
tam synodum apud Tolonum, docent fratres Sammarthani, hujusque cœtus decreta ordinata esse a Stephano episcopo, quo etiam anno III. idus Martii apud Montem-rivum testamenti tabulas scripsit, quarum exemplar in archivo Cartusiæ asservatur. Adhuc in vivis erat XVII. cal. Septembris ejusdem anni, quo multa suis largitus est canonicis. Eum exemplo antecessoris sui cessisse episcopalem cathedram ante mortem, suspicamur ex quadam tabula ecclesiæ Narbonensis, in qua legimus, S. quondam episcopum Tolonensem præsentem exsti-

ANNI CHRISTI.

tisse, quando Raimundus Gaufredi dominus A Tolonensis pro se & pro fratribus suis Gaufredeto & Rostagno, nomine Arnaldi archiepiscopi Narbonensis & Aymerici vicecomitis &c. spopondit se dictorum archiepiscopi & vicecomitis subditos terra marique defensurum & protecturum, per annos viginti novem. *Act.* XII. *cal. Martii anni* MCCXXIV. Mortuus notatur in martyrologio seu necrologio Montis-rivi XV. cal. Aprilis. In quibusdam memorialibus lectum a nobis Stephanum ex Cartusiano Vernensi factum esse episcopum an. 1211.

XX. JOHANNES I.

Johannes Baussanus aut Baucianus canonicus & archidiaconus Massiliensis, ex chartul. Montis-rivi anno 1224. indictione XI. pridie idus Augusti jam sedebat juxta fratres Sammarthanos, & testis fuit in cessione facta domui Templi, per Raimundum Gaufredum & Rostagnum de Agouto fratres dominos de Tolono, pro immunitatibus & privilegiis quamplurimis. Sed conjicimus pro anno 1224. legendum esse 1223. Huic enim anno convenit indictio undecima, non vero anno 1224. Verumtamen hoc anno in tabulis ejus nomen C notatur. An. 1230. in ejus manibus Raimundus Berengarius comes Provinciæ, & Benedictus Massiliensis episcopus jurarunt, & mutuo promiserunt minime consensuros se ad pacem cum civibus villæ seu urbis inferioris Massiliæ faciendam, nisi postquam episcopo satisfactum foret. Asservatur ejus sigillum in cera expressum, episcopum in pontificalibus vestibus & ornamentis exhibens, appensum chartæ anni 1232. indict. V. XIV. cal. Julii, quo anno assumtus est ad metropolitanam suæ provinciæ cathedram.

Ut nihil eorum quæ nobis aliquid negotii facessunt, dissimulare & silentio præterire solemus, lectorem monitum esse volumus, occurrere in charta ecclesiæ Massiliensis quemdam F. episcopum Tolonensem, an. 1226. Quis autem aut qualis fuerit, prorsus nos latet. Forte in electione Johannis, non omnes consenserunt canonici, & qui ipsius fuit competitor aliquandiu titulum episcopi usurpavit.

XXI. RAIMUNDUS I.

Raimundus dictus de S. Jal, non innotescit ante annum 1235. quo electus est judex & sequester inter priorem Cartusiæ Montis-rivi, & E P. de Coreis commendatorem domus de Belloloco, ad dirimendum dominium quartæ partis castri de Soleriis, ex tab. Montis-rivi. Subscripsit testamento Guillelmæ uxoris Gaufredi domini de Tolone & de Triis, quæ sepulturam elegit in monasterio Artæ-cellæ anno a 1237. a VII. cal. Sept. Interfuit Insulano concilio Arelat. provinciæ, an. 1251. sub Johanne metropol. die Martis post Exaltat. S. crucis. Suum obiit diem an. 1255. ex necrol. Tolonensi.

a In schedis nostri domni Edmundi Martenne occurrit Rostagnus episcopus Tolonensis, anno 1238. Qui si vere fuerit episcopus, quæ de Raimundo hic subdimus, de alio quam de priore prorsus dubio sunt intelligenda.

XXII. B.

Hoc loco reponendus videtur episcopus sola littera B. designatus in instrumento Montis-maj. quo Raimundus hujus cœnobii abbas, castra de Gravisone & de Castelleto, a domino Karolo regis Franciæ filio, monasterii sui nomine tenere confitetur; eique pro iisdem fidelitatem jurat præsentibus B. [Bertrando] Forojulienſi episcopo, B. Toloni, ac Vicedomino de Vicedominis Aquensi electis, Imberto de Autone & aliis, VIII. idus Julii incarnat. D. an. 1257.

XXIII. GALTERIUS.

Galterius cognominatus Gaufridi, an 1266. instituitur exsecutor testamenti Beatricis reginæ Siciliæ ac comitissæ Provinciæ. Ipso sedente, anno 1268. VI. idus Junii, confectum est instrumentum distributionis præbendarum, & erectionis duodecim canonicorum, & decem clericorum. Hanc partitionem confirmavit Bertrandus archiepiscopus Arelatensis, cum capitulo anno 1277. die 5. Aprilis; asservatur vero in archivis præposituræ Tolonensis. Mortuum eum legimus in laudato martyrologio, seu necrologio, anno 1277. Vixit fere eadem tempestate Guillelmus *Gaufridi*, qui ex abbate Bellæperticæ, factus est episcopus Vasatensis, obiitque an. 1293.

XXIV. JOHANNES II.

Johannes sedit ut episcopus Tolonensis in concilio provinciali apud Avenionem XVI. cal. Junii, an. 1279. Consecravit majus altare suæ ecclesiæ anno 1283. Anno 1288. misit ad synodum Insulanam qui suas in ea vices ageret, scilicet Rostagnum sacristam suæ ecclesiæ. Fundavit capellanias S. Johannis Baptistæ, & sanctæ Mariæ Magdalenæ an. 1289. Sic barbare loqui cogimur, ut modo loquendi illorum temporum geramus morem. Eo sedente, ut Martennio placet, anno 1303. Carolus II. Neapolis & Siciliæ rex & comes Provinciæ fratribus Prædicatoribus extra urbem, ubi sunt fratres Minores Capucini, hospitium dedit.

XXV. RAIMUNDUS II.

Nepos fuit Petri Rostagni Carpentoratensis episcopi, de cujus nobili genere dicemus suo loco. Quod spectat ad ejus acta nihil dicendum reperimus, præter ea quæ nostri Sammarthani hoc loco habent. Raimundus Rostagni sententiam tulit in synodo B. Mariæ Tolonensis pro anniversariis celebrandis Isnardo de Antravenis domino de Tritis, Reforciato fratri & heredi dicti Isnardi, qui assignationem commutavit quarumdam librarum in censibus castri de Guarda, sententia lata inter capitulum & dominos de Garda, heredes Isnardi de Antravenis; quod diploma legitur in tabulario præposituræ Tolonensis. Excessit e vivis Raimundus an. 1311. ex dicto sæpe martyrologio.

XXVI. PONTIUS II.

Sedisse anno 1314. legitur in tabulis Tolo-

ANNI CHRISTI. De Glandeves.

nensibus, nec plura de hoc præsule rescire licuit.

XXVII. Eleazarus.

Eleazarus de Glandeves frater Anselmi Glandatensis episcopi, ex præposito Tolonensi creatus pontifex, præerat annis 1317. & 1322. ex actis consistorialibus. Johannes papa XXII. ei scripsit ut Beguinas insequeretur & castigaret, eas vero quas in castro de Areis & loco de Robodoa Sancia regina Siciliæ stabilitas habet, protegat. Dat. Avenion. x. calendas Decembris, anno quinto. Porro per hunc episcopum, quædam statuta de consensu capituli ordinata sunt, pro divisione bonorum & jurium inter Petrum Guillelmi præpositum & capitulum, tuncque curionatus ecclesiæ Tolonensis & perceptio decimarum separantur a præpositura, & capitulo uniuntur, litteris datis 4. Septembris an. 1323.

Ex reg. an. v. n. 180.

1323.

XXVIII. Hugo I.

Hunc episcopum debemus tabulario sancti Andreæ secus Avenionem, ubi legimus Hugonem Tolonensem episcopum, & duos alios judices litem inter fratrem Guillelmum Petri S. Andreæ monachum priorem de Monte-bruno, & universitatem Montis-bruni de decimis ipsi priori debitis definiisse tertio Junii, anno ab incarnatione Domini 1324.

XXIX. Petrus II.

Petrus gubernaculo ecclesiæ Tolonensis jam assidebat anno 1325. ut probat bulla quæ asservatur in archivis S. Victoris apud Massiliam. Illius opera episcopus Dignensis, & abbas sancti Victoris transigunt super lite inter ipsos mota. An. 1326. mense Junio interest San-Ruffensi ad Avenionem concilio, ex actis concilii hujus editis a Petro Gassendi ad calcem notitiæ ecclesiæ Diniensis.

1325.

XXX. Fulco.

Fulco ex ordine religioso fuit assumtus ad regendam ecclesiam Vencionsem, eique præerat an. 1326. quo adfuit concilio sancti Ruffi. An. vero 1328. translatus est ad sedem Tolonensem; idque constat ex registro Johannis papæ XXII. in quo ad annum XIII. ejus pontificatus visuntur litteræ, quibus ecclesiæ Vencionsi præficit Raimundum, sede illa tunc vacante *per translationem Fulconis, ad Tolonensem cathedram.* Dat. Aven. VIII. idus Novembris, an. XIII. pontificatus num. 94.

1328.

XXXI. Jacobus.

Jacobus e gremio ordinis FF. Prædicatorum & ex conventu S. Maximini, unde nonnunquam cognominatur *de S. Maximino* eductus, præficitur an. 1329. An. 1330. litteras dedit de octo libris annuis, quas nobilis & potens vir Dom. Rossolinus de Fossis miles legaverat distribuendas in synodis. Litteras autem sic exordiuntur: *Frater Jacobus Dei gratia episcopus Tolon.* &c. Anno sequenti idem Rossolinus addidit octo libris jam legatis aliquot solidos, super castrum de Colubreria, cujus dominus erat uti & Bormæ, Molæ & burgi Cavalariæ. Recensetur Jacobus inter præsules qui sederunt in concilio provinciali Avenionensi, apud sanctum Ruffum, anno 1337. tertia Decembris die. E vita migravit an. 1341. Quidam ex hoc Jacobo duos conficiunt, & secundum, quem fuisse quoque religiosum non inficiantur, dicunt adfuisse concilio San-Ruffensi, de quo supra. Favet vulgatus catalogus, sed tot erroribus & defectibus scatet, ut nullam mereatur fidem.

1330.

Vide prob. C. I. pag. 129. col. 1.

ANNI CHRISTI.

1337.

1341.

XXXII. Hugo II.

Labaila.

Hugo Labaila ordinis eremitarum sancti Augustini asceta, an. 1345. die 15. Julii a Clemente VI. creatur episcopus Eugubinus; & anno eodem, die 9. Decembris transfertur ad sedem Tolonensem. Ejus meminit Philippus Eissius in encomiastico Augustiniano.

1345.

XXXIII. Petrus III.

Petrus episcopatum obtinuisse legitur anno 1357. 1. Aprilis, idque ex libro provisionum prælatorum Vaticani probari.

1357.

XXXIV. Raimundus III.

Daronis.

Raimundus Daronis, religiosæ familiæ eremitarum S. Augustini alumnus, anno 1364. seu tertio Urbani papæ V. factus est episcopus Forojulienſis bulla ejusdem papæ. In eadem vero dicitur episcopus Tolonensis. Quare hoc loco debet poni.

1364

XXXV. Willelmus IV.

Guillelmus abbas S. Vincentii ordinis sancti Benedicti subrogatur in locum Raimundi ab Urbano V. litteris datis Avenione idibus Novembris anno 3. ejus pontificatus. Vide Baluz. in notis ad vitas pap. Aven. qui putat eum fuisse Guillelmum de Vouta, ortum ex illustrissima gente Andusiorum in Cebennis, forte filium Bermundi de Vouta mariti Helionordis, quæ filia erat Ademari de Pictavia comitis Valentinensis, & Diensis, & Sibyllæ de Baucio. Erat simul locum tenens camerarii papæ, seu regens officium camerarii papæ, uti legitur in vitis pap. Aven. p. 442. & 447. An. 1365. adfuit concilio Aptensi. Postea fuit episcopus Massilienſis, tum Valentinus, tandemque Albiensis.

Monitos esse volumus lectores, in quibusdam schedis Ludovico cuidam abbati S. Vincentii tribui, quæ diximus de Guillelmo de Volta, qui ibidem dicitur præcessisse Raimundum, ac an. 1360. *proclamatus* episcopus Tolonensis, deindeque transiisse ad Massilienſem cathedram. Sed quæ diximus, auctoritate bullarum Urbani V. niuntur.

XXXVI. Stephanus II.

Memoria hujus Stephani episcopi eruitur ex codice Vaticano libri obligationum, ubi inscribitur ad 7. Aprilis anni 1368. ex fratribus Sammarthanis.

1368.

XXXVII. Johannes III.

De Girbioto.

Johannes Silvester de Girbioto natione Hispanus

panus anno 1371. die 22. Augusti, confirmavit acta & statuta capituli Tolonensis. Hoc episcopo sedente Johanna Neapolis & Siciliæ regina, comitissa Provinciæ ædes suas Dominicanis pro exstruendo monasterio contulit. Eximitur e vivis anno 1380. ex sæpius citato necrologio fol. 23.

ANNI CHRISTI. 1371. 1380.

XXXVIII. Petrus IV.

DE MARAVILLA.

Petrus de Maravilla priusquam regendas animas susciperet auctoritate episcopali, obedire didicerat in ordine FF. Prædicatorum. Dicitur inscriptus libro provisionum prælatorum Vaticani ad diem 9. Novembris anni 1395. & anno 1397. registro castri de Garda Morte oppressus est an. 1402. ex lapide sepulcrali marmoreo invento in claustro Dominicanorum Tolonensium, ubi legitur: 1395. 1397. 1402.

HIC JACET

Dominus frater Petrus de Maravilla episcopus istius civitatis Tolonensis, ordinis fratrum Prædicatorum provinciæ Franciæ, conventus Bituricensis,
P IV. *qui obiit anno Domini* MCCCCII. *die* V.* *Septembris.*

XXXIX. Johannes IV.

Johannes in codice Vaticano inscribitur ad annum 1403. Anno sequenti die 4. Augusti approbat nominationem seu jus nominandi ad aliquod sacerdotium (capellaniam vocant) fundatum ab nobili Antonio Fresqueti cive Tolonensi, ex regestris de Garda. Defunctus an. 1409. sepultus est ante majus altare, ex laudato martyrologio. 1403. 1409. fol. 133.

XL. Vitalis.

Vitalis professione Franciscanus eligitur in episcopum an. 1411. die 13. Februarii ex regestro Vaticano. Adfuit concilio Constantiensi, a quo delegatus est ad Johannem XXIII. ut ab eo annulum piscatoris repeteret. Exstat ipsius mentio in codice pergameno castri de Garda, ad diem 17. Julii anni 1417. 1411. 1417.

NICOLAI.

XLI. Guillelmus V.

Episcopus hic a nostris Sammarthanis admissus ad annum circiter 1430. omittitur in vulgato catalogo. 1430.

DRACONIS.

XLII. Sairisius.

Sairisius Draconis diem ultimum obiit anno 1434. ex martyrologio fol. 124. quod laudat & sequitur vulgatus catalogus. 1434.

GUIDONIS BAUDOT.

XLIII. Johannes V.

An. 1437. præerat hic antistes, ex tabulis ecclesiæ, quibus consentiunt catalogus sat nonus, & necrologium sæpe decantatum, fol. 48. & 112. 1437.

DE CLAPERIIS.

XLIV. Petrus V.

Petrus de Claperiis præpositus, dein episcopus anno 1448. Magna auctoritate pollebat; erat enim consiliarius ac præses supremæ curiæ, necnon cancellarius comitatus Provinciæ circa annum 1467. 1448. 1467.

XLV. Johannes VI.

Hic præsul ex pacto excambii cum Honorato de Castellana domino de Intercastris, permutavit Castrum-novum seu S. Margaritæ pro castro S. Crucis, diœcesis Rejensis, quod castrum S. Margaritæ constructum esset in littore maris & prædonum incursionibus pateret. *Act. Tolosæ* in platea ecclesiæ cathedralis, an. 1487.* die 28. Septembris. Sed contra permutationem hanc eodem anno 2. Octobris contestatus est Johannes de Glandeves dominus de Garda. 1487. * al. 1491.

MIXON.

XLVI. Johannes VII.

Johannes Mixonius prior commendatarius B. Mariæ castri apud Losdunum, sive ut aliis placet, Juliodunum in Pictonibus, episcopus legitur an. 1491. Juravit fidem clientarem & hominium præstitit Carolo VIII. Francorum regi an. 1494. die 20. Januarii, ex registro cameræ computorum. Omittitur hic episcopus in indice vulgato ad calcem officii sancti Cypriani. 1491. 1494.

BRIÇONN.

XLVII. Guillelmus VI.

Guillelmus Briçonet cardinalis Macloviensis dictus, Tolonensis episcopus memoratur in quibusdam actis annorum 1497. & 1501. cessit episcopatu Tolonensi in gratiam Dionysii Briçonet filii sui. 1497. 1501.

BRIÇONNET.

XLVIII. Dionysius.

Dionysius Briçonet Turonicus parentes habuit Guillelmum regi a sanctioribus consiliis, & a commentariis, & Rœuletam de Beaume quam duxerat Guillelmus antequam fieret archiepiscopus Remensis & cardinalis. Dionysius ex archidiacono Remensi & Avenion. factus est Tolonensis civitatis episcopus, in qua receptus est die 1. Februarii anno 1512. Huic ecclesiæ multa contulit; dedit enim sacram supellectilem auro-sericam ad ornandum altare majus: ædificavit sacellum sub titulo S. Trinitatis in majori ecclesia, ædesque restauravit episcopales. Adfuit pseudo-synodo Pisanæ anni 1511. & anno 1513. sessioni octavæ concilii Lateranensis, sub Leone papa X. Fuit deinde episcopus Lodovensis post fratrem suum Guillelmum, & Maclovensis; præterea que potitus est abbatiis Cormeriacensi & Sparnacensi. 1512. 1511. 1513.

ROVER. APELLA.

XLIX. Philas.

Philas Roverella natione Italus, patria Ferrariensis & Leoni X. summo pont. imprimis familiaris, ejus patrocinio ex dimissione Juliani cardinalis Medicei, Asculano pontificatu honestatus est 1518. 3. Novemb. ut refert Ughellus tomo I. Tolonensem episcoparum consecutus fuerat post Briçonetum, ut produnt libri Obligat. Hic sub Leone, Hadriano, Clemente, Pauloque III. varias gessit legationes; in Tridentina synodo sententiam dixit: necnon post obitum Pauli papæ III. a collegio cardinalium Romæ administrator renunciatus est. Decessit

Telegraphic Addresses.

Telegraphic Addresses.

Telegraphic Addresses.

Telegraphic Addresses.

Telegraphic Addresses.

Telegraphic Addresses.

ANNI CHRISTI. 1625.

quorum ecclesiæ primarium lapidem posuit; A paulo post Minimi admittuntur, an. videlicet 1609. moniales S. Ursulæ 1625. 3. Jan. quo anno presbyteris Oratorii collegium concessum est die 12. Novembris. Restauravit ecclesiam sancti Pauli de Areis ruina fatiscentem, ac decessit Toloni 1626. VI. non. Maias, sepultus ante majus altare. Ejusdem gentis erant Damianus præpositus S. Apollinaris Viennensis, & Petrus cathedralis Cavallicensis.

De Forbin.

LVII. Augustus.

Augustus de Forbin ex nobili gente de For- B bin in Provincia, filius Palamedis domini de Soliers Tolonis præfecti, ex Johanna Garde, filia Gaspardi domini de Vins, præpositus B. Mariæ Piniacensis, diœcesis Forojulensis, epi-
1628. scopus an. 1628. virgines visitationis B. Mariæ
1633. advocavit 28. Oct. 1633. moniales congregationis S. Bernardi ordinis Cisterciensis 8. Junii
1635. 1635. Eremitas sancti Augustini discalceatos 1. Septemb. ejusdem anni, Carmelitas discalceatos 19. Decemb. etiam 1635.

Danes.

LVIII. Jacobus II.

Jacobus Danes toparcha de Marly, sacri C consistorii assessor, necnon sacelli regii magister; ex familia nobili Parisiis oriundus, parentem habuit Jacobum dominum Marliaci, senatorem in suprema Franciæ curia, postea præsidem cameræ rationum regiarum, & præpositum mercatorum, matrem vero Annam Hennequin, filiam Claudii dynastæ de Bermainville, hoc illustrem nomine, sed potissimum ex Magdalena Seguieria matre. Jacobus autem multiplici liberalium scientiarum cognitione instructus, primum majoris consilii senator, tum præses cameræ rationum institutus, his in muneribus patriæ, maxime vero in sanD ctiori regis consistorio suam operam utiliter collocavit, nec minus ecclesiæ profuit postquam nominatus episcopus Tolon. Lutetiæ sanctificationis oleo consecratus est apud Cælestinos an.
1640. 1640. Maii 6. a Nicolao Sanguin Silvanectensi, assistentibus Ricardo Calchedonensi, & Antonio Godeau, tunc Grassensi, postea vero Venciensi præsule. Consequente an. delegatur ad comitia cleri Gallicani Meduntæ celebrata, tum ad ea quæ an. 1645. Parisiis, & 1656. convocantur; in quibus ecclesiæ disciplinam & auctoritatem quantum valuit, est tutatus, non modo gravitate sermonis, sed quod longe præstat, vitæ E modestioris exemplo. Diœceseos quoque commodo consuluit, nam eo sedente ecclesiæ de
* Com. Sexfurnis & de Coreis * in collegiatas erectæ sunt. Instituta domus congregationis Oratorii J. C. in urbe Arearum; insuper & missio perpetua per sacerdotes duos ejusdem Oratorii ad omnes episcopatus parochias; multa denique passim exercitia caritatis fundata sunt; quibus plebs ad fidei cognitionem & officia pietatis non mediocriter promovetur: cathedralis etiam basilicæ cœptum opus, auctum est imprimis liberalitate capituli, necnon consulum, qui civitatem numero civium & ædificiorum amplificari procurarunt. Eo sedente Patres B. Mariæ de Mercede Redemtionis captivorum in civitatem admissi 1645. die 12. Martii. Ut vero divinis obsequiis totum se daret, sponte præsulatum abdicavit. Evocatus est ad præmia æterna Parisiis anno ætatis suæ 62. 5. die Junii 1662. & in ecclesia S. Genovefæ vulgo *des Ardens*, sepultus est, ubi non defuerunt (ut audio) miracula quæ ejus sanctitatis opinionem confirmant. Ante episcopatum uxorem duxerat; sed non legimus ex hoc conjugio susceptos liberos superstites. At pauperes pro filiis habuit semper, in quos plusquam centum aureorum millia expendit, sibi parcissimus. Ejus epitaphium ex lapide sepulcrali descripsimus.

ANNI CHRISTI.

Hic jacet conditus in resurrectionem vitæ illustrissimus & reverendissimus in Christo pater JACOBUS DANESIUS *episcopus Tolonensis, regi a sanctioribus consiliis, pietate, fide, religionis studio insignis, precibus assiduis die noctuque, jejuniis sine ullo rerum viventium esu, vigiliis aut raptus somno quem humi stratus plerumque captabat, cilicii usu & ceterorum, quibus corpus castigaret, & in servitutem redigeret. Exiguo & humili cultu, solitudinis amore, morum innocentia, tam voluptatum quam opum, omnimodique ex illis fastus contemtu, eleemosynis & divitiarum quas a majoribus acceperat, in egenos prodigentia, summa eruditione & doctrina in omni pene genere, ingenii facultate & sublimitate, stupenda imprimis facundia, vix aliquem non antegressus, tantas inter dotes non* *... referens, sed deprimens & recondens. Inde quod in vita latuit in morte fulsit. Ut vixit, sic obiit & obdormivit in Domino* V. *junii anno ætatis* LXII. *salutis* MDCLXII.

* f. animum effert.

Pingré.

LIX. Petrus VI.

Petrus Pingré natus Parisiis Henrico patre ex canonico ecclesiæ Parisiensis & priore Silviniacensi ordinis sancti Benedicti factus est episcopus Tolonensis, a rege nominatus. Ipsi fidem clientelarem promisit, juravitque mense Octobri anni 1658. consecratur 12. mensis Januarii * 1658.
1659. Parisiis ad S. Ludovici societatis Jesu, ab episcopo Sarlatensi coadjutore Cadurcensi, assistentibus episcopis Silvanectensi & Suessionensi. Regem excepit in ecclesia sua an. 1660. Qua in cathedra omnium virtutum maxime pastoralium laude clero suo & toti gregi, imo ecclesiæ Gallicanæ omni præfulsit; sed brevi sedit tempore. Ipsius diebus e sinu ejus paterno exiit vir apostolorum ætate dignus, & vas electionis, ut portaret nomen Christi coram regibus & gentibus usque ad extremum terræ. Is est Franciscus Deydier Tolonensis, Tunquinorum vicarius apostolicus, qui cum demandatam sibi provinciam summa sanctitatis & sapientiæ laude administrasset, & per annos plusquam triginta fidem catholicam apud Tunquinos, ac plurimas alias gentes orientalium regionum disseminasset, infulis ecclesiæ Ascolitanæ decoratur, & plenus meritis ad præmia æterna evolavit 1693. Facultatibus satis amplis Petrus xenodochium pauperum ditavit, bibliothecam dono dedit patribus Oratorii collegii rectoribus. Obiit Toloni anno 1662. die 5. De- 1662.

* al. Junii.

cembris, ſepultus in cœmeterio extra urbem; ut ſupremo voto petierat. Ipſo deſtructo an. 1707. quo Sabaudus regulus cum fœderatis copiis urbem obſedit, ejus corpus jubente epiſcopo, clero populoque obſequente, intra baſilicam in ſepulcrum epiſcoporum illatum eſt. ANNI CHRISTI.

d'Oppe-de.

LX. Ludovicus.

Ludovicus de Forbin d'Oppede præpoſitus Rejenſis, decanus Taraſconenſis, & Avenionenſis eccleſiæ major archidiaconus, deſignatur epiſcopus Tolonenſis anno 1664. quo menſis Septembris die 28. inauguratus eſt in oratorio monialium Carmelitarum diſcalceatarum apud Aquas-ſextias ab Em. cardinali Hieronymo Grimaldi archiepiſcopo, ad rem ſacram cooperantibus Stephano de Puget Maſſilienſi, & Nicolao de Valavoir epiſcopo Rejenſi. Præſul fuit moribus compoſitis a pueritia, & in ipſo ætatis flore ſenili maturitate gravis. Corporis ſarcinam depoſuit die 29. Aprilis anni 1675. 1664.

du Luc.

LXI. Johannes VIII.

Johannes de Vintimille du Luc ex vicecomitum Maſſiliæ proſapia genitus, præpoſitus per annos 36. Rejenſis eccleſiæ, inde ad decanatum Taraſconenſem tranſlatus eſt, poſtea ad ſedem Dinienſem nominatur an. 1669. tandemque renuntiatur Tolonenſis antiſtes anno 1675. affabilitate omnibus carus, obiit 15. Nov. 1682. 1675. 1682.

Bonnin.

LXII. Armandus Ludovicus.

Armandus Ludovicus Bonnin de Chalucet ex illuſtri familia Britanniæ minoris ortus, eccleſiam Tolonenſem moribus admirandis illuſtravit, nominatus a rege chriſtianiſſimo 1684. quo curam ſpiritualis regiminis regiæ claſſis Ludovicus magnus patribus ſocietatis Jeſu conceſſit, illiſque magnificas ædes conſtrui juſſit. Aliquot annis rexit eccleſiam non conſecratus ob quædam inter imperium & ſacerdocium diſſidia. Inunctus die 15. Martii 1692. ſolemni pompa recipitur 9. Februarii 1693. Ante epiſcopatum orthodoxæ fidei aſſertor cum hæreticis coram congreſſus eſt ac ſcriptis ad poſteros perennaturis. A Chriſtianiſſimo rege diploma impetravit menſe Martio 1685. ad inſtituendam domum, in qua filiæ beatæ Magdalenæ, ut dicuntur, vitæ minus caſtæ maculas eluunt, & ubi in ſecretioribus ædibus puellæ familiis etiam amplis & honeſto loco natæ educantur, tam in primis doctrinæ Chriſtianæ, & litterarum elementis, quam in omni opere acu elaborato. Ædes epiſcopales refecit, pauperum hoſpitium amplificavit, ſeminarium clericorum erexit propriis ſumtibus. Parochiam creavit impenſis largiſſimis, orphanotrophium inſtauravit, & e cunabulis in domum perfectam ſtabilivit; eccleſiæ cathedralis frontem magnifice decorare ſtuduit. Patribus Recollectis pluribus ab hinc annis incerta ſorte utentibus, ſub ejus auſpiciis datum fuit frui civitate anno 1694. Tandem luſtrandis parœciis, admonendis ſacerdotibus, docendis populis, ædibus ſacris inſtaurandis & conſecrandis, ſublevandis pauperibus, ſolandis afflictis, viduis pupilliſque tuendis, conciliandis diſſidentibus, errantibus reducendis, ſalvandis omnibus indefeſſo ſtudio, ac opera ſemper inſtitit. An. 1702. deputatus eſt ad comitia generalia cleri extra tempus congregata, in quorum fine ut totius cœtus orator regem ſalutavit & laudavit die 28. Junii. Quædam ſtatuta ſynodica in ſynodo an. 1704. die 29. Octobris publicata typis mandari curavit; ſed motus maximos in dioceſi excitarunt, religioſis mendicantibus pleriſque iis ſubdi detrectantibus & ad curiam parlamenti Aquenſis provocantibus. Ceterum ejus pro rege & pro urbe Tolonenſi zelum commendat ſequens inſcriptio marmoreæ in ipſo urbis palatio tabulæ inciſa. 1684. 1692.

Armando
Ludovico Bonnin de Chalucet
epiſcopo Tolonienſi,
Quod
Urbe terra marique
A Germanis, Anglis, Batavis, & Sabaudis obſeſſa,
Inter miſſiles hoſtium ignes,
Et dejecta domus ruinas
Intrepidus,
Optimates conſilio & exemplo firmavit,
Plebem frumento & pecunia juvit;
Conſules
Et civitas Tolonenſis
Poſt depulſos hoſtes
Grati animi
Monumentum.
P P.
MDCCVIII.

Obiit carus populis ob plurima caritatis officia ipſis exhibita, in ſua dioceſi an. 1712. Ejus funus non fictis lacrymis proſecuti ſunt omnes, maxime pauperes, quibus ampliſſimos reditus ex ſacerdotiis, maxime vero ex paternis bonis vivens diſtribuerat, morienſque ſolos voluit heredes habere.

LXIII. N. de Montauban.

N. de Montauban, ex vicario generali epiſcopi Aptenſis, deſignatur epiſcopus Tolonenſis in feſto aſſumtionis B. Mariæ, die 15. Aug. an. 1712. Conſecratur Lexovii a Leonoro Goujon de Matignon epiſcopo & comite Lexovienſi, aſſiſtentibus ejuſdem epiſcopi fratre quondam epiſcopo Condomienſi, & Sagienſi antiſtite.

Digitized by

PRÆPOSITI TELONENSES.

I. ROstagnus I. an. 1122. ante quem nullus nobis occurrit præpoſitus.

II. Amelius I. teſtis in confirmatione bonorum eccleſiæ Pigniaci a Raimundo Berengario veteri, an. 1150. Item in charta Raimundi Gaufredi vicecomitis Maſſilienſis, & uxoris ejus, Pontiæ, Guillelmo abbati Maſſilienſi reſtituentium, ſeu commutantium quidquid habebant in caſtello de Sex-furnis, pro dimidia parte B quam habebat abbas in Oleriis & tertia parte in caſtro de Porcillis, &c. anno 1156.

III. Gaufridus I. teſtis in ſententia Fulconis epiſcopi Maſſilienſis in gratiam Cartuſiæ Montis-rivi an. 1174.

IV. Amelius II. Palegal præpoſitus Tolonenſis ex libro Viridi Maſſilienſi, fol. 14. circa an. 1178. ſi credatur viro clariſſ. Dom. d'Ache.

V. Roſtagnus II. 1217. 16. Junii teſtis eſt in charta Petri de Planis prioris Cartuſiæ Montis-rivi, de donatione in feudum Hugoni de Soleriis militi facta; ex tab. Montis-rivi.

VI. Raimundus I. an. 1219. IV. non. Dec. C in inſtrumento controverſiæ cum G. Piniacenſi præpoſito pro eccleſia de Garda; & 1227. in promulgatione ſtatutorum eccleſiæ Tolonenſis a Johanne epiſcopo.

VII. Martinus 1233. Item 1235. ex tabulario Montis-rivi.

VIII. Gaufridus II. Barreria 1236.

IX. Roſtagnus III. 1248.

X. Johannes I. de Albigniaco, qui quandoque Hugo nominatur cum ageret in partibus remotis, ipſius vices gerebat epiſcopus in diſtributione præbendarum, ex autographo præpoſituræ Tolonenſis 1268. VI. idus D Junii. Illi ademta fuit adminiſtratio bonorum capituli, & collatus prioratus de Garda.

XI. Guillelmus I. Bremundi an. 1290.

XII. Raimundus II. Albani 1301. & 1306. ex clariſſ. viro D. d'Ache.

XIII. Pontius I. Martin 1309. ex eodem, & ex Dom. de S. Quentin, legitur præpoſitus in libro Viridi eccleſiæ Maſſilienſis.

XIV. Elzearus de Glandeves 1313. poſtea epiſcopus Tolonenſis.

XV. Petrus I. Guillelmi (*de Guillens*) anno 1318. camerarius ſeu capellanus domini papæ, & auditor ſacri palatii, fundavit vicariam ec- E cleſiæ parochialis ſancti Petri de Coreis*. Anno 1319. nominatur teſtis in fundatione capellaniæ facta a Raimundo epiſcopo Vaſionenſi. Vide in inſtrumentis.

* Cartul. II. pag. col. 2.

XVI. Gaufridus III. de Rocamoreria nominatur in dono Roſſelini de Foſſis domini caſtri Bormiæ 1331. 16. Aprilis, ex tabul. Tolonenſi, & 1335.

Bal. Lobier. XVII. Pontius Loberie* ortus erat e Colliaco, Uticenſis diœceſis, ubi fundavit duas capellanias in caſtro loci, ſub donatione 40. lib. circa 1370. Cum eſſet condominus caſtri de Soleriis, an. 1395. 21. Octobris ad faſcheriam ſive rentam dedit & conceſſit magiſtro Johanni Blanqui, notario de Soleriis omnia bona & jura quæ idem dominus præpoſitus habebat & percipiebat in caſtro & territorio de Soleriis. Ipſi præpoſito datus fuit cenſus unius ſolidi ſuper domos urbis, & jus ponderis & virgæ ferreæ a comitibus Provinciæ, pro juriſdictione quam habebat in loco de Soleriis 1398. Hic fuit e familia * & contubernio Anglici de Griſaco a cardinalis Albanenſis, legati & vicarii in temporalibus pro ſummo pontifice in Italia, ex ſchedis capituli Tolonenſis; canonicus etiam exſtitit Aquenſis & Rejenſis. Idem Pontius ut condominus caſtri de Soleriis, bona & juriſdictionem de Soleriis dat ad oppignerationem pretio florenorum auri 25. charta anni 1395. 21. Oct.

XVIII. Gilbertus de Ferratorio, an. 1400. ex D. d'Ache, & 1412.

XIX. Alanus Petri 1416.

XX. Ludovicus Fliſcus ex Lavaniæ comitibus Genuenſis electus epiſcopus Vercellenſis, diaconus cardinalis, a Bonifacio IX. legatus Campaniæ maritimæ & agri Fundani. Secutus partes Benedicti XIII. Avenione ad Romanam ſedem Johanne XXIII. jam creato venit. Concilio Conſtantienſi & Martini V. electioni interfuit. Obiit 1420. 3. nonas Aprilis.

XXI. Altredus de Alta-villa 1432.

XXII. Yvo de Alta-villa 1434.

XXIII. Petrus II. de Claperiis 1437. poſtea factus epiſcopus Tolonenſis.

XXIV. Guillelmus II. Geoffroy 1444. quo anno die 26. Aug. in tabulario Tolonenſi legitur ſententia lata per arbitros inter eum & compriores eccleſiæ de Coreis, ſuper reformatione dictæ eccleſiæ & penſionum 1444. & 1451. Aug. 23.

XXV. Guillelmus III. Gumbaudi 1459.

XXVI. Antonius I. Rebiol 1462.

XXVII. Lucas de Fliſco 1483. S. R. E. cardinalis, ex ſchedis D. d'Ache.

XXVIII. Jacobus de Poitiers 1486.

XXIX. Johannes-Baptiſta Sabellus, Romanus, diaconus cardinalis tit. S. Nicolai in carcere Tulliano, & prius SS. Viti & Modeſti in macello martyrum, illuſtres plures obivit legationes. Romæ & alibi excelluit auctoritate, varios caſus expertus, dejectus fortior ſurrexit, & quaſi aurum emicuit in igne. Exceſſit e vita 18. Septembris 1498.

XXX. Nicolaus I. de Fliſco item cardinalis 1500. poſtea epiſcopus Tolonenſis.

XXXI. Gaſpardus de Glandeves 1513. Anno 1527. dedit canonicatum Guillelmo de Oriero nepoti ſuo.

XXXII. Æmarius de Monteriſerio 1539.

XXXIII. Johannes II. Nas 1559.

* Cardinalis hic in ſuo teſtamento condito 21. April. 1388. eum appellat ſuum cubiculanium & ſocium, cui etiam legat miſſale ſecundum uſum Romanum, indumenta ſacerdotalia coloris viridis, unum calicem & trecentos florenos auri. Vide collect. Baluzii ad vitas paparum Avenion. t. 1044.

XXXIV. Stephanus de Albis 1559.

XXXV. Petrus III. Cordelli 1562.

XXXVI. Petrus IV. Thomas 1563. quo vivente pars domus præpoſituræ alienatur.

XXXVII. Honoratus Thomas frater Petri 1570.

XXXVIII. Johannes III. Adhemar 1578.

XXXIX. Antonius II. du Blanc, filius Petri, Guillelmi epiſcopi Tolonenſis germani, ædem præpoſituræ a fundamentis incœpit, bibliothecam Capucinis dono dedit, & officium S. Cypriani typis edi curavit 1621.

XL. Guillelmus IV. du Blanc, ſuperioris ex fratre Carolo nepos 1619. ſedis apoſtolicæ protonotarius, totius diœceſis vicarius generalis, domum a patruo inchoatam perfecit. Adfuit cœtui cleri Pariſienſis 1635.

XLI. Henricus le Grand Jacobi Daneſii præſulis Tolonenſis ex ſorore nepos, juris utriuſque doctor, interfuit comitiis generalibus cleri Gallicani Lutetiæ, pro Arelatenſi metropoli 1646. poſtea præpoſituræ dignitatem permutationis cauſa ceſſit.

XLII. Guillelmus V. Montagne Coreenſis, diu Pariſiis moratus, Borboniæ gentis gratiam adeo ſibi conciliavit, ut ab illa beneficiis oneratus fuerit. Vicarii generalis munere defunctus, obiit anno 1670. menſe Januario.

XLIII. Stephanus II. de Sainctot Pariſinus, in ſuprema curia Lutetiæ ſenator, abbas Ferrariarum monaſterii diœceſis Senonenſis, & poſt ceſſionem præpoſituræ abbas S. Andreæ Viennenſis, receptus fuit & adſcriptus in numerum præpoſitorum anno 1670 & ſedit die 19. Aug.

XLIV. Petrus V. d'Eſparra Brinolii clara natus familia, abbas ſancti Andreæ Viennenſis, quam abbatiam ceſſit pro præpoſitura, ab an. 1672. ad hos uſque dies multis operibus piis infudavit, largus præſertim in eleemoſynis & fere ſemper vicariatu generali decoratus.

DE ABBATIIS DIOECESIS TELONENSIS.

VEterum monaſteriorum, ſi quæ fuerint olim in diœceſi Tolonenſi, oblitterata penitus eſt memoria; & in ea nullam aliam abbatiam novimus præter Almanarram.

Abb. Almanaræ, *vulgo* Lamanarre

ALmanarra monialium ordinis Ciſtercienſis abbatia in diœceſi Tolonenſi, fundata fuiſſe fertur 13. Martii, an. 1210. a Conrado epiſcopo Portuenſi cardinali ſanctæ Ruffinæ, ex delegatione Honorii papæ III. ad ſittus maris prope caſtrum de Areis (*Hieres.*) Illius autem fundandæ hæc fuit occaſio. Conradus legatus ſanctæ ſedis in Provincia, attendens monaſterium ſancti Gervaſii de Foſſis, Arelatenſis diœceſis, & membra ipſius, ob culpam abbatis & monachorum, ita eſſe collapſa, ut nulla ſpes ſupereſſet quod adjicerent ut reſurgerent, conſtituit abbatem & monachos ejicere, & ad pœnitentiam agendam aliis in locis concludere. Attamen, ut monaſticus ordo ſaltem aliquibus in membris hujus cœnobii perſeveraret, voluit congregare moniales ordinis Ciſtercienſis in eccleſia ſancti Petri de Almanarra, diœceſis Tolonenſis, ubi prius erant monachi ſancti Gervaſii; ad cujus parthenonis dotationem aſſignavit quidquid prius habebat monaſterium ſancti Gervaſii, exceptis nonnullis, quæ vel archidiacono vel capitulo Arelatenſi, &c. jam collata erant. Accerſivit autem legatus moniales e cœnobio ſancti Pontii de Gemenos, ut apud Almanarram pro ipſis abbatia ædificaretur; cui Innocentius papa IV. dedit inſigne privilegium anno 1250. & Raimundus Berengarii comes Provinciæ omnes poſſeſſiones confirmavit anno 1243. Sed poſtea penitus, æſtuantibus in Provincia bellis, deſtructa eſt. At ſeculo XV. ineunte, in ipſo caſtro de Areis inſtauratur, ut liquet ex bulla Benedicti XIII. *al.* Petri de Luna, qua ob inopiam univit huic loco ſacro eccleſiam parochialem ſancti Stephani de Ponte. Paulo poſt crevit valde hoc monaſterium ex alia unione, ſcilicet S. Pontii de Gemenos.

Vide C. II. p. 149. col. 2.

V. C. IV. p. 130. col. 2.

V. C. IV. p. 130. col. 2.

Hujus autem parthenonis hæ tantum abbatiſſæ occurrerunt.

Series abbatissarum.

I. Huga I. Morelle.

II. N. Carle.

III. Sibilla I. de Carboneriis.

IV. Raimbauda ſeu Raimunda de Podio-Richardi an. 1297.

V. Garcendis Anceline.

VI. Roſſelina de Foſſis.

VII. Beatrix Carbonelle.

VIII. Sibilla II. de Foſſis.

IX. Montolina de Pierrefeu.

X. Diana de Glandevez filia Baraldi de Pontevez Provinciæ adminiſtratoris, ſub cujus regimine an. 1381. 3. Septembris vi regiarum literarum in urbem tranſlata eſt abbatia propter metum Saracenorum.

XI. Huga II. de Montilio.

XII. Saura de Glandevez accepit unionem abbatiæ ſancti Pontii de Gemenos, cujus & poſſeſſionem adepta eſt per illuſtriſſ. Thomam de Puppio archiepiſcopum Aquenſem, 31. Decemb. 1407. ad hoc opus a Benedicto XIII. deputatum, qui quidem hanc unionem conceſſit, tum propter preces Byletæ Blainæ prioriſſæ & Bartholomeæ Berronæ monialium S. Pontii, quæ ſolæ in dicto monaſterio remanſerant, propter bella & mortiferos morbos; quæ duo flagella diu deſævierant: tum quia priores Almanarræ moniales, e parthenone ſancti Pontii prodierant. Regebat adhuc anno 1417. ut patet ex regeſtis Antonii Lombardi Maſſilienſis.

XIII. Margarita I. Stephane.

XIV. Ludovica I. N.

XV. Ludovica II. Bauſſane, an. 1454. ex A regiſtris Johannis Juliani notarii Maſſil.

XVI. Belleta de Glandevez abbatiſſa Almanarræ, de Fenoillet & S. Pontii, an. 1490. 1491. in regeſtis Alphantis notarii Maſſil.

XVII. Philippa Balbeſſe.

XVIII. Elionna de Caſtelane.

XIX. Felicia a S. Marcello.

XX. Ludovica III. de Clapiers.

XXI. Ludovica IV. de Pontevez.

XXII. Claudia de Pontevez.

XXIII. Margarita II. de Forbin de Soliez.

XXIV. Blanca de Forbin de Soliez, prima nominatur a rege, cum antea ſuas ab abbate Ciſtercienſi proviſiones abbatiſſæ ſuſciperent. B

XXV. Carlotta de Vintimille du Luc.

XXVI. Margarita-Ludovica de Banne d'Avejan, ad hunc uſque diem.

Aliter de Almanara loquitur Dom. Claudius Eſtiennot. De Almanarræ fundatione, hujuſque monaſterii præfectis ſeu abbatiſſis conjicit vir doctus auctorem parthenonis fuiſſe Ildefonſum regem Arragonum & marchionem Provinciæ, qui anno 1173. dedit Deo & B. Mariæ de Toroneto ſeu de Floregia, quidquid habebat in quodam manſo juxta villam de Areis C (*Hieres.*) Eo in loco conjicit ædificatum fuiſſe ab abbate & monachis Toroneti cœnobium virginum tribus a villa de Areis milliaribus; cujus ex chartis eruit abbatiſſas hoc ordine.

Tom. XI. Antiquit. Lusitan. p. 179.

I. Beatrix regebat an. 1214.

II. Carla an. 1228.

III. Nicola 1245.

IV. Maria-Franciſca 1254.

V. Sibilla I. de Carbonellis 1259.

VI. Raimbauda de Podio-Richardi 1297.

VII. Garlanda Roſtagna 1304.

VIII. Dulciſſa de Petrafoco obiit 1307. die 9. Octob.

IX. Iſlarda de Lambiſco obiit die 13. Nov.

X. Ribauda de Arcubus ſedebat an. 1313.

XI. Guillelma Raulina annis 1321. 1327.

XII. Sibilla II. de Foſſis an. 1334.

XIII. Gaufrida I. de Mala-morte obiit 24. Novemb. anni 1335.

XIV. Gaufrida II. Isnarda 1335.

XV. Girauda Antelma obiit 18. Februarii anni 1339. B

XVI. Bertranda I. de Dracone 1389.

XVII. Bertranda II. Brunſſenda 1448.

XVIII. Cæcilia Gumberta an. 1500.

XIX. Belleta de Glandevez 1501.

XX. Margarita I. de Valbello 1520.

XXI. Aloiſia de Pontevez 1548.

XXII. N. de Carcere, *de Carces* ....

XXIII. Claudia de Glandeves 1580.

XXIV. Margarita II. de Forbin de Soliers, ad annum fere 1669. præfuit per annos 50. in ſollicitudine, ac multum profuit.

XXV. Blanca de Forbin de Soliers filia Bermundi comitis de Soliers, amitæ Margaritæ ſufficitur.

Exſtant adhuc ad littus maris rudera veteris monaſterii, quod, ut diximus, in urbem de Areis tranſlatum eſt, quia prior locus non erat tutus.

ECCLESIA ARAUSICANA.

ARAUSIO-CAVARUM a populis qui hanc regionem tenuerunt dicitur Ptolemæo lib. 2. cap. 10. Straboni lib. 4. cap. 4. & Plinio lib. 3. cap. 4. Mela lib. 2. cap. 5. *Arauſionem Secundanorum* appellat, a militibus veteranis ſecundæ legionis, & opulentiſſimis Galliæ Narbonenſis urbibus accenſet. Plinius eam numerat inter colonias Romanas hoc ordine. In mediterraneo, coloniæ Arelate Sextanorum, Blitterræ* Septimanorum, Arauſio Secundanorum in agro Cavarum, Valentia, Vienna Allobrogum. *Arauſica urbs* legitur in conciliis. *Arauſionenſis urbs* Sidonio Apollinari lib. 6. ep. 12. quæ corrupte *Auraica* nuncupatur. Olim erat in provincia Viennenſi prima, nunc ſub Arelat. archiepiſcopatu, non procul Avenione. Ejus originem aliqui ducunt a Phocæorum Græcorum colonia, qui Maſſilia condita poſtmodum Arauſionem conſtruxere; ſed ex meris conjecturis. Civitatem hanc floruiſſe ſtante imperio Romano, probant tum laudati ſcriptores, tum maxime vetera monumenta, quorum adhuc rudera viſuntur; amphiteatrum nempe, cujus ſedilia ex gradibus lapideis adhuc ſuperſunt; aquæductus, templum Dianæ, ut volunt antiquitatis prophanæ ſtudioſi; arcus ſeu fornix in ſignum victoriæ quam Caïus Marius & Luctatius Catulus de Cimbris & Teutonibus reportaverant; arena ovalis figuræ, in qua gladiatores exercebantur. Porro civitas opportuno loco ſita, una duntaxat leuca a Rhodano diſtat, & duobus fluviolis Bicaro* & Medena alluitur, atque inter munitiſſimas Europæ urbes olim cenſebatur, præcipue ob arcem, quæ in colle poſita urbi dominabatur, quam Mauricius Naſſavius famoſiſſimus princeps undecim propugnaculis cinxerat an. 1622. Ager quo circumvallatur, vini, frumenti & croci feraciſſimus eſt. Caput eſt Arauſicani principatus, qui inter comitatum Vindaſcinum includitur, extenſus in longum & latum per quatuor leucas. Primus princeps fuit Guillelmus cognomento Buccina*, cujus poſteri in Raimbaldo IV. defecerunt, qui videlicet ſine liberis obiit. Sic principatus tranſiit ad Bertrandum de Baucio, qui uxorem duxerat Tiburgim, Arauſionis principem feminam. Ab hac illuſtriſſima Bauciorum gente pervenit ad Cabilonenſem ex comitum Burgundiæ ſtirpe propagatam, Maria filia & ſola herede Raimundi V. de Baucio principis Arauſicani, in matrimonium collocata Johanni Cabilonenſi, anno circiter 1386. Poſt quartam generationem Philibertus ultimus princeps Arauſicanus e genere Cabilonenſi, moriens ante ductam uxorem, reliquit heredem Renatum Naſſavium ſuæ ſororis filium anno 1530. qui nullis ſuſceptis liberis ante obitum, principatum & hereditatem tranſcripſit Guillelmo Naſſavio reipublicæ

* Vienna Allobrogum vel Lugdunum.

* Vigues & Manes.

* le Comte.

Digitized by Google

Batavorum præcipuo architecto, jure an injuria jam alii diſquiſiere.

Arauſio gaudet academia a Raimundo V. principe inſtituta anno 1365. Ibidem Guillelmus a Cabilone inſtituit ſupremum juris tribunal anno 1470. quod parlamentum appellare non dubitant. Quod ſpectat ad epiſcopatum, ſuberat olim Viennenſi, nunc Arelatenſi metropoli. Eccleſia propter celeberrima quæ in ea habita ſunt concilia, in primis illuſtris, ſub titulo beatiſſimæ Virginis Mariæ & omnium Sanctorum conſecrata eſt; ſanctus vero Florentius epiſcopus patronus quoque eſt, ſed inferioris ordinis. Capituli primaria dignitas eſt præpoſitura; in ipſo quoque eſt præcentor, qui *capiſcholus* quaſi caput ſcholæ cantorum nuncupatur. De abbatiis ſeorſim ex more agemus infra.

In diœceſi ſunt undeviginti tantum eccleſiæ parochiales, quarum aliæ ſunt intra fines principatus, aliæ in comitatu Vindaſcino; unica, ſcilicet Montis-draconis eſt in Provincia. In urbe præter eccleſiam cathedralem olim erat inſigne hoſpitium ſancti Johannis Jeroſolymitani, ad quod etiam dimidia pars dominii urbis olim pertinebat. Fuerunt & eccleſiæ ſancti Eutropii, ſancti Florentii, ſancti Martini, ſancti Petri, & baſilica elegans Franciſcanorum, in qua multorum e principibus olim viſebantur ſepulcra; denique templa Dominicanorum, Carmelitarum & quarumdam monialium. Sed hæreſi Calviniana in urbe graſſante & in tota ditione (princeps enim illam amplexus fuerat & quam maxime protegebat) eccleſiæ, oratoria, &c. ſpoliantur, ac deſtruuntur, vel in heterodoxorum ſynagogas mutantur; ſacræ franguntur imagines; pelluntur canonici, & Catholica religio exſulare cogitur. Sed his ultimis temporibus vice verſa, juſſu Chriſtianiſſimi regis, hæretici urbe & diœceſi ejecti ſunt.

In texenda epiſcoporum Arauſicanorum hiſtoria, præter libros editos, præ oculis habuimus obſervationes manu exaratas doctiſſimi viri Johannis-Ludovici Prevoſt præcentoris & vicarii generalis, qui eas ultro nobis & multa alia liberaliter ſuppeditavit. Acceſſerunt multa alia variis ex tabulariis & virorum eruditorum muſæis collecta.

EPISCOPI ARAUSICANI.

I. S. Lucius.

ANNI CHRISTI.

QUi hiſtoriam eccleſiæ Arauſicanæ nuper adornavit vir clariſſ. Johannes-Ludovicus le Prevoſt ejuſdem eccleſiæ præcentor, & illuſtriſſimi epiſcopi vicarius generalis, ſed nondum publici juris fecit; docet ex antiqua eccleſiæ hujus traditione ſanctum Eutropium primum fuiſſe Arauſicanum epiſcopum, quem tertio ſaltem ſeculo vixiſſe vult, cum ſecundum ejuſdem ſedis epiſcopum admittat ad annum
300. CCC. ſanctum Florentium. Iis ſane minus certis debemus præponere quæ eccleſiaſticis melioris notæ monumentis innituntur. Primus itaque locus in noſtrorum epiſcoporum nomenclatura dandus eſt ſancto Lucio, qui cum hanc obti-
312. neret cathedram anno circiter 312*. in irruptio-
*al. 346. ne Alamannorum duce Croco, cujus meminit Gregorius Turon. lib. 1. hiſt. c. 30. & ſeq. pro Chriſto martyr occubuit, uti legimus in oratione ſancti Amatii Avenion. epiſcopi & martyris, quam dabimus in Avenionenſibus epiſcopis.
314. An. 314. Fauſtinus preſbyter de civitate Arauſicorum e provincia Viennenſi ad ſynodum I. Arelatenſem convenit, quia, ut conjicimus, ſublato per martyrium ſancto Lucio, & poſt cædem paſtoris diſperſo grege, nondum potuerat fieri ſucceſſoris ſancti Lucii electio. Sic interfuere huic ſynodo Romanus preſbyter & Victor exorciſta, de civitate Apteníium, quæ tunc orbata quoque erat patre & paſtore, ſcilicet ſancto Leonio, quem eadem Croci perſecutio abſtulerat.

II. Eradius.

Eradius memoratur in epiſtola epiſcoporum provinciæ Viennenſis, contra Saturninum Arelatenſem epiſcopum Arianum, cui hic epiſcopus Arauſicanus ſubſcripſit, cum Nectario Vienenſi, Celſo Dienſi, Metiano Avenionenſi præſulibus, anno 356. Hujus epiſtolæ meminit vir multæ eruditionis D. Polycarpus de la Riviere, in annalibus eccleſiæ & civitatis Avenionenſis. ANNI CHRISTI. 356.

III. Constantius.

Inter Galliarum epiſcopos qui Aquileienſi concilio interfuerunt anno 381. princeps om- 381
nium ubique cenſetur Conſtantius epiſcopus Arauſicus, ſententiamque in Palladium epiſcopum Arianum & Secundianum primus eorumdem hanc pronuntiat. *Conſtantius epiſcopus Arauſicus dixit: Palladium Arii diſcipulum, cujus impietates jam olim damnata ſunt a patribus noſtris, in concilio Nicæno, & nunc hodie probata cum recenſerentur a Palladio ſingula, quia non confuſus eſt, dum Dei filium a Deo patre eſſe alienum, cum creaturam confitetur, cum tempore* (temporeum) *dicit, dominum verum negat, in ſempiternum cenſeo eſſe damnandum.* Idem quoque ſubinde diſputat in eo concilio contra Palladium, aut potius ejus contumaciam retundit. In reſcripto ad Siricium papam poſt damnatos ab eo Joviniaenum, ejuſque ſocios hæreticos, quo S. Ambroſius, &c. laudant ipſius ſollicitudinem, & eoſdem hæreticos damnant, ſubſcripſit Conſtantius epiſcopus, quem non ægre credimus eſſe noſtrum epiſcopum Arauſicanum.

IV. Marinus.

Marinus Arauſicenſis epiſcopus adfuit conſecrationi eccleſiæ Avenionenſis, reſtauratæ a Debone ejuſdem urbis epiſcopo, anno 433. 433.
& triennio poſt dedicatæ. Vide in hoc epiſcopo Avenionenſi.

V. Justus.

Hunc epiſcopum produnt acta ſancti Eutropii

ANNI CHRISTI.

pii a Vero epiſcopo ejus ſucceſſore ſcripto tradita. Ex iis enim diſcimus epiſcopum qui S. Eutropium in Arauſicana ſede præceſſit, Juſtum fuiſſe nuncupatum. Ad ipſius tempora revocanda nobis videtur Arauſicana I. ſynodus an.
441. 441. celebrata in eccleſia Juſtinianenſi. Et quidem inter ſubſcriptiones legitur *Juſtus epiſcopus.*
445. Anno 445. interfuit concilio Arelatenſi III. Anno eodem & ſequentibus nominatur in epiſtolis S. Leonis ad epiſcopos Galliæ Narbonenſis, & in epiſtola ſynodica illorum epiſcoporum ad ſanctum Leonem, an. 452.

VI. S. EUTROPIUS.

Juxta acta hujus antiſtitis a Vero deſcripta, quæ habemus in Bollandiana collectione ad diem 27. Maii, Eutropius Maſſiliæ ortus Honorio imperante, ex parentibus nobilitate generis & opum copia conſpicuis, mortua uxore totum ſe ad Dei cultum convertit, & omnibus virtutibus ornatus Maſſilienſi præluxit eccleſiæ, quibus permotus Euſtachius (*al.* Euſtatius) epiſcopus, eum ad clericatum rapuit, attonſa cæſarie. Mortuo vero Juſto epiſcopo Arauſicano, ejus in locum ſubrogandus omnium votis expetitur Eutropius, qui vaſtatam hanc eccleſiam a barbaris, & ad ſummam paupertatem redactam videns, ab ea receſſit. Sed admonitus ab Apro, quem quidam volunt fuiſſe S. Auguſtini diſcipulum, ad eandem rediit, quam ſapientiſſime rexit, inter ſummas angustias. Nam labore manuum, terramque colendo, victum ſibi & pauperibus quærere cogebatur. Vixit uſque
475. ad an. 475. ſi genuina ſit epiſtola Fauſti epiſcopi Rejenſis ad Lucidum preſbyterum in doctrina prædeſtinationis aberrantem, cui ſubſcripſit ſanctus Eutropius. Ad eum exſtat Apollinaris Sidonii epiſtola 6. libri VI. Jam præerat anno 464. ſi idem ſit Eutropius qui legitur in inſcriptione epiſtolæ XI. Hilari papæ; quod vero propius videtur: hæc enim epiſtola ſcripta eſt ad epiſcopos qui cognoverant in ſynodo de cauſa Mamerti Viennenſis epiſcopi, ob indebitam ordinationem factam in Decenſi eccleſia, poſtulati.

VII. VERUS.

Qui nuperrimam accuravit operum S. Leonis Magni editionem, in notis ad ejuſdem papæ epiſtolas, autumat Verum Arauſicanum epiſcopum eum eſſe, qui ſubſcripſit epiſtolæ ſynodicæ Gallicanorum epiſcoporum, miſſæ ad S. Leonem anno 451. At ſi Eutropius Veri anteceſſor vixerit uſque ad tempora Hilari papæ, imo etiam uſque ad annum 475. conjectura eruditi viri evaneſcit. Itaque de Vero id tantum ſcimus, eum ſollicitum fuiſſe colligere acta ſancti ſui deceſſoris, & ea ſcripto relinquere.

VIII. S. FLORENTIUS.

S. Florentius, ſi Proprio eccleſiæ Placentinæ ubi 19. Octobris colitur, fides adhibenda ſit, inter Turonenſes natus, regi & populo percarus, Arauſicanæ eccleſiæ creatus eſt pontifex; quo in munere, pietatis egregia dedit argumenta; optimique paſtoris & patris officia omnia eſt exſecutus. Subſcripſit ſynodo Epaonenſi, anno 517. & Arelatenſi IV. an. 524. In concilio Lugdunenſi anni 517. ſubſcriptus quoque legitur: *Florentius epiſcopus.* At eodem tempore erat quoque in eccleſia Tricaſtina Florentius epiſcopus, uti in Arauſicana; unde ancipites ſumus utri ex duabus eccleſiis illis tribui debeat Florentius in concilio Lugdunenſi tertio commemoratus. Florentiola oppidum Placentinæ diœceſis hunc Arauſicanum epiſcopum patronum colit, ejuſque ſacris exuviis gaudet, quarum tranſlatio celebratur 14. cal. Aprilis.

ANNI CHRISTI.
517.
524.

IX. VINDEMIALIS.

Vindemialis concilio Carpentoratenſi nomen adſcripſit & calculum addidit an. 527. necnon epiſtolæ ſynodicæ ad Agræcium præſulem Antipolitanum. Anno 529. ſynodo Arauſicanæ ſecundæ, propter canones de gratia & libero arbitrio in ea ſancitos celeberrimæ, ſubſcripſit: item Vaſenſi eodem anno: Aurelianenſi IV. anno 541. & V. an. 549. ſed tantum per Petrum preſbyterum ab ipſo ad hanc ſynodum directum.

527.
529.
541.
549.

X. MATTHÆUS.

Miramur omiſſum fuiſſe in noſtrorum epiſcoporum indice præſulem hunc, cujus nomen tam diſerte ſignatur in duobus Gallicanis conciliis. Etenim in ſubſcriptionibus concilii V. Arelatenſis an. 554. celebrati legitur Matthæus Arauſicæ eccleſiæ epiſcopus. Idem dic de ſynodo Pariſienſi II. habita anno ſequenti, juxta Labbeanam conciliorum editionem: quamquam Carolus Cointius eam revocat ad annum 551. putatque tardius vix differri poſſe, quod Firminus Uceticæ urbis epiſcopus, qui ei ſubſcripſit, mortuus ſit anno 553. At 1°. Firmini mors etiam ſi contigerit anno 553. minime probat ſynodum hanc Pariſienſem anno 551. coactam. 2°. Nullis argumentis oſtendit vir doctus ſanctum Firminum e vivis exceſſiſſe anno 553. & de anno mortis hujus epiſcopi nihil certi habemus. In vita ejuſdem S. Firmini legimus eum, cum graviſſime ægrotaret, *miſſis epiſtolis epiſcopo Arelatenſi & Aventionenſi, ſimulque Auracienſi, monuiſſe, ut in loco ſuo Ferreolum epiſcopum ordinarent; quod & factum eſt.* Hic *Auracienſis*, ſeu Arauſicanus epiſcopus fuit haud dubie Matthæus ſancti Firmini coætaneus.

554.

XI. TRAPIDIUS.

Trapidius, *al.* Trapecius ſubſcripſit concilio Valentino II. anno 584. & Matiſconenſi etiam ſecundo, anno ſequenti. Eundem ſediſſe in ſynodo Lugdunenſi, quam Binius collocat anno 587. Labbeus anno 583. aſſerit vir clariſſ. Johannes-Ludovicus le Prevoſt; attamen iſtius antiſtitis nomen non reperimus in cœtus hujus ſubſcriptionibus. Poſt Trapidium deſunt plurimi epiſcopi.

584.
585.

XII. SALICUS.

Salicus *Arauſiſenſis* epiſcopus nominatur in ſubſcriptionibus concilii Narbonenſis, quod plerique ponunt anno 788. uti legitur in ipſis concilii actis; Cointius vero amandat ad annum

788.

ANNI CHRISTI.

791. mutans mira libertate omnes chronicos characteres. Eidem placet producere vitam & episcopatum Salici, usque ad annum 798. quo vero fundamento nos latet.

Coint. ad an. 798. n. 15.

XIII. Bonifacius.

Eadem fiducia & libertate quam huc usque admirati sumus, Carolus Cointius jam ab anno 811. donat Bonifacium episcopatu Arausicano. Incertum tamen est quando præesse cœperit.

839. Id solum de ipso liquet, anno 839. Laudonem fuisse electum episcopum ecclesiarum Arausicensis & Tricastinensis, vacantium per mortem bonæ memoriæ Bonifacii. Unionem utriusque ecclesiæ factam esse tempore hujus episcopi, vix dubitare licet; decreta enim est a Gregorio papa IV. cujus pontificatus exordium assignatur anno 827. Johannes-Ludovicus le Prevost vult Bonifacium cœpisse præesse anno circiter 828.

839. Desiit autem anno 839.

XIV. Laudo. *Ut in episcopis Tricastinis.*

XV. Pontius I. *Ut in episcopis Tricast.*

XVI. Gemardus[a]. *Ut in episcopis Tricast.*

XVII. Ebroinus & Ebraus forte per abbreviationem. *Vide in Tricast. episcopis.*

XVIII. Pontius II. *al.* Poncio.

C. I. p. 731. col. 2.

Quando perpendimus formam electionis hujus episcopi, quam damus in probationibus, parum abest quin persuasum habeamus Arausicanos non diu patienter passos esse unionem suæ ecclesiæ cum Tricastinensi, & sibi quæsiviisse proprios pastores. Certe ex formula electionis Pontii intelligimus solum clerum & populum Arausicanum ad eam convenisse, nulla facta mentione Tricastinorum. Hoc in instrumento commemorantur rex Conradus, Boso comes, comprovinciales episcopi. Cur non adesset metropolitanus Arelatensis, profertur causa, quod videlicet tunc sedes vacaret. Quî fit ergo ut fileatur de advocatis Tricastinis clero & populo, cum de communi eorum patre deligendo ageretur? Hæc sane non obscure significant Pontium, qui ex *sacerdote ecclesiæ Auraicensis* electus legitur, non ordinatum fuisse episcopum nisi solis Arausicanis. Subrogatum eum fuisse Ebroino seu Ebrao adhuc viventi, sed ob infirmam valetudinem officium episcopale exercere non valenti, legimus. Itaque si Ebroinus fuisset simul episcopus Tricastinensis & Arausicanus, quo pacto inconsultis Tricastinensibus Arausicana ecclesia præsumsisset eligere communem utriusque ecclesiæ antistitem: maxime cum ex lege unionis factæ, ecclesia Tricastinensis *primatum* teneret? Certe quando electus est Laudo, accesserunt utriusque cleri, utriusque plebis suffragia. Nec prætereundum est Gemardum quando subscripsit Mantalensi synodo, nomini suo titulum episcopi Arausicani addidisse. Hæc sunt quæ pene me cogunt ad dubitandum utrum unio facta tempore Bonifacii perseveraverit illæsa. Reliqua de Pontio II. habes in episcopis Tricastinis.

ANNI CHRISTI.

XIX. Pontius III.

Anno 982. Airardus Carpentoratensis episcopus fundavit in ecclesia sua capitulum, quod aliorum prælulum consensu & subscriptione approbari & confirmari voluit. Unus autem ex his prælulibus fuit Pontius episcopus Auraicensis, ut legere est in instrumento hujus fundationis. Porro vix credi potest Pontium hunc fuisse ipsum qui anno 914. electus est, cum jam esset sacerdos & ætate maturus, alioquin debuisset pervenire ad summam senectam. Inde videtur vero propius esse alium Pontium.

982

XX. Aldiricus.

In libro qui exhibet sacramenta ab episcopis ecclesiæ Arelatensi præstita, legitur: *Ego Aldiricus Auraicensis ecclesiæ vocatus episcopus, promitto coram Deo & sanctis ejus, omnem subjectionem & obedientiam canonicam, & fidelitatem ecclesiæ S. Stephani sedis Arelatensis, &c. & Annoni præsenti archiepiscopo, &c.* Iste Aldiricus debuit sedere saltem ab anno 994. quo extinctus est Anno archiepiscopus. Alius autem esse debet ab Odalrico vel Aldirico, qui ut episcopus Auraicensis & Tricastinensis promisit obedientiam Rajambaldo Annonis successori.

Hic potest assignari tempus quo duæ sedes episcopales istæ sunt unitæ.

XXI. Odalricus. *Ut in episcopis Tricast.*

XXII. Martinus. *Ut in episcopis Tricast.*

XXIII. Geraldus. *Ut in episcopis Tricast.*

Tempore hujus episcopi Arausicenses impatienter ferentes carere proprio episcopo, cogitaverunt de rescissione unionis suæ ecclesiæ cum Tricastina, auctore præsertim & impulsore Bertrando comite filio Raimbaldi. Ea de causa scripsit Alexander papa II. tum ad clerum & populum Arausicæ urbis, tum ad Bertrandum. Quo tempore scripsit hic summus pontifex, nondum Arausicenses episcopum sibi elegerant; id enim suis in litteris non tacuisset. Sed sub ejus successore Gregorio VII. id factum intelligimus.

Vide prob. Tric. C. III. & IV. pag. 119. 120.

XXIV. Guillelmus I.

Contentione orta pro unione ad Gregorium papam VII. delata, hic pontifex pollicitus est se pro illa dirimenda legatum missurum. *In hac autem suspensione* Guillelmus electus est ad regendam ecclesiam Arausicensem, & consecratus, ut nos docet Urbanus papa II. Pontio tunc in ecclesia S. Pauli Tricastinensis sedente. Guillelmus prior erat S. Ruffi, ut legimus in Gallia Christiana Sammarthanorum fratrum,

[a] Gemardo Prevotius præmittit Odalricum, qui, inquit, nominatur in testamento Alataissæ Arausicæ comitissæ, quæ ipso mortuo palatium episcopale abstulerat, & eo testamento reddiderat. De eo etiam, inquit, fit mentio in litteris Ildefonsi comitis Tolosani, datis anno 1126. Sedebat autem Odalricus anno 867. Hic Odalricus est ignotus tum Sammarthanis, tum Bobyerio, qui nuper scripsit historiam episcoporum Tricastinorum. Tunc autem idem erat Tricastinorum & Arausicanorum episcopus. Non profert Prevotius notas chronicas testamenti Alataissæ comitissæ, unde deprehenderemus quo circiter tempore viveret Odalricus. Quod spectat ad chartam Ildefonsi comitis anni 1126. opportunius potest referri ad alium Odalricum de quo infra.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

qui illum electum fuisse docent, postquam Geraldus Ademarus princeps Arausicanus a summo pontifice Gregorio VII. separationem episcopatuum obtinuisset, quod fecit per legatum suum episcopum Albanensem, cum consilio archiepiscopi Arelatensis & Vivariensis episcopi, apud Pontem Sorgiæ, adstantibus principe, clero & populo. Addunt id postea confirmatum esse ab Hugone archiepiscopo Lugdunensi pontificio legato, & Guillelmum electum consecrationem accepisse a Narbonensi archipræsule. Denique Victorem papam III. quod factum fuerat corroborasse. Certe lite pendente coram Urbano II. constat Arausicanos contendisse unionem olim factam, sublatam fuisse. At id probare non potuerunt; quod tamen ipsis inpromtu fuisset, si tanta cum solemnitate Gregorius VII. de dissolutione sententiam tulisset per suos legatos. Præterea post tanti pontificis judicium Urbanus II. & Paschalis II. ejus successores, quorum summa fuit erga ipsum reverentia, nunquam impugnassent, quod tam matura deliberatione ab eo decretum fuisse cognovissent.

Aliunde tamen putamus Gregorium papam ejusque legatos tacite approbasse electionem Guillelmi, alioquin eam irritam pronuntiassent, quod minime fecerunt. E contrario Romani pontifices eum pro legitimo habuerunt episcopo, ut liquet, maxime ex bulla Urbani II. in qua honorifice de illo loquitur.

Vide prob. Tom. C. II. p. 119. col. 2.

Paulo post decretum Urbani datum anno 1095. quo videlicet cautum erat, ut moriente Guillelmo episcopo, ecclesia Arausiensis ad Tricastinam *rediret*, hoc est Tricastino iterum subjiceretur episcopo; hic Guillelmus sacram peregrinationem aggressus est cum Raimbaudo comite, ut testatur Matthæus Paris in hist. Angl. sub Henrico II. *Subsecuti sunt peregrinos prædictos comes Tolosanus Raimundus & episcopus Podiensis Aimarus, in negotium Crucifixi: erant autem cum eis in gente sua viri generis præclari, Willelmus Arausiensis episcopus, & comes Raimbaldus, Gastus de Bedsers, Girardus de Rossillo, Willelmus de Montepessulano, Willelmus comes Forensis, Raimundus Pelez, Gentorius de Barre, Willelmus Amanen.* Moritur in oppugnatione civitatis Marræ a Christianis 11. die Decembris anni 1098. vir religiosus, justus ac timens Deum, ut docent iidem Paris & Albericus in chronico; Aimaro Podiensi antistiti in ea expeditione socio fuerat summa amicitiæ necessitudine devinctus. Quem etiam Willelmus Tyrensis archiepiscopus lib. 3. memorat in eadem *cruciata* Raimundo comiti Tolosano gravi correpto ægritudine, & quasi morituro fidelium animabus debita impendisse obsequia.

1095.

Statim ac rescivit Paschalis II. Guillelmi mortem, scripsit ad Gibelinum Arelatensem archiepiscopum: *Fratre & coëpiscopo nostro Guillelmo a mortalitate ad immortalitatem, a terrenis ad cælestia, ut credimus, sublevato, jam tempus adest ut Arausicana ecclesia Tricastino episcopo reddatur, & diu super hoc eventilatis litibus, præ-*

a Tribuunt Gregorio VII. quod infra ostendemus a Paschali II. factum fuisse.

Tomus I.

sentium auctoritate fraternitati tuæ mandamus, ut prædicto episcopo ipsam ecclesiam reddas, & ut tam clerus quam populus ei obediat. Scripsit etiam clero & populo ejusdem ecclesiæ, idem præcipiens: *Datum Laterani* III. *idus Aprilis anno* MC. Attamen Paschalis postea mutavit sententiam; nempe clerici *Aurasienses* præsentiam ejus humiliter adierunt, & ut ecclesiam suam a conjunctione Tricastinæ, cui pro necessitate temporum fuerat conjuncta liberaret; & cessante tandem necessitate, & gratia divina superveniente, eis proprium episcopum donaret, eum rogaverunt. Eorum precibus motus Paschalis papa, Richardo Albanensi episcopo suo legato præcepit, ut conventum episcoporum apud Pontem de Sorga haberet, scilicet Arelatensis archiepiscopi & comprovincialium, quibus se adjungeret episcopus Vivariensis, & quidquid ipsis visum foret, faceret ipse. Igitur juxta illorum præsulum, maxime Vivariensis episcopi consilium, Albanensis episcopus Aurasiensis ecclesiæ causam definivit, & Aurasicensibus clericis eligendi proprii episcopi libertatem tradidit. Ita in instrumento electionis Berengarii.

ANNI CHRISTI.

1106.

C. II. p. 131. col. 2.

XXV. Berengarius.

Hac auctoritate suffulti clerici Aurasicensis ecclesiæ, elegerunt Berengarium virum scientia, moribus, genere ornatum, sancti Ruffi canonicum, in præsentia Richardi Albanensis episcopi, Gibelini Arelatensis metropolitani, Leodegarii Vivariensis episcopi, & Leberti abbatis sancti Ruffi, assistente quoque Adhemario Auraficæ principe. Hæc autem electio facta est an. 1107. ut jam observavimus in Gibelino Arelatensi archiepiscopo, qui paulo post Jerosolymam profectus est. Idemque probatur ex Berengarii epitaphio, ubi etiam legimus ipsum ordinatum esse die 27. Augusti. Cererum hanc ordinationem ratam habuit Paschalis papa II. & de asserendis hujus episcopatus finibus, tutandisque adversus vicinos episcopos sollicitus fuit, data bulla an. MCXIII. Cum Berengarius religiosam vitam professus esset in celeberrimo S. Ruffi asceterio, canonicis suis auctor fuit ut regulæ S. Augustini sese addicerent, quam servaverunt usque ad seculum XVII. quo Paulus V. anno 1615. eos seculares ex regularibus fecit. Anno 1115. Berengarius mittitur legatus a summo pontifice in Orientem ad partes Syriæ, de qua legatione sic loquitur Willelmus Tyrius historiæ lib. XI. ad annum præfatum: *Eodem*, inquit, *tempore dominus papa auditis enormitatibus Arnulfi patriarchæ, & de ejus immunda conversatione plenius edoctus, legatum dirigit ad partes Syriæ, quemdam virum venerabilem & multa religione conspicuum, Aurasicensem episcopum, qui ad partes nostras perveniens, convocato universi regni episcoporum concilio, prædictum Arnulfum coram se adstare præcepit: tandemque meritis exigentibus, auctoritate sedis apostolicæ ab officio pontificali deposuit. Ille vero adhuc fiduciam habens in suis præstigiis, quibus pene universorum subvertebat animos, transfretare coactus ad Romanam perrexit ecclesiam;*

1107.

Vide prob. C. III. pag. 132. col. 1.

1113.

cap. 16

ANNI CHRISTI.

ubi domini papæ & totius ecclesiæ blandis verbis & larga munerum profusione, religionem circumveniens, cum gratia sedis apostolicæ remeavit ad propria, sedem obtinens Hierosolymitanam eadem vivendi licentia, quæ prius meruerat depositionem.

1118. Redierat Berengarius anno 1118. quo ipsius occurrit mentio in tabulis Montis-Majoris, his verbis: *Fulco Aquensis archiepiscopus, & Petrus Montis-Majoris abbas, de ecclesiis ad præfatam abbatiam in Aquensi diœcesi pertinentibus, præsentibus G. Viennensi archiepiscopo, A. Avenionensi, B.* (Berengario) *Arausicensi, L. Aptensi, A. Rejensi, ... Diensi, L. Vapincensi episcopis ..... Conveniunt apud Romanum mense Martio, Dom. incarnationis an.* MCXVIII. *indictione* X. Hujus chartæ meminerunt nostri Sammarthani in Fulcone Aquensi archiepiscopo.

Toto autem tempore quo abfuit Berengarius, proventus episcopatus cessit ad ecclesiam
1126. cathedralem construendam. Anno MCXXVI. adfuit concilio Viennensi juxta Prevotium; cujus tamen in conciliorum collectione nulla fit mentio. Eodem anno multa recuperavit ad suam ecclesiam pertinentia, charta Ildefonsi comitis Tolosani, scilicet quasdam justitias, clausstrum,
C. IV. pag. 134. col. 1. domum episcopalem & multa alia de quibus in laudatis Ildefonsi litteris quas damus in probationibus. Anno 1127. univit sacristiæ dimidiam
1127. partem oblationum ecclesiæ sancti Symphoriani prope Auraicam, quo etiam anno, ad Deum migravit. Olim in ecclesia, priusquam videlicet a segregibus vastaretur & destrueretur, legebatur sequens epitaphium:

Nobilis Hispanus præsul Berengarius hujus
Urbis in hoc modico conditus est tumulo.
Illum legatum Hierosolyma sensit, & inde
Ornamenta sua detulit ecclesia.
Prædecessoris Willelmi facta secutus,
Ecclesiam studuit magnificare suam.
Pastor episcopium rexit quinis quater annis,
Amplius atque minus non fuit una dies.
Hunc lux Augusti vigesima septima sedi,
Pontificem dedit, hunc abstulit hac eadem.
Hoc carmen fecit Willelmus præsul ab illo
Tertius, & scribi jussit in hoc lapide.

XXVI. GERARDUS.

1129. Gerardus jam præerat ut episcopus an. 1129. quo subscripsit cum Logerio Avenionensi episcopo, donationi Bernardi Arelatensis archiepiscopi, qui cessit ecclesiam S. Thomæ hospitalariis S. Johannis. Dedit ipse Cluniacensibus ecclesiam de Podioleno.

Eum esse puto G. episcopum Arausicanum, qui scripsit ad B. archiepiscopum Arelatensem apostolicæ sedis legatum (Bernardum) piam & elegantem epistolam, de rejecto episcopatu ad quem fuerat electus a canonicis Regularibus. Prædecessoris ejus nomen incipiebat a littera B. qua designatur Berengarius. Hanc epistolam mihi communicavit doctissimus Fornerius S. Victoris apud Massil. ascetа; quam ex veteribus ecclesiæ suæ monumentis descripsit.

XXVII. GUILLELMUS II.

1130. Guillelmus anno 1130. litteras ab Innocentio papa II. obtinuit pro retinenda vita regulari, & an. 1137. protectionis & confirmationis prædiorum, quibus etiam confirmat terminos Aurasicensis parochiæ, quos ex præcepto prædecessoris sui in præsentia Attonis Arelatensis episcopi & suffraganeorum ejus a Berengario episcopo constabat esse probatos, & Romæ assistente Pontio Tricastino episcopo ab eodem prædecessore suo collaudatos. Ad eum scribit Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis lib. 2. epist. 31. sic expostulans: *Cum sapientem & religiosum vos & fuisse sciam, & esse non diffidam: mirari non satis sufficio, quod primitias præsulatus vestri tanto studio monachorum insectationibus dedicastis. Quos enim religionis major professio religioso magis episcopo commendare debuisset: nescio unde emergente occasione duriorem, ut dicitur, pra ceteris experti sunt hostem, qui pra aliis vos magis debuerant sentire parentem..... Sed quod magis indecens, ne dicam, turpe est; non de gravibus, vel levibus vitiis, sed de rebus pecuniariis inter sanctum episcopum & religiosos monachos quæstio versatur: quia cum constet apud nostros, & forsitan vestros, ne dicam apud vos, fratres de Podioleno ecclesiam S. Martini, dono prædecessoris vestri Arausicensis episcopi, & concessione Urbani papæ, non tantum juris proprietate, sed & corporali possessione, legali, quod ipse nostis, tempore possedisse: a vobis tamen nimia, ne dicam calumniosa vexatione, quod nunquam hactenus, fatigantur.* In eadem epistola, divinarum & humanarum legum Guillelmum peritum vocat, cum quo aliquando publice & privatim sermonem habuisse scribit; & eum invitat ad interdicti sententiam in ecclesias promulgatam revocandam. Ecclesia autem ista Podioleni erat prioratus ordinis Cluniacensis in Arausicensi diœcesi, dicatus B. Johanni-Bapt. Huic episcopo Innocentius papa II. concessit bullam pro confirmatione possessionum episcopatus, quam edidimus in probationibus. Obiit Guillelmus VII. cal. Januarii, ex libro obituum S. Andreæ prope Avenionem.

C. V. pag. 131. col. 2.

XXVIII. GUILLELMUS III.

Hic Guillelmus, tertius post Berengarium episcopum præsul, ejusdem scripsit epitaphium, in cujus fine legitur:

Hoc carmen fecit Willelmus præsul ab illo
Tertius [a].

XXIX. BERNARDUS.

Memoratur anno 1141. in actis publicis dissidii, inter Arelatenses canonicos, & monachos Massilienses, ad quod componendum fuit collega Guillelmi I. Arelatensis archiepiscopi sedis apostolicæ legati. Anno 1150. adfuit Tiburgi testamentum suum condenti, quæ postea sepelitur in ecclesia sancti Florentii paucis ab annis diruta. Convenit IV. cal. Januarii anno 1152. ad translationem S. Trophimi ab ecclesia beati Honorati, ad cathedralem cum Raimundo Arelatensi archiepiscopo, Gaufrido Avenion. Berengario Vasionensi, & Petro Massilienso episcopis. Ejus depositionis dies est XVIII. cal. Septembris, ex sancti Andreæ Avenionensis necrologio.

1141. Ex archiv. Arelat.

1150.

1152.

[a] Forte is Willelmus a superiori non est distinguendus, qui potest dici præsul tertius post Berengarium, si ipse Berengarius primus computetur.

ANNI CHRISTI.

XXX. Petrus I.

Petrum legimus Bernardo ſubrogatum; qui nominatur in teſtamento Raimbaudi principis
1173. Arauſicani. Anno 1173. adfuit compoſitioni Raimundi de Bolena Arelatenſis archiepiſcopi, cum filiis Petri de Lambeſco, pro arce Salonina, & aliis caſtris epiſcopatus, quæ illi armis occupaverant & tenebant.

XXXI. Hugo Florentius.

Eum fuiſſe Arnulfi epiſcopi anteceſſorem tantummodo novimus, & abdicaſſe. Adhuc vivebat anno 1211. ut infra oſtendemus, quo tempore legitur quondam epiſcopus Auraſicanus. Adhuc ſuperſtes erat anno 1215. quo pacis fuit ſequeſter inter abbatem Aquæ-bellæ, & quemdam toparcham.

XXXII. Arnulfus.

Subſcripſit litteris Bertrandi de Baucio, quibus monaſterio majoris Cartuſiæ dedit in perpetuum viginti ſaumatas ſalis annuales, in villa Berra; & conceſſit tam præfato monaſterio, quam ejuſdem prioratibus, & prioratuum confratribus, ut ipſi & eorum jumenta, cum omnibus quæ ſecum tulerant, liberam haberent facultatem eundi & redeundi *per terram*, inquit, *noſtram*, ut nec in pedagio, nec in aliquo alio uſatico, moleſtiam paterentur &c. *Act.*
1182. anno incarnationis 1182. Cum lepra laboraret hic epiſcopus, coadjutorem accepit juſſu Innocentii papæ III. occaſionemque præbuit huic pontificii juris deciſioni: *Epiſcopo qui propter morbum incurabilem paſtorale officium exercere non poteſt, dandus eſt coadjutor, nec afflicto afflictio eſt addenda, imo potius ipſius miſeria miſerendum.* Ipſe vero morboſus antiſtes rus conceſſit, duabus leucis ab Arauſione in loco ſuburbano, inter loca Montis-Draconis & Mornaſſe, ibique domum exſtruxit ut reliquum vitæ exigeret, quæ in eremum verſa eſt S. Lupi. Quando vero morbo cogente ab adminiſtratione ſuæ ec-
1184. cleſiæ abſtinuerit, neſcimus. Adfuit an. 1184. Guillelmo de Baucio privilegia canonicis Arauſicanis concedenti, quo tempore veriſimile eſt eum ſanum fuiſſe, nec adhuc receſſiſſe ab hominum conſortio. Innocentius III. cathedram
1199. ſancti Petri non conſcendit, niſi an. 1199. quo paulo poſt de coadjutore illi dando decretum fecit. Ejus epitaphium lapidi inciſum nuper effoſſum hodie cernitur in palatio epiſcopali, ubi legitur:

Vide Ch. VII. p. 193. col. a.

C. expoſt. Extra de cler. ægrot.

Martis quindenis vecti ſuper aſtra calendis,
Hic lapis Arnulphi præſulis oſſa tegit.
Quid facient inopes, inopum miſerator obivit,
Amiſit ſolitas plebs miſeranda dapes.
Prudens, facundus, juſtus, pius & moderatus,
Exemplar ſiquidem ſobrietatis erat.
Jejunus dapibus, flevit gemuitque reatus
Pene nona dies fulſit & ecce dies:
Quiſque Pater noſter lector pro præſule dicat
Ut jungatur ei qui ſuper aſtra micat.

XXXIII. Guillelmus IV.

Guillelmus Helias, quem Prevotius poſt Ughellum dicit monachum fuiſſe Ciſtercienſem, ex coadjutore Arnulfi factus eſt epiſcopus anno 1200. Guillelmo V. tunc Arauſiæ principe. 1200.
Tranſigit eodem anno cum Guillelmo de Sabrano, pro territorio caſtri de Darboux. Anno 1208. conſecravit eccleſiam ſuam ſub invoca- 1208.
tione Deiparæ Virginis, & omnium ſanctorum, adſtantibus Toloſano & Tricaſtin. præſulibus, quam Guillelmus princeps in ſuam tutelam ſuſcepit. Sed cum jus patronatus ambiret, ſeu epiſcoporum nominationem, Innocentius papa III. per Milonem ſuum legatum ab eo juramentum exegit ſe de cleri electione nihil unquam ſibi vindicaturum. Eodem anno teſtis fuit cujuſdam acquiſitionis a præpoſito & canonicis factæ. Anno 1209. ſubſcripſit diplomati Petri Arragonum regis, pro S. Pontio. Anno
1211. mandato Michaelis archiepiſcopi Arela- 1211.
tenſis, inquiſivit de damnis illatis Vaſionenſibus epiſcopis a Toloſano comite; cui inquiſitioni adfuit Hugo Florentius epiſcopus quondam Arauſicenſis, Arnulfi deceſſor. Hujus inquiſitionis factæ juſſu Innocentii papæ III. & Othonis imperatoris inſtrumentum aſſervari in tabulario epiſcopi Vaſionenſis aſſerit J. Columbi. An. 1212. ſedit in concilio Arauſicano cujus epiſtolam ad Innocentium papam III. habes apud Catellum hiſtoriæ comitum Toloſanorum libro II. An. ſequenti legitur conve- p. 185.
niſſe ad ſynodum Vaurenſem. Migravit ex hac vita an. 1221. ut notat Albericus, eum virum 1221.
honeſtum & religioſum vocans.

XXXIV. Amicus.

Quamvis Amicus Guillelmo forte ſubrogatus fuerit paulo poſt ipſius mortem, nihil tamen de illo nobis occurrit ante an. 1223. quo permu- 1223.
tavit cum capitulo ſuo eccleſiam de Camereto, cum eccleſia de Alta-villa. Anno 1225. ſequen- 1225.
tes litteras accepit a Friderico imperatore:

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator ſemper Auguſtus & rex Sicilia præſentis ſcripti ſerie univerſis imperii fidelibus præſentibus & futuris volumus eſſe notum, quod nos Auraicenſem eccleſiam volentes oculo benigno reſpicere, & ejus profectibus providere, ad ſupplicationem quoque Amici venerabilis ejuſdem eccleſiæ epiſcopi dilecti fidelis noſtri generaliter indulgemus, ut liceat cuilibet de imperio noſtro de bonis & poſſeſſionibus ſuis abſque præjudicio & gravamine noſtro & imperii vendere, donare, & in ultima voluntate relinquere dicto venerabili, ſucceſſoribus ſuis & Auraſicæ eccleſiæ, non obſtantibus prohibitione ſeu ſtatuto alicujus civitatis, vel alicujus perſonæ eccleſiaſtica ſeu civilis. Ad hujus autem rei evidentiam & perpetuam firmitatem præſens ſcriptum fieri & ſigillo majeſtatis noſtræ juſſimus communiri. Datum Panormi anno Dominicæ incarnationis MCCXXV. *menſis Martii decimo tertio.* Anno 1229. IX. cal. Januarii probat conventionem ab Hugone epiſcopo factam pro S. Saturnini priore, præſente Nemauſenſi epiſcopo. Anno 1235. 1235.

ANNI CHRISTI.

mediator & amicabilis compoſitor exſtitit inter A Laurentium Tricaſtinum epiſcopum & Templarios. Et an. 1238. [a] inter B. epiſcopum Avenionenſem, & abbatem ſancti Andreæ xv. cal. Aprilis. Anno 1246. quædam pro utilitate ſuæ eccleſiæ ſtatuit. Hoc præſule & magno ſancti Ægidii priore intercedentibus, cum urbis Arauſicæ plebs rebellaſſet, ſyndici cum omni populo in genua provoluti ante ſacram hoſtiam juravere fidem principibus Arauſicanis, & veniam petiere, quod fidelitatem fregiſſent, poſtea-
1247. que abſolvuntur ab Amico die 1. Junii 1247. quo etiam rogante Arelatenſes reguli canonicis Arauſicenſibus reſtituunt pretium multorum dominiorum quæ ipſis abſtulerant, quod B ea inſciis principibus acquiſiviſſent.

Amici meminit Spondanus ad annum 1228. Ejus tempore celebratum eſt Arauſicæ concilium a Romano S. Angeli diacono cardinali, S. ſedis legato.

XXXV. Petrus II.

Petrus epiſcopus *Auraica* adfuit concilio In-
1251. ſulano provinciæ Arelatenſis anno 1251. Teſtis fuit *ſacramentalis* dominorum Arnaudi Pontii,
Extab. Arelat. & Raimundi de Monte-Draconis, necnon Rixendis uxoris, pro iis quæ habebant in caſtro C
1263. Montis-Draconis, an. 1263. An. 1268. tranſ-
1268. egit cum Raimundo de Baucio principe Arauſicano, & altero Raimundo de Baucio ejus nepote, ſuper injuriis ab eis ſibi illatis. Una cum capitulo, univit eccleſiam S. Eulaliæ in Auraſicenſi civitate a monaſterio S. Andreæ Avenion. pendentem, infirmariæ prædicti monaſterii, poſtulantibus P. abbate, & conventu, ex tabul. ejuſdem monaſterii an. 1269. quo etiam anno Fratres Prædicatores prima monaſterii ordinis
1270. ſui fundamenta jecerunt. Anno ſequenti perrexit ad concilium Avenionenſe idibus Julii celebratum. D

XXXVI. Josselinus.

Joſſelinus ex ordine Fratrum Minorum eligi-
1271. tur a capitulo calendis Maii anni 1271. & conſecratur a Bertrando Maleferrato Arelatenſi
1276. metropolita. An. 1276. prioratum ſancti Stephani de Ulmis univit monaſterio S. Petri de Podio, quod etiam in abbatiam monialium erexit, ea lege ut in poſterum abbatiſſa ab Arauſicano benediceretur epiſcopo. Capituli proventus auxiſſe dicitur unione prioratus de Vacacieras.

XXXVII. Guillelmus V.

1280. E

Jam præerat hic epiſcopus an. 1280. quo Bernardus archiepiſcopus Arelatenſis videns quas in anguſtias eſſet redactus hujus ſedis præſul, cum conſilio R. * Maſſilienſis epiſcopi, G.* Vaſionenſis, J. * Tolonenſis, Bertrandi Cavallicenſis, menſæ epiſcopali dedit eccleſiam ſancti Jacobi Montis-draconis. Cognomentum *de ſpinoſa*, quod illi tribuunt noſtri Sammarthani, alteri Guillelmo convenit, de quo nunc agendum.

* Raimundi. * Giraudi. * Johannis.

[a] Hoc anno D. Polycarpus de la Riviere dat locum cuidam Attaldo, ut intelligitur ex ejus epiſt. XI. ad Peireſxium. At mutaſſet ſententiam ſi exploraſſet S. Andreæ Aven. tabularium.

XXXVIII. Guillelmus VI.

ANNI CHRISTI. D'ESPINOUSE.

Guillelmus de Spinoſa ex canonico eccleſiæ Arauſicanæ eligitur epiſcopus, an. 1285. & un-
1285. ctione ordinationeque ſacra per Arelatenſem metropolitanum perficitur. An. 1288. adfuit
1288. concilio Inſulano. An. 1297. petente hoc epi-
1297. ſcopo, & ad preces Simonis cardinalis, Roſtagnus archipræſul Arelat. inopiæ eccleſiæ Arauſicanæ conſuluit, & menſæ epiſcopali adjecit S. Eutropii eccleſiam. An. 1302. die 2. Junii judices
1302. ab ipſo electi & a Bernardo S. Andreæ abbate, eccleſiam S. Salvatoris de Albanhaco ejuſdem diœceſis a S. Andreæ monachis gubernandam decernunt, ex ejuſdem monaſterii tabulis, ubi etiam legitur eodem tempore vacantem hanc eccleſiam dediſſe cuidam hujuſce monaſterii monacho, ad præfati abbatis nominationem. An. 1307. permiſit Carmelitis eccleſiam & domum ſibi extra urbem conſtruere. Teſtamentum condidit die 25. Martii anni 1319.
1319.

XXXIX. Rostagnus I.

An. 1322. hic epiſcopus diligens decorem
1322. domus Dei, ſtatuit ut fructus ſecundi anni canonicatuum, in eccleſiæ cathedralis ornamentum cederent. Legimus in Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum anno 1320. die 6. Novembris, permutationem inter hunc epiſcopum & Raimundum de Baucio eſſe factam, pro juribus territorii & caſtri de Darboux, ex tabulis familiæ Montis-Draconis.

XL. Hugo.

Hugonem [a] collegam dedit Johannes papa
a
XXII. Guillelmo de Lauduno archiepiſcopo Viennenſi, quem delegavit nono cal. Septemb. an. 1324. ad coitiones paci inter Gallos & Anglos
1324. contrarias diſſolvendas. Duobus annis conſequentibus ambo præſules reges Franciæ & Angliæ adierunt ad pacem inter illos conciliandam. An. 1336. Petrus Geraldi, Hugonis vicarius generalis adfuit concilio San-Ruffenſi prope Avenionem, die 18. Junii, ut diximus in Gauſberto Arelat. archiepiſcopo.

XLI. Petrus III.

Petrus electus an. 1329. firmavit concordiam
1329. inter capitulum & Fratres Minores pro ſepulturis anno 1336. Anno ſequenti adfuit concilio
1336. Avenion. apud ſanctum Ruffum. Hic epiſcopus fuit rector comitatus Vindaſcini, quo nomine,

[a] In collect. Rimerii Angli tom. IV. p. 153. legitur: *Inſtrumentum de concluſionibus & agreamentis factis mediante Iſabella regina, per commiſſarios Anglie & Francie &c.* à tous ceux qui ces preſentes lettres verront ou orront, nous P. Eveque de Viviers &c. *Eveſque bas* avons accordé pour bien de paix mées, nous tres haulte & tres noble Dame Madame Iſabel Royne d'Angleterre, ſœur dudit Roy de France, & Reverens peres en Dieu Monſeur G. arceveſque de Vienne, & Monſeur H. Eveque d'Orange meſſages de noſtre tres S. pere le Pape. A Paris le dernier May 1325. p. 153. 154 tom. IV.

Fit mentio ejuſdem Hugonis in duabus epiſtolis regis Angliæ ad papam; una data 5. Decembris 1325. altera data 15. Aprilis 1326. Rimer tom. 4. p. 182. & 200. Ibidem legitur: *De conductu pro nunciis papæ. Le Roy à tous ſes baillifs & feaux &c. Sachez qui comme les honorables pierres en Dieu Guillaim Erceveſque de Vienne, & Hugh Eveſque d'Orange nous eient ſignifié par leurs lettres qu'ils ſont envoyez par noſtre S. pierre le pape, primes au Roy de France, & puis à nous en Engleterre pour beſoigne touchantes nous & la Roigne d'Engleterre noſtre femme &c. Donné à Magleberg 18. May 1326. p. 205.* Item 15. Junii 1326. p. 209.

na. 1338. taxavit quid annonæ, bladi, vini, &c. A singulis rectoribus ecclesiarum, quæ olim fuerant ordinis hospitalis S. Johannis Jerosolymitani, aut militiæ Templi, & unitæ fuerant ecclesiæ Romanæ, persolvi deberet, ut in illis locis decentius officium divinum celebraretur. Quod decretum ex autographo descriptum edidimus in probationibus. Adhuc notatur anno 1341. ex D. de Ruffi.

ANNI CHRISTI 1338.

Ch. IX. p. 134. col. 2.

1341.

XLII. Guillelmus VII.

Hujus episcopi mentio fit in actis publicis tum anni 1344. quo subscripsit concordiæ factæ inter præpositum & canonicos litigantes pro sportula & stipendiis in pane & vino; tum 1345. B quo nonnulla permutavit cum Guillelmo de Monte-draconis.

1344.

XLIII. Johannes I.

Johannes Revolli ex nobili apud Delphinates genere, spreto mundo vitam amplexus est religiosam in familia S. Dominici. Deinde electus in episcopum Aurasicensem, die 22. Martii 1349. consecratus est ab Henrico de Villars archiepiscopo Lugd. in eccl. S. Bernardi Romanensis, & curiæ Romanæ sacramento se obligavit; cujus sacramenti forma servatur in registro inscripto *Pilati* 1349. Fuit Humberto C Delphino a confessionibus. Interfuit autem cessioni Delphinatus die 16. Julii 1349. factæ ab hoc principe in gratiam Caroli primogeniti Johannis ducis Normanniæ, & nepotis regis Philippi Valesii, cui Carolo dedit ensem Delphinatus, & vexillum sancti Georgii, sceptrum & annulum in signum possessionis. Instrumentum ea de re factum legitur in commentariis pro historia Delphinatus. Ejusdem Johannis episcopi fit mentio in statutis de franchisiis & privilegiis Delphinatus, quæ Philippus Valesius in ipsius manibus juravit se servaturum. Quod spectat ad res ab ipso in Arausicana ecclesia gestas, legimus eum S. Florentii tumulum aperuisse, indeque caput ejus & brachium D extraxisse, quæ in theca argentea honorifice recondidit.

Revolli.

Ch. 2. fol. 17.

1349.

p. 658.

XLIV. Guillelmus VIII.

De quo nihil neque in veteri Gallia Christiana Sammarthanorum, neque in observationibus doctissimi Prevotii, quamvis eum sedisse post Johannem Revolli non dubitent.

XLV. Johannes II.

Notus est ab anno 1352. quo ipsius jussu so- E lemniter & publice lectum est instrumentum plumbea bulla domini Guillelmi quondam Arausicani episcopi munitum, quædam continens statuta, de quibus pro jurisdictione sua cum Bertrando de Baucio principe Auraicæ, & cum domino fratre Ademaro de Reillania milite & bajulo hospitalis S. Johannis Jerosolymitani in civitate Auraica convenerat. Concilio Aptensi interfuit anno 1365. quo universarum facultatum scholæ Arausicæ prima fundamenta jecit Raimundus de Baucio princeps.

1352.

1365.

XLVI. Bertrandus I.

Ipsius meminerunt Sammarthani & Prevotius; etsi de eo unum duntaxat dicatur, nempe nomen ejus notari in tabulis anni 1370.

ANNI CHRISTI.

1370.

XLVII. Franciscus. De Caritate.

Franciscus de Caritate an. 1373. jam notus, instituit ut sero & mane ad sonitum campanæ B. virgo Maria salutaretur. Occurrit in fundatione sacelli cujusdam in Arausicensi ecclesia, an. 1375. die 21. Augusti, & in duabus aliis chartis annorum 1380. & 1385. Jam obierat post biennium, nam sedes vacasse legitur die 11. Julii anno 1387.

1375.

1380.

1385.

XLVIII. Petrus IV. Didaci.

Petrus Didaci, quem etiam cognominatum de Mahania legimus in schedis Prevotianis, ex iisdem jam sedebat an. 1389. quo fuit amicabilis compositor inter sacristam ecclesiæ majoris & canonicos. Attamen in S. Andreæ tabulis Petrus Didaci electum Arausicensem se tantum nuncupat die 17. Decembris an. 1392. Forte duo fuerunt episcopi Petrus de Mahania, & Petrus Didaci, atque hic illi successor datus est circa annum 1392. Quidquid sit Petrus episcopus Arausicæ an. 1401. recognitionem dedit domino Montis-draconis. An. 1404. prioratum S. Florentii episcopali univit mensæ, annuente Benedicto papa XIII. Misit legatos ad concilium Pisanum an. 1409. uti legitur in ejusdem actis spicilegii tomo VI. An. 1413. abbatissam S. Petri de Podio coëgit curam temporalium sui monasterii diligentius gerere in posterum; eodemque an. die 29. Junii e vivis excessit, sepulturque est in sacello cathedralis ecclesiæ sub titulo S. Vincentii consecrato.

1389.

1392.

1401.

1404.

1409.

p. 364.

1413.

XLIX. Georgius. De Grano.

Post breve interpontificium, cujus tempore Amos Martinus infirmarius legitur præfuisse, institutus videlicet vicarius generalis a capitulo, electus est Georgius cognominatus de Grano; sedi brevi temporis intervallo extinguitur, circiter an. 1414.

L. Bertrandus II. De Taraico.

Bertrandus de Taraico, ex decano Avenionensi episcopus inauguratur, an. 1414. Sed non multo post vita defunctus die 8. Junii in urbe Insula comitatus Vindascini, ubi sepultus jacet apud Fratres Minores.

LI. Raimundus. De Gras.

Raimundus de Gras canonicus & sacrista electus est a suis sodalibus in episcopum die XI. Julii anni 1416. Johanne I. principe Aurasicensi. Eo sedente capitulum misit procuratorem ad concilium Constantiense.

1416.

LII. Petrus V. d'Alliaco.

Morte sublato Raimundo post breve tempus, celeberrimus Petrus de Alliaco doctor Parisiensis, & episcopus Cameracensis presbyterque cardinalis titulo sancti Chrysogoni, nactus est

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

administrationem ecclesiæ Arausicanæ, quam retinuit ab an. 1417. usque ad an. 1422. De eo loquendi sæpe recurret occasio.

1417.

LIII. Guillelmus IX.

Jam sedebat hic episcopus an. 1422. & post tres annos, videlicet 1425. pileum doctoris cuidam canonicorum suorum dedit, eumque suum officialem creavit. Ex Prevotio.

1422. 1425.

LIV. Guillelmus X.

Guillelmus archidiaconus Laudunensis, capellanus summi pontif. ac Romæ Palatii apostolici auditor, non electione capituli, sed favore pontificio an. 1429. ad hanc sedem evehitur. An. 1430. cum archiepiscopo Narbonensi, pacis reconciliator fuit inter Ludovicum Cabilonensem principem Arausicanum, & gubernatorem [a] Delphinatus qui expugnarat urbem; sed eodem an. 1430. a civibus recuperata est, certis quibusdam initis pactionibus.

1429. 1430.

LV. Bertrandus III.

Hunc episcopum diligentissimus antiquitatis ecclesiasticæ indagator Prevotius eruit ex bulla Eugenii papæ IV. data IV. nonas Augusti anni 1438. Ex hac autem liquet Bertrandum episcopum Auraicensem, una cum suo capitulo petiisse ab hoc papa uniri *in perpetuum* dicto capitulo *vicariam perpetuam sancti Eutropii sitam supra podium Auraica*, & abbatiam S. Petri de Podio sitam etiam supra podium Auraicæ, præposituræ, quæ dicitur tunc imminuta maxime in reditibus, & pene diruta. Eugenius delegavit qui de iis inquireret, quem legimus eodem an. die 30. Augusti de his unionibus decretum dedisse, quod quidem executioni mandatum est quantum ad vicariam perpetuam S. Eutropii, minime vero quantum ad abbatiam S. Petri de Podio, ut suo loco dicemus.

1438.

LVI. Antonius.

De Antonii episcopatu nihil nobis notum ante annum 1443. quo quædam permutasse cum capitulo reperitur. Biennio post legitur univisse quemdam prioratum cum præpositura. Anno 1448. interfuit translationi reliquiarum sanctarum Mariarum Jacobi & Salome; ubi cognominatur *Ferrerii*.

1443. 1448.

LVII. Johannes III.

PAYER. Johannes Payer decretorum doctor & professor in academia Avenionensi, & præpositus ecclesiæ Carpentoratensis, eligitur idibus Septembris anni 1454. ex actis consistorialibus, inquiunt fratres Sammarthani. Subscripsit synodo Avenion. a Petro cardinali de Fuxo seniore celebratæ an. 1457. in annum sequentem prorogatæ. Animam cœlo reddidit an. 1466. die nona Januarii, apud Cælestinos terræ mandatus, quorum religiosorum virorum tunc convictor erat.

1454. 1457. 1466.

LVIII. Guyotus.

ADHEMAR. Guyotus Adhemarus vir multis commendandus titulis, ex protonotario apostolico electus est communi canonicorum suffragio, die 13. Januarii anni 1466. non attigit annum 1469. uti legitur in Gallia Christiana quadripartita, nam post duos annos & paucos menses episcopatus, morte, ut putamus, locum cessit alteri.

[a] Hunc Delphinatus præfectum Sammarthani vocant Gaucurtium & de Gaucurte, Prevotius vero de Ganevete.

ANNI CHRISTI

LIX. Johannes IV.

GOMBERT. Johannes Gombert electus est episcopus an. 1468. quo anno die 12. Julii prima vice ad suam accedens ecclesiam, sacramentum præstitit de servandis ipsius immunitatibus. Guillelmo VIII. Arausicæ principi fidem quoque clientelarem promisit. At vero an. 1470. Jacobus Ludovci Cabilonensis principis Arausiæ nothus, iepiscopo subiratus, eo impietatis devenit ut illi violentas manus injiceret, spreta quæ debetur pontificibus reverentia; unde Sixtus IV. apud principem graviter conquestus est; tum quod etiam in publica supplicatione dum S. Eutropii sacræ reliquiæ publice a sacerdotibus deferrentur, ipse armata manu eas rapuisset, nec restituere voluisset nisi accepta pecunia. Johanne sedente instituitur parlamentum Arausicæ 1470. 6. Februarii. Ultimum diem clausit is præsul apud Arvernos circa an. 1476.

1468. 1470.

LX. Petrus VI.

SUPERVILLA. Petrus de Supravilla Avenionensis, in utroque jure legum doctor & professor, electione capituli creatur episcopus 1476. die 8. Martii. Post ejus mortem vacavit sedes, saltem per quadriennium, vicario generali quem capitulum elegerat toto illo tempore ecclesiam administrante

1476.

LXI. Laurentius.

ALLEMAN. Laurentius Alleman de cujus genere jam dictum in archiepiscopis Arelatensibus, & alibi dicetur, cum esset Gratianopolitanus episcopus, huc translatus est diu ante annum 1484. ex actis consistorialibus Vaticani, & registris parlamenti Delphinatus, consulendis si lubet. De eo nulla fit mentio apud Pisanum, ceterosque scriptores.

1484.

SAMMARTH.

LXII. Petrus VII.

CARRÉ. Petrus Carré Albæ-curiæ abbas in diœcesi Carnot. etsi ordinis S. Dominici alumnus, in quo fuerat prioris officio defunctus, tempore Johannis ducis Borbonii, cui erat a sacris confessionibus; antea regius in alma universitate Bituricensi professor, & Caroli VIII. regis ad summum pontificem orator, sedit Arausiæ an. 1491. Morti vero debitum persolvit circa annum 1510. necrologium ecclesiæ Bituricensis ejus anniversarium assignat diei 5. Januarii. Habet autem hoc epitaphium apud Prædicatores Bituricenses ad cornu evangelii in pariete:

1491. 1510.

Petra sub hac petra Auraicensis condita, præsul
Cognomen Quadrum cui bene finxit opus.
Quadrata soliâus semper virtute fuisti,
Conventus ideo dum prior hujus eras.
Novit Johannes qui dux Borbonius olim
Extabat, quantus præco salutis eras.

Cui

Ecclesia Anglicana, Ecclesia Scotica, Ecclesia Hibernica, Ecclesia Wallica, Ecclesia Cornubiensis, Ecclesia Cumbrensis, Ecclesia Eboracensis, Ecclesia Cantuariensis, Ecclesia Londinensis, Ecclesia Oxoniensis, Ecclesia Cantabrigiensis, Ecclesia Dunelmensis, Ecclesia Wintoniensis, Ecclesia Sarisburiensis, Ecclesia Norwicensis, Ecclesia Bathoniensis, Ecclesia Wigornensis, Ecclesia Coventrensis, Ecclesia Lichfeldensis, Ecclesia Exoniensis, Ecclesia Cicestrensis, Ecclesia Landavensis, Ecclesia Menevensis, Ecclesia Bangorensis, Ecclesia Asaphensis, Ecclesia Herefordensis, Ecclesia Glocestrensis, Ecclesia Roffensis, Ecclesia Petroburgensis, Ecclesia Elyensis, Ecclesia Lincolniensis, Ecclesia Carleolensis, Ecclesia Ripensis, Ecclesia Sodorensis, Ecclesia Manniæ, Ecclesia Vectensis, Ecclesia Jerseiensis, Ecclesia Guernesiensis, Ecclesia Wintoniensis, Ecclesia Sarisburiensis, Ecclesia Norwicensis, Ecclesia Bathoniensis, Ecclesia Wigornensis, Ecclesia Coventrensis, Ecclesia Lichfeldensis, Ecclesia Exoniensis, Ecclesia Cicestrensis, Ecclesia Landavensis, Ecclesia Menevensis, Ecclesia Bangorensis, Ecclesia Asaphensis, Ecclesia Herefordensis, Ecclesia Glocestrensis, Ecclesia Roffensis, Ecclesia Petroburgensis, Ecclesia Elyensis, Ecclesia Lincolniensis, Ecclesia Carleolensis, Ecclesia Ripensis, Ecclesia Sodorensis, Ecclesia Manniæ, Ecclesia Vectensis, Ecclesia Jerseiensis, Ecclesia Guernesiensis.

Ecclesia Anglicana, Ecclesia Scotica, Ecclesia Hibernica, Ecclesia Wallica, Ecclesia Cornubiensis, Ecclesia Cumbrensis, Ecclesia Eboracensis, Ecclesia Cantuariensis, Ecclesia Londinensis, Ecclesia Oxoniensis, Ecclesia Cantabrigiensis, Ecclesia Dunelm

orthodoxa locum hæreſi ceſſerat: eam revo- A
ANNI CHRISTI. cavit Johannes, & ſacrum ſacrificium primus celebravit in ſua urbe, ubi per tot annos ceſſaverat. Præter epiſcopatus Arauſicani adminiſtrationem, curam geſſit comitatus Vindaſcini per quinquennium tanquam rector & gubernator, qua forte occaſione profeſſionem fidei fe-
1593. cit an. 1593. coram Perillo Aptenſi epiſcopo, ut legimus. Gravia negotia pro Catholica religione gerenda ſuſcepit tum a Sixto papa V. tum ab Henrico III. Chriſtianiſſimo rege ſibi im-
1608. poſita. Exceſſit e vita an. 1608. & ſepultura donatus eſt Avenione apud Franciſcanos.

De Tullia. LXVIII. JOHANNES VI.

Johannes de Tullia ſuperioris epiſcopi nepos ex fratre, ipſiuſque coadjutor, abbas B. Mariæ de Longis, & S. Euſebii Aptenſis, ordinatus Romæ jam fuerat epiſcopus ſub urbis Trojæ titulo, quando morte patrui in poſſeſſionem epiſcopatus Auraſicani admiſſus eſt. Pro revocanda fide Catholica in ſuam diœceſim (quod opus jam inchoaverat ipſius deceſſor) & pro reſarcienda eccleſiaſtica diſciplina hæreſum & bellorum procellis collapſa multum laboravit. Ab Arauſic. principe redemit pretio domum epiſcopi, quam occupaverat. Pro regni negotiis a Maria Medicæa regina regente Ludovici XIII. Chriſtianiſſimi regis matre Romam mittitur. Regi ipſi multoties fidelem navavit operam: maxime quando ſectariis in Gallia turbantibus, cavit ne Auraſienſes cum iis fœdus inirent, quod ſua induſtria præſtitit & auctoritate: nam ipſimet perduelles & religionis hoſtes eum reverebantur, ejuſque eruditionem ſuſpiciebant. Fratres Minores dictos Capucinos in urbe ad-
1610. mitti obtinuit, an. 1610. & viris eccleſiaſticis poſſeſſiones reſtitui. Eo annitente canonici ex regularibus facti ſunt ſeculares. Dies meritis & bonis operibus plenos vitamque clauſit die 3.
1640. Oct. anni 1640.

De Tullia. LXIX. JOHANNES VINCENTIUS.

Johannes Vincentius de Tullia abbas ſancti Euſebii, & B. Mariæ de Longis, deceſſoris nepos ex fratre, in coadjutorem a patruo aſſumtus anno 1637. Romæ in Baſilica S. Petri, Urbano VIII. pontifice inauguratur epiſcopus Diocleanus feria 2. poſt paſcha. Suorum anteceſſorum & gentilium more multos exanclavit, labores pro fide Catholica adverſus hæreticos, non ſine vitæ periculo. Poſt ſexennium in hujus epiſcopatus regimine conſumtum, deſinente anno 1646. ad ſedem Vaurenſem transfertur. Elogium Johannis Vincentii de Tullia epiſcopi Arauſionenſis, auctore Franciſco Villarmino prodiit Arauſione anno 1642.

LXX. HYACINTHUS.

ANNI CHRISTI. S ROMI.

Hyacinthus Serroni Romanus, alumnus ordinis ſancti Dominici die 4. Junii Romæ in eccleſia Minervæ ejuſdem ordinis conſecratur epiſcopus Arauſicanus a Mario cardinali, aſſiſtentibus Scanarola epiſcopo Sidoniæ, & Cæſare Argelli Avenionenſi archiepiſcopo. Poſſeſſionem iniit die 4. Decembris anni 1647. poſtea deſignatur Mimatenſis epiſcopus menſe Martio anni 1661. tandemque primus Albienſis archi-
1661. epiſcopus.

Fabri. LXXI. ALEXANDER.

Alexander Fabri Italus, poſt tranſlationem Hyacinthi, a rege nominatus, conſecratur Pariſiis ab archiepiſcopo Ebredunenſi, ſacro operi collaborantibus & aſſiſtentibus epiſcopis Cadurcenſi & Siſtaricenſi. Poſſeſſionem adiit tantum 12. Junii 1668. eccleſiam in loco de Cade-
1668. roſſa ſuæ diœceſis a fundamentis erexit, quam B. Mariæ dicatam ſanctimonialibus ordinis S. Benedicti conceſſit, cum quadam domo, quæ ad ſuos attinebat anteceſſores. Obiit menſe Auguſto an. 1674. ſepultus in eccleſia ante altare,
1674. ubi hoc habet epitaphium:

D. O. M.

Hic jacet Alexander Faber de Bertinorio epiſcopus Arauſicanus, a Julio cardinali Mazarino ex Italia in Galliam ductus, a Ludovico XIII. Pio Romam graviſſima ob negotia miſſus, deinde in Germaniam ad pacem Monaſterienſem perficiendam ablegatus, utroque munere egregie perfunctus, & ad epiſcopatum Arauſicanum promotus, cum ſeptem in eo annos vixiſſet, magno populi ſui mœrore defunctus eſt anno Domini MDCLXXIV. *die* XXVII.* *Auguſti, ætatis ſuæ* LXVI. * *al.* VI.

D'Obeilh. LXXII. JOHANNES JACOBUS.

Johannes Jacobus d'Obeilh ex illuſtri apud Boios familia, abbas & comes ſancti Jacobi de Monte-forti diœceſis Maclovienſis, & doctor Sorbonicus, anno ætatis ſuæ 27. nominatur epiſcopus 1674. Conſecratur Pariſiis apud Cæleſtinos, menſe Novembri anni 1677. ab archiepiſcopo Pariſienſi, qui aſſeſſores & aſſiſtentes habuit epiſcopos Tarbienſem & Cabilonenſem. Poſſeſſionem per procuratorem obtinuit 18. Decembris 1677. & per ſemetipſum 14. Aprilis 1678. Hic magnam partem palatii epi-
1678. ſcopalis ſolo fere æquatam reſtauravit, alteram tanto cultu commutavit, ut dubitet inſpector meliuſne nova opera conſurgant, an vetuſta reparentur. Hactenus ſuperſtes.

Digitize

ΑΓΓΛΙΚΗ ΕΜΠΟΡΙΚΗ ΣΥΓΚΟΙΝΩΝΙΑ ΑΝΩΝΥΜΟΣ ΕΤΑΙΡΕΙΑ (ΛΟΝΔΙΝΟ)

Ιδρύθη τὸ 1855 μὲ κεφάλαιον £ 1.000.000 ἐκ τῶν ὁποίων ἐπληρώθησαν £ 500.000

Διευθυντὴς ὁ Κ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΜΑΚΚΕΝΖΙ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀθήνας ὁ Κ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΜΑΚΚΕΝΖΙ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Πειραιᾶ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Πάτρας οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἑρμούπολιν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Βόλον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Κέρκυραν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ζάκυνθον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Κεφαλληνίαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἰθάκην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Λευκάδα οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀγρίνιον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Μεσολόγγιον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Κόρινθον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ναύπλιον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἄργος οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σύρον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σμύρνην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Κωνσταντινούπολιν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀλεξάνδρειαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Πόρτ Σάϊδ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἰσμαΐλιαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σουέζ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀδὲν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Βομβάην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Καλκούταν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Μαδράν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Κολόμβον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Πενάγην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σιγκαπούρην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Χονγκκόνγκ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σαγκάην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Γιοκοχάμαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Μανίλλαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σύδνεϋ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Μελβούρνην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀδελαΐδα οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀκλαντ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Νέαν Ὑόρκην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Βοστώνην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Φιλαδέλφειαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Βαλτιμόρην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Νέαν Ὀρλεάνην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σαβάνναν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Χαρλεστὸν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Μοβίλην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Γαλβεστὸν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σαν Φρανσίσκον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Πορτλάνδην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Βανκούβερ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Βικτωρίαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀκαπούλκον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Μαζατλὰν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Μαντσανίλλαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σαλίναν Κρούζ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Γουαγιακὰν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Λίμαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Καλλάο οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀρίκαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἰκίκην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἰκβίκην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀντοφαγάστην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Κοκίμβον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Κοπιαπὸ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Βαλπαραΐσον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σαντιάγον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Μοντεβιδέον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Βουενὸς Αἴρες οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ροζάριον οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σάντα Φὲ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Κόρδοβαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Τουκουμὰν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σάλτα οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἰουγιούην οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀσουνσιὸν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Κορούμπαν οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Πορτ Λουϊς οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ρίο Γρανδὲ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Πελοτὰς οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Σάντα Κρούζ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Πόρτ Στάνλεϋ οἱ Κ. Κ. ΜΑΚΚΕΝΖΙ ΚΑΙ ΣΙΑ

Ἀντιπρόσωποι εἰς Ἀμβρίσιον

III. D. Petrus de Mirabello Vaſionenſis epiſcopus, anno 1054. invenitur ſimul abbas ſancti Florentii, ſcilicet in tabulario capituli, ubi legitur quædam remiſiſſe præfato anno in gratiam neſcio cujus Guillelmi de Cedro.

IV. Gaufridus anno 1116. in charta Ildefonſi comitis Toloſani pro Berengario epiſcopo teſtis legitur.

Hæc abbatia poſtea mutatur in prioratum, quem epiſcopali menſæ uniri obtinuit Petrus IV. epiſcopus an. 1404.

III. S. Petri de Medena.

Eſt ſuburbium Auraſiæ quod burgum S. Petri dicitur, ab eccleſia S. Petri hoc in loco ſita, ubi monachos & abbates olim fuiſſe comprobatur.

Roſtagnus abbas S. Petri, teſtis cum D. Olivario abbate ſancti Eutropii legitur anno circiter 1094. pro nonnullis a Guillelmo epiſcopo declaratis; quæ rata habuerunt biennio poſt iſti abbates.

Hoc in ſuburbio epiſcopus palatium olim habuit, ut probatur ex plurimis epiſcopalibus literis hoc in palatio datis. Sed dirutum eſt fluvioli Bicari alluvie. Poſtea dicta fuit eccleſia hæc, *S. Petri de Medena*, eo quod Bicaro in curſum alium deflexo, Medena fluviolus civitatis mœnia & ſuburbii alluere cœpit.

Hæc abbatia in prioratum converſa jam unita erat epiſcopali menſæ anno 1247. quo prior S. Martini de Cadaroſſa & Bertrandus prior ſancti Florentii Auraicæ, convenerunt ſuper decimis, ubi legitur in fine: *Acta hæc conventio in eccleſia epiſcopali S. Petri de Medena.*

ABBATIA S. PETRI DE PODIO.

OLim ſita erat in Monte-dicto S. Eutropii, juxta quem tempore Romanorum erat podium ampliſſimum; ſic vocabatur locus, ex quo ſpectacula in circo exhibita conſpiciebantur. Adhuc in illo monte viſuntur parietinæ eccleſiæ & aliorum ædificiorum hujus monaſterii, ex quo anno circiter 1110. eductæ ſunt moniales, & in novam urbem quam Thiburgis princeps femina muris cinxerat, tranſlatæ.

Ex bulla Eugenii papæ IV. data IV. nonas Auguſti anni 1438. liquet Bertrandum II. epiſcopum Auraſicenſem, una cum capitulo, petiiſſe unionem hujus parthenonis cum præpoſitura; cujus unionis cauſam rationemque duplicem proferebant, inopiam præpoſiti, ad ſuſtinenda ſui ſacerdotii onera imparis, & miſerabilem monaſterii ſtatum, ob dilapidata bona, & dejectas ædes, ruinæ proximi. Attamen hæc unio minime facta eſt, quin imo Aſtorgia de Meliano, tunc abbatiſſa obtinuit, ut prioratus beatæ Mariæ de Planis diœceſis Arauſicanæ in territorio Montis-Draconis, cum abbatia S. Petri de Podio coaleſceret, & ex hoc tempore moniales quæ Benedictinæ prius erant, Ciſtercienſis ordinis inſtituta ſectantur, quæ videlicet in parthenone B. M. de Planis obſervabantur. Charam fundationis S. Mariæ de Planis habes in probationibus. Hanc vero ſeriem abbatiſſarum nobiſcum communicavit doctiſſimus Prevotius.

Ch. X. pag. 136. col. 1.

SERIES ABBATISSARUM.

I. REgina celorum tanquam abbatiſſa de Podio hominium præſtat, pro monaſterio de Plano, Aymoni Almiſier vicerectori collegii Annunciaci apud Avenionem fundati, de omnibus quæ monaſterium de Planis a prioratu de Abolena habuit.

II. N.... 1242.

III. Radonna vivebat an. 1268. & 1276. quo univit Gauſſelinus epiſcopus Arauſicanus monaſterium S. Stephani de Ulmis, monialium ordinis S. Benedicti, abbatiæ ſancti Petri de Podio. Iſtud monaſterium prioratus erat in territorio capituli Arauſicani fundatus.

IV. Rigordana 1300.

V. Laura Malveſine 1384. Hæc abbatiſſa a Raimundo de Baucio an. 1389. recipit quemdam locum monaſterio contiguum pro beneficiis quæ ipſa & moniales ſæpius ei contulerant; ut conſtat veteri ex inſtrumento. An. 1390. hominium præſtitit Catharinæ de Baucio, de terris quas a patre ejus habebat.

VI. Elma de S. Reſtituto an. 1408. emit vineam in territorio Arauſicano 16. florenis, de qua inveſtitur anno ſequenti. Tunc ob diſcordiam motam inter moniales de adminiſtratione bonorum abbatiæ, Petrum epiſcopum adierunt 15. Aprilis 1413. qui aliqua ſtatuta ad id ſpectantia fecit, in quibus abbatiſſæ condemnantur exceſſus. 1414.

VII. Suffrena Maurenque præerat an. 1420.

VIII. Aſtorgia de Meliano an. 1437.

IX. Cæcilia de Borne an. 1455. hominium dedit de decimis prioratus S. Martini d'Abolene, & B. Mariæ de Rotunda Montis-Draconis; in eoque dicitur abbatiſſa B. Mariæ de Planis; circa enim hunc annum, ipſa ſatagente, unita fuit domus de Plano abbatiæ S. Petri de Podio civitatis Auraſic. An. 1457. locat aliquam terram ſitam in territorio de Courtheſon, & vocatur abbatiſſa ſancti Petri de Podio in inſtrumento locationis; unde colligendum abbatiſſam ſancti Petri, modo dictam, S. Petri de Podio abbatiſſam, modo B. Mariæ de Planis. Ædificavit eccleſiam novam B. M. de Planis, & conſpiciuntur adhuc ſuper januam inſignia ejus gentilitia; at quo anno opus incœptum fuerit penitus ignoratur. Deſtructum ab hæreticis monaſterium fuit an. 1562. 1563. & ſequentibus. Supereſt adhuc in eccleſia ſacellum, quod, ut traditur, Ludovicus XI. conſtruxit in honorem B. Mariæ. Hæc eccleſia perfecta fuit & abſoluta cum præfato ſacello an. 1474.

X. Johanna de Borne 1486. 1490.

XI. Gabrielis de Borne ſucceſſit an. 1490. Diu ſedit, & an. 1529. tranſegit cum domno Gaufrido priore Carthuſiæ Vallis-bonæ. Item an. 1534. compoſuit pro decimis prioratus S. Martini de Boulene, & B. Mariæ de Rotunda montis-Draconis. An. 1548. hæreſi Calviniana infecta, monaſterium exſpoliavit ac deſeruit, cum omnibus ferme monialibus duobuſque ſacerdotibus, & Gebennam proficiſcitur, ubi mutatis habitu & fide, miſere, ut creditur, periit.

XII. Ludovica d'Urre du Pré, cognominata etiam de Texieres, ſucceſſit Gabrieli per nominationem Henrici ſecundi an. 1548. ſed poſtea Margarita de S. André providetur per Julium III. de abbatia; unde lis mota inter duas abbatiſſas, cui an. ſolum 1566. 22. Octobris

finis imponitur ſanctioris conſilii placito quo, A conſentiente Ludovica d'Urre, confirmatur Margarita. Tempore diſſenſionis Ludovica abbatiam tenuit, ut conſtat ex diverſis inſtrumentis.

XIII. Margareta Albert de S. André poſſeſſionem iniit anno 1566. Ex prioriſſa monaſterii de Bagnols in diœceſi Uticenſi abbatiſſa deſignata eſt per Paulum II. quo mortuo nondum datis bullis, eas obtinuit a Julio III. VIII. calend. Maii. An. 1583. cum urgeretur ab epiſcopo Arauſicano ad ſolvendam quandam pecuniæ ſummam, recuſavit, cauſata ſe eſſe a juriſdictione epiſcopali immunem. Obiit an. 1591. Dicitur autem in inſtrumentis publicis *abbeſſe* B *de Bagnols.*

XIV. Suſanna Andrée ſucceſſit, memoraturque abbatiſſa an. 1594. & præfuit ad annum 1597.

XV. Honorata Fine nominatur abbatiſſa ab abbate Ciſtercienſi anno 1597. 20. Novembris. An. 1599. 20. Martii, obtinuit a Philippo Guillaume litteras quibus hæc nominatio confirmata eſt. Ceſſit 15. Jan. 1599. in manibus abbatis Ciſtercii.

XVI. Ludovica de Chamois ab abbate Ciſtercii promovetur 22. Maii 1601. tanquam collatore ordinario. Poſſeſſionem iniit in eccleſia B. M. de Planis 25. Aprilis 1602. cum ſcilicet ei collata fuiſſet abbatia non ſub titulo S. Petri de Pureo, *al.* de Podio, ſed ſub titulo B. Mariæ de Planis, uti etiam Honorata Fine (tunc enim opinio erat abbatiam S. Petri fuiſſe ab exordio aliquam cellam ſeu prioratum B. Mariæ de Planis, cum e contrario ab abbatia S. Petri penderet ab initio monaſterium de Planis.) jubetur autem a principe Arauſicano probare abbatiam originem ſumſiſſe a monaſterio de Planis, ut continebatur in litteris abbatis Ciſtercii: interimque proventus omnes abbatiæ S. Petri ab adminiſtratore principis recipi decernitur; quod cum Ludovica probare non potuiſſet, tenuit tantummodo bona monaſterii de Planis, ſcilicet ad annum 1604. quo reſignavit 2. Oct. in manibus abbatis Ciſtercii.

XVII. Johanna d'Audibert de Luſſans Monialis de Bagnols, ex reſignatione præcedentis promovetur per dominum Ciſtercienſem ſub eodem titulo B. M. de Planis 5. Maii 1605. Die 4. Junii ejuſdem anni poſſeſſionem iniit in eccleſia B. M. de Planis. Sed ut magis confirmaretur, ſimulque teneret abbatiam S. Petri de Podio, quod præcedenti denegatum fuerat, petiit a principe tanquam jus patronatus habente litteras, quas obtinuit an. 1618. & ſic tranſiit jus nominandi ad principem. Die 27. Nov. ejuſdem anni poſſeſſionem adipiſcitur quaſi de novo promota An. 1637. rector collegii Sinaquæ in Avenion. urbe dedit litteras unionis monaſterii de Planis, cum monaſterio Vallis-ſalvæ de Bagnols. Sed res effectu caruit, non accedente principis conſenſu. Ad tantam vero inopiam redactum eſt his temporibus monaſterium, ut ne breviarium quidem ordinis, nec miſſale moniales haberent; unde ſtatuit idem rector in actu viſitationis ut deinceps breviario Romano uterentur. Tunc 5. tantum moniales numerabantur, quæ miſſis miniſtrare ſolebant. An. 1648. tranſlatæ ſunt in urbem Pontis S. ſpiritus; nam ab an. 1563. commorabantur in monaſterio de Planis, coactæ ob hæreſim ab urbe Arauſicana diſcedere. Obiit Johanna an. 1643. quo ceſſit in manibus Frederici Henry in gratiam ſequentis.

XVIII. Franciſca de Luſſans litteras obtinuit a principe 24. Decembris 1643. biennio poſt ceſſit in gratiam ſequentis.

XIX. Eſther de la Farre 6. Decembris 1645. coadjutricem obtinuit ſenio & negotiis innumeris pene confecta an. 1710. Franciſcam de la Farre.

XX. Franciſca de la Farre an. 1710.

Digitized by Google

GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

PROVINCIA AVENIONENSIS,

cujus metropolis Avenio.

* Sorgue. *Durance.

AVENIO ad Rhodanum in ſiniſtra ripa inter amnes Sulgam * & Druentiam*, metropolis nova, provinciis regni Francorum, cujus olim portio erat, incluſa, nunc Romano paret pontifici. Civitas antiquiſſima eſt Cavarum, quorum nonnulli eam caput fuiſſe exiſtimant. Inter opulentiſſimas Galliæ Narbonenſis urbes tertium obtinet locum apud Melam. Idem & Ptolemæus Avenionem coloniam Romanam appellant; utietiam legitur in nummo Galbæ. A Plinio inter oppida Latina, ſeu jure Latii donata cenſetur. Stephanus urbem hanc Græcam fuiſſe & ditionis Maſſilienſium docet. Adhuc tempore Gregorii Tur. ſtudia Græcarum litterarum Avenioni viguiſſe ipſe ſatis docet, cum ait Domnolum oblatum ſibi epiſcopatum hujus urbis recuſaſſe, rogaſſeque Clotharium regem, ne permitteret ſimplicitatem ſuam *inter ſenatores ſophiſticos, ac judices philoſophicos fatigari.* Avenionis & Avennicæ urbis frequens eſt mentio apud eundem Gregorium Turonicum, Fredegarium & alios veteres rerum Francicarum ſcriptores. Et quidem poſt imperii Romani caſum, a Burgundionibus primum occupata eſt, deinde a Gothis, quibus devictis tranſiit ad Francos victores, ſub quibus a Guntramno capta eſt, ſed poſtea Sigiberto reſtituitur. In procella Saracenorum ab his expugnata eſt: *irrumpentes* (Iſmaëlitæ ſeu Saraceni) *Rhodanum fluvium, inſidiantibus infidelibus hominibus, ſub dolo & fraude Mauronto quodam cum ſociis ſuis, Avenionem urbem munitiſſimam ac montuoſam, ipſi Saraceni collecto hoſtili agmine ingrediuntur; illiſque rebellantibus ea regione vaſtata*, uti legitur in anonymo ad calcem Gregorii Turon. Ac recuperatur a Carolo Martello, qui eam ſuccendit. Juris tandem fuit regum Arelatenſium; deinde comitis Toloſani, Melgorienſis, Provinciæ, Forcalquerii, donec ſeculo XII. aſſerta in libertatem, a conſulibus regi cœpit. Ad id alludens Julius Cæſar Scaliger in deſcriptione urbium, ita canit:

Lib. VI. hiſt. c. 9.

col. 672.

Ibid.

Vivendi ratio cum libertate recepta,
Efficiunt ut ſis altera Roma tibi.
Templa, forum, celſo ſubducta palatia cælo,
Magna hæc; te plus eſt dicere poſſe tuam.

Poſt hæc pactis nonnullis conventionibus cum principibus Alfonſo & Carolo ſancti Ludovici regis fratribus anno 1251. eorumdem ſe poteſtati tradidit, ac deinceps partim Gallicæ, partim Siculæ ditionis fuit, donec anno 1290. donatione propter nuptias Margaretæ, Carolus II. Neapolitanus rex integram pleno jure obtinuit. Tandemque anno 1348. a Clemente VI. pontificii juris facta eſt emtionis titulo a Johanna Neapolis regina, Provinciæ comitiſſa comparata pretio octoginta millium florenorum auri; quo etiam ſedem ſancti Petri tranſtulit Clemens V. & alii ſummi pontifices poſt ipſum ibidem ſederunt, uſque ad Gregorium XI. qui Romam rediit. At ipſo mortuo duo electi ſunt pontifices, unus qui Romæ, alter qui Avenioni ſedit. Hîc modo papa legatum habet cum ampla & ſuprema juriſdictione non ſolum in urbe, ſed etiam in toto comitatu Vindaſcino *. Situ amœniſſima eſt Avenio; nam clivo rupis ſatis leni aſſidet, agrumque ejus alluunt Rho-

*Venaiſſin.

Digitized by Google

GALLIÆ CHRISTIANÆ

PROVINCIA ECCLESIASTICA AVENIONENSIS

Continens Diœceses
Avenionenſem, Carpentoractenſem.
Vaſionenſem & Cabellicenſem.

Deſcripta a J.B. Nolin
Regii Geographi filio

ENTRIO

Scala Leucarum

Leucæ Horariæ.

Leucæ Provinciæ.

Leucæ Majores Gallicæ.

Valrianum

Castrum Nihonis

Vasanum

Castrum de Vinsobris

Villa-dei

Castrum de Merindolis

Castrum de Buxo

Sta Galla

Medullio

DIOECESIS

S.S Victor et Petrus de Grasello O.S.B.

Brantola

Vasio

Castrum de Intervallis

Mons Brunus

Malaucena

Mons Ventosus

VASIONENSIS

Grorellum

Castrum de Albaro

Boduinum

AQUENSIS

Saltus

DIOECESIS

Castrum de Serris

CARPENTORACTE

B. Maria Magdalena O Cist

Mala-Mors

VENASCA

Castrum Vindascense

Futerna Parnes

CARPENTORACTENSIS

Castrum de Muro

Castrum de Thoulon

Insula C

Fons Sulfur

Vallis Clusa

Sinagua O.D.A.

Simiana

PROVINCIÆ

IOECESIS

Caprerias

Castrum de Agoulo

Apta C.

C A B E L L I-

Menerbum

Robio

CABELLIO

S. Joannes O.S.B.

CENSIS

Merindolium

PARS

Castrum Sonacis

Fossa Cæsaris

Castrum de Aqueria

Notæ sequentes designat dignitates Ecclesiasticas.

Sedes Archiepiscopales.

Sedes Episcopales.

Sedem olim Episcopalem.

Abbatias Virorum.

Abbatias Mulierum.

Abbatias non amplius extantes vel loco mutatas.

Litteræ Sequentes designant varia nomina ordinum etc.

O.S.B. ordinem Sancti Benedicti.

O. Cist. ordinem Cisterciensem.

C. Designat loca ubi habita sunt Concilia.

Fl Fluvius.

Liébaux Sculp

ORIENS

IES

Digitized by Google

danus, Druentia & Sulga, amnis celebris Petrarchæ carminibus. Utramque Rhodani ripam pons viginti trium arcuum conjungit, a Benedicto puero, ut aiunt, non sine miraculo constructus. Septem sunt urbis portæ, totidem ecclesiæ parochiales, monasteria virginum, palatia & collegia, seu gymnasia. Florentissima enim academia instituta est Avenioni a regibus Siciliæ, Provinciæ comitibus, quam confirmavit & privilegiis donavit Bonifacius papa VIII. an. 1303. & alii deinceps pontifices, ii maxime qui apud Avenionem cathedram suam posuerunt; qua ex re facta est huic universitati accessio maxima. Ejus historiam descripsit & ad nos humaniter misit vir doctissimus D. Bernardus ecclesiæ metropolitanæ canonicus, anno 1712.

Quod spectat ad ecclesiam primariam, ejus patrona est S. Maria dicta de Domnis; multis & quidem exquisitis picturis decoratur, & pretiosissima ditata est ornamentorum & vestium sacerdotalium supellectile; quæ a Carolo Magno imperatore restaurata, ut ferunt chartæ donationis Ludovici Pii, canonicis Regularibus * diu postea commissa est ab Urbano II. inter quos ipse Alphonsus Arragonum rex, Provinciæ comes voluit cooptari, uti testantur tabulæ publicæ ejusdem ecclesiæ. Regularem illum statum usque ad Sixti IV. pontificis tempora 1485. capitulum servavit, quod hic papa in seculare traduxit, concesso canonicis amictu rubeo, cardinalium instar. Ea vero ecclesia in metropolim novam instituta fuit ab eodem Sixto IV. papa, non a Julio II. ut vult Auberus Miræus, cum antea subderetur Viennensi, & dein Arelatensi. Huic metropoli tres subjiciuntur episcopatus, videlicet Carpentoratensis, Cabellicensis & Vasionensis. De abbatiis diœcesis Avenionensis seorsim agemus infra. Sed nihil antiquius habemus, quam historiam Avenionensium episcoporum & archipræsulum omni diligentia texere; cui operi manum jam adhibuerat vir clarissimus Henricus Suarez, juris utriusque doctor, quando nostri Sammarthani hanc ipsam spartam nacti adornare fategerunt. Anno 1660. Noguierius edidit librum de episcopis Avenionensibus. Quid vero nostro labore ad hanc historiam accesserit æquus doctusque lector judicabit.

EPISCOPI AVENIONENSES.

I. S. Rufus.

ANNI CHRISTI.

Sancti Rufi primi Avenionensis episcopi Ado Viennensis, Beda, Usuardus, martyrologium Romanum die 12. Novemb. Ferrarius & alii permulti auctores meminere. Celebratur festum ejus in hac urbe 14. Novembris & in cathedrali ecclesia summa veneratione coluntur ejus reliquiæ. Habet vero Valentiæ monasterium nominis sui & ordinis, seu congregationis celeberrimæ caput, cujus olim sedes erat extra muros Avenionenses & adhuc superest.

II. S. Justus.

In tabulis Avenionensis ecclesiæ nudum hujus episcopi nomen reperitur, secundusque locus ei tribuitur in præsulum serie. Ejus tumulus visitur in basilica sancti Rufi cum inscriptione.

III. S. Amatius.

S. Amatius episcopus erat eo tempore quo Alamanni, Chroco duce, irrumpentes in Galliam, Galliæ maxime Narbonensis multas urbes expugnaverunt, quarum episcopos aliosque Christianos in fide constantes martyrio coronarunt; ut nos docet fragmentum vetustissimi codicis Avenionensis ecclesiæ, inventum inter schedas Dom. Polycarpi de la Riviere eruditissimi ascetæ ordinis Cartusiensis, qui diu vixit in monasterio Villæ-novæ prope Avenionem. Ex hoc monumento plane aureo, ut ipse vocat D. Polycarpus, cujus transsumtum ad nos misit vir clarissimus D. de Remerville de S. Quentin de episcopis Aptensibus, & de tota Gallia Christiana optime meritus, multa scitu dignissima didicimus de variis Galliarum ecclesiis & episcopis. Integrum damus inter instrumenta. Quod spectat ad sanctum Amatium, legimus anno tertio ejus episcopatus, Avenionem obsessam esse ab Alamannis; cumque videret sanctus antistes urbem diutius non posse resistere barbaris, qui jam plurimas urbes potentiores & munitiores expugnarant, hortatus est suos, ut alacriter ad mortem sese pararent, exemplo tot sanctorum episcoporum, quos gladius hostilis sustulerat, S. Privati apud Gabalos, Avoli apud Albam *, Sexti apud Valentiam, &c. quos leges loco indicato: *Et nos similiter stantes pro vera pietate, oblatam mortem invicto & alacri animo suscipiamus*, inquit S. martyr, *immortales Deo gratias agentes, quod digni habemur pro recta fide & nomine Domini nostri Jesu Christi hæc omnia pati, & hujusmodi causa sanctis in æterna gloria annumerari.* Pergit scriptor narrare S. Amatium paulo post gladiis barbarorum jugulum præbuisse, & cum martyrii laurea, comitantibus fere omnibus, tum ex clero, tum ex plebe Avenionensi, ad Deum evolasse. Id autem factum notatur tertio ejus pontificatus anno; idcirco illum auspicatus est anno circiter Christi 310. juxta sententiam illorum qui Alamannorum irruptionem contigisse anno 312. volunt. Sed fortasse citius id contigit, quod expendimus in quadam nota ad vetus monumentum supra laudatum. Certe ad mentem scriptoris qui hoc vetus monumentum suæ lucubrationi adtexuit, id contigit ante annum 281. Hoc tempore diruta est ecclesia, quam postea Debo episcopus restituit &

ANNI CHRISTI. C. I. pag. 137. col. 2.

* Vivien.

a Cum a regula exorbitassent canonici, B. archiepiscopus Arelatensis, & P. Avenionensis episcopus, consentiente Rostagno præposito & aliis canonicis, condiderunt statuta *pro reformatione ecclesiæ Avenionensis*, quibus præcipiuntur quæ ad exactam disciplinam regularem spectant. Hæc legimus inter fragm. D. Claudii Estiennot, tom. X.

ANNI CHRISTI.

consecravit, uti legitur in instrumentis.

IV. Metianus.

Unus est ex illis strenuis orthodoxæ fidei confessoribus & defensoribus, qui adversus Saturninum Arelatensem episcopum Arianæ per-
356. fidiæ reum insurrexerunt circa annum 356. ipsumque anathemate percusserunt; subscripsit enim epistolæ episcoporum provinciæ Viennensis, ea de causa scriptæ contra eundem Saturninum. Hujus epistolæ jam meminimus in Eradio Arausicano episcopo.

V. Debo.

Hic præsul exegit sibi monumentum ære perennius, auro pretiosius, templum sancti Pauli a Wandalis dirutum superioribus annis, restau-
433. rando. Id factum notatur anno 433. ad quod pium opus cives non modicam pecuniam sub-
436. ministrarunt. Post triennium Debo in magna episcoporum, clericorum & populorum frequen-
Vide C. II. p. 137. col. 2. tia ecclesiam hanc consecravit sub sanctorum apostolorum Petri & Pauli patrocinio.

VI. Maximus.

Hic episcopus alius est ab illo Maximo qui tertius est in inscriptione epist. Bonifacii papæ I. ad episcopos per Gallias & septem provincias constitutos; ubi agitur de Maximo Valentinæ civi-
419. tatis episcopo variis criminibus accusato, an. 419. Sed is est qui subscripsit epistolæ synodicæ præ-
451. sulum Galliæ ad S. Leonem papam anno 451. cum Rustico, Venerio, Constantino, Armentario, Floro, Sabino, aliisque antistibus, ex antiquo manuscripto codice Johannis Savaronis. Ipsi & aliis episcopis provinciarum Arelatensis & Viennensis inscribitur epistola 109. ejusdem S. Leonis, qua controversia de divisione provinciarum inter Arelatensem & Viennensem ecclesiam est composita. Idem Maxi-
455. mus an. 455. sedit judex in concilio III. Arelatensi, ubi agitata est causa Fausti Regensis episcopi, cum abbate & monachis Lirinensibus, ac composita.

VII. Saturnius, *al.* Saturninus.

Saturnius interfuit concilio Romano anno
465. 465. & in ipsius præfatione ubi enumerantur
Tom. IV. concil. col. 1040. episcopi, qui ad illud convenerant, legitur: *SS. Saturnio Avenionensis provincia.*

VIII. Julianus.

Julianus subscripsit synodo Arelatensi anno
475. 475. celebratæ. Ad eum scripsit Apollinaris Sidonius. Eundem esse putamus, qui misit ad
506. concilium Agathense anni 506. Pompeium presbyterum, qui loco ipsius consensit & subscripsit, ubi appellatur episcopus de Avennica civitate.

Huic episcopo nostri Sammarthani præmittunt quemdam Donatum, cujus nudum nomen exhibent, assignantque ipsi annum 480. qui si admittendus sit, debet postponi Juliano, quem ostendimus anno 475. jam præfuisse & Apollinaris Sydonii coævum fuisse; & inter duos cognomines episcopos medius collocari. At hujus Donati episcopatus, nullis testimoniis confirmatur.

ANNI CHRISTI.

Delemus quoque ex catalogo episcoporum Avenionensium *Salutarem* qui misit suo nomine Palladium presbyterum ad concilium Epaonense 517. si quidem decepit similitudo nominum, & pro *Aventicæ*, lectum est *Avennicæ civitatis*. Certe habitum est concilium Epaonense in regno Burgundionum; nec convenerunt ad illud nisi episcopi regni Burgundiæ. At Avenio regni erat Gothici. Quî ergo huc accessisset? Venire autem debuit *Aventicus* apud Helvetios epi- d'Avanche
scopus, qui ad Burgundicum spectat regnum.

IX. Eucherius.

Nomen Eucherii episcopi subscriptum legitur concilio Arelatensi IV. habito anno 524. 524.
In actis quidem hujus concilii editis, nomina sedium episcopalium reticentur. At in vetustissimo conciliorum codice manuscripto, qui est Carrusiæ Portarum, nomina hæc alibi desiderata revelantur hoc pacto: *Cæsarius in Christi nomine Arelatensis episcopus, &c. Contumeliosus ..... de Regensi civitate episcopus, &c. Philagrius ..... Cabellicæ civitatis episcopus, &c. Pratextatus ..... ecclesiæ Aptensis episcopus, &c. Eucherius in Christi nomine Avennica ecclesiæ episcopus consensi & subscripsi.* Adhuc convenit Eucherius ad concilium Carpentoratense an. 527. 527.

X. Antoninus.

Devictis Gothis Avenio Francis paruit; deindeque Avenionenses præsules ad concilia in veteri ditione Francorum coacta cœperunt venire, aut vicarios mittere. Utrumque præstitit Antoninus, *al.* Antonius; adfuit enim & subscripsit concilio Aurelianensi IV. an. 541. sic enim 541.
legitur in codice manuscripto Murbacensi conciliorum: *Antonius Avennitus consensi & subscripsi.* In quinta vero synodo Aurelianensi ejus vice Marinus presbyter subscripsit an. 549. Anno 549.
autem 554. accessit ipse ad concilium V. Arelat. 554.

Antoninum putamus esse illum episcopum *Avennensis civitatis*, quo *migrante*, hoc est moriente, Chlotarius rex voluit Domnolum sancti Laurentii apud Parisios abbatem ad hanc cathedram provehere. Sed dignitatem episcopalem tunc deprecatus est S. Domnolus, causatus suam simplicitatem convenire minime civitati Avenionensi, in qua tot erant senatores sophistici ac judices philosophici. Id vero actum an. 581. refert Gregorius Turonicus. S. Domnolus 581.
paulo post successor datus est S. Innocentio Ce- *l. vj. hist. c. 9.*
nomanensi episcopo. Sedes vero Avenionensis illo recusante data est Johanni qui sequitur.

XI. Johannes I.

Synodo Matisconensi II. celebratæ an. 585. 585.
consensit & subscripsit hic episcopus per *missum suum* & vicarium. Haud diu postea præfuit; anno enim 587. jam cesserat locum alteri, 587.
qui nimirum hoc anno sepelivit S. Cæsariam mortuam in loco eremi Montis Andaonensis, secus Avenionem sexto idus Decembris, uti legitur in ejusdem virginis epitaphio, quod refert Baronius tomo VII. *ad an. 587.*

XII.

ANNI CHRISTI.

XII. S. Valens.

S. Valens qui duxerat uxorem S. Cæsariam virginem, consensit ut post conjugium in virginitate perseveraret, ac vitam duceret eremiticam. Ipse vero raptus est ad episcopatum, & paulo post funus castissimæ suæ conjugis curare coactus est, anno videlicet 587*. Hunc enim annum designant omnes characteres in epitaphio sanctæ Cæsariæ notati; quod hactenus marmori incisum veteri charactere Valentis ætatem redolente cernitur apud sanctum Andream prope Avenionem, eo in oratoriolo ubi Cæsaria vixisse & pœnitentiam egisse perhibetur.

*vel 586. ut vult Cointius.

587.

* * *

Mensibus & geminis concludens tempora vitæ,
Vivit in æternum nullum moritura per ævum.
Ista Valens sicri fletu manante rogavit,
Jura sacerdotii servans nomenque jugalis.

*Deest versus in quo anni vitæ Cæsariæ indicabantur.

Obiit bon. m. Cæsaria medium noct. d. dominico inluciscente vi. idus decemb. quadragies et vi. p. c. Basilii junioris vcc *. ann. xii. regni domni Childeberti regis, indictione quinta.

*p. c.

Eodem an. 587. & 592. mentionem fieri S. Valentis in diptychis ecclesiæ docent nostri Sammarthani. Id negat Henricus Suarezius, contenditque nullibi Valentem reperiri episcopum. Attamen marmor sepulcrale de quo supra, probat clare ipsius pontificatum. Quousque vero pervenerit, nobis incompertum.

XIII. Dynamius.

Verisimile credimus quod D. Polycarpus de la Riviere se legisse asserit in tribus codicibus manu exaratis, Dynamium factum presbyterum Massiliensem, post magnas quas gesserat in Galliis præfecturas, anno 605. fuisse creatum episcopum Avennicensem, quo in munere exactis pie viginti duobus annis ad cœlum migravit. Dynamius patricius Galliarum & rector provinciæ Massiliensis, post Guntramni regis obitum amotus fuerat ab hac præfectura, jubente Childeberto rege. Id factum jam fuisse anno 596. docet epistola 6. libri vi. sancti Gregorii papæ. Postea Dynamius piis operibus se se addixit, nec mirum si vir tantæ nobilitatis, qui insuper divitiis affluebat, quas in eleemosynis effundere sollicitus fuit, electus fuerit ad episcopatum. Tales enim clerus & populus eligere satagebant ubi se dabat occasio, ut eorum bonis ecclesia ditaretur. Lege infra quæ ex D. Polycarpo sumus relaturi. Mors Dynamii anno 627. adscribi debet.

605.

XIV. S. Maximus.

Is creditur esse episcopus a quo sancta Rusticula parthenonis sancti Cæsarii Arelatensis abbatissa accusata est apud Chlotarium regem, quod occulte fictum regem Childebertum nomine nutriret, uti refert Florentius presbyter, qui sanctæ virginis vitam scripsit; de qua Mabillonius tum in actis SS. ord. sancti Benedicti, tum in annalibus ad annum 613. quo tempore sedebat Maximus. Ceterum quod Maximus accusaverit innocentem virginem, ipsius non obest sanctitati, deliquit enim errore facti; & si quid culpæ fuit, quod facilius quosdam populares rumusculos exceperit, totum pœnitentia diluit. Ut sanctus colitur & in majori ecclesia ipsius asservantur reliquiæ.

ANNI CHRISTI anno.

XV. Emundus.

Emundus primum abbas fuit Andaonensis, ut aiunt, seu S. Petri Montis-majoris prope Arelatem, & postea assumtus est ad regendam Avenionensem ecclesiam, quod eruit Franciscus Noguerius ex veteri indice manu exarato abbatum Montis-majoris. De hoc episcopo feliciter e tenebris eruto gratulatur Noguerio Carolus Cointius, qui tamen ab illo dissentit, in assignandis episcopatus Emundi annis, negatque extendi ab anno 630. ad 645. At incertus est quo anno ingressus sit, quove exierit. Ipsum tamen anno saltem 644. cessisse locum alteri putat, cui assentimus.

644.

XVI. S. Magnus.

S. Magni.

Magnus præsertim notus est ex filio Agricolo quem præcessit in episcopatu. Utrum vero in professione vitæ monasticæ ejus præcursor fuerit, aut socius, uti asserunt nostri Sammarthani, non audemus affirmare. Aiunt ipsum patria fuisse Avenionensem, & quidem ex illustri familia. In synodo Cabilonensi sub Clodoveo II. an. 644. subscripsit Magnus episcopus, quem Cointius autumat esse Magnum episcopum Avenionensem, sedisseque docet usque ad an. 660. secutus scriptorem vitæ S. Agricoli cujus mox verba ipsa referemus. Et quidem in codice Cartusiæ Portarum legi in subscriptionibus: *Magnus episcopus ecclesiæ Avennicensis*, asseverat D. Polycarpus de la Riviere. Festus dies ejus celebratur 18. Augusti. Sequentia carmina olim legebantur in muro prope ecclesiam sancti Agricoli.

644. *Vide ad ann. 644. n. 42. & ad an. 660. n. 3.*

660.

Vir pius & sanctus re magnus nomine Magnus
Insignem genuit religione virum
Agricolum sanctum genuit pietate nitentem;
Sunt ergo sancti filius atque pater.
Vos igitur sancti fili genitorque beati
Ite nobis miseris ambo rogate Deum.

XVII. S. Agricolus.

Agricolus filius Magni Avenionensis episcopi ex Gandalrudа, *spretis carnis illecebris & labentis seculi oblectamentis*, relictaque patria Avenione cum annum decimum-quartum ageret Lerinum secessit, circa annum 641. ut placet Cointio; alii ejus conversionem ad triennium differunt. Post annos sex-decim hoc in monasterio summa morum integritate, vitæque sanctitate transactos, coactus est a patre archidiaconatus officium gerere in ecclesia Avenionensi, cui Magnus ejus pater præerat. Ad hoc archidiaconi munus assumtum Agricolum anno 657. putat Cointius. Denique anno Domini *sexcentesimo sexagesimo, sancto patri sanctus filius, beato Magno beatus Agricolus, in episcopali sede suc-*

660.

ANNI CHRISTI.

ceſſor communi omnium calculo declaratur, inquit A ſcriptor vitæ ſancti Agricoli. Id factum vivente patre, ſedemque ſponte cedente ibidem legitur. Additurque ſanctum epiſcopum in gratiam filii, prædia, poſſeſſiones, feuda, denique ſua omnia, *templo beatiſſimæ Virginis Dei-paræ, liberali donatione teſtamento concepto conſecraſſe. Quibus peractis non multo interjecto tempore matura Deo & mundo beata illa anima, miſeræ iſtius vitæ vinculis exoluta ..... ad cæleſte præmium* XIV. *cal. Septembris evolavit.*

Sedit S. Agricolus ab anno 660. ad annum 700. officio paſtorali ſollicite defungens, & forma factus, non ſolum gregis, ſed etiam alio- B rum paſtorum. De ipſo tamen nihil ſingulare notatum legimus, præter conſtructionem eccleſiæ de qua ita vitæ ſcriptor: *Factum eſt ut unica non poſſet omnes capere baſilica* (aucto ſcilicet maxime fidelium numero.) *Quamobrem pius pontifex propriis ſumtibus aliam intra muros juſſit ædificari eccleſiam parœcialem ..... ad quam egregios operarios monachos non paucos ex cœnobio Lerinenſi ..... curavit acciri; quod ex regulari ordine ſuaviſſimum quemdam fructum voluptatis acciperet; quibus & abbatem præfecit, & prædia liberaliter aſſignavit ..... Peracta ſunt hæc Theoderici regis tempore, Sergio ſummo pontifice,* C
690. *circa annum Domini ſexcenteſimum nonageſimum.*

Quando ſibi mortem imminere ſenſit pius præſul, teſtamentum ſcripſit, quo eccleſiam ſuam heredem ex aſſe reliquit. Servos ſuos libertate donavit, advocatoque clero & populo de ſucceſſore eligendo illos admonuit. Quem vero ſibi ſubrogandum poſtulaverit infra dicemus. Nec multo poſt venerabilis ſenex ſenſit adventantem Dominum, in cujus beneplacito conquieſcens, ſumma animi corporiſque quiete dor-
700. mienti ſimilis animam reddidit Creatori, quarto nonas Septembris, anno Domini ſeptingenteſimo, initi pontificatus quadrageſimo, Childe- D berto II. Francorum rege, Sergio I. ſummo pontifice. Ita ſcriptor vitæ apud Barralem in chronologia Lirinenſi. Sepultus eſt in eccleſia Dei-paræ, in facello S. Petri, eo in loco *qui* a *nunc capella Roſarii nuncupatur.* Quæ verba a probant recentem eſſe ſcriptorem vitæ S. Agricoli a Barrali datæ, quod quidem jam ſubodorabar ex multis loquendi modis, hoc in opere uſurpatis, quæ ſane antiquitatem minus ſapiunt. Exſtat eccleſia collegialis apud Avenionem, ejus nomine & titulo inſignita. Ipſius feſtum tanquam patroni celebrant Avenionenſes die 2. Sept.

E

a De fide hujus auctoris ſuſpicionem injicit privilegium Graſſellenſis monaſterii quod edidit Mabillonius tomo I. annal. p. 698. Hunc privilegio dato a Petronio Vaſionenſi epiſcopo ſubſcribit Arelatenſis metropolitanus, cum omnibus ſuis ſuffraganeis, ex quorum numero tunc erat Avenionenſis epiſcopus. Tempus conceſſi privilegii refertur ad annum 2. Theoderici regis, quo ſedebat S. Agricolus; reſponder enim huic annus, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo quarto. Attamen nullus Agricolus ſubſcriptus huic privilegio legitur; unde ſubnatur ſuſpicio ſuppoſitionis. At minime certum eſt nomina epiſcoporum quæ leguntur ad calcem Graſſellenſis privilegii, eſſe ſuffraganeorum Arelatenſis archiepiſcopi, potius quam aliorum vicinorum præſulum; nec id aſſerit Mabillonius, niſi ex mera conjectura. Præterea poſt Wolbertum quem putamus fuiſſe archiepiſcopum Arelatenſem, quia ſubſcripſit primus, legitur *Aglius* epiſcopus, qui forte idem eſt ac Agricolus Avenionenſis; nam facile potuit mutari r. in l. quæ duæ literæ ſunt liquidæ & valde affines, & ex *Agrius* factus eſt *Agrsulus*, *Agricolus*.

XVIII. S. Veredemus.

ANNI CHRISTI.

Veredemus prope urbem in eremo vitam angelicam claramque miraculis ducebat, quando eum ſibi ſucceſſorem delegit S. Agricolus, approbantibus clero & plebe, an. 700. Igitur a ſoli- 700.
tudine anachoretica vocatur ad ſollicitudinem paſtoralem, qua ex omnium voto optime defunctus per annos 22. ſenex & grandævus mi-
gravit ad Chriſtum die 17. Junii, anno 722. 722.
quo die Avenionenſis eccleſia eum colit; uti Arelatenſis, Aptenſis, Carpentoractenſis, Tricaſtinenſis & Cabellionenſis, teſte Noguierio. Ejus reliquiæ in majori apud Avenionem eccleſia ſervantur. Vitam ejuſdem habes apud Benedictum Gononum in vitis PP. occidentis. Ejus epitaphium ita legitur in eccleſia Avenionenſi:

Veredimius xri. famulus hîc pausat in pace, qua vixit plus minus lxi. an. depositus xv. kal. julias episcop. sui xxii. indict. v.

XIX. Johannes II.

Veredemo ſubrogatur Johannes, quem Noguierius per annos circiter triginta præfuiſſe docet numerandos ab anno 720. cui non aſſen-
timur. Hujus præſulis tempore, Saraceni, pro- 720.
ditione Mauronti ducis, qui eos acceriſivit, Avenionem *urbem munitiſſimam & monumoſam*, ut loquitur continuator chronici Fredegarii p. 3. c. 109. occuparunt. At contra eos Carolus Martellus miſit fratrem ſuum Childebrandum, qui urbem expugnavit ac ſuccendit, hoſtibus in ſervitutem redactis. Id putant accidiſſe anno
731. Obiit Johannes anno circiter 750. Notat 732.
vero Carolus Cointius longum interpontificium 750.
poſt hujus epiſcopi mortem.

XX. Alfonsus.

Alfonſi epiſcopi notantur tantum introitus & exitus. Nam cœpiſſe epiſcopatum anno 760. le- 760.
gitur, & anno 765. e vita migraſſe. 765.

XXI. Josephus.

Joſephus vir in ſacris ſcripturis, in ſynodicis canonibus & in ritibus eccleſiaſticis apprime verſatus, Franciſco Noguierio & Carolo Coin- ad an. 765.
tio, anno 765. in Alfonſi mortui locum ſuc- n. 6.
ceſſit; & quamvis uſque ad annum 794. præ- 765.
fuerit, nihil pene de illo novimus. Inter epiſcopos quos Carolus Magnus rex ad Stephanum papam miſit, quique concilio Romano adverſus Conſtantinum pſeudo-papam interfuerunt anno 769. unus occurrit nomine Joſeph, 769.
cujus ſedes tacetur. At cum eo tempore nullus eſſet in Gallia epiſcopus alius hoc nomine notus, veriſimile eſt ipſum fuiſſe epiſcopum Avenionenſem. Ei Noguierius annos novem ſupra viginti tribuit in epiſcopatu, qui idcirco abſolvitur anno 794. 794.

XXII. Humbertus, *al.* Himbertus.

Noguierius Joſepho ſucceſſorem dat Amicum, ex inſtrumento dubiæ fidei non ſolum Sammarthanis fratribus, ſed etiam Cointio, qui No-

ANNI CHRISTI.

guierii opinionem refellit, & prorsus evertit. Certe exploravimus vetera omnia monasterii Anianensis instrumenta, & in his nulla nactiſsumus vestigia solemnis dedicationis, cui Amicus cum plurimis aliis præsulibus interfuisse dicitur. Itaque Josephum in episcopatu sequitur
795. Humbertus, qui jam sedebat anno 795. Dicitur subscripsisse donationi Wigonis Gerundensis episcopi, in gratiam congregationis sancti Stephani, quæ continetur in tabulario ecclesiæ Arelatensis. Anceps est Cointius uter Humberti & Josephi episcoporum, ecclesiam sanctæ Mariæ a Saracenis eversam restauraverit. Ab Humberto basilicam sancti Agricoli traditam fuisse clericis, & deinceps clericos habuisse, non monachos, ab ipso sancto Agricolo institutos, scribit Cointius, nullo teste aut testimonio prolato.
810. Obiit Humbertus anno vigesimo supra octingentesimum.

XXIII. Ragenutius.

Inter Humbertum & Ragenutium admiserunt Sammarthani & Noguierius Remigium & Fulcherium, decepti privilegiis a Ludovico imperatore utrique concessis; quæ non esse Ludovici Pii, sed Ludovici filii Bosonis infra ostendemus. Porro Ragenutius accepit plurima beneficia a Goscelino comite, cujus chartam infra damus[a]. Subscripsit concilio Valentinensi III.
855. anno 855. Plura de illo rescire non licuit.

XXIV. Hilduinus, *vel* Alduinus.

Hic episcopus ex variis quibus adfuit aut subscripsit conciliis maxime notus est. Etenim sedit in concilio Tullensi II. apud Tusiacum anno
860. 860. sub die XI. calendas Novembres. Intererat etiam conventui optimatum & præsulum
p. 171. habito eodem anno, medio Februario, ex Hinc-
876. maro Remensi. Adhuc vita potiebatur an. 876. quo habitum est concilium Pontigonense, mense Junio.

XXV. Rotfredus, *vel* Ratfridus.

Anno 875. Cabiloni occasione ordinationis Adalgarii Æduorum episcopi, habita est synodus, in qua concessum est *Tornutiensi*, alias Trenorchiensi cœnobio privilegium insigne, quod a sua subscriptione munivit *Ratfridus Avenionensium episcopus*, ita enim legitur in actis concilii. Ex qua subscriptione nonnihil difficultatis oritur. Cum enim constet Hilduinum adhuc cathedram Avenionensem tenuisse anno 876. quî fieri potuit ut Ratfridus ejus successor interfuerit concilio Cabilonensi anni 875. At quod subscripserit hujus concilii canonibus & decretis continuo non probat eum huic episcoporum cœtui adfuisse. Constat enim plurimas subscriptiones appositas fuisse conciliis, diu post eorum celebrationem in signum & argumentum consensus. Ceterum memoratur hic episcopus in Tricassino concilio II. anni 878. ubi actione III. 878.
legitur: *Post hæc libelli porrecti sunt summo pontifici & sanctæ synodo, quorum super Hincmaro archiepiscopo unus erat, alter vero super Rotfrido Avenionensi episcopo. Hincmaro . . . . data sunt inducia ad respondendum. Rotfredus ibidem non est inventus.* Quid querelarum libellus contra Rotfredum oblatus haberet, nos latet. Num quod sedem Avenionensem invasisset, vivente adhuc episcopo, scilicet Hilduino? Unde facile fieri potuisset ut ipse adfuisset synodo Cabilonensi anni 875. & Hilduinus Pontigonensi anni 876. At putamus nihil aliud libellum continuisse, præter querelam Walefredi Uceticensis episcopi, pro ablata sibi villa sive ecclesia parochiali sedi suæ subjecta, de qua Johannes papa VIII. meminit epist. 112. qua videlicet mandat ut controversia hæc definiatur ab archiepiscopis Arelatensi & Narbonensi. Anno vero sequenti Rot- 879.
fridus sedit in frequenti cœtu episcoporum & optimatum, apud Mantalam celebrato, in quo regis nomen delatum est Bosoni ibidem corona redimito.

D. Polycarpus de la Riviere ab anno 893. usque ad 916. inducit quemdam Haimonem episcopum, nullis certis argumentis. Sane ab anno 898. usque ad 916. Avenioni sedisse Remigium aut Fulcherium manifestum est. Itaque si detur locus huic Haimoni, non potest extendi ejus episcopatus, aliunde valde incertus, nisi ad annum 898. aut ad summum 907.

XXVI. Remigius.

Hujus episcopi meminerunt Sammarthani fratres, Noguierius, &c. ad annum 822. rati quoddam privilegium Remigio episcopo Avenionensi concessum a Ludovico imperatore, esse Ludovici Pii filii Caroli Magni. At nunc in confesso est apud eruditos privilegium hoc & aliud de quo infra loquemur, esse tribuenda Ludovico imperatori filio Bosonis, quem jam diximus coronatum fuisse in regem Provinciæ & Burgundiæ, ab episcopis Mantalæ congregatis anno 879. Ne vero actum agamus, sufficiat nobis indicare Honoratum Bouche in hist. *t. vj. fol. 1. n. 5.* Provinciæ, præsertimque Carolum Cointium, qui ad annum 822. refert privilegium de quo est controversia, illudque invictis argumentis probat minime convenire Ludovico Pio, deberique alteri Ludovico Bosonis, ut diximus, filio. Summa præcepti hujus est imperatorem Ludovicum rogatum esse ab Hugone comite & Theutberto fideli suo, ut Remigio Avenionensi

[a] *Ego Gauſſelinus comes & uxor mea Oda & filii mei Arnuſtus & Guillelmus, donamus Deo & eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ de Donis, quæ conſtructa eſt in Avernica civitate, eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ ſita eſt in comitatu Avernico, in villa quæ dicitur de Joncariis, cum altaribus illic conſecratis, decimis, primiciis, oblationibus, cimiteriis, terris cultis & incultis, & aliis omnibus quæ ad ipſam eccleſiam pertinere videntur, quæ nobis jure obvenit parentum noſtrorum, & quæcumque ibi habemus propria hereditatis, ut ea omnia ex nunc & deinceps omni tempore teneant & poſſideant in perpetuum canonici & clerici præſentes & futuri, quatenus pius Dominus interceſſione ejuſdem beatiſſimæ matris ſuæ, & ſanctorum omnium & prafatorum canonicorum & clericorum orationibus, veniam nobis peccaminum noſtrorum largiri dignetur. Actum Avenione in domo baſilicæ ejuſdem beatæ Mariæ de Donis adjacente, idibus Octobris, anno incarnationis Dominicæ octingenteſimo quinquageſimo tertio, glorioſiſſimo domno noſtro Lothario imperante decimo tertio, indictione prima, in manu domini Ragenutii reverendi epiſcopi.*

†. *Signum Gauſſelini comitis, qui hoc donum fecit & firmavit manu ſua.*

Ego Oda ſubſcripſi.

† *Signum Arnuſti filii ejus.*

† *Ego Guillelmus filius ejus ſubſcripſi.*

† *Ego Gaffredus nepos ejus ſubſcripſi.*

Signum Martini. Signum Petri de Joncariis. Signum Pontii Imberti. Signum Aliſardi Jordani. Pontius canonicus rogatus ſcripſit, in nomine Domini feliciter, & ſubſcripſit.

ANNI CHRISTI. *Tom. IX. concil. Labb. pag. 376.*

ANNI CHRISTI.

epiſcopo concedere dignaretur villam Bittoritam * ſitam in comitatu Avenionenſi, ſeu etiam medietatem de deſcenſu Rhodani. Annuit pius princeps diplomate dato XVII. cal. Junii, indictione XV. anno 9. regni Ludovici piiſſimi imperatoris. *Actum Vienna feliciter. Gernerius* notarius recognovit ad vicem Alexandri archicancellarii.* Vienna urbs, quæ ſedes erat regum Provinciæ ſeu Burgundiæ, Hugo comes & Theutbertus commemorati, quos coævos fuiſſe Ludovici imperatoris Boſonis filii multæ probant chartæ illorum temporum, Alexander archicancellarius, hæc omnia præceptum iſtud adjudicant Ludovico Boſonis nato. Porro annus nonus ejus regni, ſi computemus ab anno 890. quo in concilio Valentino nomen regis ei delatum eſt, octingenteſimus eſt ac nonageſimus octavus; & eo tempore Remigius jam erat epiſcopus. At ſi numeremus annos regni hujus principis, a ſumto imperio, annus nonus imperii ejus inchoati anno 898 [a]. erit annus 907.

* Bedanides.

* al. Vuarnerius.

[a] 898. 907.

Eſt aliud præceptum ejuſdem imperatoris pro noſtro Remigio, cui rogante Theutberto comite dedit, & eccleſiæ B. Mariæ, quamdam inſulam ſubtus Avenione ſitam, quæ determinatur ex una parte Rhodano, diſcurrente ex altera Sorgilione. Warnerius notarius ad vicem domini Alexandri archicancellarii recognovit. *Datum* XIV. *cal. Novembris, anno* VII. *regni Hludovici piiſſimi Auguſti, indictione* XI. *Actum Vienne &c.* Integrum præceptum edidimus in probationibus. Datum, eſt an. 905. Chriſti, ſi per annos regni Ludovici, anni imperii, ut putamus, intelligantur.

C. III. p. 337. col. 2. 905.

XXVII. FULCHERIUS.

Hic epiſcopus, uti ejus deceſſor, ex præceptis ejuſdem Ludovici imperatoris nobis innotuit. Primum eſt, quo ei tribuit eccleſiam ſancti Geneſii & alias, Hugonis ducis & comitis glorioſi, Boſonis ejus fratris, & Roſtagni (Arelat.) archiepiſcopi precibus obſecundans. Idem Warnerius recognovit ad vicem Alexandri archiepiſcopi archicancellarii. *Datum* II. *nonas Aprilis anno* XII. *imperante Hludovico piiſſimo imperatore indictione* XIV.* qui characteres chronologici annum Chriſti 910. deſignant, ſi inſtitutæ a nobis chronologiæ inſiſtamus.

Vide C. IV. p. 138. col. 1.

* XIII.

910.

Proindeque Fulcherius ab hoc ſaltem anno factus eſt Avenionenſis epiſcopus. At in teſtamento ejuſdem Fulcherii, alio modo componuntur anni imperii Ludovici cum annis Chriſti; quippe annus XIII. ejus imperii reſpondet anno Chriſti 916. indict. IV. Quæ ratio numerandi annos imperii ejuſdem principis, ſervatur in alio ipſius diplomate pro eodem Fulcherio epiſcopo, ubi annus 920. Chriſti XV. cal. Septembris, eſt decimus-ſeptimus imperii Ludovici indictione VIII. & primus annus imperii Ludovici ſumitur ab anno 903. Sane noſter D. Edmundus Martenne, qui plurima hujus imperatoris inſpexit diplomata, obſervavit in illis multiplicem rationem computandi ipſius imperii annos, inchoando illud modo ab an. 898. modo a 901. modo a 903. Itaque ſecurius erit & certius obſervare annos incarn. Dom. ubi aſſignantur.

ANNI CHRISTI.

Fulcherius an. 916. teſtamentum condidit, ex quo multa diſcimus ad eum ſpectantia quæ ſummatim referemus. Hic epiſcopus electus eſt *ſuggerente Auguſtalis proſapiæ principe Boſone.* Statimque adiit Roſtagnum Arelatenſem primatem; ut ab ipſo ordinaretur. Roſtagnus mortuus erat an. 914. proindeque electio Fulcherii facta eſt ſaltem hoc anno, & quidem nominatur in inſtrumento electionis Pontii Arauſicani epiſcopi hoc ipſo tempore. Simul aperuit Fulcherius quod in animum induxerat, epiſcopatus oneri ſuccedens, nimirum ſuis facultatibus relevare & nobilitare Avenionenſem eccleſiam, quam barbarica vaſtatio & depræ-datio maxima ex parte mundialibus attriverat copiis. Quod vero præconceptum erat animo implevit ſcripto teſtamento, quo legat B. Mariæ & S. Stephano totam hereditatem ſuam, ſcilicet eccleſiam ſanctæ Mariæ, in comitatu Avenionenſi, vicaria Vallerica cum preſbyteratu ſuo, alodum in eodem loco, in eadem villa quæ dicitur *Fornis.* Item eccleſiam in honorem ſanctæ Mariæ, S. Johannis & S. Baudilii dicatam; item aliam in honorem ſanctorum martyrum Coſmæ & Damiani, ſuper ripam Rhodani in proſpectu caſtelli, quod nominatur *Leris*; quas regia munificentia per teſtamentum aſſecutus fuerat, uti & multas alias poſſeſſiones quas infra recenſet. *Actum publice Avenione civitate anno ab incarnatione Domini* DCCCCXVI. *indict.* IV. VI. *nonas Maii in die Aſcenſionis Domini,* XIII. *anno imperatore filio Boſonis.* Huic inſtrumento poſt Fulcherium ſubſcripſit Rainardus Cavallionenſis eccleſiæ epiſcopus.

Vide C. V. p. 138. col. 2.

916.

Alia munificentiſſima dona eccleſiæ ſuæ a Ludovico imperatore procuravit, uſus præſertim precibus Boſonis comitis & ro pinqui Auguſti, cui cum noſtro præſule magna intercedebat amicitia; in his abbatiolam ſancti Ruffi, & eccleſiam S. Juliani, cum territorio Capiſtiniano, in comitatu Avenionenſi. Quæ omnia cum ſublata fuiſſent huic eccleſiæ, imperator reſtituit. *Datum eſt hoc præceptum Vienna anno* DCCCCXX XV. *cal. Septembris anno imperii domni Ludovici* [a] XVII. *indictione* VIII. *Ubboldus notarius ad vicem Alexandri archicancellarii recognovit.* Hic ſubſiſtendum, neque enim plura de Fulcherio nobis occurrerunt.

Vide C. VI. pag. 139. col. 2.

[a]

XXVIII. FLORENTIUS.

D. Polycarpus qui hunc epiſcopum erult ex tabulario S. Andreæ, dicit ipſum fuiſſe conſecratum anno 919. inſtante Ludovico imperatore; obtinuiſſe a Carolo Francorum rege diploma pro ſua eccleſia, & anno 921. ad eundem regem ſcripſiſſe, cum Uticenſis comes aliquod caſtrum muniviſſet, in eccleſiæ Avenionenſis detrimentum: quæ vetera monumenta penes ſe haberi monet idem doctus Carthuſianus.

[a] In chronico Reginonis, *Anno incarnationis* DCCCXCVIII. *inter Ludovicum & Berengarium in Italia plurima congreſſiones ſunt... noviſſime Ludovicus Berengarium fugat, Romam ingreditur, ubi a ſummo pontifice coronatus imperator appellatur.*

[a] Corruptæ videntur hujus præcepti chronicæ notæ. Certe non pot anni dantur huic imperatori.

ANNI CHRISTI.

XXIX. Rangefridus.

Rangefridum S. Ægidii monachum abbatemque fuiſſe, ac in hoc monaſterio aſſidue orationibus, jejuniis, *diſciplinis*, & obſervantiis vacaſſe docent indices a Polycarpo de la Riviere viſi. Memoratur in litteris Boſonis regis
944. an. 944. indict. II. IV. idus Maii; & poſt quinquennium ſubſcribit litteris Gaufredi comitis & uxoris ejus Alburgæ: *Act. Avenione anno*
949. *incarn.* DCCCCXLIX. *pridie cal. Iulii ind.* VII. B *regnante Boſone . . . Signum Rangefridi epiſcopi*, &c. Notat D. Polycarpus inſtrumentum hoc aſſervari in theſauro Carthuſiæ, ubi ipſe Deo famulabatur.

Idem Ragenfridus laudavit chartam quandam Lanfredi ejuſque uxoris, pro monaſterio S. Laurentii prope Avenionem, XII. cal. Auguſti an. 951. quam legeſis in hiſtoria hujus parthenonis mox ſubjicienda.

XXX. Landricus.

Landricus epiſcopus Avenionenſis nominatur inter epiſcopos provinciæ Arelatenſis, quibus inſcribitur quoddam commonitorium epiſcoporum Burgundiæ, anno circiter 955. ſcrip-
955. *al.* 639. tum, ut videre eſt tomo IX. conciliorum. Dedit aut reſtituit canonicis S. Stephani, hoc eſt majoris eccleſiæ, *molendinos* duos, & quidquid
Vide C. VII. pag. 19. col. 2. in vineis, in campis, in decimis, in ſua diœceſi ipſis injuſte abſtulerat, charta data calendis Aprilis an. 976.

XXXI. Vernerius.

Vernerii memoria eruitur ex veteri monu-
976. mento an. 976. Subſcripſit donationi eccleſiæ
Antiq. S. Vict. S. Verani de Valle-cluſa, quam Walcaudus D epiſcopus Cavallicenſis contulit Maſſilienſi S.
979. Victoris monaſterio an. 979. indictione VII. Teſtis legitur in charta Theuderici Aptenſis epiſcopi inſtituentis duodecim canonicos in ec-
991. cleſia ſua, II. nonas Auguſti, an. 991. indict. IV. regnante Chuonrado rege Alamannorum, ſeu Provinciarum. Ejus tempore deſtructum Andaonenſe S. Andreæ monaſterium reſtaura-
tom. VII. Spicil. pag. 197. tur, ut nos docet Eldebertus epiſcopus in litteris infra commemorandis. In ſchedis D. Polycarpi occurrit Eldebertus Avenion. epiſcopus, ex donatione, inquit, facta monaſterio S. Andreæ an. 1002. indict. XV. menſe Aprili, E miramur chartam hanc fugiſſe diligentiam noſtrorum exploratorum. Quidquid ſit vacat locus huic epiſcopo inter Vernerium & Petrum.

XXXII. Petrus I.

1002. An. 1002. ſubſcripſit cuidam donationi factæ monaſterio Montis-majoris, & Archinrio abbati, ab Amalrico Aquenſi archiepiſcopo, ejuſque canonicis, qui monachis dimiſerunt &
Vide Ch. VIII. pag. 19. col. 2. indulſerunt *decimas* eccleſiarum ſuarum. *Ita quidem*, inquit Amalricus, *ut ab hac die nemo noſtrum, vel ſucceſſores noſtri habeant licentiam ullomodo calumniandi . . . . Petrus epiſcopus ſanctæ ſedis Avenionenſis, qui tunc præſens aderat juſſu ejus* (Amalrici archiepiſcopi) *firmavit*. Juravit ſubjectionem, reverentiam & obedientiam A Arelatenſi eccleſiæ, ex ſacramentali epiſcoporum in capitulo Arelatenſi, quod laudat Honoratus Bouche.

ANNI CHRISTI. *l. 2. ſect. 2. c. 8.*

XXXIII. Hildebertus *vel* Eldebertus.

Hic præſul anno 1006. beneficum ſe oſten- 1006.
dit monachis, qui in cœnobio S. Andreæ & S. Martini in monte Andaone ſuper flumen *Chartar. fol. 46.*
Rhodani Deo famulabantur; ipſis enim ceſſit B XI. calendas Octobris, eccleſiam S. Petri in comitatu Avenionenſi, in Alieraco minore; ex inſtrumento quod exſtat tomo VII. ſpicilegii. *p. 197.*
Partem in hac donatione habuerunt Roſtagnus vir nobiliſſimus cum uxore ſua Beletrude, ac eorum filii Patronus clericus, Bertrannus, Roſtagnus, æque ac parentes in monachos benevoli. Eldeberto epiſcopo, & aliis cum Burgundiæ tum Aquitaniæ præſulibus, ſcripſit Benedictus VIII. ut tuendo Cluniacenſi monaſterio adverſus Willelmum de * Bello-joco alioſve dynaſtas operam darent, ſtrenueque ſe gererent. Attigit præſul hic annum 1033. quo vide- * Bellojen. 1033.
C licet ſubſcripſit teſtamento Gaufredi comitis Avenionenſis. Hic Gaufredus ejuſque frater Bertrandus, comitatum inferioris Provinciæ poſſidebant, hoc eſt partem Provinciæ a Druentia & Verdone fluviis, ad mare. Qui an. 1033. dederunt eccleſiæ Avenionenſi partem quartam de Inſula *Mayranicas*. Vide Bouxum tom. II. p. 63.

XXXIV. Senioretus.

Poſt Hildebertum hic locus videtur dandus Senioreto, ex tabulis monaſterii Montis-majoris. In his enim legitur Bertrandum comitem Forcalquerii & Venaiſſini, eccleſias Aloanni in Avenionenſi comitatu, caſtri Taraſconenſis territorio, cum manſionibus quinque, hortis & oglaris, qui ibi ſunt, conſentiente epiſcopo *Senioreto* de Avenione & canonicis, & Berengario judice, Montis-majoris monaſterio donaſſe: *Actum in comitatu Avenionenſi ſecundo idus Aprilis, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto. S. Bertrandi comitis. Gaufridus comes voluit. Roſtagnus Porcellitus firmat.* Porro ex Bertrandi & Gaufredi comitum laudatorum ævo & Avenionenſium præſulum ſerie, conjicit qui hæc eruit ex veteribus tabulis, Senioretum Avenionenſes inſulas accepiſſe circiter an. 1035. 1035 c.
Honoratus Bouche vero qui hoc Bertrandi laudat diploma, id ad annum 1037. refert. *Lib. 3. pag. 548. ſect. 1. c. 7.*

XXXV. Benedictus.

Eum promiſiſſe obedientiam eccleſiæ Arelatenſi coram Rajambaldo archiepiſcopo, docet *ibid. c. 8.*
Honoratus Bouche. An. 1038. quatuor eccleſiæ 1038.
ſuæ canonicis religioſam vitam ducere volentibus conceſſit eccleſiam S. Juſti & S. Ruffi, haud procul ab Avenione, ubi ordo canonicorum Regularium S. Ruffi exordium habuit.

An. 1040. idibus Octob. adſtitit Benedicto 1040.
papæ IX. eccleſiam ſancti Victoris Maſſil. conſecranti, uti fidem faciunt ejuſdem papæ lite- *Inſtrum. Ch. XV. pag. 110. col. 2.*
ræ quas videſis in Pontio Maſſil. epiſcopo. Eodem an. confirmavit donum factum a Ma-

ANNI CHRISTI.

rio sive Avenionensi, omnium videlicet quæ possidebat in villa Junanarum, cœnobio sancti Andreæ. Obtinuit a Conrado imperatore præceptum, ut episcopo non liceret bona ecclesiæ alienare, citra canonicorum consensum, anno XII. imperii Conradi, indict. VI.

XXXVI. Rostagnus I.

Berengarius comes in charta qua dat Cluniaco pontem Sorgiæ, sic suos filios recensetB Rostagnum episcopum, Berengarium, Raimundum, Willelmum, Leodegarium. Itaque Rostagnus episcopus Avenionensis, qui primus hac in serie recensetur, filius erat nobilissimorum parentum Berengarii comitis & Gergæ. Ceterum perperam cognomen ipsi est inditum *de Massilia*, quasi [a] ex genere vicecomitum Massiliæ prognatus esset, nam id pernegat Henricus Suarelius, & in accurata descriptione generis vicecomitum Massilienſium quam habemus beneficio V. C. Lud. Ant. Ruffii, nullus locus reperitur sive Rostagno nostro, sive Berengario ejus patri.

Rostagnus subscripsit chartæ cujusdam donationis factæ monasterio Montis-majoris a
1040. Lamberto judice anno 1040. indictione VIII.C Memoratur in confirmatione doni facti sancto Victori apud Massiliam, scilicet condaminæ de Forcalquerio, in comitatu Sistaricensi anno
1044. 1044. Ipse cum canonicorum consensu dedit ex rebus ecclesiæ Avenionensis, ecclesiam S. Mariæ apud Juncarias, Andaonensi S. Andreæ monasterio, Ermengardo abbate congregatio-
1050. nem hanc tunc regente, scilicet an. 1050. Trien-
1053. nio elapso monachis Montis-majoris, quorum
Tab. mon. maj. tunc abbas erat Rolannus, munificum se ostendit, quibus cessit ecclesias S. Victoris & sancti
1063. Johannis in castro Bucco. An. 1063. cum pa-D
Vide C. IX. pag. 140. col. 2. tre, matre, fratribusque concessit ecclesiam Pontis Sorgiæ Cluniacensibus; quod Willelmus comes, ejusque frater Josfredus confirmarunt. Instrumentum Almodis comitissæ, quo
1066. donat Cluniaco abbatiam S. Ægidii an. 1066. de quo vide in Raimbaldo Arelatensi archiepiscopo, hujus præsulis nomen præfert. An. 1076.
1076. subscribit chartæ Almodis comitissæ ejusque filii comitis Ruthenensium &c. qua S. Ægidii abbatia conceditur S. Hugoni abbati Cluniacensi. Missas facimus multas donationes, aut a Rostagno factas aut comprobatas. Ao. 1074. composuit cum S. Hugone abbate Cluniacensi, de quibusdam litigiosis. Eo sedente Hugo Diensis episcopus Gregorii VII. legatus concilium E
1080. Avenioni celebrat, an. 1080. ubi Sichardus invasor sedis Arelatensis depositus est, & electus in ejus locum Gibelinus. Ibidem quoque Lantelmus creatus est archiepiscopus Ebred. Hugo episcopus Gratianop. & Desiderius Cavellicensis; ex chronico Virdun. Hugonis Flaviniac. De tempore mortis Rostagni nihil certi habemus. In necrologio S. Andreæ secus Avenionem, notantur quatuor episcopi Avenionenses hoc nomine insigniti, quorum unus obiit XVI. cal. Martii, alter III. idus Julii. Alius

[a] Monet D. Polycarpus cognominari Rostagnum *de Sabrano*, in antiquis indicibus.

III. cal. Julii. Is vita excessit an. 1209. Quartus denique & ultimus III. nonas Septembris. At unicuique sui obitus diem assignare arduum est. In schedis D. Polycarpi invenio quemdam Laugerium an. 1075. Aven. episcopum, qui mense Januario quædam dedit monasterio S. Andreæ, ex ejusdem loci chartario, inquit Polycarpus, quæ si constent (certe qui tabularium Andaonense curiose explorarunt ex nostris chartam hanc non observarunt) necesse habemus dicere, tunc schisma fuisse in hac ecclesia; quippe quæ duos simul habuerit episcopos.

ANNI CHRISTI.

XXXVII. Albertus.

Albertus seu Arbertus ex chartario S. An- *fol.* dreæ nobis innotuit, ubi videlicet leguntur hæ litteræ: *Notum sit omnibus .... quod ego Arnaldus Guillelmi de Roca-maura, cum consilio domni Arberti Avenionensis episcopi, atque Rostagni præpositi .... dono monasterio S. Andreæ &c. anno* MLXXXI. Male autem assignatur indictio 2. 1081. Testis legitur in donatione comitis Tolosæ pro cœnobio S. Andreæ Avenion. cujus authenticum seu autographum in ipso S. Andreæ tabulario asservatur; ejusque exemplar in Urbis seu Villæ-novæ cartul. legitur autem apud Catellum in hist. comitum Tolosanorum lib. 2. c. 1. Hoc diplomate Raimundus comes Tolosæ dux Narbonæ, marchio Provinciæ, confirmat Petro abbati S. Andreæ quidquid olim donatum & collatum fuerat a suis antecessoribus; videlicet Podium Andaonense, ubi supra ædificatum est monasterium S. Andreæ, & villam adjacentem; & aliam villam de Angulis, &c. quæ *Ch. X. p.* *140. col. 2.* vide in probationibus. Hoc in diplomate testis est ex parte abbatis *Albertus* Avenionensis episcopus. Datum est diploma anno incarnationis Domini 1088. Mortuus erat Albertus aut epi- 1088. scopatum abdicaverat an. 1094. constat enim 1094. hoc anno Gibelinum archiepiscopum Arelatensem curam gessisse episcopatus Avenionensis vacantis, ex ejusdem litteris, quibus plurima confert canonicis ecclesiæ Avenionensis in *Vide C. XI. p. 140. col. 2.* claustro sine proprio viventibus. Hoc enim tempore quidam canonici majoris ecclesiæ vitam regularem amplexati sunt; quod infra uberius demonstrabimus.

XXXVIII. Arbertus.

Quandiu Gibelinus Arelatensis metropolitanus Avenionensem ecclesiam post Albertum administraverit, quove tempore Arbertus fuerit subrogatus, huc usque incompertum. Ex- *Vide Ch. XII. pag.* stat ejusdem charta, qua Rostagno præposito *140. col. 2.* & canonicis sub regularis vitæ disciplina degentibus plurima confert; scilicet ecclesiam S. Marthæ apud Tarasconem, S. Agricolæ de Lupera, & S. Pauli de Palude &c. Desunt chartæ huic notæ chronologicæ; sed eam datam fuisse saltem anno 1096. ante concessum iis- 1096. dem canonicis ab Urbano II. privilegium an. eodem XVII. cal. Octobris, existimamus. Nam Urbanus papa II. confirmat iis canonicis ecclesiam S. Marthæ apud Tarasconem, S. Agri- *Vide C. XIII. pag.* colæ de Lupera, & S. Pauli de Palude. At ea- *141 col. 1.*

dem ſunt quæ Arbertus ipſis contulerat; proinde- A
ANNI CHRISTI. deque præceſſit charta Arberti privilegium Urbani II. Præterea privilegium Urbani papæ II. inſcribitur Silveſtro præpoſito, charta vero Arberti, Roſtagno, qui præpoſitura tunc fungebatur. At Roſtagnus nobis videtur anteponendus Silveſtro; eſt enim in chartis mentio Roſtagni præpoſiti circa annum 1087. præſertim in tabulario Andaonenſi. Opponi tamen poteſt Arbertum annum milleſimum centeſimum appellare quartum ſui epiſcopatus; unde conſequens foret ipſum cepiſſe epiſcopatum anno tantum 1097. At ſi annum quartum completum interpretemur, intelligimus quartum hunc B
annum pertinere ad annum Chriſti 1096.

Arbertus Avenionenſis epiſcopus interfuit querpitioni factæ inter Raimundum Nemauſenſem epiſcopum & Pontium abbatem Caſæ-Dei,
1099. an. 1099. ut oſtendemus in Raimundo. Anno
Ch. XIV. p. 141. col. 2. 1100. dedit abbati & monachis S. Remigii Remenſis, eccleſiam & villam S. Remigii in Provincia ſitam, anno ſui epiſcopatus quarto, ſubſcribunt Gibelinus archiepiſcopus Arelatenſis,
1101. & Roſtagnus præpoſitus. An. 1101. Roſtagnus Berengarii pater Berengarii epiſcopi Forojulienſis, ejuſque uxor Hermenſendis, ac filii Berengarius epiſcopus, Gaufridus vicecomes, C
Bertrannus, Raimundus, & Petrus Berengarius, donarunt fratribus canonicis in majori eccleſia Avennicæ urbis conſtitutis, poteſtatem in omnibus molendinis certi loci, & jus ac dominium quod habebant ſuper aquam-Sorgiam, a loco qui dicitur Videna, uſque Rhodanum, & uſque in urbem Avennicam. Char-
C. V. p. 83. col. 2. tam dedimus in probationibus Forojulienſibus.
1107. An. 1107. cum Gibelino archiepiſcopo Arelatenſi confirmavit & laudavit electionem Berengarii aſceteæ S. Ruffi in epiſcopum Arauſicanum. Quo etiam anno indictione XV. quædam D
dedit Lirinenſibus monachis, teſte Berengario Forojulienſi epiſcopo. Hoc ipſo anno menſe Julio a Paſchali II. judex delegatus cum Girardo Engoliſmenſi, Euſtachio Valentino, & Gau-
Anal. Mab. t. V. p. 676. terio Magalonenſi epiſcopis, litem de cella Gordanica in gratiam Anianenſium, contra Caſæ-Dei monachos definivit.

1116. Arbertum attigiſſe annum 1116. pene demonſtrat charta quædam Caſæ-Dei, qua Galterus epiſcopus Magalonenſis, dedit Stephano de Mercorio abbati Caſæ-Dei tres eccleſias, E
de quibus in Galtero Magalonenſi, rogatu L. Vivarienſis (Leodegarii) & A. Avenionenſis (Arberti) hoc ipſo anno. Imo etiam fere perſuaſum habemus Arbertum vitam produxiſſe in
1118. Avenionenſi cathedra uſque ad annum 1118. tabulis Montis-majoris nos docentibus Fulconem Aquenſem archiepiſcopum, & Petrum Montis-majoris abbatem, de quibuſdam eccleſiis contendentes, ad concordiam revocatos, præſentibus G. (Guidone) B. (Berengario) Arauſicano, A Avenionenſi, menſe Martio prædicti anni. At vero per A. Avenionenſem, proculdubio intelligendus eſt Arbertus, minime vero Leodegarius Arberti ſucceſſor. Idem proculdubio eſt ac Aripertus ad quem Callixtus papa II. ſcripſit epiſtolam quæ habetur in tabulario S. Andreæ, & in alio codice MS. quem vidit D. Polyc. de la Riviere; in ea ſic legitur: *Calliſtus epiſcopus ſervus &c. venerabili fratri Ariperto Avenionenſi epiſcopo &c. Dat. Laterani per manum Hugonis S. R. E. ſubdiaconi card. pridie nonas Aprilis indict. I. incarnationis* MCXXIII. *pontificatus anno* V. ANNI CHRISTI. 1123.

Hoc anno Arbertum interiiſſe veriſimile videtur. In necrologio S. Remigii Remenſis, ad diem 4. Martii legitur: *Anniverſarium Arberti epiſcopi Avenionenſis qui dedit nobis eccleſiam S. Martini ſitam in villa S. Remigii, in Provincia.*

XXXIX. LAUGERIUS, *al.* Leodegarius.

Laugerium a Leodegario diſtinxerunt Sammarthani, at idem eſt prorſus epiſcopus, qui modo Leodegarius, modo Laugerius appellatus reperitur. Leodegarius epiſcopus Avenionenſis adfuit concilio Viennenſi an. 1124. ex 1124.
ſchedis D. E. Martenne. An. ſequenti in charta Gantelmi &c. filiorum Conſtantiæ pro Petro abbate S. Andreæ, vocatur Laugerius, & an.
1129. in donatione eccleſiæ S. Thomæ quam 1129.
Bernardus epiſcopus Arelatenſis ceſſit Hoſpitalariis Jeroſolymitanis. Eodem anno in ejuſ-
C dem præſentia Adalax Avenionenſis & Forcalquerienſis comitiſſa ceſſit nepotibus ſuis filiis filii ſui Willelmi comitis; videlicet Bertranno & Guigoni omnem ſuum honorem, & totius Provinciæ poteſtatem atque dominium, retento
Vide Ch. XV. pag. 142. col. 1. tantum uſufructu de ſuis dominicaturis. Ipſi & conſulibus Avenionenſibus Willelmus comes Forcalquerii conceſſit plenum poteſtativum, ut acta vocant publica, quod nepotes Guillelmi Guillelmus comes & Bertrannus confirmarunt,
an. 1206. IV. nonas Junii. An. 1140. Leodega- 1140.
rius protulit ſententiam pro ſuis canonicis, co-
D ram Petro Gratinelli Vapincenſi epiſcopo. Ejus depoſitio (ſic obitum vocant) notatur in necrologio S. Andreæ ad diem XIII. Octobris. In ſchedis D. Polycarpi de la Riviere memoratur epiſtola Innocentii papæ II. ad Leodegarium epiſcopum Avenionenſem & præpoſitum, *Data* VI. *idus Julii anno* XII. *ejus pontificatus*, unde conſequens eſt Leodegarium vixiſſe uſque ad annum 1142.

XL. GAUFRIDUS I.

Gaufridi epiſcopi Avenionenſis nomen occurrit in ſacramentali, ſeu clientaris fidei ju-
E ramento Willelmi domini Caſtri Montis-Draconis, quod præſtitit Raimundo Arelatenſi archiepiſcopo an. 1143. VIII. cal. Junias, præ- 1143.
ſentibus cum Gaufrido, Guillelmo de Sabrano priore S. Saturnini, Hugone Arelatenſi decano, Willelmo Porcelleti, & aliis, ut conſtat ex codice archiepiſcopatus, quem pancharam appellant nigram. Anno 1150. Raimundus 1150.
Barchinonenſis comes & marchio Provinciæ, pro ſerviciis ſibi, filio, nepotique ſuo exhibit, donat ipſi omne dominium in villa de Vercheriis. Adfuit an. 1152. IV. cal. Januarii, tranſlationi S. Trophimi ab eccleſia S. Honorati, in majus templum, cum Raimundo archiepiſcopo, Bernardo Arauſicano, Berengario Vaſio-

nensi,& Petro Massil. episcopis. Eodem an. pacis fuit sequester cum eodem Raimundo metropolitano, inter canonicos ecclesiæ Arelatensis, & fratres templi Jerosolymitani, pro cœmeterio juxta eorum oratorium. An. 1153. Pontius Aqui-sextiensis archiepiscopus composuit litem inter hunc episcopum ejusque canonicos, uti jam diximus.

ANNI CHRISTI. 1153.

Ipse Gaufridus hoc eodem anno a sede apostolica delegatus, dirimit litem inter S. Remigii Remensis & Montis-majoris monachos, pro ecclesia S. Martini altercantes; quo in negotio usus est consilio Durandi abbatis S. Ruffi,& Stephani canonici sancti Ruffi quondam Viennensis archiepiscopi. An. 1154. composuit litem inter Alfandum Cavallionensem episcopum, & Pontium abbatem S. Andreæ; quod judicium exstat tomo VII. spicilegii p. 207.

1157. An. 1157. Fredericus imperator dictus Ænobarbus privilegium concessit Gaufrido [a], quem laudat ob singularem fidem, principemque appellat. Hoc autem diplomate *investit* episcopum Avenionensem, *de omnibus regalibus sive possessionibus vel justitiis*, accepto ejus hominio, ubi enumerantur quæ ad Avenionensem tunc pertinebant ecclesiam,scilicet villa episcopalis infra muros Avenionenses, insula subtus Avenionem &c. quæ in litteris imperatoris legi queunt. Eodem tempore scripsit idem Fridericus Augustus clero, consulibus, militibus, & populo apud Avenionem, ipsis commendans Gaufridum, quem arctius amplecti & fovere, ac honorare constituerat: simul jura, libertatem dignitatemque populi asseruit alio diplomate, quæ omnia damus in probationibus. Ipse episcopus, cum videret cives inter se dissidentes,eos ad concordiam cum consulum consensu revocavit an. 1158. An. 1162. die 25. Julii interfuit coronationi Friderici imperatoris. Pars magna fuit transactionis an. 1166. inter canonicos ecclesiæ Arelatensis, & Fredolum abbatem monachosque Massilienses, dissidentes invicem pro ecclesiis S.Honorati & SS. martyrum Sergii & Bacchi; cui controversiæ finiendæ cum episcopo Avenionensi, Raimundus archiepiscopus Arelatensis, operam navavit. Vide inter instrumenta ad ecclesiam Arelatensem spectantia C. XVIII. pag. 99. col. 2. Obiisse legitur die 2. Januarii ex S. Andreæ necrologio; sed quo an. ignoratur. An. 1167. alius in sede Avenionensi nobis occurrit episcopus; an vivente adhuc Gaufrido, dubitamus, quia anno 1173. adhuc recurrit episcopus nomine Gaufridus, forte idem, qui aliquandiu cathedram cesserit.

Ch. XVI. p. 142. col. 1. Ch. XVII. col. 1. & C. XVIII. p. 143. col. 1.

1158. 1162 1166.

XLI. Petrus II.

Hoc loco ponere episcopum nomine Petrum cogit pactum initum an. 1167. inter Ildefonsum Arragonum regem, ducemque Provinciæ, & Hugonem comitem Ruthenensem, pro vicecomitatu de Carlades, quod habetur spicilegii tomo X. ibi enim legitur: *talem amicabilem compositionem feci*, inquit Ildefonsus, *consilio & voluntate Hugonis Tarragonensis archiepiscopi, Raimundi Arelatensis archiepiscopi, & episcoporum Guillelmi Barchinonensis, Petri Avenionensis, Petri Cæsaraugustani &c.*

1167. p. 161.

[a] Qui cum mult s archiepiscopis & alis prælatis Vesontionem convenerat ad imperatoris nuptias.

ANNI CHRISTI.

XLII. Gaufridus II.

Gaufridus sive idem qui Petri decessor fuit, sive alius, anno centesimo septuagesimo tertio supra millesimum testis fuit in transactione facta inter Raimundum de Bolena archiepiscopum Arelatensem, & filios Petri de Lambesco, de qua jam locuti sumus in Guillelmo Hugone Tricastinensi episcopo. Forte is est *Walfridus* quem Sammarthani fratres arguunt a nonnullis introduci post Gaufridum: nam Walfridus idem est apud veteres ac Gualfridus, ex quo fit Gaufridus.

1173.

Iidem doctissimi viri Gaufrido subjiciunt Raimundum quemdam, quem dicunt notari in chartophylacio Avenionensi, ad annum 1174. Certe si hoc anno sederit Raimundus, annum in episcopatu non complevit, quando constat eodem anno alium fuisse episcopum.

XLIII. Pontius.

Pontius anno 1174. memoratur in charta Flandrinæ, qua vendit agrum quemdam. Post annos quatuor testis fuit an. 1178. in diplomate Friderici imperatoris, pro Arelatensi ecclesia; & in alio ejusdem principis pro ecclesia Diensi Robertoque ejus episcopo. Eodem anno mense Aug. Fridericus imperator laudata prius ejus prudentia, constantia, fidelitate, ejus tutelæ committit Judæos in civitate Avenionensi manentes. Præterea, sua munificentia Fridericus imperator concessit Pontio ejusque successoribus *portum & plenæ jura portus in flumine Druentia*, ut legitur in hujus principis diplomate. An. 1179. bullam protectionis & confirmationis prædiorum ac bonorum omnium obtinuit ab Alexandro III. papa. Hoc vero anno cathedram reliquit alteri, morte, ut putamus raptus. Sub pontificatu Pontii ingens moles pontis Rhodano impositi ædificari cœpit, an. 1177. hortatu juvenis pastoris ovium nomine Benedicti [a], quem Deo afflatum fuisse non immerito credunt, coluntque Avenionenses ut sanctum. Ejus corpus incorruptum repertum est an. 1670. quasi recens exstinctum & postea translatum in ædem sacram Patrum Cælestinorum, ab archiepiscopo Hyacintho Libelli, feria 2. Paschæ an. 1674.

1174. 1178.

Vide C. XIX. pag. 143. col. 2.

[a]

XLIV. Petrus III.

An. 1179. mense Martio Alexander papa III. celebravit concilium Romæ in basilica Lateranensi, quæ vocatur Constantiniana, quo ex omnibus Galliæ provinciis convenerunt frequentes episcopi; maxime vero ex Arelatensi provincia interfuisse leguntur Raimundus metropolitanus, Fulco Massil. Pontius Cavallicensis, Petrus Avenionensis, Willelmus Tricastinus, & Petrus Tolonensis. Nullibi autem quam in hac patrum Lateranensis concilii recensione, occurrit nobis Petri hujus Avenionensis mentio.

[a] Vulgo eum appellant S. Benezet.

XLV.

XLV. Rostagnus II.

ANNI CHRISTI. et Margaritis.

Rostagni nomen primum legitur in charta jurium, ut vetera habent instrumenta Pontonagii anni [a]1185. Legitur tamen in abbatibus S. Andreæ an. 1182. Rostagnum episcopum quamdam controversiam finiisse inter Guillelmum abbatem & Raimundum Gaufredi. Adstitit Imberto (*al.* Umberto) Arelatensi metropolitæ S. Marthæ apud Tarascum ecclesiam consecranti [b], an. 1187. Legitur fundasse aliquod ordinis Grandimontensis cœnobium. Pro asserenda civium libertate multa utiliter constituit, deditque litteras in quibus plurimæ immunitates ipsis conceduntur an. 1198. Obiit II. cal. Julii anni 1209. nisi sit mendum in hoc ipsius epitaphio:

1185.

1187.

Fide Ch. XI. p. 163. col. 2.

1198.

ROSTAGNI EPISCOPI AVEN. EPITAPHIUM.

Rore fluens celi, terra pinguedine plenus
Præsul Rostagnus clauditur hoc tumulo.
Illi larga manus, vultus recti ....
Cordis ad obsequium gratia, lingua placens.
Militibus miles, miseris miseratio, clero
Clericus, ad populum vir popularis erat.
Dives enim .....
Dona parans populis plurima jura dabat.
Si numerare velim quæ gratia contulit illi,
Non mihi sufficient littera, lingua, dies.
Anno MCCIX. II. *cal. Julii.*

XLVI. Guillelmus.

de Montiliis.

Guillelmus cognominatus de Montiliis anno 1189. gerebat munus præpositi; quo tempore Ildefonsus rex Arragonum ei & ecclesiæ Avenionensi amplum privilegium concessit, de quo agemus in præpositis. Electus est episcopus, saltem an. 1207. ex diplomate pro Bermundo abbate S. Andreæ, facto mense Septembri hujus anni *in presentia domni Guilelmi electi Avenion.* Creditur sedisse in synodo Avenionensi celebrata hoc anno mense Septembri ab legatis apostolicis, & archiepiscopis Viennensi, Arelatensi, Ebredunensi & Aquensi, cum episcopis XX. quod potiori fortasse jure dicitur de synodo eodem in loco acta an. 1210. Eodem anno juratorum urbis consilio statuit ut aqua Durantiæ deduceretur ad usum moletrinarum; composuitque cum Bermundo Aquensi archiepiscopo dissidium inter nobiles ac cives, ut observavit doctissimus Suaresius. An. 1214. testis fuit homagii comitis Licestriæ & domini Montis-fortis pro castro Belli-Cadri, necnon sacramenti, quo promisit solvere M. archiepiscopo Arelatensi mille marchas argenti boni & legalis, ex tab. [c] archiepiscopatus Arelatensis. Cum Guillelmo episcopo Avenionensi præsentes fuerunt P. abbas S. Ægidii, R. præpositus, B. decanus, & P. præcentor Arelatensis. Cum orta esset controversia inter Arelatensem ecclesiam & monasterium Montis-majoris pro paludibus exsiccatis, concordiæ arbiter & sequester constitutus est Guillelmus noster, instrumento dato anno 1215. Sub ejus testimonio data est charta B. (Bertrandi) Cavallicensis episcopi, & M. (Michaëlis) Arelatensis archiepiscopi, pro Andaonensi monasterio an. 1216. die 1. Augusti. Eodem anno Bermundus Cornuti Aquensis archiepiscopus, & Guillelmus episcopus Avenionensis dominium castri de Miro-mari, sententia sua Monti-majori adscripserunt, adversus R. de Baucio, qui illud sibi vindicabat, decretis tamen eidem R. de Baucio ducentis solidis. In necrologio S. Andreæ obitus ejus notatur die 18. Novembris, sed quo anno incompertum. Post ejus mortem diu cathedram vacasse verisimile est, videlicet propter Albigensium hæresim in urbe grassantem, ob quam per septennium subjecta fuit interdicto & excommunicationi, uti mox dicturi sumus.

1210.

1214.

1216.

[a] Charta qua constituitur a consulibus urbis taxa pro pontonagio, data legitur anno MCLXXXV. *mense Januario an.* 1. *Rostagni episcopi.*

[b] juxta quemdam ecclesiæ titulum metricum:

Viginti novies, septem cum mille relapsis,
Anno postremo nobis patet hospita Christi.
Mille ducentis transactis, minus at tribus annis
Imbertus præsul Rostagno prætule fecundo,
In prima Junii consecrat ecclesiam.

[c] Lib. Albo laudato in Gall. Ch. fr. Sam. to. 1. p. 78. col. 2.

XLVII. Petrus IV.

Huic episcopo testimonium perhibet Fridericus Augustus in diplomate, *Dilectis &c. archiepiscopis, Arelatensi & Aquensi,* &c. directo in gratiam cœnobii Montis-majoris, & Guillelmi abbatis: testes recensentur Sifredus Moguntinensis, Hugo Leodicensis, & Petrus Avenionensis episcopus. Dat. Cremonæ die 25. Novembris an. 1225. ind ict. XIII.

XLVIII. Nicolaus.

de Corbeia.

Nicolaus de Corbeia post longum interpontificium episcopus constituitur, quod quomodo factum sit, ita narrat Nangius ad annum 1226. *Ludovicus* rex Francie, & omnes Cruce-signati.. apud Avenionem urbem, in vigilia S. Barnabæ apost. pervenerunt. Erat autem illa civitas a septennio excommunicationi supposita, propter hereticam pravitatem; quam rex & barones statim obsidentes ... usque ad festum assumtionis ... ipsam sibi subjiciunt, & ibidem quemdam monachum Cluniacensem episcopum statuerunt.*

1226.

* VIII.

Tom. V. collect. Quercet. p. 237.

Anonymus de gestis Ludovici VIII. observat vigiliam S. Barnabæ hoc anno incidisse in feriam IV. Pentecostes, & monet Avenionem fuisse tunc *urbem fortissimam, & quasi inexpugnabilem*, sed post expugnationem, *ad mandatum legati apostolici, & rege imperante fossata implentur, trecenta domus turrales, quæ in villa erant, & omnes muri circumquaque solo diruti æquantur. Villa absolvitur, & legatus inducit in eam multas bonas & laudabiles constitutiones. Magister vero Nicolaus de Corbeia monachus Cluniacensis in ipsius loci episcopum consecratur.* Id Anonymus refert ad annum 1226. cum Guillelmo Nangio. Hallucinantur autem qui Nicolao de Corbeia præmittunt quemdam Petrum de Corbario factum episcopum; quo sedente Ludovicus Francorum rex octavus Avenionem expugnavit. Nimirum nullus ab annis septem erat, ut vero propius videtur, apud Avenionem episcopus. Propterea statim ac a rege

1226.

ANNI CHRISTI.

& a Cruce-ſignatis expugnata eſt hæc urbs, de dando & conſecrando ſedi vacanti epiſcopo, tum rex, tum legatus ſerio cogitarunt. Ceterum hic epiſcopus ordinis Cluniacenſis, cujus alumnus erat non immemor, eccleſiam Radolii * (prioratus eſt ejuſdem ordinis) an. 1230. cum Petro Meldenſi epiſcopo conſecravit.

* Rüeil.

1230.

XLIX. Bernardus I.

Bernardus non invenitur in actis publicis ante annum 1233.[a] quo Alberonus dominus Montis-Frini ei fidelitatem juravit: hominium quoque præſtitit Guaſcus de Lauduno filius Bertrandi, pro caſtro de Leers. Anno vero 1234. tranſiit cum Henrico de Spingno, præſente B. Roſtagno præpoſito. An. 1236. cum diſceptaret contra Calvariam abbatem S. Andreæ, ac Berengarium ejuſdem cœnobii monachum & priorem de Liraco, tandem a litigantibus electi ſunt judices, qui pridie idus Maii ejuſdem anni decernunt ad hunc prioratum pertinere loci de Liraco villam, firmantias, juſtitias, &c. Denique an. 1238. idem Bernardus epiſcopus menſe Septembri, obtinet a Friderico imperatore confirmationem privilegii Friderici imperatoris Gaufrido olim epiſcopo conceſſi. Paulo poſt diem ſuum obiit.

1233.

1236.

Archiv. B. Mariæ de Rupe-forti.

1238.

a

L. Benedictus I.

Benedictus ſubrogatus eſt Bernardo paulo poſt ejus obitum; quippe hic anno 1238. menſe Septembri adhuc præerat; & ecce menſe Decembri inſequenti Benedictus præſens eſt, pridie nonas ejuſdem menſis, quando ſacramentum fidelitatis præſtatur Johanni archiepiſcopo Arelatenſi, ex S. Stephani tabulis. De hoc epiſcopo plura reperire non licuit.

LI. Zoen.

Poſt Benedictum in vulgato catalogo ponitur L. epiſcopus, quem ſub Innocentio papa IV. præfuiſſe aiunt, ut probatur ex quadam hujus pontificis bulla pro Monte-majori, in qua memoratur, & ex alia ipſimet inſcripta, qua ei præcipitur, ut per ſuam diœceſim promulgari curet abſolutionem comitis Toloſæ, qui ſanctæ ſedi reconciliatus fuerat precibus regis Francorum, menſe Januario an. 1. pontificatus Innocentii IV.

Summus hic pontifex an. 1243. cathedram S. Petri conſcendit. At hoc tempore epiſcopus Avenionenſis erat Zoën, ut plurimis teſtimoniis ſumus demonſtraturi. Quapropter pro certo habemus deſignatum per litteram L. epiſcopum non alium eſſe quam Zoën, cujus prima nominis littera Z. in bullis Innocentii poſita ſola, & minus accurate forſan efformata, ſumta eſt pro L. maxime cum divinari non poſſet, quod nomen ſignificaretur per Z. pauca enim ſunt, eaque apud nos pene inuſitata, quæ per hanc litteram inchoantur nomina; multa vero e contrario, quæ per L. incipiant. Sed quid juvat de iis divinare & augurari, cum omnino conſtet Innocentii IV. tempore non alium epiſcopum ſediſſe Avenioni, quam Zoën.

1243.

Sane noſter D. Edmundus Martenne aſſeverat plurimis in chartis Zoën epiſcopum a ſe deprehenſum ab an. 1242. An. ſequenti occurrit inſignitus titulo legati apoſtolicæ ſedis in veteri inſtrumento Moiſſiacenſi. Eodem an. legitur in charta Camonis. Denique hoc anno idibus Martii mandatum dedit M. abbati Appamienſi, ut reſtitui curaret abbati Leſatenſi plurima bona uſurpata. Itaque ipſe eſt quem Innocentius IV. deſignat in ſua bulla inſcripta *Illuſtribus feminis* &c. quam damus in probationibus, ubi dicit Willelmum comitem poſt longas infeſtationes Montis-majoris monaſterio illatas propter caſtrum *Pertuſum*, illud per manum non L. ſed Z. *Avignionenſis* epiſcopi prædicto monaſterio in morte ſua reſtituiſſe.

1242.

Tab. Lezat.

Ch. XXI. p. 143 col. 2.

Ut quæ ſpectant ad Zoën epiſcopum proſequamur, an. 1244. idibus Aprilis ſcripſit ad abbatem Appamienſem, ut liti inter epiſcopum Toloſanum & abbatem Lezatenſem, pro collatione eccleſiæ parochialis ſancti Chriſtophori *de Bolbeſtre*, finem imponeret; quod tantum an. 1248. feria VI. infra octavas Pentecoſtes factum eſt, quo tempore collatio hujus eccleſiæ abbati adjudicatur. Eodem an. hic epiſcopus adfuit concilio Valentino. Triennio elapſo cum non potuiſſet adeſſe ſynodo Inſulanæ, provinciæ Arelat. miſit qui ſe excuſatum haberi rogaret, ac in concilio vices ſuas ageret; ubi emendandum quod legitur in actis concilii: *Dominis Joan. Avinionenſi, & S. Vaſionenſi etiam epiſcopis*, nam pro *Joan.* legendum *Zoan vel Zoen.*

1244.

1248.

Tab. Lezat.

Eodem anno 1251. Alfonſus Pictaviæ comes & Toloſæ, & marchio Provinciæ, nec-non Carolus comes Andegaviæ, Provinciæ, & Forcalquerii ac marchio Provinciæ & dominus Arelatis, promiſerunt Zoën epiſcopo, quod quandiu tenerent civitatem Avenionenſem, exſtirparent & exſtirpari curarent in ea & ipſius diſtrictu hæreticam pravitatem; ſimulque multa conſtituerunt epiſcoporum Avenionenſium utilitati & dignitati conducentia, quæ videſis in ipſo diplomate.

1251.

C. XXII. p. 144 col. 2.

Anno 1254. præfuit ut ſedis apoſtolicæ legatus Albienſi ſynodo, juſſu S. Ludovici coactæ. Hoc epiſcopo præſente anno 1260. cal. Novembris Iſnardus de Ponteves filius Iſnardi de Antravenis de Agouto, fidem clientelarem præſtitit Carolo comiti Andegavenſi & Provinciæ, pro tertia parte civitatis Aptenſis, & caſtro de Agouto, ſecundum libertates & honores quibus domini de Simiana uti conſueverant.

1254.

1260.

Si actis cujuſdam concilii Avenionenſis habiti anno 1270. fides debeatur, Zoën epiſcopus ejuſdem eccleſiæ ipſi aderat. Nihilo tamen minus, alius tunc eccleſiæ præerat Avenionenſi, ut infra probabimus. Forte Zoën non exſpectavit mortem, ut epiſcopalem thronum relinqueret, ſed eum ceſſit alteri, ut ſibi vacaret, retento tamen epiſcopi titulo. Sed huic conjecturæ obſtat quod lego ipſum obiiſſe anno 1263. & ſepultum fuiſſe in æde B. Mariæ.

[a] Etſi forte anno 1231. jam ſederet, ut quibuſdam placet.

ANNI CHRISTI.

LII. Bertrandus II.

1264. Sediſſe legitur anno 1264. Certe anno 1265.
1265. Clemens papa IV. Bertrando roganti ut canonicorum eccleſiæ ſuæ numerus adaugeretur, quia facultates ad ſuſtentationem triginta ſufficere poterant, annuit libenter, eaque de re bullam dedit primo ſui pontificatus anno, II. cal. Decemb. Expleto poſtea in hujus eccleſiæ regimine uno anno vel altero Bertrandus tranſlatus eſt ad ſedem Valentinenſem epiſtola data nonis Julii pontificatus an. III. Cum ſederet Avenioni Beatrix regina Siciliæ & comitiſſa Provinciæ &c. ſui teſtamenti ipſum inſtituit exſecutorem cum archiepiſcopo Aquenſi & tribus aliis epiſcopis; vide Spicileg. tom. VI. p. 480.

Vid. Ch. XXIII. pag. 144. col. 2.

LIII. Robertus I.

1281. Ad Robertum cognomento de Vectia electum Avenionenſem ſcripſit epiſtolam Clemens IV. pro confirmatione ipſius electionis datam Viterbii VI. cal. Auguſti anno III. pontificatus. Exſtat in tabulario Boni-paſſus illius præſulis tranſactio cum Alfanto priore Cartuſiæ hujus loci, præſente Giraudo epiſcopo Cabellicenſi, pro juribus in portu fluminis Durantiæ aliiſve poſſeſſionibus, de quorum dominio inter
1267. eos vertebatur 1267. 6. id. Aug. Ejus obitus ponitur 9. die Martii in necrologio MS. ſancti Andreæ Avenionenſis.

LIV. Raimundus I.

Morem gerimus iis qui ante nos catalogum epiſcoporum Avenionenſium ſcripſere, admittendo cum ipſis Raimundum quemdam, cujus nomen legitur in veteribus membranis Ave-
1271. nionenſibus, anno 1271.

LV. Robertus II.

Hic epiſcopus litigare coactus eſt cum Guillelmo de Goneſſa ſeneſcallo Provinciæ; ſed ad ſopiendum hoc diſſidium Karolus I. rex Siciliæ
1272. & comes Provinciæ adhibuit conſilium Alani Siſtaricenſis epiſcopi an. 1272. die 22. Junii, ex archivis Boſcaudunenſis abbatiæ. Eodem anno egit cum magiſtro militum Templi pro ſacello quodam ædificando. De illo meminerunt adhuc tabularia Avenionenſis eccleſiæ anno 1278. quo etiam anno pridie calendas
8. Junii decretorio judicio finem impoſuit controverſiis inter Petrum abbatem S. Andreæ, & homines de Thoro, de Theudone, & de Junqueriis, una ex parte; & Giraudum Amici domicellum de Thoro, & de Caſtro-
* al. 1281. novo ex altera. Anno 1281. * annectit eccle-
Ex mſ. S. Andr. ſiam B. Mariæ de Angulis, menſæ abbatis S. Andreæ, VII. idus Decembris, & eccleſiam S. Veridimi ſitam in territorio caſtri de Podioalto, menſæ monachorum. In ejuſdem monaſterii necrologio legitur mortuus die 17. Junii. Anno 1279. celebrata eſt ſynodus apud Avenionem cui non niſi per vicarios adfuit, uti notant ipſius acta.

LVI. Benedictus III.

Benedictum Avenionenſi eccleſiæ præfuiſſe
1288. anno 1288. legimus; nec occurrit nobis unde id vel inficiari vel affirmare poſſimus.

ANNI CHRISTI.

LVII. Andreas.

Andreas de Languiſello, genere Nemauſenſis, frater germanus Bernardi Arelatenſis archiepiſcopi cardinalis Portuenſis, & Bertrandi Nemauſenſis antiſtitis; ex ſcheda MS. anni 1292. 16. cal. Septembris, in ſacello epiſcopali
1292. Avenione, admiſit Marqueſium de Mandagoto monachum S. Andreæ, in priorem eccleſiæ S. Salvatoris de Torcularibus. Hoc anno plurima donavit monaſterio S. Catharinæ Avenion. Bertrandum Raimbaudi in abbatem S. Andreæ ex camerario electum confirmat, & ad oſculum pacis recipit VI. idus Martii anni
1294. 1294.

LVIII. Bertrandus III.

Bertrandus ſortitus cognomen *Aymini*, epiſcopus ex præpoſito eligitur anno 1300. promi-
1300. ſit fidelitatem Roberto regi, ejuſque primogenito filio Carolo, nullo facto juramento, recognovitque ſe ab ipſis tenere & poſſidere caſtrum de Novis, & territorium de Agello, &c. die 3. Decembris anno ab incarn. 1309.

Vide ch. XXIV. p. 144. col. 2.

Hoc loco Claudius Robertus Guillelmum de Mandagoto epiſcopum ponit in ſua Gallia Chriſtiana; ſed perperam, quamvis opinionem hanc amplexus ſit vir doctiſſimus Johannes Columbi e ſocietate Jeſu. De hac quæſtione in archiepiſcopis Aquarum-Sextiarum egimus; hanc enim ſedem aliquandiu obtinuit Guillelmus de Mandagoto.

1309.

LIX. Jacobus I.

Jacobus vulgo de Oſſa dictus, ſed verius de Euſa, Cadurcus, de cujus genere inquiſivimus in Forojul. epiſcopis, cum in adoleſcentia egregiam ſuam indolem Petro Ferrerio archiepiſcopo Arelatenſi, Caroli Siciliæ regis & Provinciæ comitis cancellario probaſſet, ejuſque cura & ope ſublevatus, præſtantem operam doctrinæ ſtudiis navaſſet, creatus fuit epiſcopus Forojulienſis; & mortuo Ferrerio, factus eſt ejus loco a Roberto Caroli regis filio cancellarius, deinde a Clemente papa V. Avenionenſis epiſcopus an. 1310. 4. cal. Septembris creatur, quam cathe-
1310. dram obtinebat anno 1312. ut probant quæ-
1312. dam recognitiones ab ipſo hoc anno receptæ. Cardinalis Portuenſis factus eſt hoc anno 1312. 10. calendas Decembris ſabbato quatuor temporum Adventus. Denique anno 1316. diſſidentibus inter ſe cardinalibus poſt obitum Clementis V. de electione pontificis, poſt interpontificium duorum annorum & quatuor fere menſium, tandem renuntiatus eſt papa Lugduni, (num à ſe ipſo, & quidem ſuadente Neapoleone Urſino cardinale, ut vulgo dicitur, non inquirimus) & VII. idus Aug. coronatur ibidem in cathedrali, aſſumto nomine Johannis ejus nuncupationis vigeſimi-ſecundi vulgo dicti. Fuit is parvus quidem corpore, ſed magnus animo, virtute, & ſcientia, cujus geſta in pontificatu fuſius proſecuti ſunt Ciaconius in vitis pontificum, Spondanus tomo I. annal. eccleſiaſt. &c. Animam reddidit in palatio Avenionenſi nonagenario parum major, pridie nonas De-

Vide ch. Euſa.

ANNI CHRISTI.

cemb. 1334. ſepultuſque eſt in eccleſia cathedrali Beatæ Mariæ de Domnis, magna funeris pompa. Fuit autem bonarum litterarum ſtudioſus, qui academiam Cadurci in patria ſua inſtituit. Tantam porro ſummam auri in ærario reliquiſſe traditur, quantam nullus ante eum pontifex coacervaverat; præcipue ex reſervationibus fructuum primi anni omnium eccleſiarum vacantium, *in opus*, ut aſſerebat, *Terræ Sanctæ*, qua uti in animo habebat contra ceteros hoſtes eccleſiæ, adverſus quos juris eccleſiaſtici acerrimum defenſorem ſeſe præbuerat.

DE VIA.

LX. JACOBUS II.

Jacobus de Via Johannis papæ XXII. ex ſorore nepos, patria Cadurcenſis, nobili genere ortus erat. In necrologio PP. Prædic. Cadurc. legitur: *Obiit nobilis dominus D. P. de Via baro & dominus de Vilamur, ac Calvineti, qui obiit anno Domini* M°. CCC°. XXXVII°. *in feſto beatorum martyrum Nazarii, Celſi & Pantaleonis. Et fuit fundator brachii eccleſiæ dextri chori.* Is forte fuit pater Jacobi & Arnaldi ejus fratris, de quo infra. Jacobus vero avunculo ſuo ad cardinalitiam dignitatem provecto, ſede Avenionenſi per promotionem hanc (ut tunc mos erat) vacante, creatus eſt epiſcopus. Multis in inſtrumentis nomen ejus legitur, ubi ſemper dicitur *electus*
1314. tantum, ſcilicet an. MCCCXIV. quo quædam eccleſiæ ſuæ documenta renovari ab Guallardo Arelatenſi archiepiſcopo curavit; MCCCXV. &
1316. MCCCXVI. quo Johannes XXII. idibus Decembris *facobo electo* dedit bullam pro unione eccleſiæ parochialis de Caſtro-novo menſæ epiſcopali. Eodem anno creatur preſbyter cardinalis SS. Johannis & Pauli tituli Pammachii, in prima promotione a Johanne XXII. facta. Sed elapſis ſex circiter menſibus obiit VIII. cal. Julii
1317. anni 1317. & in cathedrali B. Mariæ Avenionenſis eccleſia terræ mandatus eſt.

DE VIA.

LXI. ARNALDUS.

Arnaldus de Via Jacobi frater, ei ſuffectus eſt, cum eſſet præpoſitus Barjolenſis & protonotarius apoſtolicus. Eodem vero anno & tempore creatus eſt ab avunculo diaconus cardinalis tituli ſancti Euſtachii. Miramur vero tot huic epiſcopo facta tribui; nimirum eccleſiæ parochialis S. Agricoli erectionem in collegiatam, ædes epiſcopales pretio comparatas, fundationem Carthuſiæ Boni-paſſus, & eccleſiæ B. Mariæ de Villa-nova, inſtitutis ibi decano & canonicis: quando conſtat Johannem papam minime paſſum eſſe Avenionenſem eccleſiam epiſcopum
1318. habere alium præter ſe ab anno 1318. ad 1334. quo obiit.

LXII. JOHANNES PAPA XXII.

1318. Igitur Johannes papa anno 1318. epiſcopatum Avenionenſem ſuæ cameræ reſervavit, conſtituto ibi vicario generali Galberto de Valle Meldenſi. Anno vero ſeptimo ſui pontificatus,
1322. qui reſpondet anno Chriſti 1322. Guaſbertum epiſcopum Maſſil. camerarium ſuum vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus, pro hujus eccleſiæ adminiſtratione creavit. Anno 1322. Geraldus de Campinulo (*al.* Campo-melio) vicarius pro domino papa in epiſcopatu Avenionenſi reperitur; quo adminiſtrante concilium apud ſanctum Rufum prope Avenionem celebratum eſt anno 1326. menſe Junio, ut legere 1326. licet in ipſius actis, quæ exſtant ad calcem notitiæ eccleſiæ Dinienſis, editæ a celeberrimo Petro Gaſſendo. Fundator habetur Carthuſiæ Boni-paſſus.

DE COJORDANO.

LXIII. JOHANNES III.

Johannes dictus de Cojordano, mortuo Johanne papa XXII. renuntiatur epiſcopus Avenionenſis, & tanquam hujus eccleſiæ præſul hominia quædam recepit annis 1336. & 1340. 1336. Anno 1337. die 3. Decembris celebratur concilium trium provinciarum in monaſterio ſancti 1340. Rufi, cui præfuit Guaſbertus Arelatenſis archiepiſcopus: adfuere archiepiſcopi Ebredunenſis & Aquenſis, cum trium provinciarum epiſcopis, inter quos recenſetur noſter Johannes Avenionenſis. Ipſius tempore Benedictus papa XII. facta permutatione acquiſierat palatium epiſcopale ad ſedem Romanam applicatum, & a fundamentis ædificavit, ac mirabiliter ampliavit, magnum in illo theſaurum expendens, inquit ſcriptor vitæ ſecundæ hujus pontificis.

Ipſo mortuo Clemens VI. ejus ſucceſſor, Johannem Avenionenſem epiſcopum ad ſedem Mirapicenſem tranſtulit, reſervata ſibi proviſione eccleſiæ vacantis; quod tamen anno tantummodo 1348. factum credimus. Hoc anno idem papa comparavit a Johanna regina Neapolitana Provinciæ comitiſſa, conſentiente Ludovico de Tarenta ejus viro, *civitatem Avenionenſem cum ſuburbiis & toto territorio, ac confinibus*, pro octoginta millibus florenorum auri de Florentia boni & legitimi ponderis. Inſtrumentum venditionis factum eſt die 19. Junii anni 1348. Hallucinantur autem qui hac in venditione putant comitatum Vindaſcinum comprehendi, de quo ne verbum quidem in toto legitur inſtrumento. Sane ab anno 1228. comitatus ille penes ſummos pontifices erat, ex conditionibus pacis inter ſanctum Ludovicum Francorum regem & comitem Toloſanum Meldis initæ. *Boucher tom. III 3. ſect. 3. c. 4. p. 374.*

Tempore Johannis epiſcopi Clementem VI. noſocomium Avenioni conſtruxiſſe legimus juxta Campum-Floridum, quem etiam acquiſierat ad mortuorum ſepulturam. Quo circiter tempore monaſterium monialium ordinis ſancti Dominici (vulgo Hiſpaniam vocant) fundavit Petrus cardinalis ſanctæ Praxedis.

LXIV. CLEMENS PAPA VI.

Tranſlato ad ſedem Mirapicenſem Johanne de Cojordano, Clemens papa VI. prius dictus Petrus Rogerii, ſervavit ſibi epiſcopatum Avenionenſem quem per vicarios adminiſtravit uſque ad annum 1352. quo pontificatum & vitam 1352. amiſit.

LXV. INNOCENTIUS PAPA VI.

Innocentius VI. vocatus ante ſummum pon-

d by Google

ANNI CHRISTI.

tificatum Stephanus Alberti, exemplum secutus antecessorum suorum Clementis & Johannis, ecclesiam Avenionensem sibi retinuit, ab anno saltem 1353. 20. Dec. ex schedis D. Polycarpi de la Riviere, usque ad mortem, hoc est
1362. usque ad annum 1362. cujus in ea gubernanda vicarii generales fuerunt, Stephanus Tolosanus, & Reginaldus primum Palentinus, deinde
*Lisbonn. Ulixbonensis * episcopus, cœnobium Cartusianorum, *Vallis-benedictionis* dictum, apud Villamnovam fundavit. Ejus tempore aucta est diœcesis novo monasterio virginum ordinis sancti Benedicti, apud Tarasconem anno 1361. de quo vide in abbatiis.

LXVI. ANGLICUS[a].

[a] Grimoard.

Anglicus Grimoardi Gallus, patria Mimatensis, frater Urbani papæ V. non fratris filius, ut Onuphrio, Ciaconio, Marianæ, aliisve placet, patrem habuit Guillelmum Grimoardi dominum de Grisaco, quem ex veteri scheda, pensionem sexcentorum florenorum auri a rege Francorum accipere vetuit ejus filius Urbanus papa; matrem vero Feliciam Monferrandam. Factus canonicus Regularis in San-Ruffensi cœnobio, prior S. Petri Diensis ejusdem ordinis evasit; quo sacerdotio potiebatur quando Urbanus V. ipsius frater contulit ei Avenionensem episcoparum, anno 1. sui pontificatus, seu anno Christi 1362. die lunæ duodecima
1362. Decembris. Tum ad sacrum collegium cardinalium eundem assumsit die XIV. cal. Octobris
1366. anni 1366. dato sancti Petri ad Vincula titulo, quem postea mutavit factus episcopus Albanensis. Scriptor prioris vitæ Urbani V. hæc ejus pia opera notat: *In Avenione*, inquit, *a solo edificavit monasterium cum officinis & habitationibus necessariis pro monialibus de Furnis ord. S. Ben. quæ prius erant ab extra collocata in loco campestri & aperto .... In Aptensi etiam civitate a solo ædificavit, & etiam dotavit monasterium monialium ord. Cist. & in Montepessul. collegium canonicorum Regul. sub nomine S. Rufi, &c.* Multum laudatur ob justitiam & sanctitatem ab auctore vitæ sancti Petri de Lucemburgo. Legatione sedis apostolicæ in Etruria, Umbria, Campania, totaque ferme Italia functus est. Ad Petrum quoque Castellæ regem cognomento *Sevum* missus, pacem cum eo pro sede apostolica certis icit legibus. Idem constitutus est papæ vicarius generalis in temporalibus per Italiam, potissimum Bononiæ; quas provincias magna integritate & probitate morum obivit. Quod spectat ad res ab eo in Avenionensi ecclesia gestas, quarum nonnullas jam attigimus, ex testimonio scriptoris vitæ Urbani V. anno
1364. 1364. obtinuit a Carolo imperatore diploma quo cuncta suis prædecessoribus indulta privi-
1365. legia confirmantur. Anno sequenti facultate cudendi monetam donatur ab eodem principe, addito principis titulo & aliis perquam honorificis. Eodem anno misit procuratores ad con-
*al. Montarii. cilium Aptense Hodonem Notarii * præpositum & Stephanum Salayrnis decanum ecclesiæ Vil-

[a] Male a Ciaconio & Frisonio *Angelicus*, nam in suo testamento cardinalis hic le Anglicum perpicue vocat.

læ-novæ. In castro de Barbentana, quod oppidum est in Provincia ditionis episcopi Avenionensis, turrim præaltam erexit. De sacris ædificiis & fundationibus jam dictum est supra.

ANNI CHRISTI.

Porro in schismate orto post mortem Gregorii XI. partes Clementis VII. secutus est usque ad mortem, ut liquet ex ejus testamenti tab. quo videlicet palam profitetur se Clementem VII. agnoscere *pro vero pastore & capite ecclesiæ*. Illud autem testamentum proximus morti scripsit, obtenta jam pridem ab Urbano V. & postmodum a Clemente VII. licentia; forsitan quia religiosam vitam professus erat. Hoc testamento scripto die XI. mensis Aprilis anni 1388. indictione XI. præsente Arnaldo Guillelmi abbate de Luco diœcesis Oloronensis &c. sepeliri voluit in sancti Rufi asceterio, ubi a pueritia fuerat institutus, & religiosa veste indutus, locumque designavit ante majus altare, ubi in missis solemnibus diaconus & subdiaconus stare solent. Testamenti sui exsecutionem demandat Petro Corsino Portuensi, alias Florentino, & Guidoni Prænestino, alias Pictavensi, episcopis cardinalibus, aliisque ejusdem sacri collegii, sive presbyteris, sive diaconis. His cardinalibus addidit adjutores Guillelmum Vilate abbatem sancti Andreæ, Audebertum de Sado præpositum Tolosanum, Petrum Olivarii canonicum Aquensem suum camerarium, & Pontium Loberie præpositum Tolonensem. Heredes reliquit San-Ruffenses collegii Montis-pessulani, quod ipse fundaverat[a]; ubi etiam sepulturæ traditus est, quamvis aliter testamento cavisset. Ad meliorem vero vitam migravit Avenione anno 1388. die 18*. Aprilis. Eum antiphonas & sacra quædam opuscula elucubrasse tradit Ughellus. Exstant in bibliotheca Colbertina statuta ab ipso edita pro ecclesia & diœcesi Avenionensi.

Vide Ch. XXV. pag. 145. col. 1.

[a]

* al. 15.

ed. 1698.

LXVII. URBANUS PAPA V.

Hic papa, non secus ac superiores pontifices, Avenionensis ecclesiæ administrationem ad se revocavit, post translationem Anglici ad episcopatum Albanensem, ut liquet ex ipsius bulla edita a Gariello parte II. historiæ episcoporum p. 421. Magalonensium. In hujus autem ecclesiæ administratione Urbanus usus est Arnaldo Alberti Auxitano archiepiscopo suo camerario, qui an. 1366. occurrit cum his titulis: *Auxitanus epi-* 1366. *scopus domini papæ camerarius, episcopatus Avenionensis sub regimine præfati papæ in spiritualibus & temporalibus vicarius auctoritate apostolica deputatus*. Eodem anno Arnaldus pro hac diœcesi edidit constitutiones synodales.

Philippus Caballola episcopus Cabalicensis, postea patriarcha Jerosolymitanus, tandemque cardinalis, rector quoque fuit & administrator civitatis Avenionensis anno 1367. Utrum in 1367. spiritualibus sicut in temporalibus, ignoramus. Collectam in Germania, ubi nuncius apostolicus fuerat, magnam pecuniæ summam in hujus urbis operibus & munitionibus impendit. Postea fuit ornatus Romana purpura ab Urba-

Biblioth. Colb. cod. 2598.

[a] Hoc testamentum amplissimum legimus inter excerpta historica D. Claudii Estiennot tom. IX. a pag. 321. ad 351.

ANNI CHRISTI. 1368.

no V. anno 1368. At de Philippo alibi commodius dicemus, nimirum in Cabellicenſibus epiſcopis.

D'AIGREFEUILLE.

LXVIII. FAIDITUS.

Faiditus de Agrifolio Lemovix, de cujus genere jam diximus in Raimundo de Agrifolio, Faiditi juxta nonnullos patruo, epiſcopo Ruthenenſi, qua in ſede ſucceſſor ei datus eſt Faiditus, inde tranſlatus eſt ad eccleſiam Avenionenſem anno circiter 1368. Anno 1375. *Faidstus Avenionenſis epiſcopus* nominatur teſtis in quodam inſtrumento edito a Baluzio inter probationes hiſtoriæ domus Arverniæ, & poſt ipſum Ademarus de Agrifolio mareſcallus Romanæ curiæ, frater Faiditi[a]. Hic anno 1383. menſe Novembri regebat officium[b] camerarii collegii cardinalium, pro Guillelmo cardinali de Agrifolio, quem Clemens VII. legatum miſerat in Germaniam. Eodem anno die 23. Decembris factus eſt cardinalis preſbyter tituli ſancti Martini in Montibus. Neque vero poſt cardinalis dignitatem aſſumtam, dimiſit epiſcopatum; nam ex diario Johannis Fabri epiſcopi Carnut. anno 1386. die 5. Januarii fecit homagium regi & reginæ Siciliæ, *ſicuti ſui predeceſſores fecerunt*. Attamen circa illud tempus receſſit ab hac adminiſtratione, & locum dedit ſequenti. Diem obiit anno 1391. ſepultuſque eſt in eccleſia B. Mariæ de Domnis, ex hac inſcriptione parieti affixa:

1368. 1375. p. 104. a b 1383. 1386.

Fayditus de Agrifolio Gallus, epiſcopus Avenionenſis a Clemente VII. in ſua obedientia preſbyter cardinalis creatus tituli SS. Silveſtri & Martini in Montibus. Obiit Avenione VI. *nonas Octobris* M. CCC. XCI. *ibidemque ſepultus.*

Fundavit pro ſe in eccleſia Ruthenenſi annuas preces duodecies in anno, ſingulis videlicet menſibus perſolvendas.

GIRARDI.

LXIX. PETRUS V.

Petrus Girardi in loco ſancti Symphoriani caſtri diœceſis Lugdunenſis, fontibus ſacris baptiſatus, ut ipſe in teſtamento ſuo anni 1410. ait, anno 1382. nulla adhuc eccleſiaſtica dignitate eminebat; hoc enim anno die decima Februarii Johannes Fabri Carnotenſis epiſcopus in ſuo diario de eo loquens, illum nude nominat *magiſtrum Petrum Girardi*. Poſtea Lodovenſis fuit epiſcopus & Anicienſis. Quod ſpectat ad Avenionenſem epiſcopatum, aiunt legi in ipſius Petri codicillo, illum adminiſtrationem nactum eſſe Avenion. eccleſiæ, ejuſque vere fuiſſe paſtorem & epiſcopum. Autumat autem vir clariſſ. Stephanus Baluzius in notis ad vitas paparum Aven. Faiditum ab ea receſſiſſe anno circiter 1386. tuncque ſuffectum ei Petrum, qui fortaſſe hanc ſedem retinuit uſque ad annum 1390. Ejus teſtamentum vidimus conditum anno 1410. quo legat multa eccleſiis Avenionenſi & Anicienſi, variiſque prioratibus, quibus potitus fuerat. Inſtituit vero in eccleſia Avenionenſi annuas preces, pro quibus dedit capitulo ducentos florenos auri currentis. In eadem eccleſia ſacriſtiam obtinebat ex pontificia diſpenſatione, ut ipſe teſtatur. Ceterum loquens de illa eccleſia Avenionenſi, nuſquam dicit ſe ipſi præfuiſſe tanquam epiſcopum. At non legimus tabulas poſteriorum teſtamentorum (nam plura alia condidit uſque ad annum 1413.) in quibus id forte eſt additum.

ANNI CHRISTI. circ. 1387. 1386. 1390.

LXX. CLEMENS PAPA VII.

Clemens VII. ante occupatum pontificatum Robertus Genevenſis anno 1390. die 2. Julii tenebat epiſcopatum Avenionenſem, ex ejuſdem bulla edita apud Ægidium Bellameram in commentario ad decretum Gratiani; at paulo poſt, illum dimiſit in gratiam ejuſdem Ægidii. Sed prius hanc eccleſiam in commendam dederat cuidam Simoni, quam revocavit quando Bellameram ad hanc ſedem provexit.

BELLAM. MERL.

LXXI. ÆGIDIUS.

Ægidius de Bellamera, de quo abunde alibi loquemur, revocata commenda eccleſiæ Avenionenſis, quæ Simoni de Cramaud hoc pacto cedere debebat, factus eſt ſedis hujus epiſcopus ex Anicienſi, bulla Clementis VII. data anno 14. ejus pontificatus, Chriſti MCCCXC. menſe Auguſto. Hujus epiſcopi tempore Petrus de Luna dictus a ſuis Benedictus XIII. cum jam fere per quinquennium incluſus & obſeſſus in palatio Avenionenſi teneretur a Gallis, duce Boucicaudo mareſcallo Franciæ, qui urbem ex conſenſu civium ingreſſus erat; demum die 12. Martii anni 1403. inde clam eductus, ſchiſma quod prope diem exſtinctum iri putabatur, ſuſcitavit, ita ut etiam Galli rurſum ipſi procumberent, Aurelianenſi duce potiſſimum fautore. Maxime vero in Hiſpania peſtem illam (ſic ſchiſma merito appellamus) diu fovit; quæ etiam poſt ipſius mortem graſſari aliquanto tempore non ceſſavit ex Cataloniæ angulo. His vero perturbatiſſimis temporibus non parum detrimenti paſſa eſt Avenio, ut etiam pons & domus plurimæ conflagraverint. Interim de Ægidio nihil pene occurrit in actis publicis. Anno MCCCCI. die 9. Junii ejus officialis bullam Nicolai papæ IV. datam VI. cal. Auguſti, pontificatus anno 1. ſe vidiſſe teſtatus eſt, qua ordo fratrum Prædicatorum ab omni juriſdictione ſolutus ſanctæ ſedi immediate ſubjiciebatur. Quando ex hac vita diſceſſerit noſter Ægidius, a nobis ignorari ultro fatemur; nam qui volunt eum humanis rebus exemtum fuiſſe anno 1398. hallucinatos eſſe jam demonſtravimus. Qui elogium funebre inſcripſit hujus viri tumulo, Ave-

1390. 1401. *Ex tab. eccl. Alb.*

a Vir clariſſimus Carolus d'Hoſier mihi copiam fecit ſuæ lucubrationis de hoc genere nobili; ex qua diſcimus Faiditum de Agrifolio habuiſſe duos fratres, Aimarum multem dominum Fontanarum & Tudelæ in Lemovicibus, qui erat mareſcallus curiæ Romanæ anno 1364. de quo diximus in Raimundo de Agrifolio Ruthenenſi epiſcopo, & adhuc ſuperſtes erat anno 1378. & Guillelmum qui fuit Cæſarauguſtanus archiepiſcopus & cardinalis. Nepotem habuit alterum Guillelmum Urbano V. a ſecretis & commentariis, poſtea cardinalem; patrueles vero Raimundum de Agrifolio abbatem ſancti Johannis Angeriacenſis & epiſcopum Ruthenenſem, ac Petrum epiſcopum Claro-montanum, Uzetienſem & Vabrenſem.

b Faiditus Avenionenſis epiſcopus regens officium camerariatus collegii cardinalium pro Guillelmo tituli S. Stephani in Celio monte cardinali, recognoſcit quod Savaricus olim ſancti Andreæ, nunc vero Maſſilienſis abbas, pro parte ſui communis *ſervitii*, in quo præfato collegio tenetur ratione dicti monaſterii ſancti Andreæ, 30. florenos auri ipſi ſolvi fecit 17. Nov. 1383. indictione VI.

ANNI CHRISTI.

nione in majori B. Mariæ eccleſia, dicit eum noluiſſe cardinalatum [a], quo poterat ornari. Attamen Claudius du Verdier epiſcopus Vaurenſis, ſcripſit hunc præſulem fuiſſe cardinalem.

Hic antiſtes pro ſuo tempore fuit doctiſſimus, ſcripſitque deciſiones Rotæ, in decretum & decretales, in concilia, de beneficiis, de foro competenti. De eo incerte & obſcure ſcripſerunt plerique auctores, quod eum ſæpe confundant cum Ægidio Aiſcelini.

[a] Noluit & potuit Romano cardine fungi.

LXXII. Guido I.

de Bouchage.

In Gallia Chriſtiana Fratrum Gemellorum tres continua ſerie ponuntur epiſcopi poſt Ægidium de Bellamera, qui Guidonis nomen ferunt; unicum vero ex tribus facit Claudius Robertus, quem Guidonem de Boſchagio appellat. Hoc etiam cognomine inſignitur Guido I. apud
1411. Sammarthanos, qui dicunt eum an. 1411. præfuiſſe, quando ſchiſmatici, qui duce Roderico de Luna nepote Petri de Luna, loca munitiſſima urbis Avenionis invaſerant, palatium epiſcopale, eccleſiam majorem, turrem pontis, ad
1416. deditionem coacti ſunt die 22. Novembris. Additur hunc epiſcopum anno 1416. ſubſcripſiſſe teſtamento Petri d'Acigné ſeneſcalli Provinciæ.
1418. Anno 1418. indictione XI. die 21. Maii Guido epiſcopus Avenionenſis *in remotis agebat*, ob eccleſiaſtica negotia, maxime quæ ſpectabant ordinem eremitarum S. Auguſtini, ut legimus in codice biblioth. Colbertinæ.

LXXIII. Guido II.

Spiffami.

Guido Spiffami patriam Avenionem rexit
1420. ut epiſcopus, annis 1420. & 1423. Conſtruxit
1423. ſacellum ſancti Johannis-Baptiſtæ in eccleſia B. Mariæ de Domnis, in quo jacet.

LXXIV. Guido III.

de Ruſſilion.

Guido de Ruſſilione ex illuſtri apud Delphinates familia, & ſtirpe dominorum du Bou-
1423. chage anno 1423. die 9. Junii nominatur in teſtamento Guillelmi de Ruſſilione mareſcalli provinciæ Delphinatus. Sedebat adhuc annis
1429. 1426. & 1429. quo anno fundatur in urbe collegium ſancti Nicolai, cui unita eſt abbatia de Furnis, ut videre eſt in hac abbatia.

LXXV. Marcus.

de Condolmeriis.

Marcus de Condolmeriis Venetus, ex familia plebeia, ſed antiqua, quæ patriciis annumerata eſt, Gabriele Condolmerio ad ſummum pontificatum evecto, qui Eugenii IV. nomen aſſumſit, ab eodem multis ornatus eſt dignitatibus, quarum prima forte fuit epiſcopatus Avenionenſis, cui addita eſt ejuſdem urbis præfectura. Etenim epiſtola Eugenii IV. ad Johannem Caſtellæ & Legionis regem, data pridie calendas Februarii anno 2. ejus pontificatus,
1432. Chriſti vero 1432. nos docet hoc tempore eum fuiſſe Avenionenſem epiſcopum & gubernatorem. Et quamvis tentaſſent Baſileenſis concilii patres, Marcum inde expellere, miſſo Alfonſo ſancti Euſtachii diacono cardinali, qui urbis & totius comitatus Vindaſcini præfectu-

Rayn. ad an. 1432. n. 22. & 23.

ram nomine concilii gereret, manſerunt Avenio & comitatus in ditione pontificis. Marcus poſtea factus eſt Alexandrinus patriarcha; tunc-
ANNI CHRISTI. que dimiſſum ab eo epiſcopatum Avenionenſem putamus. Certe in præfati Eugenii papæ epiſtola, qua eum inſtituit apoſtolicæ ſedis legatum adverſus Saracenos in inſulis Cypri & Rhodi, necnon in Ægypto & Syria, præfecitque claſſi contra hos Chriſtiani nominis hoſtes inſtruendæ; nulla fit mentio epiſcopatus Avenionenſis; ſed in inſcriptione epiſtolæ Marcus appellatur Alexandrinus patriarcha, ad quam dignitatem ex Gradenſi conſcenderat ſede. Data eſt epiſtola an. MCCCCXLIV. XIV. pontificatus Eugenii, calendis Januarii.

Rayn. ad an. 1445. n. 19.

LXXVI. Alanus.

de Coëtivy.

Alanus de Coëtivy ex nobili & antiqua inter Armoricos proſapia, parentes habuit Alanum [b] IV. dominum de Coëtivy & Catharinam du Chaſtel, fratres vero perilluſtres Pregentem mareſcalhum & maris præfectum, Olivariumque comitem Talleburgi, ſummumque Aquitaniæ ſeneſcallum. Ipſe primum Dolenſis epiſcopus, deinde Coriſopitenſis fuit. Jamque Avenionenſis eccleſiæ potiebatur anno 1440. quo videlicet 1440.
Eugenius papa IV. ipſi & Zanoni epiſcopo Bajocenſi præcepit ut pœnas in quodam edicto ſynodali, cujus initium a verbo *Moyſes* ducitur, contentas, ſumerent de ſchiſmaticis, qui in Provincia, Delphinatu, Aquitania Chriſti tunicam ſcindere annitebantur. Avenioni palatium epiſcoporum propriis ſumtibus ædificaſſe dicitur. Sacra purpura ornatus eſt a Nicolao papa V. anno 1448. accepto ſanctæ Praxedis titulo. Anno ſequenti iterum Dolenſi eccleſiæ præfectus dicitur ſub titulo adminiſtratoris perpetui. Attamen quando Raynaldus de ejus promotione ad patrum purpuratorum collegium loquitur, eum appellat Dolenſem epiſcopum; quaſi ad hanc eccleſiam jam rediiſſet ante indutam purpuram. Anno 1456*. 23. Martii, præfuit *1457.
concilio apud Avenionem celebrato, tanquam legatus a latere, cum Petro cardinali de Fuxo legato Avenionenſi *.

* hiſt. univerſ. Aven.

Alanus dictus cardinalis Avenionenſis, non ſolum Calixti III. electioni adfuerat, ſed etiam plurimum promoverat, intercedendo quominus Beſſarion cardinalis Nicænus eligeretur: *Quaſi*, inquiebat, *deeſſent in eccleſia Latina qui papatum gererent*, ex Gobelino. Ea fortaſſe de cauſa Callixtus eum legatione Galliæ & Britanniæ cohoneſtavit, miſitque ad Chriſtianiſſimum regem Carolum VII. anno 1455. ad expeditionem contra Turcas, qui nuper Conſtantinopolim expugnarant, ſollicitandam. Et quidem regem facile ob magnam facundiam qua pollebat, in eam adduxit ſententiam; ſed morte pontificis ſuperveniente, effectum habere non potuit magnus ille belli apparatus. Electioni quoque Pauli II. interfuit Alanus, ut ſcribit Jacobus cardinalis Papienſis lib. 2. commentariorum & epiſt. 310. ac tempore Sixti IV. ſucceſ-

apud Raynald.

[b] Friſonus in Gallia purpurata dicit ejus patrem fuiſſe Pregentem Franciæ polemarchum & thalaſſiarcham, dominum de Talleboug, matremque habuiſſe Mariam de Laval dominam de Rais.

ANNI CHRISTI. 1474.

soris Pauli, Sabinense sacerdotium in Italia A ipsi obvenit. Romæ fato functus est anno 1474. Julii 22. ætatis 66. sepultusque apud sanctam Praxedem primum suum titulum, marmoreo tumulo qui epitaphio sequenti exornatus est, conditus.

SEDENTE SIXTO IV.

Alanus episcopus Sabinensis E. R. cardinalis, nobilissima in Britonibus Coëtyvorum gente natus, illustri legatione ad Gallos pro fide functus; cujus vita exemplum virtutis, actiones autem privatim & publice salutares fuere, hoc monumento conditus est. Vixit annos LXVI. *menses* VIII. *dies* XV. M. CD. LXXIV.

Præsul fuit non modo claritate generis, sed doctrina & integritate morum insignis, cujus cum laude meminerunt Ciaconius, Gobelinus libro 2. commentar. Pii II. Onuphrius, Garimbertus, Ferdinandus Ughellus in Italia sacra sub episcopis Sabinensibus, Bertrandus Argentræus in historia Britanniæ, & permulti alii. Habuit autem hic cardinalis in urbe sua & dioecesi vicarium generalem Pontium episcopum Vasionensem, qui ipsius jussu anno 1458. 7. die Septembris sub majori altari cum celebritate recondit corpora beatorum Magni & Agricoli in æde ejusdem sancti. B

ANNI CHRISTI.

Hîc desinunt episcopi Avenionenses, quorum ultimus fuit noster Alanus, hac ecclesia ad metropolis dignitatem evecta, paulo post Alani mortem. Sed antequam de archiepiscopis agamus, fateri cogimur deesse superiori catalogo duos episcopos; nempe cum tres tantum Rostagnos recensuerimus, unus prætermissus fuit; nam in sancti Andreæ necrologio quatuor hujus nominis episcopi annotantur, ut jam monuimus in Rostagno I. sed quo ponendus sit loco non est in promtu divinare. Alter qui nobis excidit est Petrus de Agrifolio, de quo in necrologio Casæ-Dei: XV. *cal. Augusti convivium in anniversario Dom. Petri de Agrifolio quondam episcopi Avenionensis.* Quo vero ordine reponi debeat, non facile est dicere.

ARCHIEPISCOPI AVENIONENSES.

DE LA ROUERE.

I. JULIANUS.

1475. ANno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto Sixtus papa IV. voluit Avenion. ecclesiam novo titulo metropolis insignire, quæ tandiu Romanorum pontificum hospitio nobilitata fuerat. Idcirco jussit Cavallicensem, Carpentoratensem & Vasionensem episcopos novo metropolitano esse obnoxios. Diploma Sixti IV. hac de re datum est Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1475. XI. cal. Decembris, pontificatus D Sixti anno 5. Exstant quoque litteræ pontificiæ ad præfatos episcopos Cavallicensem, Carpentoratensem, & Vasionensem, quibus eos absolvit a jurisdictione Arelatensis archiepiscopi, subditque Avenionensi. Primus autem qui nomen archiepiscopi gesserit, fuit Julianus Roboreus. Is Savonæ in Liguria natus an. 1444. ex Raphaële de Ruvere Sixti IV. summi pontificis fratre, & Theodora Manerola, a patruo ex episcopo Carpentoratensi presbyter cardinalis sancti Petri ad vincula creatur anno 1471. deinde factus major pœnitentiarius ecclesiæ Romanæ, ac demum ex Sabinensi E Ostiensis episcopus evasit anno 1483. Eundem post erectam in ecclesia Avenionensi sedem metropolitanam Sixtus IV. ipsi præfecit, & legatum simul instituit anno 1476. quin etiam addidit legationem sedis apostolicæ in regno Franciæ, ceteriscque Gallicanis & adjacentibus provinciis. Hic palatii archiepiscopalis partem & turrim in capite pontis Rhodani ædificari curavit; collegium vero vulgo dictum *de Ruvere*, instituit anno eodem 1476. die 22. Augusti, ex historia academiæ Avenionensis, auctore D. Bernardo ecclesiæ metropolitanæ canonico. Ipsi quoque tribuitur mutatio facta canonicorum Regularium in Seculares, quod Johannes Columbi ad annum 1481. refert. Defuncto Pio papa III. subrogatus est III. cal. Novembris, anno 1503. contra Alexandri VI. consilium, qui ab eo esse cavendum dixerat, ut olim Sylla, a male præcincto puero Julio Cæsare, ad Juliani nomen alludens, & quasi præsagus nominis, quod pontifex factus assumturus erat; nam Julius II. dictus est. Ceterum nostri non est instituti res ab eo gestas in pontificatu referre. Cum ante adeptam supremam hanc dignitatem, totum se Gallum ostendisset, in summo honorum fastigio constitutus, Ludovico XII. regi Christianissimo se ostendit infensissimum. Postquam urbem, orbemque per annos novem & aliquot menses, bellis implicuisset ac turbasset, obiit, utinam in pace. Ejus corpus sepulcro illatum est in basilica Vaticana.

1476.

1481. *l. 4. de reb. Sibar. ad.* 1503.

II. ANTONIUS.

FLORES.

Antonius Flores nobilis Hispanus, subvectus est ad Avenionensem præsulatum an. 1504. Sacellum archiepiscoporum in basilica Deiparæ Virginis magnifico opere condidit. Sub Julio II. papa antecessore, Lateranensi concilio adfuit annis 1512. & 1513.

1504. 1512. 1513.

III. ORLANDUS.

Orlandus, cui cognomen de Caretto vulgo tribuitur, quique ex marchionibus Savonæ & Finalii ortum duxisse dicitur, recensetur inter archiepiscopos, qui adfuerunt sessioni VII. concilii Lateranensis habitæ anno 1513. die 17. Junii. Item sessioni IX. anno 1514. & sessioni X. anno 1515. Aliud illi cognomentum datur in tabulis sancti Andreæ de Villa-nova prope Avenionem; ibi enim legitur Francum de Gentilibus

1513. 1515.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI. Gentilibus vicarium generalem Orlandi *de Ruvera* archiepiſcopi Avenionenſis, Antonio Ægidii præſentato a ſancti Andreæ abbate, vel ab eleemoſynario contuliſſe eccleſiam ſancti Johannis de Salvaterra, die 6. Martii anni 1527. Vix enim credi poteſt duos archiepiſcopos Avenionenſes in uſitatum Orlandi nomen ſucceſſive geſſiſſe tam brevi tempore, & quidem priorem, qui certe præerat anno 1513. cognomen habuiſſe *de Carreto*; Alterum vero *de Ruvera*, anno 1527.

1527.

IV. HIPPOLYTUS.

vt Medicis.

Hippolytus de Medicis cardinalis ſanctæ Praxedis, & Umbriæ legatus, archiepiſcopus Montis-Regalis, qui Romana indutus eſt purpura anno 1929. a patruo Clemente, Avenioni ſedebat ſub annum 1527. Ad Carolum V. cæſarem miſſus eſt de latere legatus, eumque Bononiam uſque comitatus, cum prius inaugurationi ejus adfuiſſet. In Pannonia quoque eundem imperatorem bellum adverſus Turcas fortiter gerentem ſecutus eſt, ut exercitus legatus; ubi cum ſelectis decem millibus ſtipendiariorum, & fortiſſimi ducis, & pii antiſtitis munia implevit. Anno vero primo pontificatus Pauli III. quem ex patrui voluntate in papam eligendum curavit, an. ſalutis 1535. in agro Fundano deceſſit. Corpus ſummo omnium ordinum luctu ſepulturæ traditur Romæ in eccleſia S. Laurentii in Damaſo, cujus cippus tali epitaphio exornatur:

1527.

1535.

HIPPOLITO MEDICI

Cardinali, ſanctæ Romanæ eccleſiæ vicecancellario, eximiis corporis, ac ingenii, fortunæque muneribus exornatiſſimo. Qui cum ab tantarum virtutum indole ad Leonis X. Clementiſque VII. patruorum pontificum gloriam contendit, acerbiſſima morte ſurripitur, an. ſalutis MDXXXV. *idib. Auguſti, ætat.* XXIV.

Hujus Hippolyti Medicei vitam amplo quidem ac præſtanti elogio proſecutus eſt Paulus Jovius; quem longe omnium eruditi ingenii nobilitate, decore vultus, & illuſtri vitæ ſplendore florentiſſimum appellat: alibi a Sadoleto epiſcopo, cui amicitia conjunctiſſimus fuit, bonitatis, prudentiæ, liberalitatis, magnificentiæ, beneficentiæ, excelſi animi titulis celebratur. Is namque ſupra ætatis captum qui annos 24. non exceſſit, ante omnia optimas artes adeo callebat, & poëſim, ſic ut Virgilii ſecundum Æneidis librum in Etruſcum ſermonem verterit, & Hippocratis colloquia, ab arte medica in uſum bellicæ diſciplinæ tranſtulerit. De cujus cardinalis laudibus plura Garimbertus lib. IV. hiſt. cap. 4. Lellius, Guicchardinus, Victorelius, Ughellus in additionibus ad Ciaconium, aliique qui de Medicea familia ſcripſerunt plurimi.

V. ALEXANDER I.

FARNESE.

Alexander Farneſius Romanus, cardinalis Oſtienſis, Petro Aloyſio Parmæ & Placentiæ duce patre, matre Hieronyma Urſina natus an. 1520. ex antiquis & nobiliſſimis familiis quæ principem locum inter Romanas obtinent, cum a puero indolis optimæ dediſſet argumenta, litterarum ſtudiis Bononiæ incumbens, a Clemente VII. eccleſiæ Parmenſis adminiſtrator conſtitutus eſt, ab avo pontifice maximo Paulo III. cardinalis diaconus ſancti Angeli creatur, mox ſanctæ Romanæ eccleſiæ vicecancellarius. Avenionenſi vero urbi præfectus eſt anno 1535. & a Carolo imperatore anno 1556 archiepiſcopus Montis-Regalis poſtulatur. Hinc ſanctæ Mariæ Majoris archipreſbyter, patriarcha Hieroſolymitanus, Herbipolenſis eccleſiæ in Germania præpoſitus, baſilicæ ſancti Petri archipreſbyter fuit. Sub Julio III. papa eccleſiæ Vicenſis adminiſtrator, ſub Pio IV. cardinalium preſbyterorum princeps, epiſcopus Sabinenſis, Tuſculanus, Portuenſis, Oſtienſis & Veliternus, collegiique ſacri decanus exſtitit. Ita per ſingulos harum dignitatum gradus aſcendit, ut quantumvis majorum ſtemmate clarus, nobilitas tamen illi unica & ſola virtus eſſe potuerit. Quantæ fuerit auctoritatis, graviſſimæ ab eo obitæ legationes teſtantur. Nam & adoleſcens, ut ait Ant. Sanderus in elogiis cardinalium, an. 1541. ad Cæſarem & Gallorum regem qui Lutetiam convenerant mittitur, ut utrique pontificis nomine gratularetur. Pro pace etiam inter eundem Carolum & Franciſcum I. concilianda, pontificius legatus multum laboravit. Atque ut erat magnanimus, in illo acri ac periculoſo contra Proteſtantes in Germania bello, cum duabus legionibus Italicorum militum, & mille caraphractis equitibus, Octavio fratre militiæ duce, Farneſius cardinalis auxilio Cæſari ſupervenit. Fuit præterea Avenionenſis & patrimonii eccleſiaſtici legatus, Siciliæ, Arragoniæ, Luſitaniæ, Poloniæ, imperiique Romani protector. Anno 1551. ceſſit archiepiſcopatum Avenionenſem in manu Julii III. qui eum contulit Annibali, qui ſequitur, ſervata nihilominus Alexandro omnimoda adminiſtratione, XVII. cal. Julii. Inter alia quæ pluribus in locis ædificia, monaſteria, templa, magnifico ſumtu princeps iſte excitavit, recenſetur auguſtiſſimum illud in urbe patribus Soc. Jeſu profeſſis, quod a fundamentis erexit. Obiit vero ſingulare hoc eccleſiæ, gentiſque Farneſiæ ornamentum Romæ 1589. VI. non. Martii, & hac in baſilica quam nomini Jeſu nuncuparat, ſepulturæ mandatur. Ejus cum elogio meminere Ciaconius, Petramellarius, Ughellus, Sanderus, aliique hiſtorici.

ANNI CHRISTI.

1535.

1541.

1551.

1589.

VI. ANNIBAL.

DeBossus

Annibal de Bozzuto Johannis Bozzati, vel Buzzati S. M. in Porticu diaconi cardinalis conſanguineus; protonotarius apoſtolicus, Bononiam prolegatus an. 1548. ſub Johanne Maria cardinali de Monte legato miſſus eſt; & hoc anno Julius III. papa, eundem Avenionenſi eccleſiæ præfecit dimiſſione cardinalis Farneſii accepta anno 1551. Hunc unice dilexit Paulus IV. ac tanti fecit, ut inter eos patres electus ſit, quorum conſilio pontifex maximus ad majora totius eccleſiæ negotia uteretur. Tandem ex cameræ

1551.

ANNI CHRISTI. apoſtolicæ præſide a Pio IV. papa factus cardinalis ſancti Silveſtri, anno 1565. pridie nonas Octob. in ſuburbio Chiaiæ vivere deſiit, cum jam ab anno 1560. cardinali Farneſio archiepiſcopatum reſtituiſſet. Ejus corpus Neapoli in metropolitana eccleſia prope chorum, ſepulcro marmoreo conditur cum hoc elogio:

ANNIBAE BOZZVTVS.

Patricius Neapolitanus ex familia annos ante CCCCX. *cardinalitia. Orator ad Carolum V. Caſ. Aug. anno ætatis ſuæ* XXVI. *ſummis de rebus a patria miſſus, Bononienſis prolegatus a Paulo III. pont. max. præpoſitus, archiepiſcopatu Avenionenſi a Julio III. decoratus; bis vacua ſede, primum Julii III. deinde Marcelli II. cui charus imprimis fuit, Vaticano & Conclavi præfectus. Rerum omnium maximarum, deligendorumque univerſæ ditionis eccleſiaſticæ magiſtratuum poteſtate, clericatu etiam camera apoſtolicæ gratuita Pauli IV. liberalitate honeſtatus; demum a Pio IV. presbyter cardinalis tituli ſancti Silveſtri creatus, intra ſeptem menſes dolore calculi, ſal. an.* 1565. *ætat.* XLIV. *menſe* 8. *die* 4. *ex hac vita ereptus eſt. Fabricius Bozzutus frater ex teſtamento hæres C. L. P.*

1565.

FARNESE. VII. ALEXANDER.

Alexander Farneſius cardinalis iterum rediit ad metropolis Avenionenſis regimen, anno circiter 1560. retinuitque ad annum 1566. quo iterum ceſſit ſequenti.

1560.

CAPITON. VIII. FELICIANUS.

Felicianus Capitonus ordinis Servorum, Alexandri reſignatione, bullas accipit archiepiſcopatus a Pio V. III. nonas Aprilis anno 1560. eodemque anno ſynodum celebravit, ſtatutaque condidit, uti & anno 1568. [a] Librum edidit de Jubilæo anno 1576. quo ultimum vitæ diem clauſit. Hoc cenotaphium Copeſini in eccleſia parochiæ, Narnienſis diœceſis, habet in qua fuerat natus:

1560. 1568. *Sammarth.*

MAGISTRO FELICIANO.

Capitono Narnienſi, ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, archiepiſcopo Avenionenſi, a Pio V. pontif. Opt. Max. creato. Concionatori eloquentiſſimo, Carolo IX. Francorum regi gratiſſ. In omni virtutum & diſciplinarum genere eruditiſſ. qui adverſus hæreſes egregium volumen ſcripſit tanquam de eccleſia bene merito. Fr. Proſperus Boncombius ſacræ theol. doct. poſuit an. ſal. 1611.

D'ARMAGNAC. IX. GEORGIUS.

Georgius de Armaniaco cardinalis tit. S. Nicolai in carcere, Toloſanus, Ruthenenſis, Vabrenſis, Leſcarienſis, demum mortuo Capitono Avenionenſis antiſtes 1577. antiquiſſimo genere comitum Armaniacenſium ortus erat.[b] In aula Franciſci I. regis diu verſatus, Romam orator mittitur, ac ejuſdem patrocinio inter purpuratos patres allectus fuit a Paulo III. papa 14. cal. Jan. 1544. Deinde collega factus cardinalis Borbonii veteris in legatione Avenionenſi 1565. dimiſſa Toloſana eccleſia, ob aëris ſalubritatem ibi ſenectutis ſuæ domicilium fixit. Anno 1579. ſynodum celebravit; Rotam Avenionenſem inſtituit, patres Minimos in urbe fundavit, Pœnitentes quos S. Georgii vocant dotavit: ac demum vir fuit humanitate & liberalitate inſignis, litteratorum fautor, & munificentiſſimus patronus. His virtutibus quibus vicinos demereri nunquam deſtitit, magis quam armis, pontificiam ditionem ab hoſtibus & hæreticorum incurſione tutatus eſt; quamvis ut clariſſ. Thuani verbis utamur, indignam gratiam pro tantis meritis conſecutus, ut Guillelmum epiſcopum Tolonenſem, cujus fidei ſummam legationis commiſerat, ad papam delatum, quod in Navarri & Proteſtantium partes inclinaret, a ſicariis quaſi ante oculos juſſu pontificis injurioſe peremtum viderit; quod ſeni jam annis effecto, ſed adhuc naturali robore vigenti, mortem acceleraſſe dicitur, quæ incidit Avenione 5. nonas Junii ætatis 85. anno 1585. In majori urbis templo S. Mariæ & ſacello archiepiſcoporum, ubi ſibi vivens monumentum exſtruxerat, ſepultus eſt. Monitos tamen volo lectores, quantum ad ea quæ ſupra retulimus & deſcripſimus ex Thuano, Henricum Suareſium, cujus doctas obſervationes in hiſtoriam Avenionenſium præſulum jam ſæpe laudavimus, contendere Thuanum hac in parte falſum & hallucinatum eſſe: negat itaque Guillelmum epiſcopum Tolonenſem obtruncatum eſſe; eum autem qui confoſſus eſt dicit fuiſſe dominum de Patris non vicelegatum Avenionenſem, ſed auditorem.

1579. 1585.

GRIMALDI. X. DOMINICUS I.

Dominicus Grimaldi patricius Genuenſis, Johannis Baptiſtæ Montaldei domini Palatini comitis, & Magdalenæ Palavicinæ filius; abbas Montis-majoris, triremium Sedis Apoſtolicæ Pio V. pontifice in pugna navali ad Naupactum adverſus Turcas commiſſarius generalis anno 1571. Savonenſis primum, dein Cabellicenſis antiſtes, tandem creatus eſt Avenionenſis archipræſul anno 1585. ſed pauca leguntur ab ipſo facta in epiſcopali adminiſtratione. Tantummodo celebravit ſynodum anno 1590. per ſuos vicarios. Vice-legatus quoque, & totius pontificiæ militiæ in hac provincia Avenionenſi præfectus generalis fuit. Idem anno 1589. in legatione Gallicana, Henrici cardinalis Caietani aſſeſſor & ſocius, maxima laude dignus eſt

1585. 1589.

[a] Anno quoque 1569. Avenione celebratum eſt concilium provinciale, cui præter cardinalem a Borbonio archiepiſc. Rotomag. legatum Avenionenſem, adfuerunt Chriſtophorus Scotus epiſcopus Cavallic. Jacobus Sacratus epiſcopus Carpentoract. & Guillelmus epiſcopus adminiſtrator Vaſionenſis; cujus acta 63. titulos continent. *Hiſt. univerſit. Aven.*

[b] Filius erat Petri de Armaniaco filii nothi Caroli comitis Armaniaci ex Margarita de Clam, cui pater litteris ſuis datis die 21. Mart 1486. contulit facultatem geſtandi ſcutum gentilitium, & dedit cognomen genus. Aliis litteris datus eodem anno die 1. Octobris donavit & quindecim ſcutorum millia, quorum loco dynaſtiam de Cauſſade ei conceſſit. Ex hoc Petro genitus eſt Georgius cardinalis, ut probat ejuſdem Petri teſtamentum quo ipſum inſtituit heredem. Hæc inſtrumenta in tabulario de Albreto aſſervantur, ex ejus inventario facto anno 1667. quod exſtat in bibliotheca Colbert. Ibidem habetur inſtrumentum venditionis dynaſtiæ ſeu baroniæ de la Cauſſade factæ a Georgio cardinali pro 15. millibus ſcutis aureis, 16. Aprilis anno 1581 quam acquiſivit Jacobus de Villemur prior S. M. Deauratæ apud Toloſam.

ANNI CHRISTI.

quod hæreticos e comitatu Venaiſino *al.* Vindaſcino fugaverit. Bellica enim virtute præſtabat, ut probavit caſtri Minervæ expugnatio. 1592. Obiit vero 1591. jacetque Avenioni in eccleſia metropolitana. Nepotem habuit ex fratre * S. Fel. Johanne Jacobo ſancti Felicis * in regno Neapolitano barone, Hieronymum cardinalem Grimaldum, archiepiſcopum Seleucienſem, Urbani VIII. pontificis ad Lud. XIII. Francorum regem apoſtolicum nuntium, poſtea Aquarum-ſextiarum archiepiſcopum, de quo jam egimus.

TAUROS. XI. FRANCISCUS-MARIA.

Franciſcus-Maria Taurufius Politiani Hetruriæ oppido natus, pronepos fuit cardinalis Antonii de Monte, nepos autem Johannis magni magiſtri Jeroſolymitanæ militiæ, qui Julium III. ſummum pontificem habuit patruum. Congregationi Oratorii nomen dedit adoleſcens, ſub diſciplina S. Philippi Nerii, deinde generalis præpoſitus electus, Neapoli Oratorium fundavit. Illum Romam Pius V. vocavit, & cardinali Alexandrino nepoti in Hiſpaniam, Galliam, Luſitaniamque proficiſcenti, itineris ſocium allegit. Reverſus, ad ſolita pietatis officia denuo rediit, & a Clemente VIII. Avenio- 1593. nenſis præſul invitus renuntiatus eſt 1593. nec multo poſt cardinalis tituli S. Bartholomæi in 1596. Inſula 1596. Qui novus ampliſſimæ dignitatis gradus, temperato viro, ſummaque virtute exornato, nihil dedit novum, niſi ut majore auctoritate prodeſſe pluribus poſſet. Annis 1594. & 1595. celebravit ſynodos, in quibus fecit ſtatuta. Inde ad Senenſem archiepiſcopatum tranſ- 1597. latus die 15. Septembris 1597. poſt Aſcanium Piccolomineum, hanc eccleſiam ad decem annos multa cum laude adminiſtravit. *Merito ut Taurufium Baronius, virum apoſtolicum vocet, divinis verbis ducem, ac cum priſca ætatis patribus comparandum.* Defuncto Clemente VIII. in iis comitiis in quibus Leo XI. ad ſedem S. Petri aſcendit, parum fuit quin Taurufius ob egregias dotes pontifex crearetur. Tandem cum Senenſi archiepiſcopatui renuntiaſſet, in gratiam Caroli Burgheſii, etiam purpuratus ad Oratorium receſſit, ubi brevi fato functus, ſepelitur in eccleſia Vallicellana, ac in eodem monumento, ubi magnus ille cardinalis Baronius non ita pridem tumulatus fuerat. Cenotaphio hoc epitaphium inſculptum:

DEO OPT. MAX.

Franciſco Mariæ Taurufio Politiano, & Cæſari Baronio Sorano, ex congregatione Oratorii S. R. E. cardinalibus, ne corpora disjungerentur in morte, quorum animi divinis virtutibus inſignes in vita conjunctiſſimi fuerant; eadem congregatio unum utrique monumentum poſuit. Taurufius vixit an. LXXXI. I. menſes IX. dies XIV. obiit 3. *idus Junii* 1608. *M. DC. VIII. Baronius vixit annos LXVIII. menſ. VIII. obiit pridie cal. Julii. M. DC. VII.*

Taurufium cardinalem qui priores tomos annalium Baronii Italice reddidit, laudarunt ipſe Baronius, Andreas Victorellus præſtanti elogio apud Alf. Ciaconium, Petramellarius, Ant. Galonius in vita S. Philippi Nerii, Jac. Fuligatus in vita Roberti Cardin. Bellarmini, & Ferd. Ughellus Italiæ ſacræ tomo I. in epiſcopis Senenſibus.

ANNI CHRISTI.

XII. JOHANNES-FRANCISCUS. BORDINI.

Johannes Franciſcus Bordini Romanus, preſbyter congregationis Oratorii, e Cabellicenſi epiſcopatu ad Avenionenſes infulas vocatus eſt 1597. Hujus tempore regina Franciæ Maria Mediceа in urbem recipitur anno Jubilæi 1600. & P. Cæſar de Bus nobilis Cabellicenſis, congregationis doctrinæ Chriſtianæ Avenione inſtitutor claruit, qui 1607. Aprilis 15. ipſo die Paſchæ ad meliorem vitam tranſiit, ſepultus in æde S. Johannis Baptiſtæ. Bordinus ſynodum celebravit die 25. octobris anni 1606. Author 1606. fuit inſignis operis vitarum pontificum Romanorum teſte Baronio in notis ad martyrologium, ac mortuus eſt anno 1609. 1609.

XIII. FRANCISCUS-STEPHANUS. DULCI.

Fr. Stephanus Dulci, patria Urbevetanus religioſam vitam in ordine Fr. Prædicatorum profeſſus eſt: cumque bonis in litteris apprime eſſet eruditus, philoſophiam & theologiam publice docuit in clarioribus ordinis ſui conventibus, ſicque aſſecutus eſt magiſterii gradum. Deinde monaſterio B. Mariæ ſuper Minervam in urbe Roma præpoſitus eſt; quo in munere datis coram Paulo V. papa plurimis doctrinæ ſuæ argumentis, ab eodem pontifice ad officium inquiſitoris de ſcientia & aliis dotibus neceſſariis promovendorum ad epiſcopatum deligitur, illoque tanta laude eſt defunctus, ut ipſe digniſſimus ab omnibus epiſcopali cathedra judicaretur. Itaque vacante archiepiſcopatu Avenionenſi, ad hanc ſedem ſubvehitur anno 1609. quo 1609. exeunte Avenionem venit, & ordinum omnium applauſu & gratulatione ſuſcipitur in ſuo ſolemni ingreſſu anno 1610. Mortuo Ferrerio archi- 1610. epiſcopo Urbinate prolegato Avenionenſi, in ejus locum ſuffectus, iſtud munus per aliquod tempus, cum ſumma probitatis & religionis fama geſſit; atque interim Ludovicum XIII. Juſtum Galliarum regem excipit magnifice in civitatem 1622. Maii 17. dum in Occitaniam 1622. contra rebelles proficiſceretur. Anno 1623. conſenſit ut moniales a viſitatione B. Mariæ dictæ, 1623. in urbe reciperentur, ut liquet ex litteris de earum fundatione datis, quas retulimus in probationibus. Tandem Stephanus noſter, cujus morum dulcedo apprime cum nomine & [a] ſtemmate gentilitio conveniebat, triſte ſui deſiderium Avenionenſibus reliquit anno 1624. 1624.

C. XXVI. p. 145. col. 1.

[a]

XIV. MARIUS. PHILONARDUS.

Marius Philonardus Romanus, Philippi cardinalis tit. S. Mariæ de Populo, & Alexandri epiſcopi Aquinatis frater, Scipionis ac Brigidæ de Ambroſiis nobilis Anagninæ filius, & Flaminii Philonardi cardinalis epiſcopi Aquinatis nepos, ex baſilicæ ſancti Petri canonico, utriuſque ſignaturæ referendario, & S. Rom. eccl. Inquiſitionis aſſeſſore, archiepiſcopus creatur

[a] Hoc erat ejus ſtemma *De gueules à l'animal dit une Douce d'argent armé & lampaſſé de ſable.*

ANNI CHRISTI.

anno 1624. die 16. Septembris, prolegatus deinde Avenionis & in comitatu Vindaſcino fuit.

1624. Anno 1641. moniales B. Mariæ de miſericordia apud Avenionem receptæ ſunt, in domo S. Mariæ Magdalenæ, ſeu S. Georgii, de quarum inſtituto vide ſupra in Ludovico Bretel Aqui-Sextienſi archiepiſcopo.

1641. vol. 377. 838. ad an. 1630. Poſtea ad Uladiſlaum IV. Poloniæ & Sueciæ regem nuntius apoſtolicus ab Urbano VIII. papa delegatus 1643 Sequenti anno 1644. Romæ deceſſit menſe Auguſto.

1643. 1644.

PINELLI.

XV. BERNARDUS II.

Bernardus Pinelli Pinella gente apud Ligures illuſtri natus, ex Clerico regulari congregationis Theatinæ, ab Innocentio X. papa archiepiſcopatu donatus eſt, deſinente an. 1644. & Avenionenſis vicelegationis præfectura, anno ſequenti. Mortalitatem exuit 18. Jan. 1646. Inter alia conſpicuæ hujus ſtirpis decora fuerunt, Dominicus cardinalis Pinellus epiſcopus Oſtienſis ſacrique collegii decanus; ac Johannes Vincentius patricius Genuenſis, vir ſingularis eruditionis, & bonarum artium ſtudioſiſſimus; cujus vita conſcripta eſt à Paulo Gualdo Vicentino.

1644. 1646.

ARGELLI.

XVI. CÆSAR.

Cæſar Argelli Bononienſis, antea auditor generalis civitatis & comitatus Avenionenſis, Federico Sfortia vicelegato, deſignatur antiſtes anno 1647. hoc anno Romæ conſecratus 12. Maii ab ipſo cardinali Sfortia. Paulo poſt ab Innocentio papa X. pallio cohoneſtatus, civitatem ſuam adiit, ſed brevi tempore pontificatum geſſit; nam cum fortuito caſu prolapſus fuiſſet in palatio archiepiſcopali, interiit 30. Julii 1648. ætatis 74. celebri funeris pompa corpus elatum eſt, magno vicelegati, canonicorum, magiſtratuum urbis, omniumque Ordinum religioſorum luctu: & ante majus altare B. Mariæ de Domnis ſepultum.

1647. 1648.

MARINI.

XVII. DOMINICUS II.

Dominicus Marini Romanus, paterno genere ex familia Genuenſi patricia Marina, materno vero Juſtiniana vetuſtæ nobilitatis oriundus, ex vicario generali apoſtolico Ordinis Prædicatorum ab Innocentio X. Pont. Max. electus eſt Avenionenſis archiepiſcopus anno 1648. die 18. Octobris; bullas obtinet anno ſequenti Martii 1. Conſecratur autem Romæ in baſilica monialium S. Sixti religionis Dominicanorum, die Aprilis 11. ejuſdem anni Dominica in Albis, à Johanne Jacobo cardinali Panzirolo patriarcha Conſtantinopolitano, aſſiſtentibus dominis Spinola archiepiſcopo Materano, & Petro Franciſco Philonardo præſule Anagnino; cum prius ex decreto conſiſtorii fuiſſet pallio donatus ab Hieronymo cardinali Columna. Urbem ſuam ingreſſus eſt ſolemniter eodem an. XI. Julii Fundavit propriis ſumtibus in Univerſitate Avenionenſi anno 1651. cathedram lectoris in ſacra facultate theologica, ubi quotannis perpetuo prælegi S. Thomam Aquinatem præcepit; quod ſtatim ad bonum commune ſtudiorum incœptum eſt. Hic epiſcopale palatium tonitru deformatum, ampliandum & inſtaurandum curavit; ac perluſtrata diœceſi, eccleſias collapſas morumque diſciplinam ſedulo reſtituit. Sepulcrum S. Maximini & beatarum Magdalenæ & Marthæ Taraſcone, ſacello exornato decoravit. Synodum celebravit anno 1668. & obiit die 20. Junii 1669. ætatis 76. ſepultuſque eſt in eccleſia metropolitana, in monumento affabre elaborato cura & expenſis rectorum Montis-pietatis, quam bonorum omnium heredem inſtituit. Doctrinæ ſuæ laborumque fœtum reliquit eximium in ſummam D. Thomæ IV. tomis diſtributum editis Lugduni anno 1668.

1648. 1651. 1668. 1669.

ARIOSTI.

XVIII. AZO.

Azo Arioſtus Bononienſis, ex auditore cameræ apoſtolicæ fit archiepiſcopus Avenionenſis a Clemente papa IX. poſtulaturque Romæ die 9. Septembris anni 1669. Ibidem paulo poſt, videlicet die 22. ejuſdem menſis ordinatur & epiſcopali manu conſecratur a cardinali Altini, collaborantibus epiſcopis Senogalliæ ac Vaſionenſi. Poſſeſſionem adeptus eſt die 29. Septembris eodem anno, ſimulque vicelegati officium ipſi demandatum eſt. Suppetias liberaliter tulit capitulo in conſtructione chori novi, & in ornando templo, paratus ad plura facienda niſi eum mors præripuiſſet die 18. Novembris anni 1672. Illatum eſt ejus corpus communi archiepiſcoporum tumulo, ante majus altare.

1669. 1672.

LIBELLI.

XIX. HYACINTHUS.

Hyacinthus Libellus Tiphernas ord. S. Dominici, ſacri palatii magiſter a Clemente X. electus eſt ſucceſſor Azonis, ſimulque inſignitus dignitate vice-legati. Poſſeſſionem vero eccleſiæ ſuæ accepit die 21. Februarii an. 1673. Non in theologia tantum, ſed in omni quoque ſcientiarum genere fuit verſatiſſimus, ut luculentus eſt teſtis vir Cl. Pertuyſius eccleſiæ metropolitanæ archidiaconus, qui ab annis fere 30. archiepiſcoporum Avenionenſium eſt vicarius generalis. Huic doctiſſimo viro multa debemus, maxime vero ſupplementum ad Galliam Chriſtianam Fratrum Sammarthanorum ab an. circiter 1656. quantum ad archiepiſcopos, præpoſitos, legatos & prolegatos Avenionenſes. Sub hoc antiſtite Clemens X. conceſſit canonicis hujus eccleſiæ uſum lineæ tunicæ brevioris, quæ vulgo appellatur *rochet*, & choralis trabeæ vulgo *chape* coloris rubei, per totum annum, quam antea in hyeme tantum geſtabant, a tempore quo canonici ſtatum regularem deſeruerunt. An. 1674. ſecunda feria Paſchæ, tranſtulit corpus S. Benedicti,* quo auctore pons conſtructus eſt ſuper Rhodanum. Poſt XI. annos & menſes octo Hyacinthus morti ſuccubuit die 23. Octobris anni 1684. Jacet in ſacello quod ipſemet conſtruxerat propriis & quidem magnis ſumtibus, dicavitque Chriſto refurgenti.

1673. 1674. 1684.

* S. Benezet.

DE MONTE CATINO.

XX. ALEXANDER II.

Alexander ex comitibus de Monte-catino Ferrarienſis ordinis Carthuſiani, cujus erat pro-

curator generalis, ſubrogatus Hyacintho ab Innocentio papa XI. eccleſiæque Avenion. poſſeſſionem adiit die 11. Junii anni 1686. Is ab eodem pontifice duo impetravit, primum ut archiepiſcopi Avenionenſes minime poſſint præveniri a legatione Avenionenſi, in collationibus beneficiorum ſeu ſacerdotiorum, quæ in quatuor menſibus ordinariis competentibus vacarent; alterum quod officia ſolemniora celebrare valeant archiepiſcopi in eccleſia metropolitana, abſque ullo ex parte prolegatorum impedimento. Tribus duntaxat annis & quatuor menſibus præfuit, & die 8. Octobris anni 1689. migravit ex hac vita, donatuſque eſt communi archiepiſcoporum ſepulcro.

ANNI CHRISTI. 1686.

XXI. Laurentius.

Laurentius Fliſcus Genuenſis, ex gente inter quatuor reipublicæ illuſtriores non infima; poſt geſtam præcipuarum eccleſiæ Romanæ provinciarum præfecturam, ex ſacræ congregationis Rituum ſecretario creatus eſt archiepiſcopus Avenionenſis ab Alexandro papa VIII. poſſeſſioneque hujus eccleſiæ donatus eſt die 5. Septembris, anni 1690. ſimulque fit vicelegatus. Is moniales ſub titulo Verbi incarnati Arauſione ab hæreticis pulſas excepit, quibus ædes dedit apud Rupem-mauram. Domum apud Avenionem divo Carolo dicatam erexit in clericorum ſeminarium, accerſitis ex Pariſienſi S. Sulpitii ſeminario preſbyteris, qui illud regerent; in quo non ſolum hujus diœceſis, ſed etiam aliarum vicinarum clerici ad pietatem & doctrinam eccleſiaſticam informantur. A Clemente papa XI. miſſus eſt nuntius extraordinarius ad regem Chriſtianiſſimum Ludovicum Magnum pro negotio pacis Europæ toti procurandæ. Paulo poſt ad Genuenſem ſedem tranſlatus eſt 13. Junii anno 1705. poſt adminiſtratam Avenionenſem in ſumma pace per annos quatuordecim & novem menſes. Denique creatus eſt S. R. E. cardinalis.

ANNI CHRISTI. 1690. 1705.

XXII. Franciscus Mauricius.

Laurentio Fliſco ſucceſſor datus eſt Franciſcus-Mauricius Gonterius, patricius Taurinenſis, ex Caballiaci marchionibus; qui cum plurimas S. ſedis apoſtolicæ provincias gubernaſſet, foretque decanus conſultorum Romanorum, a præfato Clemente XI. papa, ad Avenionenſem thronum provectus eſt, cujus poſſeſſionem adipiſcitur die 27. Septembris anni 1705. moxque prolegatus renuntiatus eſt. Ab eo palatium archiepiſcopale ſtatim reſtauratur, & quod longe majoris eſt momenti, eccleſiæ diſciplina, populus verbo paſcitur & exemplo, pauperes, præſertim ægroti eleemoſynis recreantur; eccleſiis digni præficiuntur miniſtri.

Gonterius.

PRÆPOSITI AVENIONENSIS ECCLESIÆ.

I. Pontius I. Balde an. 1038. ex præpoſito factus primus abbas ſancti Rufi, de quo vide in ſerie abbatum S. Rufi.

II. Roſtagnus I. præpoſitus erat Avenion. circa annum 1080. quo vivebat Albertus I. Avenionenſis epiſcopus. Hic cœpit vivere intra clauſtrum, & regulariter cum nonnullis ſociis ex eodem capitulo.

III. Silveſter ad quem Urbanus papa II. bullam direxit an. 1096.

IV. Roſtagnus II. ſub Arberto epiſcopo memoratur in variis chartis, ſed præcipue anno 1099. 1105. 1108. & 1109. Vide Ch. XXVII. pag. 146. col. 1. Forte idem vero eſt qui præceſſit Silveſtrum, & aliquandiu feriari voluit a præpoſitura.

V. Amblardus præpoſitus reperitur in variis chartis ſub Arberto & Leodegario epiſcopis.

VI. Pontius II. an. 1117.

VII. Iſnardus anno 1140. memoratur in ſententia Leodegarii epiſcopi, pro ſuis canonicis.

VIII. Guillelmus de Reali an. 1187. forte idem ac ille Guillelmus, cui & eccleſiæ Avenionenſi Ildefonſus rex Arragonum, comes Barchinonenſis, & marchio Provinciæ, dedit privilegium, quo canonici & clerici hujus eccleſiæ, necnon eccleſiarum B. Marthæ de Taraſcone, de Laurata (Laurade) de Barbentana (*Barbentane*) immunes conſtituuntur a cavalcatis, quiſtis, pedaticis, albergis, denique ab omni ſervitio. *Datum Aquis ſub anno incarnationis Domini* MCLXXXIX. ex Noguerio p. 62. Refertur que a Bouxo lib. 9. ſect. 11. §. v. p. 172. Adhuc memoratur an. 1205. in quadam ordinatione Radulfi legati Innocentii papæ pro ſtabilienda diſciplina in monaſterio Montis-majoris. Poſtea Guillelmus fuit epiſcopus, cognominaturque de Montiliis.

Chartar. Montis-maj.

IX. Petrus I. de Aramone jam an. 1210. ſola tamen prima nominis littera deſignatus, anno 1211. teſtis venditionis confirmatæ in gratiam Guillelmi abbatis Montis-majoris, ſcilicet eccleſiæ de Graveſon. Idem annis 1215. 1219. & 1223.

Ibidem.

X. B. * Roſtagnus 1232. adfuit hominio quod B. Avenionenſi epiſcopo reddidit Guaſcus de Lauduno pro caſtro de Liers. Reperitur etiam 1238. in Gallia Chriſt. frat. Sammarth.

* Bertrandus.

XI. Guillelmus II. de Montiliis, notatur ab an. 1245. ad 1253.

XII. P. Præpoſitus defunctus an. 1253.

XIII. Roſtagnus III. Cavellerii in charta Roberti epiſcopi 1272. 1273.

XIV. Petrus II. Ricani 1291. interfuit electioni Bertrandi de Lauduno abbatis S. Andreæ, erat etiam præpoſitus 1294.

XV. Bertrandus Aymini primum præpoſitus 1295. inde epiſcopus creatur an. circiter 1300.

XVI. Raſolus præpoſitus 1305. idem haud dubie ac Roëlus præpoſitus eccleſiæ Avenion. qui cum aliis ejuſdem eccleſiæ miniſtris commiſſus a Jacobo Aven. epiſcopo ad examinandam electionem fratris Berengarii de Coyrano monachi S. Andreæ in abbatem ejuſdem mo-

naſterii factam per compromiſſum die 18. Aug. A 1311. & a toto capitulo concorditer approbatam confirmavit, 28. Sept. ejuſdem anni.

XVII. Roſtagnus IV. de Meſuaga, eligitur 1305. erat prior eccleſiarum caſtri de Barbentana anno 1311. vivebat etiam 1314. 1315. 1316.

XVIII. Gerardus de Lautrico ab an. 1319. uſque ad 1328.

XIX. Petrus III. Ricani 1328. 1336.

XX. Odo Monetarii 1363. 1365. & 1368. Vide in Anglico epiſcopo.

XXI. Roſtagnus V. de Codoleto anno 1356.

XXII. Guillelmus Raimundus an. 1422.

XXIII. Pontius III. de Sado alias de Sadone ab an. 1438. poſtmodum Vaſionenſis epi- B ſcopus nominatur.

XXIV. Petrus IV. Alberti decretorum doctor electus an. 1470.

XXV. Manaldus d'Aure ex vicecomitibus Aſterienſibus 1490. forte idem qui circa hoc tempus legitur Tarbienſis epiſcopus.

XXVI. Georgius d'Amboiſe theſaurarius eccleſiæ Rotomagenſis, ac præpoſitus Avenion. anno 1504.

XXVII. Antonius I. de la Barre an. 1511.

XXVIII. Johannes Petrus de Groſſis Taurinenſis diœceſis 1513.

XXIX. Antonius II. de Laſcaris de Tende epiſcopus Regenſ. & præpoſitus Avenionenſis 1520.

XXX. Perrinetus I. de Revillaſco regius conſiliarius Taurini 1527.

XXXI. Antonius III. Fartullius ex canonico eccleſiæ Avenionenſis creatus 1547.

XXXII. Perrinetus de Revillaſco per obitum Antonii regreſſus eſt ad præpoſituram, ac ſedit ab an. 1555. ad 1583.

XXXIII. Hieronymus Barrier alias Barrerius 1583. obiit 1590.

XXXIV. Franciſcus Suarez rector comitatus Venaiſſini, conſultor ſancti Officii ac præpoſitus 1592. Vivere deſiit 1640.

XXXV. Joſephus-Maria Suarez coadjutor datus Franciſco 1626. cubicularius a ſecretis Urbani VIII. pont. max. poſtea fuit Vaſionenſis epiſcopus an. 1633.

XXXVI. Ludovicus-Maria Suares Franciſci coadjutor deſignatus 1634. qui ab anno 1640. 26. die Decembris uſque ad 1653. dignitatem hanc ad eccleſiæ decorem tenuit; iſque ex archivis eccleſiæ anteceſſorum catalogum delineavit, quem in nonnullis emendavimus & auximus. Obiit an. 1672.

XXXVII. Ludovicus Gabriel de Jarentes *al.* de la Bruyere de Cabanes, antea Melitenſis miles, ab anno 1672. præpoſituram tenuit. Fuit vicarius generalis, conſultor ſancti Officii Avenion. eccleſiaſticæque immunitatis acerrimus defenſor, epiſcopatum Caballicenſem ſemel & iterum oblatum recuſavit; ad meliorem vitam tranſiit 11. Octob. 1709.

XXXVIII. Elzearius Franciſcus des Achards de la Beaume conſultor S. Officii primarius, ex canonico factus præpoſitus Avenionenſis 1709.

ALIQUOT ILLUSTRES ARCHIDIACONI.

I. JOhannes de Broniaco, poſtea epiſcopus Oſtienſis, & vicecancellarius cardina-

II. Johannes Ruffi patriarcha Antiochenus 1426.

III. Ludovicus de Pictavia epiſcopus Valent. & Dienſis 1447.

IV. Guillelmus de Stotavilla cardin. 1455.

V. Guillelmus Briçonetus cardinalis archiepiſcopus Narbon. & Remenſis 1497.

VI. Dionyſius Briçonetus epiſcopus Maclov. cardinalis 1529.

VII. Dominus Cardot epiſcopus Monspelienſis.

LEGATI AVENIONENSES.

I. FRanciſcus I. de Conzié, archiepiſcopus E & primas Narbonenſis ſanctæ Rom. eccleſ. camerarius, primus reperitur poſt diſceſſum curiæ & pontificum factus legatus Avenionenſis, & conſtitutus an. 1418. Julii 27. gubernator, rector, ſive vicarius civitatis Avenion. & comitatus Venaiſini, a Martino V. pont. max.

II. Alfonſus Carriglius Hiſpanus cardinalis S. Euſtachii, legatus Bononiæ, a concilio Baſileenſi ſubrogatus eſt mortuo Franciſco. Is vita exceſſit Baſileæ 1434. ibidem ſepultus.

III. Petrus de Foix cardinalis Albanus, archiepiſcopus Arelatenſis, Alfonſo ſucceſſit, 1435. An. 1456. 23. Martii, præfuit concilio provinciali apud Avenionem. *hiſt. univerſit. Aven.*

IV. Carolus I. de Bourbon cardinalis & dux Borbonius, archiepiſcopus Lugdunenſis Petrum de Fuxo in legatione excepit 1465.

V. Julianus de la Rovere cardinalis Oſtienſis S. Petri ad Vincula nuncupatus, archiepiſcopus & legatus Avenionenſis 1476. & 1485. poſtea Julius II. papa.

VI. Georgius de Ambaſia cardinalis Rotomagenſis, ſedis apoſtolicæ in Gallia legatus; aſſumto ad pontificatum Juliano legationem obtinuit 1503.

VII. Robertus Guibé Brito dictus cardinalis Nannetenſis epiſcopus Trecorenſis, Redonenſis, Nannetenſis, & adminiſtrator Venetenſis

Digitized by Google

in Armorica, legati quoque officium exercuit A an. 1511.

VIII. Franciſcus Guillelmus de Clermont Lodeve cardinalis, archiepiſcopus Narbonenſis & Auxitanus, an. 1514. erat legatus apud Avenionem, quo nomine conceſſit centum dies indulgentiarum viſitantibus eccleſiam Fratrum Prædicatorum Claromonteenſium in Arvernis. Litteræ hac de re datæ ſunt præfato anno, die 24. menſis Martii, Leonis papæ X. an. 2. Vide in archiepiſcopis Auſcienſibus. Hoc munus geſſit uſque ad 1541.

IX. Alexander Farneſius cardinalis, Avenion. antiſtes & legatus 1541. B

X. Carolus II. Borbonius cardinalis archiepiſcopus Rotomagenſis, hanc præfecturam ſuſcepit an. 1565. An. 1569. concilii provincialis acta, de quo ſupra, confirmavit ut legatus. *hiſt. univerſit. Avin.*

XI. Octavius Aqua-viva d'Arragon, Johannis Hieronymi ducis Atriæ, & Margaritæ Piæ ducissæ filius; præfectus palatio papæ, ob eximias animi dotes poſt prima Palatina munera, a Gregorio XIV. pont. max. cardinalatus inſignibus tit. S. Georgii in Velabro ornatur 1591. pridie nonas Martii, mox & legationem Avenionenſem adeptus 1593. ea vero ſummiſque pro republica Chriſtiana ampliſſimis muneribus C functus eſt, demumque antiſtes Neapolitanus deſignatur, & eccleſiam ſibi commiſſam, verbo, exemplo, ceteriſque præſtantiſſimi epiſcopi virtutibus, ad extremum vitæ finem rexit. Sepultus in metropolitana baſilica cum marmorea inſcriptione.

OCTAVIO AQUAVIVO.

Arragonio card. archiepiſcopo Neapol. purpura & litterarum max. Græcarum ornamento. Majorum decora adepto quæ fuerunt e republica Chriſtiana in Pontificiis præcipue comitiis, atque D *in Avenionenſi legatione cum arderet provincia civilibus diſcordiis, arderent bello Galliæ, ſtrenue cuncta executo, in omni vita ſingularem magni conſilii, excelſi animi laudem promerito D. Franciſcus Aquavivus marchio Aquavivæ ex D. Thariſia nepote duce Hadrianorum* XI. *pronepote P. Obiit An. ſalutis.* MDCXII. *Natus annos LII.*

XII. Cynthius Aldobrandinus cardinalis tituli ſancti Georgii, Aurelio Paſſero & Julia Aldobrandina Clementis VIII. ſorore natus, ſignaturæ juſtitiæ & majoris pœnitentiarii officium, ac etiam legationem Avenionenſem E conſecutus 1601. Romæ mortalitatis debitum explevit 1. Januar. 1610. corpus in æde ſancti Petri ad vincula jacet.

XIII. Scipio Burgheſius cardinalis ſancti Chryſogoni, cognomine & ſtemmate gentilitio Burgheſiæ familiæ donatus a Paulo V. Pontif. cujus nepos erat ex ſorore, antea Scipio Caffarellus nuncupatus, archiepiſcopus Bononienſis renuntiatur, poſtea Romanæ eccleſiæ major pœnitentiarius, legatus Avenionenſis 1605. & epiſcopus Sabinus 1629. Romæ obiit 1633. die 2. Octob.

XIV. Ludovicus Ludoviſius cardinalis tit. S. Mariæ in Tranſpontina ſanctæ Rom. eccl. camerarius & cancellarius, brevium Signaturæ præfectus, archiepiſcopus Bononienſis, abbas Nonantulæ, Gregorii XV. papæ nepos, filius Horatii ducis Fiani aulæ-præfecti, & Laviniæ Albergatæ, Scipionis ſucceſſor in legatione Avenionenſi 1621. & die 18. Novembris 1632. ex hac vita migravit, ſepultuſque eſt in æde metropolitana Bononienſi.

XV. Franciſcus II. Barberinus cardinalis Portuenſis, Florentinus, Urbani VIII. pont. max. nepos, Caroli Barberini ducis d'Areti & Conſtantiæ Magalottæ filius, eccl. Rom. vicecancellarius ac bibliothecarius, epiſcopus card. Sabinus, poſtea Portuenſis, ſacri collegii ſubdecanus, & Annæ Hiſpanæ matris Ludovici XIV. Chriſtianiſſimi regis eleemoſynarius major, antea Hiſpaniæ, Arragoniæ, Angliæ, Scotiæ, Græcorum & Helvetiorum protector. In cardinalium collegium primus a patruo ad ſummi apoſtolatus apicem evecto cooptatur 1623. VI. non. Octobr. inſuper hoc anno Avenionenſi legatione inſignitus eſt. Sub pontificatu quoque Urbani papæ, totam negotiorum molem in curia Romana ſuſtinuit; ab eodem miſſus in Galliam legatus a latere 1625. & denuo in Hiſpaniam precibus regis Philippi 1626. ad ſuſcipiendam e ſacro fonte pontificis nomine, filiam Mariam Eugeniam, necnon ad concordiam inter duos reges, Galliæ & Hiſpaniæ, de controverſia pro Valle-telina, & Genuenſibus terminanda.

XVI. Antonius Barberinus cardinalis, patria Romanus, Franciſci frater & Thaddæi Barberini principis Prænestini ducis de Monterotundo, almæ urbis Romæ præfecti, S. R. E. camerarius, ſignaturæ gratiæ ac brevium præfectus, archipreſbyter S. Mariæ Majoris, olim Franciæ ac Sabaudiæ protector, legatus pontificius & militiæ Romanæ ſedis generalis, abbas S. Ebrulphi in Gallia, & epiſcopus Pictavienſis deſignatus an. 1651. legationem Aven. obiit 1633. ſub Urbano VIII. pontif. creatus card. ex magno priore Jeroſolymitano 1627.

XVII. Camillus-Pamphilius Neapolitanus cardinalis S. Mariæ in Dominica, Pamphilio Pamphilii & Olympia Maidalchini natus; creatur Avenionenſis legatus a patruo Innocentio X. papa 13. Decemb. 1644. in locum Antonii Barberini; deinde fit ſanctæ Rom. eccl. gubernator generalis, & abdicata purpura, nupſit 1647. Olympiæ Aldobrandinæ principi Roſſanenſi, Clementis VIII. papæ pronepti, & viduæ Pauli Burgheſii, principis Sulmonenſis filii.

XVIII. Camillus Aſtalli, cognomento cardinalis Pamphilius patria Romanus, familiæ Innocentii X. pont. max. nepos aggregatus, ex clerico cameræ apoſtolicæ, in purpuratorum collegium aſſumtus anno 1650. die 20. Septembris, renuntiatus eſt Avenionenſis legatus eodem anno Novembris 21. quo munere functus eſt uſque ad annum 1657. poſteaque ſanctæ Rom. eccleſiæ generalis gubernator.

XIX. Flavius tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. preſbyter cardinalis Chiſius Senenſis S. D. N.

Digitized by Google

Alexandri VII. ex fratre germano nepos, legatus Avenionenſis ab anno 1657. uſque ad annum 1668.

XX. Jacobus S. R. E. preſbyter cardinalis Roſpiglioſus Piſtorienſis S. D. N. Clementis papæ IX. ex fratre germano nepos, legatus Avenionenſis ab anno 1668. uſque ad annum 1670.

XXI. Palutius tit. SS. XII. apoſtolorum S. R. E. preſbyter cardinalis Alterius Romanus archiepiſcopus Ravennenſis S. D. N. Clementis papæ X. nepos, legatus Avenionenſis ab anno 1670. uſque ad annum 1677.

XXII. Alderanus tit. S. Praxedis S. R. E. preſbyter cardinalis Cibo legatus Avenionenſis ab anno 1677. uſque ad annum 1690.

XXIII. Petrus SS. Laurentii & Damaſi tit. S. R. E. cardinalis Octobonus Venetus S. D. N. papæ Alexandri VIII. nepos legatus Avenionenſis ab anno 1690. uſque ad annum 1691. Nec inde alii fuere legati Avenionenſes ſaltem uſque ad annum currentem 1708.

PROLEGATI AVENIONENSES.

I. CLemens de Ruvere nepos cardinalis Juliani de Ruvere legati Avenionenſis, doctor aggregatus univerſitatis Avenionenſis, poſtea primicerius anno 1501. tum epiſc. Mimatenſis, fuit vicelegatus pro Juliano patruo ſuo legato, qui factus papa dictuſque Julius II. eum creavit cardinalem anno 1503. qua dignitate brevi potitus eſt, mortuus videlicet anno ſequenti; ex hiſt. univerſitatis Aven. nondum publici juris facta.

II. Franciſcus de Stagno ep. Ruthenenſis fuit vicelegatus Avenion. ſub Georgio de Amboſia legato anno circiter 1507. quo ipſi dicavit librum Symphorianus Campegius; ex Antonio Bonal qui ejus vitam ſatis accurate deſcripſit inter epiſc. Ruthenenſes. Obiit an. 1519. Ipſius meminit auctor hiſtoriæ univerſitatis Avenionenſis jam laudatæ.

III. Johannes-B. Palavicinus epiſcopus Cabellicenſis, qui fuit cardinalis, functus etiam fuerat vicelegati Avenionenſis officio, ex ſchedis quas ad nos de epiſcopis Cabellicenſibus miſit vir Cl. D. Gallier vicarius generalis capituli Cabellicenſis anno 1708.

IV. Alexander Campegius epiſcopus Bononienſis Laurentii cardinalis magnæ exiſtimationis viri filius legitimus, Bononiæ natus 2. Aprilis 1504. patri in epiſcopatu ſucceſſit, an. 1541. & vicelegatus Avenionem profectus eſt 1542. præfuit autem uſque ad 1544. Mortalitatem exuit 1554. 12. calend. Octob. ſepultus apud S. Mariam Trans-Tyberim juxta Laurentium parentem, qui tam eruditione, quam legationibus ad Maximilianum Cæſarem Henricumque VIII. Angliæ regem geſtis claruit. Legendus eſt Ferd. Ughellus Italiæ ſacræ to. II.

V. Antonius Trivultius Mediolanenſis, Scaramutiæ cardinalis Galliæ protectoris nepos, nuntius apoſtolicus ad Venetos, ſignaturæ juſtitiæ præfectus, epiſcopus Tolonenſis in Gallia ac prolegatus 1544. rexit ad annum uſque 1547. Creatus cardinalis a Paulo IV. papa 1557. e vivis ademtus eſt 7. cal. Julii 1559.

VI. Camillus Mentuatus epiſcopus Sarrianenſis ab an. 1547. ad 1552.

VII. Theodorus-Johannes de Clermont nobilis Gallus, epiſcopus Sanicienſis ac prolegatus 1553.

VIII. Jacobus Maria Sala epiſc. & comes Vivarienſis adminiſtravit ab an. 1554. ad 1560.

IX. Alexander Guidiccionius epiſcopus Lucenſis, Bartholomæi cardinalis nepos, an. 1560. Avenionem vicelegatus Alexandri card. Farneſii profectus eſt, ubi per duos annos munus illud incorrupte implevit. Fato functus eſt 1605. cum omnium fere epiſcoporum Italiæ decanus haberetur, humatus in cathedrali ſua.

X. Laurentius Lanti epiſcopus Firmanus 1565. quo tempore Georgius cardinalis de Armaniaco Caroli Borbonii legati collega, Avenionem reſedit uſque ad obitum an. 1585.

XI. Cardinalis d'Armagnac tit. S. Nicolai in carcere Toloſanus archiepiſcopus, prolegatus Avenionenſis ſub Carolo de Borbonio cardinali tit. S. Chryſogoni, legato 1576. quo anno die 4. Feb. ejus litterarum beneficio Antonius Mayne permutavit ſacriſtiam Croſcienſis monaſterii pro prioratu S. Magdalenæ & S. Salvatoris de Turre *les Beuvons*. *Ex arch. ep. Sifteron.*

XII. Guillelmus Blancus epiſcopus Tolonenſis & prolegatus Avenionenſis, moritur anno 1585.

XIII. Dominicus Grimaldi archiepiſcopus prolegatus ab an. 1585. ad annum 1589. E vivis exceſſit Avenione 1592.

XIV. Dominicus Petruccius epiſcopus Biſinianenſis ad an. 1592.

XV. Silvius Sabellus nobilis Romanus archiepiſcopus Roſſanenſis, deinde patriarcha Conſtantinopolitanus, rexit a menſe Auguſto 1592. ad menſem Junii 1593. quo anno Octavius Aquaviva cardinalis legatus acceſſit. Creatur cardinalis tituli S. Mariæ in Via, a Clemente VIII. 1596. poſtea Umbriæ legatus.

XVI. Johannes-Franciſcus I. Bordinus archiepiſcopus & vicelegatus ab an. 1596. ad 1599.

XVII. Carolus de Comitibus Romanus, Polii ducis frater, cardinalis tit. S. Chryſogoni renuntiatur a Clemente VIII. 1604. epiſcopus Anconitanus, & Avenione prolegatus ab an. 1599. ad 1604. vita functus 3. non. Dec. 1615. Polium in majorum ſepulcrum defertur.

XVIII. Petrus-Franciſcus Montorius Romanus, Neocaſtrenſis præſul ab an. 1604. ad 1607.

XIX. Joſephus Ferrerius Savonenſis, archiepiſcopus Coloſſenſis dictus, ac Urbinas 1597. vicelegatus ab an. 1607. Obiit 16. Martii 1610.

XX. Franciſcus-Stephanus Dulci archiep. Avenionenſis,

Avenionenſis prolegatus ab obitu Ferrerii uſque ad ſucceſſoris adventum.

XXI Philippus Philonardus epiſcopus Aquinas poſt Flaminium patruum ſuum, vicelegatus Avenionenſis an. 1610. uſque ad 1614. creatur cardinalis a Paulo V. 17. Aug. 1611. Romæ deceſſit 1622. menſe Sept.

XXII. Johannes-Franciſcus II. de Bagny card. a Balneo, natus e veruſta Guidiorum a Balneo familia in Æmilia, parentibus Fabricio Montis-Belli marchione, Balneique comite, & Laura Columna Pompei Zagaroli ducis filia. Ab Urbano VIII. archiepiſcopus Patracenſis eligitur, antea vicelegatus Avenionenſis ab an. 1614. ad 1621. Extra ordinem nuntius ſedis apoſtolicæ in Gallia, deinde apoſtolicus cum poteſtate legati a latere ad Belgas & Burgundiones; mox ab eodem pontifice purpura donatus eſt an. 1629. & epiſcopatibus Cervienſi ac Reatino. Romæ animam emiſit 1641. Julii 25. in ſuo titulo S. Alexii apud Aventinum montem. Erat frater Nicolai ex comitibus Guidis a Balneo Athenarum archiepiſcopi, pontificis max. Innocentii X. ad Ludovicum XIV. regem Chriſtianiſſ. nuntii.

XXIII. Guillelmus du Broc Gallus, Franciſci domini du Nozet filius, antea auditor Rotæ, archiepiſcopus Seleucienſis & prolegatus ab an. 1621. ad 1623.

XXIV. Octavius Corſinus Florentinus, cameræ apoſtolicæ clericus, archiepiſc. Tarſenſis, nuntius in Gallia, ac vicelegatus per menſem, 1622. die 25. Sept. Ex hac familia nobili apud Hetruſcos Petrus cardinalis epiſcopus Portuenſis, & Aimericus, ambo Florentini antiſtites, Andreas & Nerius Corſinus Feſulani epiſcopi.

XXV. Coſma de Bardis ex comitibus Vernii, Johannis & Lucretiæ Salviatæ filius, Ravennæ adminiſtrator ſub Caietano cardinale, rector ac vicelegatus Avenion. ab an. 1613. ad 1619. epiſcopus Carpentoractenſis in Gallia, demum Florentinus archipræſul 1630. expiravit in urbe 18. Aprilis die 1631. ſepultus in æde metropolitana, cui ſucceſſit Petrus Nicolinius.

XXVI. Marius Philonardus Philippi cardinalis frater, archiepiſcopus & prolegatus Avenionenſis ab an. 1619. ad 1634.

XXVII. Julius Mazarinus Romanus, utriuſque ſignaturæ referendarius, extra ordinem miſſus nuntius apoſtolicus in Galliam ac prolegatus ab an. 1634. ad 1637. nominatione Ludovici Juſti XIII. regis Chriſtianiſſ. creatur cardinalis ab Urbano VIII. papa 1641. 16. Sept.

XXVIII. Fabricius de la Bourdaiſiere Romanus, epiſcopus Cabellicenſis, prolegatus a die 13. Octob. 1634. ad 1637. dum Julius Mazarinus nuntium pontificium per aliquod tempus in Galliis ageret.

XXIX. Federicus Sforſa Romanus ex comitibus Sanctæ Floræ, Alexandri ducis de Segni, principis de Valmonte equitis torquati S. Spiritus & Eleonoræ Urſinæ filius, Marii Sforſæ ducis d'Ornano frater, primum ſedis apoſtolicæ protonotarius de numero participantium, utriuſque ſignaturæ referendarius, vicelegatus, ac militiæ ſuperintendens generalis ab an. 1637. uſque ad 1645. Poſtea ad epiſc. Ariminenſem & Catanenſem in Sicilia promotus fuit, & ſacra purpura ornatus ab Innocentio X. ſummo pontifice.

XXX. Bernardus Pinelli vicelegatus anno 1645. idemque archiepiſcopus Avenionenſis, ut dictum eſt ſupra.

XXXI. Laurentius II. Curſi Florentinus, marchionis Curſii frater, decanus protonotariorum apoſtolicorum de numero participantium, referendarius utriuſque ſignaturæ, vicelegatus & gubernator generalis civitatis & legationis Avenionenſis, pro Innoc. X. papa, pontificiæ militiæ hujus ſtatus ſuperintendens generalis; Bernardo Pinello ſucceſſor datus die ultima Julii 1645. uſque ad diem 8. Octobris anni 1653. prolegatus fuit.

XXXII. Dominicus de Marinis ordinis Prædicatorum, archiepiſcopus Avenionenſis, ejuſdem legationis prolegatus, ac militiæ, &c. a die 8. Octobris 1653. uſque ad 5. Junii 1654.

XXXIII. Auguſtinus Franciottus Lucenſis, utriuſque ſignaturæ S. D. N. papæ referendarius, archiepiſcopus Trapezuntin. prolegatus Avenionenſis, ac militiæ, &c. a die 5. Junii 1654. uſque ad 25. Decembris 1655.

XXXIV. Johannes Nicolaus abbas de Comitibus, baro Romanus, utriuſque ſignaturæ S. D. N. papæ referendarius, prolegatus Avenionenſis & vicarius, ac militiæ, &c. a die 25. Decembris 1655. uſque ad 29. Januarii 1659. ac poſtea S. R. E. cardinalis.

XXXV. Gaſpar Laſcaris de Caſtellar, ex comitibus Vintimilliæ, abbas ſancti Pontii, protonotarius apoſtolicus de numero participant. S. D. N. honorarius cubicularius, atque in utraque ſignatura referendarius, prolegatus Avenionenſis, ac totius militiæ, &c. a die 29. Januarii 1659. uſque ad 24. Septembris 1664. ac tandem ad epiſcopatum Carpentoractenſem promotus.

XXXVI. Alexander abbas Columna, baro Romanus, protonotarius apoſtolicus de numero participant. utriuſque ſignaturæ referendarius, S. D. N. papæ prælatus domeſticus, prolegatus Avenionenſis, totiuſque militiæ, &c. ab anno 1664. uſque ad 21. Auguſti 1665.

XXXVII. Laurentius Lomellinus Januenſis, utriuſque ſignaturæ referendarius, prolegatus Avenionenſis & militiæ, &c. ab an. 1665. 21. Auguſti uſque ad annum 1670.

XXXVIII. Azo Arioſtus Bononienſis, archiep. Avenion. prolegatus 1°. a die 12. Julii 1670. uſque ad ſucceſſoris adventum. 2°. a die 1. Aprilis uſque ad 18. Auguſti 1671. 3°. a die 22. Februarii uſque ad diem 18. Auguſti 1672.

XXXIX. Horatius Mattheus patricius Romanus, utriuſque ſignaturæ S. D. N. papæ referendarius, prolegatus Avenionenſis, ac militiæ, &c. a 19. Julii 1670. ad 5. Aprilis 1671. & ab Innocentio papa XI. S. R. E. cardinalis creatus.

XL. Petrus Barielinus Bononienſis, archiepiſcopus Thebarum, poſt legationem extraordinariam & ordinariam in Gallia, vicelegatus

Avenionenſis, a 28. Auguſti 1671. ad 26. Febbruarii 1672.

XLI. Marcellus Duratius Januenſis, utriuſque ſignaturæ S. D. N. papæ referendarius, ſecretarius apoſtolicus, archiepiſcopus Calcedonenſis & vicelegatus Avenionenſis, a die 28. Auguſti 1672. uſque ad ſucceſſoris adventum, quo tempore electus apud Luſitaniæ regem nuntius apoſtolicus, ac tandem cardinalis creatur ab Innocentio XI.

XLII. Hyacinthus Libellus Tiferinas archiepiſcopus Avenionenſis, a die ultima Maii 1673. uſque ad 20. Julii; & iterum vicelegatus a 17. Auguſti 1676. uſque ad ſucceſſoris adventum.

XLIII. Carolus Anguiſciola ex comitibus Anguiſciolæ, Placentinus utriuſque ſignaturæ referendarius, prolegatus Avenionenſis, & militiæ, &c. ab anno 1673. die 20. Julii uſque ad obitum 17. Auguſti 1676.

XLIV. Franciſcus abbas Nicolinus, Florentinus, utriuſque ſignaturæ referendarius, in civitate Avenionenſi & comitatu Venaiſſino pro S. D. N. papa vicarius generalis, & prolegatus, ac militiæ, &c. a Martio 1677. uſque ad annum 1685. in quo electus archiepiſcopus Rhodienſis, ſanctitatis ſuæ aſſiſtens, & ad regem Luſitaniæ nuntius apoſtolicus nominatur 1. Septembris, tandemque ad regem Chriſtianiſſimum Ludovicum XIV. apud quem mortuus eſt Pariſiis.

XLV. Baltazar Lincius Romanus, utriuſque ſignaturæ S. D. N. papæ referendarius, S. ſedis apoſtolicæ vicarius generalis, prolegatus Avenionenſis, & ejuſdem ſtatus ſuperintendens generalis a die 12. Decembris 1685. uſque ad diem 31. Julii 1691. qua ad pontificatus cubiculi præfecturam ab Innocentio XII. fuit evocatus, ac ab eodem poſtea S. R. E. cardinalis creatus.

XLVI. Laurentius Fliſcus Januenſis ex comitibus Lavaniæ, archiepiſcopus & prolegatus Avenionenſis, ac ejuſdem ſtatus ſuperintendens generalis a die 31. Julii 1691. uſque ad 8. Aprilis 1692. ac deinde ad cardinalatum promotus a papa Clemente XI.

XLVII. Marcus abbas Delphinus Venetus, utriuſque ſignaturæ S. D. N. papæ referendarius, vicelegatus Avenionenſis, ac militiæ, &c. a die 8. Aprilis 1692. uſque ad 26. Febr. 1696. qua ad Ludovicum XIV. regem Chriſtianiſſimum nuntius apoſtolicus Pariſios profectus eſt, ubi & S. R. E. cardinalis renuntiatus ab Innocentio papa XII.

XLVIII. Philippus-Antonius abbas Gualterius, Urbevetanus, utriuſque ſignaturæ S. D. N. papæ referendarius, ſanctæ ſedis apoſtolicæ vicarius generalis ac prolegatus Avenionenſis & ſuperintendens generalis armorum ejuſdem ſtatus, a die 7. Junii 1696. uſque ad 16. Julii anni 1700. qua nuntius apoſtolicus ad regem Chriſtianiſſimum Pariſios miſſus, ubi a Clemente papa XI. S. R. E. cardinalis factus.

XLIX. Johannes-Baptiſta abbas Ciccius, Peruſinus, in civitate Avenionenſi & toto comitatu Venaiſſino vicelegatus, a die 26. Julii 1700. uſque ad ſucceſſoris adventum.

L. Antonius Franciſcus Sanvitali, Parmenſis, in utraque ſignatura S. D. N. papæ referendarius, prælatus domeſticus, ſanctæ ſedis vicarius generalis, vicelegatus Avenionenſis, ac militiæ, &c. a die 19. Auguſti anni 1700. uſque ad 31. Maii anni 1703. qui poſtea cum ſummi pontificis Clementis XI. cubiculi præfecturam digniſſime occupaſſet, archiepiſcopus Urbinas factus eſt, ac die 22. Julii an. 1709. creatus eſt cardinalis.

LI. Antonius abbas Bancherius, Piſtorienſis, in utraque ſignatura S. D. N. papæ referendarius, protonotarius apoſtolicus de numero participantium, in civitate Avenionenſi, ac toto comitatu Venaiſſino, ſanctæ ſedis apoſtolicæ vicarius generalis & vicelegatus, necnon militiæ, &c. a die 31. Maii anni 1703. uſque ad 8. Aug. anni 1706. Romæ an. 1708. ſancti Officii aſſeſſor erat; quo munere egregie functus legitur.

LII. Franciſcus Mauricius Gonterius, Patricius Taurinenſis, ex marchionibus Caballiaci, archiepiſcopus Avenionenſis, ſolio pontificio aſſiſtens, in eadem civitate & toto comitatu Venaiſſino vicelegatus, & ſuperintendens generalis armorum, a die 8. Auguſti anni 1706. uſque ad 4. Novembris.

LIII. Sinnibaldus de Auria Patricius Januenſis, in utraque ſignatura S. D. N. papæ referendarius, in civitate Avenionenſi ac toto comitatu Venaiſſino ſanctæ ſedis apoſtolicæ vicarius generalis, vicelegatus, necnon militiæ ejuſdem ſtatus ſuperintendens generalis, qui a die 4. Novembris anni 1706. ſumma cum laude & integritate provinciam hanc ſibi demandatam adminiſtrabat adhuc anno 1708.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

MONITUM.

A longo tempore audieram doctiſſimum virum D. Polycarpum de la Riviere Carthuſianum, olim hiſtoriam Avenionenſium præſulum elucubraſſe, nactum feliciter veteres quoſdam codices. Hoc opus, etſi jam grandævum, annorum videlicet circiter octoginta, nondum e tenebris erupit; ſed ejus copiam habui ope viri doctiſſimi & humaniſſimi domini Raybaud Arelatenſis, cauſarum in Provinciæ ſenatu patroni. Quapropter operæ pretium duxi noſtris præſulibus Avenionenſibus, excerpta ex Polycarpi opere[a] de primis Avenionenſis eccleſiæ epiſcopis ſubjicere.

Ceterum etſi non inficiar in codicibus manuſcriptis quibus uſus eſt D. Polycarpus, quædam infuta fuiſſe vetera monumenta eccleſiæ Avenionenſis, ut quæ de ſancto Amatjo leguntur; in pleriſque tamen antiquitatem eccleſiaſticam minime ſapiunt. Sed de illis ſatius eſt judicium docto & in veteribus monumentis explorandis perito lectori permittere.

Ubi codices nihil ſingulare continent, ſufficit nobis nomen epiſcopi adſcribere.

75. I. S. RUFUS.

Hic epiſcopus Avenionenſium fuit primus.

96. II. S. CARUS.

Ex veruſtiſſimo codice Johannis Savaronis ante annos quingentos ſcripto in folio oblongo & latitudine palmari, ſemiuncialibus fere litteris exarato, ſic diſerte de B. Caro infit: *A beato autem Clemente papa recepit Gallia tunc ſibi deſtinatos epiſcopos, Vienna Zachariam, Lugdunum Photinum, Avenio Carum, Turones Gatianum, Pariſii Dionyſium, Arelate Regulum, Maſſilia Reſtitutum, Geneva Paradotum, Ebroica Taurinum, qui in agro cœleſtis diſciplina fideliter & inſtanter laborantes, abundantem fructum vitæ, tam in ſe, quam in ſuis ſequacibus colligere meruerunt.*

III. S. JUSTUS.

134. IV. S. IGILIUS.

S. Igilius, *vel* Vigilius anno 134. ex codice Savaronis memorato, & ex manuſcripto noſtro antiquitatum Avenionenſium, cujus appono verba: *Mortuo ſancto Juſto Avenionenſium epiſcopo, Igilius vir per omnia laudabilis & beatæ vitæ, divina admonitus inſpiratione Avenionem venit Vienna, factuſque mox presbyter, clarus doctrina & eloquio, communi omnium conſenſu eligitur & aſſumitur in ejuſdem orbatæ eccleſiæ paſtorem, quam magna cum ſanctitate & virtutum fama rexit ultra quadraginta annos.*

Quem vero Igilium vocat hic codex, alter doctiſſimi Savaronis, & fragmentum aliud S. Andreæ, Vigilium appellant; utrumque nos edimus, donec alicubi certius aliquid deprehendatur, nec interim omittimus ſignari illum a Savaroneo codice ad an. centeſimum quadrageſimum primum. 142

Quinti ignoratur nomen.

VI. EBULUS. 202.

Ebulus anno 202. ſive ut legit antiqua ſeries Santandreana Avenionenſium epiſcoporum, Eubulus, de quo ſic habet codex ante annos plus minus trecentos ab anonymo ſcriptore exaratus de rebus Avenionenſibus: *Sub ſancti Victoris papæ pontificatus fine, eccleſiam Avenicenſem Ebulus epiſcopus ab eo ordinatus & Romam* miſſus regere cœpit; quem virtus & ſapientia decorabat ſpecialis. Hic ſexdecim annos ſuper menſes octo ſedit, & triennio ante mortem ſuam ad eremum ſe transferens, ibi Deo vacavit uſque ad ultimum vitæ ſpiritum, ſubſtituto ſibi Johanne presbytero, quem ſecum Roma abduxerat & morti proximus conſecrarat...*

* Romam

Forte Ebulus eſt ille ipſe de quo Victor papa ſub annum pontificatus ſui quintum loquitur epiſtola ad Deſiderium Viennenſem epiſcopum de tempore celebrandi Paſchatis:

Per tuam ergo fraternitatem, presbyteris Galliarum littera mittantur, ut obſervent Paſcha non cum Judæis negatoribus Chriſti, ſed cum ſequacibus apoſtolorum prædicantibus veritatem Chriſti. Salutat te collegium fratrum. Saluta fratres qui tecum verſantur in Domino. Eubolus, qui epiſtolam fert Viennam, de collegio noſtro, tecum vivere & mori paratus eſt; quem ſuſcipe in Domino Jeſu Chriſto. Vale.

Poſtremo electus Deo pontifex Avennicenſis Ebulus, *cum ſtudioſe*, ut inquiunt codices prænotati, *eccleſiam ſuam rexiſſet annos ſexdecim & menſes octo, & complativum* (verba ſunt antiquioris MS) *vitæ dulcorem per triennium jam ferventiſſime deguſtaſſet, ad civitatem ſuam relatus, clero & populo ſuo benedicens, ſimul ac valedicens, ſacra communione ſuſcepta, ante S. Maria altare felicem Creatori reddidit animam, pridie idus Junii, id eſt duodecima ejuſdem menſis, juxta prædeceſſores ſuos tumulatus ad ædem in Circo.*

VII. JOHANNES. 219

Anno igitur 219. cum adhuc viveret ſacer Eubulus Avennicenſis antiſtes, auſpicatum pontificatus ſui annum primum Johannem preſbyterum & cooperatorem ejus fidelem, in eccleſiæ Avennicenſis ſanctiſſima adminiſtratione affirmant tum codices memorati, tum veteres tabulæ S. Andreæ, recenteſque quatuor aliæ, quas vidi, legi & in unum redegi ex variis mihi exhibitis libris manuſcriptis & diariis ejuſdem civitatis. Memorant ſiquidem præfati codices Ebulum epiſcopum, cum inſpiratione divina perpenderet ſuum inſtare exitum, Johannem venerabilem preſbyterum, qui Roma ſe-

[a] Titulus ejus eſt: *De primis Avenionenſium epiſcopis ab ipſo ſanctiſſimo evangelicæ prædicationis exordio, ad Clementem quintum qui ſede Romana Avenionem tranſlatam ea ſedit & quievit.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

cum Avenionem missus a beato Victore papa A adveneraſ, ſucceſſorem ſibi delegiſſe ac ordinaſſe, *virum honeſtum & ſummæ religionis, ſub cujus providâ diſpenſatione nequaquam ager eccleſiæ Avenicinæ ſpinas & tribulos germinavit, ſed in omni pace, charitate ac pietate, latius, latiuſque frondes, flores & fructus emiſit timoris & amoris Domini Jeſu Chriſti, ad omnimodam gentilitiæ ſuperſtitionis ſubverſionem, & præſtantiorem Chriſtianæ devotionis, & veri Dei cultus amplitudinem & ſplendorem, quo multi convicti & illuſtrati ſe totos ad Catholicam fidem convertebant, inſanum idolorum cultum deteſtantes, & errorum portenta, ſceleramque ſuorum monſtra ingenue & B cum lacrymis recognoſcentes.*

230. VIII. ASTERIUS.

MS. codex Savaronis vocat eum Æterium non Aſterium. Liber meus ſcriptus, cui magis ſtandum puto, eum appellat Aſterium; illum nunc audiamus: *Ad prædeceſſores ſuos*, inquit, *conſepulto Johanne piiſſimo epiſcopo Avennicenſi; Aſterius octavus ejuſdem eccleſiæ cathedratus eſt pontifex, devotus, pacificus & inclitus autea ſacerdos; ad quod miniſterium idem Johannes epiſcopus illum per ſacros reliquos ordines laudabiliter converſatum in domo Domini, digne promoverat & præviderat in epiſcopatu futurum ſucceſſorem. Hic ſtatim ab initio ſui muneris magno devotionis affectu, eccleſiam S. Andreæ in monte Andaonis ſupra Rhodanum* (ubi jam inſigne cœnobium ordinis ſancti Benedicti) *in gratiam Chriſtianorum, qui relicta perfidia circumvicinis in locis divinæ legi nuper corda & colla ſua ſubjeceraut, conſtruxit; in qua & poſt mortem, qua illi contigit anno 27. ſacri ſui regiminis, ſepeliri voluit & requievit honorifice multis ſeculis.*

257. Anno ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo, id eſt vigeſimo ſeptimo ſui pontificatus, Aſterius Avennicenſis epiſcopus, *vacans indeſinenter orationibus & jejuniis, & ſæpiſſime ſe in montis Andaonis ſilvam & ſpecum, quæ prope ec-* D *cleſiolam ſancti Andreæ quam ille exciterat, erat recipiens ad intentius Deo ſerviendum, cum vitæ ſuæ terminum adeſſe præcognoviſſet, clericos ſuos & cives præſtantiores ad ſe vocans:* Non ego, *inquit*, diu in præſenti vita manebo. Vocat me Dominus & brevi, ſed valida pulſatus ægritudine intra paucos dies ad eum emigrabo. Sepelite me, quæſo, in eccleſia mea montis Andaonis: & quod ſuper eſt, fortes permanete in fide; bellum enim in Chriſtianos immane mox concitabitur, & præſertim eccleſiarum paſtores & clerum exagitandos ſuſcipient perditionis filii. E Ipſe vero miſericors Dominus vos benedicere & protegere ſua pietate dignetur. *Juxta ergo mandatum ſuum per clericos ſuos & populum, quem gratioſiſſime gubernarat, honorifice tumulatus eſt in præfata ſua eccleſia montis Andeonis.* Hactenus manuſcriptus codex.

257. IX. SECUNDINUS.

Lucii papæ 2. *Galli & Volus. impp. 4.*

Sublati innocentiſſimi præſulis Aſterii cathedram Secundinus Arelatenſis preſbyter ſpectatæ virtutis & doctrinæ conſcendit; ſedquam vix tenuit ultra ſeptennium. Merces hæc fuit pietatis & famæ illius. Primus enim recenſetur epiſcopus ſanctæ Avennicenſis eccleſiæ conſtitutus electione cleri & populi, id eſt prævia haud dubie morum inquiſitione. ANNI CHRISTI.

Quod vero rei præſentis eſt, anno 264. menſe Junio Secundinus lectiſſimus epiſcopus Avennicenſis, quem ſua virtus ad ſacram illam provexerat dignitatem, magno Chriſtianorum luctu & ejulatu ex hac ad ſplendidiorem & beatarum mentium lucem excedit, & religioſiſſimis exſequiis cum anteceſſoribus ſuis in eccleſia Circi inhumatur. 264.

D. Polycarpus annotarat ad oram codicis, *tabul. mſs. Aven. epiſc. & codex Savaron.* Verum poſtea verba hæc cancellavit.

X. S. AMATIUS, *vel* AMANTIUS, *vel* AMATUS. 264

Dionyſ. papæ 4. *Gallieni imp. 10.*

De eo vide quæ diximus ſupra. His quæ depromſit ex veteribus codicibus adjecit D. Polycarpus de la Riviere. Porro Amatium vel Amantium hunc eſſe de quo Acacius loquitur lib. 1. de paſſionibus ſanctorum, clarum eſt, dum ſic ait: *Celebratur etiam hoc tempore*, id eſt ſub Gallieni imperatoris perſecutione, *Amantius Avennica urbis epiſcopus paſſus cum aliis multis, qui furorem Alamannorum ſunt pariter experti & occiſi pro nomine Domini, glorioſe martyrium conſummaverunt.* Nec dubitandum, ut arbitror, eundem illum omnino Amatium vel Amantium eſſe quem Avenionenſes vulgo *Sant-Chaman* nuncupare ſolent, & qui non longe ab urbe prope Durantiam dicato templo (in quo fortaſſis ſacræ illius reliquiæ tot annos quieverunt) colitur adhuc & invocatur majori pietate quam cognitione & notitia illius vitæ, dignitatis atque martyrii. Ceterum ingenue fateor incognitum mihi eſſe Acacium hunc a Polycarpo laudatum.

XI. CÆDICIUS. 281.

Eutychiani papæ 7. *Probi imp. 5.*

Tabulæ recentes eccl. Avenn. hunc in epiſcoporum cenſu haud ponunt. Sed præter elenchum Sanctandreanum, & indicem Savaronis, antiquior ſeries ejuſdem eccleſiæ præſulum eum digne recenſet ac commemorat ſub annum ducenteſimum octuageſimum quartum, 284. quo prodit eum eccleſiam B. V. Mariæ a Chroco everſam, ſingulari pietate & magnis impendiis, ut clarior reſurgeret, a fundamentis aggreſſum, quam poſt aliquot annos Conſtantinus Magnus ſolo tenus eductam, in eam amplitudinem & pulcritudinem extulit, quæ merito laudari poterat & mira videri.

Anno ducenteſimo nonageſimo ſeptimo, Cæ- 297. dicius antiſtes Avennicenſis, poſt eccleſiam ſuam magnis laborioſiſque curis perſancte ſexdecim ſolidos annos & aliquot menſes adminiſtratam, *ſed nondum ruinis ejus a Chroco & Allemannis illatis bene reſtitutis, eximia tandem Dei ornatus gratia, temporariam* (inquit MS. codex) *reliquit vitam, ſempiterna ut cum angelis perfrueretur lætitia, in beatorum omnium jucun-*

ANNI CHRISTI.

dissimam admissus societatem, & in exemplum A *cunctis fidelibus ad imitandum datus, sacerdotibus autem ad stricte religioseque observandum ac prædicandum. Aspirans autem in cælum, antequam Domino Jesu suum redderet spiritum, fenestellam cellæ in qua quiescebat jussit patefieri, &*
f. oculis vim. *solito oculos * lacrymarum profundens:* O quanta, *inquit*, mala, quanta video certamina & tormenta præparari ab impiis, dæmonum prævalente nequitia, non huic tantum urbi & ecclesiæ nostræ, non Galliis solum & Hispaniis, sed universo piissimo orbi Christiano! divinam imploremus & exspectemus misericordiam; & sciamus, fratres, neminem posse illius resistere vo- B luntati. *Quibus dictis feliciter in Domino obdormiens, cælorum arcana, eorum in omnem æternitatem fruiturus consortio, penetravit, quorum vitam & mores sanctissime expresserat in terris.*

De mense autem & die quo obiit idem B. antistes quæsitum frustra. Non enim refert idem codex; sed nec indicat elenchus Savaronis, nec est in serie Sanctandreana.

198. XII. PRIMUS.

Marcellini papæ 1. *Diocles. & Maxim. imp. 15.*

Fost Cædicii pontificis obitum electus est Primus Avenionensis episcopus anno 198. de C eo sic manuscriptus liber: *Defuncto autem & sepulto cum sanctis prædecessoribus suis in omni genere virtutum spectabili Cædicio episcopo, Avenionensi ecclesiæ regendæ magno omnium consensu quatriduo post eligitur & ordinatur Primus venerabilis ejusdem diaconus, qui tot futuræ mox persecutionis tentationes, turbationes, calamitates, incendia & tormenta solus vel æquanimiter ferret, vel ab urbe Avennica, sua singulari virtute, pietate & prudentia si non omnino repellere, & arcere valeret, saltem ea pro Christo cives suos & oves omnes doceret verbo & exemplo patientissime* D *subire ac tolerare. Erat enim vir ætate jam maturus & gravitate, numeris omnibus absolutus, crebris vigiliis assuetus, & frequenti inedia deditus, & assiduis vacans orationibus; & qui non paucas quotidie pauperibus de patrimonio suo erogabat eleemosynas. Nam & ex bonis suis hereditariis ecclesiæ nostræ Dominæ B. Mariæ prædiola quædam & census perpetuos largitus est, propter qua egregia benefacta, laudem apud omnes & gratiam non vulgarem obtinuit, eoque maxime quod rectus & integer fraternaque caritatis & domesticæ concordiæ imprimis esset amans.*

Oblatam igitur cum suscepisset, compulsus magis quam sua sponte ductus, dignitatem, *nec* E *ignarus esset, divino revelante spiritu, quibus exagitandus esset fluctibus, & quantas pati haberet in episcopatu tribulationes, ad omnia tamen voluntariam se Deo hostiam obtulit*, primumque *benedictione de more prius percepta a tribus episcopis, qui eum oleo sancto unxerunt, in conspectu totius populi, sacrum tanta devotione tantoque lachrymarum fonte peregit, ut siccis eum oculis saxea etiam corda videre non possent, sed & me-*
Hebr. 5. *mor semper fuit istius quod ab Apostolo scriptum est de omni episcopo & prælato:* Omnis pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona ac sacrificia pro peccatis.

ANNI CHRISTI.

In pace mortem vocante Primum episcopum e vita emigrasse ex his verbis constat: *Pius Dei sacerdos confessor & episcopus designatur*, notaturque *illius mors ad annum trecentesimum septimum sub finem Nov. & sepulchrum in æde S. Petri, nondum perfecta primaria ecclesia beatæ nostræ Dominæ Virginis Mariæ restauratione.* Hæc loquitur codex. 307.

XIII. FRONTINUS. 308.

Marcelli papæ 3. *Constantini M. imp. 3.*

Frontinus in Italia Albæ natus illustribus & opulentis parentibus, & Romæ presbyter factus, sed grassante immaniter Galerii Maximiani crudelitate ex Italia coactus fugere in Gallias veniens, cum sociis suis Avenionem incolendam elegit. Postquam per duos vel tres ad summum annos in ea privatam & abditam duxit vitam: *In tantam apud Avenionenses devenit existimationem & admirationem* (verba sunt manuscripti) *ut secundum quod fama tenet, vacanti per obitum Primi venerandi episcopi, Avennicensi sedi, unanimi omnium voce ac postulatione cleri & populi sit ipse adscriptus præfectusque pontifex, honorem quamvis humilitate permaxima constanter recusaret, & suam inopiam & imperitiam fusissimo lacrymarum imbre contestaretur. Sed prævaluit tum Dei voluntas, tum populi clerique pia devotio, qui eum ex cellula sua in sanctæ tractum, & in ecclesiam adductum festinanter & festiviter in sede collocarunt episcopali & sacro perungi pontificatus oleo, ab episcopis qui convenerant, obnixe petierunt & obtinuerunt, eximio omnium cum applausu, & ingenti totius civitatis gaudio & exultatione.* Ita tabulæ manuscriptæ Aven. eccl. & catalogus Savaronis.

Antiquus elenchus ejusdem ecclesiæ, & series Savaronis quindecim annis Frontinum episcopum fuisse referunt; in ista tamen *Frontinus* non *Frontinus*, ut in aliis codicibus legitur.

XIV. AVENTIUS. 324

Silvestri papæ 11. *Constantini M. 19.*

Post memorandæ virtutis episcopi Frontini decessum, Evantius presbyter insigni fervens religione, unanimi cleri populique consensu decimus quartus in ordine præficitur antistes sanctæ Avenionensis civitatis ecclesiæ ..... nono* Constantiano Deiparæ virginis Mariæ templo quod exædificari cœperat anno 316. ultimam manum Aventius attulit, & ejus consecrationem pro muneris sui dignitate magno vicinorum pontificum, populique Christiani præsente cœtu, sexto-decimo calendas Septembris anno salutis trecentesimo vigesimo-septimo rite & splendide peregit; idque testatum habemus, non uno, sed pluribus veteris notæ monumentis ejusdem consecrationis memoriam & altarium numerum exhibentibus in hæc verba: DEDICATIO NOVÆ ECCLESIÆ SANCTÆ MARIÆ AVENNICÆ A CONSTANTINO IMPERATORE MAGNIFICO OPERE RESTAURATÆ ANNO DOMINICÆ INCAR-

* *f. leg.* novo construendo.

ANNI CHRISTI. NATIONIS CCCXXVI. MENSE AUG. XVI. CAL. SEPTEMBRIS ET TRIUM ALTARIUM IN EA ERECTORUM AB AVENTIO EPISCOPO . . . Obiit anno trecenteſimo vigeſimo-nono & magnis exſequiis arca lapidea ſepultus in eadem ipſa virginis Mariæ eccleſia. Dies menſiſve obitus nobis incogniti. A

329. XV. REGILIUS, *vel* REGINUS.

Silveſtri papæ 16. *Conſtantini M. imp. 24.*

Regilius quem Reginium vocat Savaronis index, ſub initium pontificatus, ex veterum codicum fide, cœmeterium inchoavit conſtituitque in area inſulæ Rhodani, quæ nunc in continentem abiit, & in ea eccleſiam parvam eleganti opere & forma rotunda conſtructam quæ pro temporum varietate ſæpe disjecta, ſæpeque reſtituta, veſtigia tamen ſatis illuſtria demum reliquit in æde illa ampliſſima & cœnobio patrum Prædicatorum tantæ molis & elegantiæ, ut pauca ſint alibi cum hoc merito conferenda. B

Teſtatur codex Avenionenſem eccleſiam tantum ei merito debere, quantum aliis de ea optime meritis, ac propterea dignum exſtitiſſe cujus nomen per multa ſubſequentia ſecula cum honore ac revelatione recoleretur. Sepulcrum obtinuit in cœmeterio inſulæ Rhodani in ſacello a ſe exædificato. C

346. XVI. METIANUS.

Julii papæ 10. *Conſtantii & Conſtantis imp. 10.*

A Regilii optimi præſulis morte die ſeptimo Metianus preſbyter inculpatæ vitæ nec trivialis doctrinæ, rite legitimeque creatus, Avennicenſis pontificatus capeſſit habenas, quas plus minus annos ſex-decim tenuit. Interfuit concilio Sardicenſi œcumenico a Julio papa convocato, eique ſubſcripſit.

[a] Fides autem quam mereantur commentarii & indices quos ſequimur hinc patet, quod cum Metiano Avennicorum epiſcopo referuntur qui tunc laudantur fideliter & accurate in diverſis tabulis ſucceſſionum epiſcoporum plurimarum eccleſiarum Galliæ, quibus iſti qui una adfuerunt magnæ Sardicenſi ſynodo præſidebant, hi quippe ſunt Maximinus Treverorum, Veriſſimus Lugdunenſis, Valentinus Arelatenſis. D

Interfuit etiam concilio Vaſionenſi anno 351. a Nectario Viennenſis provinciæ primate coacto ex codicis noſtri auctoritate. 351.

Obiit in pace idibus Martii, telluri magna cum pompa, ſed non minimo cum luctu & fletu ſuorum in divæ Dei matris virginis Mariæ æde ab Eradio Arauſicenſi epiſcopo, ſibi ob morum ſanctitudinem & ſingularem doctrinam ac fidem incorruptiſſimam mire caro mandatus. E

363. XVII. ANTISTIUS.

Liberii papæ 12. *Juliani imp. 2.*

Apud recentes tabulas Avenionenſium epiſcoporum, nulla hujus Antiſtii antiſtitis mentio reperitur. An vero deſcriptoris culpa & incuria prætermiſſus fuerit, incertum mihi, certum tamen eum prodi a vetuſtioribus, nec omitti in elencho clariſſimi Savaronis, & pervetuſtis indicibus Sanctandreanis, ex quibus ejus nomen deſcripſi. Ita ſubſtitutus Antiſtius inclito (verba ſunt codicis noſtri) Metiano, ſummo concivium ſuorum apparatu & finitimorum concurſu Avennicenſis eccleſiæ paſtor eſt conſecratus calendis Aprilis. Adveniente anno 372. Antiſtius cum annos circiter decem præfuiſſet eccleſiæ, & illi ſedula pietate & vigilantia profuiſſet, obiit menſe Junio. ANNI CHRISTI.

[a] Infirma prorſus ratio ad aſſereendam illorum indicum fidem: quaſi difficile fuerit hos indices concionantibus ex actis concilii Sardicenſis diſcere quinam Gallicanorum præſulum huic interfuiſſent concilio. Ceterum non negamus Metianum fuiſſe Avenionenſem epiſcopum; ſed ex alus monumentis ejus epiſcopatum depromimus.

XVIII. JUSTUS II. 372.

Damaſi papæ 6. *Valentiniani & Valentis imp. 9.*

Juſtus anno trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ſub finem Junii in defuncti Antiſtii locum concorditer eſt ſubrogatus. Habent eum indices S. Andreæ & Savaronis; nominant etiam eum vetuſtiores tabulæ Avennicenſis eccleſiæ, ſed omnium diſertiſſime eum profert & effert codex noſter.

Interfuit [a] anno 374. concilio apud Valentiam Segalaunorum ad Rhodanum convocato a Florentio Viennenſi primate, eique ſubſcripſit. 374. [a]

In codice manuſcripto conciliorum clariſſimi Savaronis, poſt Simplicium Auguſtodunenſem, & ante Evortium Aurelianenſem epiſcopos ſanctitatis & doctrinæ fulgentiſſimis inſignibus decoratos ſubſcriptus apparet in hunc modum: *Ego Juſtus Avennicæ epiſcopus opto vos fratres in Domino bene valere.*

Manuſcriptus codex teſtatur quod anno 387. Juſtus Avenionenſis epiſcopus reliquias SS. Gervaſii & Protaſii a B. Ambroſio Mediolanenſi miſſas ſummo cum honore accepit & in baſilica a ſe erecta collocavit. Poteſt hoc confirmari teſtimonio Gregorii Turonenſis de glor. mart. lib. 1. cap. 47. qui agens de eorumd. SS. reliquiis ait: *Ex hoc enim SS. martyrum Protaſii & Gervaſii a beato Ambroſio reperta reliquiæ affatim collecta per univerſam Italiam & Gallias ſunt delatæ*, ex quibus Juſtus Avennicenſis epiſcopus non parum habuit.

Sedit Juſtus ex laudatis codicibus & indicibus annos octo-decim & aliquot menſes & in bona ſenectute vitam tandem clauſit quarto nonas Octobris.

XIX. STEPHANUS. 390.

Siricii papæ 6. *Valentiniani II. 15. & Theodoſii 12.*

De Stephani ſubſtitutione dubitationem omnem eximit, qui ſic perſpicue legitur codex: Morti ergo proximus venerabilis epiſcopus Juſtus ſciſcitatur a clero ſuo de digno ſucceſſore: Stephanum preſbyterum ævo maturum, ſapientem & bonum, & vitæ ſuæ individuum comitem, ſocium ac participem recte factorum ſuorum delegit; quem & poſt ejus tranſitum continuo omnis civitas poſtulavit, & magno cum gaudio legitimis electum ſuffragiis in patrem & epiſcopum excepit, evexitque in thronum. Verum (addunt quos ſequimur commentarii) pau-

[a] Interfuit quidem concilio Valentino I. epiſcopus Juſtus nomine, ſed cujus eccleſiæ eſſet, minime legitur.

ANNI CHRISTI.

lo poſt cum viri dignitas & omnium calculo probata virtus invidiam Lucerii diaconi, qui ab eo multa tulerat beneficia vehementer commoveret, docuit tandem pravi ingenii & profundæ perfidiæ homo, quod alter vere dixerat, beneficia eo uſque grata eſſe, dum compenſari poſſint. Cum enim in illum omnia quæ potuiſſet plus antiſtes jam & olim ſacerdos, munera & dona plena manu conſeruiſſet, non alium fructum quam acerrimum odium meſſuit. Fretus ſiquidem quorumdam iniquorum auxilio, & imprimis inſolentis & faſtu pleni præfecti urbis auctoritate atque potentia, nequiſſimas adverſus eum calumnias, & difficillimas delationes intendit, quibus ſub prætextu reformandæ in meliorem ſtatum Avennicenſis eccleſiæ, & aſſerendæ reipublicæ libertatis, nihil non concepit & effecit, ut optimum paſtorem de ſede deturbaret, ſeque in locum ejus ſubrogaret, populum & clerum ad hoc adhibita etiam vi militari compellendo. Unde & collecta non parva ſeditioſorum & Judæorum multitudine, præfectus urbis cum impio Lucerio eccleſiæ parietes circumvallans, dat Stephano mandatum, ut exeat, adeoque minatur ni exeat, ſe invitum illum exturbaturum: ut cum manſueſſimus præſul bellum ex inopinato ortum videret, de eccleſia egrederetur, & Viennam ad Valentinianum imperatorem ſe reciperet. At populus cleruſque univerſus, cum neque minis, neque verberibus & incarcerationibus ad facinoroſum Lucerium cui a præfecto tradita fuerat eccleſia, recipiendum cogi poſſet, jamque præſtantiores urbis cives, & ſacerdotes ſe etiam in fugam dediſſent, & Romam uſque ſecuti ducem & antiſtitem ſuum ad imperatorem de ſcelerata iniquitate præfecti & Lucerii diaconi graviter, & cum lacrymis i conqueſti fuiſſent, miſit continuo imperator Viennenſem epiſcopum Nicetium, & præfectum prætorio Galliarum cum Ruffino comite, qui præfectum illum & diaconum exſilio mulctarent, ut ea malorum ſentina e civitate Avennicenſi exhauſta, læta pax quam expulſio Stephani mitiſſimi epiſcopi excluſerat, per ejus & optimorum civium ac ſacerdotum reditum, undique affulgeret. Quod & contigit ſimul atque Stephanus auctoritate Valentiniani & opera beati Nicetii Viennenſis epiſcopi in ſuam eſt reſtitutus eccleſiam, ejecto ejuſdem ſedis turpiſſimo invaſore Lucerio.

Ad poſtremum evoluto Chriſti anno quadringenteſimo tertio, dum novus aperitur quadringenteſimus quartus, vitæ ſuæ tempus adimplet ſpectatæ integritatis antiſtes Stephanus, Avennicenſiſque ſuæ in eccleſiæ medio ante altare deponitur, poſt cujus obitum vacavit ea ſedes per tres vel quatuor menſes uſque ad creationem ſeu potius intruſionem nequiſſimi, quem nec codex noſter, nec index Savaronis dignantur nominare.

404. **XX. N. ...**

Innocentii papæ 3. Arcadii & Honorii imp. 10.

Omni ſphinge ac tripode obſcurior ſane nobis eſt literulæ hujus interpretatio; quid enim ſibi hoc velit ſolitarium elementum N. quis dicet, niſi Oedipi conjectoris acumen? ſed nec indignitas viri viſa eſt accuratiore, curioſioreque indagatione digna, utpote quem intruſum indicat Savaronis index, noſter vero depingit codex aterrimo carbone, infelicem illum & infamem prædicans, & qui malis artibus proditorie ac veteratorie agens, contra jus & fas omne, in ſummum ſe Avennicenſis urbis ſacerdotem atque pontificem extulerit, nefaria ſubnixus malorum quorumdam civium ac clericorum ſubventione. Fuiſſe tamen Lucerium illum de quo jam dictum ſatis ſuperius ad an. 391. in electione Stephani (cujus ipſe ſedem uſurpare non timuit ſacrilego auſu) ſuſpiciunculam mihi faciunt duo hæc verba, *proditorie ac veteratorie agens*; quod ſcilicet doloſus ille & ambitioſus homo, ſimulata quadam pietate, & fucata melioris vitæ larva contectus, deceptis multis e clero & populo rurſus ſub ovina pelle ſe lupus intulerit in urbem & ſedem, de quibus fuerat ante dejectus & ſeveriori cenſura condemnatus.

Quod inter alias Narbonenſis provinciæ urbes Avennicam ipſam civitatem barbara feritas & inſatiabilis avaritia ſit depaſta, quas enumerat divus Hieronymus in epiſt. ad Ageruchiam data, in eam me trahunt ſententiam prædicti codices tradentes nequiſſimum illum intruſum potius, quam verum ejuſdem civitatis epiſcopum a Wandalis paulo poſt juſto Dei judicio fuiſſe cæſum; templumque divæ virginis Mariæ nihil impediente loci ſanctitate flammis deformatum, civibus fere omnibus ad unum crudeliſſime enecatis, nullo neque ætatis, neque ſexus vel dignitatis reſpectu habito.

Sanctæ Avennicenſis eccleſiæ ſecundum interpontificium ab an. Chriſti 408. ad 414.

Innocentii papæ 7. Honorii imp. 14. Theodoſii II. 1.

XXI. JOHANNES II.

414.

Innocentii papæ 13. Honorii imp. 20. Theodoſii II. 7.

Johannis vigeſimi primi in ordine antiſtitis Avennicæ civitatis fauſtam felicemque electionem eodem anno contigiſſe tradunt indices antiqui tum ejuſdem eccleſiæ, tum S. Andreæ Montis Andaonenſis & Savaronis; ſed paulo fuſius codex noſter, ut hic demonſtrandum venit. Eodem an. quo Ataulfus Gothorum rex Barcinone occiſus eſt, ſcilicet quadringenteſimo decimo quarto poſt triſte gemendumque ſeptem fere annorum inter pontificium, menſe Junio, Johannes ſpectatiſſimus preſbyter (regente imprimis Herote viro ſancto epiſcopo Arelatenſi, qui a Conſtantio duce Honorii imperatoris, & populo Arelat. inſons & nullis quamvis inſimulationibus obnoxius pulſus [a] Avenione degebat) ad epiſcopalem Avenionenſem eccleſiam provectus eſt.

Johannes an. 419. extremum clauſit diem pridie calendas Auguſti. Codex Savaronis quatuor-decim tantum annos ei in ſede tribuit. At noſter & catalogus Avenionen. antiſtitum ex Sanctandreana bibliotheca quindecim illi de-

[a] Vide chronic. Proſp. ad annum 412.

putant integros, neque hunc annum præteriiſſe A veteres aliæ tabulæ indicant.

ANNI CHRISTI.

Unde cuique manifeſtum reddi poteſt cum ille electus fuerit anno 414. menſe Junio ab eiſdem menſe & anno ſi incipiatur numerari quindecim annorum periodus, ad hunc uſque annum & menſem Julium eundem certiſſime pervenire debuiſſe. Solus index Sanctandreanus notat eum conditum fuiſſe in æde Deiparæ Virginis, quod & ratio flagitare videbatur, cum ipſe eam magnis impendiis priſtino reſtituiſſet ſplendori, relinquens in dubium pluſne mirari in tanto opere diligentiam oporteret quam opes & munificentiam. B

XXII. DEBO *vel* BEBO.

429. *Cæleſtini papæ 6.* *Pharammundi regis*, 10.

Menſis Auguſti ſub finem Debo vel Bebo, (utrumque lego in veteri libro & elencho Sanctandreano, quorum ductum fidemque ſequor) ad vacantem pontificatus Avennicenſis honorem delibandum communi cleri, populique aſſenſu aſſumitur, nullis ante in eccleſia functus muneribus, ſed tantum vetus urbis ſenator, & ætate jam gravis ob merita quibus apud omnes erat clariſſimus. Addit autem codex noſter hunc a ſancto Honorato ſacris ordinibus, & pontificia unctione delibutum, ita moderate ſuum adminiſtraſſe magiſtratum, ut moribus facilis affabiliſque, venerabilis tamen omnibus ob rectam piamque vitæ antea bene inſtitutæ rationem & caritatem quam in pauperes ſolito magis ac magis demonſtrabat, nemini quicquam exhibuerit unquam negotii vel offenſionis, ſed ubique in toto converſationis decurſu impreſſa pacis & mititatis veſtigia reliquerit ſancti cujuſque operis *indefeſſus amator*. C

435. Anno 433. (quod debemus codici Sanctandreano) Debo Aven. epiſcopus, templum ſancti Pauli a Vandalis dirutum auguſto impendio D reſtituere parat, civibus non modicam in tam ptum opus pecuniam ſubminiſtrantibus. Idque fanum eſt quod ipſemet pontifex triennio poſt, non unius Pauli, ſed Petri ſimul & Pauli dicavit honori. Ad ejus conſecrationis cumulandam celeritatem, non ſolus beatus Hilarius Arelatenſis epiſcopus intereſſe dignatus eſt, ſed & ipſi Marinus Arauſienſis, Venerius Maſſilienſis & Aptenſis Auxonius epiſcopi cum multis eccleſiarum ſuarum clericis adeſſe voluerunt.

Porro ad annum tantum quadringenteſimum trigeſimum ſeptimum vitam Debonis epiſcopi Avenionenſis propagatam fuiſſe docet E nos index Sanctandreanus his verbis: *quinto calendas Maii Debo epiſcopus, poſtquam ſediſſet annos circiter octo, & utiliter admodum & glorioſe rexiſſet epiſcopatum, obdormivit in Chriſto, ſepultuſque requieſcit in eccleſia ſanctorum apoſtolorum, quam decenter conſtruxerat, & cum magna ſolemnitate biennio ante conſecraverat.* Quibus conſentientia codex Savaronis, & antiquiores tabulæ habent, annum præterea ſubjungentes hunc eundem electionis Julii epiſcopi; ſit igitur,

XXIII. JULIUS.

ANNI CHRISTI. 437.

Sixti papæ 6. *Cladionis reg. 7.*

Demortuo pie & ſancte Debone epiſcopo, mirabile profecto eſt filium ejus Julium eandem cathedram conſpirantibus liberis omnium ſuffragiis conſcendiſſe. Filium autem fuiſſe indices & codices memorati una omnes ſincera fide loquuntur, produntque ſexto poſt patris obitum die, ab Hilario Arelatenſi, Auguſtali Arauſicenſi, & Portiano Cavallicenſi epiſcopis ſacro inunctum fuiſſe oleo & infulis decoratum, Dei utique providentia ſic diſponente, graviſſimus ut dolor Avenionenſium ex morte patris conceptus non parum leniretur & ingens reſarciretur damnum per filium, in quo pater conſpici redivivus poſſet, non moribus tantum, ſed & gradu ejuſdem dignitatis. Summa namque vigilantia optimus parens, ſeduloque curarat officio, dum adhuc ſenator eſſet, ut illum puerum, inſtar puriſſimæ ceræ, ſuis compoſitum manibus in virum formaret omni ex parte perfectum; ac poſt creatus epiſcopus, pari labore atque induſtria, divitias ſpirituales ita in eum, divina adſpirante gratia tranſtulerat, & fœcundo germine feliciter propagarat, ut dum ad abſolutum omnibus numeris virtutum exemplar eum ſtuderet conformare, ſuam in eo ipſiſſimam exprimeret, redderetque iiſdem pietatis, modeſtiæ, doctrinæ, prudentiæ & gravitatis lineamentis efformatam imaginem, quam omnes ſemel inſpectam ſuſpicerent, & aucto fœnore ſibi reſtitutam de cœlo crederent.

Julius anno 439. interfuit ſynodo apud Re- 439.
jos civitatem Provinciæ ab Hilario Arelatenſi epiſcopo convocatæ, ſeditque inter primos & poſt ſanctum Hilarium Arelat. Severianum Aquenſem, & Audentium Gratianopolitanum epiſcopos, quartus in hunc modum ſubſcripſit: *Ego Julius Avenionenſis* [a] *epiſcopus his ſtatutis interfui & ſubſcripſi die & conſule ſuprascripto.*

Nec eſt quod ultra quis conjiciat cum Baronio ſynodum illam Regenſem (conſtanter enim ſic legitur in cunctis veteribus libris nondum typis excuſis, non autem Regienſem, ut vulgo dici ſolet) collectam fuiſſe ab Hilario Narbonenſi epiſcopo; ſiquidem nuſquam reperitur Hilarius Narbonenſis epiſcopus ulli præſediſſe ſynodo Regenſi vel Arauſicanæ.

Julius an. 449. intra paucos menſes gravi 449.
morbo conſumtus nonis Julii in beatam tranſlatus eſt requiem, poſtquam ſediſſet duodecim annos & dies aliquot. Ita enim de illo loquuntur indices Sanctandreani & Savaronis; quibus & addunt cum codex noſter tum antiquæ tabulæ præſulum Avenionenſis eccleſiæ, mente eum certiſſimum fuiſſe, corde devotum, affabilem eloquio, amabilem omnibus, patientia ſingularem, paternæ pietatis & eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervatorem maximum & ſapientia ſummum.

Eximie placuiſſe clero & populo mores ejus, & non ſine magna ſanctitatis opinione mundo

[a] Facem nobis facit Polycarpus, cum aſſerit Julium epiſcopum Avennicenſem ſe dixiſſe in ſubſcriptione. Nam tam ipſe quam omnes alii epiſcopi concilii hujus, in ſubſcriptionibus ſuis ſimularunt nomen ſedis ſuæ.

emigraſſe

emigraſſe, probat inde codex noſter, quod primus viſus eſt cum elogio tumulatus in æde cathedrali ſub inſcripto lapide, qui continuo pedum attritu abſumtus ante quadringentos annos. Hæc verba tamen adhuc repræſentabat. ANNI CHRISTI.

CONDI ... HIC . PIETAS. AMOR.
... JUBAR . INSIG ... GRATUS ...
JULIUS . ECCLESI .... LABORE ....
... AD ... CUM ... LAUDE . T ...

Sed & lapis ille qui tum ſpectabatur, vel temporum diuturnitate exeſus, vel hominum incuria neglectus, aut qua alia de cauſa defoſſus, vel ad uſus alios tranſlatus, nunc eo loci non amplius viſitur.

449. XXIV. S. MAXIMUS.

Leonis papæ 10. *Merovæi regis 2.*

455. XXV. S. DONATUS.

Leonis papæ 16. *Merovæi regis 7.*

464. XXVI. S. SATURNINUS.

Hilari papæ 4. *Childerici regis 6.*

475. XXVII. ELOTHERUS *vel* ELEUTHERIUS

Simplicii papæ 6. *Childerici regis 15.*

Elotherus (ita nomen illius effert priſca ſeries epiſcoporum Avennicenſium) vel Eleutherius (ut legitur in Sanctandreano indice, & codice meo) doctrina, fide, humanitate & honeſtate inſignis, ejuſdem eccleſiæ preſbyter, atque ideo his virtutibus eo culmine dignior, quod nonniſi epiſcopatus apicem gradatim aſcendi ex canone jubebatur.

Quod autem is ſit Eleutherius ad quem Sidon. Apollinaris ſcribit ut nullius certi idonei teſtis teſtimonium evincit, re tamen & temporis & locorum ratione facillime perſuademur; [a] Tornacenſem enim Eleutherium arbitrari, ut conjectat Savaro in epiſt. II. in lib. 6. Sid. id certe mihi, nec aliis probari poteſt, cum Sidonio longe poſterior inveniatur idem Eleutherius Tornacenſis epiſcopus, & nequidem ipſum hoc ævo pontificiam dignitatem capeſſiviſſe ex ipſa temporum circumſcriptione conſtet. Verosimilius eſt Sidonium ad Eleutherium Avenionenſem epiſcopum laudatam epiſtolam ſcripſiſſe: his verbis *Sidonius domino papæ Eleutherio ſuo ſalutem.* Legatur epiſtola ſequens: *Judæum præſens charta commendat* &c.

Et valde utique pro meo ſenſu, quod ibi pro Judæo agit, nam refert Benjamin Tudelenſis in itinerario, qui ante CD. annos ſcripſit, inter urbes, quæ Judæorum ſynagogas habuerunt poſt everſionem Hieroſolimitanæ urbis a Tito, Veſpaſiani imperatoris filio peractam, Avenionem non poſtremam fuiſſe, multoſque illam tunc habuiſſe Iſraëlitas ſapientes ac divites, & familias etiam quaſdam de domo David, & Juda, quas ipſe Veſpaſianus Cæſar in eam tranſtulerat, ubi & adhuc in ſpem futuræ converſionis tolerantur a ſummo pontifice. Codex noſter eximiæ notæ excellentem Elotheri Avenion. epiſcopi virtutem exprimit, cui ſuccinit index Santandreanus dicens, ſub eo eccleſiam Aven. reviviſcere incœpiſſe, quam inſtar feræ depaſtus fuerat Euricus Gothorum rex. ANNI CHRISTI.

XXVIII. JULIANUS [a].

Symmachi papæ 1. *Chlodovei.* 498.

Avenion. cathedram poſt Eleutherum conſcendiſſe ſeptimo a morte ejus die concentus habet antiquarum omnium tabularum ejuſdem eccleſiæ, & indicum Savaronis, & S. Andreæ, nulla prorſus levitate variationis. Electum autem & inauguratum Octobri menſe Julianum, auctor nobis eſt codex accuratiſſimus ac graviſſimus ... Exeunte jam anno a ſuſcepta dignitate decimo ſeptimo, quarto idus Decemb. an. 515. extremum vitæ emittit ſpiritum, nervis ſubito in ſtuporem actis & toto ſenſu deſituro. 515.

XXIX. SALUTARIS.

Hormiſdæ papæ 5. *Childeberti regis III. 2.* 516

Adfuit ſynodo Epaonenſi, cui ſubſcripſit in hunc modum *Salutaris Avennecenſis*: at in codice Pithœano legitur ſic adnotatus, *Salutaris civitatis Avento ſubſcripſit*, quod & pariter habent codices Remenſis & Portarum. At Tilianus, Foſſatenſis, Corbeienſis & Lugdunenſis, quos ſequi mavult Sirmundus, ſic aliter poſt omnium epiſcoporum ſubſcriptiones: *Peladius presbyter juſſu domini Salutaris epiſc. civit. Avennica* [b] *huic definitioni interfui & ſubſcripſi* ... ut ex hinc videas ipſum primo interfuiſſe per ſe ſanctæ ſynodo, & mox non adfuiſſe niſi per delegatum ſuum Palladium preſbyterum. Sub anno quingenteſimo vigeſimo tertio eum mortali vitæ miſiſſe nuntium, illud magnopere perſuadet, & plane in certum datur argumentum, quod Eucherium omnes antiqui indices, Santandreanus, Avnionenſis & Savaronis, codexque noſter pervetuſtus, electum eo ipſo anno, tertio decimo calendas Julii, & evectum ad Avenion. eccleſiæ pontificatum pari fide, & conſpirante ſtilo confirmant. Itaque de Salutari nihil hic amplius, de Eucherio vero hæc quæ ſequuntur.

XXX. EUCHERIUS. 523

Hormiſdæ papæ 10. *Childeberti 10.*

Eucherius evoluto nondum ſuæ electionis anno, Arelatenſi quartæ ſynodo, octavo idus Junias interfuit & ſubſcripſit, ut aperte paret ex codice vetuſtiſſimo conciliorum Carthuſiæ Portarum, in quo leguntur omnium illorum epiſcoporum ſynodo præfatæ civitatis ſubſignantium ſubſcriptiones.

[a] Si conſtaret de Eleutherio Avenionenſi epiſcopo, non rejiceremus D. Polycarpi conjecturam, ſed cum epiſcopatum Eleutheri aſſerant tantum indices, qui certe recentiores ſunt, & unus ex altero deſcripti videntur, nullam merentur fidem. Mirari præterea ſubit Noguerium, & alios qui tam de Avenionenſibus epiſcopis, quam de aliis Provinciæ ſcripſerunt, antiquam vidiſſe laudatos indices, qui ut ita dicam, ad manum erant.

[a] Julianum hunc admittimus, ſed ex conciliorum teſtimonio, maxime Agathenſis anni 506. quæ conſulere debuiſſet D. Polycarpus, potius quam attendere fabulis.

[b] Legendum eſſe *Avennica* non *Avernica* ſupra probavimus.

ANNI CHRISTI. Ex Portenſi cod. MS. ſubſcriptiones epiſcoporum, qui quarto Arelatenſi concilio interfuerunt.

Cæſarius in Chriſti nomine Arelat. epiſcopus definitionem hanc ſanctorum fratrum meorum, & meam relegi & ſubſcripſi. Notavi ſub die octava idus Junias, Opilione viro clariſſimo conſule. Conſumelioſus in Chriſti nomine de Regenſi civitate epiſcopus conſenſi & ſcripſi.

Philagrius in Chriſti nomine Cabellica civit. epiſcopus aſſenſi & ſubſcripſi. Pratextatus in Chriſti nomine eccleſia Aptenſis conſenſi & ſubſcripſi. Eucherius in Chriſti nomine Avennica eccleſia epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Ambigi autem minime poteſt, hunc Avenionenſem Eucherium alium ab Eucherio ſecundo Lugdunenſi archiantiſtite fuiſſe. Probant hoc ſubſcriptiones ſecundi Arauſic. concilii de gratia & lib. arb. poſt 5. annos habiti, ubi ſic legitur: *Eucherius in Chriſti nomine Lugdunenſis epiſcopus eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi.* Et conſequenter nullo intermedio, *Eucherius in Chriſti nomine epiſcopus civit. Avenionenſis conſenſi & ſubſcripſi.* Interfuit etiam an. 527. ſub die octava idus Novembris concilio Carpentoract. & tertius ſubſcripſit. Cum autem annos quindecim in adminiſtratione ſua ſanctiſſima impendiſſet, patribus ſuis eſt additus anno 537. & ſepultus in 537. æde Deiparæ Virginis. Quonam autem menſe quoave die nobis non conſtat, at conſtat ex codice noſtro perantiquo & indice Santandreano, fuiſſe illum ſumme patientem, prudentem, & in erogandis eleemoſynis maxime pium. Et quod inſtante jam reſolutione ſua triduo ante mortem ſuam præviderit, & ſumta euchariſtia ad altare ductus, ibi in pace Deo animam ſuam reddiderit, magno ſui deſiderio apud omnes relicto.

XXXI. ERMENIUS.

537. *Silverii papæ 1.* *Childeberti 24.*

Ermenius, ait antiquus codex, pro Eucherio vita exuto paucis poſt diebus ordinatus & conſecratus eſt a beato Cæſario Arelat. epiſcopo in eccleſia ſanctæ Mariæ Avennicæ, genere quidem Burgundio, profeſſione autem præpoſitus ſive abbas monaſterii ſanctæ Crucis Arelatenſis. Neque dubium ſane quin ad hunc Ermenium abbatem pertineant hæc verba Bonifacii papæ II. epiſtola XIV. ad eundem Cæſarium Arelat. ſcripta an. 530. in confirmationem ſynodi Arauſicanæ ſecundæ; *Per filium*, inquit, *noſtrum Armenium presbyterum & abbatem litteras tua fraternitatis accepimus, quibus credideras poſtulandum &c.* quod vero A. in E. illius ſeculi ſcriptoribus de facili tranſiret, exigua admodum eſt obſervatio... Exeunte menſe Decembri an. 547. ipſe pius Ermenius, cum annos decem & dies aliquot quiete ac beate eccleſiam ſuam adminiſtraſſet, diem clauſit extremum. Antiquior index Santandreanus, hæc de eo breviter & examuſſim ſubjungit: *Ermenius ex converſatione & regimine Arelatenſis monaſterii* ad paſtoralem cathedram Avenionenſis evectus eccleſiæ, *præſul* egregius, prudens, & pervigil fuit, divinæque gloriæ *& beatæ Mariæ virginis Dei matris obſequii ſtudioſus.*

ANNI CHRISTI.

XXXII. ANTONINUS.

548. *Vigilii papæ 9.* *Childeberti regis 35.*

E terris educto Ermenio delectus eſt in ejus loco Antoninus doctus, ſtrenuus, prudens, & ardens fide ac zelo, qui per id tempus in Arauſicana eccleſia archidiaconus multo virtutum lumine radiabat, vide Sammarthanos. Antoninus cum jam quindecim & amplius annis de epiſcopali dignitate ſua, virtutum & meritorum lumine radiaſſet, procurrente ſupra quingenteſimum ſexageſimo tertio, obiit. diem & menſem antiquorum nemo docet. Vir, ait codex noſter auctoritate Santandreani indicis firmatus, propemodum laudum illius notatiuncula, egregia pietate præditus, mitis, caſtus, purus, & animo generoſus; qui multa Avenione ædificia ſacra refecit, & mores clericorum ſuorum nunc privatis monendo ſermonibus, nunc vitæ ſuæ exemplis publiciſque adhortationibus in melius commutavit.

XXXIII. JOHANNES III.

564 *Joannis III. papæ 5.* *Clotarii regis 5.*

Veruſtiſſimus codex noſter docet ipſum Johannem, cum inter ſenatores civitatis Avennicæ, genere, virtute, prudentia, cura etiam & tutela rerum publicarum nobiliſſimus emineret, uxorque ejus e vita nuper exceſſiſſet, in pontificem a clero omni & populo, repente fuiſſe poſtulatum, flagitatumque a Clotario Francorum rege, ſanctæ ut Avenionenſis eccleſiæ gubernacula ſuſcipere cogeretur. Quæ poſtulatio tam juſta digna regi viſa, ut extemplo mandarit eum ſecundum uſus eccleſiæ pontificalibus exornari infulis, epiſcopumque ſacrari per metropolitanum ſuum venerabilem Sapaudum Archimyſtam Arelatenſem, qui præceptum regis magna cum animi alacritate & civitatis Avennicæ exultatione perfecit. Anno autem 590. Johannes vigeſimo ſeptimo ſui præſulatus anno nondum decurſo, menſis Julii decimo ſexto, ad ſupernas evolat ſedes: illatum volunt antiquæ tabulæ & index Santandreanus, ejus corpus multa cum veneratione templo Deiparæ Virginis ante princeps altare. 590.

XXXIV. N...

590. *Gregorii papæ 1.* *Clotarii II. regis 9.* *

Quis fuerit Johannis ſucceſſor nemo unus ex veteſtioribus recentibuſque invenitur, qui vel verbo illum nominet in omnibus hiſtoriis, tabulis, diariis, brevibus, atque matriculis, ſed nec mihi ea vis ut aſſequi poſſim... Hunc tamen anonymum epiſcopum Avennicæ civitatis conſpicio anno 600. ſuis non defuiſſe partibus, circa ſubditos ad virtutem & pietatem erigendos, cum ſecuto proxime ſexcenteſimo primo anno ejus opera collegium canonicorum primum inſtitutum eſt, ſacris cultius ſplendidiuſque peragendis myſteriis, in æde quæ noſtræ Dominæ de Donis nomen habet.

Anno ſexcenteſimo vero quinto e terris eun-

* *Error maximus Polycarpi in regum noſtrorum chronologia.*

dem episcopum morte sublatum fuisse, ex eo A clarum fit quod Dynamius presbyter Massilien-
ANNI CHRISTI. sis, virtute & genere nobilissimus, creatus inau-
guratusque Avenionensis antistes comprobatur quarto mensis Novembris.

XXXV. DYNAMIUS.

609. *Sabiniani papæ 1.* *Clotarii II. regis 18.*

De Dynamio sic habet index Savaronis. Anno autem sexcentesimo quinto, urgente Theoderico rege Dynamius presbyter Massiliæ, qui educatus fuerat in aula Sigiberti regis, & ab eo patricius & præfectus provinciæ creatus, & qui post uxoris suæ obitum Deo se totum voverat, sacerdotiique gradum conscenderat, B dives valde in agris & pecuniis, sed magis pietate & eleemosynis inclytus ordinatur Avenicæ civitatis episcopus, in qua multas ecclesias ac monasteria condidit, quibus dereliquit quæcumque habebat. Et cum sedisset annos viginti duos & menses tres, obiit sancte, & sepultus est in basilica sanctorum Petri & Pauli in qua instituerat claustrum monachorum . . .

Ac demum eo etiam brevius ita Sanctandreanus catalogus: Hinc Dynamius presbyter ordinatus est episcopus an. 605. fuit autem de civitate Massiliæ, sanguine nobilis, sed multo magis religione, antea patricius & præfectus C Massiliensis, dives & potens, regitque ecclesiam Avenionensem annis 22. & aliquot mensibus, facultates suas omnes relinquens pauperibus & ecclesiis quas ædificaverat & sepultus est septimo calendas Januarias in basilica sanctorum apostolorum Petri & Pauli, in qua regulam monachalem posuerat, inter singultus & gemitus suorum omnium, a quibus jure merito colebatur ut sanctus. Hæc index.

Paulo fusiori & politiori stylo hæc omnia prosequitur vetus codex noster probatissimæ fidei, ut refert subsequens epitaphium Dynamii episcopi: D

Tu qui pergis, siste, & perlege quis fuit iste
Præsul, honor sedis Dynamius hujus & edis;
Regibus & populis spectabilis & specialis.
De cunctis gratus pro nomine patriciatus:
Sed qui postremo cupiens servire supremo,
Amplius haud heros, humili sed mente sacerdos,
Atque bonum verum liber phantasmate rerum
Sectari, meritis Christi de munere mitis,
Contentus mire, mox omnia jussit abire.
Noster hinc dignus pastor pius atque benignus,
Justitiæ cultor, scelerum sapiens reserator, E
Pacis servator, speculum gregis & speculator,
Pra cunctis humilis, cunctis clarus, sibi vilis.
Quapropter plora, quia flendi jam venit hora.
Sancta domus cum te dimisit, qui te beate
Pervigili cura curabat & memor ora.

DEPOS. EST SUB DIE NONO CAL. JANUAR. INDICT. XV. ANNO REGNI D. N. CLOTARII XXXX. EPISCOPATUS XXII. VIXIT PL. M. LXXIIX.

Exstant apud Venantium Fortunatum lib. 6. carminum versus hi ad Dynamium Massilien.

Exspecto te noster amor venerande Dynami, &c.

Quos leges ibidem.

Exstat etiam epistola divi Gregorii Dynamio & Aureliæ per Franciam & Galliam inscripta quæ sic incipit: *Scriptorum vestrorum pagina lectione percursa, &c.* ANNI CHRISTI. *Greg. Regist. lib. 5. ep. 6.*

XXXVI. O...

Honorii papæ 3. *Clotarii II. regis 42.* 628.

Quid O. unica littera significet aut quem designet nescio. Suspectam tamen non habeo, nec tanquam huic loco insertam temere, cum in antiquis indicibus & pervetustis membranis uno veluti calamo videatur adscripta.

E terris ergo cum mors in cœlum sustulisset Dynamium, votis suffragiisque electus O. presbyter ejusdem ecclesiæ creatus antistes. Egregia, inquiunt indices codexque antiquus, eum morum comitas, & dignitas corporis, & præstans doctrina condecorabant, sed magis illa singularis illustrabat munificentia in eos, ... ut pater pauperum vocaretur.

Sub illo pariter reperio Avilonem quemdam 630. virum illustrem & prædivitem civitatis Avenicensis, cum liberos nullos haberet, possessionum suarum ecclesias & monasteria heredes fecisse, & villam *Marzoscum* cum omnibus beneficiis & juribus suis per eundem O. . . episcopum obtulisse altari sanctæ Mariæ de Donis anno Domini 630. calendis Septembris. Donationis hujus breviarium, præclarum sane vetustatis monumentum, apud me est cum multis aliis quæ deinceps laudaturi sumus.

Cum jam undecim annis sedem Avenionensem tenuisset O. . . obiit anno sexcentesimo trigesimo-nono, fuitque sepultus in cujusdam monasterii ecclesia quam ipse nuper sub tutelari Deiparæ Virginis Mariæ nomine consecrarat, & rebus omnibus quæ ad divinum cultum religioso ritu peragendum opportunæ videbantur, instruxerat.

XXXVII. R...

639. *Severini papæ 1.* *Dagoberti regis 8.*

Electus R... Avennicensis antistes anno sexcentesimo trigesimo-nono, mense Julio, ut referunt vetteres indices Sanctandreanus & Savaronis, rebus probe prospereque gestis prædecessori suo non inferior fuit, quin & ecclesiam suam majoribus in dies auctam opibus, purioribus etiam cultibus voluit frequentari & honorari, exardescentibus ad ejus exemplum canonicis & populo ad pietatem facto. Episcopum R... anno 654. pridie calendas Maii fatis ab- 654. sumtum ex vetustis tabulis cognoscimus, & corpus ejus non sine luctu suorum in æde Deiparæ Virginis juxta antecessorum tumulos terræ mandatum.

XXXVIII. S. MAGNUS.

654. *Martini papæ 6.* *Clodovei II. regis 7.*

Indices natum illum Avenione, ex illustri Albinorum familia, Albino patre patricio & rectore Provinciæ post Jovinum sub Sigeberto rege Austrasiæ & Burgundiæ, ac demum Uceticensi episcopo, docent.

Interfuit anno 656. concilio Cabilonensi sub 656. Clodoveo II. & ei subscripsit his verbis: *Ma-*

ANNI CHRISTI. *gnus epiſcopus eccleſiæ Avennicenſis ſubſcripſi.* Ita A enim diſerte & vera plane ſcriptura refert liber Portenſis reverendæ admodum vetuſtatis, & non ut profert editio vulgata Binii : *Magnus epiſcopus eccleſiæ Attrebatenſis* tom. II. concil. gener. parte II. pag. 519.

Magnus cum annum 12. pontificatus explesſet feliciter, obiit vigeſimo-nono Auguſti anno
666. 666.

XXXIX. S. AGRICOLUS, *vel* AGRICOLA.

Vitaliani papæ 12. *Clotarii III. regis 3.*

668. Vide Sammarthanos. Codex autem noſter hæc habet : *Agricola in pace reddidit ſpiritum* B *placidiſſimum in ſomnum quaſi reſolutus anno* 700. *tertia* * *die menſis Septembris cum eſſet annorum* 70. *ad cujus tumulum in ade primaria Avennica repoſitum, crebro multi agroti ſanitatem ſunt conſecuti, & damonia ſæpe ejecta, cæco etiam viſus eſt reſtitutus.* Hæc codex.

700. * Ceteri habent *ſecunda.*

706. XL. S. VEREDEMUS, *vel* VEREDIMIUS.

Sergii papæ 13. *Childeberti II. regis 3.*

Vide Sammarthanos. Exſtat ejus epitaphium poſitum cura ſucceſſoris illius Domni ad tumulum ejus in æde Dei Virginis matris Mariæ in hæc verba quæ leguntur etiam in codice Anianenſi litteris Romanis :

VEREDIMIUS XRI. FAMULUS ET SANCTUS ECCLESIÆ AVEN. EPISC. HIC PAUSAT IN PACE, QUA VIXIT PLUS MINUS LXI. AN. DEPOSITUS XV. KAL. JULIAS EPISCOP. SUI XXII. INDICT. V. ANNI CHRISTI.

XLI. DOMNUS.

Gregorii II. papæ 3. *Chilperici II. regis 1.*

Antiquis omnibus tabulis præteritus Domnus 722.
nunc in lucem prodit beneficio præfati codicis Anianenſis & indicis Savaronis. Iſte in hæc verba : *Veredemio ſancto fine depoſito Domnus eodem anno, nempe ſeptingenteſimo vigeſimo-ſecundo, ex abbate monaſterii ſanctorum Petri & Pauli apoſtol. cleri ac populi calculo ſublegitur, & ſacratur ejuſdem civitatis epiſcopus : ſacerdos præclarus qui egregie rexit eccleſiam ſuam & exemplo bonæ vitæ præfuit.*

Annum & diem pariter obitus Domni ſilent omnes tabulæ & indices. Fateor tamen veri prorſus videri ſimillimum an. 743. mortuum, quo Savaronis & Sanctandreanæ nomenclaturæ innominatum N. conſtituunt ejuſdem ſedis pontificem.

Plura ex opere D. Polycarpi decerpere inutile judicamus, quando ex his paucis poteſt facile de eo toto judicari.

ABBATIÆ ET VETERA MONASTERIA URBIS ET DIOECESIS AVENIONENSIS.

DE VETERIBUS ABBATIIS QUAE NON AMPLIUS EXSTANT.

I. S. Agricoli. CUm S. Agricolus Avenionenſis epiſcopus eccleſiam urbis anguſtiorem eſſe cerneret ut tunc Chriſtianos poſſet capere, aliam conſtrui curavit, cujus adminiſtrationem de- D dit monachis Lirinenſibus ſuis olim ſodalibus ; ipſiſque abbatem præfecit, ut jam diximus in ſancto Agricolo, poſt vitæ ipſius ſcriptorem. Hæc abbatia fundata ſeptimo ſeculo deſinente, quandiu in hoc ſtatu perſeveraverit neſcimus.

II. S. Verani. Monaſterium ſancti Verani in ſuburbio Avenionenſi, vulgo *ſaint Veran*, monialium ord. S. Bened. conditur a Guigone comite Forcalquerii anno circiter 1140. adjunctum ineunte ſeculo XVII. parthenoni ſanctæ Praxedis in urbe Avenionenſi ord. Dominicani. Hæ S. Verani abbatiſſæ nobis occurrerunt. E

Tyburga abbatiſſa S. Verani ex moniali S. Laurentii Avenion. his verbis memoratur in necrol. S. Laur. IV. *nonas Januarii obiit Willelmus Carquerius frater Tyburgæ abbatiſſæ S. Verani monachæ noſtræ.* V. *id. Jan. ob. Tyburga, abbatiſſa S. Verani, de Clareto.*

Epiſcopi. Item XVII. *cal. Junii ob. domina Bertranda Gaufrida monacha noſtra & abbatiſſa S. Verani.*

In obituario vero monaſterii S. Catharinæ Avenion. hæc de cœnobio S. Verani leguntur :

VII. *cal. Sept. obiit ſoror Iſnarda prioriſſa S. Verani.*

X. *cal. Nov. obiit domina Janivera de Monte-falcone abbatiſſa monaſterii S. Verani.*

III. Monaſterium B. Mariæ de Furnis juxta Po- III.
dium-altum ad ripam Rhodani, vulgo nuncupatum *Fours les-Pujault*, monialium ordinis Benedictini duobus milliaribus ab Andaone cœnobio, & tribus ab Avenione diſtans, conditur anno 1238. a Calveria abbate Andaonenſi & Mabilia de Albarono ſanctimoniali, ut infra dicturi ſumus.

Firmavit & approbavit hujuſce parthenonis fundationem ac dotationem Innoc. papa IV. brevi dato Lugduni VII. id. Septembris, pontificatus anno 3. Jam anno 1262. in abbatiam aſſurrexerat, in qua moniales ad annum circiter 1368. perſeverarunt, quo ab piiſſimo Anglico Grimoardi Urbani papæ V. fratre & epiſcopo Avenionenſi in urbem recipiuntur, quibus ea in civitate idem pontifex Avenion. cœnobium conſtrui juſſit, quod poſtmodum anno 1428. unitum eſt collegio cardinalis Oſtienſis, dicto S. Nicolai, brevi pontificio Martini papæ V. Romæ X. cal. Febr. dato, & die 18. Julii ejuſd. anni dictum collegium in realem hujus abbatiæ poſſeſſionem inducitur. Huic autem parthenoni tum prioriſſæ tum abbatiſſæ præfuerunt.

Domina Mabilia, ſeu Mabilta de Albarone filia Petri de Albarone. Primum nupſerat N.

Digitized by Google

Raimundo militi, e quo Berengarium Raimundum militem suscepit; demum vidua initium dedit Furnorum cœnobio, volente opemque ferente Calveria abbate Andaonensi, qui & hanc ipsi cœnobio præfecit. Defuncta est in ipsis domus exordiis, testante veteri inscriptione quæ hactenus in marmore ad lævam ostii basilicæ insculpta legitur his verbis: † *Anno ab incarnatione Domini* 1238. *pridie non. junii obiit domina Mabilia filia Petri de Albarono qua constituit istud monasterium feria* 6. *luna* 1. *In ipsa die sol passus est eclypsim.* Hujus meminit necrol. Andaonense II. nonas Junii his verbis: *Obiit domina Mabilia prioriſſa de Furnis.*

Esquiva, de qua in necrol. S. Andreæ: XVII. *cal. Nov. obiit Esquiva prioriſſa de Furnis.*

Alasacia obiit VII. cal. Martii ex necrol. Andaon. ubi abbatissa nuncupatur.

Bertranda Roberta electa in abbatissam de Furno confirmatur a B. abbate S. Andreæ Avenion. IV. idus Nov. an. ab incarn. 1303. de qua sic habet obituarium Andaonense: IX. *cal. Febr. depositio Dom. Bertrandæ abbatiſſæ de Furnis.*

Dulcia de Videna ex moniali de Furnis abbatissa electa confirmatur a Bertrando abbate S. Andreæ an. 1310. 3. Junii.

Johanna abbatissa B. M. de Furnis 5. Jun. anno Domini 1345. quædam permutat cum Bertrando de Moriez monacho S. Andreæ, &c. de facultate Armandi abbatis.

Abbatia de Furnis apud Avenionem, suppressa abbatiali dignitate, traditur exsecutoribus testamenti Johannis cardinalis Ostiensis episcopi, ad fundandum ibi collegium, translatis quæ supererant quatuor monialibus ad monasterium S. Urbani papæ cum sui monasterii facultatibus. Vide chartam fundationis hujus collegii, quæ est XXVIII. in probat. col. 1.

Monasteria quæ pristinum adhuc retinent statum sunt,

Andaonense S. Andreæ ord. S. Benedicti secus Avenionem.

S. Laurentii feminarum ord. S. B. in urbe.

S. Catharinæ fem. ord. Cisterc. in urbe.

S. Honorati Tarasconensis fem. ord. S. Benedicti,* de quibus sigillatim.

NOBILE SS. ANDREÆ, MARTINI ET CÆSARIÆ MONASTERIUM, in Monte-Andaone; vulgo *S. André de Villeneuve lez-Avignon.*

MOnachorum est ordinis Benedictini in vertice Andaonis montis, ad ripam Rhodani, in suburbio Avenicæ civitatis, & ad fines Gothiæ situm.

Quos authores, quove seculo initium habuerit haud satis scitur. Hoc solum constat ex litteris Hildeberti Avennicæ civitatis episcopi anno MVI. datis, quod in præfato Andaonensi monte *Censio* inibi congregata multos monasticam vitam per annos duxerit; sed a quibus postea dissipata fuerit penitus ignoratur. Hunc locum confecrarat pia vita sancta Cæsaria recluſa, quæ florebat sub Johanne Avenionensi episcopo. Obiit autem initio pontificatus Valentis ejus successoris, qui eam ibidem sepelivit an. 587. Demum vero anno circiter 980. ope Warnerii Avenionensis antistitis, Andaonensis domus e ruderibus assurrexit, cui monachos & incolas dedit. Exstat Spicilegii tom. VII. p. 100. testamentum Girvini & uxoris Constantiæ, quo cedunt quidquid possidebant in quibusdam pagis monasterio in honore sancti Andreæ & S. Martini in monte Andaone constructo, ubi domnus abbas Martinus præesse videtur. Facta charta mense Novembri an. MVI. Anno 1024. mense Novembri ecclesiæ sancti Andreæ superaddita fuit basilica sacra sancto Martino, in cujus dotalitium Stephanus vir potens & Garsennis uxor ejus, ac filii, mansum in Cavairaco villa, vallo Anaga, comitatu Nemosense, & alii alia contulere. Dominium montis Andaonis & territorium adjacens, aliaque bene multa donaverunt comites Tolosani, unde & cœnobii fundatores appellantur in necrologio ad III. nonas Decembris. Et IV. nonas Decembris nobilium & potentum dominorum Raimundi (tertii cognomento Pontii) comitis Tolosani, & ejus filii (Guillelmi) fundatorum hujus monasterii mentio fit in antiquiori necrologio, sed recentiori manu.

In Andaonensi monte olim delubrum Silvano sacrum exstitisse, innuit lapis altari sacelli sanctæ Cæsariæ deinde subjectus. Montem Andeonem reges Francorum muris & turribus munierunt in modum arcis, quæ Rhodano undique alluitur, nisi qua Villam-novam attingit. Huic autem cœnobio Warnerii præsulis ope restaurato præfuere hi abbates.

SERIES ABBATUM.

I. Martinus anno 999. quo Gregorius papa V. confirmavit monasterium Andaonense & commutationem montis in quo situm est cœnobium. In his pontificiis litteris patronis monasterii SS. Andreæ & Martino additur S. Michaël. Anno 1006. Heldebertus Avenionensis præsul cessit ecclesiam sancti Petri de Aleriaco minore; exstant litteræ editæ Spicil. tom. VII. p. 197. & seqq. An. 1009. concessa Andaonensi cœnobio, cujus initia refert, confirmat idem Heldebertus. An. 1014*. Inguilrannus Cavallicensis episcopus ecclesias in monte Tozonis, monitu domini papæ Johannis, & supplicante confratre * suo domno abbate Martino, monasterio Andaonensi confirmavit ac omnino dimisit. Universæ carnis viam ingressus est II. cal. Julii, ex necrologio Andaon.

II. Raimoardus Martino sufficitur, quo regente Ricaus & frater ejus Hugo, uxor Ameradis, & filii Petrus ac Willelmus, ecclesiam S. Bartholomæi de Sonegos concessere an. 1014. Ecclesia secunda dedicata fuit mense Novembri in honorem sancti Martini; pro cujus ecclesiæ dotalitio mense Novembri Stephanus & uxor ejus Garsinnis, ac filii, dederunt mansum in villa Cavairaco, in valle Anaga & comitatu

* *al.* 24. quod quadrat indictæ VII.

* *al.* fratres

a Præterea Johan. XXII. meminit monasterii ord. S. Claræ apud Avenionem conditi, & abbatissarum Alasiæ de Silvana, ac Berengariæ de Corvo post Alasiæ obitum electæ. *Vide in Gestis archiep. Arelat.*

Nemoſenſe, Rainoardo abbati. Sub ejus regimine monachum induit ſanctus Pontius, poſtea abbas, de quo infra. Obiit autem Rainoardus II. id. Nov. ex necrologio.

III. Raimundus[a] I. an. 1046. interfuit concilio Arelatenſi, ut leges collect. Coſſartianæ, tom. IX.

IV. Ermengardus, quo ſedente Roſtagnus I. epiſcopus Avenionenſis dedit eccleſiam de Juncariis an. 1050. Obiit VIII. cal. Maii, ex D. Suares.

V. Gaufredus Pelet abbas ſancti Andreæ legitur in necrologio parthenonis ſancti Laurentii Avenionenſis IV. cal. Aug. At quo tempore ſederit chartæ non docent. Eodem die in necrologio Andaonenſi occurrit memoria Petri abbatis.

VI. Rolandus annis 1059. & 1063. quo ceſſit in fata, die ultima Aprilis, ſic enim habet necrol. Andaonenſe: II. *cal. Maii depoſitio domni Rotlandi abbatis noſtri.*

VII. S. Pontius cum patre & fratre Deo mancipatur in S. Andreæ monaſterio, medio circiter ſeculo XI. ubi abbas eligitur. Obiit die 26. Martii an. 1087. Ejus vitam ſcripſit Raimundus monachus ejuſdem loci, qui ſub S. Pontii diſciplina vixerat. Sed cum nihil in hac lucubratione noter ſcriptor, præter miracula, hæc pauca ſufficiant. Exſtat hæc vita ſeculo VI. Benedictino, parte II. p. 493. cui noſter Mabillon. pro more doctas præmiſit obſervationes. Obiit ſanctus Pontius IX. cal Aprilis.

VIII. Petrus I. 1087. mortuo[b] Pontio abbas eligitur. Anno ſequenti, Raimundus Toloſæ comes, dux Narbonæ, marchio Provinciæ podium Andaonenſe ubi monaſterium ædificatum eſt, & villam adjacentem, ſicut anteceſſores ſui dederant, laudavit, confirmavitque Petro abbati. Anno 1096. Urbanum II. ſummum pontificem hoſpitio excepit in monaſterio Andaonenſi XI. cal. Auguſti, in quo brevi apoſtolico ea quæ Raimundus comes Toloſ. aſcetterio S. Ægidii in valle Flaviana donaverat confirmavit; itemque renovavit privilegia monaſterii Andaon. Editum eſt hoc breve in uberrimi Spicilegii tom. V. pagg. 21. & 22. An. 1111. pepigit Petrus cum Geraldo Amici. Eodemque circiter tempore Roſtagnus epiſcopus Avenionenſis dedit eccleſiam ſancti Remigii eidem abbati, qui baſilicam demum S. Andreæ abſolutam, idibus Decembris, *al.* Octobris, an. 1118. a Gelaſio papa II. conſecrari curavit. An. ſeq. 1119. indict. XII. XIII. cal. Jan. diploma tuitionis ab eodem ſummo pontifice obtinuit. Anno 1125. indict. tertia III. nonas Maii, Gantelmus, Petrus & Iſnardus Conſtantiæ filii, huic abbati quædam vendiderunt; ſubſcripſit Laugerius epiſcopus Avenionenſis. An. denique 1131. fato functus eſt IV. cal. Auguſti, & ad limen baſilicæ ſancti Martini ex parte meridionali in fornice I. ſepelitur, in qua hactenus legitur: *Petrus abb.* Hunc e gente Alberti ortum eſſe notat necrologium parthenonis S. Laurentii Avenionenſis his verbis: *Quinto idus Octobris obiit Petrus Alberti abbas ſancti Andreæ.*

IX. Geraldus de Podio-alto, vulgo *de Pujaut*, e gente militum Podii-alti, Andaonenſi monti vicina ortus, cui an. 1133. Arifonſus comes Toloſæ, dux Narbonæ, &c. Andaonenſe Podium confirmavit, villam de Angulis & alia quædam ceſſit, quæ quidem iterato idem comes dimiſit annis 1140. & 1142. An. 1143. breve obtinuit ab Innocentio papa II. in quo cœnobii Andaonenſis prædia enumerantur & confirmantur. Anno 1147. petente eodem abbate Geraldo, conceſſa Andaonenſi cœnobio privilegia bonaque recenſuit & firmavit Eugenius III. Obiit demum an. 1154.[c] idibus Aprilis, qua die necrologium hæc habet: *Depoſitio domni Gui. de Podio-Alto abbatis noſtri*; al. VIII. *idus Julii depoſitio domni Geraldi monaſterii ſancti Andreæ abbatis.*

X. Pontius II. de Clareto, *al.* de la Vero, abbas jam anno 1154. legitur, quo Gaufredus Avenionenſis epiſcopus compoſuit litem inter Alfandum Cavallionenſis eccleſiæ epiſcopum, ejuſque clericos una ex parte, ac Pontium monaſterii S. Andreæ abbatem, ejuſque monachos ex altera; exſtat Spicil. tom. VII. p. 207. Anno 1156. clientelaris fides ipſi præſtatur pro parte caſtri de Roca-curba ab .... & Hugone fratre ejus cum matre ſua. Anno 1157. nobilis domina Alaſais de Roca-maura & Guillelmus ac Petrus filii dederunt ſtagnum de Podio-alto & alia prædia pro *monachando* Pontio de Roca-maura, altero præfatæ Alaſiæ filio. Anno 1160. Guillelmus Aptenſis epiſcopus eccleſias ſuæ diœceſis confirmavit. An. 1164. eccleſias Pouſillaci & ſancti Privati jure commutationis eccleſiæ de Cruas, a Raimundo epiſcopo Uticenſi comparavit. Eodem an. 1164. Guillelmus & Petrus de Roca-maura cum ſua matre Azalaicia, convenerunt Pontium abbatem, & monaſterio contulerunt quidquid habebant in Jaxia, in gratiam Pontii de Roca-maura fratris ſui, qui ibidem *monachatus eſt, & deſeruit matri & fratribus hereditatem ſuam.* Vide tom. VIII. Spicilegii p. 196. An. 1171. G. Calveti donavit ſe Deo & beato Andreæ in morte & in vita in manu Pontii abbatis, deditque vineas quaſdam in clauſo dicto Calveti. Sub finem hujus anni, morte ſublatus eſt Pontius abbas V. calend. Sept. qua die memoratur in necrologiis tum Andaonenſi, tum parthenonis S. Laurentii Avenion.

XI. Raimundus II. *al.* Trimundus 1171. & 1175. memoratur. Pleraque ædificia regularia, præſertim dormitorium ac refectorium opitulante matre, aut a fundamentis conſtruxit, aut reſtauravit. Anno 1175. Trimundus abbas quædam emit a Pontio Ebrardi & Bernarda uxore in territorio de Junqueriis. Anno 1176. pactum fecit de quodam *faſcio* in loco Junqueriarum. Hujus meminerunt necrologia tum S. Andreæ, tum parthenonis ſancti Laurentii

[a] D. Suarez Avenionenſis Rainoardo ſupponit Eminum, quem obiiſſe dicit VII. cal. Mau, & Ermengaudo Giſonum X. cal. Novembris defunctum.

[b] Petrus excepit ſanctum Pontium in abbatiali dignitate, ut docet laudatus ſcriptor, qui aut ſe ad ſcribendam S. Pontii vitam fuiſſe ab ipſo invitatum.

[c] Guiraudus abbas menſe Decemb. an. 1154. in charta Anſoe Toloſæ comitis, &c. caſtrum de Liraco eccleſiæ & prioratui hujus nominis largientis.

Avenionenſis nonis Septembris.

XII. Willelmus I. de Podio-alto Geraldi nepos, ex monacho Andaonenſi decanus, & ex decano abbas inſtituitur. An. 1178. ad ipſum breve direxit Alexander papa III. Laterani, nonis Junii, pontific. an. 19. quo poſſeſſiones Andaonenſi monaſterio conceſſas enumerat & confirmat. Menſe Aug. anni 1180. Iſnardus de Gargaja e proceribus Raimundi ducis Narbonæ, &c. habitum religionis in monaſterio ſancti Andreæ ſuſcipiens, omne jus quod habebat in caſtro Podii-alti Guillelmo abbati conceſſit per manum dicti Raimundi comitis, qui donationem hanc confirmavit diplomate quod habes Spicilegii tom. VIII. Anno 1182. controverſiam quæ vertebatur inter ipſum & Raimundum Gaufredi de pignore Junqueriarum, Roſtagnus Avenionenſis epiſcopus terminavit. An. 1189. menſe Maio, emit nonnulla a Gaufrida Multemoria relicta Iſnardi Mataroni, in inſula quæ ſita eſt juxta alveum qui dicitur Mota. Eodem anno Raimundus comes Toloſanus, &c. Bertrandum Jordanum filium Bertrandi Guillelmo abbati pro monacho dedit, & omnia jura quæ ipſe Bertrandus habebat in caſtro de Podio-alto. Anno 1195. menſe Aprili quaſdam cum Roſtagno Avenionenſi epiſcopo commutavit eccleſias de conſenſu R. præpoſiti & canonicorum, &c. Migravit a ſeculo idibus Aprilis, eodem anno ex necrologio. Jacet in clauſtri parte ſeptentrionali in fornice ultima, in cujus lapide ſepulcrali hæc verba leguntur: *G. de Podio-alto.*

pag. 200.

XIII. Bermundus de Clauſonne de ſancto Ægidio an. 1197. menſe Martio convenit cum B. P. & G. Blancadis fratribus, quod medietatem in obventionibus quæ contingerent molendino territorii de Junqueriis haberent. Anno ſequenti menſe Maio a Roſtagno de Parco tres ſolidos cenſuales, quos ei Guillelmus abbas Bermundi prædeceſſor dederat, comparavit pretio 70. ſolidorum Raimundenſium novorum. An. 1202. quaſdam eccleſias titulo permutationis accepit a Bermundo Cavallicenſi epiſcopo. An. 1203. dedit Raimundo de Agouto, Vallis-ſaltus dynaſtæ, podium ſancti Martini, ad caſtrum conſtruendum certis conditionibus. Anno 1207. 1. Auguſti obtinuit diploma a Raimundo Toloſæ comite, ut juſtitias ſeu firmantias villæ de Thoſon monaſterio reſtituerent Ge ..... Amicus per ſe & ſucceſſores ſuos, B. Cavallicenſis epiſc. &c. teſtibus G. Avenionenſi epiſc. P. abbate S. Guillelmi (diœceſis Lodovenſis in Septimania) &c. Anno 1214. memoratur in quodam inſtrumento Bertrandi epiſcopi Cavellicenſis. An. 1216. dat licentiam xenodochii in villa de Thoro conſtruendi, ea lege, ut cum conſenſu & voluntate abbatum S. Andreæ & prioris de Thoro conſtitueretur, & ipſius adminiſtrator obedientiam promitteret, tanquam monachus S. Andreæ. Et certe an. 1219. menſe Sept. ipſi obedientia præſtatur pro hoc xenodochio. Ad ipſum reſcripſit Honorius papa III. & prædia Andaonenſi cœnobio conceſſa confirmavit brevi dato Viterbii 11. idus Dec. pontific. an. 4. Idem Bermundus dedit regi S. Ludovico medietatem totius juſtitiæ villæ ſancti Andreæ, a quo in compenſationem quatuor libras Turonenſes ſingulis annis ſolvendas recepit, 1216. menſe Sept. ex regio Carcaſſ. tab.

Spicil. tom. III. p. 113.

XIV. Willelmus II. Cepionis, ſeu Capio anno 1219. menſe Aprili Audæ prioriſſæ monaſterii ſancti Petri de Podio Auraſicenſi concedit eccleſiam ſancti Carterii præſente Amico epiſcopo Arauſicenſi. Eodem anno Campumrotundum cœnobio ſuo vindicavit contra fratres hoſpitalis S. Johannis in Arauſica. An. 1232. IV. cal. Nov. decimas territorii de Valerga recuperat. Vivere deſiit anno 1233. II. non. Nov. & in fornice lateris clauſtri aquilonaris ſepultus eſt, in cujus ſepulcrali lapide hæc leguntur: *W. Cepionis.*

XV. Calvaria, ſeu Calveria de Clauſonne, Bermundi abbatis nepos, an. 1234. Cæciliæ ſanctimoniali dedit eccleſiam ſanctæ Crucis ſitam in epiſcopatu Aptenſi & territorio de Roſſillono ad conſtruendum puellarum monaſterium, ut fuſe leges in litteris ceſſionis, quas habes in Spicil. tom. VII. fol 266. & ſeqq. Furnenſi prathenoni quoque initium dedit an. 1239. Calvarii abbatis meminit ſententia lata in ejuſdem cœnobii gratiam a judicibus quos litigantes elegerant, Bermundus epiſcopus Avenion. abbas ſancti Andreæ, ac prior de Liraco. Exſtat in tabulario Rupis-fortis, dataque legitur pridie idus Maii anno MCCXXXVI. Ejus tempore reditus adeo decreverant propter hoſtium incurſus, ſterilitatem & Rhodani inundationes, ut ad expenſas neceſſarias ſufficere non poſſent. An. 1243. IX. cal. Auguſti clientelæ profeſſionem excipit a Roſtagno de Cadaleto, & Ponceto de Cadaleto, pro Boſcairaria quam poſſident in inſula de Pulveriis. Anno 1248. II. idus Junii bona quædam recuperat a G. & Guiraudo de Bello-monte. Anno 1251. ſtatuta conduntur ad inſtaurandam in monaſterio ſancti Andreæ diſciplinam, quæ leges tom. VIII. Spicil. pag. 236. An. 1257. Raimundum de Auronis priorem S. Vigoris de Adano procuratorem ſuum inſtituit ad eccleſias ſancti Petri de Cannona & ſancti Laurentii de Gebardello Aquenſis diœceſis repetendas. An. 1261. vel 1263. idibus Novembris fratri Raimundo contulit eccleſiam ſancti Petri de Caſtelleto. Denique ad meliorem vitam demigravit VI. cal. Maii, ex necrol.

XVI. Bertrandus Augerii an. 1259. idibus Januarii, quo Galburgis in abbatiſſam ſanctæ Crucis Aptenſis electa ſine ejus conſenſu, ipſo conquerente apud P. Aptenſem epiſcopum, dignitati renuntiat, quam, approbante poſtea Bertrando, reſumit. Anno 1263. idibus Maii, quædam cum Roſtagno de Cadaleto permutavit. Anno 1265. Guigoni Juſtanto eccleſiam ſancti Petri de Caſtelleto Regenſis diœceſis gubernandam tradit. Obiit VIII. cal. Dec. ex necrol. tum S. Andreæ tum S. Laurentii Aven.

XVII. Roſtagnus Rebelli eccleſias quatuor recuperat XIII. cal. Martii 1266. quibus ſtatim regendis providit Raimundum de Vedena monachum, probante Raimundo Carpentoractenſi epiſcopo. Ad ipſum Clemens papa IV.

breve reſcripſit quo decedentibus vel cedentibus clericis eccleſias monaſterii habentibus, monachos poſſet iiſdem præficere, nonis Aprilis, *al.* id. Julii, pontificatus anno 3. Vitam denique cum morte commutavit XIV. cal. Octob.

XVIII. Petrus II. Gaufredi, an. 1269. VI. nonas Martii, infirmariæ Andaonenſi eccleſiam ſanctæ Aulariæ, *al.* ſanctæ Eulaliæ Auraſicenſis, uniri obtinuit a P. epiſcopo & capitulo Auraſicenſi. Eo ſedente Bertrandus de ſancto Martino monachus & decanus ſancti Andreæ renuntiatur an. 1271. S. R. E. cardinalis, poſtea vero archiepiſcopus Arelat. de quo plura apud Saxium. Defunctus autem eſt Petrus Gaufredi IV. cal. Auguſti 1271. de quo in necrologio hæc leguntur: IV. *cal. Jan. tranſlatio domni Petri Gaufridi abbatis noſtri.*

XIX. Petrus III. de Monte-Urſorio (*Montouſier*) ex abbate ſancti Euſebii Aptenſis, a Bertrando Arelatenſi archiepiſcopo & Raimundo Avenionenſi epiſcopo per compromiſſi viam abbas ſancti Andreæ ſub initium menſis Sept. anni * *al.* 1270. 1271*. eligitur; cui electioni de ſe factæ aſſenſum præbuit pridie idus ejuſdem menſis & anni. An. ſeq. id. Sept. quædam permutat cum Petro Audeberto priore clauſtrali. An. 1275. XVI. cal. Sept. ſacramentum fidelitatis excipit a Raimundo Iſnardi de Thoro domicello pro caſtro de Thodone. An. 1277. cal. Maii Pontium Vitalem juriſperitum creavit judicem primarum appellationum in tota terra ipſius monaſterii. An. 1282. IV. idus Aprilis tranſegit cum Raybaudo Cote domino de Monte-bruno, ratione decimarum prioratus Bruni ab eodem toparcha debitarum. Eodem anno IV. id. Februarii quædam ſtatuit pro victualibus ipſius conventus. An. 1285. XI. cal. Octob. fratrem Gaufridum de S. Michaële S. Andreæ monachum eccleſia ſancti Chriſtophori diœceſis Aptenſis donavit. An. 1287. rectoriam S. Mariæ de Verunis in Aquenſi archiepiſcopatu fratri Jacobo S. Andreæ monacho largitus eſt. Memoratur & an. 1290. quo eccleſiam de Tolorencho fratri Roſtagno Alfanti contulit. Hujus tandem depoſitionis dies annotatur in necrologio III. idus Decembris.

XX. Bertrandus de Lauduno e monacho & ſacriſta abbas electus, an. 1291. idib. Martii pepigit cum utroque conſule & hominibus caſtri de Podio-alto, ſuper eccleſia S. Veredimii. An. 1292. V. idus Julii cum Adamo ſeneſcallo Bellicadri & Nemauſi nomine regis convenerunt ipſe & monachi, quod aſſociarent dominum regem in tota juriſdictione civili & criminali quam habent in caſtro & villa dicti monaſterii, & in villa de Angulis, &c. Rex vero aſſociat abbatem & conventum in feudis, retrofeudis, juriſdictione, pedagio, villæ de Tavellis & ejus diſtrictu, & in feudis quæ habet in prædictis villis de ſancto Andrea & de Angulis. *Actum an. Dom.* MCCXCII. *menſe Septembri.* Subſcribunt D. Petrus Audiberti prior clauſtralis, D. Petrus Alphanti decanus, Raimundus Boydonerii, prior Rupis-fortis, Roſtagnus de Aramone infirmarius, & multi alii. Humanis rebus exemtus eſt 2. Martii an. 1293. ab incarnatione.

XXI. Bertrandus II. Raybaudi vel Raimbaudi, an. 1294. VI. idus Maii, ex monacho & camerario ſancti Andreæ in abbatem electus, confirmatur ab Andrea Avenionenſi epiſcopo. Eodem anno 7. Decemb. territoriis ſancti Andreæ & caſtri de Angulis de conſilio virorum prudentum finés adſcribit. An. 1295. IV. cal. Octobris ad ipſius nominationem Roſtagnus Aquenſis archiepiſcopus admiſit ad prioratum eccleſiæ de Ladaracha fratrem Bertrandum de Avenione ſancti Andreæ monachum. Bonifacius papa VIII. confirmat ipſi privilegia monaſterii XV. cal. Maii anno pontificatus 2. An. 1297. XIV. cal. Decembris Bernardus Conertus abbas Vallis-bonæ diœceſis Graſſenſis, attendens quod per R. in Chriſto patrem Bertrandum abbatem monaſterii ſancti Andreæ Avenion. & conventum ſuum omnes defectus prædicti Vallis-bonæ monaſteri valeant in melius reformari, illud ſubjecit monaſterio S. Andreæ. Alterum a Bonifacio papa VIII. diploma tuitionis obtinuit, datum Laterani IV. cal. Martii, pontificatus anno 6. An. 1303. IV. idus Novembris Bertrandam Robertam abbatiſſam de Furno confirmat. Hunc ipſum cum ſuo conventu Robertus primogenitus illuſtris Jeruſalem & Siciliæ regis, dux Calabriæ ac ejus in regno Siciliæ & in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii vicarius generalis & ſeneſcallus in ſuam recipit protectionem, dato præcepto Aquis anno 1306. 16. Martii, indict. IV. An. 1308. 7. Novemb. ratam habet electionem Raimundæ de Venaſca in abbatiſſam ſanctæ Crucis Aptenſis, & 1310. 3. Junii electionem ſororis Dulciæ de Videna in abbatiſſam de Furnis. An. 1310. 8. Maii ipſe & Guillelmus de Nogareto miles regis conveniunt & conſtituunt Guillelmum de Vitali legum doctorem judicem primarum appellationum in locis vicariæ ſancti Andreæ.

XXII. Berengarius de Coyrano e monacho ſancti Andreæ prior ſancti Chriſtophori in diœceſi Aptenſi ac ſancti Bardulphi de Rupe-forti, poſtea decanus, tandem abbas per compromiſſum electus 18. Aug. 1311. & confirmatus ab officiali, præpoſito, &c. commiſſis ad hoc ab epiſcopo Avenionenſi 28. Sept. ejuſdem anni, benedictionis munus de licentia vicariorum generalium in eccleſia cathedrali intra miſſarum ſolemnia accepit a Petro Civitatis-novæ patriarchatus Gradenſis epiſcopo, Jacobo Avenion. epiſcopo in remotis agente: Actum die Dominica, 3. menſis Octobris anni præfati. Eodem an. 17. Octob. quædam emit a Guillelmo de Tavellis. Die 25. ejuſdem menſis homagium excepit habitatorum de Thodone. An. 1314. Berengarius abbas & P. de Macherino miles regis Franciæ, ſeneſcallus Bellicadri & Nemauſi conſtituunt & creant ad annum Guillelmum Lamberti domicellum vicarium ſancti Andreæ & ab eo fidelitatis juramentum recipiunt, prima die Januarii. An. 1316. die 21. Julii Ademario de Pictavis primogenito comitis Valentinenſis & Dienſis locumque tenenti Philippi regis Franciæ, in ſeneſcallia Bellicadri & Nemauſenſi recognoſcit monaſterium ſuum, & quidquid

quidquid idem monaſterium citra Rhodanum poſſidet, eſſe in regno & de regno Franciæ, quamquam ea non teneat a domino rege, nec pro prædictis teneatur ei præſtare homagium fidelitatis, &c. An. 1317. ad ipſius præſentationem Pontius epiſcopus Cavallicenſis eccleſiam ſancti Gervaſii extra muros Cavallicenſes contulit Guigoni de Coyrano nepoti præfati abbatis. Ædificavit ſacellum ſancti Chriſtophori pone chorum, ubi videbatur nuper depictus flexis genibus & alba ac caſula indutus cum hac inſcriptione: *Dominus Berengarius de Coyrano, abbas iſtius monaſterii qui fecit hanc capellam in nomine Dei & ſancti Chriſtophori anno* 1323. ex quibus protrahendam ipſius vitam ultra annum 1321. manifeſtum eſt. Pro ipſius anniverſario faciendo Raimundus Chabaudi Bladerius vendit Petro Malſanguini monacho pitanciario ſancti Andreæ 100. ſolidos Turon. cenſuales, quorum unus Turonenſis argenti cum O rotundo valet ſexdecim denarios. Actum cal. Julii anno ab incarnatione 1322.

XXIII. Roſtagnus de Merindolio diœceſis Arauſic. prior de Saltu & decanus S. Andreæ, factus poſtmodum abbas, citatur coram Hugone Quieteti milite, ſeneſcallo Bellicadri & Nemauſi pro præſtando regi fidelitatis juramento, ubi recognoſcit monaſterium ſuum & ea quæ poſſidet citra Rhodanum, eſſe in & de regno Franciæ, ſe tamen non teneri pro prædictis facere regi homagium, &c. Actum in turri pontis Avenionis 18. Martii 1327. Electionem Sanciæ Laugeriæ de Saltu in abbatiſſam ſanctæ Crucis Aptenſis ſine conſilio ſuo factam irritat primum, tum approbat, juramento ab omnibus monialibus recepto de ſervanda perpetuo conventione inter utrumque monaſterium inita die 7. Aprilis anno ab incarnatione 1331. Intereſt capitulo generali monachorum Nigrorum ſeu Benedictinorum provinciæ Arelatenſis, Aquenſis & Viennenſis in prioratu de Manueſca anno 1337. celebrato. Plura inſuper ipſius meminerunt inſtrumenta ad annum 1340. quo moritur, poſt diem 2. Julii quo memoratur in donatione Petri Blavi S. Clementis preſbyteri cardinalis.

XXIV. Armandus, *al.* Arnaudus de Euſeria, *vel* de Elzeria, vulgo de Lauziere, anno 1341. ab incarnatione, 3. Aug. ex abbate ſancti Salvatoris Lodovenſis, a domino papa Benedicto XII. Andaonenſi cœnobio præfectus eſt. Prioratum ſancti Petri de Torcularibus abbatis menſæ uniri obtinuit a Clemente papa VI. 13. cal. Julii anno pontificatus 2. An. 1343. 24. Novembris Johanni epiſcopo Forojul. & rectori comitatus Venaiſcini caſtra de Thodone & de Junqueriis recognoſcit. An. 1344. homines S. Trinitatis fidelitatem illi juravere. An. 1346. ab incarnatione, 7. Auguſti in remotis agebat, quo nimirum capitulo generali per vicarios locumque tenentes interfuit. Ipſo rogante Johannes Avenionenſis epiſcopus eccleſiam de Iſſachiis annectit officio prioris clauſtralis die 18. Auguſti 1347. Anno 1350. intereſt benedictioni Iſabellæ de Moreſio primæ abbatiſſæ Goriani. Vicariis generalibus ſedis Avenionenſis vacantis anno Domini 1351. 6. Maii Jacobum de Veteri-monte preſbyterum præſentavit ad rectoriam perpetuam prioratus S. Veredemii. Obiit VI. idus Decembris, ex necrologio.

XXV. Jaubertus de Livrone 26. Martii 1353. indictione VI. procuratorem ſuum generalem inſtituit fratrem Deodatum Jordani infirmarium & cellerarium ſancti Andreæ ad confirmandam quamdam venditionem. Non multo poſt factus eſt abbas Montis-majoris, tandemque corporali ægritudine oppreſſus, ultimo ſuo teſtamento elegit corporis ſui ſepulturam, una cum fratre ſuo, in monaſterio S. Andreæ cui legavit quadringentos florenos auri ad emendos cenſus pro inſtituenda capella in eccleſia prædicti monaſterii 13. Junii 1360.

XXVI. Raimundus III. de Apcherio abbas S. Vitoni Virdun. in diplomate Innocentii papæ VI. dato apud Villam-novam VIII. idus Julii, pontificatus anno 1. nuncupatur abbas S. Andreæ Avenion. hoc eſt an. 1353. Humanis rebus valedicit nonis Septembris, necrologio teſte; ſed quo anno incertum eſt. Certe Raimundus adhuc abbas præerat annis 1361. & 1362. 1. die Maii.

XXVII. Guigo ſeu Guido de Vaſſinhaco Raimundi ſucceſſor memoratur an. 1362. 18. Junii. An. 1364. cenſus aliquot comparavit a nobili viro Andoyno de Vaſſinhaco magiſtro *huſſerio* papæ. An. 1366. Guido de Frohinis miles ſeneſcallus Bellicadri & Nemauſi arbiter aſſumtus de decimis olivarum de Furno, eas ipſi decernit adverſus homines caſtri S. Andreæ & Villæ-novæ. Anno 1367. 8. Februarii officio ſeu beneficio infirmariæ, prioratum B. Mariæ Montis-alti contulit. Anno 1369. 1. Febr. præcipit citari quemdam monachum ſuum ſub excommunicationis pœna. An. 1372. indictione X. ultima die Maii fidelitatem papæ juravit pro ſe & monaſterio ſuo, quod ab eccleſia Romana pendere agnoſcit. Anno 1378. die 20. Novembris laudat emtionem cujuſdam hoſpitii ſiti Villæ-novæ factam a Guillelmo Audoardi. Memoratur & anno 1379. 27. Nov. defunctus nonis Aug. ex necrol.

XXVIII. Savaricus Chriſtiani ex priore ſancti Orientii Auxitanenſis, ſedis apoſtolicæ gratia ſancti Andreæ abbas, convenit cum omnibus poſſeſſiones habentibus in inſula nemoris Mejani, Argentoni & Mayranicis, ut ipſi habeant iter publicum latitudinis decem palmarum francum, veniendo de regno & eundo verſus terram heredum Bertrandi Fulcaudi; illi vero in compenſationem prædicti itineris promittunt ſe aſſignaturos abbati in feodo franco in allodio duos francos auri. Actum penultima Decembris, anno ab incarnatione 1380. Anno 1383. Deodatus Saliſperii monachus & ſacriſta ſancti Andreæ, a Savarico abbate excommunicatus, de mandato Clementis papæ VII. abſolvitur a Willelmo ſancti Vitalis cardinali judice & commiſſario pro cauſis perſonarum religioſarum. Hoc ipſo anno abbas nuncupatur Maſſil. in charta Fayditi Avenionenſis epiſcopi regentis officium camerariatus collegii cardinalium pro Guillelmo tituli S. Stephani

in Celio monte cardinali, qua recognoscit Savaricum olim S. Andreæ, tunc vero Massilienſem abbatem, pro parte ſui communis ſervitii, quo ratione dicti ſancti Andreæ monaſterii erga præfatum collegium tenebatur, 30. florenos auri perſolviſſe 17. Nov. an. 1383. indict. 6.

XXIX. Anglicus Grimoardi perpetuus monaſterii ſancti Andreæ adminiſtrator, &c. ordinat procuratorem ſuum in dicti monaſterii regimine Pontium Grimardi priorem de Garanibodio Aquenſis diœceſis, cum poteſtate omnia & ſingula faciendi quæ ipſemet facere poſſet 29. Maii 1383. Memoratur & anno 1384. 10. Decembris.

XXX. Guillelmus III. Villate ſeu Vilate Anglico cedente factus abbas, die 12. Decemb. anni ab incarnatione 1385. a nativitate 1384. vicarium ſuum generalem in ſpiritualibus & temporalibus conſtituit fratrem Johannem Pelegrini ſancti Andreæ monachum & decanum. An. 1386. 1. Dec. capitulum generale habuit, in quo laudavit permutationem factam inter ipſum abbatem & conventum ex una parte, & priorem ac conventum Montis-alti ex altera. Unus fuit exſecutorum teſtamenti Anglici Grimoardi cardinalis Albanenſis an. 1388. conditi die 11. Aprilis, ut legere eſt in collectione Ba-
al. 1049. luz. ad vitas paparum Avenionenſium. In ipſius favorem Johannes tituli S. Vitalis de Murolio, & Petrus tituli ſanctæ Suſannæ de Tureyo preſbyteri cardinales arbitrorum munere functi, condemnant Alziarum Alberti militem, dominum de Thoro ad ſolvendos 10. francos pro damnis quæ intulerat caſtro de Thodone 9. Nov. an. 1395. An. 1404. 14. Junii ut judex & conſervator privilegiorum S. Victoris Maſſil. a ſede apoſtolica ſpecialiter deputatus, nonnulla mandat in gratiam præfati monaſterii. In actis concilii Piſani an. 1409. recenſetur inter abbates qui procuratorem ad illud miſerunt cum plena poteſtate. An. 1415. 3 Apr. magiſter Raimundus de Roſſeto baccalaureus in legibus, prior prioratus de Thushis Aquenſis diœceſis, Guillelmo abbati ſancti Andreæ recognoſcit pro annua penſione ratione dicti prioratus decem ſolidos Turonenſes, & duas libras ceræ. An. 1418. controverſiam de boſcagio Avenionenſi quæ vertebatur inter conventum ſancti Andreæ & canonicos B. M. de Villa-nova, ut commiſſus ab utraque parte, definit in gratiam monachorum. An. 1425. indictione III. tanquam regens officium pitanciariæ, dat ad novum acapitum & in emphytheoſim perpetuam Guillelmo Begonis unum caſale ſitum in loco de Taraſcone. Eo denique defuncto x. calend. Octob. ex tabula funeraria, regimen habent cœnobii, non ut abbates, ſed ut adminiſtratores, 1°. Pontius Saraceni, tum Jacobus Pelegrini decanus, de cujus adminiſtratione bona certus Johannes qui ſequitur eum abſolvit, cum pacto nihil ulterius ei ſuiſve petendi.

XXXI. Johannes Vervin, ſeu de Vervins 1428. indictione VI. 23. Nov.

XXXII. Odo Alamannus ſeu Alamandi an. 1429. 5. Aprilis antequam abbatiæ poſſeſſionem iniret, monachis fidelitatem in adminiſtrando cœnobium pollicitus eſt. Anno ſeq. indictione VIII. die 9. Septembris fratri Malliardo ſuo monacho, priorique de Saltu, prioratum de Guilleſtro Ebredunenſis diœceſis gratificatus eſt. An. 1437. 17. Martii dat ad novum acapitum ſive emphytheoſim perpetuam quandam vineam Matthæo Leante habitatori Villæ-novæ, &c. Eodem anno deceſſit IX. cal. Novembris. Interea vero Jacobus Pelegrini decanus reſumit vicariatum abbatiæ generalem.

XXXIII. Pontius Saraceni Andaonis monachus & pitanciarius, quem poſt obitum Willelmi de Villate, cœnobium adminiſtraſſe ſupra diximus, exſtincto Odone, a fratribus eligitur abbas, ſed non pacifice ſedet, cui tamen in commendatarium electo, an. 1438. 18. Febr. tanquam domino Avenionis habitatores recognoſcunt ſe tenere ſub directo ejus dominio & majori *ſenioria* hoſpitia ſua ſita apud Avenionem ſub certis cenſibus annuis. Quod autem quiete minus ſederit, argumento eſt recognitio facta Jacobo Pelegrini decano & vicario generali dicti monaſterii 18. Martii 1438. Unde & in necrologio hæc de ipſo leguntur, VI. non. Julii: *Depoſitio domini Pontii Saraceni electi noſtri monaſterii, obiit anno* 1448.

XXXIV. Johannes de Borbonio anno 1438. 16. Decembris, prioratum de Monte-bruno Vapinc. diœceſis & cameramariam monaſterii S. Andreæ confert Johanni de Tologniaco monacho prædicti monaſterii. Erat nothus Johannis ducis de Borbonio, electuſque eſt cum Pontio Saraceno a 7. Andaonis monachis in abbatem, & a ſummo pontifice confirmatus, cauſa cadente Pontio legitime tamen electo, & ab archiepiſcopo Arelatenſi jam benedicto anno 1438. Anno 1443. 29. Decemb. prioratui ſancti Petri de Majanis Aquenſis diœceſis univit prioratum de Laureire. Paulo poſt eligitur epiſcopus Anicienſis, a qua ſede tranſit an. 1444. ad archiepiſcopatum Lugdun. Factus denique an. 1455. abbas Cluniac.

XXXV. Zano de Cené protonotarius apoſtolicus, occurrit abbas annis 1450. & 1451. quo habebat vicarium generalem Johannem epiſcopum Trojanum 1452. 1456. & 1460.

XXXVI. Jacobus * Amanetus epiſcopus Papienſis, ſancti Chryſanti (*al.* Chryſogoni) preſbyter cardinalis vulgo Papienſis dictus, inſtitutus a Pio papa II. idibus Auguſti abbas ſancti Andreæ, inſequenti menſe poſſeſſionem adit an. 1464. Interim vero Ludovicus Galliæ rex litteris Rothomagi datis ſeneſcallo Bellicadri mandat, ut priorem & monachos ſancti Andreæ, qui ab aliquo jam tempore fratrem Johannem de Rumilly *al.* de Tolororigniaco Cluniacenſem monachum & priorem de Rumilly, poſt Zanonis obitum in abbatem ſibi elegerant, conſervet in poſſeſſione regendi & percipiendi univerſos abbatiæ reditus, vacante ſede, donec nova electio confirmetur, adverſus cardinalem Papienſem hominem alienigenam, qui non obſtante nupera ſeneſcalli prohibitione, ipſos monachos allegata proviſione ejuſdem abbatiæ a ſummo pontifice, ut ait, impetrata, inquietabat. Datæ ſunt regiæ litteræ 28.

al. Johannes

Jan. an. gratiæ 1465. Nihilominus vero memoratur Jacobus cardinalis administrator abbatiæ S. Andreæ an. 1472. & 1477. Obiit idib. Sept.

XXXVII. Petrus de Arpajone sedis apostolicæ protonotarius, ex illustri in Ruthenis prosapia toparcharum de Arpajone ortus, Guillelmi episcopi Cadurc. & Goffridi Petrocoric. antistitum germanus 19. Martii anno 1479. vicarium suum specialem & generalem in spiritualibus & temporalibus abbatiæ sancti Andreæ constituit Johannem Nigaudi vel Nigandi. Hoc ipso tamen anno 21. Octob. sedes vacare dicitur, quo Johannes Michaëlis pitanciarius ac vicarius generalis monasterii sancti Andreæ sede vacante, creat & constituit ejusdem monasterii camerarium Johannem de sancto Johanne, in utroque jure baccalaureum, ordinis Cluniacensis, actu legentem in universitate Avenionis. Forte nimirum ægre a monachis admissus est Petrus de Arpajone, qui tamen an. 1482. 25. Maii per suum vicarium generalem Johannem Nigandi prioratum B. Mariæ de Saltu contuliſſe memoratur. Eodem anno 2. Decemb. Johannes de sancto Johanne monachus & camerarius sancti Andreæ, vicarius generalis abbatis in capitulo generali confirmat fundationem a fratre Giraudo Piscatorii priore de Laoreis in ipso monasterio factam. An. 1495. indict. XIII. 20. Junii, constituit suos procuratores ad impugnandas coram domino papa prioratuum uniones. Præfuit ad annum 1521. quo vivendi finem fecit IV. idus Martii, teste necrologio.

XXXVIII. Ludovicus d'Aube alias de Rupemartina Avenionensis diœcesis, sacrorum canonum professor & auditor sacri palatii apostolici Avenion. primum exstitit monachus Montis-majoris; tum prior sancti Petri de Aligno, deinde sancti Martini de Calismartio *al.* de Collis, e præcentore tandem sancti Andreæ abbas eligitur, ac bulla pontificia Leonis papæ X. data IX. cal. Maii anno incarnationis 1521. pontificatus IX. confirmatur, in qua quidem decretorum doctor, & in academia Avenionensi cum laude docens appellatur, eique facultas retinendi prioratus conceditur. Anno 1537 1. Decemb. Franciscus Galliæ rex Paulo III. summo pontifici per litteras indicavit se respondisse votis Ludovici d'Aube sancti Andreæ abbatis, abbatiam suam Francisco de Castellana nepoti, monacho & pitanciario ejusdem abbatiæ resignare cupientis, postulavitque ut eundem Franciscum avunculo dare successorem non dedignaretur.

An. denique 1539. die 2. Maii tabellam de passione Christi suis impensis confici curavit, atque in fata cessit eodem anno IV. non. mensis Novemb. Plurima dona ipsi monasterio fecit, in quo & quattuor anniversaria fundavit: videlicet in qualibet feria sexta 4. temporum, necnon dedit capellam vestimentorum 450. scutorum auri. Ita necrologium.

XXXIX. Franciscus de Castellana sacrorum canonum professor, nepos ex sorore Ludovici d'Aube superioris abbatis, quo cedente in manibus regis, & ipso rege apd Paulum III. summum pontificem interveniente, bulla pontificia Romæ apud sanctum Petrum data 2. cal. *al.* undecimo cal. Maii anno incarnationis Dominicæ 1539. pontificatus IV. curam & administrationem abbatiæ suscepit. Anno seq. 15. Decemb. clientelare sacramentum regi exhibet pro temporalibus abbatiæ suæ bonis. Eodem anno 1540. mensæ abbatiali adjungi fecit prioratum de Tavels. Supellectilem sacram deinceps auxit, & regularia ædificia nonnulla sarta-tecta fecit. Anno 1553. breviarium ad usum cœnobii sui Avenione typis mandari curavit. Anno 1557. 17. Septemb. cum ad procuranda sedis apostolicæ apud Carpentoractum negotia deputatus fuisset, ne suum, dum abesset, monasterium idoneo rectore careret, vicarium suum generalem & specialem instituit Audoinum Moncalmum *al.* Odonem de Montenon prædicti monasterii camerarium. Præerat adhuc anno 1559. ultima Julii; ad quot annos incertum: hoc unum scitur quod obierit 11. die Aprilis *al.* 11. cal. ejusdem mensis, & quod statim electus sit a fratribus in vacantis monasterii vicarium generalem Antonius Castelboni *al.* de Castroburcio, prior claustralis 12. Oct. 1566.

XL. Claudius Page e vicario generali monasterii B. Mariæ de Valle-Richerii ordinis S. Benedicti, Bajocensis diœc. a Pio V. papa, monasterio sancti Andreæ abbas præficitur an. 1567. 6. cal. Martii pontific. an. 2. Præfuit ad annum 1572. quo Cæsari Brancassio cessit, reservata sibi annua pensione 250. librarum.

XLI. Cæsar Brancassius (alias Abrahamus Lunelli, quandiu nimirum Judæus exstitit) recens ad fidem conversus, dimittente Claudio Page, Andaonis abbas instituitur brevi Gregorii XIII. dato Romæ IV. cal. Januarii pontificatus anno 1. possessionem adeptus 7. Novembris 1573. Vir erat doctissimus, linguas 22. callebat, qui & hebraïcam Gilbertum Genebrardum in cœnobio Montis-Alti Andaoni vicino & subjecto edocuit. Cardinali Georgio Armaniaco, aliisque sacris ecclesiæ principibus acceptissimus fuit, non vero monachis qui eum hucusque Judaïsmum profiteri ita conquesti sunt, ut Lutetiam Parisiorum accedere dato vicario generali, tandemque Johanni Sicardo polemarchi de Ornano filiorum pædagogo sub annua pensione anno 1597. resignare compulsus sit. Venetias deinde perrexit, quo dum iter ageret per Rhodanum & Avenionem, pallio faciem obduxit ne locum in quo toe probris affectus fuerat videre cogeretur. Peregre vero & antequam Venetias attigisset eum ferunt obiisse anno 1598. & quidem juxta nonnullos ad Judaïsmum regressum.

XLII. Johannes Sicardus clericus Ebredunensis diœcesis, polemarchi de Ornano gratia ad regimen cœnobii sancti Andreæ admittitur a Clemente papa hujus nominis octavo, bulla idibus Decemb. data anno incarnat. 1599. ejus pontificatus VIII. Hic ipse sancti Andreæ infirmarius, & in spiritualibus ac temporalibus vicarius generalis jam admissus, post expressam regulæ sancti Benedicti professionem, abbatiæ possessionem adipiscitur, facto de observandis

privilegiis, ſtatutis, ac prædicta ejuſdem monaſterii regula juramento, VII. cal. Aprilis an. ab incarnatione 1600. In capitulo generali anni ſequentis 1601. 23. Februarii celebrato, quædam ſtatuit ad officium divinum & morum converſionem ſpectantia. Anno 1617. conventum patrum Recollectorum Villæ-novæ ſub certis conditionibus exſtrui permiſit. Anno 1604. clauſtra ruinæ proxima reficere ſenatus conſulto compulſus eſt. Hoc autem circiter tempore congregationi vulgo dictæ *Exemtorum* nomen dederunt monachi ſancti Andreæ, inſtante præſertim fratre Petro Aymar decano ejuſdem monaſterii. Annis autem 1610. & 1627. præpoſitus generalis ejuſdem congregationis D. Johannes d'Alibert effecit apud eoſdem monachos ut monaſterium ſuum congregationi S. Mauri naſcenti unirent. Obiit Avenione anno 1634. cal. Martii J. Sicardus abbas, & ſepultus eſt in ſuperiori parte chori juxta tumulum D. Ludovici d'Aube de Roque-martine.

XLIII. Franciſcus du Roure de S. Remezé e comitibus ſancti Remeſii, & ipſe unioni ſancti Andreæ congregationi ſancti Mauri incumbit; abbas autem factus eſt ceſſione Johannis Sicardi anno circiter 1631. vel 32. rexitque ad an. 1634.

XLIV. Johannes-Baptiſta du Roure de S. Remezé reſignante fratre, & accedentibus litteris pontificiis ac regiis fit abbas regularis. An. 1634. quædam ſtatuta de officio divino, refectorio communi, aliiſque ad obſervantiam regularem ſpectantibus ſervanda proponit. Eo ſedente tentata jam a pluribus annis unio S. Andreæ cum congregatione S. Mauri feliciter abſoluta eſt, haud tamen ſine gravibus domini Petri Aymar piiſſimi decani incommodis, qui tandem e carcere liber egreſſus, una cum domino de Vigneaux ſenatore, & aliquot e patribus hujus congregationis D. Petro Beziat S. Aniani priore, &c. in monaſterii poſſeſſionem immittitur an. 1635. annuentibus demum, ac ſenatui Toloſano morem gerentibus abbate & monachis, coram reverendo patre domno Ambroſio priore & reverendi patris domni Gregorii Tariſſe præpoſiti generalis procuratore an. 1637. neque vero multo poſt, refectorium ac dormitorium conſtrui fecit D. Sylveſter Perreciot prior ejuſdem monaſterii, anno ſcilicet 1646. Anno 1678. die 9. Auguſti ceſſit Joſepho du Roure fratris ſui filio, retenta penſione.

XLV. Joſeph du Roure ex libera ceſſione patrui ſui fit abbas, & poſſeſſionem abbatiæ nanciſcitur anno 1678. at cum nollet vitam monaſticam juxta regulam S. Benedicti profiteri, eam dimiſit.

XLVI. Ludovicus Franciſcus du Roure regia ſchedula deſignatus abbas, adiit poſſeſſionem die 28. Febr. anni 1680. Adhuc præeſt.

Abbatia S. Laurentii. fem. ord. S. Benedicti.

HOc monaſterium virginum ordinis S. Benedicti in urbe Avenionenſi, ſub invocatione SS. Laurentii & Theodoritii martyrum conditum refertur ab Amelio Avenionenſi comite, ejuſque conjuge, qui ibidem quieſcunt. Certe ſic lego in necrologio veteri ſancti Laurentii: VI. *idus Februarii obiit Guiburga confraternitatis noſtræ incæptrix.* Lanfredus ejuſque uxor Mabilis multa contulerunt anno 951. quæ ſequenti charta recenſentur:

In Chriſti nomine, amen. Ego Lanfridus & uxor mea Mabilis pro ſalute animarum noſtrarum, & filii noſtri Amici, & pro præmio nobis acquirendo celeſtis gloriæ, de rebus noſtris aliquid in eleemoſinam Deo & ſanctæ Mariæ conferre cupientes, donamus, cedimus & transferimus in perpetuum ſacris virginibus ſub regulari beati Benedicti habitu Deo famulantibus, in monte S. Laurentii ſeus Avenionem, terras omnes arabiles quas habemus inter ipſum montem & Durentiam, cum manſo de Albaredo, & vineis in valle, omni conſuetudine ſolutis. Quod donum in præſentia reverendiſſimi patris Radonis electi Arelat. archiepiſcopi, & venerabilium dominorum Rangefridi Avenionenſis, & Heriberti Cavellicenſis epiſcoporum & coram ſubſcriptis teſtibus in capitulo prædictarum virginum ad mandatum domnæ Mauræ abbatiſſæ congregatarum publice fecimus, & mox ſuper altare beatæ Mariæ ejuſdem eccleſiæ detulimus ac depoſuimus, videntibus cunctis qui aderant pariter & laudantibus, quorum hæc ſunt nomina: Virmundus vicecomes, Aſcherius, Eſmeradus, Bozo, Pontius, Hubertus, & pro parte virginum reverendiſſimus Rado electus, Arelat. Rangefridus Avenionenſis, & Heribertus Cavellicenſis epiſcopi, Urſio præpoſitus; Pontius canonicus, Stephanus filius Sigaldi & Deſiderius. Ego Lanfridus cum uxore mea qui libenter, libere & abſque ulla calumnia concedo & cedo in perpetuum, ut quiete ea omnia poſſideant & diſponant abbatiſſa & ſorores præſentes & futuræ, velut propria. Sit vero anathema qui contra hoc teſtamentum venerit vel auferre aut inferre damnum aliquod tentaverit. Actum anno incarnationis Dominicæ nongenteſimo quinquageſimo primo indictione nona XII. *cal. Auguſti regni Boſonis domini noſtri* XXVII.

Ego Rado munere divino electus humilis ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi & ſignavi.

Ego Ragenfridus humilis epiſcopus ſanctæ Avenionenſis eccleſiæ ſubſcripſi & ſignavi.

Ego Heribertus Cavellicenſis epiſcopus ſubſcripſi & ſignavi.

Ego Urſio præpoſitus ſubſcripſi & ſignavi.

SS. Pontii canonici & ceterorum qui ſupra.

Frodo diaconus rogatus ſcripſit & ſubſcripſit in Dei nomine, Amen.

Sequentes abbatiſſas ex veuſtis ejuſdem parthenonis monumentis eruimus.

Series abbatissarum.

I. Maura, de qua in ſuperiori charta.

II. Balda abbatiſſa anno 39. regnante Rodulfo rege, Chriſti 1033. ſubſcribit chartæ Archintrudis de Piſcatoria Bitorricæ. Memoratur XVI. cal. Januarii, in necrol.

III. Forcoara an. 1105. ex ſchedis noſtri D. Stephani du Laura.

IV. Iſnarda abſque ulla temporis nota, ut & ſequentes, legitur in necrologio III. idus Januarii.

V. Laurentia conſignata in necrologio V. cal. Februarii.

VI. Stephana VI. nonas Martii *al.* VI. idus.

VII. Alaſaſia Vinirola prioriſſa ſancti Laurentii in abbatiſſam eligitur, ſed vel pacifice non ſedet vel demoritur ſtatim electa, de qua necrol. XII. *cal. Aprilis obiit domina Alaſaſia prioriſſa electa S. Laurentii.*

VIII. Anneta Cabaſſole VII. cal. Julii.

IX. Ava IX. calendas Auguſti.

X. Aladeſia ſeu Alaſacia XVI. calend. Nov.

XI. Aicelina XIII. cal. Novembris.

XII. Emma XIII. calendas Decembris.

XIII. Mathildis I. anno 1163. pepigit cum Raimundo Arelat. archiepiſcopo ſuper eccleſia de Caſtro veteri; ex D. Etiennot.

XIV. Joſcerandis præerat jam anno 1177. An. 1179. bullam protectionis obtinet ab Alexandro III. papa. Memoratur in necrologio III. idus Septembris.

XV. Mathildis II. 1180. componit cum R. Arelatenſi archiepiſcopo. Bullam protectionis 1186. accepit ab Urbano III. & anno 1189. litteras ab Ildefonſo rege Aragoniæ & comite Provinciæ, datas Taraſcone, menſe Januario. Commemoratur in necrologio XIV. cal. Julii, & 4. nonas Januarii Petrus Guillelmus ejus frater.

XVI. Baſina quæ prioriſſa erat an. 1189. ex diplomate Ildefonſi regis, præerat abbatiſſa 1200. & 1213. Commemoratur in necrol. tum S. Andreæ tum S. Laur. Avenion. XVI. cal. Julii, & III. nonas Februarii Adalais ejus mater.

XVII. Adalaſia 1214. 1216. 1217. 1219. Eadem forte eſt cum Alaſaiſia Malveſina e gente Malivicini, quæ prioratum S. Verani circa hæc tempora contuliſſe reperitur.

XVIII. R. 1241. cum I. archiepiſcopo Arelatenſi tranſigit. Eadem eſſe videtur cum R. Augeria abbatiſſa ſancti Laurentii, quæ poſt Alaſaiſiam Malveſinam prioratum ſancti Verani contulit.

XIX. Agnes I. 1252.

XX. Raimunda de Aramone ex prioriſſa S. Verani facta abbatiſſa S. Laurentii, ad eundem prioratum nominavit, poſt Adalaſiam Malvicinam & R. Augeriam abbatiſſas. Anno vero 1260. ad ſedem apoſtolicam appellat, eo quod turbaretur aut turbari timeret in ſuo jure ad dictum prioratum. Præerat adhuc 1277. 1278. 1287. In necrologio VI. calend. Aprilis conſignatur, *Aladaiſis uxor Iſnardi mater Raimunde abbatiſſe noſtre* & XII. cal. Aprilis. *Iſnardus Augerii converſus noſter frater Raimunde abbatiſſe.* Ipſa vero in necrologio ſancti Andreæ inſcribitur XIV. cal. Sept.

XXI. Beatrix I. de Aramone 1292.

XXII. Bertranda I. de Barjols 1306. 1307. 1322. 1328. Notatur in necrologio III. nonas Martii. *al.* III. idus Aprilis.

XXIII. Johanna Marciacurva electa nominatur 1332.

XXIV. Tiburgis de Burbone obiiſſe dicitur anno 1339. calendas Maii; at eadem videtur eſſe ac:

XXV. Guiburga ſeu Gaburgis de Bulbone 1340. 1344. & 1346. Ejus obitus aſſignatur in necrologio IX. cal. Aprilis.

XXVI. Beinhona de Beinhono 1346.

XXVII. Beatrix II. Augeria, filia Guillelmi Augerii domicelli de Ponte Sorgia Avenionenſis diœceſis, præerat 1350. 352. 1354. 1355. 1369. 1389. 1391. 1397. 1401. 1402.

XXVIII. Bertranda II. Augeria 1402.

XXIX. Catharina I. Brotinelle ex procuratrice facta abbatiſſa rexit annis 1403. 1404. ad 1407. Occurrit in necrologio VI. cal. Octob.

XXX. Agnes II. Giraude 1408. 1409. 1410. 1412. 1413. 1414. 1416. 1417. 1418.

XXXI. Dulceta Hugolina ſeu Dulceliſa vel Dulſana Hugoline 1421. 1423. 1426. 1433. 1438. Obiit XV. calendas Januarii ex necrol.

XXXII. Margarita I. Aſtoauda vel Eſtoauda 1440. & 1471. recenſetur in obituario VI. nonas Julii.

XXXIII. Catharina II. de Ruſpo ſeu de Ruffo, utroque enim modo ſcripta legitur, reperitur 1478. 1479. Obiit VIII. calendas Julii 1488. In ſchedis D. du Laura ad an. 1488. notatur Margarita de Rucyio.

XXXIV. Gilletta Eſtoauda 1488. 1493. 1512. 1514.

XXXV. Aſlomanda obiit X. cal. Jan. 1527.

XXXVI. Agnes III. ſeu Anneta de Seytre 1529. 1537. 1540. 1553 1557. eadem forte eſt ac

XXXVII. Anna Sentoris, cujus obitus in necrologio aſſignatur 4. cal. Januarii 1564.

XXXVIII. Johanna de Theſan de Venaſque 1568. 1569. ejus obitus in necrologio habetur XI. cal. Feb. 1575.

XXXIX. Catharina III. Bellona 1580. Obiit 1581. nonis Nov. ex necrol.

XL. Anna de Merulis 1588. ſub ejus regimine reformatur monaſterium, & poſt ejus obitum qui contigit 1608. abbatiſſæ deinceps factæ ſunt triennales.

XLI. Emilia de Rouillas prima ex triennalibus abbatiſſis.

XLII. Diana I. de Beaulieu.

XLIII. Eleonora de Serre an. 1617. uſque tertio iterum eligenda.

XLIV. Camilia, ſeu Camilla de Revilaſco, forte eadem cum Emilia de Rouillas, 1619. VI. idus Junii, ex necrol.

Eleonora de Serre iterum electa 1602. 1632. & 1635. Obiit anno ſequenti, X. cal. Septemb.

XLV. Maria de Moiroux electa die Mercurii 27. Auguſti, & confirmata 1636.

XLVI. Eleonora de Laurenti electa 16. Auguſti 1639.

XLVII. Lucretia de Rouillas de Barroux electa & confimata 27. Auguſti 1642. ad 1645.

XLVIII. Catharina IV. de la Fare 1645.

XLIX. Diana II. de la Salle de la Garde, 1648. & 1651.

L. Anna de Panniſc. obiit abbatiſſa trienna-

lis anno 1658. III. cal. Jan.
LI. Clara de Gay obiit 1666.
LII. Margarita II. de la Beaume 1671.
LIII. Johanna d'Aſtres 1675.
LIV. Margarita de la Beaume 1678.
LV. Margarita III. de Guyon, obiit II. Januarii 1691.
LVI. Franciſca de Ville-Franche de Caumon, electa 24. Jan. 1691.
LVII. Catharina V. de Seitres de Caumon, 1694.
LVIII. Catharina VI. de Guyon, 1700.
LIX. Catharina VII. de Seitres 1703.
LX. Margarita de Sade 1706.
LXI. Gabrielis de Theſan de Venaſque 1709.

ABBATIA S. CATHARINÆ AVEN. ordinis Ciſtercienſis.

SAnctæ Catharinæ monaſterium puellare ordinis Ciſtercienſis, quod nunc ordinario ſubeſt, conditum dicitur a Zoëne piiſſimo Avenionis præſule in ipſa urbe circa annum 1254. qui & aliud cœnobium monialium, ſanctæ Catharinæ ſacrum apud Sorp in diœceſi Regenſi a Fulcone antiſtite cœptum abſolvi curavit, & uti ſedis apoſtolicæ legatus firmavit. Andreas epiſcopus Avenionenſis bene multa ceſſit monaſterio ſanctæ Catharinæ Avenionenſis, quod tandem bellicis tumultibus aliiſve injuriis male affectum reſtauravit Anglicus Grimoardi S. R. E. cardinalis, frater Urbani papæ V. & archiepiſcopus Avenionenſis. Eugenius IV. anno 1436. univit huic monaſterio abbatiam ſancti Verani, conſentiente hujus loci abbatiſſa. Hujus autem parthenonis cum nobis chartas videre non licuerit, ſeriem abbatiſſarum perfectam dare non poſſumus, ſequentes vero aliunde expiſcati ſumus.

ABBATISSARUM CATALOGUS.

I. TIburgis, Argeniæ filia, prima rexit cœnobium ſanctæ Catharinæ an. circiter 1255. de qua necrologium ſic habet ad XII. cal. Aprilis: *Obiit domna Tiburgis prima abbatiſſa iſtius monaſterii ſanctæ Catharinæ* MCCL... ubi necrologium Andaonenſe habet X. calend. Aprilis.

II. S. de Maſſa abbatiſſa S. Cathar. Avenion. memoratur in necrol. ad XII. calendas Maii.

III. N. de Puteo nonis Junii in obituario.

IV. Anglina 1291. 12. cal. Januarii, cujus tempore Andreas epiſcopus Avenionenſis excommunicationis ſententiam vibravit in eos, qui monaſterium alteri quam epiſcopo ſubjicerent.

V. Gaufrida Miſſona 1308. 1309. obedientiam jurat B. epiſcopo.

VI. Jordana Mararona electa & confirmata 1316. 22. Maii obedientiam promittit Jacobo epiſcopo.

VII. Huga de Venaſca 8. idus Octobris in necrologio memoratur.

VIII. Anelpina de Lauduno nonis Decemb. obiit.

IX. Cæcilia Cavalleria jam præerat anno 1346. & adhuc anno 1355.

X. Ayglina de Blandiaco (de Blanzac) anno 1390. qua ſedente, opem ferentibus Hugone de ſancto Martiali & Anglico Grimoaldi card. Albanenſi, baſilica quæ modo exſtat a fundamentis erecta eſt. Tandem benemultis cœnobio ſuo acquiſitis obiit X. cal. Aprilis, ex D. Etiennot.

XI. Anna de Lauduno facto fungitur 1456.

XII. Antonia de Lauduno anno 31. ſuæ ætatis litterarum peritia inſignis, eligitur 1456. ea ſatagente abſoluta fuit & dedicata eccleſia an. 1479. obiit IV. cal. Sept.

XIII. Gabrielis de Lauduno *alias* de Monte-Falcone anno 1482. Antoniæ ſufficitur, & deceſſit 1504. IX. cal. Maii.

XIV. Antonia de la Fare electa 1504. recenſetur in obituario VII. idus Julii.

XV. Anna de Baufremont ad an. 1565.

XVI. Johanna de Tolon de ſaint Jale præficitur abbatiſſa an. 1565.

XVII. Elena de Peruſe ad an. 1609. qua defuncta deinceps ad triennium tantum electæ præfuerunt abbatiſſæ, quæ ſequuntur.

XVIII. Iſabella de Gaignon nobilis Aven. ab an. 1609. ad. 1612.

XIX. Magdalena Benedicti ab anno 1612. ad 1615.

XX. Clara de Romieu ab anno 1615. ad 1621.

XXI. Anna de Valavoire ab an. 1621. ad 1625. poſtea condidit monaſterium S. Bernardi de Manoſca monialium ordinis Ciſterc. anno 1636. opem ferente parthenone ſanctæ Catharinæ *, & aſſentientibus domino epiſcopo & toparchis de Manoſca. Quod in tantum & tam brevi excrevit, ut modo 40. moniales & ultra, ſub regimine abbatiſſæ domino famulentur.

XXII. Clara de Romieu iterum eligitur 1634. & præeſt ad annum 1640. Ea regente Anna de Valavoire, & aliæ quædam moniales ſanctæ Catharinæ initium dedere monaſterio ſancti Bernardi de Manoſca, ut modo diximus.

XXIII. Catharina de Baculard * 1640. ſexennio regit.

* al. de Bachalar de Perne.

XXIV. Anna Maria d'Eure de Paris gente Delphinatus nobili nata ab anno 1649. ad 1652.

XXV. Maria de Benedicti eligitur an. 1652. & quinquennio in regimine exacto moritur.

XXVI. Maria de Mont de Vergnes 1669.

XXVII. Anna Maria de Paris 1672.

XXVIII. Maria de Lopes de Mont de Vergnes 1678. cujus regiminis annus nonus anno Chriſti 1680. coincidit.

XXIX. Johanna Leugardis de Levieux, 1684.

MONASTERIUM TARASC. S. HONORATI.

MOnaſterium illud fundatum fuit pro 30. monialibus, & una abbatiſſa, necnon 8. monachis Lerinenſibus, ut docet ſequens charta:

Notitia fundationis hujus parthenonis.

Ex MS. ad abbat.

NObilis vir dominus Roſtagnus Gantelmi Neapolitanus fuerit a partibus Caroli comitis Andegavenſis & regis Siciliæ. Cum autem occiſi fuere Franci in veſperis Siculis, ipſe cum familia ſua aufugit ad Carolum IV. cum uxore ſua domina Philippe de Real, & filiis ſuis Roſtagno, Jacobo & Johanne. Navim autem conſcendentes multis jactati fuere periculis; & tandem ad Inſulam Lirinenſem appulere. Inviſit dominum abbatem & monachos dominus Roſtagnus, & promiſit Deo ac abbati ſe monaſterium ordinis Benedictini, & inſtituti Lirinenſis conſtructurum. Pergens autem ad regem nuntiavit ei quæ acciderant; & quia bona ſua amiſerat, dedit ei rex caſtrum Reynardi & Eyraquium & Romanium, quæ poſſedit prefatus Roſtagnus, ſed monaſterium non conſtruxit: at moriens præcepit filio ſuo ut faceret conſtruere, Jacobo videlicet Gantelmi qui uxorem duxit dominam Mariam de Bulbone, & ex ea ſuſcepit dominum Johannem Gantelmi. Hic anno 1358. *erat ſeneſcallus Provinciæ, regnante regina Johanna filia Roberti regis Neapolitani, & nullos habebat liberos. Unde & memor præcepti quod dederat dominus Roſtagnus Gantelmi patri ſuo, & quod pater etiam ipſe juſſerat moriens ut cœnobium conſtruere faceret, ipſe votis majorum ſuorum ſatisfecit, & hoc monaſterium ædificavit anno 6. pontificatus domini Innocentii papæ VI. & ſubjecit illud monaſterio Lirinenſi, in quo monaſterio poſuit* 30. *moniales ſub regimine abbatiſſæ & abbatis Lirinenſis. Poſtea vero, hoc eſt anno* 1364. *conſtruxit & aliud monaſterium monachorum in eccleſia ſancti Nicolai Taraſcone, & poſuit in eo* 20. *monachos, quibus & monialibus æqualiter dedit, & diviſit omnia bona ſua.*

Adjunctum fuit cœnobium S. Nicolai menſæ abbatiſſæ & monialium anno 1400. Abbatia vero hæc modo exſtat, ac ſubeſt ordinationi abbatis Lerinenſis.

Aliam chartam de fundatione hujus monaſterii datam anno 1361. habes in probationibus C. XXIX. pag. 147. col. 1.

Ex litteris Innocentii papæ VI. Johannes Gantelmi propoſitum avi Roſtagni, & Jacobi patris, de fundandis quatuor *capellaniis* mutavit in melius, fundando & dotando monaſterium ſub regula S. Benedicti, ubi ſub abbatiſſa degerent 30. moniales, quibus in ſpiritualibus miniſtrarent 4. monachi monaſterii Lirinenſis, cujus loci abbati monaſterium novum ſubdebatur. Diploma Innocentii exſtat tom. XI. fragmentorum hiſt. D. Cl. Eſtiennot p. 59.

Series abbatissarum.

Ex Gbedis D. Antelmi Ferrol. præſid.

I. BEatrix de Alba de Rupemartina, *d'Aube de Roquemartine*, abbatiſſa regit ab anno 1358. ad an. 1390. quo nepti cedit.

II. Gaucelina de Alba de Rupemartina *al.* Gantelma d'Alibe 1390. & 1398.

III. Seleta Iſnardi ab anno 1398. ad 1411. qua ſedente anno ſcilicet 1400. exſtinctum fuit cœnobium monachorum ſancti Nicolai, & monaſterio monialium unitum.

IV. Marquiſia Gantelmia ab anno 1411. ad 1419. e familia fundatoris erat. Pro Marquiſia nonnulli legunt Margaritam.

V. Cæcilia Aycardi 1419.

VI. Catharina de Sonabre *al.* Sommabre 1441. 1449.

VII. Delphina de Sabran 1449. 1458.

VIII. Pontia de Deovolente, Diulavol *al.* Dieulovol ex prioriſſa 1458. & 1465.

IX. Tidola e nobiliſſima DD. comitum Vigintimillienſium ſtirpe orta, biennio paulo plus præfuit, ſub qua ſequens abbatiſſa legitur prioriſſa.

X. Johanneta I. de Barbantane ex prioriſſa 1455. præeſt ab an. 1467. ad 1487.

XI. Anna I. de Mont-faulcon 1487. memoratur in obituario ſanctæ Catharinæ Aven. his verbis: 11. *cal. Nov. obiit domina Anna de Montefalcone abbatiſſa monaſterii ſancti Honorati Taraſchonis.*

XII. Iſabellis d'Abeille *aliter* d'Arbeille 1498. 1515.

XIII. Antonia de Canniſio 1515. quinquennio regit.

XIV. Margarita * I. de Tornatoris 1530. * al. Magdalena.

XV. Jacqueta d'Aiguiere 1535. ad 1543.

XVI. Scholaſtica Betonis, de Beton 1543. Obiit anno 1547. cujus elogium ſcripſit pater Hilarion de Coſte.

XVII. Margarita II. de Clermont filia Bernardini de Clermont ex Anna de Huſſon, 1550. ad 1554. ſitque ſimul abbatiſſa ſancti Cæſarii Arelat.

XVIII. Anna II. de Beaufremont 1557.

XIX. Margarita III. d'Arpajon ab anno 1577. ad 1598.

XX. Anna III. de Clerc ab anno 1598. ad 1628.

XXI. Margarita IV. du Roure ab anno 1628. ad 1631.

XXII. Anna IV. de Maugiron ab anno 1631. ad 1638. quo nepti reſignavit.

XXIII. Franciſca Silvia de Maugiron ab an. 1638. ad 1678. quo & nepti pedum dimiſit.

XXIV. Johanna II. de Maugiron anno 1678. menſe Julio ſolemnem recipit benedictionem a domino de Grignan archiepiſcopo Arelatenſi deſignato.

XXV. N. de Breſſieu deſignatur a rege Chriſtianiſſimo, an. 1713. in feſto omnium Sanctorum.

Hactenus ſubeſt hoc monaſterium ordinationi abbatis Lirinenſis, qui ipſum quolibet triennio viſitat.

Digitized by Google

ECCLESIA CARPENTORACTENSIS.

CARPENTORACTE Meminorum in provincia Narbonenſi, inter oppida Latina recenſet Plinius. In pleriſque provinciarum notitiis attribuitur Viennenſi Carpentoractenſium civitas. Fallitur tamen Joſephus Scaliger, cum ait urbes Avenionem, Carpentoractem, Cabellionem, & Vaſionem ſuffragatas olim fuiſſe Viennæ, antequam Avenio in metropolim erecta fuiſſet a ſummis pontificibus: etenim Arelatenſi metropoli antea ſubjiciebatur, ut palam docent veteres notitiæ. Nunc vero Carpentoractenſis epiſcoparus unus eſt ex his quos Avenionenſi novæ metropoli ſummi pontifices ſubdiderunt. Carpentoracte urbs in comitatu Vindaſcino, cujus videtur caput, poſita eſt ad littus amnis quem Ruſſam (*La Ruſſe*) appellant, qui in Sulgam (*La Sorgue*) influit. Eccleſia cathedralis, quæ S. Suffredum epiſcopum ſuum ut patronum [a] colit, habet capitulum duodecim tantum canonicis conſtans. In diœceſi, una tantum eſt abbatia puellaris S Mariæ Magdalenæ dicata, & eccleſiæ plebanæ triginta circiter numerantur.

Vindaſcenſes & Carpentoractenſes epiſcopos eoſdem olim fuiſſe, communis eſt inter eruditos ſententia; Vindaſcenſes autem ita dictos, quod apud Vindaſcam tribus leucis a Carpentoracte diſſitam ſedere conſueviſſent. Vindaſca eadem, ac Aëria Plinii, Avenionis & Arauſionis vicina, juxta Hadrianum Valeſium in notitia Galliarum, urbs eſt Gallice dicta *Venaſque*, a qua nomen accepit comitatus Vindaſcinus (*Venaiſſin.*) Ceterum Johannes Columbi Vindaſcam habuiſſe ſuum epiſcopum, alium quam Carpentoractenſem, contendit; ſed minime probat: nam quod ait Bubulcum Vindoniſſæ epiſcopum, qui ſubſcripſit Epaonenſi concilio, fuiſſe Vindaſcenſem præſulem, eodem prorſus tempore quo Julianus præerat Carpentoractenſi eccleſiæ, ſubſcriptus quoque ſynodo Epaonenſi, prorſus negamus: Vindonum enim eſt *Windiſch* Helvetiorum, non Vindaſca Meminorum.

Nec juvat objicere ſolos epiſcopos Viennenſis provinciæ adfuiſſe ſynodo Epaonenſi; quando eos tantum ad eam vocavit S. Avitus Viennenſis epiſcopus: etenim, ex ſubſcriptionibus liquet Viventiolum epiſcopum Lugdunenſem, Silveſtrum Cabilonenſem, Claudium Veſontienſem, Conſtantium Octodurenſem epiſcopos (ut interim de aliis ſileamus) eo in concilio ſediſſe; qui ſane ad Viennenſem provinciam minime pertinebant. Sed aliunde probamus Vindaſcam olim fuiſſe urbem epiſcopalem, habuiſſeque proprium epiſcopum, quo tempore Carpentoracte a proprio ſuo epiſcopo regebatur; idque luculenter demonſtrat oratio S. Amatii Avenionenſis epiſcopi, relata inter vetera monumenta ad eccleſiam Avenionenſem ſpectantia: in qua videlicet recenſens plurimos epiſcopos nuper pro Chriſto Domino morti addictos a Chroco Alemannorum duce, in his memorat Firmum apud Vindaſcam, & Valentinum apud Carpentoratam epiſcopos martyrii palma donatos. pag. 19. col. 1.

Poſt ſtragem ab his barbaris factam, credibile eſt ex duobus epiſcopatibus unum duntaxat conflatum eſſe; cujus diu ſedes videtur fuiſſe apud Vindaſcam, ut tutiorem contra hoſtiles incurſiones in loco edito ſitam, & natura munitam.

De Carpentoractenſibus epiſcopis multa obſervavit vir illuſtriſſimus Joſephus-Maria Suarez Vaſionenſis epiſcopus, ex cujus ſchedis ipſiuſque gentilis Henrici Suarez plurimum profeciſſe ultro fatentur Fratres Sammarthani. Omnia de ipſis ſcripta probavimus, exploravimuſque, ut certiora tantum retineremus, quibus adjecimus non pauca.

EPISCOPI CARPENTORACTENSES.

I. S. VALENTINUS.

IN illa communi Galliarum clade, quam Alamanni ſub Chroco duce irrumpentes plurimis, maxime provinciæ Narbonenſis, civitatibus intulerunt, Arauſioni, Avenioni, Arelati, &c. anno CCLXVI. vel CCCXII. Carpentoracte quoque barbaris ceſſit, ejuſque epiſcopus nomine Valentinus martyrio illuſtri vitam finivit. 266. vel 312.

Eodem pene tempore Firmus Vendaſcenſis epiſcopus cruentam alacriter pro Chriſto mortem perpeſſus eſt; uti legimus in oratione S. Amatii Avenionenſis epiſcopi, quam in documentis Avenionenſis eccleſiæ dedimus. Quem ſucceſſorem habuerit ſanctus martyr Valentinus in ſede Carpentoractenſi nos fugit; idemque dicendum de ſucceſſore S. Firmi in cathedra Vindaſcina [b]. In vulgato catalogo, cujus [b] C. 1. pag. 147. col. 1.

[a] Beatam Virginem præcipuam patronam putamus; nam in diplomate Caroli regis Provinciæ, &c. dato anno 867. eccleſia major & epiſcopalis appellatur eccleſia S Mariæ. Vide probat. C. 1. In litteris Ayrardi epiſcopi pro fundatione capituli, patroni leguntur B. Maria, S. Petrus apoſt. & S. Siffredus. pag. 147. col. 1.

[b] Dominus Polycarpus de la Riviere Carthuſianus ex manuſcripto codice Avennicæ eccleſiæ docet Carpentoractenſes & Vindaſcenſes, ſub imperatoribus Diocletiano & Maximiano, anno circiter 290. impetraſſe a Gaio papa epiſcopos; Caiique ſeu Gaii papæ juſſu Paſchalium Viennenſem, Italium Arelatenſem, & Lædicium Avennicenſem epiſcopos, ordinaſſe Sellium Carpentoractenſibus, & Publium Vindauſcinenſibus. Neſcio utrum ad fidem Polycarpiani codicis debeamus admittere hos epiſcopos, in faſtis Viennenſibus, Arelatenſibus, &c. prorſus incognitos Idem ſentio de aliis a Polycarpo ſuppeditatis, Marcio Carpentoractenſi, Macilio Vindauſcenſi circa annum 303. Viviano, Superventore, Deſiderio, & Cariſſimo Vindauſenſibus, quos Polycarpus partim ex manuſcripto auctoribus

auctoribus incognitus fuit S. Valentinus, primus episcopus est Julianus qui seculo tantum sexto ineunte sedebat. In aula majori palatii episcopalis nunc destructa, olim depictæ erant imagines omnium episcoporum Carpentoractensium & Vendascensium. At ne eorum oblitteraretur memoria, illustrissimus dignissimusque eorum successor LAURENTIUS BUTIUS patricius Romanus maxima cum diligentia ex veteribus documentis nomina illorum episcoporum eruit, ac in tabella describi curavit, annotatis episcopatus singulorum annis; cujus exemplar ad me misit vir clariss. Dom. Gallet ecclesiæ Carpentoractensis pœnitentiarius, jubente illustrissimo episcopo.

Hac in tabella primus episcopus est S. ORONTIUS MODESTUS, cui assignatur annus Christi CCCCXLV. Hujus etiam episcopi meminit J. Suarez; sed quibus ex monumentis memoria ejus depromta sit ignoramus.

SABINUS in tabella secundum locum obtinet sub titulo episcopi Carpentoractensis ad annum CCCCLI. eodemque tempore

SUPERVENTOR Vendascensi sedi datur antistes. Utriusque nomen occurrit tum in epistola synodica episcoporum Galliæ ad S. Leonem scripta, tum in responso S. Leonis; sed quibus ecclesiis præessent hi episcopi non legitur; eosque facile sibi vindicare poterunt aliæ ecclesiæ, quæ aliunde certum non habent episcopum.

II. JULIANUS I.

In conventu frequenti episcoporum habito apud Epaonam anno 517. legimus sedisse Julianum civitatis Carpentoractensis episcopum, qui relectis a se canonibus hujus concilii nomen subscripsit. Eodem anno, ut doctissimo Sirmondo videtur, habita est synodus Lugdunensis, cui Julianus episcopus calculum & nomen addidit. Post septennium, anno videlicet 524. concilium quartum Arelatense celebratum est, in cujus subscriptionibus occurrit *Julianus* episcopus, qui haud dubie est noster episcopus Carpentoractensis. In ipsius urbe coactum est aliud concilium anno 527. cui præfuit S. Cæsarius Arelatensis metropolitanus, adfueruntque comprovinciales episcopi, in his Julianus. Porro id probat Carpentoractem tunc ad Arelatensem pertinuisse metropolim. Denique celeberrimo concilio Arausicano secundo sic subscripsit anno 529. *Julianus amartolus* (id est peccator) *episcopus relegi & subscripsi*; quod est summæ humilitatis Juliani argumentum.

Epistolæ synodicæ episcoporum Galliæ ad S. Leonem scriptæ anno 451. subscripsit quidam episcopus nomine Julianus, sed alius prorsus a Juliano Carpentoractensi; alioquin ejus episcopatus fuisset annorum septuaginta-octo, quod vix credibile est; at junior non ita videtur, & posterior Apollinari Sidonio, ut hujusce doctissimi viri epistola quinta libri noni *papæ Juliano*, ad alium episcopum ignotæ sedis nomine Julianum necessario scripta dicenda sit. Certe ultimis vitæ suæ annis Sidonius hanc scripsit epistolam, quapropter libro nono & ultimo continetur. Attigisse annum Christi 482. & potuit, & vulgo creditur hic episcopus. Quid autem vetat Julianum Carpentoractensem episcopum ab anno 482. ad annum 529. sedisse, & in episcopatu annos quadraginta-septem expleviſſe.

III. PRINCIPIUS.

Fuit hic haud dubie Juliani successor, si idem sit ac Principius episcopus, qui concilio secundo Arausicano subscripsit anno 529. nec obstat quod eidem concilio Julianus ipse nomen suum adscripserit: quippe non insolens erat, post celebrata concilia, eorum decreta & canones recens electis episcopis offerri, ut ipsis subscribendo consensum prabere testarentur. Itaque mortuo paulo post concilium Arausicanum Juliano, subrogatus est Principius, qui statim concilii hujus actis subscripsit. Episcopatus illius non debet protelari ultra annum 542. quo migravit in cœlum S. Cæsarius Arelatensis episcopus qui Principii successorem ordinavit.

IV. S. SIFFREDUS, *vel* SUFFRIDUS.

S. Siffredus monachus Lirinensis, quo e monasterio prodierunt tot præsules sanctitate percelebres, inde abstractus cathedram Vindascensem conscendere cogitur, ordinaturque a S. Cæsario Arelatensi antistite. Huic jam ecclesiæ præerat anno 536. quando Carpentoracte Francorum regibus cessit, si Cointio fides adhibenda sit. Tres ecclesias in sua diœcesi ædificasse dicitur: duas in urbe Vindascensi, alteram Virgini Deiparæ, alteram S. Johanni Baptistæ sacram condidit; tertiam in castro Carpentoractensi, sub invocatione S. Antonii abbatis. Obiit in senectute bona V. calendas Decembris, Vindascæ in tuguriolo quod prope basilicam B. Mariæ sibi construxerat. Postea sacræ ejus reliquiæ ex castro Vindascensi Carpentoractem delatæ sunt, asservanturque in majoris ecclesiæ sacrario.

V. CLEMATIUS, *al.* CLEMENTIUS.

Clematius cum titulo episcopi civitatis Carpentoractensis subscripsit concilio celeberrimo Aurelianensi quarto, quod habitum est anno 541. Iterum Aureliam convenit ad quintum in ea urbe concilium, anno 549. celebratum a frequentibus metropolitanis & episcopis, inter quos subscripsit Clematius ecclesiæ Carpentoractensis episcopus. Unus denique fuit ex patribus qui in concilio Parisiensi secundo se-

codice, partim ex suis conjecturis invexit. Aliter de his episcopis disseruit idem D. Polycarpus ep. 11. ad Petrenium, ubi meminit Cælestini ep. Vindascensis anno 463. & Marcelli anno 475. Item Claudii episcopi Carpentoractensis anno 441. & Superventoris 450.

Abest tamen ut quæ ad infirmandam codicis Polycarpiani fidem dicimus quidquam detrahant auctoritatis veteris monumenti quod huic codici est insertum, scilicet orationis S. Amati ad plebem Avennicam, quæ nos docet plurimos Galliarum episcopos in Alamannorum irruptione sub Chroco duce esse passos, quorum præsulum nomina pleraque nusquam alibi lecta. Quid enim vetat antiquum auctorem hujus codicis, cui externum deerat ad discernenda ecclesiæ monumenta, quædam optimæ notæ, dubia & supposititia adnotasse.

ANNI CHRISTI.

derunt, ad causam Saffaraci Parisiensis episcopi finiendam; qui videlicet de gravissimo crimine accusatus fuerat, & ab episcopatu dejectus, ac in monasterium detrusus. Priorem sententiam in eum latam confirmarunt hujus concilii patres, anno, ut Carolo Cointio placet, 551. seu 555. juxta vulgo receptam opinionem. 555.

VI. Tetradius.

Tetradius sub nomine episcopi ecclesiæ Vindascensis nomen addidit & consensum concilio Parisiensi quarto, cum Sapaudo metropolitano Arelatensi, & plurimis ex eadem provincia epi- 573. scopis, anno 573. Hac in subscriptione Tetradius pergit se dicere episcopum ecclesiæ Vindascensis.

VII. Boëtius.

Anno 584. tres metropolitani, Sapaudus Arelatensis, Priscus Lugdunensis, Evantius Viennensis, cum suarum povinciarum episcopis coëuntes, secundum concilium Valentinum celebraverunt. Inter præsules autem provinciæ Arelatensis adfuit Boëtius. Anno vero 584. sequenti ad synodum secundam Matisconensem misit, qui suas in hoc episcoporum cœtu 585. frequenti vices ageret, imitatus metropolitam suum Sapaudum, & plurimos ex eadem provincia præsules. Ibi autem Boëtius vocatur episcopus a Carpentorato.

VIII. Odofridus.

Odofridum Carpentoractensem episcopum (hisce temporibus) *floruisse scribunt fratres Sammarthani, veteribus monumentis illius ecclesiæ freti*, inquit Cointius ad annum 590. De illo vero 590. n. 34. ni il a nobis inventum esse cogimur confiteri. Aaufridi episcopi epitaphium supra portam episcopalem, juxta ecclesiam S. Siffredi inscriptum hactenus legitur, quod ad episcopum nostrum, aut ad alterum, qui centum circiter & quinquaginta annis tardius vixit pertinere debet. Ita autem se habet:

Aaufridus quo clarvit urbs Carpentoratensis
Hic jacet, unde dolor, nam jacet urbis honor.
Religio, vigor ecclesiæ, reverentia cleri
Hoc vivente fuit, hocque ruente ruit.
Oppressos relevans, tumidis leo, mitibus agnus,
Par fuit, aut primus vixque secundus erat.
Ecclesiam nimis iste suam nihil usque redactam
Extulit, & crevit, fecit & esse quod est.
Nobilis in terra, sed nobilior sit in isto,
Nobilis hinc abiit, nobilior maneat.
Prima dies Augusti terris, heu dolor! illum
Extulit, & cœlo reddidit hac eadem.
Hos fecit versus in sede secundus ab illo,
Illiusque nepos quem tenuit & docuit.

IX. Georgius I.

Georgius inter Carpentoratenses episcopos memoratur tum a nostris Sammarthanis, tum 604. a Carolo Cointio ad annum 604.

X. Petrus I.

630. Præerat anno 630. juxta eorumdem scriptorum testimonium; etsi nulla proferant argumenta & documenta ex quibus id confirmetur.

ANNI CHRISTI.

XI. Dominicus.

De illo Cointius ita loquitur ad annum 640. *Hisce temporibus ecclesiæ Carpentoractensi præerat Dominicus episcopus.* Sammarthani vero ipsi assignant annum 645. quibus minime annuit Cointius, quia concilium Cabilonense sub Clodoveo II. habitum, loco movit & præmature anno 644. celebratum putavit. At hujus concilii tempore Dominicus non sedebat amplius, ipsius enim successor Licerius ad hanc convenit synodum. 640. 645.

XII. Licerius.

Licerii tempus ex concilio Cabilonensi habito regnante Clodoveo rege II. utcumque sciri potest; hujus enim synodi decretis & placitis subscripsit. Porro etsi Cointius eam ponat ad annum 644. verisimilius tamen est, ut probat Sirmondus, eam actam esse anno 648. vulgo autem revocatur ad annum 650. Cointius censet ipsum esse Littorium episcopum, qui legitur inter subscriptiones ad calcem appositas privilegio quod S. Landericus Parisiorum episcopus concessit S. Dionysii monasterio: *Sub die Julii, in anno* XV. *regnante Chlodovico* (*al.* Clodoveo) *glorioſissimo rege* (Francorum) hoc est, ut Jacobo Sirmondo videtur, anno Christi 658. Nam, ut ipse ait: *Clodovei junioris anni consurgunt ex anno Christi* DCXLIV. *ineunte.* Attamen vir doctissimus G. Daniel e societate Jesu, uti Jacobus Sirmondus, primum Clodovei II. regnantis annum componit cum anno Domini 638. qua in sententia privilegium S. Landerici datum fuisset anno Christi 652. 648. 658.

XIII. Paulus I.

Sedebat anno Christi 664. ut summo consensu docent tum Sammarthani fratres, tum Carolus Cointius, qui tamen ad id persuadendum, nullum accersunt testimonium ab veteribus chartis. 664.

XIV. Anastasius.

Anno 686. sedebat ex Sammart. & Cointio. 686.

XV. Innocentius.

Anno 702. ex iisdem. 702.

XVI. Oloradus, *vel* Odoardus.

Anno 730. iisdem testibus. 730.

XVII. Hootfridus.

Anno 747. ex Sammarthanis, & Cointio qui autumat eum adhuc sedisse anno 752. 747. 752.

XVIII. Agapitus.

Anno 770. ex iisdem.

XIX. Amatus.

Annus Domini 788. celebris fuit in Gallia maxime Narbonensi, ob concilium in ipsa urbe Narbona Daniele archiepiscopo præside habitum, ad quod convenerunt Arelatensis metro- 788.

ANNI CHRISTI.

politanus Alfonſus, plurimique ex eadem provincia epiſcopi; quos inter Amatus Carpentoratenſis epiſcopus ſubſcripſit. Synodum hanc
791. anno 791. celebratam eſſe contendit Cointius, quo anno Amatum mortuum eſſe exiſtimat, quia hoc ipſo tempore datur illi ſucceſſor in cathedra Carpentoratenſi.

XX. ANTONIUS.

791. Anno 791. ex Sammarthanis & Cointio.

XXI. JOHANNES I.

813. Anno 813. juxta eoſdem.

XXII. ALBERTUS.

831. Anno 831. ex iiſdem.

XXIII. PHILIPPUS.

857. Anno 857. juxta Sammarthanos. Annales Cointii uſque ad hunc annum non perveniunt, ſicque quid de illo cenſuerit epiſcopo ignoramus.

XXIV. JOHANNES II.

Notus eſt hic epiſcopus ex privilegio Caroli regis, quo dat ad petitionem Johannis venerabilis Vendaſcenſis epiſcopi, eccleſiæ B. Mariæ ipſique epiſcopo, eccleſiam S. Antonii in civitate Carpentoratis, cum omni fiſco, & totum fiſcum ab Alzone rivo, uſque ad alium rivum, qui vocatur Aneſelia, &c. pro *luminariis* ejuſdem eccleſiæ concinnandis, clericorumque ejuſdem ſedis ſervientium alimoniis. *Datum* Vide inſtrum. C. I. pag. 147. col. 1. XVIII. *cal. Aprilis anno propitio Domino Jeſu Chriſto, domini Caroli glorioſiſſimi regis* XIII. *indictione* XI. *Datum Vaſione in Dei nomen feliciter. Amen.*

Præceptum iſtud non eſt Caroli Magni aut ipſius nepotis Caroli Calvi, ſed Caroli Provinciæ & Burgundiæ regis, qui filius erat natu minimus Lotharii imperatoris fratris Caroli Calvi. Ejus autem regni exordium duci debet a morte patris ad meliorem vitam vocati anno 855. Itaque 13. annus Caroli hujus regis, re-
867. ſpondet anno Chriſti 867. unde indictio male notatur XI.

Neſcimus utrum admittendi ſint an reprobandi quatuor epiſcopi quos fratres Sammarthani una ſerie recenſent.

XXV. BERENGARIUS I.

882. Anno 882.

XXVI. FRANCO I.

896. Annis 891. & 896.

XXVII. BERNARDUS.

914. Anno 914.

XXVIII. GUIDO.

932. Anno 932.

XXIX. AYRARDUS.

948. Jam præerat Ayrardus anno 948. quo videlicet ſubſcripſit litteris Manaſſis Arelatenſis archiepiſcopi, quibus dedit Aymardo abbati Cluniacenſi Juliacum villam in pago Cabilonenſi. Hac in ſubſcriptione Vendaſcenſem ſeſe epiſcopum appellat, antiquo more. Celebris eſt hic epiſcopus, ob fundationem capituli: nam inſtituit clericos canonico more, qui in eccleſia officia divina Deo rite perſolverent, numero ſexdecim, iiſque pro quotidiano victu in communia, juxta canonicam auctoritatem dedit ex decimis de villa quæ vocatur S. Euſemia, &c. *Acta charta apud ſedem Carpentoratenſem, anno incarnationis Dom.* DCCCCLXXXII. *indictione* X. 982. *calendis Martii, regnante Chuonrado rege Alamannorum ſive Provinciarum.*

ANNI CHRISTI.

Vide Ch. II. inſtrum. pag. 48. col. 2.

Nuper cum ſtructores in majori eccleſia Carpentoratenſi neſcio quid operis molirentur, forte intra murum detexerunt tumulum, in quo cadaver ſtans cum baculo paſtorali detectum eſt. At ſtatim ac recluſus eſt tumulus in cineres redactum eſt, motu præſertim baculo. In cineribus ad pedes erat hoc epitaphium:

*ART⁹ AIRARDI REDOLENT⁹ VELVT VNCCIO NARDI
HIC PRESVL VERVS PARADISI MVNVS ADEPTVS
PRIDIE SVB MARCI
FINEM SCITOTE
KALENDAS
AMEN.

* ARTUS.

De his certiorem me fecit, vir doctiſſimus & humaniſſimus Dom. de Remerville St. Quentin, de quo jam frequenter locuti ſumus. Plurima enim ſunt ipſius in nos collata beneficia, quæ citra ingrati animi notam tacere nobis non eſt integrum.

Cum Ayrardus ab anno ſaltem 948. ad 982. præfuiſſe videatur, non poteſt dari locus Mauricio, quem in Gallia Chriſtiana legimus ad annum 954. nec Martino qui anno 978. recenſetur. Si tamen de his epiſcopis quod exſtiterint conſtaret, Ayrardum duplicem admittere oporteret, ac inter utrumque Mauricium & Martinum. At vero nulla ſuppetunt teſtimonia de iis epiſcopis.

XXX. STEPHANUS.

In ſacramentali ſeu libro ſacramentorum epiſcoporum aſſervato in capitulo Arelatenſi legitur: *Ego Stephanus Vendaſcenſis eccleſiæ vocatus epiſcopus, promitto coram Deo & ſanctis ejus omnem ſubjectionem & obedientiam canonicam, & fidelitatem eccleſiæ S. Stephani ſedis Arelatenſis, ubi corpus B. Trophimi confeſſoris quieſcit, & Aimoni præſenti archiepiſcopo & ſucceſſoribus ejus, ſi eum ſupervixero.* Aimo, cujus hîc mentio, exſtinctus eſt anno 994. proindeque 994. Stephanus hoc ſaltem anno cepit epiſcopatum.

Unus eſt ex epiſcopis Burgundiæ & Aquitaniæ ad quos ſcripſit Benedictus VIII. pro Cluniaco, ut videre eſt tom. IV. collect. ſcript. hiſt. Franciæ; proindeque Stephanus adhuc erat p. 165. epiſcopus anno 1012. Hinc expungi debet ille Bartholomæus, qui juxta Sammarthanos ſedit annis 996. & 1006. quo ſcilicet tempore conſtat cathedram a Stephano fuiſſe occupatam.

ANNI CHRISTI.

XXXI. Matthæus.

Marthæi ſimplex nomen occurrit, cui annus
1035. quo ſederit aſſignatur triceſimus quintus Chriſti ſupra milleſimum.

XXXII. Franco II.

Exciderat Franconis nomen ex diptychis Carpentoractenſis eccleſiæ: at memoratur inter præſules qui Benedictum papam comitati
1040. ſunt in dedicatione Maſſilienſis monaſterii anno 1040. idibus Octobris. Legitur etiam ejus nomen in donatione eccleſiæ S. Promaſii in territorio caſtri Forcalquerienſis, quam Bertrandus Provinciæ marchio dedit monaſterio
1044. S. Victoris Maſſilienſis anno 1044. regnante Henrico. Recurre ad ea quæ in Gerardo Siſtaricenſi epiſcopo diximus, ubi recenſentur duæ chartæ de hac donatione: priori non ſubſcripſit Franco, ſed poſteriori qua Bertrannus volens reparare eccleſiam S. Promaſii, eam dat cum burgo & terris ſuæ poſſeſſionis, S. Victori. Subſcribunt Iſmido Ebredun. Petrus Aquenſis archiep. &c.

Idem Franco accenſetur iis præſulibus qui concilium celebrarunt apud S. Ægidium anno
1056. 1056.

XXXIII. Julius.

Julii epiſcopatus notatur a fratribus Sam-
1066. marthanis, annis 1056. & 1066.

XXXIV. Guillelmus I.

Guillelmus una cum Willelmo Tolonenſi epiſcopo eccleſiam a Balda de Caſtro-rainaldo devota Dei famula in ſancto virginitatis habitu poſita ſub caſtello Paracolli in honorem genitricis Dei Mariæ reædificatam, vice Roſtagni Aquenſis metropolitæ dedicat an. incar-
1068. nati Verbi 1068. indict. IV. VI. id. Januarii, ex tab. Montis-majoris. Forſitan irrepſit error in indictione; nam legendum indictione VI. In
p. 443. tomo VI. ſpicilegii litteræ hujus dedicationis leguntur, quarum hæc eſt clauſula: *Anno* MLXVIII. *indictione* VI. *quarto idus Januarii.* Mendum eſt admiſſum in mutatione numerorum indictionis & iduum.

XXXV. Arnulfus.

1095. Anno 1095.

XXXVI. Gaufridus I.

1120. Anno 1120.

XXXVII. Gaspardus.

Gaſpardus, *al.* Archaldus notatur a Sammarthanis ad annum 1151. ſed diu antea præerat, nimirum tempore Callixti papæ II. qui eccleſiam gubernavit ab anno 1119. ad annum
1124. 1124. Ab hoc vero papa delegatus eſt cum Petro Viennenſi archiepiſcopo, Hugone Gratianopolitano epiſcopo, Hildegario Tarraconenſi, ad componendas lites Guillelmi Monſpelienſis, cum comite Melgorii, efflagitante Galtero Magalonenſi epiſcopo. Itaque anno
1124. ſaltem 1124. jam præerat Gaſpardus. Ceterum non poteſt protendi ejus epiſcopatus ad annum 1151. ſed ad ſummum uſque ad 1142.

ANNI CHRISTI.

XXXVIII. Raimundus I.

In charta donationis factæ monachis Boſcodunenſibus viventibus juxta Caleſienſium inſtitutionem (quod inſtrumentum præ manibus habemus) legitur teſtis Raimundus Carpentoratenſis epiſcopus. Data autem eſt charta anno 1142. decimo calendas Aprilis luna 20. Litem inter Raimundum Maſſilienſem hujuſque eccleſiæ canonicos compoſuit una cum R. Arelatenſi archipræſule, & Willelmo Tolonenſi epiſcopo, anno 1150. Raimundus comes To- 1150.
loſæ nonnulla conceſſit eccleſiæ Carpentoratenſi anno 1155. cujus donationis inſtrumento 1155.
Raimundi epiſcopi nomen inſcribitur. Anno *Vide ch.*
1158. teſtis fuit cum Guillelmo Tolonenſi epi- *III. pag.*
ſcopo, juramenti ab Aicardo præpoſito præſtiti *148. col. 2.*
Petro Maſſilienſi epiſcopo. Anno 1159. jam 1159.
laudatus Raimundus comes Toloſanus ceſſit *Inſtrum. p.*
caſtrum Vindaſcenſe (*Venaſque*) Raimun- *149. col. 1.*
do epiſcopo. Anno 1165. juxta Ruffium teſtis fuit cum Raimundo metropolitano Arelatenſi compoſitionis factæ inter Petrum Maſſilienſem epiſcopum, & vicecomites Maſſiliæ parentes Roncelini. Eum adhuc ſediſſe anno 1170. ſignificat D. Polycarpus de la Riviere ep. 7. ad Peireskium.

de Ri-
ſole.

XXXIX. Guillelmus II.

Hic locus debitus videtur Guillelmo de Riſole ex diplomate Raimundi comitis Barchinonenſis marchionis Provinciæ, quo laudavit eccleſiæ Ebredunenſi & Guillelmo archiepiſco- 1153.
po, neſcio quas terras, menſe Octobri anni 1153. cujus illi teſtes leguntur: *Raymundus Arelatenſis archiepiſcopus, Petrus Forojulienſis epiſcopus, Arnaldus Nicienſis, Gregorius prior Valenſolie, Beraldus prior de Bello-joco, Magiſter Seguinus, Magiſter Giraldus, Guiramus, Petrus de Chabanis, Guillelmus de Riſole* (*iſte factus eſt epiſcopus Carpentoractenſis.*) Ita lego apud Hon. *fol. 11. ed.*
Bouche l. 9. hiſt. Provinciæ, ubi laudat hiſto- *3. p. 122.*
riam manuſcriptam archiepiſcoporum Ebredunenſium auctore Fornerio. Huic Guillelmo, ſi præfuit, non poteſt dari locus niſi poſt Raimundum I.

XL. Petrus II.

Hunc epiſcopum habemus ex Peireskiana penu locupletiſſima, in qua videlicet ſunt ampliſſima ſtatuta pro cœnobiis de Grezo (*Greze*) & de Patervis (*Perves*) facta anno 1178. v. 1178.
cal. Madii a Petro Carpentoractenſi epiſcopo. Cœnobia præfata erant canonicorum regularium; mandata vero pro ipſis facta videntur mitigata anno 1203. a Raimundo, vel potius Raimbaudo etiam Carpentoractenſi epiſcopo.

XLI. Raimbaudus.

Raimbaudus nominatur ut teſtis in bulla Fre- *Vide in-*
derici imperatoris data anno 1178. pro eccleſia *ſtrum Arel. Ch.*
Arelatenſi. Anno 1198. reperitur inquiſitio *XIX. pag.*
facta coram ipſo, ipſiuſque juſſu, de donatio- *99. col. 2.*
nibus a Gaufrido de Venaſca, cum ſuprema 1178.
ordinaret, factis; ſub ejus enim dominio erat 1198.

castrum de Venasca ; quo jure varias dona- A ex necrologio monasterii sancti Andreæ secus
ANNI CHRISTI. tiones Petro abbati Sinanquæ factas confir- Avenionem, ubi ejus anniversarium celebratur eodem die. ANNI CHRISTI.
mavit.

In Gallia Christiana Sammarthanorum & in catalogo jussu illustrissimi episcopi Laurentii Butii concinnato, ubi nulla Raimbaudi fit mentio, recensentur Innocentius ad annum 1184. & Andreas ad annum 1185. De his præsulibus nihil nobis occurrit ; nec qui eos admittunt, docent ubi eorum fiat mentio. Si tamen certo constet eorum episcopatus, duo fere eodem tempore sederunt episcopi nomine Raimbaudi, unus qui præerat anno 1176. alter qui anno
1208. 1198. & saltem usque ad annum 1208. quo B Raimbaudus episcopus Carpentoratensis sigillum apposuit litteris Bermundi Carboners de Venasca, pro Sinanquensi monasterio.

XLII. Gaufridus II.

Gaufridum hunc nobis suppeditat charta Montis-majoris, qua Willelmus Arausicanus episcopus & magister Tidisius Genuensis canonicus contra hæreticos Albigenses ab Innocentio papa III. delegatus, mandant, *Ut Montis-majoris abbas in realem possessionem quarte partis castri Beduini* (quam Tolosanus comes usurparat) *inducatur* ..... Datum apud Balneolum, pridie idus Februarii anno MCCXI.
1211. præsentibus Michaële Arelatensi archiepiscopo, Bertrando Cavalicensi, Gaufrido Carpentoractensi, Raimbaldo Vasionensi & Gaufrido Tricastinensi episcopis.

In concilio Montiliensi anno 1209. sententia lata est in Raimundum comitem Tolosanum, qua in primis jussus est dominum episcopum Carpentoratensem restituere, tam in civitate quam extra, & de restitutione fidejussores idoneos dare. Quæ utrum de hoc episcopo sint intelligenda, vel de antecessore ipsius, decernere D non audemus.

XLIII. Guillelmus III.

Guillelmus episcopalem sedem obtinebat annis 1211. & 1212. Eum esse putamus qui prima sui nominis littera designatus scilicet G. legitur
1218. habuisse I. coadjutorem, anno 1218. quo videlicet pro vino & blado venditis recepit a R. de Agouto quinque solidorum millia. Iste I. qui erat Guillelmi coadjutor, dicitur etiam simul sacrista ecclesiæ Carpentoratensis : vixque dubitamus eum fuisse Isnardum, de quo nunc E agendum.

XLIV. Isnardus.

Isnardus Guillelmi coadjutor, ipsum excepit in
1216. administratione saltem an. 1214. An. 1216. acquisivit a quodam Raimbaudo partem quam habebat in turre veteri, versus antiquam portam. Idem Isnardus anno 1217. Cæciliæ abbatissæ de Moleges, confirmat donum Bertrandi
1218. de Misome. Denique anno 1218. approbat donationem factam Sinanquæ, a Bertrando de Venasca.

XLV. Bertrandus.

1219. Is anno 1219. commemoratur in actis publicis ; sed anno sequenti obiit die 31. Augusti,

XLVI. Guillelmus IV. BERO-ARDI.

Guillelmus multis publicis actis innotescit, fere singulis quibus sedit annis. Anno enim 1233. 1233.
quædam permutavit. Anno sequenti prædium acquisivit ; unde consequens est expungendum esse Petrum, qui notatur episcopus ad annum hunc. Anno 1237. quædam dat in eleemosynam. Anno 1238. hominium recipit a 1237.
Bertrando Asterii. Testis fuit pactorum matrimonii inter Raimundum Tolosæ comitem, & B Sanciam filiam Raimundi Berengarii comitis Provinciæ anno 1241. de quibus in Raimundo Tolosano episcopo. Anno 1243. testis legitur 1243.
in litteris Raimundi comitis Tolosani ad Tolosanum, Agennensem, & Caturcensem episcopos, quibus, ut in hæreticos animadverterent scripsit. Anno 1245. pridie cal. Aprilis, occurrit in tabulis S. Andreæ. Anno 1246. aliis in 1246.
tabulis ejus inscribitur mentio. Anno 1251. con- 1251.
venit ad synodum provinciæ Arelatensis sub Johanne archiepiscopo, die Martis post festum exaltationis S. Crucis. Eodem anno frater ejus C sepultus est in claustro Carpentoratensis ecclesiæ, ut docet sequens epitaphium :

Anno Domini MCCLI. *scilicet* VI. *nonas Julii obiit dominus Raimundus Bernardi miles, frater Willelmi Bernardi episcopi tunc Carpentoratensis. Anno Dom.* MCCXLV. *scilicet nono cal. Novemb. obiit dominus Raimundus Bernardi ... canonicus Carpentoratensis.*

Ex his didicimus cognomen Willelmi episcopi fuisse *Bernardi*. Adhuc reperitur apud Ruffum anno 1255. nisi forte sit alius Guillel- 1255.
mus cognominatus de Barjolis.

XLVII. Guillelmus V. DE BARJOLIS.

Guillelmum de Barjolis omnes qui episcoporum Carpentoratensium nomenclaturam ediderunt, his accensent præsulibus. Tametsi vero hallucinati sint in assignando ejus episcopatus tempore (sedebat enim Guillelmus Beroardi anno 1239. quo notant Guillelmum de Barjolis, ut supra probavimus) eorum consensus in admittendo illo episcopo contemni non debet. Quid si dicamus eundem Guillelmum duplex cognomen sumsisse, *Bernardi & de Barjolis* ? Quidquid sit, liquido demonstravimus Guillelmum, qui anno 1251. sedebat, cognominatum fuisse *Bernardi*.

Anno 1258. in charta ecclesiæ Carpentora- 1258.
tensis exstat Guillelmus episcopus, cui per nos liceat aptare cognomen de Barjolis. Idem anno 1262. statuta condidit cum capitulo, de cappis. In Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum legimus notari annuam ejus memoriam in necrologio v. idus Martii.

XLVIII. Raimundus II. DE BARJOLIS al. BAROIONIS.

Raimundus de Barjolis anno 1263. recepit 1263.
hominium a dominis de Venasca, paulo post adeptam episcopatus possessionem, XIII. cal. Decemb. *Accedensque ad castrum de Venasca fe-*

ANNI CHRISTI. *Vide Ch. IV. p. 149. col. 2.*

cit poni vexillum Carpentoratenſis eccleſiæ, in præſentia dominorum, & plurium hominum ejuſdem caſtri, ſuper portale quod eſt prope eccleſiam B. Mariæ. Anno 1264. emit a Guillelmo Ricani, omne jus quod habebat in caſtro ſeu villa de Venaſca; ſequenti vero anno, a Matarona filia Dalmatii de Venaſca, partem juriſdictionis & donationis*, quæ ei obveniebat ex ſucceſſione Roſtagni de Mornatio fratris ſui. Anno 1268. compoſuit cum capitulo, pro ſolutione decimarum. Clemens papa IV. ei mandatum dedit anno 1267. ut curaret reſtitui bona ablata Montis-majoris monaſterio. Adhuc præerat anno 1273.

* *f.* dominationis.

1268.

1273.

ROSTAGNI.

XLIX. PETRUS III.

Petrus Roſtagni filius Hugonis, qui fuit ſupremus arbiter litis finiendæ inter epiſcopum Avenion. & *poteſtatem* ejuſdem civitatis, vir nobilitate & prudentia clariſſimus, & avunculus ſeu patruus Raimundi Roſtagni Tolonenſis epiſcopi, ex canonico factus eſt epiſcopus. Anno vero 1275. XVI. cal. Aprilis *fecit vexillum rubeum, cum mitris, crocis, & clavis crocei coloris portari in portale caſtri de Venaſca; & a dominis ejuſdem caſtri exegit fidelitatis ſacramentum.* Anno 1279. interfuit concilio Avenionenſi ſub Bertrando Arelat. epiſcopo.

1275.

DE MAZAN.

L. RAIMUNDUS III.

Raimundus de Mazano canonicus eccleſiæ Carpentoratenſis, electus eſt anno 1280. quam electionem confirmavit metropolitanus Arelatenſis. Anno ſequenti adfuit tranſlationi reliquiarum S. Mariæ Magdalenæ. Ipſe anno 1285. oſſa S. Siffredi epiſcopi eccleſiæ patroni, e veteri capſa educta, in nova propriis ſumtibus ex argento fabricata incluſit ſolemni ritu. Anno 1288. convenit ad ſynodum Inſulanam diœceſis Cavallicenſis, ſub Roſtagno archiepiſcopo Arelat. coactam.

1280.

1285.

1288.

DE MAZAN.

LI. BERENGARIUS II.

Berengarius de Mazano Raimundi epiſcopi conſanguineus, eidem ſuffectus eſt, anno minime nobis cognito, unanimi ſuorum ſodalium conſenſu, erat enim canonicus. Anno 1294. cum Petro præpoſito ſtatuit ut omnes reditus cujuſcumque dignitatis, perſonatus, canonicatus, & beneficii ſeu ſacerdotii, durante vacatione, libris & ornamentis eccleſiæ comparandis impendantur. Anno 1306. ipſe & capitulum Petro de Ferrieres Arelatenſi archiepiſcopo facultatem dederunt creandi in eccleſia Carpentoratenſi dignitatem archidiaconatus. Eodem anno admittit ad eccleſiam de Saltu fratrem Roſtagnum Alfanti S. Andreæ monachum ſibi a Bertrando abbate præſentatum. Accuſatus apud Clementem papam V. defenditur a fratribus Minoribus, qui ad ſummum pontificem ſcripſerunt ægre ſe ferre opinionem bonam reverendi patris Berengarii apud ipſum quibuſdam objectis criminibus obfuſcari; ad ea vero diluenda, teſtantur ipſum ſemper, etiam cum eſſet canonicus eccleſiæ Carpentoratenſis, laudabiliter & honeſte ſe habuiſſe; idcirco canonicorum omnium vota in ipſum conveniſſe, in electione ad epiſcopatum. Pauperes hunc epiſcopum experiri beneficum & munificum: audiviſſe a teſtibus fide dignis, pluſquam decem millia librarum eum dimiſiſſe populo de offenſis. Multa bona religioſis viris conferre, pacem cum ſubditis habere quantum in ipſo eſt. Cetera lege ſis in ipſis litteris datis IV. cal. Maii anni 1307. An. 1312. die 3. menſis Maii hominium ipſi præſtitum eſt a nobili viro Raimundo de Agouto domino de Tritis, caſtri de Forcalquerio, & caſtri de Muris, flexis genibus; qui profeſſus eſt ſe poſſidere caſtrum de Muris, ſub dominio & *ſenhoria* dicti domini epiſcopi; & quemcumque epiſcopum Carpentoratenſem in ſua creatione epiſcopali, in primo adventu ſuo ad caſtrum de Muris, habere poſſe vexillum ſuum, vel ſenhoriam in ſignum ſui dominii. & eccleſiæ (Carpentoratenſis) ponere in turri ſeu in fortalitio dicti caſtri, &c. quæ leges, ſi velis, in probat. An. 1316. die 10. Junii Roſtagnum de Merindolio monachum S. Andreæ admittit in priorem eccleſiæ ſancti Salvatoris de Saltu, præſentatum a Berengario abbate. Eodem an. Petrum de Relhano in ruralis S. Bartholomæi eccleſiæ priorem & rectorem recipit die 17. Martii, ad petitionem ejuſdem Berengarii abbatis. Hæc nobis de hoc epiſcopo ſuppeditarunt tabulæ S. Andreæ.

1294.

1306.

Ch. V. pag. 149. col. 2.

1312.

Ch. VI. p. 14. col. 2. 1316.

LII. OTHO & ODO.

Otho electus anno 1318. legitur: biennioque elapſo Johanni papæ XXII. ceſſit dominium temporale civitatis Carpentoratenſis, aſt ejus loco plurima accepit jura tum in hac urbe, tum in variis comitatus locis. Anno 1321. Arnaldus cardinalis noſtro ſcripſit Odoni ut ordinaret Guillelmum abbatem Monaſterii-novi Pictavienſis. An. 1322. juſſit recenſeri & deſcribi ſacras eccleſiæ ſuæ reliquias. Venit ad concilium Avenionenſe apud S. Rufum die 3. Septembris anni 1326. cujus acta viſa ſunt a Petro Gaſſendo.

1318.

1321.

1322.

1326.

LIII. HUGO.

Hugo, ſi credimus Johanni Columbi, jam præerat anno 1330. acceſſitque ad concilium San-ruffenſe eodem an. habitum. Noſtris vero Sammarthanis ſatis fuit inchoare Hugonis epiſcopatum, an. 1332. Sedit in alio Avenionenſi ad S. Rufum concilio anno 1337. die 3. Septembris.

1337.

LIV. GAUFRIDUS III.

Hujus præſulis mentio non occurrit ante annum 1347. die 8. Decembris. An. 1348. primus nominatur internuntiorum & procuratorum ad tractandum de conjugio inter Humbertum Delphinum, & Blancham ſororem Amedei comitis Sabaudiæ; quod tamen in fumos abiit, uti alia ejuſdem principis tentata matrimonia.[a] Sedit uſque ad annum 1356. quo tranſlatus eſt ad cathedram Carcaſſonenſem, ex veteri charta Carpentoratenſi; proindeque exſufflanda eſt illa parthenonis de Vicinis, in dioc-

[a] *Memoires pour l'hiſt. de Dauphiné p. 619. & 628.*

1356.

ANNI CHRISTI.

ceſi Aurelianenſi, data anno Chriſti 1351. an. A vero IX. pontificatus Clementis papæ VI. die V. Maii, qua conceduntur viſitantibus eccleſiam monaſterii dies 40. indulgentiarum, ubi teſtis legitur Johannes epiſcopus Carpentoratenſis, qui quinquennio ſolum elapſo factus eſt epiſcopus. Certe plerorumque epiſcoporum qui notantur his in litteris nomina ſunt prorſus ficta, unde non mirum ſi error irrepſerit in aſſignandis annis epiſcopatus Johannis, qui ſequitur.

Rogerii

LV. JOHANNES III.

Johannes Rogerii Clementis VI. nepos, Gregorii XI. frater, ſubrogatur Gaufrido ad aliam B eccleſiam commigranti. An. 1359. ratam habuit fundationem monialium S. Magdalenæ de Montiliis, quarum abbatia an. 1367. Carpentoratum tranſlata eſt. An. 1363. cum ſuo capitulo de inſtauranda eccleſia deliberavit. Aſſumtus eſt poſtea ad Auſcienſem metropolim.

1359.

1363.

Flandrini

LVI. JOHANNES IV.

Johannes Flandrini ex diœceſi Vivarienſi oriundus, cum eſſet decanus Laudunenſis, creatus eſt epiſcopus Carpentoratenſis. An. 1365. adfuit concilio Aptenſi. An. 1371. electus eſt ad gubernandam Auſcienſem eccleſiam, ad quam C tamen non acceſſit niſi an. 1379. 14. Novemb. A Clemente VII. creatus eſt cardinalis preſbyter ſanctorum Johannis & Pauli titulo Pammachii an. 1390.

1365.

1371.

LVII. GUILLELMUS VI.

Guillelmus an. 1375. tanquam papæ nuntius adfuit cum Pileo * archiepiſcopo Ravennate, conventui Brugis in Flandria habito, ad pacem inter Francos & Anglos conciliandam; ut poſtea junctis viribus bellum inferre poſſent Turcis, & Græcis mittere ſuppetias uti ſcribunt Froiſſartus & alii hiſtorici. In collectaneis pag. 79. Rimerii Angli nuper editis legitur tom. VII. D ſuper Feugis inter reges Angliæ & Franciæ nuntiorum papæ memoriale: *Philippes par la grace de Dieu archeveſque de Ravennes, & Guilles eveſque de Carpentras Meſſages ordonnez par noſtre tres-ſaint pere le Pape, pour traiter de paix* XXVII. *Juin* MCCCLXXV. Idem ibidem p. 108. ad diem 2. Junii 1376.

Philippo

LVIII. PETRUS IV.

Petrus periculum fecerat officii epiſcopalis, in Electenſi eccleſia, priuſquam Carpentoratenſis curam ſuſciperet. Anno 1377. arbiter fuit controverſiæ motæ inter capitulum ſuum E & Hugonem Moteti priorem de Grezo, pro neſcio quibus juribus ad ſepulturam mortuorum pertinentibus. Ejuſdem nomen inſtrumentis annorum 1388. & 1394. inſcriptum ipſius epiſcopatum ad hæc tempora perveniſſe probat.

1377.

1394.

LIX. JOHANNES V.

Omnes epiſcoporum Carpentoratenſium indices hunc Johannem repræſentant; cui alii annum 1399. tribuunt, alii 1406.

1399.

1406.

ANNI CHRISTI.

LX. PAULUS II.

Cam-pson.

De Paulo Camplon nihil prorſus nobis notum eſt, præter annum 1406. quo ſediſſe dicitur.

LXI. BENEDICTUS XIII.

Anno 1408. ſede vacante Petrus de Lunâ, propapa agnitus, & appellatus Benedictus XIII. epiſcopatum ſibi vindicavit & retinuit, cui regendo in temporalibus & ſpiritualibus præfecit vicarium generalem Aldebertum de Moreriis licentiatum in decretis. Id probat D. Pol. de la Riviere, ex charta Boni-paſſus, cui monaſterio præerat, data 11. Januarii anni 1408.

1408.

LXII. LUDOVICUS I.

de Fliſco.

Ludovicus de Fliſco cardinalis S. Adriani, ex comitibus Lavaniæ, ab Urbano VI. creatur Vercellenſis epiſcopus 1384. eodem anno purpura inſignitus. Legationibus Campaniæ, Genuenſi, Bononienſi, Ferrarienſi, & Flaminæ functus, a Martino V. ad regem Siciliæ nuntius deſtinatur. Adminiſtrator autem Carpentoractenſis an. 1411. & 1415. deceſſit Romæ III. nonas Aprilis 1423. cadaver Genuam defertur ſepeliendum in æde S. Laurentii majorum tumulo.

1411.

LXIII. CAROLUS.

le Double.

Carolus le Double an. 1420. juxta vererem calculum ex capellano Ebroicenſi promovetur ad epiſcopatum Carpentoractenſem, qua de re exſtat charta hæc Henrici V. regis Angl. ex cod. MS. a D. Vyon d'Herouval communicato:

Henricus Dei gratia rex Angliæ heres & regens regni Franciæ & dominus Hiberniæ baillivo noſtro d'Evreux, vel vicecomiti noſtro ibidem, ſalutem. Vobis tenore præſentium ſignificamus, quod alteram portionem capellæ ſeu capellaniæ, in honore S. Nicolai in caſtro civitatis Ebroicenſis demolito, fundatæ, per promotionem magiſtri Caroli le Double ad epiſcopatum de Carpentras, vacantem & ad noſtram donationem pleno jure ſpectantem: ut dicitur, dilecto nobis Johanni Vaudin magiſtro in artibus, cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis conferimus & donamus, mandantes quatenus ipſum Johannem in corporalem poſſeſſionem portionis prædictæ ponatis, & inducatis, ſeu poni & induci faciatis, necnon fructibus, obventionibus & emolumentis ad eamdem ſpectantibus uti & gaudere permittatis, adhibitis ſolemnitatibus in talibus fieri conſuetis; in cujus rei teſtimonium has litteras noſtras fieri fecimus patentes. Teſte me ipſo apud caſtrum noſtrum Rotomagi 22. *die Januarii anno regni noſtri* VIII.

LXIV. JACOBUS I.

de Camplo.

Jacobus de Camplo patria Aprutius, in re litteraria non mediocriter inſtructus, clero deſtinatus, Florentini antiſtitis vices exſecutus eſt, jura populis reddendo; qua quidem in functione magnam laudem adeptus eſt. Tum auditor cameræ apoſtolicæ conſtitutus, cum in legum eccleſiaſticarum, ſanctionum juriſque pe-

ANNI CHRISTI.

ritia præcipuus doctor haberetur, multorum A lites ſumma induſtria uſus, compoſuit. Functus eſt auditoris officio in concilio Conſtantienſi, illoque pro tribunali ſedente, lecta eſt citatio Petri de Luna, qui ſe Benedictum papam XIII. dicebat. In Gallias vero deſtinatus a pontifice, maximam regis gratiam & benevolentiam promeretur. Epiſcopus dein Aquinas electus anno 1420. transfertur ad eccleſiam Spoletanam 1424. die IV. cal. Julii, demum ad hanc Carpentoractenſem II. Aug. Romæ vivis exemtus, jacet in eccleſia S. Mariæ Majoris cum hoc epitaphio: *Hic requieſcit corpus bonæ memoriæ domini Jacobi de Campo epiſcopi Carpen-* B *toratenſis, qui obiit anno Domini* MCCCCXXIV. *die ... menſis Novembris; pro cujus animæ quæ requieſcat in pace, hæc capella in honore B. Mariæ, prout ipſe in ſuo teſtamento reliquit, pro domino capellano fundata, & dotata eſt.*

Tom. XII. concil. col. 1776.

1424.

DE COMITIBUS.

LXV. SAGAX.

Sagax de Comitibus nobilis Romanus; ex qua gente multi cardinales, an. 1426. Carpentoratenſem rexit eccleſiam; unde aſſumtus eſt ad Spoletanam eodem an. 1446. III. cal. Junii, obiitque an. 1448.

1426.

1446.

VITELESCHI.

LXVI. BARTHOLOMÆUS.

C

Bartholomæus Viteleſchus epiſcopus Cornetanus, huc tranſlatus an. 1447. II. idus Julii, eodemque an. 12. cal. Aug. iterum ad Cornetanam rediit cathedram: ita habent acta conſiſtorialia.

SOIBERTI.

LXVII. GUILLELMUS VII.

Guillelmus Soiberti ex epiſcopo Ucetienſi factus Carpentoratenſis, Petro Albanenſi epiſcopo ſedis apoſtolicæ legato, ſanctarum mulierum Mariæ Jacobi, Mariæ Salome, & Mariæ Cleophæ corpora e terra educenti, & in capſam cypreſſinam immittenti, cum tredecim D aliis præſulibus adfuit 4. Decembris an. a nativit. D. 1448. ex tab. Montis-maj.

D'ORNONE.

LXVIII. GEORGIUS II.

Georgius cognomento d'Ornone, primo epiſcopus Ucetienſis an. 1449. ut ſcribit Ughellus, deinde Carpentoratenſis, poſt tres regiminis annos obiit.

1449.

1452.

ANGLICUS.

LXIX. MICHAEL.

Michael Anglicus ordinatus anno 1452. V. calDecembris, anno 1457. interfuit Avenio- E nenſi concilio ſub cardinali Fuxenſi. Legit tamen D. Edmundus Martenne Stephanum, non Michaëlem, in codice, ex quo illud concilium editurus eſt.

1457.

DE ROVERE.

LXX. JULIANUS II.

Julianus de Robore Savonenſis, Sixti IV. nepos, ſedem hanc obtinebat an. 1473. ex epiſcopo cardinali Sabinenſi ab eodem Sixto creatur Oſtienſis 1483. inde ad apoſtolicum thronum ſubvectus Julii II. pontificis nomine anno 1503. Conſulenda ſunt quæ ſupra diximus de eo in Avenionenſibus archiepiſcopis. Sed longe plura leguntur in hiſtoria pontificia.

1473.

1483.

ANNI CHRISTI.

DE SALUCES.

LXXI. FREDERICUS.

Fredericus de Saluces Ludovico I. marchione Salutienſi, & Eliſabetha Paleologa Monferratenſi parentibus, ex prænobili & vetuſta ſtirpe natus: decanus collegiatæ eccleſiæ Salutiarum, ejus primus antiſtes an. 1481. a quibuſdam male aſſeritur; ad hanc enim cathedram primo aſſumtus eſt Johannes Antonius Roboreus Julii II. affinis. Sabaudiæ ducis quoque a conſiliis exſtitit Federicus, necnon abbas B. Mariæ de Stapharda in Pedemontio. Carpentoractenſem vero adminiſtravit eccleſiam anno 1476. & 1481. de quo Franciſcus-Auguſtinus ab Eccleſia in hiſtoria Pedemontana.

DE VALLE VARIIS.

LXXII. PETRUS V.

Petrus de Valetariis patria Genuenſis, Sixti IV. & Julii II. affinis, ab eodem Sixto anno 1482. ad ſedem Carpentoratenſem promovetur. Anno 1507. dicitur palatii domini papæ prælatus domeſticus. Anno 1513. rector & gubernator comitatus Venaiſſini inſtituitur; anno vero ſequenti 1514. a Leone X. prolegatus Avenionenſis creatur; quo munere per aliquot annos functus obiit.

1482.

SADOLET.

LXXIII. JACOBUS II.

Jacobus Sadoletus, Mutina oriundus anno 1478. patre Johanne Sadoleto juris civilis & pontificii cognitione inſigni, qui prima adoleſcentia filium, in quo capeſſendarum omnis generis litterarum ſpecimina elucebant, ſedulo curavit imbuendum liberalibus omnibus artibus & diſciplinis, præceptore uſus Nicolao Leoniceno, ſub quo philoſophiæ tyrocinium fecit, cum jam Græcas, Latinaſque linguas apprime calleret. Romam profectus, in Oliverii Caraffæ cardinalis contubernium admiſſus, tunc doctiſſimis viris innotuit juvenis; præſertim vero Petro Bembo, qui una cum Sadoleto noſtro, inter eruditos viros quorum opera pontifex a ſcribendis epiſtolis uteretur, a Leone X. deligitur. Eam quidem functionem adeo feliciter obivit, ut nemo ætate ſua ſcribendi facultate, & elegantia antiquos magis æquaſſe videatur. Erat enim multis titulis doctus, nempe theologus, orator, philoſophus, poëta, & in omni ſcientiarum genere excellens. Cum autem ab omni cupiditate ſacerdotiorum eſſet alienus, tametſi valde gratioſus pontifici apud eum plurimum poſſet, ea ſemper repudiavit, donec profectus voti cauſa ad Lauretanam Virginis ædem, vacante tum Carpentoractenſi eccleſia, ei ultro non poſtulanti imo aliquandiu recuſanti commendata eſt a Leone X. an. 1517. qui tamen eum Romæ retinuit. At poſt Leonis pont. tranſitum curia abſceſſit, ſtatim Carpentoractem migrans magna ubique gratulatione exceptus in diœceſi. A Clemente VII. invitus iterum accerſitus fuit, quem, cum eum impenſe diligeret, ejus votis obſecundavit, ne ultra triennium a ſua eccleſia abeſſet. Romæ vero intimam pontificis amicitiam & familiaritatem ſibi promeruit,

1517.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI. ruit, qui ejus consiliis sæpe usus est in administranda republica Christiana; cumque triennium suum exegisset, ex officio episcopali urbem suam regressus Sadoletus, commisso sibi populo instruendo vigilanter incubuit, ac salutaribus documentis & institutis divinis gregem suum informavit. Per id temporis a Francisco I. Lugduni comiter & honorifice exceptus est, qui gravitate, prudentia, & eruditione viri perspecta, eum plurimum collaudavit. Paulo III. ad apostolicam sedem promoto, Romam iterum Sadoletus gravissimis de rebus evocatus est. Erat 1536. tamen adhuc in sua diœcesi an. 1536. transegitque die 23. Junii cum Montis-majoris monachis. Romam profectus, Niceam secutus est pontificem, cum ad conciliandos Franciscum regem & Carolum Cæsarem eo profectus est. Paulo mox bello inter eundem Cæsarem & regem re- 1542. crudescente, deligitur a Paulo legatus, qui Franciscum in Galliam conveniret, & pactis firmissimis ad concordiam revocaret, in quo munere singularis ejus animi vis, auctoritas & solertia emicuit. Post multa alia nomine reipublicæ Christianæ cum laude obita, ab eodem Paulo III. in purpuratorum collegium cooptatus, jam ab anno 1536. cardinalis sancti Petri ad vincula titulo Eudoxiæ est appellatus. Ingravescente ætate satis cessit Romæ, an. 1547. mense Octobri; cadaver sine funeris pompa, uti præscripserat, conditum est in æde S. Petri in Esquiliis sacra, a Paulo nepote cenotaphio honestatus & sequenti epitaphio:

D. O. M. S.

Jacobo Sadoleto episcopo Carpentoractis, S. R. E. presbyt. cardin. viro morum gravitate, prudentia & vitæ integritate præstantissimo, doctrina & eloquentia cum iis quos mirata est antiquitas comparando: Paulus Sadoletus episcopus Carpentoractis, & Camillus Sadoletus fratrum filii mœstissimi multis cum lacrymis patruo B. M. posuerunt. Vixit annos LXX. *m.* III. *d.* VI.

Celebratus fuit funebri oratione coram universo purpuratorum senatu a Johanne-Petro Caraffa Sabinorum episcopo, necnon a Jacobo Gallo cive Romano, in templo D. Laurentii. Hactenus fere Antonius Florebellus in vita cardinalis Sadoleti, præfixa tomo operum continenti libros 16. epistolarum, de philosophica consolatione, & meditatione in adversis, de liberis recte instituendis, de laudibus philosophiæ, orationes varias, poëmata quædam, interpretationem in psalmos, in epistolam B. Pauli ad Romanos, & alia. De eo honorifice loquuntur Jovius, Bembus in epistolis, Cæsar Capacius, Filiuccius, Thuanus, Sigonius, & alii docti[a].

Lugduni 1550.

[a] Sadolet.

LXXIV. Paulus III.

Paulus Sadoletus Jacobi fratris filius, eo vivente in sedem Carpentoract. admissus est. Significat id Paulus epistola Alexandro Farnesio cardinali scripta Carpentoracte an. 1549. *Cum Sadoleti patrui mei obitus, amplissime Farnesi, eum mihi luctum ac mœrorem attulisset, quem paterna ejus in me beneficia, meaque perpetua erga eum pietas postulabat: nullum doloris mei expertus sum melius, aptiusque solatium, quam quod extremo illius mandato, & meo una officio, conor, Deo infirmitatem meam adjuvante, satisfacere. Nam cum is & sæpe alias, & cum jam pene animam exhalaret, hanc mihi Carpentoractensem ecclesiam, quam ipse præsens quoad ei licitum fuit, summa cura & diligentia rexerat, pro sua paterna in eam caritate diligentissime commendasset, meque ut ab ejus custodia nulla re unquam avellerer, vehementissime hortatus esset; nullam moram post ejus mortem interposui, quin ad parendum tam salutaribus præceptis, & ad obeunda tam sancti & præclari muneris officia me conferrem; cujus mei consilii majorem in dies fructum capio. Sed cum officii mei ratio, & illa, quam sanctissimæ patrui memoriæ debeo, pietas, hoc præterea a me postulare videtur, ut illius scripta & lucubrationes, quæ penes me essent, ederem; ad eas me legendas & accurate considerandas (socio hac in re, & adjutore usus Antonio Florebello) dedi.* Paulus Sadoletus erat simul rector & gubernator comitatus Vindascini, Paulo papa III. ipsi provinciam hanc demandante anno 1541. 1541. Ecclesiæ Carpentoratensi sapienter præfuit usque ad annum 1569. Scripsit quasdam litte- 1569. ras quæ leguntur in volumine epistolarum tredecim scriptorum illustrium Italice edito.

LXXV. Jacobus III. Sacratus

Jacobus Sacratus Ferrariensis, filius Johannis-Baptistæ & Margaritæ Sadoletæ Jacobi cardinalis fororis, episcopatu Carpentoractensi donatus est anno 1569. quo adfuit syno- 1569. do Avenionensi, ut me docet vir clariss. D. Bernard canonicus ecclesiæ Avenionensis, in hist. Universitatis hujus urbis. Sane tanti facio doctissimi illius viri auctoritatem ut ad ipsius testimonium Paulo Sadoleto unum episcopatus annum detraham; nam legeram eum sedisse usque ad annum 1570. Præter pastoralem curam, aliam suscipere coactus est Jacobus in toto Vindascino comitatu, tanquam ipsius rector & gubernator pro summo pontifice. In psalmos & epistolas D. Pauli edidit commentaria; admisit Capucinos 9. Aprilis 1591. de quo Ughellus to- 1591. mo II. in episcopis Comaclensibus. Ejusdem sedis floruere episcopi Hercules Sacratus, & Alfonsus Francisci Sacrati cardinalis frater. Jacet in ecclesia Carpentoratensi, ubi legitur hoc epitaphium:

Mihi vivere Christus est & mori lucrum.
Renascentis anni & Christi circumcisi luce,
Horæ a meridie primæ, sempiternæ memoriæ reverendissimus D. Jacobus Sacratus Ferrariensis,
Carpentoratensis episcopus, rectorque patriæ
dignissimus,
Cum perfecta quindecim lustra, binos menses
& trinos soles complexisset, gemente
clero & omni populo
Obiit.
Hic namque veræ devotionis & castitatis amator,
integro viginti annorum, septem mensium
& unius diei spatio quo episcopatum
rexit,

[a] Michael Beloz, *Vie du cardinal Sadolet* 1607. Ribier, *Mem. d'estat*, p. 107.

ANNI CHRISTI.

Semper fuit gregis, templi, domus, morum & rerum frugifer inſtaurator.
Peregrinorum & pauperum affabilis alter,
Orphanotrophii & ſeminarii munificus fator,
Sacri officii & ſacrificii ampliſſimus cultor.
Ejus a ſecretis & domeſticis præfectus, dominus Johannes Pavanatus ſacriſta, lugens cum omni familia optimo parenti, ſtatim poſt juſta hanc poſuit & dedicavit urnam menſe Martio MDXCIII.

Caponi. **LXXVI. Horatius.**

Horatius Caponi nobilis Florentinus, & gentilis Aloyſii cardinalis Caponi Ravennæ archiepiſcopi 1621. Carpentoractenſi præfuit eccle- B
1596. ſiæ anno 1596.

de Bardis. **LXXVII. Cosma.**

Coſma de Bardis ex comitibus Vernii, e primaria nobilitate Etruſca, Johannis Lucretiæque Salviatæ natus; poſt multos magiſtratus eccleſiaſticos, patriæ ſedis pontifex tandem aſſumtus fuit. Sub Bonifacio Caietano cardinali legato Ravennam rexit, inde Imolæ præfectus, ac per totam Aemiliam generalis ærarii commiſſarius, tum Interamnenſibus populis jus divinum dixit & mox Avenionenſis totius comitatus vicelegatus, epiſcopus Carpentoractenſis an. C
1616. 1616. & pro Urbano VIII. legationis munere extra ordinem perfunctus. Demum archiepiſcopus Florentinus electus 1630. die 9. Septemb. quem pontificatum brevitempore obtinuit; defunctus enim eſt vita die 18. Apr. 1631. conditus in ſua cathedrali. Frater erat Philippi epiſcopi Cortonenſis, ut habet Ughellus in archiepiſcopis Florentinis; ejuſdem gentis Bartholomæus Spoletanus, & Alexander ſancti Papuli in Gallia epiſcopus.

Bichi. **LXXVIII. Alexander.**

Alexander Bichius Senenſis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, abbas ſancti Petri Montis-majoris prope Arelatem, ſancti Petri Catalaunenſis & ſanctæ Mariæ de Caſtriciis, Metelli Bichii cardinalis Soanæ archiepiſcopi Senenſis nepos ex fratre Bernardino patricio Senenſi, filio Alexandri, Coſæque Bandinellæ; D
1630. creatus eſt epiſcopus Carpentoract. an. 1630. purpura donatur ab Urbano VIII. pontifice
1633. die 26. Novembris 1633. dum eſſet nuntius apoſtolicus apud regem Ludovicum XIII. Interfuit duplici conclavi cardinalium quo creati
1644. pontifices Innocentius X. 1644. & Alexander
1655. VII. anno 1655. Palatium epiſcopale temporum E injuria deformatum deſtruxit, & regia pene munificentia a fundamentis erigi curavit, ejus potius fundator quam inſtaurator. In civitate Saltenſi fratres Prædicatores ſtrictioris Obſervantiæ admiſit, innumeriſque relictis ſuæ munificentiæ monumentis, Romam vocatus ab In-
1657. nocentio X. ibidem obdormivit 25. Maii 1657. ætatis ſuæ 61. ſepeliturque in eccleſia ſanctæ Sabinæ, cum hoc epitaphio:

R. S. I.

Alexandro Bichio Senenſi tit. S. Sabinæ S. R. E. presb. cardinali, Cœlioque fratri Sac. Rotæ Rom. auditori, Metelli cardinalis e Vincentio fratre nepotibus, vicaria A. C. juriſdictione perfunctis. Unde Alexander Urbani VIII. pont. max. delectus in regno Neopolitano Inſulanus, in Gallicano Carpentoractenſis antiſtes, utrobique nuntius. Æquanimi magnitudine per aſſidua rara pietatis, ac prudentiæ documenta, exſtincto ſimul Francorum regis auſpiciis intra Italiam exardeſcentium bellorum incendio, & paſtis in Gallia provinciis, totius regni Gallia apud ſanctam ſedem comprotector, gloriam nunquam quæſitam ſemper promeritus. Cœlius vero pari laudum tenere ſanctioribus pontificiæ molis curis adhibitus, archigymnaſii almæ urbis præfectus, ac demum Alexandri VII. pont. max. oraculo, ſanctæ inquiſitionis, ac ſacræ pœnitentiariæ conſultor, juſtiſſime in ſapientiſſimo Rotali conſeſſu annos 19. emenſus. Galganus arcis Albaniæ marchio, fratribus mortalitate exutis, anno ſalutis MDCLVII. *Cœlio, die 9. Martii, æt. anno 57. Alexandro die 25. Maii, ætatis anno 61. poſuit.*

LXXIX. Ludovicus II. Fortia.

Ludovicus de Fortia de Monreal ex nobiliſſima familia Avenionenſi ortus anno 1618. omnibus virtutibus, & præſertim ſumma in Deum pietate ornatus, primo ab Innocentio X. epiſcopus Cavellicenſis renuntiatus eſt, & die 23. Sept. 1646. in baſilica Liberiana a cardinali Petro-Ludovico Caraffa conſecratur, & poſtea ab Alexandro VII. per obitum cardinalis Bichii ad eccleſiam Carpentoratenſem tranſlatus 1657. Præfuit ad annum 1661. quo obiit. Jacet 1657.
in eccleſia cathedrali hoc decoratus epitaphio: 1661.

D. O. M.

Ludovico Fortia primum Caballionenſi & deinde Carpentoratenſi epiſcopo, paſtori optimo, qui dum omnem ſuam induſtriam atque prudentiam in animarum cura collocaret, facultates in pauperum ſuſtentatione conſumeret, multiſque vitam ſua liberalitate prorogaret, ſibi mortem laboribus pietatis cauſa ſuſceptis, nimia erga ſe ſeveritate & immoderata corporis afflictatione maturavit, exſtinctus an. ætatis ſuæ XLIII. *a Chriſto nato* MDCLXI. VI. *calendas Maias.*

Gaſpar Fortia Monrealis frater mœſtiſſimus monumentum erigendum curavit.

Dum morere aterna præſul digniſſime vita,
Interitu virtus eſt rea facta tuo.
Impoſuit magnos nimium tibi dura labores,
Diminuitque tuos immoderata dies.
Omnibus ornarat te dotibus & tibi mentem
Finxerat & mores rexerat una tuos.
Cumque tui in terris miros exciret amores,
Te ſubito in terris ipſamet eripuit.

J. Sangeneſius.

LXXX. Gaspar. Lascaris.

Gaſpar Laſcaris de Caſtellar Nicienſis, ex comitibus Vintimillienſibus ortus in loco de Caſtellar ex Claudio comite de Vintimilliis & Camilla de Laſcaris, vir prudentia & ſingulari in rebus agendis dexteritate inſignis, primo prolegatus Avenionenſis an. 1659. factus eſt, & 1659.
deinde epiſcopus Carpentoratenſis poſt mortem

ANNI CHRISTI.

Ludovici, bulla Alexandri VII. data 28. Sept. A anni MDCLXV. sacro perungitur oleo in pontificem Romæ a Carolo Pio cardinali, die 4. Octobris, possessionem adeptus die 13. hujus mensis. Omnibus veri & vigilantissimi pastoris muneribus functus est usque ad annum 1684. 1684. quo Carpentorati obiit die 6. Decembris.

DURAZZO.

LXXXI. MARCELLUS.

Marcellus Durazzo Genuensis, prolegati Avenionensis, & nuntii apostolici in Lusitania & Hispania muneribus tanta cum prudentia functus est, ut cardinalis ab Innocentio XI. sanctissimo pontifice creari meruerit. B 1688. Ad episcopatum Carpentoratensem 1688. postea evectus, cum hanc ecclesiam per aliquot annos rexisset, ad Spoletanam regendam, deinde ad legationem Bononiensem assumtus est.

LXXXII. LAURENTIUS.

Laurentius Butius patricius Romanus, utriusque signaturæ referendarius, & gubernatoris munere in pluribus Italiæ provinciis dignissime functus, ad sedem Carpentoratensem sublevatur 1691. 1691. & inter episcopos qui papæ assistunt est admissus. Ecclesiam suam singulari cum pietate, prudentia ac zelo vigilantissimus pastor admi- C 1710. nistravit ad 1710. quo migravit e vita die 22. Aprilis. Jacet in ecclesia cathedrali cum hoc epitaphio:

Laurentius Butius patricius Romanus,
episcopus Carpentoratensis,
sanctissimi domini nostri prælatus domesticus,
ejusque sacri sacelli assistens.
Qui
pluribus ditionis pontificiæ provinciis
in Italia viginti annis etiam cum potestate
sanguinis præfuit. Supremis signaturarum
gratia & justitiæ, aliisque almæ urbis
tribunalibus per decennium jus dixit.
Hanc Carpentoratensem ecclesiam
ab anno MDCLXXXXI.
summa cum laude rexit per annos XIX.
Tandem obiit anno MDCCX.
ætatis suæ LXXVI. die XXII. Aprilis.

ANNI CHRISTI.

LXXXIII. FRANCISCUS-MARIA. ABBATI.

Franciscus-Maria Abbati sanctissimi domini nostri Clementis XI. nunc feliciter regnantis consanguineus, primum civitatis Carpentoratensis & totius comitatus Vindascini rector & gubernator ab eodem Clemente XI. creatus 1702. postmodum 1707. episcopus Reatinus, tandem B anno 1710. ad Carpentorat. sedem translatus. 1710.

Ex epistola 9. D. Polycarpi de la Riviere ad Peireskium, discimus doctissimum illum virum ad D. Polycarpum misisse catalogum episcoporum Carpentorat. quem hic ut mendosum prorsus reprobavit. Notatque inter præcipuos errores, omissos Silvestrum anno 990. Stephanum 1003. Franconem 1040. Raimundum 1270. G. 1316. 10. Junii, Benedictum XIII. antipapam an. 1408.

Ex epistola XI. patet D. Polycarpum accepisse postea quasdam Peireskii observationes circa eundem catalogum de quibus gratias agit, & de C indicatis sibi Raimundo ad annum 1170. I.... cujus optaret scire verum nomen, & Guillelmo an. 1239. Hæc optime conveniunt cum nostro catalogo, in quo nomen hujus episcopi I. exhibemus, fuit enim Isnardus. Forte his Peireskii observationibus doctior factus mutavit sententiam de catalogo ad eum misso, & minime perseveravit in admittendo Silvestro ad an. 990. Itaque lectis D. Polycarpi emendationibus tardius ad me missis a viro clariss. D. Thomassin de Mazaugues, altero, ut ita dixerim Peireskio, nihil mutandum putavi in hac Carpentoratensium episcoporum historia; quod ni- D hil probet Polycarpus, & fortasse mentem mutaverit, ex Peireskii monitis.

ALIQUOT PRÆPOSITI CARPENTORATENSES.

I. ROstagnus præpositus Carpentoratensis 1165. ex D. de Ruffy.

II. Raimundus Gaufredi 1226. sub Isnardo episcopo, & 1230. ac 1240. sub Guillelmo.

III. Petrus I. Aricus 1251. Idem forte cum Petro præposito, qui anno 1262. cum Guillelmo episcopo quædam condit statuta. Item 1272. in charta B. Arelatensis archiepiscopi.

IV. B. 1280.

V. Petrus II. Olrici 1280.

VI. Petrus III. Bertrandi 1293. & 1294. quo anno ipse & Berengarius episcopus statuunt ut omnes reditus cujuscumque dignitatis, personatus, canonicatus & beneficii durante vacatione impendantur ad libros & ornamenta comparanda. Idem præerat adhuc 1300.

VII. Alberonus Alberoni de Bertio 1322. 1332. 1334. quo cum Hugone episcopo quædam statuit.

VIII. Sifredus Trinelle 1334. obiit 1339.

IX. Stephanus Aureoli 1340. memoratur in quibusdam capitulis generalibus 1343. 1345.

X. Vitalis de Casnato 1348.

XI. Guillelmus de Godorio 1356.

XII. Giraudus Genebrardi in capitulo generali 1363.

XIII. Petrus IV. Borboni 1376. 1380. 1388. E 1404. 1405.

XIV. Johannes I. de Puteo præpositus ecclesiæ Carpentorat. Martini papæ V. thesaurarius, generalis commissarius, judex & exsecutor pro unione abbatiæ de Furnis, collegio sancti Nicolai Avenionensis, an. circiter 1428. Vide instrumentum ea de re in probationibus Avenion. *C. XXVIII p. 146. col. 2.*

XV. Johannes II. Payer ex præposito Carpentoratensi electus episcopus Arausicanus an. 1454.

XVI. Gaspardus de Rocha quandam confert capellaniam 1560.

Digitized by Google

XVII. Claudius Cartosius protonotarius A apostolicus.

XVIII. Paulus de Pelletier de Gigondas annis 50. præpositus fuit, ut docet nos ejus epitaphium, quod legitur in ecclesia Pœnitentium cathedrali proxima:

D. O. M.

Hic jacet dominus Paulus de Pelletier de Gigondas nobilis sanguine, meritis nobilior. Illum sibi cathedralis ecclesia Carpentoratensis optavit, & per quinquaginta annos habuit præpositum, quem generis & virtutum splendor ceteris præposuerat. Piam illius munificentiam celebrabit hæc ædes quandiu stabit. Obiit anno MDCLXXIV. *die* II. *Maii, ætatis* LXXXII. *Hoc monumentum perenni gratitudinis memoria nobilis Catharina de Mathieux vidua nobilis Henrici de Pelletier de Gigondas erigendum curavit anno* 1678.

XIX. Josephus-Franciscus de Chabestan de Ribeyret ex coadjutore Pauli de Pelletier, post ejus decessum factus est præpositus.

ABBATIA B. MARIÆ MAGDALENÆ CARPENTORATENSIS, ORDINIS CISTERCIENSIS.

BEatæ Mariæ Magdalenæ virginum monasterium ordinis Cisterciensis in urbe & diœcesi Carpentoratensi primam sui originem debet Johanni Blanco Avenionensi domicello, qui condito testamento omnia bona sua reliquerat ad fundandum monialium ordinis S. Benedicti monasterium in loco de Montiliis, quod cum anno 1354. inceptum fuisset, & an. C 1359. a Johanne episcopo approbatum, tandem auctoritate apostolica Carpentoractum transfertur, ut docet nos Clementis papæ VII. bulla, quæ in probationibus exstat. Quomodo autem hoc monasterium ad Cistercienses transierit, rescire nequivimus. Seriem abbatissarum ad fidem instrumentorum eruimus, ut sequitur.

Ch. VI. p. 850. col. 1.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Burassa sive Barassia de Apta memoratur in chartis annorum 1363. 1365. 1369. 1370.

II. Delphina I. de Venasca 1383. 1392. 1404. D

III. Ludovica I. Gaufride 1407. hominium recipit de quibusdam mansis.

IV. Alionora de Podio, *aut* Alienosa de Puteo 1420. 1432. 1444. 1448.

V. Dalphina II. de Spina 1447. 1455. 1459. 1462.

VI. Ludovica II. Gaufride 1468. 1475. 1480.

VII. Janneta de Virono 1483.

VIII. Anna I. de Monasterio 1501. 1503. quo anno hominium recipit.

IX. Claudia Bajule 1511. 1517. 1537.

X. Agnes I. de Lespine, alias d'Aulans E 1573. nominatur etiam Aymaria in eodem instrumento 1582.

XI. Helena I. de Seguin 1595.

XII. Agnes II. de Spina 1600.

XIII. Catharina I. de Bleger 1610.

XIV. Helena II. de Seguin 1613.

XV. Clara de la Plane 1619.

XVI. Anna II. de Patris 1620.

XVII. Ludovica III. de Baumette de Seguins 1622. 1624.

XVIII. Anna III. de Patris 1630. 1631. 1633.

XIX. Ludovica IV. de Baumette de Seguins 1634.

XX. Anna IV. de Beaumette de Seguins eligitur 1634. 19. Aprilis Item 1637.

XXI. Laura I. de la Plane 1640.

XXII. Anna V. de Baumette de Seguins 1643. 17. Septembris eligitur. An. 1645. obiit 14. Januarii.

XXIII. Helena III. de Baumette 1645. quo anno obiit.

XXIV. Catharina II. de Guillomond d'Ambouny 1648.

XXV. Isabellis de Centenariis 1654.

XXVI. Laura II. de la Plane an. 1657. 7. Julii eligitur.

XXVII. Franciscа I. de Chorne electa 1661.

XXVIII. Laura III. de la Plane 7. Julii 1663. eligitur. Obiit 1664. 3. Julii.

XXIX. Franciscа II. de Chorne 1664. 1667. quo anno obiit.

XXX. Catharina III. de Guillomond anno 1670. 17. Julii. Obiit anno 1675. 4. Aprilis.

XXXI. Catharina IV. de sancto Amantio (*d'Allemand*) an. 1673. 1676.

XXXII. Helena IV. de Sainte-Gemme de Fougace 1677. 1680.

XXXIII. Anna-Maria I. du Pilon 1683.

XXXIV. Theresia Blegiers d'Anson 1689.

XXXV. Anna-Maria II. du Pilon 1692.

XXXVI. Catharina V. de sancto Amantio 1698.

XXXVII. Anna-Maria III. du Pilon 1704.

XXXVIII. Rosa de Veron 1710.

Toties repetita nomina & cognomina mihi persuadent abbatissas illas a longo tempore fuisse triennales, & post aliquod intervallum iterum fuisse electas.

Digitized by Google

ECCLESIA VASIONENSIS.

VASIO caput Vocontiorum, qui olim inter Cavares, & Tricorios fines Allobrogum attingebant, a Pomponio Mela, Plinio, Ptolemæo, aliisque geographis & historicis celebratur; & quidem apud Melam inter urbes Galliæ Narbonensis opulentissimas easque colonias recensetur; quod ipsam quoque fuisse coloniam satis probat. Plinius etiam Vasionem in Gallia Narbonensi collocans: *Vocontiorum*, inquit, *civitatis fœderatæ duo capita, Vasio & Lucus Augusti; oppida vero ignobilia* XIX. Ejusdem meminit Apollinaris Sidonius, appellatque oppidum Vasionense libro 5. epistola 6. & libro 7. epistola 4. l. 3. c. 4.

Porro hæc urbs olim in planitie sita erat, ampliſſimæque magnitudinis, uti probant quæ supersunt rudera, ædificiorumque vestigia; quæ longe lateque ultra duo vel etiam tria milliaria protenduntur. Sed a Wandalis aliisque barbaris diruta est, demumque in bellis Tolosanorum comitum cremata, & solo adæquata. Nunc autem Vasio in declivi rupe assurgit, alluiturque Luvesa fluvio, quem nonnulli Ovidiam vocant: sed angustior est vixque trecentos focos capit. Sic autem paulatim accrevit. Cum castrum jam in monte conditum fuisset, cives, ut a prædonum incursionibus & latrociniis tuti essent, superato fluvio alii post alios, domos ad hanc veluti arcem applicuerunt, sicque urbem sensim condiderunt, a superiori parte castro, ab inferiori, fluvio clausam.

Inter vetera prioris urbis monumenta quæ supersunt, exstat basilica ampla & sumtuosa Deiparæ Virgini sacra, ad quam in beatissimæ Virginis festivitatibus clerus procedit, sacra mysteria celebraturus.

Vasio cum toto comitatu Vindascino paret nunc summo pontifici; episcopus tamen suam habet in urbe jurisdictionem, cum olim solus illius dominium obtineret. Orta enim lite inter Alfonsum sancti Ludovici regis fratrem, Provinciæ comitem, & Faraldum seu Faraudum episcopum, de jurisdictione, Guido Fulcodi celeberrimus jurisconsultus, electus ad componendum dissidium, castrum adjudicavit comiti & jus directi dominii in urbe, causasque capitales; episcopo vero, justitiam, ut aiunt, civilem, & omnia alia jura.

Ecclesiæ Vasionensis antiquitatem, ex historia præsulum qui eam gubernarunt mox demonstrabimus. Diœcesis non solum in comitatu Vindascino, sed etiam in principatu Aurasiensi, & Delphinatu extenditur. Numerantur tamen tantummodo 43. ecclesiæ parochiales. Metropolis olim hujus episcopatus, erat Arelas; nunc autem Avenio.

Ecclesia cathedralis sub beatæ Virginis patrocinio condita, patronum quoque habet sanctum Quinidium, unum scilicet ex suis episcopis, de quo infra. In ea sunt quatuor dignitates aut personatus, videlicet præpositus, archidiaconus, sacrista & præcentor; quibus adde sex canonicos, quorum quilibet præbendam habet canonicatui annexam. A longo tempore canonici erant *Regularis* instituti; sed auctoritate apostolica facti sunt Seculares.

Olim Petruinus episcopus in suburbano civitatis, in loco cujus vocabulum Grasello, in honore sancti Victoris & sancti Petri, &c. secundum normam sancti patris Benedicti abbatis, vel S. Macharii, seu sancti Columbani monasterium celebre condiderat, cui privilegium indulsit subscriptionibus comprovincialium præsulum corroboratum, quod vide tomo I. annalium Bened. in append. p. 698. Nunc hujus monasterii nulla supersunt vestigia. In schedis D. Stephani du Laura invenimus abbatiam dictam *Insula*, cujus abbas erat an. 1225. magister Rolandus, cujus nulla nunc exstat memoria. Valriaci est prioratus monachorum Benedictinorum Crudatensium. Prope urbem est conventus fratrum Minorum, & alter Prædicatorum arctioris Observantiæ, ex reformatione R. patris a sanctissimo Sacramento. In urbe Valriacensi fratres Minores ædes habent. In oppido Buxiensi apud Delphinates habitat sodalitium fratrum Prædicatorum. Eremitæ sancti Augustini reformati in urbe Malacena recepti sunt. Ordinis sancti Antonii alumni Valriaci. Ibidem sunt Missionarii dicti patres a SS. Sacramento, & Capucini. Nionis duobus milliaribus ab urbe sunt Minores dicti Recollecti. Monialium vero hac in diœcesi sex sunt monasteria, duo scilicet ordinis sancti Benedicti, unum situm in principatu Arausicano, sub titulo sancti Andreæ de Rameriis, eratque olim ordinis Cartusiani; alterum Nionis in Delphinatu, estque prioratus pendens a parthenone S. Cæsarii Arelatensis. Quatuor numerantur virginum Ursulanarum, duo Valriaci, tertium Malacenæ, & quartum Buxii apud Delphinates.

Ad illustrandam episcoporum Vasionensium historiam fratres Sammarthani usi sunt schedis doctissimis reverendissimi patris Josephi-Mariæ Suaresii ejusdem ecclesiæ episcopi, & Johannis Columbi presbyteri e societate Jesu eruditissimi lucubrationibus, qui videlicet de episcopis Vasionensibus longos scripsit commentarios. Iis autem non pauca adjecimus, mutatis & castigatis nonnullis, ex ecclesiæ monumentis & aliis sincerioribus.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

ANNI CHRISTI.

EPISCOPI VASIONENSES.

I. S. Albinus.

Sanctus Albinus episcopus Vasionensis erat, quo tempore Alamanni, duce Chroco, urbem invaserunt, & sanctum episcopum in Christi confessione constantem invictumque occiderunt. Vide quæ retulimus de sancto Amatio Avenion. episcopo. Quo autem tempore id contigerit nondum nobis constat; alii enim hanc irruptionem revocant ad tempora Gallieni & 266. Valeriani imperatorum an. circiter 266. alii ad annum 312. Gregorius Turonensis, qui de ea *l. 1. hist. capp. 31. & 33.* sape loquitur, videtur ipsam statuere an. 266. ante tempora Diocletiani, de cujus persecutione non agit, nisi postea. Legenda est oratio S. Amatii Avenionensis episcopi, in collectione *C. I. pag. 137. col. 2.* instrumentorum Avenionensium.

II. Daphnus.

Hic *episcopus de civitate Vasensi, provincia Viennensi*, venit cum Victore exorcista ad concilium Arelatense, jubente Constantino ma- 314. gno, anno 314. coactum, cui subscripsit. Quidam volunt eum adfuisse concilio Vasensi an. 351. At 1°. de sinceritate hujusce concilii non levis est suspicio. 2°. in actis ejus quæ habentur, nulla prorsus mentio fit aut Daphni, aut cujuspiam episcopi Vasion.

III. Concordius.

Concordius unus fuit ex episcopis quos legimus Artemium in episcopum Arelatensem or- 374. dinasse, circa annum 374. Ceterum de iis nihil audemus affirmare, cum veteres codices in quibus hæc leguntur non magnæ antiquitatis notam præ se ferant.

IV. Auspicius.

Auspicius frequens adfuit conciliis; etenim 439. anno 439. sedit in synodo Regensi. Biennio elapso subscripsit Arausicanæ I. Sub hoc episcopo celebratum est Vasense concilium, quod Binius secundum appellat, Sirmondus vero ostendit esse primum. Auspicii fit mentio cum laude in ipsius concilii titulo, qui sic legitur: *Constitutiones sanctæ synodi habitæ in civitate Vasensi apud Auspicium episcopum ecclesiæ catholicæ, sub die iduum Novembrium, Dioscoro viro clarissimo consule, anno Christi* 442. *Valentiniani III. Augusti decimo octavo, Leonis papæ I. tertio.* Ejusdem meminit S. Leo papa I. epistola 106. anno 449. 449. scripta, quæ ipsi & aliis decem episcopis inscribitur.

V. Fonteius.

Fonteius a Ravennio Arelatensi episcopo est ordinatus; de qua ordinatione Viennensis episcopus questus est apud sanctum Leonem, causatus eam ad se pertinere. Subscripsit epistolæ synodicæ, missæ a Gallicanis episcopis ad san- 450. ctum Leonem. Jam sedebat anno 450. quo S. Leo ipsi scripsit epistolam 50. III. non. Maii. Ad eundem scribit Hilarius papa epist. XI. an. 462. 462. Adhuc vivebat an. 472. quippe Apollin. Sido- 472. nius initio sui episcopatus, qui cœpit hoc anno, scribit epist. 7. lib. VI. *Fonteio papæ*, quem Vasionensem fuisse episcopum docet epistola 4 libri VII. Porro quæ ad commendandum Fonteium, hac in epistola dicit Apollinaris, non injucundum erit delibare: *Quoquo loci est* (Vindicius) *constanter* (affirmat) *cum sitis opinione magni, gradu maximi, non tamen esse vos amplius dignitate quam dignatione laudandos. Prædicas mellea, sanctas & floridas, quæ procedunt de temperata communione blanditias; nec tamen ex hoc quicquam pontificali deperire persona, quod sacerdotii fastigium non frangitis comitate, sed flectitis. Quibus agnitis sic inardesco, ut tum me sim felicissimum judicaturus, cum mihi coram posito sub divina ope contigerit, tam securum de Deo suo pectus, licet præsumtiosis, arctis tamen fovere complexibus.*

VI. Ethilius*.

* Senilius.

Hunc episcopum sedisse in nescio qua synodo Arausicana, anno 501. habent quædam schedæ; sed hæc synodus conciliorum collectoribus prorsus est ignota, uti & nobis. In concilio primo Aurelianensi, Clodovei I. Francorum regis evocatione celebrato anno 511. subscripsit *Sextilius Vasatica urbis episcopus*. At pertinere ad episcopos Vasatenses, potius videtur, quam ad Vasionenses aut Vasenses. Itaque parum tuta sunt argumenta quæ pro episcopo Ethilio ecclesiæ Vasionensi vindicando proferuntur, neque tamen eum expungendum duximus, quia plurimi fuerunt olim episcopi, de quibus nihil certi habemus, nisi quod eorum nomina leguntur in diptychis.

VII. Gemellus.

Gemellum anno 509. jam præfuisse asseritur; at unde id probetur non habemus. Constat ipsum adfuisse concilio Epaonensi anno 517. 517.

VIII. Alethius.

Adfuit concilio Carpentoratensi an. 527. 527. subscripsitque epistolæ hujus synodi ad Agræcium Antipolitanum episc. Sedit etiam in concilio Arausic. II. an. 529. quo nonis Nov. habi- 529. ta est in urbe Vasensi synodus undecim episcoporum, cujus canones V. ad ecclesiasticam disciplinam spectant. Idem Alethius convenit quoque ad concilium Aurelianense IV. anno 541. 541.

IX. Theodosius

Theodosius notus est ex actis S. Quinidii qui fuit ejus archidiaconus, ipsiusque vices egit in concilio Arelatensi V. sub Sapaudo metropolitano, anno 554. aliqui duobus annis citius 554.

Digitized by G

habitum existimant hoc concilium, cui in hunc modum subscripsit: *Quinidius in Christi nomine archidiaconus missus à domino meo Theodosio episcopo subscripsi.* ANNI CHRISTI.

X. S. Quinidius.

S. Quinidius Vasione natus, cum in hujus urbis clero aliquandiu militasset, sub Theodosio episcopo archidiaconi functus est officio, ejusque nomine interfuit synodo Arelatensi quintæ, ut jam observatum a nobis. Ejusdem quoque successor fuit, adfuitque ut episcopus
573. concilio Parisiensi IV. anno 573. migravit ad
578. Dominum anno 578. vel sequenti, miraculis in vita & in morte clarus; de quo in calendario & martyrologio Romano ad XV. cal. Martii. Ejus corpus integrum cum sacro capite a multis retro temporibus religiose conservant monachi Benedictini S. Petri de Mauriaco cong. S. Mauri, ac festum ejusdem solemni ritu recolunt die 15. Februarii, & die 23. Septembris, qua ejus sacræ reliquiæ magno apparatu translatæ fuerunt in capsam decentiorem anno 1653. piis curis R. P. D. Roricii Gottereau prioris. Sanctum antistitem veneratur urbs Mauriacensis tanquam antiquum protectorem; & olim fiebat processio, præfata die 23. Septemb. in qua ejus reliquiæ deferebantur per urbem. In ecclesia monasterii exstat altare B. Quinidio nuncupatum.

XI. S. Barthus, seu Barsius.

Ut morem geramus traditioni, & breviario proprio ecclesiæ Vasionensis, hunc Sanctum beato Quinidio successorem damus. Brevi autem sedit tempore, ut sequentia docebunt.

XII. Artemius.

Artemii Vasensis episcopi nomen variis in conciliis consignatum est, ut memoriam ejus delere non possit oblivio. Sedit quippe in syno-
581. do I. Matisconensi anno 581. subscripsit quo-
584. que Valentinæ secundæ anno 584. Denique ad Matisconensem alteram misit, qui suo nomi-
585. ne subscriberet anno sequenti.

XIII. Petruinus al. Aredius.

Idem est ac Petronius qui subscripsit concilio Cabilonensi, sub Clodoveo II. anno 650.
650. Eum binominem fuisse ipse probat, cum in privilegio quod monasterio Grasellensi concessit, hoc modo præfatur: *Aredius sive Petruinus sedis ecclesiæ Vasensis civitatis, ac si indignus, Domino dispensante pontifex.* Hoc privilegium Ma-
pag. 498. billonius edidit in Appendice ad tom. I. annalium, quod communicatum testatur a D. Ludovico-Antonio de Ruffy. Datum est cal. Februar. anno decimo regni dom. Theodorici regis, quem annum refert Mabillonius ad in-
684. carnationis Domini annum 684.

Hoc monasterium fundaverat Petruinus in *suburbano civitatis, in honore S. Victoris & S. Petri, vel reliquorum dominorum Sanctorum, ecclesiarum, ut secundum normam venerabilis viri S. Patris Benedicti abbatis, vel S. Macarii, seu S. Columbani degere deberent monachi ibi habitantes.* Fundationem hanc approbavit Chlodoveus rex Francorum; qui nostrum Vasensem episcopum Aredium appellat *Apostolicum virum.* Post hunc præsulem longum fuit interpontificium, propter barbarorum incursiones. ANNI CHRISTI

Quidam admittunt Johannem quemdam tempore Caroli Magni Vasensem seu Vasionensem episcopum. Sane in historia manu scripta Avenionensi Andreæ Valladerii abbatis S. Arnulfi Metensis, legitur præceptum Caroli-Magni in gratiam Johannis Vasionensis episcopi, qui ad petitionem Gerardi illustris comitis multa consecutus est a Carolo rege, sed hoc præceptum suppositititium est, fabricatumque fuit ex alio Caroli imperatoris quod edi limus inter instrumenta ad ecclesiam Carpentoractensem pertinentia. *Cl. I. p. 147. col. 1.*

XIV. Simplicius.

Simplicio datur locus inter Vasenses præsules, ex veteri documento anni 853. inquiunt
853. Sammarthani fratres.

XV. Helias.

Adfuit Mantalensi cœtui anni 879. ea ex
879. parte celeberrimo, quod novo regno Burgundiæ & Provinciæ dederit initium: hac enim in synodo, quæ fuit tam procerum quam præsulum, corona & regia insignia delata sunt Bosoni.

XVI. Humbertus.

Dicitur præfuisse anno 911. ex scheda vete-
911. ri, a nobis non visa.

XVII. Benedictus I.

Eruitur hic antistes ex tabulis abbatiæ Montis-majoris, annoque 996. sedebat. Fatemur
996. tamen, nihil nobis occurrisse in variis, quas exploravimus chartis, unde hic episcopus in majorem lucem prodiret.

XVIII. Almeradus.

Vixisse anno 1003. in tabulis episcopalibus
1003. legitur.

XIX. Petrus I.

Petrus quem asserunt episcopalem sedem obtinuisse circa annum 1009. forte ille est *Petrus*
1009. *episcopus Vasionensis*, qui in inscriptione epistolæ Bened. VIII. ad episcopos Burgundiæ & Aquitaniæ quos hortatur ad defensionem Cluniaci, nominatur cum Eldeberto Aventionensi, Stephano Carpentorat. Almerado Regensi. Vide tom. IV. Collect. Script. hist. Franc. Quercetani. Sedit autem Benedictus papa VIII. ab anno 1012. ad 1024.

XX. Imbertus.

Collocatur in serie episcoporum Vasionensium ad annum 1026.
1026.

XXI. Petrus II.

Petrus episcopus, quem ordinis alicujus alumnum fuisse volunt (quo tamen fundamen-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

to neſcimus) anno 1040. idibus Octobris, adſtitit Benedicto papæ IX. baſilicam S. Victoris Maſſilienſis dedicanti, uti legitur in litteris hujus papæ editis in Pontio Maſſilienſi. Ejuſdem quoque mentio fit in chartis hujus monaſterii. ad annum 1043. Anno ſequenti Bertrandus marchio Provinciæ donavit monachis Victorinis burgum apud Maſſiliam, & templum ſancti Promaſii, cui donationi ſubſcripſit noſter Petrus, cum aliis præſulibus benemultis. Johannes Columbus in noctibus Blancalandanis, hunc Bertrannum comitem Forcalquerienſem appellat. Verum nuper probavit Ludovicus-Antonius Ruffus in diſſertatione de comitum Provinciæ origine, Bertrandum hunc fuiſſe comitem inferioris Provinciæ, cum fratre ſuo Joffredo; Guillelmum vero fratrem eorum natu minorem, obtinuiſſe partem Provinciæ a Druentia & Verdona fluviis, ad Delphinatum, quæ portio poſtea dicta fuit comitatus Forcalquerienſis.

1040. *Vide prob. eccle. Maſ. C. XXIV. p. 114. col. 1.*

1043. pag. 24. *Ibid. p.* 23.

XXII. Benedictus II.

Notus eſt hic epiſcopus ex ſacramento quod præſtitit Rajambaldo Arelatenſi epiſcopo in eccleſia S. Stephani; tunc enim, uti jam monuimus, eccleſia Vaſionenſis ſub metropoli Arelatenſi erat.

XXIII. Petrus III.

Rajambaldi.

Petrus filius erat Rajambaldi, qui emerat epiſcopatum Siſtaricenſem pro filio ſuo Petro tunc parvulo, qui poſtea factus eſt epiſcopus Vaſionenſis, ut legitur in charta Bertrandi II. epiſcopi Siſtaricenſis. A patre autem cognominatus eſt Rajambaldi, ut docent nos tabulæ S. Victoris Maſſilienſis. Jam ſedebat Petrus anno 1056. quo interfuit ſynodo apud S. Ægidium. Anno 1059. *donavit & reddidit* altari, quod eſt conſecratum in honore S. Victoris, & S. Mariæ ſemper virginis, in monaſterio Maſſilienſi *abbatiolam* S. Victoris & S. Petri, in epiſcopatu Vaſenſi in loco Graſello. Acta anno Incarnationis Domini 1059. Anno 1073. XI. cal. Maii fecit inſigne donum eccleſiæ Nicienſi, cujus inſtrumentum edidit Joffredus in ſua Nicæa illuſtrata. Ejus autem exordium tale eſt: *In Dei nomine, &c. Ego Petrus Vaſenſis epiſcopus, ſcilicet filius Raimbaldi, dono .... de mea hereditate quæ mihi obvenit.... caſtrum unum quod nominant Drapo.... tali tenore ut epiſcopus, ſcilicet Raimundus, &c.* Subſcripſerunt Leodegarius, Roſtagnus, Bertrannus fratres. Anno 1078. plures eccleſias cum ſuis villis dedit monaſterio S. Pontii ad Nicæam, ut idem Joffredus refert, cum Leodegario ac Roſtagno fratribus, & Raimbaldo, ac Leodegario & Roſtagno filiis Roſtagni patrui. Præſul illuſtriſſimus Joſeph Suareſius epiſcopus Vaſionenſis, in clauſtro ſuæ eccleſiæ, a ſexaginta circiter annis invenit partem tabulæ marmoreæ, cum hoc epitaphio brevi: *Die cal. Septembris VI. obiit Petrus epiſcopus. M. R. B.*

Armar. dioceſ Vaſ. fol. 3.

1056. 1059. 1073. pag. 162.

XXIV. Rostagnus.

Accepit anno 1108. bullam datam a Paſchali papa II. anno nono ejus pontificatus, qua ipſi confirmat juriſdictionem & caſtra epiſcopi Vaſionenſis. Anno 1117. donaſſe dicitur cœnobio Maſſilienſi 4. cal. Julii eccleſias de Corno, de Albaros, & S. Mariæ de Velzs, ex tabulario Victorino. Verum ſuſpicor mendum in anno conſignando; nam ad hunc annum 1117. minime pervenit Roſtagnus.

1108.

ANNI Chriſti.

XXV. Berengarius I.

De Mornas.

Berengarius de Mornaſſio anno 1113. interfuit pactis initis inter Raimundum Arelatenſem archiepiſcopum, & Petrum de Lambeſco, ut jam a nobis eſt obſervatum in Arelatenſibus archipræſulibus. Forte idem eſt ac B. Vaſionenſis epiſcopus, qui deſignatur prima ſui nominis littera, in charta eccleſiæ Maſſilienſis, anni 1150. Et ſane in Gallia Chriſtiana Fr. Sammathanorum legitur ſediſſe anno 1151. ex veteribus tabulis: interfuiſſe tranſlationi S. Trophimi e baſilica D. Honorati, in Campis Elyſiis, ad eccleſiam Arelatenſem: notari in actis publicis annorum 1152. & 1161. denique præſentem fuiſſe compoſitioni factæ anno 1173. inter archiepiſcopum Arelatenſem, nomine Raimundum, & filios Petri de Lambeſco, qui olim litigaverat cum alio Raimundo ejuſdem ſedis archiepiſcopo. Ejus autem filii pactorum jam factorum forſitan immemores, arcem Salonam, & alia archiepiſcopi caſtra invaſerant. Aſſerit Columbus Berengarium antiſtitem ſub annum 1109. fuiſſe ejectum Vaſione & omnibus epiſcopalibus caſtris, Raimundo comite Toloſæ, filio Faidæ Gilberti Provinciæ comitis natæ; fortaſſe quia Raimundus ægre ferebat mediam partem dominii urbis, &c. conceſſam fuiſſe epiſcopis a Gaufrido, Bertranno & Gaufrido ſeu Joſfredo comitibus, de quibus ſupra in Petro II. Utrum fuerit aliquis comes Provinciæ nomine Giſlebertus, quis fuerit, & utrum filiam habuerit nomine Faidam, aut Faididam de quibus fuſius diſſerit Honoratus Bouche lib. IX. hiſt. ſectione I. nihil moror: conſtat vero Raimundum comitem Toloſanum tempore deſignato, Provincia fuiſſe potitum, quod ad noſtrum propoſitum ſufficit.

1113. 1150. 1151. 1161. pag. 83. & ſeq.

XXVI. Bertrandus.

De Lambesc.

Bertrandus de Lambeſco anno 1178. ſedens in cathedra Vaſionenſi teſtis ſubſcripſit in diplomate Frederici imperatoris, pro immunitate canonicorum eccleſiæ Arelatenſis, ab omni penſitatione municipali ſeu urbana; & in alio ejuſdem principis privilegio pro eccleſia Dienſi anno 1180. Palatium & caſtra epiſcopalia armis recuperavit. Hoc quoque tempore præſens fuit cum Fulcone Maſſilienſi epiſcopo pactis compoſitionis Guillelmi, quondam Ebredunenſis archiepiſcopi, de donatione Manuaſcæ, Hoſpitalariis confirmata per Guillelmum Forcalquerii comitem, coram Henrico Albanenſi cardinali legato in Provincia. Ex duobus illis inſtrumentis patet illum minime eſſe Bertrandum qui jam erat archiepiſcopus Aquenſis anno 1178. & 1179. certe in diplomate Friderici imperatoris dato anno 1178. pro eccleſia Arelatenſi,

1178. 1180.

Digitized by Google

latenſi, cujus jam meminimus, uterque Bertrandus ſubſcriptus legitur, archiepiſcopus Aquiſextienſis, & epiſcopus Vaſionenſis; quod luce clarius demonſtrat non unum eumdemque eſſe Bertrandum, qui primum Vaſenſem eccleſiam rexerit, & migraverit poſtea ad metropolim Aquenſem. ANNI CHRISTI.

XXVII. Berengarius II.

De Reillana. Berengarius de Reillana, ex nobili genere in Forcalquerienſi pago natus, ſuffectus eſt Bertrando, qui per comitem Toloſanum, juriſdictione & dominio ad ſuam eccleſiam pertinentibus privatus eſt. Interim cum princeps iſte quoddam munimentum erexiſſet in monte, ubi nunc ſita eſt Vaſio, præſul comitem anathemate percuſſit apud caſtrum de Intercallis, (*Entrechaux*,) eique adhærentes; quod adeo Raimundum commovit, ut ipſum antiſtitem domo, civitate Vaſionenſi, & caſtris de Creſteto, & de Raſtello ejecerit; quemadmodum ex veteri inſtrumento compertum eſt, dato circiter an. 1185. quo teſtes ſacramento confirmarunt quæ dixerant de damnis per comites Toloſanos eccleſiæ Vaſionenſi illatis. 1185.

XXVIII. Willelmus I.

De Lauduno. Willelmus de Lauduno ex gente nobili inferioris Occitaniæ opibus & bello clara, anno 1190. ſedebat, quo circiter tempore omnem epiſcopatum à Raimundo Toloſano recepit, & ad mortem uſque cum poſſedit; ſed poſt ejus obitum, cum cadaver ſepulcro mandaretur, ipſius iterum præſulis domus occupata eſt. Ipſum eſſe putamus de quo legitur in necrologio Caſſiani. III. *nonas Septembris obiit Dominus Guillelmus Vaſionenſis epiſcopus & canonicus ſancti R.* id eſt S. Ruſi, ut conjicimus. 1190.

XXIX. Raimbaldus.

Flotta. Raimbaldus, ſeu Raibaudus Flotta genere ac dignitate inclytus, agnatus Guillelmi reguli Forcalquerienſis, qui Vapincenſi, Ebredunenſi, Avennico, & pagis a Druentia ad Rhodanum cum ſummo imperio dominabatur, epiſcopus legitur an. 1193. & ſynodo Vaurenſi interfuiſſe dicitur. Sed id minime certum, nullam enim novimus Vaurenſem ſynodum ante an. Domini 1213. quo Raimbaudus non amplius præerat. Cum autem Raimundus Toloſanus hæreſi Albigenſium patrocinaretur, & vexaret eccleſias epiſcoposque, potiſſimum Vaſionenſem, Innocentius papa III. ut ipſius tutelæ ac ſecuritati proſpiceret, miſit legatum in has oras, Raimundum Uceticenſem epiſcopum, de damnis a comite illatis inquiſiturum. Acta in hac legatione prolixius recenſet Johannes Columbus. Comes Vaſionenſem epiſcopum, ejuſque clericos in vincula conjecerat, palatium epiſcopale ac ædes canonicorum deſtruxerat, occupaveratque militari manu caſtrum Vaſionenſe. Quæ damna reſtituere & reſarcire juſſus eſt in concilio Montilienſi anno 1209. a Milone S. ſedis legato. Perperam autem Raimbaldo dantur anni 34. in epiſcopatu, quando ad ſummum ſedit annos 20. aut 22. nec annum 1212. prætergreſſus ſit. Anno certe 1211. pridie idus Febr. adfuit ſententiæ latæ adverſus Toloſæ comitem, qui quartam Beduini caſtri partem Monti-majori abſtulerat. 1193. 1209. 1212.

XXX. Ripertus.

Flotta. Ripertus Flotta præpoſitus fuit capituli, quo veluti gradu conſcendit ad ſummum ſacerdotium, videlicet ad epiſcopatum. An. 1212. adfuit conventui præſulum provinciæ Arelatenſis, apud Arauſicam. Legitur adhuc præfuiſſe anno 1220. ex chartis Valriacenſibus; imo etiam anno 1227. ex inſtrumentis pactorum cum Hoſpitalariis. 1212. 1220. 1227.

XXXI. Guido.

De initiis epiſcopatus Guidonis nihil certi nobis occurrit. Ante annum enim 1241. minime notus eſt; quo circiter tempore legitur adfuiſſe ſacramento clientelæ, quod comiti Toloſæ Albienſis epiſcopus exhibuit. Concilio Valentino habito anno 1248. intererat; nec diu poſtea rexit. 1241. 1248.

XXXII. Fraudus.

Fraudus cum eſſet canonicus Vaſionenſis, dignus viſus eſt epiſcopatu, ad quem eligitur ſaltem anno 1250. quo pius erga S. Quinidium epiſcopum eccleſiæ ſuæ patronum, in ea ſacellum ſub ejus nomine conſtruxit & erexit altare. Anno ſequenti ad Inſulanum concilium provinciæ Arelatenſis habitum die Martis poſt ſanctæ Crucis Exaltationem, miſit qui ſe excuſatum rogaret, ſuoque intereſſet nomine. De eo enim hæc actorum verba interpretari debemus: *Dominis Johanne Avenionenſi & S. Vaſionenſi etiam epiſcopis ſe canonice excuſantibus, ſed tamen aliis .... committentibus vices ſuas.* Nam pro S. legi debet F. 1251.

Ceterum huic epiſcopo multa debet eccleſia Vaſionenſis; recuperavit enim dominia Vaſionis, Raſtelli, Creſteti, & Intercallis*; compoſuitque cum Alfonſo fratre ſancti Ludovici regis comite Toloſatum, & Provinciæ, uſus fidejuſſoribus Draconeto toparcha Montis-albani, & Raimundo de Medullione. Judex autem electus à partibus fuit Guido Fulcodi celebris apud Pariſios Juris-conſultus. Conſenſum præbuere Bernardus præpoſitus & canonici. Nec prætereundum quanto ſtudio, quam amice pacem cum capitulo inierit & coluerit, adhibito etiam Johanne Arelatenſi archiepiſcopo, ſive ut ſequeſtro, ſive ut metropolitano. Decrevit autem ut decem tantum eſſent canonici. Anno denique 1262. ſopivit quamdam controverſiam de nonnullis decimis, cum monachis Valriacenſibus. 1262.

* Entrechaux.

XXXIII. Giraudus.

De Libra. Giraudus de Libra ex canonico epiſcopus creatus eſt anno circiter 1271. quo paciſcitur cum Hoſpitalariis, qui duas in diœceſi Vaſionenſi præceptorias habebant, videlicet Malagardæ, & Villæ-Dei. Memoratur in chartis emtionis nemoris Creſteti anno 1274. & in aliis inſtrumentis an. 1275. de conventionibus cum Podialmeratiis, &c. 1271. 1274. 1275.

ANNI CHRISTI.

Post Giraudum de Libra Sammarthani fra-
tres admittunt quemdam Bertrandum episco-
1280. pum, eumque sedisse anno 1280. asserunt. Post
eum vero sequitur alter Giraudus episcopus. At
mihi videtur idem ac Giraudus de Libra; nec
ulla certa occurrunt argumenta, quibus Ber-
trando illi vindicetur episcopatus. Et quidem
anno eodem 1280. Giraudus episcopus Vasio-
nensis recensetur inter præsules, quibus ad-
vocatis, & ad consilium adhibitis, Bernardus
Arelatensis archiepiscopus dedit Guillelmo
Arausicano episcopo, ecclesiam sancti Jacobi
Moncis-draconis, ut mensæ episcopali unire-
1282. tur. Anno 1282. a rectore comitatus Vindasci-
ni, cum Bertrando episcopo Cavellicensi vo-
catur ad consilium majoris curiæ. Sedit in con-
cilio provinciali Insulæ villæ diœcesis Cavelli-
1288. censis, paulo ante natale Domini, anno 1288.
Paciscitur cum Richavo Petri Templario præ-
1290. ceptore Roaissii anno 1290. de aqua Ovidiæ
(*La Louveſe*) deducenda. Memoratur in cano-
1295. nicorum tabulario, usque ad annum 1295.

De Beaumont.

XXXIV. Raimundus.

Raimundus de Bello-monte anno 1296. Va-
1296. sionenses ad professionem clientelæ advocavit,
uti testantur tabulæ publicæ hujus anni die 9.
Januarii conscriptæ, in cœmeterio cathedralis
ecclesiæ B. Mariæ Vasionensis, coram eodem
Raimundo de Bello-monte electo, & confir-
mato episcopo dictæ ecclesiæ, & Johanne de
1300. Mossa præposito, aliisque. Anno 1300. cogno-
vit jure episcopali de hæresi Valdensium apud
Valriacum. Notatur & in actis Vasionensibus
1302. an. 1302. & 1306. necnon in instrumento veteri
cujusdam emtionis nobilis dominii in castro
Crestetenti. Confirmavit compositionem fa-
ctam inter fratrem Franciscum Laugerium
monachum sancti Andreæ Avenionensis prio-
rem ecclesiæ de Aspirano, & homines castri
1311. de Penna, super decimis in territorio ejusdem
castri percipiendis, anno 1311. Anno 1319.
1319. fundavit ac dotavit quandam capellaniam in
sua ecclesia, die 1. mensis Januarii; ex cujus
fundationis instrumento habemus Raimundum
ab ætatis suæ primordiis nutrimenta fere cun-
cta percepisse ab hac ecclesia; quod sane satis
superque probat, illum in gremio hujus eccle-
siæ nutritum adoleviſſe, & fortasse canonicum
C.III.p.152. col.1. fuisse ante episcopatum. Instrumentum hoc
videsis suo loco. Recensetur inter præsules pro-
vinciæ Arelatensis, qui cum suo metropoli-
*seu S.Rufo prope Avenionem. tano Arelatensi archiepiscopo convenerunt ad
concilium *Avenionense, die 18. Junii anno
1326. 1326. Eum attigisse annum 1330. suadent ali-
1330. quæ chartæ.

Johannem episcopum Avenionensem, eccle-
siam Vasionensem simul rexisse annis 1330. &
1335. 1335. legitur in vulgata jam Gallia Christiana
fusiori; quod neque asserere, neque negare
audeo.

De Batailla.

XXXV. Gothius.

Gothius de Bataglia Ariminensis, anno 1336.
1336. ex Vasionensi sede ad Ariminensem traductus
est. Demum presbyter cardinalis titulo S. Priscæ
sub Benedicto papa XII. fuit, & patriarcha Constantinopolitanus. Legatus in Siciliam, Rhegii subsistens Petrum II. Arragonum regem diris devovit, & excommunicavit. Tandem vero Avenionem reversus obiit.

ANNI CHRISTI.

XXXVI. Ratherius.

Hic episcopus concilio Avenionensi anni
1337. 1337. adfuit, ubi pro Ratherio, mendose legi-
tur Rocherius. Ratherio Vasionensi episcopo,
sedis apostolicæ nuntio in regno Siciliæ scri-
bit Benedictus papa XII. 2. idus Julii anno sui
pontificatus 4. qui erat Christi 1337. Eodem
quoque anno composuit litem inter nobilem
Raimbaudum de Vasione, & ecclesiæ suæ ca-
nonicos. Hoc ipso anno vendidit Humberto
delphino Viennensi, duci Campisauri, Vien-
næ & Albonis comiti & Palatino, quartas par-
tes Propiaci pagi, apud Buxum, præsentibus
Agouto de Baucio domino de Brantulis, &
Guigone de Morgiis domino de Spina. Anno
1340. 1340. delegatus est cum Roberto patriarcha
Constantinopolitano ad Robertum Neapolis,
& Petrum Siciliæ reges, componendæ inter eos
Decade 1. l.9.c.4. pacis causa, ut observat Fazellus de rebus Sicu-
lis. Translatus est ad ecclesiam Cassinensem
1341. mense Octobri anni 1341. ex reg. Vaticani &
Ughello in appendice tom. II. Italiæ Sacræ.
1343. Excessit e vivis Tarenti anno 1343. tertio cal.
Martii.

De Casa.

XXXVII. Petrus IV.

Petrus de Casa Lemovix ordinis Carmelita-
rum, Valencenis in Belgio comitiorum gene-
ralium suffragiis, ad summam hujus ordinis
præfecturam evectus est. In ea dignitate consti-
tutus adfuit congregationi doctorum, quos Phi-
lippus VI. Francorum rex convenire jusserat
in castrum Vincennarum, ad examinandam
opinionem Johannis papæ XXII. de dilata san-
ctorum beatitudine; aderant quoque Petrus
de Palude patriarcha Jerosolymitanus, Petrus
Rogerii archiepiscopus Rotomagensis, Nico-
laus de Lira &c. Creatur autem Vasionensis
episcopus a Clemente papa VI. & postea pa-
triarcha Jerosolymitanus juxta fratres Sam-
marthanos; sed vero propius nobis videtur, ip-
sum prius factum esse Jerosolymorum patriar-
cham titulo tenus, & ipsi postea demandatam
ecclesiæ Vasionensis administrationem, quod
tum ex ipsius testamento, tum ex epitaphio in-
telligitur. Hanc ecclesiam regebat anno 1348.
1348. & hoc ipso anno testamentum suum condidit,
die 1. mensis Julii, quo pauperes Vasionis & ca-
C.III.pag. 152. col.2. strorum tum Rastelli, tum Intercallis heredes
instituit. Obiit eodem anno tertio nonas Augu-
sti. Jacet in antiqua ecclesia cathedrali, uti suo
testamento jusserat, ubi hoc legitur epitaphium:

Venerabili Petro de Casa priori generali ordinis Carmelitarum, Patriarchæ Jerosolymitano, hujus episcopatus administratori. Obiit anno salutis 1348. *die* III. *nonas Augusti & miraculis claruit. P. C. Josephus Maria Suarez.*

Scripsit docte pro hoc tempore in magistrum
sententiarum, & in politica Aristotelis; item
sermones de tempore, de B. Virgine, & de SS.

ANNI CHRISTI.

XXXVIII. Petrus V.

DE BERETTO.

Petrus de Beretto, patria Narbonenſis ex eadem Carmelitarum familia, magiſter ſacri palatii fuerat, & Clementi VI. a ſacris confeſſionibus. Erat Graſſenſis epiſcopus, quando Petrus de Caſa teſtamentum ſuum fecit; ipſum enim elegit teſtator ad diſtributionem ſuorum librorum faciendam quinque conventibus ordinis Carmelitani. Fuit vero tantum adminiſtrator Vaſionenſis; quo munere fungebatur an. 1348. menſe Septemb. quando videlicet in die S. Michaëlis, admiſit fratrem Jacobum Augerii S. Andreæ Avenionenſis monachum, ad prioratum de Tolorenco, ipſi collatum ab Armando abbate: adhucque præerat an. 1350. Multa ſcripſit ad theologiam ſpectantia, ex Geſneri bibliotheca, & Ludovico Jacob Carmelita.

1348.

1350.

XXXIX. Laurentius.

DE ALBIACO.

Laurentius de Albiaco, ex regiſtris Vaticani cœpit ſedere anno 1356. die ultima Octobris, munitus plumbo Romano. Anno vero 1359. tranſlatus eſt ad eccleſiam Tutelenſem.

1356.

1359.

XL. Johannes I.

MAURELLI.

Johannes Maurelli eligitur in epiſcopum an. 1362. ex tabulis epiſcopalibus. Anno ſequenti Urbanus papa V. eum dedit collegam Johanni Aqui-Sextienſi archiepiſcopo, ad inquirendum de ſanctimonia & miraculis B. Dalfinæ Ariani comitiſſæ. Interfuit concilio Apteníi, anno 1365.

1362.

1365.

XLI. Petrus VI.

IBIDEM.

Petrus Boërius diœceſis Narbonenſis e caſtro Minerbeſio, primum monachus Benedictinus Anianæ, tum abbas ſancti Aniani * in Septimania, juris doctor conſultiſſimus, ob canonum præcipue ſingularem peritiam, & vitæ integritatem ab Urbano V. eccleſiæ Urbevetanæ præficitur anno 1364. XVII. cal. Decemb. adminiſtravitque hanc ſedem uſque ad annum 1370. quo transfertur nonis Octobris ad epiſcopatum Vaſionenſem, ut conſtat ex libro proviſionum prælatorum Vaticani. Notatur in tabulis epiſcopalibus eodem anno, item in actis damnationis quorumdam Raſtellenſium pro feralibus carminibus. Iterum reverſus eſt ad priſtinam eccleſiam Urbevetanam anno 1376. quam rexit laudabiliter admodum, variis ingenii monumentis relictis. Scripſit poëmata quædam in bibliotheca Sublacenſi aſſervata, necnon commentarium in regulam S. Benedicti. At quia fautor erat Roberti Genevenſis, quem Gallia, Germania &c. pro legitimo papa habebant ſub titulo Clementis papæ VII. eapropter ab Urbano VI. Romam vocatus, quia venire contemſerat, epiſcopatus gradu privatus eſt an. 1378. De cujus vita Ughellus tomo I. Italiæ ſacræ in præſulibus Urbevetanis.

* 1364. Chiam.

1370.

XLII. Eblo.

ANNI CHRISTI. DE MILES.

Eblo de Mederio prius clericus cameræ apoſtolicæ, poſtea Vaſionenſis epiſcopus fuit anno 1376. Dotavit cum fratribus ſuis Guillelmo de Mederio prius abbate Manſi-Garnerii diœceſis Toloſanæ, poſtea S. Ægidii, & Oliverio nobili milite conventum & hoſpitalem domum de Feudis (*des Fieux*) diœceſis Caturcenſis, ordinis ſancti Johannis Jeroſolymitani, ut docet charta quam inter inſtrumenta edidimus.

1376.

Ch. V. pag. 834. col. 2.

XLIII. Raimundus II.

DE BONA.

Ex hiſtoria genealogica illuſtriſſimæ domus de Bona (*de Bonne de Leſdiguieres*) auctore Allardo, Raimundus filius erat Franciſci de Bonne, & Alaidis (*Alix*) de Laye, vitamque religioſam amplexus erat in ordine Fr. Prædicatorum; quæ omnia citat ex hoc auctore eruditiſſimus D. du Fourny in hiſtoria genealogica regiæ domus Franciæ &c. quam vir diligentiſſimus in explorandis veteribus inſtrumentis, & veritatis ſtudioſiſſimus, paulo ante mortem, auctiorem & emendatiorem publici juris fecit. Legimus tamen in Gallia Chriſtiana Fratrum Gemellorum in catalogo Vaſionenſium epiſcoporum, hunc appellari Raimundum Guillelmi. Sed ipſi de ſe loquenti fides eſt adhibenda; ita autem de ſe præfatur: *Ego frater[a] Raimundus de Bona, indignus magiſter in theologia, epiſcopus Vaſionenſis* &c. Raimundus ex iiſdem doctiſſimis fratribus jam ſedebat an. 1380. Certe anno ſequenti, die 17. Januarii ſacrum[b] viaticum adminiſtravit Petro Flandrini cardinali, ejuſque teſtamentum excepit, de electione Clementis VII. quem in extremis poſitus verum eſſe papam aſſeruit. Eodem anno XV. cal. Maii idem Clemens ſeptimus Raimundo provinciam dedit ut de Urbani V. ſanctitate, editiſque ad imploratam ejus opem miraculis cum Siguino patriarcha Antiocheno eccleſiæ Nemauſenſis adminiſtratore *ſacram actionem inſtrueret*, inquit Odoricus Rainaldus ad an. 1381.

p. 342.

a

b

1381.

XLIV. Radulfus.

Hic epiſcopus ex tabulis capituli ſedíſſe creditur ab an. 1397. ad an. 1401. uti lego in vulgatis catalogis.

1397.

XLV. Guillelmus II.

DE PERERATO.

Guillelmum de Peſſerato jam epiſcopum fuiſſe anno 1401. minime poteſt in dubium revocari; adfuit enim hoc anno tranſlationi corporis Clementis VII. ab eccleſia *noſtra domina* Avenionenſis, ad novam Cæleſtinorum baſilicam, in eadem civitate. Bernardonum de Serris toparcham Malaucenæ ſuſcepit in protectorem eccleſiæ Vaſionenſis, anno Chriſti 1410.

1401.

Ex cod. 819 Bibl. Colb. vide not. Baluz. ad vit. pap. Avenion. I. col. 1308.

XLVI. Hugo.

DE THEYSSIACO.

Hugo de Theyſſiaco patria Sabaudus, de quo jam diximus in epiſcopis Tricaſtinis, cujus eccleſiæ fuit adminiſtrator, an. 1412. erat epiſcopus Vaſionenſis; quo videlicet anno pon-

1410.

1412.

a Collectio not. Baluſii ad vitas papar. Aven. col. 930.

b Ibidem col. 918.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI. 1425.

tifici juravit fidem clientelarem, pro Vaſione civitate, Creſteto, & aliis epiſcopalibus caſtris. Præterea anno 1425. adfuit definitioni limitum *Salonis*, inter archiepiſcopum ſeu adminiſtratorem Arelatenſem & cives. Iſte Arelatenſis archipræſul erat Johannes de Broniaco, qui noſtrum Hugonem conſanguineum ſuum vicarium generalem inſtituerat in ſpiritualibus & in temporalibus, pro archiepiſcopatu Arelatenſi. Idem Hugo creatus eſt curator pro exſecutione fundationis collegii Anneciaci, * factæ ab eodem Johanne de Broniaco cardinali Oſtienſi. Conſule quæ de eo diximus in epiſcopis Tricaſtinis. Obiit autem Creſteti anno 1445.

* al. ſancti Nicolai, vulgo *le grand College*, vide inter inſtrumenta eccleſiæ Aven. C. XXVIII. p. 146. col. 1.

XLVII. PONTIUS. DE SADON.

Pontius de Sadone in academia Avenionenſi profeſſor, primiceriatus dignitate functus eſt in arduis concilii Baſileenſis temporibus, quibus Eugenii IV. auctoritatem ſumma prudentia tueri viſus eſt. Erat etiam præpoſitus eccleſiæ Avenionenſis. Succeſſit autem Hugoni in Vaſionenſi ſede, in qua ejus fuerat coadjutor, ut nonnulli exiſtimant. Adfuit an. 1448. 4. Decemb. elevationi trium SS. Mariarum. An. 1456. *die 23. Martii, adfuit ſynodo Avenion. ſub Petro de Fuxo cardinali, & Alano pontificiis legatis. An. ſeq. legitur vicarius generalis Alani cardinalis Aven. epiſcopi. An. 1465. fuit orator ad Paulum papam II. pro civitate Avenion. cum Franciſco Maleſpine conſule, & duobus aliis. Rexit ad annum 1469.

* al. 1457.

1469.

XLVIII. JOHANNES II. DE MONTMIRAIL.

Johannes de Monte-mirabili, Calvomontanus, Lingonenſis diœceſis, referendarius papæ, a Sixto IV. præfectus fuit libellis ſubſignandis; cui etiam laudatus pontifex contulit canonicatum & præbendam, in eccleſia Cameracenſi. Cumque ipſi adverſaretur Johannes Jongleti conſiliarius regius in parlamento Pariſienſi, pro eodem contendens ſacerdotio, in ipſum Sixtus papa ſtylum exacuit, quaſi peſſime de fide ſentiret hic Johannis de Montemirabili adverſarius. Quo vero tempore factus ſit Vaſionenſis epiſcopus, quantoque fuerit, non poſſumus definire. In ejus favorem idem Sixtus impertitur indulgentiarum privilegia eccleſiæ S. Johannis-Baptiſtæ, loci de Calvomonte, ex parochiali in collegiatam inſtitutæ; in qua ſacro baptiſmatis fonte renatus fuit, cujus parentum corpora ibidem inhumata jacent: diplomaque pontificium datum eſt Romæ an. 1475. die 6. idus Febr. Ibidem fato fungitur, prius condito teſtamento, quo ædes ſuas legavit B. Mariæ de Populo, in qua baſilica ædiculam S. Johannis conſtruxerat. Spectatur ibi ſepulcrum ejus & epitaphium legitur in hæc verba: *Johan. de Monte-mirabili hic ſepultum, intelligentia apoſtolicum abbreviatorem, fides Referendarium ſecretum, probitas Sixto quarto pontifici maximo familiarem, religio epiſcopum Vaſionenſem fecit, quibus perfunctus, ſeptuagenarius obiit tertio Idus Nonas Balux. in vit. pap. Avenion. col. 1056.*

XLIX. AMALRICUS.

Electus in epiſcopum an. 1479. confirmatur anno ſequenti, ex archivo Vaſionenſi. Biennio elapſo abdicat ſcilicet an. 1482. & alteri tranſcribit epiſcopatum; ex actis conſiſtorialibus.

1479.

1482.

L. ODO. OZIC.

Odo Ozic abbas S. Polycarpi ordinis ſancti Benedicti diœceſis Narbonenſis, electus eſt die 17. Julii anni 1482. ex actis conſiſtorialibus, inquiunt Fratres Sammarthani, qui ejus obitum notant anno ſequenti, ſubrogatumque ipſi afferunt hoc anno die 17. Octobris Rolandum ignotæ ſedis epiſcopum. Hunc vero epiſcopum prætermiſſum aiunt a J. Columbo; ad cujus ſententiam accedimus, quippe Odonem epiſcopum adhuc invenimus, anno 1489.

1489.

LI. BENEDICTUS III. DE PAGANOSTIS.

Benedictus de Paganoſtis Florentinus, ordinis fratrum Prædicatorum, acceſſiſſe ad regendam hanc eccleſiam an. 1485. legitur apud Sammarthanos. Verum differendum ejus epiſcopatus exordium putamus ad aliquot annos; quod Odonem adhuc epiſcopum inveniamus an. 1489. Obiiſſe dicitur Florentiæ anno 1523. ubi conditus eſt apud ſodales ſuos, ordinis videlicet S. Dominici alumnos.

1523.

LII. HIERONYMUS. SCLEDUS.

Hieronymus Scledus patria Vaſionenſis, magiſter domus Clementis VII. factus eſt epiſcopus anno 1523. Hic titulum aſſumſit comitis Vaſionenſis, & vicecomitis Creſteti, Raſtelli, & Intercallis, quæ toparcharum nomina deſierunt in titulum comitis Capreriarum; cum magna olim contentio fuerit de dominio Capreriarum, (quoddam territorium eſt Vaſionenſis pagi) inter epiſcopum & comitem Toletanum. Carus erat Clementi VII. qui eo uſus eſt ad ſacras confeſſiones, ipſumque brevibus pontificiis ſubſcribendis præfecerat. Sedit ab an. 1523. ad 1533. quo anno efflavit animam, IV. nonas Januarii. Jacet in eccleſia cathedrali Vicentiæ cum hoc elogio ad ejus ſepulcrum appoſito: *Hieronymo Scledo epiſcopo Vaſionenſi, Clementis VII. pontificis maximi domus magiſtro, in Hiſpaniam legato ab eo ad Carolum V. imperatorem miſſo, rebus ſupra omnium ſpem ejus prudentia celeriter & ex voto confectis, affinitate etiam inter illos juncta, Cæſare in Italiam adducto, cum Venetis ceteriſque Italiæ principibus fœdere inito, duce Inſubrum Cæſari conciliato, in Belgis iterum apud eundem legatione functo, Romæ in majori de ſe expectatione ſublato, Johannes Petrus fratri optimo, ac innocentiſſimo P. Vixit annos duos & quinquaginta, dies duos. Obiit quarto nonas Januarii anno* 1533.

1533.

LIII. THOMAS. CORTES.

Thomas Corteſius Prati in Tuſcia natus, cum eſſet datarius & notarius Clementis papæ VII. confecit inſtrumentum de pactis matri-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI monii Catharinæ Mediceæ neptis summi pontificis, cum Henrico duce Aurelianensi filio Francisci I. Francorum regis, quod publicavit Massiliæ anno 1533. Eodem anno creatur Vasionensis episcopus, sediteque usque ad an. 1551.

Reg. de Trente 1533. 1534. Corte.

LIV. JACOBUS.

Jacobus Cortesius Thomæ episcopi ante adeptas infulas ex legitimo conjugio filius, Prati ortus, patriarchæ Alexandrini titulo insignitus, patri successor datus est anno 1551. in sede Vasionensi. Interfuit concilio Tridentino. Anno 1560. coadjutorem & pastoralis sollicitudinis participem elegit Raineri Ceuli Pisanum sororis suæ filium, ordinis Prædicatorum, qui sub titulo episcopi Majoricensis consecratus fuerat; sed morte ante avunculum suum præreptus est Cresteti anno 1570. at non diu superfuit Jacobus, cum ab anno 1551. tantum rexerit per annos 18.

1560.

Guillelmus III.

LV. GUILLELMUS III.

Guillelmus Geyssolmus, *aliter* Cheisolmus nobili familia Scotorum Cheisolmorum oriundus; ex Dumblanensi in Scotia antistite, ob patriæ defectionem a religione Catholica Romam se conferens, a papa datus est episcopus huic ecclesiæ Vasionensi. Anno 1569. adfuit concilio provinciali apud Avenionem celebrato. Post sexdecim annos ea dignitate consensu pontificis se abdicans, ad majorem Cartusiam contendit, in qua ordinem professus, annos aliquot humillime, & magno suorum Cartusianorum exemplo vixit, ordines conferens fratribus, ac postmodum Lugdunensi & Romanæ Cartusiæ successive præfectus, a summo pontifice ad Jacobum regem (quem e sacro fonte susceperat) legatus, indeque reversus, pro Maria Scotorum regina extra ordinem orator in curia commoratus est, & Romæ obiit Cartusianorum prior, ubi sepelitur anno 1593. die 26. Septemb. donatus post mortem hoc epitaphio:

1569.

1593.

D. O. M.

*Ob honorem Guillelmi Geyssolm Scoti, qui coadjutor & successor Guillelmi episcopi Dumblanensis patrui sui, tum Mariæ & Henrici regum Scotiæ orator ad Carolum IX. regem Francorum. Hinc ad pontifices maximos Pios IV. & V. cui regum Scotiæ nomine obedientiam præstitit, & a quo commissum sibi Vasionensem episcopatum summa cum laude pietatis, ac fidei per annos XVI. turbulentissimis temporibus administravit, mox sexagenarius regulam Cartusiensis ordinis professus quietem sacram appetiit, unde a Sixto V. pontifice maximo ad Jacobum VI. regem Scotiæ nuntius allegatus pro Catholica religionis post-liminio fuit prior Lugduni, dum *rexit tandem Romæ, ubi VI. cal. Octobris anno salutis* MDXCIII. *decessit, & sepultus quiescit.*

* *l. demum.*

Guillelmus filius Johannis, nepos Jacobi fratris supra scripti Guillelmi episcopi poni curavit.

ANNI CHRISTI. GUILLELM. IV.

LVI. GUILLELMUS IV.

Guillelmus Cheisolmus ex fratre nepos, Guillelmo Cartusianorum institutum profitente, episcopatu donatus a pontifice 1584. post Sacratum præfulem Carpentoratensem, administravit comitatum Venaissinum; a papa missus legatus ad Scotiæ regem, edito libro adversus Calvinistas patriæ suæ, interiit 13. Decembris 1629. Jacet in ecclesia cathedrali, ubi legitur hoc epitaphium, quod de illo plura nos docebit:

1629.

D. O. M.

ET MEMORIÆ

Guillelmi Geyssolm Scotti e baronibus de Cromnis, cujus avia materna Jacobi IV. regis Scotiæ soror fuit, episcopi Vasionensis ex rectore comitatus Venesini, qui Catholicam religionem ut in patria restitueret, susceptis itineribus, libris editis, & omni ope conatus ut in diœcesi sua efflorescceret, verbo & exemplo præfuit. Demum ætate ac labore fractus, migravit in cælum idibus Decembris anno MDCXXIX. *Et hic situs est ex testamento; vixit annos* LXXXII. *sedit* XLIV.

Guillelmus filius Johannis fratris suprascripti Guillelmi episcopi, nepos Jacobi, P. C.

Dalmeras.

LVII. MICHAEL.

Michaël Dalmeras Balneolensis Occitanus, decanus ecclesiæ Griniacensis, coadjutor decessoris Guillelmi, & episcopus Philadelphiæ, succesit anno 1629. Obiit an. 1633. 16. Aprilis in natali solo Balneolis in diœcesi Uceticensi, sepultus ibidem in ecclesia Recollectorum extra urbem.

1633.

Suarez.

LVIII. JOSEPHUS-MARIA.

Josephus-Maria Suarez Avenionensis, Josephi filius; e præposito * Avenionensis metropolis, & vicesgerente, necnon Urbani VIII. pontific. max. intimo cubiculario, Romæ degens in comitatu Francisci cardinalis Barberini, cum jam fuisset consecratus episcopus assistens papæ, defuncto Michaële creatur episcopus Vasionensis anno 1633. & die 31. Julii consecratur Romæ in æde S. Silvestri in Montecavallo, ab episcopo Sidoniæ Scanarola, assistentibus Cæsio Ariminensi, & Rubia de Bretinoro episcopis. Hoc ipso die scripsit *clero & populo civitatis & diœcesis Vasionensis*, ad eos munientdos adversus vicinorum hæreticorum præstigias; ideoque eos hortatur ad perseverandum in obedientia erga S. sedem. Dat. pridie cal. Aug. 1633. Vir Græce & Latine doctus, antiquitatis sacræ & prophanæ studiosus multa in lucem edidit, quorum catalogum refert Allatius in apibus Urbanis.

* *al.* coadjutore præpositi.

De eo ita lego in speculo juris interpretum universitatis Avenionensis, auctore Dom. Bernard canonico ecclesiæ metropolitanæ Avenionensis: *Josephus-Maria Suarezius Vaticanæ bibliothecæ præfectus, episcopus Vasionensis, basilicæ sancti Petri vicarius & doctor collegiatus, nunquam sine laude nominandus, notitiam librorum* Βασιλικῶν, *primus in lucem edidit ab omnibus ce-*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

lebratam, pra ceteris a Carolo Fabroto editioni Pa- A
risiensi codicis basilici an. 1647. præfixam a Gotefrido in editione sui codicis an. 1663. *Amstelodami ; a Vizzonio tractatu de mandatis principum ad l. 3. n. 2. cod. eodem commendatam. Fuit etiam antiquitatum indagator exactissimus, teste Ciaconio in vitis pontificum, in notitia linguarum peritissimus, emin. cardinali Barberino Mecenati intime carus. Plura typis Vaticanis opuscula, qua volumina implerent, edidit, aut de una in aliam vertit linguam. Libros duos Præneſtes antiqua Roma editos anno* 1655. *& Nili abbatis opera e Græco Latine edita, in fol. typis Barberinis. An.* 1673. *obiit summo litterar. reipublica luctu.*

Multa in civitate ſua ſapienter egit ; in primis B. Quinidio ædem reſtituit ; in qua hactenus leguntur hi duo verſus, quos parieti inſculpi curavit :

Sancto Quinidio reparo venerabile templum,
Ut mihi cæleſtem præparet ipſe thronum.

1665. Anno 1666. tranſcripſit epiſcopatum fratri ſuo Carolo. Fuit orator ad Clementem papam IX. pro urbe Avenionenſi. Obiit Romæ in cancellaria, ſepultus in ſacrario ſancti Petri in urbe, cujus eccleſiæ vicarius fuerat.

SUAREZ.

LIX. CAROLUS-JOSEPHUS.

Carolus-Joſephus Suarez frater deceſſoris ſui, multis ante epiſcopatum functus muneribus, ex canonico metropolis Avenionenſis electus eſt ab Alexandro VII. ad regendam Vaſionenſem
1666. eccleſiam, per reſignationem fratris anno 1666. poſſeſſionem iniit, & ſolemni more ad ſuam acceſſit eccleſiam die 8. Maii anni 1667. Vir vita & morum candore conſpicuus, ſanctitate plenus & meritis animam Deo reddidit Vaſione die 7. Novembris anni 1670. ſepultus in eccleſia majori novæ civitatis Vaſionenſis, ubi hoc habet epitaphium :

Hic ſitus eſt Carolus-Joſephus Suarez epiſcopus D
Vaſionenſis populari morbo, dum ſe ſuis ſuperimpendit abreptus VII. *Novembris* MDCLXX.

E tribus huic ſolio quos gens dedit alma Suarez
Unus adeſt Carolus victima facta gregis.
Urbs rapuit primum, juniorem Sorgia luxit :
Hic tibi quiſque ſedes forma tenenda manet.
Joſephus Franciſcus epiſcopus P.

LX. LUDOVICUS-ALFONSUS.

ANNI CHRISTI

SUAREZ.

Ludovicus-Alfonſus Suarez, Joſephi-Mariæ & Caroli Joſephi epiſcoporum frater, a Clemente X. creatus eſt eorum ſucceſſor an. 1671. 1671.
Poſſeſſionem accepit die 6. Junii ejuſdem anni. Obiit die 13. Martii anni 1685. Avenionique ſepultus eſt in eccleſia ſancti Deſiderii.

LXI. FRANCISCUS.

GENET.

Franciſcus Genet academiæ Avenionenſis in ſacra theologia & utroque jure doctor aggregatus, ubi inſtitutiones Juſtiniani per biennium
B interpretatus eſt, philoſophiæ quoque cathedram a Dominico de Marinis archiepiſcopo Avenionenſi fundatam per aliquot annos obtinuit. Ibidem theologiam docuit, donec ab emin. cardinali Hieronymo Grimaldo Aquiſextiarum archiepiſcopo ad inſtituendum ſeminarium eſt vocatus. Theologiam moralem lingua Gallica, promovente cardinali le Camus Gratianop. epiſcopo, typis commiſit, quæ multiplicibus editionibus celebris, Pariſiis, mox Venetiis in Latinam linguam verſa prodiit. Franciſcus vero ab Innocentio papa XI. circa an. 1686. ad epiſcopatum Vaſionenſem aſſumtus,
C conſecratus eſt die 25. Martii ejuſdem anni. Defunctus eſt die 17. Octobris 1702. aquis ſuffocatus, vix æt. annum 63. ingreſſus. Ita fere de ipſo ſcripſit D. Bernard canonicus Avenionenſis in ſpeculo illuſtrium juris interpretum, qui publice profeſſi ſunt in Avenionenſi Univerſitate, nondum publica luce donato, quod penes nos habemus.

LXII. JOSEPHUS-FRANCISCUS.

GUALTIER.

Joſephus-Franciſcus Gualtieri archidiaconus Cavellicenſis & vicarius generalis Albanenſis epiſcopatus, pro eminentiſſimo cardinali Cæſare Eſtræo, Vaſionenſis epiſcopus efficitur anno 1703. Romæ conſecratus 4. Martii, poſſeſ-
D ſionem per procuratorem cepit die 8. Junii ejuſdem anni, & die 21. Octobris ſequentis, ſolemni epiſcoporum ritu ingreſſus eſt urbem. Palatium epiſcopale ædificat, vigetque hactenus.

PRÆPOSITI VASIONENSES.

I. RIperius de Flotta præpoſitus, factus eſt
E epiſcopus, & ad regimen eccleſiæ Vaſionenſis acceſſit anno circiter 1212.

II. Bernardus præerat tempore Faraudi epiſcopi, teſtiſque fuit compoſitionis factæ inter Alfonſum comitem & hunc epiſcopum.

III. Johannes de Moſſa anno 1277. hominium recipit pro prioratu & dominio de Vinſobriis. Idem memoratur cum Giraudo epiſcopo anno 1282. & cum Bertrando Tricaſtinenſi epiſcopo. Anno 1296. adfuit ſacramento clientari quod Raimundo epiſcopo præſtiterunt cives Vaſionenſes, ut leges in hoc epiſcopo. Obiit 28. Octobris 1299. Vir boni teſtimonii & recordationis præclaræ dictus.

IV. Guillelmus de Serinhano electus eſt 7. Novembris 1299. ex ſacriſta, illuſtri proſapia, litterarum ſcientia, vitæ honeſtate & moribus inſignis. Memoratur adhuc in diverſis inſtrumentis anno 1308. & 1319. Vide in collectione in- *Ch. II. p.* ſtrumentorum. *152. col. 2.*

V. Guillelmus II. de Valle præpoſitus Vaſionenſis 1332.

VI. Raimundus Martelli 1337. 1342. 1343.

VII. Hugo de Boſſio præpoſitus obiit anno 1370.

Digitized by Google

VIII. Petrus Mouricherii electus fuit 1370. A Anno 1377. hominium recipit.

IX. Guillelmus Berigerius, *al.* Blegerii in legibus baccalaureus, vicarius generalis domni Radulphi episcopi Vasionensis, administrator & gubernator capituli anno 1395. memoratur præpositus 1402. 1407. 1418. 1421. Benedictus papa XIII. seu Petrus de Luna ei commisit castellaniam & capitaneatum castri civitatis Vasionensis, data bulla apud pontem Sorgiæ VI. idus Novembris, anno 9. sui pontificatus, quam vide inter instrumenta.

C. IV. p. 354. col. 1.

X. Bertrandus de Urro licentiatus in decretis 1433. B

XI. Johannes II. Feutrerii præpositus 1470.

XII. Michaël-Franciscus præpositus 1480. 1494.

XIII. Ludovicus I. de Balma 1515. 1526.

XIV. Franciscus I. de Cavaillon 1557. Obiit an. 1602. post 60. vel circiter annos regiminis.

XV. Jacobus Brusset per resignationem præcedentis ex sacrista successit in præpositura. Anno 1625. coadjutorem elegit. Obiit an. 1653.

XVI. Franciscus II. d'Inguibert doctor sacræ theologiæ ex coadjutore. Obiit anno 1679.

XVII. Ludovicus II. d'Inguibert de Pramiral Carpentoratensis, ex coadjutore anno 1686. resignavit D. Felici Mariæ de Vincent de Rochegueriu.

XVIII. Felix Maria de Vincent de Rochegueriu ex resignatione anno 1686. possessionem iniit. Resignavit anno 1689. sequenti, mense Martio.

XIX. Josephus-Joachim Mayer in decretis licentiatus, possessionem iniit eodem anno. 30. Martii.

ECCLESIA CABELLICENSIS.

CABELLIO seu CABALLIO in provincia Narbonensi, *urbs Cavarum* Straboni, recensetur a Plinio inter oppida Latina, seu jure veteris Latii donata. A Ptolemæo *Cabellio colonia* in Cavaribus nuncupatur. A Stephano *Cabellio urbs Massilia*; quod ad Massilienses rempublicam pertineret. In nonnullis veteribus notitiis legitur *civitas Cabellicorum*, vel *Cavallicorum*. Urbs est in monte Druentiæ proximo posita, in comitatu Vindascino, nunc sub archiepiscopatu Avenionensi, cum prius Arelatensi metropoli esset subdita.

Ecclesiam cathedralem Innocentius IV. curavit dedicari ad honorem B. Mariæ virginis, ut patet ex ejusdem litteris, quibus, visitantibus hanc ecclesiam in anniversaria festivitate ejus dedica-

Vide C. I. p. 15. col. 1.

tionis & per octavam, remittit unum annum & quadraginta dies de injuncta pœnitentia. Nihilo tamen minus hujus ecclesiæ simul patronus est sanctus Veranus (*saint Vrain*) episcopus.

C. IV. pag. 355. col. 2.

In ecclesia Cavallicensi capitulum constat 12. canonicis, præposito & archidiacono. Charta Bertranni episcopi, data anno MCCII. in capitulo recenset tanquam dignitates B. præpositum, A. præcentorem & B. sacristam. Ministrant præterea in eadem ecclesia decem clerici, beneficio ecclesiastico insigniti, & duo curiones ad nutum amovibiles, octo choristæ cum musicæ magistro & præposito.

In diœcesi duæ sunt abbatiæ; una in urbe sancti Johannis, vulgo sancti Benedicti, quod ejus ordinis sit, ubi moniales Deo militant; altera extra urbem Sinanqua dicta, ubi monachi Cistercienses. De utraque suo ordine dicemus.

Duo sunt capitula seu collegia canonicorum, scilicet Insulæ, ubi sunt octo canonici, & Oppedæ.

In urbe sunt cœnobia (conventus vocant) fratrum Prædicatorum, Minorum Capucinorum, Carmelitarum discalceatorum, monialium Cisterciensium, Ursulinarum & Carmelitarum. In aliis diœcesis locis, nimirum Insulæ habitant Minores Capucini, Minimi, Clerici a doctrina Christiana dicti; moniales sanctæ Claræ, Ursulinæ & Hospitalariæ. In territorio de Goulte sunt Carmelitæ B. Mariæ de luce (*Notre-Dame des Lumieres.*)

EPISCOPI CABELLIONENSES.

AD gesta vel etiam nomina episcoporum Cabellionensium e tenebris eruenda, nostri Sammarthani se candide fatentur usos esse schedis viri clarissimi Henrici Suarez Avenionensis, & domni Odonis de la Mothe monachi Benedictini, e congregatione sancti Mauri. Nos doctorum virorum lucubrationes de hoc argumento, iterum ad incudem revocavimus, & ex variis veteribus instrumentis aut castigavimus, aut collatis undique accessionibus exhibemus longe auctiores, adjuti præsertim observationibus viri clarissimi D. Gallier vicarii generalis.

I. S. GENIALIS.

ANNI CHRISTI.

In diptychis ecclesiæ Cabellicensis primus episcopus notatur sanctus Genialis, cujus tempus assignatur ad annum circiter 322. potius ex conjectura, quam ex ulla certa ratione. 322

II. JULIANUS *sive* JULIUS.

Adfuit hic episcopus concilio Rejensi coacto anno 439. omisso in conciliorum collectionibus. 439
Consulendus de eo Tillemontius tom. XV. commentariorum ad historiam ecclesiasticam. Idem *p. 65.*
memoratur episcopus anno 451. quo subscripsit 451

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

epistolæ synodicæ episcoporum Galliæ ad sanctum Leonem papam missæ. Ipsi & multis aliis episcopis inscribitur epistola quinquagesima secunda ejusdem sancti Leonis.

III. Porcianus.

Porciani nudum nomen, ut reperum est a nobis, relinquimus; nihil enim nobis occurrit unde illustraretur ejus episcopatus, cui assignatur annus 459.

459.

IV. Philagrius.

Philagrius variis ex conciliis in lucem erupit; subscripsit enim conciliis Epaonensi parochiæ Viennensis an. 517. Arelatensi IV. anno 524[a]. Carpentoratensi anno 527. necnon Arausicano II. anno 529.

517. 524. 527. 529.

V. Prætextatus.

Æque certa sunt de Prætextato episcopo testimonia, iisdemque ex fontibus depromta. Nam ad synodum Aurelianensem V. misit Optatum abbatem, qui ejus nomine subscripsit, an. 549. At Arelatensi V. ipse interfuit an. 554. ac Parisiensi II. an. 555. nisi mavis cum Carolo Cointio synodum hanc revocare ad annum 551.

549. 554.

VI. S. Veranus.*

S. Veran.

Sanctus Veranus ex pago Gabalitano ortus, ab Evantio Gabalorum episcopo, clero urbis adscriptus est. Sed declinandæ gloriæ causa (jam enim virtutum ejus fama percrebuerat) fugit, & transmisso flumine Rhodano, in pago Cabellicensi aliquandiu latitavit. Inde Romam profectus, iterum suum Cabellicensem secessum petiit, futuri tunc minime præscius. Vacabat tum sedes episcopalis mortuo episcopo, cui unanimi cleri populique consensu suffectus est Veranus. Quo vero tempore id factum sit aliquatenus assequi possumus ex conciliis & negotiis ecclesiasticis, quibus interfuit. Anno videlicet 585. subscripsit synodo Matisconensi II. An. sequenti Prætextato Rotomagensi episcopo Fredegundis dolis enecato, Guntramnus rex misit Veranum Cavellionensem, cum Arthemio Senonico & Agræcio Tricastino episcopis, *ut perquirerent hujus sceleris personam, & in conspectu ejus exhiberent.* Qui fortiter hac defuncti sunt provincia; absque enim formidine reginæ Fredegundi audacter dixerunt: *Noveritis quia si persona quæ hac perpetravit, in medio posita non fuerit, rex noster cum exercitu huc veniens, omnem hanc regionem gladio incendioque vastabit, quia manifestum est hanc interfeciſſe gladio episcopum quæ maleficiis Francum jussit interfici.* His dictis obtestati sunt ut nunquam in ecclesia (Rotomagensi) Melantius, qui prius in loco Prætextati subrogatus fuerat, sacerdotis fungeretur officio.

585. Greg. Tur. l. 8. hist. c. 31.

Anno 587. idem episcopus suscepit e sacro lavacro filium Childeberti regis, *cui Theodorici nomen posuit.* Anno 589. cum rege Gumtramno apud Augustodunum fuerunt aggregati multi ex ejus regno episcopi, ad deliberandum de sedandis tumultibus in puellari sanctæ Radegundis apud Pictavos monasterio a Chrodielde & Basina regiæ stirpis monialibus excitatis. Ex his autem præsulibus erat Veranus, cujus nomen legitur in inscriptione epistolæ synodi hujus ad episcopos Ætherium Lugdunensem, Syagrium Augustodunensem, Aunacharium Autissiodorensem. Gregorius Turonicus ex cujus historia hæc edocti sumus, narrat l. 3. de miraculis sancti Martini, se ad visitandam genitricem suam, territorium Cavillonensis urbis adiisse, ibique audivisse a Verano episcopo quomodo invocata ope sancti Martini fuisset sanatus a febre quartana. Ad Christum migravit sanctus antistes die XI. Novembris; quem Cabellicenses in patronum elegerunt. Exstat ejus vita tomo II. bibliothecæ Labbei. Valentinæ synodi actis subditur apud Sirmondum & Labbeum Verani Cabellicensis episcopi sententia de castitate sacerdotum, digna sane quæ legatur, in qua præ ceteris observanda sunt hæc verba: *Notum vobis est circa loca beatitudinis vestræ, sub magnorum patrum disciplina, monachorum congregationes esse non parvas; unde ad supplenda clericorum officia in promtu est viros bonos assumi.* Sancti Verani corpus ad Jargoliensem (*Gergeau*) ecclesiam diœcesis Aurelianensis allatum esse, auctor est Saussaius l. 3. annal. eccles. Aurel. cujus translationis dies festus recolitur die 19. Octobris.

589. Ibid. n. 4.

cap. 60.

145. 690.

VII. Lupus.

Post sanctum Veranum longum sequitur interpontificium, forte ob Saracenorum bella & hostiles incursiones. Forsitan quoque toto illo fere ducentorum annorum spatio quidam sederunt Cabellioni antistites; at monumenta quæ ipsorum memoriam ad posteros transmittere debuerant, in tot procellis, vastationibus, incendiis perierunt. Primus autem qui nobis post tam longum temporis spatium occurrit, est Lupus, qui subscripsit concilio Narbonensi anni 788. contra Felicem Urgellitanum episcopum.

788.

VIII. Hildeboldus.

Hildeboldus Cabilonensis, vel potius Cabellionensis, subscripsit privilegio Trenorchiensibus concesso, in conventu Cabilonensi anni 875. Cur autem non tribuamus hunc episcopum Cabilonensibus ad Ararim, manifesta est ratio; nempe in hac synodo erat Gerbaldus episcopus hujusce sedis.

875.

IX. Reginardus.

Reginardus invenitur in conventu episcoporum apud Barchinonam in ecclesia sanctæ Crucis anno 906. indict. VIII. de quo in Arnusto Narbonensi archiepiscopo. Anno 909. ind. XII. v. Nonas Maii, sedit in concilio Magalonensi apud Juncarias. Idem subscripsit testamento Fulcherii Avenionensis episcopi, conditi anno 916. indict. IV. VI. nonas Maii.

906. 909.

X. Heribertus.

Heribertus ad hoc usque tempus incognitus, recensetur

[a] In actis editis hujus concilii nomina sedium episcopalium tacentur. At in MS. codice Cartusiæ Portarum D. Polycarpus legit: *Cæsarius in Christi nomine Arelat. episcopus, &c. Philagrius.... Cabellicen. episc. Prætextatus.... ecclesiæ Aptensis, &c. Contumeliosus.... de Regensi urbe, episcopus, &c.*

ANNI CHRISTI.

recenſetur in charta Lanfredi, ejuſque conjugis Mabilis, qua multa conferunt parthenoni S. Laurentii Avenionenſis, probantibus & laudantibus Radone electo Arelatenſi, Ragenfredo Avenionenſi, & Heriberto Cavellicenſi epiſcopis, XII. cal. Auguſti, anno 951. Vide in hiſtoria abbatiæ ſancti Laurentii.

col. 824.

XI. DESIDERIUS I.

p. 843.

Legitur tomo IX. conciliorum ſententia excommunicationis lata contra Iſnardum ejuſque ſocios, qui res ſancti Symphoriani Auguſtodunenſis tenebant, additurque: *De his terris ſanctis Symphoriani, quæ ſita ſunt in comitatibus Avenionenſe & Cavellico, tandem ſatisfecit Iſnardus Girardo Auguſtodunenſi epiſcopo feria* III. XVII. *calendas Auguſti anno Domini* DCCCCLXXII. *indict.* XV. *regnante quidem rege Gondrado* (Conrado.) *Rerum autem in Cavellicenſi epiſcopatu ſitarum reſtitutionem..... factam confirmavit Deſiderius epiſcopus Cavellicenſis.*

B

972.

XII. WALCAUDUS.

Walcaudus ſanctæ Cavellicenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſit chartæ Landrici Avenionenſis epiſcopi datæ anno 976. uti diximus de hoc epiſcopo agentes. Dedit eccleſiam ſancti Verani a Valle-cluſa, monaſterio Maſſilienſi, cum conſilio ſenioris ſui *Chunradi*, atque inclyti marchionis Willelmi. Facta donatio Avenione IV. Id. Maii, indict. VII. an. DCCCCLXXIX. Subſcripſerunt poſt Walcaudum Silveſter archiepiſcopus Aquenſis eccleſiæ, & Warnerius Avenionenſis epiſcopus, ex archivis ſancti Victoris.

Ch. VII. Anon. pag. 239.

976.

C

979.

XIII. THEODORICUS.

Hic epiſcopus ſediſſe legitur anno 982, ſed quid geſſerit, aut quanto tempore ſedem hanc obtinuerit nunquam expiſcari potuimus.

982.

XIV. INGILRAMNUS.

Ingilramnus, vel Angilramnus anno 991. II. nonas Auguſti conſentit fundationi & inſtitutioni duodecim canonicorum, in Aptenſi eccleſia; qua de re videnda eſt charta Theuderici Aptenſis epiſcopi inter probationes hujus eccleſiæ relata. Montis-Toſonis eccleſias a Johanne papa cum decimis, primitiis, oblationibus, & cimiterio, ſancti Andreæ abbatiæ conceſſas, eidem, ſupplicante Martino abbate, una cum duodecim canonicis ſuis confirmat anno Dominicæ incarnationis MXIV. indict. XIV. ex chartis S. Andreæ. Poſtea tranſlatus dicitur ad Aqui-Sextienſem cathedram; eique ut archiepiſcopo tribuitur quædam donatio eccleſiæ S. Perpetuæ, quam potius putamus factam tempore ejus epiſcopatus Cavellicenſis; etenim datæ ſunt litteræ anno 1011. quo tempore ſane nondum ſedem mutaverat. Alioquin nullibi hoc in inſtrumento legitur archiepiſcopus aut antiſtes Aquenſis. Adhuc vero uxorem habebat, quam *ſuam fidelem* appellat in hac charta pro eccleſia S. Perpetuæ. Hanc chartam damus in probationibus, deſcriptam ex tabulario S. Victoris Maſſilienſis a viro clariſſ. Antonio Ruffio.

Ch. IV. p. 74. col. 2.

Vide prob. Ch. II. p. 155. col. 1.

991.

1014.

D

E

Gal. Chr. Sammarth. tom. I. p. 5.

Ch. III. p. 155. col. 2.

XV. PETUS I.

In Guifredo Narbonenſi archiepiſcopo mentio fit Petri *Cabilonenſis* epiſcopi. Sed legendum *Cabelionenſis*; primo quidem quia tunc locus eſt plenus in epiſcoporum Cabilonenſium ſerie: ſecundo, quia veriſimilius eſt Cavellicenſem epiſcopum ſynodo Narbonenſi adfuiſſe, quam Cabilonenſem. Certe ſedit in hoc concilio Rajambaldus archiepiſcopus Arelatenſis Cabellicenſium epiſcoporum metropolitanus; aderant vicini epiſcopi Ermengaudus Regenſis, Stephanus Aptenſis. Habitum eſt autem concilium hoc, anno circiter 1032. cujus autographum aſſervatur in archivo locupletiſſimo S. Victoris Maſſilienſis.

ANNI CHRISTI.

1032.

XVI. CLEMENS.

Hic epiſcopus cum capituli conſenſu dedit S. Iſarno S. Victoris Maſſilienſis abbati, monaſterium beatæ Mariæ de Valle-cluſa, ubi humatum olim fuit corpus S. Verani epiſcopi. Legit noſter D. Edmundus Martenne in laudati monaſterii chartario id factum anno 1004. Sed hoc anno Iſarnus nondum præerat; factus eſt enim abbas tantummodo anno 1021. Idcirco ad marginem recentiori manu ſcriptum legitur an. 1034. alibi 1040. quam chronologiam noſtri ſequuntur Sammarthani. Eodem anno 1040. adfuit cum plurimis præſulibus conſecrationi baſilicæ ſancti Victoris Maſſil. factæ ſolemniter a Benedicto papa IX. uti legitur in Pontio Maſſilienſi. Unus fuit ex præſulibus, qui apud S. Ægidium celebrarunt concilium, anno, ut Baluzio & Labbeo videtur, 1056. vel 1055.

1040.

1056

XVII. RADULFUS.

Radulfum epiſcopum ſuppeditant Montismaj. tabulæ, ubi legitur eum eccleſiam ſancti Laurentii de Peliciana * a Pontio Roſtagno de Bompar reſtauratam, vice Roſtagni Aquenſis archiepiſcopi conſecraſſe XVIII. cal. Jan. anni ab incarn. Dom. 1069. Eodem præſente circa an. incarnat. 1075. Berengarius Avenionenſis proconſul S. Sepulcri & ſancti Andreæ eccleſias * dat monaſterio ſancti Andreæ. Idem præfato monaſterio dat eccleſias B. Mariæ & S. Phileæ, ut habetur in judicio Gaufredi Avenionenſis epiſcopi an. 1154. Spicilegii to. VII. pag. 207.

D

* Peliciana

1069.

1075.

*

XVIII. DESIDERIUS II.

Deſiderius abbas Gemmeticenſis, ex chronico Virdunenſi, electus in ſynodo Avenionenſi, anno 1082. conſecratus eſt Romæ, a ſummo pontifice Gregorio VII. quo etiam anno ſubſcripſit chartæ Guntardi epiſcopi Valentinenſis pro abbatia Romanenſi. Reperitur in tabulis Cabellicenſibus anno 1090. Confirmavit donationes eccleſiarum beatæ Mariæ, & S. Phileæ factas Andreano ſecus Avenionem cœnobio, de quibus ſupra. Obiit in Claromont. concilio ſub Urbano II. an. 1095.

1082.

1095.

* Sitas in diœceſi Forojulienſi prope Cannetum, quod congeſtaltem anno MLXV. quo Roſtagnus filius Berengarii donationem patris ſui ratam habuit.

XIX. Johannes I.

ANNI CHRISTI.

1103. An. 1103. Petrus III. Aqui-Sextiensis archiepiscopus, majorem S. Salvatoris ecclesiam consecravit, in frequenti præsulum cœtu, quos inter Johannes Cabellicensis recensetur, de cetero nobis prorsus ignotus.

XX. Alfantus.

1154. Sedebat hic præsul an. Christi cemesimo [a] quinquagesimo quarto supra millesimum, quo Gaufredus Avenionensis episcopus composuit litem inter ipsum & Pontium S. Andreæ abbatem, ea lege ut monasterio confirmarentur donationes factæ a Radulfo & Desiderio episcopis, scilicet ecclesiarum beatæ Mariæ & S. Phileæ *; monachi vero duos solidos veteris Melgorienſis monetæ nomine censualis canonis pro dictis ecclesiis, singulis annis, canonicis persolverent. Vide spicil. tom. VII. p. 207.

* Felicis.

XXI. Benedictus.

1156. Anno 1156. confirmavit Hugoni abbati Liberæ-vallis, territorium de Rivo-frigido, quod Alfantus episcopus Willelmo abbati dederat.

1162. Charta S. Andreæ data an. 1162. nos docet hunc episcopum sopivisse querelam Geraldi Amici contra Pontium abbatem pro Junqueriis, & pro Castro-novo. Donavit monasterio Sinanquæ emtum a se ducentis solidis agrum quendam situm in valle Bonafræ. An. 1173.

1173. chartam Guiranni de Simiana, pro cœnobio eodem, suo sigillo munit. Anno 1178. nominatur ut testis in bulla Friderici imperatoris, pro

Ch. V. p. 256. col. 1.

1178. ecclesia Arelatensi, Raimundo archiepiscopo. Paulo post vacavit sedes; nam anno sequenti alius præerat episcopus.

XXII. Pontius.

Unum dumtaxat scire licuit de hoc episcopo; nimirum interfuisse concilio Lateranensi, an. 1179. habito, mense Martio, ut legitur to. XII. spicil. ac tom. X. concil. in appendice.

p. 642. p. 1130.

XXIII. Bermundus.

1184. Bermundus, qui in Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum notatur tantum ad an. 1201. jam sedebat anno 1184. nam is esse debet, qui sola priori sui nominis littera B. subscripsit chartæ *Raimbaudi de Agolt* filii Guiranni de Simiana, qua confirmat fundationem & dotationem cœnobii Sinanquæ. Certe non potest dici characterem hunc B. designare Benedictum episcopum, qui usque ad annum 1184. vixerit, & ecclesiæ gubernacula moderatus sit; nam anno saltem 1179. successorem Benedicti demonstravimus Pontium. Quod spectat ad Ber-

Ch. VII. p. 456. col. 2.

1202. trannum, an. 1202. abbatiæ Sinanquæ abbatique W. dedit jus quod habebat in *Junquer de Sorgeta*, præsente & consentiente capitulo, scilicet B. præposito, A. præcentore, B. sacrista & ceteris canonicis.

Ch. IV. p. 251. col. 2.

[a] Jam prius præerat si constet quod legitur in Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum tomo IV. abbatiam Sinaquæ diœcesis Cavellicensis eum habuisse fundatorem IX. calendas Julias, anni 1148.

XXIV. Bertrandus I.

ANNI CHRISTI. DURAFORT.

S. Andreæ tabulæ nos docent episcopum hunc cognominatum fuisse de Duro-forti, & antequam fieret episcopus in ecclesia Cavellicensi sacristæ officio functum. An. 1203. testis 1203. fuit donationis factæ Willelmo Sinanquæ abbati & fratribus, ab Isnardo de Oppeda. An. 1210. suo & M. Arelatensis archiepiscopi no- 1210. mine, mandat ut Geraldus Amicus justitias seu firmantias (al. *fuentias*) in villa de Thoson, tam pro se, quam pro successoribus, Bermundo abbati Andaonensi restituat, demtis, quantum ad justitias, criminibus quæ pœna sanguinis puniuntur, litteris datis die 1. Augusti. Mutuam quarumdam ecclesiarum permutationem, inter fato functum Bermundum Cavellicensem episcopum, & Bermundum S. Andreæ abbatem factam confirmat mense Junio, an. Dominicæ incarnationis 1211. Occurrit in charta anni 1212. VII. idus Aprilis, qua Willelmus comes 1212 Forcalquerii recognitionem dat Willelmo abbati Montis-majoris, de Villa Pertusi. Anno 1213. mense Aprili interest donationi partis de- 1213. cimæ in territorio de Thoson, factæ præfato Bermundo abbati Andaonensi. Anno sequenti, Geraldi Amici morientis apud castrumnovum excepit confessionem, & eum ad satisfaciendum Bermundo abbati & monachis adegit, ex Spicilegii tomo septimo. Anno 1216. 1216. præsens legitur donationi cujusdam terræ prope Gordam factæ Bonifacio abbati Sinanquæ, ab Hugone de Apta. Anno 1221. cal. Novemb. 1221. in præsentia ejusdem Bertrandi, fratres Bonipassus, priusquam canonicis S. Symphoriani de Cavo-monte sese adjungant, S. Andreæ & S. Trophimi de Luco-Marino ecclesias in manibus Bermundi de Clauzona abbatis S. Andreæ, cui eas acceptas referebant, restituunt. Eodem etiam anno confirmat pacem inter Willelmum de Villa-Bovina, & fratres Sinanquæ, super terram de Vouta.

Ex his pene perspectum nobis videtur Gerardum, qui ponitur inter Bermundum & Bertrandum, nunquam sedisse; quando constat eodem anno 1211. quo præfuisse dicitur, Bertrandum fuisse episcopum, sedemque tenuisse saltem ab anno 1203. ad 1212. De Bertrando quædam referunt Sammarthani fratres a nobis prætermissa; scilicet eum anno 1212. præsentem fuisse, quando apud Pertusum Guillelmus comes Forcalquerienſis vendidit Guillelmo abbati Montis-majoris villam de Gravesons VII. idus Aprilis; & nomen ejusdem inscribi schedæ pro priore de Valle-clusa anni 1216. denique obiisse cal. Decemb. ex necrologio sancti Andreæ.

XXV. Gaufridus.

Post Bertrandum in serie Cavallionensium episcoporum, recensendus est Gaufridus, ex S. Andreæ charta notus; qua fr. Guillelmum Cataroni S. Andreæ monachum, ad ecclesiæ S. Petri de Thoro administrationem, præsentante Rostagno ejusdem monasterii abbate, admittit 15. Aprilis an. 1232. Anno 8. pontifica- 1232.

ANNI CHRISTI. Ch. I. pag. 185. col. 1.

tus Innocentii papæ IV. dedicata est ecclesia Cavellicensis ab eodem papa, sede forte vacante, nam episcopi qui tunc sederet nulla fit mentio. Ex schedis ad nos missis, id factum est sedente Rostagno qui sequitur.

XXVI. Rostagnus.

Cum nos fugiat quo tempore Rostagnus, cui Belingerii cognomen datum legimus, accesserit ad regendam Cavellicensem ecclesiam, ignoramus utrum ipse sit, an ejus decessor, qui concilio Valentino adfuit anno 1248. At sedit in synodo Insulana provinciæ Arelatensis an. 1251. 1251. celebrata sub Johanne Arelatensi metropolitano. Occurrit in charta S. Andreæ anno 1254. 1254. Obiit diem anno 1261. ut docet hoc 1261. epitaphium in claustro, ubi sepultus fuit, positum:

Mundo sublatus fuit Rostagnus hic tumulatus
Quippe Deo gratus, nam culmen pontificatus
Hujus ecclesiæ meruit per dona Sophiæ,
Ecce decus patriæ, viduas in honore Mariæ
Virginis ornavat, inopes . . . recreavat.
Hos sustentabat paupertas quos superabat.
Hospitio gratum se prabuit, atque probatum,
Moribus ornatum bis primceps nobilitatum
Antistitem Christe . . . quem lapsi esse
. . . . . in cœlis associare velis.
Anno milleno bis centeno numerato
Cum sex agено conjuncto sit quoque primo
Jejunii quintas migravit ad astra calendas*
in requiem aternam amen.

* Al. Innii.

XXVII. Giraudus.

Giraudus nominatur in instrumento transactionis anni 1267. VI. idus Augusti initæ inter episcopum Avenionensem & priorem Cartusiæ Boni-passus, pro pedagio fluvii Druentiæ, & aliis juribus, quæ probata est ab archiepiscopo Arelatensi & capitulo Avenionensi, ex archivis Boni-passus. Hunc præsulem Cabellicenses tabulæ prætermittunt, attamen in plurimis 1271. chartis reperitur. Anno 1271. testatur se vidisse litteras G. abbatis S. Victoris Massilicnsis, quibus, fratribus de Monachia apud Narbonam, (*La Mourguié*) concedebatur facultas vendendi fratribus Prædicatoribus, campum eorum domui contiguum, III. cal. Novembris. Memoratur in tabulis monasterii Sinanquæ annis 1273. ac 77. quo etiam anno legitur in charta S. Laurentii Aven. 1273. 1277.

Arch. FF. Prad. Narb.

XXVIII. Andreas I.

Andream suffectum legimus Guiraudo, sedisseque an. 1278.

XXIX. Bertrandus II.

Imbertus. Bertrandus cognomento Imbertus jam episcopus erat an. 1282. quo vocatus est a rectore comitatus Vindas. ad consilium majoris curiæ. 1284. An. 1284. die v. Maii, de licentia capituli, præpositi, sacristæ, præcentoris & aliorum canonicorum permutavit domum Boni-passus in sua diœcesi, cum hospitalariis S. Johannis Baptistæ Cabellicensis, Guillelmo Villareto priore S. Ægidii, pro ecclesia S. Verani de Ternis cum omnibus juribus, existarque documentum in tabulario Boni-passus. Anno 1287. III. cal. Septembris, concessit viginti dies indulgentiæ, iis qui Petro de Campo-plano a dæmone obsesso largirentur eleemosynam; ex tabul. episcopatus Albiensis. Anno 1288. adfuit concilio provinciali apud Insulam, villam Cavallicensis diœcesis, habito paulo ante natale Domini. Adhuc præerat an. 1301. juxta Sammarthanos fratres. 1287. 1288. 1301.

XXX. Pontius-Algerius.

De Lantis.

De hoc episcopo altum est in publicis tabulis silentium, usque ad annum 1311. quo solemni pompa transtulit ex Valle clusa corpus sancti Verani episcopi, & ecclesiæ patroni. Anno 1317. Guigonem de Coirano investivit de ecclesia S. Gervasii apud Insulam, die 3. Martii, rogante S. Andreæ abbate, ex ejusdem monasterii documentis. Unam ex majoribus campanis conflari curavit, etiamnum ejus nomine insignitam. 1311. 1317.

XXXI. Gaufridus II.

Electum illum fuisse anno 1322. probat liber obligationum Vaticani, inquiunt Sammarthani fratres. Anno 1326. die 18. Junii adfuit concilio trium provinciarum habito apud S. Rufi cœnobium, prope Avenionem, de quo vide in Guasberto Arelatensi archiepiscopo. 1322. 1326.

XXXII. Berengarius.

Berengarium jam episcopum fuisse anno 1325. legimus; sed id falsi revincitur ex supra dictis; constat enim Gaufridum adhuc episcopali munere defunctum esse anno 1326. decimo pontificatus Johannis XXII. indict. IX. qui characteres chronologici optime conveniunt. neque tamen omnino negamus Berengarium alio tempore episcopatu esse potitum.

XXXIII. Raimundus.

Dicitur episcopus ad an. 1332. jure an perperam nescimus. 1332.

XXXIV. Philippus.

De Cabassole.

Philippus de Cabassole ortu Cabellicensis, genere tamen Avenionensis, erat ex antiqua & nobili familia, nam in ipsius epitaphio pater ejus Isnardus insignitur titulo militis. In ecclesia Cavellicensi clero adscriptus, a primis suis temporibus, inter præcipuos clericos conversatus est, ut ipse testatur in instrumento donationum huic ecclesiæ a se factarum. Hinc negat Baluzius Philippum unquam fuisse majoris ecclesiæ choristam, ut vulgo creditum est. At vero propius ipsum ex canonico archidiaconum, præpositumque subinde factum esse, denique sedem episcopalem adeptum esse anno 1334. die 3. Augusti. Præfuit autem saltem annis * 23. An. 1337. adfuit concilio San-Ruffensi die 3. Septembris. An. 1343. legatus mittitur a summo pontifice ad Johannam Siciliæ reginam, ut negotiorum regni & publicæ rei curam susciperet, quod etiam Robertus rex pater Johannæ, brevi moriturus fieri cu-

Not. in vit. Ep. Aven.

1334. 1337. 1343.

* In Gallia Ch. Samm. legitur annis 13. sed mendum est, legique debet 23. ut ex sequentibus patebit.

—— pierat & deſtinarat. Ut vero majori auctorita- A
ANNI CHRISTI. te ad rem publicam tractandam uteretur, regni
creatus eſt cancellarius. Anno 1346. circiter,
1346. nomine Clementis papæ VI. levavit e fonte ſa-
cro filium quem eadem Johanna regina pepe-
rerat, eique Caroli nomen impoſuit die 25.
Baluz. not. ad vit. pap. col. 190. & 1352. Decemb. uti legimus in gratulatoriis Clemen-
tis papæ litteris ad præfatam Johannam. Porro
tanto ſtudio, tanta prudentia & fide res re-
ginæ regnique in ſua adminiſtratione curavit,
1352. ut pater patriæ meruerit nuncupari. An. 1352.
miſſus eſt in Alemanniam, pro decimarum
ſubſidio colligendo, teſte ſcriptore vitæ ſecun-
dæ Innocentii VI. Iterum ut nuntius apoſtoli- B
cus in Germaniam eſt profectus anno 1357. quo
tempore ſcriptor vitæ ſecundæ Innocentii papæ
VI. eum adhuc appellat epiſcopum Cavelli-
cenſem, nullo alio addito titulo. Idem obſer-
vavi in hiſtoria Tullenſium epiſcoporum, ubi
ejuſdem ad hunc annum mentio fit in Bertran-
do epiſcopo; quippe hoc tempore epiſcopus Ca-
vellicenſis dioceſim Tullenſem, uti alias Ger-
maniæ peragravit ad colligendam magnam pe-
cuniæ vim pro conſtructione murorum urbis
Avenion. cujus adminiſtratio Philippo cre-
dita eſt anno 1367. cum non amplius eſſet
epiſcopus Cavellicenſis, ſed patriarcha Jero- C
ſolymitanus. Hanc autem dignitatem putamus
1361. ei collatam anno 1361. quo tempore in cathe-
dra Cavellicenſi ſucceſſor ei datus eſt. Ab an.
quoque 1366. menſe Sept. ad 1368. præpoſitus
eſt adminiſtrationi eccleſiæ Maſſilienſis, ut ſuo
loco diximus. Ob inſignem eruditionem & pie-
tatem cardinalis creatus eſt ab Urbano V. titulo
ſanctorum Marcellini & Petri, anno 13[illegible]8. An-
no vero 1371. mutato titulo die Maii ultima
factus eſt epiſcopus Sabinenſis, de cujus promo-
tione ſcribens Petrarcha lib. XIII. ep. II.

Non ſolum hoc panniculo non ſuperbus, inquit, D
ſed nec qualibet purpura, aut corona, imo (& funditus te novi) factus humilior, nulla te re alia, quam ſolis auctum curis ſentis. Et alibi ſic fatur: *Huc te ſors tua extulit, & ſumma illius ſancti patris providentia, qui te prædeceſſoribus ſuis incognitum & libentiſſime latitantem eccleſiæ conſulens, non tibi, niſi quod magnus & pius labor inter tot præſertim impios, præmio non carebit.* Sub Greg. XI in Italia ut legatus roxit Umbriam, Etruriam, Campaniam, Perufium, Sabinamque ditionem; qua de re Petrarcha ſic eum alloqui-
tur: *Tuum ad has partes adventum late audio, quem & tibi glorioſum, & Italiæ utilem, & fe-* E
licem ſpero; talis te innocentiæ & virtutis fama prævenit, & omnium jam animos occupavit.

Is vero cardinalis eruditorum fautor & cultor, in primis familiarem habuit Franciſcum Petrarcham ſuo ævo doctiſſimum, qui complures ad eum epiſtolas ſcripſit tanquam ad litteratorum patronum. Ei quoque dicavit libros duos de ſolitaria vita; & in præfatione libri I. ſic eum compellat: *Miſi tibi tandem, pater, expetitum ſæpe, promiſſumque, ſed dilatum multis annis opuſculum. Cum nempe olim ſolitarius, & tu ruri in ſilentio otioſus & tranquillus, agerem prope felicem vitam, ſi diuturnior fuiſſet, contigit ut duo mihi libelli, totidem continuos per annos in diebus*

Quadrageſimæ, & ſacro tempori, & loco illi tuo, & ſtatus meo ex parte convenientes occurrerent: de ſolitaria altera vita, alter de otio religioſo. Primum tibi inſcripſi, illorum tunc locorum præſuli, quod eiſdem ortus in finibus, unde origo tibi eſſet ac dignitas, nulli alteri tam debitus videretur. &c. Aſcendiſſes enim pridem altius, niſi ætati noſtræ diſſimiles tui tibi mores obſtitiſſent: ac deinceps ſub hoc optimo exſtimatore meritorum, niſi ſpes animum fallit, eveniet, ut nec livor alienus, nec tua tibi obſtet humilitas, & neceſſe erit, ut aſcendas, non pro tui quidem deſiderii fervore, quo præter Deum ac virtutem nihil appetis, ſed pro eccleſiæ decore, proque tuo honorifico labore, ac multorum requie. Et cap. 11. lib. 11. *Eam quoque ſortitus es patriam, quam licet epiſcopatus tuus civitatis appellatione nobiliter, ea tamen præter vetuſtatem & nomen de civitate nihil habet, non luxum, non frequentiam, non tumultum, ſingula ad eam vitam de qua loquor aptiſſima. Cujus ego, ſi rite computo, annis circiter quinquaquinta ante Domini adventum, Julio Cæſare Britanniam oppugnante, in authenticis ſcriptis inter antiquas jam tunc urbes memoriam invenio.* Et paulo poſt ſubjungit: *Adeſt tibi tuus Sorgiæ rex fontium, ad cujus tibi murmur hæc ſcribo. Adeſt liberrimum gratiſſimumque perfugium Clauſæ-Vallis (ſic enim vocant incolæ) ſic vocari voluit natura, quando illam circumdatis collibus abdidit, extra omne iter, omnemque concurſum.*

Intra capſam argenteam incluſit Philippus epiſcopus Cavallicenſis, ſacras ſancti Verani reliquias, an. 1353. die 26. Aprilis, quam recondidit in capella ſancti Martini ab eodem cardin. olim exſtructa. Mortuus eſt Perufii anno 1372. die 27. Auguſti, vel, ut alii volunt VI. cal. Auguſti. Corpus ex Italia advectum in æde Cartuſiæ Boni-paſſus, Cavallicenſis diœceſis, ad latus majoris altaris tumulatum eſt, ſicuti teſtamento præſcripſerat, cujus exemplar Perufii confectum eſt 26. * Auguſti 1372. indict. X. Eo- * 27.
dem legavit præfatæ domui libros MSS. & alia quædam nepoti ſuo Johanni de Cabaſſola: inter codices autem Cabellicenſi eccleſiæ relictos meminit MS. voluminis ſermonum a ſeipſo elucubrati, & cujuſdam epiſtolæ de nugis curialium, & miſeria curiarum. Scripſit de vita & miraculis ſanctæ Mariæ Magdalenæ, cujus reliquias a monachis Veziliacenſibus ſuo vindicari monaſterio ægre fert; quod opus aſſervatur in Victorina bibliotheca apud Pariſios. In Cartuſia Boni-paſſus tumulo donatus eſt marmoreo, in quo etiam jacent Simon de Langham cardinalis Anglus, epiſcopus Præneſtinus, archipræſul Cantuarienſis, qui ædem prædicti cœnobii conſtruxit; Martinus de Salva cardinalis, epiſcopus Pampelonenſis, & Michaël de Salva diaconus cardinalis ſancti Georgii, ejus nepos, ubi legitur hoc Philippi epitaphium:

Hic jacet reverendiſſimus in Chriſto pater dominus Philippus de Cabaſſole, domini Iſnardi militis filius, qui primo fuit epiſcopus Cavallicenſis, deinde patriarcha Hieroſolymitanus, poſt ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis tituli ſanctorum Marcellini & Petri, mox epiſcopus Sabinenſis, demum legatus miſſus a domino Gregorio papa XI.

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI.

Avenione ſedente, in Italiam, ad gubernandas ſanctæ Rom. eccl. terras. Obiit Perusii VI. *cal. Sept. anno* 1372. *cujus corpus ad hoc monaſterium Carthuſienſium Bon-paſſus delatum ibidem ſepultum fuit curâ domini Egidii Aſcelini de Monte-acuto epiſcopi cardinalis Tuſculani, & aliorum executorum teſtamenti ejus.*

Philippi meminit cum laude Innocentius papa VI. ſcribens calendis Auguſti anno IX. ſui pontificatus Henrico comiti de Traſtamara, ad quem papa eum miſerat. Statuta quædam pro ſua diœceſi fecit, ut intelligimus ex his B quæ legimus in ſerie abbatum Pſalmodienſium, nimirum Baucelinum hujus loci abbatem adfuiſſe confirmationi ſtatutorum eccleſiæ Cavallionenſis ſub Philippo epiſcopo. Adfuit anno 1365. concilio Aptenſi, cujus in actis appellatur patriarcha Jeroſolymitanus, & Cavellicenſis eccleſiæ adminiſtrator perpetuus. Robertus, Sammarthani, & qui poſt Philippum de Cabaſſole, quemdam Guillelmum de Cabanis recenſent, quamvis nihil de ipſo nos doceant, aiuntque eum ſediſſe anno 1361. allucinationis revincuntur ex mox dictis. Certe ſi præfuit hic epiſcopus, ipſi tantum aſſignari poteſt an- C
1366. nus 1366.

DE CARDAILLAC.

XXXV. FRANCISCUS I.

Franciſcus de Cardaillaco, de cujus nobili genere diximus in Cadurcenſibus epiſcopis, ex ordine Minorum aſſumtus eſt ad regendam eccleſiam Cavallionenſem anno 1366. menſe Oc-
1379. tobri. Quædam chartæ annorum 1379. & 1388.
1388. ejus ut epiſcopi Cabellicenſis tunc ſedentis nomen exhibent. Certe de illo, poſtquam migravit ad eccleſiam Cadurcenſem, nihil legimus ante annum 1389. quo primum urbem hanc ingreſſus eſt ſolemni novorum epiſcoporum more. D

P. MAGIALLA.

XXXVI. HUGO.

Epiſcopatui Hugonis de Magialla, quem inchoatum an. 1387. legimus, unum, aut alterum annum detrahere cogimur, quando liquet Franciſcum tunc adhuc fuiſſe Cavallic. epiſcopum. Dicitur notatus in tabulis Cabellicenſibus
1390. ad annum 1390. nihilque obeſt quominus ca-
1395. thedram obtinuerit uſque ad annum 1395.

XXXVII. ANDREAS II.

Andream Nicoſienſem epiſcopum præfuiſſe E eccleſiæ Cavellicenſi anno 1395. reperimus; at ſub titulo adminiſtratoris. Neque vero diu rexit, cum certis nobis conſtet teſtimoniis ſedem
1398. anno 1398. vacaſſe. In Gallia Chriſtiana Sammarth. omittitur hic Andreas. Admiſſus eſt a Claudio Roberto, qui eum appellat archiepiſcopum Nicomedienſem. In catalogo confecto juſſu illuſtriſſimi epiſcopi, qui nunc ſedet, atque ad me humaniter miſſo, locus ei datur; utrum tanquam adminiſtratori, aut epiſcopo, minime additur.

XXXVIII. PETRUS II.

1405. Petrus anno 1405. pedum gerebat; quandiu vero poſtea munere paſtorali ſit functus, fruſtra divinare tentaremus. In S. Andreæ ſecus Avenionem necrologio vita functus legitur pridie cal. Auguſti; quo anno, ſileur.

ANNI CHR. 1411

XXXIX. GUILLELMUS I.

Guillelmus abbas de *Sellis in diœceſi Bituricenſi*, catalogis omnibus antiſtitum Cabellicenſium inſcribitur, nullus vero indicat annum quo ſederit; abbatia autem cui præerat, non dicitur *de Sellis*, ſed cella S. Euſicii, tunc temporis canonicorum Regularium, nunc Fulienſium a centum annis.

JOHANNACIUS.

XL. NICOLAUS.

Nicolaus de Johannacio de Moduneo Barrenſis, epiſcopus Cavellicenſis legitur in veteri inſtrumento dato die 29. Novembris an. 1409. 1409.
ſeditque, ſi credimus catalogis, ab anno 1409. ad annum 1421. cum prius fuiſſet epi- 1421.
ſcopus Trojanus in Italia. Diſſimulare tamen nolumus alicubi Palamedem de Carreto Cavallionenſem epiſcopum legi an. 1420. An ille quem paulo poſt videbimus reipſa hoc donatum epiſcopatu?

XLI. GUILLELMUS II.

Hic præſul cum eſſet cubicularius Martini papæ V. ipſius procul dubio beneficio ad cathedram Cabellicenſem provectus eſt, quam legitur annis 1421. & 1424. obtinuiſſe. 1424

CARBONET.

XLII. BERNARDUS.

Bernardus Carbonius (quem Claudius Robertus Bertrandum appellat) Regienſis, manum admovit clavo eccleſiæ Cabellicenſis, anno circiter 1426. ex Sammarthanis fratribus. 1426.

GALBERT.

XLIII. FERRERIUS.

Ferrerius Galbertus, quem in recenti catalogo ad nos miſſo, legimus cognominatum Gilbertum, ſediſſe dicitur anno 1432. aliunde 1432.
vero prorſus nobis ignotus.

DE LA ROCHE.

XLIV. JOHANNES II.

Johannes de Rupe ante Cavellicenſes infulas, Bethlehemitanis ornatus fuerat, teſtibus Sammarthanis, licet Johannem in ſerie Bethlehemitanorum præſulum omiſerint. Ex priori vero eccleſia ad hanc traducitur v. idus Septembris anni 1433. ex libris Vaticani; ſedebatque adhuc anno 1436. 1433. 1436.

XLV. BARTHOLOMÆUS.

Bartholomæo abbati ſancti Proculi in omnibus catalogis locus datur. Perperam vero legitur ſediſſe anno 1430. quando conſtat ejus ſucceſſorem ante hunc annum, epiſcopum fuiſſe. Melius itaque in indice MS. ad nos tranſmiſſo, Bartholomæo annus 1437. tribuitur.

PORCHERII

XLVI. PETRUS II.

Petrus cognomento Porcherius adfuit concilio Florentino, annoque 1439. in ſeſſione 25. 1439.
ſubſcripſit in hunc modum: *Ego Petrus Cavellicenſis epiſcopus me ſubſcripſi.* Memoratur adhuc anno 1442. & 47. quo ex hac vita migravit die 1442. 1447.
28. Januarii.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

XLVII. Palamedes.

De Carretto. Poſt mortem Porcherii Bertrandus Romery in decretis baccalaureus, Cavellicenſis eccleſiæ
1437. canonicus, eligitur a capitulo anno 1437. At ſummus pontifex Palamedem de Carreto promovit ad hanc cathedram tertio cal. Martii
1448. ejuſdem anni. An. 1448. 4. Decembris interfuit elevationi trium SS. Mariarum. An. 1457.
1457. adfuit concilio Avenionenſi, Petro de Fuxo præſide. Diciturque adhuc ſuperſtes an. 1476.

De Villa-nova.

XLVIII. Toſſanus.

Toſſanus de Villa-nova Carmelita cœnobii Molinenſis, theologus Pariſienſis, & duci Borbonii a confeſſionibus, ex provinciali Narbonenſis provinciæ factus eſt epiſcopus Cavallicenſis, quam ſedem obtinebat ex chartis eccleſiæ
1484. an. 1484. Eum Geſnerus in bibliotheca, docet ſcripſiſſe *Quadrageſimale*, majoremque ſcripturarum partem commentariis illuſtraſſe. Refert Franciſcus-Auguſtinus ab Eccleſia Petrum de Caretto e marchionibus Savonæ, dominiſque Milleſimi, ex epiſcopo Albenſi in Inſubria 1462. tranſlatum inde ad epiſcopatum Cabellicenſem; ſed nihil de eo tum apud Ughellum tom. IV. Italiæ ſacræ, cum in chartophylaciis eccleſiæ Cavallicenſis.

XLIX. Johannes II.

Johannes de Paſſeribus epiſcopus Cavallicenſis memoratur in veteri monaſterii Sinanquæ inſtrumento ad annum 1496. Non eſt idem cum Paſſero qui ſequitur.

Paſſerat.

L. Ludovicus I.

Ludovicus Paſſerus Genuenſis, conſentien-
1501. tibus omnibus indicibus anno 1501. ſedebat. In ceteris altum eſt de eo ſilentium.

Gamberia.

LI. Bernardinus al. Berengarius.

Bernardinus Gamberia Caſalenſis, quem in novo indice legimus Berengarium appellatum,
1504. anno 1504. ſedem epiſcopalem Cavallicenſium obtinebat. Nec ultra quidquam de eo ſuppetit narrandum.

Palavic.

LII. Johannes-Baptiſta.

Johannes-Baptiſta Palavicinus, cardinalis Cavallicenſis dictus tituli ſancti Cypriani, cardinalis beatæ Praxedis nepos, abbas ſancti Michaëlis de Cluſa, & ſancti Antonii in urbe Genua, Cypriani ex vetuſtiſſima, nobilique patriciorum Genuenſium proſapia filius, adoleſcens cum ſcientia, reque politica clareret, anno ætatis 37. nulla principum gratia ſollicitante, ſoliuſque Leonis X. pontificis beneficio in ſacrum collegium allectus eſt anno 1517. nec ſane purpura indignus, ut qui patrui cardinalis Antoniotti ſpecimen luculentum in aula Romana exhiberet: Patavii juris ſcientiam profeſſus fuerat ſub Decio: ex ſchedis ad nos miſſis, vice-legati Avenionenſis officio defunctus eſt ante vel poſt acceptum epiſcopatum. In vivis autem agente patruo epiſcopus Cabellicenſis deſignatus eſt, quod munus egregie ſuſtinuit ſub Leone, Hadriano VI. & Clemente VII. pro apoſtolica ſede functus ampliſſimis magiſtratibus. Concilio Lateranenſi interfuit 1512. adem ſancti Apollinaris tituli ſui nova ſtructura amplificavit, uti legere eſt apud Ciaconium: deceſſit in oppido Fabrica * an. 1524. tumulatus apud baſilicam ſanctæ Mariæ de Populo, cum hac inſcriptione:

ANNI CHRISTI.
1512.
* al. Fabria.
1524.

D. O. M.

Johanni-Baptiſtæ Pallavicino Genuenſi, ſanctæ Rom. eccleſ. ad titulum ſancti Apollinaris cardinali Cavallicenſi, Antoniotti Cardin. S. Praxedis ex fratre nepoti, eximia juris ſcientia, & bonarum litterarum cognitione præſtanti, per omnes forenſium dignitatum gradus ad cardinalatum evecto, a Leone X. Hadriano VI. Clemente VII. ad ſummas res adhibito, in medio honorum curſu inimatura morte præcepto: Johannes-Baptiſta utriuſque ſignaturæ referendarius, & Babilanus Pallavicini fratres patruo magno bene de familia merito memoriæ cauſa poſſ. MDXCVI. *Vixit annos* XLIV. *obiit anno ſalutis* MDXXIV. *idibus Aug.* Sub hoc pontifice fratres Prædicatores in urbem admiſſi ſunt.

Matta'a.

LIII. Marius Maffæus.

Marius Maffæus Volaterranus, ſed Maffæâ nobili gente Romana ſatus, e qua purpurati principes & epiſcopi complures prodiere: Raphaelis cognomento Volaterrani doctiſſimi viri conſanguineus, ex Volaterranæ eccleſiæ archipreſbytero, ſanctique Petri Romæ canonico a Leone X. papa creatus eſt epiſcopus Aquinas 1516. 5. Novembris, quem epiſcopatum adminiſtravit uſque ad an. 1525. quo eſt tranſlatus ad Cabellicenſem ubi præerat adhuc an. 1530.
1530. Fuit etiam abbas ſancti Juſti Volaterræ. Is ob acumen ingenii & morum ſuavitatem laudatur a Jacobo cardinali Sadoleto ep. 12. l. 9. an. 1536. *Paulus*, inquit, *ad nos reverſus tanta ſe*
1536. *abs te comitate, ac tam laute ac liberaliter acceptum eſſe narrat: eoſque ſe lepores in te perſpexiſſe ingenii, urbanitatis, elegantiæ, ut difficillimum omnium rerum ſibi fuiſſe affirmet, iſtinc ſe avellere, & ad nos proficiſci, cum inexplicabili pene glutino admirabilis cujuſdam ſuavitatis teneretur*: fatis conceſſit Volaterris, ubi habet marmoreum tumulum in cathedrali Volaterrana hoc epitaphio:

D. O. M.

Mario Maffæo Pontifici Cavallicenſi, religionis, patriæque cultori, admirabili ingenii acumine, omni diſciplinarum genere, omnium virtutum magnitudine præſtantiſſimoſque licet Roma tot viros ornatiſſimos collegas longe auctoritate, nec ſine laudatorum gratia præſiteris, tamen ſuis haud parem meritis dignitatem eſt conſecutus. Vixit annos LXXVIII. *menſes* X. *obiit* 8. *calend. Quintiles anno ſalutis* MDXXXVII. *Paulus Maffeus, & Julius ejus filius Equites B. M. P.*
1537.

Ghinucci.

LIV. Hieronymus I.

Hieronymus Ghinucci, cardinalis Senenſis tituli S. Balbinæ ex cameræ apoſtolicæ auditore, in curia ſummis rebus exercitatus, cum La-

teranenſi concilio interfuiſſet, a papa Julio II. A creatus eſt Aſculanus epiſcopus & princeps anno 1512. 15. Octobris, quam eccleſiam rexit ad annum uſque 1518. Eo tempore mittitur a Leone X. nuntius apoſtolicus ad Henricum VIII. Anglorum regem, cui cum eſſet in primis gratus, ab ipſo renunciatur epiſcopus Vigornienſis. Romam deinde regreſſus, eccleſiaſticis negotiis ſub Hadriano VI. item adhibitus, tum nominatus epiſcopus Melitenſis: etiam a Clemente VII. ad eccleſiaſticas res pertractandas advocatur. Denique ſub Paulo III. cardinalis electus anno 1535. Tropeienſis & Cavallicenſis eccleſiarum adminiſtrator anno 1541. 1541. inſuperque ſcribendis diplomatibus pontificiis præpoſitus eſt. Cum autem ſumma prudentia polleret, a Paulo pontifice delegatur una B cum collegis cardinalibus, qui res ad concilium paulo poſt Tridenti habitum ſpectantes ordinaret. Cum Cæſarino & Oſtienſi cardinalibus miſſus ad Carolum V. imperatorem, & Franciſcum regem pro pace ſancienda, Romæ tandem deceſſit anno 1541. die 3. Julii, in æde S. Clementis tumulatus.

ANNI CHRISTI.

LV. Petrus IV.

Ghinucci.

Petrus Ghinucci Senenſis, Hieronymi cardinalis germanus, poſt ipſum in ſede Cavallicenſi ſuffectus eſt, quam regebat an. 1545. quo C 1545. 1548. tranſegit cum capitulo, & anno 1548. ex tabulis hujus eccleſiæ. Huic datus fuit coadjutor cum futura ſucceſſione Pandulfus Chigi, filius Sulpiciæ, Pandulfi Petruccii filiæ, ac Sigiſmundi Chiſii nobilis Senenſis, fratris avi ſanctiſſimi domini papæ Alexandri VII. quem cum præveniſſet Dominus in benedictionibus dulcedinis, omniumque virtutum cumulaſſet ornamentis, pietate ſcilicet & prudentia, morum candore integerrimo, humanitate ſumma erga omnes, rerum divinarum & humanarum ſcientia, juncta cum uſu multiplici negotiorum; his gradibus illum divina providentia ad ſummum D ſacerdotii apicem deduxit, mutatoque nomine Fabii Chiſii, Alexander VII. omnium ſane bonorum ingenti lætitia proclamatus eſt anno 1655. die 7. Aprilis. Ceterum vivente Petro Ghinutio obiit juvenis Pandulfus Chiſius, ideoque non numerandus inter epiſcopos eccleſiæ Cavallicenſis. In regiſtris Auſcienſis eccleſiæ legitur Hippolytum cardinalem Ferrarienſem Auxitanum archiepiſcopum dediſſe hac in eccleſia præbendam Petro de Hymeriis epiſcopo Cavallionenſi die ultima Novembris anni 1557. cujus hic Petrus poſſeſſionem iniit. Non potuit E alius eſſe a noſtro Petro, qui forſan plurima habuit cognomina. In ſchedis a D. Gallier ad nos tranſmiſſis, Alexander Farneſius cardinalis ſedem hanc obtinebat anno 1569. quo eam ceſſit ſequenti. An eodem tempore Alexander fuit archiepiſcopus Avenionenſis, & Caballionenſis præſul?

Scottus.

LVI. Christophorus.

Chriſtophorus Scottus nobilis Placentinus, 1569. de cujus gente Sanſovinus, præfuit anno 1569. quo adfuit concilio provinciali apud Avenionem celebrato. Obiit anno 1584. jacetque in eccleſia ſua cum hoc epitaphio:

ANNI CHRISTI.

D. O. M.

Chriſtophoro... Scotto Placentino vita necnon & doctrina ſicut & proſapia claro & illuſtri a Pio V. ex utriuſque ſignaturæ referendario Cavallicenſi epiſcopo ſimul & cond°. creato, cui muneri cum per annos XV. *fere continuos laboribus & vigiliis atque impenſis haud ſine plurimis pro ſui gregis ac religionis conſervatione & tutela pie rectèque præfuiſſet, integris tandem ſenſibus & in oratione defixus, aſtantes ſibi clericos & cives ad caritatem, pietatem, ceteraſque virtutes hortans, ætatis ſuæ* LIX. *ſalutis vero* M. D. LXXXIV. *anno pridie calendas Martii religioſe moritur, hicque pacis & pauperum amator honorifice ſepelitur, toto collacrimante populo tanquam de parente piiſſimo immature orbato.*

Paulus-Emilius Scottus..... Fr. mœſtiſſimus & heres monumentum hoc Po. cu.

Grimaldi.

LVII. Dominicus.

Dominicus Grimaldi, Genuenſis, ſucceſſor datus eſt Chriſtophoro; ſed ab eccleſia Cavellicenſi paulo poſt migravit ad Avenionenſem, anno videlicet 1585. 1585.

Rochius.

LVIII. Pompeius.

Pompeius Rochius Lucenſis Dominico ſuffectus eſt. Jacet in eccleſia Cavellicenſi cum hoc epitaphio affixo in navi ad tertiam columnam:

D. O. M.

Pompeio Rochio Lucenſi,
epiſcopo Cavallicenſi,
Hieronymus Centelles Romanus,
ne ſingularis integritatis
ac prudentiæ viri memoria
in obſcuris jaceret,
prædeceſſori ſuo
poſuit
Anno Domini M D C I.

Bordini.

LIX. Johannes-Franciscus.

Johannes Franciſcus Bordini Romanus ex preſbytero congregationis Oratorii epiſcopus anno 1592. creatus eſt IV. idus Februarii. Dein 1592. ad archiepiſcopatum Avenionenſem tranſiit anno 1596. Brevi autem tempore quo apud Ca- 1596. vallionem ſedit, Minores Capucinos in urbe excepit & habitare permiſit.

Centellas.

LX. Hieronymus II.

Hieronymus Centelles Romanus, cum Clementi papæ VIII. ut cubicularius miniſtraſſet, ab eo provectus eſt ad cathedram Caballicenſem anno 1597. ſodalitium Pœnitentium * Leu- 1597. cophæorum admiſit.

* Penitentium.

Mancinus.

LXI. Octavius.

Octavius Mancinus Romanus ſedebat anno 1610. Anno ſequenti admiſit Capucinos apud 1610. Inſulam, quorum oratorium conſecravit anno 1616. Anno 1613. die 28. Aprilis quoddam in 1616.

*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ecclesia cathedrali dedicavit sub titulo sancti Verani sacellum, ad quod transtulit plurimorum Sanctorum reliquias. Idem pius præsul curavit excudi officium sancti Verani episcopi cathedralis ecclesiæ patroni, recitandum die 13. Novembris, quod & ipse recognovit, præfixa ad clerum suum de vita & gestis B. Verani epistola. Anno 1616. abdicavit in gratiam Fabricii qui sequitur; migravitque ex vita anno 1616.

De la Bourdaisiere.

LXII. Fabricius.

Fabricius a Burdesia Romanus suffectus est
1616. Octavio sponte cedenti anno 1616. Ejus consensu moniales Cistercienses dictæ Bernardinæ, & Ursulanæ apud Cavallionem receptæ sunt, & apud Insulam Ursulanæ. Diem ultimum
1646. claulit anno 1646. sepultus in ecclesia Cavellicensi cum hoc epitaphio:

D. O. M.

Fabricio Naldo a Burdesia Romano, episcopo Cavallicensi

Qui loco S. Paleſii hæreticis eliminatis eccleſiæ ſuæ per XXII. *annos præfuit, Avenione quater prolegati abſentis munere functus, obiit bonorum omnium mœrore idibus Januarii* M.DCXLVI. *ætatis* LXIV.

Alphonſo Naldo a Burdeſia hujus eccleſiæ canonico ſui patrui vicario generali nec non Chriſtianiſſimi regis eleemoſynario vita functo IV. *idus Januarii* M.DCLVI. *ætatis* LI.

Octavius Naldus a Burdeſia patruo ac fratri merens P. anno D. M DCLVI.

De Forcia.

LXIII. Ludovicus II.

Ludovicus de Forcia ex illustri genere urbis Avenionensis, jubente Innocentio papa X. creatur episcopus, consecraturque Romæ in
1646. æde S. Mariæ-Majoris die 23. Septembris anni 1646. a Petro-Ludovico cardinali Caraffa, assistentibus Alfonso Sacrati episcopo Comaclensi, almæ urbis vicegerente, & Ranutio Scoti præsule Burgi S. Donnini. Inde translatus est ad sedem Carpentoratensem, ubi efflavit animam anno 1661.

Hallier.

LXIV. Franciscus II.

Franciscus Hallier natione Gallus, patria Carnutensis, scientia quam in celeberrimæ Parisiensis academiæ scholis hauserat conspicuus, doctorque Sorbonicus & regius theologiæ professor, ab Alexandro papa VII. promovetur ad episcopatum Cavellionensem anno 1657. summo quippe pontifici notus erat & commendatus ob concertationes adversus defensores Cornelii Jansenii Iprensis episcopi. Brevi autem sedit tempore: quippe cum jam senex & sub vitæ finem sacris infulis onustus fuisset, potius quam honestatus, post duos circiter annos in episcopatu exactos obiit an-
1659. no Verbi incarnati 1659. die vero 23. Julii ætatis suæ anno 74. plurimos libros in lucem editos relinquens ingenii sui fœtus. Sepulcro donatus est in ecclesiæ cathedralis navi, ubi legitur ejus epitaphium quod ipsi tanquam *parenti benemerito gratitudinis* suæ monumentum posuit Augustinus Thomas Rotomagensis, ejusdem in ecclesia Cabellicensi vicarius generalis. Laudatur hoc in epitaphio, quod cleri Gallicani, dignitatis ecclesiasticæ, & orthodoxæ fidei fuerit defensor acerrimus.

ANNI CHRISTI

De Sade.

LXV. Richardus.

Richardus ex nobili & antiqua inter Avenionenses familia de Sade ortus, parentibus domino de Mazan & Diana de Baronellis de Javon, ex canonico sancti Petri Romæ factus est episcopus Cabellicensis ab Alexandro papa
VII. die 7. Martii anni 1660. Romæ in eccle- 1660.
sia sanctæ Mariæ-Majoris consecratur a cardinali Francisco Barberino. Ab ordinibus comitatus Vindascini legatus ad eundem pontificem,
ibi obiit die 27. Junii an. 1663. 1663.

De Sade.

LXVI. Johannes-Baptista.

Johannes-Baptista de Sade de Mazan nepos Richardi, filius Johannis B. equitis domini de Mazan capitanei hereditarii castri de Vaison, & equitum tribuni in comitatu Vindascino, ex Diana de Simiane de la Coste, nominatur episcopus 4. Septembris 1665. Romæ recipit epi-
scopalem unctionem 14. Martii 1666. in eccle- 1666.
sia sancti Laurentii in Damaso, sacris operante Francisco card. Barberino, ecclesiamque suam solemni pompa ingressus est die 17. Julii ejusdem anni. Anno 1670. adfuit consecrationi Jo- 1670.
hannis de Vintimille Diniensis episcopi, in vico de Mane in Provincia. Ejus tempore moniales Carmelitæ ædes habere cœperunt Cavellioni, uti moniales sub titulo sancti Josephi, ad xenodochiorum ministerium apud Insulam, & clerici vulgo a doctrina Christiana nuncupati. Ad eum misit Clemens papa XI. facultatem de suis bonis testamentum faciendi, qua usus est in gratiam pauperum & xenodochii ad eos excipiendos conditi. Pie obiit anno 1707. 1707.
sepultusque est in sua ecclesia. Ejus epitaphium apponimus legendum ab his qui plura de ipsius gestis scire voluerint.

DOMINO NOSTRO JESU-CHRISTO

ANIMARUM NOSTRARUM

pastori & episcopo.

Deplorate, posteri, jacturam quam Cabellio fecit antistitis

Qui magnum moriens reliquit apud omnes desiderium sui;

Quem & sanctissimus dominus noster dominus Clemens XI.

Carum habuit, magni fecit, & luxit.

Præsul erat certe illustrissimus

D. Johannes-Baptista de Sade

Et sui claritudine generis & sua splendore virtutis, mensuram stemmatis implens

ornamentum ecclesiæ suæ conspicuum.

Perillustris canonicorum & benef. capituli exemplum & decus

Orig

ANNI CHRISTI.

Oris magis quam insularum dignitate refulgens in domo Dei

cui ad decorem, quem semper dilexerat, in ea decoranda sollicite intentus,

Sacram supellectilem æstimabilem multo sua pietatis impulsu legavit.

Aream præterea admirabilem pretiosam nimis in vere pium legatum donavit,

Sanctissimo Sacramento quando proponitur adorandum

in reclinatorium, ut cavit ipsemet testamento, deservituram.

Indoles ejus eximia, bonitas, clementia, beneficentia. B

Sortitus ut Salomon animam bonam;

In publicis pariter & privatis elemosynis munificus,

Sermones habuit, libros & epistolas pastor scripsit,

In quibus eruditionem, juxta cognomen, pietatis sale condivit.

Quæ legantur digna scribens, quæ scribantur digna faciens.

ANNI CHRISTI.

Hoc unum sufficias in hujusce funeris coronidem elogii,

Nobilissima jam pridem domui de Sade de Mazan

Non episcopalem modo, quam ædificiis auxit & ornamentis,

Sed & domum præferens ægrotantium pauperum, Istos heredes suos solemni instituit testamento.

Obiit anno Domini MDCCVII. XIIII. *calendas Januarii, ætatis* LXXV. *episcopatus* XLI.

Posuerunt ad perennem memoriam nosocomii curatores N. D. V. F. D'agar, D. Seb. Lientard, coss. primi N.-A. V. . . . D. F. Lafon rectores.

LXVII. JOSEPHUS.

Josephus de Guyon cepit episcoparum anno 1710. cujus gesta ad nos nondum pervenere. 1710.

PRÆPOSITI CAVALLICENSES.

I. B. an. 1202. in charta B. Cavallicensis episc. pro monasterio Sinanquæ. Forte idem est ac Bernardus qui anno 1216. una cum Bertrando episcopo Cavallicensi testis memoratur in charta Hugonis de Apta pro Sinanqua.

II. Geraudus approbat compositionem capituli cum hospitali domo S. Johannis Jerosoly- C mitani an. 1275.

III. Paulus de Cadarossa præpositus Cavallicensis unus fuit ex clericis quibus Clemens V. commisit inquisitionem faciendam de Templariis. Vide tom. XI. concil. Labb. p. 2.

IV. Stephanus de Pinu, præpositus an. 1330.

V. Philippus de Cabassole ex præposito creatus episcopus legitur anno 1334.

VI. Pontius de Sampson an. 1346.

VII. Raimundus de Vassolis ante annum 1363. quo dicitur *quondam præpositus* in instrumento ecclesiæ Cavallic. capitulo reliquit tres heminas siliginis censuales.

VIII. Petrus Giraudoni 1375. & 1379.

IX. Johannes Blancherii decretorum doctor, præpositus Cavallic. & officialis Avenionensis pro domino Alano episcopo Avenionen- D si an. 1440. indict. III. die 10. Sept. Eugenii papæ IV. anno decimo, se vidisse quasdam litteras Raimundi & Bertrandi episcoporum Vabrensium pro erigendo in ecclesia collegiata S. Affricani presbyterorum 40. sodalitio attestatur.

X. Philippus Meyer an. 1447. in decreto electionis Bertrandi Romey in episcopum Cavallicensem; cujus forte electio non fuit confirmata, nam locum non habet inter episcopos Cavallicenses.

XI. Ludovicus Charrerie in utroque jure baccalaureus 1480.

XII. Petrus Textoris doctor in utroque jure, & sedis apostolicæ protonotarius, memoratur præpositus ab anno 1502. ad 1513. fundavit tres missas per hebdomadam; unam de B. Maria singulis sabbatis, alteram in honorem quinque plagarum Christi feria quarta, tertiam denique feria sexta, de Passione Domini.

XIII. Raimundus de Perussiis an. 1566. obtinuit a summo pontifice indulgentias, ut diligens opera daretur reparationi ecclesiæ annis superioribus 1561. & seqq. ab hæreticis omnino destructæ.

XIV. Franciscus de Perussiis 1566. & 1573. obiit an. 1612. sepultus in ecclesia Cavallic. cum hoc epitaphio:

D. O. M.

Æternaque memoriæ V. C. Franc. de Perussiis S. sedis apostolicæ protonot. & Cavellic. eccl. præpositi, qui vetustam Florentinæ originis nobilitatem insigni pietate cumulavit. F. F. de Perussiis dominus de Baron hæres, patruo incomparabili & benemerenti.

H. M. P.

Obiit anno salutis MDCXII. ætatis suæ LXXV. & die IV. cal. Maii.

XV. Raimundus de Vassous cui successit

XVI. Franciscus de Vassous.

XVII. Franciscus de Crillon duobus tribusve circiter annis præposituram tenuit, postea episcopus Vencienſis, nunc Viennensis archiepiscopus hoc anno 1715.

XVIII. Petrus Gaignard post 32. annos præposituræ, obiit mense Septembri an. 1709.

XIX. Petrus Gaignard eodem anno 1709. possessionem hujusce dignitatis adeptus est, qua præclare hactenus fungitur.

Digitized by Google

ABBATIÆ DIOECESIS CAVALLICENSIS.

DUæ sunt duntaxat, una virorum, puellarum altera, quæ intra urbem nunc est. De illa primum agemus, tum de ista.

ABBATIA B. MARIÆ de Sinanqua.

Sectatur hæc institutum Cisterciense, quod accepit a Mansiada, unde filia ejus nuncupatur. Fundatam anno MCXLVIII. nono cal. Julias ab Alfanto Cavallicensi episcopo testes sunt nostri Sammarthani. Certe jam exstabat anno MCL. ut patet ex charta V. in collectione nostra instrumentorum ecclesiæ Cavallicensis; ubi etiam præcipui Sinanquæ benefactores recensentur Guirannus de Simiana, Bertrannus Raimbaudi frater ejus & alii; situs etiam demonstratur, juxta videlicet Vallem Sinanquæ, cui vicinus est quidam fons Elrici. pag. 135. col. 2.

Abbatum ferries ex variis conflata documentis nunc primum in lucem prodit.

ABBATUM SERIES.

I. Petrus I. in charta superius laudata anni 1150. dicitur primus abbas. Memoratur etiam in alia quæ subsequitur data an. 1173. imo & in aliis duabus quas ibidem legesis; annos præ se ferunt, una 1177. altera 1184. quem annum Petrus, in regimine saltem, non excessit; nam C. VI. & VII p. 156. col. 2.

II. G. reperitur abbas anno 1184. forte idem est ac Guigo cui Rufus de Villa-nova & Petrus frater ejus cesserunt quidquid juris habebant in montanis de Venasca.

III. Guillelmus seu Willelmus I. Dalmatius memoratur an. 1198. in inquisitione facta coram R. episcopo Carpentoractensi. Anno seq. Sacristanæ cujusdam donum excepit. B. Cavallicensis episc. eidem anno 1202. jura nonnulla, consentiente capitulo, dimisit; de quibus vide instr. eccl. Cavallic. Isnardus quoque de Oppeda illi se beneficum exhibuit an 1203. laudante Bertrando episcopo Cavallicensi. Anno denique 1208. Bermundus Carboners de Venasca, præsente Raimbaldo Carpentoratensi episcopo, quædam abbati Willelmo concessit. Eodem anno Raimundus de Medullione, alterius Raimundi filius apud Sinanquam sepulti, Willelmo dedit condaminam suam de Medullione. C. IV. p. 155. col. 1.

IV. Petrus II. sub cujus regimine, anno maxime 1208. Raimbaldus episc. Carpentoractensis plurimas donationes monasterio factas confirmavit.

V. Dulcianus an. 1212. & 1214. in charta W. Petri de Bedoino donationes a patre suo factas confirmantis.

VI. Bonifacius an. 1216. terram prope Gordam accepit ab Hugone de Apta; cujus donationis testis fuit Bertrandus episc. Cavallicensis. Anno 1217. munificum expertus est R. de Baucio dominum & vicecomitem Massiliæ; & 1219. Bernardum de S. Saturnino, qui plurima ei prædia largitus est in territoriis castrorum de Joars, & de Murs, necnon de Rossilione, &c. Præerat adhuc anno 1220.

VII. Petrus III. d'Albeges 1222. 1228. & 1229.

VIII. D. 1230.

IX. W. 1231.

X. Geraldus seu Guirandus annis 1235. 36. & 37. quo Bernardus de S. Saturnino ipsi confirmat varias donationes factas a dominis d'Agoult. Reperitur etiam an. 1239. in charta Guillelmi episc. Carpentor. Assignatur ejus obitus II. nonas Aprilis in necrologio S. Andreæ Avenion.

XI. Willelmus II. an. 1242. quasdam excipit recognitiones.

XII. Petrus IV. de Auroso 1251.

XIII. Bertrandus Itherius, cui Johannes de Relania se suaque donavit an. 1255.

XIV. Durandus 1260.

XV. Petrus Ebrardus * 1272. & 1273. * al. Berardus.

XVI. Guillelmus III. Pellicerius 1274.

XVII. Bertrandus II. de Nereia 1276. & 1277.

XVIII. Guillelmus IV. de Urnoio 1285. & 1287.

XIX. Bernardus Clementis, filius Raimundi Clementis & Resplaudinæ, fratrem habuit nomine Franciscum & sororem Alfridam. Præfuit ab anno saltem 1290. ad 1327. quem Carolus II. Siciliæ rex vocat consiliarium & familiarem suum. Subscripsit an. 1299. instrumento Mansiadæ.

XX. Petrus Clementis 1328. & 1341.

XXI. Bertrandus III. 1349. & 1356. quo anno fit abbas Bolbonæ ab Innocentio VI. bulla data pontificatus ejus anno quarto.

XXII. Bernardus ex abbate Fontis-vallium *, Sinanquæ præficitur abbas an. 1356. Eo sedente Pontius Vigorosi & uxor ejus Alasasia se suaque monasterio consecrant an. 1360. Demum vero factus est abbas Grandis-silvæ an. 1368. ex actis pontific. Avenion. & schedis D. Henrici Suarez. * al. Francarum-vallium.

XXIII. Ricanus Raimbaudi fit abbas Sinanquæ bulla Urbani papæ V. data pontificatus ejus anno sexto, hoc est an. Christi 1368. sedebat adhuc an. 1372.

XXIV. Johannes variis in chartis reperitur ab anno 1391. ad 1444. Prius tamen abdicasse videtur annis prægravatus, in gratiam sequentis, retento nihilominus titulo.

XXV. Gaspardus Nigrelli e monacho Sinanquensi eligitur abbas an. 1440. favore superioris verisimiliter, & reluctantibus monachis, qui Johanne mortuo alium Gaspardo subrogarunt.

XXVI. Berengarius Borgarelli an. 1445.

XXVII. Johannes II. de Ferreriis abbas Mansiadæ & commendatarius Sinanquæ annis 1450. 59. 60. & 63.

Digitized by Google

XXVIII. Johannes III. Caſeleti, ordinis A Ciſtercienſis monachus & doctor in Univerſitate Avenion. occurrit abbas ab anno 1475. ad 1506. Adfuit an. 1487. die 9. Aprilis & 1491. 20. Martii, comitiis generalibus Provinciæ. Fundavit an. 1495. & exſtruxit in urbe Avenionenſi collegium nuncupatum *de Sinanque* pro ſex abbatiæ hujus monachis theologiæ vel juri canonico ſtudentibus, quod etiamnum perſeverat; ex hiſt. Univerſit. Avenion.

XXIX. Franciſcus de Stagno epiſcopus Ru- B tenenſis abbas legitur ab an. 1509. ad 1519.

XXX. Petrus de Forlivio juris utriuſque doctor 1533. 1535. & 1541.

XXXI. Cæſar de Trivulce 1546.

XXXII. Elzias ſive Elzearius de Raſtellis epiſcopus Regenſis, abbas Sinanquæ reperitur ab an. 1566. ad 1596.

XXXIII. Antonius Michaëlis annis 1597. & 1599. œconomus monaſterii ex regio diplomate commemoratur.

XXXIV. Gaſpardus du Laurent juris utriuſque doctor, & archiepiſcopus Arelat. 1600. & 1611.

XXXV. Joſephus de Bertons filius Franciſci domini de Crillon & baronis S. Johannis de Vaſſoult, regis conſiliarii, abbatiam obtinebat adhuc juvenis an. 1632.

XXXVI. Philippus-Guillelmus d'Ancezune de Caderouſſe 1650. & 1657.

XXXVII. Tuſſanus Roſe 1679. abbas etiam S. Petri Viennenſis deſignatus die 1. Nov. an. 1680.

XXXVIII. Armandus de Bethune 1683.

XXXIX. Chriſtophorus Pajot ſenator in parlamento Pariſ. hoc an. 1715. abbatia potitur.

ABBATIA S. JOHANNIS CAVALLICENSIS ORDINIS S. BENEDICTI.

PArthenon S. Johannis ord. S. Benedicti exſtabat olim in vaſta ſolitudine dioeceſis Cavallicenſis, ſub invocatione S. Marcelli; unde vero in ipſam urbem tranſlatus epiſcopalem a Johanne XXII. in hoſpitio quod fuerat quondam ordinis S. Johannis Jeroſolymitani, ſub patrocinio S. Johannis ſeu SS. Marcelli & Johannis de novo conditur. Cui denique C bellis ingruentibus penitus deſtructo Urbanus papa V. ſacellum S. Catharinæ, cum quadam domo olim Templariorum, iterum exſtruendo conceſſit, ut docent nos eorumdem ſummorum pontificum litteræ in collectione inſtru- t. IV. & p. 158. mentorum Cavallicenſium editæ.

Seriem abbatiſſarum ex veteribus ejuſdem monaſterii documentis eruimus, ut ſequitur.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Hermelina abbatiſſa S. Marcelli 1252. componit cum Bertrando rectore S. Trophimi, & 1254. cum Dulcia prioriſſa S. Hilarii.

II. Cæcilia I. 1327.

III. Maria I. ad quam Johannes papa XXII. litteras ſcripſit pontificatus ſui anno D XVIII. ne ſanctimoniales ultra XXX. computata abbatiſſa, in monaſterio ſuſciperet. Memoratur etiam in quibuſdam inſtrumentis annorum 1333. 1334. & 1336.

IV. Rixendis de Villa-nova 1349. 1351. 1352. & 1355.

V. Margarita I. de Menerba occurrit in veteri charta anni 1360. prioratumque de Sennas confert an. 1368.

VI. Maria II. 1385. 1390. & 1391.

VII. Cæcilia II. 1409. & 1412.

VIII. Alaſaſia I. Carbonelle, antea ſacriſtiæ præfecta, 1421. 1427. & 1428.

IX. Alaſaſia II. Aymar 1442. 1446. & 1456.

X. Antonia de Podio ex prioriſſa 1457. & 1460.

XI. Gerſendis Jordane 1462. 1463. 1475. & 1485.

XII. Margarita II. de Sauſſaco 1486. & 1489.

XIII. Magdalena Albenaſſe, obiit an. 1524.

XIV. Margarita III. de Sauſſaco electa 7. Novembris 1524.

XV. Claudia de Morgiis 1530.

XVI. Aliſeta de Bordes 1530. ſub qua etiam Agnes Paniſſe ſe dicebat abbatiſſam.

XVII. Johanna I. Grinde, ſeu Grande ex moniali Siſtaricenſi S. Claræ 3. cal. Martii 1532. providetur de abbatia S. Johannis; præerat adhuc 1562.

XVIII. Johanna II. de S. Sixto 1564. 1572. 1578. ceſſit an. 1582.

XIX. Jannera Andree electa 1582.

XX. Catharina I. de la Croix eximiæ ſanctitatis, monaſterium reformavit, effecitque ut deinceps triennales eſſent abbatiſſæ.

XXI. Franciſca I. d'Agard defuncta 1636.

XXII. Iſabellis I. de la Plane electa 1636. regebat 1642.

XXIII. Catharina II. de Fougaſſe de la Bartalaſſe. 1643.

XXIV. Iſabellis de la Plane 1646.

XXV. Pheliza I. de Cheylus 1649.

XXVI. Lucretia I. de Marin de S. Michel 1652.

XXVII. Pheliza de Cheylus 1655.

XXVIII. Lucretia de Marin de S. Michel 1658.

XXIX. Franciſca II. de Marc de Chaſteau-neuf 1661. & 1664.

XXX. Margarita IV. de Marin de S. Michel 1667.

XXXI. Lucretia de Marin de S. Michel 1668.

XXXII. Anna Millany de Cornillon 1674.

XXXIII. Iſabellis II. de Romani 1677.

XXXIV. Anna Millany de Cornillon 1680. 1683. obiit 26. Octobris 1684.

XXXV. Eliſabeth Ludovica de Silveſtre de Marignan 1684.

XXXVI. Maria Victoria de Suffren 1693.

XXXVII. Catharina Carola d'Athenoſy 1696. & 1699.

XXXVIII. Maria-Victoria de Suffren 1702. & 1705.

XXXIX. Catharina-Carola d'Athenoſy 1708.

Digitized by Google

GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

PROVINCIA AUXITANA,

cujus metropolis Auſcia.

Ubi primum de Eluſa metropoli, & poſtremo de Auſcienſi epiſcopatu.

* Euſe.
* La Geliſe.

CIVITAS * Eluſa ad * Geliſam fluviolum, vetus eſt urbs olim archiepiſcoporum ſeu metropolitanorum Novempopulaniæ ſedes, ſub qua cum plurimis aliis ipſa civitas Auſciorum continebatur. Id vero probant veteres provinciarum notitiæ, ac ſubjectæ antiquis Galliarum conciliis ſubſcriptiones, quæ Eluſam (quandoque Eloſam) non ſolum ab Auſciorum urbe diſtinguunt, ſed ipſi præponunt, tanquam Novempopulaniæ caput, cui ceteræ hoc ordine ſubjiciuntur: *Metropolis civitas Eluſatium, civitas Aquenſium, civitas Lactoratium, civitas Convenarum, civitas Conſerannorum, civitas Boatium, civitas Benarnenſium, civitas Aturenſium, civitas Vaſatica, civitas Tarba ubi caſtrum Bigorra, civitas Ellenorenſium, civitas Auſciorum.* Ubi vides Auſciorum urbem, quæ nunc Novempopulaniæ eſt metropolis, poſtremo recenſeri loco.

Attamen jam tum Auſci percelebres erant apud Aquitanos, ut teſtatur Pomponius Mela, qui ſimul Eluſam commendat libro III. cap. 2. *Aquitanorum*, inquit, *clariſſimi ſunt Auſci, Celtarum Ædui, Belgarum Treviri: urbeſque opulentiſſimæ in Treviris Auguſta, in Æduis Auguſtodunum, in Aquitanis Eluſa.* Cæſar in commentariis Eluſatium meminit, quos aliqui corrupte *Fluſates* & *Fluſtates* appellarunt. Apud Plinium Eloſates memorantur, inter Auſcos & Sottiates in Aquitania. Nemauſi legitur vetus inſcriptio quæ continet epitaphium L. Taurini Aurelii civis *Eluſenſis.* Sulpicius Severus libro II. hiſtoriæ ſacræ, Eluſanæ plebis mentionem facit. Apollinaris Sidonius recenſens urbes epiſcopales & populos, qui in Evaricis Gothorum regis perſecutione ſuos amiſerant epiſcopos, ita loquitur: *Eluſani, Vaſates, Convenæ, Auſcenſes.* In conciliis antiquis Galliarum, ut infra videbimus, epiſcopus Eluſanus diverſimode appellatur, epiſcopus *de civitate Eloſatium; de civitate Eluſa metropoli*: denique, *eccleſiæ Eloſanæ*, &c. Quæ ſubſcriptiones ad Auſcienſes epiſcopos referri nequeunt; ſimul enim occurrunt Auſcenſium præſulum ſubſcriptiones. Gregorius loquitur de Laban *Heloſenſi* epiſcopo l. VIII. hiſt. c. 22.

Comment. 3.

Ab Eluſa pagus Eluſanus dictus eſt, qui Armaniacenſis comitatus nunc eſt pars, teſte Oihenarto, cujus ſtudio & opera utriuſque Vaſconiæ notitiam habemus. Nunc autem Eluſa in oppidulum verſa eſt ob frequentes clades quibus attrita eſt a Gothis, Saracenis, Normannis. Ibi tamen ſupereſt domus Auſcienſium archiepiſcoporum, arcis inſtar ad amnem Geliſam.

Nuper vidimus novum catalogum epiſcoporum Eluſatum, a viro clariſſimo mihique percolendo contextum, in quo hoc ordine recenſentur, ſanctus Ceratius, ſanctus Paternus, ſanctus Servandus, ſanctus Luperculus, ſanctus Optatus, ſanctus Taurinus, ſanctus Clarus, ſanctus Leontius, ſanctus Aſpaſius, Laban, Deſiderius, Senochus. Sed quia vir doctiſſimus non probat eos hoc ordine eſſe recenſendos, ideirco, donec prodeant argumenta, quibus adſtruatur hic ordo, antiquum ſequemur.

MARE AQUITA-NICUM

Sinus Vasconum

PARS PRO

BURDIGALA

BURDIGA

DIOECESIS

VASATES

VASATENSIS

DIOECESIS

Albretum

Maritima Marensis

AQUENSIS

DIOECESIS

ADURENSIS

AUSC

DIOECESIS LASCURRENSIS

DIOECESIS

BAYONENSIS

DIOECESIS OLORONENSIS

Montes Pyrenæi

VARB

Caput Boiorum

Aquæ Tarbellicæ Acqs

Caput Britonis

Pabaſirute

S. Bernardus de Lateren O. Cist.

Atturus fl.

Oppidum St Sebast.

Ordach O. Prem.

Burdigala

Vasates

Albretum

Aquæ Tarbellicæ Acqs

Pabaſirute

Lascurrea

Notæ Sequentes designant dignitates Ecclesiasticas.

- Sedes Archiepiscopales.
- Sedes Episcopales.
- Sedem olim Archiepiscopalem.
- Sedem aliquando Episcopalem.
- Abbatias Virorum.
- Abbatias Mulierum.
- Abbatias Sæculares.
- Abbatias non amplius existentes vel loco mutatas.

Litteræ Sequentes designant ordinem &c.

- O.S.B. ordinem S.ti Benedicti.
- O. Cist. ordinem Cisterciensem.
- O. Prem ordinem Præmonstratensem.
- O.S.Cl. ordinem S.tæ Claræ alias urbanitas.
- C. designat loca ubi habita sunt Concilia vel Synodus.
- R. designat flumen.

Scala Leucarum

Leucæ majores Gallicæ

Leucæ Horariæ

Leucæ Vasconicæ

OCCIDENS

SEPT

MERIDS

NTRIO

GALLIÆ CHRISTIANÆ AQUITANICA TERTIA PROVINCIA ECCLESIASTICA AUXITANA

Continens Diœceses
Auscienſem, Aquenſem,
Lactorenſem, Convenenſem,
Conſeranenſem, Aduренſem,
Vaſatenſem, Tarbenſem,
Oloronſem, Lascurrenſem,
& Baionenſem.

Deſcripta a I.B. Nolin
Reg. Geographi filio.

VINCIÆ

LENSIS

DIOECESIS LACTORENSIS

DIOECESIS CONVENENSIS

DIOECESIS CONSERANENSIS

PARS PROVINCIÆ TOLOSANÆ

DIOECESIS

Agennum

Tolosa

Mirapiscæ

Montes Pyrenæi

ORIENS

18 30 19 30 45 30 44 30

EXTRACTS FROM ANGLO-SAXON LAWS.

Be it known to all men that I, Ethelbert, have with the counsel of my witan established these dooms at Æstrefeld. Of first I have ordained concerning the rights of God and the rights of the bishop, that they be maintained as they were before my days. Then I have ordained concerning the rights of the people

ANNI CHRISTI.

lus l. 11. hiſtoriæ ſacræ Aquitanicæ c. 4. tanquam primum pontificem, quem ait in perſecutione Diocletiani martyrem effectum. Claudius Robertus Taurinum quoque Auſcienſibus præſulibus accenſet; at eum ſediſſe anno 321. docet, qui a tempore Diocletiani longe abeſt. Utriuſque ſententiam reprobant Sammarthani; & ſequi videntur Oihenartum qui Taurinum præfuiſſe Eluſæ docet circa annum 337. ſi rationem habeamus annorum quos ipſius anteceſſoribus in regimine tribuit.

A

VI. Clarus.

Hic metropolitanus acceſſit ad Agathenſe concilium tertio idus Septembris celebratum, anno Chriſti * 506. ſtipatus omnibus epiſcopis ſuæ ſedi ſubditis, ſi tres excipias, qui miſerunt preſbyteros ut ſuo nomine ſubſcriberent. Adfuerunt ergo huic ſynodo celeberrimæ Clarus *de civitate Eluſa metropoli*, Gratianus epiſcopus de * Aquis, Vigilius epiſcopus de civitate Lactorenſi, Suavis epiſcopus de Convenis, Glycerius epiſcopus Conſeranicæ civitatis, Galactorius epiſcopus de * Benarno, Gratus epiſcopus de civitate Olorone, Nicetius epiſcopus de Auſciis, Petrus presbyter miſſus a domino Marcello epiſcopo de civitate * Vico-julii, Polemius presbyter miſſus a D. Sextilio epiſcopo * Vaſatis, Ingenuus presbyter miſſus a D. Apro epiſcopo * Bigoritanæ civitatis. Hæ ſunt civitates omnes, quibus conſtabat antiquitus provincia Novempopulana, ex notitia provinciarum & civitatum Galliæ facta, ut putatur, Honorii Auguſti temporibus; ſi tamen excipias civitatem Boatium ſeu * Boium, quæ diruta creditur regnante Evarige Wiſigothorum rege; ubi forteſſe nullus umquam federat epiſcopus. De Claro Eluſano epiſcopo nihil aliud novimus.

B

C

* al. 508. 506.

* Acqt.

* Leſcar.

* Aire. * Baſas.

* Tarbe.

* Buchs.

VII. Leontius.

Inter epiſcopos triginta duos, qui ad I. concilium Aurelianenſe convenerunt anno Domini 511. *ex evocatione* glorioſiſſimi regis Chlodovei, recenſetur Leontius *eccleſiæ Eluſanæ metropolis* epiſcopus. Ex ejus autem ſuffraganeis duo tantum Leontio ſeſe comites adjunxerunt, qui jam ad concilium Agathenſe perrexerant, Sextilius Vaſatenſis, & Nicetius Auſcenſis eccleſiæ epiſcopus.

D

511.

VIII. S. Aspasius.

S. Aſpaſius ſynodis multis interfuit; nimirum Aurelianenſi II. anno 533. quartæ ejuſdem loci anno 541. quintæ anno 549. denique Arvernenſi II. eodem anno. Immerito autem quidam negant eum fuiſſe metropolitam Eluſanum. Nec minus aberrant, qui volunt eum Meloduni ad Sequanam tranſiviſſe, ubi colitur ut patronus, poſtridie cal. Januarias, in eccleſia B. Mariæ. Certe Aſpaſius Melodunenſis, ante ſeculum XVI. minime habitus eſt pro epiſcopo, ſed colebatur tantum ut confeſſor non pontifex. Id luculenter probatum legimus in diſſertatione domni Johannis Elie, prioris S. Petri de Meloduno congreg. S. Mauri. Scilicet Rulliardus, qui Meloduni ſcripſit hiſtoriam publicique juris fecit Pariſiis anno 1628. primus eſt qui ex mera conjectura, & ſimilitudine nominis deceptus, ex duobus Aſpaſiis patria, dignitate, ætate, &c. prorſus diverſis unum conflavit.

E

533. 541. 549.

ANNI CHRISTI.

IX. Laban.

Laban ſynodo Pariſienſi IV. anno 573. habitæ interfuit, ubi peccatorem ſe in ſubſcriptione appellat. Poſt annos duodecim, forte ingraveſcente jam ætate, cum non poſſet per ſe intereſſe concilio Matiſconenſi, miſit qui ſubſcriberet vicarium. Vivis exemtus eſt eodem anno, ex Gregorio Turonenſi mox laudando.

573.

X. Desiderius.

De morte Labanis, & electione ejus ſucceſſoris Deſiderii audiendus eſt Gregor. Tur. l. VIII. hiſt. c. 22. *Laban Heloſenſis epiſcopus*, inquit, *hoc anno* (585.) *cui Deſiderius ex laïco ſucceſſit. Cum jurejurando enim rex pollicitus fuerat ſe numquam ex laïcis epiſcopum ordinaturum; ſed quid pectora humana non cogat auri ſacra fames?* quibus ultimis verbis non obſcure innuitur per ſimoniam ordinatum eſſe Deſiderium.

585.

XI. Senochus.

Senochus, aliter Sedocus, & Sidocus, concilio Remenſi ſub Sonnatio metropolitano, anno 625. præſens legitur apud Flodoardum. Iſta quidem ſynodus prius acta ferebatur anno 630. ſed vix differri debuit ultra annum quem ipſi aſſignamus: nam ex Fredegario Scholaſtico diſcimus Senochum anno Chlotarii 43. hoc eſt Chriſti 626. exſilio retruſum cum patre ſuo Palladio, incuſante Aighynane duce, quod rebellionis Waſconorum fuiſſent conſcii.

625.

In codice quodam mſ. Claromontenſi pro epiſcopi *Æloſani*, legitur *Toloſani*; unde conſequens videretur Sedocum catalogo epiſcoporum Toloſatum inſerendum. At obſervavit noſter domnus Theodericus Ruinartus prima manu olim ſcriptum fuiſſe *Æloſani*, poſtea vero altera manu etſi antiqua, *Toloſani*.

XII. Paternus II.

Paternus qui ſubſcripſit ut epiſcopus *Egloenſis*, Corbeienſi privilegio, ex conjectura Cointii ad an. 662. n. 25. erat *Eloſenſis*. Aliunde credimus omiſſos eſſe multos Eloſenſes antiſtites, ut in confeſſo eſt apud omnes. Hoc privilegium vide apud Mabill. ad an. 663. n. 28. Idem Mabillonius ad annum 632. num. 33. meminit Paterni abbatis Moïſſiacenſis, quem, inquit, tradunt fuiſſe epiſcopum Auxitanum. Num pro Auxitano, legendum Eloſenſem; ita ut ſit hic Paternus de quo agimus? certe tempora ſatis congruunt. Poſt Paternum deſiderantur plurimi præſules Eluſanæ eccleſiæ; in hoc enim loco perſeveravit adhuc ſedes metropolitana, uſque ad ſeculum IX. quo urbs a Normannis deſtructa eſt, & ſedes Auſcienſis, metropolis honore fuit ceteris Novempopulaniæ antepoſita.

AUSCIENSIS ECCLESIA PRIMUM EPISCOPALIS, POSTMODUM METROPOLIS.

NOvempopulaniæ metropolis civitas Auſciorum dicitur Auguſta Ptolemæo lib. II. Auſcius in itinerario Burdegalenſi lib. 10. c. 22. Auſcienſis urbs Gregorio Turonenſi, Auſcium martyrologio Romano & Uſuardo, Auxis Roderico Toletano in hiſtoria Arabum, ubi eam Vaſconiarum eſſe metropolim dicit. Magnum certe omni memoria fuit Auſcorum populorum nomen, quos poſterioris ſeculi ſcriptores Auxitanos dixerunt, de quibus Cæſar lib. III. de bello Gallico, & Plinius lib. IV. Auſcos clariſſimos Aquitanorum eſſe docet Mela lib. III. c. 2. urbemque opulentiſſimam in Auſcis Eleuſaberrim, vel potius *Climberrum*. Ammianus vero Marcellinus lib. XV. Novempopulos Auſcis commendari ait, quibus jus quoque Latii a Romanis tributum fuiſſe auctor eſt Strabo lib. IV.

Sub Auſcis hodie comprehenduntur Eluſates quorum oppidum primarium Eluſa, qua everſa poſtmodum provinciæ totius metropolis facta eſt civitas Auſciorum, ut legitur in notitia provinciarum Galliæ, quæ temporibus Caroli magni edita fertur; cum alteri quæ Honorii Auguſti ætate condita videtur, civitas Auſciorum Eluſanæ ſubeſſet metropoli; in quo errant, qui eam perperam confundunt cum Auſcio. Hodie totius Armaniaci comitatus caput eſt oppidum Auſcorum, quod olim ad archiepiſcopum pleno jure ſpectabat; ſed nunc urbis dominium ex æquo partiuntur rex Franciæ & archiepiſcopus, quod definitum eſt ratione cujuſdam chartæ antiquæ pareagii, ut vocant, inter eos initi. Archiepiſcopus vero comites Armaniaci & Fidentiaci, pluresque ex prima nobilitate viros feudatarios habet. Auguſta Auſcorum alluitur Egirtio amne (*Le Gers*) cujus meminit Fortunatus. Capitulo autem non eſt in Galliis auguſtius, cum nullus inter canonicos admittatur, niſi aut genere illuſtris, aut doctrinæ præſtantia commendandus. Conſtat quindecim dignitatibus, viginti canonicis eccleſiaſticis, & quinque aliis ex ordine laicorum; nimirum comite Armaniaci, & baronibus de Montaut, de Pardaillan, de Monteſquiou, & de l'Iſle, qui cum ceteris præſtant ſacramentum, ſedent in choro, & diſtributionibus potiuntur. Inter eos porro qui obtinent dignitates, quæ ad omnimodam collationem antiſtitis pertinent, excepto prioratu de Nivibus, primus eſt præpoſitus, haberque primam ſedem in choro, & pro titulo eccleſiam ſancti Juſtini, quæ decem præbendarum nominationem habet.

Aliæ dignitates ſunt, abbates de Faget, de Idrac, & de Cere. Octo quoque archidiaconi, videlicet d'Angles, de Sabanes, de Sos, de Vic, d'Armagnac, de Magnoac, d'Aſtarac, & de Pardaillan. Duo item prioratus, de Monteſquivo, & beatæ Mariæ de Nivibus; ſacriſta qui curam animarum exercet, canonicus theologus, 36. ſemipræbendarii communitatis ſanctorum Martialis, Bartholomæi & Jacobi. Octo capellani dicti de ſancto Spiritu & ſancto Dionyſio; denique 37. capellani, aliique clerici, qui cultui divino inſerviunt; ut tot quaſi ducibus & militibus conſtans eccleſia, jure vocanda ſit caſtrorum acies ordinata, terribilis hæreticis catervis quæ hanc undequaque provinciam perturbare ſuis dogmatibus conatæ ſunt. Olim capitulum canonicis regularibus conſtabat, legiturque in regiſtris eccleſiæ hæc antiqua forma profeſſionis: *Ego frater N. offerens meipſum trado in eccleſ. B. M. & promitto obedientiam ſecundum canonicam regulam B. Aug. domino N. præfatæ eccleſiæ archiepiſcopo, & ſucceſſoribus ejus, quos ſenior pars congregationis canonice elegerit.* Primaria eccleſia Deiparæ Virgini ſacra eſt, ac dicata ſub titulo feſti Nativitatis, pignoribus ſanctorum Taurini, Leotadi, & Auſtindi ditata. Templum inſigne eſt architecturæ opus, variiſque fulget ornamentis, quæ æterna ſunt pietatis Auſcenſium archiepiſcoporum monimenta, ſed quorum pars major debetur liberalitati Dominici de Vic archiepiſcopi. Ceterum Auguſtæ Auſciorum diœceſis, quæ a tribunali Toloſano pendet, plurimas continet abbatias de quibus infra, prioratus plures, quos inter eminet locupletiſſimum cœnobium S. Orientii ordinis S. Benedicti cong. Cluniacenſis in urbe.

Liv. rouge fol. 109.

Præter eccleſiam cathedralem in diœceſi Auxitana octo ſunt canonicorum collegia. Barrani 12. canonicorum & unius decani; Caſtri novi, in quo ſunt canonici decem & præbendarii duo; Jeguni, quod octo conſtat canonicis; Nogaroli, in quo duodecim canonici, præbendarii quinque, ſcholaſticus unus, cuſtos capituli, vicarius perpetuus & ſacriſta; Triæ, ſex conſtans canonicis; Sauciate, in quo canonici ſex, quatuor præbendariis adjunctis; Vici in quo canonici duodecim & ſex præbendarii; Baſſous, decem canonicorum;

Eccleſiæ parochiales ſunt 351. non numeratis annexis, quæ ſunt 277. in quibus miniſtrant vicarii amovibiles.

Domus religioſæ ſunt in urbe, fratrum Prædicatorum, Minorum, Capucinorum, & Jeſuitarum, qui collegium & ſeminarium moderantur; monialium Carmelitarum & Urſulanarum.

Recollectorum tres habentur conventus: Flarani, S. Roſæ ſecus Jegunum, & Gondrini. Capucinorum Nogaroli & Eluſi. Auguſtinianorum Nogaroli. Minorum Mirandæ, quos Johannes XXII. anno 12. ſui ponti-

ficatus commendavit prioribus ſancti Orientii, & Pardinci, ubi docent conventum hunc fundatum eſſe *a nobili quondam Martha Bernardi comitis Aſtaraci conjuge.*

Moniales Benedictinæ Gondrini, & Urbaniſtæ Caſtri-novi ſedes habent.

Inter abbatias non immerito recenſeri poteſt S. Orientii olim inſignis abbatia, nunc prioratus ordinis Cluniacenſis, cujus monachi ſecularem togam ambiunt.

Sub metropolitana ſede Auſcienſi ſunt epiſcopatus ſuffraganei decem: AQUENSIS, LECTORENSIS, CONVENENSIS, CONSERANENSIS, ADURENSIS, VASATENSIS, TARBIENSIS, OLORONENSIS, LASCURRENSIS & BAIONENSIS.

Acqs. Lectour. Convenar. Consoran. Aire. Basas. Tarbe. Oloron. Lascare. Bayonne.

EPISCOPI AUSCIENSES.

ANNI CHRISTI.

OIhenartus catalogo epiſcoporum & archiepiſcoporum Auſcienſium præmittit hoc monitum; ſcilicet auctorem catalogi, qui in chartulario Auſcienſis eccleſiæ relatus eſt, perſuaſum epiſcopos Eluſanos in Taurino deſiiſſe, poſt ipſum univerſos pontifices Auſcienſes pro metropolitanis habuiſſe; cujus hallucinationem reprehendunt multorum conciliorum ſubſcriptiones. In alium errorem nec leviorem inciderunt, qui ex prioribus Eluſæ epiſcopis plurimos cum Auſcienſibus permiſcuerunt, Paternum, Servandum, Luperculum, Optatum, &c. uti fecit Claudius Robertus. In tantis vero tenebris, quibus priorum epiſcoporum, qui apud Auguſtam Auſcorum ſederunt hiſtoria circumfunditur, rectiorem quantum licebit, tramitem ſequemur.

I. CITERIUS.

Primum epiſcopum Auſcienſium Citerium appellat laudatus ſupra catalogus. Unde vero nomen hoc eruerit catalogi ſcriptor, quove teſtimonio nitatur ut ipſi tribuat annos viginti ſex epiſcopatus, nos latet. Inter epiſcopos qui concilium Illiberitanum celebrarunt an. 305. primus qui recenſetur eſt *Felix Accitanus*, aliter *Auxitanus*, vel *Aquitanus*. Nomen adeo anceps & incertum non præbet legitimum fundamentum admittendi epiſcopum hunc inter Auſcienſes, aut etiam præmittendi. Aliquot ſequentium epiſcoporum nuda nomina hîc ſumus deſcripturi, cum de illis ignorentur cetera.

II. ANFRONIUS.

III. APRUNCULUS.

IV. URSINIANUS.

Memoratur in vita ſancti Orientii.

V. S. ORIENTIUS.

Orientius qui dicitur frater ſancti Laurentii martyris, in Hiſpania natus, licet eremiticam duceret vitam, magna virtutis fama diu latere non potuit. Itaque declinandæ vanæ gloriæ cauſa tranſiit in Novempopulaniam, ubi in valle pagi Beorritani, quæ dicitur Capraria, ſeſe abdidit. Mortuo vero Urſiniano, divino monitu, ipſi ſuffectus eſt Orientius. Auſciis poſt ſedem hanc ſanctiſſime adminiſtratam, ad cœlum migravit. Hæc autem licet pauca ex multis ſelecta, minime pro certis damus. S. Orientii vitam habes tomo II. bibliothecæ Labbei: vixit in epiſcopatu annos 41. ſcilicet ab anno 323. ad an. 364. Etenim in veteri inſtrumento eccleſiæ Auſcienſis anno 1108. confecto, de tempore S. Orientii hæc lego:

A tranſitu B. Orientii uſque ad præſentem annum, qui eſt annus MCVIII. *computantur anni* DCCXII. *A paſſione ergo Domini uſque ad tranſitum B. Orientii* CCCLXIV. *anni computantur. A paſſione vero Dom. uſque ad ordinationem beati Orientii computantur anni* CCCXXIII. *A tranſitu autem B. Orientii uſque ad tranſitum B. Martini* XLVII. *anni computantur.* Monaſterium ſancti Orientii in civitate Auſcienſi locupletiſſimum, quod legimus fundatum a Bernardo Othone comite Fidentiacenſi, ejus ſacris reliquiis gloriatur. Saltem ibi quieſcebat an. 1068.

ANNI CHRISTI.

VI. ARMENTARIUS.

An unus ex duobus epiſcopis hujus nominis, qui ſubſcripſerunt epiſtolæ ſynodicæ epiſcoporum Galliarum anno 451. miſſæ ad ſanctum Leonem papam, non affirmamus quidem, ſed veriſimile putamus 451.

VII. MINERVIUS.

Ita legitur nomen hujus epiſcopi in veteri indice. Ita quoque illud repræſentat Oihenartus. Unde autem habuerint Claudius Robertus & Sammarthani fratres Minervium alias fuiſſe appellatum Armerium, nos prorſus latet. Huic in omnibus quos vidimus catalogis ſufficitur

VIII. JUSTINUS.

IX. NICETIUS.

Nicetius ad concilium Agathenſe cum ſuo metropolitano perrexit anno 506. ut jam monuimus. Adfuit quoque ſynodo Aurelianenſi I. anno 511. Carolus Cointius in annalibus ad annum 533. n. 46. cenſet cum Roberto alium Nicetium ſubſcripſiſſe concilio Aurelian. I. an. 511. eumque collocat poſt Proculeianum I. & ante Pricium. Neque enim facile quis ſibi perſuaſerit, inquit Cointius, a concilio Aurel. I. uſque ad ſecundum (cui Proculeianus II. ſubſcripſit) ſive ab an. Chriſti 511. ad annum 533. intra breve duorum ac viginti annorum ſpatium octo antiſtites Auſciis præfuiſſe. At id ſine probatione ſtatuere non audemus. Alioquin minime repugnat octo epiſcopos intra 22. annos eandem ſedem occupaſſe. 506. 511.

Poſt Nicetium ſequuntur in indicibus ſe epiſcopi, quorum ſola tenemus nomina.

X. MINERVIUS II.

XI. ALECIUS I.

XII. AMELIUS.

XIII. SALVIUS.

XIV.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

XIV. PORCARIUS.
XV. PROCULEIANUS I.
XVI. PRICIUS.
XVII. PROCULEIANUS II.

Proculeianus aſſiduus fuit frequentandis conciliis, tribus enim adfuit Aurelianenſibus; nimirum ſecundo, anno 533. quarto anni 541. 533. 541. & quinto, anno 549. 549. Monent Sammarthani nomen hujus epiſcopi in codice Auxitano eſſe *Proculinum*, quod ipſi tribuit Claudius Robertus. Attamen ſi ratio habeatur veteris indicis eccleſiæ Auxitanæ, in eo certe legitur Proculeianus. Sequuntur in veteri indice & in aliis

XVIII. MARCELLUS.
XIX. VIGILIUS.
XX. POLEMIUS.
XXI. ALECIUS.
XXII. EONIUS.

Ita ſcribitur in veteri codice Auſcienſi, quem conſuluit noſter ſdomnus Edmundus Martenne. Sic quoque legit Claudius Robertus. At Oihenartus, quem ſecuti ſunt Sammarthani, appellant hunc epiſcopum *Comum* vel *Conum*.

XXIII. PAULINUS.
XXIV. FAUSTUS.

Fauſti nomen ſubſcriptum legitur concilio Matiſconenſi II. anno 585. Migravit e vita 585. eodem anno, teſte Gregorio Turon. lib. VIII. hiſt. c. 22. Chriſtophorus Brouverus in notis ad Fortunatum, conjicit Fauſtum hunc, quem commendat ut baſilicæ ſancti Martini auctorem, lib. I. carminum c. 4. eum eſſe Fauſtum Auſciorum antiſtitem.

XXV. FABIUS.

Hic epiſcopus ab auctore veteris catalogi prætermiſſus, eruitur ex Gregorio Turonico lib. VIII. hiſt. c. 22. docetque ipſum datum fuiſſe ſucceſſorem Fauſto an. 585. Notat noſter Theodericus Ruinart ad hunc locum Gregorii, quibuſdam in codicibus manu exaratis legi *Sabium*, & in Beccenſi *Saium*.

XXVI. CITHORIUS.

Noſter D. Edmundus Martenne ita legit in veteri codice Auſcienſi. Alii habent Citherium.

XXVII. TITHONIUS *al.* TOTONIUS.
XXVIII. DRACOALDUS I.
XXIX. AUDERICUS.

Audericus, quem vetus catalogus Audicium appellat, memoratur a Flodoardo lib. II. hiſt. Remenſis c. 5. inter epiſcopos qui ſederunt in concilio Remenſi anno 615. cum 615. Sonnatio Remenſi metropolitano. Huic epiſcopo præmittitur in quibuſdam indicibus, in aliis ſubjicitur

XXX. PERPETUUS.
XXXI. DRACOALDUS II.

Nihil nobis ſuadet locum dare huic epiſcopo, niſi quod inveniatur in indice veteri Auxitano; quem tamen non exiſtimamus tantæ eſſe antiquitatis, ut ipſi fides denegari non poſſit. Non improbamus tamen conjecturam Cointii, qui putat Dracoaldum aliter dictum Ercoaldum, eſſe illum Ricoaldum epiſcopum, qui ſubſcripſit ſancti Landerici privilegio pro Sandionyſiano monaſterio. *ad an. 658. n. 34.*

XXXII. S. LEOTHADIUS.

S. Leothadium fuiſſe abbatem Moïſſiacenſem, antequam Auſcienſem cathedram aſcenderet, fert communis opinio, quam aiunt veteribus hujus eccleſiæ membranis niti. Fuit quidem abbas hujus monaſterii Leutadus, alias Leotadius *vir venerabilis & apoſtolicus*. Sed longe diſtat a tempore Leothadii Auſcienſis epiſcopi. Nam abbati Leuthado, ſicut S. Anſberto, cujus ſocius fuit, debetur Moïſſiaci exordium. Porro Moïſſiacum fundatum dicunt alii a Chlodoveo magno, alii a Clothario II. Leothadium vero epiſcopum floruiſſe volunt anno circiter 718. Revocanda ſunt ad memoriam, quæ ſupra diximus de Leothadio *Tom. I. 151.* abbate Moiſſiac.

XXXIII. PATERNUS.

Paternum Leothadii Moïſſiacenſis abbatis ſucceſſorem, ad infulas Auſcienſes evectum eſſe, ejuſque oſſa in veteri ſepulcro quodam infimi ſacelli, Dominici de Vic archiepiſcopi juſſu aperto, inventa eſſe, refert Perrius, in hiſtoria M. Moïſſiacenſium abbatum.

Quæ de Leothadio & Paterno circumferuntur, facilius poſſent conciliari, ſi Leothadii epiſcopatus revocaretur ad annum 674. quo Carolus Cointius putat occubuiſſe Dracoaldum, ſive Erchoaldum. Forte Patricius qui ſequitur Leothadium in omnibus indicibus, idem eſt ac Paternus; quod viſum eſt Claudio Roberto. In chartulario ſancti Aimari abbatis Cluniacenſis, cujus fragmentum dedit Baluzius in inſtrumentis ad hiſtoriam domus Arverniæ pertinentibus, fit mentio ſancti Leothadii, qui jacebat tunc, anno ſcilicet 952. *in capella* curtis indominicatæ, in epiſcopatu Auguſtidunenſi. At quis aſſerat hunc eſſe S. Leothadium Auſcorum antiſtitem?

XXXIV. PATRICIUS.

Divinando potius quam certis inhærendo teſtimoniis Chenutius, Robertus, Cointius huic epiſcopo tempus regiminis præſcribunt ab an. 718. ad 786. Noſtri Sammarthani, poſt Oihenartum, ſatis habuerunt, ipſius nomen in veteri indice inventum annotare; quos libenter ſequimur. Eadem quoque ratione in plurimorum, qui ſequuntur, deſcribendis nominibus nos geremus.

XXXV. TONTONIUS.
XXXVI. ANERIUS *al.* AVENUS.
XXXVII. ERINALDUS.
XXXVIII. LUPUS.

Carolus Cointius docet eum eſſe epiſcopum

Digitized by Google

ANNI CHRISTI. 757.

hujus nominis, qui ſubſcripſit privilegio Gorzienſi anno 757. & idcirco eum præponit Anerio & Ernaldo vel Erinaldo; ipſique tribuit cum Chenutio & Roberto annos octo epiſcopatus, videlicet ab an. 752. ad annum 760. Sequuntur

XXXIX. ASTER.
XL. ASNARIUS.
XLI. REVELIUS.
XLII. GALINUS,

Quem Cointius Salvinum vocat.

XLIII. ELISEUS.
XLIV. JOHANNES.
XLV. ARDOINUS *al.* OLOINUS.
XLVI. ISAMBERTUS.

In charta veteri Peſſanenſis monaſterii memoratur Iſambertus Auſcienſis epiſcopus, an. VI. regnante Carolo rege; qui ſi eſſet Carolus magnus, præſul hic multos ex ſupra recenſitis antiſtitibus debuiſſet antecedere: nam annus ſextus Caroli magni coincidit cum anno Domini 773. proindeque Iſambertus potuiſſet Lupo ſuccedere. Sed minime novimus, de quo Carolo rege agatur. Vero propius tamen eſt agi hac in charta de Carolo, qui cognominatus eſt Calvus, cujus annus ſextus fuit Chriſti annus 845. Circa hoc tempus epiſcopus Auſcienſis metropolitanus evaſit, tranſlata ad Auguſtam Auſciorum ſede archiepiſcopi provinciæ Novempopulaniæ, ab urbe Eluſa in Normannorum procellis deſtructa. Oihenartus in notitia Vaſconiæ in epiſcopis Adurenſibus, ex veteri membrana de inſtauratione Auſciorum, probat civitatem hanc ſimul cum aliis fuiſſe deſtructam, coactumque fuiſſe archiepiſcopum & alios epiſcopos habitare in ſuburbiis, & monaſteriis: donec apoſtolica ſedes miſit (Hugonem) qui dictus eſt abbas, qui præcepit ut epiſcopi redirent ad civitates ſuas & eccleſias repararent. Ex illo itaque præcepto, tam Auſcia nova metropolis, quam aliæ urbes, cœperunt habitari, & reſtitui.

XLVII. AIRARDUS.

879. Anno Domini 879. idibus Junii Johannes VIII. papa ſcripſit ad hunc præſulem, quem archiepiſcopum vocat: hortans eum, una cum Bigorrenſi, Convenenſi & Conſerano epiſcopis, ut ſolliciti de corrigendis populi depravatis moribus, præcipue matrimonia inceſta prohiberent, bonorumque immobilium eccleſiæ diſtractionem & dilapidationem; ac clericos ſub epiſcopi poteſtate vivere cogerent. Hoc archipræſule præſente Walafridus abbas Soricinii (Soreze) Cellam-Medulfi cedit Garſiæ comiti, ad vitam. Legendus ea de re Mabillon. ad an. 817. n. 65.

Airardum primum fuiſſe epiſcoporum Auſcienſium, qui metropolitani jure potius ſit, non obſcure ſignificat Odo levita ſcribens ad Garſiam archiepiſcopum, quem dicit eſſe ſeptimum ordine pontificem ſummo jure ligandi & ſolvendi præditum.

Inſtrum. C. I. p. 159.

XLVIII. ARDINANUS.

Ardinanum cujus mentionem aiunt fieri in aliquo eccleſiæ Auxitanæ authentico anni Domini 906. idem forte eſt ac Armandus, qui nominatur in quadam ceſſione ſeu locatione ad vitam, Cellæ-Medulfi facta Garſiæ comiti, ut videre eſt in Walafrido abbate Soricinenſi.

ANNI CHRISTI. 906.

XLIX. ODILUS *al.* ODILO.

Hic antecedit in veteri catalogo Bernardum qui ſequitur; neque aliud de illo legitur.

L. BERNARDUS I.

Bernardus tempore Agapiti II. anno circiter 946. præerat, & anno 950. legiturque huic ſummo pontifici ſcripſiſſe epiſtolam, ex qua intelligitur eum inſtituiſſe epiſcopos in Hiſpania, forte ob epiſcoporum penuriam, poſt tot clades a Saracenis illatas, quibus pene proſtrata eſt in his oris religio Chriſtiana [a]. Circa hæc tempora, ex veteribus tabulis Otho comes Feſenſaci eccleſiam metropolitanam variis donis auxit & exornavit. Sediſſe adhuc an. 960. creditur, ea ætate qua Bernardus I. comes Armaniacenſi dominabatur pago.

946.

960.

LI. HIDULFUS.

Hujus archiepiſcopi notitia debetur tabulæ monaſterii beati Michaëlis de Peſſano, ubi fit mentio abbatis cujuſdam Oterii nomine, qui præerat anno 975. regnante Lothario rege, ſedente Hidulfo archipræſule Auxienſi.

975.

LII. SEGUINUS [b].

LIII. ADO *al.* ODO.

Ado ſive Odo tempore Benedicti papæ VII. circa annum 980. erat archiepiſcopus, ſubſcripſitque paulo poſt inſtrumento fundationis monaſterii ſancti Severi in capite Vaſconiæ, cujus conditor fuit Guillelmus Sancius dux Vaſconiæ. Hujus autem cœnobii primordia revocantur ad annum 982. Legenda eſt hiſtoria Benearnii auctore illuſtriſſimo Petro de Marca lib. III. ubi chartam ſeu inſtrumentum hujus fundationis exhibet, ad calcem capitis 8. ibi autem noſter archipræſul legitur in ſubſcriptionibus Ado, non Odo.

980.

982. *c. 8. & 9.*

LIV. GARSIAS I.

Garſiæ epiſcopatui duodecim annos tribuit antiquus index pontificum Auſcienſium. Recte itaque legitur inchoatus anno 982. a quo ſi computes octodecim annos, deſinet anno 999. aut 1000. Controverſias habuit cum Aimerico Feſenſaci comite, ob dominium de Vic; quæ fuit cauſa, cur comitem a ſacris arceret, promulgato interdicto. Exſtat in tabulario Auxitano donatio huic præſuli facta a Garſia*, Arnaldi comitis Aſtaracenſis filio. Anno circiter 983. reſtitutionem monaſterii ſancti Michaëlis de Peciano (Peſſan) factam a Willelmo comite Aſtaracenſi approbat.

1000.

** f.* Guillelmo.

Habemus Odonis levitæ ad eum litteras, barbaro quidem ſtylo ſcriptas, de nuptiis Guillelmi Aſtaracenſis comitis, cum conſanguinea; & ejuſdem Garſiæ decretum de pœnitentia eidem

[a] Erunt etiam fortaſſe nonnulli, qui id trahent ad probandum jus metropoliticum archiepiſcopi Auxitani in quaſdam eccleſias epiſcopales Hiſpaniarum.

[b] Hic aut Odilus eſt expungendus, ut Garſias I. ſit ſeptimus archiepiſcopus. Vide ſupra in Airardo.

comiti injuncta; quæ ex chartario Auxitano descripsit noster D. Edmundus Martenne, inter instrumenta excusa.

ANNI CHRISTI.

t. I. pag. 339. col. 2.

LV. Odo.

Odo, qui & Ado, & Otto dicitur, prius monachus & abbas Simorræ in diœcesi Ausciensi, cum esset frater Guillelmi Astaricensis comitis, factus est Ausciensis archiepiscopus. Præsens legitur donationi, seu restitutioni factæ cœnobio Simorrensi a Willelmo comite Astaracensi; appellaturque simul abbas & archiepiscopus. Id referre videtur Mabillonius ad annum 988. quo tempore Garsias erat archiepiscopus. At nulla sunt certa argumenta unde probari possit tempus factæ hujus restitutionis; nec quidquam ea de re Mabillonius affer. Præterea quamvis index episcoporum Ausciensium doceat Garsiam præfuisse per annos 18. non est magni ponderis auctoritas hujus scriptoris seu nomenclatoris. Certe de Garsia nihil habemus ultra annum 983. Anno 1020. Odo subscripsit donationi Raimundi de Bassona alodium proprietatis suæ cedentis Peciano monasterio, mense Novembri. Assensum dedit electioni Guadaldonis Dumnucii Barcinonensis episcopi, ut patet ex charta quadam apud Franciscum Diago de comitibus Barcinon. ubi dicitur primæ sedis episcopus.

1020. Vide Mab. ad hunc an. n. 14.

l. 2. c. 33.

LVI. Raimundus I.

Copa.

Raimundus cognominatus Copa locum non habet in indice veteri, ea forte de causa, quod fuerit excommunicatus ob simoniæ crimen. Hoc tamen præstitit boni suæ, dum præesset, ecclesiæ, quod in ea canonicorum collegium instituerit, ut nos docet vetus monumentum, ex Ausciensi erutum chartario, quod instrumentis addidimus. In hoc bono opere adjutorem habuit Willelmum comitem. Quo anno id factum fuerit, in charta minime notatur, sed tantum præmittitur, pridie calendas Martii. Orto dissidio inter Sorduenses monachos, & Peciacenses, qui Sorduenses sibi subjectos esse contendebant, Raimundus in synodo, cui Gregorius Aquensis episcopus, & alii præsules intererant, adjudicavit Sorduam Peciano, & abbati ejus Raimundo, qui præfecit Willelmum abbatem huic monasterio. Primus fuit qui cœmeterium fecit in ecclesia B. Mariæ, quod litium postea & altercationum origo fuit inter S. Orientii cœnobitas; (apud eos enim episcopi, & alii antiquitus sepeliri consueverant) & hujus ecclesiæ canonicos. Ob simoniæ crimen ipsi jure aut injuria impactum, depositione multatus est.

t. II. pag. 160. col. 1.

LVII. Garsias II.

Garsias archiepiscopus Auxitanus nominatur in charta fundationis prioratus S. Dodæ, anno 1. regnante Henrico rege, hoc est anno 1030. Christi 1030. Eundem esse credimus, qui vocatur Garsianus, memoraturque in instrumento pro fundatione monasterii, in loco *Auriovello antiquitus nominato*, quod Willelmus Astaricensis comes construendum curavit, ac subjecit Simorræ abbati Ottoni ejusque successoribus, in diebus *Benedicti papæ, & Garsiano Auscensi archipræsule*. Vide Mabill. ad an. 1033. n. 25. Forte iste Garsias fuit creatus archiepiscopus in locum Raimundi Copa, qui nihilominus præesse non cessavit.

ANNI CHRISTI. 1035.

LVIII. S. Austindus.

S. Austindus urbis Burdegalensis indigena; ut ipse ait in charta fundationis ecclesiæ Nogarolensis, ex abbate S. Orientii factus est archiepiscopus. An. 1042. nominatur ut archiepiscopus, in charta cujusdam doni facti S. Johanni de Sancto-monte, cujus notæ chronicæ non immerito corruptæ videntur Mabillonio. Hic vir doctus revocat ad annum 1054. quoddam donum factum monasterio Simorræ a Willelmo Garsia, tempore Austindi archiep.

Instr. n. 5. p. 160.

1042.

1054.

Anno 1060. Jaccæ in Hispania, in ditione Ramiri regis, habitus est conventus episcoporum, tum ex Hispania, tum ex Vasconia, ex quibus fuerunt Heraclius Bigerronum, Stephanus Olorensis, Johannes Lectorensis. Huic synodo præfuit Austindus, ut ipsi testantur scriptores historiæ Zurita, Mariana &c. Anno 1061.* fundavit ecclesiam Nogarolensem in fundo quem emerat. Rem uti facta est, ipse narrat in litteris fundationis ecclesiæ hujus, quas edidit Petrus de Marca hist. Benearnensis lib. IV. c. 7. Anno 1063. adfuit dedicationi ecclesiæ Moissiacensis. Apud Augustam Auscorum anno 1068. habitum est concilium, præside domno Hugone Albo cardinali, ubi actum est de libertate ecclesiarum sancti Orientii. Hulc autem episcoporum cœtui non defuit S. Austindus, quo etiam, ut putamus, auctore libertas S. Orientii est asserta; hunc enim sacrum locum, cui præfuerat ut abbas, diligebat. Acta hujus synodi vide spicilegii tom. II. pag. 591 unde conciliorum collectores ea depromserunt. Ut quæ de libertate concessa S. Orientii monasterio diximus, facilius intelligantur, attendendum est ad decretum hoc in concilio factum, scilicet ut ecclesiis cathedralibus reliquæ ecclesiæ quartam suarum decimarum partem persolverent. Intercessit pro suo monasterio Raimundus abbas S. Orientii, causatus illius antiquam libertatem & *ingenuitatem*; in qua tandem consensu & decreto patrum assertum est. Ad superos evolavit S. Austindus, an. 1068. die 15. Septembris, qua die colitur in ecclesia Auxitana.

1060.

Ceterum amor veri minime dissimulare nos sinit, tabulas S. Severi in capite Vasconiæ, nobis exhibere anno 1061. archiepiscopum Ausciensem nomine Heraclium; qui cum Petro Aduensi, Stephano Olorensi, & Macario Aquensi, probavit, ut martyrologium regulæ sancti Benedicti jungeretur, Gregorio Lascurensi episcopo rogante; qui ejusdem cœnobii sancti Severi abbas erat. Additur *Actum an.* MLXI. IV. *non. Novembris*. Attamen sole clarius est

* Illustrissimus & eruditissimus Petrus de Marca optime probat non legendum 1062. sed 1061. qui erat annus secundus Philippi regis in instrumento notatus; nam inauguratus fuerat an. 1059. Præterea in instrumenti hujus chronicis notis, legitur tempore quo confectum est, Nicolaum papam Romæ sedisse. At vero Alexander III. ab anno 1061. S. Petri cathedram obtinebat.

ANNI CHRISTI.

tunc ſanctum Auſtindum ſediſſe in Auxitana cathedra. Neque vero æmulum habuiſſe legitur. Omnibus itaque perpenſis exiſtimo hunc Heraclium fuiſſe epiſcopum Bigerronum in provincia Auſcienſi, non archiepiſcopum Auxitanum.

LIX. GUILLELMUS I.

DE MONTAUT.

Guillelmus Bernardi de Monte-Alto ex illuſtri baronum Montaltenſium genere, monachus Cluniacenſis, priorque ſancti Orientii, eligitur ſucceſſor S. Auſtindi paulo poſt ejus
1068. obitum; eodemque anno, ſcilicet 1068. adfuit concilio Toloſano, præſide Hugone Albo cardinali cum Aymone Bituricenſi archiepiſcopo, Duranno Toloſæ, Geraldo Caturcenſi, Godemaro Sanctonenſi, aliiſque Aquitaniarum & Vaſconiæ prælatis; cujus ſynodi fragmentum edidit Catellus lib. v. hiſt. Occitaniæ, ex codice eccleſiæ ſancti Stephani Toloſani; Labbeuſque ſuæ conciliorum collectioni, ex purioribus, ut ait, fontibus inſeruit. Eodem anno ſub jam laudato Hugone Albo cardinali, celebratur concilium apud Gerundam, in quo ſedit noſter Guillelmus cum alio cognomine Convenarum epiſcopo. In recenſione prælatorum qui adfuerunt, primus locus datur noſtro Guillelmo, etiam ante archiepiſcopum Bituricenſem; forſitan quia de reſtitutione Lactorenſis epiſcopatus ageretur, adeſſentque fere omnes Auſcienſis provinciæ epiſcopi, Gregorius Laſcurrenſis, Petrus Adurenſis, Guillelmus Convenenſis, Raimundus Lactorenſis, Bernardus Conſeranenſis, & Bernardus Aquenſis. Paulo poſt
Infr. C. III. pag. 160. col. 2. Guillelmus archiepiſcopus dedit ſancto Petro Cluniacenſi, eccleſiam S. Michaëlis de Montealto, cum aliis quinque eccleſiis, ejus fratribus conſentientibus, quos in ſuis litteris nominat, patremque Bernardum.

An. 1073. Geraldus Oſtienſis epiſcopus, ſedis apoſtolicæ legatus, in Novempopulania ſynodum celebravit, in qua plurimos etiam epiſcopos depoſuit. Nec ejus fulmina deprecari potuit noſter Guillelmus. Inde magnæ querelæ in legatum, aliis ſe injuſte excommunicatos, aliis inordinate ſe depoſitos, aliis immerito ſe interdictos conclamantibus. Gregorius papa,
ep. 15. l. 2. his auditis, ſcripſit ad ſuum legatum, mirari ſe, quod ab ipſo nihil acceperit de hac ſynodo, *in qua tot negotia emerſerant.* Et quamvis *reſpectu conſervandæ auctoritatis* ejus teneretur, nihilominus Guillelmum, quia leviorem ob culpam dejectus fuerat, reſtituit. Scilicet id tantum archiepiſcopo objiciebatur, quod excommunicato ſcienter communicaſſet; pro qua etiam noxa jam Alexander papa ipſi ignoverat. Guillelmi depoſitio forſitan cauſa fuit, cur ipſi minime morem gererent, aut
l. 1 ep. 55. obtemperarent epiſcopi comprovinciales. Quare Gregorius papa eodem an. præcepit epiſcopo Bigorritano & ejuſdem provinciæ epiſcopis, ut ipſi, ſicut apoſtolicæ ſedis legatus juſſerat, obedirent. Libro tamen ſeptimo epiſtola 18. idem papa Guillelmum durius increpat, eum inobedientiæ arguens, eique jubet, ut Peſſanenſem abbatem cogat Aureliacenſi abbati reſtituere quandam eccleſiam ab apoſtolica ſede conceſſam, contumaci eccleſiæ introitu interdicto.

ANNI CHRISTI

Ut vero ad ſeriem rerum a Guillelmo geſtarum redeamus, eodem anno 1074. memoratur in charta Rogerii comitis, de Leſatenſi abbatia Cluniaco ſubjecta. Huic celeberrimo monaſterio ipſe cum Raimundo Lecturienſi, dedit eccleſiam S. Jonii *al.* Geneſii, 1079.
anno præfato. An. 1079. convenit ad concilium Burdegalenſe, a domno Amato Olorenſi epiſcopo ſedis apoſt. legato celebratum juſſu ejuſdem Greg. papæ, ad morum correctionem in eccleſiis promovendam; adfueruntque ſimul Gocelinus Burdigalenſis, Radulfus Turonenſis archiepiſcopi, necnon Dolenſis, cum ſuffraganeis epiſcopis, anno, ut præmiſimus, 1079. Gregorii papæ ſeptimo, indictione 2. &c. adſtante & confirmante Willelmo nobiliſſimo Aquitanorum duce, & comite Vaſconiæ cum ſuis principibus. In eo cœtu, quem melius aſſignant nonnulli anno 1080. ſubſcripſit hic archiepiſcopus privilegio, quod obtinuit S. Geral-
1083. dus, pro Silvæ-majoris monaſterio, ab ipſo nuper condito. An. 1083. ad eum defertur cauſa inter Dodonem epiſcopum Tarbenſem, & monachos S. Petri Generenſis, occaſione cujuſdam ſepulturæ. Anno 1084. commemoratur *Tab. ſancti Pauli.* in litteris Raimundi Boſonis, quibus cedit eccleſiæ S. Pauli Narbonenſis, *aliquantulum de alodio ſuo, in terra Gaſconiæ, in comitatu Aſtaracenſi ... in villa S. Borancia. Facta charta anno* MLXXXIV. *Philippo regnante in Franciis, Guillelmo Bernardi regente archiepiſcopatum Auxenſium,* &c. Eodem anno Hugoni Cluniacenſi abbati dat loca de S. Genetio & de S. Claro, cum *Tab. Moiſ.* ſuis appendicibus, indictione VII. Denique adfuit reſtitutioni eccleſiæ S. Capraſii de Pontonis factæ monaſterio Regulæ. Hic præſul ad inſtaurandam in eccleſia ſua diſciplinam plurimum laboravit, ſuiſque conſiliis adjuvit Iſarnum Toloſanum pontificem in cleri S. Stephani reformatione, & ſubſcripſit chartæ fundationis canonicorum Regularium nuper admiſſorum. Ex Sandovallio aderat Pompeiopoli anno 1083. quando Petrus de Roda hujus eccleſiæ epiſcopus, regulam B. Auguſtini canonicis ſuis obſervandam tradidit.

Centullus vicecomes Bearnenſis, qui conjugem duxerat conſanguineam, pœnitentiam egit delicti ſui, dimiſitque uxorem in manu Guil- *C. VI. p. 161. col. 2.* lelmi archiepiſcopi, & Amati epiſcopi Olorenſis S. ſedis legati, ut deduceretur ad Cluniacenſe cœnobium, cauſa ſumendi religionis habitum.

Ut jam vitæ Guillelmi extrema proſequamur, anno 1093. adfuit concilio Burdegalenſi. An- 1093.
no 1095. acceſſit ad concilium Placentinum, ac 1095.
privilegio Urbani II. pro monaſterio S. Ægidii ſubſcripſit. Idem eſt annus, quo conſecravit altare ſanctæ Mariæ, ac S. Aſciſcli; cui ſolemnitati adfuit Simon Aginnenſis epiſcopus. Anno ſequenti e vita exceſſit; de cujus obitu legitur in necrologio S. Severi in capite Vaſconiæ, XV. *calend. Maii depoſitio domini Willelmi Auſcienſis archiepiſcopi an.* 1096.

LX. Raimundus II.

ANNI CHRISTI.

Raimundus vulgo cognominatus de Fidenciaco, frater uterinus Astanovæ comitis Fidenciacensis, & Arnaldi Aimerici præpositi Auscienſis, matrem habuit Bivaram, quæ ſecundas nuptias poſtea contraxit cum Aimerico alias Fortono comite Fidenciacenſi. Unde liquet Raimundum nor. eſſe ortum de genere comitum Fidenciacenſium, ſed ſolum Aimerici comitis privignum. Ex nobili tamen genere ipſum procreatum eſſe non dubitamus. In quibuſdam Auſcienſis eccleſiæ tabulis, legitur Guillelmi Aſtanovæ avunculus; quæ vox ſæpius in hujus ævi ſcriptoribus idem ſonat ac patruum. Is vero Guillelmus eſt, qui Aimericum, de quo ſupra, virum Bivaræ genuit, eumque habuit comitatus Fidenciacenſis ſucceſſorem.

[a] Raimundus ex monacho [a] S. Orientii, factus eſt archiepiſcopus anno 1096. quo adfuit concilio Santonenſi VI. nonas Martii Dominica I. Quadrageſimæ, ubi ſubſcripſit privilegio eccleſiæ Vindocinenſis. Anno 1097. Urbanus papa II. ad eum ſcripſit, ut eccleſiæ S. Orientii curaret fieri ſatis a majoris eccleſiæ clericis, qui cœmeterium Leonis papæ decreto, ſuoque confirmatum hujus loci monachis, violaverant. De cetero ut clericos illos coërceret, admonet. Anno eodem adfuit exſequiis Petri vicecomitis de Gavareto. Eccleſiam S. Mammetis pretio quinquaginta ſolidorum redemit a domino de Panas; ac anno 1098. ex chartulario Angeriacenſi, cum provinciæ ſuæ epiſcopis & abbatibus, adfuit concilio Burdegalenſi. Nominatur in tabula quadam Laſcurrenſi anni 1100. quæ docet hujus urbis epiſcopum, conſilio hujus archiepiſcopi, & Amati pontificii legati canonicos Regulares in S. Mariæ eccleſia inſtituiſſe. Sedit uſque ad annum 1118. obiitque cal. Octob. ex S. Severi necrol.

1096.

1098.

1100.

LXI. Bernardus II.

1118. Bernardum ſediſſe jam anno 1118. probant tum vetus charta eccleſiæ Aquenſis, tum inſtrumentum Silvæ-majoris. Bertrandus Vaſatenſis epiſcopus eccleſiam S. Stephani de *Rus*[b] dederat beatæ Mariæ Silvæ-majoris, id eſt monachis ibidem Deo famulantibus. At de dono iſto canonici Vaſatenſis eccleſiæ, in ſynodo Vaſatis querimoniam fecerant. Poſt multum vero temporis Gaufridus abbas Silvæ-majoris, in capitulum Vaſatenſe ingreſſus, obtinuit conſenſum canonicorum, tali pacto, ut uno quoque anno monachi quinque ſolidos pro cenſu perſolverent, quorum media pars epiſcopi eſſet, altera canonicorum. *Actum an.* MCXVIII. *ab incarnatione Domini, epacta* XXVI. *concurrente* I. *Ludovico rege regnante, & Guillelmo duce Aquitanorum gubernante, & Bernardo Auxitanenſi archiepiſcopo præſidente* &c.

[b] Rusk.

Tr. maj. chronol. p. 218.

Ceterum hic Bernardus, qui patria erat Aſtaracenſis, in Electenſi monaſterio monachum induerat. Inde raptus eſt ad epiſcopatum *Laburdenſium*, quem nunc Baionenſem appellamus, propter ſingularem litterarum ſcientiam, & morum honeſtatem, ut legitur in veteri Auſcenſis eccleſiæ inſtrumento. Cum vero in hac ſede pene conſenuiſſet, vocatus eſt ad cathedram Auſciorum metropolitanam, in qua ſedit annis ſeptem. Anno 1119. adfuit concilio Toloſano ſub Callixto II. habito idibus Julii, & ſubſcripſit judicio lato pro Anianenſibus; ut videre eſt ſpicileg. to. VI. p. 25. An. 1122. confirmavit inſignem donationem factam pro inſtauratione monaſterii B. Mariæ de Cagnota. Utilem pro Chriſti fide operam navaſſe contra Mauros in Hiſpania legitur in diplomate Alfonſi regis Arragonum, &c. quod infra daturi ſumus. Ad eum ſcripſit Gelaſius papa II. pro cœmeterio S. Orientii.

ANNI CHRISTI

LXII. Guillelmus I.

Guillelmus primum Lectorenſis epiſcopus fuit; inde tranſlatus eſt ad ſedem Auxitanam, ut docet charta fundationis monaſterii Portaglonii: *quæ facta fuit in manu G. Lactoratenſis epiſcopi, qui inſequenti anno, Deo volente & eligente, Auxitanæ eccleſiæ archiepiſcopus factus eſt.* Nomen hujus archiepiſcopi inſcribitur chartæ Bertrandi Vaſatenſis epiſcopi, donantis monaſterio S. Petri de Regula eccleſiam S. Eparchii, *anno ab incarnatione* MCXXVI. *epacta* XXV. *indictione* IV. *Willelmo Auſciorum archiepiſcopo.* 1126.

Memoratur anno 1127. in charta quadam pro monaſterio S. Petri de Regula diœceſis Vaſatenſis, quod vocabatur tunc *Senirs*, & in alia pro eodem loco data anno 1143. Arnaldo abbati Berdonis donavit totum honorem quem habebat, vel habere poterat in Artigas, & in eccleſia S. Saturnini, præſentibus B. Caſæ-Dei, Guillelmo de Maraſt Simorræ, & Bernardo Gimundi abbatibus.

Initio ſui pontificatus multa ſubſidia contulit Ildefonſo regi Arragonum & Navarræ adverſus Mauros, qui gratus & memor illorum beneficiorum, aliorumque ſibi ab ipſa Auxitana eccleſia præſtitorum, maxime vero, *propter multa & innumerabilia ſervitia, pericula & labores multos, quos dominus B.* (Bernardus) *ejus anteceſſor ſuſtinuerat*, cum regem *in illa acquiſitione de Hiſpania* adjuvit, dedit Auſcienſi eccleſiæ, eccleſiam de Alagon, cum omni hereditate ſua. Quod donum vult eſſe liberum ab omni regali & laïcali ſervitute. Facta charta in menſe Aug. æra MCLXVIII. hoc eſt Chriſti 1130. Æræ enim Hiſpanorum anni 38. detrahi debent, ut cum anno incarnationis Domini conveniat. C. VII. p. 161. col. 2. 1130.

Circa idem tempus, cum Aycardus S. Stephani Toloſani præpoſitus, de eccleſia ſanctæ Mariæ Deauratæ, quam ſancto Stephano ablatam cauſabatur, repetenda in ſynodo Claromontenſi cogitaret, a noſtro Guillelmo prohibitus eſt. Sedit Guillelmus ad an. 1142. menſe Septembri, ex charta fundationis Scalæ-Dei, diœceſis Tarbienſis, in qua memoratur,

[a] In veteri indice dicitur monachus Cluniacenſis, nutritus S. Orienti.

Digitized by Google

LXIII. Sancius.

ANNI CHRISTI. DeFENOGRETO.

Cogimur abbreviare tempus pontificatui Guillelmi tribui ſolitum ; occurrit enim nobis anno 1144. alius archiepiſcopus nomine Sancius de Fenogreto, qui hoc anno cum Licerio Pardiaci comite, dedit beatæ Mariæ Fontis-Ebraldi locum de Brolio, cum pertinentiis, ex archivo parthenonis beatæ Mariæ de Brolio, quod diligenter exploravit & excuſſit noſter D. Claudius Eſtiennot. Qui admittere noluerit hunc archiepiſcopum, nobis notum ſolo D. Claudii Eſtiennot teſtimonio, poterit ad unum eundem Guillelmum archiepiſcopum referre quæ ſequuntur.

1144.

LXIV. Guillelmus III.

Anno 1148. a Petro abbate S. Quitteriæ cereæ libras decem ad faciendum paſchalem cereum recipit hic archiepiſcopus. Interpres fuit concordiæ inter canonicos ſanctæ Mariæ, & clericos S. Martini, cui concordiæ interfuerunt Guillelmus Bigorritanus, Guido Laſcurenſis, Arnaldus Oleronenſis, Guillelmus Aquenſis, Bonus-homo Adurenſis, Biduanus Lactoratenſis, Rogerius Convenarum, & Petrus Conſeranenſis epiſcopi.

1148.

Anno 1151. menſe Maio hujus archipræſulis mentio fit in charta dotationis xenodochii de Urdios. * In Morlanenſi charta memoratur concilium apud Nugarolium celebratum anno 1154. cui præfuit noſter Guillelmus tunc Romanæ ſedis legatione functus. Eadem forte auctoritate uſus, excommunicavit Odonem de Cadellione, qui Laſcurenſi capitulo abſtulerat eccleſiam de Serres. Contulit eccleſiæ Gavarreti jus parochiale, litteris inſcriptis Raimundo Arnaldi priori, datis diebus Azymorum anno 1159. epacta nulla, indictione VII. luna IV. Adriano papa. Anno 1160. confirmavit donationem factam abbati S. Æmiliani.

1151.

1154.

1160

Frequens eſt mentio Guillelmi archiepiſcopi Auxitani in chartario Silvæ-majoris ; quem rexiſſe aliquandiu epiſcopatum Vaſatenſem pro epiſcopo, qui Jeroſolymam profectus erat, docet: nam cum Thetbaldus & Helias de Blajac juſtitiam in terra de Carenſac Gaufrido abbati Silvæ-majoris abſtuliſſent, monachi confugerunt ad Guillelmum archiepiſcopum, *qui tunc epiſcopium Vaſatenſe commendatum tenebat.* Ipſe vero fecit inquirere per Vaſatenſes archidiaconos, de jure ; & milites ad emendandum ſatiſque faciendum coëgit.

Guillelmus Auſc. archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus Silvæ-maj. monaſterio confirmavit eccleſiam S. Martini de Lucader ſuæ diœceſis, Petro abbate tunc monaſterium regente. At cum anni minime aſſignentur, & nullæ addantur notæ chronicæ certæ, difficile eſt definire, cui ex duobus Guillelmis, ea quæ leguntur in chartario Silvæ-majoris tribui debeant, quia tempore parum diſtant ab invicem ; ut etiam ex duobus unicum conflatum a ceteris ſcriptoribus videamus ; quos libenter ſequeremur, niſi obſtaret Sancius archiepiſcopus medius inter utrumque. Cenſemus tamen quod refertur primo loco, pertinere ad Guillelmum II. alia vero ubi Willelmus dicitur legatus apoſtolicus, ſpectare ad Guillelmum III. quem jam vidimus legationis S. ſedis munere defunctum.

ANNI CHRISTI.

Eadem ratione vix dubitamus ipſi adſcribendum celebre decretum de Treuga & pace, quod præmiſſo litteris ſuis titulo legati apoſtolici publicavit ; dignum ſane quod legatur inter inſtrumenta.

C. IX. reg. 62. col. 1.

Porro hîc libenter exhibemus quæ de hoc decreto a Sammarthanis fratribus docte eſt obſervatum ; ubi laudant illuſtriſſimum Petrum de Marca cum in hiſtoria Benearnenſi, tum in libro de concordia ſacerd. & imp.

Hujus pacis & Treugæ exordium cœpit a bellis privatis, quæ Romanis rempublicam tenentibus, per Gallias & cæteras Europæ regiones graſſata ſunt. Tunc enim quiſque ſuam, ſuorumve injuriam non in jure coram judice, ſed ferro perſequebatur. His inimicitiis quas Faidas vocabant, leges Longobardorum & capitularia regum modum præſcripſerunt, cum ingraveſcente in dies malo, cædibus, depræda-tionibus & incendiis reſpubl. vaſtaretur, & Gallicani epiſcopi proſpicere curarunt, non exſtincto quidem prorſus nefando illo bellorum privatorum uſu, ſed repreſſo tantum per inducias, quæ aliquot dies otioſos a cædibus rederent. Anno igitur 1144. epiſcopi & proceres provinciarum in Aquitania primum, deinde per reliquas Gallias, decreto ſuo privatis bellis inducias indixerunt, ſub nomine *treugæ Domini* ; a Mercurii ſuprema die, uſque ad diluculum diei Lunæ ſubſequentis, a quibus abſtinendum erat ; ea lege, ut nemo ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur, pœna capitis, aut exſilio, aut excommunicatione in rebelles irrogatis. Hujus inſtitutionis Rodulfus Glaber meminit, quam apertiſſimis verbis deſcribit, & Ivo Carnotenſis docet decretas fuiſſe inducias iſtiuſmodi, non ſolum ab epiſcopis, quibus infractæ pacis illius cognitio commiſſa erat, ſed etiam a proceribus, comitibus & baronibus cujuſque diœceſeos, pars illius cognitionis competebat. Id patet imprimis ex treugæ conſtitutione, quæ lata eſt in Anglia & Normannia, ex conſenſu epiſcoporum & baronum a Guillelmo I. rege anno 1080. apud Ordericum Vitalem, a Raimundo Berengario comite in Barcinonenſi comitatu 1060. Recepta autem ſunt & amplificata iſthæc decreta, a concilio Claromontano ſub Urbano II. anno. 1095. a Romano ſub Paſchali II. 1102. a Lateranenſi ſub Innocentio II. 1135. & ab altero Lateranenſi ſub Alexandro III. 1180. Bella iſta privata a Ludovico ſanctæ memoriæ principe vetita quidem, ſed rediviva Philippus IV. rex conſtitutione ſua Toloſæ edita in perpetuum reſecuit anno 1303.

Guillelmus pervenit uſque ad annum 1170. quo interfuit compoſitioni inter Garſiam epiſcopum Vaſatenſem & Gerardum Folium priorem Regulæ, uti videre eſt in hoc Vaſatenſi epiſcopo. Nam per G. archiepiſcopum Auſcienſem

* Vide inſtrumenta eccleſiæ Aquenſis, n. 3. p. 173. col. 2.

ANNI CHRISTI.

S. sedis legatum, solus potuit designari; quippe Geraldus Guillelmi successor, non erat apostolicæ sedis legatus hoc anno, cum vix pontificatum inchoasset. Eundem esse putamus, quem aiunt cognominatum d'Andozile fuisse, fratris beati Bertrandi Convenarum episcopi filium, cujus avus Atto Raimundus dominus Insulæ; materno autem genere e familia Montaltensium baronum, sorore Willelmi Bernardi archiepiscopi Auscensis genitum. Hujus virtutem & singularem pietatem prædicant passim ecclesiæ Auscensis monumenta, quæ prorsus præterire religio esset. Vetus membrana: *Successit*[a] inquit, *Bernardo archiepiscopo Guillelmus, qui de prosapia Montaltensium descenderat, homo alti sanguinis, summa tam morum, quam parentum nobilitate prepollens, tam in divinis quam in forensibus negotiis strenuissimus, in proposito constans, religionis amator, qui intra fines Gasconiæ tam Cisterciensis, quam Præmonstratensis ordinis decem monasteria, & sanctimonialium nonnulla de ordine Fontisebraldi in honore omnipotentis Dei fundavit, & plantavit, quem prospera vincere, nec adversa frangere potuerunt, vir profundi sensus & consilii, & singularis discretionis.*

De eodem Guillelmo III. interpretandum credimus, quod in necrologio monasterii Casæ-Dei, comitatus Pardiacensis, ordinis Præmonstratensis, legitur: *Guillelmus d'Andozile archiepiscopus Auxitanus, & sedis apostolicæ legatus, nepos sancti Bertrandi, qui eum fecit canonizari, multa bona fecit nobis, & multos adversarios pacificavit.*

Scripsit epistolam, ex qua deprehenditur, quid in canonibus concilii Romani sub Paschali papa II. celebrati constitutum fuerit, exstatque in collectione conciliorum.

Gall. Christ. Sacra.

LXV. GERALDUS.

Geraldus de Barta ex nobili genere ortus, avunculus Raimundi Aimerici de Montesquivo, primum fuit archidiaconus ecclesiæ Auxitanæ. Quo vero tempore hoc fungebatur officio, misericordia motus erga nepotem suum Raimundum Aimerici, quem vinculis ferreis constrictum in castro de Laverdenes tenebat Geraldus de Arbeissano, quocum bellabat, sese obsidem eodem in castro dedit victori, sicque Raimundi libertatem obtinuit. Post aliquod tempus Geraldus promotus est ad episcopatum Tolosanum, & mortuo Guillelmo Auscionum archiepiscopo, in ejus successorem electus est anno 1170. quod minime acceptum fuit Bernardo Armaniacensi comiti. Unde cum electus archiepiscopus Romam petendi pallii gratia perrexisset, comes ecclesiam vi occupavit. Redux Geraldus his auditis, misit ad eum religiosos viros, episcopos & abbates, ipseque supplex venit rogans principem, ut sibi suam restitueret ecclesiam. Eo vero negante decrevit archipræsul suorum amicorum consilio jus suum armis prosequi. Comes vero collecta suorum militum valida manu in archiepiscopum irruit; qui cedere cogitur. Duas de hujusmodi molestiis Geraldo illatis habemus chartas suo editas loco. His forte de causis, ut iram comitis declinaret (a quo cum suis canonicis omnibus bonis spoliatus per biennium coactus est exsulare) ad bellum sacrum profectus est. Quædam autem ab eo gesta priusquam proficisceretur, variis ex monumentis proferamus.

1170.

Nihil de illo post assumtum ecclesiæ Auscitanæ regimen nobis occurrit ante annum 1173. quo memoratur in charta Gimundi.

1173.

Ex tabulis Regulæ compositionem controversiæ quæ erat de ecclesiis S. Bibiani de Balsan, S. Aniani & S. Petri de Sanctis, Bassanæ, burgi S. Basiliæ, Bedalaci, Miliani, Gauciaci, & S. Mariæ de Villa-nova, inter Vasatensem episcopum, & priorem ac monachos S. Petri de Regula ad Garumnam, ratam habet, & auctoritate domini papæ (*cujus vice*, inquit, *in his partibus fungimur*) & sua confirmat; & inconcussum robur ac vires in perpetuum habere decernit. *Datum per manum Ezicii cancellarii ejusdem archiepiscopi an. ab incarn. Domini* MCLXXVIII. *regnante in Gallia Ludovico rege & dominante in Aquitania Henrico rege Angl.* Præterea Gasto vicecomes Bearni, Gavarreti, Blolii & Marsani ac Bigorræ comes *Geraldum* Auxitanum archiep. apostolicæ sedis legatum certiorem facit, se jura & immunitates a prædecessoribus suis Silvæ-majoris abbatiæ concessa confirmasse & auxisse, datis codicillis an. 1181. indict. XIV. epacta III. cyclo IV. die lunæ V. idus Febr. Philippi an. 1. Richardo Angliæ rege duce Aquitaniæ; quæ eruta sunt ex tab. Montis-maj.

1178.

1181.

Anno 1190.[b] quo Jerosolymam profectus est, accessit ad Richardum Angliæ regem, qui tunc apud Regulam Vasatensem morabatur, & testis fuit confirmationis quam idem rex concessit monasterio Silvæ-majoris omnium donorum antecessorum ducum, diplomate dato Heliæ archiepiscopo Burdigalensi, ac omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, apud Regulam exarato per manum Johannis Lexoniensis (forte Exoniensis vel Lexoviensis) archidiaconi vicecancellarii, anno I. regni sui, 3. die Februarii. Cujus privilegii testes sunt Geraudus Auxitanus archiepiscopus, Ademarus Petragoricensis, Bertrandus Agennensis, & Gallardus Vasatensis episcopi; Stephanus Casæ-Dei, Bertrandus Moyssiacensis, Guillelmus Brancolmensis, Arnaldus Clariacensis, Aymericus Caduinensis abbates; Helias de Cella senescallus Vasconiæ, Henricus filius ducis Saxoniæ, Bernardus comes de Armanaco, Bernardus comes Bezelmensis, Gasto Bearnensis, Petrus Castellionensis vicecomites; Willelmus Amanevi de Fronciaco, Arnaldus Guillelmi de Marciano, Amanevus de Lebred, Amalvinus de Blancafort, Petrus de la Mota, Aiquelmus Guillelmi de Lesparra, Gaufridus de Pont, Geraldus de Burgo, Stephanus de Caumont, Bertrandus de Fumel.

1190. b

Chartul. Silvæ-maj. p. 227.

a Tam brevi tempore Sanctius fuit archiepiscopus, ut minime miremur, eum fuisse plenisque ignotum; & ex Guillelmo qui eum præcessit, alteroque, qui successit, unum esse factum.

b Ejusdem fit mentio in quadam epistola Richardi Angliæ regis data anno eodem 1190. de charta pacis factæ inter Richardum regem Angliæ & Tancredum regem Siciliæ. *Collect.* Rimensii tom. I. pag. 66.

ANNI CHRISTI.

Paulo poſt profectus eſt ad bellum Jeroſolymitanum, in comitatu Richardi regis, qui eum ſuo præfecit exercitui, teſte Rogerio de Hovedeno, forte ad ſacra ſuis copiis miniſtranda. Idem ſcriptor refert Geraldum, cum in Sicilia foret, in comitatu Richardi, diſputaſſe cum famoſo abbate Florenſi nomine Joachimo, doctéque confutaſſe quæ de antichriſto jam Romæ nato aſſerebat. Anno quo iter tranſmarinum eſt aggreſſus, ſcilicet 1190. teſtis legitur in litteris quibuſdam Richardi regis. Obiit in hac peregrinatione. Id autem contigit circa annum 1192. quo anno ſedes vacabat, uti notatur in charta G. Vaſatenſis epiſcopi, qua decernit ut in Santonenſi eccleſia non ſint plures quam decem & octo canonici; excuſa eſt inter inſtrumenta Vaſatenſis eccleſiæ, n. VII. pag. 189. col. 1.

1190.

LXVI. BERNARDUS III.

1192.

Etſi Bernardus anno circiter 1192. ad ſedem Auxitanam vacantem fuerit aſſumtus, multo tamen tempore caruit conſecratione; quod fortaſſe ſummus pontifex eum confirmare diſtulerit. Certe anno 1195. in charta Gimundi, non alio quam electi Auſcienſis titulo inſignitur. Neque vero nobis opponatur diploma Gaſtonis vicecomitis Benearnenſis pro Silva-majori, inſcriptum Bernardo Auxitano archiepiſcopo, &c. quod legitur datum anno 1181. nam vitioſæ ſunt notæ chronicæ hoc in inſtrumento, nec mirum; deſcriptum eſt enim non ex autographo, ſed ex tranſſumto, quod dicunt *Vidimus*. Aut ſi quis contendat retinendum eſſe annum annotatum, oportebit pro Bernardo legere Gerardum, qui proculdubio cathedram Auſcienſem obtinebat anno 1181. Si pro 1181. legeretur 1196. conveniret indictio 14. & quidem an. 1197. Bernardus archiepiſcopus dedit eidem Silvæ-majoris monaſterio eccleſiam de Loza, cum omnibus ad eam pertinentibus, & quartam decimæ quæ ſibi debebatur, maxime ut iis frueretur prioratus de Gavarreto; ad quem etiam ſpectat diploma Gaſtonis vicecomitis. Actum apud Agennum idibus Novembris, feria V. anno ab incarnatione Domini 1197. indictione I. teſtibus dom. G. Caturcenſi, B. Lectorenſi. Diploma Gaſtonis exſtat inter inſtrumenta. Idem Bernardus archiepiſcopus teſtis nominatur eodem anno, in pacto matrimonii inter Bernardum Convenarum comitem & Mariam filiam Willelmi domini Montis-peſſul. Hoc etiam anno, menſe Novembri confirmavit divortium, quod canonice fecerat D. R. Convenarum epiſcopus, inter Bernardum comitem Convenarum, & Contors conſanguineam ſuam in quarto gradu.

Chron. Sil. maj. p. 218.

1197.

C. XII. p. 165. col. 1.

Gariel. ex antiq. com. Mont-pel. p. 179.

Poſtea cum de vita hujus archiepiſcopi multis flagitiis fœdata ad apoſtolicam ſedem relatum fuiſſet, hunc Innocentius papa III. monuit ut cum ſuſcepto muneri impar, eique gerendo minus idoneus eſſet, ſponte pontificatu ſe abdicaret; ſecus, alium ſe in ejus locum ſuffecturum. Demum an. 1214. idem Innocentius alia epiſtola, expoſtulante de antiſtitis vita & perverſis moribus canonicorum collegio, ad archiep. Burdegalenſem, atque Agennenſem præſulem de his ſcribens, poſt narrata quæ in ea cauſa geſta eſſent, eoſdem cum cœnobiarcha Claracenſi delegat, ut diligenti facta inquiſitione ſicut juſſerat, ſi invenirent aliquid eum commiſiſſe quod ad depoſitionem ſufficeret, in eum ſententiam depoſitionis proferrent; ſin vero accuſatores deficerent, nihilominus ob frequentes clamores qui contra ipſum ad ſedem apoſtolicam delati eſſent, ei purgationem canonicam pro more deferrent, cum quinta manu, hoc eſt, ut loquitur, quinque vicinorum epiſcoporum teſtimonio, qui ejus converſationem noſſent; quam purgationem ſi præſtare negligeret, alium loco Bernardi in eccleſia Auxitana ſubſtituerent pontificem. De qua re legendus eſt quoque eruditiſſimus Henricus Spondanus Appamiarum epiſcopus annal. tomo I.

1214.

l. IV. ep. 5.

ANNI CHRISTI

LXVII. GARSIAS II.

DE L'ORT

Garſias de Horto antea ex abbate S. Petri de Generoſo factus epiſcopus Convenarum, vir magnæ ſanctitatis, ſedem pontificiam apud Auſcios jam obtinebat anno 1215. ſexto idus Junii, ut patet ex regiſtro veteri de feudis ſeneſcalliarum, Carcaſſonæ, Belliquadri, Toloſæ, &c. ubi legitur homagium comitatus Fronſiaci, de feudis quæ recognovit comiti Montis-fortis Gerardus comes Fronſiaci; in fine enim inſtrumenti legitur: *Et nos G. Dei gratia archiepiſcopus Auxitanus, hæc ſupra dicta concedimus, ſalvo omni jure, &c.* Et quidem Grimoaldus ejus in Convenarum ſede ſucceſſor, hoc anno electi titulum præferebat. Idem G. Auſcienſis archiepiſcopus invenitur anno 1217. in regiſtro curiæ Franciæ Carcaſſonenſis, cum W. archiepiſcopo Burdigalenſi, A. Aginnenſi, A. Tarbenſi, G. Convenarum, A. Lactorenſi, & C. Conſeranenſi epiſcopis, P. abbate Clariacenſi, B. archidiacono Baſatenſi. Eodem anno præſens fuit tranſactioni inter A. epiſcopum Aginnenſem, & Simonem Montis fortis dominum, ducem Narbonæ, & comitem Toloſæ, ſuper juſtitia, fiſco & moneta civitatis Aginnenſis XIV. cal. Maii, ex tabul. Carcaſſonenſi.

1215.

1217. fol. 1.

Guillelmus Raimundi de * Monte-Catano vicecomes Bearnenſis, cum aſſumſiſſet *characterem vere crucis, de manu domini papæ*, pro gravibus & pluribus exceſſibus, teneretur que in partibus tranſmarinis, cum certo numero armatorum, per quinquennium Domino famulari, nondum inchoata peregrinatione gravi ægritudine correptus eſt. Quapropter de conſilio amicorum ſuorum, Garſiæ archiepiſcopi Auxitani, &c. in recompenſatione peregrinationis, dedit hoſpitali Jeroſolymitano, & militiæ Templi fratribus locum de Mazro, &c. Exſecutionem vero hujus teſtamenti demandavit eidem Garſiæ archiepiſcopo, A. epiſcopo Bigorræ, &c. *anno ab incarnatione* MCCXXIII. XIII. *cal. Martii.* Exſtat hoc inſtrumentum hiſt. Benearn. l. VI. c. 28. quod deſcriptum ex Chartario eccleſiæ Tarraconenſis recudi in Gallia Chriſtiana curarunt noſtri Sammarthani.

*Montalc.

1223.

Animam

ANNI CHRISTI.

Animam Deo reddidit Garsias IV. idus Maii, ex Silvæ-majoris necrologio; quo in monasterio jacet. Quoto vero anno spiritum emiserit non additur in necrologio. Duodecim annos regiminis ipsi tribuit vetus index archiepiscoporum.

LXVIII. AMANEVUS I.

De Grisinhac.

Amanevus de Grisinhaco, Riontio diœcesis Burdigal. ad Garumnam oppido, nobili progenie ortus, Gregorio papæ IX. carus & familiaris, ex Tarbensi episcopo Ausciensium metropolita, ecclesiam hanc administrare cœpit saltem an. 1226. Nam decem supra centum solidos Silvæ-majoris fratribus annuatim solvendos pro suo, parentum suorum, & Gaillardi ac R. de Grisinhaco fratrum itidem suorum, necnon Gaillardæ consanguineæ anniversariis
1226. constituit an 1226. ex Silvæ-majoris tabulis. Huic quoque monasterio, propter Garsiam decessorem suum in ejus basilica inhumatum, dedit ecclesiam S. Johannis de Scalans. Ibidem vero inter *fratres ad succurrendum* annumerari voluit.

1231. Anno 1231. adfuit dedicationi basilicæ ejus-
Chron. p. 119. dem monasterii, die 24. Augusti factæ a Geraldo Burdigalensi archiepiscopo. Anno 1236. dedit litteras in gratiam prioratus beatæ Mariæ Lingonii, a Silva-majori pendentis; quibus notum facit sæpius quidem sibi contigisse ut propter negotia varia ad hunc locum diverterit; sed nunquam ibidem jure metropolitico procurationem exegisse, vel etiam recepisse.

Gregorius papa IX. Amanevo dedit privilegium crucis vexillum ante se præferendi. Litteræ pontificiæ datæ sunt anno 1. ejus pontificatus, qui incœpit anno 1227.

Illo præsertim hortatore instituitur Ordo militaris S. Jacobi, ad fidei & pacis defensionem, quem confirmavit idem papa anno 1231.

Infr. C. XIII. pag. 365. col. 2. Ibid. C. XIV. pag. 365. col. 2.

1231.

1232. Hoc præsule adnitente 1232. Boso de Mastas, Petronillæ comitissæ Convenensis maritus, transegit in manibus comitis Tolosani, & Amanevi de Lebreto, pro juribus hereditatis domus Convenensis. Anno 1234. conficit litteras de commisso prioratu de Boga episcopo Adurensi, in monachum a fratribus Sylvæ maj. recepto. Jam memorata Petronilla comitissa scriptis testamenti tabulis apud Vic de Begorre
1239 mense Februario 1239. Amanevo, qui propter ejus negotia multas impensas fecerat, assignavit omnes redditus suos de Banheres, eo quod Guillelmo antecessori in sede Auxitana sub onere quinque millium solidorum teneretur. Concilium autem provinciale coëgit Amanevus contra Albigenses hæreticos. Exilium, carcerem, & multa alia passus est a Friderico imperatore, quibus ærumnis finem sola mors attulit, cum adhuc in vinculis esset. Legimus vero ejus vicarium fuisse H. Tarbensem episcopum, forsan tempore captivitatis. Quo tempore mortuus sit, non omnino constat. Sedes vacabat an. 1242. mense Junio, ex charta ms. S. Orientii. Mortuus est Capuæ, unde corpus ejus defertur ad monasterium Silvæ-Majoris ubi jacet in choro cum hoc epitaphio, quod de eo multa nos docet:

Felix prælatus Amanevus qui tumulatus
Hic jacet, egregius exstitit atque pius.
Indolis ipse pia de Burdigala regione
Editus enituit, jura docensque fuit.
Sede decanatus Engolismense locatus
Ad Tarbam trahitur præsul & efficitur;
Hic sublimatur, & in Auxi sede locatur
Supra pontifices patris agendo vices.
Cum cleror eisquo captus fuit a Friderico,*
Tractatusque male cum patre Burdigala*
Octabis Agatha sub carceris asperitate
Traditur, innocue captus obit Capua.
Burdigalaque pater Geraldus hic . . . . ;
. . . . . corpus & hic . . . . .

ANNI CHRISTI.

* Ænobarbo. *Contin. Spondan. ad an. 1241. n. 2.*
* Geraldo de Malmort.

Post Amanevi mortem diu sedes vacavit; videlicet anno 1242. uti jam diximus, & anno 1242.
sequenti, nimirum VI. cal. Februarii. Oihenartus & Sammarthani fratres docent Hugonem 1243.
de Pardaillan Bigorrensem seu Tarbiensem episcopum, Amanevo mortuo, a collegio canonicorum, primo in vicarium sui collegii, deinde in archiepiscopum electum esse, anno
1244. Addunt prætermissum fuisse Hugonem 1244.
in veteri archiepiscoporum indice, quod constat; & dubitant utrum fuerit consecratus necne. Certe non indigebat consecratione, cum jam esset Bigoritanus episcopus. Hugo hic est ille H. Tarbeiensis episcopus, quem diximus vicarium fuisse Amanevi in Auscienſis ecclesiæ gubernatione; qui forte auctoritate pontificia aliquandiu rexit post mortem archiepiscopi, canonicis consentientibus, eumque pro capitulo vicarium generalem forsan eligentibus.

LXIX. HISPANUS.

Hispanus, quem Masslacum cognominat Oihenartus, Sammarthani vero dicunt in chartulario Auxitano cognominarum esse de Massanis, huic præfuit ecclesiæ ab an. 1245. ad 1245
annum 1261. Fuit is acerrimus defensor jurium 1261.
cathedræ pontificiæ, qui Armaniaci comitem ecclesiæ Auscienſis feudatarium ad clientelæ hominium adegit. Memoratur etiam in veteri placito parlamenti Parisiensis, in festivitate omnium Sanctorum an. 1292. de regalia Auxitani pontificatus, quod profert Renatus Chopinus libro 2. Monasticon, hoc verborum tenore: *Visa informatione facta super homagio, pro temporali ecclesia Auxitana faciendo, repertum est per testes, dictum homagium a quondam archiepiscopo Auxitano, regibus Francis factum esse, & dominum Hispanum quondam archiep. Ludovicum regem Francia requisivisse, tanquam dominum temporalem, quod ecclesiam Auxitanam, fundatam & dotatam a Cledoveo rege Francorum, juvaret & defenderet sicut tenebatur. Item quod Arnaldus de Armaniaco fecit homagium Hispano archiepiscopo pro comitatibus Armaniaci & Fesensiaci, & de iis loquendum est domino regi.*

Habemus ejus litteras quibus fideles hortatur ad eleemosynas faciendas, pro restauratione Pessani monasterii, quod cum toto castro conflagrarat; remittitque erogantibus pecuniam dies 50. *de injunctis sibi pœnis.* Datæ sunt

litteræ 2. idus Februarii anni 1251.

ANNI CHRISTI. D'ARMAGNAC.

LXX. AMANEVUS. II.

Amanevus de Armaniaco filius Rogerii, & frater Geraldi Armaniacenſis & Fidentiacenſis comitis, ex canonico Toloſano creatus eſt Auſciorum archiepiſcopus poſt Hiſpanum anno 1262. ſed nihil de illo nobis occurrit in inſtrumentis publicis ante annum 1264. quo quædam ab eo geſta legimus tanquam tutore Rogerii comitis Fuxenſis, & vice-comitis * Caſtelli-boni. Etenim hic princeps Rogerio Iſarni, & aliis oppidanis Saverduni, juravit ſervare eorum conſuetudines intactas, octavo idus Martii anno 1264. *de conſenſu Amanevi de Armagnac Auſcienſis archiepiſcopi & Arnaldi Garſiæ abbatis Manſi-Azili tutorum ſuorum.* Eodem anno Amanevus adſtitit Rogerio Bernardi comiti Fuxenſi, caſtrum Appamiarum S. Antonini canonicis reddenti. Anno 1268. apud Montem-martianum præſens fuit cum aliis Vaſconiæ epiſcopis ſolemni emancipationi Conſtantiæ primogenitæ Gaſtonis vicecomitis Bearnenſis, pro matrimonio contrahendo inter ipſam & Emmanuelem, quod tamen effectu caruit. Eodem anno ordo pacis & fidei, alias ordo militaris S. Jacobi de Spatha, de quo locuti ſumus in Amanevo I. cum jam collapſus eſſet, procurante noſtro archiepiſcopo reſtituitur, & a Clemente IV. confirmatur, qui bullam ad eum ea de re direxit, anno 3. ſui pontificatus datam. An. 1274. VIII. idus Martii ſcripſit Eduardo Angliæ regi de ſeneſcallo Vaſconiæ bona eccleſiaſtica occupante. Item anno 1279. pridie non. Februarii, ex tom. II. collect. Rimerii p. 22. & p. 119.

* Caſtelbon.

1262. 1264. 1268.

Gregorius X. Clementis ſucceſſor, Amanevo conceſſit, ut providere poſſet per ſe, vel per alium, tribus clericis ſcientia, ætate, moribus idoneis, in eccleſiis cathedralibus Baionenſi, Aquenſi, & Vaſatenſi. Anno 1279. habuit ſynodum in urbe Auſcenſi, ex qua, una cum ſuis ſuffraganeis, ſcripſit ad Eduardum regem Angliæ ducemque Aquitaniæ, pro tuendis Vaſatenſis eccleſiæ juribus.

1279. *Annal. ad tom. XI. concil. col. 1371.*

Anno 1284. adfuit Tarbæ, quando ſeneſcallus Vaſconiæ comitatum Bigoritanum e manibus Eduardi regis Angliæ accepit, in diſſidio inter Conſtantiam & Loram Turenæ comitiſſam.

1284.

Ad eum tanquam ſuum metropolitanum, Laſcarienſis epiſcopus querelam detulit, adverſus Rogerium Bernardum Fuxenſem comitem bona eccleſiæ ſuæ invadentem; qua in cauſa concilium provinciale coëgit Amanevus, a quo lata eſt excommunicationis ſententia in comitem & comitiſſam, niſi reſipiſcerent, quam ipſis notam fecerunt epiſcopi Oloronenſis, & Tarbenſis. Synodus hæc apud Nogarolium habita ſabbato proximo poſt feſtum Aſſumtionis B. Virginis anno 1290. nunc ex archivo eccleſiæ Auſcienſis edita eſt tomo XI. conciliorum. Ibidem leguntur conſtitutiones Auſcitanæ provinciæ promulgatæ in alia ſynodo, anno 1300. Anno 1294. die 10. Julii rex Angliæ ſcripſit de Vaſconia recuperanda noſtro Amanevo, & aliis præſulibus; ſcilicet Hugoni Vaſatenſi, Bertrando Aginnenſi, Arnaldo Aquenſi, Dominico Baionenſi, Galhardo Olorenſi, Petro Adurenſi, Raimundo Laſcurrenſi, Geraldo Lactorenſi. Quam ſollicitus fuerit hic metropolitanus, de celebrandis conciliis, liquet ex multis aliis quæ habuit annis 1303. 1308. 1315. Ipſum ſediſſe in concilio Viennenſi ſub Clemente V. an. 1311. probant epiſtolæ ejuſdem Clementis relatæ tomo XI. concil. Ad extremum ob decrepitam ætatem adjutorem & ſocium in munere archiepiſcopali ſibi allegit Cunabienſem epiſcopum, & cum rexiſſet eccleſiam annis 57. fato ſuo functus eſt anno 1318. De eo in necrologio Caſæ-Dei ord. Præmonſtratenſis, III. *idus Septembris Amanevi de Armaniac, qui rexit Eccleſiam Auxitanam poſt mortem domini Hiſpani per* LVII. *annos. Qui deceſſit anno* MCCCXVIII. In necrologio S. Severi ejus obitus notatur octavo cal. Maii. Sed fortaſſe per obitum, preces anniverſariæ pro ipſo fundendæ ſignificantur. Ibidem appellatur monachus S. Severi; vel quia ante epiſcopatum vitam monaſticam amplexus fuerat in eo monaſterio, vel quia factus archiepiſcopus referri in album fratrum ambierat.

ANNI CHRISTI.

1303. 1308. 1315. 1311. *Cal. 1564.* 1318.

Amanevus impigre defendit jura cleri adverſus ſeculares judices; unde Guillelmus Burdini in hiſtoria Parlamentorum linguæ Occitanæ, loquens de comitiis anno 1313. habitis, ipſum recenſet primum inter prælatos qui erant regi ſuſpecti (vel potius miniſtris regis) & habebantur ut rebellionis auctores.

Hoc antiſtite, *anno* 1297. *rex Francorum cum exercitu ſuo obſedit civitatem Auſciorum.* Ex fragm. chron. & mſ. Toloſani.

LXXI. GUILLELMUS IV.

DE FLAVACURT.

Guillelmus de Flavacuria Rotomagenſis diœceſis in pago Velocaſſino patre cognomine genitus ex nobili genere, primum Vivarienſis epiſcopus fuit, tum Carcaſſonenſis; a qua ſede aſſumtus eſt canonicorum ſuffragiis, ad cathedram Auxitanam, ſed elapſis aliquot annis poſt Amanevi mortem. Quid vero cauſæ fuerit ut tandiu ſedes vacaret, nondum nobis compertum eſt. Certe in chartis Gimundi anno 1323. adhuc eccleſia illa ſine paſtore erat. Anno autem ſequenti die Dominica poſt feſtum apoſtolorum Philippi & Jacobi ſolemni pompa ingreſſus eſt urbem, & in ſuo novo adventu juravit ſervare intactas eccleſiæ libertates. Hoc ipſo anno memoratur in tabula Caſæ-Dei ord. Præmonſtratenſis, die Jovis proxima ante feſtum S. Quiteriæ. Celebravit concilium *generale* Auxitanæ provinciæ, ſub annum Domini 1326. die lunæ octavo Decembris, in quo factæ ſunt 60. conſtitutiones. Ita lego in mſ. codice; in editis tamen ſunt tantummodo 56. tituli. Eodem anno interfuit pactis matrimonii inter potentem dominum Arnaldum Guillelmi de Barbazano, & dominam Mabilam filiam Arnaldi Guillelmi de Montelugduno comitis Pardiaci, apud villam comitalem 18. Julii 1326. Carolo Franciæ & Navarræ rege. Anno proxime elapſo ipſius mentio

1323. 1324. 1326.

col. 1513. 1300. *Rimer. collect. t. II. p. 647.*

d by Google

facta fuerat in teſtamento reginæ de Goto Armaniacenſis comitiſſæ. Anno 1330. præfuit concilio provinciali apud Marciacum. Anno 1336. condidit quædam decreta, pro reformatione eccleſiæ collegiatæ S. Candidæ de Jugano. Anno 1337. cœpit vices regis agere in Occitania. Inſpeximus vetera inſtrumenta plurima annorum 1340. 1347. 1349. 1351. in quibus ſe locum tenentem regis appellat. Hac poteſtate fultus anno 1340. paciſcitur cum Johanne comite Armaniaci pro homagio incolarum urbis de Vic, quod ut condominus exigebat. Anno 1347. mandat ſeneſcallo Carcaſſonenſi, judici & vicario Biterrenſi (Viguerium vocant) ut cogant conſules urbis Biterrenſis, ad reſtaurandas ædes Fratrum Prædicatorum, quas injuſte deſtruxerant. Eodem anno quædam privilegia conceſſit incolis Villæ-longæ, quod 87. milites ſuis alerent ſumtibus. Die 11. Julii 1351. præcepit Narbonæ conſulibus, ut milites armis inſtructos mitterent Condomium.

ANNI CHRISTI. 1330. 1336. 1337. 1340. 1347. 1349. 1351.

Tab. Fr. Præd. Biterr.

Tab. Vaurens.

Jam vero quid in regimine ſuæ diœceſis geſſerit breviter abſolvendum. Capellanorum ſuæ eccleſiæ numerum octo aliis adauxit; quibus ſingulis ad victum & cultum ſuppeditavit ſtipendia. Graves habuit controverſias cum comite Armaniacenſi; ad quas componendas elegerunt judices arbitroſque, ut patet ex comitis litteris datis 4. Aprilis anni 1338. quibus pro ſua parte elegit Raimundum de Monthils judicem comitatus Armaniaci, & P. de Allodio clericum, ex archivo regio Ruthenenſi. Adhuc diſſidebant & litigabant anno 1342. ut probant litteræ Johannis comitis datæ die 10. Martii, & archiepiſcopi datæ 14. ejuſdem menſis anni præfati, quæ aſſervantur in archivo regio Palenſi. In cura hujus metropolis perſeveravit uſque ad annum 1356. quo, videlicet menſe Decembri ad Rotomagenſem pontificatum traducitur. De eo agemus adhuc ſæpius.

1356.

LXXII. ARNALDUS.

Auscr.

Arnaldus Alberti Lemovicenſis natus in vico Montium juxta Pompadorium diœceſis Lemovicinæ caſtrum, fuit Innocentii papæ VI. nepos ex fratre; de qua gente multa habemus apud Baluzium in notis ad vitas paparum Aven.

Vit. pap. Aven.

Arnaldus poſt adminiſtratos epiſcopatus Agathenſem & Carcaſſonenſem, Auſcienſem demum cathedram adeptus eſt XVII. cal. Februarii anni 1356. ſimulque fuit S. Romanæ eccleſiæ camerarius. Anno 1361. præfectus erat colligendis pecuniis, quæ variis in locis cardinalium collegio erant debitæ, ut intelligimus, ex epiſtola Innocentii papæ VI. ad Bertrandum Convenarum epiſcopum data 10. Julii anno 9. ejus pontificatus, & ex tabulario S. Tiberii, in Pontio abbate.

1356. 1361.

Quod ſpectat ad res ab eo geſtas in adminiſtratione Auxitanæ eccleſiæ, præbendariorum majoris templi numero ſtato decem adjunxit. Concilium provinciale celebravit & ſtatuta condidit, quæ approbavit Urbanus papa V. ſui pontificatus anno 2. ſeu anno Chriſti 1364. Ejus opera an. 1367. Urbanus papa V. fœdus ad ſeptennium cum Carolo imperatore, Ludovico rege Ungariæ &c. percuſſit. Anno 1366. idem pontifex eum inſtituit vicarium ſuum, in eccleſia Avenionenſi. Anno 1368. menſe Maio, miſit ad concilium Vaurenſe Philippum abbatem Soricinii, quem ſuum vicarium generalem conſtituerat. Caſtrum de Baſtoa, in eccleſiæ ſuæ fundo condidit & cum templi primarii B. Mariæ inſtaurationem aggreſſus eſſet, in Borbonio vico diœceſis Avenionenſis obiit tertio idus Junii anni 1371. exactis in pontificatu annis 15. & 5. circiter menſibus.

1364. ANNI CHRISTI. 1366. 1368. 1371.

Exſtat in bibliotheca Colbertina hujus archiepiſcopi S. Rom. eccleſiæ camerarii tractatus manu exaratus, de privilegiis, juribus ac cenſibus Romanæ eccleſiæ. Leguntur quoque in codice 1898. ejuſdem bibliothecæ conſtitutiones ſynodales ab ipſo editæ anno 1366. pro diœceſi Avenionenſi.

Porro a nonnullis, puta Ciaconio in hiſtoria cardinalium, perperam hic inſeritur *Arnaldus Bernardi de Monte-majori*, quem ex archiepiſcopo Auxitano & patriarcha Alexandrino, cardinalem creatum refert ab Urbano V. 1368. ac obiiſſe Viterbii 1369. ſepultumque apud Minores, ex Regeſto ejuſdem pontificis; at ipſi omnino refragantur Auſcienſes tabulæ, quæ de illo ſilent, tum etiam acta conſiſtorialia Vaticani.

LXXIII. JOHANNES II.

Roger.

Johannes Rogerii Lemovix, Guillelmi primi Rogerii domini de Roſariis, ex Maria de Chambon filius, nepos Clementis VI. papæ, & Hugonis cardinalis epiſcopi Tutelenſis, frater vero Gregorii papæ XI. & Guillelmi comitis Belliforti, ex quo vicecomites Turenæ, archiepiſcopus renuntiatur anno 1371. Quatuor autem annis & aliquot menſibus pontificium munus hac in eccleſia geſſit; ac ſubinde a Gregorio XI. anno 1374. Narbonam transfertur. Bulla pontificia, qua facta eſt tranſlatio hæc, data eſt apud Villam-novam diœceſis Avenionenſis, VI. cal. Septembris, pontificatus Gregorii XI. anno 5.

1371. 1374.

Baluz. ad vit. pap. Aven. col. 778.

Johannes Chenutius Johannem hunc inſcribit cardinalium catalogo, ſed perperam, cum id nullibi legatur in ſcriniis Romanis.

LXXIV. PHILIPPUS I.

D'ALENÇON.

Philippus Alençonius regio Francorum ſanguine genitus, parentibus Carolo Alençonii & Carnutum comite, & Maria Hiſpaniæ de la Cerda, patruum habuit Philippum VI. Francorum regem dictum Valeſium, qui ipſi nomen ſuum in baptiſmo dedit. Juvenis hic princeps clericali militiæ adſcriptus, primum fuit epiſcopus Belvacenſis anno 1356. poſſeſſionem aſſecutus die 24. Martii, anno ſequenti, pro hodierno more inchoandi annum a Januario, nondum tamen conſecratus. Mox archiepiſcopus Rotomagenſis, anno ſcilicet 1359. poſtea Jeroſolymitanus patriarcha, denique adſcitus eſt in cardinalium collegium ab Urbano VI. papa, cujus decanus evaſit; ſubinde epiſcopus Sabinus, Oſtienſis, ac Velitrenſis, vi-

ANNI CHRISTI.

carius quoque generalis Romanæ ſedis in Patrimonio, Tuſcia, Umbria, & Peruſia, ſumma cum auctoritate conſtitutus; variis denique legationibus in Italia functus eſt. Hic tranſlato Narbonam Johanne archiepiſcopo Auſcienſi, hujus eccleſiæ adminiſtrationem a Gregorio papa XI. accepit anno 1374. die 27. Septembris. Sed mortuo Gregorio Clemens VII. pro papa agnitus in Gallia, quod electus fuiſſet a pleriſque cardinalium, paulo poſt Philippum ut pote Urbano VI. vero pontifici, cujus æmulus erat, addictum ab illa removit adminiſtratione litteris datis XIII. cal. Julii an. 1. ſui pontificatus, poſtquam rexiſſet annos 4. & fere ſex menſes. Sed ab Urbano VI. creatus eſt cardinalis anno 1378. die 18. Septembris. Demum ad Oſtienſem epiſcopatum evectus anno 1391. Romæ moritur anno 1397. ſepeliturque in ecclesia S. Mariæ trans-Tiberim; in marmoreo tumulo conditus, cum epitaphio quod referemus agendo de Rotomagenſibus archiepiſcopis.

1374.

1378.

LXXV. JOHANNES III.

FLANDRINI.

Johannes Flandrini diœceſis Vivarienſis clericus, frater Petri Flandrini decani Bajocenſis, & cardinalis tituli S. Euſtachii, decanus Laudunenſis, & epiſcopus Carpentoratenſis, archiepiſcopi dignitatem (ad quam jam anno 1371. canonicorum ſuffragiis accerſitus fuerat) conſequitur Clemente VII. concedente, bulla data XIII. cal. Junii anno 1. ſui pontificatus, ſeu anno 1378. *apud Spelongum Gaietanenſis diœceſis*, ad quod caſtrum confugerat: etſi comes Armaniaci archiepiſcopatum hunc, pro epiſcopo Lactorenſi poſtulaſſet.

1378.

Anno 1380. poſſeſſionem adipiſcitur, per Bertrandum abbatem Simorræ procuratorem ſuum. An. 1381. præſens fuit cum Petrus Flandrini ejus frater cardinalis in extremis poſitus, ante ſumtionem viatici, profeſſus eſt publice Clementis VII. electionem eſſe legitimam; eumque verum eſſe papam.

1381.

Baluz. not. ad vit. pap. Aven. col. 931.

Eodem anno habita ſynodo in fano S. Severi in cap. Waſconiæ præſules provinciæ Auſcienſis rejecerunt communionem Joh. Flandrini ſui metropolitani, quod Clementi VII. adhæreret; ex hiſt. domeſtica ſancti Severi.

Anno 1383. novas conſtitutiones promulgavit rei eccleſiaſticæ promovendæ opportunas.

1383.

Anno 1390. creatur cardinalis ab eodem Clemente apud * Bellicadrum, ſub titulo ſanctorum Johannis & Pauli de Pammachio, menſe Octobri. Poſteá Benedicto XII. alias XIII. adhæſit, cujus electioni adfuerat anno 1394. ab eoque etiam rejecto a ſuis cardinalibus, nunquam divelli potuit. Itaque in ipſius obedientia vitam abſolvit, ſed antequam concilium Conſtantienſe in ipſum ſententiam tuliſſet.

1390.

* Beaucaire.

Porro graviter labuntur, qui mortem ipſius ad annum 1391. referunt. Plurima enim de ipſo legimus facta uſque ad annum 1396. duo tantum notabimus.

Anno 1395. interrogatus a ducibus Biturigum & Burgundiæ, regis Franciæ patruis, de via ceſſionis pontificatus, ad tollendum ſchiſma, eam quidem approbavit, ea conditione ut prior cederet Benedicti æmulus, uti legitur tomo VI. Spicilegii. Nam pro *de Aſtenſi* legi debet *cardinalis de Auxio*, uti habet codex 606. bibliothecæ Colbertinæ, ex quo deſumtum quod edidit noſter Lucas Dacherius in Spicilegio.

1395.

ANNI CHRISTI. *p. 141.*

Anno 1396. cum hunc Johannem archiepiſcopum Auſcienſem Bernardus Armaniacenſis comes in carcerem miſiſſet, eam ob rem fuit excommunicatione multatus, diriſque devotus. Sed Benedictus papa ſeu Petrus de Luna dedit facultatem comitem abſolvendi, ut nos docent ejuſdem litteræ pontificiæ datæ XV. cal. Junii anni ſuperius notati, ex tabulario Ruthenenſi. Porro non poteſt intelligi de Johanne Armaniacenſi Johannis Flandrini ſucceſſore quod diximus de archiepiſcopo Auſcienſi, quem in vincula conjecit Bernardus comes Armaniaci. Itaque diu poſt annum 1391. vixit Johannes Flandrini, ſed quando diem ſuum obierit, nos latet.

in Biblioth. Colbert.

LXXVI. JOHANNES IV.

D'ARMAGNAC.

Johannes de Armaniaco Johannis II. comitis Armaniacenſis filius ex illicita copula, Johannis III. & Bernardi comitis regii ſtabuli frater, a Clemente VII. *procurationem* Auſcienſis eccleſiæ accepit anno 1391. juxta Oihenartum & Fratres Sammarthanos, qui Johannem Flandrini hoc anno vivere deſiiſſe conſentiunt, ſed perperam. At forte quando factus eſt cardinalis, anno 1390. ceſſit archiepiſcopatum. Jam enim ſæpius obſervavimus, epiſcopos cardinales factos a ſuis eccleſiis amotos eſſe.

In charta quadam Menaldi de Barbaſano militis data 6. Februarii, Carolo Francorum rege, Bernardo Armaniaci comite, memoratur Johannes archiepiſcopus Auxitanus. Porro hic antiſtes inter Caroli VI. regis in ſanctioris conſiſtorii conſiliarios nominatur anno 1401. Fuit vero fautor Benedicti papæ, ſeu Petri de Luna: quocirca Innocentius VII. in mandatis dedit Burdegalenſi archiepiſcopo, Agennenſi epiſcopo, & abbati Clairacenſi, ut Johannem archiepiſcopatu dejicerent; ſed irrito conatu, ob magnam comitis Armaniaci potentiam, qui Petrum de Luna ſæpius inviſere conſueverat, apud Perpinianum, in Ruſcinonenſi comitatu. Johannem archiepiſcopum ibidem e vita migraſſe quidam docent, an. 1408. at alii qui cenſent cum Ciaconio, eum anno 1409. creatum fuiſſe cardinalem a Petro de Luna, recedere coguntur ab hac ſententia. Friſonus cardinalis purpura veſtitum docet alium Johannem de Armaniaco filium Bernardi comitis de Pardiaco. Utrum vero Johannes Auſcenſis archipræſul, fuerit archiepiſcopus Rotomagenſis, expendemus ſuo loco. Cum aſſidue eſſet in comitatu Petri de Luna, vixque ab ejus latere diſcederet, uſus eſt ad regendam eccleſiam ſuam, Berengario Guilhoti, qui ſequitur in antiſtitum catalogo.

1401.

LXXVII. BERENGARIUS.

GUILHOTI.

Berengarius Guilhoti, quem alii ex diœceſi

Caſtrenſi, alii ex Albigenſi ortum docent, in A
ANNI CHRISTI. adminiſtranda illa eccleſia, vicaria ſolum poteſtate, tantam ſibi famam comparavit, ut mortuo Johanne, electus fuerit archiepiſcopus a canonicis die 3. Novembris anno 1408.
1409. vel potius 1409. jam ſeptuagenarius, confirmatuſque eſt die 10. Decembris ſequentis a Benedicto XIII. cui ſeſe addixit. Die vero 20. Januarii conſecratus eſt in archiepiſcopum. At neque liberam ſtatim neque integram poſſeſſionem obtinuit; etenim quidam Petrus Gregorii papæ XII. bulla munitus, eandem cathedram ſibi vindicabat; occupavitque ex hujus eccleſiæ bonis, quidquid in ditione regis Galliæ, & Fuxi comitis continebatur. B

Berengarius archiepiſcopus memoratur in inſtrumento matrimonii contracti inter nobilem Beraudum de Faudoanis, & Jacobum de Par-
1413. dalhano, dato die 22. Januarii anno 1413. Carolo Francorum rege, Bernardoque Armaniaci comite.

Tempore ſchiſmatis concilium Conſtantienſe apud Mirandam comitatus Aſtaracenſis urbem, in diœceſi Auxitana, ſedem epiſcopalem erexit, & pro capitulo abbatiam de Berdoa deſignaverat. Primus novæ cathedræ epiſcopus delectus fuerat Bermundus comitis Aſtaraci filius, ſed nothus. At vero Johannes papa C
XXIII. bulla data Mantuæ v. idus Februarii anno 4. ſui pontificatus, quidquid actum erat reſcidit. Berengarius autem, poſt annos circiter 7. regiminis, archiepiſcopatum tranſcripſit ſequenti.

De Levis. LXXVIII. PHILIPPUS II.

Philippus de Levis, de quo jam egimus in epiſcopis Arelatenſibus, ex ſede Agathenſi, ad metropolim Auſcienſem traductus eſt a Martino V. pontifice maximo, qui creatus eſt papa
1417. anno 1417. quo anno circiter Philippus pontificatum Auſcienſem auſpicatus eſt. An. 1429.
1429. ſynodalia ſtatuta promulgavit. Eodem fere D
tempore, tanquam orator Johannis comitis Armaniaci, adiit Martinum papam, ut ei principis nomine promitteret, juraretque obedientiam veluti vero indubitatoque Romanorum pontifici, ut liquet ex diplomate ipſius pontificis, dato IV. nonas Martii, anno XII. ejus pontificatus.

Adfuit concilio Baſileenſi, quod inœpit
1431. anno 1431. Eum aiunt tranſlatum ad ſedem titularem Tyrenſem, poſt ceſſionem factam archiepiſcopatus Auſcienſis, in gratiam Philippi, qui erat fratris ſui filius. E

De Levis. LXXIX. PHILIPPUS III.

De Philippi Levii genere jam diximus in Arelatenſibus archiepiſcopis. Nunc igitur pauca delibanda ſunt de ejus pontificatu, & cathedra Auſcienſi; quam etſi obtinuerit per ceſſionem patrui ſui, quam Nicolaus papa V. ratam habuit, attamen capitulum ſeu collegium canonicorum, novo archiepiſcopo interceſſit, & in alterum, de quo infra, ſuffragia contulit.
1454. Ab anno nihilominus 1454. calendis Aprilis,
1462. uſque ad annum 1462. pro archiepiſcopo eſt habitus, & in bulla Pii papæ II. quâ tranſlatus eſt ad eccleſiam Arelatenſem hoc ipſo anno, legitur abſolutus a vinculis, quibus alligabatur eccleſiæ Auſcienſi, ut poſſet liber ad aliam accedere. Cetera quæ ad eum ſpectant, referuntur in Arelatenſibus archiepiſcopis. ANNI CHRISTI.

LXXX. JOHANNES V. D'Armagnac.

Johannes de Armaniaco nothus erat Arnaldi Guilhem de Leſcun, uti & Johannes ejus frater qui vulgari nomine appellabatur, *Nothus Armaniacenſis*. Hic jam pridem a canonicis electus, tranſlato ejus æmulo ad ſedem Arelatenſem, ſubrogatur, & in poſſeſſionem inducitur, confirmaturque anno 1462. menſe Martio. An. 1473. fit abbas Caſæ-Dei ordinis Præmonſtratenſis, bulla Sixti papæ IV. conceſſa ad preces Ludovici regis XI. XI. cal. Aprilis, ſede tunc vacante per Petri abbatis obitum. Obiit V. cal. Septemb. an. 1483. Habuit, ut diximus, fratrem Johannem Armaniaci nothum comitem Convenarum, *Leſcuni* Dynaſtam, Aquitaniæ & Delphinatus proregem, Franciæque mareſcallum Ludovico XI. rege; amboque propatrui fuere Georgii cardinalis Armaniaci, nominis celebritate ubique conſpicui.

Hiſt. genea. a domino du Fourny recognita c. 37. p. 194.

Ex tab. hujus mon.

LXXXI. FRANCISCUS I. De Sabaudia.

Franciſcus a Sabaudia Ludovici ducis Sabaudiæ & Annæ Cypriæ filius, epiſcopus Genevenſis, abbas Alpium, ſancti Andreæ de Vercellis &c. ac præpoſitus ſancti Bernardi Montisjovis, Johanni Armaniaco ſucceſſit 1483. 10. 1483.
Octob. ut habet codex actorum Vaticani. Præſul fuit doctrina excultus & doctorum aman-
tiſſimus, qui a Blanca Monferratenſi Caroli ducis vidua, & filii Caroli Johan. Amedei tutrice vocatus eſt, ut ducis proximas vices, Philippo fratre Brixiæ principe reclamante, cum ea gereret. Deceſſit 1490. V. non. Octob. aliis menſe Sept. non ſequenti anno menſe Maio, ut habet Philibertus Pingonius in arbore gentilitia ducum Sabaudiæ, nam ſedes Auſcienſis vacabat die 14. Octobris anni 1490. ex charta 1490.
quadam Simorræ. Jacet Franciſcus Auguſtæ-Taurinorum in ſancti Johannis eccleſia.

LXXXII. JOHANNES VI. De la Tremouille.

Johannes Tremollius, ex nobiliſſima & antiquiſſima gente ortus, parentes habuit Ludovicum Tremollium hujus nominis primum Thoarcii vicecomitem, Talmundi principem, in bellis a Carolo VIII. & Ludovico XII. regibus per Italiam geſtis egregium ducem; & Margaritam de Ambaſia Franciſcæ duciſſæ Britanniæ ſororem. Hic Johannes cum eſſet natu minor, & hereditas paterna ad Ludovicum primogenitum potiſſimum ſpectaret, ampliſſimis a Ludovico rege XII. donatus eſt ſacerdotiis, imprimis Auſcienſi archiepiſcopatu, an. 1490. cui ſucceſſit anno 1505. epiſcopatus Pictavienſis 1505.
adminiſtratio, mortuo Petro de Ambaſia epiſc. Tum anno ſequenti, die XI. Januarii, Bononiæ presbyter cardinalis creatur a Julio II. pontifice maximo; ſed Romæ promulgatur ejus electio tantum anno 1507. die 17. Maii.

ANNI CHRISTI.

Ludovicum regem in expeditione Inſubrica A ſecutus, cum cardinalibus de Ambaſia ſuo avunculo, Ferrarienſi, Sanſeverino, aliiſque, interfuit pompæ feſtivi ingreſſus regis victoris in urbem Mediolanum. Sed paulopoſt, cum ad Romanum iter ſeſe accingeret, gratias acturus papæ, menſe Julio in eadem urbe animam
1507. exhalavit an. 1507. non ſine veneni ſuſpicione. Cor ipſius in eccleſiam Franciſcanorum Mediolani delatum, corpus vero in æde collegiata S. Mariæ caſtri Thoarcenſis in Pictonibus, ſepulcro gentilitio dominorum de Tremolia conditum eſt, ſub marmoreo ſepulcro, ubi legitur:

B

HIC JACET

Corpus illuſtr. Pr. Johannis de Tremolia cardinalis S. ſedis apoſtolicæ, archiepiſcopi Auſcenſis, qui obiit Mediolani anno 1507. *Orate Deum pro eo.*

Auſcorum præſul, ſacro qui cardine fulget,
Pictavûm antiſtes hac requieſcit humo.
Ipſe pedo dignus, quo nuſquam ſanctior alter,
Nec fuit ille tamen nobilitate minor.
Mendicos aluit dives, caſtuſque ſacerdos,
Juſtitiæ cultor, conſcia culpa procul.
Italiam fato quærens, ſanctumque Parentem,
Ætatis florem mors inopina rapit.
Johannes Trimolius ſuperas conceſſit ad auras,
Illæ quò nomen luna dedit media.
Quingentos ſeptem ſol tunc compleverat annos
Milleque, quo Chriſtus natus in orbe fuit.

C

Hoc Johannis cardinalis epitaphium, latinis verſibus conſcriptum, Gallice primus compoſuit Johannes Bouchetus in panegyrico ipſius fratris Ludovici Tremolii vicecomitis Thoarcii Burgundiæ proregis, qui teſtibus Paulo Jovio Novocomenſi epiſcopo Nucerino, Franciſco Guichardino, Arnoldo Ferrono, D aliiſque melioris notæ hiſtoricis, rebus præclare geſtis maxime conſpicuus fuit. Ex eadem
a gente a quæ omnes in Europa ſuprema poteſtate inſignes, ſive regiæ ſint, ſive etiam imperatoriæ, aut conſanguinitate aut affinitate attingit, prodierunt multi præſtantiſſimi viri ob partam in pace & bello, terra marique gloriam merito ſuſpiciendi. Stirps illuſtriſſima ducum
* Neirmonſter. Nerienſium *, ex hac gente propagata, protulit cardinalem Tremolium nunc Chriſtianiſſimi regis apud papam oratorem & legatum.

De Clermont. **LXXXIII. Franciscus-Guillelmus.**

Franciſcus-Guillelmus de Clermont, filius E Triſtani baronis de Clermont de Lodeve, equitis S. Michaëlis, ex Catharina de Ambaſia ſorore Georgii cardinalis, & Rotomagenſis archiepiſcopi, cum eſſet archiepiſcopus Narbonenſis, ad Auxitanam tranſlatus eſt metropolim, jam factus cardinalis cum titulo ſancti Stephani in Monte-Cælio, an. 1503. III. cal. januarii.

Erat autem archiepiſcopus Auxitanus anno 1507. & regis Ludovici XII. fuit orator ad Julium papam hoc etiam anno, pro deditione
1511. Bononiæ in manus pontificis. Anno 1511. ſubſcribit diplomati indictionis concilii Lateranenſis contra Piſanam ſynodum congregandi.

ANNI CHRISTI.

Mox creatur legatus Avenionenſis. Anno 1514. qui erat ſecundus Leonis papæ X. die 1514.
14. Martii, conceſſit 100. annos indulgentiarum, viſitantibus eccleſiam fratrum Prædicatorum Claromontenſium apud Arvernos, in feſtis S. Mauri abbatis, SS. Fabiani & Sebaſtiani, S. Agnetis virg. & mart. S. Thomæ de Aquino, &c. His vero in litteris Franciſcus ſeſe appellat cardinalem, legatum pontificium apud Avenionem, & Auſciorum archiepiſcopum. *Arch. Fr. Prædic. Clarom.*
Anno 1515. poſtulatur in epiſcopum Albienſem B a capitulo: ſed Jacobo Robertet ceſſit poſt aliquot altercationes. Porro habuit graviſſimas lites adverſus Alanum dominum d'Albret comitem Armaniaci pro juriſdictione, ſaltem ab an. 1519. ad 1523. ut liquet ex provocatione ad ſe- 1519.
natus Pariſienſem & Toloſanum a comite ſcripto denuntiata archiepiſcopo, & ex aliis inſtrumentis in tabulario Palenſi aſſervatis *. Anno 1523. * *Sub nota litteræ majuſcula S.*
1521. commendam obtinuit abbatiæ Villæ-magnæ. Æmulum tamen habuit Clementem Cherin abbatem S. Michaëlis de Galliaco a quibuſ- *Tab. B. M. Desnarets.*
dam fratrum electum; ubi obſervavimus eum appellatum Franciſcum Willelmi. Fuit etiam C abbas S. Petri Latiniacenſis; quod monaſterium in ædificiis redintegravit. Monachorum vero mores corruptiſſimos, quod præcipuum eſt, emendavit. Anno 1538. ceſſit archiepiſcopatu 1538.
Auſcienſi, mortis quæ poſt biennium contigit quaſi præſcius. Cum eſſet ſacri collegii decanus, ex hac vita migravit anno reparatæ ſalutis 1540. Avenioneque ſepultus eſt in ſacra 1540.
Cæleſtinorum æde ad pontem Sorgiæ.

LXXXIV. Franciscus III. De Tournon.

Franciſcus Jacobi Turnoni comitis Roſſilionis quintus ex Johanna de Polignac filius, cum pontificale munus jam geſſiſſet in eccleſiis Ebredunenſi & Bituricenſi, per ceſſionem cardinalis de Claro-monte, promotus eſt ad Auſcienſem cathedram, anno 1538. die 14. Junii, ut ferunt acta conſiſtorialia Vaticani, inquiunt Sammarthani fratres; attamen anno 1537. jam archiepiſcopatum Bituricenſem abdicarat. Imo patriarchii Bituricenſis auctor, qui ejus tempore vivebat, pontificatum ejus apud Biturigas non producit, niſi ad annum 1536. Attamen paulo antea videtur anno 1536. aliquot menſes addere. Anno 1542. ſtatuta pro ſua condidit eccleſia. Anno 1547. die Martii ultima interfuit exſequiis Franciſci I. in S. Dionyſii templo. Ipſo annitente, faventeque Henrico rege II. canonici Auſcienſes regularem vitæ ſtatum in ſecularem mutarunt, conceſſa ipſis facultate de bonis ſuis ad arbitrium diſponendi per teſtamenti codicillos, decreto pontificio dato XI. cal. Aprilis anni 1548.

A Clemente papa VII. creatus fuerat pres- 1548.
byter cardinalis noſter Franciſcus ſub titulo SS. Marcellini & Petri anno 1530. die 16. Martii. Julius III. eum fecit epiſcopum Sabinum, alii dicunt Portuenſem. Denum ſub Pio IV. evaſit epiſcopus Oſtienſis, & ſacri ſenatus decanus. An. * 1554. XIII. cal. Aug. acceſſit ad regi- 1554. * *al.* 1551.

a Hujus gentis ſtemma & hiſtoriam conſcripſere Sammarthani fratres, publicæque juris fecere.

men ecclesiæ Lugdunensis, permutatione cum Hippolyto Atestino cardinali facta. Itaque cetera quæ supersunt dicenda de hoc præsule, ad ipsius pontificatum Lugdunensem remittimus. ANNI CHRISTI.

Fuit in regni negotiis maxima nostri Francisci auctoritas, præsertim in rebus ad religionem spectantibus. Hinc de illo canit Michaël de l'Hospital regni postea regisque cancellarius:

Turnoni genus Heroum qui sanguine ducis,
Cujus consilio res omnis publica nostra
Dirigitur foris, atque domi quacumque geruntur.

Multas obivit legationes ad papam, ad Cæsarem, ad Angliæ regem. Viros litteratos impensius fovit; hinc non mirum, si certatim illum laudaverint viri docti. Alumnos S. Ignatii, quos *Jesuitas* vocamus, amore singulari prosecutus est, quibus primum in Galliis collegium apud Turnonum construxit; eorumque causam miro studio prosecutus est in colloquio Pissiacensi: sepeliri voluit in collegio Turnonensi societatis *Jesu*, mortuus anno 1562.

D'Est.

LXXXV. HIPPOLYTUS.

Hippolytum Atestinum Alfonsus I. Ferrariæ dux ex Lucretia Borgia genuit; nec mirum si tam illustri editum loco Galliæ rex Franciscus I. illum tot sacerdotiis oneraverit, potius quam ornaverit. Nam præter archiepiscopatum Mediolanensem tres in Gallia possedit, cum plurimis episcopatibus, sub administratoris titulo, & longe plures abbatias.

Hic princeps maximis negotiis ab adolescentia apud Gallos innutritus, propter arctam fratris sui Herculis II. ducis Ferrariæ affinitatem cum regia Franciæ domo (duxerat enim Renatam Ludovici regis XII. filiam) Franciscoque I. regi acceptissimus, etiam ad intima ejus consilia admissus, ejusdem commendatione a Paulo III. summo pontifice purpura Romana donatus est anno 1538. mense Januario, etsi nonnisi III. nonas Martii publice sit adscitus in sacrum collegium, titulum consecutus S. Mariæ in Aquiro. Fuit etiam ecclesiastici patrimonii legatus Pio V. Romæ sedente.

Titulum archiepiscopi Ausciensis consecutus est permutatione facta cum Francisco Turnonio cardinali, cui Lugdunensem cessit cathedram. Nihil vero ab eo gestum legimus in Ausciensis ecclesiæ administratione. At plurima sunt quæ pro regni Franciæ communi bono facta eum nobis commendent. Senas enim nomine Henrici II. regis, cujus ad patrocinium confugerant, summa prudentiæ & æquitatis opinione biennio moderatus defendit egregie. Deinde sub Carolo IX. in Galliis legatione functus est pro Pio papa IV. & adtuendam catholicam fidem contra hæreticorum arma, insidias, & præstigias plurimum laboravit. Hinc non immerito rerum Gallicarum ipsi patrocinium creditum est. Ad commune quoque totius reipublicæ Christianæ bonum, ad Cæsarem in Germaniam profectus est, ut inter Christianos principes pacem conciliaret, ac stabiliret. ANNI CHRISTI.

Coluit Hippolytus homines ætate sua litterarum studio & amore insignes, Paulum Manutium, M. Antonium Muretum, Cælium Calcagninum, Arnaldum Ossatum &c. aderatque principe digna liberalitas & magnificentia. Romæ spiritum reddidit, cum sexagesimum ætatis annum nondum attigisset IV. nonas Decemb. 1572. Corpus in S. Catharinæ templo depositum ad urbem Tiburim translatum, in Franciscanorum basilica sepelitur cum hoc epitaphio: 1572.

DEO OPT. MAX.
HIPPOLYTO ET ALOYSIO PRINCIPIBUS ATESTINIS S. R. E. CARDINALIBUS, CÆSAR ATESTINUS MARCHIO, PATRUO ET PATRUELI BENE DE SE MERITIS P. C. M. DC. XVIII.

Johannes Ant. Petramellarius, Andreas Victorellus, Ciaconius, Ughellus Italiæ sacræ to. 1. in episcopis Ferrariensibus, Paulus Manutius, Jac. Aug. Thuanus hist. lib. 54. ejusdem cardinalis elogium evulgarunt.

LXXXVI. ALOYSIUS.

Aloysius d'Este, patre Hercule II. duce Ferrariæ, matre Renata Ludovici XII. Franciæ regis filia natus 1538. ob egregias animi dotes a Paulo III. papa adhuc adolescens Ferrariensis ecclesiæ regimini ex cessione patrui Hippolyti præfectus fuit an. 1553. In Galliam postea profectus Henrici II. regis gratia nominatur Auxitanus antistes, ultro abdicante Hippolyto patruo. Creatur a Paulo IV. diaconus cardinalis ad titulum SS. Nerei & Achillei 1561. Februarii 26. & quadriennio post Maximiliani imp. sororem Barbaram, Alfonso fratri duci Ferrariæ nuptam Tridenti excepit. Hic cardinalis bis sub Gregorio XIII. legatus mittitur ad reges Christianissimos Carolum IX. & Henricum III. ubi comitiis cleri Blesensibus interest anno 1578. Præterea Galliæ protector electus est, quod munus per quatuordecim annos post Hippolytum patruum impigre exercuit, calamitosissimis licet temporibus, in quo fides ejus & animi magnitudo exploratæ, maxime emicuerunt. Princeps vero fuit optimæ indolis, & magnanimitate, munificentiaque nulli secundus, ut purpuratorum collegii lumen haud immerito sit appellatus, ut fusius prosequuntur Petramellarius in continuatione ad librum Onuphrii de summis pontificibus & cardinalibus, Ciaconius, Ughellus Italiæ sacræ tomo II. Paulus Manutius libro III. epist. 24. & Jac. Aug. Thuanus in carmine consolatorio ad Annam Estensem Nemorosii ducissam illustriss. principem feminam, de morte ejusdem Aloysii fratris sui. Romæ animam emisit in suis hortis Quirinalibus die Martis III. cal. Januarii 1586. Cor ejus in Augustæ-Ausciorum ecclesia sepeliendum delatum, viscera Romæ ad B. Ludovici condita sunt; corpus vero in æde S. Francisci Tibure tumulatur juxta patruum. Guillelmus Blancus episcopus Vencensis in Provincia, his eruditissimis versibus ejus obitum celebravit: D'Est.

ANNI CHRISTI.

Cur voluit Princeps Roma ſua viſcera condi?
An quia viſceribus condita Roma ſuis?
Cur voluit magnum Gallis cor ut eſſet in oris?
An quoniam cordi Gallia magna fuit?
Cur voluit pulchro ſepeliri Tibure corpus?
Anne in deliciis, quod ſibi Tibur erat?
Faller, habet magnum cor Gallia magna, quod excors
Audito patris funere facta fuit.
Viſcera Roma tenet, tam ſacro principe rapto,
Quod ſua viſa ſibi viſcera Roma rapi.
Tibur habet corpus, quoniam ſua corpora ſenſit
In partes ſeſe diſſociare ſuas.
Gallus, Romanus, Tibur, cor, viſcera, corpus,
Senſere auferri, reſtituique ſibi.

In hujus funere duo celeberrimi tota Italia viri, ingenii vim exercuerunt, Bapt. Guarinus, ac Leonardus Salviatus, unus Latina, alter Italica oratione tanti principis jacturam lugentes, quem & Thuanus hiſt. lib. 84. inquit, *ut avo cognominem, ſic magnitudine animi parem, munificentia vero in omnes quibuſvis principibus longe ſuperiorem; itant in ea urbe in qua tanquam in publico Chriſtiani orbis theatro tot annos admirationi fuit, theſaurus pauperum, ſacri collegii ſplendor, aulaque Romana ornamentum dici meruerit.*

DE TRAPES.

LXXXVII. LEONARDUS.

Leonardus de Trapes, Nivernenſis, ſacri conſiſtorii comes, ex ſenatore Pariſienſi aſſumtus poſt longam hujus metropolis vacationem, Henrico de Sabaudia Jacobi Nemoroſii ducis, & Annæ Ateſtinæ cardinalis Aloyſii ſororis filio deſignato archiepiſcopo, ſed poſſeſſionem non adepto, neque conſecrato, aliquot annos vicaria poteſtate hanc cathedram adminiſtravit. Demum nominatus fuit ab Henrico IV. rege 1597. bullaſque tandem obtinuit a Clemente VIII. Novembr. die 8. 1599. Sequenti anno fidem clientelarem præſtat 16. Januarii, & paulo poſt
1600. conſecratur anno 1600. in capella epiſcopatus Pariſienſis a Petro Gondio cardinale, aſſiſtentibus epiſcopis Arnaldo Pontaco Vaſatenſi, & Leodegario de Plats Lactorenſi. Solemniter ingreſſus eſt Auxitanam civitatem 6. Novemb. ſequentis, ubi omnium feſtivo applauſu excipitur; cum abhinc centum fere annis, nullus ex deceſſoribus archiepiſcopis urbem inviſiſſet: quod evenerat, tam injuria bellorum civilium, quam incuria præſulum qui aulæ ſive regum noſtrorum, ſive ſummorum pontificum addicti, per vicarios hanc eccleſiam rexerant: ex quo infinita mala in hac diœceſi pullularunt, depravati laïcorum mores, paſtorum & clericorum ignorantia & ſocordia, hæreſum propagatio, hæreticorum, maxime nobilium audacia in uſurpandis & diripiendis eccleſiarum bonis; quibus periculoſiſſimis eccleſiæ ſuæ morbis Leonardus cœpit mederi prudentia & fortitudine ſingulari. Tantæ autem molis opus aggreſſus eſt ab accurata eccleſiarum ac parochiarum viſitatione; inſtituitque congregationem plurimorum canonicorum ac piorum virorum, qui prædicationibus & catecheſibus ſopitam populorum religionem excitarent. Admiſit Capucinos in urbem, & pro eorum fundatione plura de ſuo impendit. Virgines quoque Urſulanas ac Carmelitas opibus ſuis juvit, plures etiam inopes puellas ære ſufficienti ut nuptui traderentur, dotavit. Præterea duodecim clericos inſtituit, aſſignatis ad victum honeſtum reditibus. Denique vetuſtate & negligentia anteceſſorum archipræſulum collapſa dominii epiſcopalis ædificia, priſtino ſplendori reſtituit. Quinetiam cum eccleſiæ primariæ fornices & tholi, miſerabili ruina jacerent, antiſtes magnificentia incredibili, viginti ſupra centum millia librarum libentiſſime inſumſit, ad ſarta tecta facienda: & cum tot & tantis largitionibus nondum eſſet factum ſatis ejus liberalitati, auxit altaria ornamentis, donariiſque variis uſque adeo prerioſis, ut jam Auxitana eccleſia, omnes Novempopulaniæ magnificentia ſuperet.

Interfuit comitiis generalibus regni Pariſienſibus 1614. & conventui delectorum virorum, 1614.
(*vulgo* les Notables) Rotomagenſi 1617. ſub Ludovico XIII. Anno vero 1614. die Auguſti 30. in honorem Annuntiationis B. Virginis 1617.
eccleſia Recollectorum divi Franciſci in ſuburbio S. Martini Lutetiæ a noſtro archiep. conſecratur, pluribus martyrum reliquiis, ut eſt in more poſitum, ſub majori altari reconditis. Ceterum paucis diebus antequam e vita decederet, teſtamentum condidit, quo præcepit ſe in habitu religioſo divi Franciſci cum imagine crucifixi & codice libri de imitatione Chriſti, tumulo mandari. Obiit die 29. Octobris anni 1629. ſummo ſui relicto deſiderio. Jacet in ſacello eccleſiæ majoris Auſcienſis, cum hoc epitaphio:

Leonardus de Trapes archiepiſcopus Auxitanus,
vermis, & non homo.
Opprobrium hominum & abjectio plebis.
Suſtine viator, & imperata
Supremis tabulis elogia
Perlegens, timorata conſcientia
Motum cogita.
Hæc te monitum voluit Claudius
Moulnoury Toloſanus ſenator,
Nepos & hæres mœſtiſſimus.
Abi.

Cor ipſius ante altare conditum eſt cum ſequenti inſcriptione:

VIATOR
Exiles in hoc cippo magni cordis exuvias vides.
Nimirum ubi theſaurus præſulis ibi & cor:
Nec uſlibi ſanctius quam ad aras jacere ſacercinis debuit.
Cordatiſſimum pulverem, niſi excors es, lacrymis dilue:
Immo procura ipſemet, ſit ut de te aliquid poſthumum
Quod imponi aris poſſit.

Piis manibus Leonardi de Trapes, Auſcorum archiepiſcopi avunculi optimi perenne hoc grati animi monumentum
poſuit
Claudius Moulnoury, abbas Galliacenſis, Conſiſtorianus comes, libellorum ſupplicum Magiſter, nepos & hæres.
Obiit 1629. 29. Octobris.

ANNI CHRISTI. Dⁱ Vic.

LXXXVIII. Dominicus.

Dominicus de Vic, Emerici Vici Ermenonvillæ domini, comitis de Fiennes, Franciæ procancellarii filius, natus est Lutetiæ 1588. Vix septimum annum agebat, cum ab Henrico Magno ad abbatiam beatæ Mariæ de Becco Helluini splendidum in Galliis cœnobium nominatus est, Dominici patrui commendatione (expugnato Sandionysiano oppido) Ambianorum præfecti regii, spectatæ fidei erga principes Henricum III. & IV. ac virtutis militaris longo armorum usu expertæ fama præstantis. Provectior ætate patrem secutus est in legatione apud Helvetios, ut inter eundem regem Henricum IV. & bellicosos populos sociale fœdus renovaret, in quo egregiam publico regni bono operam navavit. Prima autem litterarum rudimenta posuit Dominicus Ingolstadii in Germania, deinde Flexiæ in Andibus; moxque theologiæ in academiæ Parisiensis celebri schola Sorbonica nomen dedit. Ille itaque cum indole esset præclara, litteris & eruditione in tantum profecit, ut cum paucis annis trigesimum superaret, tam ecclesiastici, quam senatorii ordinis muneriſque particeps fieret, inter sanctioris consistorii consiliarios allectus a rege
1621. Ludovico XIII. anno 1621. quem secutus est in Occitaniam & apud Tolosates, dum primum hanc civitatem regni secundam, post expugnatum Angeliaci fanum in Santonibus, aliasque sectariorum urbes, solemni pompa invehitur. At cum Leonardus antecessor regem salutaturus adisset, Dominicum Vicum, enixa postulatione in coadjutorem suum deprecatus obtinuit quamvis e principibus viris ad eam dignitatem pontificiam nonnulli anhelarent. Sicque Dominicus antistes Ausciensis designatus, Ludovicum in expeditione Occitanica, & ad obsidionem Monpessulanam comitatus est, in qua Emericus præsulis pater, vitam cum morte commutavit. Romam postea se contulit, ubi benigne exceptus est a Gregorio XV. pont. a quo accepit reliquias sanctorum Juliani & Johannis presbyterorum. Cumque Gregorio successisset Urbanus VIII. bullas ab eo metropolitæ Auxensis obtinuit Romæ in consistorio 27.
1614. Januarii 1624. Tum Galliam reversus sacra-
1625. mentum fidelitatis regi præstitit, & 1625. Dominicâ sanctæ Trinitatis, die Maii 25. consecratur archiepiscopus Corinthius, & coadjutor Ausciensis in ecclesia Ermenonvillæ, a Leonardo archiepiscopo, assistentibus Salvato d'Iarse Tarbiensi, & Johanne de Salette Lascariensi episcopis, Auscitanæ provinciæ suffraganeis. Continuo suam adiit diœcesim, urbemque ingre-
1626. ditur 16. Febr. anni 1626. sequenti possessionem realem adeptus; præsente & gratulante clero, magistratu, & populis. Tum vero sefunctionibus sacris anno integro addicit, ordines confert, synodos celebrat, & in melius exemplo decessoris omnia componit, ac metropolitanæ ecclesiæ ædificia curat; inprimis castrum suburbanum nuncupatum de Maseres, quod hortis, pontibus, ædificiis instauravit.

Interim anno 1619. morte Leonardi archiepiscopatus integrum regimen sumsit; sed cum lues pestifera civitatem, populumque fœdasset, antistes noster urbe per quosdam annos abesse coactus est, usque ad diem 11. Novembr. anni 1634. quo sedem suam recuperavit. Et continuo curas ad sollicitudinem pastoralem impendit; synodos sex pro rei sacræ & prophanæ administratione congregavit: diœcesim visitavit, & in ea pontificiæ ditionis lustratione constitutiones sacras ad normam ecclesiæ promulgavit, præcipue archipresbyteris & parochiarum rectoribus, quibus certis diebus colloquia de rebus sacris facere pro institutione parochorum, ac verbi Dominici interpretatione archiepiscopus noster demandavit. Tum catechismis & prædicationibus animas imbui sollicitus fuit: ex quo factum ut plures a fide alieni, in his partibus Aquitaniarum, abjecta hæresi religionem catholicam amplexi sint, sectariis reliquus communitatem cœmeteriorum ademerit, & quamplures etiam nobiles, qui decimas tanquam ex 1635.
patrimonio sibi vindicabant, eas restituere compulerit. Cum autem duo generalia cleri Gallicani comitia celebrarentur Lutetiæ annis 1635. & 1645. iis interfuit, & egregiam operam na- 1645
vavit pro hujus sacri & inter ceteros primarii ordinis immunitatibus.

Instituit vero cœnobium Recollectorum S. Francisci, & domum Ursulanarum in toparchia de Gondrin, & duo monasteria virginum ordinis S. Claræ, Mirandæ & apud Castrum de Magnoac.

Huic antistiti Johannes Bajolus e Societate Jesu presbyter dicavit historiam sacram Aquitaniæ. Sub optimi pastoris hujus moderamine, cum diu tranquilla floruisset Auxitana ecclesia, obiit 1661.

LXXXIX. Henricus.

Dⁱ 2 k Motth.

Henricus de la Mothe-Houdancour, filius Philippi domini de la Mothe-Houdancour, in Picardia, ex militari & equestri genere, matrem habuit Ludovicam-Charles Antonii domini du Plessis-Piquet, prope Parisios natam. In academia Parisiensi litteris maxime sacris operam dedit, factusque est regiæ Navarræ doctor & provisor. Inter ejus fratres, unus fuit episcopus S. Flori Hieronymus nomine; alter, Daniel vocatus, sedem Mimatensem obtinuit. Philippus vero militiam secutus, ad summos honores pervenit, factus Franciæ polemarchus, Cataloniæ prorex & dux Cardonæ.

Quod spectat ad Henricum, præter abbatias S. Martialis Lemovicensis, Soliaci, & Frigidimontis, primum consecutus est episcopatum Redonensem, ex quo ascendit ad sedem metropolitanam Auscensem, accepta regia schedula die 1. Julii anni 1662. Anno superiori creatus fuerat regiorum ordinum præceptor seu commendator. Fuit etiam Annæ Austriacæ reginæ matris major eleemosynarius, in cujus funere mœrens celebravit sacra mysteria & solemne de more persolvit officium, in regali S. Dionysii ecclesia, die 21. Februarii anni 1666. 1662. 1666.
Quæ vero pro suæ ecclesiæ utilitate gesserit, nunc compendiose referenda.

ANNI CHRISTI.

In ecclesia sua duodecim instituit regios capellanos, ad regis ipsius nominationem recipiendos, & stipendia ex quibus commode viverent, suppeditavit. Ecclesiæ S. Jacobi, tria librarum millia, ecclesiæ S. Martialis quatuor millia donavit ad pios usus: sex millia largitus est ad sacras missiones. S. Josephi capellanum fundavit, mille & ducentas libras ad unius thuriferarii mercedem, & ad constitutos subsacristæ reditus ampliandos centum aureos concessit. Seminario clericorum, & pauperibus multa liberaliter dedit. Ad majus templum ornandum, & construenda organa pneumatica, sumtibus non pepercit. Quod vero præcipuum est, ad resarciendam ecclesiasticam disciplinam, & muniendam adversus laxioris vitæ corruptelas, utilia condidit statuta, per annos viginti. Ad regendam diœcesim, usus est Stephano d'Aignan du Soudat, quem, etsi cœcum, vicarium generalem instituerat, ob singulares animi dotes. Obiit Henricus Mazeriis 24. Februarii 1684. sepultus extra ecclesiam sub campanili cum hoc epitaphio:

Hic jacet Henricus de la Mothe-Houdencour, indignus archiepiscopus Auxitanus, expectans resurrectionem mortuorum, obiit 1684. *die* 24. *Februarii.*

1684.

Ad parietem vero hæc leguntur:

Quod Henrici meritis detraxit humilitas, id reddit veritas, illum pietate, doctrina & nobilitate clarissimum venturis retro sæculis commendans, 1684.

Tarbian.

XC. Armandus-Anna.

Armandus-Anna Tristan de la Baume de Suse, apud Delphinates, Annæ de la Baume, comitis de Rupeforti filius ex Catharina de la Croix de Chevrieres, patruum habuit Ludovicum-Franciscum de la Baume de Suse episcopum Vivariensem. Ipse primum episcopus Tarbeiensis creatus est anno 1675. biennio elapso ad S. Audomari sedem transfertur; anno vero 1684. mense Maio, ad Auxitanam metropolim: sed ob dissidia inter curiam Romanam & Gallia, de ipso non est actum in Romano consistorio, nisi die 21. Januarii anno 1692. Seminarii clericorum administrationem patribus Societatis Jesu demandavit. Migravit a sæculo die 4. Martii, anni 1705. post longum morbum, in urbe Lutetia, ubi sepultus est ad S. Pauli. Hic archiepiscopus typis mandari curavit rituale pro tota provincia Auxitana, curis maxime Pauli de Chaulnes, tunc vicarii generalis, qui modo est Sarlatensis episcopus, qua in diœcesi eundem librum rituum sacrorum publicavit ac observari præcepit mandato dato die 8. Maii, anni 1708.

1684.

ANNI CHRISTI. 1692

XCI. Augustinus.

De Maupeou.

De Augustino de Maupeou, jam locuti sumus in Castrensibus episcopis. Ex hac enim sede assumtus est ad regendam Ausciorum ecclesiam die 11. Aprilis anni 1705. Eodem anno die 30. Maii fidem clientelarem juravit regi. Possessionem adipiscitur die 22. Junii anni 1706. Ecclesiæ suæ egregiam S. Augustini dedit imaginem ex argento. Palatium episcopale cum reficiendum suscepisset, anno 1712. ex hac vita migrare coactus est die 12. Junii in sua diœcesi.

1705.

1706.

XCII. Jacobus.

De Marests.

Jacobus des Marests, episcopus Rejensis, de quo jam locuti sumus, ex hac ecclesia fuit a rege Christianissimo electus & designatus, ad vacantem cathedram implendam, anno 1713. mensis Julii die 29. Regi sacramentum præstitit in sacello regio Versaliensi, die ultima Martii anni 1714.

1713.

Historiam episcoporum & archiepiscoporum Auscienſium, sequi debet præpositorum series; sed unicum duntaxat reperimus in veteribus chartis de sancti-Montis fundatione, Arnaldum nomine, circa annum 1061.

Nondum etiam potuimus recuperare decanos ecclesiæ Auscienſis. Petrus de Terrariis, electus archiepiscopus Arelatensis, anno 1303. fuerat Auscienſis decanus.

ABBATIÆ DIOECESIS AUSCIENSIS.

Primo loco dicemus de iis quæ olim exstitere, nunc vero non amplius exstant; postea de his quæ ad hoc usque tempus superstant.

De veteribus abbatiis destructis.

1. Altum-fagium. Fageu.

In censu monasteriorum habito anno 817. in synodo Aquisgranensi memoratur inter Vasconiæ cœnobia Altum-fagium, vulgo sancti Sixti de Fageto, ad Ratum fluviolum, quod nunc est canonicorum secularium. Hos abbates Fageti reperimus apud nostrum D. Cl. Estiennot: Bernardum de Monte-acuto anno 1189. Rogerium de Convenis (de Cominges) anno 1307. utrumque ex tab. Simorrensi; & Franciscum Verdalli vicarium generalem in ecclesia Auxitana annis 1604. & 1605. ex registris ecclesiæ Vasatensis; sed erat haud dubie canonicus secularis. Etenim inter dignitates capituli Auscienſis censetur abbas de Fageto. Plura de hoc loco rescire non licuit; quod enim aiunt a Carolo Magno fundatum fuisse non liquido constat.

1. Cella Fraxilii, *forte al.* Cella-fraxeta.

In laudato constituto de monasteriis auctoritate synodi Aquisgranensis facto recensetur inter Vasconiæ monasteria, cella Fraxilii, vul-

ANNI CHRISTI.

go *Serres*, in pago Elusano. At nunc ille locus transiit ad canonicos seculares, pertinetque ad ecclesiam Ausciensem, inter cujus dignitates numeratur abbas de Serres. Anno 1173. Johannes de Besuas abbas cellæ Fraxili legitur in charta Ausciensi.

III. SS. Gervasii & Prothasii.

Olim erat in pago Elusano abbatia sanctorum Gervasii & Prothasii, seu sancti Luperci, *alias* Luperculi, ubi adhuc tempore Willelmi de Monte-alto archiepiscopi Ausciensis, abbas erat Raimundus, qui subscripsit chartæ ejusdem Willelmi pro Cluniacensibus seculo XI. Hoc monasterium datum est sancto Petro Cluniacensi ab Aimerico comite Fidentiacensi *, cujus generis seriem edidit Oihenartus in sua notitia Vasconiæ, ut probat charta hæc quam archivum Cluniacense nobis suppeditavit:

* Fezensac. p. 492.

Ego in Dei nomine Aymericus comes, filius Astanovæ, dedi Deo & sancto Petro Cluniacensi, & domno Hugoni abbati ac successoribus suis, quoddam monasterium beatissimi Luperci martyris in pago Elisano constructum, mei videlicet juris, regendum & ordinandum. Sciendum est autem, quod Bernardus comes proavus meus, quondam monastico ordini illud tradiderat, ut monachi regulariter ibi viverent; quod & multis annis fecerunt: sed postea tepescente fervore seculariter vivebant: accepi ergo consilium cum venerabili archiepiscopo Auxiensi Willelmo, qui me sæpius pro hujusmodi terribiliter increpabat, dicens me damnandum fore, nisi ad pristinam religionem illud revocarem, quod placuit mihi. Damus ergo præfatum monasterium domno Hugoni abbati Cluniacensi, & successoribus suis regendum & disponendum, &c... Actum anno incarnationis Dominicæ MLXXXVIII.

Sign. Domni Willelmi Auscensis archiepiscopi. Sign. Domni Aymerici comitis qui hanc cartam fieri jussit & aliorum.

Nunc monasterium sancti Luperci celebris est prioratus ord. Cluniacensis, cujus loci prior D. Johannes Marre, postea episcopus Condomiensis pius juxta & doctus, ecclesiam sancti Luperci cathedrali haud imparem a fundamentis erexit. Obiit anno 1621.

IV. S. Johannis de Sancto-monte.

Monasterii sancti Johannis de Sancto-monte ad Aturum amnem eadem fuit sors; cum enim ordo monasticus juxta S. Benedicti regulam ibidem intepuisset, ac locus in manus laïcorum devenisset, postea religione ducti, maxime vero peste quæ grassabatur territi, cœperunt monasterium hoc restaurare seculo XI. quo tempore abbas erat Raimundus commemoratus in diplomate Bernardi Tumapalarii anno 1061. Tuncque ut disciplina regularis in eo continuo vigeret, datum est Hugoni abbati & Cluniacensibus, uti probant variæ chartæ de hoc monasterio a nobis editæ, & in Gallia Christiana fratrum Sammarthanorum.

V. B. Mariæ de Gojono.

Fuit olim abbatia B. M. de Gojono, cui an. 1277. Amanevus de Armaniaco archiepiscopus Ausciensis multa cessit. At anno 1432. a Guidone abbate Morimundi, auctoritate capituli generalis, unitur hæc abbatia monasterio B.M. de Gimonte.

Cœnobium S. M. de Coirentiano in diœcesi Auscíorum olim erat abbatia; ex hac charta asservata in archivo S. Mariæ Auscíensis: *Notum sit omnibus Christianis quod ego N. filia Odonis vicecomitis Lomaniæ, uxor Gerardi Orbusani, per consilium Gerardi mariti mei & amicorum, & Fortgarsiæ abbatis ecclesiæ Coirentiani, adfirmo donum quod feci S. Johanni de S. Monte in manu archiepiscopi Willelmi, &c. Actum mense Sept. luna* IX. *feria* III. *in claustro S. Montis regnante gloriosissimo Philippo rege.*

ANNI CHRISTI. VI. B. M. de Coirentiano.

Abbatiæ quæ exstant.

Abbatiæ quæ adhuc sunt superstites, hoc ordine recensentur.

Pessanum ord. S. Ben.
Simorra ord. S. Ben.
Cella-Medulfi (Sarramon) ord. S. Ben.
S. Orientius ord. S. Ben.
Bardum seu Berdona ord. Cisterc.
Portaglonium (Bouillas) ord. Cist.
Flaranum ord. Cist.
Gimundum ord. Cist.
Casa-Dei ord. Præmonstrat.

Pessanum, *al.* Pecianum.

Pessanum monasterium ord. S. Bened. diœcesis Auxitanæ, S. Michaëli archangelo sacrum, situm est in pago Astaricensi haud procul ab Auscia civitate. Jam exstabat ineunte seculo IX nam recensetur inter Vasconiæ cœnobia in constituto facto Aquisgrani anno 817. Huic olim monasterio subditum fuisse cœnobium S. Johannis de Sordua testatur vetus charta a nobis inter probationes excusa, numero XVI. Narratque quomodo cum subtractum fuisset, ipsi restitutum sit tempore Raimundi Copæ Auscíensis archipræsulis, qui sedit inter annos 1020. & 1030. *p. 167. col. 1.*

Post procellas cum Saracenorum, tum Normannorum, Pessanum in laïcorum manus incidit, qui eo potiti sunt usque ad Guillelmum filium Arnaldi comitis Astaricensis, qui videlicet Guillelmus, cum illud possideret tanquam hereditatem ab atavis acceptam, concessit Simorræ, haud dubie restaurandum & Fortoni abbati, acceptis tamen octo vasis argenteis pondo librarum nongentarum, ut fert charta ea de re facta, quam vide inter probationes. *C. XVII. p. 167. col. 2.*

Ex monasterii monumentis eruimus seriem abbatum qui sequuntur.

Series abbatum.

I. Octarius sub Isemberto præsule, regnante Carolo rege anno 6. Carolum-Calvum hîc designatum putamus.

II. Oterius anno 975. regnante Lothario, sedente Hidulfo archipræsule Auscíensi.

III. Arsicius seu Arsivus e monacho Sorduensi factus est abbas, cujus tempore Sordua jugum Pessani excussit.

IV. Cletus, cui anno 1020. regnante Roberto rege anno 30. Ottone in sede Auxitana præsulante, Raimundus de Bassona dedit quoddam monasterium ordinandum.

ANNI CHRISTI. *Annal Ben. t.4. p.270.*

V. Raimundus I. abbati Cleto ſucceſſit anno 1021. quo Wilhelmus Lupus de Valle-urſa eccleſiam ſancti Maxentii in comitatu Convenarum reſtituit Peciano monaſterio & abbati Raimundo, cujus juris erat ex alode parentum ſuorum. Eidem Raimundo abbati Arnaldus-Willelmus vicecomes ſubdidit eccleſiam ſanctæ Mariæ de Dalmaraco deſertam ac deſtructam, quam idem abbas inſtauravit, ſex monachis inibi inſtitutis. In concilio provinciæ cui præerat Raimundus Copa, recuperat jus in Sorduenſe monaſterium, ante annum 1032.

VI. Auterius ſub Auſtindo archiepiſcopo, qui ſedere cœpit anno 1042. B

VII. Dodo oblatus Raimundo abbati ab Auriolo Fortone patre ſub Willelmo archiepiſcopo, regnante Philippo rege fit abbas. Anno 1080. cauſam habuit cum Auriliacenſibus monachis ſuper cella B. M. de Dalmaraco, quæ ipſi adjudicata fuit ab Amato Oleronenſi epiſcopo, in concilio Burdegal. ea tamen ratione ut pro illa eccleſia quinque ſolidos quotannis eccleſiæ Romanæ perſolveret. Verum fortaſſe Gregorius VII. hoc judicium ratum non habuit; nam ep. 18. lib. VII. præcipit ut hic abbas quædam reſtituat Petro abbati Auriliacenſi. C

VIII. Dodonides de Domerag ſub Willelmo Bernardo archiepiſcopo.

IX. Bernardus ſub eodem archiepiſcopo, adhuc præerat anno 1106.

X. Petrus I. anno 1130. ſub Guillelmo archipræſule.

XI. Bertrandus I. 1160. & 1173.

XII. Petrus II. 1174. in chartario Auſcienſi, & 1180.

XIII. Arnaldus Willelmus tranſigit cum Petro abbate Gimundi an. 1189. & 1190. cum A. abbate Berdonis. Recenſetur etiam in charta Gimundi an. 1196. D

XIV. Raimundus II. an. 1215.

XV. W. B. an. 1223. terram de la Serra accipit a B. Montis-alti.

XVI. B. electus & confirmatus an. 1250. ſub quo monaſterium & caſtrum Peſſani conflagrarunt, ut docent nos Iſpani archiepiſcopi litteræ ſuo loco inter probationes relatæ. *C. XVIII. p.168. col.1.*

XVII. Armannus tranſigit anno 1257. cum Guillelmo de Monte-pezato. & 1258. cum Oliverio de Polaſtro. Reperitur etiam an. 1259.

XVIII. Bertrandus II. de Laſſerano annis 1280. 1285. & 1287. quo teſtis eſt in inſtrumento aggregationis monaſterii Silvæ-latæ ad ordinem Ciſtercienſem. Occurrit etiam an. 1297. & 1298. E

XIX. Hugo I. de Prinhano an. 1307.

XX. Guillelmus I. de Cardelhaco 1315.

XXI. Gallardus de Biſterre ex priore creatur abbas, ſub quo facta eſt bonorum diviſio inter abbatem & monachos anno 1321. Sedebat adhuc an. 1329.

XXII. Hugo II. 1341.

XXIII. B. de Maraſco 1343.

XXIV. Raimundus. III de Roffiaco 1350. in charta Simorræ & 1356.

XXV. Philippus I. Crolly abbas Peſſani, aſſumitur ad abbatiam Soricinenſem anno 9. Innocentii papæ VI. ſeu anno 1361. ANNI CHRISTI.

XXVI. Guillelmus II. 1397. idem forte cum G. abbate Peſſani, qui anno 1380. reperitur in archivis eccleſiæ Auſcienſis.

XXVII. Vitalis 1403. in charta Simorræ.

XXVIII. Johannes I. de Anglado 1450.

XXIX. Johannes II. de Vilheres la Graulas epiſcopus Lombarienſis & abbas ſancti Dionyſii in Francia, prioratum de Argentolio diœceſis Pariſienſis, vacantem per mortem Fr. le Cornu monachi, confert per annuli ſui traditionem, Johanni de Faudoas nepoti ſuo, anno 1479. die 7. Septembris.

XXX. Johannes III. de Faudoas nepos ſuperioris, prior de Argentolio, providetur de abbatia Peſſani ab Innocentio papa, anno 1491. pridie cal. Decemb. anno 8. ejus pontificatus, cujus in litteris legitur Johannem epiſcopum Lombarienſem illam ex diſpenſatione obtinuiſſe.

XXXI. Johannes IV. de la Rocan ortus ex gente nobili pagi Auxitani, ſuccedit Johanni ſuperius laudato, anno 1514.

XXXII. Petrus III. de Fuxo cardinalis anno 1516.

XXXIII. Johannes V. de Verdeſano 1542.

XXXIV. Felix de la Rochan 1554.

XXXV. Johannes VI. de Verdujan 1555. & 1558.

XXXVI. Johannes VII. d'Albret 1562. obiit 1569.

XXXVII. Philippus II. de Roquain bullis acceptis an. 1569. poſſeſſionem adeptus eſt anno ſequenti.

XXXVIII. Sancius de Meliandre obiit 26. Sept. an. 1607.

XXXIX. Johannes VIII. de Meliandre præcedentis nepos 1608.

XL. Jacobus Coadau 1620. 1638.

XLI. Bertrandus III. de Cominges Guitaud 1648. 1656. Obiit 1660.

XLII. N. de Terlong.

XLIII. Paulus de Chaunes epiſcopus Sarlatenſis, die 9. Aprilis an. 1689.

SIMORRA.

SImorra ordinis S. Benedicti monaſterium in diœceſi Auſcienſi, Deiparæ Virgini ſacrum, ubi S. Ceratii corpus ſumma omnium populorum veneratione colitur, ſitum eſt ad fluviolum Gimonem. Recenſetur autem in notitia monaſteriorum Vaſconiæ in concilio Aquiſgranenſi an. 817. Seriem abbatum ſelegimus ex variis monaſterii hujus monumentis.

SERIES ABBATUM.

I. Gaſto I. regnante Ludovico imperatore & Bernardo comite.

II. Forto reperitur in charta Guillelmi comitis ſubdentis Peſſanum Simorræ. Vide inter inſtrumenta. Abdicaſſe vero videtur in gratiam ſequentis magna auctoritate pollentis, quando uterque ſubſcriptus legitur chartæ præfati comitis eccleſiam ſancti Johannis Stauli, cœnobio Simorræ largientis &c. circa an. 988. *C. XVII. p. 67. col.1.*

ANNI CHRISTI.

III. Odo vel Atto, seu Otto *, anno 1026. memoratur in veteri charta Lezatensi, cujus monasterii abbati Aimerico movit quæstionem pro abbatia Paderniacensi *. Vide tom. IV. annal. Mabill. Ejus tempore Guillelmus Astaracensis comes S. Dodæ monasterium seu prioratum fundavit, atque Ottoni abbati Simorræ subjecit, anno primo Henrici regis, ut fidem facit ejusdem comitis charta nostræ instrumentorum collectioni inserta.

* al. de Paternas seu Paderniac.

p. 111. col. 2.

c. XIX. p. 118. col. 2.

IV. Gasto II. in charta Guillelmi de Aura comitis.

V. Astarius cujus tempore fundatum est Salancolini monasterium ab Arnaldo de Aura, atque Simorræ donatum, ut docet fundationis diploma, quod vide inter probationes.

c. XX. ibid.

VI. Pontius tempore Willelmi Garsiæ qui Ottonem filium suum B. M. in monasterio Simorræ tradidit, cum multis ecclesiis, quas in sua potestate habebat. Id factum est tempore Victoris papæ II. & Austindi archiepiscopi, scilicet Auscitani, Sanciique comitis & *Pontii* abbatis, &c. Prærat etiam anno 1058. factus postea episcopus Tarbiensis 1073. retenta nihilominus abbatia, inquit Mabillonius; attamen,

VII. Petrus I. occurrit abbas tempore Pontii Bigorritani episc. & quidem an. 1073. quo Bertrandus Convenarum episcopus, Salancolini monasterium ipsi confirmavit, in quo Petrus Bernardum monachum priorem constituit, factum postea abbatem S. Savini.

VIII. P. de Pinciaco 1124. & 1130. in charta B. Astaracensis comitis. Recensetur etiam Petrus abbas Simorræ cum Raimundo Baionensi & Rogerio Convenarum episcopis in veteri charta Aquensis ecclesiæ. Ejus tempore villa Simorræ tota conflagravit, atque anno 1141. annuente Petro abbate sub certis conditionibus reædificatur & transfertur eum in locum ubi hactenus visitur. De hoc incendio & de translatione monasterii legenda in probationibus charta XXII. Prærat adhuc an. 1144.

p. 63. col. 1.

IX. Guillelmus de Marast 1148. & 1163. sub Guillelmo Auxitano archiepiscopo.

X. Petrus II. Orbizon prior S. Michaëlis de Pessano & abbas Simorræ tempore Guillelmi archiepiscopi Auscensis & Bernardi comitis Astaracensis.

XI. Bertrandus I. de Lasserano *al.* de Asselano, cujus tempore Centullus comes Staraci, filius illustris comitis Centulli, devicto & capto Arnaldo Willelmo de la Barta, obiit apud Simorram & sepultus est in claustro monasterii anno 1149. Eidem Bertrando an. 1162. Matabruna de Benqua soror Giraldi de Benqua donavit totam motam de Lascura in comitatu Astariaci. Reperitur etiam an. 1167. & sub Ispano archipræsule Auxitano quo tempore Ar. B. de Vallecava cedit eidem ecclesiam S. Petri de Vallecava.

XII. Bernardus de S. Esterio sedebat anno 1282. Monasterium reparavit anno 1290. quo etiam anniversarium pro patre & matre instituit. Anno 1297. medietatem Simorræ regi concessit.

ANNI CHRISTI.

XIII. Augerius de Monte-alto 1297. 1321. & 1323.

XIV. Gordonus de Orgella 1333. & 1337. Hic creavit officia claustralia atque numerum monachorum, annuente Guillelmo archiepiscopo ad decem & octo reduxit. Sedebat adhuc anno 1344.

XV. B. de Starc 1347.

XVI. Odo 1351. 1353. obierat an. 1354.

XVII. Galardus de Mira-valle 1355. & 1356.

XVIII. Bertrandus II. de Roffiaco ex priore S. Dodæ fit abbas bulla Urbani V. anno 6. ejus pontificatus, seu anno 1367. Idem forte cum Bertrando abbate, qui præerat anno 1380. ex archivis ecclesiæ Auxitanæ, & usque ad 1403.

XIX. Bertrandus III. de Lacerta *al.* de Bartha ex monacho Cluniacensi & priore Montissancti electus est abbas Simorræ an. 1434.

XX. Johannes I. de Bartha 1455. resignavit sequenti 1492.

XXI. Rogerius de Bartha per cessionem præcedentis bullas obtinet an. 1492. Pra fuisse tamen legitur capitulo generali monachorum ordinis sancti Benedicti an. 1490. in monasterio Mansi-a-ili: unde forte consequens est eum ante annum 1492. fuisse abbatem. Transcripsit abbatiam sequenti an. 1519.

Ex tab. monast. Casmensis.

XXII. Herardus de Grossoles factus episcopus Condomiensis 1521. plurima jocalia & ornamenta ecclesiæ Simorritanæ misit, memor beneficiorum ab ea acceptorum.

XXIII. Octavianus de Golardo, ad quem exstant Herardi episcopi Condomiensis litteræ 1542. Sedebat adhuc 1545.

XXIV. Bertrandus de Corragier 1582. 86. & 87.

XXV. Petrus III. Milhar 1593. non excessit annum 1600. quo & 1604. sedes vacabat.

XXVI. Michaël-Victor de Labat anno 1614. Sarancolini prioratum confert. Anno 1615. decreto supremæ curiæ jus ei confirmatur exigendi hominium a judice Ripariæ, juxta legem pareagii.

XXVII. Johannes II. de Beon & du Masses 1616. 1653. & 1654.

XXVIII. Jacobus de Langlade clericus diœcesis Petracoricensis, abbas erat an. 1666.

XXIX. Henricus Puget bullas obtinuit datas Romæ idibus Julii an. 1694. Possessionem vero iniit die 27. Octobris ejusdem anni, factus postea episcopus Dignensis.

CELLA-MODULFI, vel MEDULFI.

CElla-Modulfi, vel Medulfi *a*, vulgo *Saramon*, ordinis sancti Benedicti monasterium diœcesis Auscensis, sub patrocinio Ss. apostolorum Petri & Pauli hoc habuit exordium. Hunc locum, Blizentium olim dictum, Arricoatus comes dederat Soricinensi cœnobio: verum monachi eo missi vicinos experti

a Hic Mabillonio Willelmi comitis germanus, monachus fuisse videtur Simorrensis, dein abbas ejusdem loci ac demum archiepisc. Auscitanus.

a Sic appellatum hoc monasterium Mabillonius asserit a Medulfo comite Astaracensi Garsiæ successore.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

sunt adversarios, ut etiam quidam eorum gladiis perierint. Quare abbas & monachi Soricinenses hanc cellam vendere coacti sunt anno 904. ut ejus pretium insumerent in ecclesiæ suæ ornamentis, quæ non ita pridem conflagrarant. Itque Cella-Modulfi vendita est Garsiæ comiti & marchioni, monasterii Soricinensis defensori. Postea vero cum locus iste esset in potestate Odonis filii Arnaldi comitis Astaracensis, in eo fundavit monasterium, quod postea Sanctio comes reddidit Soricinio. De his consule probationes.

C. XXIII. XXIV. & XXV. pag. 170. & 172.

Seriem abbatum ex variis conflatam monumentis hanc accipe.

SERIES ABBATUM.

I. Willelmus I. abbatiam Cellæ-Modulfi Raimundo abbati Soricinensi guerpivit paulo post annum 904.

II. Azenarius testis in charta Guillelmi Astaracensis comitis quædam Simorrensi cœnobio restituentis, atque insuper ecclesiam S. Johannis Stauli eidem concedentis circa an. 988.

III. Guillelmus II. sub Raimundo Copa archiepiscopo Auxitano interfuit concilio provinciæ post annum 1020. Vide probationes.

C. XVI. p. 167. col. 2.

IV. Macharius regnante Henrico rege memoratur cum Raimundo archiepiscopo, in veteri charta ecclesiæ Auscienſis de cimiterio S. Orientii; quem non dubitamus eundem esse cum Machario episcopo Aquensi, qui in Cellæ-Modulfi cœnobio institutus, abbatis munere ante episcopatum perfunctus fuerat.

V. Bernardus I. abbas Cellæ-Modulfi, tempore Guillelmi Bernardi Auxitani archiepiscopi circa an. 1080. ex charta S. Pauli Narbon.

VI. Bertrannus 1144. in charta Simorræ.

VII. Gausbertus 1155. in charta Gimundi.

VIII. Ursius de Polastron ex monacho Soricinensi, monasterium regebat anno 1170. ex charta Gimundi, & 1174. ex charta ecclesiæ Auxitanæ.

IX. Geraldus de Polastron 1217.

X. Raimundus de Insula 1280. Anno 1287. testis est in litteris aggregationis monasterii Silvæ-latæ ad ordinem Cistercienſem. Sedebat adhuc annis 1289. 92. & 97.

XI. Mancipius de Molanis præerat an. 1303. Fidelitatem A. Auscienſi archiepiscopo juravit an. 1314. Anno sequenti claustrum reparavit. Regebat adhuc anno 1344.

XII. Gallardus 1357.

XIII. Mendossa I. 1370.

XIV. P. *al.* Petrus an. 1380. recensetur una cum Bertrando abbate Simorræ.

XV. Mendossa II. 1390.

XVI. Fortanerius, *al.* Fontanerius Assini 1452. obiit 1463.

XVII. Guillelmus III. de Colonchis per obitum Fortanerii eligitur abbas die 29. Julii an. 1463. Præerat adhuc 1489.

XVIII. Petrus I. de Colonchis XI. die mensis Octobris an. 1489. electus est; defecit vero 1501.

XIX. Johannes I. de Pagua sive de Page an. 1501. Fidelitatis sacramentum præstitit Auxitano archiepiscopo. Anno seq. missam unam de B. Maria quolibet sabbato dicendam instituit. Obiit 1503. die 25. Januarii.

XX. Bernardus II. de Bartha jam an. 1503. 26. Maii, 1504. 1508. 1517. Cessit an. 1530.

XXI. Rogerius de Bartha possessionem adeptus est die 5. Octobris an. 1530. Præfuit ad annum saltem 1545. laudaturque tanquam maxime beneficus.

XXII. Hugo Capelsalot 1551.

XXIII. Johannes II Jacquelot senator in parlamento Parisiensi iniit possessionem die 20. Decemb. an. 1553. Præerat adhuc an. 1558.

XXIV. Petrus II. Bertrand sacræ theologiæ doctor 1559. 1560. & 69. Defunctus vero apud Samatan die 17. Octob. an. 1570. sepultus est in ecclesia PP. Minimorum.

XXV. Aimericus I. de Vic regi a consiliis & eleemosynis possessionem nactus est 27. Junii an. 1572. Regebat adhuc an. 1584.

XXVI. Guillelmus Capelle ex monacho ejusdem cœnobii, Aimerico cedente, possessionem adipiscitur mense Aprili an. 1585. Nosocomium in urbe fundavit 1595. & scholas puerorum an. 1604. Obiit an. 1612. mense Decembri.

XXVII. Aimericus II. de Vic mense Maio an. 1624. iniit possessionem.

XXVIII. Dominicus de Vic archiepiscopus Auxitanus 1633. & 1639. Cessit in gratiam sui fratris qui sequitur.

XXIX. N. de Vic frater superioris.

XXX. Johannes Jacobus de Montlezun de Vismaux, *al.* de Besmaux reperitur ab anno 1651. ad 1664.

XXXI. Johannes-Carolus de Montlezun, &c. 1664. per cessionem præcedentis, qui tamen non nisi anno 1666. possessionem adeptus est die 22. Decembris. Hic mira cum humilitatis tum liberalitatis specimina dedit; humilitatis, oblato episcopali culmine constanter rejecto; liberalitatis vero in omnes quos offendit; neque enim solum in abbatiam suam munificus exstitit, verum etiam in hospitale hujusce loci, in S. Orientium, & sorores Carmelitas; qui denique bonis operibus plenus excessit e vita in suo castro de Besmaux prope *Pavie* an. 1694. mense Septembri. Sepultura donatur in tumulo majorum apud RR. PP. Carmelitas, quorum benefactoribus accensetur.

XXXII. Franciscus d'Urfé de Lascaris eodem anno renuntiatus abbas, anno sequenti 1695. in manibus regis abdicavit, seu permutavit pro abbatia Uzerciæ.

XXXIII. Gabriel de Sanguinet regia schedula nominatus die 2. al. 3. Aprilis an. 1695. possessionem adeptus est 18. Novembris ejusdem anni. Obiit apud Montem-pessulanum die 17. Octob. an. 1701.

XXXIV. Armandus-Johannes du Val regis capellanus ejusdem placito designatur abbas die 31. Decemb. an. 1702. Possessionem adiit die 2. Aprilis anni seq. Præerat adhuc 1712. utinam ad multos annos, cuippe qui nihil non efficiat ad bonum cum urbis tum abbatiæ procurandum.

Digitized by

SANCTUS ORIENTIUS.

ANNI CHRISTI

S. Orientii ordinis S. Benedicti monasterium in civitate Auscensi, olim abbatia erat a Bernardo Luteo comite Fidentiacensi fundata, nunc vero insignis prioratus ordinis Cluniacensis, cujus monachi vi bullæ cujusdam quam suprema magni consilii curia subrepticiam declaravit, secularem togam induerunt. Ipsius abbates & priores ordine chronologico nunc juvat exhibere.

ABBATUM ET PRIORUM SERIES.

I. S. Austindus ex abbate S. Orientii factus est archiepiscopus Auscensis.

II. Raimundus I. abbas S. Orientii, an. 1068. in Auscensi concilio intercessit quominus ecclesiæ suo monasterio subditæ, in edicto generali comprehenderentur, quo universis Vasconiæ ecclesiis præscribebatur, ut quæque suis episcopalibus sedibus quartam partem decimarum persolveret; obtinuitque ea de re privilegium, ut videre est in Austindo archiepiscopo. Vide to. 2. Spicil. ubi etiam legitur impetrasse, ut tam ipse quam sui successores archidiaconorum vices agerent super ecclesias & clericos in honore suo, hoc est intra fines ditionis monasterii. Edidimus vero hoc privilegium inter probationes. Eodem anno 1068. Aimericus comes Auscensis, & ejus frater, filii Willelmi comitis, dant monasterium S. Orientii ordinandum S. Petro Cluniacensi, annuente Raimundo eorum avunculo, dicto ejusdem loci (S. Orientii) abbate; quorum litteras vide ibid.

pag. 192.
c. XXVI. p. 171. col. 1.
c. XXVII. p. 171. col. 2.

III. Guillelmus-Bernardus de Monte alto, (Montaut) ex priore S. Orientii, factus archiepiscopus Auxitanus.

IV. Bernardus monachus Cluniacensis prior S. Orientii, postea archiepiscopus Toletanus.

V. Guido prior S. Orientii, 1097. in bulla Urbani papæ II. ad S. Hugonem abbatem Cluniacensem.

VI. Ogerius I. ad quem exstant Paschalis papæ II. litteræ protectionis, 1105.

VII. Garcias Eix Romam profectus adversus Willelmum archiepiscopum, judices accepit G. Burdigalensem, H. Agennensem, B. Tarbiensem præsules, & M. abbatem Figeacensem.

VIII. Ogerius II. tempore Eugenii papæ III.

IX. Unandus, 1170. testis in veteri diplomate ecclesiæ Auscensis.

X. Fr. Johannes I. 1262. & 1265.

XI. Raimundus II. de Bauro, 1288.

XII. Stephanus de Arcu, an. 1301. cessit Philippo regi justitiam altam quam in urbe possidebat.

XIII. Bono, 1312.

XIV. Guillelmus Clavaldi, 1321.

XV. Imbertus I. de Baynaco, 1345.

XVI. Imbertus II. Grossetti, 1361.

XVII. Bonsomus Faydici, 1392.

XVIII. Bosso, 1406.

XIX. Petrus de Ransia, 1421. monachus Simorræ & prior Sarancolini.

XX. Raimundus III. de Arentis, prior B. M. Deauratæ, apud Tolosam, bulla Eugenii papæ IV. data pridie nonas Martii anno pontificatus XI. Christi 1441. prioratum conventualem S. Orientii obtinuit, etsi natus ex patre sacerdote & femina conjugata, cujus defectus, cum fieret prior B. M. Deauratæ, dispensationem acceperat, intuitu meritorum, quod videlicet in urbe Tolosa per annos viginti jus canonicum edocuisset. ex charta B. M. Deauratæ Tolos.

XXI. Umbertus de Mossiaco, 1455.

XXII. Petrus I. Fabri (du Faur) protonotarius, 1496. electus episcopus Lactorensis, anno 1505.

XXIII. Johannes II. de Niort, 1532.

XXIV. Petrus II. de Rancia, 1533.

XXV. Antonius Peregrinus, 1541.

XXVI. Franciscus de Pisseleu, 1545. episcopus Ambianensis.

XXVII. Jacobus du Faur, abbas Casæ-Dei, & senator Tolosanus.

XXVIII. Ludovicus de Lorraine, 1573.

XXIX. Carolus de Bourbon, 1588. episcopus Lacturiensis.

XXX. Antonius de Laur, 1591.

XXXI. Odo d'Aignan, 1597.

XXXII. Bertrandus de Laur, frater Antonii de Laur, qui supra, 1609.

XXXIII. Johannes III. Gabin, canonicus S. Mariæ Auscorum, ex cessione Bertrandi, 1613.

XXXIV. Cæsar-Augustus de Gondrin, ex resignatione præcedentis, 1618.

XXXV. Ludovicus-Henricus de Gondrin, ex cessione fratris sui fuit archiepiscopus Senonensis, 1634.

XXXVI. Johannes IV. de Binos, abbas Calmæ in Bria, ex permutatione cum præfato archiepiscopo, 1656.

XXXVII. Paulus Fontanier-Pelisson, libellorum supplicum magister, qui pro tuendo in monasterio statu regulari decertavit, 1682.

XXXVIII. Federicus de la Tour d'Auvergne de Boüillon, 1693.

XXXIX..... Raguenet, 1708.

ABBATIA DE BERDONA, ordinis Cisterciensis.

Bardum

BArdum, vel Berdona, monasterium in Novempopulanæ provinciæ seneschallia, diœcesis Auscensis, ordinis Cisterciensis, filia Morimundi, conditur anno 1134. ad cujus exædificationem sub invocatione Dei & B. Virginis, Valterio abbati Morimundi, qui ex suo monasterio religiosos in novellam congregationem deduxit, contulere terram Berdonarum cum ecclesia, casali, & totius loci appendiciis, sylvam de Violes, aliaque territoria Bernardus consul, seu comes Astaracensis, & filius Sancius II. adstante Guillelmo, archiepiscopo Auscensi, legato apostolico, ut constat ex charta originali ejusdem anni. Postea privilegia, possessiones ac jura firmaverunt diplomatibus suis Lucius II. papa Laterani, 10. Aprilis 1143. Eugenius III. Romæ 1152 Hadrianus III. die 6. Octob. 1162. Innocentius IV. 1246. Auctum etiam & locupletatum fuit donis non modo Astaracensium, sed & dynastarum de Barba-

ANNI CHRISTI.

sano, de Orbessano, de Malo-leone, & aliis vicinis toparchis. Spectantur in sacrario ecclesiæ plurima sanctorum pignora, in eoque regionis tractu S. Blasii reliquiarum particula cultu maximo celebratur. Visuntur quoque in presbyterio basilicæ cœnobii, sepulturæ comitum ac comitissarum Astaraci, & in claustro liberorum ex ea nobili gente, Amanevi imprimis Bernardi III. comitis primogeniti, qui bellicis facinoribus clarus in Cypro occubuit, conditusque apud Cistercienses ordinis abbatiam Belli-loci, e qua mandato Pontificis ferali pompa honorifice ad Berdonarum monasterium ossa devehuntur, ut fidem facit instrumentum anni 1327. Hæc abbatia quondam ad episcopatus honorem evehitur rogatu comitis Astaraci, & abbatis Berdonæ, a Johanne XXIII. pont. sedis cathedralis novæ designata urbe Miranda juxta monasterium a quo pendet, cui deservirent quatuor dignitates, sacristæ, operarii, præcentoris, & eleemosynarii, sed reclamante Berengario archiepiscopo Auscienſi, in contemtum antiquæ metropolis id fieri, Carolus VI. rex litteris datis 1413. ad senescallos Tolosanum, Carcassonensem & Agennensem, huic rescripto institutionis episcopatus auctoritate sua intercessit; sicque impetrata prærogativa caruit abbas, ut docent tabulæ pergamenæ in armario Berdonarum de iis privilegiis confectæ. Abbatum notitiam a prima fundatione ad hæc tempora collegit ex membranis domnus de Monsegur, prior Berdonarum, tali serie.

A

B

C

Abbatum series.

I. Albertus, introductis monachis a Valcherio constituitur primus monasterii rector, saltem an. 1142. quo ei datur Gimundus ad construendam abbatiam. *Vide* infra chartam fundationis Gimundi.

II. Arnaldus I. a S. Justino, ex abbate Gimundi fit abbas Berdonæ anno 1153. cui præerat 1158. ex charta Gimundi & 1183. ex charta Boni-fontis.

III. Arnaldus II. de Sariaco, substitutus an. 1186. regebat 1190.

IV. Augerius, 1198. in veteri charta Gimundi.

V. Guillelmus I. 1203. vixit ad annum 1212.

VI. Petrus I. eligitur hoc anno, sedebat adhuc, 1220.

VII. Guillelmus II. assumitur ad moderamina cœnobii 1221.

VIII. Gonzalvus, an. 1224.

IX. Vitalis I. anno 1227. mense Martio auctor fuit transactionis inter Auriolum Gimundi & H. Grandis-silvæ abbates, ex tab. Grandis-silvæ. Sedebat adhuc anno 1236.

X. Peregrinus memoratur in actis an. 1237.

XI. Hugo I. 1244. quo circiter tempore Arnaldus de Barbasano miles cœnobio benefacit; & Innocentius IV. papa Lugduni quinto pontificatus anno diploma concessit religiosis, ut emissis etiam votis hereditatem liceret adipisci, exceptis mobilibus feodis.

XII. Petrus II. de Faisano, anno 1247. Illius tempore donavit cœnobio quædam bona Siguina comitissa Astaraci, Centulli uxor; archiepiscopus item Auxitanus, capitulumque dimiserunt ipsi jura ecclesiarum S. Saturnini, de Barta, & aliarum 1255. quod territorium monasterio oppigneravit 1254. nobilis Hugo de Roquelaure, pretio trecentorum solidorum.

D

XIII. Raimundus I. d'Esparros, rexit anno 1257.

XIV. Raimundus II. Lupi præfectus ad clavum abbatiæ, 1270.

XV. Petrus III. an. 1273.

XVI. Hugo II. præsidebat anno 1280. quo Bernardus Labbatut, abbas Gimundi, ipso annuente, confirmavit pareagium urbis Gimundi. Anno 1281. habetur pactum inter comitem Astaraci & conventum pro pareagio quarumdam terrarum, astante seneschallo Tolosano, quod postea rex Francorum ratum habuit 1283. Sub hujus abbatis auspiciis Philippo Pulchro rege, & Centullo comite circa annum 1289. condita urbs ditionis Astaracensis primaria Miranda, ubi sedes episcopalis instituta, ut dictum est, sed paulo post aufertur.

XVII. Petrus IV. de Magueria, an. 1292. permittit Raimundo de Tolosa, abbati Gimundi transigere cum consulibus Francæ-villæ. Sedit ad annum 1304.

XVIII. Raimundus III. Beguis congregationis moderator an. 1313.

XIX. Bernardus I. de Magueria, cui fidelitatem jurant feudatarii & vassalli Berdonarum 1319.

XX. Gozaubus vivebat, anno 1321. ut constat ex tabulario.

XXI. Hugo III. de Martya successit, ad an. 1335.

XXII. Raimundus IV. de Taurinis, monachus Bonæ-vallis florebat 1350.

XXIII. Raimundus V. Johannis, 1358.

XXIV. Bernardus II. de Logorsano, cujus mentio occurrit in schedis an. 1366.

XXV. Bernardus III. de Molendino claruit 1368.

XXVI. Petrus V. de Bordis vixisse colligitur ex tabulis anno 1375. & ipso sedente, ut conjicitur, Ludovicus Andegavensium dux, Aquitaniæ prorex, Mirandæ anno 1372. 10. Aug. cœnobium Berdonarum speciali diplomate in sua protectione suscepit.

XXVII. Richardus administrabat, anno 1390.

E

XXVIII. Bertrandus de Marast, ad annum 1399.

XXIX. Petrus VI. de Gaiano, præfuit ad annum usque 1402.

XXX. Guillelmus III. episcopus Mirandensis & abbas 1419. & 1420. cui cum episcoparus hujusce institutionem impetrasset, refragante Auscienſi archiepiscopo & capitulo, jubente rege interdicitur ne in posterum hunc titulum sibi arrogaret, alioqui multaretur centum marchis auri, de qua re plura in chartario Berdonarum.

XXXI. Vitalis II. de Cassanea an. 1424.

XXXII. Vitalis III. de la Sarra 1436.

XXXIII. Petrus VII. d'Euspes, ad an. 1439.

XXXIV.

XXXIV. Arnaldus III. de Faiſſano, abbas Scalæ-Dei, electus hoc anno vixit ad 1460. ad quem exſtat epiſtola Benedicti XIII.

XXXV. Johannes I. de Gouzene inauguratur abbas ab epiſcopo Condomienſi, ex charta an. 1460. præerat adhuc an. 1478. ex charta Simorræ, ubi cognominatur de Gozeria.

XXXVI. Dominicus de Gouzene, nominatur electus in litteris apoſtolicis Sixti IV. anno 1481.

XXXVII. Guillelmus IV. Poyet, qui fuit Franciæ cancellarius, & obiit an. 1548. ætatis ſuæ an. 74. fuerat ante conjugium abbas Berdonæ.

XXXVIII. Arnaldus IV de Monledos, anno 1535.

XXXIX. Bernardus IV. de Gouzene, præfuit ad 1537.

XL. Johannes II. de Baſilhac, in ſenatu Toloſano conſiliarius regius, primus abbas commendatarius, itemque Scalæ-Dei, & S. Severi, ann. 1539. & 1562.

XLI. Antonius de la Roche, an. 1593.

XLII. Ludovicus de Nogaret, cardinalis a Valeta, archiepiſcopus Toloſanus.

XLIII. Andreas Mondin, Pedemontanus, clericus diœceſis Montis-regalis, eleemoſynarius Caroli-Emanuelis II. ducis Sabaudiæ, & ejus apud Ludovicum XIV. regem Chriſtianiſſimum legatus, abbas de Berdona & de Boheriis, metropolitanæque Pariſienſis canonicus, ad an. 1650.

XLIV. Gabriel Boyſleve, epiſcopus Abrincenſis ſedebat an. 1654. Obiit menſe Decembri an. 1667. abbas ſimul S. Albini de Nemore diœceſis Briocenſis, & S. Georgii ſupra Ligerim diœc. Andegav. Admiſſus fuerat ſenator in parlamento Pariſienſi, die 29. Decemb. an. 1645.

XLV. Theodoricus Sevin de Miramion, 1667. obiit 1696.

XLVI. Clemens de Monteſquiou de Prechac, nominatur prima die menſis Nov. ann. 1696. abbas etiam Vallis-bonæ, diœceſis Elnenſis.

Abbatia B. M. de Portaglonio, *vulgo* Boüillas, ord. Ciſterc.

* Boüillas.

Portaglonium ſive Boillanum* ord. Ciſterc. diœceſis Auſcienſis, filia Scalæ-Dei, olim Gondonii, de linea Morimundi, conſilio Guillelmi Lactoratenſis epiſcopi fundatur anno circiter 1126. ab Arnaldo Bolhanenſi, cui præcipuus benefactor acceſſit Bernardus Ainardi de Sauzeda, ut docet charta fundationis quæ ſequitur:

Charta fundationis Portaglonii, *vulgo* Boüillas, ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Auxitanæ.

IN nomine domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego Ardoinus Bolhanenſis, pro Dei amore & pro anima mea parentumque meorum, conſilio G. Lectorenſis epiſcopi, & fratris mei Abrini, & ſororis meæ Bonæ, ſuique mariti R. de Caſtelar, & Fortanerii prioris S. Genii, dedi quandam partem meî honoris B. abbati Gondonii, liberaliter in alodo ad opus conſtruendi monaſterii S. Dei Genitricis Mariæ in more Portaglonii & conſilio aliorum naturalium hominum, videlicet G. & Garcie del Perul, & Daſigrillo, qui mecum oſtenderunt hoc donum ipſi epiſcopo & nuntiis ſupradicti abbatis; ſcilicet totam terram quam habebam infra rivi fontes, uſque ad alium rivulum qui circuit totum donum: & a capite rivuli de boſco, uſque in antiquam viam quæ eſt poſita in culmine montis, & a rivulo fontis pro quadam valle quæ eſt intra culta aqua mortua, & vadit ad Taxonerias, & ad rivulum qui circuit hoc donum; & agriculturam dedi ſimiliter quæ eſt ſuper fontem. Hoc donum & munus ego ipſe Arduinus & epiſcopus, & Fortanerius prior, & Angerius de Gremal & Argamacus de Bolhas cum nuntiis ſupradicti abbatis & cum naturalibus hominibus, videlicet cum Guilermo & Garcia del Perul & Arſigril, qui ſciebant & diviſiones, & metas terrarum iſtarum, ut aliarum vicinarum. R. de Caſtelar & uxor ſua nomine Bona terram quam habebant in dominio & ex alia parte rivi fontis ſimiliter præſentes dederunt, nec non ſicut moris eſt omnium noſtrarum eccleſiarum dederunt & conceſſerunt totum aliud nemus ſuum, ſi quid inveniri poſſet. Verum ad edificationem loci, & ad neceſſarium opus & paſtum porcis, ceterisque animalibus circumquaque, ſive in nemore, ſive in planitie donum quod fecerunt Guilhermus & Garſias del Perul, & infantes eorum de terra quam infra rivum fontis habebant pro animabus ſuis ſuorumque parentum, ſimiliter totam dederunt Vierna de Preciato, fundamentum iſtius terræ pro anima ſua, ſuorumque parentum, & pro anima filii ſui Oddonis, qui jam mortuus erat, dedit & conceſſit teſtibus Bertrando de Principia, Jordano de Frayſtaned, P. Arthern, & Sancio de Deſerto, & pluribus aliis hæc ſupra dicta dona fecerunt omnes in manu G. Lectorenſis epiſcopi, qui in ſequenti anno Deo volente & eligente Auxitana eccleſia archiepiſcopus factus eſt, & in manu cujuſdam monachi Gondonii, nomine Granni Stephani qui poſtea prior exitit loci, videntibus & aſſantibus Fortanerio priore S. Genii, Raimundo Arnaldi de Labarteyra, Angerio de Gremal, Argamaco de Bolhas, & aliis pluribus. Deinde poſt mortem Ardoini frater ejus Abrinus & ſoror ejus Bona cum ſuo marito de Caſtelar augmentaverunt hoc ſupradictum donum, videlicet a rivo torto uſque ad viam quæ circuit hoc donum, ſcilicet uſque ad quandam fagum in qua ipſi fecerunt ſignum.*

* Anni circiter. 1161.

Abbatum series.

I. Galandus *vel* Galindus præerat an. 1141. quo excepit inſignem donationem Bernardi Ainardi de Sauzeda. Vide probationes. C. XXVIII. p. 171. col. 2.

II. Petrus I. cui Garcias rex Navarræ, Pampelonæ, Malavæ & Tutelæ, eccleſiam S. Stephani de Lerago donavit, confirmante Lupo epiſcopo Pampelonenſi, Æra 1182. hoc eſt, anno Chriſti 1144.

III. Galinus præerat ann. 1162. ex charta Gimundi.

IV. Bertrandus I. tranſegit anno 1165. cum Bertrando abbate Moïſſiacenſi. An. 1178. teſtis legitur donationis factæ Alguerio abbati Bellæperticæ, ab Othone vicecomite Leomaniæ.

V. Vitalis de Maurenes, filius Pageſæ de Boilans, an. 1180. ſe Deo tradidit & B. M. Porta-

glonii, & Bertrando abbati, cum medietate territorii de Boilans &c. in præſentia G. Lactorenſis epiſcopi.

VI. Bernardus I. 1184.

VII. Martinus ex priore factus abbas, tempore Guillelmi archiepiſcopi Auxitani; memoratur etiam in dono Bertrandi & Bernardi de Ilia.

VIII. Geraldus I. ſubprior erat ſub Martino abbate, poſtea nuncupatur abbas in chartis temporis nota deſtitutis.

IX. Hugo varias excepiſſe donationes reperitur in variis chartis ubi notæ chronicæ deſiderantur.

X. A. 1196.

XI. Bernardus II. 1230. 33. & 35.

XII. T. 1237. ſub G. epiſcopo Lactorenſi, & 1238.

XIII. Petrus II. Androni in charta Raimundi Willelmi.

XIV. Arnaldus I. de Monte-Lauduno 1272. & 1274.

XV. Arnaldus II. Raimundi de Caſtro-Bayaco, 1283.

XVI. Arnaldus III. de ſancta Roma, 1382.

XVII. Arnaldus IV. Cappelain, 1408.

XVIII. Giraldus II. de Angario, 1424. 1428.

XIX. Johannes I. de Cathanaco; 1456.

XX. Bertrandus II. de Rupe-laura, * preſbyter baccalaureus in decretis & canonicus Lactorenſis 1477. & 1485. in ſtatutis capituli Lactor. Anno 1492. adfuit confirmationi ſtatutorum Petri epiſcopi. Vivebat adhuc anno 1503.

* De Rupelaura.

XXI. Petrus III. de Valle, nepoti ſuo Guillelm, de Pinu, Grandis-ſilvæ monacho, reſignavit eccleſiam S. M. de Gilhac, cujus poſſeſſionem accepit bulla Leonis X. data calendis Junii, anno pontificatus 2. hoc eſt 1514. ex tab. Grandis-ſilvæ. Forte idem eſt ac Petrus cognominatus de Baille, qui reperitur anno 1511.

XXII. N. Cardinalis d'Albret, 1520.

XXIII. Johannes II. de Godail, 1522. & 1541.

XXIV. Carolus du Polcor, 1550.

XXV. Gaillardus de Gonalard, *al.* de Bolard, ſcilicet in tabul. Bellæ-perticæ * ubi legitur teſtis cum Johanne de Pardailhan abbate de Moureaulx, quando Georgius cardinalis de Armaniaco epiſcopus Rutenenſis abbatiæ Bellæperticæ poſſeſſionem accepit XI. Decembris anni 1557. Reperitur adhuc annis 1560. & 1563.

* in biblioth. Colb.

XXVI. Saniardus de Gonalard 1573.

XXVII. Bertrandus III. de Barrau de Pairon, epiſcopus Appamienſis, 1575. obiit 5. Junii an. 1605.

XXVIII. Petrus IV. de Lavat, doctor theologus, canonicus & archipreſbyter Appamienſis, poſſeſſionem adeptus eſt XI. die Maii, qui habitum monaſticum aſſumens factus eſt abbas regularis.

XXIX. Johannes III. du Meſnil-Simon, canonicus eccleſiæ Bituric. anno 1638.

XXX. Petrus V. de Lavat, 1646. & 1657.

XXXI. Franciſcus I. le Vayer, doctor Sorbonicus, 1661.

XXXII. Franciſcus II. de Paul-Curelz, Ciſtercii monachus, doctor theologus, a rege deſignatur, die 10. Aprilis an. 1663. benedicitur vero die 10. Januarii an. 1666. ab epiſcopo Lactoratenſi, præerat adhuc an. 1710.

ABBATIA B. MARIÆ DE FLARANO, ordinis Ciſtercienſis.

FLaranum ordinis Ciſtercienſis, diœceſis Auſcienſis, filia eſt Berdonæ de linea Morimundi: cujus ſequentes tantum abbates deprehendimus.

ABBATUM SERIES.

I. Willelmus bullam protectionis obtinuit ab Alexandro III. 1162.

II. Giſlebertus tempore Geraldi comitis Armaniaci.

III. L. 1220. in litteris G. archiepiſcopi Auxitani.

IV. B. 1331. in charta Gimundi.

V. Geraldus de Sorobeyroſa 1428.

VI. Bernardus de Vicomonte, in decretis baccalaureus recenſetur in decretis Petri epiſcopi Lactorenſis, 1485.

VII. Antonius de Boſco-rotundo, 1495.

VIII. Pontius d'Aſpremont, 1539.

IX. Petrus d'Aſpremont, 1551.

X. Pontius d'Aſpremont, 1556. reſignat 1573.

XI. Johannes Boyer, ex ceſſione præcedentis 1573. & 1582.

XII. Andreas de Gelas, 1599.

XIII. Georgius de Brunet, 1603. & 1614.

XIV. Carolus-Jacobus de Gelas de Leberon, epiſcopus Valentinus, 1636. obiit die 5. Junii an. 1654. abbas etiam Bonæ-cumbæ.

XV. Anthymus-Dionyſius Cohon, epiſcopus Nemauſenſis 1659. 1661. 1665. Deceſſit anno 1670. die 7. Novembris, pluribus aliis abbatiis locupletatus.

XVI. Nicolaus Parayre, obiit 1710. menſe Octobri.

XVII. Joſephus de Mouchant de Mauvoiſin, præpoſitus Condomienſis deſignatur abbas anno 1710. in feſto omnium ſanctorum.

ABBATIA GIMUNDI.

GImundus ordinis Ciſterc. ac diœceſis Auxitanæ, filia Berdonarum, de linea Morimundi, fundatur a Giraldo de Brolio & Gauzens, ejus uxore atque eorum filiis an. 1142. ut docet hoc inſtrumentum fundationis:

IN nomine Domini: ſciendum eſt quod Guiraldus de Brolio, & Gauzens uxor ejus, & filii eorum Willelmus Ramundus, & Trencherius, & Guiraldus & Matelz uxor prædicti Willelmi Ramundi, omnes ſupradicti pro ſe & pro ſucceſſoribus ſuis præſentibus & futuris, pro amore Dei & remiſſione peccatorum ſuorum donaverunt Deo & B. Mariæ de Berdonas, atque ALBERTO *abbati & conventui ejuſdem loci præſenti & futuro centum concadas de terra in nemore quod dicitur Plana-ſilva, ut ibi*

Digitized by Google

conſtruatur abbatia in honore Dei, & B. MARIÆ A *genitricis ejus, & S.* BENEDICTI, *omniumque ſanctorum ſecundum conſuetudinem Ciſtercienſis ordinis. Hoc autem prædictum donum factum eſt in caſtello quod vocatur Mormont. Factum eſt hoc*
1142. *anno ab Incarnatione Domini* M. C. XLII. V. *Aprilis regnante Lodovico rege Francorum, & Willelmo Auſcitano archiepiſcopo, cujus donationis teſtes ſunt Ancrus de Meranmont capellanus de Mormont, & Bernardus frater ejus & Petrus dez Maled. Iterum ſciendum eſt quod eodem anno conſtructa eccleſia in prædicto honore Guiraldus de Brolio, & Gauſens uxor ejus, & filii eorum Willelmus Ramundus, & Trencherius, & Guiraldus, & Matelz* B *uxor prædicti Willelmi Ramundi, omnes iſti ſupradicti confirmaverunt prædictum donum, ponentes in teſtimonium prædictæ donationis miſſale ſuper altare prædictæ eccleſiæ, præſentibus tam monachis quam fratribus ejuſdem loci, & donaverunt & conceſſerunt Deo, & B. Mariæ Gemundi, & habitatoribus ejuſdem loci præſentibus & futuris ingreſſum & egreſſum, & paſcua, & expletas per totam ſuam terram, & per totum honorem ſuum. Donaverunt etiam & conceſſerunt locum ad faciendum molendinum in ſupradicto domo. Factum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini* M. C. XLII. *regnante Ludovico rege Francorum,* Willelmo C *Auſcitano archiepiſcopo. Hujus confirmationis & conceſſionis teſtes ſunt, Dolcez de Preiſſan, & Willelmus de Corunchag, & Torpis de Baſcolz, & Willelmus Ancrus de Arners, Bernardus de Chalana, & Petrus de S. Paulo, Garſias dez Porcelenes, Raimundus de Commenge, Sancius de S. Mauro, Fr. Arnaldus Decha Burguera.*

Confirmatio præfatæ fundationis a Willelmo Arnaldo de Bigmont, & W. Ar. filio ejus.

IN nomine Domini ſciendum eſt quod Arnaldus de Bigmont, & Willelmus Arnaldus filius ejus, pro amore Dei & redemtione animarum ſuarum, bona fide, ſine retentione, libere & abſolute jure D *perpetuo pro ſe & pro omnibus ſuis ſucceſſoribus donaverunt, & conceſſerunt, & abſolverunt Deo, & B. Mariæ Gemunai, &* BERNARDO *abbati, & conventui ejuſdem loci præſenti & futuro, totum illud donum quod* GERALDUS *des Brol, & uxor ejus* GASENS, *& filii ejus Trencher, & Giraldus & Willelmus Ramundus, & Matildis uxor ejus fecerant Deo & B. Mariæ de Berdonas, &* ALBERTO *abbati ejuſdem loci de centum concadas de terra ad conſtruendam præfatam abbatiam Gemundi, totum & integrum ſicut in carta ipſius donationis continetur. Hoc donum fuit factum a Tornacopa quando Arnaldus de Bigmont venit ad religionem in monaſterio Gemundi. Factum eſt* E
1162. *hoc anno ab Incarnatione Domini* M. C. LXII. *regnante Ludovico rege Francorum, Viviano epiſcopo Lacturæ. Hujus rei teſtes ſunt dominus epiſcopus Lacturenſis, Fort-Sans capellanus de Pezolenes, Umbertus monachus Gemundi, Arnaldus R. de Salzet, Fort de Charocca, Fortanez Deſſalon, Arnaldus de Mancip de Pozolenes, Bertran de Roccafort converſus Grandis-ſilvæ, & frater Willelmus Margarons, fr. Etz de Samatan, frater Ramundus de Malveczin, Garſis de Mauros, qui hoc donum confirmavit, & multi alii.*

Nunc vero ſeries abbatum ad fidem inſtrumentorum contexta nobis exhibenda incumbit.

SERIES ABBATUM.

I. Arnaldus I. an. 1143. ab Iſarno & Raimundo Aldrone de Blanchet accepit totum id quod habebant in terra quæ vocatur Alhemar. Anno 1147. a Floriano de Brul, terram ad Chatigan percepit: quo anno & ſequentibus plures eidem factæ ſunt donationes. Anno 1152. bullam tuitionis obtinuit ab Eugenio III. Vixit ad annum 1153. quo tranſmigravit ad abbatiam Berdonenſem.

II. Bernardus I. Arnaldo ſucceſſit, an. 1153. Anno ſequenti tranſigit cum Ademario Tocos. Caſale de Marſan & alia quædam, an. 1161. comparavit. Confirmatur eidem fundatio monaſterii a Willelmo Arnaldo de Bigmont, an. 1162. qua de re vide chartam ſupra relatam. Eodem anno III. idus Junii, Bernardus Gimundi, Pontius Guill. Grandis-ſilvæ & Vitalis-fontis-frigidi abbates a Raimundo de S. Laurentio, acceperunt ſilvam nuncupatam Al Thor de Vilderan, cum appenditiis S. Hippolyti, ex tab. Fontis-frigidi. Fundationem quoque monaſterii de Buxedo in diœceſi Sigobienſi factam æra 1197. a Gonzaleo de Marano excepit, ut fidem facit charta noſtris probationibus inſerta. *C. XIX. pag. 172. col. 2.* Anno 1167. Arnaldum de Carcerella, filium Willelmi Raimundi de Brolio, & Mathildis in monachum recepit. Anno denique 1173. qui fuit ejus ultimus, a Petro de Campra, & Willelmo Arnaldo de Campra jus acquiſivit quod habebant apud Cabiran.

III. Umbertus ex priore abbas reperitur, an. 1173. qui anno ſequenti quaſdam ab Aſalto de S. Amantio terras in pignus accepit. Ejus tempore Juncheria diœceſis Cæſarauguſtanæ abbatia ordini Ciſtercienſi aggregata eſt, & Gimundo ſubdita, ut teſtatur Ildefonſi regis præceptum inter inſtrumenta editum. *C. XXIX. pag. 192. col. 1.* Notatur in necrologio nonis Auguſti.

IV. Arnaldus ſive Giraldus (utrumque enim nomen promiſcue uſurpatur in chartis) anno 1177. Gimundum regere incœpit. Beneficum expertus eſt anno ſequenti Guillelmum de Blancafort, & 1180. Pontium de Boloſa. Sedebat adhuc 1181.

V. Donatus abbatiam regebat 1182. quo an. Ugo de Seguinvilla Arnaldum filium ſuum ei obtulit. Occurrit etiam variis in chartis, ann. 1183. 1184. 1187. & 1188.

VI. Johannes I. electus eſt abbas Gimundi, an. 1188. Huic Petrus de Orbeſano paſcua, herbagia, expletam & liberum per totam terram ſuam introitum conceſſit.

VII. Petrus I. 1188. 89. & 90.

VIII. Arnaldus II. de Brolio electus anno 1191. plurima acquiſivit annis 1192. & 1194.

IX. Sancius Hugo 1195. electus dicitur in charta Giraldi de S. Giraldo. Reperitur etiam in variis annorum 1197. & 1200. inſtrumentis.

X. Bernardus II. Deſparvés 1201. 1202. & 1203.

XI. Petrus II. Agroe, Aque & Ague (ſic enim

diverſimode ſcribitur) electi nomen præfert in variis chartis ab anno 1206. ad 1209. abbatis vero 1209. & deinceps ad annum 1215. Anno 1212. donum Aimerici de Mared excepit.

XII. Martinus de Nogarello, an. 1215. in donatione Arnaldi de Gironda.

XIII. Auriolus an. 1217. menſe Martio tranſigit cum H. abbate Grandis-ſilvæ, de quibuſdam paſcuis, quæ a Vitali abbate Berdonarum ſequeſtro communia judicata fuerunt. Ipſi herbagias, aquas & ligna dederunt Arganano Danſano & Gaſſina uxor ejus, an. 1229. Recenſetur etiam an 1230.

XIV. Garſias, 1233. notatus in necrologio nonis Februarii.

XV. Willelmus I. de Fita, 1235. & 1251.

XVI. Bartholomæus an. 1256. ſententiam obtinet adverſus præceptores Gavarniæ & de Fontebus. Eodem anno territorium S. Martini du Has, præſente Augerio abbate Condomienſi accepit a Vitali de Lacerta & Eſclamunda ipſius matre. Compoſuit anno ſeq. menſe Januario cum Richardo abbate Grandis-ſilvæ, ex tab. hujus monaſterii. Occurrit etiam annis 1259. & 1262.

XVII. Petrus III. de Penſo an. 1265. pareagium urbis Gimundi cum Alfonſo comite Toloſano confirmavit. Anno 1267. ſententiam obtinuit adverſus Bernardum de Cumineriis præceptorem hoſpitalis Jeroſolymitani Toloſæ & de fontibus Orbis. Præerat adhuc an. 1271.

XVIII. Bernardus III. de Spaono 1272.

XIX. Richardus 1277. cujus obitus conſignatur in necrologio ad x. cal. Martii.

XX. Bernardus IV. Labbatut ſedebat an. 1280. quo pareagium urbis Gemundi, annuente Hugone Berdonenſi abbate, cum Alfonſo comite Toloſano iterum confirmavit. Ipſius temporibus anno videlicet 1286. * abbatia Silvæ-latæ, inſtituta Ciſtercienſium amplexa eſt, ſub Gimundenſis abbatis regimine. Obiit anno 1292. ſepultus in capitulo cum hoc epitapho: *Anno* MCC. *nonageſimo ſecundo, VI. nonas Maii, obiit dominus Bernardus de Labbatut octavus* ᵃ *abbas Gemundi, cujus anima requieſcat in pace, amen. Quicumque legerit dicat.* Pater noſter.

* al. 1187

ᵃ

XXI. Raimundus de Toloſa tranſigit anno 1292. cum conſulibus Franeæ-villæ, annuente Petro de Mageria abbate Berdonarum; & rurſus cum iiſdem an. 1300.

XXII. Matthæus I. 1300. 1308. & 1302.

XXIII. Guillelmus de Hiſpania, anno 1302. tranſigit cum Univerſitate, ſeu communia Gimundi, Petro exiſtente epiſcopo Toloſano.

XXIV. Matthæus II. 1307. 1309. & 1312.

XXV. Bernardus V. de Greyra, 1315. 1320. & 1328. notatus in necrologio XVI. cal. Auguſti.

XXVI. Girardus de Terraſſa vel de Teraſſia, 1330. 1332. & 1335. quo Antonianis facultatem negavit Gimundi conventum ædificandi. Deceſſit anno ſeq. 3. die Octobris, ſepultus in capitulo cum epitaphio, in quo mendoſe dicitur abbas undecimus.

XXVII. Guillelmus II. de Monte-deſerto, an. 1337. ſententiam obtinuit adverſus conſules Gimundi, quos ad fidelitatis juramentum excepit annis 1339. & 1340. Reperitur etiam 1344. quo anno edictum a Johanne rege conſequitur adverſus fratres Prædicatores, qui reluctante ipſo Gimundi conventum ædificare volebant. Obiit VI. idus Octob. an. 1348. ex necrologio.

XXVIII. Petrus IV. 1351.

XXIX. Gaſto 1370.

XXX. Guillelmus III. 1377. quo anno Guillelmus card. preſb. tit. S. Vitalis deputatus judex & commiſſarius pro aſſignandis decimis prioratus S. Galli de Langiaco, vocat Guillelmum abbatem monaſterii de Gimonte, Auxitanenſis diœceſis, ordinis Ciſterc. *auditorem noſtrum.* Datum, inquit, *Avinione in palatio domini noſtri papæ quod inhabitamus*, an. MCCC. LXXVII. indict. XV. die Mercurii quarta menſis Martii, pontificatus Greg. XI. anno 7. &c.

XXXI. Petrus V. an. 1391. cameræ ſolvit apoſtolicæ ſolita ſervitia.

XXXII. Guillelmus IV. de Baſtica 1405.

XXXIII. Dominicus de Menaſſio, 1419. 1426. & 1447. notatur in necrol. idibus Januarii.

XXXIV. Guillelmus-Arnaldus de Favaſio, ſeu de Favariis, ſacræ paginæ profeſſor, 1461. Anno 1466. Guillelmo Nicolai facultatem tribuit conſtruendæ capellæ. Reperitur etiam an. 1467. Locum habet in necrologio IX. cal. Februarii, ubi dicitur obiiſſe an. 1471.

XXXV. Antonius de Balſaco, decretorum doctor & profeſſor, necnon regis conſiliarius, 1470. & 1478.

XXXVI. Johannes II. de Monte-lamberto, epiſcopus Montalbanenſis, 1482. moriturdie 19. Decembris. an 1484.

XXXVII. Petrus VI. de Bidos electus eſt die 6. Januarii an. 1484. more Gallico. Anno 1494. ſententiam obtinuit adverſus conſules Gimundi. Sedebat adhuc 1509. obiit vero anno ſequenti XVI. cal. Decembris.

XXXVIII. Aimericus de Bidos, 1513. & 1543. obiit 23. Octob. 1556.

XXXIX. Johannes III. de Bellegarde, filius Rogerii de Bellegarde, Franciæ mareſcalli, ætatis ſuæ anno 16. Chriſti 1557. e vivis exceſſit.

XL. Petrus VII. Mavon, canonicus Lombarienſis ei ſucceſſit, qui poſt ſex menſes obiit.

XLI. Johannes IV. de S. Clair, ſedis apoſtolicæ protonotarius, 1564. non exceſſit annum 1578. quo per œconomum abbatiæ reditus adminiſtrabantur.

XLII. Johannes V. Filouſe, canonicus & vicarius generalis Lombarienſis moritur ann. 1586. proindeque ante obitum ceſſerat, nam

XLIII. Franciſcus Bonard ex Franciſcano Pedemontano, abbas & epiſcopus Conſeranenſis abbatiam obtinebat, an. 1584. quam nepoti ſuo poſtea reſignavit. Obiit die 30. Novembris an. 1595. ſepultus in eccleſia Gimundi.

XLIV. Balthaſar Bonard, 1601. & 1602. obiit 1619. pridie nonas Septemb. cum longe ante ceſſiſſet in gratiam ſequentis.

XLV. Ludovicus cardinalis de la Vallette, 1611. & 1619. Vitam cum morte mutavit, die 27. Septemb. an. 1639.

ᵃ Mendum eſt in ordine qui aſſignatur huic abbati.

XLVI. Ludovicus de Sacé de la Cheſnaye, canonicus Rotomag. & abbas de Anglis in Pictonibus 1645.

XLVII. Gaſto-Johannes-Bapt. Savari, comes de Breves, filius legati regii in aula imperatoris Turcarum 1651.

XLVIII. Julius-Cæſar Faure Berbeſſe, *al.* de Fabre, prius ſenator in parlamento Burgundiæ, tum præſes infulatus in parlamento Metenſi, abbas deſignatus, an. 1662. obiit 1685.

XLIX. Joſephus de Montpezat de Carbon, archiepiſcopus Toloſanus, obiit 27. Junii 1687.

L. Johannes-Bapeiſta de la Croix de Chevrieres de S. Vallier, epiſcopus Quebecenſis, deſignatur abbas die 14. Auguſti an. 1687.

LI. Paulus Fontanier de Peliſſon, obiit die 7. Febr. an. 1693. abbas etiam Beneventi.

LII. Auguſtinus de Roquette renuntiatur abbas die 27. Martii an. 1693.

LIII. Gaſpardus du Bourg, 24. Decemb. 1694. obiit menſe Maio 1705.

LIV. Stephanus du Bourg, ſocius Sorbonicus præeſt hoc an. 1715.

ABBATIA CASÆ-DEI*, ordinis Præmonſtratenſis.

* Caſe-Dieu.

CAſæ-Dei monaſterium ordinis Præmonſt. immediate ſubjectum abbati S. Martini Laudunenſis, fundatur circa annum 1135. a Petro comite Bigorritano, uti nos docet necrologium, in quo hæc ipſius mentio: *Pridie calendas Septembris Petri Bigorritani comitis, qui dedit huic domui terram in qua abbatia Gratiæ-Dei ædificata eſt.* Præcipui benefactores Caſæ-Dei fuere domini de Pardiaco, & domini de Armaniaco, ex quibus plurimi ſuam ibi ſepulturam elegerunt. Conſpicitur etiamnum in baſilica a latere epiſtolæ locus ſepulturæ dominorum de Pardiaco, & in clauſtro ſepultura dominorum de Armaniaco. Hanc abbatum ſeriem tam ex necrologio, quam ex veteribus chartis deſcripſimus.

ABBATUM SERIES.

I. Bernardus I. abbas primus memoratur in necrologio, tum Caſæ-Dei, tum Artoſii his verbis: XVII. *cal. Febr. obitus Bernardi abbatis hujus eccleſiæ primi.* Alii tamen primum abbatem volunt fuiſſe Adamum, dicuntque notari in necrologio Reſſonienſi ad x. cal. Decembris.

II. Garcias notatus in necrologiis Artonæ & Marchiæ-Rodulfi die 28. Julii.

III. Pontius cui anno 1141. patronatus B. Quiteriæ adjudicatur adverſus B. epiſcop. Tarbienſem. De eo necrologium monaſterii ſic habet: *Calendis Julii obitus domni Pontii abbatis hujus eccleſiæ tertii*; qui tamen in necrologio Artonæ ad diem ſextam Julii dicitur quartus abbas.

IV. Bernardus II. bullam protectionis accepit a Cæleſtino papa II. pontificatus anno primo, v. cal. Aprilis 1143. Sedebat adhuc anno 1154. ex charta Capellæ. De eo ſic habet necrologium: *Pridie idus Octobris fratris domni Bernardi abbatis Caſæ-Dei, qui ædificavit monasterium quod Capella dicitur, ſitum prope fluvium Garumnæ diœceſis Toloſanæ prope Graxianam, pro quo tenemur facere plenarium officium.* In necrologio Artonæ dicitur abbas tertius.

V. Geraldus I. 1159. in charta Willelmi abbatis & conventus eccleſiæ Furnenſis.

VI. Bernardus III. adfuit compoſitioni inter monachos de Capella & monachos Grandis-ſilvæ idibus Auguſti an. 1168. ex tabul. Grandis-ſilvæ.

VII. Raimundus-Guillelmi ad cujus præſentationem A. epiſcopus Tarbienſis eccleſiam S. Quiteriæ de Ripa-alta contulit Petro de Serra canonico Caſæ-Dei, an. 1224. in feſto S. Ambroſii. Sic ejuſdem meminit necrologium: IX. *cal. Septemb. obitus domni Raimundi-Guillelmi abbatis hujus eccleſiæ quinti.*

VIII. Sancius de Sancto-Loboro, an. 1227. VI. nonas Maii, quo ipſi decernitur patronatus eccleſiæ B. Quiteriæ de Ripa-alta, ab Odone de Levitania abbate Generenſi electo arbitro, adverſus Hugonem epiſcopum Tarbienſem; unde ad præſentationem abbatis Hugo præfatus hanc eccleſiam contulit fratri Raimundo de Arcils canonico Caſæ-Dei.

IX. Geraldus II. interfuit anno 1231. compoſitioni inter Raimundum Galliacenſem abbatem & R. comitem Toloſarum.

X. Arnaldus I. Guillelmi, 1253. & 1274.

XI. Stephanus hoc anno 1274. prima die Septemb. donum excepit Petri de Marenx domicelli. Idem eſt, ut putamus, ac Stephanus Lupati, cui anno 1287. Arnaldus-Guillelmi de Monte-Lugduno, comes Pardiaci, facultatem conceſſit vendendi *herbas, foraſtagia & paſſagia habendi*, ſicut in comitatu Pardiaci milites. Recenſetur etiam annis 1281. 1285. & 1292. ubi dicitur *Stephanus de Lupant.* Ejus ita meminit necrologium: XVII. *cal. Auguſti domni Stephani Lupati de S. Johanne ..... pia memoria abbatis hujus eccleſiæ noni, qui deceſſit ſub anno Domini* 1301.

XII. Arnaldus II. ſucceſſit Stephano Lupato, cujus ſcilicet fit mentio in charta monaſterii, an. 1301.

XIII. Vitalis de Gardia tranſigit an. 1308. cum Amanevo archiepiſcopo Auxitano, præſente Johanne abbate Reulæ-ſilveſtris. Eo ſedente an. 1317. feria quinta v. idus Junii in feſto SS. Primi & Feliciani facta fuit conſecratio altarium S. Johannis & S. Nicolai per venerabilem dominum Guillelmum Eunabienſem epiſcopum, qui tunc temporis ſuffraganeus erat ſeu coadjutor Amanevi de Armaniaco archipræſulis Auxitani. Lites habuit an. 1322. cum Johanne Armaniaci comite, & an. 1323. cum Guillelmo Hunaldi epiſcopo Tarbienſi, pro patronatu S. Quiteriæ, qui abbati adjudicatur ab officiali Auſcienſi, feria ſexta poſt oct. SS. Petri & Pauli anno 1324. Vir ſanctus fuit hic abbas ut teſtatur index ipſius dexter ſervatus huc uſque incorruptus. Jacet in navi baſilicæ hoc cum brevi epitaphio: *Anno Domini* 1336. *cal. Septembris obiit dominus Vitalis de Gardia, abbas hujus eccleſiæ undecimus.* Orate pro illo, *Pater noſter.*

XIV. Dominicus I. d'Augays anno 1337. hominium exhibuit comiti de Armaniaco. Obiit an. 1360. ex necrologio, ubi ſic habetur: VII. *cal. Novemb. obitus Dominici d'Augays pie memoriæ abbatis XII. qui deceſſit anno* 1360. Mox vero Innocentius papa VI. anno pontificatus nono X. cal. Febr. Radulfum de Vaſſinhac præpoſitum S. Juſti diœceſis Auſcienſis, & Petrum Bruenelli canonicum Cameracenſem ſedis apoſtolicæ nuntios delegavit, qui ſuo nomine bona defuncti abbatis mobilia reciperent, abbatiæ que redituum rationes expoſcerent, hoc addito quod ipſi de abbate providendi jus papa ſibi reſervaret; ex tab. monaſterii.

In Biblioth. Colb.

XV. Johannes I. de Curio ita conſignatur in necrologio: VII. *cal. Octob. obitus Johannis de Curio piæ memoriæ abbatis hujus eccleſiæ* XIII. *qui primitus fuit abbas Fontis-calidi, qui deceſſit ſub anno Domini* M. CCC. LXXI.

XVI. Gailhardus de Condomio ſedebat an. 1386. menſe Julio, quo canonici S. Salvatoris de Urdacio, ejuſdem ordinis ſcilicet Præmonſtr. ab ipſo tanquam patre hujus abbatiæ, electionis Dominici Duſtarits, in abbatem factæ canonice confirmationem deprecati ſunt. De eo ſic habet necrologium: X. *cal. Novembris obitus domni Galhardi de Condomio, abbatis hujus monaſterii* XIV. *qui deceſſit an.* 1395.

XVII. Arnaldus III. de Melhono, 1401. cujus obitus in necrologio aſſignatur VII. idus... ubi dicitur *pia ac recolendæ memoriæ abbas hujus eccleſiæ* XV. *qui primitus fuit abbas de Capella Toloſana diœceſis & Villepodi Urgellitana diœceſis, qui deceſſit ſub anno* 1413. Forte vero ante mortem ceſſerat pedum Guillelmo qui ſequitur.

XVIII. Guillelmus I. de Ulmo, cujus meminit Guido de Roſinhac abbas Craſſenſis in ſuo teſtamento, tanquam ſui benefactoris, die 24. Aprilis an. 1411. ex tab. Craſſenſi.

XIX. Petrus I. Rigaldi anno 1418. hominium fecit comiti de Armaniaco. De eo necrologium ſic habet: VI. *cal. Octob. obitus domni Petri Rigaldi piæ memoriæ abbatis hujus eccleſiæ* XVI. *qui obiit ſub anno Domini* 1427.

XX. Dominicus II de Monte-acuto, de quo necrologium ad XVII. cal. Septemb. *Obitus domni Dominici de Monte-acuto abbatis hujus eccleſiæ, qui obiit ſub anno Domini* 1434.

XXI. Bernardus IV. de Ju memoratur ann. 1435. 27. Julii in charta eccleſiæ Tarbienſis. Occurit etiam an. 1437. Anno 1450. hominium exhibuit comiti de Armaniaco. Reperitur & anno 1453. defunctus 1458. ex necrologio, ubi ſic habetur: XVI. *cal. Sept. Bernardi de Ju abbatis hujus eccleſiæ* XVIII. *piæ ac recolendæ memoriæ, qui multa bona fecit monaſterio & dedit officio veſtiariæ* CCCC. *ſcutorum auri, & officio pitanciariæ* CC. *ſcutorum auri; qui obiit ſub anno Domini* M. CCCC. LVIII.

XXII. Petrus de Monts in decretis baccalaureus, mortuo Bernardo, eligitur anno 1459. obiit an. 1473. ex necrologio quod ſic habet: VI. *cal. Novemb. Petri de Monts piæ memoriæ abbatis hujus eccleſiæ & doctoris in decretis, qui multa bona fecit monaſterio noſtro, & conſtituit molendinum de Placentia; qui obiit ſub anno Domini* 1473. extra curiam Romanam.

XXIII. Johannes II. de Laſcunio Auxitanus archiepiſcopus nominatur hoc anno a Sixto IV. ſummo pontifice rogatu Ludovici XI regis Francorum, bulla data II. cal. Aprilis an. 1473. reluctantibus, ut videtur, monachis, quibus a reverendiſſimo generali datus eſt abbas Petrus de Meſeugarbe, ſed fruſtra; nam domnus archiepiſcopus ſententia judicis Ripariæ confirmatus fuit an. 1481. Et certe necrologium ita ejuſdem meminit: XVII. *cal. Aprilis commemoratio RR. in Chriſto patris Johannis de Laſcunio, miſeratione divina archiepiſcopi Auxitani, adminiſtratoris perpetui hujus præſentis monaſterii, cui ſui benigna gratia multa bona & membris ejuſdem fecit. Conceſſit enim adminiſtrationem per ipſum habitam officio veſtiariæ, eccleſiam S. Petri de Cotenx, etiam uniendo & incorporando & concredendo, ut ab iſta hora in antea & poſt deceſſum rectoris præſentis de Cotenx, regatur per unum ex religioſis pradicti monaſterii, ad præſentationem abbatis qui pro tempore fuerit, & ad ſimplicem collationem domni archiepiſcopi Auxitani. Et etiam fecit domum Sabaterie, de novo ædificando foſſatos aqua munitos, pro quibus bonis jam habitis & habendis, ex deliberatione capituli & omnium fratrum fuit conceſſum, ut cum Deus & Virgo glorioſa proſperare dignetur, quandiu vixerit, dicantur duæ miſſæ, una de Spiritu ſancto, prima die Jovis Quadrageſimæ, & alia primo ſabbato Adventus, cum pulſatione campanarum.* Conceſſio prædictæ eccleſiæ de Cotenx facta fuit per eundem archiepiſcopum die IV. Junii, an. Domini 1476.

XXIV. N. Cardinalis S. Georgii, adminiſtrator perpetuus, an. 1485.

XXV. Petrus II. a ſancto Mauriſſio, de quo necrologium ſic habet: XVI. *cal. Novemb. obitus domni Petri de S. Mauriſſio, abbatis hujus eccleſiæ, qui & magno labore acquiſivit rectoriam de S. Johanne de Potye.*

XXVI. Johannes III. le Maiſtre, mortuo Petro a S. Mauriſſio eligitur & confirmatur, anno 1488.

XXVII. Guillelmus II. de Prat ſucceſſit anno 1506.

XXVIII. Johannes IV. de Montagut electus & approbatus 1508. an. 1516. delegatur a Johanne abbate Præmonſtratenſi ad viſitandas hujus provinciæ abbatias. Ipſius mentio habetur in necrologio his verbis: XV. *cal. Septemb. Johannis de Monte-acuto abbatis hujus eccleſiæ, qui obiit anno Domini* 1528. *& die decima-octava menſis Auguſti, & deceſſit in Univerſitate Toloſana, qui multa bona fecit ad Dei honorem huic monaſterio.*

XXIX. Jacobus du Faur, anno 1533. a rege donatus eſt hac abbatia, quam adhuc anno 1557. poſſidebat. Erat etiam præpoſitus S. Salvii, anno 1551.

XXX. Petrus III. du Faur vicarius archiepiſcopi Toloſani memoratur abbas ann. 1568. in charta Grandis-ſilvæ. Anno 1573. procuratorem inſtituit generalem.

XXXI. Johannes V. du Faur clericus Toloſanus obtinuit hanc abbatiam a ſummo pontifice anno 1583. qua ceſſit ante obitum: exſtant enim

documenta anni 1614. in quibus legitur *Johannes du Faur*, olim abbas Caſæ-Dei, nunc prior de Pinel..... Marval & Villepreux.

XXXII. Bernardus V. d'Affis regia conſiliis & eleemoſynis, protonotarius ſedis apoſtolicæ, memoratur abbas ann. 1606. & 1612.

XXXIII. Johannes * Franciſcus de Rochechouard, 1634. Reſignavit ſequenti.

XXXIV. Carolus de Rochechouard bullas obtinuit anno 1638. ætatis ſuæ anno vigeſimo ſecundo.

* al. Ludovici. Caroli filius Ludovici-Johannis Dom. de Clermont d'Iſalgnier.

XXXV. Daniel de Bares de S. Martin, abbas nominatus regularem vitam profeſſus eſt anno 1673.

XXXVI. Paulus de Curdecheſne, conſiliarius in curia vectigalium Montis-peſſulana, & in camera computorum Occitaniæ, abbas etiam Plenæ-ſilvæ, doctor in theologia facultatis Pariſienſis & ab eleemoſynis duciſſæ Aurelianenſis; nominatur abbas Caſæ-Dei 14. Decembris anno 1693. ſederque hoc anno 1715.

AQUENSIS EPISCOPATUS SUB AUSCIENSI METROPOLI.

ANNI CHRISTI. Aqua ſur l'Adour.

CIVITAS Aquarum Tarbellicarum, Aquenſium dicta in Notitia provinciarum, Aquæ Auguſtæ vocatur a Ptolemæo; quod nomen a Romanis inditum nemo negaturus eſt. Aquas Tarbellicas nuncupavit auctor Itinerarii Antonino adſcripti; Auſonius Aquas Tarbellas; Vibius Sequeſter de fluminibus Tarbellas; Aquis legitur in tabula Peutingeri. Nomen vero accepit hæc urbs ab aquis ſalubribus quæ hoc in loco ſcaturiebant. De iis Plinius cap. 11. libri xxxi. *Emicant* (aquæ) *benigne paſſimque in plurimis terris alibi frigidæ, alibi calidæ, alibi inunctæ* (melius junctæ) *ſicut in Tarbellis.* De his aquis Vinetus in Auſonium: *In eo measo* (oppido) *fons calidus perpetuo fervens, aquam multam in propinquum* * *Aturrum emittens. Ex quibus aquis calidis, Latini homines qui eas frequentabant, non dubito quin locum illum jam tum Aquas appellare cæperint.* Fuiſſe Romanorum opus illud oppidum, inter cetera teſtantur ſtructuræ, *vetuſtatemque*, ait Oihenartus, *in mœnibus non parvam oſtentat, aliaque antiquitatis veſtigia hactenus exſtantia: ſuperſunt enim in ſuburbano trans Aturrum, qua ad divi Pauli baſilicam itur, reliquia veteris aquæductus, nec procul inde in quodam ſacello antiquus lapis, Romanis litteris inſcriptus: in ipſa etiam urbe, in margine fontis aquarum calidarum ſolia marmorea.* Extra civitatem vero balnea habet.

* l'Adour.

ANNI CHRISTI.

Ita celebris olim fuit Aquarum Tarbellicarum civitas, ut ab ea totius Aquitaniæ nomen, tanquam a metropoli derivatum nonnullis viſum ſit eruditis; quam ſententiam Hadrianus Valeſius in notitia Galliarum, Plinio tribuere non dubitavit.

Tempore Francorum regum primæ dynaſtiæ, hæc urbs proprium habebat comitem; qualis fuit Nicetius a Gregorio Turon. l. VII. hiſt. c. 31. commemoratus, qui erat Ruſtici Vico-Julienſis epiſcopi germanus, ipſeque epiſcoparum Aquenſis urbis ambibat.

Sub tertia noſtrorum regum dynaſtia, dominium urbis & agri Aquenſis, penes vicecomites fuit, uſque ad quemdam Petrum aliquando dictum proconſulem, quem Richardus Pictonum comes & Aquitaniæ dux ſibi rebellem urbe exuit anno 1177.

Nunc ea urbs munita quidem eſt, ſed non ampla in Novempopulania ſub parlamento Burdegalenſi & archiepiſcopatu Auxitano: quamvis enim a Greg. Turon. loco ſuperius laudato metropoli Burdigalenſi ſubjici videatur, tamen ab omni ævo ſub Auſcienſi metropoli conſtituta invenitur iſta ſedes epiſcopalis, & in Notitiis provinciarum Galliæ inter Novempopulanas civitates annumeratur; & caput eſt ſeneſcalliæ ſeu præfecturæ Landarum, ſedeſque ſeneſcalli. Habet etiam curiam præſidialem, ad quam ab inferioribus Landarum tribunalibus provocatur; in quibus Lapurdenſe quoque cenſetur teſte Oihenarto.

Porro urbs præterea gaudet ſuo majore (Maire) a quo regitur, ſuoſque, uti aiunt, Juratos, & alios hujuſmodi urbicos magiſtratus habet.

Quod ſpectat ad ſtatum urbis ſpiritualem, epiſcopatus eſt, qui primum poſt metropolim locum obtinet. Eccleſia cathedralis patronam habet Deiparam Virginem. Capituli primævam originem a regibus Galliæ repetunt, hac conjectura, quod jure & privilegio regalis fundationis in ſupremis Galliæ curiis ſemper gaviſum ſit: tempus autem illius inſtitutionis, ſicut & ſedis epiſcopalis huc uſque in faſtis Aquenſibus eſt ignotum, quod ejus antiquitatis validum argumentum eſt, ſicut etiam teſtantur lilia Gallica, quæ in antiquo ædis primariæ delubro ubique ſculpta, & picta promicant. Tot vero ſeculorum ſpatio multa tum incrementa, tum decrementa paſſum eſt; illius enim circiter a tribus ſeculis ſtatus hujuſmodi deſumtus eſt e veteri codice ſtatutorum capituli ipſius cathedralis, cujus hæc verba ſunt 2. articulo: *Hæc in eccleſia cathedrali Aquenſi decem ſunt canonici tantummodo capitulum facientes; inter illos nulla ſunt dignitates ac præpoſitura, ideo in omnibus pares, diſpares tamen ratione promotionis, cujus tempus & gradum ſervans inconcuſſe, ſive ſacerdotes alii ſint, ſive non, aut licet aliquis eorum vicarius generalis ſit, abbas, aut fulgeat alia dignitate. In capitulo præeſt abſente domino epiſcopo antiquior canonicus: debet cavere ne quid committatur a ceteris canonicis capitulantibus, contra ſtatuta, dignitatemque capituli: ſolet proponere res quæ cadunt ſub deliberationem, exquirere voces ac opiniones uniuſcujuſque*

ANNI CHRISTI.

canonici, easque colligere; juxta earum numerum ac pluralitatem proferre judicium vice capituli, cujus tantum nomine decernuntur cuncta, seu quæ spectant ad morum correctionem, ex casibus de jure communi ad episcopum non pertinentibus, sive ad curam administrationemque tam ecclesiæ cathedralis, quam census ac mensæ capituli. Inter præcipua jura quibus gloriatur capitulum Aquense, hæc sunt: Canonicatus omnes pleno jure confert, & ipso præsente episcopo duas voces, quarum altera adhuc sub judice est, dante, titulum tamen collationis nomine capituli, nulla facta episcopi mentione. Octoginta circiter capellaniæ, seu prebendæ institutæ sunt in ecclesia cathedrali: has omnes conferunt canonici Aquenses in suis turnis seu vicibus, & episcopus qui duas vices habet: *Parochiæ Aquensis vulgo capellaniæ majoris collatio & provisio ad capitulum pertinet, sicut etiam nominatio parochialium ecclesiarum de Pontoux, Soston, de Magescq, de S. Girons, Ducamp, & de Lest, de Tarnos, & Izosse. Jus autem singulare capituli Aquensis in tota Gallia est circa novalia, quibus in tota diœcesi in locis ubi quartam antiquorum fructuum percipit, fruitur post superatas mille lites.* Constat igitur capitulum decem canonicis, & societate capellanorum, sed caret decano, ac dignitatibus: duo sunt quoque canonicorum collegia in diœcesi, sancti Spiritus juxta Baionam, & Vidachii Grandi-montanæ familiæ comitatus: dividitur in XVII. archipresbyteratus, nempe de Gresin, Orthe, Povillon, Riviere-Lüy, Riviere-Fleuve, & Riviere-Gave, Chalosse, Auribat, la Nescq, Marensin, Maremne, Gosse, Seignanx, Mixe apud Bigerrones, Bearn, Brassenx, les Canaux, ou Lanes; qui 194. parochias continent. Oppidum Aquense habet etiam Franciscanos arctioris observantiæ, Capucinos, Carmelitas, & Barnabitas gymnasii moderatores: necnon societatem Pœnitentium Cæruleorum ordinis sancti Hieronymi, moniales sanctæ Claræ extra urbem, & aliud monasterium apud Tartassium; Baionæ in suburbio sancti Spiritus cœnobium Ursulanarum, & religiosas divi Bernardi quarum nunc monasterium abbatiæ titulo gaudet, de qua & de aliis in diœcesi positis seorsum dicemus. Præcipuæ urbes diœcesis sunt, Aquæ, Tartassium, Orthesium, Bastida in Benearnio, Vidachium, Ilastingues, Caput-britonis, & Peireborade. Nunc itaque restat ut seriem episcoporum explicemus, quorum indiculum suæ Notitiæ inseruit Oihenartus; de iis quoque scripsit Bertrandus de Compaigne regius apud Ortezium advocatus. Eorum etiam catalogum e vetustis Aquensis ecclesiæ monumentis, & tabulariis ad nostram usque ætatem deductum, subministravit Fratribus Sammarthanis capitulum Aquense per dom. ejus syndicum, opera item ac studio Johannis sancti Martini, Aquensis canonici. Verum postea multo plura alia instrumenta ad nos pervenerunt, ex quibus non pauca emendavimus, & longe plura adjecimus.

ANNI CHRISTI.

EPISCOPI AQUENSES.

I. S. Vincentius.

A

Vincentius martyr creditur fuisse primus hujus urbis antistes, cujus ædes sacra visitur in suburbio, magno superioribus seculis religionis cultu frequentata: is in proprio officio sanctorum ecclesiæ Aquensis dicitur cum Læto socio, Christi fidem Aquensibus prædicasse, quam & glorioso agone confirmaverit. In monasterio ejus postea nomine appellato *S. Vincentius de Aquis*, sepultus est. Ejus meminit vetus hagiologium sancti Severi Vasconiæ, his verbis: *Kal. Sept. Aquis civitate sancti Vincentii martyris cum sociis suis.* Ejus nomini B per totam Aquitaniam dicatæ sunt basilicæ, & memoria recolitur die 1. Septembris: qua autem ætate vixerit, silent ecclesiasticæ tabulæ. Post ipsum vero desiderantur plurimi episcopi; cujus rei incusamus temporum injuriam, bellorum his in locis frequentium casus, persecutiones sub Imperatoribus, potissimum vero in ecclesiasticas res paganorum & barbarorum sævitiam, a quibus basilica sancti Vincentii devastata, res sacræ direptæ, vasculum in quo pars cinerum S. Vincentii servabatur in fluvium Atyrim projectum. Tandem seculo V. desinente, vel ineunte VI. electus est episcopus qui sequitur.

II. Gratianus I.

Gratianus interfuit concilio Agathensi anno 506. Breviarium antiquum Aquense notat, reddita tandem pace ecclesiæ Gratianum, pulsis infidelibus, aut ad fidem conversis, totum se convertisse ad instaurandam B. Vincentii ædem superstitionibus paganorum fœdatam, quam reconciliavit, & omnibus ad Dei cultum & religionem pertinentibus instruxit. 506.

III. Illidius.

Illidius episcopus Aquensis in Novempopulania, si fides breviario, eximia sanctitate commendatur. Eo sedente Maxima Aquensis virgo, per revelationem a B. Vincentio edocta est genus ac locum ejus martyrii, & ipsum agonis diem eo usque incognitum; unde Illidius sancivit festum S. Vincentii cal. Sept. celebrandum in posterum per totam diœcesim, ex eodem breviario.

IV. Carterius.

Carterius, qui in codice Murbacensi manu exarato concilia quædam continente vocatur Arterius, inconsulta plebe electus dicitur; unde vehementer commota est. Attamen ut verus episcopus sedit in synodo quarta Aurelianensi anno 541. Neque vero ambiguum esse potest, cujus sedis esset hic episcopus, ob duas urbes 541.

urbes episcopales eodem nomine hac in synodo designatas; nam Maximus Aquensis erat Aquisextiensis episcopus, Carterius vero Aquarum Tarbellicarum. ANNI CHRISTI.

V. Liberius.

Liberius ut episcopus Aquensis in Novempopulania, adfuit concilio V. Aurelianensi habito anno 549. Cui etiam interfuit Avolus alter Aquensis ecclesiæ episcopus, sed alterius sedis, quæ secundæ Narbonensis metropolis est. 549. Tom. conc. Gall. Refert Sirmondus maximam ortam esse contentionem in civitate Bigerronum, inter Liberium episcopum Aquensem, & Aletium episcopum Lectorensem, de jure præcedendi. Opponebatur a Liberio episcopatus Aquensis antiquitas; alius primus consecratione, primas prætendebat. Tandem plerorumque episcoporum suffragio præfertur Liberius. Forte is est episcopus Aquensis qui anno 584. mortuus refertur a Gregorio Turonico l. VII. historiæ. 584. Nihil enim obest quin dicamus illum post concilium Aurelianense vixisse adhuc annos 35.

VI. Faustianus.

Faustianus, seu Faustinianus presbyter vacante Aquensium sede, Gundovaldo, qui se regem simulabat, & Bertramno Burdigalensi episcopo ejus fautore præcipientibus, ordinatur episcopus à Palladio Santonum & Oreste, Vasatum episcopis. Rem ut gesta est refert Gregorius Turon. l. VII. histor. appellatque Bertramnum Burdigalensem, metropolitanum ecclesiæ Aquensis, quia videlicet, rebus tunc in Gallia perturbatis, Bertramnus hanc ecclesiam & alias Novempopulaniæ, alioquin Elusæ subditas, ad se traxerat. Paulo post Faustiani ordinationem invito rege factam, Gundovaldus personatus rex capitur & occiditur. Tum jubet Guntramnus rex apud Matiscensem urbem haberi episcoporum placitum, ad quod vocatus Faustianus accessit. Itaque causa ordinationis ejus agitata, remotus est ab episcopali sede, ea tamen conditione, ut eum Bertramnus Burdigalensis, Orestes Vasatensis & Palladius Santonensis, *qui eum benedixerant, victibus pascerent, cemeuosque ei annos singulos ministrarent*, inquit Greg. Turon. Attamen huic synodo Matisconenti anno 585. habitæ subscripsit Faustinianus inter episcopos. Greg. Tur. l. VII. c. 31. l. VIII. c. 20.

VII. Nicetius.

Nicetius comes erat Aquensis, quando a Chilperico rege præceptionem elicuit, *ut consuratus civitatis illi sacerdos daretur*, inquit Greg. Tur. qui Nicetium appellat germanum Rustici Vici julienſis episcopi, quæ urbs nunc Adura vocatur. Itaque in eodem concilio Matisconensi, a quo Nicetii æmulus Faustianus dejectus est, ipse episcopatus confirmationem obtinuit. Attamen non legitur synodo subscripsisse; quod tamen ejus æmulo concessum. Sed nondum consecrationem episcopalem obtinuerat; immo adhuc laïcus erat. Ab hoc episcopo qui desinente seculo VI. sedit, transilire cogimur ad Oltherium, qui notatur desinente seculo IX. Nam propter bellorum procellas, aut nulli sederunt eo hoc tempore, aut, quod verisimilius est, eorum memoria est obliterata. l. VII. c. 31. ANNI CHRISTI.

VIII. Oltherius.

Oltherius præfuit huic episcopatui an. 898. ex chartulario abbatiæ de Caignota, quod incipit ab his verbis: *Salvator mundi*; de quo nulla mentio apud Oihenartum. Sed noster D. Claudius Estiennot, veterum monumentorum explorator accuratissimus, meminit instrumenti, quo hic episcopus abbatiæ B. Mariæ de Caignota quædam prædia tribuit. 898.

IX. Gumbaldus.

Gumbaldus, Guillelmi Sanctii ducis Vasconiæ frater, Aquensem anno 960. & cereras ecclesias Novempopulaniæ, tum etiam Aginnensem administravit, beneficus erga Condomensem & Regulam abbatias, ex chartulario sancti Severi: archiepiscopus item fuit Burdegalensis. De illo vide Petrum de Marca in hist. Benearn. l. 3. c. 8. 960.

X. Arsius.

Arsius, quem P. de Marca loco supra laudato putat fuisse Arsiam Raca memoratum in charta Lascurensi, pontificium suscepit an. circiter 982. Hic omnes Vasconiæ ecclesias tenuit, abbatiæ S. Severi fundationi interfuit rexitque, Guillelmo Sanctio duce Vasconiæ, & Odone seu Adone archiepiscopo Auxitano. Unde vero factum sit ut his temporibus unus episcopus omnes Vasconiæ episcopatus possideret, explicat P. de Marca. Nempe urbes episcopales destruxerant Saraceni ac Normanni; aliundeque comites, & alii toparchæ ac milites bona ecclesiastica invaserant; ut non sufficerent residua pro plurimis episcopis decenter sustentandis. 982.

XI. Gregorius I.

Gregorius quem ex abbate sancti Severi in capite Vasconiæ episcopum Aquensem factum esse aiunt, cum Raimundo Auxitano archiepiscopo & aliis præsulibus judicavit in synodo, Sorduense monasterium subjectum esse Peciano. Instrumentum ex quo id depromitur, caret notis chronicis; sed referri debet ad annum circiter 1024. Certe Raimundi Auxitani archiepiscopi pontificatus inter annos 1020. & 1030. coarctatur, nec citra aut ultra potest extendi. *Vide C. I. p. 173. col. 1.* 1024.

XII. Raimundus I.

Hic episcopus, pro more tunc recepto, præerat fere omnibus Novempopulaniæ seu Vasconiæ ecclesiis, ut patet ex instrumento de possessione comitatus Burdigalensis accepta ab Odone comite, cui subscribens Raimundus anno 1032. quo instrumentum confectum est; se dicit episcopum Vasconiæ. *Vide C. I. p. 173. col. 2.* 1032.

Quandiu hos omnes episcopatus retinuerit ignoramus: certe in concilio Tolosano cui adfuit Raimundus anno 1056. appellatur tantum episcopus Vasatensis, veritus concilii censuram, si aliarum ecclesiarum titulis uti præsum- 1056.

ANNI CHRISTI.

fiſſet, aiunt Sammarthani fratres. At ſummi pontificis judicium non evaſit, qui Raimundum, inquiunt, ſpoliavit omnibus epiſcopatibus, relicto ſolo Lactorenſi. Sane eodem anno 1056. alius quam Raimundus Aquenſem ſedem obtinebat, ut mox probaturi ſumus; anno autem 1068. in Toloſano concilio, recenſentur pene omnium Novempopulaniæ eccleſiarum epiſcopi, quos inter Lectorenſis nomine Raimundus memoratur.

Raimundus, dum ſederet Aquis, tranſtulit ſedem epiſcopalem, e baſilica ſancti Vincentii, intra muros civitatis, cum antea eſſet in ſuburbano loco; adjutoremque habuit Guidonem Aquitaniæ ducem. Hoc tempore erigitur nova congregatio clericorum auctoritate epiſcopi, ut divinorum officiorum onus cum canonicis partirentur & ſuſtinerent.

Oihenartus quæ diximus de tranſlatione ſedis epiſcopalis, & de nova clericorum congregatione facta, tribuit alteri Raimundo filio fratris hujus, de quo agimus. Addit congregationem clericorum factam ab eo, fuiſſe hoc ipſum collegium quod poſtea in celebre canonicorum corpus ſeu capitulum crevit; cui præpoſuit epiſcopus decanum Arnaldum Bolium. Hic Raimundus, juxta Oihenartum, ſedebat annis 1070. & 1080. excepitque patruum in epiſcopatu; verum in aſſignando tempore hallucinatum eum eſſe clare demonſtrant quæ in conſequentibus dicturi ſumus. Demus tamen & Raimundum alterum ſediſſe poſt primum Raimundum patruum ſuum.

XIII. Raimundus II.

In tabulis Aquenſis eccleſiæ, quas exploravit noſter D. Edmundus Martenne, Raimundus II. ſucceſſor datur Raimundo priori; legiturque junior tenuiſſe ſimul Aquenſem, Vaſatenſem, & Laburdenſem epiſcopatus; ſed poſtea dimiſſa ſede Aquenſi, duobus aliis epiſcopatibus contentus fuiſſe; at quo tempore ſederit inquirendum.

Vide C. I. ut ſupra. De Raimundo I. qui omnes Vaſconum epiſcoparus habuerit, nihil habemus certi, poſt annum 1032. quo videlicet ſubſcripſit inſtrumento cuidam jam indicato, cum titulo epiſcopi Vaſconiæ. Poſt aliquot annos, alium Raimundum admittere inter Aquenſes epiſcopos nihil vetat, qui potuit ſedere uſque ad annum 1056. quo alium fuiſſe epiſcopum nomine Petrum pro certo habemus. Huic autem Raimundo tribuere quæ de eo ſcribit Oihenartus per nos licet.

XIV. Petrus I.

1056. Petrum anno 1056. cathedram Aquenſem obtinuiſſe probant acta concilii Narbonenſis provinciæ ad ſanctum Ægidium, ubi Petrus Aquenſis occurrit. Neque vero id interpretari licet de archiepiſcopo Aquenſi, qui tunc erat Pontius, quem legimus eodem anno miſſum a Victore papa vicarium cum Raimbaldo Arelatenſi archiepiſcopo ad celebrandum concilium apud Toloſam. Aliundeque nobis conſtat Pontium Aquiſextienſem metropolitam ſedi ſe diu ante & poſt annum 1056. Itaque denegari non poteſt locus inter Aquenſes Novempopulaniæ epiſcopos Petro huic hucuſque prorſus incognito.

XV. Macharius.

Macharius in epiſcopatu duos tantum annos cum dimidio vixit. Vir moribus, vita & meritis conſpicuus, a puerili ætate in cœnobio edoctus, in eo factus abbas, egenorum pater exſtitit. Monaſterium hoc fuit cella Medulfi, in cujus abbatum ſerie jam notavimus Macharium. Et quidem in epitaphio ejus ſemieſo ſupereſt nomen iſtius cœnobii, quod aliquando appellatur *Cella - Oſulfi*. In tabulis S. Severi in capite Vaſconiæ ad annum 1061. occurrit [a] Macharius epiſcopus Aquenſis cum Gregorio epiſcopo Laſcurenſi & ſimul abbate S. Severi. Hunc vero ſimoniacam hæreſim impugnaſſe, & provinciæ principibus carum fuiſſe legimus. Jacet in eccleſia S. Vincentii, & in lapide ſepulcrali, quo tegitur, epitaphium hoc litteris ſemieſis inſculptum videtur:

Moribus & meritis, vita, atq; . . . . .
Hoc jacet in tumulo Macharius ordine præſul
Cellam Oſulfens . . . . tet patria generatus
Abbas egenis . . . . . .
. . . . . in puerili venit ad almum
F. Cœnobii . . . . . edoctus
Principibus patriæ . . . . . .
. . . . . hæreſim . . . ſimoniacam

Vide C. I. ut ſupra.

[a]

XVI. Gregorius II.

Gregorius abbas S. Severi, ſervata hujus monaſterii præfectura, plures legitur adminiſtraſſe epiſcopatus, inter quos Aquenſem quoque habuit. At exiſtimamus eum brevi tempore huic eccleſiæ præfuiſſe, & retinuiſſe poſtea tantum cathedram Laſcurenſem cum abbatia ſancti Severi. Hinc eſt quod charta ſancti Severi de ejus obitu hæc habeat: *Anno Dominicæ incarnationis* MLXXII. *feria* IV. *abbas S. Severi & Laſcurenſium epiſcopus dominus Gregorius, florente canitie exceſſit a ſeculo.* Certe eo vivente, anno 1068. alius in Aquenſi cathedra ſedebat, de quo nunc loquendum.

Vide C. I. ut ſupra.

XVII. Bernardus I.

De Mugrono.

Bernardus cognominatus de Mugrono S. Severi monachus, ſubrogatus Gregorio legitur in charta Aquenſi, quam profert vir illuſtriſſimus P. de Marca l. IV. c. 18. hiſt. Bearn. *Poſt Gregorium abbatiam tantam & tantos honores occupantem ſucceſſit proprius Aquenſi eccleſiæ epiſcopus nomine B. vir miræ abſtinentiæ.* Jam cathedram obtinebat anno 1068. quo adfuit concilio Toloſano, indictione VI. octavo anno Alexandri papæ II. cum ſuæ provinciæ epiſcopis, Guillelmo Auxienſi metropolitano, Gregorio Laſcurenſi (ipſe eſt de quo ſupra loquebamur) Petro Adurenſi, Guillelmo Convenenſi, Raimundo Lectorenſi, Bernardo Conſeranenſi.

Vide ibid. p. 320.

1068.

Ceterum hic epiſcopus laudatus ob abſtinen-

[a] Vide in Auſtindo Auſcienſi archiepiſcopo.

ANNI CHRISTI.

tiam & alias virtutes, quibus in monaſterio innutritus erat, generis quoque nobilitate præcellebat. Arguitur tamen molliriæ animi & timiditatis. Nam paſſus eſt Oloronenſem * epiſcopum uſurpare multas ex Aquenſi diœceſi eccleſias, & * Seulæ territorium: quod locum dedit variis litibus; contendebat enim Amatus Oloronenſis epiſcopus eas *a proprietate* Olorenſis eccleſiæ abſtractas. Ad quam cauſam finiendam Richardus Maſſilienſis, videlicet abbas & cardinalis, dirigitur. Sed ſopita non eſt controverſia; imo in bellum cruentum erupit. Conſulendus eſt Petrus de Marca hiſt. Benearn. l. IV. c. 18. Tandem in conventu epiſcoporum apud Regulam in Benearnia convocato, reſciſſum eſt quod facilius & levius conceſſerat, & ſcripto confirmarat Bernardus.

Aliam litem noſtro Bernardo illatam legimus, pro monaſterio ſeu prioratu *b* de Pontonis, quem ſibi vendicabat epiſcopus. Monachi vero Regulæ, & Floriacenſis abbas a quo pendebant, ſuum eſſe locum hunc contendebant. At poſt litis conteſtationem, quæ diu eſt agitata, Bernardus cauſa cecidit, & quod ablatum fuerat reſtituere coactus eſt anno 1084. Sedit autem annos 24. aut 25. Quo vero e vivis exceſſerit, nos latet; quia quo tempore epiſcopatum ſumſerit, incompertum.

1084.

Mabillonius in annalibus docet id contigiſſe anno 1080. ex codice S. Severi chartaceo. Sed pugnat contra hanc ſententiam charta Aquenſis jam laudata, quæ poſt Gregorium, hunc Bernardum ponit. Porro Gregorius obiit anno 1072. At diu ante mortem, Gregorius epiſcopatu Aquenſi ceſſerat; & Bernardum epiſcopum Aquis fuiſſe jam anno 1068. ſuperius probavimus.

Non me fugit Sammarthanos admittere poſt Gregorium, Bernardum epiſcopum alium a Bernardo de Mugrono, inter quos etiam locum dant Raimundo II. Bernardum hunc alicubi legimus cognominatum de Baſſo, ſed magis fides adhibenda chartæ Aquenſi ab auctore pene ſynchrono ſcriptæ, quæ ſucceſſorem dat Gregorio Bernardum illum ſub cujus regimine Olorenſes Agarencum & Reſevellum, aliaque diœceſis Aquenſis loca invaſerant.

Opponi poteſt Bernardum de quo loquitur charta, ſediſſe per annos 24. aut 25. at ſi jam ſederit hic Bernardus anno 1068. ejus epiſcopatus deſinit in anno 1093. Porro adhuc præerat Bernardus de Mugrono anno 1096. quo adfuit conſecrationi eccleſiæ S. Petri Generenſis; ut palam fit ex hujus monaſterii tabulis.

1096.

Ad hæc dicimus ex charta Aquenſi nihil certi ſtatui poſſe de annis epiſcopatus Bernardi. Petrus de Marca, & Sammarthani legerunt: *Vixit iſte B. XX. & circa* LV. *annos*; quod ſi ad ejus epiſcopatus tempus referatur, vix credi poterit tandiu Bernardum onus epiſcopale ſuſtinuiſſe.

ANNI CHRISTI.

XVIII. Raimundus III.

Sub Bernardo, de quo mox agebamus, epiſcopo, Aquenſis erat archidiaconus Raimundus Arnaldi vir nobilis; fuit enim unus ex *duodecim honeſtioribus Vaſconiæ baronibus, quos ad regem Arragonenſem Guido Pictavenſium conſul miſerat ad copulandum filium & filiam utriuſque.* Porro reverſus cum accepiſſet quæ nimia facilitate Raimundus Olorenſibus ceſſerat, provocavit ad epiſcopos Pictavis concilium cum Hugone Dienſi & Richardo Maſſilienſi cardinalibus aut S. ſedis legatis celebrantes. A quibus cauſa ad ſummum pontificem Gregorium VII. remiſſa, Raimundus Arnaldi Romam profectus, prævaluit adverſus Heraclium Amati Olorenſis epiſcopi miſſum. Hæc quæ leguntur in tabulis Aquenſibus facile ſuadebant Raimundum, qui ſucceſſor datus eſt Bernardo de Mugrono, in epiſcopatu Aquenſi, non alium fuiſſe a ſtrenuo illo archidiacono Raimundo; cui ſane cathedra, cujus tam fortiter jura propugnarat, merito debebatur. Attamen hæremus ancipites, cum obſervamus diverſa cognomina; unus enim dictus eſt Raimundus Arnaldi, alter Raimundus de Sentes. At potuit unus & idem duplici inſigniri cognomine. Præterea charta eccleſiæ Aquenſis, quæ Raimundum ſubrogatum Bernardo nos docet, nullo eum cognomine deſignat; neque in litteris hujus epiſcopi, quibus diœceſim diviſit in quatuor archidiaconatus, aliter appellatur, quam Raimundus ſimpliciter. At ex veteri charta cognominatum eum de Sentes diſcimus in qua videlicet legitur: *Fortanerius miles de Sentes dedit ſanctæ Mariæ Aquenſi in ejus integro capitulo medietatem decimæ totius S. Andreæ de Finibus, pro ſalute animæ ſuæ, videntibus & ſcientibus fratribus ſuis Raimundo epiſcopo, Arnaldo clerico, Augerio milite & multis aliis.* Hic epiſcopus pro ſuæ eccleſiæ honore fortiter ſe geſſit contra Oloronenſes. Neſcio tamen quo fato Seulæ territorium tandem iis ceſſit epiſcopis. Sedit Raimundus per annos 18. Partitus eſt, ut præmiſimus, diœceſim in quatuor archidiaconatus. Litteras pro hac diviſione vide inter inſtrumenta.

Vide infr.

C. II. p. 173. col. 2.

Raimundo Sentenſi Aquis epiſcopante, domno apoſtolico Paſchali II. rege Philippo regnante, epacta XXV. concurrente VII. indictione XV. Gaſto vicecomes Bearniæ, & Olivarius ſuus varo fundaverunt in burgo Caſtelli, eccleſiam in honore SS. Trinitatis & S. Mariæ & S. Crucis & S. Sepulcri, quam eccleſiæ Aquenſi dederunt. Ex his autem habemus Raimundum vixiſſe & præfuiſſe anno 1107. hic enim annus deſignatur per indictionem XV. quæ ſemel occurrit ſub pontificatu Paſchalis II. anno videlicet a nobis notato. Hujus epiſcopi obitus in necrologio notatur V. cal. Aprilis.

1107.

a Amatum, quem laudata charta appellat virum magnæ aſtutiæ & calliditatis; qui præterea auctoritate pollebat; erat enim legatus totius *Vaſconiæ* provinciæ & aliarum. Ceterum auctor illius chartæ ſcribit tanquam ſuppar. Vivebat enim tempore Guillelmi epiſcopi, qui a Bernardo ſedit ſecundus epiſcopus, ut ſignificant hæc verba. *Poſt Bernardum Raimundus ſucceſſit, obiit autem* XVIII. *ins epiſcopatus anno. Poſt Raimundum præfuit Guillelmus*; cujus idcirco tempore vivebat ſcriptor.

b Hic prioratus pertinebat ad Floriacenſe monaſterium, ſed Floriacenſes illum ceſſerant monachis Regulæ, in gratiam Otgerii ex Floriacenſi monacho, S. Petri de Regula prioris.

XIX. Guillelmus I.

ANNI CHRISTI.

1120. Guillelmus quem Falgarienſem appellant, anno 1120. recenſetur in litteris Guillelmi Aquitaniæ ducis, pro Sorduenſi monaſterio; memoratur in charta fundationis de Cagnota. Etenim Guillelmus vicecomes de Avorta, (*vulgo* d'Orte,) Guillelmo de Bornets & monachis B. M. de Cagnota Aquenſis diœceſis, de ſilva quæ vocatur Cagnota, quantum voluerint, eiſque ſufficere poſſit ad exſtirpandum, ad colendum, ad pecorum paſtum, & omnia neceſſaria concedit in manibus Bernardi Auſcienſis archiep. & *Guillelmi* Aquenſis epiſcopi; actum idib. Maii an. D. MCXXII. indict. xv. Beneficum ſe oſtendit Guillelmus erga monachos Silvæ-maj. teſte Caliſto II. qui ejus dona ſua auctoritate confirmavit, ex tabulis hujus cœnobii 3. idus Junii ind. II. hoc eſt an. 1124. Sedit uſque ad annum 1142. menſe Septembri, ex charta fundationis Scalæ-Dei Ciſtercienſis ordinis, in diœceſi Tarbenſi.

1122. B

1124.

Vir fuit liberalis & erga eccleſiam munificus, quam variis in locis multis redditibus auxit, eique dominium parochiæ Felgarienſis, ſeu Fica de Feugars a Bernardo cognato pecuniis emtum dono attribuit. Romam ſe contulit, & inde rediens, morbo in itinere correptus, humilitatis & paupertatis Chriſtianæ præclarum daturus documentum, in hoſpitali domo Aquæ-pendentis inter pauperes mori elegit. C

XX. Arnaldus I.

De Sort.

Arnaldus Willelmus de Sort, aliquando dictus Arnaldus Guillelmi, Guillelmo Arnaldo domino Sortenſi, & Johanna de Roſtain parentibus procreatus, epiſcopatum adeptus eſt anno 1144. quod demonſtratur, tum ex pactis initis inter Sancium Laodici, & canonicos Aquenſes, anno 1151. *epiſcopatus Arnaldi Willelmi octavo*, tum ex ejuſdem præſulis litteris, quibus fratribus Templi Jeroſolymitani facultatem conceſſit ſacellum conſecrandi, in villa quæ dicitur Torta, ex parochia S. Vincentii anno 1156. *epiſcopatus ſui* XIII. Sedebat adhuc anno 1167. cal. Decembris. Hic præſul bonorum eccleſiæ invaſores ad reſtitutionem compulit cenſurarum eccleſiaſticarum metu, inter quos nobilem dynaſtam Bernardum de Feugars, qui ſponte bona eccleſiæ occupata in ſua parochia dimiſit. Sed omnia ſibi licere in bona eccleſiaſtica ratus, ſuum capitulum adverſarium habuit.

1144.

1151. D

1156.

E

Hujus præſulis frequens eſt mentio in tabulis Sorduenſis monaſterii, ubi legitur Arnaldus Guillelmi. Ejus obitus in necrologio ſignatur die 3. Januarii.

Ejus conſenſu & conſilio fundatur xenodochium de Urduos, pro excipiendis peregrinis ad S. Jacobum pergentibus; cujus piæ fundationis litteras videſis inter inſtrumenta.

C. III. p. 173. col. 2

XXI. Guillelmus II.

De Bayonne.

Guillelmus Bertrandi, filius Bertrandi vicecomitis Baionenſis ſeu Lapurdenſis, qui eccleſiæ Baionenſi dedit totius eremi vicecomitatus ſui decimas, ex chartario Baionenſi, prius abbas Cagnotæ ord. ſancti Benedicti, cepit epiſcopatum anno 1167. aut 1168. Nam in compoſitione facta inter ipſum & capitulum anno 1178. ſignatur ejus epiſcopatus annus decimus. Adfuit concilio Lateranenſi anno 1179. menſe Martio. Diviſionem bonorum temporalium inter Bernardum de Mugueron epiſcopum & capitulum jam antea factam confirmavit; & cum abbate & monachis de Regula tranſegit. Eo ſedente tres nobiles Benearnenſes eccleſiæ cathedrali decimam de Caſtettarbe dono dederunt, ex tabulario monaſterii de Regula, & libro capituli. Teſtis fuit ex parte regis Angliæ, confœderationis factæ inter Sancium Navarræ regem & Johannem Angliæ, die 4. Febr. 1201. In necrologio Silvæ-maj. mortuus legitur VII. cal. Maii. Ejus obitus in necrologio eccleſiæ Aquenſis legitur hoc modo: VII. *calendas Maii Willelmus Bertrandi de Saltu, Aquenſis epiſcopus anno Domini* MCCIII. *in eccleſia ſupra oſtium ſanctæ Catharinæ.*

ANNI CHRISTI.

1168.

1178.

1179.

T. I. collect. inſtrum. Rymeri Angliæ ſuper edit. rum, p. 118.

Ejuſdem epiſcopi conſilio Raimundus de Saltu vicecomes Lapurdenſis confirmavit quæ avus ſuus Bertrandus vicecomes Lapurdenſis dederat eccleſiæ Baionenſi, præſente B. de Carra epiſc. Baionenſi an. 1193.

XXII. Johannes I.

De Cagnotæ.

Hic epiſcopus ab Oihenarto prætermiſſus, & a Claudio Roberto, qui undecim tantum epiſcopos Aquenſes recenſet, non ſedit ante annum 1203. Vix autem aliquid ab eo geſtum eſt in eccleſiæ Aquenſis adminiſtratione, quod ab ea diu abfuerit, ſed juſtis ac certe laudabilibus de cauſis: nam perrexit ad bellum ſacrum in comitatu Richardi Anglorum regis, ex Rogerio de Hovedeno, in vita Richardi regis.

1203.

XXIII. Fortanerius.

21 Martii 1208.

Fortanerius de Malo-leone jam epiſcopale munus gerebat anno 1204. ut probat Hildefonſi regis præceptum infra commemorandum; cui regi cum eſſet addictus, effecit ut in ducem Vaſconiæ hic princeps ab Aquenſibus reciperetur, Eleonoris uxoris jure; unde rex eccleſiæ cathedrali quædam feuda largitus eſt, ut patet ex inſtrumento chartarii Aquenſis dato apud S. Sebaſtianum in Hiſpania, quod reperies inter inſtrumenta. De hoc epiſcopo necrologium Aquenſe habet: XIV. *cal. Martii obiit Fortanerius de Malo-leone hujus ſedis epiſcopus, ab incarnatione Domini* MCCXV. Conſentit liber obituum S. Severi in capite Vaſconiæ; hoc uno excepto, quod pro XIV. *cal.* ibi legatur, XV. In necrologio vero Silvæ-majoris ſcriptum, XVI. *cal. Martii.*

C. IV. p. 174. col. b

1215.

XXIV. Gallardus.

Gallardus epiſcopale munus auſpicatus eſt anno 1215. Poſt biennium eccleſiam de Cagnota ſumtibus Raimundi Arnaldi vicecomitis d'Ortez inſtauratam conſecravit. Sub ejus auſpiciis tres cives Aquenſes, Erum Dardre, Petrus Dandré, & Bernardus de la Torte, xe-

1215.

1217.

nodochium ſancti Spiritus prope muros hujus urbis inſtituerunt, ex tabulario monaſterii de Cagnota, & ex charta ſervata apud Patres Barnabitas hujus urbis. Anno 1220. compoſuit cum rectoribus hoſpitii pauperum in capite pontis Aquenſis poſiti. Cum ipſius voluntate Petrus-Arnaldus dominus de Luxa prioratum de Behaum donavit Nicolao Leuntii abbati anno 1227. ut leges inter inſtrumenta eccleſiæ Baionenſis. Commemoratur hoc modo in necrologio ſancti Severi: IV. *cal. Novembris depoſitio domni Gallardi epiſcopi Aquenſis, anno gratiæ* MCCXXXIII. Forte legendum, IV. *calendas Decembris*, ut in necrologio Aquenſi. Jacet in eccleſia verſus partem Septentrionalem ex eodem necrologio, in quo vocatur Guailhardus de Salinis. Cognomen hoc movet ſuſpicionem Gallardum hunc eſſe Guillelmum Salinium, qui legitur apud Oihenartum jam ſediſſe anno 1221. apud Sammarthanos 1228. quibus temporibus Gallardum ſedem obtinuiſſe conſtat. Sane tunc in more poſitum erat ut nomen epiſcopi, aut alius cujuſpiam priore nominis littera deſignaretur. Facile itaque fieri potuit ut aliquis minus peritus inciderit in chartam hac littera G. addito *de Salinis* cognomine ſignatam. Qui cum nullibi legiſſet Gallardum epiſcopum *de Salinis* cognominatum, ſtatim finxerit G. ſignificare Guillelmum, nomen magis uſitatum & vulgare, addito cognomento de Salinis, eſſe alium epiſcopum a Gallardo.

ANNI CHRISTI. 1220. — C.V. — 1233.

Suſpicionem auget quod in veteri charta legitur de Arnaldo epiſcopo, de quo infra: nempe anteceſſores Arnaldi duo tantum recenſentur: F. de Malo-leone, & G. de Salies, hoc eſt Galhardus. Itaque non videtur relictus Guillelmo epiſcopo locus.

Idcirco non parum ſum anxius, an recipiendi ſint duo epiſcopi Guillelmus, & Gratianus, qui ſubrogati unus poſt alium Gallardo epiſcopo leguntur. Ut vero nobis non adſunt indubitata argumenta de duorum illorum epiſcopatu; ſic etiam nulla ſunt quæ probent illos eſſe reſpuendos. Hi vero ſunt,

XXV. Guillelmus III.

Cognominatus de Salies, &

XXVI. Gratianus.

Hunc D. Edmundus Martenne præmittit Arnaldo, annis 1230. & 1231. noſtri vero Sammarthani poſtponunt, amandantque ad annum 1240. Aiunt vero eum coëgiſſe vicecomitem de Maremne, ad reſtituendas eccleſiæ quaſdam decimas; & ad judicium vocaſſe abbatem Dei-villæ; quocum, Amanevo Auxitano archipræſule ſequeſtro, compoſitum eſt pro quodam jure ſepulturæ.

XXVII. Arnaldus II.

De Tarraſio.

Arnaldus Raimundi de Tarraſſio, ex nobili vicecomitum Tarraſſi ſtirpe, inquiunt Sammarthani (quamvis Oihenartus qui illorum vicecomitum genealogiam ſcripſit, de Arnaldo loquens nihil de ejus genere dicat,) electus dicitur anno 1234. Anno 1237. Romam profectus eſt ad ſedem apoſtolicam viſitandam, quo anno & ſequenti adhuc vocatur electus, non epiſcopus; quod pene perſuadet ipſum nunquam fuiſſe conſecratum. Arnaldus decimam parochiæ S. Vincentii ex conventione, cum capitulo partitus eſt. Ejus tempore Fortanerius dominus Saltumus eccleſiæ cathedrali loci illius dominium & territorium ceſſit.

1234. 1237.

ANNI CHRISTI. 1235.

XXVIII. Navarrus.

De Mille-ſanctis.

Navarrus de Mille-ſanctis cujus epiſcopatus initium anno 1243. conſtituunt, jam ſedebat anno 1239. Nonis Junii recepit donum R. A. id eſt Raimundi Arnaldi vicecomitis Aquenſis ac Tartaſſienſis; eique conceſſit omnium eccleſiæ ſuæ beneficiorum *participationem*, præſentibus A. Caniotæ & B. Villæ-Dei abbatibus. Idem anno 1243. cum adverſus Aquenſes cives litigaret, cauſa vicit, Henrici regis Angliæ judicio. Anno 1256. die ſabbati poſt feſtum Exaltationis, ſubſcripſit judicio Rogerii comitis Fuxenſis, & vicecomitis Caſtri-boni, inter Gaſtonem vicecomitem Benearnenſem, & Eſchivatum comitem Bigorræ. Anno 1259. cum conſenſu archidiaconorum & totius capituli, numerum canonicorum denarium non excedere conſtituit, ob rationes in ejus litteris allatas, quas legere licet inter inſtrumenta. Anno 1261. memoratur in inſtrumento venditionis caſtri de Saltu, quod Eduardus regis Angliæ primogenitus comparavit die 3. Novembris.

1239. — *Hiſt. Bedm. l. VII. c. 9.* — 1243. — 1259. — *C.V. p. 174. col. 1.* — 1261.

Hujus regis ope indiguit ad coërcendos Aquenſium tumultus an. 1268. Seditioſis coïtionibus anſam dederat Vaſconiæ ſeneſcallus, qui ſub decimarum nomine populis nova imperabat tributa. Plebe vero tumultuante Dominicus Vic, amicus epiſcopi, occiſus fuit intra cathedralis eccleſiæ ambitum, & nonnullæ canonicorum ædes dejectæ ſunt. Ad ſedandos illos motus acceſſit rex Angliæ, pacemque multatis ſeditioſis reſtituit.

1268.

Eodem anno 1268. gravis ſuboritur controverſia inter capitulum & parochos diœceſis, pro novalibus. At Pompeiopolitanus epiſcopus, ex mandato Romani pontificis litem diremit cauſamque capitulo adjudicavit.

Sub hoc epiſcopo Bernardus de Poyane partem decimæ d'Onard eccleſiæ S. Mariæ obtulit, & Maria de Montolis ſuas in parochia de Babelongue ſitas.

Eodem Navarro ſedente Nicolaus d'Aſt Aquenſis eccleſiæ capellanus, religionis ergo Jeroſolymam profectus, inde ſecum aſportavit multorum ſanctorum, & ipſius Dominicæ crucis reliquias, quibus eccleſia dicata eſt. Eadem novo capellani titulo eſt aucta, Navarro ſumtus faciente, & fundum dante. Obiit anno 1272. quo teſtamentum fecit die Dominica ante feſtum omnium Sanctorum. De eo hæc necrologium: III. *nonas Novembris obiit Navarrus de Mille-ſanctis epiſcopus Aquenſis, anno Domini* MCCLXXII. *juxta altare S. Mariæ ſuperiore parte.* In necrologio S. Severi pro III. *nonas* legitur IV. *nonas*. Vacabat ſedes anno 1275. At errant qui hanc eccleſiam paſtore adhuc orbatam fuiſſe anno 1281. docent.

1272. — 1275.

ANNI CHRISTI. DE VILLA.

XXIX. ARNALDUS III.

Arnaldus de Villa legitur ſediſſe anno 1278.

1278. certe unus fuit ex præſulibus qui concilium Auſcienſe celebrarunt nonis Februarii anno

1279. 1279. ut docet nos epiſtola ſynodalis ad Edwardum Angliæ regem ducemque Aquitaniæ, cujus in inſcriptione legitur *A. Aquenſis* epiſcopus.

Tom. XI. concil. p. m. Conſtitutiones ad reſarciendam aut confirmandam diſciplinam eccleſiaſticam promulgaſſe legitur, anno 1283. Rex Angliæ ad eum

1283. miſit epiſtolam de recuperanda Vaſconia datam die 10. Julii anni 1294. quæ quaſi encyclica eſt, ſcripta videlicet ad Amanevum archiepiſcopum Auxitanenſem & ad ejus provinciæ epiſcopos. Hic præſul capitulum magnopere vexavit, cujus decimas propriis impenſis redemtas vi occupavit, regnante Edwardo rege Angliæ. Oppreſſum capitulum ad ſedem Romanam confugit, duobus canonicis ad cauſam proſequendam de gremio delegatis; qui promiſſis & muneribus corrupti, jus capituli prodiderunt, pace cum epiſcopo inita maxime iniquis conditionibus. Attamen Arnaldus in concilio provinciali coacto in loco Nugarolii apud Armaniacum, ad reſtitutionem quorumdam bonorum eccleſiaſticorum quæ diu poſſederat, compulſus eſt, canonico neſcio quo Aquenſi fortiter agente. Sane legimus eum auxiſſe canonicorum præbendas, anno

1299. 1299. ita ut quæ erat ſingulis diebus 12. denariorum, facta ſit 20. denariorum. E vita mi-

1305. gravit anno 1305. v. nonas Maii, ex necrologio, ſepultuſque eſt in eccleſia Baionenſi, coram altari majori; quo anno in veteri inſtrumento Aquenſis eccleſiæ legitur ſedem vacaſſe.

Vide in Amanevo Auxitan.

Oihenartus, quem ſecuti ſunt Sammarthani, ſucceſſorem huic Arnaldo dant alium Arnaldum cognominatum de Caupena, quem ſediſſe docent anno 1295. At vero diu poſt hunc annum, per integrum videlicet decennium, adhuc præfuit Arnaldus de Villa, ut oſtendimus. Itaque aut differri debet initium epiſcopatus hujus Arnaldi uſque ad annum 1305. aut penitus expungi debet, niſi ſit is qui ſequitur.

DE CAUPENE.

XXX. GARSIAS I. ARNALDI.

Maturius quoque notatur a laudatis ſcriptoribus Garſiæ-Arnaldi de Caupena epiſcopatus; neque enim ſedit, & promulgavit conſtitutiones anno 1301. ut ex dictis patet,

1305. ſed ad ſummum anno 1305. aſcendit cathedram Aquenſem. Adfuit œcumenico apud

1311. Viennam concilio, anno 1311. ſub Clemente V. ut nos docent hujus pontificis epiſtolæ. An-

1320. no 1320. die octavo introitus Decembris, conſenſit cum ſeneſcallo Aquitaniæ (Guyenne) & cum Amanevo d'Albret domino de Mayenne, quibuſcum contendebat de juriſdictione in leproſos; ut ab electis judicibus cauſa dirimeretur. Hoc in inſtrumento quod aſſervatur in tabul. d'Albret, appellatur Arnaldus-Garſias. Unde inferimus, facile ex uno epiſcopo factos eſſe duos, nam cum ad arbitrium modo appellaretur Garſias-Arnaldi de Caupene, modo Arnaldus Garſias, vel etiam ſimpliciter Arnaldus de Caupene, incaute quidam eundem epiſcopum in duos ſecuerunt.

ANNI CHRISTI.

In ejus haud dubie gratiam ipſius pater, vir potentiſſimus æque ac nobiliſſimus, qui ſtrenue regis Philippi Pulcri partes tutatus eſt contra Bonifacium VIII. munificum erga eccleſiam ſanctæ Mariæ ſe præbuit. Ipſe xenodochio Duraneo ceſſit mediam partem decimæ de Baſtida & de Villa-franca, petente Margarita comitiſſa Fuxi & Benearnenſi vicecomitiſſa. Anno 1316. tranſegit cum capitulo quod ei quædam 1316. ceſſit ad vitam: hic annus fuit ultimus vitæ noſtri epiſcopi de quo in necrologio ita legitur: *VI. idus Januarii obiit Garſias-Arnaldi de Caupena epiſcopus Aquenſis, juxta altare majus in parte meridiana dextra anno Domini* M.CCC.XXVI. Multa ex his quæ de eo referuntur deſumta ſunt ex antiquis domus de Caupene documentis.

In quadam charta de bonis inteſtatorum, & pecunia papæ ſolvenda, carpitur Raimundus Durandi, ſeneſcallus Landarum jam defunctus, quod non modicam partem theſauri Garſiæ Arnaudi de Caupenne, nuper epiſcopi Aquenſis, feciſſet occupari: Data eſt 2. Junii 1333. *Collect. Rymer. to. IV. pag. 519.*

DE LIPAS-SE.

XXXI. BERNARDUS II.

Bernardus, ut legitur in litteris Clementis VI. non Bertrandus, epiſcopus creatus eſt die 31. Januarii ejuſdem anni, quem alii 1326. alii 1327. computabant, pro vario more inchoandi 1327. annum. In multis chartis S. Bernardi prope Baionam cognominatur de Lipaſſe. Porro non electione capituli pervenit ad hanc ſedem, ſed collatione a Johanne XXII. papa; ſic enim legitur in veteribus actis: *Poſt mortem Garſias-Arnaldi de Caupene, canonici elegerunt Guillelmum de Podio-alto, ejus nepotem, canonicum & archidiaconum Aquenſem. Et cum prope eſſet ut confirmaretur a Guillelmo archiepiſcopo Auxitano, prohibitus eſt a Johanne* XXII. *qui epiſcopatum contulit Bernardo.* Hic erat nepos ex ſorore Guillelmi Petri de Godino cardinalis; cognomenque habebat de Lipos ea, juxta clariſſ. Baluzium. *Not. ad vit. pap. Aven. col. 275.*

Bernardus commemoratur in veteri inſtrumento Aquenſis eccleſiæ anno 1328. & in ta- 1328. bulis S. Bernardi prope Baionam, annis 1330. 1333. 1341. Poſtea Jeroſolymam petiit, & poſt vi- 1333. ſitatum Domini ſepulcrum de partibus tranſmarinis cum rediret, & cum prope civitatem Agathenſem tranſiret, quidam Johannes Bertherii, & alii prædones ex civitate Agathenſi, eum ejuſque comites ſpoliaverunt & in carcerem conjecerunt: qua de re Clemens VI. ſcripſit ad epiſcopos Agathenſem, Biterrenſem, & Magalonenſem, nec non ad Philippum Francorum regem anno 1347. *V. Balut. ibid. col. 717.* 1341. 1347.

Iterum rediiſſe Bernardum ad terram ſanctam conjicimus, ex facultate ei conceſſa ab Innocentio VI. hujus ſacræ peregrinationis ſuſcipiendæ, epiſtola data anno VI. ſui pontificatus 2. nonas Martii, ſeu anno 1358. Sed conjicimus eum longe antea epiſcopatum abdicaſſe.

ANNI CHRISTI.

XXXII. Bertrandus I.

Hunc episcopum noster D. Edmundus Martenne notatum invenit in charta Sorduensis monasterii. Huic porro Bertrando tribuendas putamus constitutiones quas Oihenartus anno 1351. editas asserit, non vero Bernardo; quippe qui non amplius erat episcopus.

XXXIII. Matthæus.

De hoc episcopo silent Oihenartus & Claudius Robertus. Itaque audiendi Sammarthani.

Matthæus ex abbate Carrofensi eligitur in episcopum 1358. Concilio provinciali adfuit sub [a] Alberto Auxitano archiepiscopo, ubi juris alios suffraganeos præcedendi fuit constans assertor. In prædicti concilii constitutionibus editis archimandrita nominatur, hoc est abbas Carrofensis: idque liquet ex chartulario Aquensi, & ex domino de Marca, lib. 1. cap. 5. [b]

XXXIV. Petrus II.

1360. Petrus Iterii Petracoras egregius legisperitus, fit episcopus anno 1360. Anno sequenti
1361. presbyter cardinalis Aquensis dictus, tituli sanctorum Quatuor Coronatorum ab Innocentio VI. creatus est die 17. Septembris, inde Albanus episcopus factus, Talayrando Petragoricensi successit 1364. cujus cardinalis testamenti curator nominatus 1260. mortuus Avenione anno 1367. 19. Maii, tumulatus est in Prædicatorum æde & sacello a se condito cum hoc epitaphio: *In præsenti capella jacet reverendissimus in Christo pater dominus Petrus Iteris, episcopus Albanensis cardinalis Aquensis, doctor legum egregius, qui obiit sub die mensis: Maii 19. anno Domini 1367. post recessum domini Urbani V.* Qui videlicet Romam redierat, quam urbem a plurimis annis Romani ipsi pontifices deseruerant. De hoc episcopo loquuntur omnes qui indices episcoporum Aquensium texuerunt. Claconius eum Aquensem, Aquitanum, Gallumque appellat, agnoscitque pro episcopo Aquensi in Vasconia.

Ravizia. ## XXXV. Johannes II.

Joannes Bauffes natione Normannus, patria Ebroicensis, Petro sacra purpura donato, anno
1362. 1361. subrogatus est, eumque anno 1362. episcopale munus gessisse probat vetus charta Sor-
1368. duensis monasterii. Anno 1368. misit ad concilium Vaurense trium provinciarum, qui suas in hoc consessu vices ageret. Fuit Carolo II.
Le Mire. Navarræ regi Ebroicarum comiti a consiliis, quo assentiente Johannes cum consanguineo suo Johanne Bauffesio baillivo &, ut tunc loquebantur, capitaneo Ebroicensi, duo sacella in ecclesia parochiali S. Petri, die 19. Julii an-
1377. ni 1377. fundavit. Fuit postea episcopus Oscensis in Hispania.

[a] Id est Arnaldo Alberti, qui anno 1364. concilium celebravit, & in eo constitutiones edidit.

[b] Ubi tamen haud invenimus mentionem Matthæi episcopi factam.

XXXVI. Johannes III.

ANNI CHRISTI. Johannes Guitardus, quem Rainaldus Guterium appellat, anno 1374. 17. Julii successerat Johanni Bauffesio, fortasse jam translato ad Oscensem cathedram. Guitard. 1374. Reg. Vatic.

Ejus pontificatus multis controversiis cum capitulo fuit turbatus. Exstat quædam epistola Urbani papæ scripta die 24. Augusti anni 1382. pro Johanne episcopo Aquensi, per capitulum ejecto. Tandem duas fecit transactiones: prima pactus est cum capitulo de forma titulorum in vacatione canonicatuum: altera convenit cum hujus urbis magistratibus, inter cetera clericos non posse gaudere privilegiis ecclesiasticis, nisi coronam & habitum gestarent; quæ instrumenta habentur in archivis publicis urbis & capituli. Anno 1390. adfuit coronationi Caroli regis Navarræ, in ecclesia Pampelonensi, una cum regina Leonora; præsentibus episcopis Calaguritano, Tarraconensi, Vicensi, ut refert Sandovalius de episcopis Pampelonensibus. Rymer. tom. VII. p. 363. 1390.

Odericus Rainaldus scribit eum missum esse nuntium apostolicum in Castellam, anno 1391. una cum Francisco Burdegalensi archiepiscopo, ut Castellanos ab antipapæ servitute ad Romanæ ecclesiæ gremium traduceret: adhuc memoratur in charta Sorduensi, anno 1393. sed existimamus eum jam tum traductum fuisse ad Ulysipponensem ecclesiam in Lusitania. Jam enim alius tunc sedem Aquensem obtinebat. 1391.

XXXVII. Petrus III.

De Bosco

Petrus de Bosco ex clara Boscorum familia, quæ apud Burdegalam adhuc floret, erat oriundus. Hieronymus Lopes in Burdegalensis ecclesiæ historia meminit Petri de Bosco, Cernensis archidiaconi, anno 1383. quem non dubitamus esse Petrum Aquensem episcopum; assumtus enim legitur ex collegio ecclesiæ S. Andreæ Burdegalensis, ubi erat canonicus: jam vero sedem hanc obtinebat anno 1392. nam hoc anno, die xx. Decembris, cum apud Perusium in palatio apostolico moraretur, Petrum de Ramafort civem Burdegalensem procuratorem suum constituit; vi cujus procurationis præfatus Petrus consensit emtioni cujusdam domus. Attamen ejus provisiones, uti vulgo dicimus, datæ sunt tantum nonis Decembris 5. pontificatus Bonifacii [a] anno, Christi 1393. in collect. Rimerii Angli tom. 7. pag. 762. [a] 1392. Tab. fontis Civit. Burd. 1398. 1405.

Ibidem legimus: *De jocalibus Petri de Bosco, nuper episcopi Aquensis, in manum regis Angliæ faciendis*, xxx. *Maii ann.* M. CCCC. Quid vero causæ fuerit ut in hæc bona episcopi rex manus injiceret, ignoramus. Legatione functus est pro summo pontifice apud Angliæ Tom. VIII. pag. 145.

[a] In collectione Rimerii loco indicato. Pro ecclesia Aquensi, de Provisione. *Bonifacius episcopus servus servorum Dei. Dudum si quidem bonæ memoriæ Johanne episcopo Aquensi, regimini Aquensis ecclesiæ præsidente, & ne ecclesia ipsa longa vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de præficiendo eidem ecclesiæ personam utilem & etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Petrum electum Aquensem tunc archidiaconum Sarlatensem in ecclesia Burdegalensi, baccalaureum in legibus, servitorum & cubicularium nostrum presbyterum, &c.*

ANNI CHRISTI. 1398. 1405.

regem anno 1398. ut ſcribit Valſinghamus in Richardo II. Anno 1405. adfuit dedicationi capellæ Bituricenſis. Sub hoc epiſcopo mota eſt quæſtio de ſepulturis contra Franciſcanos, quam compoſitam legimus, ſed quibus conditionibus non additur.

Hujus præſulis elogium ſcripſit his verbis Gabriel Lurbeus Burdegalenſis in opuſculo de illuſtribus Aquitaniæ viris: *Petrus de Boſco Aquitanus, Burdegalenſis eccleſiæ canonicus, fuit, ut tempora ferebant, humanitatis ſtudiis deditus, & litterarum ſacrarum, non ignarus, & ob eam rem in epiſcopum Aquenſem electus eſt. Quo in munere ita ſe geſſit, ut pauperum alumnus vocitatus ſit. Eccleſiam Burdegalenſem maxime coluit, quam & dominatu Vertullii in Medullis, & pluribus aliis muneribus donavit. Illius nomen extat hodie inſculptum in inſignibus vitrariis, quibus ejuſdem eccleſiæ delubrum ornavit: moriens inſignis pietatis & ſanctimoniæ exemplum ſucceſſoribus reliquit.* hucuſque Lurbeus.

XXXVIII. Petrus IV.

Oihenartus dicit ſe legiſſe in quibuſdam Burdegalenſis eccleſiæ monumentis, quemdam Petrum de la Colta, fuiſſe Aquenſem epiſcopum, circa hoc tempus. Sammarthani vero monent eum fuiſſe Petrum de Caſtelnau ex abbate S. Johannis de Caſtella evectum ad epiſcopatum Aquenſem, regnante Henrico rege, & Arnaldo de Bavlenx prætore hujus urbis, anno 1410.

1410. pag. 709.

In collectionibus Rimerii tom. VIII. in litteris ad regem Navarræ fit mentio libelli cujuſdam ſupplicis oblati anno 1411. die 18. Decembris a Petro epiſcopo Aquenſi & canonicis. Forte is eſt P. quem noſter D. Edmundus Martenne teſtatur ſe legiſſe notatum annis 1412. & 1415. in tabulis Sorduenſibus. Idem dicit in veteri monumento Aquenſi occurrere epiſcopum Aquenſem nomine Garſiam-Arnaldi, anno 1411. Is forte de epiſcopatu contendebat cum Petro: nam cum hoc tempore non unus pro legitimo papa haberetur, facile poterat fieri ut plures de eodem epiſcopatu diſceptarent, muniti diverſorum ſummorum pontificum bullis.

1411.

XXXIX. Nicolaus.

1416.

Nicolaus Aquenſis epiſcopus, anno 1416. menſe Decembri admiſſus eſt in concilio Conſtantienſi, ſeſſione XXVI. tanquam orator Caroli regis Navarræ, cum Guillelmo Arnaldi Baionenſi, epiſcopo. Anno ſequenti miſſus eſt in Italiam a Carolo rege Franciæ, & a Carolo præfato rege Navarræ, ad Jacobum regem e carcere liberandum, & componenda gravia diſſidia inter ipſum & Johannam Neapolitanam reginam ejus uxorem, ut docent litteræ Martini papæ V. datæ anno I. ejus pontificatus, XVII. cal. Decembris, Chriſti anno 1418. Nicolaum adhuc ſediſſe anno 1411. legimus.

Rainald. ad hunc ann.

1411.

XL. Franciscus I.

Franciſcus hucuſque incognitus inter Aquenſes prodit antiſtites ex tabulis Sorduenſibus, in quibus notatur annis 1413. & 1414. teſte D. Edmundo Martenne, qui chartas hujus monaſterii propriis uſurpavit oculis.

ANNI CHRISTI.

XLI. Garsias II.

Arnaldi.

Garſiam-Arnaldi, eodem Martenno ſponſore admittimus; ejus enim nomen vir oculatiſſimus obſervavit in charta Aquenſis eccleſiæ anni 1424.

1424.

Sammarthani commemorant Garſiam-Arnaldum de Sega, epiſcopum Aquenſem, poſtea Baionenſem, anno 1444. ſed dubium videtur utrum cum noſtro Garſia-Arnaldi idem ſit; imo alium eſſe infra oſtendemus; & quidem mortuo noſtro Garſia-Arnaldi, duo creati ſunt epiſcopi, unus a concilio Baſileenſi, alter ab Eugenio papa quarto, unus nomine Bernardus, alter Garſias, vel Garſianus. De utroque dicendum.

XLII. Bernardus III.

De Laplanche.

Qui Bernardum hunc Laplanchium, *al.* de Planca cognominatum, Aquenſibus epiſcopis accenſent Oihenartus, Friſonus in Gallia purpurata & Sammarthani, dicunt eum monachum fuiſſe ordinis ſancti Benedicti, epiſcopumque factum eſſe in concilio Baſileenſi, anno 1427. poſtea donatum cardinalitia purpura & titulo SS. Nerei & Achillei, anno 1440. IV. idus Octobris, a Felice pſeudo-papa. Quod autem fuerit epiſcopus Aquenſis probatur ex concilio Florentino, ubi hoc titulo inſignitur.

Conſtat in concilio Conſtantienſi quemdam ſæpe commemorari doctorem Bernardum Laplanchium, aut de Planca appellatum. Recenſetur quoque in concilio Baſileenſi anno 1439. & in Florentino, anno 1440. quidam Bernardus Aquenſis epiſcopus: at forſan cuipiam videbitur potius epiſcopus Aquenſis in Italia, ſub metropoli, ni fallor, Mediolanenſi, quam in Gallia; nam epiſcopi omnes cum eo recenſiti fuere Itali.

Quod addunt Sammarthani adeo ſæviiſſe hunc præſulem in capitulum, ut papa concedente fuerit exemtum ab omnimoda poteſtate & juriſdictione epiſcopali, pertinet ad alium epiſcopum nomine Bertrandum. Ex his videretur minime certum eſſe præfatum Bernardum unquam in cathedra Aquenſi, Auxitanæ metropoli ſubjecta ſediſſe, niſi opportune nobis adfuiſſet epiſtola Henrici Angliæ regis ad concilium Baſileenſe, ad quod ut orator hujus regis miſſus eſt. Hanc epiſtolam aliquando daturus eſt noſter D. Edmundus Martenne: præterea ex collectione Rimerii Angli tom. X. conſtat Bernardum de Planca, electum epiſcopum Aquenſem contendiſſe de hujus urbis epiſcopatu cum Guiſiario de Lexagne, promoto ab Eugenio papa, cui adhærendum eſſe, non Bernardo rex Angliæ juſſit decreto dato 13. Julii anni 1440. Præterea exſtant litteræ ſeneſcalli Aquitaniæ contra Bernardum, datæ die 1. Martii anni 1441.

XLIII.

XLIII. Garsias III.

ANNI CHRISTI DI SEGA.

Garsias qui & Garsiarius, corrupte Guisiarius de Sega, seu de la Sega, vulgo de Lexegne, is est quem superius diximus promotum ad episcopatum Aquensem, vel, ut aiunt, provisum ab Eugenio papa IV. cuique favit Angliæ rex. Aliquando legitur Garsias-Arnaldus; unde forte conflatum vocabulum *Garbaldus*, sive *Garsiardus*. Dicitur translatus ad Baionensem cathedram anno 1444. v. idus Decembris, juxta acta consistorialia, permutatione facta cum Guillelmo qui sequitur, quod minime nobis approbatur.

XLIV. Guillelmus-Arnaldus.

Hic ex episcopatu Baionensi traducitur ad Aquensem, anno & die supra notatis: seditque annis 1445. & 1447. Oihenartus unicum ex duobus episcopis conflavit, quem appellat Guillelmum-Arnaldum, vel Garsiam-Arnaldum. Fatentur Sammarthani nihil exstare de duobus illis episcopis in actis Baionensis ecclesiæ, as citant acta Vaticani.

1445. 1447.

Duobus illis episcopis iidem viri docti adjiciunt Johannem de Lauro, qui, relicta sede Aquensi, accepit, inquiunt, Baionensem. Attamen in Baionensibus episcopis ejus mentionem minime faciunt: haud dubie emendantes quæ de illo Johanne paulo antea scripserant. Ideoque illum prorsus omittendum censemus, maxime cum in aliis catalogis de ipso prorsus sileatur. Anno 1455. Petrum Fuxium cardinalem Albanensem administrationem episcopatus Aquensis nactum esse sententia est Oihenarti & Sammarthanorum; qui tamen alibi loquentes de hoc cardinali, episcopatus Aquensis nusquam meminerunt, & quidem sine causa episcoporum Aquensium additus est catalogo.

XLV. Johannes-Baptista

DE FOIX.

Johannes-Baptista erat nothus Archembaldi de Grailly, dynastæ Buchiorum, vulgo *captal de Buch*; qui ex nomine uxoris suæ Isabellæ de Fuxo, sororis & heredis Matthæi comitis Fuxensis, factus est Fuxi comes. Itaque Johannes-Baptista non est Fuxensi genti accensendus; cujus tamen usurpabat nomen, ut ex plurimis constat instrumentis; unde vulgo de Fuxo cognominatur. Anno 1460. Johannes jam abbas S. Severi, electus est Aquensis episcopus.

1461.

An. 1461. ut episcopus Aquensis, die 16. Maii, recognovit regi clientelare debitum in camera computorum. Ab hac sede vocatus est ad Convenensem; obiitque anno 1501.

XLVI. Bertrandus II.

DE BORIA.

Bertrandus de Boria ex nobili familia diœcesis, sedem obtinebat anno 1471. [a] & paulo post

1471.

a Id probatur ex veteri charta in qua legitur quod nobil. Johannes de Sanguinet, civis de Tartas Aquensis diœcesis, a reverendo patre in Christo Bertrando de Boria, quensi episcopo, impetravit, ut corpus suum e regione aræ a se in honorem S. Geronitii in ecclesia S. Catharinæ urbis de Tartas erectæ in tumulo sibi a nobilibus Agnete loci de S. Cruce domina, & Johanne de Benquet ejus filio, S. Crucis & Benquetti domino concesso, post mortem humetur; ex ejusdem Johan. de Sanguinet testamento an. M. CCCC. LXXI. confecto mense Aug.

A insimulatus est apud Sixtum papam IV. de homicidio. Qua de causa capitulum summum pontificem adiit, postulans ut tantus excessus puniretur, cujus judicio interesse petierunt canonici. Rogaverunt insuper ut a potestate episcopi eximerentur, qui minime capitulum, qua debuisset caritate prosequebatur. Annuit Sixtus papa, ut liquet ex ejusdem bulla data anno 1472. XIII. calendas Aprilis, pontificatus sui anno secundo. Accusationem diluit episcopus, ut par est conjicere; nam ab episcopatu non est dejectus Bertrandus, sed sedisse probatur annis 1477. 78. 81. 82. Anno 1483. fundatur a Ludovico Francorum rege XI. capitulum dictum S. Spiritus prope Baionam, in diœcesi tamen Aquensi, pro canonicis tredecim, capellanis sex, & quatuor pueris choristis. Anno 1494. adfuit inaugurationi Johannis de Lebreto, vulgo Albreti, & Catharinæ de Fuxo, regis & reginæ Navarræ, apud Pompeiopolim mense Januario. Anno 1497. idem episcopus benedixit Bertrandum de Bergay Artonæ abbatem, & majus templum vitreis fenestris depictis, magnis sumtibus exornavit. Ex dictis colliges Petrum de Fuxo cardinalem, qui in Sammarthanorum Gallia Christiana legitur episcopus Aquensis, ad ann. 1481. & 1490. fuisse tantummodo administratorem, donec Bertrandus episcopus impacta sibi crimina, homicidium, bonorum ecclesiæ dilapidationem, &c. purgaret.

ANNI CHRISTI

Vide infr. Cl. V. I. pag. 174. col. 1.

1477. 1483.

1497.

XLVII. Arnaldus III.

DE BORIA.

Arnaldus de Boria, nepos Bertrandi, rexit circiter ab anno 1506. ad 1514. Laudatur ob propagatum & auctum in sua diœcesi Deiparæ Virginis cultum, sive oratoria in ejus honorem condendo, sive imagines ejus erigendo. Semper usus est consilio canonicorum suorum, inter quos tunc temporis erant gravissimi viri, in iis Johannes de Podio-alto, qui celebri apologia Johannem Navarræ regem Lebreti toparcham propugnavit. Qui de causa creatus est episcopus Condomiensis; sed provisionem obtinere nequivit. Hæc Sammarthani, qui tamen hunc Johannem minime inseruerunt catalogo præsulum Condomiensium; haud dubie quia bullas habere non potuit.

1506. 1514.

En est nob. domus de Hinx.

XLVIII. Johannes IV.

DE LA MARTHONIE.

Johannes de la Marthonie, Stephano senatore Burdegalensi patre genitus, ex Isabella de Pompadour, frater erat Mondoti de la Marthonie, Burdegalensis senatus, suprematque Parisiorum curiæ principis: cui regni Gallici administrationem cum Ludovica Saboauda matre rex Franciscus I. commisit, dum contra Helvetios pugnaturus in Italiam profectus est. Huic autem sedi Aquensi præficitur Johannes circa an. 1514. quo cum præfuisse, & anno 1517. probant acta publica. Johannem episcopum tanquam Mœcenatem suum Blasius Madronetus Securiacus in opusculo Gastoni ejus fratri scripto ob virtutes summopere laudat. E vivis excessit anno 1519. post cooptatum regis gratia eundem Gastonem fratrem, in coadjutorem & successo-

1519.

ANNI CHRISTI.

rem. Ut relaxatos, vel etiam corruptos populi mores adſtringeret, corrigeretque, ſollicitus fuit de conſtitutionibus publicandis.

DE LA MARTHONIE.

XLIX. GASTO.

Gaſto de la Marthonie ex coadjutore Johannis fratris ad hanc cathedram aſcendit. Liberalibus ſtudiis a puero eruditus, tum juriſprudentiam in academia Pictavienſi interpretandam ſuſcepit, quod in Toloſana & in Cadurcenſi feliciter præſtitit. Poſtea Theologiæ ſe dedit. A rege autem Franciſco I. ſenator Burdegalenſis nominatus fuerat, propter eruditionem & aliarum rerum cognitionem, cum juriſprudentiæ ſtudiis conjunctam; indeque Aquenſis epiſcopus 1519. Obiit anno 1555. ineunte menſe Octobri. A ſua eccleſia diu abfuit, quo tempore prorex Aquitaniæ a Franciſco I. mandatum accepit hanc urbem undique vallandi, & rebus bellicis muniendi ob periculum obſidionis. Tunc ædes canonicorum mœnibus imminentes dirutæ fuerunt; quod damnum poſtea rex ut reſarciret, dedit capitulo Aquenſi jus repetendi 1200. lib. a quæſtore ærarii Burdigalæ. Eidem vero antiſtiti Madronetus dicat libellum ex hiſtoriis ſacris exteris Latinis & Gallicis conflatum, ſeu quot & quam ex cruentiſſimis prœliis pullulant incommoda. Gaſto fratres habuit Robertum Marthoniacum regiæ domus œconomum, Bonnenſem toparcham, legatione pro Franciſco I. ad ducem Gueldriæ functum: & alterum Burdegalenſem archidiaconum ſanctioris conſiſtorii aſſeſſorem.

1519.
1555.

B

C

DE NOAILLES.

L. FRANCISCUS II.

Franciſcus de Noailles ex veruſta & nobiliſſima ſtirpe apud Lemovices, parentibus ſatus Ludovico domino de Noailles, & Catharina de Pierrebuffiere, ſuſceptus eſt in lucem, anno 1519. die 2. Julii. Jam erat epiſcopus Aquenſis anno 1557 ex tabulis publicis. Cum foret rerum gerendarum peritiſſimus, ac in ſcientia politica verſatus egregie, comes conſiſtorianus factus eſt; ejuſque opera reges multis in legationibus uſi ſunt, & conſilio in variis pacis bellique negotiis. Thuanus in hiſtoria ſua, dicit eum, præter nobilitatem generis, prudentia inſita & uſu rerum, quem Anglicana, Veneta, & recenti Byſantina legatione magna cum laude obita contraxerat, præſtantem fuiſſe; cujus etiam breve elogium his verbis complexus eſt Lurbeeus, in ſuis illuſtribus Aquitaniæ viris: FRANCISCUS NOAILLIUS, *illuſtri apud Lemovicenſes familia, ingenue & liberaliter a parentibus educatus, omnes undique floſculos elegantis & polita doctrina conquiſivit, & bonas divina & immortalis cujuſdam eloquentiæ dotes, quibus ille omnes ſuæ ætatis viros ſuperavit, mira ſolertia, & expedita in rebus agendis induſtria cumulavit. Ex quo apud proceres omnes, & aulicos gratiſſimus fuit, & ab Henrico ſecundo in epiſcopatu Aquenſi apud Aquitanos ſuffectus; & in ſanctiori conſilio indigitatus, primum in Britanniam, inde Venetias, poſtremo Conſtantinopolim legatus miſſus eſt. Quo in munere Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem & concordiam, & Imperii Francici dignitatem procuravit, totamque Syriam & Ægyptum legatus peragravit. Inde plurimis in Chriſtianos apud Turcas agentes beneficiis collatis in Gallias reverſus, a Francis regibus cultus & laudatus eſt, & ab iiſdem ſæpe in provincias delegatus; vir certe & rerum experientia & conſilio nemini ſuorum temporum ſecundus.* His legationibus feliciter confectis, eccleſiam ſuam inviſere cupiens ab aula receſſit, ibique per aliquot annos paſtorali curæ vacavit; interim calculari morbo vexatus, ad aquas de Cambo prope Baionam ſanitatis gratia divertit; ubi doloris gravitudine preſſus Baionæ 16. Septemb. 1585. teſtamentum dictavit; ſequenti die codicillos adjecit, & ibidem deceſſit 19. ejuſdem menſis. Cor ſepulturæ illatum in eccleſia collegiata de Noailles apud Lemovices; corpus autem in æde cathedrali Aquenſi condi præcepit. In legatione apud Venetos, Franciæ præceſſionem quam Hiſpania ſibi vindicare cupiebat, conſtanter aſſeruit & obtinuit. Ceterum cum de nova hæreſi apud Pium IV. accuſatus fuiſſet, fidem ſuam pontifici egregie approbavit.

1557.

D

E

1585.

DE NOAILLES.

LI. ÆGIDIUS.

Ægidius Franciſci frater & Antonii in provincia & urbe Burdegalenſi regii præfecti, ex quo orti ſunt comites & duces de Noailles, natus eſt anno 1514. Primum ſenator fuit in parlamento Burdegalenſi, magiſter libellorum ſupplicum, pro rege legatus in Angliam, Scotiam, Poloniam, & ad Turcarum imperatorem; demum abbas Inſulæ & S. Amandi, denique epiſcopus Aquenſis, poſt obitum fratris anno 1585. eccleſiam ſuam rexit per vicarios, cum ab ea cogeretur abeſſe propter gravia regni negotia, quibus præpoſitus fuerat: abdicavit tandem in gratiam ſequentis, vivereque deſiit anno 1600.

1585.

1600.

DU SAULT.

LII. JOHANNES-JACOBUS.

Johannes-Jacobus du Sault ex nobili familia Burdigalenſi, Jacobi in parlamento hujus urbis advocati regii, & Annæ Godin filius: decanus S. Severini in ſuburbano ejuſdem urbis, & ſanctioris conſiſtorii conſiliarius, nominatur epiſcopus ab Henrico Magno Franciæ & Navarræ rege anno 1600. Intereſt comitiis generalibus Pariſienſibus anno 1614. Sub eo patres Capucini Aquis admittuntur, pariterque Pœnitentium Cæruleorum celebre ſodalitium. Cum capitulo poſt multas rixas tranſegit de collationibus & permutationibus canonicatuum, præbendarum, & aliorum ſacerdotiorum. Cathedralem eccleſiam inſtauravit, cujus reditus auxit piis quibuſdam fundationibus, & ſacram ſupellectilem pretioſis ornamentis. Mortuus Aquis anno 1623. ſepultus eſt ante majus altare eccleſiæ.

1614.

1623.

In Eccleſia S. Severini Burdegalenſis legitur hoc epitaphium:

L. H. du Sault epiſcopus Aquenſis, & decanus hujus eccleſiæ, obiit die 25. Maii 1623.

quod non probat eum ibidem ſepultum jacere. Primæ litteræ L. H. videntur deſignare alia

nomina quam ſuperius notata. Attamen Oihenartus, qui procul dubio ipſum noverat, cum Notitia Vaſconiæ in qua ejus meminit in lucem prodierit poſt annos XV. ab hujus epiſcopi obitu, ipſum appellat Johannem-Jacobum.

ANNI CHRIST.

LIII. PHILIBERTUS.

DE SAULT.

Philibertus de Saltu, filius Caroli domini de l'Eſpine, anteceſſoris ſui fratris, a rege Ludovico XIII. patrui coadjutor deſignatus, conſecratur antiſtes Aurienſis in baſilica Aquenſi S. Mariæ ab epiſcopis Baionenſi, Aquenſi, & Tarbenſi; poſſeſſionemque adipiſcitur anno 1623. Sub eo patres congregationis clericorum Regularium S. Pauli, vulgo Barnabitæ, inſtituti fuerunt ad moderandum urbis collegium, cui annexi ſunt nonnullorum ſacerdotiorum proventus. Sub eo eccleſia cathedralis inſignis & antiquiſſimæ ſtructuræ cœpit collabi, quod pio præſuli magnum mœrorem attulit. Pro matutinis horis decantandis ad augenda canonicorum & clericorum ſtipendia, tria millia librarum dono dedit, & tali exemplo capitulum ſuum ad eandem pecuniæ ſummam ſuppeditandam provocavit. Multas veſtes ſacerdotales pretioſas largitus eſt, lampadem, crucem aliaque ad divinum cultum ſpectantia affabre facta ex argento addidit. Præſertim vero in pauperes & egenos liberaliſſimus fatis fungitur anno 1638. 11. Novembris; jacet in eccleſia ſua prope patruum.

1623. B C 1638.

DE CLAUX.

LIV. JACOBUS.

Jacobus Deſclaux de Mucronio, honeſto loco natus, nominatur epiſcopus die 25. Aprilis anni 1639. a rege Ludovico XIII. apud eum commendatus ab Armando-Johanne du Pleſſis, cardinali & duce Richelio, cui carus erat tum ob animi dotes, tum quod frater erat Petri Deſclaux canonici Burdigalenſis, qui tanto viro fuit a ſacris confeſſionibus quoad vixit. Conſecratur autem antiſtes Pariſiis eodem anno in eccleſia S. Lazari ab epiſcopo Calchedonenſi, aſſiſtentibus Franciſco Fouquet Baionenſi, & Claudio-Franciſco d'Abra de Raconis Vaurenſi epiſcopis. Urbem Aquenſem ingreſſus eſt 20. Septembris ejuſdem anni 1639. cum prius 3. Julii ſacramentum clientelæ exhibuiſſet regi apud Ambianum. Sub ejus pontificatu eccleſia cathedralis penitus corruit. Sed ipſius curis & capituli ſtudio inſtauratur. Apud Tartaſſium Franciſcanorum monaſterium ſub eodem conditum eſt. Profectus Lutetiam Pariſiorum, ſupplicaturus pro populo Ludovicum XIV. reginamque matrem, pacavit. Cum capitulo ſuo ab ipſo pontificatu graves habuit controverſias, & tandem conſilio & opera epiſcoporum Adurenſis & Vaſatenſis eas compoſuit, inita tranſactione de omnibus fere juribus tum epiſcopalibus, tum capitularibus. Denique ſtatuta tum chori, tum etiam capituli inſtaurata, & aucta confirmavit, & rata habuit. Officium vero Sanctorum cathedralis eccleſiæ ad formam breviarii Romani redactum, ejus auctoritate & conſenſu item capituli editum eſt Burdigalæ 1651. Obiit Pariſiis die 4. Auguſti anni 1658. ætatis ſuæ anno 65. exactis in epiſcopatu annis 18. ſepultuſque eſt in eccleſia ſua.

1639. D E

ANNI CHRISTI.

LV. GUILLELMUS V.

1651. 1658. DE BOUX.

Guillelmus le Boux, e vico Pernayo prope Salmurium in Andibus oriundus, generis obſcuritatem ingenio & virtute illuſtravit. Admiſſus inter preſbyteros congregationis Oratorii, eloquentiæ ſacræ præſertim ſeſe addixit, evaſitque celeberrimus ætate ſua concionator; cujus fama permotus rex Chriſtianiſſimus, eum deſignavit Aquenſem epiſcopum anno 1658. die 5. Octobris. Conſecratur die Dominica in octava Paſchæ die 4. Aprilis anni 1660. in eccleſia patrum Oratorii vici S. Honorati apud Pariſios a ſuo metropolitano Dominico de Vic Auſcienſi archiepiſcopo, aſſiſtentibus & collaborantibus Conſtantienſi, & Tutelenſi epiſcopis. Anno 1665. deſignatus eſt epiſcopus Matiſconenſis, ſed ejus nominatio caruit effectu; at anno ſequenti tranſiit ad eccleſiam Petracoricenſem.

1658. 1660. 1665. 1666.

LVI. HUGO.

DE BAR.

Cum rex Chriſtianiſſimus Guillelmo le Boux ſchedulam dediſſet pro Matiſconenſi epiſcopatu, anno 1665. Hugo de Bar nobilis in Picardia generis, de quo in epiſcopis Lactorenſibus loquemur, eodem rege nominante, vocatus eſt ad ſedem Aquenſem; quæ tamen non vacavit niſi anno ſequenti per tranſlationem anteceſſoris ad Petracoricenſem epiſcopatum.

Conſecratur Pariſiis in eccl. PP. Doctrinæ Chriſt. anno 1666. a Daniele de Coſnac, epiſc. Valent. aſſiſtentibus Bernardo de Sariac Adurenſi, & Matthæo Thoreau Dolenſi epiſcopis. Tranſit ad ſedem Lectorenſem, ſchedula regia 8. Januarii 1671. deſignatus.

LVII. PAULUS-PHILIPPUS.

DE CHAUMONT.

Paulus Philippus de Chaumont abbas ſancti Vincentii de Burgo, ord. S. Aug. diœc. Burd. ex antiqua ſtirpe Calvi-montis in Wulcaſſino, patrem habuit Johannem dominum du Bois-Garnier, regi a ſanctioribus conſiliis, matrem Mariam de Bailleul. Ipſe cum eſſet præfectus bibliothecæ privatæ ac domeſticæ regis, ejuſque lector, ad hanc evehitur cathedram nominante rege 8. Jan. anni 1671. Sacramento fidelitatis ſeſe obſtringit 25. Aprilis 1672. conſecrationem autem accepit die 1. Maii. Ceſſit anno 1684. & moritur menſe Martio anni 1697. Quadraginta viris academiæ Franciæ annumeratus erat. Scripſit vero erudite pro religione Chriſtiana.

LVIII. LEO.

DE LA LANE.

Leo de la Lane Burdegalenſis, qua in urbe habuit fratrem ſenatus præſidem, nominatur pro Aquenſi epiſcopatu anno 1684. ſed nondum conſecratus, aut etiam confirmatus a ſede apoſtolica, deſignatus eſt Baionenſis epiſcopus, die 15. Auguſti anni 1688.

1684. 1688.

LIX. JOHANNES-MARIA.

DE PRUGUES.

Johannes-Maria de Prugues per ſchedulam

ANNI CHRISTI. 1688. 1690.

regiam datam die 15. Auguſti anni 1688. eligitur in epiſcopum Aquenſem: obiit Pariſiis menſe Junio anni 1690. nondum inauguratus, cum profectus eſſet ad cleri comitia.

D'ABBADIE.

LX. BERNARDUS IV.

Bernardus d'Abbadie d'Arbocave, ex nobili genere in Benearnenſi provincia, nominatus a rege die 14. aut 15. Auguſti anni 1690. cum eſſet parochus eccleſiæ de Mazeclac, diœceſis Lactorenſis, more ſolito conſecratur die 26. Octobris anni 1692. Adhuc incolumis præeſt.

ANNI CHRISTI. 1692.

ABBATIÆ DIOECESIS AQUENSIS.

DIœceſis Aquenſis ſex iſtas abbatias ſuo B ſinu complectitur: duæ ſunt ordinis S. Benedicti, totidem Præmonſtratenſium, duæ ultimæ feminarum ordinis Ciſtercienſis.

I. S. JOHANNIS DE SORDUA, O. B.
II. B. MARIÆ de CAGNOTA, O. B.
III. ARTONÆ, O. Præm.
IV. DEI-VILLÆ, O. Præm.
V. S. BERNARDI, prope Baionam, fem. O. Ciſt.
VI. S. SIGISMUNDI, fem. O. Ciſt.

SORDUA.

MOnaſterium ſancti Johannis-Baptiſtæ de C Sordua ordinis S. Benedicti ſitum eſt fere ad confluentem utriuſque Gavi, Oleronenſis ad cujus ripam ſtat, & Bigorritani ſeu Palenſis. Tribus abeſt milliaribus a cœnobio Cagnotenſi, novem ab Aquis Auguſtis ſeu Tarbellicis, vulgo *Acqs*, ad cujus civitatis diœceſim pertinet, totidemque ferme leucis a cœnobio S. Severi in capite Vaſconiæ. Jam exſtabat anno circiter 970. quo nimirum Willelmus Sancius comes & dominus totius Vaſconiæ eccleſiam S. Suſannæ de Larbaig & alia nonnulla ei conceſſit.

Hiſt. Bearn. l. 3. c. 10.

Diu poſtea Guillelmus totius Aquitaniæ D dux, filius Guillelmi totius Aquitaniæ ducis, quidquid ſuus pater eccleſiæ S. Johannis Sorduenſis donaverat, iterum donavit, confirmavitque omnia illa quæ tenet & acquirere potuit: *Tam de terris, quam de ſilvis; tam de aquis, quam de viridariis; tam de villis, quam de piſcariis; tam iſtarum rerum de tributis, quam de villanis.* Hujus privilegii teſtes ſunt Guido epiſcopus Laſcurenſis, domnus Gaſto Bearnenſis vicecomes, Willelmus epiſcopus Lapurdenſis. Deſunt notæ chronicæ huic inſtrumento, ſed non potuit poſt annum 1130. confici, ut probabimus in Willelmo Lapurdenſi ſeu E Baionenſi epiſcopo. Huic autem monaſterio, quod non ſemel vaſtatum eſt ab heterodoxis Calvini ſectariis, præfuerunt abbates, qui ſequuntur.

Ex tab. Sord.

ABBATUM SERIES.

I. Guillelmus I. d'Orgon, *al.* de Goron Centulli Gaſtonis Benearni comitis ſuppar, proindeque circa an. 1060. erat ſimul abbas Sorduenſis & archidiaconus Aquenſis ex hiſtor. Bearn. D. de Marca. Eo ſedente abbatia S. Johannis Sord. reſtituta fuit Raimundo abbati Peccianenſi, auctoritate concilii Auſcienſis ſub Raimundo Copa archipræſule celebrati. Vivebat etiam tempore Sancii comitis, a quo eccleſiam S. Mariæ de Sendos excepit.

l. 4. p. 190. & 191.

D. Cl. Eſtiennot.

II. Helias ineunte ſeculo XI. factus monachus in cœnobio S. Severi in capite Vaſconiæ, Sorduenſi præficitur abbas circa an. 1061. de quo fragmentum necrologii San-Sever. *Nonis Maii obiit Helias abbas Sorduenſis.*

III. Braſco tempore ejuſdem Sancii comitis villam de Bortas acquiſivit, memoraturque variis in chartis, ſed chronicis notis deſtitutis.

IV. Geraldus, cui Forto Garſias veniens ad converſionem dedit eccleſiam S. Johannis de Bonut. Idem quoque Geraldus decimam de Sarlana & centum ſextarios de ſicera a Dodone de Falgars accepit. Obiit autem IV. nonas Junii an. 1105. ex veteri necrol. ſancti Severi.

V. Ainerius in præſentia Odonis epiſcopi & Gaſtonis vicecomitis Bearnenſis fecit duellum pro eccleſia de Aribalda, victoriamque obtinuit. Hic recenſetur in plurimis veteribus chartis, ſed temporis nota deſtitutis.

VI. Willelmus II. Martelli 1119. quo anno VI. idus Jan. vicecomitiſſa de Beguer ei pro remedio animæ defuncti vicecomitis Garſiæ-Lupi eccleſiam S. Mariæ de Barunza conceſſit, in manu Bernardi Aquenſis archiepiſcopi *. Idem anno 1120. memoratur in litteris Guillelmi Aquitaniæ ducis antiquas monaſterii donationes confirmantis. Præerat denique hic abbas an. 1136. ac tempore vicecomitiſſæ Taleſæ & Arnaldi-Guillelmi Aquenſium epiſcopi, teſte D. de Marca. Interfuit etiam concilio Burdegalenſi, in quo cœnobium Generenſe Bigorritano epiſcopo attributum eſt.

* Epiſcopi.

l. 5. c. 18. p. 440. & c. 32. p. 417.

VII. Arnaldus I. d'Yſeſt ex abbate Sorduenſi jam anno 1150. epiſcopus Olorenſis factus fuerat; memoratur enim ut epiſcopus in charta quadam anni hujus, quam refert V. C. P. de Marca hiſt. Bearn.

l. 5. c. 27. p. 442.

VIII. Bertrandus de Sanadet, cujus tempore anno circiter 1147. facta eſt poſſeſſionum monaſterii diviſio inter abbatem & monachos.

IX. Arnaldus II. Bunio vel Boniou temporibus W. R. vicecomitis de Aorta, & Arnaldi Guillelmi Aquenſis epiſcopi, cujus in præſentia quædam ipſi decimæ reſtituuntur. Teſtis fuit anno 1150. in charta ſuperius laudata D. de Marca.

Ibid.

X. Willelmus-Bernardus de Camer multa legitur acquiſiviſſe. Anno 1167. in exſilio poſitus oppigneravit quartam partem deci-

Digitized by Google

mæ de Guiſſen pro quinquaginta ſolidis Morlanenſis monetæ. Reperitur etiam anno 1170. quo Baia de Oyre domina de Cannade eccleſiam de Oyre pro *monachando* Fortone filio ſuo conceſſit; & 1171.

XI. Bernardus I. de la Carre aut Leſcarre electus eſt abbas Sorduæ anno 1176. ex chartul. monaſt. Idem eſt fortaſſe qui prima nominis littera B. deſignatus, cum G. Auſcienſi & W. B. Aquenſi præſulibus compoſuit anno 1186. querelam inter epiſcopum & canonicos Baionenſes, quorum compoſitionem ratam habuit Cæleſtinus papa III.

XII. Willelmus III. vel Arnaldus-Willelmus de Birano quem noſter D. Cl. Eſtiennot nuncupat Arnaldum Willelmi de Birano, donationem excepit dominæ Comdor de Membradet, quando facta eſt ſanctimonialis, tempore Fortanerii de Mauleon epiſcopi Aquenſis. Præerat Sorduæ jam anno 1200. rexitque ad annum 1212. jam antea electus Tarbienſis epiſcopus, quam ſedem occupavit ad annum circiter 1226.

XIII. R. Arnaldus III. de Bortes electus anno 1212. æmulum videtur habuiſſe Raimundum de Acrimonte, quem ex monacho ſub Arnaldo Boniou abbate, anno 1213. abbatem lego in donatione viri nobilis Guillelmi de Minſens, de tota capellania S. Cyrici, ex ſchedis noſtri D. Cl. Eſtiennot chartularium laudantis fol. 33. Ut ut ſit R. Arnaldus de Bortes regnante Othone imperatore Romano, Philippo rege in Francia, Johanne in Anglia, excepit donum P. A. de ſancto Cyriaco militis domini de Caſal & de Fontaneres. Recenſetur etiam an. 1240. quo terram de Langar ab Arnaldo d'Arriu accepit. Anno 1246. ſententiam obtinuit pro conſervatione decimæ & eccleſiæ de Leren. Denique an. 1254. ei ſe munificum exhibuit Bernardus de la Roque de Caſſavert *al.* Caſſau.

XIV. Johannes I. ex monacho S. Severi in capite Vaſconiæ, in cujus necrologio conſignatur XIII. cal. Martii.

XV. Raimundus-Arnaldi de Caupena ex monacho S. Severi factus abbas deceſſit VI. idus Febr. anno 1284. ut habet necrologium S. Severi.

XVI. Fortonis de Caupena meminit fragmentum ejuſdem necrologii, his verbis: IX. *cal. Maii obiit Forto de Caupena abbas Sorduenſis.*

XVII. Petrus-Guillelmus aut Willelmi in tabulis Oihenarti & Sorduæ annis 1305. 1313. & 1320. In chartis tamen anni 1317. abbas Willelmus abſque prævio nomine dicitur; in concilio Nugarolenſi anni 1315. e contrario legitur tantum Petrus. Similiter anno 1323. in Notitia Vaſconiæ Oihenarti, necnon in Sorduenſi tabulario.

XVIII. Bernardus II. an. 1324. ex chartario Sorduæ, teſte noſtro Eſtiennot.

XIX. Petrus I. 1325. 1330. ex notitia Vaſconiæ & chartis Sorduæ, & adhuc 1343.

XX. Johannes II. e monacho ſancti Severi 1343. & 1346. quo circiter anno mortem oppetiit III. cal. Martii ex veteri hagiol. ſancti Severi, quod ſic habet: III. *cal. Martii ob. D. Johannes abbas an.* MCCCX..II.

XXI. Guillelmus-Raimundus de Donay 1347. 1349.

XXII. Johannes III. præerat jam anno 1349. Anno 1355. appellavit ſedem apoſtolicam contra ſtatuta vicarii generalis Aquenſis epiſcopi.

XXIII. Willelmus IV. obiit anno 1362. & ſuccedit Petrus.

XXIV. Petrus II. bulla Innocentii papæ VI. pontificatus anno X. data Sorduenſis abbas inſtituitur. An. 1363. præſentat ad eccleſiam parochialem S. Martini de Garanhon. Præfuit autem ad an. 1384.

XXV. Bernardus III. 1384. 1386.

XXVI. Bertrandus 1389. 1390. & 1394. Idem forte qui annis 1391. 1395. & 1399. in chartis recenſetur ſub nomine Bernardi Guillelmi de Serres pro *Bertrando*, errore amanuenſibus ſatis familiari, aut certe præcedens, qui abdicato regimine nomen abbatis retinuerit.

XXVII. Bernardus IV. de Moneins anno 1401.

XXVIII. Bernardus V. d'Anglade an. 1402. 1406. 1409. ex tabul. Sorduenſi, & 1415. ex Notitia Vaſconiæ Oihenarti. Vide in Sancio II. Oleronenſi epiſcopo.

XXIX. Bernardus VI. de Sendos abbas conſtituitur an. 1416. ex tabulis Sorduenſibus ad an. 1430. cui dura perpeſſus ab æmulo Petro de Feugars ſeu de Favars, abdicavit in manibus Martini V. ſummi pontificis.

XXX. Petrus III. de Favariis ex reſignatione Bernardi de Sendos, accedente bulla Martini papæ V. pontificatus ipſius an. 13. IV. idus Febr. abbatis inſignia accepit, quæ geſſiſſe annis 1435. 1436. 37. & 38. reperitur.

XXXI. Johannes IV. 1440.

XXXII. Guillelmus V. de Laulan, *al.* de Lauhan 1441. 1447. & 1454. quo a Carolo rege poſſeſſionum obtinuit confirmationem. In collectione Rimerii Angli tom. XI. pag. 8. quodam in inſtrumento legitur conſiliarius regis Anglorum, & judex ſuperioritatis ducatus Aquitaniæ die 9. Junii an. 1443.

XXXIII. Arnaldus IV. de Abbatia, d'*Abadie*, 1454. 1458. ad an. 1468.

XXXIV. Brunetus Fabius de Acrimonte ab an. circiter 1469. ad 1473.

XXXV. Petrus IV. de Foix cardinalis dictus ſenior, Arelatenſis & Burdegal. archiepiſcopus, Albanus, Convenarum & Laſcurræ epiſcopus, ſedet ab an. 1473 ad 1482. Interea tamen electus dicitur an. 1480. Brunetus Deufaur, ex tabul. Sorduenſi.

XXXVI. Arnaldus-Willelmus de Acrimonte, *Cramont*, commendam obtinuit 1486. & 1488. quo ſublato e vivis, aut cedente, de capeſſenda abbatia exſtitiſſe videtur contentio inter Stephanum de Pomeriis & Yſpanum de la Vie, quorum uter vicerit cum nos fugiat, utrumque in ſerie abbatum reponemus.

XXXVII. Yſpanus I. de la Vie 1489. 1499. 1500 & 1501. cui forte defuncto, ſedes apoſtolica ſuffecit Johannem de Gramond ſedis ejuſdem protonotarium, de quo infra.

Digitized by Google

XXXVIII. Stephanus de Pomeriis an. 1489. ad an. circiter 1509. electus ut videtur a fratribus, non ſedit pacifice.

XXXIX. Johannes V. de Gramond ſedis apoſtolicæ protonotarius 1505.

XL. Yſpanus II. de la Vie, 1511. 1518.

XLI. Franciſcus de la Vie, primum Sorduenſis monachus, tum prior clauſtralis, tandem cedente patruo factus eſt abbas, ſeditque ad an. 1528. quo & ipſe abbas effectus ſanctæ Engratiæ ceſſit Carolo Acrimontano Aduренſium epiſcopo, retento ſibi nomine abbatis & vicarii generalis ejuſdem Caroli.

LXII. Carolus de Gramont provinciæ Aquitanicæ prorex, epiſcopus Adurenſis, ac deinde archipræſul Burdegalenſis, abbatiam obtinebat annis 1528. 31. & 44. quo anno defunctus eſt. Regebat anno ſequenti tanquam abbas vicarius generalis Franciſcus de la Vie, de quo ſupra.

XLIII. Johannes VI. Gomard ſedis apoſt. protonotarius abbas modernus dicitur anno 1549. Reſignavit ſequenti, an. 1575.

XLIV. Johannes VII. de Villa-nova rector parochiæ de Cala-monte diœceſis Tarb. per ceſſionem præcedentis bullas obtinuit datas VIII. idus Januarii 1575. obiit 1602.

XLV. Raimundus de la Sale de Suſigaray eodem anno 1602. bullas accepit a Clemente papa VIII. fato functus an. 1635. abbas ſimul Leuntii.

XLVI. Philibertus de Gramont factus abbas 1635. reſignavit 1652.

XLVII. Vincentius de Caſtel regi a conſiliis & eleemoſynis eodem anno abbas renunciatus, non multo poſt monaſterium reformavit, uniendo illud congregationi ſancti Mauri. Deceſſit anno 1679. ſepultus in eccleſia ubi hoc habet epitaphium:

Hic jacet dominus Vincentius de Caſtel baro & abbas Sorduenſis, exſpectans reſurrectionem & miſericordiam Dei. Obiit die decima Februarii anno Domini 1679. *Ora pro eo.*

XLVIII N. de Raffetot de Gramont Vincentio ſucceſſit eodem anno. Clericatum abjecit an. 1682. dictus poſtea marchio de Raffetot.

XLIX. Ludovicus de Monteſquiou d'Artaguan abbas ſimul Artonæ & Sorduæ, frater Petri de Monteſquiou Franciæ polemarchi, ad hunc uſque annum ſedet.

CAGNOTA.

COenobium B. Mariæ de Cagnota, *al.* de Corheta ordinis S. Benedicti exſtabat nono ſeculo exeunte: quo tempore legitur donatum variis beneficiis ab Oltherio Aquenſi epiſcopo. Reſtauratur a Raimundo Arnaldi vicecomite de Aorta, ex ejuſdem charta quæ ſubſequitur:

Cum in hac vita præſenti, primi parentis culpa, nos exſules nulla diu manentia poſſideamus, ſed cuncta mortalibus alternatim cedant, & fugiant a nobis, cum uſu longo ſtare non poſſint; ut mihi faciam amicos de mammona iniquitatis, atque per illos, damnis initis, ad aliquem pœnitentiæ fructum converti valeam, & ſic in die judicii per Dei miſericordiam ſalvari; ego RAYMUNDUS *vicecomes de Aorta, de Sylva quæ vocatur Canota, quæ hereditario jure mihi conceſſit, pro mercede animæ meæ dono abbati* Guilhermo de Borets *ejuſque monachis beati Benedicti regulam tenentibus, quantum ipſi voluerint, eiſque ſufficere ſemper poſſit, ad extirpandum, ad colendum, ad pecorum paſtum, & ad omnia neceſſaria. Hoc quoque donum ne quiſquam infringere poſſit confirmo in manu archiepiſcopi Auxienſis Bernardi, & in manu Guilhermi Aquenſis epiſcopi, in die ſancto Pentecoſtes, omni clero circumſtante & audiente & in clauſtro de more proceſſionem celebrante, exſtante Calixto papa ſecundo, regnante Ludovico rege in Gallia, Guilhermo duce in Aquitania, ſecundo idus Maii, ſexta regulari luna quinta, epacta ſexta, anno Dominicæ incarnationis* MCXXII. *indictione ſexta & interſtitio lunari decimo-ſeptimo termino Paſcali, octavo cal. Aprilis.*

Cernuntur hactenus in eccleſia Cagnotæ tumuli vicecomitum Aortæ, quorum familia cum alia de Aſpero-monte jam ab aliquibus ſeculis coaluit. Abbatum brevem indiculum ſubjicimus.

ABBATUM SERIES.

I. Guillelmus I. de Borets anno 1122. in charta reſtaurationis monaſterii ſuperius relata.

II. Mamertinus ſolo Gemellorum fratrum teſtimonio notus.

III. Americus cui anno 1165. Guillelmus Raimundus vicecomes Aortæ, aſſenſu Bayonæ uxoris ſuæ dedit decimam molendini de Pardiis.

IV. Willelmus Bertrandi filius Bertrandi vicecomitis Laburdenſis, poſtea Aquenſis epiſcopus an. 1168.

V. Arnaldus I. excepit an. 1180. donum Lupi Garſiæ vicecomitis Aortæ. Reperitur etiam anno ſeq.

VI. Guillelmus II. Leri, *al.* Herii, cui idem Lupus Garſias vicecomes cenſum ſexdecim quartarum frumenti donavit.

VII. Arnaldus II. recenſetur an. 1230. in chartis eccleſiæ Aquenſis. Anno 1234. ipſius precibus Arnaldus-Raimundus vicecomes Aortæ cruce ſignatus ad expeditionem contra Saracenos, ratas habet donationes tam a ſe quam a prædeceſſoribus ſuis vicecomitibus monaſterio factas.

VIII. Johannes I. coævus Arnaldi de Caupena epiſc. Aquenſis, ex Sammarthanis.

IX. Petrus I. intereſt concilio Nugarolenſi anno 1315.

X. Antonius de Poy 1359.

XI. Guillelmus III. Caſalaro 1432.

XII. B. de Noliver obtinuit anno 1441. a Ludovico vicecomite Aortæ donationum monaſterii confirmationem. Vide in epiſc. Laſcar.

XIII. Petrus II. de Foix 1495.

XIV. Johannes II. du Tilli 1537. in veteri instrumento Sorduæ.
XV. Johannes III. Polle 1557.
XVI. Johannes Berardus 1630.
XVII. Daniel Dupuy 1648.
XVIII. Bernardus de Poyanne 1654.
XIX. Nicolaüs de Baylenx 1654. 1660.
XX. N. de la Sales decanus S. Spiritus Baionensis.
XXI. Johannes-Franciscus de la Sallette abbatiam 6. aut 8. annis obtinuit.
XXII. N. de Saints frater dominæ Luciæ de Saints quæ cœnobium B. M. de Lomberio *Lombez* rexit ad an. 1677. memoratur abbas Cagnotæ.
XXIII. Alphonsus Legier ab annis circiter 12.

ARTONA.

ARtona cœnobium ordinis Præmonstratensis diœcesis Aquensis filia Casæ-Dei, cujus sequentes tantum abbates ex paucis quæ supersunt instrumentis collegimus.

ABBATUM SERIES.

I. Guillelmus I. consignatus in necrologio die 27. Novembris ubi dicitur primus abbas & piæ memoriæ. Is est forsitan Guillelmus abbas Artonæ qui anno 1178. recipit domum vicecomitis Seulæ.
II. Arnaldus-Guillelmi in necrologio notatus 31. Januarii.
III. Johannes I. 13. Martii.
IV. Johannes II. 14. Martii.
V. Raimundus Arnaudi 16. Martii.
VI. Petrus I. 23. Aprilis.
VII. Petrus II. 28. Aprilis.
VIII. Carbonellus, 15. Maii.
IX. Bernardus I. 10. Julii.
X. Arnaldus I. 19. Julii.
XI. Guicharnaldus, 17. Augusti.
XII. Arnaldus-Sancii, 1180. consignatus in necrologio 11. Septembris.
XIII. Bertrandus I. 14. Septembris.
XIV. Bernardus II. 18. Septembris.
XV. Antonius d'Ortegui, 1318.
XVI. Guillelmus II. Rustaing.
XVII. Michaël de Mont-segur, 1415.
XVIII. Johannes II. de Forcade, 1448. 1450. 1461. notatur in necrologio 16. Febr.
XIX. Bertrandus II. de Cassos, 1489.
XX. Bertrandus III. de Bergay, sive de Bergan, utroque enim modo legitur, 1497. 1514.
XXI. Johannes III. de Nauguers, 1521. 1529. 1530. 1543.
XXII. Johannes IV. de Brane, sive de Branar, 1550. 1562. 1569.
XXIII. Salvatus de Harsa episcopus Tarbiensis, 1580. 1586. 1602. 1630.
XXIV. Gratianus Garderard, 1648.
XXV. Arnaldus II. Lami, 1655. obiit 1664. Jacet in ecclesia.
XXVI. Ludovicus de Montesquiou d'Artagnan ejus successor, frater polemarchi Franciæ, hactenus sedet.

DEI-VILLA.*

* Duvielle.

MOnasterium hoc ordinis Præmonstratensis diœcesis Aquensis fundatum est a Navarro episcopo Conseranensi, qui sedebat ineunte seculo XIII. ut docet necrologium Casæ-Dei. Aliquot abbates damus quos variis ex chartis colligere licuit.

ABBATUM SERIES.

I. Fortanerius.
II. Elias de Tartasio.
III. Johannes Habert.
IV. Bernardus I. Vignerii ex religioso Casæ-Dei factus abbas Dei-villæ, ex necrologio Casæ-Dei 3. idus Junii.
V. Bertrandus I. notatus in necrologio Artonæ 26. Februarii.
VI. Berthonius in necrologio Artonæ 23. Septembris.
VII. Nicolaüs de Labatut tempore Gratiani Aquensis episcopi circa 1230.
VIII. Arnaldus-Raimundus de Tartas episcopus Aquensis anno 1232. quo prioratum de Pontonis auctoritate apostolica ecclesiæ Aquensis capitulo univit.
IX. Bernardus II. an. 1269.
X. Abraham Vignoles.
XI. Arnaldus, 1439.
XII. Stephanus de Gert, 1446.
XIII. Ludovicus I. d'Albret apostolicæ sedis protonotarius, 1451.
XIV. Petrus de Foix, 1493.
XV. Bartholomæus de la Peyrain, 1521. electus.
XVI. Ludovicus II. de Castelnau episcopus Tarbiensis.
XVII. Bertrandus II. de Pardailhan protonotarius apostolicus, 1542.
XVIII. Franciscus de Pardailhan, 1551.
XIX. Jacobus I. de Sombrun, 1607. 1609.
XX. Bertrandus III. de Baillenx, 1635. obiit 1649.
XXI. Bernardus III. de Poyanne, obiit 1651.
XXII. Jacobus II. d'Aspremont, 1662.

ABBATIA S. BERNARDI.

PArthenon S. Bernardi prope Baionam diœcesis Aquensis, ord. Cisterciensis, antiquis de Bello-visu dictus, & aliquando S. Bernardi de Lasteron, sequentes habuit abbatissas.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Maria I. de Molier, 1268.
II. Johanna I. de Basatz, 1286. 1287. 1288. 1289.
III. Claramonta I. de Poyanne, 1309. 1320. 1324.
IV. Agnes de Lipasse, 1334. de qua agitur in testamento Guillelmi-Petri de Godino cardinalis, quo sororibus monasterii de Pulchro-videre prope Baionam Aquensis diœcesis, legavit centum florenos auri pro pane. Item sorori *Agneti* filiæ quondam dominæ Sclarmondæ

Digitized by Google

ſororis ſuæ germanæ, nunc abbatiſſæ dicti A monaſterii, legavit centum florenos pro ſuis neceſſitatibus. Baluz. in notis ad vit. pap. Aven. col. 675.

V. Johanna de Hinx, ſeu de Finx, utroque enim modo legitur 1337. 1343. 1344.

VI. Laurelida de Serrelongue, 1345.

VII. Johanna III. de Barrodequi, 1352.

VIII. Johanna IV. de Marcader, 1353. 1357. 1359.

IX. Claramonta II. de Grailhart 1367.

X. Johanna V. de Marcader, 1368. 1384.

XI. Claramonta III. de Grailhard, 1388. B

XII. Johanna VI. de Baſas, 1389.

XIII. Claramonta IV. de Grailhart, 1400.

XIV. Johanna VII. de Caſſas, 1405. 1412. 1414. 1433.

XV. Bedauma de Lairard, 1436.

XVI. Johanna VIII. d'Arſſus, ſeu d'Arcintz, 1440. 1444. 1445.

XVII. Bernarda I. de Sarreberio, 1458.

XVIII. Maria II. de Marroy, 1458. 1459. 1460.

XIX. Bernarda II. de Sarreberio, 1467.

XX. Catharina de Barrere, ſive de Bairroire, 1487. 1489. 1491.

XXI. Maria III. de Ricau, 1495. 1496. C 1500. 1501.

XXII. Maria IV. de Favars electa 1510.

XXIII. Maria V. de Habans, 1513. 1514.

XXIV. Maria VI. de Favas, 1526.

XXV. Maria VII. de Salenane, 1559.

XXVI. Maria VIII. de Moſquoſſonguaines, 1568.

XXVII. Maria IX. de Vidaſſoy, 1607. 1621. 1639. 1641.

XXVIII. Carola de Grammond paucis præfuit annis, mox tranſlata ad ..... deinde ad Andegavenſe monaſterium de Roncerayo.

XXIX. Maria X. de la Vie ſoror domini D de la Vie primi præſidis in ſenatu Palenſi, præerat 1646. Obiit 16. Auguſti 1689.

XXX. Magdalena-Dorothea d'Eſpinois monialis Moncei in diœceſi Turonenſi, deſignatur a rege 25. Martii 1690. mox bullis obtentis poſſeſſionem iniit 28. Septembris ejuſdem anni.

S. SIGISMUNDUS.

ABbatia S. Sigiſmundi prope Ortheſiam, ſeu S. Mariæ Spei, virginum ordinis Ciſtercienſis a Bearnii comitibus fundata, ſequentes habuit abbatiſſas quas ex paucis quæ ſuperſunt inſtrumentis eruimus. Vide P. de Marca hiſt. Bearnii de fundatione hujus parthenonis.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Amata, 1317.

II. Girauda, 1349. 1356.

III. Claromontina de Moliede, 1435. 1447. 1451. 1459. Ejus temporibus Gaſto comes & vicecomes Bearnii anno 1437. hoc privilegium S. Sigiſmundo conceſſit, ut quoties uxor ipſius aut primogenitus ad monaſterium accederet, equum cui inſideret, cederet monaſterio.

IV. Condeſſa, 1460.

V. Andrea de la Palu, 1471.

VI. Margarita I. d'Arſac, 1483.

VII. Margarita II. de Vinhau, 1495.

VIII. Johanna de Lunts, 1525. 1542.

IX. Mirogtonda de Vinhau, 1551.

X. Margarita III. de Vinhau, 1553.

XI. Franciſca de Monſaurent, cujus temporibus abbatia, juſſu Johannæ reginæ a Calviniſtis ſolo æquata, plures per annos monialibus deſtituta permanſit uſque ad annum 1615.

XII. Paula de Baretge ex moniali Luminiſ-Dei, vulgo de Favas, diœceſis Convenarum, a rege nominatur anno 1615. bullas a Paulo V. 1616. obtinuit, & monaſterium reſtauravit.

XIII. Maria I. de Gombault parthenonem B. M. de Lomberia ad Savam fluviolum fundat an. 1642.

XIV. Maria II. de la Sale præfuiſſe reperitur 1660.

XV. Magdalena de la Sale per ceſſionem præcedentis ex moniali Urſulana bullas obtinuit 1677. dormitorium conſtruxit, obiitque 1710.

XVI. Catharina de la Lande religioſa ſancti Bernardi prope Baionam, abbatia donatur 1710.

EPISCOPATUS

Digitized by Google

EPISCOPATUS LACTORENSIS.

ANNI CHRISTI. CIVITAS Lactoratium in notitiis veteribus Galliæ, ad Novempopulaniam pertinet, cujus; uti diximus, metropolis antiquitus fuit Elusa. Urbis istius frequens occurrit mentio apud veteres scriptores, videlicet in itinerario Antonini, in tabula Theodosiana, seu Peutingeriana; in Galliarum notitiis, ubi Lactura, Lactora, Lactorates legitur. Ejusdem antiquitatem demonstrant plurimæ inscriptiones in lapidibus incisæ; in quibus cum frequenter legatur *Tauropolium*, quod sacrificii genus erat, aurumavit Bellaforestus nomen esse hujus civitatis. Unam ex his inscriptionibus, quas refert Oihenartus in sua Vasconiæ notitia, subjiciemus; uti legitur in aula domus publicæ civium, Romanis characteribus insculpta lapidi. ANNI CHRISTI.

PRO SALUTE
ET INCOLUMI-
TATE DOMUS
DIVINÆ R. P.
LACTORAT. TAU-
ROPOL. FECIT.

Hoc est pro salute & incolumitate domus imperatoris vel imperatorum qui divi appellabantur; Respublica Lactoratium tauropolium fecit, seu obtulit hoc sacrificii genus. In alio lapide in quo perseverat similis inscriptio de tauropolio facto, videtur insculpta figura disci libatorii.

Ex hac inscriptione liquet civitati Lactoratum olim nomen Reipublicæ datum, quod ejus dignitatis & potentiæ est argumentum. Tauropolium seu Taurobolium sacrificium erat in quo taurus immolabatur Cybeli Deorum matri, ad sacerdotum ipsius consecrationem; qui nimirum tauri sanguinem subjecti accipiebant, eoque perfundebantur; sicque tincti cum suis vestimentis consecrabantur. Id liquet ex hujusmodi inscriptione quæ legitur in lapide; juxta quam discus libatorius visitur insculptus.

S. M. D.
GIUL. SECUN-
DUS TAUROPO-
LIUM ACCEPIT &c.

Hoc est Cybeli matri Deorum Giulus Secundus tauropolium accepit, videlicet sanguinem tauri matri Deorum immolati, sicque sacerdos est consecratus.

Lactora nunc vulgo (*Leytoure*) ad Egertium fluvium (*le Gers*) qui apud Aginnum in Garumnam influit, caput est Leomaniæ (*Lomaigne*) unde Leomanienses vicecomites iidem dicti sunt Lactorenses. Bellaforestus Convena, proindeque Lactoræ vicinus asserit urbem esse in rupe positam undique, nisi ex parte Tolosæ inaccessa. Triplex murus urbem cingit, munit præterea arx inexpugnabilis, ut in tota Vasconia nulla sit validior aut tutior. In comitatu Armaniacensi, plerique Lactoram ponunt cum Auscis & Elusa, inquit Hadrianus Valesius in notitia Galliarum. Et quidem sedes est seneschalliæ comitatus Armaniaci, si nostris fides adhibeatur Sammarthanis; subestque senatui Tolosano. Quod spectat ad statum ecclesiasticum, pendet ab Auscia metropoli. Quo vero tempore fides Christiana primum urbi huic illuxerit, nobis incognitum. Par est credere, ab iisdem fidem accepisse Lactorenses, qui evangelium apud Elusates, & Auscios disseminarunt.

Urbis hujus episcopus ejusdem cum rege dominus est. Ecclesia major sanctis martyribus Gervasio & Protasio patronis gloriatur: præter duodecim canonicos, quibus constat capitulum, quatuor sunt archidiaconi: diœcesis in 72. ecclesias parochiales dividitur. Qui in numeris solent ludere, dicunt in ecclesia episcopum Christi personam exhibere. Duodecim canonici vices duodecim apostolorum repræsentant, quatuor archidiaconi quasi quatuor evangelistæ habentur & septuaginta duo rectores parochiarum in tota diœcesi dispersi, septuaginta duorum discipulorum Christi locum tenent. Sunt præter duodecim canonicos in ecclesia cathedrali, quatuordecim præbendarii. In urbe vero sunt domus religiosæ Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Capucinorum, & Patrum doctrinæ Christianæ, qui collegium moderantur; Monialium Carmelitarum, & Urbanistarum, seu S. Claræ.

In registro epistolarum Johannis XXII. pro anno 8. n. 1947. fit mentio monasterii monialium S. Claræ extra muros Lectorenses siti, cujus abbatissæ & monialibus Johannes XXII. permisit sepelire corpora fidelium in sua ecclesia, deditque immunitatem a decimis. Dat. Aven. cal. Sept. anno. VIII. Aliam abbatiam in hac diœcesi nullam novimus. Olim celebre habuit S. Genii monasterium, de quo vide inter instrumenta Cadurcensis ecclesiæ chartam XVII. Porro episcoporum qui Lactorensem rexerunt ecclesiam, indicem dedit Arnaldus Oihenartus, quem auxerunt nostri Sammarthani. Longe plura adjecimus ex variis tum hujus ecclesiæ, tum aliarum, præsertim in Novempopulania, monumentis.

ANNI CHRISTI.

EPISCOPI LACTORENSES.

I. HEUTERIUS.

HEuterium præfuiſſe Lactorenſibus, paſtoraleque pedum geſſiſſe tempore S. Hygini ſeu Genii, communis eſt opinio. Verum quis ſit iſte Genius aut Hyginus, utrumve S. Hyginus papa qui ſedit medio ſecundo ſeculo, non explicatur.

II. VIGILIUS.

Jam acta conciliorum in Gallia celebratorum prælucere nobis incipiunt, ne abberremus, in proſequendis epiſcoporum noſtrorum geſtis. Certe Vigilium minime noſceremus, niſi adfuiſſet concilio Agathenſi, anno 506. cui ſubſcriptus legitur *epiſcopus de civitate Lactorenſi.* Adfuerunt ſimul Clarus metropolis Eluſæ antiſtes, & plerique comprovincialium præſulum.

506.

III. ALETIUS.

Synodo quintæ Aurelianenſi, quam legimus anno 549. coactam, Aletium interfuiſſe probant acta & ſubſcriptiones. Sed de quamplurimis pontificibus qui poſt Aletium præfuerunt, altum eſt per quinque fere ſecula ſilentium. Perierunt enim eorum geſta & ipſa nomina in tot barbarorum, Saracenorum videlicet ac Normannorum, procellis. Epiſcopatum Lactorenſem converſum fuiſſe in monaſterium, quod erat de jure ſancti Severi in cap. Vaſconiæ, infra oſtendemus; ſed quo tempore id factum ſit nos latet.

549.

IV. BERNARDUS I.

Hunc epiſcopum Lactorenſes habuiſſe deſinente ſeculo X. circa annum 990. quo tempore dux Vaſconiæ erat Willelmus, docet nos qui de hiſtoria tam eccleſiaſtica quam civili, & prophana Vaſconum, erudite ſcripſit Oihenartus.

V. ARNALDUS I.

Arnaldus epiſcopus Lactorenſis jam tum primum prodit e tenebris, ope Moïſſiacenſis tabularii, in quo legitur teſtis donationis factæ monaſteriis Cluniacenſi & Moïſſiacenſi, a Seguino dicto Deillo-Volveno anno 1051. indictione v. regnante Francorum rege Henrico. Eodem anno eccleſiam S. Dionyſii in pago Agennico ſitam conſecravit.

1051.

VI. JOHANNES I.

Sediſſe anno 1060. dicitur, nullo certo teſtimonio allato, niſi quod putatur adfuiſſe concilio Jaccæ in Hiſpania eo tempore celebrato, ſub Auſtindo Auſcienſi metropolitano, quemadmodum diximus agendo de hoc archipræſule.

1060.

VII. RAIMUNDUS I.

1100.

Raimundus cognomento Ebbo, ex præpoſito eccleſiæ Toloſanæ creatus eſt epiſcopus, ſervata præpoſitura.[a] Teſtis fuit donationis factæ Curtenſi S. Petri monaſterio, abbatique Raimundo, a Raimundo-Arnaldi, ejuſque uxore, anno 1061. VIII. idus Decembris. Anno 1063. convenit ad dedicationem eccleſiæ Moïſſiacenſis cum Auſtindo ſuo metropolitano, & multis aliis ejuſdem provinciæ præſulibus, ut docet vetus inſcriptio, quam retulimus in Fulcone Simonis epiſcopo Cadurcenſi, ubi legitur:

Auxius Oſtendum, Lactora dedit Raimundum.

Mab. ad an. 1061. n. 56.

1061.

1063.

Anno circiter 1066. præſens legitur, cum Aimericus comes Auſcienſis tradidit Cluniacenſibus monaſterium S. Orientii intra ſuam urbem poſitum.

1066.

Anno 1068. muratus eſt Lactorenſis eccleſiæ ſtatus, uti nos docet concilium Toloſanum, ab Hugone Candido Alexandri papæ II. legato celebratum hoc anno, in quo hæc de Lactorenſi leguntur eccleſia:

1068.

Contigit vero inter cætera de Lactorenſi eccleſia, quæ erat jam pene deſtructa legitime definiendo judicare. Erat enim in loco illo monaſterium de epiſcopatu omnino conſtructum: ita videlicet ut non ſufficeret ſolum ipſius plebis inſcientia bona ſupra nominata eccleſia, epiſcopatus ſcilicet, monaſterio illi tribuere: verum etiam altaria, lapides, cætera additamenta ibi velocius tranſmutare. Placuit autem Spiritui ſancto illud monaſterium jam eo uſque quaſi authenticum quod Gregorius Laſcarenſis epiſcopus juris ſancti Severi eſſe injuſte dicebat, ad priſtinum revocare gradum; quatenus veluti epiſcopatus ſtulte agendo jam dudum converſus eſt in monaſterium; ita converſim ſapienter corrigendo monaſterium converteretur in epiſcopatum. Judicatum eſt igitur a fratribus omnibus illius ſancti conventus dominum epiſcopum nomine Raymundum accipere, & locum propria ſua ſedis in monaſterio ea ratione ponere, & monachos ibi morantes religioſe & ſecundum regulam ſancti Benedicti vivere, & dominus abbas conſtringeret, & ſi pro melioratione vitæ ad alia vellent ire, nulli denegaret: evacuato autem de monachis templo clericos religioſos ac regulariter vivere volentes, probos, pudicos, ſecundum Deum ibi poneret: quoniam nullus ulterius monachus, quemadmodum a ſanctis patribus illis ſtatutum eſt, ibi ordinaretur: & ita monaſterium non amplius eſſet monachorum proprie locus, ſed eſſet epiſcopi vera ſedes & victus. Hoc autem privilegium dominus Hugo cardinalis vir excellentiſſimus, cum archiepiſcopo Guillelmo Auxienſi, Aymone Bituricenſi, & cum epiſcopis Duranno Toloſano, Geraldo Caturcenſi, Godemaro Xantonenſi, Gregorio Laſcurrenſi, Petro Adurenſi, Guillelmo Convenenſi, ipſo Raimundo Lectorenſi, Bernardo Coſeranenſi, Bernardo Aquenſi; item abbatibus Hugone Cluniacenſi, Ademaro de ſancto Martiale,

[a] Lege litteras Iſarni Toloſani epiſcopi datas anno 1077. pro Cluniaco, quibus Raimundus ſubſcribens ſe ſimul epiſcopum Lactorenſem, & præpoſitum S. Stephani dicit.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

chorum ac domos ſanctæ Mariæ & S. Clari de Peſ- A *ſolenſis, aulamque majorem domus Lectoræ, & demum reliquit eccleſiæ maximum acervum auri & argenti.*

XXI. Petrus II.

21 Februarii.

1301. Petrus de Ferreriis anno ſaltem 1301. epiſcopus erat Lactoratenſis; hoc enim anno, ſeptimo calendas Januarii, cum eſſet Neapoli, creavit vicarium ſuum generalem Guillelmum Meſchini, & memoratur in ſententia arbitraria inter ipſum & Guillelmum de Duroforti Moïſſiacenſem abbatem, qua media pars decimarum & B proventuum capellæ de Motero, epiſcopo adjudicatur. Ex litteris quibus vices ſuas mandat Guillelmo intelligimus ipſum fuiſſe Siciliæ cancellarium. Sollicitus fuit ut æs alienum quod bonæ memoriæ dominus Gerardus ſuus anteceſſor contraxerat nomine eccleſiæ Lactorenſis, diſſolveretur; atque de hac re ſuum vicarium generalem monuit. Eodem anno 1301. cum eſſet controverſia inter ipſum & Guillelmum abbatem Moïſſiacenſem, ratione decimarum & primitiarum eccleſiæ de Moteto, ſuæ diœceſis, compromiſit, conſenſitque ut ab electis judicibus componeretur, ut patet ex inſtrumentis da- C

Tab. Moiſ. ſac. tis feria IV. ante feſtum S. Andreæ, & VII. calendas Januarii.

XXII. Raimundus II.

Raimundi epiſcopi nomen ſignatur in charta Bellæ-perticæ data die V. exitus menſis Auguſti

1303. anno 1303. Anno ſequenti ratam habuit ſententiam ab arbitris datam inter Petrum de Ferreriis ſuum deceſſorem & Guillelmum Moïſſiacenſem abbatem, pro ſacello S. Nicolai de Mo-

1304. tero. Quamvis nihil de ipſo ultra annum 1304. ad nos pervenerit, veriſimile tamen eſt eum epiſcopalem ſedem hanc tenuiſſe, uſque ad an- D num 1307.

XXIII. Guillelmus III.

de Bordis.

Guillelmus de Bordis, fratrem habuit Bertrandum de Bordis, poſtea papæ camerarium, uti docet vir clariſſ. Baluzius in notis ad vitas paparum Avenion. Ibidem cenſet Guillelmum noſtrum auſpicatum eſſe epiſcopatum, anno 1311. quatuor videlicet annis ante tempus ei a noſtris Sammarthanis præfixum; verum adhuc citius præeſſe cœpit; memoratur enim in litteris Clementis papæ V. pro eccleſia Toloſana datis anno ſecundo ejus pontificatus, hoc eſt E

1307. anno Chriſti 1306. aut 1307. Anno 1310. die 12.

1310. exitus menſis Februarii, per manus Vitalis de Bramavaca canonici S. Gaudentii depoſuit quatuor millia librarum Turonenſium in quadam arca dormitorii conventus Fratrum Prædicatorum Toloſæ, in ſaccis viginti, quorum decem & octo ſignati erant ſigillo quæſtoris B. cardinalis camerarii papæ, qui fuerat quondam

Tab. epiſc. Albienſ. epiſcopus Albienſis; uti teſtatus eſt ſubprior ejuſdem conventus. Nominatur in teſtamento nobilis dominæ Condoræ de Saubolea relictæ nobilis baronis Bertrandi de Inſula domicelli domini de Taraubia, quæ ſepulturam elegit in eccleſia beatæ Mariæ de Baulhas de Portaglon ord. Ciſterc. in tumulo ſui mariti ante majus altare. Actum fuit hoc apud Taraubiam in aula dominæ Regalis de Faudoanis quinta die introitus menſis Februarii anno Domini M. CCC. quinto-decimo, regnante Ludovico rege Franc. Eduardo rege Angliæ duce Aquitaniæ, Bertrando vicecomite Leomaniæ. Fuit curator &, ut aiunt, executor teſtamenti Petri de Bordis, equitis domini de Launac, fratris ſui ex litteris datis anno 1327. die 4. exitus menſis Martii. Dicitur conſecraſſe Lactorenſem eccleſiam anno 1325. ac ſediſſe uſque ad annum 1330.

ANNI CHRISTI.

Tab. ſanctæ Cæcil. Alb.

1315.

1327.

1330.

Guillelmus ſic commemoratur in necrologio: IV. *calendas Martii obitus reverendi in Chriſto Domini Guillelmi de Bordis bonæ memoriæ epiſcopi Lactorenſis, qui legavit capitulo certus reditus per eum acquiſitos in villa S. Clari.*

XXIV. Rogerius.

d'Armaniac.

Rogerius de Armaniaco ſedem Lactorenſem obtinebat anno 1325. ſi fides adhibeatur Oihenarto & Sammarthani fratribus. Sed hoc tempore præerat Guillelmus de Bordis; idcirco Rogerii epiſcoparum noluimus inchoare ante annum 1330. Quod ſpectat ad Johannem 1330 or quem electum in epiſcopum die 3. Decembris anni 1323. aſſerunt Sammarthani fratres legi in libro obligationum Vaticani, vix putamus electionem hanc locum habuiſſe. Ut huic Johanni locum inveniant viri docti, ex uno Guillelmo duos fecerunt inter quos medium illum ſtatuerunt. Nec me latet utrumque ab Oihenarto admiſſum fuiſſe, ſed perperam; conſtat enim Guillelmum quem dicunt tam Oihenartus quam Sammarthani anno 1315. præfuiſſe, non alium eſſe a Guillelmo de Bordis, cujus epiſcopatum producunt uſque ad annum 1330.

XXV. Arnaldus III.

Arnaldus Guillelmi, quem aliquando legimus appellatum Arnaldum-Guillelmum de Barta, vel Labartanum, hunc eſſe putamus Guillelmum epiſcopum Lectorenſem, qui memoratur in charta Beraudi ac Bertrandi de Faudoanis (Faudoas) militum data die XIV. introitus menſis Madii anno M. CCC. XLIV. Phi- 1344.

Arch. de Faudoan. lippo Francorum rege, Johanne Armaniaci, Fezenſaci, & Rutenenſi comite, ac vicecomite vicecomitatus Leomaniæ & Alti-villaris. Arnaldi-Guillelmi fit quoque mentio, in conſuetudinibus Montis-fortis, anno 1346. Anno 1346. 1349. adhuc ſedebat ex Oihenarto, & Sammarthanis.

XXVI. Petrus III.

Anzelerii.

Petrus Anzelerii rexit ab anno 1350. quo 1350. ſuffectus eſt Arnaldo-Guillelmi die 23. Februarii; uſque ad annum 1364. ex laudatis ſcriptoribus, qui citant Vaticani regiſtrum. Ejus nomen invenimus in tabul. Faudoanis, die 2. Februarii anni 1351. Anno 1357. fuit miſſus in Angliam, ex epiſtola regis Angliæ ubi legitur: *Pro epiſcopo Lectorenſi de conductu pro cardinalibus. Rex, &c. Sciatis quod cum Petrus Lectorenſis*

1364.

ANNI CHRISTI. *Rymer. t. V. p. 21.*

episcopus in regnum nostrum Anglia pro pacis tractatu inter nos & adversarium nostrum Francia in proximo sit venturus, &c. XVI. *junii* MCCCLVII.

XXVII. PETRUS IV.

Petro Anzelerii suffectum fuisse alium Petrum anno 1365. docent acta consistorialia Vaticani. Anno 1368. celebrata est apud Vaurum synodus episcoporum tribus ex provinciis coactorum; cui coetui cum interesse non posset, misit procuratorem, qui suas in eo vices gereret, ut ex synodi actis manifestum est. Non diu postea cathedra potitus est.

1365. 1368.

XXVIII. HUGO II.

Brevis omnino fuit Hugonis episcopatus; qui videlicet pedum sumsit anno 1369. mense Augusto, & ex vita migravit anno 1370. quo anno invenitur ejus successor.

1369. 1370.

XXIX. BERNARDUS III.

Hic episcopus hactenus ignotus, occurrit nostro D. Edmundo Martenne; notatus videlicet ad annum 1370. die 27. Januarii, in veteribus instrumentis.

1370.

XXX. VIGNERIUS.

Qui excepit Bernardum Vignerius, præerat annis 1372. & 1377. ex chartis thesaurariæ Montis-albani. Ad hunc episcopum extant quædam Gregorii XI. litteræ in quibus agit de pace concilianda inter Gastonem Fuxi, & Johannem Armaniaci comites. Tempore hujus episcopi, anno 1373. nonis Martii factus est in urbe Lectora magnus terræ motus, & anno sequenti concha frumenti triginta duobus florenis erat.

1372. 1377.

Baluz. not. ad vit. pap. col. 1122.

XXXI. BERENGARIUS.

Berengarius proxime sequitur Vignerium; nam anno 1378. jam erat episcopus, ut probat charta Bellæ-perticæ hoc anno data die 14. Februarii, Guiraudo Canut tunc hujus monasterii abbate. Hinc vix dubitamus eum fuisse Vignerii successorem. Aliquando pro Berengario legitur *Beguerius*, in chartis Bellæ-perticæ, & in pactis pacis inter Johannem comitem Armaniaci, Johannemque Convenarum comitem, ipsius filium, & Gastonem comitem Fuxensem, ejusque filium cognominem: *Actum Barcinone Dominica palmarum die tertia Aprilis anni* MCCCLXXIX. Oihenartus & Sammarthani fratres, qui eum cognominant Manhautium, notant pro ipsius episcopatu annum 1383. vel forte pro tempore quo mortuus est aut præesse desiit.

1379. 1383.

DE MARENT.

XXXII. RAINERIUS.

De hoc episcopo solum nudumque nomen reperitur apud laudatos scriptores, qui nullum quo sederit tempus assignant.

XXXIII. ODO.

Idem est dicendum de Odone, hoc duntaxat demto, quod in laudatis catalogis legatur sedisse anno 1384. ex quadam membrana.

1384.

XXXIV. RAIMUNDUS III.

ANNI CHRISTI. DE CAMBAVELHA.

Raimundus de Cambavelha, *al.* de Cambanilla, promotus ad episcopalem hanc sedem anno 1384. per annos 22. eam tenuit. Anno 1396. statuta quædam una cum capitulo condidit. Obiit anno 1406. mense, ut putamus, Augusto; nam in necrologio ejus obitus notatur XV. cal. Septembris. Et quidem legimus cathedram vacasse hoc anno die 17. Septembris.

1384. 1396. 1406.

XXXV. ARNALDUS IV.

DE PEYRAC.

Arnaldus de Peyraco, ex canonico & cantore Lactorensis ecclesiæ creatus est antistes; annoque 1408. inscribitur in actis publicis. Diem clausit extremum anno 1416. De quo necrologium: II. *calendas Martii obitus bone & clare memorie Arnaldi de Peyrac quondam episcopi Lactorensis, qui dedit ecclesie crucem pulcherrimam ponderis quindecim marcarum argenti, calicem pulcherrimum, missale unum, & ultra pro emendis obitibus* LX. *scuta auri tradidit.*

1408. 1416.

Et iterum *calendis Augusti obitus Arnaldi de Peyraco prius canonici & cantoris, postea episcopi Lactorensis.*

Hinc incertum uter dierum inscriptorum ejus mortem significet.

XXXVI. GERALDUS III.

DU PUY.

Geraldi de Podio sola mors nobis nota, quæ legitur contigisse anno 1425. tertio cal. Augusti; commemoratur tamen in necrologio VII. cal. hujus mensis.

1425.

Post Geraldum in catalogis occurrit Raimundus, qui legitur sedisse anno 1432. at eo tempore alius Lactorensem sedem occupabat, ut mox probaturi sumus.

XXXVII. MARTINUS.

GUITTERIA.

Martinus Guitteria Navarrus natione, patria Pampelonensis, jam ad Lactorensem assumtus fuerat cathedram anno 1428. Adfuit concilio Basileensi, ubi die 12. Februarii anni 1435. nunc 1436. consecravit in episcopum Albiensem Bernardum de Casilhaco, cujus electionem confirmaverat & asseruerat concilium, adversus Robertum Delphini fretum bulla Eugenii papæ IV. Obiit Martinus die 24. Maii anni 1449. jacetque Pampelonæ apud Franciscanos.

1428. 1436. 1443.

XXXVIII. BERNARDUS II.

ANDREÆ.

Bernardus Andreas juris utriusque doctor & canonicus ecclesiæ Lactorensis, electus est anno 1449. calendis Septembris. E vivis excessit sub finem anni 1452. heredem relinquens capitulum.

1449. 1452.

XXXIX. AMALRICUS.

Amalricus ex ordine Fratrum Minorum, Aimericus aliquando dictus, assumtus legitur ad episcopatum Lactorensem anno 1453. pridie nonas Julii. Certe jam erat episcopus die 17. Septembris hujus anni. Decessit anno 1479. mense Aprili. Sedesque vacabat adhuc die 24. Julii ejusdem anni.

1453. 1479.

ANNI CHRISTI

Beraldo de ſancto Ægidio, Raimundo Condomenſi, Odone de ſancto Johanne Angeriaco, Bernardo Maſſilienſi, Conſtantio de Clayraco; Raimundo de ſancto Populo, Frotardo de ſancto Pontio: cum omnibus religioſis viris clericis vel laicis, qui in ſancta ſynodo interfuerunt, laudavit, confirmavit, atque ſub anathematis vinculo, omnes qui contradicere ulterius vellent in perpetuum ſine remedio aliquo juris damnavit.

1074. V. Ch. I. pag. 174. col. 2. Anno 1074. Raimundus epiſcopus Lactorenſis, ac Willelmus Auſcienſis archiepiſcopus donant Cluniaco, in manu domni Hugonis abbatis locum de S. Genio, cum ſuis appendicibus; ubi olim cœnobium monachorum fuerat. Anno 1076. memoratur in charta Rogerii comitis pro Cluniaco. Subſcripſit donationi eccleſiæ B. Mariæ Deauratæ, factæ in gratiam S. Hugonis ab Iſarno epiſcopo Toloſano, anno 1077.

1076.

1077.

Exſtant ejuſdem & Willelmi Auſcienſis archiepiſcopi litteræ, de quibus egimus in Hunaldo abbate Moiſſiacenſi. Commemoratur in charta Uzerchiæ anno Chriſti 1091. regnante Philippo rege, Urbano papa, Guillelmo comite Pictavienſi; & in inſtrumentis illuſtris domus de Faudoas, eodem anno, & cum iiſdem notis chronicis. Anno 1095. legitur præſens dedicationi eccleſiæ S. Timothei & S. Crucis Bredonenſis apud Arvernos, in hiſtoria hujus monaſterioli ex chartis archetypis a D. Claudio Eſtiennot concinnata.

1095.

1097. Tab. Moiſ.

Anno 1097. non. Maii, indict. IV. litteras ab Urbano II. accepit, quibus monetur, ut eccleſias ſuæ diœceſis ad Moiſſiacenſe monaſterium pertinentes quæ a laïcis detinebantur, dicto monaſterio reſtituendas curet. Hic annus proculdubio ultimus fuit epiſcopatus, & forteſſe vitæ Raimundi, cum eodem anno ejus ſucceſſorem invenerimus.

VIII. Petrus I.

Hic epiſcopus tabulis abbatiæ S. Maurini debetur, ubi videlicet legitur cum epiſcopi Lactoratenſis titulo interfuiſſe conſecrationi hujus monaſterii pagi Aginnenſis, factæ a Simone Aginnenſi epiſcopo III. nonas Januarii anno Domini M. XCVII. Anno 1103. aſſenſum præbuit donationi eccleſiæ S. Michaëlis factæ Moiſſiaco, annuente Viviano vicecomite.

1097. 1103.

IX. Garsias

Garſias epiſcopus Lactoratenſis cum Bertrando Convenarum pio antiſtite, memoratur in veruſtiſſimo inſtrumento eccleſiæ Toloſanæ, tempore Arnaldi-Raimundi præpoſiti eccleſiæ S. Stephani. Annus non annotatur; Arnaldus vero Raimundi præpoſituram capituli Toloſani ſeu S. Stephani geſſit ab anno 1093. ad 1118. proindeque Garſias ſedit inter annum 1103. quo adhuc præfuit Petrus, & annum 1118.

X. Willelmus I.

d'Andozile 1118.

Willelmus d'Andozile ex genere baronum de Monte-alto, ſedit, inquiunt, anno 1120. Sane A anno 1122. cum Emelio epiſcopo Toloſano conſenſit donationi alodi de Graſſunas, & duarum eccleſiarum, quam Arnaldo abbati Sarlatenſi fecit Raimundus-Raimundus de Borret. Ejuſdem Willelmi conſilio fundarum eſt monaſterium Portaglonii; & anno ſequenti tranſlatus eſt ad Auſcienſem metropolim: quam jam obtinebat anno 1126. ut oſtendimus.

ANNI CHRISTI 1122. 1126.

XI. Vivianus.

Non alium quam Vivianum Willelmo epiſcopo ſuffectum eſſe non temere autumamus; proindeque ejus epiſcopatum inchoatum fuiſſe ſaltem anno 1126. Sammarthani fratres, duce Oihenarto, dicunt eum ſediſſe circa ann. 1130. & 1148. Ejus meminimus in Willelmo abbate Moiſſiacenſi ad annum circiter 1135. Pervenit autem ſaltem uſque ad annum 1162. quo teſtis legitur in charta Gimundi. Adhuc memoratur in charta Bellæ-perticæ anno 1183. ſed forte abdicaverat, ſervato ſibi epiſcopi titulo: nam hoc anno alius Lactorenſem eccleſiam regebat.

1126. 1162. 1183.

XII. Bertrandus I.

Montauſ.

Bertrandus de Monte-alto, ex tabulis prioratus Madirani, qui nunc eſt patrum ſocietatis Jeſu Toloſanorum, erat epiſcopus Lactorenſis, tempore Odonis Leomaniæ vicecomitis, & Geraldi de Bartha Auſcienſis epiſcopi, qui cœpit ſedere anno 1170. In iiſdem tabulis commemorari dicunt quemdam Embeſiam ſeu Embeſianum epiſcopum Leomaniæ, circa ejuſdem Geraldi de Bartha archiepiſcopi Auſcienſis tempora.

XIII. Garsias Sancius.

Garſias Sancius epiſcopus Lactorenſis, teſtis eſt donationis factæ Alquerio abbati Bellæ-perticæ ab Otone vicecomite Leomaniæ & a Viviano filio ejus 1178. Eodem anno in chartis Gimundi notatur, & in aliis annorum 1181. 85. 91. & 94.

1178. 1181. 1194.

XIV. Bernardus II.

Bernardus in Silvæ-maj. chartis adeſt Bernardo Auſcienſi archiepiſcopo eccleſiam ſancti Johannis de Loſa, Gavarreti prioratui Silvæ-maj. ſubdito, concedenti 13. Novembr. anno M. CXCVII. Præterea Alienordi Angliæ reginæ, Aquitaniæ duciſſæ, privilegia ab Henrico marito & Ricardo filio Silvæ-majori indulta confirmanti, cum Helia Burdegalenſi archiepiſcopo, Henrico Santonenſi & aliis fauſta omnia adprecatur cal. Julii anno M. CXCIX. ex iiſdem tabulis. Subſcripſit quoque privilegio ejuſdem Alienordis reginæ, pro Cadunienſi monaſterio, una cum Mauricio Pictavenſi, & Henrico Santonenſi XV. die Julii *apud Pictavis.*

1197. 1199.

In annalibus Toloſanis dom. de la Faille, fit mentio Raimundi epiſcopi Lactorenſis ad annum 1204. in appendice quo inſtrumenta continentur. Sed de hoc epiſcopo non ſatis nobis conſtat; poteſt tamen ipſi dari locus poſt Bernardum.

pag. 181.

Vide has litteras n. 25. inter inſtr. Cadurc. pag. 40. col. 1.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

XV. Arnaldus II.

Arnaldus electus Lactorenſis appellatur in charta recognitionis feudi Raimundi de Caſtris factæ Simoni comiti Liceſtriæ, domino Montis-
1215. fortis Biterris ſcripta VIII. Auguſti anni 1215. ſola priori nominis ſui littera deſignatus. Teſtis
1216. fuit anno 1216. donationis quam abbatiæ de Bella-pertica fecerunt Vivianus, apud Oihenartum Vibianus, Leomaniæ vicecomes, & Odo ejus filius, quem idem ſcriptor appellat Athonem-Arnaldum. Adhuc deſignatur per primam litteram A. in charta compoſitionis amicabilis inter Arnaldum epiſcopum Aginnenſem & Simonem Montis-fortis comitem, ducem Narbonæ & Toloſæ comitem, ſuper juſtitia, fiſco & monera civitatis Aginnenſis,
1217. factæ anno 1217. XIV. cal. Maii, de qua vide in Arnaldo Aginnenſi antiſtite. In regiſtro quodam cameræ computorum anni 1217. Lactorenſis epiſcopus recenſetur cum W. archiepiſcopo Burdegalenſi, G. archiep. Auſcenſi, A. epiſcopo Aginnenſi, A. epiſc. Tarbenſi, G. epiſcopo Convenarum, & C. epiſc. Conſeranenſi, P. abbate Clariacenſi, B. archidiacono Baſatenſi. Sammarthani ejus epiſcopatum producunt uſque ad annum 1221.

XVI. Hugo I.

Præſulis hujus nomen invenimus in veteri
1229 charta monaſterii Gimundi, data anno 1229. in qua commemoratur epiſcopus Lactorenſis.

DE LAMBESC.

XVII. Gaillardus.

Gaillardum de Lambeſco nobis ſuppeditat charta tabularii Silvæ-majoris, in qua legimus Petrum de Lambeſc militem, (loci de Brana ad Dordoniæ ripam diœceſis Vaſatenſis dominum) ſuſcepiſſe in ſe onus curandi, ut Gaillardus epiſcopus Lactorenſis, & Bertrandus de Lambeſc fratres ſui, impignorationem quorumdam prædiorum ab infirmario Silvæ-majoris, nomine Bertrando de Monſtinhac factam, datis codicillis confirmarent. Datum in Silvæ-majoris capitulo XV. introitus Februarii,
1240. anno M. CC. XL.

XVIII. Geraldus I.

Signatur hic epiſcopus in archivis Moïſſiacenſibus anno 1256. quo cum diſceptarent epiſcopus & abbas Moïſſiacenſis nomine Guillelmus, pro limitibus quarumdam eccleſiarum, compromiſſum fecerunt, elegeruntque Raimundum de Cavo-monte rectorem Alti-villaris, ut controverſiam hanc dirimeret; quod fecit eodem anno, poſtridie feſti S. Laurentii.

XIX. Guillelmus II.

Guillelmi epiſcopatum Oihenartus & Sammarthani fratres notant ad annum 1244. ſed longe citius, cum Geraldo ſucceſſor ſit datus. Anno 1257. tranſigit cum W. de Beſſens abbate Moïſſiacenſi.

ANNI CHRISTI DE MONTLEZUN.

XX. Geraldus II.

Geraldus de Monte-Lugduno Ogerii II. de Monte-Lugduno comitis Pardiaci tertius natu filius, & frater Arnaldi-Guillelmi primi de Monte-Lugduno conſulis, id eſt comitis Pardiaci, nec non Bernardi de Monte-Lauduno militis domini de Montaſtrac, jam præerat anno 1168. die Mercurii poſt octavam ſancti Martini, quo pactis matrimonii Conſtantiæ filiæ Gaſtonis vicecomitis Benearnii cum Hen-
1270. rico Angliæ principe filio Richardi Roma-
Hiſt. Beam. l. 7. c. 12. n. 616. norum regis interfuit. Anno 1270. inſtituitur curator teſtamenti Amatæ vicecomitiſſæ Bear-
1273. nenſis, ex authentico in tabulario Palenſi aſſervato. Tranſactionem fecit anno 1273. cum Eduardo Anglorum rege, certis conditionibus, pro dominio temporali & juriſdictione civitatis Lactorenſis, cujus autographum eruerunt noſtri Sammarthani ex regiſtro Burdegalenſi, cujus apographum inter inſtrumenta repoſitum in-
C. II. p. 175. col. 1. venies. Eodem anno teſtis eſt cum Gaillardo abbate Figiacenſi promiſſi facti a Gaſtone Benearnenſi vice-comite, *de non recedendo a curia regis Angliæ, ſine ſua voluntate & licentia ſpeciali*, die lunæ poſt feſtum S. Michaëlis anni 1273. ex tom. 2. collect. Rimerii Angli pag. 13. Legitur in chartis Gimundi anno 1277. Anno
1279. interfuit concilio provinciæ Auſcenſis, 1279. ubi præ ceteris de tuitione jurium eccleſiæ Vaſatenſis, contra Vaſconiæ ſeneſcallum actum eſt, ut intelligimus ex epiſtola ſynodali ſcripta ad regem Angliæ Eduardum, qui erat quoque dux Aquitaniæ; nam inter præſules qui eam ſcripſerunt legitur *G. Lactorenſis*. Adhuc pedum tenebat anno 1287. quo eccleſias S. Nicolai, & S. Cophani contulit Hugoni de la Vaicheire, præſentato a Bertrando abbate Moïſſiacenſi, *Tab. Moiſſ.* ſabbato poſt paſcha. Collatio vero epiſcopi facta eſt feria III. poſt octavam Pentecoſtes. At aberrant qui ejus epiſcopatum protrahunt uſque ad annum 1309. ut ex infra dicendis patebit. Imo niſi obſtarent Moſſiacenſes tabulæ, contrahendus eſſet Geraldi epiſcopatus ad annum 1284. quo Petrus Geraldi ſucceſſor legitur adfuiſſe ceſſioni comitatus Bigoritani factæ a Conſtantia comitiſſa, de qua loquimur in Geraldo Adurenſi epiſcopo. Si illuſtriſſimus ſcriptor Benearnenſis hiſtoriæ Petrus de Marca protuliſſet hujus ceſſionis inſtrumentum, in quo dicit Petrum epiſcopum commemorari, exploraremus, utrum epiſcopus cujus ibi mentio fit, per integrum nomen, aut per primam nominis litteram deſignaretur, uti uſu receptum erat; quo in caſu facile fuit ponere unum characterem pro alio: præterea inveſtigandum foret utrum hoc inſtrumentum archetypum ſit. Donec vero hæc fieri poſſint, ſtandum teſtimonio chartæ Moïſſiacenſis, quæ Geraldum adhuc præfuiſſe anno 1287. demonſtrat.

Recenſetur in necrologio hoc modo: III. *calendas Aprilis obitus bonæ recolendæque memoriæ reverendi in Chriſto patris & domini noſtri Gerardi de Monte-Lugduno, qui ædificare fecit teſtudinem majorem eccleſiæ Lactorenſis, conſtruique*

ANNI CHRISTI.

XL. Hugo III.

Hugo de Hiſpania auſpicatur epiſcopatum anno 1481. Anno 1485. cum capitulo quædam decreta publicavit, quæ ab Innocentio VIII. curavit confirmari. Noſtri Sammarthani Hugonem cognominatum volunt *Orſanum*. Et quidem in necrologio nonis Aprilis legitur: *Hugo de Orſano epiſcopus.* Sed cujus ſit ſedis, non indicatur. Fatis conceſſit anno 1487.

1481.

1487.

Duac.

XLI. Petrus V.

Petrus de Abſaco ex dominis de la Douze, monachus Benedictinus, prius Rivenſis epiſcopus, ad Lactorenſem transiit eccleſiam, ſimulque ex conceſſione apoſtolica erat camerarius B. Mariæ de Craſſa; cujus etiam monaſterii fuit abbas. Utraque dignitate epiſcopali & abbatiali potiebatur jam anno 1488. ut nos docet quoddam Craſſenſis tabularii documentum, quo frater Petrus de Coſta Craſſenſis monachus B. Mariæ de Rividario diœceſis Gerundenſis prior, per ſuum procuratorem profitetur ſe tenere dictum prioratum a domino Petro Lactorenſi epiſcopo Craſſæ abbate, anno incarnationis Dom. MCCCCLXXXVIII. die XXIII. Octobris. Eodem circiter tempore propugnavit cœnobii hujus jura, contra Carolum Elnenſem epiſcopum; ſed lis ea de re mota ſopita eſt ab Antonio Petro Vabrenſi epiſcopo. Anno 1491. die 5. Octobris quæ incidebat in Dominicam infra octavam Corporis Chriſti, majus altare Craſſæ conſecravit. Anno ſequenti ſtatuta cum capitulo edidit. Factus eſt archiepiſcopus Narbonenſis an. 1494. In necrologio recenſetur his verbis: *X. calendas Junii Petrus de Abſaco diœceſis Petragoricenſis, quondam abbas monaſterii de la Graſſa & epiſcopus Rivorum Lactoraque, & demum archiepiſcopus Narbonenſis, qui libros cantus novos quatuor cordarum dedit eidem eccleſiæ Lactorenſi, & Sanam vocatam Domini Narbonenſis quando vivebat, quam acquiſivit ipſo exiſtente epiſcopo.*

1488.

1491.

1492.

1494.

In hiſtoria gen. Regiæ Domus Franciæ, &c. nuper edita labore viri clar. D. du Fourny, fit mentio Bertrandi de Roquelaure abbatis de Boillanis, quem vir doctus dicit electum fuiſſe epiſcopum Lactorenſem. Filius erat Johannis de Roquelaure ex Johanna de Sedillac, quam duxerat anno 1435. ſed quo tempore fuerit electus, qua ætate ſederit; imo utrum ſederit, tacet laudatus ſcriptor. Forte quo tempore Petrus de Abſaco creatus eſt epiſcopus Lactorenſis a ſummo pontifice, Bertrandus electus eſt a capitulo; ſed nihil audemus ſine certis teſtimoniis aſſeverare.

1489.

In ſchedis D. Edmundi Marœnne invenio quoque Antonium cardinalem, Lectorenſem epiſcopum, qui obiit anno 1498. ſed quis ille fuerit nullibi legi. Certe in Gallia purpurata Friſonii, nullius cardinalis qui Lactorenſis hoc tempore fuerit epiſcopus, fit mentio.

1498.

Pot.

XLII. Ludovicus I.

Ludovicus Pot abbas S. Launomari Bleſenſis, deinde Majoris-monaſterii, ac poſtea epiſcopus Tornacenſis, quo tamen epiſcopatu pacifice non eſt potitus; tandem adeptus eſt Lactorenſem cathedram, in qua obiit anno 1505. pridie calendas Junii. De hoc epiſcopo legimus in necrologio: *Obiit bonæ memoriæ Ludovici Pot eccleſiarum cathedralium Lactoratenſis & Tornacenſis fundati, debent celebrari uno quoque anno in primis diebus Veneris menſium Januarii, Martii, Junii, & Septembris, & hoc cum miſſa alta & canonicali in altari majori, & cum vigiliis mortuorum IX. lectionum in die illa. Qui quidem dominus epiſcopus dedit eccleſiæ prædictæ cathedrali Lactoræ medium partem decimæ fructuum excreſcentium infra parochiam ſancti Petri de Serano ejuſdem diœceſis, & hoc pro ſuſtentatione & manutentione duorum puerorum chori, & unius tenoriſta, ut patet per bullam quæ eſt in archivis.*

A

B

C

D

E

ANNI CHRISTI. 1505.

Ludovico Pot Sammarthani fratres volunt ſucceſſorem datum eſſe Antonium de Corbones, electione facta die 17. Decembris anni 1505. At irritam fuiſſe hanc electionem perſuadebunt quæ mox dicturi ſumus.

Du Faur.

XLIII. Petrus VI.

Petrus Fabri ex clara Fabrorum Toloſanorum familia, Gratiani domini de S. Jorio cancellarii comitis Armaniaci nothus, Fabri domini de Pibrac, necnon Petri epiſcopi Vaurenſis propatruus, decretorum doctor, canonicus Lactorenſis, Apoſt. ſedis protonotarius, prior S. Orientii Auſcienſis, regi a conſiliis & præſes in claſſe inquiſitionum ſenatus Toloſani, Lactorenſem cathedram vacantem per obitum Ludovici Pot pridie cal. Junii 1505. obtinuit electus a capitulo die 26. Martii inſequentis & confirmatus ab archiepiſcopo Auxitano, ut fidem facit inſtrumentum ipſius electionis in archivis eccleſiæ Lactorenſis hactenus aſſervatum. Mortuus legitur anno 1508.

1508.

De Luſtrac.

XLIV. Bertrandus II.

Bertrandus de Luſtraco, primo abbas monaſterii ſancti Maurini, ordinis ſancti Benedicti, diœceſis Agennenſis, deinde epiſcopus Lactorenſis poſt Petrum, obiit in Domino in domo abbatiali S. Maurini, quam a fundamentis conſtruxerat, ſuſceptis prius extrema infirmorum unctione & Viatico, Dominica qua cantatur *Quaſi modo*, 17. die menſis Aprilis, & ſepultus eſt ſequenti die ad dextrum latus aræ principalis ejuſdem monaſterii, anno 1511. Ubique appellatur Bertrandus, non Bernardus, uti legitur apud Oihenartum & Sammarthanos.

1511.

XLV. Paulus.

Paulus ſub titulo epiſcopi Lactorenſis adfuit ſeſſioni tertiæ concilii Lateranenſis quinti, ſub Julio papa, habitæ die Veneris tertia Decembris, anni 1512. uti habent acta hujus concilii. Plura vero non ſuppetunt de hoc præſule dicenda, quem huc uſque ignorarunt, qui noſtrorum epiſcoporum catalogos texuere.

Poſt Bertrandum de Luſtraco Oihenartus & Sammarthani, qui eum Bernardum vocant, locum dant Renato de Prie, dicuntque Sam-

ANNI CHRISTI.

marthani eum poſt Lactorenſem cathedram, impleſſe Lemovicenſem ac Bajocenſem. Sed id minime ſtare poteſt. Si enim Renatus fuit epiſcopus Lactorenſis, hanc dignitatem aſſecutus eſt ante Bajocenſes infulas; at fuit Bajocenſis præſul anno ſaltem 1502. quo, tanquam Bajocenſis epiſcopus contulit die 10. Decembris tonſuram clericalem Joachimo Goyon de Matignon. Præterea erat hujus ſedis epiſcopus anno 1506. quando creatus eſt cardinalis, unde dictus eſt cardinalis Bajocenſis. Ergo non poteſt ipſi dari locus inter epiſcopos Lactorenſes, poſt Bertrandum mortuum anno 1511. Alioquin dicendum eſſet ipſum a Bajocenſi ſede migraſſe ad Lactorenſem; cum e contrario Lectorenſis epiſcopatus prior ſit qui ipſi tribuatur. Profecto in ejus epitaphio quod refert Friſonus in Gall. Purpurata mentio fit Bajocenſium & Lemovicenſium infularum, ne quidem omiſſo titulo abbatis Prateæ. At de Lectorenſi epiſcopatu ne verbum quidem. Forte antequam Renatus ſeu Reginaldus de Prie poſſeſſionem cepiſſet hujus eccleſiæ, eam ceſſit pro alia; ſcilicet pro Lemovicenſi. Huic vero conjecturæ locum dat hiſtoria manu exarata S. Auguſtini Lemovicenſis in qua quæ ſequuntur legimus.

A

B

C

XLVI. GUILLELMUS IV.

De Barton.

Guillelmus de Barton Bernardi vicecomitis Monbaſii in Pictonibus frater, & Johannis IV. Lemovicenſis epiſcopi, necnon Petri abbatis S. Auguſtini Lemovicenſis, Lectorenſi epiſcopatu donatus eſt, quod ceſſiſſet omne jus in epiſcopatum Lemovicenum Reginaldo de Prie cardinali, ex hiſtoria domeſtica S. Auguſtini in urbe Lemovicenſi. Hinc non ſine aliquo fundamento viſum eſt epiſcopatum Lactorenſem penes Reginaldum cardinalem tunc fuiſſe, qui eum vice verſa tranſcripſerit Guillelmo; quamvis laudata hiſtoria nullatenus aſſerat cardinalem de Prie aliquando Lectorenſi titulo potitum. Porro Guillelmus, ex laudata hiſtoria, tranſtulit paulo poſt epiſcopatum hunc filio fratris ſui Johanni anno 1513.

1513.

XLVII. JOHANNES II.

De Barton.

Johannes de Barton filius Bernardi vicecomitis Monbaſii, & Mariæ de Sully, abbas commendatarius S. Auguſtini Lemovicenſis ceſſione Petri ſui patrui ab anno 1501. nactus quoque eſt poſſeſſionem epiſcopatus Lectorenſis, anno 1513. cedente altero patruo ſuo Guillelmo, cum jam fuiſſet conſecutus titulum epiſcopi Athenienſis. Hic præſul antiquo eccleſiæ choro reſtaurando diligenter incubuit. Nec id ſatis fuit ſtudio quo flagrabat erga domum Dei; nam ejuſdem eccleſiæ navis fundamenta jecit magnis ſumtibus. Tunc autem in veteris eccleſiæ ruderibus reperta ſunt antiqua marmora & inſcriptiones. Novæ autem eccleſiæ parietibus inſculpta cernuntur domus Bartonæ ſtemmata, quæ in area cærulea exhibent cervum quieſcentem aureum, capite disjuncto teſſeris ex auro & coccino.

1513.

D

E

Turbatus eſt Johannes in poſſeſſione hujus cathedræ anno 1529. Etenim Georgius de Armaniaco die 21. Auguſti electus eſt in epiſcopum Lactorenſem a canonicis quibuſdam, qui contendebant ſedem vacare per liberam ceſſionem Johannis, in manu Clementis VII. in gratiam ſui nepotis, licet hic epiſcopus pernegaret ſe unquam epiſcopatui nuntium remiſiſſe, & contra electionem ſchiſmaticam Georgii plurimi e capitulo conteſtata denuntiatione reclamarent.

ANNI CHRISTI. 1529.

Epiſcopatum tamen nunquam dimiſit Johannes, & in ea dignitate mortuus eſt die 21. Septembris anno 1544. Inter cetera inſtituit ut feſtum Circumciſionis Domini, eodem ritu & ſolemnitate celebraretur, ac ipſe dies natalis.

1544.

XLVIII. GUILLELMUS V.

De Barton.

Guillelmus de Barton filius fuit Petri vicecomitis Monbaſii, & Elizabethæ de Levis de Chaſteaumorant; patruoſque habuit Johannem epiſcopum de quo ſupra, & Franciſcum S. Auguſtini apud Lemovices, Rollandumque Solemniacenſem abbates. Quo tempore donatus ſit epiſcopatu hujus urbis minime compertum; ſolemnis vero ejus in urbem & eccleſiam ingreſſus notatur tantum anno 1551. die 17. Maii. Hic præſul adfuit concilio Tridentino. De illo vero ita canit Marcus-Antonius Muretus:

1551.

Quod tam cenſeris generoſo ſanguine Præſul,
Quodque es tam multis clarus imaginibus,
Illa quidem certe laus eſt non infima, ſed quæ
Tota ad majores ſit referenda tuos.
Quod ſuperas opibus multos, quod honoribus anteis,
Fortuna hæc dici munera poſſe vides.
Quod ſis auguſto ſpectandus corpore, forſan
Natura hanc dotem vendicet ipſa ſibi.
At quod tam multis fulges virtutibus, atque
Eximiis rari dotibus ingenii.
Quodque tuis lucem præferre nepotibus illam
Quam tibi majores ante tulere, potes.
Hæc demum eſt tua laus, hæc, Præſul, laus tua demum eſt,
Una hæc te ſuperis inſerit Ordinibus.

De rebus ab hoc epiſcopo geſtis altum eſt ſilentium; forte ob bellorum civilium tumultus, & hæreſis quæ in urbe Lactorenſi aliiſque Novempopulaniæ & Vaſconiæ graſſabatur, tyrannidem.

XLIX. CAROLUS.

De Bourbon.

Carolus Borbonius Antonii Borbonii regis Navarræ filius ex Ludovica de la Beraudiere non conjuge ſed amica, ex epiſcopo Convenarum Lactorenſis anno circiter 1569. quamvis nondum preſbyter, an. 1594. deſignatus eſt Rotomagenſis archiepiſcopus ab Henrico rege IV. & bullis pontificiis munitus anno 1597. die 26. Decembris ordinatus eſt preſbyter, biduoque elapſo inunctus eſt in archiepiſcopum. Poſt ipſius tranſlationem a ſede Lactorenſi remanſit vacua uſque ad annum 1599.

1569.

L. LEODEGARIUS.

ANNI CHRISTI. In Plas.

L. Leodegarius.

Leodegarius de Planis nobili ſtirpe, patre Anneto de Planis, matre Maria de Stampis, genitus anno 1549. in caſtro de Plas & loco de Curamonte agri Lemovicenſis, Lutetiæ humaniorum litterarum tyrocinium fecit cum germanis Franciſco & Claudio: dein Tololam venit philoſophia, & utriuſque juris cognitione imbuendus, quibus rite peractis, in contubernium Vaſatenſis epiſcopi patrui ſui vocatus, ac conſuetudine etiam Tarbienſis præſulis uſus ad annum ætatis uſque 30. tandem aſſumto habitu S. Benedicti, cujus religionem vovit, prior S. Martini de Alayraco prope Aginnum factus, ſacris initiatur in loco natali de Curamonte. Demum ad ſedem Lactorenſem vocatus, Pariſiis 1599. a Franciſco cardinali de Joyoſa in feſtis Natalitiorum Domini conſecratur, die vero 19. Martii ſolemni ritu ingreſſus eſt urbem. Vidit ſuo pontificatu ejectos e civitate hæreticos cura domini de Roquelaure. Siquidem anno 1562. ab iis capta fuerat, & iterum an. 1581. direpta: quo tempore ſacræ ædes proſtratæ fuerant. Ab exordio fere ſui pontificatus, ſocium & adjutorem epiſcopalis muneris aſſumſit Johannem Deſdreſſeum, quem Oihenartus appellat ejus fratris filium. Juxta Sammarthanos obiit die 24. Martii anni 1635. & die 16. ejuſdem menſis conditus eſt in eccleſia de Curamonte, in ſacelli juxta majus altare poſiti crypta, quam pro ſepulcro ante octo annos ſibi parari curaverat. Attamen de tempore mortis hujus epiſcopi ſcrupulus nobis ſupereſt, ex his quæ legimus apud Oihenartum.

Hic vir doctus de ſuæ patriæ hiſtoria tam eccleſiaſtica, quam prophana optime meritus, qui Notitiam Vaſconiæ edidit anno 1637. in catalogo Lactorenſium antiſtitum, ultimum ponit *Legerium Plaſium*, quem dicit *nuper* aſſumſiſſe adjutorem Johannem Deſdreſſeum fratris ſui filium epiſcopum Laodicenum, de cujus epiſcopatu Lactorenſi nihil addit. Attamen ſi e vivis exceſſiſſet Leodegarius ejus patruus anno 1635. anno 1637. jam fere duobus annis præfuiſſet ut epiſcopus Johannes ipſius ſucceſſor. Reſponderi poteſt Oihenarti opus, diu antequam publica donaretur luce, fuiſſe elucubratum, ac in annum, ut aiunt, nonum repoſitum & conditum. At ſane magnæ incuriæ reus fuiſſet eruditus ſcriptor, ſi mortuo Leodegario, Johanneque in ejus locum provecto, diu antequam Notitia Vaſconiæ prodiret in lucem, utrumque tacuiſſet.

1599.

LI. Johannes III.

Johannis cognominati Deſdreſſe tum ab Oihenarto, cui probe notus erat, tum a Sammarthanis, verum nihilominus cognomen erat *d'Etreſſes*, quod eſt nobilis gentis apud Lemovices, in Torinenſi vicecomitatu, cujus caſtrum ſecus Dordoniam poſitum, vix mille paſſibus a Belliloceníi ordinis S. Benedicti abbatia diſtat, uti me monuit noſter D. Jacobus Boyer, ex hoc monaſterio ad me ſcribens. Qui vero potuerit eſſe nepos ex fratre Leodegarii de Plas, non intelligo, niſi addatur fuiſſe fratrem uterinum. Juxta noſtros Sammarthanos fuerat inauguratus epiſcopus ſub titulo Laodiceni anno 1609. Interfuit comitiis regni generalibus apud Pariſios, anno 1614. & cœtui cleri Burdegalæ habito, anno 1621. Vitam in ſanctis operibus, & præſertim in pœnitentiæ laboribus tranſactam clauſit in oppido ſuæ diœceſis *Miradusc* dicto, die 11. Aprilis anni 1646. ætatis ſuæ anno circiter 64. cum præfuiſſet annos 40. quod ſpatium temporis, ut opinor, complectitur annos, quibus ut adjutor epiſcopale munus obivit.

ANNI CHRISTI. 1646.

LII. Ludovicus II.

De la Rochefoucaud.

Ludovicus a Rupe-fucaldi baro Vertolii apud Pictavos in lucem eſt editus die 13. Decembris anni 1615. parentesque habuit Franciſcum V. Rupis-fucaldi ducem-parem Franciæ, Marciliaci principem, equitem torquatum, Pictonum præfectum, ac Gabrielidem du Pleſſis de Liancourt. Deſignatus eſt epiſcopus Lactorenſis menſe Maio anni 1646. at non fuit conſecratus & unctus in epiſcopum, niſi anno 1649. die 8. Decembris, in æde ſacra monialium S. Mariæ Santonenſis, Jacobi Raoul Rupellani epiſcopi manibus, collaborantibus epiſcopis Ludovico de Baſſompierre Santonenſi, & Franciſco de Pericard Engoliſmenſi. Diem clauſit ultimum Vertolii anno 1654. menſe Decembri.

1646. 1649.

LIII. Ludovicus III.

Caſet.

Ludovicus Caſet ex dominis de Vautorte, Ludovici ſanctioris conſiſtorii conſiliarii, in parlamento Aremoricæ præſidis, ex Renata Freart filius, Franciſci domini de Vautorte, comitis conſiſtoriani, & extraordinarii legati ad diætam ſeu conventum Imperii Ratiſbonæ frater: ad epiſcopatum Lactorenſem nominatus regia ſchedula Ludovici XIV. 9. Februarii 1655. creatus bullis Alexandri VII. papæ menſe Maio, conſecratur in æde Jeſuitarum Pontiſarenſium die feſto S. Mathiæ 21. Septembris ejuſdem anni, a Petro de Marca archiepiſcopo Toloſano, Johanne Vincentio de Tulles Vaurenſi, & Franciſco Boſquet Monſpelienſi epiſcopis. Eccleſiæ iniit poſſeſſionem per procuratorem, ac regi jusjurandum clientelæ præſtitit 14. Julii. Poſtea tranſlatus eſt ad Venetenſem ſedem an. 1671. die 5. Januarii.

1655.

LIV. Hugo IV.

De Bar.

Hugo de Bar ex gente nobili in Picardia, patre militari gloria illuſtri Ambiani gubernatore natus, quam præfecturam Hugonis poſtea frater obtinuit, ab Aquenſi eccleſia ad Lactorenſem ejuſdem provinciæ tranſlatus eſt anno 1671. Vir fuit ſingulari doctrina, pietate, charitate in pauperes, & vigilantia præditus. Palatium epiſcopale immenſis, & tamen propriis conſtruxit ſumtibus. Seminarium incœpit. Collapſam in diœceſi diſciplinam eccleſiaſticam reſtauravit. Migravit ad Deum die 22. Decembris anni 1691. in ſua diœceſi, ubi erat aſ-

1671. 1691.

ANNI CHRISTI.

siduus in sui gregis custodia. Jacet in choro A ecclesiæ cum hoc epitaphio:

Hic jacet illustrissimus & reverendissimus Dominus D. Hugo de Bar episcopus Lactorensis.

Vocabis me & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porrige dextram. *Job cap.* 14.

Obiit die 22. *Decembris* 1691. *Requiescat in pace.*

Variis abbatiis potitus est ante aut post sumtum episcopatum, videlicet S. Andreæ Viennensis, Virtutum in diœcesi Catalaunensi, Pontis-alti diœcesis Adurensis.

LV. Franciscus-Ludovicus.

ANNI CHRISTI. De Polastron.

Franciscus-Ludovicus de Polastron ex gente nobili pagi Armaniacensis, cujus frater fuit castrorum præfectus, abbas S. Salvatoris de Blavia, e Lombariensis episcopi vicario generali factus est episcopus Lactorensis, designatus a rege Christianissimo die 6. Aprilis anni 1692. consecratus Parisiis die 9. Novembris; possessionem vero est adeptus die 22. Decembris ejusdem anni. Synodum celebravit anno 1695. in qua statuta edidit tuendæ disciplinæ maxime conducibilia. Hactenus præest; & quidem ut jubet apostolus, in sollicitudine, promovendæ videlicet in plebe Christiana, præsertim in clero pietatis tum verbo tum exemplo. 1692.

CONVENARUM EPISCOPATUS.

Convenæ a conveniendo dicti, populi sunt qui a Cnæo Pompeïo victi, cum ex Hispania victor rediret, ab eo coacti sunt ex Pyrenæorum montium jugis, unde in vicina itinera excurrebant, & latrocinia exercebant, descendere, & in unum oppidum ad Pyrenæi montis radices in Aquitanico solo conditum convenire. Id nos docet Hieronymus contra Vigilantium, qui Convena erat, scribens: *Nimirum*, inquit, *respondet generi suo, ut qui de latronum & Convenarum natus est semine, quos Cnæus Pompeïus edomita Hispania, & ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi jugis deposuit, & in unum oppidum congregavit, unde & Convenarum urbs nomen accepit.* Idem Hieronymus infra, Convenas ortos ex Vettonibus (Veronibus ex Valesio) Arebacis, Celtiberisque asserit, quod nonnullis geographis minime placet, qui volunt Convenas fuisse montium & saltuum Pyrenæorum indigenas. l. 2.

Urbs ab illis Convenis, impellente Pompeïo condita, Lugdunum Convenarum appellatur apud Ptolemæum, Strabonem, Æthicum in Itinerario; estque eadem quæ nunc dicitur S. Bertrandi Convenarum civitas, uti persuadet situs, nihil discrepans ab eo qui a Gregorio Turon. describitur l. VII. hist. c. 34. *Est*, inquit, *urbs in cacumine montis sita, nullique monti contigua, fons magnus ad radicem montis erumpens, circumdatus turre tutissima, ad quem per caniculum descendentes ex urbe latenter latices hauriunt.* Ab hoc monte edito Lugduni nomen huic inditum est urbi; Lugdunum enim nihil aliud sonat, in veterum Gallorum lingua, quam *Montem-clarum*. Urbs quam describit Gregorius, erat Garumnæ proxima; quod flumen Gundovaldus fugiens exercitum Guntramni regis, transivit ut Convenas peteret. Nemo autem ignorat Garumnam pedem montis in quo S. Bertrandi fanum conditum est, alluere. Denique eadem est hujus urbis distantia, ab Aginno, Aquis Tarbellicis &c. quam Æthicus in itinerario notat, Lugduno Convenarum. Hinc, Oihenarto teste oculato, plurima rudera hujus antiquæ urbis, quæ hodierna longe amplior erat, adhuc visuntur, & murorum antiquæ structuræ fundamenta, in subjectis colli seu monti campis, obviique sunt lapides cum inscriptionibus, quarum nonnullas refert idem Oihenarus. Greg. Tur. ibid.

Porro Lugdunum Convenarum, in odium Gundovaldi ficti regis, qui eo confugerat, cum diu obsidione cinctum fuisset, nec vi machinarum bellicarum expugnari potuisset, proditione captum, destructum est a Guntramni regis exercitu, ut narrat Gregor. Turon. l. VII. *Omnes*, inquit, *thesauros, quos in urbe reperire potuerunt, cum ministeriis ecclesiæ clam abstulerunt. Mane vero reseratis portarum valvis, immisso exercitu, omne vulgus inclusum in ore gladii tradiderunt: sacerdotes quoque Domini cum ministris ad ipsa ecclesiæ altaria trucidantes. Postquam autem cunctos interfecerunt, ut non remaneret mingens ad parietem, omnem urbem cum ecclesiis reliquisque ædificiis succenderunt, nihil ibi præter humum vacuam relinquentes.* Ea in procella episcopum urbe pulsum esse ante ipsius ultimam stragem auctor est Aimoinus. Quo vero loco sedes episcopalis postea steterit usque ad seculum XI. quo hæc civitas restaurata est, nobis adhuc incompertum. l. 3. hist. c. 69. 438.

Episcopatus Convenarum antiquus est sub metropoli Elusana, posteaque Auscienſi. Urbs cum pago subest senatui Tolosano, sederque episcopus in Occitaniæ comitiis, ut docet Catellus in hist. Occitaniæ. pag. 316.

Ecclesia cathedralis patronam habet Deiparam Virginem, & S. Bertrandum episcopum. In ea sunt canonici tredecim, præbendarii quadraginta duo, quatuor dignitates, videlicet archidiaconus, sacrista, operarius, & præcentor. Exstat præterea in urbe S. Gaudentii capitulum, cujus fundationis chartam damus in prob. Olim aliud fuit Casæ-Novæ, cujus etiam fundatio habetur ibidem. C. I. p. 1170. col. 2. C. II. ibid.

In diœcesi numerantur 122. ecclesiæ parochiales, ex quibus circiter 22. in ditione regis Hispaniæ sunt.

ANNI CHRISTI.

Religioſæ domus ſunt, Prædicatorum in urbe S. Gaudentii (*S. Gaudent*,) & apud Inſulam (*Isle d'Odon*) Fratrum Minorum Poliniani, & in Valle Capraria; B. M. de Mercede apud Orignac & Salies; Trinitariorum in urbe S. Gaudentii; Eremitarum S. Auguſtini apud Montem-regalem (*Montreal*;) Sanctimonialium ordinis Fontis-Ebraldi, apud S. Laurentium; Urſulanarum in fano S. Gaudentii. De abbatiis hac in diœceſi fundatis ſeorſim dicturi ſumus, poſtquam egerimus de epiſcopis.

pag. 317. Eorum catalogum texuit Arnaldus Oihenartus, in Vaſconiæ notitia, ex quo noſtri profecerunt Sammarthani, ut ipſi candide confitentur. Adjutos præterea ſe fuiſſe gratulantur ab illuſtriſſimo ſedis hujus antiſtite Gilberto de Choiſeul. Plura alia accerſivimus ſubſidia variis ex inſtrumentis; conſuluimuſque hiſtoriam epiſcoporum Convenarum manu ſcriptam, ſtudio & opera doctiſſimi domini Abadie canonici S. Gaudentii adornatam.

EPISCOPI CONVENENSES.

I. SUAVIS.

HUnc epiſcopum primum appellamus, quod ante ipſum nullus nobis notus ſit. Ceterum alios præceſſiſſe epiſcopos, dubitare non licet apud Apollinarem Sidonium legenti quæ dicit de Convenenſi & de multis aliis eccleſiis, quæ perſecutione Gothorum Arianorum ipſius tempore paſtoribus & epiſcopis erant orbatæ. Loquens ergo de bello ab Evarige Gothorum rege catholicis indicto, ita loquitur Sidonius, ep. 6. libri VII. *Burdegala, Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Eluſani, Vaſates, Convena, Auſcenſes, multoque jam major numerus civitatum, ſummis ſacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis (per quos utique minorum ordinum miniſteria ſubrogabantur) latum ſpiritualis ruina luctum traxit.* Ergo tempore Sidonii, quem mortuum anno 482. communis eruditorum docet opinio, urbs Convenarum jam epiſcopos habuerat, quibus mortuis nullus ſuffectus fuerat.

At nullus nobis notus ex iis præſulibus ante
506. Suavem, in concilio Agathenſi anni 506. commemoratum, cui ſic ſubſcripſit: *Suavis epiſcopus de Convenis.*

II. PRÆSIDIUS.

Quandiu Suavis in epiſcopatu vixerit tacere ſatius judicamus, quam divinare. Alius hanc
533. implebat ſedem nono calendas Julii anni 533. quo habita eſt altera ſynodus Aurelianenſis; in ea enim legitur inter ſubjectas ſubſcriptiones: *Præſidius epiſcopus Convenarum ſubſcripſi*: ſucceſſor ei jam datus fuerat anno 549.

Circa hæc tempora quidam celebres hagiographi decernunt S. Africanum epiſcopum Convenis ſacra dediſſe jura. Acta ejus haud dubie corrupta, tradunt eum ex Burgundionum principum ſanguine exortum, inulta paſſum eſſe ab Arianis; relictoque epiſcopatu Lugdunenſi tranſiiſſe ad Rutenos, ubi aſſiduis prædicationibus, exemplis, miraculis plurimos ad veram fidem pietatemque convertit. His ſacris operibus & laboribus immortuus, apud eoſdem Rutenos ſumma veneratione colitur; ubi etiam celebris urbs accrevit quæ ex ipſius nomine, ob ſacras ejuſdem reliquias ibidem aſſervatas vocatur vulgo *S. Afrique*.

A Lugdunenſis epiſcopatus qui huic Sancto tribuitur, non eſt Lugdunum metropolis; noti enim ſunt illorum temporum antiſtites qui Lugduni ad Ararim ſederunt: minus quoque Lugdunum Clavatum pro ſede S. Africani aſſignari poteſt; ubi nulli Arlani principes erant, a quibus vexaretur & pelleretur vir ſanctus. Itaque reſtat ut eum Lugduni Convenarum epiſcopum dicamus, qua in ſede non mirum eſt eum a Wiſigothis Hiſpaniam obtinentibus multa paſſum eſſe: de eo legendi Bollandiani ad diem 1. Martii, Bailletuſque & alii: at quia valde incerta ſunt quæ de hoc epiſcopo ad nos pervenere, nec ullus certus ei locus conſtituitur, ſufficiant quæ de ipſo diximus.

III. AMELIUS I.

Anno Domini 549. habita eſt apud Aurelia- 549.
num frequens epiſcoporum ſynodus ordine quinta, ad quam ex Gallia omni convenerunt metropolitani & alii antiſtites plerique. Inter eos autem Amelius Convenicæ eccleſiæ ſubſcripſit.

IV. RUFINUS.

Rufinum Convenis ſediſſe anno 585. probat 585.
Matiſconenſis conventus hoc anno habitus, cui epiſcopus hic interfuit. Eundem eſſe credimus qui hoc ipſo anno, aliquot ante ſynodum Matiſconenſem menſibus, in bello civili contra Gundobaldum, Mummolum &c. pulſus ſua urbe narratur a Gregorio Turonico lib. VII. c. 34.
paulo poſt Rufinus doluit eccleſiæ ſuæ totiuſque civitatis deſtructionem, & omnis tum cleri, tum plebis eædem. Quo vero diœceſis loco ſe receperit Rufinus, poſt everſam hanc civitatem, minime notatur. Vacavit autem ſedes mortuo Rufino, longo tempore; aut ſaltem ſi qui fuerint tunc epiſcopi, acta ipſorum perierunt, imo vel ipſa nomina.

V. ABRAHAMUS.

Abrahamus præerat anno 788. quo adfuit 788.
concilio Narbonenſi, cum duobus ſuæ provinciæ epiſcopis, Francolino Conſeranenſi, & Aſinario Vico-Julienſi.

Notatu digna eſt Abrahami ſubſcriptio ad concilii calcem, in qua legitur *Commenenſis ſedis epiſcopus*; quod vocabulum magis accedit ad Gallicum nomen *Commenges*, quam Convenæ.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

VI. Involatus.

Involatus adfuit dedicationi Alaonenſis monaſterii in Vaſconia factæ a Siſeboto Urgellitano epiſcopo, anno circiter 835. jubente Ludovico Pio. Legitur in inſcriptione epiſtolæ 198. Johannis papæ VIII. anno 879. miſſæ ad Auſcenſem archiepiſcopum ejuſque ſuffraganeos. Poſt Involatum, in quibuſdam ſchedis notatum video quemdam epiſcopum Ariolum, vel Oriolum nomine, Raimundi Convenarum comitis tempore, anno circiter 980. ſed documenta quibus id probetur deſideramus. Idem ſentimus de Bernardo epiſcopo, quem volunt ejuſdem comitis ætate circa annum 990. præfuiſſe. Perperam vero in teſtimonium profertur quoddam privilegium ſancto Gaudentio datum a Bernardo epiſcopo. Nam 1o. cujus ſedis Bernardus olim fuerit epiſcopus, non legitur in hoc inſtrumento. 2o. nullæ ſunt temporis notæ affixæ, quæ annum circiter 990. aut etiam ſeculum decimum deſignent. 3o. Charta hæc quam damus inter inſtrumenta, ſeculum aliquod decimo poſterius videtur redolere.

835. *Mab. ad hunc an. n. 33.*

Ch. I. pag. 176. col. 1.

VII. Petrus I.

Petrus epiſcopus Convenarum legitur in charta Leſatenſis monaſterii, anni 1003. VI. idus Auguſti. Dicitur interfuiſſe ordinationi Borelli epiſcopi Rodienſis in Hiſpania anno 1017. Lego quoque ejus tempore collegiatam eccleſiam Caſæ-Novæ fundatam eſſe. Habemus quidem iſtius fundationis chartam ſeu literas Sancii-Atonis dantis ſuum allodem Hermum in comitatu Cominico, eccleſiæ S. Mariæ, cum ſignis, libris, veſtimentis, calicibus & patenis &c. ad legem canonicam ibi obſervandam. Facta charta in menſe Auguſti, in vigilia S. Hippolyti luna XVI. regnante comite Rogerio, Petro epiſcopo. Sed hic nulla datur nota temporis, quæ annum deſignet aut etiam circiter tempus fundationis.

1003.

Ch. II. pag. 176. col. 1.

VIII. Arnaldus I.

Arnaldus epiſcopus Commengenſis interfuit conventui epiſcoporum, in quo monaſterio Coxanenſi confirmatam legimus eccleſiam ſanctæ Mariæ inter Ambas-aquas (*Trameſaigues*) datam huic cœnobio, a Lupo S. Stephani Toloſani archidiacono IX. cal. Julii 1035. Eidem quoque inſtrumento ſubſcripſit Guillelmus Arnaldi ſucceſſor, ſed, ut conjicimus, aliquandiu poſt habitam ſynodum.

I. VI. Diplom. 194.

1035.

IX. Guillelmus I.

Guillelmum paulo poſt habitam ſynodum ſuperius commemoratam ſuffectum fuiſſe Arnaldo, inde ſuſpicamur, quod ejuſdem ſynodi actis, utpote recentibus ſubſcripſerit. Ejus epiſcopatus extenditur uſque ad annum 1055. a noſtris Sammarthanis, confirmationem fundationis monaſterii Coxanenſis in teſtimonium proferentibus.

1055.

X. Bernardus.

Anno 1056. idibus Septembris, Victoris papæ A juſſu celebrata eſt ſynodus apud Toloſam, *ad extirpandam ſimoniacam hæreſim, ac reparandum ſanctæ eccleſiæ ſtatum, ſecundum priſcorum ſcita canonum*: cui cœtui tanquam papæ vicarii præfuerunt Raimbaldus Arelatenſis, & Pontius Aqui-Sextienſis archiepiſcopi. Inter patres vero qui hoc in concilio ſederunt, recenſetur Bernardus Convenenſis epiſcopus.

1056.

ANNI CHRISTI.

XI. Guillelmus II.

Anno 1063. jam Guillelmus ad Convenenſem ſedem acceſſerat, fuit enim ex antiſtitibus qui hoc anno ad dedicationem celeberrimam eccleſiæ Moïſſiacenſis convenerunt, de qua jam alibi diximus. Si germanæ eſſent temporis notæ cujuſdam chartæ Bernardi Tumpalarii pro Sancto-monte, quam edidimus inter inſtrumenta Auſcienſis archiepiſcopatus; Guillelmus eidem ſubſcriptus, jam anno 1061. pedum geſſiſſet. Sed corrupti ſunt in ea chronici characteres. Guillelmo noſtro præſente Aimericus comes Auſcienſis, dedit cœnobium S. Orientii S. Hugoni abbati Cluniacenſi, anno circiter 1066. Denique unus fuit ex antiſtitibus, qui ſynodum apud Toloſam convenientes celebrarunt anno 1068. Eodem an. adfuit concilio Gerundenſi celebrato ab Hugone Candido cardinali, Guifredo Narbon. archiep. &c. Anno 1078. habitum eſt adhuc Gerundæ concilium cui interfuit Guillelmus Convenarum præſul; qui ſi fuerit noſter Guillelmus, quæ leguntur ex argumentis parum certis de Otgerio & de Bertrando anno 1073. debent differri ad aliud tempus. De hoc concilio in collectionibus Martennii aliquando plura diſcemus.

Ch. XV. pag. 166. col. 1.

1066.

Mab. ad hunc an. n. 109.

1068.

1073.

XII. Otgerius.

Unum ſcimus de Otgerio, nimirum eum fuiſſe S. Bertrandi anteceſſorem: proindeque ſedit hic epiſcopus uſque ad annum circiter 1073. quo tempore Convenarum eccleſia meruit habere ſanctum Bertrannum alterum eccleſiæ & urbis Convenenſis fundatorem.

XIII. S. Bertrandus I.

Bertrandus ex illuſtri genere orum ducebat; habuit enim patrem Attonem Raimundum dominum Inſulæ, quæ toparchia poſtea facta eſt inſignis comitatus, matrem vero filiam Willelmi comitis Toloſani cognomento Sectoris-Ferri (*Tailleſer.*) Raimundus Bertrandi frater primogenitus dominus Inſulæ, Raimundum Toloſæ comitem ſuum conſanguineum ad bellum ſacrum ſecutus, in Chriſtianorum caſtris meruit, nec mediocrem conſecutus eſt laudem, de quo Raimundus de Agiles in hiſtoria de bello ſacro. Alter S. Bertrandi frater fuit N. Andofilei dominus, pater Willelmi Auſcienſis archiepiſcopi.

Bertrandus ab ineunte ætate militiæ clericali adſcriptus, fuit canonicus & archidiaconus in eccleſia Toloſana: mortuo vero Otgero Convenenſi epiſcopo ſubrogatur anno circiter 1073. Hoc enim anno confirmavit Petro Simorræ abbati monaſterium Salengolinum. * Porro pius hic epiſcopus eccleſiam ſuam tot a ſeculis

De Insula.

Edit. Bongarſii I. p. 482.

1073.

Sermonis mss.

ANNI CHRISTI.

deſtructam e ruinis excitavit; clericis ſuis clauſtrum ædificavit, intra quod eos coëgit & habitare voluit. Iis regulam præſcripſit; ipſe vero ſancte vivendo canonicorum ſuorum altera erat ſummæ perfectionis regula. Fama ejus multos ad conſtruendas domos in loco ubi prius civitas fuerat condita, compulit, ipſo etiam ſumtus ſuppeditante. Pauca de tanto viro in chartis invenimus. Præſens legitur quando Guarmundus dedit eccleſias S. Vincentii & S. Beati, cum vinea, Seguino abbati Leſatenſi & 1105. monachis anno 1105. menſe Octobri. Per annos qu'inquaginta eccleſiam iſtam ſanctiſſime gubernavit, nomenque ſuum reliquit tum eccleſiæ cathedrali cujus patronus eſt, tum etiam urbi. Animam Deo reddidit XVII. calendas 1114. Novembris anno circiter 1113. ſepultuſque eſt in majori eccleſia ante oratorium ſanctiſſimæ Virginis. In Sanctorum album relatus eſt, agente potiſſimum Willelmo Auſciorum archiepiſcopo filio fratris ejus domini d'Andozile. Ejus vita, petente Hiacyntho S. Rom. eccleſiæ diacono cardinali, mandatoque Willelmi Auſcienſis archiepiſcopi, ſcripta eſt a Vitale notario ſedis apoſt. ex Auxitana provincia oriundo; ubi hæc potiſſimum notatu digna ſunt: *Clauſtrum fecit. Canonicos inſtituit ſub regula S. Auguſtini. In monte quippe domus non erat. Et ecce temporibus hujus ſancti, meritis exigentibus ſuis, homines acceſſerunt, & in monte civitatem habitationis readificaverunt. Et locus qui multis temporibus deſertus fuerat, habitatores recepit.*

XIV. ROGERIUS.

De Nuro. Rogerio cognomen *de Nuro* aptatur; forte quia legitur dediſſe eccleſiam S. Martini de Nuro, eccleſiæ Toloſanæ ac Raimundo tunc ipſius epiſcopo. At partem ex hoc dono ſibi vindicabat Bernardus de Monte-alto, ipſius *C. III. p. 176. col. 2.* frater; qui tamen non cognominatur de Nuro, ut videre eſt in charta ipſa, ſed ſolus Rogerius 1136. epiſcopus. Anno 1136. procuravit fundationem abbatiæ Boni-fontis, ordinis Ciſtercienſis, *C. XI. pag. 179. col. 1.* ex charta fundationis hujus monaſterii. Ante hunc annum vero nihil nobis de hoc præſule occurrit in veteribus inſtrumentis; tametſi diu 1143. antea ſedere debuerit ut pote S. Bertrandi ſucceſſor. Ad annum 1143. refertur donum eccleſiæ S. Martini, quod mox ab eo factum commemorabamus. Anno 1151. fundavit parthenonem S. 1151. Laurentii, pro Fontis-ebraldi monialibus, ut nos *C. IV. & V. p. 177. col. 2.* docent ejuſdem litteræ a nobis editæ. Ejuſdem occurrit adhuc mendo in chartis Niſortii & Boni-fontis, anni 1152. quo fortaſſe mortuus eſt. 1152.

Rostain.

XV. ARNALDUS II.

1153. Arnaldus cognomento Rogerii anno 1153. ſignatur in tabulis Leſatenſibus, cum epiſcopi 1158. Convenenſis titulo. Anno 1158. X. cal. Decembris dedicavit hujus loci eccleſiam ſub titulo ſanctorum Juliani, Johannis & Martini. Notatur in chartis Boni-fontis, cui monaſterio cum quidam Willelmus poſſeſſionem ſuam in territorio de Morrere conceſſiſſet, Willelmo abbate tum ſedente, Arnaldus hanc donationem approbavit anno [a] 1176. Confirmavit fundationem parthenonis S. Laurentii de qua ſupra, ſed litteris quibus eam ratam habet, deſunt temporis notæ. In necrologio eccleſiæ Toloſanæ de hoc epiſcopo legitur: II. *nonas Martii obiit Arnaldus-Rogerius epiſcopus Convenarum, & canonicus iſtius loci.*

ANNI CHRISTI. 1176. a

XVI. ARSIUS.

Arſius [b] in concilio Lateranenſi anni 1179. 1179. ſedit cum nonnullis aliis Auxitanæ provinciæ præſulibus. Occurrit adhuc in charta Leſatenſis monaſterii data die 7. Aprilis anni 1188. 1188. Obiit [c] IV. idus Junii, ut docet Silvæ-majoris necrologium. b c

XVII. RAIMUNDUS-ARNALDUS.

Reperitur in tabulis Leſatenſibus R. A. epiſcopus Convenenſis, qui paciſcitur cum P. Luminis-Dei abbatiſſa, pro decimis, anno 1189. 1189. menſe Decembri. Hic autem eſt Raimundus-Arnaldus, ut conſtat ex alio inſtrumento ejuſdem tabularii quo Raimundus-Arnaldus epiſc. Convenen. remittit Petronæ abbatiſſæ Luminis-Dei decimas & primitias, & exigit tantum unam piperis libram pro ſe, alteram vero pro capitulo S. Gaudentii, menſe Novemb. an. 1195. Anno 1193. menſe Junio nominatur in dona- 1193. tione facta eccleſiæ S. Beati, ab Arnaldo de Beſins. Anno 1196. menſe Novembri Pontius de Monte-Arragone deponit apud eum ſui teſtamenti tabulas. Subſequenti anno teſtis fuit pactorum matrimonii inter Bernardum Convenarum comitem, & Mariam filiam Guillelmi domini Montis-peſſulani, quæ exhibet tomus XI. ſpicilegii. Frequens eſt hujus antiſtitis mentio variis in chartis Leſatenſibus & Boni-fontis, uſque ad annum 1205. quo Willemo 1205. abbati Boni-fontis conceſſit vineam. Ex privilegio quod anno 1203. conceſſit Boni-fonti, edito inter inſtrumenta, intelligitur eum fuiſſe canonicum S. Stephani Toloſani. Inter præci- *C. VII. p. 177. col. 2.* puos Luminis-Dei benefactores cenſeri debet. Quis Raimundo ſucceſſor datus ſit, difficile admodum eſt ſtatuere. p. 356

In charta quadam Leſati reperitur *Hiſpariens* electus Convenarum, anno 1203. ſed refragatur tabula Boni-fontis data anno 1205. cujus mox meminimus. Certe adhuc anno 1204. menſe Septembri Petronæ Luminis-Dei abbatiſſæ Raimundus munificum ſe ſe exhibuit ex ipſo Leſati tabulario. De tribus aliis, quibus epiſcopi nomen invenimus datum variis in documentis, ſigillatim eſt dicendum.

[a] Ibidem recenſentur aliis annis, nimirum 1158. 1164. & 1167.

[b] In chartis Boni-fontis dicitur *Arſenius*, & in una Niſortii Arſivus.

[c] Quo anno vita ſit functus, minime notatur. In chartis Boni-fontis uſque ad annum 1190. ſignatur. Et tamen in una ejuſdem monaſterii legitur ſedem vacaſſe anno 1189. ac in altera an 1190 Raimundus Arnaldus vel Arnaldi, Arſii ſucceſſor dicitur electus; qui jam anno 1188. in charta Niſorni nominatur epiſcopus. Hæc ut conciliari poſſint dicendum eſt, Arſium epiſcopalem dignitatem abdicaſſe anno 1188. quo electus eſt Raimundus Arnaldi qui uſque ad annum 1190. conſecrationem nactus, & forte non fuit confirmatus. Quo factum eſt, ut diei poterit ſedes vacare: & tamen in chartis ponuerunt deſignati epiſcopi Arſius, & Raimundus: ille qua titulum epiſcopalem retinuerat, & nondum habebat ſucceſſorem, hic propter ſuam electionem ad epiſcoparum.

ANNI CHRISTI.

XVIII. Speragus.

Speragus electus dicitur in duabus chartis
1205. Boni-fontis annorum 1205. & 1206. menſe
1206. Aprili.

XIX. Ademarius.

Ademarium ſeu Azemarium (utroque enim nomine deſignatur in veteribus inſtrumentis) non ſemel legimus cognominatum de Caſtello.
1207. Jam ſedebat anno 1207. ut probatur ex veteri Nizortii inſtrumento, cui ut epiſcopus inſcribitur. Commemoratur quoque in inſtrumentis
1209. Boni-fontis, anno 1209. Verum ſedes vacabat B
1210. menſe Maio anni 1210. & menſe Junio, ex charta Leſatenſis tabularii, in qua legitur donatio facta B. M. Boni-fontis a Gaſtone de Ganac, *an.* MCCX. *menſe Junio, in vigilia S. Joh. B. Philippo rege Franc. regn. B. Convenarum comite, epiſcopo carente.*

DE L'ORT.

XX. Garsias.

Garſias de Horto, qui & Garſicus & Garſiolis aliquando nominatus invenitur, electus Convenenſis legitur in veteri membrana Ni-
1210. zortii anni 1210. Notatur in aliis chartis Boni-
1213. fontis annorum 1212. & 1213. menſe Aprili. Vir fuit miræ ſanctitatis, cujus jam ſpecimina C dederat in monaſterio S. Petri de Generoſo; ibi enim fuerat monachus, & poſtmodum abbas. Aliquot annis poſt ſumtum apud Convenas epiſcopatum, evectus eſt ad Auxitanam metropolim. Is eſt dubio procul ille epiſcopus Convenarum, de quo in Albigenſium hiſtoria c. 65. Petrus monachus: *Venerabilis*, inquit, *epiſcopus Convenarum, aſſumtis ſecum aliquibus de militibus noſtris, perrexit in Vaſconiam, terramque illam ab hoſtibus fidei viriliter defendebat.* Et capite 72. *Dum igitur comes & milites noſtri mutuo loquerentur, & de bello tractarent, ecce epiſcopus Toloſanus advenit habens mitram in capite, in manibus vero vivifica lignum Crucis. Mox noſtri ceperunt deſcendere de equis, & ſinguli Crucem adorare: epiſcopus autem Convenarum, vir mire ſanctitatis videns quod in iſta adoratione Crucis, nimia fieret mora, arripiens de manu epiſcopi Toloſani lignum Crucis, aſcendens in locum eminentiorem, ſignavit eos dicens: Ite in nomine Jeſu Chriſti, & ego vobis teſtis ſum, & in die judicii fidejuſſor exiſto, quia quicumque in iſto glorioſo occubuerit bello, abſque ulla purgatorii pœna, æterna præmia, & martyrum gloriam conſequetur, &c.*

XXI. Grimoaldus[a] I. E

De hoc epiſcopo, qui prius fuit monachus, audiendus eſt Amalvinus Silvæ-majoris abbas ejus æqualis: *Ad preces*, inquit, *affectuoſiſſimas venerabilis patris noſtri Grimoaldi Convenarum epiſcopi de collegio noſtro in epiſcopum Convena-*

a De hujus epiſcopi nomine qui ſola prima littera G. deſignatur nonnullis in actis, varie ſe torſit Othenartus, per illud G. intelligens Geraldum, aut Guillelmum, aut Garſiam. Grimoaldum fuiſſe produnt indubitata teſtimonia. Per eandem primam ſui nominis literam deſignatur, in amicabili compoſitione inter Arnaldum Agennenſem ep. ſc. & S. Montis-fortis comitem, facta 14. cal. Man an. 1217. de qua vide in eodem Arnaldo.

A *rum aſſumti, &c.* Ex Silvæ-maj. tabulis, camerarius erat cum ad epiſcopatum fuit vocatus. In abbatem a fratribus ſuis, mortuo circiter an. 1222. Amalvino, eligitur. Deinceps que in ſuis litteris utrumque epiſcopi & abbatis titulum uſurpavit, ut videre eſt in his quas ad S. epiſcopum Cæſarauguſtanum ſcripſit. Ultimam *V.C.VIII. p.178. col.2.* eccleſiæ Silvæ-maj. manum adhibuit, ſolemnique pompa, probante Amanevo Auxitano metropolita, præſentibus Engoliſmenſi, Agennenſi, Santonenſi, & novem aliis epiſcopis, eam a Geraldo de Malemort Burdegalenſi archiepiſcopo conſecrari curavit an. 1231. Anno 1234. epiſcopum Adurenſem in monachum Silvæ-majoris, conſentientibus fratribus, recepit, eique contulit prioratum de Boga. De hoc cœnobio optime meritus legitur in publicis actis. Ad ejus preces Raimundus Fronſaci vicecomes, & R. Gombaldus de Vaires, ſi quid juris habent in decima de Baron, eccleſiæ Silvæ-maj. totum *quitant. actum* XVI. *cal. Julii an.* MCCXXXV.

Hæc de Grimoaldo nobis ſuppeditant tabulæ Silvæ-majoris. In veteri Boni-fontis in-
1215. ſtrumento dicitur electus, an. 1215. Anno
1217. 1217. 14. cal. Maii interfuit tranſactioni inter A. epiſcopum Aginnenſem, & Simonem Montis-fortis dominum, ducem Narbon. & *Tab. Caſtr.* comitem Toloſanum, ſuper juſtitia, fiſco & moneta civitatis Agin. Anno 1224. calendis
1224. Junii teſtis eſt in litteris quarum meminimus in Raimundo-Guillelmo de Donzac epiſcopo Baionenſi. Anno 1229. citat comitem Toloſa-*Tab. Moiſ.* num reſponſurum de querelis abbatum Moiſſiaci, Galliaci, & Montis-albani. Qui comes, cum poſt multos annos noluiſſet obtemperare, a Grimoaldo eſt excommunicatus; epiſcopuſque monuit ſuos coepiſcopos, Albienſem, Ruthenenſem, &c. ut hanc excommunicationem publicarent. Ea de re exſtant Grimoaldi litteræ, datæ 17. calend. Aprilis anno 1235. & 9. D cal. Julii an. 1237. Anno 1231. cum Amanevo
1231. metropolitano Auſcienſi dedicavit eccleſiam Luminis-Dei. An. 1232. archiepiſcopi Burdeg. vices geſſit. An. ſequenti recepit a Marqueſia de Veſac 5. ſolidos cenſuales. Ejus nomen comparet variis in chartis, maxime Boni-fon-
1240. tis, & Nizortii uſque ad annum 1240. Sepultus eſt in choro Silvæ-majoris, in cujus necrologio memoratur IX. cal. Julii.

ROGER.

XXII. Arnaldus III.

Arnaldus Rogerii filius fuit Bernardi III. comitis Convenarum, ex Beatrice tertia Bernardi conjuge, Bernardi IV. a quo ſtirps ceterorum comitum propagata fuit germanus. Epiſcopus Convenarum, ex monacho Boni-fontis, electus reperitur in quibuſdam chartis Boni-fontis 1241. & 1242. quem perveniſſe ad annum 1259. conſtat ex veteri charta Nizortii.
1243. Anno 1243. facta eſt eo præſente compoſitio inter Petrum a S. Beato ejuſque fratres, & Bernardum Convenarum comitem, qui mutuis oſculis pacta confirmarunt, medio menſe Junio, regn. Lud. rege Francorum. In hoc autem documento appellatur ſimpliciter *Rogerius*, & in alio anni 1253. *Arnaldus*, tantum.

ANNI CHRISTI.

Anno 1245. die 9. Junii eccleſiam S. Bertrandi dedit monaſterio Luminis-Dei, & Molineriæ abbatiſſæ decimas eccleſiarum de Cuſad, & de Caſa-nova, de canonicorum conſenſu.

1245. *Tab. Leſat.*

Hujus epiſcopi liberalitati debuerunt ejus ſucceſſores *terram* S. Fraculphi, quam hereditario jure poſſidebat. Anno 1248. Bernardus V. comes Convenarum dedit Arnaldo Rogerii *avunculo*, id eſt patruo, quidquid Peregrinus de Mala-vicina poſſidebat in territorio de Samathan. Anno 1250. Vitalis de Inſula ipſi vendidit omnia jura quæ habebat apud Cauzacum 25l. ſolidis Morlanis.

Tab. caſtri d'Alan.

1248.

1250.

Geraldus de Orbeiſſano ceſſit eccleſiæ Convenenſi poſſeſſionem omnem in manu hujus epiſcopi, cum eccleſiis S. Juliani & S. Pauli de Bonillac, ex archivi epiſcopalis charta. Anno 1260. præbendam inferioris chori fundavit in eccleſia S. Gaudentii. Teſtes ſunt frater A. Garcia, & fr. B. monachi Boni-fontis, ac epiſcopi commenſales. An. 1258. x. cal. Decembris dedicavit eccleſiam quandam in honore SS. Juliani, Johannis, & Martini, ex tab. Leſatenſi.

1260. *Tab. S. Gaud.*

1258.

Ejus teſtamentum ex archivis Boni-fontis habuimus, quo plurima legat eccleſiis, potiſſimumque monaſteriis. Hoc pietatis Arnaldi monumentum inter inſtrumenta edidimus. Eum legimus obiiſſe anno 1260. vel ſaltem epiſcoparum, quod veriſimilius eſt, abdicaſſe.

C. VI. p. 97. ed. 2.

1260.

XXIII. GERALDUS I.

D'Audiran.

Sedebat Geraldus d'Audiran jam anno 1260. die 6. Decembris. Bernardus de Orbeiſſano ei vendidit locum ubi exſtructa eſt domus epiſcopalis S. Fraionis, annuente uxore ſua, anno 1261. & eodem anno totum ſuum dominium, altero inſtrumento in quo Arnaldus Rogerii vocatur, *quondam* epiſcopus Convenarum. In ſchedis ad nos miſſis lego eum acquiſiviſſe a Bernardo de Orbeiſſano anno 1265. quidquid poſſidebat inter duos amnes * in cujus emtionis inſtrumento appellatur epiſcopus, etſi jam ſederet Bertrandus, qui eum hac in ſede excepit. Hallucinatur tamen harum ſchedarum auctor, cum contendit Oihenartum & Sammarthanos erraſſe hunc epiſcopum appellando Geraldum, quem vult appellatum fuiſſe Guillelmum; nam in necrologio Condomienſi legitur: *Nonis Julii obiit Geraldus de Audirano epiſcopus Convenarum, qui jacet in eccleſia B. Catharinæ.*

1260.

* La Save & la Touge.

XXIV. BERTRANDUS II.

De Miramont.

Bertrandus de Miramonte epiſcopus jam reperitur anno 1263. Pactum iniit anno 1266. cum Vitale priore S. Laurentii pro parochia ejuſdem loci & aliquot decimariis: quo eodem anno Bernardus de Orbeiſſano vendidit ei quidquid poſſidebat apud S. Fraionem. Anno 1283. miſit ad concilium provinciale procuratorem. Hujus nomine exſtant quædam inſtrumenta hujus an. 1283. in regeſto epiſcopali, in quo invenitur quoque exemplar tranſactionis, ſeu compromiſſi cum abbatiſſa Luminis-Dei, ſeu de Favas, anni 1285. Adhuc ſedem obtinebat; anno 1286. quo vacare cœpit. Adhuc vacua erat annis 1287. 89. 90. 92. ex tabulis Boni-fontis & Nizortii. Denique etiam anno 1294. ut probat notitia fundationis conventus FF. Prædicatorum, in cujus calce legitur: *Anno Domini* MCCXCIV. *ſede Convenarum vacante anno nono, electo domino Arnaldo Maſcaronis canonico S. Stephani de Toloſa die luna ante feſtum S. Potentiana virginis; ſcilicet* XVI. *cal. junii.*

1263.

1283.

1285.

ANNI CHRISTI.

1286.

1294.

XXV. ARNALDUS IV.

Maſcaronis.

De Arnaldo Maſcaronis nihil habemus dicendum, præter ea quæ jam præmiſimus. Veriſimile autem eſt ejus electionem caducam fuiſſe, cum anno ſequenti alium videamus epiſcopum ſediſſe; nullaque in chartis Convenenſibus occurrat Arnaldi mentio. Certe Bertrandus qui ſequitur, vocat Bertrandum ſuum anteceſſorem, non vero Arnaldum.

XXVI. BERTRANDUS III.

De Got.

Bertrandus de Gutto nobilis Aquitanus, Beraldi militis domini de Vilhandrado filius, anno 1295. epiſcopus inſtituitur a Bonifacio papa VIII. Anno 1296. apud Alanum cum Augerio de Falcario abbate Boni-fontis tranſegit.

1295.

1296.

Anno 1299. die ſabb. ante feſtum S. Lucæ dedit monialibus de Favars jus patronatus eccleſiæ de Aris & decimas aliquas, ut earum paupertati opem ferret ac ſubveniret. Hac in charta Bertrandum vocat ſuum anteceſſorem. Eodem anno traducitur ad eccleſiam Burdegalenſem, paulo ante natalem Domini diem, teſte Bernardo-Guidonis epiſcopo Lodovenſi, vitæ ejus ſcriptore. Tandem ad ſummum pontificatum pervenit anno 1305. Clemens V. dictus. Attamen non immemor prioris ſuæ ſponſæ, anno 1308. eam viſit, ibique ſacrum B. Bertrandi corpus, in capſam magni pretii ſuis ſumtibus fabrefactam tranſtulit.

1299. *Tab. Leſat.*

XXVII. BOSO.

De Salignac.

Boſo de Salignac dictus etiam in chartis Boſſo, Bonno, & Baſſius, ex archidiacono Medullienſi, * in eccleſia Burdegalenſi, factus epiſcopus, inſcribitur chartis Boni-fontis jam anno 1300. Anno ſequenti monaſterio Pruilliano dedit quemdam locum pone eccleſiam S. Romani apud Toloſam, annuente capitulo, die Mercurii ante feſtum S. Gregorii. Anno 1304. bullam Benedicti papæ XI. in gratiam Dominicanorum Cadurcenſium datam, a ſe viſam teſtatur * IV. idus Auguſti. Ex numero canonicorum, qui erant viginti quatuor, undecim detraxit, eodem anno. Viennenſi concilio œcumenico, cui præfuit Clemens V. anno 1311. interfuit, ut nos docent ejus litteræ. Præerat adhuc anno 1314. ex tabulis Benedictionis-Dei; vacabatque ſedes anno 1315. menſe Martio & 1317. die 14. Januarii, ex iiſdem documentis. Nonnullum donum fecerat abbatiæ S. Crucis Burdegalenſis; etenim in rubricis anni 3. Benedicti XII. c. 82. de hoc epiſcopo legitur: *Abbati monaſterii Leſatenſis . . . .*

*Medoc.

1300.

1301. *Tab. Pruill.*

1304.

[a] *al.* In feſto SS. Joh. & Pauli.

1311.

1314.

1315.

1317.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

mandatur sibi quod se informet utrum donatio ... A per bo. me. Bozonem episcopum Convenarum facta bo. me. Petro tituli S. Stephani in Cœlio monte, (qui fuerat abbas S. Crucis Burdeg.) de decimis de Bellofago Convenarum diœcesis, facta fuerit in Lesionem mensæ episcopi Convenarum.

Post Bosonem commemorandus nobis videtur quidam V. de Millario, de quo ita in codice ms. Fr. Prædicat. Tolosæ: *F. Petrus de Millario, de prædicatione* (hoc est de domo Prædicatorum.) *Burdigalensi, fuit factus episcopus Convenarum, per eundem dominum Johannem papam anno Domini* M. CCC..... *Idem post promotionem suam modicum vixit, nec ad suam sedem venit. Obiit in* B *curia anno Domini* .....

DE LINARIIS.

XXVIII. Scotus vel Escotus.

* al. LIVARIIS.

Scotus de Linariis * in libro obligationum Vaticani episcopus Convenarum legitur anno 1318. Hoc anno præsens fuit cum Raimundo episcopo Massiliensi, sententiæ inquisitoris contra quinque fratres ex ordine Minorum prolatæ, in urbe Massilia, necnon eorumdem exauctorationi & depulsioni e sacro presbyteri gradu. Prius autem canonicus ecclesiæ sancti Stephani Tolosani fuerat. Dicitur dedisse monialibus S. Laurentii partem decimarum S. Andreæ. In chartis Nizortii memoratur annis 1322. 1323. 1325. De eo necrologium ecclesiæ To- C losanæ: IV. *nonas Julii obiit D. Escotus de Livariis episcopus Convenarum, & canonicus istius loci.*

1318.
1322.
1325.

XXIX. Guillelmus III.

Guillelmus ut episcopus comparet anno 1325. in litteris Guillelmi Burdegalensis archiepiscopi, pro S. Cruce, & anno 1326. in Boni-fontis charta. An. 1329. misit procuratorem ad concilium Marciacense ab archiep. Auscienſi & episcopis provinciæ celebratum die S. Nicolai hyemalis. Anno 1330. die 12. Februarii, adfuit dedicationi ecclesiæ S. Ludovici Pisciacensis, præsente Philippo rege VI. & præsulibus quam- D plurimis. Anno 1331. die 2. Maii ut delegatus delegavit judices controversiæ motæ inter Bonefos priorem Deauratæ, & Geraldum de Bordis clericum, super decimis S. Liberatæ. Ii autem fuerunt Johannes de Castro-novo cancellarius canonicusque ecclesiæ Tolosanæ, ac Bertrandus de Palatil prior claustralis dictæ ecclesiæ. Oihenartus ait eum anno 1336. Lutetiæ in consessu regis sedisse inter consiliarios, teste Johanne Tillito. Hoc vero anno constat ipsi jam datum fuisse successorem.

1325.
1329.
1330
1331.
Tab. Deaur.

DE CHARTILLON.

XXX. Hugo I.

Hugo de Castellione electus nominatur in chartis Benedictionis-Dei, anno 1335. octavo die introitus mensis Novembris, & hoc ipso anno legitur confirmatus. Anno 133[illegible] limites S. Fragulsi cum Petro Raimundi vicecomite definivit. Obiit anno 1352. jacet in ecclesia Convenarum ubi splendidum habet mausoleum, cum hoc epitaphio parieti vicino inhærente: *Anno Domini* 1352. *die 4. mensis Octobris, obiit reverendus pater dominus Hugo de Castellione Dei gratia episcopus Convenarum, qui hanc capellam construxit & præsentem cathedralem ecclesiam consummavit. Cujus anima requiescat in pace.* Recen- E setur in necrologio hoc modo: v. *nonas Octobris obiit reverendus in Christo pater dominus Hugo de Castellione episcopus Convenarum qui dedit pro obitu suo triginta sol. Th.*

1335.
1338.
1352.

ANNI CHRISTI

XXXI. Bertrandus IV.

DE COSNAC.

Bertrandus de [a] Cosnaco, uti legitur in vita prima Gregorii papæ XI. non de *Chanaco*, vel de *Cagnaco*, ex nobili gente de Cosnaco, in pago Lemovicensi ortus, prius fuit canonicus regularis ordinis S. Augustini, juxta scriptorem vitæ Gregorii XI. supra laudatæ. Accessit autem ad Convenarum ecclesiam regendam, anno 1352. quo nominatur in transactione facta inter Petrum de Mirapice, & Arnaldum d'Anton. Eodem anno reperitur in litteris Mathæ comitissæ datis die 12. Decembris, in quibus dicitur Bernardus, forte mendose.

1352.

Infr. hist. Tunn. pag. 92.

Anno 1361. Innocentius VI. de ejus circumspectione, quam in arduis ipsi commissis negotiis papa explorarat, certus, eundem præfecit colligendis & recipiendis passim pecuniæ summis quæ collegio cardinalium debebantur; quo officio Guillelmus episcopus Tusculanus nuper mortuus defunctus erat. Eadem quoque data fuerat provincia Arnoldo archiepiscopo Auxitano. Hæc lego in epistola Innocentii VI. ad eundem Bertrandum data x. calend. Julii an. IX. ejus pontificatus.

1361.

Fuit exsecutor testamenti Hugonis Rogerii cardinalis, ut patet ex inventario facto post mortem Rogerii die 26. Maii anni 1364.

1364.

Anno 1368. interfuit concilio Vaurensi trium provinciarum, cujus acta edidit Baluzius inter concilia provinciæ Narbonensis.

1368.

Creatus est cardinalis, non anno 1371. sed 1372. feria VI. quatuor temporum post Pentecosten, juxta scriptorem prioris vitæ Gregorii XI. qui papa electus est die penultima Decembris anni 1371. Anno vero sequenti fecit multos cardinales, ex quibus fuit noster Bertrandus, cui datus est S. Marcelli titulus. Avenione cessit e vita, anno 1374. die 17. vel 18. Junii, sepultusque est ad FF. Prædic. Fuse autem Baluzius edisserit genus & stemma gentis de Cosnaco, in notis ad vitas pap. Aven. c. 1069. & seq. maxime vero 1443. & sequentibus. In necrologio autem hæc lego: v. *nonas Julii obiit reverendus in Christo dominus Bertrandus de Cosnaco cardinalis Convenensis qui dedit pro suo obitu novem grossos.*

1372.
1374.

D'ESTAING.

XXXII. Guillelmus IV.

Bertrandus de Cosnaco ad sacrum cardinalium collegium promotus anno 1372. Convenarum cathedram vacuam reliquit; ad quam accersitum legimus hoc ipso anno Guillelmum

1372.

[a] Franciscus Quercetanus in historia cardinalium Gallorum idem docet, & nostri Bertrandi stemma hic depingit de .... au lion de .. . semé de molettes de ... Aliqui cognomen de Canillac ipsi perperam dederunt. Convenenses ex hoc episcopo tres faciunt, Bertrandum, qui sedit annis 1353. & 1358 Bernardum Cosnacum, 1367-1368. quem non dubitant facere cardinalem denique Bertrandum Cosnacum etiam cardinalem. Unicum agnovit Oihenartus, & post ipsum admisere Sammarthani, ac D. Abadie.

de

ANNI CHRISTI.

* al. Arnaldi.

de Hiſpania, qui cum titulo epiſcopali hoc tempore inſcribitur inſtrumento S. Gaudentii. Filius erat * Arnaldi dynaſtæ de Montiſpano, ex Margarita de Bartha. Diu autem præfuerat Appamienſi eccleſiæ, antequam Convenenſi præficeretur. Anno 1382. fundavit in eccleſia S. Fraguſi * ſuæ diœceſis quatuor capellanias, ſeu beneficia perpetua.

1382.

*S. Frajoul. T. Ch. X. pag. 178. col. 2.

XXXIII. Amelius II.

Amelius de Lautreco, ex clariſſima vicecomitum Lautreci familia genitus, canonicus Regularis ordinis S. Auguſtini de Albigeſio, ex vita I. Clementis VII. ejuſdem fuit referendarius. Anno vero 1384. ſedem Convenarum obtinebat. At adſcriptus eſt cardinalium catalogo a præfato Clemente, anno 1385. quarto idus Julii apud Avenionem ſub titulo S. Euſebii. Prius vero epiſcopatum Conſeranenſem diu adminiſtraverat, uti ſuo loco dicetur; ubi nonnulla de ipſo hic omiſſa, ſumus addituri. Obiit Avenione, anno 1390. die 7. Junii.

De Lautrec.

1384.

1390.

XXXIV. Menaldus.

Menaldus de Barbazano, filius erat nobilis & potentis viri Menaldi de Barbazano militis, & Roſæ de Menauto, fratercelleberrimi Arnaldi-Guillelmi de Barbazano regis Caroli ſeptimi cubiculo præpoſiti: qui honoris cauſa ſepultus eſt in baſilica regali S. Dionyſii, & in eodem ſacello ubi jacent Francorum reges Caroli quintus, ſextus ac ſeptimus, cum ſuis conjugibus. Sedit autem ab anno 1390. ad 1421. ex Abadii ſchedis. Anno 1403. Menaldus pater ejus ipſi teſtamenti ſui tabulis legavit locum de Lanaſpeda, cum ſuis pertinentiis, juriſdictione, reditibus &c. *die* 17. *Martii, Karolo Francorum rege, Johanne Auxitanenſi archiepiſcopo exiſtente.* Sedebat adhuc anno 1421. ex tabulis S. Gaudentii.

De Barbazan.

1390.

1403.

1421.

XXXV. Geraldus II.

Geraldus de Aura, poſt Menaldi mortem a capitulo eligitur anno 1421. at vero Martinus V. ſummus pontifex illius electionem minime probavit, quia nimirum canonicis antea ſignificaverat placere ſibi ea vice epiſcopum arbitratu ſuo inſtituere; quamobrem rejecta poſtulatione Geraldi, Petro cardinali de Fuxo Convenenſem eccleſiam adminiſtrandam commendavit.

D'Aura.

XXXVI. Petrus II.

Petrus de Fuxo, ſpreto nobiliſſimo peneque regio genere maluit eſſe humilis S. Franciſci alumnus & filius, cui nomen dedit in conventu Morlanenſi, ubi ſimul cum pietate litteras tum ſacras divinaſque, tum humanas avide hauſit; & quidem magno cum profectu. At latere diu non potuit intra clauſtra tanti viri ſcientia virtuſque: itaque Martinus papa V. eodem anno quo ſummi pontificatus culmen conſcendit, Petrum de Fuxo cardinalem creavit, anno ætatis 22. qui denique ex epiſcopo Laſcarienſi, factus eſt præſul Convenenſis.

De Foix.

Neque vero ſuorum Fratrum Minorum immemor fuit; quibus ædificavit eccleſiam Toloſæ.

Quod ſpectat ad epiſcopatum Convenenſem, ab eo gubernatum, huic regimini incubuiſſe annis 1426. & 1437. aiunt poſt Oihenartum Sammarthani. Cetera quæ ad tantum virum ſpectant requirenda in archiepiſcopis Arelatenſibus.

ANNI CHRISTI.

1426.

1437.

XXXVII. Grimoaldus II.

Grimoaldus anno 1442. ſedebat ex Oihenarto & fratribus Sammarthanis; at de hoc præſule nihil in chartis à nobis eſt repertum.

XXXVIII. Arnaldus-Raimundus.

D'Espagne.

Arnaldus de Hiſpania ab Oleronenſi ſede ad Convenenſem tranſlatus, præfuit ab anno 1450. ad 1462. ſedes vacabat annis 1464. & 1465. ut notat Oihenartus; quod etiam obſervant Abadius & noſter D. Edmundus Martenne, poſt exploratas hujus temporis chartas. Hinc emendandi, qui ejus epiſcopatum uſque ad annum 1468. extendunt.

1450.

1462.

1465.

XXXIX. Johannes I.

Johannem hunc Arnaldo ſubrogatum fuiſſe in Convenenſi cathedra omnes conſentiunt. De tempore quo epiſcopatum auſpicatus eſt, diverſæ ſunt ſententiæ. In chartis S. Severi in capite Vaſconiæ lego Johannem de Fuxo adminiſtratorem Aquenſis epiſcopatus & hujus monaſterii abbatem, factum fuiſſe Convenarum epiſcopum, anno 1465. Abadius qui conjicit Johannem hunc non alium eſſe à Johanne de Fuxo, inchoat ejus pontificatum ab anno 1466. Noſter D. Martenne in ſuis ſchedis de Convenenſibus epiſcopis, aſſerit eum eſſe Johannem-Baptiſtam Cibo, ſedereque cœpiſſe anno 1467. Sammarthani quoque initium epiſcopatus Johannis videntur ad annum 1467. referre; quod tamen pugnat contra id quod prius dixerunt, Arnaldum fuiſſe epiſcopum uſque ad annum 1468. Oihenartus de Johanne hoc nihil obſervat ante annum 1471.

1465.

1466.

1467.

In tot opinionum diverſitate, quid vero propius & ſimilius videatur expendendum. Johannem hunc eſſe Johannem Baptiſtam Cibo, qui factus eſt cardinalis a Sixto papa IV. & in papam electus eſt an. 1484. vocatus Innoc. VIII. minime mihi perſuadere poſſum. Certe de hoc epiſcopatu nihil legitur in vita Innocentii papæ VIII. nihil in Gallia purpurata Friſoni, nihil denique in Rainaldi annalibus, aut in eccleſiæ Convenenſis faſtis. Attamen ſi tantus honor obtigiſſet huic eccleſiæ, ut ipſius epiſcopus, ſeu ſponſus, ad ſupremum dignitatis apoſtolicæ faſtigium provectus fuiſſet, qui fieri potuiſſet, ut id in tabulas publicas relatum non legeretur? Facilius propenderem ad illam ſententiam, quæ Johannem hunc non ſecernit a Johanne-Baptiſta de Fuxo. Sed ab decretoria ea de re ſententia abſtinendum; itaque pro conjectura tantum damus huc uſque dicta.

XL. Johannes-Baptista.

De Foix.

De Johanne-Baptiſta cui cognomen de Fuxo vulgo datur, jam locuti ſumus in Aquenſibus epiſcopis, ubi maxime de ejus natalibus in-

quisitum. Jam præerat anno 1467. si a Johanne altero superius commemorato distingui non debeat. Anno 1472. die 2. Februarii Johannes episcopus Convenensis testis fuit conventionum matrimonii Bernardi de Podio, cum Dominica (Domenge) de Binos. In registris Tolosani senatus ut episcopus Convenarum consignatur jam ab anno 1475. uti & an. 1496. Erat in urbe Pampelonensi anno 1481. quando Franciscus Phœbus Navarræ rex solemni pompa urbem est ingressus, ex Sandovalio. Ex fratribus Sammarthanis inscribitur publicis in actis annis 1482. 18. Augusti, 1493. mense Martio, 1494. 13. Julii, 1496. & 1497. quo anno mensis Septembris die 7. ejus mentio fit in pactis matrimonii Annæ de Fuxo, cum Gastone Stamparum comite, in civitate Tarbellica. Vita cessit anno 1501. * VI. cal. Novembris. De eo ita necrologium : VI. *cal. obitus Johannis de Fuxo episcopi Convenarum, qui fecit capitulum heredem. Item dedit capitulo partem decimarum de Tusagrato quas emerat ab illustrissima regina Navarræ & vicecomitissa Bigorræ. Instrumenta sunt in archivis capituli.* Erat simul abbas S. Savini in valle * Levitana.

ANNI CHRISTI. 1467. 1472. Tit. du Pay Secerre. 1475. 1481. l. de epp. Pampel. 1482. 1493. 1497. 1501. * al. 18. Octob. * Lavedan.

XLI. GAILLARDUS.

Gaillardus Hospitalis, Olorensis, e canonico ecclesiæ Convenensis, in episcopum electus est a capitulo 14. Januarii anni 1501. At æmulum habuit Amanevum cardinalem de * Lebreto, qui episcopatum hunc a summo impetraverat pontifice. Quamvis vero Gaillardus ut causa superior, ita judicio vicisse dicatur, variis tamen ex instrumentis liquet utrumque per quinque aut sex annos eadem contulisse sacerdotia. Anno 1509. die 8. Junii Gaillardus capitulo gratis dedit duo * musilia, quæ habebat in civitate Convenarum, & in carreria de Lyrisson, cum horto eis contiguo. Anno 1513. die 26. Aprilis memoratur in tabulis matrimonii Odeti de Cardillac, domini de Sarlabous cum Johanna de Binos. Statuta condidit pro disciplinæ ecclesiasticæ restitutione. Sedes vacabat anno 1515. calendis Martii, & anno 1518. pridie nonas Septembris.

De l'Hospital. 1501. * Albret. 1509. * Monumenta. 1513. Tit. de Cardillac. 1515. 1518.

XLII. AMANEVUS.

Amanevum de Lebreto cardinalem titulo S. Nicolai in carcere Tulliano, in album episcoporum Convenensium referendum censemus, quod jus in episcopatum sibi vindicaverit, bulla fretus pontificia. Anno 1504. die 17. Novembris se dicit episcopum commendatarium Convenarum, in quodam instrumento, cui subscripsit Bertrandus de Hispania ejus vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus. Anno 1507. contulit ecclesiam parochialem S. Laurentii, quam ad postulationem seu *præsentationem* & commendationem prioris S. Laurentii Gaillardus jam contulerat Guillelmo d'Albezan presbytero ordinis Fontebraldensis.

d'Albret. 1504. 1507.

XLIII. JOHANNES II.

Johannes de Malo-leone, quæ urbs est Vasconiæ in pago * Subolensi seu Solensi, ad Saso-

de Malauzon. * Soule.

nem fluvium, ex vetusta Mauleonensium vicecomitum familia satus, electus dicitur anno 1519. at possessionem episcopatus pacatam statim adipisci non potuit, nam Franciscus I. Francorum rex in Gaillardi mortui locum, episcopum designaverat Ludovicum Douville, vi concordatorum non ita pridem cum Leone papa X. factorum. Sed Ludovico jus suum cedente, post retentam sibi annuam ex episcopatus fructibus pensionem, Johannes ab Adriano papa VI. bullas est consecutus datas Romæ XVII. calendas Julii, anno 1523. Stallachori fieri curavit suis sumtibus, organaque pneumatica fabrefacta ecclesiæ suæ dedit. Claustrum Boni-fontis, cujus monasterii simul abbas erat, reparavit, domum episcopalem S. Gaudentii ædificavit; plurimaque præclare gessit in administratione tum episcopatus, tum abbatiæ. Sedit usque ad annum 1551. Anno 1554. adhuc orbata erat pastore Convenensis ecclesia, ut constat ex ordinationibus in ea factis die 4. Decembris hujus anni a Johanne de Manso episcopo Carduensi, cum licentia capituli ejusque vicariorum.

ANNI CHRISTI. 1519. 1523. 1551. 1554.

XLIV. JOHANNES III.

BERTRAND.

Johannes Bertrandi ex principe Senatus Tolosani * designatur Convenarum præsul an. 1551. Ludovicus Regius huic antistiti nuncupavit versionem Gallicam quorumdam Platonis locorum anno 1555. Biennio post traducitur ad metropolim Senonensem; ad quem summum gradum accesserunt cardinalis & procancellarii Franciæ dignitates. Hujus episcopi tempore anno 1556. orta est lis pro archidiaconatu Convenensi, quem rex uni clerico, jure dederat regio, & episcopus alteri, contendens in hac ecclesia jus regis quod vulgo regaliam vocant, locum non habere. Senatus-consultum hac in causa datum, refert vir illustrissimus N. le Maistre Senatus Parisiensis princeps, in tractatu de Regalibus. De Bertrando plura dicemus in Senonensibus archiepiscopis.

1551 * Fuit etiam postea primus præses Parisiensis senatus. 1555. 1557. 1556.

XLV. CAROLUS I.

CARAFFA.

Carolus Caraffa e nobilissima prosapia Neapolitana oriundus, Johannis-Alfonsi Montorii comitis, qui Pauli papæ IV. frater erat, filius, nascitur anno 1517. IV. calendas Aprilis. Educatus in contubernio Pompeii cardinalis Columnæ, eo vivis exemto, sub signis marchionis Vastii celeberrimi ducis in Insubria, dein Octavii Farnesii ducis Parmensis, & in Senensi bello, postquam a castris Caroli V. imperatoris recessit, strenue militavit. Romæ autem ordini S. Johannis Hierosolymitani adscriptus, creatur baillivus Neapolitanus; sed postquam patruus ejus Paulus IV. ad apostolicum thronum subvectus est, primus cardinalium anno 1555. 7. idus Junii renuntiatur sub titulo SS. martyrum Viti & Modesti in Macello; & tunc ecclesiasticis rebus summo cum imperio præfectus est. Quin & legatus Bononiensis, cancellariæ regens, ac legatus a latere in Galliam ad Henricum II. bis destinatur, pro ineunda pace inter ipsum & Philippum II. Hispaniæ re-

gem. In Francia vero episcopatu Convenarum honestatus est. Nam, ut ait Thuanus Hist. lib. 17. an. 1556. Johannes Bertrandus Franciæ procancellarius, ultro in favorem hujus cardinalis episcopatum abdicavit, quo & donatus a rege. In Italiam reversus, apud patruum cum male audiret, excidit ejus gratia: quo vivis exemto singulare exemplar fuit hisce temporibus mutabilis fortunæ, cujus infaustum exitum sortitus est. Nam suffecto in locum Pauli Pio IV. in Adriani arcem Carolus detruditur jussu pontificis 1560. reusque capitis ac lasæ majestatis damnatus, omnibusque dignitatibus exauctoratus, carnificis manu strangulatur. Cadaver in æde sanctæ Mariæ Transpontinæ sepulchro conditum, inde effertur ad S. Mariæ super Minervam, denique in sacello gentilitio D. Thomæ Aquinatis. Ceterum hanc Caroli cardinalis causam Pius V. pontifex discussit, & ea in purpuratorum secreto consistorio examinata, Caraffam pristinæ dignitati restituit. Hæc habent Ciaconius, Petramellarius, & alii scriptores cardinalitii.

ANNI CHRISTI. 1556. 1560.

Ita de Carolo Caraffa fratres Sammarthani. Sed pace doctissimorum virorum dixerim, quæ de ejus apud Convenas episcopatu scripsere, minime certa nobis videntur. Sane Thuanus pro illo asserendo laudatus, nihil prorsus ea de re dicit loco indicato. Frisonus qui in sua Gallia purpurata omnes recenset episcopos Convenenses purpura insignes, de Carolo Caraffa omnino silet. Oihenartus qui episcoporum illorum catalogum contexuit, Caraffæ nullatenus meminit, quamvis illorum temporum proximus, & Caraffæ pene suppar.

XLVI. PETRUS III.

Petrus de Lebreto Johannis de Lebreto Navarræ regis filius erat quidem, sed nothus. Eum religiosæ vitæ votum in monasterio Hiraxensi in Navarra prius emisisse, & Veremundi nomen habuisse testatur Antonius Yepes, tom. IV. chronici Benedictini centuria 4. ubi singulare ejus ingenium laudat. Non legitur factus episcopus ante annum 1561. ipsum vero Antonius Borbonius Navarræ rex & Johanna regina legatum oratoremque miserunt ad Pium papam IV. Eundem Tridentinæ synodo interfuisse narrat Oihenartus.

1561.

XLVII. CAROLUS II.

Carolum Borbonium Antonii Navarræorum regis filium ex amica, non ex conjuge susceptum fuisse jam monuimus in Lectorensibus episcopis. Francisco Balduino præceptore usus Carolus multum in litteris profecit; deinde adolevit in contubernio Caroli cardinalis de Borbonio, fratris Antonii regis. Inter dignitates ecclesiasticas quas obtinuit, prima fuit episcopatus Convenensis quo donatus est anno circiter 1569. nondum presbyter; nam sacerdos non est inunctus nisi tardius, & post annum 1590. Translatus est ad sedem Lectorensem, tandemque Rotomagenses infulas adeptus est.

1569. 1590.

XLVIII. URBANUS.

ANNI CHRISTI. DE S. GELAIS.

Urbanus de S. Gelais nothus erat Ludovici domini de Lansac equitis torquati, legatione regia ad Tridentinam synodum celeberrimi. Assumtus ad Convenarum cathedram, an. 1580. a Catharina regina Caroli IX. regis matre missus est legatus in Lusitaniam, ut in regni comitiis jus ipsius ad Portugalliæ regnum exponeret ac asseteret. Ex necrologio: *Anno Domini* 1586. *sub DD. Sixto V. papa, Henrico III. Francorum rege & domino Urbano de S. Gelasio Convenarum episcopo civitas S. Bertrandi quorumdam civium proditione, & custodum vecordia, in potestatem hæreticorum quos vocant* Huguenos *fuit redacta, trucidatis in urbis invasione novem incolis, quatuor clericis & quinque laicis. Ceterum haud multo post, tertio nempe ab urbe capta die, qui divo Marco sacer habetur, a catholicis obsidione vallata, & per spatium quadraginta octo dierum oppugnata, tandem juvantibus Superis* VI. *idus Junii a barbarie prædonum liberata suis civibus restituta fuit. Quamobrem ante dictus antistes & capitulum Convenarum cum in gratiarum actionem, tum in perpetuam rei memoriam statuerunt quod deinceps die* 8. *Junii intra civitatis muros festum illius liberationis cum solemni, quod vocant* Totum duplex, *officio de S. Spiritu & processione generali annuatim celebrabitur.* Anno 1588. Urbanus adfuit comitiis Blesensibus. Non obiit ante annum 1613.

1580. 1586. 1613.

XLIX. ÆGIDIUS.

DE SOUVRE.

Ægidius de Souvré abbas S. Florentii ad Ligerim, & divi Carilesi in Cenomanis, ac thesaurarius sacræ Palatinæ capellæ Parisiensis, filius Ægidii domini de Souvré, marescalli Franciæ, & Franciscæ de Bailleul, factus episcopus Convenensis interfuit comitiis Parisiensibus 1614. & consecratur 1617. Ravennæ die Dominica Passionis, Martii 12. a Dominico cardinali Rivarola archiepiscopo Nazareno, legato in exarchatu Ravennæ, assistentibus Imolensi & Forolivensi episcopis: transfertur inde ad Autissiodorensem ecclesiam permutatione facta cum Francisco de Donadieu sedis hujus episcopo, anno 1623.

1614. 1617. 1623.

L. BARTOLOMÆUS.

DE DONADIEU.

Franciscus Donadeus Bartholomæi avunculus, consentientibus rege ac pontifice, permutarat ecclesiam Altissiodorensem pro Convenensi, ut proximus esset fratri suo cognomini San-Papulensi episcopo. At cum jam Romæ proclamaretur Convenarum episcopus, gravem in morbum Lutetiæ Parisiorum incidit ex quo cum convalescere desperaret, cessit episcopatu in gratiam Bartholomæi fratris suæ filii.

Bartholomæus de Donadieu de Griesc nobiles parentes habuit Ferreolum Griescum toparcham de Villepinte, & Johannam de Donadieu, Puchairici dynastæ Johannis filiam, ac germanam sororem Petri Donadei gubernatoris, senescalli & præfecti urbis, arcisque

ANNI CHRISTI.

Andium; necnon Franciſci S. Papuli, & alterius cognominis epiſcopi Autiſſiodorenſis. Bartholomæus autem apud Monteſquium in Occitania, diœceſis Rivenſis natus eſt anno 1592. die feſto S. Bartholomæi apoſtoli: & juvenis Toloſam miſſus, bonis artibus ac diſciplinis erudiendus avunculi S. Hilarii abbatis cura ſapienter excolitur. Quamobrem militia ſeculari in aula & caſtris regiis defunctus, Romam, Neapolim, & Venetias perrexit, Batavoſque luſtravit. Regreſſus autem in patriam circa annum 1617. confeſtim ſacris litteris ſedulo operam dedit, ac ſanctiori, id eſt eccleſiaſticæ vitæ animum ſerio addixit; tum præſidiis omnibus doctrinæ & probitatis inſtructus, ab avunculo Autiſſiodorenſi præſule, morte imminente dignus deligitur, in quem pontificatus Convenarum onus, ex ceſſione Ægidii deceſſoris transfunderetur. Admiſſa ergo a rege ipſius nominatione, in conſiſtorio Romæ proclamatur epiſcopus Convenarum 1625. 6. Octob. & die 8. Decembr. in feſto conceptionis ſacræ Dei Genitricis, Lutetiæ inauguratur in ædemonialium Carmelitarum, a Franciſco antiſtite Autiſſiodorenſi. Anno inſequenti profectus ad ſuam diœceſim, in pervigilio Pentecoſtes publica legatione capituli cathedralis, in ſacello Noſtræ-Dominæ *de Guaraiſon*, peregrinantium concurſu celebri ſalutatur, poſtridie San-Bertranum ingreſſus fauſta omnium lætitia; die Pentecoſtes in cathedrali primum ſacra peregit ſacrificia, tum ad epiſcopalem curam dignitſime obeundam ſeſe accinxit: nam luſtrata pro debito officii cathedrali, collegiata baſilica San-Gaudentii, Alani, & aliis, omnibus clericis maxima ubique pietatis, doctrinæ, prudentiæ, & zeli paſtoralis laude præfulſit, quas virtutes etiam ſumma lenitate, caritate, & eleemoſynis condiebat, ovibus ſuis ubique invigilans, quarum ſalutem ut proveheret flagranti ſtudio, etiam valetudinem parvipendebat. Porro ut clericos ad puriores mores reformaret, ſuam diœceſim in 22. preſbyterorum congregationes diſtribuit, qui quolibet menſe convenientes, de rebus divinis, diſciplina, ſtatutiſque ordinandis colloquerentur. Apud Alanum tandem ceſſit e vita in domo epiſcopali 12. Novemb. anno 1637. cum fama ſanctitatis. Viſcera ejus in ſacello ibi condita ſunt, cor autem ante majus altare collegiatæ San-Gaudentii, & corpus, ſicuti præſcripſerat, die 24. ejuſdem menſis ante aram ſacroſancti Sacramenti majoris eccleſiæ tumulatur. Laudatus eſt oratione funebri a patre Capdevilla ordinis de Mercede religioſo, doctore theologo ac profeſſore in academia Toloſana. Hujus epiſcopi vitam, non vulgaris ſanctimoniæ exemplis refertam ſcripſit Stephanus Molinier preſbyter Toloſanus, editam Pariſiis anno 1639. Ad ejus tumulum in eccleſia cathedrali legitur hoc epitaphium:

1625.

1637.

Hic ſitus eſt illuſtriſſimus præſul & dominus Bartholomæus de Donadieu de Griet [a] *vigilantiſſimus Convenarum epiſcopus.*

[a] Oihenartus eum Grieſcum appellat; quem ſuperius ſecuti ſumus.

ANNI CHRISTI.

Quem neque vis morbi, cœlo meliore ſalutem
Quærere, nec vitæ fugientis cura coëgit,
Dilectis oculos vigiles avertere caulis.
Nunc etiam ſumma poſt mortem conditus æde,
Æternum medio reſidebit paſtor ovili.

Obiit anno Domini MDCXXXVII. *Novembris die* XII.

In eccleſia S. Gaudentii, ubi reconditum eſt cor hujus epiſcopi ante altare, legitur hoc aliud epitaphium:

D. O. M.

Hic ſitum eſt cor innocentiſſimum vigilantiſſimi præſulis Bartholomæi de Donadieu de Griet Convenarum epiſcopi.

Cor vigil & nulli ſcelerum penetrabile telo,
Dum tenuem traheret male ſano in corpore vitam,
Felici divinus amor fornace coquebat.
Nunc poſt fata redux cœlo ſe flamma recepit,
Et ſolos urna cineres habitura reliquit.

Obiit anno Domini 1637. *menſe Novembri die* XII.

LI. HUGO II.

de Labatut.

Hugo de Labatut ex canonico & archidiacono San-Bertrandi, officiali ac vicario generali Bartholomæi deceſſoris, ejuſdem tam in epiſcopatu, quam pietate ſucceſſor exſtitit, a quo ante obitum fuerat deſignatus, ſi regiæ gratum eſſet majeſtati, ut obſervavit Molinierus in vita Bartholomæi. Hanc eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit 1637. deceſſit an. 1644. 10. Februarii die Cinerum; humatus eſt in æde D. Bertrandi prope deceſſorem, cor vero apud San-Gaudentium, viſcera apud Alanum quieſcunt. 1644.

In eccleſia cathedrali hoc legitur Hugonis epiſcopi epitaphium:

Æternæ memoriæ illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini Hugonis de Labatut Convenarum epiſcopi.

Unus erant, junctæque animæ dum vita manebat,
Sudabant paribus commiſſa in ovilia curis:
Corpora nunc etiam tumulo junguntur eodem,
Dum ſuprema dies animas & corpora jungat.

Obiit die 10. *Februarii* 1644.

In eccleſia S. Gaudentii, ubi poſitum eſt ejus cor, juxta cor anteceſſoris legitur hæc inſcriptio:

Hic repoſitum eſt cor illuſtriſſimi & reverendiſſimi D.D. Hugonis de Labatut epiſcopi Convenarum.

Cor paſtoris amans corda, paſtoris amantis
Cor vigili vigil ardenti poſt funera jungi
Ardens divino merito cor debuit æſtu.
Tu cordis flammas hic concipe corde viator.

Obiit anno Domini 1644. 10. *Februarii.*

d by Google

ANNI CHRISTI.

LII. Gilbertus.

DE CHOISEUL.

Gilbertus de Choiſeul ex illuſtriſſima & perantiqua gente de Caſeolo in Campania ortus erat, filius nimirum Frederici comitis du Pleſſis, vicecomitis d'Oſtel & d'Oigny, baronis de Chamuray, cataphractorum equitum ducis, ex Magdalena Barthelemy filia Guillelmi domini de Beau-Verger ſenatoris Pariſienſis & Mariæ Hennequin. Ab incunte ætate plurimum in litteris profecit, maxime in eloquentiæ ſtudiis. Nec minore fructu aut laude theologicis in academia Pariſienſi diſciplinis operam ſedulam impendit, ubi doctoris in Sorbona lauream conſecutus eſt. Fama ejus virtutum & dotum excitatus Convenarum epiſcopus, qui ſub paſtorali onere jam ætate gravis, & infirmitatibus preſſus fatiſcebat, induxerat in animum ipſi epiſcopalem tranſcribere curam; ſed morte occupatus, conſilium hoc exſequi minime potuit. At regina Ludovici XIV. regis mater, cum id reſciviſſet, non alium quæſivit in ſede pii hujus epiſcopi ſucceſſorem quam Gilbertum. Itaque junioris regis ſchedula, regina ſuadente deſignatur epiſcopus die 23. Maii, anni 1644. inauguratur autem Pariſiis, in eccleſia patrum Minimorum die 8. Aprilis 1646. a Dominico de Vic Auxitano archiep. aſſiſtentibus Franciſco Mallier Trecenſi & Ægidio Boutault Aduренſi epiſcopis, coram Franciſco Barberino cardinali, ac fere univerſo cœtu cleri Gallicani, Pariſiis tum congregato. Mox ut epiſcopus factus eſt, ſacroque oleo delibutus, impoſitioneque manuum perfectus, ut patres loquuntur, plurimis abbatiis, de Bullencuria, de Cantumerula, de Baſſo-fonte, ſeſe exuit, retenta ſolius abbatiæ S. Martini Trecenſis commendataria adminiſtratione; quam prorſus reſtauravit accerſitis canonicis Regularibus, e congregatione Gallicana. Acceſſit ad eccleſiam ſuam die 9. Auguſti ejuſdem anni 1646. ſolemnique ritu urbem eſt invectus; ſtatimque ad laborem paſtoralem ſeſe accinxit. Itaque cœpit loca invia, ubi nunquam viſus fuerat epiſcopus, peragrare; peſte laborantibus miniſtrabat ſacramenta, remedia & alimenta, maxime paſtoribus, nec ſine ſummo interitus periculo: ſicque rectores eccleſiarum, quos a ſuis gregibus mortis formido avulſerat, ad eos pudore ſuffuſi redire coacti ſunt. Seminarium clericorum, in una domorum epiſcopalium inſtituit. Singulis annis ſynodum celebrabat, in qua habita deliberatione cum parochis & preſbyteris de omnibus, eorum conſilio, minime dominationem in cleris quærens, decernebat. Diſſidentes nobiles, & ad ſingulare certamen prorumpere paratos, reconciliare ſatagebat; & ſæpius magno cum fructu. Electus judex tum a comitiis provinciæ, tum a ſenatu Toloſano, ſimultates omnes, imo bella quæ inter utroſque flagrabant, exſtinxit. Sollicitus conciliandæ pacis inter theologos in Gallia, miſit ad Alexandrum papam VII. quinque articulos, de totidem Janſenii propoſitionibus damnatis, quos ſummus pontifex approbavit ſuo brevi: *Nulli veſtrum*. Eadem de cauſa ſcripſit quoque ad regem Chriſtianiſſimum eximiam epiſtolam; ſicque optatam tandem pacem procuravit. Acceſſit ad cœtum cleri Gallicani Pariſiis tum congregati an. 1650. Ad inſulas Narbonenſes invitatus ab ipſo archiepiſcopo, eas recuſavit. Conſenſit tamen ad Tornacenſem migrare eccleſiam, cum Ludovicus-Magnus ipſius operam ſibi neceſſariam eſſe dixiſſet, ad continendos in officio populorum nuper devictorum animos. Itaque licet invitus tranſiit ad eccleſiam Tornacenſem, ad quam deſignatus fuerat ſchedula regia data 5. Januarii anni 1671. Reliqua de hoc prælato dicenda quæ ſuperſunt proſecuturi ſumus in epiſcopis Tornacenſibus.

1645.

1650.

LIII. Ludovicus.

DE RECHIGNE-VOISIN.

Ludovicus de Rechigne-voiſin de Guron epiſcopus Turelenſis deſignatus eſt Convenarum epiſcopus die 5. Januarii anni 1671. obiit in ſua urbe die 20. Maii anni 1693. tribus tantum annis octogenario minor.

1671. 1693.

LIV. Johannes-Franciscus.

DE BRÉZAY.

Johannes-Franciſcus de Brezay de Denonville, ex nobili genere pagi Bleſenſis ortus, fratrem habuit Jacobum-Renatum, qui delectus fuit a rege Chriſtianiſſimo, ut in educatione regiorum puerorum, ſereniſſimi Delphini liberorum, vices ducis de Bello-villari ſuppleret; Johannes-Franciſcus vero archidiaconus Carnutenſis, & vicarius generalis officialiſque illuſtriſſimi epiſcopi Villarregii; nominatus eſt Convenarum epiſcopus die 31. Maii anni 1693. conſecratus eſt Pariſiis in eccleſia Vallis-gratiæ ab archiepiſcopo Albienſi, aſſiſtentibus epiſcopis Cadurcino & Valentino die 6. Decembris ejuſdem anni. Die vero undecima ſequenti regi fidem juravit clientelarem. Die 7. Aprilis anni 1694. eccleſiam ſuam eſt ingreſſus more ſolito. Seminarium in urbe S. Gaudentii inſtituit, cujus curam patribus ſocietatis Jeſu credidit. Migravit e vita die 12. Aprilis 1710.

1693. 1694. 1710.

LV. Olivarius-Gabriel.

DE NUBIÈRES.

Olivarius-Gabriel de Nubieres du Bouchet ortus ex nobili familia apud ſanctum Porcianum in Arvernis, ex cantore eccleſiæ Ruthenenſis fit epiſcopus Convenenſis, accepta die 22. Julii anni 1710. regia ſchedula. Eum Pariſiis unxit & conſecravit in eccleſia novitiatus ſocietatis Jeſu Jacobus de Matignon olim Condomenſis epiſcopus, aſſiſtentibus epiſcopis Cadurcenſi & Nemauſenſi, die 29. Martii anni 1711. Die 4. Aprilis ſacramentum regi præſtitit infra miſſarum ſolemnia.

1710. 1711.

ANNI CHRISTI.

ANNI CHRISTI.

ALIQUOT ARCHIDIACONI ECCLESIÆ CONVENENSIS.

I. RAimundus ſubſcribit chartæ fundationis abbatiæ ſeu monaſterii Boni-fontis, poſt Rogerium epiſcopum, anno 1136.

II. Petrus de la Font archidiaconus Convenenſis, primus poſt epiſcopum ſubſcribit pactioni inter R. A. epiſcopum Convenenſem & Petronillam abbatiſſam ſanctæ Mariæ Luminis-Dei, an. 1189. menſe Decemb. ex charta Lezat.

III. R. G. de Larcha archidiaconus Convenenſis annuit donationi factæ monaſterio Luminis Dei a Raimundo-Arnaldo epiſcopo Conven. an. 1204. menſe Sept. ex charta Lezat.

IV. H. de Antiſimo archidiaconus de Nebouzano primus poſt epiſcopum Conven. Arnaldum Rogerii ſubſcribit ejuſdem donationi quam fecit Molinariæ abbatiſſæ Luminis-Dei, anno 1245. 9. Junii, ex tab. Lezat.

DE ABBATIIS DIOECESIS CONVENENSIS.

HAc in dioeceſi nullam novimus antiquiorem abbatiam, monaſterio ſancti Frigulfi, (*S. Frajoul*) ubi præerat ſeculo XV. Willelmus abbas, ex hiſtoria de tranſlatione & miraculis S. Bertrandi Convenarum epiſcopi: nunc eſt eccleſia parochialis, cujus tamen reditus, majori ſaltem ex parte uniti fuerunt parthenoni Luminis-Dei, vulgo *Favars*, de quo infra.

Nunc intra fines Convenenſis epiſcopatus tres ſunt abbatiæ, Boni-fontis, Benedictionis-Dei, & Luminis-Dei, de quibus ſigillatim eſt dicendum.

ABBATIA BONI-FONTIS.

BOni-fontis monaſterium ordinis Ciſtercienſis fundatum eſt anno 1136. Ludovico rege Francorum, Rogerio epiſcopo Convenarum populum Dei providentia regente, necnon Bernardo ejuſdem provinciæ comite, ex charta fundationis; & ex alia charta ſeu notitia de eadem fundatione. Auctores & fundatores monaſterii fuerunt Flandrina uxor Gaufredi de Monte-peſato, mortuo, ut putamus, ejus viro, & filii ejus Bernardus, Willelmus & Tortanerius, qui dederunt *locum Bonifontis, patrimonium ſcilicet ſuum*, abbati Morimundi, nomine Walcherio, ad ædificandum cœnobium. Alii præcipui benefactores fuerunt ex eadem gente Pontius de Montpezat, filiique ejus Raimundus, Garſias & Willelmus; fraterque Pontii Ademarus, & alii bene multi ſive nobiles milites, ſive *ruricolæ*. Primus fundationis inſtrumento ſubſcripſit Rogerius epiſcopus, *qui locum ipſum ſemper rebus atque conſilio manu tenuit*, uti ibidem legitur.

Ex limitibus poſſeſſionum huic monaſterio collatarum, in charta fundationis deſcriptis, intelligi poteſt loci ſitus; quem ob anguſtiam & penuriam deſerere pene conſtituerant; nam domum ex virgultis & ſarmentis conſtruxerunt, ibique diu vixerunt radicibus herbarum, & foliis arborum. Quamobrem Bernardus abbas Scalæ-Dei, dederat ipſis locum dictum *Juſtared*, in territorio de *Aſtarach*. Sed precibus Rogerii epiſcopi victi, cum jam eo migraſſent regreſſi ſunt ad priora tuguria; *quæ vix ad ſtaturam hominis in altitudine porrigebantur.*

At Rogerius hortatus eſt milites & vicinos alios ignobiles, ut pauperibus Chriſti conferrent neceſſaria ſive ad ædificandum, ſive ad veſcendum. Primi vero fundatores Flandrina de Monte-peſato, ejuſque filii, dederunt *partem de honore S. Cani.*

Fuit autem Bonus-fons plurimorum aliorum monaſteriorum parens; ſcilicet Bolbonæ, Benedictionis-Dei, Villæ-Longæ Perigniaci, Fulii, Vaccæ in Catalaunia, & Fontis-clari, hodie S. Fidei, uniti in dioeceſi Cæſar-auguſtana.

Celebre hoc aſceterium fuit conditorium quinque comitum Convenarum, ex quibus unus dumtaxat Bernardus tumulum ante altare elevatum habet. Chartam fundationis, ut longiuſculam ad inſtrumentorum collectionem amandavimus, cum ſubjecta notitia. Nunc vero exhibenda eſt abbatum ſeries ex variis collecta monumentis. *C.XI. pag. 179. col. 1. & XII. col. 2.*

ABBATES BONI-FONTIS.

I. Abbas hujus monaſterii fuit Baſinus, quem ut legitur in charta fundationis, Walcherus abbas Morimundi fratribus miſſis ad condendum Boni-fontis cœnobium præfecerat, anno 1136. In multis vero inſtrumentis anni hujus, & ſequentis nomen ejus legitur.

II. Abbas Boni-fontis Petrus I. cui Bernardus de Villadigo & Garſendis ejus uxor, totum honorem quem habebant in Villario Villæ-longæ donarunt pro 200. ſolidis Melgorienſibus IV. non. Auguſt. 1145. ex tabul. Villæ-longæ. Hoc anno circiter condidit monaſterium de Compania in dioeceſi Carcaſſonenſi.

III. Bernardus anno 1146. excepit Brunonem de Turre ſe ſuumque filium offerentem Deo & ſanctæ Mariæ Boni-fontis. Anno 1147. Bernardus de Soigs cum Martha comitiſſa & Gauceranno fratre dant huic abbati *expletum* nemorum.

IV. Servatus qui fuerat prior ſub Bernardo abbate ex charta Pelegrini d'Elz, præfuit ab an. 1147. ad 1150. & variis in locis plurima ac-

Digitized

quiſivit. Anno 1150. Bernardus abbas Vallis-Sicarii (ſeu montis Olivi) illi ejuſque congregationi, donavit totum quod eccleſiæ S. Johannis, & de Vernezone, habebant in pertinentiis de Compania. Anno eodem occurrit in charta de fundatione abbatiæ Villæ-longæ. A

V. Raimundus I. anno 1151. conſenſit pariagio facto a Berengario abbate Bolbonæ cum Rogerio Fuxenſi comite. Anno 1152. bullam protectionis ab Eugenio III. accepit; anno inſequenti, Raimundus dux Narbonenſis dedit ipſi & monaſterio uſum, paſcua, & libertatem in terris ſuis acquirendi, transferendi, vendendi, ſine leuda vel aliqua exactione. Item anno 1155. & 1156. in chartis inſcribitur. B

VI. Ogerius ſive Augerius I. memoratur in charta Arnaldi de Caſtellon pro Bono-fonte, data anno 1157. Anno 1159. recurrit ejuſdem memoria in teſtamento Gallardæ de Landorra, filiæ R. Guillelmi de Landorra. Reperitur etiam annis 1158. & 1161. juxta veterem computandi methodum.

VII. Petrus II. annis 1160. & 1165. quo, 11. nonas Martii Pontius de Caſtellione & fratres ejus donant Guillelmo Raimundi abbati Villæ-longæ, & huic Petro abbati Boni-fontis, a quo Villa-longa pendebat, partem ſuam totius honoris Villarii S. Johannis de Villa-longa. Eodem anno 1165. lis inter ipſum & milites Templi mota eſt, quæ non niſi anno 1177. compoſita eſt a Rogerio* epiſcopo Conſeranenſi. Anno 1164. Alexander papa III. eidem confirmavit omnes monaſterii poſſeſſiones; cui etiam anno 1170. Ermengardis vicecomitiſſa Narbonenſis libertatem acquirendi &c. conceſſit, tam in urbe Narbona, quam in aliis terris ſuis, abſque ulla conſuetudine & leuda. C

*Hæc ad Arnaldo Rogerii.

VIII. Arnaldus I. cui anno 1173. Raimundus de Monar & uxor ejus Reſplendia cedunt honorem de Carbone. Eodem anno recenſetur in charta Pelegrini de Milas, & 1175. 1176. & 1177. D

IX. Willelmus I. Raimundi an. 1178. donum excipit Silviæ de Marures. Sedebat etiam anno 1179.

X. Raimundus II. 1180. & 1182. quo anno ipſi donantur in pignus decimæ de Binals.

XI. Willelmus II. 1182. quem ſuſpicamur eundem eſſe cum Willelmo Raimundi, & Raimundo qui modo Willelmus, modo Raimundus appellabatur.

XII. Raimundus III. de S. Beato, de quo eadem ſuſpicio ſuboritur, anno 1183. tranſigit cum Petro de Orbeſſano. Ipſi Vitalis Dorader donum quoddam facit anno 1188. cujus fidejuſſor eſt Augerius Conſeran. epiſcopus. Anno 1192. Ainardum d'Aurinac expertus eſt beneficum, & anno ſeq. Bernardum Amigo abbatem de Rivis, qui dedit Raimundo ſex vaccas. Sedebat adhuc anno 1194. E

XIII. Odo 1195. & 1196.

XIV. Raimundus IV. 1198.

XV. Dominicus 1199. & 1200. in charta Boneti de Gonac: item annis 1203. & 1204.

XVI. Vitalis an. 1207. in charta Benedictionis-Dei.

XVII. Willelmus III. an. 1209. donum accepit a Guillelmo de Aulon. Recenſetur etiam annis 1210. 1217. & 1219. quo Galhardus de Fita quædam ipſi largitus eſt, Philippo rege exiſtente, Amalrico comite Toloſano & Fulcone epiſcopo.

XVIII. Raimundus V. 1220. & 1223. quo anno donationem a Bernardo de Pas milite accepit. Præerat etiam an. 1227.

XIX. Guillelmus IV. 1227.

XX. Raimundus VI. de Seguerio 1218. & 1230. III. cal. Decemb. ex tab. Bolbonæ. Anno 1236. tranſigit cum Gaucerano de Turre. Memoratur etiam an. 1237.

XXI. Arnaldus II. Rogerii an. 1238. poſtea epiſcopus Convenarum, ubi de eo plura.

XXII. Arnaldus III. Raimundi Dantiſſan, ex priore abbas 1242. Ipſi anno 1250. Bernardus comes Convenarum omnia dona ſuorum anteceſſorum confirmavit.

XXIII. Raimundus VII. Arnaudi d'Olſon, 1251. Æmulum videtur habuiſſe Guillelmum quem offendo in charta anni 1252. & ſub cujus regimine Ademarius de Punctis miles monaſticum habitum ſuſcepiſſe dicitur. Raimundus autem prævaluit, quem videlicet reperimus, annis 1255. & 1257. quo anno dedit in feudum militare Bernardo comiti Convenarum, medietatem loci de Stella, ea lege ut comes vaſſallus & feudatarius abbatis foret. Idem occurrit an. 1259.

XXIV. Willelmus V. Lupi de Oſſon, 1260. 1264. 1268. & 1271. quo anno permutationem fecit cum Arnaldo de Aulone domicello, Bertrando exiſtente epiſcopo Toloſano, & Bernardo comite Convenarum. Præerat adhuc an. 1275.

XXV. Augerius II. de Turre, 1276. 1281. & 1283. quo anno præbet aſſenſum pariagio villæ de Monhano, facto inter Philippum regem & abbatem Benedictionis-Dei; ex tab. Niſortii.

XXVI. Willelmus VI. Lupi 1283.

XXVII. Bernardus II. 1287.

XXVIII. Raimundus-Arnaldus d'Olſon, 1289.

XXIX. Augerius III. de Falguario 1289. & 1290. quo anno quædam a priore Deauratæ in urbe Toloſa accepit ad cenſum. Compromiſit anno 1296. cum Bertrando epiſcopo Convenarum, qui poſtea fuit Clemens papa V. arbitrique fuerunt Guillelmus-Ruffati canonicus Lugdun. Arnaldus Novelli monachus de Bolbona, & his additus Arnaldus Rogerii præpoſitus Toloſ. ex archivo eccl. Conven. Baluz. in notis pap. Aven. col. 641.

XXX. Ar. Raimundi de ſancto Paulo, 1300. & 1303. quo anno una cum comite Convenarum creat judicem de Stella. Eodem anno Bernardus comes Convenarum ſacramentum fidelitatis ipſi præſtitit pro loco de Stella, relatum inter inſtrumenta. Anno 1307. memoratur in charta ejuſdem comitis pro territorio de Hoſannis. *C. XIV.* p. 181.

XXXI. Guillelmus VII. de Aura ſacræ paginæ profeſſor quædam permutat anno 1315. Gal-

lardo Toloſano epiſcopo exiſtente. Anno 1321. exigit a B. comite Convenarum fidelitatis obſequium pro villa de Stella: ſimile hominium recipit anno 1327. a Bernardo comite Convenarum, pro villa eadem.

XXXII. Arnaldus IV. de Marca-Faba 1330. forte vero idem eſt cum Arnaldo cui anno 1338. conſules de Stella recognoſcunt tanquam condomino, ſe teneri ad *monſtram armorum faciendam*, ſeque ad defenſionem monaſterii data quavis occaſione accingendos. Memoratur adhuc annis 1342. & 1348.

XXXIII. Bertrandus I. an. 1360. ſolita ſervitia cameræ apoſtolicæ ſolvit.

XXXIV. Arnaldus V. 1361.

XXXV. Bernardus III. 1380. & 1386. Ipſi nobilis domina Ricqua de S. Felice, obſequium fidelitatis exhibuit, de Boaria vocata de Terraſſa.

XXXVI. Arnaldus VI. R. 1399. & 1401. quo transfertur Bolbonam.

XXXVII. Raimundus VIII. de Canet per tranſlationem Arnaldi providetur de abbatia a Benedicto papa XIII. pontificatus ejus anno octavo.

XXXVIII. Johannes I. 1407.

XXXIX. Vidianus abbas Boni fontis, an. 1424. Franciſcam Stote in abbatiæ Goyonis poſſeſſionem inducit.

XL. Bertrandus II. ratam habet an. 1459. electionem Antonii Solerii theologiæ profeſſoris in abbatem Bolbonæ.

XLI. Arnaldus Guillelmus de Malo-leone, confirmat electionem Guillelmi Rogerii in abbatem Bolbonæ, an. 1476. Pedum vero adhuc geſtabat an. 1499.

XLII. Johannes II. de Malo-leone, 1503. & 1520. ſimul epiſcopus Conven.

XLIII. Jacobus de Roſtaing regi a conſiliis, ejuſdemque primus eleemoſynarius, 1567. & 1573.

XLIV. Johannes III. Breton 1595.

XLV. Johannes IV. d'Eſtrades, epiſcopus Condomienſis ceſſit in gratiam ſequentis.

XLVI. Alexander de Bordes, fundator eccleſiæ Carbonæ.

XLVII. N. de S. Paſtor.

XLVIII. Antonius de Couſt, vicarius generalis Condomienſis, 1648. 1666. & 1667. Obiit 8. die Martii an. 1673.

XLIX. Carolus-Henricus de Caſſagnet de Fimarcon, Paulo de Narbone, marchione de Fimarcon, legionis de Fimarcon chiliarcho & Angelica de Roquelaure, nobilibus parentibus natus, nominatur abbas an. 1673. obiit vero 8. Octob. an. 1700.

L. Johannes-Jacobus de Candau, vicarius generalis Oleronenſis, obiit 15. Martii 1706. *al.* 1707.

LI. Bernardus IV. de Poudenx, obiit epiſcopus Maſſilienſis, 19. *al.* 22. Januarii 1709.

LII. Alfonſus de Lanſac, vicarius generalis Baionenſis, deſignatur abbas die 5. Aprilis an. 1709.

ABBATIA BENEDICTIONIS-DEI, vulgo *Nizors*.

MOnaſterium hoc à Boni-fontis monachis, ſub ordine Ciſtercienſi, e Morimundi linea conditum eſt inclinante ſeculo XII. Plura ſortitum eſt nomina; Benedictionis-Dei, Nizortii, & Beatæ Mariæ de Aniſoſſio. Cœnobii hujus, ſi non fundator, præcipuus fuit benefactor Bertrandus de Laïla: hos abbates variis ex inſtrumentis eruimus.

SERIES ABBATUM.

I. Bernardus I. cui 1184. Bertrandus de Laïla donat quæ habebat in Laſerada. Idem varias donationes excipit 1190. 1191. 1192. & 1198.

II. Vitalis 1199. præerat, quo anno Bernardus Delterral jus ei quoddam dedit. Idem an. 1200. excipit donationem Guillelmi de Montron, ſedebat etiam. 1203.

III. Arnaldus I. abbatis munus gerebat 1207. quo Bertrandus de Laïla miſit ei in pignus quæ habebat in territorio Delterral. Eidem anno 1209. idem Bertrandus donat jura quæ habebat inter Gemoam & Podium, & an. 1210. jura quæ in hereditate Delterral obtinebat. Idem eſt haud dubium A. Garſias abbas cui Fortanerius de Ceados ſe ipſum & quædam prædia donat annis 1211. atque 1212. & cui Embritius quidam donum fecit 1213.

IV. Stephanus reperitur in variis chartis 1221. 1224. 1225. 1226. 1227. 1230. quo anno Comdor comitiſſa Convenarum dedit ipſi caſale de S. Stephano. Præerat adhuc anno 1235. menſe Junio.

V. Petrus I. ei ſucceſſit eodem anno 1235. Ipſi P. de Caſtel conceſſit omnem hereditatem quam ex parte Alemandæ uxoris ſuæ in Ilia habebat, ſcilicet caſtrum, cenſus, &c. Idem Petrus abbas 1240. excepit donum Centulli decimationis & 1242. Petri de Malo-vicino.

VI. Peregrinus plures accepit donationes, 1243. 1245. 1246.

VII. Jacobus innoteſcit ex charta Bertrandi de Inſula, qui anno 1252. ſeipſum & duos filios pluraque prædia ipſi tradidit

VIII. G. Ar. 1254. Galhardum de Benca recipit in fratrem 1255. occurrit etiam 1256.

IX. Guillelmus de Bencha, cui anno 1259. Bernardus comes Convenarum quædam donavit in territorio de Buſqueto. Eodem anno recepit donum Centulli de Logorzano.

X. Willelmus de Monteſc, 1263.

XI. Bernardus II. de Turre 1267. in charta Boni-fontis.

XII. Bernardus III. de Bencha 1270. tranſigit cum Bertrando epiſcopo Convenarum. Arnaldum de Malo-vicino anno 1266. recepit in fratrem & ab eo accepit caſtellum de Blancat & plura alia. Sedebat etiam 1278.

XIII. Talhaferrus tranſigit cum Centullo domicello, 1279. Medietatem villæ de Monhano, aſſentiente Augerio de Turre abbate Boni-fontis, Philippo regi concedit 1283. Reperitur adhuc in veteri charta 1297.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Arnaldus II. de Falgario, 1303. transigit cum Augerio de Rupe. Reperitur etiam in variis chartis 1305. 1313. 1320. & 1323. quo anno Scotus Convenarum episcopus, considerans *honores, amores, gratias & plura grata servitia* sibi & suæ ecclesiæ a domo Benedictionis-Dei impensa, jus ei patronatus in ecclesiis de Lunatio & de Nenignano concessit. Præerat adhuc 1324.

XV. Petrus II. Sicardi in sacra pagina doctor & professor, sedere cœpit 1330. Donum a Bertrando de S. Johanne accepit 1332. Terram quandam acquisivit 1339.

XVI. Raimundus de Castaneto, cui 1340. consules & cives Nenignani fidem jurant. Reperitur etiam 1344.

XVII. Bernardus IV. de Podio 1350.

XVIII. Bernardus V. electus 1384.

XIX. A. B. 1388.

XX. Bernardus VI. 1395. Solita servitia cameræ apostolicæ solvit 1397. Occurrit etiam in variis instrumentis annis 1402. 1408. 1413.

XXI. Bertrandus I. 1432.

XXII. Bertrandus II. de Jannaco 1468.

XXIII. Menaldus de Aura, episcopus Tarbiensis, 1491. 1493.

XXIV. Bernardus VII. de Ornesano, Lumbariensis episcopus, 1525. 1528. 1544. 1551. 1552. quo anno baculum pastoralem venditsunde conqueruntur monachi.

XXV. Johannes de saint Lary de Bellegarde, qui fiduciarius fuisse creditur 1554. Postea institutus heres ab avunculo, uxorem duxit.

XXVI. Johannes Breton, 1602. 1608.

XXVII. Octavius de Bellegarde, episcopus Conseranensis, deinde archiepiscopus Senonensis abbatiam obtinebat 1609.

XXVIII. Benignus Blondeau regi a consiliis & eleemosynis 1623. 1624. 1628.

XXIX. Claudius Blondeau, 1636. 1643.

XXX. Amarus du Nozet Romanæ Rotæ auditor, regi a consiliis, 1644. 1654.

XXXI. Franciscus I. de Bouti qui anno 1660. pro parochiali ecclesia S. Jacobi de Alto-passu Parisiensi permutavit.

XXXII. Franciscus II. du Couret de la Berthe Convenas, via permutationis abbatiam obtinuit 1660.

XXXIII. Josephus Degué de Moncaup, 1672. Obiit 1695. mense Aprili.

XXXIV. Alexius Prati de Fontaine, renuntiatus abbas die 8. Septemb. an. 1695. bullis non obtentis decessit mense Augusto 1710.

XXXV. Johannes II. Holle Convenas, canonicus & operarius S. Gaudentii nominatur a rege mense Novembri in festo omnium Sanctorum 1710.

Abbatia Lumen-Dei.

Lumen-Dei vulgo *Fabas*, vel *Favas*, ordinis Cistercienſis virginum monasterium, filia Cistercii, fundatum est ante seculum XII. medium; cujus loci templum dedicatum est anno 1231. ab Auxitano metropolitano, & Convenensi præsule. Seriem abbatissarum eruimus ex variis non solum parthenonis hujus, sed etiam aliarum ecclesiarum aut monasteriorum chartis & monumentis.

Series Abbatissarum.

I. Willelma floruit circa annum 1150. tempore Rogerii Convenarum episcopi, & Aimari abbatis Bellæ-perticæ; in quorum manu Willelmus Garsias terram de Lesiue tradidit huic abbatissæ.

II. *P. abbatissa B.M. Luminis-Dei convenit cum R.* A. episcopo Convenensi ejusque capitulo, pro decimis agrorum suorum; qui consentiunt a decimarum persolutione immunes esse agros quos suis bobus colerent moniales, unam operis libram pendendo, anno 1189. mense Decembri; ex chartis Lesatensibus.

* Petrona. * Raimundo-Arnaldi

In alio instrumento Raimundus-Arnaldus episc. Convenensis (idem qui supra) remittit decimas & primitias Petronæ abb. Lum. Dei, litteris datis mense Nov. an. 1195. unde habemus verum hujus abbatissæ nomen, ex tab. Lesat.

Ipsi Amanevus de Blenca, tradidit quidquid habebat in alodio S. Andreæ, anno 1203. ex eodem tabulario: quo etiam anno, mense Martio Raimundus Nucii abbas Lesatensis, Galterius prior ecclesiæ de Patricianis, &c. consentiente conventu, cedunt ei & monialibus, decimarium jus in territoriis de Lusas, Dars, & S. Andreæ, servato modico censu frumenti & piperis.

Eidem Petronæ abbatissæ Raimundus-Arnaldi Convenarum episcopus ecclesiam sancti Petri de Arcis concessit 1204. & Bernardus comes Convenarum quidquid habebat in castro de Fabas. Memoratur etiam anno 1210. in charta Bernardi de Beva.

III. Angelica seu Angleſſa, (utroque enim modo legitur) 1215. excepit donum Willelmi de Toges. Memoratur etiam 1217. in charta Vitalis de Blenca. Eadem forte cum A. abbatissa cui anno 1226. Bernardus de Monte-alto, donavit libertatem in S. Fragulfo, pro cc. solidis, & quæ recenſetur in charta B. de S. Claro 1241. & in charta Vitalis de Cunol 1244.

IV. Molineria 1245. transigit cum Arnaldo Rogerii episcopo Convenarum, qui ei dedit decimas ecclesiarum de Cusad, & de Casanova, die 9. Junii, ex tab. Lesat. Eidem Raimundus Tolosanus episcopus jus patronatus in ecclesia S. Mariæ de Bramas & plura alia donavit anno 1249. scilicet omne jus quod habebat in ecclesia S. Mariæ de Bramas, & decimas in ecclesia S. Martini de Silva-Longa, hæc vero abbatissa spondet duas libras ceræ, & totidem piperis persolvere annuatim in festo S. Thomæ. *Act. mense junio* M.CC.XLIX. *hoc pactum ratum habuerunt Raimundus præpositus Tolosan. Martinus abb. Lomberiensis, &c. quarto die exitus mensis Decembris ejusdem anni.* Ex tab. Lesat. quæ postea rata habuit Clemens papa IV.

V. Petrona II. 1250.

VI. Maria I. quædam acquirit anno 1256. a Guillelmo de Casalabry.

VII. Odilla 1269.

VIII. Comitissa I. de Benca 1270. Ipsi an. 1271. Bernardus comes Convenarum plures confir-

mavit donationes. Cum Bertrando de Miramonte epiſcopo Convenarum, tranſigit 1285. Donum Guillelmi de Caſtrario accepit 1287. florebat adhuc 1289. obiit 1299. ſepulta in capitulo cum brevi hoc epitaphio:

Anno Domini M. CC. LXXXXIX. II. *Octobris, obiit domina Comitiſſa de Benca, abbatiſſa Luminis Dei. Anima ejus requieſcat in pace.*

IX. Rubea de Convenis præerat 1301. quo anno tranſivit cum rectore S. Andreæ, & 1305. cum civibus S. Fragulſi. Forte de illa intelligi debent litteræ Arnaldi de Pelagrua archidiaconi & vicarii generalis Bertrandi epiſcopi Convenenſis, quibus dat rectoriam eccleſiarum de Cuſſad, & S. Petri de Arcis unitarum, Petro du Boſc, quem præſentarat abbatiſſa Luminis-Dei. *Act. die Dominica in octava omnium Sanctorum*, an. M. CC. XCIX. Ex tab. Leſat. Obiit 1309. Jacet in capitulo cum hoc epitaphio:

Anno Domini M. CCC. IX. II. *calendas Novembris, obiit inclita recordationis, & illuſtris viri domini comitis Convenarum filia domina Rubea de Convenis Dei gratia quondam iſtius monaſterii abbatiſſa, cujus animam dominus collocare dignetur in cæleſti palatio.*

X. Comitiſſa II. de Aſpello, 1324. 1326.

XI. Saura de Noerio, 1342. 1343. 1345.

XII. Candors de Montibus anno 1353. ſanctimoniales e ſuo parthenone, ad fundandam Abundanti æ-Dei abbatiam miſit.

XIII. Froſia de Blanca-forti 1368.

XIV. Raimundæ abbatiſſæ 1399. Margarita Convenarum comitiſſa confirmavit pariagium de Anam. Eidem 1424. Matthæus comes Convenarum dat medietatem molendini d'Anam.

XV. Johanna I. de Billi reſignavit ſequenti 10. Aprilis 1470.

XVI. Blaſia de Monte-claro, per ceſſionem præcedentis fit abbatiſſa anno 1470. quæ & ipſa ceſſit ſequenti 1496.

XVII. Roſa de Monte-claro per reſignationem Blaſiæ, bullas obtinuit 1496.

XVIII. Maria II. de Benca, 1515. 1516.

XIX. Anna I. de Benca erat abbatiſſa 1522. & 1529. reſignavit 1539.

XX. Johanna II. de Mauleon per ceſſionem præcedentis breve regium accepit 9. Martii 1539. & bullas XIX. cal. Septembis 1540. Sub ea, ſanctitate floruit Angleſſa de Sagaſan, virgo piiſſima, aquæ poſtquam in ovium cuſtodia multos annos tranſegiſſet revelationibus clara, conſtructionem eccleſiæ B. Mariæ de Guaraiſon, ſuis hortationibus promovit; ad quam tantus eſt populorum concurſus: ac tandem in monaſterio Luminis-Dei facta ſanctimonialis, ibidem ſanctiſſime obdormivit in Domino. Poſt mortem vero Johannæ de Mauleon, cum de dignitate abbatiali contenderent Anna de Mauleon, & Catharina de Lomagnie, illa jus ſuum cedente 25. Septembris 1558. prævaluit

XXI. Catharina I. de Lomagnie de Terride quæ etiam dicitur aliquando Catharina de Cominge: abbatia pacifice potitur ab anno 1558. Ad eccleſiam parochialem B. Mariæ de Brumas præſentat 1567.

XXII. Margarita I. de Biran, *alias* de Goas, munus benedictionis a Dominico Albenſi epiſcopo accepit 22. Februarii 1573.

XXIII. Johanna III. de Polaſtron, *alias* de la Hilliere, brevi tempore præfuit, obiitque anno 1574. Poſt cujus mortem eligitur a conventu Franciſca de Foix, ſed Johanna de Benca prioriſſa ejuſdem monaſterii abbatiam a rege poſtulavit & impetravit; ac tandem poſt aliquas altercationes auctoritate regia prævaluit.

XXIV. Johanna IV. de Benca a rege nominata 4. Octobris 1574. bullas a Gregorio papa XIII. obtinuit datas Romæ VII. calendas Junii 1575. ſententiam obtinuit adverſus Franciſcam de Foix 1577. Cum Urbano de Saint-Gelais epiſcopo Convenenſi tranſegit anno 1597.

XXV. Anna II. de Noé, 1613. 1621. 1629. quo anno obiit.

XXVI. Catharina III. de Chaſteau-Verdun de Riſſac, munere benedictionis accepto per tres annos rexit, ſed adverſariam paſſa Claram de Noé cauſa cecidit.

XXVII. Clara de Noé bullas obtinuit per obitum Annæ de Benca, & ab an. 1633. pacifice fruitur abbatia ad 1651. Adſcivit ſibi coadjutricem Margaritam de Berthier. Obiit menſe Julio 1657.

XXVIII. Margarita II. de Berthier, filia Johannis de Berthier, primi in ſenatu Toloſano præſidis, annos nata 25. ex Toloſanarum virginum Urſulanarum gremio evocata, coadjutrix creatur an. 1652. deinde poſt mortem Claræ de Noé, præfuit ad annum 1704. quo obiit die Auguſti decima-quinta.

XXIX. Maria III. de Gabrevolle de Villepaſſant bullas accepit datas VII. idus Februarii 1705. Benedicitur ab epiſcopo Rivenſi, in proprio monaſterio menſe Julio 1708.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

ECCLESIA CONSERANENSIS.

INTER Novempopulaniæ civitates quinta ordine recenſetur in notitia tempore Honorii Auguſti facta, quæ Conſeranorum dicitur, a Conſeranis populis, Convenarum vicinis. Eos cum Convenis a Cn. Pompeio devictos eſſe docet Petrus de Marca in primo Benearnenſis hiſtoriæ libro c. 9. victoriamque de duobus his populis reportatam, ad ceteros Aquitaniæ ſubigendos viam paraſſe.

Conſeranorum gentis primus meminit Plinius lib. 4. c. 19. quicum Narbonenſi Galliæ adſcribit, etſi Aquitaniæ proprie cedere debeat; ſunt enim Conſerani inter Areiam & Garumnam flumina; citra Garumnam tamen quæ Narbonenſem Galliam ab Aquitania ſeparat.

Conſeranenſis urbis occurrit mentio apud Gregorium Turon. l. IX. hiſt. c. 20. in pactione inter Guntramnum & Childebertum reges facta. Nunc oppidum eſt minime amplum in edito loco ſitum, extra quod nulla ſuburbia, nullæque ſunt ſuburbanæ ædes. Subeſt vero metropoli Auſcienſi, olim Eluſanæ, quantum ad juriſdictionem ſpiritualem, & parlamento Toloſano quantum ad temporalem. Olim vocatam fuiſſe Auſtriam nos docet vita S. Licerii in qua legitur: *Obiit in territorio Toloſano, in civitate quæ vocatur Coſeranis, ſeu Auſtria.* Sic autem appellatam fuiſſe conjiciunt ab auſtro vento, quod ipſi ab Hiſpania flanti ſit oppoſita: nunc & jam pridem nomen habet a ſancto Licerio, uno ex Conſeranenſibus epiſcopis, quem urbs & eccleſia patronum aſſumſere, dicunturque vulgo *S. Lizier.*

Poſita eſt urbs ad Salatum fluvium, *la Salle*, qui ex Pyrenæis decurrit jugis, ſubjectamque Conſeranenſi urbi planitiem alluit & poſt Criſtam & Nigellam amnes in Garumnam influit. Ab hac civitate pagus Conſeranenſis, poſitus ad radices montium Pyrenæorum, vulgo *le Couſerans*, tanquam a capite appellatus, olim ſatis celebris comitatus, qui titulus tranſiit ad caſtrum & territorium Fuxenſe, ex teſtamento Rogerii comitis, quo hereditatem dividit inter filios ſuos Raimundum & Bernardum. Legendus ea de re vir illuſtriſſimus P. de Marca, hiſt. Benearnenſis l. VIII. c. 9.

Lib. Pabl.

In urbe hac duæ fuerunt eccleſiæ concathedrales, una S. Licerii, B. Mariæ altera, uſque ad tempora Bernardi de Marmieſſe epiſcopi, qui obiit tantum anno 1680. Tunc in utroque templo celebrabatur officium a capitulo bipartito. In S. Licerii fano erant unus præcentor, unus ſacriſta, unus operarius, ſex canonici, duodecim præbendarii, & preſbyter ſub titulo vicarii perpetui. Totidem erant in eccleſia Deiparæ Virginis. Pro utraque inſuper erant unus archidiaconus, & unus eleemoſynarius. Bernardus de Marmieſſe vero, ex utroque clero unicum fecit capitulum a quo celebrantur divina officia in eccleſia ſanctiſſimæ Virgini nuncupata quæ appellatur noſtra domina de Sede, in ſuperiori parte urbis, juxta quam eſt palatium epiſcopale. Ibi itaque nunc ſunt unus archidiaconus, duo præcentores, duo ſacriſtæ, duo operarii, unus eleemoſynarius, duodecim canonici, duo rectores, ſeu vicarii perpetui cum viginti quatuor præbendariis.

In urbe nullum eſt monaſterium, nulla religioſa familia. Apud locum dictum *Maſſat*, eſt ſodalitium ſex preſbyterorum cum rectore: Baſilicæ ſunt Fratres Minores. In S. Geróntii oppido, Dominicani, Franciſcani dicti Capucini, & Preſbyteri a Doctrina Chriſtiana nuncupati. Olim in diœceſi numerabantur eccleſiæ parochiales 82. nunc tantum 72. Unicam vero abbatiam in totius diœceſis ambitu novimus dictam Combam-longam; de qua loquemur poſt epiſcoporum Conſoranenſium ſeriem, quam ex variis eccleſiarum tabulariis & monumentis contexuimus & adornavimus.

CONSERANENSES EPISCOPI.

I. S. VALERIUS.

SAnctum Valerium primum fuiſſe Conſoranenſium epiſcopum, nos docet Gregorius Turonicus libro de Gloria confeſſorum cap. 84. qui quo miraculo ſepulcrum ejus detectum fuerit ac ſacrum corpus ipſius revelatum, ſic narrat: *Valerius beatus confeſſor Conſoranenſis primus epiſcopus, hoc ſe revelavit modo: nam oratorium ſuper ſe conſtructum prius habuit, ſed per injuriam ruens, oblivioni datum eſt quo in loco quieſceret; hoc tantum ab incolis ferebatur, quod fuiſſet ante ſanctum altare ſepultus. Adveniens autem Theodorus epiſcopus, oratorio ipſo in majori ſpatio ampliato, magnam effecit baſilicam. Deinde ſanctum venerabilis viri corpus inquirens, reperit duo ſepulcra,* A *ſed neſciebat utrum eſſet ſacerdotis illius e duobus: tunc convocato clero, vigilias tota celebrat nocte; deprecans ut ſibi beatus confeſſor quo in loco jaceret, exponeret, implevitque duas ampullas vino, & poſuit ſuper utrumque tumulum dicens: in quo falerna fuerint ampliata, ipſum manifeſtum ſit eſſe Valerii antiſtitis ſepulturam. Data vero luce, egreſſus de baſilica, & oſtiis ſigillis munitis dedit membra ſopori. Surgens autem ad horam tertiam venit ad ſanctam baſilicam, reſeratis oſtiis cum clero & populo, reperit ampullam unam parumper vini habentem. Alteram vero intantum ore patulo exundare, ut totum beati pontificis obtineret monumentum. Per hoc itaque cognovit ſacerdos, quis eſſet Valerii epiſcopi tumulus: ſed evidentius adhuc ſcire cupiens, detegit monumentum: amo-*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

toque opertorio reperit venerabile corpus valde integrum, de quo non cæsaries deciderat, non barba fuerat diminuta: neque aliquid in cute corruptum aspiciebatur, aut tetrum: sed erant omnia inlæsa ac si nuper fuissent recondita: tantusque odor suavitatis fragrabat e tumulo, ut non dubitaretur ibi quiescere Dei amicum: lauri etiam folia sub se habebat strata, de quibus adsumens episcopus multis infirmis præbuit medicinam. De vestimentis igitur ejus reliquias sumsit, rursumque operto tumulo venerandum deinceps antistitem honoravit, multaque miracula de his pignoribus cernens in posterum.

Inter præsules Galliæ qui subscripserunt epistolæ synodicæ missæ ad S. Leonem papam anno 451. legitur Valerius episcopus, quem utrum fuerit Valerius Conſoranorum, an alter Gabalorum antistes, non satis perspectum habemus. Verisimilius tamen putamus id de Gabalitano intelligendum episcopo.

S. Valerius dicitur jacere sub pavimento saxeo prope cornu sinistrum altaris majoris ecclesiæ S. Licerii.

II. Glycerius.

Glycerius subscripsit synodo Agathensi, anno
506. 506. Alius videtur fuisse a B. Licerio sequenti, quod edita jam pridem vita innuit, ubi S. Licerius notatur vixisse tempore Caroli Martelli Franciæ ducis & majoris-domus. Glycerius ad
548. Christum migravit anno circiter 548.

III. Theodorus.

L. de Gl. conf. c. 84. Theodori pietatem erga S. Valerium suum antecessorem, notam fecit posteris Gregorius Turonicus. Docet enim cum oratorium sancti prasulis ampliasse, & *magnam effeciſſe basilicam.* Præterea eodem scriptore teste sollicitus fuit de inquirendo sacro ipsius corpore, quod multis vigiliis & orationibus meruit sibi revelari insigni miraculo. Floruit autem Theodorus circa medium seculum sextum; misitque anno 549.
549. Eleutherium archidiaconum suum ad synodum quintam Aurelianis habitam.

IV. S. Quintianus.

S. Quintianum propinquum fuisse S. Licerii quædam sancti hujus acta testantur; quæ manu exarata legi dicuntur in codice Conſoranensi; nihil tamen de propinquitate hac legimus in S. Licerii vita quam edidit Philippus Labbe, tom.
pag. 588. 2. Bibliothecæ novæ, ex apographo Sanctoralis Bernardi-Guidonis Lodovensis episcopi. At de nostro Quintiano forsan est intelligendum quod de S. Licerio ibi habetur; videlicet cum, post mortem S. Fausti Tarbiensis episcopi, sub cujus disciplina diu versatus fuerat, ad virum apostolicum Quintianum episcopum veniſſe, in cujus servitio ordinatus est subdiaconus, diaconus & presbyter, tum episcopus Conſeranensis ecclesiæ. Nec conjecturæ nostræ plurimum obest quod hic Quintianus dicatur Rutenicæ civitatis episcopus; id enim potuit amanuensis de suo addere, quod S. Quintianus Rutenorum episcopus celebrior & notior foret quam Conſoranensis præsul. Certe non videmus quo jure S. Quintianus Ruthenensis episcopus S. Licerium episcopum ordinasset in ecclesia Conſoranensi alterius provinciæ. At nihil vetabat S. Quintianum Conſoranensem antistitem sibi assumsisse S. Licerium ut coadjutorem, & episcopum consecrasse.

Sed qui S. Licerium a S. Quintiano Ruthenorum episcopo fuisse ordinatum volunt, in insignem anachronismum labuntur; nam hic præsul subscripsit concilio Agathensi, ann. 506, a quo tempore multum abest S. Licerius.

V. S. Licerius.

S. Licerius natione Hispanus, patre rhetoricæ professore natus, a quo in humanioribus litteris est institutus, patriam deseruit junior, Tarbamque venit ubi tunc sedebat S. Faustus episcopus, in cujus disciplinam se tradidit: sed paulopost sanctus præsul Vico-Julium * in exsilium pro causa Christi mittitur, cui ad sedem suam redeunti Licerius sese comitem adjunxit. * Aire.

Mortuo sancto Fausto ad virum apostolicum Quintianum episcopum Conſoranensem se contulit, a quo subdiaconus, diaconus, presbyterque est ordinatus, postea consecratur episcopus pro ecclesia Conſoranensi, in qua magno ordinum omnium plausu exceptus est. Nec mirum, cum Deus novo episcopo miraculorum gratiam contulisset; quæ plurima narrat vitæ ipsius scriptor. Notatu præsertim digna sunt quæ refert facta ad commendandam ejus in pauperes misericordiam, multiplicatis aliquando panibus.

S. Licerii tempore Ricosindus dux Gothorum accessit ad urbem diripiendam, sed optimus pastor pro suo grege lupi rabiem formidante preces fudit ad Deum. Noctu vero Ricosindus vidit in somnis S. Licerium sibi ultimum, nisi cito recederet, exitium minitantem; qui vix exspectata luce castra movit. Hic Ricosindus forte fuit Recesvindus rex, cujus tempore celebratum est concilium Toletanum octavum. *Quadraginta & quatuor annos pontificali honore insignitus implevit*, inquit vitæ scriptor, migravitque ad Dominum die sexto calendarum Septembrium, quem Conſoranenses pro patrono assumserunt tum ecclesiæ, tum urbis suæ quæ vulgo nuncupatur *S. Lizier.*

Hic secuti sumus vitam a Labbeo editam, l. 2. Biblioth. novæ. p. 588. Legit ejusdem S. vitam Hadrianus Valesius in[a] codice Musciacensi hoc titulo: *Vita S. Licerii episcopi & confessoris, qui* VII. *calend. Septemb. obiit in territorio Tolosano, in civitate quæ vocatur Coserranni, seu Austria.* Dissimulare non debemus Carolum Cointium ex Glycerio & Licerio unum conflare episcopum; sed minime probat unicum fuisse, & qui hanc tuentur sententiam, sola niti videntur nominum similitudine. Certe in vita S. Licerii, nulla fit mentio itineris suscepti, ut adesset synodo Agathensi: quod minime omisisset, si idem esset cum Glycerio; nam de aliis Licerii peregrinationibus loqui sollicitus est vitæ hujus scriptor.

[a] Codicem hunc conficimus non discrepare a Conſeranensi superius memorato, facta collatione locorum quæ ex utroque laudantur.

ANNI CHRISTI.

VI. Francolinus.

787. Francolinus dicitur præfuiſſe anno 787. certe
788. memoratur in concilio Narbonenſi, quod anno ſequenti adverſus Felicem Urgellitanum epiſcopum celebratum eſt, editum ex archivo Narbonenſis archiepiſcopi, primum a Catello in hiſtoriæ Occitaniæ commentariis; deinde a Stephano Baluzio, in additionibus ad caput 25. lib. VI. de Concordia Petri de Marca, denique in collectione conciliorum Labbeana. In ſtatuenda ſynodi hujus epocha ſecuti ſumus vulgarem opinionem. Jam vero monuimus Carolum Comtium eam revocaſſe ad annum 791. Poſt hunc epiſcopum nulli reperiuntur uſque ad annum 879.

VII. Wainardus.

879. Wainardus ſedebat anno 879. quo, idibus Junii, Johannes papa VIII. Airardo archiepiſcopo Auxitano, eique ac duobus ſimul aliis ejuſdem provinciæ epiſcopis dirigit epiſtolam, quæ eſt 198. hujuſce pontificis.

VIII. Rogerius I.

887. Rogerius præerat anno 887. interfuitque tranſlationi reliquiarum SS. Antonini, Johannis, & Almachii, cum Theodardo Narbonenſi archiepiſcopo, Raimundo Toloſano, & Arnulfo Carcaſſonenſi; qua de re Catellus, Nicolaus Bertrandus, & hiſtoria comitum Carcaſſonæ.

IX. Bernardus I.

Bernardus dedicavit eccleſiam S. Mariæ inter medias ſeu Ambas-Aquas, Hircii * videli-
* Herm. cet ac Aregiæ * amnium, vulgo dictam *Tre-*
* Ariege. *meſaigues*, XI. cal. Februarii anno 973. *cum juſſione Hugonis pontificis ſedis Toloſæ*; cujus archidiaconus nomine Lupo hanc eccleſiam nuper contulerat Coxano monaſterio, & Guarino
974. abbati. Anno 974. præſens fuit conſecrationi eccleſiæ ejuſdem monaſterii de Coxano, ordinis ſancti Benedicti diœceſis Elnenſis. Memo-
978. ratur adhuc anno 978. in tranſlatione S. Hilarii Carcaſſenſis epiſcopi, calendis Martii facta.

X. Berengarius I.

Hic locus videtur aſſignandus Berengario epiſcopo, cujus nomen ſubſcriptum legitur in ſynodo Narbonenſi ſub Guifredo archiepiſcopo; cujus acta authentica extant in archivo S. Victoris Maſſilienſis; nam ſubſcriptiones ad calcem videntur, omnes diverſis characteribus; quod propria manu epiſcoporum ſubſcriptorum factæ ſint; inter quas legitur, Berengarius epiſcopus Conſeranenſis.

P. 181. ## XI. Bernardus II.

Bernardus - Raimundi cognomento Pelet, abbas ſimul Leſatenſis, & epiſcopus Conſora-
1035. nenſis, anno 1035. adeſt conventui epiſcoporum habito pro unione eccleſiæ B. Mariæ inter Ambas-Aquas, cum Coxanenſi monaſterio; item
1038. dedicationi eccleſiæ Gerundenſis, anno 1038.
1040. & Urgellenſis, anno 1040. Adhuc præſens fuit alteri ſynodo, anno 1045. in qua Guifredus Narbonenſis archiepiſcopus, ſua & plurimorum epiſcoporum auctoritate, conceſſit privilegia eccleſiæ S. Michaëlis Fluvianenſis in comitatu Emporitano. Anno circiter 1050. curante hoc epiſcopo *Coſederadenſi* & abbate, Leſatenſe monaſterium reſtaurari cœptum; ad quod pium opus præter epiſcopum certatim contulerunt pagi hujus *honorati* viri.

ANNI CHRISTI.
1045.
1050.

Anno 1056. ſedet noſter Bernardus in ſynodo Toloſana habita juſſu Victoris papæ II. *ſub venerabili Pontio Toloſano comite*. Denique anno 1068. indictione 6. octavo anno Alexandri papæ II. regnante Philippo ſub tuitione Balduini Flandrenſis comitis, hic epiſcopus ad aliam ſynodum convenit Toloſanam. Illum ex comitum Carcaſſonenſium genere prognatum fuiſſe docet qui ipſorum hiſtoriam ſcripſit; quod explorandum & inveſtigandum relinquimus iis quibus vacat per otium. Anno 1078. ſedes vacabat menſe Auguſto, feria 5. luna 2. ex tab. Manſi-Azili.

1056. 1068. 1078.

XII. Guillelmus I.

Guillelmum epiſcopum ad annum 1085. notant noſtri Sammarthani. In quadam Manſi-Azili charta, de conſecratione ab ipſo facta eccleſiæ S. Euſebii de Nanto, appellatur Willelmus Radulfus; cujus eccleſiæ donatio facta eſt monachis de Regula, in manu hujus epiſcopi, menſe Maio, feria 5. luna ſexta. Anno 1093. menſe Junio, memoratur in charta guirpitionis, pro Manſo-Azilienſi facta. Anno 1095. interfuit concilio Placentino, ac ſubſcripſit privilegio Urbani papæ II. pro S. Ægidii monaſterio.

1085. 1093. 1095.

XIII. Jordanis I.

Jordanem antiſtitem anno 1117. conſignant, & memoriæ commendant acta conſecrationis eccleſiæ S. Licerii hoc anno factæ. Triennio elapſo ceſſit cathedram alteri, morte forſan occupatus.

1117.

XIV. Petrus I.

Hic præſul difficillimis luctuoſiſque vixit temporibus; nimirum ea ætate Convenarum comites, Albigenſium defenſores, in bona epiſcopatus involarunt; maxime Bernardus, qui urbem S. Licerii per dolum ingreſſus, incendio tradidit, captis incolis abductiſque in fanum S. Geruntii, quod tunc ad comites Convenenſes pertinebat. Reſipuit tamen comes, & rapta aut uſurpata reſtituit. Hæc anno circiter 1110. contigiſſe legimus, quæ fuſius referuntur in ſententia lata inter Bernardum nepotem hujus Bernardi, & C. Conſeranenſem epiſcopum, quæ eſt inſtrumentorum charta II. pag. 185. col. 2. Idem eſt qui anno 1130. teſtis legitur in charta Amelii epiſcopi Toloſani, eccleſiam Richerii-Cellæ monaſterio Grandis-Silvæ concedentis. Idem quoque memoratur anno 1135. in charta Manſi-Azilis.

1110. 1130. 1135.

Petrus epiſcopus Conſeranenſis adhuc occurrit anno 1151. menſe Auguſto, in tabulis ejuſdem loci, & anno 1155. ipſius conſi-

1151. 1155.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

lio Raimundus Toloſanus antiſtes compoſuit litem inter Bernardum præpoſitum Toloſanum, & Abbonem Leſatenſem abbatem de eccleſia recens conſtructa, juxta Murelli caſtellum.

Obiit Petrus ſeptimo idus Februarii, juxta B. Mariæ necrologium; ſed quo anno, minime notatur.

XV. ROGERIUS II.

Hic præſul pacificus & contentionum hoſtis
1165. an. 1165. compoſuit pacem inter Petrum Bonifontis abbatem, & milites Templi, adhibitis pacis conciliatoribus Rogerio * Convenarum epiſcopo, Pontio Grandis-ſilvæ, & Bernardo Gimundi abbatibus, ex tabulis Boni-fontis. Idem ſolus præſtitit inter monachos Boni-fontis, & Bernardum Groſſum de Ardano.

* hoc eſt Arnaldo Rogerii.

XVI. AUGUSTINUS.

Auguſtinus auſpicatus eſt epiſcopatum an-
1177. no circiter 1177. nam Stephanus dictus Tornacenſis, cujus urbis epiſcopus fuit, cum eſſet adhuc abbas ſancti Evurtii Aurelianenſis, qua ex præfectura tranſiit ad abbatiam S. Genovefæ Pariſienſis anno præfato, de hoc epiſcopo electo ſcripſit ad Joſcium archiepiſcopum Turonenſem epiſtolam XXII. Porro hac in epiſtola multis laudibus cumulatur & ornatur Auguſtinus; appellat enim eum Stephanus, *concordiæ filium, manſuetudinis heredem, virtutum omnium non inquilinum, ſed civem, &c.* In necrologio S. Licerii ejus obitus notatur XIV. cal. Novembris. Jacere dicitur Lumberis.

XVII. AUGERIUS I.

Prodit in lucem hic epiſcopus, ex charta Boni-fontis, in qua legitur fidejuſſor donationis factæ Raimundo Boni-fontis abbati, ab Vitali Dorader, in territorio de Minac. De Augerio in necrologio eccleſiæ Toloſanæ legitur: III. *cal. Novembris obiit dominus Augerius Conſeranenſis epiſcopus, canonicus & archidiaconus hujus loci.*

XVIII. ARNALDUS I.

1190. Arnaldus anno 1190. ſedebat, ex inſtrumento Pontii de Monte-acuto hujus anni. Exſtat etiam ejus nomen in alia charta data anno
1191. 1191.

XIX. LAURENTIUS.

Arnaldum in ſede pontificia Conſeranorum excepit Laurentius, qui Tortoſæ caſtrum ſuo ſuæque eccleſiæ nomine, militi de Terſac com-
1195. mendavit, anno 1195. ut eam contra Convenarum comitem tueretur. Id factum eſt tempore Cæleſtini papæ III. cujus protectioni Laurentius eccleſiam ſuam ſubjecit, cum omnibus poſſeſſionibus & cenſibus; qua de re exſtant documenta in chartophylacio. Anno
1198. 1198. idibus Martii, cum Fulcraudo epiſcopo Toloſano Bolbonenſe monaſterium conſecravit; quo tempore teſtis fuit donationis factæ
Tab. Bolb. Berengario abbati Bolbonenſi, a Raimundo Rogerio Fuxenſi comite.

XX. NAVARRUS.

ANNI CHRISTI. D'ACHERY.

Navarrus ex genere vicecomitum Aquenſium, unde cognomen ipſi conflatum, filius erat Raimundi-Arnaldi vicecomitis Aquenſis ex ſecunda ipſius conjuge Stephania comitiſſa Bigorræ, Centulli filia. Profeſſus eſt religioſam vitam in cœnobio Præmonſtratenſi; inde aſſumtus eſt ad epiſcopatum Conſoranenſem ſaltem an. 1208. ex tabulis S. Severi in quibus cognominatur de Aquis. Hic enim legimus epiſcopum hunc ut legatum apoſtolicum in provinciali ſynodo apud S. Severum in capite Vaſconiæ conſtitutum, ſtatuiſſe ut abbas & monachi ſancti Severi nihil ex pacto requirerent in exſequiis mortuorum, pro crucibus, thuribulis, loco in quo ponuntur defuncti, &c. Datum in clauſtro S. Severi an. MCCVIII. ab 1208.
incarnat. Domini, idibus Novembris. Veriſimile eſt Navarrum non fuiſſe legatione apoſtolica cohoneſtatum ſtatim poſt ſuam ad epiſcopatum provectionem; unde perſuaſum habemus ineunte fere decimo-tertio ſeculo ipſius pontificatum inchoarum fuiſſe. Cauſa legationis quæ ipſi & Fulconi Toloſano præſuli demandata eſt ab Innocentio papa III. fuit bellum ſacrum Albigenſibus indictum & illatum.

Anno 1211. menſe Aprili hac provincia de- 1211.
fungens, ſigillo ſuo munivit litteras de pactis comitis Convenarum cum Montis-fortis comite, in obſidione Vauri. De eo Petrus Vallium-Sarnai monachus, in Albigenſium hiſtoria: *Accingunt ſe*, inquit, *viri venerabiles Fulco Toloſanus, & Navarrus Conſoranenſis epiſcopus; Romamque properant, ſupplicaturi domino papæ, ut periclitanti in Narbonenſi provincia, & Bituricenſi, & Burdegalenſi pro pace eccleſiæ, & quaſi penitus naufraganti manum porrigat adjutricem. Dominus autem papa Innocentius tanto morbo manum appoſuit medicam.*

Reg. Chr. Franc. Carcaſſ. c. 3.

Anno 1215. Oddo de Monte-acuto, ipſi & eccleſiæ S. Licerii multa reſtituit. Chartam de hac reſtitutione, ubi recenſentur res & poſſeſſiones ablatæ inter inſtrumenta edidimus. Fuit quoque abbas Combæ-longæ ordinis Præmonſtratenſis. Ipſeque fundavit aliud cœnobium ejuſdem inſtituti, quod dicitur Dei-villa.

C. I. p. 185. col. 1.

XXI. C.

Hic epiſcopus in nonnullis chartis notatur, ſed ſola priori ejus nominis littera. Ejus tempore Conſoranenſis eccleſia multa quæ Convenenſes comites occupaverant, recuperavit, ſententia lata anno 1216. feria V. ante Natale 1216.
Domini, judicibus A. * epiſcopo Tarbienſi, & G. * Convenenſi, quos partes elegerant. Ex inquiſitione vero ab ipſis facta, priuſquam judicium ſententiamque proferrent multa diſcimus ad epiſcoporum Conſoranenſium hiſtoriam pertinentia.

* Arnaldo.
* Grimoaldo.

Bernardus comes Convenenſis tempore Petri epiſcopi, uti jam prælibavimus, urbem S. Licerii fraudulenter intraverat & occuparat, abductiſque civibus, & omnibus rebus aſportatis, eam flammis conſumſerat; ſicque per ſeptennium inhabitata permanſit; comes enim

vetabat urbem reparari, nisi in ea portionem aliquam obineret. Reluctantem episcopum Petrum, etsi *compatrem* suum cepit, & apud S. Gerontium captivum sub custodia tenuit, *quo usque pactum fecit eidem comiti, quod in civitate ei concederet duas partes; quod & postmodum fecit, melioribus canonicis contradicentibus.* At comes posbea apud S. Gaudentium vulnere confossus, *ad cor rediens & panitens, sicut solet in extremo fieri* ablata restituit in manibus Tolosani, Convenensis & Consoranensis episcoporum, abbatumque Scalæ-Dei & Boni-fontis; necnon *pro emenda injuriarum* viginti equos legavit Petro episcopo, qui, quoad vixit civitatem possedit ex integro; & similiter successores ejus, usque ad tempora Bernardi comitis hujus nominis tertii; is enim avum æmulatus, *in sua dominationis exordio, duas partes civitatis prafata indebite occupavit, & eas usque ad adventum tenuit Cruce-signatorum; & ex eadem tres episcopos Aug. Laur. Navar. felicis recordationis ... violenter ejecit, ac bona ipsorum, & canonicorum utriusque ecclesia, ac hominum civitatis .... castra, terras, &c.* invasit.

Sed ad Simonis Montfortii, ac Cruce-signatorum adventum, comes coactus est subire judicium episcoporum; qui totam civitatem, molestrinas in ea ædificatas, &c. episcopo adjudicarunt. Quæ sententia data cum consilio archiepiscopi Auxitani, P. Clariacensis, P. Combæ-longæ & B. Fuxensis abbatum, & aliorum prudentum virorum, confirmata est anno 1222. Bis in litteris illorum episcoporum, qui sententiam hac in causa diverunt designatur noster episcopus per solam litteram C. Idem quoque videtur in transactione inter A. * episcopum Aginnensem, & Simonem de Montefort ducem Narbonæ & comitem Tolosæ, super justitia, fisco & moneta civitatis Aginnensis, facta XIV. calendas Maii, anno 1217.

*Amelium

*Tol. Cartul.

1217.

XXII. RAIMUNDUS I.

Raimundum ad episcoparum Consoranensem perventisse legimus anno 1226. idque probari ex actis publicis cujusdam compromissi facti inter ipsum & capitulum. In necrologio ecclesiæ S. Licerii obitus ejus notatur ad XVI. cal. Julii.

1226.

Raimundo successorem dant Sammarthani quemdam Guillelmum de Torration. Sed de eo nihil dicitur quod non pertineat ad alium scilicet ad Cerebrunum, ut infra ostendemus. Nempe asserunt Guillelmum hunc adfuisse solemni absolutioni Bernardi Rogerii Fuxi comitis, prius ob hæresim aut favorem hæreticis impertitum anathemate percutsi; qui ad pacem ecclesiæ rediit anno 1229. At vero pro Guillelmo debet legi Cerebrunus.

XXIII. CEREBRUNUS.

De Gestis.

Tempore hujus episcopi Albigenses & principes qui eorum causam tuebantur, comes Tolosanus Fuxensisque, vicecomes Biterrensis & alii, regum Franciæ Ludovici VIII. ejusque filii S. Ludovici armis attriti ad summi pontificis & regis clementiam confugerunt. Reconciliationi comitis Fuxi apud S. Johannem de Verges, adfuisse Cerebrunus legitur in frequenti episcoporum & abbatum cœtu XVI. calend. Junii anni 1229. aderant enim Petrus archiepiscopus Narbonensis, Fulco Tolosanus qui paulo post raptus est, Clarius Carcassensis, Guillelmus Tornacensis; ex abbatibus hi recensentur: Bernardus Grassensis, Petrus Bolbonæ, Guillelmus Fuxensis, seu S. Volusiani, Johannes de Comba-longa. Exstant hæc in chartario Palensi, uti testatur V. Cl. Petrus de Marca. Leguntur quoque in regio tabul. Carcassonensi.

ANNI CHRISTI. 1229.

XXIV. NICOLAUS.

Jam præerat Nicolaus anno 1246. ut fidem facit instrumentum quoddam donationis factæ ecclesiis beatæ Mariæ & S. Licerii, pro luminaribus. Anno 1251. quædam acquisivit *jocalia* pro ecclesia sua. In charta archivi regii castri Palensis *, data die 3. Decemb. an. 1254. occurrit. Anno quoque 1256. Alfonsus comes Pictavensis frater S. Ludovici regis dedit illi urbem Consoranensem in *feudum honorabile*, & jus temporale in castro de Censolis, & in castro de Vedulla, &c.

1248. 1251. * Pan. 1254. 1256.

Ea de causa comes eum ecclesiamque Consoranensem commendavit suo apud Tolosam seneschallo, hac epistola:

Alfonsus filius regis Francia dilecto suo seneschallo Tolosa salutem: Cum venerabilis pater episcopus Coseranensis, & capitulum ejusdem loci, receperint a nobis civitatem Coseranensem, & omnes alias senhorias, quas habent in Coseranensi diacesi, mandamus vobis, quatenus memoratos episcopum & capitulum, & omnia bona eorum, ab omnibus injuriatoribus tanquam res nostras proprias defendentes, ad requisitionem eorumdem, omni frivola excusatione & malitiosa dilatione postpositis, super bastidis seu populationibus faciendis, & super assignatione domus sibi faciendæ & super aliis secundum quod tractatum est, quod complendum fuerit auctoritate nostra compleatis: datum apud Vicen. anno Domini MCCLVI. *mense Maii.*

Ex libro 116. solio tum nos integr. in archivo Patrum societatis Jesu Tolosæ collato.

Pacta inter comitem & episcopum tunc facta, continet instrumentum quod edidimus in collectione documentorum. Tunc autem episcopus homagium pendere cœpit Alfonso tanquam Tolosæ comiti. Obiit Nicolaüs anno 1270. IV. non. Octobris, ex S. Licerii necrologio.

t. III. pag. 186. col. 2.

XXV. PETRUS II.

De Saboulis Encaussæ.

Petrus nobili genere ortus fratrem habuit Hugonem de Saboulies Encaussæ dominum. Militis hujus natæ fuerunt Candor, & Seguina, quarum nomine Petrus episcopus earum patruus composuit die 10. Februarii anno 1273. cum Jordano Insulæ domino, pro juribus villæ de Levignac. Confirmavit pacta ab antecessore facta, pro dominio urbis, &c. de quibus supra.

1273.

XXVI. RAIMUNDUS II.

De Sotos.

De Raimundo tantum novimus, eum Petro

datum esse successorem, cujus credimus eum fuisse consanguineum. Nam pro cognomento *de Sobole* autumamus legendum esse de Saboulies. Vita excessit anno 1275. & quidem die XVII. cal. Novembris, ex necrologio B. Mariæ.

ANNI CHRISTI. 1275.

XXVII. Raimundus III.

De Restoil.

Raimundus de Restolio brevi tempore præfuit, compareteque in tabulis collectarum tempore Philippi III. regis decimarum, anno 1277. Ejus dies anniversarius in ecclesiæ necrologio notatur x. cal. Aprilis anni 1278. inquiunt Sammarthani fratres: sed forsan attigit annum 1279. & is est qui in epistola ex Ausciensi concilio scripta hoc anno nonis Februarii, ad Eduardum Angliæ regem & ducem Aquitaniæ, ab archiepiscopo Auxitano ejusque provinciæ episcopis, designatur per litteram D. quæ lapsu Amanuensis posita est pro R. nullus enim sedit in Conforanensi cathedra his temporibus cujus nomen a littera D. inciperet.

1277. 1278. 1279.

XXVIII. Augerius II.

Quem in suo catalogo Sammarthani fratres Augustinum appellant, Augerium dictum fuisse ex veteribus intelligimus instrumentis. Hic anno 1279. electus legitur; & anno sequenti nonnulla condidit [a] statuta de præmio & stipendiis rectorum seu parochorum, pro sepulturis, celebratione nuptiarum, administratione-que aliorum sacramentorum.

1279.

In veteri catalogo Consoranensium episcoporum, quem viderunt nostri Sammarthani, occurrit quidam Rogerius, qui de stirpe comitum Convenarum ortus asseritur. Sed ut ipsi observant, in stemmate comitum illorum edito ab Oihenarto, in Notitia Vasconiæ locum non habet. Vero propius autem est Augerium, & Rogerium unum eundemque fuisse episcopum: anno vero 1280. sedisse legitur. Anno 1290. die Sabbati proxima post festum assumtionis B. Virginis, apud Nugarolium celebratum est Auxitanæ provinciæ concilium, & inter præsules qui adfuerunt, primus post archiepiscopum recensetur episcopus Consoranensis, cujus nomen non profertur.

1280. 1290.

Post Rogerium in Gallia Christiana Sammarthanorum succedit alius Augerius cognomento de Monte-falcone; qui procul dubio est idem Augerius, quem in duos diviserunt, ob fictitium Rogerium inter illos positum. Hic episcopus ex nobili genere de Monte-falcone quod adhuc superest, ortus erat. Ejus tempore ipsiusque sumtibus, ecclesia S. Licerii decorata est picturis, sediliaque chori constructa sunt; quod ex ipsius symbolo, nimirum accipitre, seu *falcone*, super montem posito in iis depicto colligimus. Obiit anno 1303. sepultusque est in ecclesia S. Licerii cum hoc epitaphio:

1303.

Hic jacet reverendus in Christo pater Dom. dominus Augerius de Monte-falcone, Dei gratia episcopus Conseranensis, qui obiit calendis Junii sub anno Domini MCCCIII. *cujus anima requiescat in pace, amen.*

ANNI CHRISTI.

Ex hac gente est noster D. Bernardus de Mont-faucon, cui debemus operum S. Athanasii novissimam editionem accuratissimam, item Exaplorum Origenis; Palæographiam, & varia alia opuscula; sed longe plura meditatur, & jam jam parturit.

XXIX. Bernardus.

De Monta.gu.

Bernardus de Monte-acuto, die Lunæ post festum S. Andreæ apostoli anni 1303. cum suis coëpiscopis convenit ad synodum provincialem apud Nugarolium habitam, in qua electus & confirmatus appellatur. Obiit anno 1309. pridie cal. Junii, ex necrologio B. Mariæ, quod mendose appellant martyrologium. Hoc anno Arnaldus de Hispania vicecomes Conseranensis cum uxore sua Philippa sorore comitis Fuxensis, monasterium Fratrum Prædicat. in oppido S. Geruntii fundavit, ut ait Bernardus Guidonis in hist. ejusdem monasterii, observatque Baluzius.

1303. 1309.

Not. in vit. pap. Aven.

XXX. Arnaldus II.

Fredeti.

Arnaldus Fredeti, *al.* Fradeti, ex ordine Dominicanorum, Bernardi locum excepit. Hic cum capituli consensu certas duodecim canonicorum portiones constituit; quam legem Johannes papa XXII. anno pontificatus sui II. IV. calendas Maii, auctoritate apostolica confirmavit. Verisimile est eum comitiis Occitaniæ adfuisse anno 1313. Nam de his loquens Guillelmus Bardini, in historia Parlamentorum linguæ Occitanæ, ait: *In camera ecclesiastica suspecti erant regi archiepiscopus Auxitanensis, Johannes de Convenis episcopus Magalonensis, Arnaldus Fredetus episcopus Consoranensis, Ludovicus de Pictavia episcopus Vivariensis, Raimundus Galardi abbas Condomiensis, Raimundus de Verdala abbas S. Saturnini.* Ejus nomine Augerius * de Caudarasa canonicus & vicarius ecclesiæ Tarbiensis convenit ad synodum provincialem Nugarolii habitam anno 1315. Obiit anno 1329. jacetque in ecclesia Fratrum Prædicatorum Riviensium ante majus altare in tumulo erecto; & in inscriptione sepulcrali dicitur *abbreviasse postillas in Genesim*, fuisseque Clementis papæ capellanum, & confessionum auditorem.

1313.

*In omnibus legitur corrupte, ut putamus, de Laudorate.

1315. 1329.

De eo ita vetus necrologium Prædicatorum Cadurcensium: XXXI. *Maii obiit R. D. frater Arnaldus Conseranensis episcopus, cui omnes & singuli conventus totius provinciæ Tolosanæ obligaverunt se tempore quo vivebat, ad faciendum anniversarium singulis annis in die defunctionis suæ, propter multa quæ dedit singulis conventibus in vita pariter & in morte. Qui etiam fecit eleemosynam singularem cuilibet fratri de provincia ista. Et est sepultus in Rivis in medio chori ecclesiæ Fratrum Prædicatorum, quam ipse fundaverat.*

De eodem legitur in codice MS. Dominicanorum

[a] Anno 1280. die Transfigurationis scilicet 6. Augusti litteras dedit ad definiendum quid rectori Bastidæ de Serron deberetur, pro sepultura, pro sponsalibus, pro decima seu primitiis agrorum, &c. Verbi gratia pro funere debebatur presbytero vestis pretiosior aut melior mortui cum sex denariis Tolosanis: majori cruci solvebantur duo denarii, minori unicus, ex tabulario domus urbicæ Bastidæ de Serron.

ANNI CHRISTI.

norum apud Tolosam: *Frater Arnaldus Fradeti Burdigalensis, fuit factus episcopus Coseranensis, cujus sedes S. Licerii appellatur, per Dom. Clementem papam V. cujus erat penitentiarius & capellanus, anno Domini* MCCCIX. *circa festum S. Johannis-Baptistæ. Hic est Coseranensis episcopatus, quem beatus pater Dominicus oblatum sibi corde & animo recusavit, sicut infra notatum est loco suo. Hic sancte & devote obiit in vigilia Ascensionis Domini, quæ contigit illo anno ultima die Maii in festo Petronillæ anni Dom.* MCCCXXIX. *& sepultus sequenti Sabbato in ecclesia Fratrum Predicatorum, quam ipse construxerat adhuc vivens.*

B

XXXI. RAIMUNDUS IV.

1 Monte-Acuto.

De Raimundo, cui cognomen erat de Monte-acuto, nihil habemus, nisi quod doctissimi fratres Sammarthani tradunt; illum scilicet fuisse Arnaldi successorem, susceptisse ecclesiam
1329. administrandam die 27. Junii anni 1329. ex actis consistorialibus Vaticani, sedisseque adhuc anno
1336. 1336. ex tabulis Consoranensibus.

D'Aigr.

XXXII. ANTONIUS.

In vita secunda Clementis papæ V. fit mentio Raimundi Aspelli comitis Romandiolæ nepotis hujus papæ, de cujus comitis cæde prope Mutinam agitur in præfata vita. Ex genere Aspelli fuisse Antonium de Aspello episcopum Consoranensem post Raimundum vix dubitamus. Et fortasse Clementis papæ erat consanguineus aut affinis; unde illi facilis ad dignitates ecclesiasticas aditus. Ceterum non diu postea est episcopatu, mortuus, ut aiunt Sammarthani, anno 1340. ex S. Licerii necrologio.

C

Di Narbona.

XXXIII. PETRUS III.

Petrus de Narbone memoratur in litteris quorumdam episcoporum Avenione conscri-
1346. ptis 17. Maii 1346. de indulgentiis in honorem B. Virginis Deiparæ concessis. Ita fere nostri Sammarthani; at Claudius Robertus, omisso Petro, successorem Antonio dat quemdam Guillelmum, quem dicit sedisse anno 1343. Forte Guillelmus sedit inter Antonium & Petrum.

D

XXXIV. DURANDUS.

Notus nobis est hic episcopus, ex litteris Johannis comitis Armaniacensis, qui Durandum episcopum recens promotum, a præstando homagio, quod Tolosæ senescallo debebat ratione bonorum temporalium episcopatus, immunem voluit esse, per annum & amplius; quod a summi pontificis latere, cujus *consanguineus germanus erat*, vix divelli posset. Litteræ comi-
1346. tis datæ sunt 16. Octobris anno 1346. de quibus Baluzius in notis ad vitas paparum Avenionensium.

E

XXXV. CANARDUS.

Canardus ex canonico Lumbariensi factus est episcopus; sed male audiit pro relaxata ecclesiastica disciplina; nam canonicos a lege assidue commorandi absolvisse dicitur, in actis reformationis postea factæ a Pontio episcopo apostolica auctoritate fulto, ex quibus habemus hunc episcopum vixisse anno 1355. Sed jam sedebat anno 1354. quo fundavit in Lumbariensi S. Annæ sacello quatuor capellanos. Jacet in ecclesia Lumbariensi, mortuus an. 1358. calendis Decembris.

ANNI CHRISTI.

1354.

1358.

XXXVI. JOHANNES I.

De Johanne hoc unum dumtaxat scimus; ipsum, cum esset episcopus Consoranensis; translatum fuisse ad sedem sancti Pontii Tomeriarum, ab Innocentio VI. pontificatus ejus anno 9. IV. calendas Februarii, hoc est anno Christi 1360.

1360.

XXXVII. BERENGARIUS II.

Berengarius exstinctus est anno 1362. XVI. calendas Novembris, ut prodit vetus codex Conseranensis ecclesiæ. Ita fratres Sammarthani.

1362.

Di Villemur.

XXXVIII. PONTIUS.

Pontius de Villamuro, abbas SS. Petri & Pauli de Lesato, cum in regimine hujus monasterii consenuisset (illud enim administrasse legitur ab anno 1316. ad 1361. aut 62.) assumitur invitus ad episcopatum Consoranensem die 10. Decembris anni 1362. ut notatur in 1362.
Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum. Multum vero laboravit ad ecclesiasticam disciplinam resarciendam, & contra laxamenta morumque corruptelas muniendam, auctoritate ad id fretus apostolica. Anno 1368. adfuit *per procuratorem* concilio Vaurensi trium provinciarum habito in festo Pentecostes; quo 1368.
anno archidiaconatum contulit.

In suo Lesatensi cœnobio, mortis memor, sepulturæ locum sibi paravit in sacello S. Benedicti; ubi etiam nunc exstat insigne sepulcrum in fornice intra murum facta, ubi visitur ejus effigies quasi jacentis cum vestimentis pontificalibus, capite mitra cooperto, manibusque junctis. Legiturque insculpta lapidi hæc inscriptio: *Anno Dom.* 1368. *dominus* PONTIUS *episcopus Conseranensis, qui præfuit isti monasterio Lesati* XLV. *annis, fecit fieri istam sepulturam, ut ipsam intuentes orent pro anima ipsius episcopi. Cujus anima requiescat in pace. Amen.* De tempore quo vita cessit, nihil certi habemus.

XXXIX. AMELIUS.

De Laureac.

Amelius de Laureco canonicus Regularis ordinis sancti Augustini, doctor decretorum, canonicus & cancellarius Tolosanus, successor datus est Pontio anno 1371. mense Januario, ex 1371.
Vaticani scriniis. Testimonium de ejus episcopatu suppeditant quoque tabulæ anni 1374. 1374.
Deinde Amelius factus est Convenarum episcopus & cardinalis, obiit vero 7. Julii anni 1390.

XL. ARNALDUS III.

Huic episcopo in catalogo assignatur annus 1381. & quidem juxta documenta publica, si 1381.
Sammarthanis nostris fides adhibenda sit.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

XLI. Petrus IV.

1384. Petrus qui ab iisdem scriptoribus ponitur in serie nostrorum præsulum ad annum 1384. testimonium insuper habet ab instrumentis Jacobi de Gamaco tabellionis manu exaratis anno 1389. in quibus fit mentio de quibusdam pensitationibus & decimis.

XLII. Geraldus I.

1391. Eum sedisse anno 1391. probant acta vectigalis annui episcopatus, ab eodem Jacobo de Gamaco tabellione scripto relicta. De eo etiam libri actorum consistorialium.

De Ravat.

XLIII. Raimundus V.

Post Geraldum apud doctos Sammarthanos sequitur Raimundus de Ravato, quem aiunt 1398. idibus Aprilis anno 1398. ex hac vita migrasse, juxta vetus, ut inquiunt, S. Licerii martyrologium, melius necrologium. Addunt prælaudati scriptores, quemdam Willelmum Reol legi episcopum Consoranensem in margine codicis antiqui B. Mariæ; sed ignorari quo tempore aut vixerit, aut obierit. Claudius Robertus tamen ejus obitum notat v. idus Octobris; eumque subjicit immediate Sicardo, at nullum de illo profert testimonium.

Bourgueroz.

XLIV. Sicardus.

Sicardus de Burgairoles in decretis doctor, 1409. ex actis concilii Pisani anno 1409. celebrati, in quibus vocatur *Aicardus*, adfuit huic cœtui 1412. per legatos suos. E vivis excessit anno 1412. die 19. Julii, ut docet elogium ejus tumulo additum. In aula B. Mariæ sanctum sacrificium celebrari præcepit tribus anni mensibus, pro anima sua; scilicet diebus 22. Junii, 18. Julii & 16. Augusti.

Beau-maistre.

XLV. Guillelmus III.

Eodem anno quo Sicardus vita cessit, Guillelmus Beau-maistre factus est episcopus Consoranensis, hoc enim titulo insignitur in testamento Johannis Biturigum ducis filii Johannis regis, quod conditum legitur die 17. Januarii 1412. anno 1412. apud Durdanum insulæ Franciæ urbem; cujus testamenti curatorem princeps hic instituit nostrum Guillelmum episcopum, cum Johanne Davide, ducis Aurelianensis cancellario. Hic ad memoriam revocandum quod jam alicubi diximus; his videlicet temporibus mensem Januarium, non inchoasse annum; proindeque diem 19. Julii, quo mortuus est Sicardus & 17. Januarii sequentis, quo legimus Guillelmum Beau-maistre appellatum esse episcopum Consoranensem, ad eundem annum 1412. pertinuisse. De hoc tamen episcopo nulla exstat memoria in fastis Consoranensibus.

Hist. Gener. Fr. Samm. l. 18. n. 1.

De Nalaio.

XLVI. Guillelmus IV.

Guillelmus de Nalaio ante episcopatum vicarius generalis fuerat Sicardi episcopi, cui forsan electione capituli suffectus fuit; nam ut præmonuimus, Guillemi Beau-maistre nulla fit mentio in archivis ecclesiæ Consoranensis. Nihilo tamen minus potuit fieri ut hic Guillelmus ab Johanne XXIII. bullas obtinuerit pro isto episcopatu, favente maxime Johanne duce Bituricensi, qui eum ad sua consilia & negotia solebat adhibere. Regebat, ut inquiunt Sammarthani, annis 1417. & 1426.

ANNI CHRISTI.

XLVII. Geraldus II.

Geraldi episcopi notitia eruitur ex instrumento a Vitali Sancii notario totius comitatus Fuxensis conscripto die penultima mensis Novembris. Eum conjicio esse Beraldum episcopum Consoranensem, qui commemoratur in instrumento fundationis collegii sancti Nicolai Avenionensis, anno 1418. Præerat adhuc anno 1418. 1432.

Le Jeune.

XLVIII. Johannes II.

Johannes le Jeune Picardus gente, patria Ambianensis, post administratos plurimos episcopatus pervenit ad purpuram Romanam, si Claudio Roberto & Sammarthanis fides sit adhibenda, sedebatque apud Consoranum anno 1439. Sed Petrus Frizon in sua Gallia purpurata loquens de Johanne Juvene cardinali, inter episcopatus quibus hic potitus est, minime numerat Consoranensem. Quidquid sit, constat anno 1433. sedisse hac in cathedra Johannem quemdam, qui simul administrator erat perpetuus abbatiæ Fuxensis, seu sancti Volusiani; hoc enim nos docet charta Ellantii. 1433.

XLIX. Andreas.

Huic præsuli creditam fuisse ecclesiæ Conseranensis gubernationem præfecturamque, circa annum 1439. docent tum Claudius Robertus, tum Sammarthani Fratres. Certe Andreas episcopus in sessione 25. concilii Florentini habita anno 1439. die 23. Martii calculum suum addidit, legimusque inter antistitum subscriptiones: *Ego Andreas episcopus Conseranensis me subscripsi.* 1439.

D'Aura.

L. Jordanus II.

Jordanus de Aura, ex episcopatu Mirapicensi ad Consoranensem transfertur bulla Eugenii papæ IV. xvi. cal. Junii anni 1441. Ad 1441. eum dirigitur exsecutioni mandanda bulla Eugenii IV. data Florentiæ iii. non. Sept. anno 1440. qua Fuxiensis abbatiæ canonici numero 18. ad duodecim rediguntur. Obiisse an. 1443. 1443. legitur in actis consistorialibus Vaticani; unde mirum videtur ipsius nullam fieri mentionem in catalogis Consoranensibus, nec ejusdem successoris Raimundi.

LI. Raimundus VI.

Raimundus de Tullio ordinis Prædicatorum electus legitur episcopus iii. idus Octobris 1443. Sed in cathedra aut non sedit, aut 1443. brevi admodum tempore in ea perseveravit, ut probatur ex iis quæ supersunt dicenda.

ANNI CHRISTI. D'AURE.

LII. TRISTANDUS.

Triſtando de Aura electo Conſoranenſi ſcripſit Eugenius papa IV. quinto calendas Februarii pontificatus ſui anno 14. Chriſti vero
1444. anno 1444. ut refert Reginaldus tom. 18. annal. eccleſiaſticorum. Numeratur in chartis Montis-majoris inter epiſcopos quibus præſentibus Petrus Albanus epiſcopus, S. Sedis legatus, ſanctarum Mariæ Jacobi, Mariæ Salome, & Mariæ Cleophæ corpora decentiori loco collocavit. *Actum* IV. *Decembris anno a nativitate*
1448. *D.* M. CCCC. XLVIII. Anno 1456. ab Alano Se- B
1456. dis apoſtolicæ legato commiſſarius fit ad colligendas decimas in provinciis Toloſana & Auxitana. Quo etiam anno die 23. Decembris dele-
Tab. Maſſ. gavit Petrum abbatem Moïſſiacenſem, ad perceptionem hujuſmodi decimarum diœceſis
1458. Montalbanenſis. Anno 1458. die 19. Februarii memoratur adhuc in Gallia Chriſtiana Gemellorum fratrum Sammarthanorum, qui nobilitati ejus generis teſtimonium perhibent. Annus mortis, quæ contigit pridie calendas Novembris, ignoratur. De illo multa lege infra in epiſcopis Adurenſibus.

D'AUBUSSON. C

LIII. GUISCHARDUS.

Guiſchardus de Albuçonio, quod cognomen eſt nobiliſſimæ gentis in Marchia, ex ſenatore Pariſienſi factus eſt epiſcopus Conſeranenſis. Quo anno inchoaverit epiſcopatum nobis incompertum eſt, ſed jam præerat anno 1462.
1462. quo cum eccleſiæ ſuæ clericis (vulgo bene-
1472. ficiariis) tranſegit. Anno 1472. die 12 Auguſti dedit litteras pro contrahendo matrimonio inter Iſabellam d'Aubuſſon, & Guillelmum dominum Caſtri-viridis (*Chaſteau-vert*) qui erant conſanguinei in tertio gradu. Simul erat abbas B. Mariæ de Palatio, prope Burgum-novum, D (*Bourg-nouvel*) in diœceſi Lemovicenſi. Anno 1475. tranſiit ad Caturcenſem cathedram.

D'AULE.

LIV. JOHANNES III.

Johannes de Aula, bonus epiſcopus vulgo nuncupatus, nobili genere ortus, inſignia domus d'Incamps habuit, antequam aquilam pro ſtemmate, in parmula a Ludovico rege XII. accepiſſet. Eminebat in hoc viro litterarum maxime ſacrarum cognitio, quam hauſerat in contubernio cardinalis de Fuxo; ejus enim ſtudiorum ſocius fuerat. Variis in inſtrumentis, anno
1480. 1480. quo antiqua ſtatuta pro reformatione B cleri innovavit, & ſua auctoritate confirmavit, & ſequentibus annis, ut epiſcopus Conſeranen-
1494. ſis inſcribitur. Anno 1494. die Dominica decima Januarii coronavit Pampelonæ Johannem de Lebreto, & Catharinam regem & reginam Navarræ, abſente tunc urbis epiſcopo, præſentibus vero Johanne de Barreiria Baionenſi, & Bertrando de Boria Aquenſi, præſulibus. Baſilicam B. Mariæ Virginis variis picturis exornavit, fornices conſtruxit & periſtylium, ad ſacras proceſſiones & ſupplicationes in eccleſia faciendas. Anno 1515. inſtituit procuratorem, qui ſuo nomine epiſcopatui renuntiaret; ejus autem litteras archetypas ea de re

A vidit noſter D. Edmundus Martenne, apud S. Palladium, in muſæo docti viri Oihenarti

ANNI CHRISTI. DE GRAMONT.

LV. CAROLUS.

Carolu de Acromonte Rogerii [a] Acromontenſis domini, Leonoræque Benearnenſis filius, anno 1515. Johanni ſuffectus eſt. Anno 1518.
1515. memoratur in quibuſdam chartis pro jure archidiaconi conſcriptis. Poſtea fuit Adurenſis epiſcopus, & archiepiſcopus Burdegalenſis.

DE GRAMONT.

LVI. GABRIEL I.

Gabriel de Gramont cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ, Caroli frater ac ſucceſſor, præerat an-
1520. no 1520. ex inſtrumento publico confecto ab Arnaldo de Fontano notario, pro Johanne de Convenis Fuxi abbate. In alio quoque anni 1524. die 13. Martii memoratur. Jam erat epiſcopus Tarbenſis die 1. Octobris anni 1526. ut infra demonſtraturi ſumus. Plures alios epiſcopatus poſſedit, Tarbenſem, Pictavenſem, & archiepiſcopatum Toloſenſem; ubi multa de illo.

DE MARTORY.

LVII. MENALDUS.

Menaldus de Martorio Benearnenſis, prius decanus Aurelianenſis eccleſiæ, poſtea epiſcopus Tarbenſis, demumque Conſoranenſis creatur permutatione facta cum Gabriele de Gramont, anno 1524. quo idem Gabriel de Acro-
1524. monte tranſlatus erat ad ſedem Tarbenſem, bulla Clementis VII. data XIV. cal. Auguſti. Acta publica Menaldi nomen præbent ab ultima die Novembris anni 1526. Exſecutionem ſui teſtamenti condici apud Lugdunum, anno 1527.
1527. ei demandavit Odetus de Fuxo dominus de Lautreco. Memoratur anno 1528. in tabulis reformationis chori ab ejus vicario factæ. Anno
1529. 1529. Clemens VII. reſcripto apoſtolico ipſi licentiam dedit tutoris officium exercendi erga Oderi Lautreci comitis ſupra laudati liberos. Denique anno 1547. die 14. Januarii interfuit
1547. pactis matrimonii Caroli de Luxemburgo, vicecomitis de Martigues, cum Claudia de Fuxo: obiitque anno 1548. De Menaldo Martorio,
1548. ita canit Nicolaus Borbonius: *l. 6. mag. Carm. 79.*

Poſt tot ſuſceptos exantlatoſque labores
Præmia ſunt, præſul, certa repoſita tibi.
Te ſenſit princeps, ſenſit Reſpublica noſtra
Eſſe virum meritis & pietate gravem.
Macte eſto virtute iſta, regemque gregemque,
Quod ſatis, aſſidua ſcanditate juva.

D'OLLUN.

LVIII. HECTOR.

Hector Olſunus nobili genere oriundus erat in Aquitania, e qua familia claruit eodem ſeculo ſub regibus Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX. Petrus Olſunus præfectus equitum cataphractorum, vir ſpectatæ virtutis ac fortitudinis militaris. Auſpicatus eſt epiſcopatum,
1548. anno 1548. ut liquido conſtat ex eiuſdem epitaphio. In ipſo laudatur ob depulſos ex Conſoranenſi pago hæreticos omnes. Noſocomium

[a] De genere & parentibus Caroli aliter loquitur Petrus Friſon, in Gallia purpurata, ubi agit de Gabriele de Gramont, cardinali fratre Caroli. docet enim horum fratrum parentes fuiſſe Rogerium d'Aſte, & Claram de Gramont; cujus gentis originem trahit a regibus Navarræ.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

suburbanum construxit, censibus auxit, splendideque dotavit; quam fundationem confirmari curavit a Pio V. summo pontifice, anno 1568. Vita defunctus est 1574. die 21. Septembris, ætatis suæ anno 80. episcopatus 26. jacetque in ejusdem nosocomii sacello, ubi appensum in tabula legitur epitaphium Gallicis versibus, certe inconditum; quapropter ab illo referendo abstinemus, satisque nobis est proferre quæ Latine in fine legimus:

Manet post funera virtus, cujus pretium honor & gloria.

1574. *Obiit 2. calendas Octobris anno Dom.* 1574. *ætatis suæ octogesimo, sui vero episcopatus* 26.

In alia tabula præmissis quibusdam versibus Gallicis, melius dixeris, barbaris, subjiciuntur quatuor carmina Latina, quæ docent eum pauperum virginum pudori consuluisse, dotes ipsis ad honestum conjugium providendo & suppeditando.

BONARD.

LIX. FRANCISCUS.

Franciscus Bonardus ordinis Minorum religiosus, ortu Pedemontanus, ex oppido Montis-regalis, verbi Dei prædicator egregius, apud Rodulphium lib. 2. Hist. Seraphic. ad episcopatum vocatur circiter annum 1581. & triennio 1581. post consecratur.

DE LANGUE.

LX. HIERONYMUS.

Hieronymus de Lingua Pedemontanus quoque e Monte-regali, nepos superioris ex sorore, ordinis S. Francisci de Observantia religiosus, successit anno 1595. Diem postremum clausit anno 1612. & in ecclesia S. Mariæ sepultus est in civitate Conseranensi.

DE BELLEGARDE.

LXI. OCTAVIUS.

Octavius de Bellegarde, abbas S. Germani Autissiodorensis, Pultarii, Vallis-lucentis, & S. Michaëlis Tornodorensis, munus sacræ unctionis Parisiis suscepit mense Maio 1614. apud S. Genovefam in sacello claustri a Benjamino de Brichanteau episcopo Laudunensi. Eo sedente Capucinis ædes conduntur. Inde ad archiepiscopatum Senonensem translatus anno 1621. cujus metropolis iniit possessionem 1623. de eo vide plura ibid.

1614.

RUADE.

LXII. BRUNO.

Bruno Ruade Cartusianus, e solitudine religiosa Vallis-viridis Parisiorum evocatus ad sollicitudinem pastoralem instante rege Ludovico XIII. & consentiente, seu mavis jubente ordinis sui generali, sacratur antistes anno 1624. Dominica die 10. Martii, Lutetiæ ab Octavio decessore. Interfuit cœtui cleri Gallicani Fontaneti in Pictonibus 1628. jacet in Cartusia Tolosana.

1624.

DE MARCA.

LXIII. PETRUS V.

Petrus de Marca Bearnensis, diœcesis Lascariensis, ex præside senatus Navarræ, & sanctioris consistorii consiliario nominatus præsul desinente anno 1642. a Ludovico XIII. confirmatus autem 1647. litteris pontificiis Innocentii X. inauguratus fuit Narbonæ in cathedrali mense Octobri 1648. a Claudio de Rebé archiepiscopo & primate, assistentibus Clemente Bonzio Biterrensi, & Nicolao Pavillon Alectensi, episcopis. E Catalaunia reversus, suam ecclesiam & urbem adiit festiva pompa 1651. die 3. Aug. & paulopost traductus fuit ad archiepiscopatum Tolosanum regia scheda anno 1652. die 27. Maii. Ex officio regi clientelam jurat 1654. die 27. Maii, Parisiis, & 11. Julii sequentis pallio decoratur a Dominico Seguierio episcopo Meldensi. Anno autem insequente, a synodo provinciali Tolosana delegatus est ad cœtum generalem cleri Parisiensem. Plura require de illo in archiepiscopis Parisiensibus, nam paulo ante mortem bullas pontificias, quibus ad hanc ecclesiam vocabatur, accepit, cum prius a rege fuisset designatus Parisiorum archiepiscopus.

1642.

ANNI CHRISTI. 1646.

1652.

DE MARMIESSE.

LXIV. BERNARDUS IV.

Bernardus de Marmiesse, Jacobi baronis de Lussan, &c. sacri consistorii comitis, in senatu Tolosano regii patroni, & postea præsidis infulati frater, doctor Sorbonicus, ecclesiæque Tolosanæ canonicus, ex actore generali cleri Gallicani, a rege Christianissimo Ludov. XIV. nominatur episcopus ecclesiæ Conseranensis vacantis per assumtionem Petri de Marca ad Tolosanam metropolim, regio diplomate anni 1653. die 28. Maii. Regis electionem confirmavit Innocentius papa X. bulla data desinente anno 1654. & consecratus est apud Pontisaram die 12. Novembris anni 1655. ab archiepiscopo Rothomagensi, assistentibus episcopo Baionensi, & Montis-pessulani. Ter antequam episcopus foret, comitiis generalibus cleri Gallicani interfuit; annis videlicet 1645. 1650. & 1655. quo anno electus est in actorem & promotorem causarum ecclesiasticarum; quo nomine subscripsit luculentissimo testimonio Petri de Marca Tolosani archiepiscopi, de Gallia Christiana nuper edita, & clero Gallicano oblata, quod præmittitur tom. 1. Gratos sese exhibent huic episcopo Sammarthani fratres obaccepta ipsius beneficio plurimorum Conseranensium episcoporum nomina, ex ecclesiæ scriniis eruta. Obiit die 22. Januarii anno 1680. post exactos in hac cathedra circiter 27. annos. Jacet in cœmeterio pauperum nosocomii ante crucem ubi legitur:

1653.

1654.

1680.

Hic jacet Bernardus de Marmiesse Conseranorum episcopus,

Qui per viginti sex annos optimi pastoris partes implevit.

Pauperes, quos dilexerat, heredes instituit, & amicos a quibus

in æterna tabernacula reciperetur, socios sepulturæ esse voluit.

Obiit die 22. mensis Januarii anno domini 1680.

R. I. P. A.

S. ESTEVE.

LXV. GABRIEL II.

Gabriel de S. Esteve, *al.* de S. Estevain, ex nobili prosapia in regno Navarræ notissima, frater domini de S. Esteve, subpræfecti equitum stipatorum lateris regis, necnon gubernatoris

Broagii in Santonibus, prius abbas Plani-pedis, apud Biturigas, poſtea Combæ-Longæ, regia ſchedula epiſcopus Conſeranenſis deſignatur menſe Februario anni 1680. ungitur in pontificem menſe Auguſto. Dies ejus vitæ ultimus fuit 14. Decembris anni 1707.

ANNI CHRISTI 1680.

Jacet in eccleſia cathedrali B. Mariæ ante majus altare cum hoc brevi & modeſto elogio:

D. O. M.

Hic jacet illuſtriſſimus ac reverendiſſimus D. D. Gabriel de Saint-Eſtevain, epiſcopus Conſeranenſis. Obiit anno Domini M. DCC. VII. *die* 24. *Decembris R. I. P. A.*

1707.

LXVI. JACOBUS.

DE VERTHAMONT

Iſaac-Jacobus de Verthamont, ex antiqua gente, omnibus, togæ maxime, honoribus illuſtri, adſcriptus congregationi preſbyterorum Oratorii D. Jeſu, ab adoleſcentia in ejus ſinu didicit amare & colere litteras potiſſimum ſacras, ſive Latinas, ſive Græcas. Vocatus ab epiſcopo Apamienſi cognato ſuo ad officium vicarii generalis exſequendum, tam prudenter hoc munere functus eſt, ut rex Chriſtianiſſimus illum deſignandum duxerit ad epiſcopatum Conſeranenſem 14. Januarii anni 1708. Conſecratur die 24. Junii ſequentis ab epiſcopo Apamienſi, aſſiſtentibus & collaborantibus epiſcopis Lactorenſi, & Adurenſi. Anno 1711. miſſus a provincia Auſcienſi, adfuit cleri Gallicani comitiis generalibus. Præeſſe pergit & prodeſſe optimus paſtor, muſarum cultor & patronus.

ANNI CHRISTI.

1708.

DE ABBATIIS DIOECESIS CONSERANENSIS.

NUllorum hac in diœceſi veterum monaſteriorum ſuperſunt veſtigia; nec mirum videri debet poſt tot clades, quibus afflictus eſt pagus Conſoranenſis, maxime ab hæreticis. Una tantum exſtat abbatia Combæ-longæ, de qua nunc agendum.

ABBATIA B. MARIÆ & S. LAURENTII de Comba-longa.

Comba-longa ordinis Præmonſtr. filia Caſæ-Dei, duabus ab urbe S. Licerii procul eſt leucis. Fundata vero creditur anno 1131. ab Arnaldo d'Autriche Palias ſexaginta quondam caſtellorum domino, ex inſtrumento prorſus adulterino, quod proinde referre piguit. Hoc quidem monaſterium ſatis olim erat celebre, ſed ab hæreticis tam male habitum fuit, ut jam vix duobus tribusve religioſis viris ſufficiat. Sequitur abbatum elenchus ex variis concinnatus documentis.

ABBATUM SERIES.

I. Arnaldus I. appellatus abbas caſaliæ S. Laurentii Combæ-longæ, accepit a Pontio epiſc. Carcaſſenſi anno 1165. facultatem eligendi in ſilva Bolbonenſi locum ad conſtruendam eccleſiam & quaſdam ædes. Actum menſe Junio, ex tab. regio caſtri Fuxenſis, quapropter procul dubio compoſuit anno ſequenti cum Dominico abbate Bolbonenſi. Biennio poſt adfuiſſe legitur compoſitioni inter monachos de Capella & Grandis-ſilvæ. Cum autem ipſum inter & Guillelmum abbatem de Vajal diſſidium foret, anno 1188. diremtum eſt. Idem eſt profecto qui prima ſui nominis littera notatus A. accepit a Bernardo de Durbano liberum ingreſſum & egreſſum per terras ipſius, uſum in paſcuis, nemoribus, aquis, &c. Arnaldus abbas Combæ-longæ, conſignatur die 16. Januarii in libro obituum Arnona & Marchiæ Rodulfi; ſed cum plures fuerint abbates, qui nomen Arnaldi habuerint, ad quem illorum id referendum ſit, neſcimus.

Tab. Bell.

II. P. G. præſens commemoratur, anno 1211. hominio Rogerii comitis Convenarum præſtito comiti Montis-forris, menſe Aprili, de feudo quod recepit ab eo de tota terra ſua, apud Vaurum in obſidione; ex reg. curiæ Franc. Carcaſſon. n. 2.

III. Navarrus d'Acqs, Raimundi vicecomitis Aquenſis, & Stephanæ comitiſſæ Bigorrenſis filius, ex canonico Aquenſi factus alumnus Præmonſtratenſis, tandem evaſit abbas Combæ-longæ, anno 1212. Exſtitit poſtmodum epiſcopus Conſeranenſis, fundavitque in diœceſi Aquenſi Dei-villenſe monaſterium

IV. P. teſtis an. 1216. legitur in ſententia A. Tarbienſis, & G. Convenenſis epiſcoporum, pro C. Conſeranenſi præſule, adverſus comitis Convenarum necnon domini de Monte-acuto vexationes. Porro hunc autumamus fuiſſe Petrum-Guillelmi qui circa hæc tempora tranſigit cum abbate Bolbonæ, forte Raimundo, cui alibi legitur dediſſe vineam.

V. Geraldus I. abbas *de Comaloncha*; Raimundo de Benac epiſcopo Laſcurrenſi: & Odone de Roſer, priore Madirani; ex tab. prioratus Madiran. apud. PP. ſocietatis Jeſu Toloſ. aſſervato.

VI. J. 1129. calendis Julii in conventu celebri epiſcoporum & abbatum apud S. Johannem de Verges interfuit reconciliationi Rogerii-Bernardi comitis Fuxenſis cum rege Franciæ & cum ſede apoſtolica, pro facto hæreſis: de quo vetus documentum in regio Carcaſſon. tabul. In hiſtoria Benearnenſi Petri de Marca, lib. VIII. c. 21. legitur Johannes.

VII. Michaël anno 1238. menſe Maio teſtis recenſetur in tranſactione inter Guillelmum-Arnaldum abbatem Manſi-Azilis, & epiſcopum Conſeranenſem; ex archivo regio caſtri Palenſis. Idem Michaël reperitur an. 1245. in charta Bolbonæ.

VIII. Iſarnus anno 1254. menſe Januario, in craſtino B. Vincentii pariagium fecit cum Rogerio Fuxenſi comite, de terra de Campanha, ex archivo regio caſtri Fuxenſis. Eodem anno 3. Decemb. accepit ad feudum quartam

Digitized by Google

partem redituum, jurium & poſſeſſionum Baſtidæ, ſeu villæ Monteſquivi, ab eodem Rogerio comite & ab Arnaldo Garſiæ abbate Manſi-Azilis, ſedente Nicolao Conſeranenſi epiſcopo. Præerat adhuc Iſarnus anno 1256. ex charta Manſi-Azilis.

IX. Arnaldus II. innoteſcit ex bulla Alexandri papæ IV. data pontificatus ejus anno quarto, qua poſſeſſiones & jura monaſterii confirmantur.

X. Bernardus ultima die Martii anni 1271. pariagium fecit cum rege Franciæ, de territorio & juſticia Avanteſii, quod vide inter inſtrumenta. Tranſegit an. 1280. cum Augerio de Monte-Falconis epiſcopo Conſeranenſi.

Ch. IV. pag. 187.

XI. Petrus I. ex necrologio Marchiæ Rodulfi obiit x. cal. Septemb. circa an. 1282.

XII. Carbonellus an. 1297. in charta Bolbonæ. Anno ſeq. in ejuſdem monaſterii inſtrumento legitur Michaël abbas Combæ-longæ; forſan idem eſt abbas qui vocabatur Michaël Carbonellus. Certe Carbonellus abbas & Gaſto comes Fuxi & vicecomes Caſtri-boni, &c. anno 1302. III. nonas Novemb. ratum habuere pariagium terræ de Campanha, quod Iſarnus abbas inierat olim cum Rogerio comite Fuxi; ex archivo regio caſtri Fuxenſis, apud Biblioth. Colbert.

XIII. Petrus II. de Pinu compoſuit anno 1339. cum conſulibus Appamienſibus, de paſcuis & nemoribus Bolbonæ.

XIV. Jacobus I. 22. Auguſti 1391. Vide Bertrandum de Orneſano epiſcopum Appamienſem, ex tab. Bolbon.

XV. Michaël II. de Durbano anno 1392. privilegii olim conceſſi A. abbati Combæ-longæ a Bernardo de Durban, confirmationem obtinuit a Johanne de Inſula.

XVI. Raimundus in quodam inſtrumento Manſi-Azilis, abſque ulla temporis nota.

XVII. Petrus III. Guiraud in necrologio Artonæ conſignatur 23. Auguſti.

XVIII. Jacobus II. de Viridario necrologio Caſæ-Dei inſcribitur XI. cal. Octobris.

XIX. Arnaldus III. d'Arias abbas B. Mariæ de Comba-longa, in charta Gaſparis de Villemur, domini de Palheys, de Monte-Bruno, & de S. Paulo in comitatu Fuxi, facta apud locum de Faudoanis, in caſtro Johannis domini de Faudoanis & de Monte-acuto, ubi tunc aderat præfatus abbas die XI. Junii 1478. Ludovico Francorum rege. Idem reperitur an. 1494. cognominatus Doria.

XX. Geraldus II. de la Font, in quadam inquiſitione facta tempore Rogerii de Cominges, memoratur abbas poſt Arnaldum Doria.

XXI. Arnaldus IV. de Darrerio electus anno 1513. ex tab. Caſæ-Dei dicec. Auſc.

XXII. Johannes I. de Mauleon abbas ſimul Boni-fontis, an. 1516. ex charta Boni-fontis.

XXIII. Firminetus de Capite-villæ licentiatus in decretis abbas commendatarius & præpoſitus Rivenſis, 1521. & 1525.

XXIV. Guillelmus Domine poſt Firminetum memoratur in inquiſitione quadam ab eo qui ſequitur facta.

XXV. Rogerius de Cominges anno 1548. inquiſitionem fecit pro recuperandis ſalinis de Camargues.

XXVI. Franciſcus I. Sanctigerii *de S. Gery*, an. 1576. in charta Portaglonii, & 1583.

XXVII. Petrus IV. de Buiſſon 1605. abbas commendatarius.

XXVIII. Johannes-Antonius II. de Mauleon, vacante abbatia per obitum Petri, bullas obtinuit datas Romæ VI. cal. Septemb. pontificatus Pauli papæ V. anno ſeptimo. Iniit poſſeſſionem anno 1611. cujus deinde ſæpius recurrit mentio in chartis annorum 1614. & 1616.

XXIX. Johannes-Franciſcus III. de Mauleon de Durban, ſedebat jam anno ſaltem 1637. Anno 1647. die 10. Martii teſtamentum condidit.

XXX. Franciſcus II. de la Bourgeade, Lemovicenſis a concionibus reginæ matris Ludovici XIV. vir pietate & doctrina ſpectabilis bullas accepit pridie idus Januarii anni 1659. poſſeſſionem adeptus 21. Decemb. an. 1661.

XXXI. Antonius Eſprit oriundus *de Limoux*, jam an. 1672. præerat, qui an. 1680. tranſegit cum religioſis.

XXXII. Gabriel de S. Eſtevain * epiſcopus Conſeranenſis & abbas Combæ-longæ, obiit ſeptuagenarius anno 1707.

* *al.* de S. Eſtevo.

XXXIII. Alexander de Pontac, filius N. de Pontac infulati præſidis in curia parlamenti Burdegal. doctor in theologia, & ſereniſſimæ delphinæ ab eleemoſynis, hactenus præeſt ab anno 1708. quo deſignatus eſt a rege, in feſto Paſchæ.

Digitized by Google

EPISCOPATUS ADURENSIS.

ANNI CHRISTI. L'Adour.

ADURA, vulgo *Aire*, olim, & quidem melius, Atura, ab Aturo * fluvio, qui pagum Aturenſem alluit ſic dicta, urbs eſt epiſcopalis in Vaſconia ſeu provincia Novempopulana, ſub ſenatu Burdigalenſi & archiepiſcopatu Auſcienſi. ANNI CHRISTI.

In notitia provinciarum & civitatum Galliæ, Honorii Auguſti ætate, ut plerique ſentiunt, condita, civitas Aturenſium octava eſt provinciæ Novempopulaniæ. Verum civitas hæc non Atura tunc, ſed Vicus-Julii appellabatur. Sane priores epiſcopi, quorum nomina memoria nque poſteris tranſmiſerunt conciliorum ſubſcriptiones, non Adurenſes, aut Aturenſes appellati ſunt, ſed Vico-julienſes, ut infra oſtendemus. Nomenque Vico-julienſis urbis adhuc celebre erat ſeptimo ſeculo, ut probant acta S. Philiberti primi abbatis Gemeticenſis. At vero deſtructum eſſe a Normannis Vicum-julii, & ejus epiſcopos ad alia loca migraſſe, ſive in Martianum oppidum, ſive in vicum dictum *Vaſcons*, unde noſtri epiſcopi dicti ſunt *Martianenſes*, & *Vaſconenſes*, autumat Oihenartus in Notitia Vaſconiæ.

Tandem ſedes pontificia conſtituta eſt apud Aduram, ſeu Aturam urbem, quæ a populis Aturibus (ſic vocantur apud Apollinarem Sidonium) vel Aduribus aut Aduris * (ita legitur in verbis Aniani, poſt auctoritatem Alarici, quæ codici Theodoſiano præmittitur) nomenclationem accepit. Ita ſentit vir eruditione clariſſimus J. Sirmondus, in hanc Sidonii epiſtolam ſupra laudatam: *Atures*, inquit, *ſeu Adures, nomen primum fuit populi, non oppidi. Oppidi enim Aturenſium nomen Vicus-julius.*

Nihil tamen obeſt quominus dicamus Aduram urbem conſtructam eſſe in loco ipſo & ruderibus civitatis Vico-julienſis, vel ſaltem prope; ad cujus ſententiæ confirmationem non modicum conferre poteſt Oihenarti teſtimonium, aſſerentis *in confini Ayra agro non ita pridem effoſſos eſſe vetuſtos nummos.* Idem ſcriptor, ut probet hujus urbis antiquitatem, provocat ad rudera paſſim circumpoſita, inter quæ ſpectabiles ſunt parietinæ palatii Alarici Wiligothorum regis. Poſita eſt urbs Atura in fertili ſolo, aliquando munitiſſima, florentior & amplior. Diœceſis circumcingitur Laſcurrenſi, Aquenſi, & Vaſatenſi.

In pago urbs inſignior eſt ſancti Severi fanum ob nobilem abbatiam ordinis ſancti Benedicti quæ loco nomen dedit, celeberrimum, caput autem Vaſconiæ nuncupatur, non quod ſit aut fuerit olim Vaſconiæ metropolis, ut aſſerere videtur Oihenartus, ſed quod ſit in ingreſſu ac in termino Vaſconiæ proprie dictæ, quæ in nonnullis tabulis geographicis, nomine *vera Vaſconia* deſignatur.

Poſt urbem hanc primum locum obtinet Martianum, vulgo *Mont de Marſan*, a quo titulum habet unus ex archidiaconis. Nec prætermitti debet oppidum S. Quiteriæ ob antiquitatem, & illuſtre beatæ hujus Virginis martyrium; cujus eccleſia concathedralis titulo epiſcopali annexa ob ſacras quibus ditatur reliquias, magno populorum concurſu frequentatur.

Eccleſia cathedralis Deipara Virgine patrona gaudet. Primæ capituli dignitates ſunt duo archidiaconatus, Martianenſis, & Scialoſſenſis * Præterea decem ſunt canonici. Diœceſis vero quæ in longum ad duodecim, in latum ad decem leucas extenditur, in ſex archipreſbyteratibus 211. eccleſias plebanas complectitur. Nomina autem archipreſbyteratuum ſunt Scialoſſenſis, Turſanenſis, de Plano, ubi eſt caſtellum ſuburbanum epiſcopi; Martianenſis, in quo ducatus Lebretenſis; unde clariſſimi dynaſtæ de Albreto, ac poſterioribus ſeculis Navarræ reges; Rupifortis; & Mauleoſolenſis. De abbatiis quæ non paucæ ſunt in hoc epiſcopatu, nihil hîc attingimus, quia de illis fuſius infra erit agendum. Præcipuus autem ſcopus noſter eſt epiſcoporum hiſtoriam breviter ſcribere, ex variis quæ recuperavimus veteribus monumentis.

* Chaloſſe.

EPISCOPI ADURENSES.

I. MARCELLUS.

ALiquot epiſcopos ante Marcellum apud Vicum-julii ſediſſe, vix dubitamus; at prior eſt nobis notus, ſcilicet ex concilio Agathenſi, ſeculo ſexto ineunte celebrato, nimirum anno 506. Ad hanc tamen ſynodum minime acceſſit Marcellus, ſed ad vices ſuas agendas miſit Petrum preſbyterum, qui in hunc modum ſubſcriptus legitur: *Petrus presbyter miſſus a domino meo Marcello epiſcopo de civitate Vico-julii ſubſcripſi.* Eodem anno, qui fuit Alarici Gothorum in Gallia regis vigeſimus ſecundus, hic princeps codicem Theodoſianum aliquibus interpretationibus auctiorem, per Anianum cancellarium ſuum *Aduris* promulgandum curavit. Diu rexit hanc eccleſiam Marcellus; etenim anno 533. ſedit in ſecundo concilio Aurelianenſi, ſubſcripſitque, diſſimulato tamen ſuæ ſedis nomine; unde non omnino certum utrum Marcellus unus ex patribus hujus concilii, fuerit Marcellus Vico-julienſis epiſcopus, uti Carolus Cointius ante nos conjecit. 506. 533.

a Anianus ex ſe codicem Theodoſianum edidiſſe *Aduris*, ac ſubſcripſiſſe.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

II. Rusticus.

Nobile genus Ruſtici epiſcopi ſatis nos docet
c. 31. Gregorius Turonum epiſcopus, l. VII. hiſtoriæ, ubi teſtatur eum fuiſſe germanum Nicetii comitis Aquenſis, qui per ambitum elicuerat ab Chilperico rege præceptum, quo princeps jubebat ut epiſcopus Aquenſis ordinaretur hic Nicetius. Aliunde quoque notus nobis eſt Ruſticus, nempe ex concilio Matiſconenſi II.
585. anni 585. cujus decretis ſubſcribens, Vico-julienſis epiſcopi titulum ſibi tribuit.

III. Philibaudus.

Philibaudus pater beati Philiberti primi Gemeticenſis abbatis, cum ſumma moderatione Vico-julienſibus regia auctoritate præfuiſſet, juraque dediſſet, ab iis ſummo conſenſu expetitus eſt ad ſacerdotium, regeque annuente cathedræ eſt impoſitus. De qua ordinatione ita loquitur ſcriptor vitæ ſancti Philiberti,
p. 817. quam habes ſeculo II. Benedict. *S. Philibertus Eluſano territorio ortus, ſeculari prudentia non indoctus, undique juxta morem gentis ſtrenuus, urbe Vico-julii eſt nutritus: ea de cauſa maxime quod genitorem ipſius Philibaudum obtentu regio, munere laicali adminiſtratione ceſſante, cives loci illius expetiſſent pontificem.* Ceterum ignoro qua ratione J. Columbi in ſuis noctibus Blancalandanis, epiſcopum hunc, quem Philibaudrum appellat, velit fuiſſe Eloſenſem epiſcopum; laudetque pro hac ſententia ſancti Philiberti vitam quæ Vico-julenſem ejus patri ſedem aſſignat. Forte Philibaudus patria erat Eluſanus, at non cathedra.

Ut propius accedamus ad tempus, quo Philibaudus epiſcopus fuit, obſervandum eſt in vita S. Philiberti, Philibaudum filium ſuum Dagoberto regi I. qui regnare cœpit anno 628. obtuliſſe ac commendaſſe; qui in ejus aula *conſortium indeptus eſt Andoëni optimatis, qui ſub aureo baltheo* Deo magis quam regi militabat. Hinc recte conjicies Vico-julienſes Phi-
620. libaudum epiſcopum habuiſſe circa annos 620. & 630. potuiſſeque eſſe Ruſtici ſucceſſorem. Nihil enim vetat Ruſtici vitam uſque ad annum 620. producere.

Poſt Philibaudum fuit longum interpontificium; aut ſaltem ſi tunc fuerint in hac eccleſia epiſcopi, eorum obliterata eſt memoria. Aduram ſeu Vicum-julii expugnatum fuiſſe a Saracenis ſeu Arabibus Hiſpaniæ tyrannis anno circiter 732. docet Catellus hiſtoriæ Occitaniæ libro tertio, ex veteri chronico quod
732. præ oculis habuiſſe teſtatur. Idem fuſius refert Cointius ad annum 732. Hinc ſub talibus dominis res eccleſiæ peſſumdatæ, & interrupta forte epiſcoporum ſucceſſio. At poſt annos circiter quinquaginta reſtitutam fuiſſe cathedram epiſcopalem apud Vicum-julii patebit ex dicendis.

IV. Asinarius.

Aſinarius cum Vico-julienſis epiſcopi titulo ſubſcriptus legitur concilio cuidam Narbonenſi ſub Daniele metropolita, quinto calendas Julii. De anno quo celebrata eſt hæc ſynodus diſceptatur inter eruditos, quia chronicæ notæ minime inter ſe conveniunt; ſic enim præmittitur: *anno Incarnationis Dominicæ* DCC. LXXXVIII. *indictione* XII. *glorioſiſſimo quoque Dom. imperatore regnante anno* XXIII. Sane annus Chriſti 788. non convenit cum anno 23. 788.
aut regni aut imperii Caroli-Magni. Hinc Carolus Cointius ex his characteribus chronicis duos priores tollit tanquam ſuppoſititios; & hoc concilium adſcribit anno 791. Nos autem communiori ſententiæ adhærentes retinemus annum actis concilii præfixum, ſcilicet 788. Nullum qui vacantem poſt Aſinarium epiſcopum ſedem impleverit novimus uſque ad ſeculum decimum pene completum.

V. Gumbaldus.

Gumbaldus filius ducis Vaſconiæ Sancii majoris, epiſcopus Vaſconenſis dictus, videlicet Aturenſis, Vaſatenſis & omnium ferme Novempopulaniæ eccleſiarum; quin etiam Aginnenſis rector & adminiſtrator, ſedebat anno 977. quo in charta monaſterii Regulæ 977.
epiſcopum Vaſconiæ ſe dicit, ut notat P. de Marca l. 4 hiſt. Bearn. c. 9. De eo fuſius agemus in Vaſatenſibus epiſcopis.

VI. Arsias, vel Arsivus.

Racha.

Arſias [a] cognomento Racha, qui corrupte in chartario Laſcurenſi legitur *Aſinaraca* titulum quoque epiſcopi Vaſconiæ geſſit, tempore Willelmi Sancii totius Vaſconiæ comitis circa annum 980. Incerta vero ſunt omnia, quæ de illo epiſcopo dicuntur. Oihenartus ipſi quidem locum dat poſt Gumbaldum epiſcopum, ſed tacet quo anno vel tempore ſedem obtinuerit. Illuſtriſſimus vero eccleſiæ princeps Petrus de Marca in hiſtoria Bearnenſi, duo l. 3. c. 6.
de illo refert, unum quod ejus conſilio reſtaurata fuerit a Lopoforti eccleſia B. Mariæ Laſcurenſis, quæ olim fuerat ſedes epiſcopatus, uti legitur in fragmento chartarii Laſcurenſis quod P. de Marca ibidem profert. Alterum quod de Arſia legitur, ſpectat fundationem monaſterii Regulæ, *in Bearnio*, ſeu *in pago Vaſconia qui Silveſtrenſis dicitur, pertinens ad diœceſim Laſcurenſis epiſcopi. Cœpit autem inſtitui temporibus comitis Guillelmi Sancii, cum favere vicecomitis Centullo-Gaſtonis ... in quibus temporibus Arſias cognomento Racha pontifex eſſe videbatur.* Marca l. 4. hiſt. Bearn. c. 4.

VII. Raimundus I.

Raimundus dictus Vetulus, ex chartario Laſcurenſi, teſte Petro de Marca, *more anteceſſorum ſuorum, ſex epiſcopatus tenuit, Vaſatenſem, Aduренſem, Aquenſem, Laburdenſem, Oloronenſem, & Laſcurenſem*; tempore Sancii comitis Vaſconiæ. In charta Aquenſis eccleſiæ ibidem laudata legitur: *Iſte ſenex Raimundus Vaſatenſis, omnes epiſcopatus totius Vaſconia tenuit, excepta metropoli.* Raimundum Hiſt. Bearn. l. 4. c. 9.

[a] Arſinus appellatur in hiſtoria abbatiæ Condomienſis tom. XIII. Spicilegii p. 430. ubi legitur cœcus factus, quod cum minus eſſet dignus, aperire fuiſſet auſus ſacrum quemdam loculum; quamvis pro viro mitæ ſanctitatis & conſuetudinis haberetur.

hunc

hunc sedisse anno 1025. docent post Oihenartum Sammarthani. P. de Marca l. 4. histor. Bearn. ait cum subscripsisse chartæ Odonis comitis possessionem comitatus assumentis, anno 1053. (Sammarthanis anno 1032.) Interfuit Raimundus concilio Tolosano, anno 1056. ubi se dicit tantum episcopum Vasatensem: forte quod ipsum puderet tot alios episcopatus possidere, quamvis eos nihilominus adhuc aliquandiu retinuerit. Probat enim P. de Marca Raimundum seniorem nullos ex episcopatibus suis dimisisse, nisi post annum 1056. ante an. 1059. quo Raimundus junior nepos senioris, in ejus locum pro Vasatensi, & Lapurdensi ecclesiis ordinatus est episcopus, uti asserit jam sæpe laudatus P. de Marca, ex charta Lapurdensi, ubi Raimundus hic junior scribit se donatum fuisse duplici illo episcopatu, a Nicolao papa, in concilio Lateranensi, seu Romano, anno 1057. Notanda sunt hæc verba chartæ Lascurensis: *Prædictus vero idem Raimundus Roma accusatus, depositus fuit. Sed quia nobilis erat & potens, ne perturbaret fieri canonicas electiones, concessit ei D. N.* * *papa Lascurensem episcopatum in omni vita sua; data sibi licentia, ut quem vellet de vicinis episcopis ad supplenda episcopalia officia invitaret*; quæ ut pote depositus, & ex episcopali dejectus gradu implere nefas putabat.

ANNI CHRISTI 1025. 1056. 1059. 1057. Marca ibidem. * Dominus Noster.

VIII. Petrus I.

Petrus, qui vitam monasticam in S. Severi ascesterio amplexus fuerat ante episcopatum, anno 1061. subscripsit litteris Bernardi cognomento Tumpalerii Vasconiæ comitis, pro fundatione monasterii Sancti-montis; quod lege in Austindo Auscensi archiepiscopo.

Anno 1063. accessit ad dedicationem ecclesiæ Moïssiacensis, in pago Caturcino, quo frequentes convenerunt antistites; legitur enim de Stephano Olorensi episcopo, & de nostro Petro in veteri quadam inscriptione:

Ellerius Stephanum, concessit & Adura Petrum.

1063.

Anno 1064. subscripsit chartæ restaurationis monasterii S. Licerii factæ ab Heraclio episcopo Tarbiensi, qui eundem locum dedit Cluniacensibus redintegrandum monachis. Anno 1080. ipso præsente Bernardus Aquensis episcopus monasterium de Pontonis dimisit Floriacensi monasterio; eodemque anno mense Octobri subscripsit privilegio Gocelini archiepiscopi Burdigalensis, pro Silva-majori, petente S. Geraldo fundatore. Anno 1084. adfuit restitutioni ecclesiæ S. Capraisii redditæ monasterio Regulæ (la Reole.) Item fundationi prioratus de Gavareto, circa idem tempus, ut ex sequentibus liquet litteris:

1064. 1080. 1084.

Ego Petrus Gavardensis vicecomes incepi monasterium in meo territorio, quod dicitur Gavarretum, in honore Domini & sancti ejus sepulchri, quod concedo domno Geralao Silvæ-majoris abbati & omnibus ejus successoribus, ut semper abbas Silvæ-majoris sit abbas sancti Sepulchri; & qualis religio & vita ibi tenetur, talem habeat & in

istius; quatinus semper locus Silvæ-majoris & sancti Sepulchri Dei servitio & bona religione unum sint, pariterque paupertatem & abundantiam partiantur, salva semper auctoritate Auxiensis archiepiscopi & Adurensis episcopi, qui hoc donum concesserunt & confirmaverunt. Sign. Guillelmi archiepiscopi Auxiensis. Sign. Petri episcopi Adurensis. Hoc quoque confirmavit D. Guillelmus Aquitaniæ dux, & salvitatem. In necrologio S. Severi in capite Vasconiæ notatur depositio Petri bonæ memoriæ Adurensis episcopi, idibus Julii anno MXCII.

ANNI CHRISTI. 1092.

IX. Guillelmus I.

Guillelmi finem novimus ex necrologio sancti Severi, ubi legitur: 11. *cal. Decembris depositio domini Willelmi episcopi Adurensis ecclesiæ, anno* MCXV. At quo anno episcopatum auspicatus sit ignoratur. Hinc ambigimus utrum Vitalem huc usque omissum in catalogis debeamus Guillelmo præponere, vel subjicere. At cum Guillelmus huc usque Petro datus sit successor, maluimus ei Vitalem postponere.

1115.

X. Vitalis I.

Hunc episcopum cognominatum de S. Hermete, debemus tabulis S. Severi in capite Vasc. ubi legimus:

Dis. Hist.

· *Petrus Bigorritanus* [a] *comes, & Marsianensis comes, & ejus uxor Beatrix, & eorum filius Centullus, decimas molendini de Monte-*(Marsani) *sancti Severi monasterio concedunt: eosque Raimundus de Arbocava sancti Severi* (ab anno MCVII. ad MCXXVIII.) *abbas, & totus conventus in omnibus beneficiis & orationibus suis recipiunt. Actum Vitali de sancto Hermete episcopo Adurensem ecclesiam regente . . .*

Documentum hoc omni chronologico charactere destitutum est; sed cum Vitalis de sancto Hermete Raimundi de Arbocava æqualis sit; & Bonum-hominem Adurensi ecclesiæ ab anno MCXX. ad MCXLVII. præfuisse ex mox subjicienda charta constet, Guillelmi hujus nominis primi anno 1115. mortui decessor aut successor fuit, ut jam monuimus.

XI. Bonus-homo.

Hic episcopus sedem conscendit saltem anno 1120. ex instrumento cujusdam donationis factæ monasterio S. Severi in capite Vasc. in cujus fine legitur: *Hoc factum est tempore Raimundi abbatis istius loci* (sancti Severi,) *atque Boni-hominis Adurensis episcopi, Auscensis archiepiscopi Bernardi, currente Incarnationis D. N. J. C. anno* MCXX. *regnante domino Calixto papa secundo.* Ex eodem S. Severi tabulario unde hæc eruimus, habemus Arnaldum Burdigalensem archiepiscopum mediam partem ecclesiæ de Mémisano suæ diœcesis, de consilio Gaufredi abbatis Silvæ-majoris, concessisse Raimundo S. Severi abbati ejusque monachis, anno ab Incarn. D. MCXXII. regnante Calixto papa, Bono-homine Adurensi episcopo, luna 28.

1120. 1122.

[a] Bigorr. comes ex nomine uxoris, Marsanensis vero nomine proprio.

Digitized by Google

Memoratur inter præſules qui Burdigalam convenerunt circa annum 1131. invitati a Gaufredo metropolitano, ubi actum eſt de controverſia Guidonis Laſcurenſis, cum Bernardo Bigorritano antiſtite pro loco ſancti Petri de Generoſo, quem epiſcopus Laſcurenſis a Bigorritano repetebat; epiſcopus autem Bonus-homo a parte Guidonis ſteriſſe legitur cum Guillelmo abbate Sorduenſi, prout docet illuſtriſſimus ſcriptor Petrus de Marca, hiſtor. Bearn. l. v. c. 32. Anno 1138. eccleſiam de Gil conceſſit Silvæ-majori. Hujus epiſcopi tempore Petrus vicecomes urbem Montis Martiani ædificare aggreſſus, eccleſiæ in ea condendæ facultatem a Raimundo abbate impetravit, quod locus hic ab monaſterio penderet. Sed Bonushomo epiſcopus Adurenſis obſtitit contendens jus in novas eccleſias ad epiſcopos pertinere. Gravis autem hæc diſſenſio agitata eſt anno 1141. in concilio de *Nouguerol*, præſentibus Guillelmo archiepiſcopo Auxitano, ac Vaſconiæ præſulibus apud Nogarolium congregatis, anno 1141. Acta quidem ſynodi in libro rubro eccl. Adurenſis deſcripta præferunt annum 1091. ſed graviſſimo errore, quem emendat illuſtriſſimus Petrus de Marca: quippe hoc anno neque Petrus vicecomes erat, nec Bonushomo epiſcopus. Hoc in cœtu diſceptationi & liti finis eſt impoſitus, factaque tranſactione, abbas pro bono pacis, epiſcopo eccleſiæque Adurenſi centum triginta ſolidos Morlanenſe largitus eſt; archidiaconique Martianenſis & Turſanenſis omnibus juribus in ea eccleſia Montis-Martiani renuntiarunt. Hæc potiſſimum debemus Petro de Marca, l. ix. hiſt. Bearn. c. 8. De hujus epiſcopi morte ita necrologium S. Severi: xix. *cal. Januarii depoſitio bonæ memoriæ Boni-hominis Adurenſis epiſcopi.* Necrologium S. Johannis de Caſtella, de eodem ſic habet: ix. *calendas Januarii commemoratio domini Boni-hominis Adurenſis epiſcopi, anno* MCXLVII.

ANNI CHRISTI. 1131. 1138. 1141. 1147.

D'Orbeiſſan.

XII. Odo.

Odo de Orbeiſſano, ex antiqua familia comitatus Aſtaracenſis, prius archidiaconus & canonicus Auxitanu, forte ſuffectus eſt Bonohomini epiſcopo, quamvis de illo nihil ad nos pervenerit uſque ad annum 1170. Minime migravit e vita anno 1179. cum anno 1180. in charta eccleſiæ Auxitanæ, adhuc ſediſſe reperiatur.

1170. 1180.

XIII. Willelmus II.

Willelmum-Bernardi epiſcopis Adurenſibus accenſent tum Oihenartus, tum fratres Sammarthani; præfuiſſeque anno 1188. ex chartario Baionenſi aſſerunt.

1188.

XIV. Martinus I.

Iiſdem auctoribus Martino locum hîc aſſignamus, quippe quem ſediſſe anno 1194. affirmant. Hic autem epiſcopus erat ſimul abbas S. Johannis de Caſtella.

1194.

XV. Vitalis II.

Vitalem anno 1211. ſedem epiſcopalem obtinuiſſe produnt acta publica, ut aſſerunt Sammarthani, qui videntur Oihenarti veſtigia premere. Obiit quarto calendas Maii ex ſancti Severi necrologio, ubi dicitur ex monacho factus epiſcopus.

ANNI CHRISTI. 1211.

XVI. Johannes I.

Johannes recenſetur inter prælatos qui in oppido Tarbienſi Dominica poſt feſtum Omnium Sanctorum 1216. ſponſalibus Petronillæ comitiſſæ Bigorrenſis, cum Guidone de Monte-forti, filio Simonis comitis, ducis Narbonæ adfuerunt: iis etiam interfuere Arnaldus Bigorrenſis, Guillelmus Convenenſis*, Sancius Conſoranenſis, & Bernardus Oloronenſis epiſcopi; necnon abbates Petrus Cleraci, Odo Generenſis, & Arnaldus S. Savini, prout fidem faciunt inſtrumenta quæ in tabulario regio Palenſi aſſervantur. Hic epiſcopus ab Oihenarto Jordanus appellatur. Forte utrumque nomen Johannis & Jordani gerebat; aut unum erat ejus nomen, alterum cognomen.

1216.

* *Vide notam, pag. 1057.*

Conjicimus hunc epiſcopum fuiſſe prius abbatem Caſæ-Dei Præmonſtratenſis ordinis; idque nobis perſuadent litteræ tum cleri Adurenſis ad Gervaſium Præmonſtratenſem abbatem, tum reſponſum Gervaſii ad clerum Adurenſem, poſtulatum in epiſcopum hujus eccleſiæ abbatem Caſæ-Dei concedentis. Utrumque vetus documentum ſuppeditavit collectio epiſtolarum Gervaſii hujus abbatis edita Valencenis typis Johannis Boucher anno 1663. unde hæc deſcripſimus:

Epistola xxxvi.

Cleri Adurenſis qua poſtulatur abbas Caſæ-Dei in epiſcopum Adurenſem.

Clariſſimo in Chriſto patri ac domino Gervaſio abbati Præmonſtratenſi univerſitas capituli Adurenſis ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus.

Cum paſtorali regimine deſtituitur grex ovilis, non eſt per quem errantes ovicula ad pabula revocentur, immo dilaniandæ luporum dentibus potius exponuntur, niſi gregi proviſum fuerit in paſtore qui eas revocet ad ovile. Sane cum Adurenſis eccleſia honeſtiſſimæ converſationis & fidei religioſæ paſtorem habuerit virum profecto providum & diſcretum, qui nunc peccatis populi exigentibus quod non modico puncti doloris aculeo recitamus, diem clauſit extremum; propter quod eccleſia noſtra procellis maris hinc inde fluctuantibus periclitari compellitur, niſi mors paſtoris noſtri ſucceſſoris beneficio ſit redempta. Ad hæc ſciatis, pater chariſſime, quod cum abbas Caſæ-Dei ſubditus veſter præditus ſit ſanctitate & moribus & laudabilis teſtimonii exſtiterit longis retro temporibus, ipſum a vobis unanimiter & concorditer poſtulamus, vos modis quibuſcumque poſſumus deprecantes quatenus ipſum miſeratione divina & pietatis intuitu eccleſia noſtra orbata paſtore dignemini concedere in prælatum; ſcriptum eſt enim: Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti.

d by Google

ANNI CHRISTI. *Quapropter vos ecclesia nostra doloribus compatiamini, onus ejus alleviantes per concessionem pastoris, ut ecclesiæ mœror & lamentatio in exultationem & gaudium convertatur.*

Gervasius concedit Adurensibus abbatem Casæ-Dei, ut probat hæc ejusdem epistola, postularum in episcopum.

Viris venerabilibus & in Christo dilectis decano & capitulo Adurensi frater Gervasius Dei patientia Præmonstrati dictus abbas, salutem & orationes in Domino salutares. Receptis litteris universitatis vestræ nobis cum multa devotione porrectis, non potuimus non moveri pietate, visa prima facie litterarum, pro eo quod scilicet prælatus vester qui in vita sua vir fuit profecto providus ac honestate probatus, viam universæ carnis, sicut Domino placuit, sit ingressus, & quod ecclesia Adurensis tanto sit viduata pastore, qua, ut verbis vestris utamur, procellis maris hinc inde fluctuantibus periclitari compellitur, nisi mors ejusdem prælati successoris beneficio sit redempta. Verum cum ex voluntate Domini, non ex meritis personarum apud vos vigeat ordo noster, ut ex ipso vobis assumere velitis pastorem venerabilem in Christo dilectum fratrem abbatem Casæ-Dei quem vobis unanimiter postulastis, amicabiliter concedimus, & benigne rogantes ut serenitas vestra & devotio quam ergo ordinem memoratum cognoscimus vos habere, in posterum non tepescat. Supplicamus etiam vobis quatenus ecclesiam Casæ-Dei, cum sit pauper in rebus, foveatis in quantum vestra discretio permiserit honestatis.

Gervasius abbas Præmonstrati suo præfuit ordini, ab anno 1209. ad annum 1220. ut dicemus in episcopis Sagiensibus. Itaque Casæ-Dei abbas ab eo concessus, ut fieret Adurensis episcopus, debuit sedere inter annum 1209. & 1220. Is non fuit Vitalis, qui monachus fuerat, non abbas ordinis Præmonstratensis. Neque hoc de Gauterio potest intelligi, quem constat fuisse monachum Cistercien sem. Itaque verisimile est Johannem I. fuisse illum abbatem Casæ-Dei, de quo in epistolis præmissis agitur; nisi fortasse hic episcopus sederit inter Martinum I. & Vitalem II.

XVII. GAUTERIUS.

Gauterius episcopus innotescit ex ejus epitaphio quod hactenus ejus sepulcro insculptum legitur in diruta navi ecclesiæ Bonarum-vallium, hoc modo: III. *cal. Augusti obiit dominus Gauterius Clarevallensis monachus episcopus Adurensis.* Annus ipsius obitus non notatur, sed character accedit ad annos circiter 500.

XVIII. ARNALDUS.

Arnaldi episcopi Adurensis nomen designatum per primum nominis characterem A. reperitur in veteri registro connestabulariæ, ut 1221. aiunt, Burdigalensis, ad annum 1221. Testis autem fuit in professione fidei clientelaris Guillelmi de Monte-Catano vicecomitis Bearnensis, quam de terra sua Vasconiæ exhibuit die 22. Februarii, Henrico regis Angliæ senescallo, præsentibus Raimundo Garsia de Navailles, R. Arnaldo de Coarrasa*, & aliis proceribus. Nominatur & in bulla unionis abbatiæ S. Quiteriæ de Manso, cum episcopatu Adurensi a Greg. IX. summo pontifice anno 1227. *al.* 1228. ANNI CHRISTI. *Hist Bearn. l. VI. c. 33.* 1228. *Codarsa.

De illo hæc leguntur in S. Severi veteribus chartis: *A.* (Amanevus) *Auxitanus episcopus, H.* (Hugo) *Bigorrensis & R. Olorensis episcopi, pacem inter A.* (Arnaldum) *Adurensem episcopum, & priorem ac conventum S. Severi de consensu A. episcopi Lascurrensis ejusdem monasterii provisoris, auctoritate Gregorii papæ IX. renovant, conservata monachis ubicumque intra Adurensis episcopatus limites existant, omnimoda ab episcopi jurisdictione exemtione. Actum mense Decembri an. Verbi incarnati* MCCXXXI. Ita tabulæ S. Severi.

XIX. AUGERIUS.

Eodem tempore quo Arnaldus ecclesiam Adurensem moderabatur, occurrit in codice Burdigalensi *Augerius* episcopi Adurensis ecclesiæ titulum gerens, inter Benearnii proceres, qui adfuerunt sacramento fidelitatis, quod Guillelmus de Moncade vicecomes Bearn. senescallo Henrici regis Angliæ præstitit pro terrarum suarum dominio quas in Aquitania obtinebat. Idem Augerius anno 1227. nominatur abbas S. Quiteriæ in bulla unionis hujus abbatiæ cum episcopatu, tempore Gregorii IX. De eodem in martyrologio seu necrologio Sanseveriano: VIIII. *cal. Augusti depositio domni Augerii episcopi Adurensis ecclesiæ bonæ memoriæ, anno* MCCXXXVII. 1227.

Non minus nos torquet quod legimus in libro *rubro*, de synodalibus constitutionibus promulgatis in ecclesia S. Hippolyti (de Villeneuve de Marsan) die 6. Octobris anni 1229. *per M. episcopum Adurensem*; utrum enim hic sit idem ac Augerius, vel Arnaldus, cujus nomen amanuensis volens per priorem litteram A. significare, incaute scripserit M. aut alius prorsus sit ab illis episcopis, ignoramus.

XX. RAIMUNDUS II.

D. SAINT-MARTIN.

Ad Raimundum de S. Martino exstant litteræ decani S. Andreæ Burdigalensis, sanctæ Sedis mandato adversus Gastonem Benearnensem vicecomitem, ac fœderatos hujus regionis nobiles, scriptæ anno 1253. ex chartul. Burdigal. Occasio adversus illos proceres scribendi fuit, quod Henricum Angliæ regem, in procinctu profectionis maritimæ ad bellum sacrum, incursione facta per Aquitaniam vexassent. Anno 1264. sabbato post festum sancti Michaëlis litteras testimoniales dedit de miraculis quæ fiebant in ecclesia Carmelitarum Tolosanorum, quibus in litteris legitur episcopus Adurensis, & S. Quiteriæ, ob unitam episcopatui Adurensi S. Quiteriæ abbatiam, uti jam superius dictum. 1253. *Tab. Carmel. Tol.*

Raimundum deposito pastorali onere, ingressum esse monasterium S. Johannis de Castella, an. 1266. ibique institutum Præmonstratensium suscepisse, docent Fr. Sammarthani. Sed contra id pugnat necrologium sancti Severi in capite Vasconiæ, ubi Raimun-

di obitus consignatur VI. idus Augusti anni MCCLXV.

ANNI CHRISTI 1265.

XXI. Petrus II.

Petrus electus, ut aiunt, anno 1267. cum Auxitano archiepiscopo, & aliis ejusdem provinciæ antistitibus Raimundo Bigorrensi, Geraldo Lactorensi, Compainho Olorensi, præsentibus quoque Esquivato Bigorrensi comite ac Geraldo Armaniacensi, adfuit pactis matrimonii Constantiæ filiæ Gastonis vicecomitis Bearnensis, cum Henrico Angliæ principe Richardi Romanorum regis filio, apud Montem-Martianum die Mercurii post octavam sancti Martini, anno 1268. Biennio post instituitur curator testamenti Matæ, *al.* Amatæ vicecomitissæ Gastonis conjugis, cum Lactorensi episcopo.

Marca hist. Bearn. l. 7. c. 12. pag. 16.

1268.

Ex tab. Cathed. Palentin.

1270. Anno 1270. Gasto vicecomes cum Amata uxore fundavit parthenonem apud Montem-Martianum quem dotavit multis collatis latifundiis, pedagiis, feudis; additis quoque ducentis solidis Morlanensibus annui reditus; quæ omnia dedit in manus Petri Adurensis *& sanctæ Quiteriæ* episcopi, qui diplomati vicecomitis suum apposuit sigillum. Ipse vero iisdem monialibus quædam cum capituli consensu donavit anno 1276. præsertim decimas in omnibus illarum agris acquisitis vel acquirendis, in parochia S. Laurentii de Bayries.

Marca ib. p. 29.

1276.

1279. Anno 1279. nonis Februarii sedit in Ausciensi concilio, habito in primis pro defensione jurium ecclesiæ Vasatensis, adversus senescallum Vasconiæ, ut intelligitur ex epistola synodica * ad Eduardum Angliæ regem ducem Aquitaniæ scripta, cui Petri nomen inscribitur. Postea an. 1283. ipse judex & arbiter electus a partibus composuit, adjutore Pontio de Insula decano Santonensi *, longa dissidia inter ecclesiam Vasat. & regios ministros. Vide to. XI. concil. part. 2. in append. pag. 2375. & 2376.

* *In collect. Rim. t. 2. pag. 129 legitur.* Pridie nonas Febr.

Petri episcopatum usque ad annum 1295. extendit Oihenartus. Contra vero nostri Sammarthani anno 1284. admittunt Geraldum episcopum post Petrum; quos sequimur.

XXII. Geraldus.

1284. Geraldum sedisse anno 1284. probatur ex cessione comitatus Bigorrensis facta a Constantia comitissa hoc anno, in manibus senescalli regis Angliæ, præsentibus Amanevo metropolita Auxitano, Petro Lactorensi, Geraldo Adurensi, & Raimundo-Arnaldo Tarbiensi. Nimirum mortuo Esquivato comite Bigorrensi, Constantia Gastonis vicecomitis Benearnensis primogenita pro ipsius herede agnita est ab omnibus comitatus ordinibus, ratione habita substitutionis factæ a Petronilla comitissa. Obstitit Lora Esquivati comitis soror, Turenæ vicecomitissa, & adiit

Marca hist. Bearn. l. 7. c. 13.

* In tabulis Silvæ-majoris *Engolismens.* Ibi itaque legimus, quod Petrus Adurensis & S. Quiteriæ episcopus, & Pontius de Insula decanus Engolismensis ordinarunt quod Hugo episcopus & canonici Vasatenses, medietatem pro indiviso jurisdictionis & justitiæ temporalis altæ & bassæ civitatis Vasatensis . . . . . Eduardo Angliæ regi Aquitaniæ duci tradant. Actum Burdigalis die Veneris ante festum B. Mar. Magdalenæ an. MCCLXXIX.

Johannem de Greili Vasconiæ pro Angliæ rege seneschallum, quæsta sibi ademtam injuste a Constantia hereditatem. Itaque rex Angliæ de his a seneschallo certior factus, jussit ut suo seneschallo sequestro comitatus cederetur, donec de utriusque jure ferretur sententia. Hoc factum notatur apud Tarbam anno præfato 1284. die Mercurii post festum Annuntiatæ Deiparæ Virginis, coram Auscitano archiepiscopo nomine Amanevo, nostro Geraldo, episcopis Lactorensi & Tarbiensi, Gausberto sancti Maurini & Bonello Scalæ-Dei abbatibus.

ANNI CHRISTI

Annus hic 1284. fere fuit episcopatus Geraldi principium & finis; nam anno sequenti alius nobis adest episcopus nomine Petrus.

XXIII. Petrus III.

Petrus anno 1285. subscripsit codicillis Geraldi comitis Armaniacensis, quo ipsius curæ mandabat exsecutionem sui testamenti. Legimus eum adfuisse publicæ clientelæ professioni, quæ facta legitur Constantiæ comitissæ, ab optimatibus & nobilibus comitatus Bigorritani anno 1288. sed subodoramur nonnihil mendosi in anni hujus annotatione. Id enim inferius legitur actum VII. idus Septembris, anni 1283. ac paulo post Esquivati mortem. Itaque ad Petrum II. pertinet, non ad tertium, quem lego adhuc inscriptum tabulis anni 1295. Juvat hic observare Petrum hoc in instrumento, pro Adurensi appellari *Martianensem* episcopum, titulo sumto a Martiano-monte oppido diœcesis percelebri. Epistola regis Angliæ de Vasconia recuperanda data die X. Julii an. 1294. inscripta legitur Amanevo archiepiscopo Auxitano, &c. & Petro Adurensi episcopo. Vide in Amanevo.

1285.

Marca ib.

1288.

1295.

XXIV. Martinus II.

De Fossa.

Apud Sammarthanos legimus Martinum de Fossa præfuisse annis 1300. & 1306. ex libro rubro episcopatus. Et quidem in laudato codice duo leguntur acta, quæ id probant. Primum est transactio inter hunc Martinum episcopum & Seguinum de Stagno militem, pro quarta parte decimæ S. Hippolyti de Badigias; act. die Dominica ante festum Nativitatis B. Mariæ anno MCCC. Alterum ejusdem diei & anni litteras dicti Seguini exhibet, quibus confitetur episcopo Adurensi quartam hanc decimæ S. Hippolyti partem deberi: *Actum Philippo rege Francorum regnante, Constantia Martianensi vicecomitissa, Martino Adurensi episcopo.*

1300. 1306.

XXV. Bernardus.

Nomen hujus episcopi, qui sedebat anno 1314. designatus per litteram B. fuisse Bernardum, divinat Oihenartus. Sed candide fatentur Sammarthani æque posse appellari, Bertrandum, Bonifacium, &c. Nobis vero constat eum dictum esse Bernardum; nam in chartis deprehendimus Bernardum episcopum annis 1318. & 1322. die 2. introitus Junii; itemque eodem anno in tabulis S. Severi.

1318. 1322.

ANNI CHRISTI.

XXVI. Guillelmus III.

Guillelmus paulo tardius aſcendit Aduren-
ſem cathedram, quam docent Sammarthani,
qui eum anno 1321. volunt jam dignitate epi-
ſcopali ornatum fuiſſe; quo tempore conſtat
adhuc præfuiſſe Bernardum: at nihil vetat quo-
minus anno ſequenti pedum geſtaverit.

Quidam catalogus Guillelmo ſubrogat Anto-
1326. nium ad annum 1326. die 13. Octobris: ad quod
probandum teſtes appellantur libri obligatio-
num apud Vaticanum aſſervati. Oihenartus
& Gemelli fratres Aneſſancium, omiſſo Anto-
nio, ſucceſſorem Guillelmo dant, quibus liben- B
ter ſuffragamur.

XXVII. Aneſſancius.

Joyoſa. Aneſſancius, ex illuſtri de Joyoſa gente or-
tus, a laudatis ſcriptoribus electus dicitur 13.
1326. Octobris anni 1326. Non diſſimulant tamen in
nonnullis indicibus epiſcopum hunc ab anno
1324. comparere; at libros obligationum Vati-
cani ſequi profitentur. Certe jam ſedebat ſal-
1327. tem anno 1327. nam in actis concilii Martia-
cenſis Auxitanæ provinciæ, habiti die 6. De-
cembris anni 1329. dicitur *mortuus ante duos*
annos & amplius. Quo vero mortis genere vi- C
tam finierit nunc dicendum. Huic epiſcopo nul-
la de cauſa multis nobilibus inviſo, ſtruxerunt
inſidias Tercellus de Brulato, Bernardus de
Caneto, Raimundus G. de Arivanta, Johannes
& Arnaldus ejus fratres, Spurius de Anedo,
Petrus Spurius de Sanguineda, dictus d'Arbo-
cave, Arnaldus-Guillelmus de Serignaco, Spu-
rius de Ju, Manentonus, & Johannes de Capne-
villa fratres, & ex inſidiis irruentes eum occi-
derunt prope Nogoralium in Auxitana dioece-
ſi. Sicarios de tanto ſcelere gloriantes in ſuis
caſtris receperant Theobaldus & Monaldus
de Barbaſano fratres, Guillelmus de Monce- D
die, Arnaldus de Morlana, Theobaldus de
Tuſæguето. Itaque ad refrænandam coërcen-
damque militum illorum immanitatem ac in
maximis ſceleribus ſuperbiam, coacta eſt ſynodus
provinciæ apud Martiacum Auſcienſis dioece-
ſis, cui interfuerunt epiſcopi provinciæ ſub Guil-
lelmo metropolitano in feſto S. Nicolai hyema-
1329. lis die ſexta Decembris anni 1329. Atque hoc in
cœtu decreverunt reos afficiendoſeſſe pœnis con-
tentis in conſtitutione provinciali jam promul-
gata quæ incipit: *Quia quod contra prælatos*. In-
ſuper denuntiarunt G. de Bauceria militi ſeneſ-
callo comitis Armaniaci, & Raimundo de Mon- E
tiliis judici ordinario dicti comitis, *tanquam im-*
mediatis ſuperioribus malefactorum, ut diligenter
contenta in præfata conſtitutione exſequi cura-
rent.

Garsias. ## XXVIII. Garsias I.

Electus in locum Aneſſancii Garſias Faber,
concilio Martiacenſi adfuit, proindeque jam
Adurenſis erat epiſcopus anno 1329. & quidem
1328. præeſſe cœpit die 6. Februarii anni 1328. ſi
Sammarthanis fides librum obligationum Vati-
cani laudantibus. Brevi quo præfuiſſe videtur
tempore gratum ſeſe civibus exhibuit, quibus
A cum Olivario Duncan pro Angliæ rege præfe-
cto & Gaſtone vicecomite Bearnenſi ac Fuxenſi
comite conceſſit privilegia. Anno 1330. ejus fit
mentio in tabulis S. Severi; ultra annum 1331.
nulla ejuſdem in actis publicis occurrit mentio.
Non audemus tamen aſſerere ejus epiſcopatum
hoc anno ceſſaſſe.

ANNI CHRISTI.
1330.
1331.

XXIX. Dalfinus.

Conſentiunt Oihenartus & Gemelli fratres
tum in admittendo hoc antiſtite, quem ex fami-
lia Marqua-Faberia conjectant fuiſſe genitum,
tum in aſſignando ejus epiſcopatui anno 1354.
qui fuit ultimus, ut mox oſtenſuri ſumus.

1354.

XXX. Bernardus II.

Noſter Claudius Eſtiennot in catalogo abba-
tum Fontis-frigidi, tom. II. antiquitatum Be-
ned. in Septimania &c. dicit hunc Bernardum
ex abbate Fontis-frigidi factum eſſe epiſcopum
Adurenſem bulla Innocentii papæ VI. anno 2.
ejus pontificatus, ex actis pontifi. iis Avenionen-
ſibus. Annus vero ſecundus hujus papæ nume-
ratur milleſimus trecenteſimus quinquageſimus
quartus: eum notarunt Oihenartus & Sammar-
thani ad annos 1355. & 1359.

Pag. 159.
1354.
1359.

XXXI. Petrus IV.

Gaxia-pecto.

Petrum de Gaxiafecto ſufficiunt Bernardo
Sammarthani an. 1359. *ex quibuſdam*, inquiunt,
ſchedis, Oihenarto incognitum & Claudio Ro-
berto, cujus Adurenſium præſulum catalogus
multum mutilus eſt; nam ex epiſcopis pluſquam
quinquaginta, octo tantum exhibet: nobis vero
de hoc Petro nihil occurrit.

1359.

XXXII. Johannes II.

Sedit hic epiſcopus ætate Gaſtonis cogno-
mento Phœbi Fuxenſis comitis, annis 1365. &
1369. ex chartis S. Severi, necnon anno 1378.
ex tabulis eccleſiæ Laſcurenſis; recenſeturque
inter epiſcopos Auxitanæ provinciæ qui ad con-
cilium Vaurenſe convenerunt, anno 1368. men-
ſe Maio; præfuiſſe adhuc poſtea uſque ad de-
cennium legitur.

1368.

XXXIII. Robertus.

Walden-bar.

Robertus Waldebrius Eboraci in Anglia ho-
neſtis natus parentibus, ordini Eremitarum S.
Auguſtini nomen dedit, doctor theologus in
academia Oxonienſi factus, ad præcipuas in or-
dine ſuo dignitates provectus eſt, ob ſingularem
pietatem, doctrinam, eloquentiam non vulga-
rem; a quibus aſcendit ad eminentiores: nam
primum fuit epiſcopus Adurenſis anno 1387.
poſtea Dublinenſis archiepiſcopus in Hibernia,
ubi fuit etiam regni cancellarius anno 1392.
Ab illa vero ſede ad Ceſtrienſem in Anglia re-
vocatus eſt anno 1395. per quam tranſivit tan-
tummodo, ut Eboracenſem conſcenderet an-
no 1396. ubi quievit in domino anno 1399. Mul-
ta ſcripſit partim Anglico, partim latino ſermo-
ne, maxime ad Thomam ſancti Albani abba-
tem; nempe expoſitiones morales in ſymbolum
Apoſtolorum, in orationem Dominicam, ſer-
mones ad clerum populumque, contra VII.

1387.

peccata mortalia &c. De eo conſulendus Pi- A nobis ſollicite inquirentibus, nihil penitus certi
ANNI CHRISTI. ſeus de ſcriptoribus, Pamphilius in chronico Auguſtiniano, Poſſevinus tom. II. apparatus ſacri,& alii: erravit graviter Cl. Robertus eum pro Eboracenſi ſcribens epiſcopum Ebroïcenſem. occurrit. Oihenartus,& Sammarthani eum electum anno 1418. docent,ſediſſe que adhuc anno 1416. Verum hæc falſa ſunt ſi conſtet quod in alio catalogo legimus, ipſius anteceſſorem an. 1417.adhuc munus epiſcopale obiviſſe. De Rogerio vero id tantummodo nobis conſtat, quod in actis publicis legimus, eum anno 1436. ad- 1436.
ANNI CHRISTI.

XXXIV. GUICHARDUS.

Legitur interfuiſſe funeri Gaſtonis Phœbi, comitis Fuxenſis, & Bearnii vicecomitis, apud
1390. Orteſium, anno 1390. menſe, ut conjicimus, Auguſto; nam Gaſto calendis Auguſti obiit ex Oihenarto. Perperam vero epiſcopatus ejus uſque ad annum 1400. protrahitur.

fuiſſe Gaſtoni comiti Fuxenſi,cui erat a conſiliis, hominium præſtanti pro caſtro Appamienſi,.tujus urbis epiſcopo. Erat epiſcopus Tarbienſis, anno 1444. 1444.

B

XXXIX. LUDOVICUS.

D'Aubais.

Arnaldi.

XXXV. GARSIAS II.

Garſiæ memoria exſtat in tabulario Bolbonæ celebris monaſterii ordinis Ciſtercienſis,ubi Garſiæ nomini cognomen Arnaldi additur; nempe præſens memoratur confirmationi privilegiorum Bolbonenſis abbatiæ, conceſſæ a Matthæo Fuxi comite ſucceſſore Gaſtonis comitis, hujus nominis tertii, die 12. Auguſti anni
1391. 1391.

Ludovicus de Lebreto ex genere illuſtriſſimo ortus, patrem habuit Carolum II. dominum de Lebreto comitem Drocenſem, qui anno 1442. cum duobus filiis urbem Aduram Anglis ereptam in poteſtatem Caroli VII. regis redegit, mater ejus paris nobilitatis fuit Anna de Armaniaco, filia Bernardi comitis Armaniacenſis Franciæ conſtabularii, ex Bona Johannis Bituricenſis ducis filia. Ludovicus primum fuit protonotarius apoſtolicus ac prior Pontonenſis; conſecutus eſt tandem Romanam purpuram, quæ ad multas alias eccleſiaſticas dignitates acceſſit, inter quas recenſetur adminiſtratio epiſcopatus Adurenſis quam nactus eſt die 18. Januarii anni 1453. ſi fides adhi- 1453.
beatur Oihenarto & Sammarthanis. Simul

Bauni.

XXXVI. BERNARDUS III.

Bernardus Bruni ſuſcepit eccleſiam Adurenſem adminiſtrandam anno 1399. notatus in ta-
09. bulis annis 1409. 1410. & 1416. quem aiunt ſynodo Conſtantienſi adfuiſſe.

C

de Lescun.

XXXVII. ARNALDUS-GUILLELMUS I.

Arnaldum-Guillelmum de Leſcunio commendabat nominis & natalium claritas; etenim ex vicecomitibus Lupanerienſibus genus ducebat ſcilicet ex Fortanerio filio Johannis Pomerii ex Margareta Leſcunia,inquiunt Sammarthani. Quamquam Oihenartus, qui Arnaldo-Guillelmo Leſcunii cognomen dat, minime ipſum dicit filium Fortanerii. Et ſane idem vir D
doctus qui in notitia Vaſconiæ ſtemma exhibet Lupanerienſium vicecomitum Leſcunii in Bearnio dynaſtarum, in quo meminit Johannis Pomerii & Margaretæ Leſcuniæ ipſius uxoris, necnon Fortanerii eorum filii,nequaquam eum dicit parentem noſtri epiſcopi. Quantum ad epiſcopatus initium, promotus dicitur anno
1417. 1417. quo tempus omne epiſcopalis præfecturæ completum eſt, vel anno ſequenti, ex Gallia Chriſtiana Sammarthanorum, qui Rogerii E
ſucceſſoris epiſcopatum inchoant ab anno 1418. verum in quodam catalogo lego Arnaldum an-
1427. no 1427. conceſſiſſe decimas de Monte-acuto domino loci illius.

Extab. Palenſi.

Ex tumulo.

Qui ipſum flagrantiſſimo amore proſequebatur cardinalis Papienſis,morte præreptum ſibi amicum ſic luget epiſtola in ejus ſcripta funere his verbis: *Amor*, inquit, *& delicia collegii noſtri Ludovicus cardinalis qui diligebat nos unice, nocte proxima inter ſextam & ſeptimam horam ſpiritum Domino reddidit. Admirabilis fuit hic tranſitus ejus: moriturum ſe noſcens, cogitare, & loqui, & audire alia de re, præterquam de ſalute animæ, non eſt paſſus. Fuerunt ſibi lacrymæ pro panes, dum recogitavit annos præteritos. Cubiculum ejus aſſiduis queſtibus, & compunctionibus cordis repletum eſt. Sacramentum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumturus, e lecto in terram ſe juſſit deponi: Horas canonicas non ante dimiſit, quam a voce eſt ipſe dimiſſus. Pro Salvatoris noſtri legebatur aſſidue: inter audiendum non ceſſabat ſuſpirium & fletus.* Ejus tumulo affixum in eccleſia Aracalitana legitur hoc epitaphium:

de Castrobon.

XXXVIII. ROGERIUS.

Rogerius de Caſtro-bono, ob eximias dotes, & ſingularem præſertim in rebus agendis dexteritatem ac peritiam, miſſus eſt in Hiſpaniam ad Alfonſum Arragonum regem pacis conciliandæ cauſa, pro qua diligentiſſime allaboravit, parsque magna fuit totius conſilii difficiliimæ legationis Petri cardinalis Fuxenſis, pro ſchiſmatis Paniſcolenſis exſtinctione. Quo vero tempore Adurenſem rexerit eccleſiam

ANNI CHRISTI.

LUDOVICUS

Tituli ſanctorum Petri & Marcellini presbyter cardinalis, natione Gallus, gente DE ALBRETO, *regio Francorum ſanguine natus, moribus & vita clarus hic in pace quieſcit. Vixit annos* XLII. *menſes octo, dies duodecim. Obiit Romæ anno* M. CCCC. LXV. *die quarta menſis Septembris.*

De ipſius virtutibus cardinalis Papienſis ita loquitur in laudata de ejus funere epiſtola.

A parentibus, inquit, *religioſis educatus, nihil niſi religioſum ſapere poterat; verbum impudicum, inſolens, & aſperum nunquam eſt ex ore ejus auditum, converſatio erat grata, conſuetudo ad omnia facilis, ſenſus plenus miſericordia, ſemper ad rectum intenti, odientes malum & adhærentes bono. Introſpexi pra cæteris hominem totum, ſcrutatus ſum renes & cor, nihil unquam malignum in cogitatione patris hujus inveni.*

d'Aura.

XL. TRISTANDUS.

a

Triſtandus de Aura [a], filius erat Sancii Garciæ domini Montis-Albani Bigerronum ſeneſcalli. Ex eodem Sancio procreatus eſt Antonius III. de Acromonte (Gramont,) cujus avus Antonius de Aura primus aſſumſit cognomen de Gramont, ob matrem Claram, filiam Franciſci de Gramont, ejuſque bonorum heredem. Quod ſpectat ad Triſtandum, ex referendario papæ, & epiſcopo Conſoranenſi factus eſt præſul Adurenſis, anno, inquiunt Sammarthani

1461. poſt Oihenartum, 1461. quo fit ejus mentio in pactis conjugii Gaſtonis comitis Fuxenſis, vicecomitis Caſtri-boni, cum Magdalena Ludovici regis XI. ſorore 11. Februarii. Quin etiam delectus eſt ex parte Gaſtonis comitis legatus & procurator, qui vice ſua ſponderet. Capituli ſtatuta approbavit hic epiſcopus. Comitiis generalibus totius regni apud Turones coactis

1477. 1509. interfuit, an. 1477. Obiit nonagenarius an. 1509.

De Foix.

XLI. PETRUS V.

Petrus Fuxenſis cardinalis de Fuxo, junior nuncupatus, Infans Navarræ, vetuſtiſſima nobiliſſimaque ſtirpe procreatus, Gaſtonis quippe hujus nominis IV. comitis Fuxi, & Eleonoræ, Johannis Aragonii ac Blancæ Navarræ reginæ natæ filius, Franciſci autem a formæ venuſtate Phœbi cognominati, regiſque Navarræ patruus, Pali naſcitur 7. Februarii 1449. Ab ipſa pene infantia egregiæ indolis ad capeſſendas diſciplinas documentum præbuit, quibus apprime imbutus, Petrique cardinalis de Fuxo propatrui, claritate nominis ubique noti, ſtudiis educatus, Patavii in audiendis prælectionibus, ac diſputationibus aliquod tempus utiliter traduxit, & doctoratus laurea inſignitus Ferrariæ, tum Romæ præſtantia meritorum, maxima laude, coram pontifice & ſacro purpuratorum collegio inclaruit. Epiſcopali dignus infula creatur epiſcopus Venetenſis, factuſque adminiſtrator Adurenſis, inter cardinales tandem cooptatur XV. cal. Januarii a Sixto IV. papa, tit. SS. Coſmæ & Damiani, galero donatus in eccleſia cathedrali Laſcurrenſi. Apud Innocentium VIII. vero ſumma præſertim auctoritate valuit, qui eum Romam evocavit anno 1487. ad concordiam regni Neapolitani procurandam: in Gallia autem turbas Britannicas ſub Franciſco II. duce, ſororis ſuæ viro egregie compeſcuit. Demum Romæ in palatio Urſinorum, 10. Auguſti 1490. efflavit animam, funeratus in baſilica S. Mariæ de Populo. Fuit hic propatrui ſui cardinalis egregius imitator, atque ordinis Minorum cum eo alumnus: vir inter alia ingenii ornamenta placidus & humanus, ad caritatem natus, ut eſt apud Jacobum cardin. Papienſem lib. 11. Commentar. eximia inſuper eruditione, prudentia, manſuetudine ita excultus, ut honor collegii cardinalium, nec immerito Petri primi cardinalis dignus ſucceſſor haberetur. Legendi Onuphrius, Alf. Ciaconius, Garibajus, Zurita, Auberius &c. Porro quo tempore pedum apud Aduram obtinuerit minime conſtituere poſſumus. Oihenarto catalogum Adurenſium præſulum indicem texenti fuit incognitus; quod valde mirandum, ſi conſtet Petrum epiſcopum fuiſſe Adurenſem: nam Oihenartus egregie ſcripſit de Vaſconiæ patriæ ſuæ hiſtoria; & ſtemma Gentis de Fuxo exhibet, in quo Petrum cardinalem notat, ſed de collato ipſi Adurenſi epiſcopatu filet: id quidem legitur apud Friſonum, in Gallia Purpurata, & Claudium Robertum, in Gallia Chriſtiana, ſed mendoſe dicitur hic epiſcopus ſuffectus Chriſtophoro de Fuxo, qui non niſi diu poſtea vixit: hunc errorem caverunt noſtri Sammarthani; ſed nihil proferunt unde certo nobis liqueat, aut quo tempore aut etiam utrum epiſcopales Adurenſium infulas geſſerit: hac adhibita cautela nolui ſilentio prorſus premere quæ de Petri epiſcopatu legi.

XLII. ANTONIUS I.

Petro de Fuxo noſtri Sammarthani ſucceſſorem dant Antonium ad annum 1495. quo etiam tempore Oihenartus eumdem ſediſſe docet; nec plura de eo ſcimus; ita ut ipſius cognomen etiam nos fugerit. 1495.

XLIII. BERNARDUS IV.

d'Abadie

Bernardum d'Abadie protulit honeſta familia urbis S. Severi in capite Vaſconiæ nunc exſtincta. Jam Adurenſibus jura ſacra dabat anno 1497. quo, menſis Septembris die 15. a *Bidalot* notario ſcriptæ ſunt tabulæ pro fundatione & inſtitutione unius præbendæ, in eccleſia S. Magdalenæ de Monte-Martiano, regnante Carolo rege Francorum, Johanne & Catharina in Navarra regnantibus, & vicecomitatum Martianenſem poſſidentibus, & Bernardo Abadie epiſcopo Adurenſi, ac Manſi ſanctæ Quiteriæ. 1497.

XLIV. BERNARDUS V.

d'Ambaſis.

Bernardi cognomen de Ambaſia, augurium fuit virtutis, & gloriæ quæ virtutis præmium eſſe debet; itaque cum ex ſplendido illo genere, ex ramo videlicet dominorum d'Aubijoux, eſſet ortus, nec degener virtutis avitæ, ſeſe

Sammart.

a Ita vir doctiſſimus N. du Fourny, hiſt. geneal. domus Fr. &c. de Francia mareſcallis, pag. 759.

ANNI CHRISTI

ecclesiastico statui addixisset, assumtus est ad sedem Adurensem, quam dicitur administrasse ab anno 1500. ad 1508.

ANNI CHRISTI. 1508. 1500.

Anno 1501. instituit officium præcentoris, cui sufficientes dedit proventus & univit ecclesiam parochialem urbis, consentiente capitulo. Quandiu sederit, & quo tempore ex hac vita excesserit ignoramus.

XLV. ANTONIUS IV.

DE APINIACO.

Antonium, quem soli Sammarthani de Apiniaco cognominant, aiuntque fuisse ecclesiæ Gratianopolitanæ decanum, præfuisse anno 1514. probatur ex libro censuum capituli. Oihenartus eidem assignat annum 1515. obiit vero anno sequenti, juxta Sammarthanos.

1514. 1515.

XLVI. ARNALDUS-GUILLELMUS II.

D'AIDIE.

Arnaldus-Guillelmus d'Aidie, ex genere vicecomitum de Riberac, in Petracoriis, ex qua gente fuit Guido Aidius, eodem fere tempore Sarlatensis episcopus, cum esset abbas commendatarius S. Severi, S. Gerontii, & Pontis-alti, ab anno 1506. post avunculi, vel potius patrui mortem, ascendit cathedram Adurensem an. 1516. Legitur vero apud S. Gerontium habitasse. Obitus ejus ita notatur in necrologio sancti Severi: *II. cal. januar. obiit dominus Arnaldus-Guillelmus de Aydia, abbas hujus cœnobii, episcopus Adurensis, abbas de Ponte-alto, & sancti Gerontii.*

1516.

Annus obitus hic non notatur. Vacabat sedes anno 1522. ut nos docet testamentum Jacobi de Pardaillan, vicecomitis de Pavia, & de Juillac in diœcesi Adurensi, scriptum *die* v. *Augusti anno* M.D.XXII. *regnante Francisco Francorum rege, episcopali sede Adurensi vacante.* Quæ debemus V. C. D. d'Hozier, uti & plurima alia.

1522.

XLVII. CAROLUS.

DE GRAMONT.

Carolus de Acromonte, de quo jam locuti sumus in Consoranensibus episcopis, dicitur factus præsul Adurensis anno 1524. quam cathedram reliquit post sexennium ut ad metropolim Burdigalensem accederet. Cui sacræ præfecturæ etiam temporalem & terrenam conjunxit; nam simul vices egit Odeti Fuxii Lautreci, in provinciæ Aquitaniæ gubernatione.

1524. 1530.

XLVIII. PETRUS VI.

DE BIAXIS

Petrus Biaxius regum Navarræ Johannis ac Catharinæ cancellarius, & eorum assiduus apud reges Galliæ & Hispaniæ legatus, eodemque munere cancellarii functus Henr co II. rege, successit Carolo in sede Adurensi; a quo etiam editum est directorium electionum, quod sub ejus nomine, nempe Petri de Biaxio, sive Biassio, recte laudatur a Rebuffo; cum in compilatione tractatuum juris, corrupte tribuatur Boissio.

XLIX. GABRIEL.

DE SALUCES.

Gabriel de Saluces ex principibus Salutiarum ortus, Ludovici marchionis, ac Margaritæ Fuxensis Candalæ filius, abbas Casæ-novæ in Salutiensi marchia, nominatus est Adurensis præsul 1535. insequenti anno adfuit parlamento Parisiensi juxta Tilium. Sed non consecratus, ex ecclesiastico principatu transiit ad secularem, factus marchio Salutiarum post obitum fratrum. Germanos nempe hic habuit Michaëlem-Antonium marchionem, equitem torquatum, & Gallorum exercitibus in regno Neapolitano præfectum, Johannem-Ludovicum, & Franciscum marchiones, quibus e vita sublatis de principatu iste investitus a rege Francisco I. conjugem duxit Magdalenam d'Annebaud, Claudii Franciæ thalassiarchæ & marescalli, Normanniæque proregis filiam. Sed Pinerolii decessit orbus anno 1548. corpusque in patriam delatum ad sancti Johannis-Baptistæ in majorum conditorio tumulatur. Itaque marchionatus ille ratione feudi ad regem Christianissimum multoties cum devolutus fuisset, uti observat celebris gestorum Francisci I. scriptor Martinus Bellaius, Johannes-Ludovicus Gabriëlis fratris successor, codicillis de jure suo cessit, & provinciam Carolo IX. Francorum regi pro usufructu comitatus Belli-fortis in Andibus transmisit; sed ea ditione per Carolum-Emmanuëlem ducem Sabaudiæ coronæ Francicæ prærepta, tandem de restitutione actum est anno 1600. ac loco compensationis pro marchionatu, Sebusianorum provincia, quam Bressiam vocant, cum omni supremo dominio regno Galliæ adcrevit.

1535.

L. JACOBUS.

S. JULIEN.

Jacobus a S. Juliano abbas Casæ-novæ, & episcopus Adurensis, annis 1550. & 1557. collegium in civitate sua instituit. De eo meminit Martinus Bellaius in commentariis.

1550. 1557.

LI. CHRISTOPHORUS.

DE FOIX.

Christophorus de Foix de Candale, Gastonis Candalæ comitis, & Marthæ comitissæ Astaricensis filius, Navarræ regis major eleemosynarius, tum episcopus Adurensis die 5. Maii anni 1560. nominatur in testamento Johannis de Albreto baronis de Miossans. Anno 1567. adhuc memoratur episcopus. Obiit autem anno 1570.

1560.

LII. FRANCISCUS.

DE FOIX.

Non immerito de Francisco Fuxio de Candala, suo antistite Adurensis gloriatur ecclesia; qui videlicet, cum foret Christophori primogenitus, parum curans sanguinis nobilitatem, nisi virtutibus & eruditione ornaretur, in omni tunc litterarum genere excelluit, quibus comparandis multum contulit ingenii felicitas. Sed satius est ejus elogium a gentili meo Scævola Sammarthano elucubratum referre, quam in novo scribendo tempus terere. *Pulchrum*, inquit, *tibi fuit*, CANDALA *heres excellentissime, ex illa gente oriri, qua vix ullam nobiliorem sibi arrogare quisquam audeat. Pulcrius autem & longe mehercule pulcrius, indefesso quodam mentis vigore eonsque in litteris processisse, ut nemo fuerit, qui*

Lib. IV.

ANNI CHRISTI.

qui ſummum in illis ætate tua principatum, præ-
cipue in mathematicis & recondita philoſophia,
tibi non merito conceſſerit. Hujus rei teſtis erit a-
pud poſteros optimus, Triſmegiſtus ille non tibi ſo-
lum Latine Galliceque redditus, ſed etiam illis
commentariis illuſtratus, qui auctoris obſcuriſſimi
ſenſa quamlibet abſtruſa, legentibus aperiant, &
ob oculos conſtituant. Teſtis Euclides, multaque
præterea cœleſtis ingenii tui argumenta, & ſalu-
tare imprimis illud Elixir (ſic enim antidotum
admirabili ſolertia tibi repertum ipſe appellas)
cujus compoſitionem & uſum, ne poſteritas nimio
ſumtu deterrita, negligeret, aut amitteret, annuam
in id pecuniam de tuo legare non piguit.
Quid quod & pari liberalitate publicam mathe-
ſeos profeſſionem, honeſtaque profeſſori ſtipendia,
Burdegala paucis ante menſibus, quam de vita
decederes, inſtituiſti? Jure igitur tanto alumno
ſuperba lætatur Gallia: hoc abunde per te conſecu-
ta, ut Italia ſuos Mirandulas invidere jam deſi-
mat. Quos cum virtutibus omnibus anteires, aut
certe æquares, fatorum etiam indulgentia ſupe-
raſti: nonagenarius enim eras, cum eodem illo
menſe, quo Chriſtianiſſ. Henricus IV. cœleſti oleo
apud Carnutes inungitur, humano carcere libera-
tus, ad cœlum evolaſti.

In collegio Aquitanico Burdegalæ, ubi fundata eſt a Franciſco cathedra pro mathematicis diſciplinis tradendis, legitur hæc epigraphe æneæ tabulæ inſculpta: FRANCISCUS FLUSSAS *Candala illuſtriſſimus princeps, Bojorum captalis, & epiſcopus* ADURENSIS, *in litterarum gratiam & matheſeos illuſtrationem, mathematicam lectionem perpetuam, & ſolemnem in gymnaſio Aquitanico inſtituit, atque annuo* 500. *librarum ſtipendio dotavit anno Domini* M. D. XCI. IV. *cal. Aug.*

Præterea noſocomium beneficiis ſuis auxit.
1594 Deſiit vero inter mortales vivere anno 1594. Ejus cadaver inſigni mauſoleo, quod ex marmore & ære fabrefactum conſpicitur in choro ædis Auguſtinianorum Burdigalæ, veteri Candalæ dynaſtarum à multis annis monumento, conditum eſt. Maria autem Candala ſoror fraternæ caritatis memor pyramidem erexit; cui inſcriptum hoc epitaphium:

FRANCISCO FLUSS.

Candalæ principi R. R. P. N. genere & ingenio
clariſſimo, doctrina & virtute maximo, fratri ca-
riſſimo ex oculis hominum, non ex memoria erepto,
Maria Fluſſ. Candala R. ſoror mœrens hoc monu-
mentum poſuit. In eodem cor illius clauſit, ac ſuum
quando eſſe deſierit, una concludi voluit, ut ci-
neres etiam fraternæ concordiæ ſpecimen præbeant,
& concordes poſt fata jacerent, qui concordes ſem-
per vixerant. Vixit annos 81. *menſes* 5. *dies* 20.
Obiit anno ſalutis M. DXCIV. V. *Februarii.* Mortuo pariter celeberrimus illuſtriſſimuſque præſes Thuanus hoc brevi encomio parentavit, libro CIX. hiſtoriarum. *Hoc anno*, inquit, *menſe Februario* (1594.) *ad meliorem vitam migravit, octogeſimum quartum annum ſupergreſſus Cadillaci in arce ſua ad Garumnam*, FRANCISCUS FOXIUS CANDALA, *longe illuſtriſſima fami-*

A *lia natus, qua tot reges, principes, præſules, ac*
præſtantes belli duces orbi Chriſtiano dedit, ſed eru-
ditione ac moribus multo illuſtrior, qui medicam in
litteris inſtitutionem, feſtinata honorum in gentili
aula prenſatione, jam in ipſa pueritia interrup-
tam, ſuopte ingenio ſupplevit, & quæ vix alii
optimis præceptoribus præeuntibus percipiunt, inſita
ad artes, ac præſertim ad mathematicas perdiſ-
cendas natura facili ita in teneris annis hauſit, ut
earum amorem ac ſtudium toto longiſſima ac hono-
rificentiſſima vita curſu nunquam intermiſerit, &
in illis multa adinvenerit, atque ad veterum ſcita
ingenii facilitate addiderit: ultimo elogio ſum-
mam pietatem & caritatem non ſolum erga genus
B *humanum, ſed etiam erga litteras teſtatus, cum*
& in antidoti ſalutaris a ſe reperti confectionem,
ne ſumtu parciturі deterrerentur, & in mathe-
maticam profeſſionem Burdigala inſtitutam annuum vectigal legavit. Opera ejus ad immortalitatem ſcripta, quandiu orbis ſtabit, durabunt.
Regi Henrico III. carus ab eo creatus eſt ordinis ſancti Spiritus præceptor anno 1587.

Poſt Franciſci obitum Aduenſis ſedes multis annis vacavit.

LIII. PHILIPPUS. COSPEAN.

C Philippus Coſpean, Montibus Hannoniæ natus, quondam Juſti Lipſii auditor, magni nominis theologus & concionator egregius, inde ex doctore theologo Pariſienſi epiſcopatum adeptus Aduenſem, conſecratur anno 1607. die 1607.
Dominica 18. Februarii in ſacello Sorbonico, ab Henrico Gondio Pariſienſi præſule, aſſiſtentibus Gabriele Albaſpineo Aurelianenſi, & Johanne Berterio Rivenſi epiſcopis. Laudavit oratione funebri typis edita Henricum Magnum Lutetiæ in baſilica majore, & coram rege Ludovico XIII. nomine cleri Gallicani, cujus comitiis Pariſienſibus interfuit 1617. elegan-
D ter peroravit, adſtantibus cardinalibus Guiſio, & Surdiſio. Poſtea tranſlatus eſt ad Nannetenſem eccleſiam menſe Januario 1621. de- 1621.
nique ad epiſcopatum Lexovienſem 1635.

LIV. SEBASTIANUS. BOUTILLERIUS.

Sebaſtianus Buthillerius ſecundus natorum Dionyſii Buthillerii, & Claudiæ Machecoæ, frater Victoris Turonenſis archiepiſcopi, necnon Claudii ſanctioris conſilii commentarienſis, ærariique præfecti; ex Philippi ceſſione poſſeſſionem iniit anno 1623. ſed brevi tempore 1623.
pontificatum tenuit, exemtus e vivis apud
E Montem-Marcianum 1625. Januarii 17. ſum- 1625.
mo diœceſis ſuæ luctu, cum in epiſcopatu nondum annum compleviſſet. Fuiſſe enim pietate inſignem, & eccleſiaſticæ diſciplinæ aſſertorem egregium hunc præſulem teſtificantur quæ ſubjungimus hîc, ex viro clariſſimo Abelio Sammarthano ſacri conſiſtorii conſiliario, Scævolæ filiorum natu majore: SEBASTIANUS *fuit Lucionenſis eccleſiæ decanus, poſteaque Aduenſis antiſtes digniſſimus, theologia & ſacrarum litterarum notitia præcellens, tantaque pietate & vitæ candore, tantaque religione vixit, ut ſuo ſeculo ſingulari ornamento fuerit. Dum ſuadebat & monebat,*

ANNI CHRISTI.

verbis utebatur gravibus, & disertis, dum consolabatur, lenibus & gratis: in vitiorum repræsentatione incitatis & vehementibus, in exhortatione familiaribus & apertis. Denique in vultu illius nil erat tetricum aut protervum, sed frons placida & serena, & in qua pudor ingenuus, simplex modestia, pinque fides eluceſcebat. Verum enim vero circa ætatis annum 44. tot dotes brevi tempore tanquam floſculi morte illius decidere, & ſui memoriam omnibus ſuaviſſimam reliquere, tanta propenſi & grati animi ſignificatione, ut cum vere pium & voce & ſcriptis ſuis omnes aſſidue prædicarent. Hinc dubium fuit an vitam pie ſancteque exactam feliciori vel laudabiliori clauſerit exitu. Præterea quanta pietate, quanta vitæ ſanctimonia eccleſiam rexit ſibi commiſſam, vix digne explicari poteſt, omnibus ſummis pariter atque infimis gratus, integritate vitæ, ſummaque ſermonis comitate præſtans, promtiſſimoque ad opem ferendam animo. Ab ineunte ætate & toto vitæ curſu cardinalem Richelium intentiſſime coluit, & ab ejus aureæ & plane divinæ conſuetudine, aſſiduoque ſub tanto hero tractandorum negotiorum uſu, partam ſibi rerum intelligentiam ita perfecit & perpolivit, ut brevi tempore in magnum virum & pium antiſtitem evaſerit. Hactenus Sammarthanus in elogiis illuſt. familiarum.

A

B

C

LV. ÆGIDIUS.

BOUTAULT.

Ægidius Boutault, ſacri conſiſtorii comes, Turonis naſcitur dum rex Henricus III. qui in hanc urbem ſeſe receperat, eo in loco ſane amœno moras traheret, anno 1594. quamvis e nobili in Pictonibus familia dominorum de l'Aubonniere eſſet progenitus in diœceſi Lucionenſi; quæ duos hujuſce ſtemmatis antiſtites habuit, Heliam & Nicolaum annis 1373. & 1462. ut conſtat ex catalogo epiſcoporum. Ægidius autem cum priores annos in ſtudiis exegiſſet, regis Ludovici XIII. eleemoſynarius factus eſt, tum canonicus & archidiaconus Tranſligeranus in eccleſia Turonenſi, necnon abbas S. Remigii Senonenſis. Nominatur denique Adurenſis epiſcopus 1626. mortuo Sebaſtiano Buthillerio, jure ſuo cedente fratre Victore, poſtea Bolonienſi, demum Turonenſi archiepiſcopo. Inauguratur Pariſiis in capella regia 1626. 14. Martii, ab Ægidio de Souvré epiſcopo Autiſſiodorenſi, ipſius e ſacro fonte ſuſceptore, aſſiſtentibus Claudio de Rueil Baionenſi, & Stephano Puget Dardaniæ, inde Maſſiliæ epiſcopis. Ægidius ergo prodeſſe ſtuduit eccleſiæ, vigilantiſſimi deceſſoris exemplo, quamvis eam ſedem octo tantum menſibus gubernarit, viſitationibus diœceſis incumbendo, congregationes inſtituendo, non tantum ad ſui epiſcopatus emolumentum, ſed & totius Aquitaniæ ſingulare exemplum, ſynodalia ſtatuta in publicum emittendo 1643. quæ paſtoris eximii officia continebant. Admiſit ſanctæ Urſulæ moniales in oppidis B. Severi, & Montis-Marciani, quemadmodum & Capucinos Granatæ. Inter ævi ſui concionatores, eloquentia & eruditione, quam ſingularis pietas condiebat, excelluit. Etſi vero ita de rebus ſpiritualibus ſatageret, ut de temporalibus curare non videretur; attamen ſedulo eccleſiæ dominium adminiſtravit, & auxit. Epiſcopale palatium fere ex integro reſtituit, & ornavit. Ter adfuit comitiis generalibus eccleſiæ Gallicanæ, Fontaneti in Pictonibus 1628. Lutetiæ vero 1635. & 1645. omnibus autem quæ ad Cleri negotia ſpectabant, calculum & nomen adjecit. Præterea annis 1637. 1638. & 1639. ſummam a rege conſecutus eſt auctoritatem codicillis Ludovici XIII. in Vaſconia, Occitania, Benearno, & Fuxenſi provincia, ſub Henrico principe Condeo, tunc his in oris exercituum præfecto. Verum ad diœceſim cum ſe contuliſſet, ut obiret epiſcopale munus, ac ſeminario eccleſiaſtico ſecundum regulas divi Caroli Borromei initia dediſſet in abbatia manſi S. Quiteriæ epiſcopatui unita, & a cunctis comprovincialibus epiſcopis quorum erat decanus plurimum coleretur, a poteſtate quadam ſeculari vexatus ultra modum, aulam petiit, ut a Ludovico XIV. ſpretæ dignitatis ſatisfactionem obtineret. Interim vero cum belli civilis incendium eſſet excitatum in Vaſconia, nec finis imponeretur odiis & injuriis erga familiam, & diœceſim, ut ſic averterentur a noſtro antiſtite omnium animi, quod tamen fruſtra tentatum eſt; ut oves ſuas ab his turbinibus redimeret, conſenſit ad epiſcopatum Ebroicenſem migrare anno 1649. cum omnium bonorum diœceſis Adurenſis mœrore, apud quos ejus memoria viget in honore, & vigebit.

D

E

1626.

1643.

1637.

1639.

1649.

1651.

1657.

1649.

LVI. CAROLUS II.

D'ANGLURE.

Carolus d'Anglure epiſcopus & dominus Adurenſis ac ſanctæ Quiteriæ, ſacri conſiſtorii conſiliarius, abbas B. Petri Montis, de Bellocampo, & Criſtæ, nobili ac vetere proſapia de Anglura, dominorum de Bourlaimont ortus eſt, parentibus Claudio d'Anglure, marchione de Sy, comite de Bourlaimont, matre Angelica Diaceta, ex comitibus Caſtrivillani, & familia Aquaviva ducum Atriæ in regno Neapolitano progenita. Is cum per aliquot annos capitulo S. Stephani Metenſis primicerius præfuiſſet, tranſlato Ægidio ad Ebroicenſem ſedem, a rege Ludov. XIV. ad epiſcopatum Adurenſem promotus eſt 1649. Die vero 25. Martii, feſto Annuntiationis Deiparæ Virginis anni ſequentis inauguratur apud Carthuſianos Pariſienſes, a Gaſpardo de Daillon du Lude, epiſcopo & domino Albienſi, aſſiſtentibus Rogerio d'Aumont Abrincenſi, & Claudio Mallier Tarbienſi epiſcopis. Inde ad diœceſim ſe conferens anno 1651. urbem & eccleſiam ſolemniter eſt ingreſſus. Anno 1657. transfertur ad eccleſiam Caſtrenſem. Tandemque ad eccleſiam Toloſanam anno 1662. menſe Julio.

Exſtant in tabulario ducum Lotharingiæ, in arcula de Barro &c. litteræ Ogerii d'Anglure militis, de quodam excambio ab ipſo facto cum Theobaldo comite Barrenſi, datæ menſe Auguſto anni 1276. cujus ſigillum exhibet pro teſſera gentilitia crucem in hunc modum, quod idcirco obſervare operæ pretium duxi, quia nunc inſignia nobiliſſimæ hujus gentis, omnino diverſa ſunt.

ANNI CHRISTI DE SARIAC.

LVII. BERNARDUS IV.

Bernardus de Sariac, abbas Scalæ-Dei, ord. Ciſt. & Loci-Dei diœceſis Ambianenſis, magiſter Oratorii & capellæ ducis Aurelianenſis, epiſcopus Adurenſis, per promotionem Caroli d'Anglure ad Caſtrenſem ſedem in Occitania, nominatur 24. Junii 1657. Inauguratur Pariſiis 1. Junii 1659. in eccleſia inſtitutionis PP. Oratorii per Dominicum de Vic, archiepiſcopum Auſcenſem, aſſiſtentibus epiſcopis Gilberto de Choiſeul Convennenſi, & Claudio Auvry antiquo epiſcopo Conſtantienſi. Fidelitatis juramentum regi præſtitit 20. Junii 1659. poſſeſſionem adipiſcitur 13. Auguſti ejuſdem anni. Eccleſiam intrat 17. Septembris. Obiit die 12. Octobris anno 1672. in caſtro de Sariac.

1672.

LVIII. JOHANNES-LUDOVICUS.

Johannes-Ludovicus de Fromentieres, ex nobili genere in pago Cenomanenſi natus, in eccleſia Cenomanenſi canonicus & theologus * fuit. Hoc ſane officium cui annexum eſt miniſterium verbi Dei, decebat tam eloquentem concionatorem; cujus merita perpendens rex Chriſtianiſſimus Ludovicus Magnus, ipſi dedit ſchedulam pro epiſcopatu Adurenſi, die 14. Januarii anni 1673. Eodem anno die 1. Octobris conſecratus eſt a Franciſco Harlæo archiepiſcopo Pariſienſi, aſſiſtentibus Dominico de Ligny Meldenſium, & Guidone de Seve de Rochechoüart, Atrebatum epiſcopis, in eccleſia parthenonis Vallis-Gratiæ, ubi ſæpe e ſacro ſuggeſtu verbum Dei coram regina matre prædicaverat. Die 21. ejuſdem menſis regi fidem clientelarem juravit. In diœceſi ſua curſus & pugnas taurorum, qui ludi gentilitatis erant reliquiæ, apud Montem-Marcianum ſuſtulit. Ejuſdem præſulis ſuaſu quidam nobilis flagitiis ſuis famoſus reſipuit & ad cor rediit. Obiit anno 1684. menſe Decembri.

* Theologus.

1673.

1684.

BAZIN.

LIX. ARMANDUS.

Armandus Bazin de Beſons, cum eſſet procurator generalis negotiorum cleri Gallicani, a rege deſignatus eſt Adurenſis epiſcopus anno 1685. menſe Auguſto; ſed cum careret bullis pontificiis ob diſſidia inter curiam Romanam, & regiam in Galliis, non fuit inauguratus, niſi his ſopitis anno 1693. die 12. Octobris in eccleſia monialium Benedictinarum dicta Villa-Epiſcopi in ſuburbio Pariſienſi, ab archiepiſcopo Remenſi, juvantibus & collaborantibus epiſcopis Tarbenſi & Vaſatenſi. Sed anno 1698. deſignante rege per ſchedulam daram die 29. Martii, traductus eſt ad metropolim Burdegalenſem.

1685.

ANNI CHRISTI. FLEURIAU

LX. LUDOVICUS-GASTO.

Ludovicus Fleuriau d'Armenonville, genere Turonicus, doctor theologus in academia Pariſienſi, ante epiſcopatum canonicus eccleſiæ Carnotenſis, abbas Moroliarum diœceſis Rupellenſis, ac theſaurarius regiæ apud Pariſios capellæ, deſignatus eſt epiſcopus Adurenſis die 29. Martii anno 1698. Sacro delibutus eſt oleo & inauguratus die 18. Januarii anni ſequentis ab epiſcopo Carnotenſi, aſſiſtentibus epiſcopis Sagienſi & Cadurcenſi, in ſacello ſeminarii S. Sulpicii Pariſienſis. Die 21. Januarii, juravit regi fidem clientelarem in æde ſacra regii apud Verſalias palatii. Erexit ſeminarium cui attribuit, auctoritate regia fretus, reditus abbatiæ antiquiſſimæ S. Quiteriæ de Manſo ordinis S. Benedicti, ab urbe non longe diſtantis, titulos omnes & prioris & monachorum exſtinguendo. Anno 1706. tranſlatus eſt ad ſedem Aurelianenſem, ubi optimi paſtoris munus pergit exſequi; nimia forſitan cum ſollicitudine, quippe ipſius valetudini noxia. De eo vero plura in Aurelianenſibus dicemus epiſcopis.

1698.

1706.

DE LA MER.

LXI. FRANCISCUS-GASPAR.

Franciſcus-Gaſpar de la Mer de Matha exnobiligente, cujus origo ex Arvernis prodiit, doctor Sorbonicus, abbasque S. Cigyranni ord. S. Benedicti, diœceſis Bituricenſis, regia ſchedula nominatus eſt epiſcopus Adurenſis, die 15. Auguſti anni 1706. ordinatus eſt in epiſcopum die 10. Aprilis 1707. in ſacello Sorbonæ a Ludovico-Antonio de Noailles cardinali, Pariſiorum archiepiſcopo; cui collaboraverunt Franciſcus de Poudenx Tarbienſis epiſcopus, & Franciſcus Chevalier de Saulx Alaiſenſis. Vitam clauſit die 30. menſis Junii, apud Aduram anno 1710.

1706.

1707.

1710.

DE MONTMORIN.

LXII. JOSEPH-GASPARD.

Joſephus-Gaſpard de Montmorin de Saint-Herem, ex illuſtri apud * Arvernos genere, mortua uxore Ludovica-Franciſca de Bigny d'Ainay, ex qua novem ſuſceperat natos, vitæ clericalis tirocinium poſuit; poſtea aſſumtus eſt in vicarium generalem ab archiepiſcopo Viennenſi gentili ſuo. Denique anno 1710. die 12. Julii nominatione regia factus eſt epiſcopus Adurenſis, cum intereſſet ut deputatus Viennenſis provinciæ cleri Gallicani comitiis. Anno 1711. menſe Januario conſecratur, in eccleſia cathedrali Viennenſi ab archiepiſcopo, qui aſſiſtentes habuit epiſcopos Johannem Carelan Valentinenſem, & Edmundum Allemand de Montmartin Gratianopolitanum.

1710.

1711.

* Caſtrum de Monte-Morino antiquiſſimum & munitiſſimum in monte præcelſo conſtitum juxta Bellonum eſt, in cujus eccleſia parochiali plurimi ex hoc genere milites ſepulti ſunt.

Digitized by Google

DE VETERIBUS MONASTERIIS ET ABBATIIS DIOECESIS ADURENSIS, quæ amplius non exſtant.

I. S. Quiterie.

FUit olim celebris abbatia ſanctæ Quiteriæ A de Manſo, ordinis ſancti Benedicti, non longe ab urbe, quæ eccleſia concathedralis erat, ita ut olim epiſcopi ſanctæ Quiteriæ titulum geſſerint, uti obſervavimus in Arnaldo & aliis epiſcopis. Hoc monaſterium Caſæ-Dei quondam ſubditum fuit; ſed a Gregorio IX. unitum eſt menſæ epiſcopali Adurenſi. Sanctæ Quiteriæ natale tanquam martyris notatur XI. calendas Junii apud Vico-Julium. His vero noviſſimis temporibus Ludovicus Gaſto Fleuriau epiſcopus, erecto a ſe clericorum ſeminario uniri procuravit reditus & fructus antiquiſſimæ illius abbatiæ, cujus nihil nunc ſupereſt præter ſolam eccleſiam, ſuppreſſis tum prioris tum monachorum titulis, quos ſibi oblatos congregatio ſancti Mauri accipere noluit.

II. Mons-altus.

Antiquitus erat in diœceſi Adurenſi abbatia de Monte-alto. Noſter enim Hieronymus Deidier invenit in archivo S. Severi in capite Vaſconiæ duo reſcripta Sixti papæ directa *abbati monaſterii de Monte-alto Adurenſis diœceſis*, cui mandat ut inquirat de controverſia inter Hugonem d'Eſpagne adminiſtratorem perpetuum S. Severi, & hujus loci monachos. Unum ex his inſtrumentis datum eſt anno 1472. Hujus vero abbatiæ nulla ſuperſunt veſtigia.

ABBATIÆ QUÆ NUNC MANENT.

Tres ſunt diverſorum ordinum abbatiæ quæ viſuntur in hac diœceſi; ſcilicet

S. Severi. La Caſtelle. Pontaut. S. Gerons. S. Loubouer. Pimbes.

S. Severi in capite Vaſconiæ, ord. S. Ben.
Caſtellæ ſeu Gratiæ-Dei, ord. Præmonſt.
Pontis-alti, ordinis Ciſtercienſis; quibus addi poſſunt tres abbatiolæ ſeculares, S. Geron- D tii, S. Leborii, de Pendulo ſeu de Pimbo; quæ quidem in litteris academiæ Burdegalenſis pro iis qui gradus adepti ſunt, dicuntur ordinis S. Benedicti. Sed hodie in iis nullus eſt ordo, nullaque veſtigia ſuperſunt obſervatæ in ipſis regulæ Benedictinæ. Iis addemus quædam de parthenone Montis-Martiani pro virginibus ordinis S. Claræ.

ABBATIA S. SEVERI in capite Vaſconiæ.

ABbatia hæc ordinis S. Benedicti cum urbe E adjacente quæ ob celebritatem monaſterii videtur accreviſſe, ſita eſt ad Aturum * fluvium. Dicitur vero caput Vaſconiæ, non quod ſit Vaſconum urbs præcipua & metropolis ceterarumque caput; ſed quod ſit initium Vaſconiæ proprie dictæ; forte etiam quod ibi celebrari conſueviſſent Novempopulaniæ conventus, ſub Vaſconum comitibus aut ducibus, etiam poſtquam Angli ducatu potiti ſunt. Ad abbates vero S. Severi ſpectabat hæc indicere & cogere comitia.

*L'Adour.

Porro hujus ſacri loci prima fundatio non debetur Willelmo Sancio comiti Vaſconum, ſed ejuſdem reſtauratio, ut ipſemet teſtatur in diplomate, quod poſt Petrum de Marca edidimus inter inſtrumenta: *Sapientes*, inquit, *in- C. I. p. 111.*
quirebant ſi ſancti Severi geſta vel paſſionem haberent ſcriptam. Inventum eſt a legentibus qualiter illud monaſterium fuerat conſtructum, & qualiter a Francigenis hominibus hoſtibus fuerat deſtructum.

De tempore quo primum fundatum eſt cœnobium, nihil certi ſtatui poteſt; at fundatio altera, Willelmo Sancio comite auctore, fuit celeberrima, cujus hæc fuit occaſio. Cum gens Normannorum nefanda ingreſſa eſſet fines ditionis Willelmi, comes hic pius acceſſit ad tumulum beatiſſimi martyris Severi, vovitque *omnem patriam ditioni* ſuæ *ſubjectam* ſancto martyri ſe collaturum ſi victoria potiretur; æmulatus Adrianum ejuſdem *patria* quondam regem, qui poſt redintegrationem corporis ſui, regnum, & ſe totum præfati martyris ſummiſerat ditioni. Forte hic Adrianus rex fuerat prioris monaſterii S. Severi auctor, cui *regnum & ſe totum* ſubjecerat; unde intelligere juvat quanta magnificentia fuerit conditum. Cum Adriano rege de munificentia certare voluit Willelmus Sancius. Ut enim promiſerat, ſi victoriam reportaret, ſe ſancto martyri Severo pro parva eccleſia magnificum & celebre monaſterium conſtructurum, ita voti compos, uti voverat, ſtuduit *peragere*. Conſilii vero ſui & pii operis participes accerſivit ſuæ ditionis archiepiſcopos Auſcenſem & Burdegalenſem, cunctoſque alios epiſcopos, necnon *ſeniores* cunctorum comitatuum, ſcilicet Vaſconorum, Begorrenſium, Burdigalenſium, Agennenſium, Fezacenſium, ſive Lactoracenſium: his omnibus conſentientibus voluit novum monaſterium omnimoda frui libertate ac immunitate; quapropter illud ſancto Petro obtulit & adſtrinxit, cum onere quemdam quinque ſolidorum perſolvendi cenſum.

Inter alia vero quæ monaſterio dedit, recenſet omnem decimationem ſuæ *ſubſtantiæ* panis & vini; & quidquid decimari oportet: eccleſiam S. Genii confeſſoris, ubi ipſius oſſa jacent, ut ibi fiat abbatia ſub regimine abbatis S. Severi: caſtrum ſuum Palæſtrion, cum omnibus *militibus & armicolis*, denique omnia quæ ſunt inter duos fluvios, *ab Alpheano* qui *modo vocatur vulgo Aturris uſque ad Gavaſenſem*. Addidit tabulam auro argentoque pulcre ornatam. Obiit pius fundator IX. cal. Jan. an. 1017. ibidemque eſt ſepultus cum Uraca uxore quæ an. 1041. IV. idus Jul. obdormivit in Domino.

Porro quo tempore id factum fuerit hic inquirendum. Communis eſt opinio P. de Marca, Sammarthanorum & plerorumque, ea quæ nar-

ravimus contigisse sub annum 982. Sed aiunt in quodam manu exarato codice id maturius factum legi, scilicet anno 963. quod etiam, inquiunt, eruitur ex necrologio, ubi legitur de Arnaldo abbate: *Depositio domni Arnaldi abbatis istius loci anno* MXCII. Si enim huic annorum numero annos adjeceris, qui superiorum abbatum regimini tribuuntur, consequens erit inchoatam esse famosi illius monasterii fabricam anno 963.

Ad hæc respondendum annorum qui unicuique abbatum assignantur, nullam habendam esse rationem, quippe qui nullo certo testimonio constent. Ceterum Adonem Ausciensem archiepiscopum adfuisse Willelmo Sancio chartam fundationis scribenti legimus; qui nullatenus anno 963. sedebat. Præterea non levis esse momenti debet opinio tot doctorum virorum: quæ etiam est viri eruditissimi Mabillonii in annalibus ad annum 982. num. 19. Chartam fundationis, quod longiuscula sit, ad instrumenta amandavimus, uti & alteram, qua idem Willelmus Sancius monasterium apostolicæ subjecit sedi, necnon tertiam quæ est Bernardi comitis facta a suis parentibus confirmantis.

ABBATUM SERIES.

I. Primus abbas ab ipso Willelmo præpositus monasterio, fuit Salvator, quem *sanctissimum & ab omnibus laudabilem appellat.* Subscripsit chartæ Arsii episcopi Lapurdensis, seu Baionensis, paulo post susceptam monasterii administrationem, quam gessit usque ad annum circiter 1008. Obiit autem nonis Maii, ex ipsius monasterii necrologio.

II. Sancius I. vel Sancio, successor datus est Salvatori & ab anno circiter 1009. ad 1018. præfuit, mortuus ex necrologio hoc anno IX. cal. Junii.

III. Gregorius ex illustri gente vicecomitum de Montaner, ut nos docet V. C. Petrus de Marca, ab ipsis infantiæ rudimentis veniens Cluniacum, ibi longo tempore pie est conversatus, uti legitur in veteri codice MS. Petente vero postea Sancione comite Willelmi Sancii filio reversus est, susceptique S. Severi abbatiam regendam anno 1018. quo in munere vixit per annos 44. usque ad annum 1071. *meliorando cuncta* post incendium quod monasterium passum fuerat. Lascurensis episcopus electus, imo etiam simul Aquensis, curam cœnobii non dimisit, si quidem Alexander II. concessit illi litteras pro confirmatione bonorum monasterii, anno 1061. quo tempore jam factus erat episcopus. Hoc abbate sedente jam exorta erat controversia pro ecclesia B. Mariæ de Solaco, inter sancti Severi & sanctæ Crucis Burdegalensis abbates: Legitur enim in concilio Burdegalensi, habito anno 1079. ubi causa hæc agitata est, abbatem antecessorem Arnaldi Gregorium Romæ *convictum fuisse ante D. papam Alexandrum, pro injuria quam faciebat Arnaldo abbati sanctæ Crucis ... ita ut hanc ipsam ecclesiam ipse Gregorius abbas, in manu Alexandri dimiserit; & in manu ejusdem ipsam ecclesiam se ulterius non invasurum promiserit.* Anno 1072. III. idus Januarii feria IV. circa horam nonam recessit a seculo florente canitie, multis dolentibus, ex codice MS. Necrologium pro III. idus Januarii, habet III. idus Februarii.

IV. Arnaldus I. cognominatus d'Estios ex veteri notitia, subrogatur mortuo Gregorio an. 1072. idibus Aprilis, ex veteri necrologio. In ipso administrationis exordio litigavit pro ecclesia B. Mariæ de Solaco; ipsumque redarguit Gregorius papa VII. epistola 51. libri primi anno 1073. scripta, quod judicio Geraldi Ostiensis episcopi sui legati stare noluisset; quo ecclesia B. Mariæ de Solaco abbati & monachis sanctæ Crucis fuerat adjudicata. Increpatoriam hanc epistolam damus inter instrumenta. Diu adhuc protracta est hæc contentio, de qua iterum Gregorius idem scripsit ad abbatem Arnaldum, anno 1079. libro VI. ep. 25. Anno 1084. interfuit restitutioni ecclesiæ sancti Capraisii Pontonis factæ monasterio Regulæ.

V. Suavius an. 1092. abbas sancti Severi instituitur, quo volente, inquit MS. codex, fundata fuit *& populata villa S. Severi.* Scripsit epistolam ad Paschalem summum pont. in qua de Amato Oleronensi episcopo simulque sedis apost. legato conqueritur, quod ecclesiam sanctæ Mariæ de Solaco abbati sanctæ Crucis attribuisset. Idem vero papa confirmavit monasterio donationes omnes ipsi factas. Suavius precum iniit societatem cum fratribus Silvæmajoris, hagiologio teste ad calendas Martii, necnon omnes lites inter utrumque cœnobium ortas compositit cum Gaufrido abbate. Ejus tempore Willelmus V. comes Pictav. dux Aquitaniæ & comes Vasconiæ *curiam majorem* habuit hoc in monasterio an. 1103. Præfuit autem Suavius ad annum 1106. quo mortuus est pridie nonas Maii. Ipsius tamen obitus consignatur in necrologio idibus Febr.

VI. Raimundus dictus Bernardi e gente de Arbocavia ordinatur abbas sancti Severi IV. nonas Julii anno 1107. ex veteri necrologio. Ejus tempore anno scilicet 1120. facta est monasterio quædam donatio, de qua egimus in Bono-homine Adurensi episcopo. Sedit vero ad annum 1127. assumtus postea ad cathedram Aginnensem; cujus ita meminit necrologium recentius, sed ex veteri descriptum: *Idibus Januarii Raimundi episcopi Aginnensis & abbatis istius loci.* Alter etiam Raimundus sancti Severi monachus sub ipso evectus est ad sedem Laburdensem.

VII. Petrus de Gortio *de Goz* vel de Godez exeunte anno 1127. electus abbas præfuit ad annum 1130. quo tabulæ funerariæ ejus obitum consignant idibus Julii.

VIII. Robertus an. 1130. cœnobii curam susceptt ad annum 1137. quo moritur idibus Augusti, ex necrologio.

IX. Arnaldus II. cognominatus de Tresgeit pedum gessit usque ad annum 1141. quo cessit illud R. Sancio qui sequitur, ut patet ex notitia *populationis* villæ Montis-Marciani

Obiit anno 1142. nonis Septembris juxta necrologium.

X. R. Sancius anno 1141. quo inter Bonumhominem epiſcopum Adurenſem, & ipſum fuit controverſia pro eccleſia Montis-Marciani, de qua locuti ſumus in hoc epiſcopo. Legendus ea de re Petrus de Marca l. IX. hiſt. Bearn. c. 8. obiiſſe legitur anno 1148. ſeptimo cal. Aprilis. Huic abbati aliqui præmittunt quemdam Raimundum qui uno tantum anno ſederit. Sed perperam, cum R. Sancius fuerit Arnaldo ſubrogatus. Alii R. Sancio ſucceſſorem dant Raimundum ab anno 1143. ſed veriſimile eſt eum a R. id eſt Raimundo Sancio non eſſe diſtinguendum. Forſitan quoque ipſe eſt Raimundus abbas qui anno 1154. cum epiſcopis & proceribus elegit in dominum & rectorem Benearnii Raimundum comitem Barchinonenſem Aragonum principem. Vide hiſtor. Bearn. l. v. cap. 34.

XI. Bernardus I. cognomento de Born ex fragmento chartularii, ubi legitur quod ejus tempore an. 1175. Centullus vicecomes Marcianenſis & comes Bigoritanus, filius fundatoris urbis Montis-Marciani, confirmarit donationes omnes a patre factas.

XII. Garſias-Arnulfus de Navaliis, de quo nihil novimus niſi quod docet necrologium his verbis: IV. *idus Februarii depoſitio domni Garſiæ-Arn. de Navaliis abbatis iſtius monaſterii anno Domini* MCLXXXVI.

XIII. Arſius abbas decimus-quintus numeratur anno circiter 1200. Itaque duo abbates omiſſi ſunt, qui forſitan ſunt: Fortius in veteri necrologio commemoratus 17. vel 18. calend. Auguſti, & in parvo chartulario Silvæ-majoris: necnon Artaldus, ſeu Arnaldus Auricula, qui quadam acquiſiviſſe legitur, juxta caſtrum Paleſtrion, quo vero tempore ſederit ignoratur. Arſius fuit etiam epiſcopus Laſcurrenſis, ut docet V. C. P. de Marca l. VI. c. 19. Obiit III. nonas Auguſti an. 1213. ex S. Severi monumentis.

XIV. Arnaldus III. electus dicitur an. 1213. quo anno XII. cal. Maii Innocentius III. reſcripto munivit libertatem & immunitatem monaſterii, quam tamen paulo poſt impugnatam videbimus. Idem creditur eſſe A. epiſcopus Laſcurrenſis, de quo in epiſcopis hujus ſedis ad annum 1231. Certe conſtat hunc præſulem ſimul fuiſſe abbatem ſancti Severi. Hoc abbate ſedente anno 1231. ſopita eſt altercatio inter epiſcopum Adurenſem & ipſum de juriſdictione epiſcopali, a qua judices quos Gregorius IX. delegaverat monaſterium abſolverunt & exemerunt; quorum judicium aiunt Clementem IV. anno 1266. confirmaſſe, deinde concilium Baſileenſe anno 1437. Unde in collectorum pontificiorum litteris, quæ de pecunia ipſis perſoluta per abbatem & monachos ſancti Severi teſtimonium exhibent, iſtud monaſterium ubique dicitur ad Romanam ſedem nullo medio pertinens.

XV. Arnaldus IV. ſive idem ſive alius reperitur abbas uſque ad annum 1260.

XVI. Garſias Arnaldi de Navalliis an. 1262. conſenſit ædificari a civibus domum communem urbis, *Hôtel-de-ville*. At cum eoſdem plerumque experiretur diſciplinæ impatientes, ne totam amitteret poteſtatem, ejus partem ceſſit regi Angliæ, inſtrumento publico, quod olim *pariagium* appellabant; ſicque ſibi Eduardum regem devinxit, qui an. 1273. curiam majorem habuit in monaſterio. Vocandi autem ad hunc conventum provinciam dedit huic abbati, cui hoc munus tanquam vicario curiæ debebatur, ut probat P. de Marca l. VII. c. 18. & 19. Tempore Garſiæ Alienora Eduardi regis Angliæ uxor dicitur patribus Prædicatoribus ord. S. Dominici ſedes procuraſſe apud S. Severi fanum, an. circiter 1285. cum conſenſu tamen abbatis & monachorum, quibus etiamnum quemdam perſolvunt cenſum. Poſtea cum lites ortæ eſſent de ſepulturis, quas ſui juris eſſe contendebant monachi, compoſitione facta, fratribus Prædicatoribus permiſerunt ſepelire in ſua eccleſia, modo tertia pars cereorum & oblationum ſuæ reſervaretur eccleſiæ. Nunc hæc portio redacta eſt ad quartam partem. Notatur mors Garſiæ ad III. idus Febr. an. 1288.

XVII. Arnaldus V. dicitur ejus ſucceſſor, qui per biennium ſederit, ſed de illo nihil certi habetur.

XVIII. Guillelmus I. memoratur in quadam charta de jure pedagii data die Mercurii ante Paſcha ſeu feria IV. hebdomadæ pœnoſæ an. 1302. Forſitan de ipſo debemus interpretari quod legitur in necrologio: VII. *cal. Maii obiit D. Guillelmus abbas iſtius monaſterii anno* 1307.

XIX. Gaillardus genere, doctrina, virtutumque laude clariſſimus, Clementi V. cariſſimus, a quo jus utendi pontificalibus inſigniis obtinuit bulla data Pictavis calendis Aprilis anno 1307. appellatur capellanus domini papæ in quibuſdam inſtrumentis pro unione prioratuum ſancti Petri de Monte, & ſancti Geneſii de Vallibus cum prioratu ſanctæ Mariæ-Magdalenæ Montis-Martiani, an. 1308. Mortuus legitur IX. cal. Martii ejuſdem anni, ſed perperam: nam teſtis fuit ſacramenti præſtiti Clementi papæ V. a nuntiis & procuratoribus Henrici imperatoris an. 1309. Vide Odoricum-Rainaldum & Baluz. in notis ad vitas pap. Avenion. col. 274.

XX. Guillelmus II. per paucos menſes abbas fuit; unde omittitur a noſtro Cl. Eſtiennot, qui poſt Gaillardum locum dat Rogerio de Aſpero-monte, ſed de hoc nihil certi habemus.

XXI. Raimundus I. factus eſt cardinalis a Clemente V. in tertia quam fecit promotione, ex Contelorio, & Franciſco Quercetano, ac obiit anno 1317. tempore Johannis papæ XXII. De eo lege V. C. Steph. Baluzium in notis ad vitas pap. Aven. Vide quæ a nobis obſervata ſunt in Petro Raimundi epiſcopo vigeſimo ſecundo Oleronenſi. col. 1180

XXII. Bernardus II. memoratur in chartis, ad annum 1315.

XXIII. Guillelmus III. de Podio-Altino, ſeu Artino (*Puy-Artin*) ex familia olim in Vaſconia præfulgente, ad ſedem vacantem eligitur anno circiter 1317. Anno 1324. die 25.

Februarii rex Angliæ ad eum ſcripſit epiſtolam *de credentia* ſicuti ad comitem Armaniacenſem & ad R. epiſcopum Vaurenſem. Eodem anno 3 Septembris idem rex noſtro Guillelmo inter ceteros Aquitaniæ magnates ſcripſit de fidelitate continuanda contra regem Franciæ, ex tom. IV. collect. Rimerii Angli p. 89. Anno 1342. obtinuit confirmationem privilegiorum a Clemente VI. & anno 1348. unionem menſæ prioratus de Monte-Marſano. Rexit uſque ad annum 1358. quo defunctum eum vetus necrol. docet his verbis: VII. *cal. Maii obiit D. Willelmus de Podio-Altino abbas iſtius monaſterii qui obiit an. Dom.* MCCCLVIII. *in civitate Tholoſana.*

XXIV. Bernardus III. cognomento de Meunino (*Moncins*) electus anno 1358. accepta bulla ab Innocentio VI. factus eſt abbas. Diviſionem menſarum abbatialis & conventualis inchoatam tempore Guillelmi de Podio-Altino confirmavit charta anni 1359. in qua fit mentio abbatiarum S. Martini de Liraco, Pontis-alti ord. Ciſt. de Caſtella ord. Præmonſtratenſis, & S. Ægidii Montis-Gaillardi, quæ ſancto Severo tunc cenſum ſolvebant. An. 1360. urbs ſancti Severi expugnatur a Gallis, qua in expugnatione media pars ejus conflagravit, paulo poſt tamen ab Anglis recuperatur. Anno vero 1372. ingenti terræ motu pene corruit monaſterium. Anno 1381. ibidem habitus eſt conventus prælatorum provinciæ occaſione ſchiſmatis inter Urbanum VI. & Petrum de Luna dictum Clementem VII. Obiit IV. calend. Junii an. 1388. ex necrologio.

XXV. Petrus II. occurrit duabus in chartis, una anni 1394. altera 1401. die 16. Auguſti.

XXVI. Bernardus IV. auſpicatus eſt adminiſtrationem an. 1403. memoraturque annis 1407. 1409.

XXVII. Petrus III. de Laſcuro ex priore Miſimatenſi *al.* Mimiſanenſi creatus eſt abbas an. circiter 1410. Obiit vero XVI. cal. Decemb. an. 1418. ex necrologio.

XXVIII. Johannes I. de Calnario, cum poſſeſſiones monaſterii tempore vacantis ſedis fuiſſent ſub cuſtodia traditæ, ob jura quædam ſanctæ ſedi non perſoluta, obtinuit litteras a Ludovico Magalonenſi epiſcopo agente vices archiepiſcopi Narbon. S. ſedis camerarii, ad hujuſmodi jurium collectores, ut abbati reſtituerentur. Datæ ſunt litteræ die 12. Martii 1410. Anno 1425. judex fuit in cauſa inter Davidem Burdegal. archiepiſcopum & Petrum abbatem S. Crucis, de qua in hoc Petro abbate. Anno triceſimo quinto ſupra milleſimum quadringenteſimum, ædificando monaſterio quod conflagrarat, manum adhibuit; & poſt triennium obiit an. 1438. ſexto calend. Novembris *. * Decembris.

XXIX. Petrus de Berau, *al.* Veran, protonotarius apoſtolicus, ſub titulo adminiſtratoris perpetui occupavit abbatiam circa annum 1440. auctoritate pontificia, quia monachi toto anno in electione abbatis convenire non potuerant. Anno 1451. Nicolaus V. confirmat privilegia.

XXX. Johannes II. cognomento de Bearnio ex vicecomitibus Bearnenſibus ortus, protonotarius apoſtolicus, ſub eodem titulo adminiſtrationis perpetuæ obtinuit abbatiam an. circiter 1454. quam retinuit ad an. 1457.

XXXI. Johannes III. cognomento de Fuxo protonotarius apoſtolicus a curia Romana proviſiones accepit, pro adminiſtranda abbatia, Johanne Bearnenſi ab ipſius regimine amoto. Fuit etiam Aquenſis epiſcopus & poſtea Convenenſis.

XXXII. Arnaldus vel Artaldus Pros ex gremio monaſterii abbas eligitur anno circiter 1465. ſed ejus pacificæ poſſeſſioni obſtitit

XXXIII. Hugo de Hiſpania fretus nominatione regia & reſcriptis pontificiis, necnon ſenatuſconſultis, quibus obtinuit abbatiam ut œconomus ab an. 1466. ad 1478. Anno 1469. memoratur in charta Lezati: exſtatque bulla Sixti papæ data 5. Martii anni 1472. qua mandat abbati de Monte-alto diœceſis Adurenſis ut inquirat de querela inter abbatem ſeu adminiſtratorem & monachos S. Severi.

XXXIV. Raimundus II. de Aydia, ut adminiſtrator perpetuus bulla pontificia inſtitutus, poſſeſſionem iniit IV. nonas Auguſti an. 1480. ex regiſtris monaſterii, ubi legitur idiomate Waſconico: *Moſſen Ramon d'Aidie, protonotari & abat de ſant Girons & de ſant Lober adminiſtrador de queſt Mouſter, &c.* Obiiſſe dicitur 14. Junii an. 1498. ſed forte citius.

XXXV. Arnaldus-Guillelmus de Aydia ejus ſucceſſor, an. 1516. factus eſt epiſcopus Adurenſis; eratque ſimul abbas Pontis-alti & ſancti Geruntii. Legitur obiiſſe XI. calend. Januarii an. 1526. attamen vacabat ſedes Adurenſis an. 1522. uti in illius epiſcopis obſervavimus. Eo mortuo,

XXXVI. Johannes IV. de Abbatia, *d'Abadie*, virtute ac doctrina ſpectabilis vir e gremio eligitur abbas an. 1526. ſed cedere coactus eſt ſequenti, retenta modica penſione. Multis tamen ornamentis eccleſiam donavit & organis choro canentium ſuppetias tulit.

XXXVII. Gabriel de Grammont epiſcopus Tarbeienſis & S. R. E. cardinalis an. 1526. potitur abbatia; an. 1532. ipſius conſenſu & auxilio in urbe Sanſeveriana collegium pro inſtituendis adoleſcentibus & pueris fundatur. Mortuus dicitur an. 1537. ſed tardius differtur ejus mors, quæ in archiep. Toloſanis notatur 1534.

XXXVIII. Claudius de Longvic cardinalis de Givry annum alterum præfecturæ non numeravit.

XXXIX. Philibertus de Beaujeu, regi ab eleemoſynis, & reginæ a libellis ſupplicibus, epiſcopus Bethleemitanus.

XL. Johannes V. de la Rochefoucaud an. circiter 1545. abbas erat commendatarius; ſed reſignavit in favorem ſequentis.

XLI. Claudius de la Chambre, creatur abbas bulla data nonis Decembris an. 1553. An. 1556. de jugo regulæ excutiendo & de *ſeculariſatione* poſtulanda cogitarunt monachi.

XLII. Hieronymus de la Rouere Italus ar-

chiepiſcopus Taurinenſis, bullas pro abbatia tenenda obtinuit an. 1565. * a Pio V. poſt nominationem regiam. An. 1569. hæretici Calvinianæ ſectæ, expugnata urbe monaſterium ipſamque eccleſiam expilarunt, ſacras reliquias conculcarunt & vaſa ſacra conflarunt, occiſis quibuſdam monachis & eorum præbendariis. Hieronymus cum nihil pene lucri haberet ex poſſeſſione hujus abbatiæ, eam reſignavit ſequenti. al. 1566.

XLIII. Fernandus Thiſion bullas Romanas accepit an. 1580. Obiit an. 1585.

XLIV. Lælius-Philibertus Solerii, cui Fernandus reſignarat, accedente etiam regis nominatione factus abbas, ceſſit locum ſequenti.

XLV. Nicolaüs Sfondratus epiſcopus Cremonenſis S. R. E. cardinalis, fit abbas an. 1588. aut 1590. paulo poſt creatur papa, & obit anno 1591. Eo mortuo Lælius-Philibertus proviſiones obtinuit, ſed nullo pene emolumento, nam hæreticis in illa provincia & urbe graſſantibus, vix quidquam percipere poterat ex monaſterii proventibus. Eo mortuo Henricus IV. rex Francorum anno circiter 1607. abbatiam dedit Johanni de la Serre viro hæretico, qui bona monaſterii vendidit & dilapidavit.

XLVI. Petrus de Pontac ex perilluſtri genere in Aquitania, abbatiam numerata pecunia ex prædonis manibus eripuit, obtenta a ſummo pontifice licentia. Hic cœpit monaſterii damna tantiſper reſarcire. Anno 1620. Capucini de conſenſu monachorum in urbem ſunt admiſſi. Petrus de Pontac obiit an. circiter 1625. quo

XLVII. Jacobus de Pontac ei ſucceſſor datus, an. 1633. ceſſit ſequenti.

XLVIII. Renatus de Pontac, auſpicatus eſt præfecturam an. circiter 1634. & per annos 50. retinuit. Hic abbas alter fuit monaſterii parens, præſertim promovendo ejus unionem cum congregatione S. Mauri, quæ admiſſa eſt in ejus poſſeſſionem die 6. Maii an. 1645. Hujus abbatis tempore moniales ſub titulo . Urſulæ, receptæ ſunt intra urbem. Obiit Burdigalæ die 2. Septembris anni 1684.

XLIX. Johannes-Ludovicus de Fromentieres epiſcopus Adurenſis, fuit deſignatus abbas ſancti Severi, cum antea eſſet abbas de Jardo, ſed paulo poſt obiit nondum adeptus poſſeſſionem, aut etiam bullas.

L. Ludovicus-Claudius de la Chaſtre regi ab eleemoſynis abbatia fuit donatus anno 1685. ineunte; poſſeſſionem iniit per vicarium 10. Septembris ejuſdem anni. Obiit an. 1699. die 24. Maii ab equis rhedæ conculcatus.

LI. Antonius Anſelme baccalaureus theologus, concionator regius, nominatus eſt abbas ſancti Severi an. 1699. die 7. Junii, & die 21. Septembris ad poſſeſſionem eſt admiſſus per procuratorem.

Abbatia Gratiæ-Dei, ſeu S. Johannis de Caſtella, ſive de la Caſtera.

HOc monaſterium ord. Præm. ad Aturim fluvium poſitum, olim fuiſſe ord. S. Benedicti cenſet vir Cl. Petrus de Marca hiſt. Bearn. l. IV. c. 7. Sane exſtabat hæc abbatia anno 1073. ex chartario ſancti Severi, ubi legitur Gaufredum ducem & comitem Pictavienſem confirmaſſe hoc anno donationes S. Severo factas, *regnante Francorum rege Philippo ..... anno* MLXXIII. .... *in monaſterio Caſtella, in quo præfatus dux innumerabilis exercituum potitus copia, triumphabat ſuper inimicis inſigni victoria.*

Qua ratione cœnobium hoc tranſierit ad ordinem Præmonſtratenſem, nondum expiſcari potuimus. Id factum aiunt anno 1155. ejuſque fundatores in novo illo ſtatu fuiſſe Petrum Bigoritanum comitem, Martiani vicecomitem, ejuſque uxorem Beatricem Centulli Benearnii vicecomitis filiam, qui ſuis illud bonis dotarunt, uti legitur in charta compoſitionis inter Conſtantiam Bigorræ, &c. comitiſſam, & Sanctium cœnobii hujus abbatem. Hic pius princeps cum æquæ pietatis uxore vetus monaſterium reſtauravit, quod viris religioſis ex cœnobio Caſæ-Dei accerſitis tradidit; unde Gratia-Dei filia Caſæ-Dei legitur.

Anno 1568. hujus ſacri loci cultores a Calvini ſectariis incendio traditi ſunt, ante fores monaſterii ad ulmum annoſam conſumti. Alter ex illis comprehenſus cum libris & archivis, illico vivus concrematus eſt. Alius item in terram ad caput uſque defoſſus, ſclopetis confectus eſt. Imo alter *grangiarii* officio non longe a Cadurco fungens, ab iiſdem crudeliſſime, quos ad menſam ſuam humaniter quotidie adhibebat, trucidatus eſt.

Abbates deſumſimus partim ex necrologio deſcripto an. 1557. ex monaſterii monumentis, partim ex vicinarum aut aliarum eccleſiarum chartis.

Abbatum series.

I. Guillelmus primus abbas obiit an. 1175. Forte is eſt qui in necrologio Artonæ ſignatur die 8. Decemb.

II. Arnaldus-Guillelmus 1194.

III. Martinus abbas Caſtellæ & epiſcopus Adurenſis hoc circiter tempore.

IV. Petrus I. 1208.

V. Odo I. 1210. In necrologio Artonæ Odo notatur 17. Aprilis & 26. Octob. ubi forſan Odo qui ſequitur eſt intelligendus.

VI. Odo II. 1250.

VII. Bernardus abbas Gratiæ-Dei ordinis Præmonſtr. diœceſis Adurenſis an. 1269. ex chartul. Campaniæ; quo etiam anno Alfonſus filius regis Franciæ, comes Pictaviæ & Toloſæ confirmavit & ratas habuit omnes acquiſitiones pro monaſterio factas in epiſcopatu Aginnenſi. Vide inter inſtrumenta. *c. VI. pag. 184.*

VIII. Sanctius an. 1288. compoſuit cum Conſtantia comitiſſa Bigorræ, quorum pacta vide inter probationes. *c. VII. ibid.*

IX. Vitalis, 1346.

X. Sancenerius, 1362.

XI. Petrus II. 1373.

XII. Petrus III. factus eſt epiſcopus Aquenſis, annoque 1410. ſedebat.

XIII. Guillelmus Arnalius, 1430.

XIV. Lubatus, 1431.

XV. Ramundus,

Digitized by Google

XV. Ramundus, 1448.

XVI. Bernardus II. de Molendino, 1459.

XVII. Augerius de Barromeres abbas ſancti Johan. de Caſtella homagium præſtat Franciſco Phœbo regi Navarræ die 14. Nov. an. 1482. ex tab. Palenſi.

XVIII. Johannes I. de Aula, 1494.

XIX. Petrus IV. de Monleſun, 1512.

XX. Antonius Portere, 1532.

XXI. Johannes II. de Capdequi, 1587.

XXII. Petrus V. de Lompagieu, abbas regularis 1601. & 1650. Ceſſit ante obitum qui contigit an. 1662. die 25. Octob.

XXIII. Johannes III. de Lompagieu per ceſſionem præcedentis anno ſaltem 1659. abbas erat. Obiit 4. Aug. 1675.

XXIV..... du Buiſſon canonicus Regularis S. Victoris Pariſienſis die 29. menſis ejuſdem, ſchedula regia deſignatur abbas S. Johannis de Caſtella. Ceſſit an. 1681. quo nominatus eſt a rege ad abbatiam regularem *de Landeves* congregationis ſanctæ Genovefæ in diœceſi Remenſi.

XXV. Franciſcus I. Buyrette obtentam a rege abbatiam rexit ad annum 1685. quo Lutetiæ morte repentina correptus eſt.

XXVI. Franciſcus II. le Regrattier e monacho ejuſdem cœnobii abbas effectus eſt die 1. Nov. anni 1685. Obiit an. Domini 1696. ætatis ſuæ 52.

XXVII. Henricus du Puis de Creſſonville nobilis Picardus renuntiatur abbas 17. Maii an. 1698. Poſſeſſionem iniit die 28. Octob. ejuſdem anni per D. la Salle priorem, ſuum hac in re procuratorem. Anno ſeq. grave diſſidium habuit cum..... du Buiſſon abbate quondam ſancti Johannis de Caſtella, pro penſione annua 2000. lib. quam cedendo ſibi reſervaſſe contendebat. Verum Henricus ſuam ex integro cauſam obtinuit in conſilio regio die 16. Martii an. 1709. Tres ultimi abbates ſunt regulares.

ABBATIA B. MARIÆ de Ponte-alto *.

* Pontis.

PONS-altus ord. primum Benedictini fundatur circa annum 1115. a Geraldo abbate Dalonenſi ex chronico Malleacenſi, tum anno 1151. ordini Ciſtercienſi adjungitur ſub *filiatione* Joyaci de linea Pontiniaci. Situs abbatiæ peramœnus eſt in valle pingui, quam rivulus de Leuco alluit, qui diœceſim Adurenſem a Laſcurrenſi dividit.

QUIDAM ABBATES.

I. Gaufridus circa an. 1115. arbiter eligitur cum Willelmo Bernardi epiſcopo Adurenſi, pro ſopienda lite inter abbatem & conventum S. Petri de Generoſo, ac dominos de Samadeto; ex chartul. Generenſi.

II. Arnaldus I. rexit ad annum pontificatus Innocentii VI. nonum, hoc eſt Chriſti 1360. quo anno moritur, ex act. pontific. Aven.

III. Raimundus de Aracio bulla Innocentii papæ VI. Avenione data eodem anno ſufficitur Arnaldo, rexitque ad annum quintum Urbani papæ V. hoc eſt ad an. 1366. ex actis pontific. Avenion.

IV. Garſias de Caſtris, Gimundi monachus, abbas inſtituitur bulla ejuſdem ſummi pont. data pontificatus anno 8. ſeu Chriſti 1369.

V. Petrus Ters occurrit in inſtrumento anni 1415.

VI. Arnaldus II. d'Aydie epiſcopus Adurenſis, abbas etiam S. Severi in capite Vaſconiæ & S. Gerontii, de quo necrologium S. Severi mentionem habet XI. cal. Januarii. Obiit vero ſaltem anno 1512.

VII. Ludovicus de Poyane 1607. & 1611. in inſtrumentis Dei-villæ.

VIII. Petrus Deſpara, 1661.

IX. Hugo de Bar epiſcopus Aquenſis, deinde Lactorenſis.

X. N. du Terrail nuncupatus Bayard Caſtris in Occitania oriundus 5. Aprilis 1692. Obiit an. 1709.

XI. Franciſcus de Poudenx diœceſis Laſcurrenſis ſocius Sorbonicus, a rege deſignatus eſt abbas die 18. menſis Maii in vigilia Pentecoſtes an. 1709. Poſſeſſionem adiit per procuratorem eodem anno. Frater erat epiſcopi Maſſilienſis non ita pridem defuncti.

ABBATIA S. GERONTII.

MOnaſterium iſtud jam a multis ſeculis ſtatum regularem amiſit. Habuiſſe autem monachos manifeſte probatur ex monachis hujus loci notatis in necrologio S. Severi. Sancti Gerontii martyris feſtivitas in veteri hagiologio S. Severi notatur v. idus Decemb. Baſilica culta quidem & in ſacra ſupellectile dives exſpoliata eſt an. 1569. ab eccleſiæ ſimul & regni hoſtibus Calviniſtis, & peſſumdata.

NONNULLI ABBATES.

I. Garſias ineunte ſeculo XI. in hiſt. Benearn. lib. v. cap. 31.

II. Anerius commemoratus in necrologio S. Severi.

III. Johannes de Capſignano anno circiter 1150. ut colligitur ex calice ab illo dato, qui hactenus aſſervatur. Legitur enim inſculptum veteri charactere: *Iſte calix eſt abbati..... Johannis de Capſignano.*

IV. Guillelmus Lupi abbas ſecularis ſancti Gerontii tranſigit cum epiſcopo Adurenſi an. 1330.

V. Raimundus d'Aydie ſimul abbas S. Leborii & S. Severi an. 1480. cal. Aug.

VI. Arnaldus ſimul abbas S. Severi in capite Vaſconiæ, Pontis-alti & S. Gerontii, ex necrologio S. Severi. Haud dubie idem eſt cum Arnaldo Guillelmo de Aydia, qui cum epiſcopatu Adurenſi has tres abbatias conjunxit. Obiit XI. cal. Januarii.

VII..... la Borde: duo hujus nominis & familiæ abbates exſtiterunt.

VIII. Ludovicus de Poyane ſimul abbas Pontis-alti an. 1611.

IX. N. d'Amone.

X. N. Candau.

Digitized by Google

XI. Petrus Candau.

XII. Bernardus de Baillenx canonicus Aquenſis, 1640. & 1646.

XIII. Matthæus Candau, 1650.

XIV. Johannes d'Abadie, 1670. & 1676.

XV. Petrus d'Abadie nepos præcedentis, cujus ceſſione & capituli electione locum obtinuit an. 1676. Æmulum habuit dominum de Poudenx Tarbienſem epiſcopum regia ſuffultum nominatione.

Abbatia S. Leborii.

SOrs eadem fuit hujus abbatiæ cum præcedenti S. Gerontii, adeo ut quæ olim monachorum Benedictinorum alumna fuit, jam a longo tempore ſecularis facta ſit. Patronum habet S. Leborium confeſſorem cujus depoſitio notatur in hagiologio S. Severi XIII. cal. Martii. Charta quæ hac in eccleſia reperitur antiquior, eſt bulla Eugenii papæ IV. qua epiſcopo Laſcurrenſi provincia demandatur approbandi pariagii inter abbatem & capitulum eccleſiæ ſecularis & collegiatæ S. Leborii, & Gaſtonem a Fuxo. Data eſt die Jovis 22. Octob. an. 1444.

Quidam abbates.

I. Arnaldus memoratur in necrologio ſancti Severi VII. cal. Maii ſeculo XI.

II. Raimundus d'Aydie ſimul abbas S. Gerontii & S. Severi an. 1480. calendis Auguſti.

III. Fabianus a S. Juliano in utraque pagina doctor, & vicarius generalis D. Gabrielis de Saluces epiſc. Adurenſis menſe Junio anni 1536.

IV. Antonius de Baylens de Poyane major archidiaconus Adurenſis, 1650. & 1655.

V. Nicolaus de Baylens de Poyane 1667.

VI. N. de Baylens de Poyane, canonicus Aquenſis 1675.

VII. Johannes-Maria I. de Prugues, epiſcopus Aquenſis an. 1688. Electus fuerat abbas à capitulo an. 1675. Abbatiam dimiſit an. 1689.

VIII. Martialis de Perié de la Salargue poſſeſſionem adiit 31. Octob. 1689. Permutavit vero an. 1701. cum ſequenti.

IX. Johannes-Maria II. de Prugues, D. de Matha epiſcopi Adurenſis vicarius generalis, & poſtea ſede vacante, ex permutatione obtinuit hanc abbatiam.

Abbatia de Pendulo, ſeu de Pimbo.

DE hac abbatia nihil novimus præter aliquot abbates ſeculares.

I. Guillelmus-Arnaldus de Sanguinet, 1268. in pariagio cum Eduardo Angliæ rege inito die ſabb. poſt feſtum B. Luciæ.

II. Menaldus de Anoſſio, in libro obituum eccleſiæ Laſcurrenſis, ante annos 300. ſcripto commemoratur 31. Januarii, 7. Febr. 15. Martii & 15. Aprilis.

III. Arnaldus-Guillelmus I. teſtis legitur in tranſactione inter epiſcopum Adurenſem & abbatem ſecularem S. Leborii, die 24. Novemb. an. 1330.

IV. Arnaldus-Guillelmus II. de Sanſaco decretorum doctor, eccleſiæ Adurenſis canonicus, ſacriſta & vicarius generalis Petri epiſcopi Adurenſis an. 1486.

V. Arnaldus III. de Sorbeſio vicarius generalis Dionyſii epiſcopi Lombarienſis 1501. Statuta cum ſuis canonicis condit an. 1533.

VI. Petrus de Arriga nepos præcedentis eodem anno 1533. die 27. Aprilis, ſtatuta pro capitulo circa nominationes ad beneficia condidiſſe traditur.

VII. Petrus II. d'Abadie, abbas reperitur in quodam inſtrumento an. 1575. 20. Febr.

VIII. Johannes de Vigneau eligitur a capitulo die 18. Octob. anni 1582. Poſtridie vero in poſſeſſionem admittitur, cui defuncto an. 1598. ſucceſſit

IX. Gratianus de Caplane electus die 12. Febr. ejuſdem anni. Forſitan is eſt cujus epitaphium legitur in ipſa eccleſiæ Laſcurrenſis navi, quod ſic habet: *Siſte viator & tumulatum hic ſcito venerabilem & diſcretum virum magiſtrum de Caplane, olim dum viveret abbatem de Pimbo & canonicum hujus eccleſiæ cathedralis Laſcurienſis. Obiit quinquagenarius, vita & morte clarus anno* 1630. *menſis Octobris die quarta.*

X. Petrus III. de Caplane, obiit die 26. Julii an. 1631. ſepultus in navi baſilicæ cathedralis Laſcur. cum hoc epitaphio: *Siſte viator & tumulatum vide hic pium & venerabilem virum Petrum de Caplane, hujus baſilica canonicum & RR. abbatem de Pimbo, & in ſupremo Bearnienſium ſenatu ſenatorem integerrimum: natus eſt ille ut moreretur viator, mortuus eſt ut viveret. Vixit in terris quondam, jus ſuum unicuique reddens. Exitum ſortitus eſt ne morti denegaret ſuum. Felicem qui ſic vigilaverit in vita, ut in morte dormiret, ſic dormivit ut inter immortales viveret, die 26. Julii anno ſalutis* 1631. *ætatis ſuæ* 37. *Vale.*

XI. Chriſtophorus I. de Tuquoy, proviſiones ab epiſcopo conſequitur die 1. Auguſti anni 1631. poſſeſſionem adipiſcitur an. ſeq. Ceſſit vero an. 1669.

XII. Chriſtophorus II. de Tuquoy nepos præcedentis, regi ab eleemoſynis, eligitur a capitulo 31. Octob. anni 1669. eodem die poſſeſſionem adeptus. Abdicavit an. 1704.

XIII. Chriſtophorus III. de Tuquoy, præcedentis frater eligitur an. 1704. die 27. Decembris.

Parthenon Montis-Martiani.

FUndatum hoc monaſterium fuiſſe pro virginibus ordinis S. Franciſci, ſeu S. Claræ, quæ nunc Urbaniſtæ audiunt, in confeſſo eſt apud omnes: id autem factum eſt anno circiter 1256. quo Gaſto & Matha vicecomites comparârunt menſe Maio locum tribus leucis diſtantem a Monte-Martiano, dictum de *Beyries*, qui etiam jam tunc vocabatur *Domus Dei*. Eodem anno Raimundus epiſcopus Adurenſis, die 17. Decembris, remiſit monialibus decimas agrorum earum. Attamen charta fundationis data eſt anno 1270. die duodecimo exitus menſis Julii, in feſto S. Mariæ Magdalenæ, ut ex ipſo authentico inſtrumento lingua Bearnica ſcripto,

Digitized by Google

Kwiatkowski Stanisław, Kraków, ul. Wolska 6.
Kwiatkowski Wiktor, Kraków, ul. Wolska 6.
Kwiatkowski Zygmunt

VASATENSIS ECCLESIA.

VASATIUM nomen prius populos & gentem ſignificavit, poſtea vero urbem gentis caput quæ quidem olim Coſſio appellabatur, uti legitur apud Ptolemæum, & Auſonium in parentalibus. Sed ſicut Lutetiæ, quod gentis Pariſiorum princeps foret civitas, Pariſiorum nomen inditum eſt (idem Autrico Carnutum, Durocortoro Remorum contigit) ſic Coſſio urbs appellari cœpit Vaſates & Vaſatæ, a populis quibus præſidebat.

Vaſates in notitia provinciarum tempore Honorii Auguſti, ut putant, facta, nonum tantum obtinet locum in provincia Novempopulaniæ; tametſi Ammianus Marcellinus, lib. XV. *Novempopulos*, inquit, *Auſci commendant & Vaſates*; quaſi inter illos populos potentiores & illuſtriores. Eorum ſub nomine Vocatium, meminit Cæſar in Commentariorum l. III, ubi ſcribit P. Craſſum, victis Sottiatibus, in fines Vocatium profectum eſſe; qui miſſis obſidibus, Romanis dedicionem fecerunt. Idem apud Plinium leguntur *Baſabocates*, ſed corrupte ut Hadrianus Valeſius in notitia Galliarum ſubodoratus eſt. Nempe in manu exaratis codicibus legebatur, *Bocates*, quod idem eſt ac *Vocates*; familiare enim eſt, maxime apud Vaſcones, V. in B. & vice-verſa mutare. At aliquis in codice quo utebatur, ſuper *Vocates*, aut ad oram libri, ſcripſit *Baza* vel *Bazas*, addens interpretationem vocis *Vocates*, quod incautus amanuenſis quiſpiam legens, duabus vocibus in unam conflatis, ſcripſit, *Baſa-bocates* vel *Baſa-vocates*.

Quod ſpectat ad civitatem Vaſatenſem, ejus ſitum eleganter deſcribit Apollinaris Sidonius ad Trigetium ſcribens, epiſtola 12. libri VIII. *Tantum-ne te Vaſatium civitas non ceſpiti impoſita, ſed pulveri? tantum Syrticus ager, ac vagum ſolum, & volatiles ventis altercantibus arenæ ſibi poſſident; ut te magnis flagitatum precibus, parvis ſeparatum ſpatiis, multis exſpectatum diebus attrahere Burdigalam, non poteſtates, non amicitiæ, non opimata vivariis oſtrea queant? An temporibus hibernis viatum te dubia ſuſpendant; & quia ſolet Bigerricus turbo mobilium aggerum indicia confundere, quoddam veris in itinere terreno pedeſtre naufragium.* Hîc legis arenoſum eſſe Vaſatium agrum, quem appellant *Landas*. Attamen arens illud ſolum irrigant quidam rivuli, qui confluentes in unum alveum, fluviolum efficiunt vulgo dictum *la Beuve*, ad quem poſita eſt Vaſatum urbs, vulgo *Bazas*, diſtatque una tantum leuca a Garumna flumine.

Vaſatæ oppidum nunc quidem eſt minus amplum, caput tamen eſt pagi dicti vulgo *le Bazadois*, ſedeſque ſeneſcalli, qui jus dicit duarum diœceſium, Vaſatenſis & Aturenſis populis, ſub parlamento Burdigalenſi. Multa alia urbem hanc commendant. Fuit patria Julii Auſonii celeberrimi medici, qui fuit præfectus prætorio Illyrici, paterque alterius Auſonii, grammatici & rhetoris, qui a diſcipulo ſuo Gratiano Auguſto, ad conſulatum per varias alias dignitates, comitis, quæſtoris ſacri palatii, præfectique prætorio provectus eſt.

In eadem urbe ortus quoque eſt Paulinus, ut ipſe teſtatur in carmine euchariſtico de vita ſua. Sed Paulinus hic alius eſt a S. Paulino Nolarum epiſcopo, licet ipſi ſynchrono; eratque Auſonii nepos.

In agro Vaſatenſi non longe ab urbe, videlicet in vico de Uzeſta, in lucem ſuſceptus eſt Bertrand de Gotto, qui ex archiepiſcopo Burdigalenſi factus eſt papa dictus Clemens V. memorque patriæ voluit ſepeliri apud Uzeſtam, ubi adhuc viſuntur veſtigia ſepulcri ejus, a ſegregibus & hæreticis Calviniſtis diruti.

Sed nihil magis commendaret Vaſatas quam fides Chriſtiana, tam cito in hac urbe recepta; ſi quæ nos docet Gregorius Turonicus indubitata forent. Juxta ſcriptorem hunc, tempore quo Johannes Baptiſta vinctus erat in carcere, matrona quædam ex Galliis Jeroſolymam ſe contulit, *pro devotione tantum, ut Domini & Salvatoris noſtri præſentiam mereretur. Audivit autem quod beatus Johannes decollaretur: curſu illuc rapido tendit, datiſque muneribus ſupplicat percuſſori, ut eam ſanguinem defluentem colligere permitteret non arceri. Illo autem percutiente matrona conchan argenteam præparat; truncatoque Martyris capite, cruorem devota ſuſcepit, quem diligenter in ampulla poſitum patriam detulit, & apud Vaſatenſem urbem, ædificata in ejus honore eccleſia, in ſancto altari collocavit.* Vides hic eccleſiam ritu Chriſtiano ædificatam, & altare erectum, tempore quo forte Chriſtus nondum ſua morte nos redemerat: quod neſcio utrum in aliqua orbis Chriſtiani parte unquam factum ſit. Hincque reſpuenda videbitur Gregorii narratio. Conſtat tamen eccleſiam cathedralem Vaſatenſem, patronum habere S. Johannem-Baptiſtam; aliundeque probaturi ſumus antiquitatem hujus epiſcopatus; quamvis minime aſſeramus fidei Chriſtianæ lumen ante quartum ſeculum iis populis affulſiſſe.

Epiſcopatus Vaſatenſis metropoli Auxitanæ ſubditi eccleſia major ſeu cathedralis, habet collegium vel capitulum in quo quatuor numerantur dignitates, ſcilicet tres archidiaconi & cantor, canonici octodecim, duo perſonatus, ſcilicet ſacriſta & operarius: his addendi præbendarii quorum numerum ignoramus. In urbe ſunt clerici regulares vulgo dicti Barnabitæ, qui collegio ſeminarioque præſunt: Fratres Minores, Capucini, moniales a S. Urſula dictæ, & Sorores inſtituti venerabilis viri Vincentii de Paule, quæ in quodam xenodochio miniſtrant: apud Regulam * ſunt FF. Prædicatores, Minores, & moniales ſub titulo Dei-paræ Virginis Annuntiatæ. Langoni

* Le Reule.

sunt PP. Carmelitæ, Capucini, & virgines Ursulanæ. Apud B. Mariam de Loretà Carmelitæ quoque habitant. In Castro-Geloso * habent ædes PP. Minores, Capucini, moniales Benedictinæ, & virgines Propagandæ fidei : sunt præterea Minores apud Capux-Silvarum, & Capucini in Monte-securo *.

* Castel-Geloux. * Mont-segur.

De abbatiis hujus diœcesis ex professo loquemur. Sed primum de episcopis, quos ex variis tabulis monumentisque collegimus & ex vulgatis jam catalogis Oihenarti in Notitia Vasconiæ, Claudii Roberti, ac præsertim nostrorum Sammarthanorum. Plurimum vero profecimus ex doctis observationibus virorum CC. DD. de l'Espinasse & de Lost Vasatensis ecclesiæ canonicorum, qui hortante illustrissimo episcopo (quo etiam auctore tantos labores pro repurganda & ditanda Gallia Christiana sumus aggressi) diligentissime omnes episcopatus ecclesiæque suæ tabulas explorarunt, unde tum emendarentur, tum augerentur antea vulgati catalogi.

EPISCOPI VASATENSES.

I. SEXTILIUS.

ANNI CHRISTI. 506. 511.

PRIOR, cujus nomen ad nos pervenerit, episcopus fuit Sextilius, qui anno 506. ad concilium Agathense misit Polemium presbyterum; adfuit vero synodo primæ Aurelianensi anno 511.

Diu vero ante Sextilium Vasates episcopos habuisse probatur ex Apollinari Sidonio, l. VII. epistola 6. ad Basilium * papam, ubi plurimarum civitatum deplorat calamitates: *Burdegala*, inquit, *Petrocorii, Ruthemi, Lemovices, Gabalitani, Elusani, Vasates, Convenæ, Auscenses, multoque major numerus civitatum, summis sacerdotibus ipsarum, morte truncatis, nec deinceps ullis episcopis in defunctorum officia suffectis, &c.* Ergo ante Sidonium, qui post medium seculum V. floruit, proindeque ante Sextilium Vasates suos habuerunt episcopos, & quidem martyrio insignes. Id vero luculentius demonstratur Gregorii Turon. testimonio, l. I. de Gloria Martyrum, cap. 13. Anno circiter 437. diuturna obsidione vallata est Vasatensis urbs ab Hunnis, eorumque rege Gauserico, vel Genserico. Hunc Wandalorum regem in historia notissimum fuisse volunt. At Valesius tom. I. rerum Francicarum ad annum 437. Gausericum fuisse Chunnonum sive Hunnorum regem censet, quos Romani agente Ætio conduxerant contra Gothos, qui jam tum eam Aquitaniæ partem ubi Cossio Vasatium sita est, obtinebant. Toto autem tempore obsidionis episcopus hujus urbis plurima patravit miracula, quibus tandem territus barbarorum rex ab ea discessit. *Sacerdos autem*, subdit Gregorius, *convocatis civibus vigilias celebrat, & missarum agit festa, pro liberatione populi sui*, quam quidem non sine miraculo obtinuit.

Sanctum hunc episcopum vocatum fuisse Petrum, quidam asserunt; at non ex certis ecclesiæ monumentis.

Huic Petro Faustum successisse iidem volunt floruisseque temporibus Gelasii I. & Anastasii II. necnon Clodovei I. Francorum regis; docte insuper tum soluta oratione, tum metro scripsisse, maxime adversus Arianos, ut docet Petrus Crinitus. Sed iis qui puram & eliquatam veritatem quærunt, hæc non constant, quin potius nutare maxime videntur.

ANNI CHRISTI. L. V. de vir. Latin. poët. c. 92.

II. ORESTES.

Orestes convenit ad concilium Matisconense II. anno 585. in quo teste Gregorio Turon. accusatus est quod ordinasset Faustianum episcopum apud Aquas Tarbellicas, vulgo *Acqs*: quamobrem a sede episcopali dejectus est Faustianus, & qui eum ordinarant episcopi multati sunt & condemnati ad vitæ necessaria ei suppeditanda, & centenos aureos annis singulis persolvendos. Post Orestem, episcoporum qui sederunt acta & nomina excidere. Verisimile quoque est diu sedem sine episcopo mansisse. Vasatem jugo Saracenorum subditum fuisse an. circiter 731. docet Catellus, lib. 3. hist. Occitaniæ, ex veteri chronico, quod ait a se visum. Hinc forte calamitosis iis temporibus cessavit episcopatus, nam per duo circiter integra secula, nulli certo occurrunt antistites.

585. L. VII. c. 31. & L. VIII. c. 20. 731.

III. GUMBALDUS.

Gumbaldus Vasconiæ dux & princeps dictus, Willelmi ducis frater, episcopus Vasconiæ fuit ordinatus circa annum 977. Quippe cum tunc sedes episcopales hujus provinciæ vacuæ essent ac pene destructæ, ut restaurarentur Gumbaldo principi potentissimo commendatæ sunt. 977.

In historia Condomensi quam noster Acherius edidit Spicilegii tom. XIII. legitur, Guillelmum Sancii Vasconum ducem, consortem dignitatis & honoris assumsisse germanum suum comitem *Gumbaldum, concessisseque illi ad supplementum vitæ Agennense solum & Basatense, cum omnibus appenditiis suis. Et quia a pueritia sacris litteris fuerat imbutus, utriusque sedis pontificatum & præfecturam Deo favente sortitus est.* Cum itaque foret episcopus Vasatensis, monasterium S. Petri de Regula ad Garumnam, ejusdem diœcesis, olim dictum *Squirs*, quod antiquitus fuerat juris S. Benedicti Floriacensis, restituendum suscepit una cum fratre suo Willelmo Sancii, anno 977. cum in Normannorum procella destructum fuisset. Diploma de hac restitutione in tabulario Regulæ asservatum, sic incipit: *Anno Dominicæ incarnationis* DCCCC- pag. 436.

a Basilius hic erat episcopus Aquarum-Sextiarum, quem quarto decimum loco. Situm urbis eas præterat, probe significat Sidonius his verbis: *Tu sacratissimorum pontificum Leontii* Arelatensis, *Fausti* Reiorum, *Graci* Massiliæ, *urbe ..... medius.* Media enim est inter Arelatem, Reios, & Massiliam metropolis Aquarum-Sext.

ANNI CHRISTI. LXXVII. *indictione* V..... *Ego Gumbaldus epiſcopus Vaſconiæ, & frater meus Willelmus Sancii dux Vaſconum .... decrevimus quoddam monaſterium noſtri juris, in honorem S. Petri principis Apoſtolorum dicatum..... ad priſtinum reducere ſtatum.* Cumque compertum fuiſſet, ante Normannorum irruptionem hoc monaſterium Floriacenſium cœnobio fuiſſe ſubditum, miſerunt Gumbaldus & frater ejus ad Richardum abbatem Floriacenſem, qui eum rogaret, ut ipſe *ad præfatum locum deſcenderet*, vel ſaltem, quos vellet e ſuis mitteret monachis, *qui amiſſa reciperent, deſtructa a fundamentis reſarcirent, & aliquod lucrum animarum ibidem acquirerent.* Hoc itaque conſilio Gumbaldus & dux ejus frater donant Floriaco in perpetuum cum ſui teſtamenti auctoritate monaſterium ſuum vocabulo *Squirs*, fundatum *in partibus Vaſconiæ, in pago Aliardenſi ſuper ripam Garonæ fluminis, cum omnibus ad ſe pertinentibus, hoc eſt eccleſiis, villis, manſis, &c.* in ſubſcriptionibus legitur: *Signum Gumbaldi epiſcopi & totius provinciæ ducis:* Integrum hoc inſtrumentum edidit V.C. Petrus de Marca, Hiſt. Benearnii, l. III. c. 5.

Quo tempore obierit Gumbaldus difficile eſt ſtatuere. Jam e vita migraverat quando fundatum eſt ab ejus fratre Willelmo Sancii ſancti Severi monaſterium; hujus enim fundationis chartæ, ſi vixiſſet, ſubſcribere debuiſſet tanquam epiſcopus & dux Vaſconiæ. Porro fun-
982. dationem hanc factam ſub annum 982. ſupra oſtendimus. Addit illuſtriſſimus æque ac doctiſſimus P. de Marca, epiſcopos Aginnenſem, Vaſatenſem, Tarbenſem, Lactorenſem, & Vaſconum adfuiſſe Willelmo duci de hoc monaſterio fundando deliberanti, proindeque jam mortuus erat Gumbaldus, qui fere omnes illos epiſcopatus poſſidebat. Exſtant in chartulario S. Petri de Regula ſtatuta pro bono regimine Villæ Regulenſis ſatis ampla, quæ ab hoc epiſcopo dicuntur condita. Et ſane qui ea ſcripſit meminit venerabilis ducis fratris ſui, fere in ipſo exordio.

IV. Hugo I.

Poſt Gumbaldi mortem, *Agennenſis eccleſia, necnon Baſatenſis ſingulos præſules acceperunt; ce-*
Ibid. *teras, quicumque prævaluit uſurpavit*, inquit ſcriptor hiſtoriæ abbatiæ Condomienſis. Itaque Hugo non immediate Gumbaldo ſuffectus eſt in ſede Vaſatenſi.

Gumbaldus, *Antequam epiſcopatus cathedra ſublimaretur, uxorem duxerat nobilibus ortam natalibus, ex qua filium nomine Hugonem ſuſtulit*; inquit ſupra laudatus ſcriptor. *Hic congruo tempore educatus, & litterali ſtudio eruditus*, videbatur in adoleſcentia *jam tunc maturis moribus adornari, & juſtitiæ operam dare.* Quod movit patrem ut illi Condomienſem qua potiebatur, abbatiam conferret; eumque *abbatem clericorum eſſe præcepit.* Ceterum de cedendo ipſi aliquo ex epiſcopatibus quos obtinebat non cogitavit Gumbaldus, ob immaturam filii ætatem. Illis vero qui Vaſatenſem & Aginnenſem obtinuerant obeuntibus, *utrarumque ſedium patrio more accepit pontificatum.* Alios epiſcopatus ſub titulo *præſulatus Vaſconiæ* tenebat Arſinus, vel Arſius Racha, quem ſcriptor hiſtoriæ Condomienſis dicit pro miræ ſanctitatis & continentiæ viro fuiſſe habitum. ANNI CHRISTI Ibid.

Hugo pontifex ordinatus religioſæ vitæ continentiam ſectabatur, inquit jam ſæpe laudatus Condomienſis hiſtoriographus. Attamen in hoc vituperandus erat, quod duabus epiſcopalibus præeſſet ſedibus. Sed Romam orationis cauſa profectus, tempore Benedicti octavi, juſſus eſt unam dimittere. Præterea ſummus pontifex ei injunxit ut monaſterium conſtrueret. Itaque Roma reverſus *Baſatenſem epiſcopatum cuidam viro fideli conceſſit*, ſibi vero Agennenſem retinuit. Tandem in eccleſia Condomienſi celebre monaſterium inſtituit, cui multa attribuit prædia, præſertim omnem portionem hereditatis ſuæ in pago Leommaniæ. Charta fundationis hujus monaſterii data eſt anno 1011. nec multo 1011.
poſt Hugo vita deceſſit, & in eodem loco ſepulturam accepit, in introitu eccleſiæ ad lævam partem.

V. Arnaldus I.

Quem Hugo ſibi elegit in ſede Vaſatenſi ſucceſſorem, vocatum Arnaldum quidam aiunt. In charta fundationis Condomienſis monaſterii Hugo teſtatur in hoc monaſterio dotando, uſum ſe conſilio provincialium epiſcoporum, abbatum & principum terræ; id eſt Arnaldi epiſcopi, Arnaldi vicecomitis, &c. per Arnaldum vero epiſcopum volunt eum ſignificari antiſtitem, cui Hugo infulas ceſſit. Huic ſententiæ maxime patrocinari videtur, quod Arnaldus in veteri epiſcoporum Vaſatenſium catalogo notetur ad annum 1032. at mendi ſuſpicio gravis eſt in hac temporis nota; pene etenim certum eſt Raimundum de quo mox agemus, jam tum ſedem Vaſatenſem invaſiſſe; quam retinuit uſque ad annum circiter 1059. Hincque nullus locus relinquitur Bertrando, quem anno 1040. & Garſiæ, quem anno 1059. docti viri introducunt; quo videlicet anno Raimundus junior ſucceſſit ſeniori.

VI. Raimundus I.

Raimundus dictus vetulus, de quo ſuperius egimus in Adurenſibus epiſcopis, Vaſatenſem & plurimos alios epiſcopatus habuit, ſucceſſitque Arſivo Racha in pontificatu Vaſconiæ. Porro Arſivus vix potuit attingere annum Chriſti 1030. ſiquidem aliquot annis ante fundatum *Tom. XIII. Spicil.*
in eccleſia Condomienſi monachorum cœnobium, quod factum eſt anno 1011. Arſivus ob violatum ſacrum quemdam loculum, percuſſus eſt cœcitate, *& numquam poſtea languore caruit, quoadusque diem ultimum clauſit*, inquit ſcriptor hiſtoriæ Condomienſis. Quis autem credat hunc epiſcopum ab hoc tempore, id eſt ab anno circiter 1009. ultra annum 1030. languidam vitam produxiſſe? Hic Raimundus ſubſcripſit concilio Toloſano anni 1056. aſſumto ſolo 1056.
epiſcopi Vaſatenſis titulo. Cetera de eo in epiſcopis Adurenſibus requirenda.

ANNI CHRISTI.

VII. Raimundus II.

Raimundum ſecundum ſeu juniorem, ſenioris nepotem, in ipſius locum ordinatum fuiſſe Vaſatenſem & Lapurdenſem epiſcopum, a Nicolao papa, anno 1057. docet charta Lapurdenſis, quam jam laudavimus in epiſcopis Aduenſibus, in Raimundo I. Hic epiſcopus ſuum ſtudium pro reſtauratione diſciplinæ eccleſiaſticæ teſtatum reliquit in charta Lapurdenſi, quam integram vulgavit Petrus de Marca, hiſtoriæ Bearn. l. IV. c. 9. cujus hoc fragmentum deſcribere ſufficiet: *Ego Raimundus indignus & peccator, tamen epiſcopus ſanctæ Baſatenſis eccleſiæ vocatus, necnon & Labardenſis, ſtatui apud me cum conſilio abbatum qui in noſtra diœceſi ſub norma ſanctæ religionis vivunt, & canonicorum in Labardenſi caſtro canonice viventium, & optimatum qui fideles ſanctæ eccleſiæ videntur eſſe, ut ea quæ corrigenda ſunt, noſtris in locis corrigantur.* Sub Alexandro II. qui ſedit ab anno 1061. ad 1073. habitum eſt Burdigalæ concilium celebre cui interfuit Raimundus cum plurimis aliis ex variis provinciis, Hugone Nivernenſi, Waltero Meldenſi, Hugone Trecenſi, Vulgrino Cenomanenſi, Goſcelino Burdegalenſi archipræſule, Goderanno Santonenſi epiſcopo, Guillelmo Engolismenſi, Iſamberto Pictavenſi, Guillelmo Agennenſi, Quiriaco Nannetenſi, Megiſo Venetenſi, Iterio Lemovicenſi; quæ refero, quia concilium hoc in proximo publicandum a noſtro domno Edmundo Martenne, adhuc eſt incognitum. Anno 1080. confirmavit cum archiepiſcopo Burdegalenſi & multis epiſcopis *ſalvitatem* Silvæ-majori conceſſam. Vide Diplom. l. 6. n. 159. Eodem anno adfuit concilio Santonenſi celebrato ab Amato Olorenſi S. ſedis legato, in quo monaſterium Regulæ, quod ſibi vindicabat, Floriacenſibus adjudicatum eſt. Aderat quoque Raimundus, quando Bernardus Aquenſis epiſcopus prioratum de Pontonis Aquenſis diœceſis, quem contra jus monaſterii Floriacenſis poſſidebat, reſtituit, coram Guillelmo Aquitaniæ duce, Guillelmo Auſcienſi archiepiſcopo, Petro Aduenſi epiſcopo, &c. anno 1084. In necrologio Silvæ-majoris ejus obitus notatur VI. calendas Junii anno non indicato. Huic monaſterio ejuſque ſanctiſſimo abbati Geraldo dederat eccleſiam de Coirac, cum ſynodo & quarta & ceteris quæ ibi habebat.

1080.

1084.

VIII. Stephanus.

Stephanus, cui cognomen de Sentes in Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum tribuitur, quod alibi non lego, adfuit concilio Burdegalenſi ſub Amato S. ſedis legato, prius Olorenſi, poſtea Burdegalenſi antiſtite. De Stephano hæc in Silvæ-majoris chartophylaciis: *Non ſit ignotum poſteris, quod dominus Stephanus Vaſatenſis epiſcopus, cum eſſet conſecratus, ad monaſterium Silvæ-majoris venit, ibique albas depoſuit. Qui in capitulo a Domino Geraldo abbate, & ab omnibus fratribus, in orationibus & beneficiis,* (id eſt in bonorum operum ſocietate) *loci ſuſceptus, talem caritatem ipſi eccleſiæ fecit. Apud S. Leodegarium de Vinazes, de decimis ipſius eccleſiæ unam plenam tonam vini quinque modiorum dedit .... hoc donum dominus Raimundus epiſcopus antecеſſor ejus in vita ſua fecerat. Hoc iſte dominus Stephanus, concedentibus clericis Vaſatenſis eccleſiæ, fecit ut in perpetuum permaneret. Signum domni Stephani, &c.*

ANNI CHRISTI.

Præterea donavit, vel potius confirmavit eidem monaſterio, eccleſias de Cuiraco, & de Branna: *ut quidquid in eis modo*, inquit, *ipſa Silva-majoris eccleſia habet, vel a poſſeſſoribus conquirere poterit, perpetuo jure poſſideat.* Acceſſit conſenſus archidiaconorum, omniumque Vaſatenſis eccleſiæ canonicorum. *Actum eſt hoc in capitulo Bazatenſis ſedis, anno* M. LXXXVII. *Dominicæ incarnationis, indictione* X. *epacta* * XXV. *concurrente* IIII. *S. Olivarii monachi, &c.* chartam hanc dedimus inter inſtrumenta. 1087. * IV. *Ch. I. pag. 181. col. 1.*

Anno 1098. confirmavit quandam donationem factam monaſterio Regulæ. Anno ſequenti dedit capitulo facultatem excommunicandi eos qui recuſarent *quartas* ſolvere. Adhuc ſedebat anno 1103. ex Oihenarto & Sammarthanis.

IX. Bertrandus.

Hunc epiſcopum nobis ſuppeditant chartæ Silvæ-majoris; in his enim legimus Gaufridum hujus monaſterii abbatem, & Guillelmum Guiſtrenſis, ſuper eccleſia S. Martini de Boengs, & ſuper aliis litigioſis concordiam feciſſe in manu Arnaldi Burdegalenſis archiepiſcopi, præſentibus Geraldo Engoliſmenſi, & Bertrando Baſlada Baſatenſi epiſcopis. Actum Burdegalæ in camera archiepiſcopi, anno M. C. VIII. indictione I. Eodem anno in jus Silvæ-majoris tranſtulit eccleſiam S. Martini de Seſquars *; ubi notatur hoc ipſo anno Philippum Francorum regem eſſe mortuum. Anno 1112. dedit eidem loco eccleſiam S. Stephani de Ruchs: anno 1114. S. Petri de Caſtels, S. Martini de Cirrac, & S. Johannis-Baptiſtæ de Blanag. 1108. *Ibid.* * Seſcas. 1112. 1114. *Ch. II. pag. 188. col. 1.*

Omnes ſuæ diœceſis eccleſias tam a prædeceſſoribus ſuis huic monaſterio collatas, *quam manu ſua donationis ſuſceptas*, ipſi confirmavit anno 1115. Anno 1116. ſubſcribit decreto Paſchalis II. quo in concilio Lateranenſi IV. adjudicavit primatum & cathedralis eccleſiæ dignitatem baſilicæ S. Stephani Biſonticenſis. Anno 1120. memoratur in charta Arnaldi Burdegalenſis archiepiſcopi, pro S. Emiliano. Primam miſſam in eccleſia S. Laurentii de uno caſtello Pampelonenſis diœceſis cantavit, ejuſque cœmeterium benedixit, rogante Alfonſo totius Hiſpaniæ *imperatore*, menſe Martio æra M. C. LXIII. ſeu anno Chriſti 1125. nam æra annis XXXVIII. annos Dominicæ incarnationis excedit. Hæc de Bertranno nos docent Silvæ-majoris tabulæ. 1115. 1116. *T. X. Conc. col. 809.* *Tab. Silv.* 1125.

Ex aliis monaſterii S. Petri de Regula diſcimus illud beneficio Bertrandi fuiſſe auctum, collata videlicet eccleſia S. Eparchii, vulgo *S.*

a In charta fundationis Fontis-Guillelmi ſubſcribit *Stephanus de Lobret, archidiaconus Vaſatenſis qui epiſcopus fuerat.* Aliunt Stephanum non poſſumus exoriginare prætor eum de quo agimus.

DE BAYLADA.

Cibardi de Milhau, anno ab incarnatione Domini A
ANNI CHRISTI. M. C. XXVI. epacta XXV. indictione IV. Willelmo Auſciorum archiepiſcopo. In necrologio Silvæ-majoris ejus mors aſſignatur XV. calendas
1126. Octobris, contigit autem anno 1126.

X. GAUFREDUS.

Gaufredi abbatis Silvæ-majoris ſupra meminimus. Hic ob ſingulares virtutes & dotes ad
1126. Vaſatenſem cathedram aſſumtus eſt anno 1126. quo *reſidens in capitulo ſuo cum canonicis ſuis*, decrevit monachis Silvæ-majoris dandam eſſe
* Langon. eccleſiam B. Mariæ de Lingonio,* ut eam ædificarent & in perpetuum poſſiderent. Ipſi autem B
Tab. Silvæ-maj. eccleſiæ aquam benedictam, baptiſterium, & alia omnia quæ ad eccleſiam parochialem pertinent conceſſit. Eodem anno memoratur in charta Giraudæ filiæ Petri vicecomitis de Caſtello, pro monaſterio Fontis-Guillelmi. Eccleſiam S. Eparchii de Miliano, monaſterio Regulæ aſſeruit anno 1127. Die poſt feſtivitatem
1130. S. Bartholomæi anni 1130. Silvæ-majoris monachos, & filios Raimundi de Gardera, de quibuſdam prædiis contendentes ad pacem revocavit. Denique eccleſiæ Villæ-novæ de Gironda *Cantariam*, fratribus de Regula a prædeceſſore ſuo Bertrando jam datam iterum dedit. C
Et ut, inquit, *omnis occaſio ſcandali auferatur, quidquid juſte, vel injuſte de ſuperius dicta eccleſia querulatum fuit, fratribus Regulæ, conſilio & aſſenſu archidiaconorum meorum Goſcelini, Fortonis, Auſtoreti & canonicorum Petri Eſcotet, Fulconis, & ſanioris conſilii potiori parte canonicorum Vaſati, conferimus, nihil nobis in ipſa eccleſia retinentes, præter præſentationem capellani, & conſuetum auxilium pro viſitatione domini papæ.*

GUARIN. ## XI. FORTIS, ſeu FORTO.

Forto Guarini ex ſecundo * archidiacono factus eſt epiſcopus, ſaltem anno 1138. quo pro ſa- D
1138. lute animæ ſuæ, parentumque ſuorum, dedit
1140. capitulo ſuo eccleſiam S. Coſmæ. Anno 1140. addidit mediam partem juſtitiæ civitatis Vaſa-
1141. tenſis. Anno 1141. fratribus Fontis-Guillelmi, eorum tranquillitati conſulens, contulit eccleſiam Maſſiliæ ut docet ejus charta. Per aliam ejuſdem anni dat canonicis Regularibus Pulcrifontis, eccleſiam de Jugazan. Anno eodem legimus Amanevum de Buglonio, quartam partem terræ quam habebat prope Regulam, in loco quem Miralium dicunt, in vadimonium de S. Petro & monachis Regulæ, dediſſe pro tre- E
centis ſolidis nummorum de medietate: *Actum*
1141. *eſt hoc anno incarnationis Domini* M.C.XLI. *indictione* IV. *epacta* XXII. *regnante Ludovico Francorum rege, & duce Aquitaniæ Ludovico, Airardo gerente prioratum ejuſdem loci. Signum Fortonis epiſcopi Vaſatenſis. S. Galcerandi archidiaconi. S. Otgerii, &c.*

Erga Regulenſes monachos beneficum ſe oſtendit Forto datis eorum monaſterio tribus eccleſiis. Donationi eccleſiæ S. Vibiani conſentiunt & ſubſcribunt Galcelmus, Fortis, & Pontius archidiacones, Arnaldus Sacriſta & alii

* Ut archidiaconus ſubſcribit chartæ fundationis Fontis-Guillelmi ubi cognominatur de Pelagrua.

canonici. Duæ aliæ eccleſiæ datæ ſunt Eugenii III. anno I. Chriſti vero M. C. XLV.

ANNI CHRISTI. 1145.

XII. GUILLELMUS-ARNALDI I.

DE TANTALON. Guillelmus-Arnaldi de Tantalon memoratur in plurimis Regulæ Silvæque-majoris chartis. Approbavit inſtitutum ab Attone Regulæ priore feſtum Conceptionis Dei genitricis Mariæ, hoc in monaſterio, *quod jam fere per totam Galliam devotiſſime ab omni Chriſtiano percelebrabatur populo*, inquit Atto. * Id autem fa- *
ctum eſt anno incarnationis Dominicæ 1154. 1154
Huic monaſterio confirmavit eccleſiam quæ conſtructa eſt in honore S. Mariæ Magdalenæ, in caſtro qui vocatur S. Baſiliæ, *ſecundum tenorem donationis & litterarum domini B.* * *Vaſa-* *Bertrandi
tenſis epiſcopi. Aliam donationem factam a Guillelmo-Elia de Lados, ejuſque fratre ratam habuit anno 1155. Eccleſiam S. Hilarii de Sorſa- C. V. pag.
co dedit Silvæ-majori, de conſenſu capituli, 188. col. 2.
præſentibus Lombardo archidiacono, Vitali
ſacriſta, &c. Anno M. C. LXIII. indict. XI. 1163.
epacta XIV. cyclo lunari V. inſcribitur chartis
Fontis-Guillelmi annis 1158. 1164. 1165. maxi- 1165.
me ob collata huic loco beneficia. Willelmus Vaſatenſis epiſc. teſtis in charta Bertrandi Burdegal. archiep. qua Petro abbati S. Mariæ de Silva, concedit eccleſiam S. Laurentii de Eſcuris, in ſuburbio civitatis Burdegalenſis, an. 1165.

DE BIS-QUET.

XIII. GARSIAS.

Garſias de Benquet ſedere cœpit anno 1166. vel 1167. ut mox oſtendemus, ex ejus epiſcopatus annis in quadam charta ſignatis. Controverſiam habuit cum Gerardo Regulæ priore, cui cognomen erat *Folium*, * pro eccleſia de * vulgo
Villa-nova. Sed inter eos facta eſt compoſitio, Feuille.
auctore præſertim Gerardo Auxitano archiepiſcopo S. Rom. eccleſiæ legato, cum conſilio Archembaldi & Aldemari de Turre, archidiaconorum Petrocoricenſium, Petri de Glairet ac magiſtri Raimundi Vaſatenſium archidiaconorum. Decretum itaque eſt ut epiſcopus capellanum in prædicta eccleſia poneret, ac fructuum medietatem perciperet; alia vero media pars priori Regulæ illibata permaneret. *Factum eſt hoc Dom. incarnationis anno* M.C.LXX. 1170.
indictione III. *Romano pontifice Dom. Alexandro III. Henrico rege Anglorum duce Aquitanorum, epiſcopatus vero Garſiæ anno* IV.

Anno 1179. adfuit concilio Lateranenſi menſe Martio. Quam oblationum partem pro ſepulturis aliisque rebus Regulenſes monachi,

* Hujus ſtatuti tenor hic eſt:

Anno incarnationis Domini 1154. *ego Atto prior, præſente domino Vaſatenſe epiſcopo Guillelmo-Arnaldi collaudante, cum totus capituli noſtri benigna unanimitate ſtatuimus ut feſtum de ſancta Dei genetricis Mariæ Conceptione, quod jam fere per totam Galliam devotiſſime ab omni Chriſtiano pervelebratur populo, hoc & a fratribus & a tota plebe venerabiliter deinceps ſolemniſetur, ita tamen ut cleri & boni religioſi ad matutinos cantent, & in craſtino ad majorem miſſæ celebrationem fratres cappas induant, niſi forte pluvioſum ſit tempus. Die ſi quidem illo quo hæc promulgavimus, nepotem noſtrum monachavimus. De refectione autem fratrum in tanta ſolemnitate, in pleno capitulo, ſic ordinavimus, ut clavager, (ſive ſindicus) ferculum filiorum, ac etiam molini daret fratribus, præter feſtum; & prior ſecundum ferculum de proprio vrahere curet.*

Hoc ſtatutum hîc edere operæ pretium duximus, in gratiam eorum, qui erga beatiſſimam Virginem ſine macula conceptam, vehementius allucinntur.

quamvc

ANNI CHRISTI. 1186.

quamve parochialis ecclesiæ rector percipere deberent, statuit anno ab incarnatione Domini MCLXXXVI. indictione IV. concurrente secundo, epacta XXVIII. XV. cal. Aprilis, luna XXIV. Obiit pridie idus Junii, ex Silvæ-majoris necrologio.

XIV. GAILLARDUS I.

de Mota. 1186.

Gaillardus de Mota, jam præerat anno 1186. ex antiqua charta monasterii Regulæ, in qua legimus aliquanto postquam hospitalarii parochias de Leujac, & de Paollai cœperunt incolere, Vasconiæ præsules iisdem auctores fuisse, ut quartam partem decimæ vini & bladi harum parochiarum, monachis S. Petri de Regula quotannis darent. *Actum in capitulo Regulæ anno incarnat. Dom.* M.C.LXXXVI. *existente episcopo Vasatensis ecclesiæ domino Gaillardo.* Eodem anno subjecit canonicos Regulares Belli-fontis, Silvæ-majoris monasterio. Anno vero 1190. Clemens papa III. & Richardus Angliæ rex Aquitaniæ dux, decretum quo Elias prior, & alii Belli fontis canonici se suaque Silvæ-majori, *laudante Gaillardo Vasatensi episcopo* dederant, auctoritate sua roborarunt. Habemus litteras hujus episcopi quibus domum illam canonicorum Silvæ majori subjicit; quæ notis temporis carent. G. de Mota reperitur adhuc anno 1213. in charta Silvæ majoris. In fastis ecclesiæ Vasatensis liber est *Rubeus* ad cujus marginem adscriptum legitur Gaillardum hunc episcopum abdicato episcopatu monachum induisse in monasterio Coronæ diœcesis Lemovicensis, ubi cum opinione sanctitatis efflavit animam idibus Julii ex Silvæ-majoris necrologio. Decretum dedit de numero decem & octo canonicorum non mutando.

XV. ARNALDUS II.

Arnaldum quem in schedis ad nos missis cognominatum de Pinibus legimus, produnt variæ chartæ Vasatenses annorum 1220. 1223. & Silvæ-majoris anni 1226. Quidam ejus episcopatum ultra annum 1240. extendunt; sed obstant quæ ex indubitatis instrumentis eruimus.

XVI. RAIMUNDUS III.

Raimundus Angliæ regi probe notus ab eo judex, imo potius pacis sequester constitutus, aquas de quibus inter S. Petri de Regula priorem ex una parte, & Henricum de Trubvilla regis in Vasconia senescallum ex altera, gravis controversia erat, ad S. Petri ecclesiam de jure pertinere censuit. *Actum anno Domini* MCCXXX. 1230. *mense Augusto apud Burdigalam.* Triennio elapso, anno videlicet 1233. calendis Decembris 1233. sigillum suum Raimundus apposuit, cum Geraldo Burdigalensi, cuidam instrumento membraneo, quo Guillelmus de Bove-villa dominus de Duraffio, volentibus & consentientibus filiis suis, Arnaldo & Guillelmo, confirmavit venerabili cœnobio Regulæ, totum jus & omnes consuetudines quas habebat in mercato de S. Airaldo ecclesiæ Duraffii patrono, in mensuris bladi, carnificibus*, sutoribus, fabris, & aliis ad mercatum memoratum venientibus.

* Bouchers.

Datum apud Duras, præsentibus Raimundo abbate S. Fremerii, &c.

ANNI CHRISTI.

Idem episcopus cum Geraldo Burdegalensi archipræsule, visitantibus sacellum S. Lupi inter duo maria, Silvæ-majori subditum, insignibus Sanctorum reliquiis recens ditatum, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxavit mense Junio, anno 1244. [a] Anno 1251. cum inter abbatem & monachos Silvæ-majoris, una ex parte, ac urbis *Burgensis* ex altera, controversia esset orta, innovatæ inter ipsos concordiæ testis fuit, imo etiam auctor episcopus Raimundus. Anno 1258. notatur in charta Fontis-Guillelmi. Denique anno 1261. univit mensæ episcopali ecclesiam de Usesta

1244. 1251. *Tab. Silvæ-maj.* a 1261.

XVII. GUILLELMUS II.

Guillelmus quem legimus cognominatum de Pinibus, jam sedem obtinebat anno 1266. Anno 1270. inventum est vas in quo sanguis sancti Johannis-Baptistæ continetur; quod in destructione urbis tempore procellæ Normannorum fuerat absconditum sub altari. Anno 1273. instrumento de dote Beatricis delfinæ Viennensis, uxoris Gastonis vicecomitis Bearnensis sigillum appositum, in loco sancti Georgii, Dominica in Ramis palmarum. Eodem anno juravit hominium 13. Martii regi Angliæ pro manerio de Bolders, & clientelari scripto conquestus est quod per regem, sive ipsius ministros justitia in urbe Vasatensi spoliaretur. In Gallia Christiana fratrum Sammarthanorum lego ipsius ut episcopi mentionem fieri in publicis instrumentis. Efflavit animam III. idus Aprilis ex Silvæ-maj. necrologio.

1266. 1270. 1273.

XVIII. HUGO II.

De Rochefort.

Hugo de Rupe-forti ab anno 1277. comparet in documentis variis. Ipso sedente habita est synodus Ausciensis anno 1279. pro tuendis adversus senescallum Vasconiæ ecclesiæ Vasatensis juribus; qua de causa scripta est synodalis epistola, ad Edwardum regem Angliæ ducemque Aquitaniæ, tam ab Amanevo metropolitano, quam ab ejusdem provinciæ episcopis, inter quos Hugo legitur inscriptus initio epistolæ.

1279.

Anno 1283. mense Julio fecit cum Edwardo I. Anglorum rege pacta illa quæ vocant *pariagium* quibus regem admittit in societatem dominii urbis, quæ prius erat juris solius episcopi & capituli. Edwardus vero ut gratum pro accepto beneficio se ostenderet, exemisse dicitur ecclesiam Vasatensem a jure regaliorum. V. C. P. de Marca edidit l. 4. hist. Bearn. c. 16. epistolam hujus episcopi & capituli Vasatensis, ad eundem Edwardum, quem rogant ne usum & cursum Morlanensis monetæ in sua diœcesi prohibeat. Hugo anno 1292. quasdam ecclesias univit mensæ episcopali. Perveniisse usque ad annum 1294. probatur ex charta Silvæ-majoris, quo Gavarreti dominus prioratum dicti loci do-

1283. 1292. 1294.

[a] Hic circiter finiendus videtur episcopatus Raimundi; etenim anno 1248 occurrit quidam G. qui Guillelmo rectori ecclesiæ de Maseras scholasticis disciplinis operam navanti, facultatem tribuit decimas in sua diœcesi colligendi, ad summam 50. librarum Turonensium. Sed forte pro G. legi debet R.

ANNI CHRISTI. navit caldaria & marmore *, die 30. Junii anni A quem indicavimus, qua in donatione Hugonis fit mentio. Præterea hoc anno die 10. Julii rex Angliæ ſcripſit ad eum & ad alios Aquitaniæ epiſcopos de Vaſconia recuperanda. Ex collect. Rimerii Angli tom. II. p. 647.

* Judiciarii. *Vide hiſt. Benear. l. v. c. 1. n. 2.*

GAUFRIDI

XIX. GUILLELMUS III.

Guillelmum hunc in charta Regulæ dictum tertium, invenit noſter D. Edm. Martenne, quod noſtro catalogo patrocinatur; in quo videlicet hic epiſcopus tertius quoque Guillelmorum eſt. Fuerat ante pontificatum abbas Bellæ-perticæ B diœceſis Montalbanenſis, cujus notitiam dedit veruſtus lapis ſepulcralis e ruderibus eccleſiæ effoſus, qui jacebat ante primarium altare, ſic autem habet: *Anno Dom.* 1293. *ante Cinores obiit Guillelmus Gaufridi Petragoricenſis diœceſis & caſtri de Goza, olim abbas hujus domus, poſtmodum Dei gratia factus epiſcopus Vaſatenſis, cujus anima requieſcat in pace, Amen.* Deeſt hic in vulgatis elenchis epiſcoporum; at ejus notitiam debemus Leoni Godefrido, Dionyſii regii hiſtorici fratri; qui ambo fratribus Sammarthanis nonnulla documenta ex ſpicilegiis ſuis liberaliter ſuppeditarunt, ut ipſi ingenue fatentur doctiſſimi fratres. Sed amovendus eſt ſcrupulus, C qui ex inſcriptione ſepulcrali Guillelmi oriri poteſt. Nam quomodo Guillelmus poſt Hugonem ſedere potuit, ſi obiit anno 1293. cum Hugonem attigiſſe annum 1294. ex charta Silvæ-majoris probaverimus? Potuit error irrepere in ſignandis annis, & pro 1293. forſan legi debuit 1296. Et quidem in libro rubro legitur con-
1296. firmaſſe hoc anno 1296. unionem decimarum ſanctæ Baſiliæ cum menſa capituli, factam ab Hugone ſuo anteceſſore.

ANNI CHRISTI.

chialem & ſecularem S. Michaëlis eccleſiam oppidi de Regula ad Garumnam, in collegiatam erigit, inſtitutis duodecim canonicis, quibus peculiares præfigit leges, die Veneris poſt feſtum ſancti Martini hyemalis anno Domini MCCCIII. indict. 2. die XV. Novembris. Inſcribitur in tabulis Fontis-Guillelmi annis 1308. & 1303. 1311. quo anno adfuit concilio Viennenſi, ex 1311. litteris Clementis V. ad eum ſcriptis. Adhuc præerat anno 1313. quo videlicet die 14. Maii 1313. facta eſt quædam bonorum commutatio inter Eliam de Rocha & Aimericum Silvæ-majoris monachum priorem S. Petri de Caſtet, *Guilelmo Vaſatenſi epiſcopo*, uti legitur in Silvenſibus chartis.

Contra hujus epiſcopi ſententiam Arnaldus Falcuerius Sabinenſis epiſcopus cardinalis, definivit prioratum S. Petri de Regula eſſe & ex antiquo fuiſſe de membris monaſterii ſancti Benedicti Floriacenſis, anno MCCCXI. indict. IX. 5. Martii, ex chartis Regulæ.

Guillelmus habuit fratrem Geraldum de Mota, qui plures poſſeſſiones quas Guillelmus Vaſatenſis epiſcopus ejus frater alia quam eccleſiaſtica pecunia comparatas, in eum tranſtulerat, cum Silvæ-majoris monachis pro latifundiis & ſilvis ad eos in parochia S. Petri de Rocha pertinentibus commutavit die 18. Febr. an. MCCCXII. ut habetur in Silvæ-maj. tabulis. Ex ſchedis Vaſatenſibus, hic Guillelmus, poſtea migravit ad ſedem Santonenſem, tranſlatus a Clemente papa V. cujus ſucceſſor Johannes XXII. eundem ad priorem ſponſam redire juſſit. In collectione Rimerii Angli exſtat tom. III. p. 25. epiſtola regis Angliæ ad hunc Guillelmum epiſcopum, de facinore per dominos de Stagno & de Monte-Olivo perpetrato ſcripta anno 1307.

FALQUET.

XX. ARNALDUS III.

Hic epiſcopus in actis publicis reperitur ſub nomine modo Arnaldi, modo Falqueti. Exiſtimat D. d'Eſpinaſſe canonicus Vaſatenſis a nobis initio commemoratus, hunc præſulem ap-
* *Forte leg.* Falquetum. pellatum Fulconem & Falquetum*; atque plurima inſtrumenta in archivis tum canonicorum tum præbendariorum eccleſiæ Vaſatenſis nomen ejus præferre; quem docet anno 1302. diem clauſiſſe extremum. Nobis vero occurrit Arnaldus Falqueti epiſcopus in duabus [a] char-
1299. tis Silvæ-majoris anni 1299. & in duabus Fon-
1300. tis-Guillelmi anno ſequenti, ubi legitur Fal-
1302. querus. Obiit anno 1302.

DE LA MOTTE.

XXI. GUILLELMUS IV.

Exordium epiſcopatus Guillelmi de Mota E ſtatuimus anno 1302. quo notatur in tabulis
1302. Fontis-Guillelmi. Et quidem in archivo capituli aſſervatur inſtrumentum præſtiti ab ipſo ſacramenti, die 27. Auguſti, hujus anni. Paro-

[a] Ex tabul. Silvæ-majoris Elias Silvæ-majoris monachus, S. Petri de Caſtet prior, portionem terræ in favorem Elionæ de Favars filiæ Eliæ de Favars ſub annuo cenſu cedit IX. introitus Septembris. Item Geraldus de l'Eſtang clientem ſe fratris Petri de Caclahau prioris de Souſſac profitetur X. introitus Decembris & eidem priori pratum vendit V. exitus Februarii. Acta ſunt hæc an. ab Incarnat. D. MCCXCIX. Arnaldo Falquetu Vaſatenſi epiſcop.

ANNI CHRISTI.

XXII. THEOBALDUS.

DE CASTILLON.

Theobaldus de Caſtillione filius ſororis Guillelmi epiſcopi, avunculo ſuo ſuffectus eſt ipſo anno 1313. quo hic amotus eſt ab hac eccleſia. 1313. Eodem enim anno memoratur in chartis Fontis-Guillelmi, & in aliis datis anno 1316. Anno 1315. adfuit concilio Nugarolienſi. Sedente hoc epiſcopo, domus hoſpitalis Templariorum quæ erat in urbe Vaſatenſi, data eſt Fratribus Minoribus, qui adhuc eam incolunt. Theobaldus revocato ad priſtinam ſedem Guillelmo de Mota, quod fieri non potuit ante annum 1316. 1316. in ſede Santonenſi eidem ſubrogatur. Brevi autem tempore Guillelmus poſtea vixit; anno enim 1318. animam reddidit Deo auctori. Porro de his epiſcopatuum mutationibus, præter ea quæ legimus in ſchedis ad nos miſſis a venerabilibus viris Vaſatenſis eccleſiæ canonicis, nobis conſtat anno 1316. epiſcopum Vaſatenſem fuiſſe Guillelmum, ex inſtrumento *Tab. Silvæ maj.* venditionis duplicis portiunculæ terræ factæ ab Heliona Bertrand, in parochia ſancti Petri de Caſtet, probante & conſentiente procuratore prioris de Regula. Nam in fine hujus inſtrumenti legitur illud in acta relatum per Villelmum de las Cambras (*des Chambres*) ducatus

Christmas Day, the Emperor, Czarina, Czarowitz, Princesses, Boyars, Officers, Soldiers, Clergy, Nobility, Gentry, Merchants, Citizens, Strangers, and all Persons of Quality, Men, Women, and Children, in their Richest Habits, Jewels, and Ornaments, Repair to the Great Church of the Assumption, to Hear Divine Service, and Receive the Holy Sacrament, which is Administred by the Patriarch, Metropolitans, Archbishops, Bishops, and Archimandrites, in the Presence of the Emperor, Czarina, and Czarowitz, who Receive it in the Middle of the Church, Standing upon Two Rich Carpets, Embroidered with Gold and Pearl, and Adorned with Precious Stones, Spread upon Two Velvet Cushions

ANNI CHRISTI.

rum ecclesiæ metropolitanæ Burdegalensis, ubi A jacet: *Anniversarium bonæ memoriæ Geraldi de Podio episcopi Vasatensis debet fieri die* XIX. *Februarii & obiit anno* MCCCLIX. *& est sepultus in hac ecclesia in capella B. Catharinæ, videlicet in medio ante altare, ubi est sua imago & sepultura operata.*

XXVIII. PETRUS I.

Petrum eruimus ex chartis duabus Fontis-Guillelmi anni 1360. in quibus Petrus legitur electus & confirmatus episcopus Vasatensis. In alia charta Silvæ-majoris, qua N. aliquot terræ portiones accepisse confitetur a Fr. Aimerico B
1360. priore de Castet, die XVI. Januarii anni MCCCLX. legitur id factum *Petro Vasatensi episcopo.*

XXIX. GUILLELMUS VI.

1361. Jam præerat hic episcopus anno 1361. ut
Tab. Silvæ-maj. probat charta Silvæ-majoris, qua Aimericus S. Petri de Casteto prior, & Bernardus Teisenci, Albino Barbarez & Eliæ Gasc quasdam terræ portiunculas ad præstariam conferunt die IX. Decembris hujus anni *Willelmo Vasatensi episcopo.* Ejusdem episcopi nomen inscribitur char-
1365. tis Fontis-Guillelmi annis 1362. & 1365. & cui- C
1366. dam instrumento Silvæ-majoris, quod confe-
1368. ctum est 17. Maii anni 1366. Anno 1368. adfuit concilio Vaurensi trium provinciarum.

XXX. RAIMUNDUS IV.

Docti viri qui observationes de episcopis Vasatensibus nobis subministrarunt, aiunt suis in archivis inventum esse documentum datum die 6. Martii anni 1368. quod præfert nomen Raimundi episcopi tunc sedentis. Non potuit præesse nisi usque ad annum 1369.

De Monte-laur. **XXXI. GERALDUS II.** D

1369. Geraldus de Monte-lauro sedit ab anno 1369.
1372. ad 1372. ut in codice quodam legitur scripto manu Bertrandi de S. Aidin canonici Vasatensis & vicarii generalis ejusdem episcopi. Hæc e suis archivis eruerunt domini de l'Espinasse & de Lost canonici Vasatenses jam a nobis laudati. Forte pro Geraldo legendum foret *Guillelmus*, nam in necrologio Silvæ-majoris notatur Guillelmus de Monte-lauro Vasatensis episcopus, qui obiit IV. cal. Augusti.

E

XXXII. GUILLELMUS VII.

Hunc episcopum debemus tabulario Silvæ-majoris, ubi reperimus chartam datam calen-
1372. dis Junii anni 1372. Guillelmo tunc sedem episcopalem Vasatensem obtinente. Vacabat anno
1375. 1375. die 22. Maii.

XXXIII. JOHANNES I.

Invenitur hic præsul in chartis Fontis-Guil-
1380. lelmi annis 1380. & 1381.
1381.

XXXIV. PETRUS II.

Ex eodem tabulario Fontis-Guillelmi prodit
1389. hic Petrus episcopus notatus ad annum 1389.

XXXV. JOHANNES II.

Sedebat hic antistes annis 1390. & 1392. uti constat ex tabulis Fontis-Guillelmi.

ANNI CHRISTI.
1390.
1392.

XXXVI. GUILLELMUS VIII.

Guillelmus ex documentis Vasatensis eccle-
1393. siæ præfuit ab anno 1393. ad 1395. & quidem hoc anno die 22. Augusti legitur dedisse collegio de Pelegrin in urbe Cadurcensi suam bibliothecam ex tabulis hujusce collegii. In nonnullis actis *Fratris* titulus ipsius nomini præmittitur, quod argumento est ipsum ex religiosa familia fuisse assumtum.

Hic oportet candide fateri magnam videri inter variarum ecclesiarum tabulas pugnam & contradictionem, saltem specie tenus. Anno 1390. & 1392. ex Fontis-Guillelmi tabulis notavimus Johannem episcopum: at in chartis Silvæ-majoris occurrit Guillelmus episcopus die 27. Decembris, anni 1391. & die octava Februarii anni 1392. Vacabat sedes 11. Februarii anni 1394. necnon die 3. Octobris 1396. ex iisdem tabulis. At ex instrumentis ecclesiæ Vasatensis Guillelmus ab anno 1393. præfuit usque ad extremum tempus anni 1395. Alia specie pugnantia occurrent adhuc infra. Id autem fieri potuit ob schisma quod tunc ecclesiam dilacerabat. Unus enim papa Romæ sedebat, alter Avenioni. Uterque bullas dabat pro iisdem episcopatibus, aut aliis sacerdotiis. Insuper capitula quandoque invitis pontificibus suos eligebant episcopos. Sicque facile potuerunt esse plures qui simul ejusdem episcopatus titulum gestarent.

En aliud insigne exemplum pugnæ & contradictionis inter diversorum locorum tabulas. In chartis Silvæ-majoris 16. Januarii anno 1396. nominatur Johannes Vasatensis episcopus. Ejusdemque fit mentio in actis annorum 1398. 1400. 1402.

Contra vero in Gallia Christiana Sammarthan. Petrus episcopus ponitur ad annum 1397. die 17. Februarii, dicturque successor Guillelmi, ad quam opinionem tuendam & muniendam proferuntur acta consistorialia. Huic Petro subrogatur anno 1400. Arnaldus Puchius.

Cum neutra opinione conveniunt acta ecclesiæ Vasatensis, quæ sequimur.

Salpini **XXXVII. PETRUS III.**

Petrus Salpini ordinis Minorum ob virtutum & doctrinæ famam regendæ Vasatensi ecclesiæ præpositus, episcopatum obtinuit a
1397. die 16. Januarii anni 1397. ad diem 22. Octobris anni 1417. Meminerunt ipsius tabulæ Sil-
1404. venses anno 1404. die 12. Aprilis & 1406. quæ
1406. quidem non sufficiunt ad probandum episcopatum viginti annorum; at in archivo Vasatensi singuli ejus regiminis anni notantur & inscribuntur actis publicis. Obiit vel cessit anno 1417. mense Octobri.
1417.

Legitur obiisse in conventu Tolosano sui ordinis e quo fuerat assumtus, ubi sepultus est. Verisimile est pium episcopum deposita episcopatus sarcina in hoc cœnobium secessisse.

ANNI CHRISTI.

XXXVIII. Bernardus I.

Hujus episcopi habentur duo instrumenta in archivo Vasatensi, quibus confert quædam sacerdotia: unum confectum est anno 1419. alterum anno 1430.

1419.

1430.

XXXIX. Henricus-Franciscus.

De Cavier.

Henricus Franciscus de Cavier regis Anglorum consiliarius, & administrator perpetuus S. Crucis Burdegalensis, episcopus erat anno 1442.

1442.

1446. 19. Maii, vivereque desiit anno 1446. ut nos docent tabulæ S. Crucis. Hoc enim anno die Veneris quæ erat 18. Novemb. fratres hujus monasterii *attendentes quod ipsum monasterium, & ipsi erant abbate & pastore destituti*, (propter obitum Henrici-Franciſci de Cavier episcopi Vasatensis & sui abbatis) *& ipsius monasterii indemnitati providere ac utili gubernatori illud committere desiderantes, vicarium generalem in spiritualibus & temporalibus creavunt fratrem Gaillardum Roux priorem.*

1446. Instr. ad hist. tom. X. p. 2.

XL. Bertrandus II.

Hic successor datus est Henrico-Francisco, chartaque Silvæ-majoris data 18. Junii anni

1448. 1448. docet eum tunc fuisse Vasatensem episcopum. Eodem vero anno in alia charta facta die 24. Augusti, indicatur alius episcopus, nomine Raimundus.

Contra hæc in observationibus ad Galliam Christianam doctorum canonicorum, quos tam sæpe laudavimus, lego Bernardum de Rosier Henrico successisse, ejusque electionem fuisse confirmatam ab Eugenio papa IV. bulla data mense Martio anni 1437. Sed quæ diximus de Henrici morte, quæ anno 1446. contigit, certis constant testimoniis, uti quæ de Raimundo ejus successore mox dicturi sumus. Unde facile nobis persuademus Bernardum ab Eugenio IV. datum æmulum Raimundo, qui procul dubio partes Felicis antipapæ sequebatur. Cum vero non potuisset adipisci cathedram Vasatensem, ab eodem Eugenio ad Montalbanensem translatus est. De Raimundo primum dicemus, postea de Bernardo.

XLI. Raimundus V.

Raimundum signari in chartis Silvæ-majo-

1448. ris die 14. Augusti anni 1448. jam prænonuimus. Ibidem quoque notatur 4. Junii 1449.

1450. Eum ad annum 1450. notant eruditi animadversionum Vasatensium auctores, aiuntque eum fuisse Regulæ priorem, cardinalem, & episcopum Conseranensem, antequam ecclesiæ Vasatensi præfectus esset.

Quod spectat ad cardinalatum & episcopatum Consoranensem Raimundi, quem cognominatum de Tulli volunt, carere fundamento credimus; nam in censu Gallorum cardinalium minime locum habet. Neque vero Raimundus, si quis sedit hoc tempore in ecclesia Consoranensi, fuit is de quo loquuntur.

Porro invenitur adhuc Vasatensis episcopus in charta Silvæ-majoris data 5. Octobris anni

1454. 1454. & in alia 24. Aprilis an. 1460. Item annis 1463. 68. 70. & 1472. in chartis Fontis-Guillelmi, cujus monasterii abbas fuit. Sed investigandum erit utrum idem sit Raimundus qui toto hoc tempore præfuerit. Antea vero loquendum est de Bernardo, Raimundi, ut conjicimus, æmulo.

ANNI CHRISTI.

XLII. Bernardus II.

Du Rosier.

Bernardus de Rosergio Tolosæ præpositus, qua in urbe magna cum laude juris & legum doctor professorque fuerat, deinde referendarius pontificum Eugenii IV. & Nicolai V. ab alterutro creatur episcopus Vasatensis, quod probat institutus ab eo in hoc episcopatu vicarius generalis Petrus de Castro-viridi ejusdem ecclesiæ archidiaconus. Sed cum pacifice non obtineret hanc cathedram, Nicolaus V. eum transtulit ad ecclesiam Montalbanensem bulla data v. idus Januarii anno tertio sui pontificatus, seu anno 1450. Paulo post vero pervenit ad metropolim Tolosanam, ubi fusius de illo erit agendum.

XLIII. Raimundus VI.

Du Treuil.

Quemdam episcopum nomine Raimundum in actis publicis legi annis 1460. 1463. &c. usque ad 1472. extra controversiam est. Hinc valde incertus nobis videtur cujusdam Guillelmi episcopatus; quem docti canonici Vasatenses aiunt præfuisse à die 1. Augusti anni 1463. usque ad 3. Junii anni 1465. Neque enim tunc duo vel plures erant papæ, qui multiplicitati episcoporum eadem in ecclesia locum darent. Attamen eo etiam tempore potuerunt duo simul eundem sibi vindicare episcopatum, unus vi bullarum pontificiarum, alter per electionem à capitulo factam: jam enim papæ nervis omnibus contendebant, ut ad se attraherent jus providendi omnibus sacerdotiis, etiam episcopatibus, sublatis electionibus quas capitula conservare satagebant.

Nunc expendendum utrum Raimundus qui annis 1460. 1463. &c. præerat, foret idem 1466. quem ab anno saltem 1448. ad 1454. deduximus. In communem sententiam propendemus, duos fuisse Raimundos, quorum junior cognominabatur du Treüil. Erat tunc in Andibus nobilis familia nomine du Treüil, ex qua orta erat Maria du Treüil nupta Ludovico Sammarthano filio Nicolai Sammarthani, quem comes Fuxensis dux exercitus pro Carolo VII. Francorum rege, ob bellicam virtutem in obsidione Bayonæ equestrem ad ordinem promovit anno 1451. uti legitur in historia Caroli VII. Utrum ex hoc genere foret Raimundus non audemus asserere. Præter ea quæ de ipso præmisimus, non est omittendum ejus tempore facta esse statuta pro capitulo Vasatensi, confirmata die

1481. 10. Decembris anni 1481. à Sixto papa IV. Moriens plurima legavit ecclesiæ suæ; multasque pias fundationes in ea constituit suo testamento scripto die 21. Maii anni 1486. nomen

1486. ejus legimus in tabulis Silvensibus die 3. Januarii, anni 1485.

Institutus est curator testamenti Annæ Armaniacensis, viduæ Caroli domini de Lebreto, anno 1472. eique demandata est provincia

ANNI CHRISTI. inquirendi de ſanctimonia Petri Berlandi archiepiſcopi Burdigalenſis. A

BONAL. XLIV. JOHANNES III.

Hic Johannes cognomento Bonal, non *Goual*, ſtatim poſt mortem Raimundi electus eſt epiſcopus, ut liquet ex ſacramento quod præſtitit
1486. die 28. Maii anni 1486. fuit autem prius ſubdecanus eccleſiæ ſancti Andreæ Burdigalenſis. Erat etiam abbas Fontis-Guillelmi, & in chartis hujus monaſterii cum epiſcopi titulo inſcribitur annis
1494. 1494. in chartis Riveti anno
1498. 1498. in archivo Silvæ-majoris anno 1502. die 2. Julii.
1502. Reliquit cenſus annuos ad ſtipendium canonicorum & clericorum, quos juſſit primo die cujuſque menſis preces, & ſacrificium pro ſe offerre. B

Sedes vacabat annis 1504. 1505. 1507. 1508. ex tabulis Fontis-Guillelmi.

D'ALBRET. XLV. AMANEVUS I.

a Amanevus de Lebreto, *al.* de Leporeto a, (d'*Albret*) cardinalis, filius Alani comitis Drocenſis & Franciſcæ a Britannia dominæ de Penthievre, frater Johannis XXXV. Navarræorum regis (alii dicunt nepotem,) ſediſſe reperitur
1509. jam anno 1509. in chartis Fontis-Guillelmi; licet tantum præſtiterit ſacramentum capituli
1511. die 13. Januarii, anni 1511. Pra fuit autem ſub titulo adminiſtratoris perpetui, cum alios jam obtineret epiſcopatus, Appamienſem, & Pampelonenſem, cum abbatiis Brantolmienſi, S. Amandi, & Manſi-Azili. Ejus fit mentio
1514. in charta Regulæ die 20. Octobris anni 1514.
1516. Anno 1516. obtinuit a Franciſco I. Francorum rege confirmationem pariagii olim facti anno 1283. Migravit ex hoc ſeculo menſe Junio anni
1520. 1520. ſepultuſque eſt in æde ſacra Fratrum Minorum apud Caſtellum-Geloſium *, juxta Alanum patrem loci fundatorem.

* Caſtel-Geloux.

BULLIOUD. XLVI. SYMPHORIANUS. D

1520. Symphorianus Bullioud, prius epiſc. Glandatenſis, rexit ab anno 1520 ad annum
1528. 1528. quo tranſlatus eſt ad eccleſiam Sueſſionenſem. Inter illum & capitulum mota eſt lis de ſartis tectis eccleſiæ, ac placito ſenatus Burdigalenſis decretum eſt ut ſingulis annis epiſcopus mille libras in hoc pium & neceſſarium opus impenderet, donec abſolveretur. Ejus ſumtibus fuſæ ſunt columnæ æreæ quæ majus altare circumdant & ornant cum angelis qui ſupereminent, exquiſito opere ex ære fabrefacto.

DE BONNEVAL. XLVII. FUCALDUS. E

Fucaldus de Bonneval Caroli epiſcopi Sarlatenſis frater; permutationis gratia factus eſt
1528. ex præſule Sueſſionenſi Vaſatenſis anno 1528. poſtea Petragoricenſem obtinuit cathedram, permutatione quoque facta cum Johanne qui
1532. ſequitur, anno 1532.

DE PLAS. XLVIII. JOHANNES IV.

b Johannes de Planis b doctor in utroque jure & anteceſſor in academia Pictavienſi erat ex diœceſi Tutelenſi oriundus, ubi gens de Plas nobilitate fuit & eſt ſpectabilis: factus epiſcopus Petracoricenſis, tranſlatus eſt ad ſedem
1532. Vaſatenſem anno 1532. facta cum Fucaldo de Bonneval permutatione. Anno 1535. die 20. Octobris contulit eccleſiam de Brana; ex Silvæ-majoris tabulis. In tabulario domus publicæ urbis Montalbanenſis Johannes de Planis miſſus eſt a rege in Aquitaniam (*la Guyenne*) ad quartam partem ſalis colligendam, litteris datis 10. Decembris, anni 1537. Adhuc ſedebat anno
1543. 1543. quo circiter anno ceſſit in gratiam fratris ſui. Johannem legatum fuiſſe regis Chriſtianiſſimi ad Angliæ regem lego in animadverſionibus doctorum canonicorum Vaſatenſium.

a Lebretum olim dictum Leporetum vicus eſt illius partis Vaſconiæ incultæ, quam vocant landas Burdigalenſes, ubi magna leporum copia, a quo paupere loco illuſtris tamen & regia proſapia de Lebreto nomen accepit.

b V. C. Carolus d'Hozier me monuit Johannem & Annetum fratres, filios fuiſſe Antonii domini de Plas in pago Cadurcenſi, & Manæ de Mirmont.

DE PLAS. XLIX. ANNETUS.

Annetus de Plas Johannis frater, abbas Coronæ, præerat anno
1545. 1545. obiit in gentilitio caſtro de Curamonte diœceſis Tutelenſis, anno
1554. 1554.

ALAMANNI. L. JOHAN. BAPTISTA.

J. Baptiſtam Alamanni ortum Florentiæ lego, ex Ludovico nobiliſſimo poëta, qui pro tuenda patriæ libertate mortem oppetierat. Quæ forte cauſa fuit ut Johannes-Baptiſta ſolum verteret ac in Galliam proficiſceretur. A Catharina Medicea regina benigne exceptus ipſi miniſtravit ab eleemoſynis, dein fuit regi a ſecretis conſiliis; demum Vaſatenſis epiſcopus deſignatus eſt anno 1555. die 31. Octobris. Poſtea tranſlatus eſt ad cathedram Matiſconenſem. Viri eruditi quibus debemus animadverſiones in Galliam Chriſtianam de epiſcopis Vaſatenſibus, aſſerunt in archivo aſſervari collationem factam anno
1561. 1561. a vicariis generalibus J. Baptiſtæ Alamanni.

DE FOIX. LI. AMANEVUS II.

Amanevus de Fuxo, ex ſtirpe comitum de Candale Johannis de Fuxo comitis de Candale capitalis Boiorum filius *, ex Elizabetha de Albreto, cum eſſet epiſcopus Matiſconenſis, hanc ſedem permutavit cum Vaſatenſi. Utrum vero ipſius poſſeſſionem inierit ancipites ſunt viri docti laudari a nobis ſæpius: nam, inquiunt, nulla ſuperſunt acta quæ de hoc epiſcopo fidem faciant.

* Captal de Buch.

DE BALAGUIER. LII. JOHANNES V.

Johannes de Balaguier deſignatus c epiſcopus Vaſatenſis, antequam bullas pontificias accepiſſet, quibus munitus poſſet in poſſeſſionem admitti, factus eſt Cadurcenſis epiſcopus, de quo jam diximus; ſicque locum dedit fratri ſuo qui ſequitur. c

DE BALAGUIER. LIII. FRANCISCUS II.

Franciſcus de Balaguier nobilis Cadurcenſis ex Monſaleſia domo, frater Johannis antiſtitis Cadurcorum, & Guillelmi abbatis Exienſis, cujus loci archimandrita factus ex monacho

c In bulla Pii papæ V. qua factus eſt epiſcopus Cadurcenſis.

Benedictino, & priore de la Ramiere, postea creatus est episcopus Vasatensis, ac sacramentum in ecclesia sua præstitit die 27. Augusti anni 1565. Obiit longævus cleri & ordinis sui amator, hæreticorumque impugnator acerrimus.

ANNI CHRISTI. 1565.

Du Pontac.

LIV. Arnaldus VI.

Arnaldus de Pontac ex clara stirpe Burdigalensi prodiit, quæ a majorum nostrorum ætate primas in urbis hujus senatu tenuit; cui videlicet plurimos infulatos dedit præsides & senatus principes; ab adolescentia sacris sese litteris addixit, in quibus ut felicius proficeret, adhibuit linguarum Hebraicæ Græcæque notiam. Sedem Vasatensem conscendit an. 1572. comitiis cleri Gallicani Blesis interfuit, cujus nomine ad regem gravissimis de rebus delegatur. Iterum a Melodunensi cœtu ad Henricum tertium regem missus anno 1579. luculenta oratione peroravit pro collapsæ disciplinæ instauratione, & canonico præsulum delectu, ut refert illustrissimus Henricus Spondanus in annalibus ecclesiasticis.

1572. 1579.

Inter curas pastorales, non valedixit caris sibi studiis; nimirum commentariis in Abdiam prophetam & notis in Eusebii chronicon rempublicam litterariam ditavit, aliisque lucubrationibus & ingenii sui monumentis. Ei Gilbertus Genebrardus chronologiam suam dedicavit; de quo videndus Possevinus in apparatu sacro. Pro majoris templi reparatione, supremis testamenti tabulis duodecies mille aureos numeratos reliquit, uti legitur insculptum litteris aureis in eminentiori principis altaris loco in hunc modum: *Hanc sacram ædem per bella civilia ab hæreticis deturpatam Arnaldus Pontacus episcopus Vasatensis, cum morte præventus ipse non posset, hæredem suum rescire jussit. Godofridus fratris ejus filius in curia Burdigalensi præses infulatus inchoavit. Arnaldus Godofridi filius, in eadem dignitate successor, magnis sumptibus perfecit anno Domini* 1635.

Arnaldus anno 1605. 4. Februarii in castello suo de Jaubertes mortuus est, vir ævo suo probitate vitæ, eruditione, ac sollicitudinis pastoralis laude præstans, cujus memoriæ inscriptum est hoc epitaphium:

Adsta viator, scire quod juvet, lege;
Parvum sepulchrum conspicis magni viri,
PONTACUS *est; ignotus ille nemini*
Emussitata scripta qui luci dedit
Quels pulveravit hæreticas offucias.

Reliquum ut longiusculum, aliasque obscurissimum omitto; uti & aliud epitaphium in quo perpetua est allusio nominis Pontaci ad pontes varios, quæ a dignitate & gravitate tanti pontificis prorsus abhorret, ut prudens lector ex hoc solo versu judicabit:

Numquid erit stygias ad aquas pons utilis umbris?
Ponte Caron caret . . . . . .

Ejus elogium funebre edidit G. du Puy archidiaconus & canonicus Vasatensis Burdigalæ, typis N. Millanges.

ANNI CHRISTI.

LV. Johannes VI.

Jaubert.

Johannes Jaubert ex dominis de Barraut, abbas Solemniacensis, comes consistorianus, consecratur Romæ mense Augusto 1611. per Franciscum cardinalem de Rupe-fucaldi; & anno sequenti die 28. Februarii solemniter ingressus est urbem, quo tempore sacramentum præstitit. Interfuit comitiis Parisiensibus 1614. & anno 1620. Ludovicum XIII. e Bearnio redeuntem oratione habita excepit. Conventum Capucinorum construxit in urbe; tandem evehitur ad archiepiscopatum Arelatensem 1630.

1611.

LVI. Nicolaus.

De Grillié.

Nicolaus de Grillié Braio ad Sequanam in Senonibus oriundus, Pruvini litteris operam navavit, ad quarum studium eximias dotes attulit; præsertim adeo tenacem felicemque memoriam, ut semel duntaxat legendo prolixam quamlibet orationem, eam memoriter teneret. Cum eum concionantem audiisset Anna Austriaca regina ad episcopatum Vasatensem, ea petente designatus est a rege anno 1631. quo anno solemni pompa urbem est invectus die 4. Julii, inde translatus ad cathedram Uceticnsem anno 1634.

1631.

LVII. Henricus II.

Listolfi.

Henricus Listolfi Maroni abbas sancti Nicolai de Nemore, cui monasterio utilissime præfuit ut dicturi sumus in serie abbatum hujus loci, regi ab eleemosynis, ejusdem schedula designatus episcopus bullisque munitus pontificiis, unctionem sacram excipit Pisciaci in æde monialium Dominicanarum 8. Junii 1634. a Leonorio d'Estampes Carnotensi, assistentibus Stephano Puget Dardaniæ, & Nicolao Denets Aurelianensi episcopis. In urbe solemniter exceptus est die 12. Februarii anno sequenti. Interfuit comitiis cleri Gallicani Meduntæ anno 1641. Seminarium instituit in æde episcopali, pro iis qui ad sacros ordines promovebtur. Ejus tempore virgines Ursulinæ dictæ ædes Vasati obtinuerunt. Zeli pastoralis & probitatis laude inclytus præsul, vivere desiit Tolosæ 18. Mali anno 1645. laudatus funebri oratione ab Antonio Godeau episcopo Grassensi, cum cœtus generalis cleri Gallicani tum celebraretur Parisiis in æde Augustinianorum. Corpus ejus in ecclesiæ Vasatensis choro terræ mandatum est die 26. Maii.

1634.

LVIII. Samuel.

Martineau.

Samuel Martineau Parisinus patre senatore Parisiensi natus, doctor sociusque Sorbonicus, necnon canonicus ecclesiæ Parisiensis, nominatione regia destinatur episcopus Vasatensis mense Februario anni 1646. ordinatus in episcopum Parisiis die 17. Junii in æde sacra monialium ab Calvario monte nomen fortitarum. Ingressus est ritu solemni urbem ecclesiamque die 1. Decembris ejusdem anni 1646.

1646.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI.

Eo ſedente Capucini recipiuntur in oppido quod appellant Caſtrum-Geloſum*. Toparchiæ de l'Erme diſtractæ a Franciſco de Balaguier epiſcopo reſtitutionem obtinuit. Anno 1652. die 4. Auguſti Julioduni conſecravit oratorium Benedictinarum a Calvario dictarum, annuente capitulo Pictavienſi, ſede vacante; cum eſſet hujus congregationis Calvarianæ ſuperior. Diem clauſit extremum in caſtro epiſcopali de Gans, an. 1667. die 24. Maii, indeque delatum eſt ejus corpus ad eccleſiam cathedralem, ubi ſepultura donatur in choro.

* Castel-Jaloux, vel Castel-Geloux.

A

B

De Boissonade.

LIX. GUILLELMUS VIII.

Guillelmus de Boiſſonade patre Antonio centurione in legione prætorianorum, toparcha d'Orty, matre Magdalena de Beaumanoir natus, ex præcentore Agennenſi fit epiſcopus
1668. Vaſatenſis anno 1668. conſecratur & inauguratur die 29. menſis Aprilis ejuſdem anni apud Iſſiacum vicum prope Pariſios in abbatia S. Mariæ ab archiepiſcopo Auſcienſi, aſſiſtentibus epiſcopis Cadurcenſi & Nivernenſi. Præſtiterat clientelæ ſacramentum regi die 13. ejuſdem menſis: exceptus eſt in urbe & eccleſia Vaſa-
1669. tenſi ſolito more die 26. Junii anni 1669. Hujus epiſcopi zelus enituit in deſtructione ſynagogæ Calviniſtarum quæ fuerat Vaſati ædificata. Ejus tempore moniales Urſulinæ apud Langonum ad Garumnam admiſſæ ſunt. Deputatus ad cœtum generalem cleri Gallicani anno 1682. Pariſiis obiit die 22. Septembris, ſepelitque in celebri S. Sulpicii eccleſia.

C

De Gourgues.

LX. JACOBUS-JOSEPHUS.

Jacobus-Joſephus de Gourgues Burdigalæ natus patre præſide infulato ſenatus hujus urbis, avum habuit Marcum-Antonium de Gourgues libellorum ſupplicum in regia magiſtrum; ex quo genere in eodem ſenatu plurimi fuere præſides infulati, unuſque curiæ princeps. Poſt decurſum ſacrorum ſtudiorum ſtadium, laurea doctoris in facultate theologica Pariſienſi donatus eſt anno 1676. menſe Auguſto. Ante epiſcopatum cum eſſet prior S. Capraſii apud Aginnum, fuit legatus non ſemel ad cleri Gallicani comitia generalia, maxime anno 1682. & biennio poſt deſignatus
1682. eſt epiſcopus Vaſatenſis, cujus tranquillam nactus non eſt poſſeſſionem, niſi anno 1693. poſt compoſita diſſidia inter aulam regiam & Romanam curiam. Conſecratus eſt eodem anno die 15. Nov. in æde ſacra Societatis Jeſu in vico S. Antonii, ab epiſcopo Vabrenſi, aſſiſtentibus epiſcopis Briocenſi & Tarbenſi.

Hujus præſulis liberalitati & munificentiæ debetur domus epiſcopalis quæ anno 1667. conflagrarat, reſtauratio. Ejuſdem cura & ſollicitudine ſeminarium clericorum eſt erectum, cujus adminiſtratio clericis regularibus dictis Barnabitis eſt credita. Xenodochii rem familiarem reſtituit & auxit, cujus ſpirituali ſtatui providit. Tanti præſulis ope vetera monaſteria collabentia ſtant, & nova condita ſunt. Utinam ipſe diu ſtet incolumis ad ſuæ eccleſiæ totiuſque reipublicæ Chriſtianæ commune bonum.

In tabulis Silvæ-maj. memoratur Guill. Amanevus de Montlaur ep. Vaſat. mortuus IV. cal. Aug. Forte unus fuit ex tot Guillelmis epiſcopis jam recenſitis.

In tab. S. Florentii Salmurienſis exſtant litteræ Eugenii papæ III. ad R. ep. Vaſat. cui mandat ut S. Fermerii monachos cogat ad obedientiam S. Florentii abbati exhibendam. *Dat. Sutri die* XXII. *Aprilis*. Forte pro R. legendum F. Fortonem. *Vide Prob. C. X. pag. 19. col. 1.*

ECCLESIÆ VASATENSIS ARCHIDIACONI.

I. ARguennacus & Garſias de Aguirone archidiaconi ſubſcribunt chartæ Stephani epiſcopi pro Silva-majori, anno 1087. ante quos ſubſcribit Guarinus decanus.

Tres archidiaconi ſubſcribunt chartæ fundationis Fontis-Guillelmi, Stephanus de Lebret, archidiaconus Vaſatenſis *qui epiſcopus fuerat*, & Forto de Pelagrua archidiaconus, & Gauſelinus archidiaconus, anno 1124. Ex his Forto fuit epiſcopus.

II. Goſcelinus nominatus in charta donationis cantariæ eccleſiæ de Villa-nova, factæ monachis Regulenſibus a Gaufredo epiſcopo, circa annum 1130. Forte idem eſt ac Gauſelinus ſupra notatus qui adhuc occurrit an. 1140. ſub Fortone epiſcopo, & anno 1145.

III. Galcerandus ſubſcripſit chartæ Fortonis, anno 1141. Sub eodem epiſcopo Fortis & Pontius archidiacones adhuc leguntur.

IV. Lombardus intereſt conceſſioni eccleſiæ S. Hilarii de Souſſaco, a Guillelmo-Arnaldi epiſcopo factæ Silvæ-majori, anno 1163. vide inter inſtrumenta. *C. V. p. 188. col. 1.*

V. Petrus I. de Glairet nominatur in compoſitione inter Garſiam epiſcopum Vaſatenſem, & monachos de Regula, an. Domin. incarn. 1170. indict. III.

VI. Vitalis, anno 1180.

VII. R. 1192.

VIII. B. anno 1217. occurrit in regiſt. curiæ Franciæ Carcaſſonenſis, cum W. archiepiſcopo Burdegalenſi, G. Auſcienſi, epiſcopis A. Agennenſi, G. Convenarum, A. Lactor. C. Conſoranenſi, A. Tarbienſi.

IX. S. memoratur an. 1219. forte Seguinus qui legitur, anno 1232.

X. Willelmus memoratur in charta Regulæ an. 1233.

XI. B. de S. Johanne, anno 1266.

XII. Petrus II. de Caſtro-viridi, vicarius generalis Bernardi du Roſier epiſcopi, recenſetur 1450.

XIII. Philippus Aſcanel, ſimul abbas ſancti Fremerii, anno 1572.

XIV. G. du Puy archidiaconus elogium funebre Arnaldi de Pontac epiſcopi, publici juris fecit anno 1605. Burdegalæ apud Millanges.

DE ABBATIIS

itized by Google

DE ABBATIIS IN VASATENSI DIOECESI CONTENTIS, tum quæ non amplius exſtant, tum quæ ſuperſunt.

NUllam veterem abbatiam quæ eodem in ſtatu non amplius perſeveret novimus, præter monaſterium S. Petri de Regula, ordinis S. Benedicti, quod in antiquis tabulis *Squirs* nuncupatur.

Hoc cœnobium ad Garumnam poſitum, quod nomen dat urbi ſatis eleganti, poſt deſtructionem quam a Normannis paſſum eſt an. 848. in poſſeſſionem Bertrandi comitis venerat: qui volens in eo regularem diſciplinam redintegrare, illud tradidit Adacio abbati tempore Ludovici regis cognomento Tranſmarini. Vide Mabillonium tom. IV. Annalium pag. 851. in addendis, ubi emendat quæ dixerat tom. II. ad annum 832. n. 79. Anno 979. idem monaſterium tranſiit ad monachos Floriacenſes; cui monaſterio ut prioratus eſt ſubditum.

Diploma Gumbaldi epiſcopi Vaſatenſis, imo totius Vaſoniæ, de inſtauratione hujus monaſterii facta ejuſdem beneficio & Willelmi Sancii ducis ipſius fratris, ex tabulario hujus monaſterii hoc loco edendum cenſuimus:

Anno Dominicæ incarn. DCCCLXXVII. *indictione* V. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Gumbaldus epiſcopus Vaſoniæ, & frater meus Willelmus Sancii dux Vaſconum, tactis divino amore ſuper peccatorum noſtrorum recordatione, pro remedio animarum noſtrarum, parentumque ſeu fidelium noſtrorum, & eorum qui nobis in opere dei ſico fautores & conſultores extiterunt, decrevimus quoddam monaſterium noſtri juris, in honorem ſancti Petri principis Apoſtolorum dicatum, cum conſilio fidelium noſtrorum ad priſtinum reducere ſtatum. Notum vero erat omnibus ibidem ex antiquo monaſtica inſtitutionis regulam floruiſſe, & idcirco cum antiquitus idem locus dictus fuerit* Squirs, *modernis temporibus dicitur* REGULA. *Quibus ſuper tali deliberatione, multimoda animi anxietate fluctuantibus, per eam, quæ in antiquis, ſapientiam, compertum eſt, ante Normannorum irruptionem, & ſui deſtructionem, idem monaſterium cœnobio Floriacenſium fuiſſe ſubditum. Non ſolum enim utriuſque monaſterii ſepta lugubri ſatis devaſtatione paganorum, verum etiam totius Galliæ, & Aquitaniæ nonnulla perſerunt municipia. Unde communi conſilio propinquorum, ſeu fidelium noſtrorum, quemdam clericum legationis noſtræ bajulum ad venerabilem abbatem Richardum fratreſque Floriacenſes, cum omni ſupplicatione direximus, precantes ut ipſe, ſi fieri poſſet, ad prefatum locum deſcenderet, vel ſaltem, quos placet de ſuis monachis tranſmittat, qui amiſſa reciperent, deſtructa a fundamentis reſarcirent, & aliquod lucrum animarum ibidem acquirerent. Quippe luciferam famam de eorum ſpecialis ſchola, & ſingulari converſatione audiramus. Donamus ergo & donatum in perpetuum eſſe volumus cum hac teſtamenti auctoritate monaſterium noſtrum vocabulo Squirs, quod fundatum eſt in partibus Vaſoniæ in pago Aliardenſi ſupra ripam Garonæ fluminis, cum omnibus ad ſe pertinentibus, hoc eſt eccleſiis, villis, manſis, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, & juſtitiis, totum ex integro quæſitum, & inexquiſitum quidquid ad eumdem pertinet, tradimus atque transfundimus de jure noſtro, in jus & ditionem prafati monaſterii Floriacenſis, ita ut ab hodierna die, in omnibus quidquid abbas, & fratres ejuſdem cœnobii facere voluerint, liberam in omnibus habeant poteſtatem, ſive placuerit abbatem conſtituere, ſive præpoſitum qui eiſdem debeat de omnibus rationem reddere. Ita firmatum eſſe volumus, ut non comes, non epiſcopus, non quælibet ſubmiſſa perſona, aliquid de terris, vel redditibus ejuſdem eccleſiæ, audeat ſubtrahere, aut invadere, &c. Et ut hæc carta firma & inviolabilis permaneat, non ſolum ſubterfirmavimus, & fideles noſtros ſubterfirmare rogavimus, ſed adhibitis Sanctorum pignoribus omnes pariter juravimus, cum obſecratione nominis Domini, nos hæc obſervaturos quæ in præſenti continentur teſtamento. Hi ſunt teſtes, & hujus præcepti confirmatores, quorum inferius vocabula conſtitutione deſcripta ſunt. Signum Gumbaldi epiſcopi, & totius provinciæ ducis, qui hanc donationem devoti cordis inſtantia Deo redemptori conceſſit; Willelmi Vaſoniæ ducis fratris ejuſdem, qui donum Deo traditum mire corroboravit; Garciæ nepotis ipſorum; Rorgarii judicis, Utzan Amanen vicecomitis Ezii. Præterea ego Gumbaldus Vaſoniæ epiſcopus, & frater meus Willelmus Sancii monaſterio B. Petri, quod vocatur ad Regulam, quod beato Benedicto Floriacenſi reddidimus, hæc ſibi appendicia ſolemni donatione perpetuo affirmavimus, eccleſiam videlicet B. Martini cum cauſis, & reliquis adificiis. His itaque taliter peractis, atque confirmatis, ad inſtantiam noſtram prefatus abbas Floriacenſis nomine Richardus, vir quippe pia recordationis & profundi pectoris, cum diſcretioribus monachis eccleſiæ ſuæ, prout decebat ad ſæpe fatum locum, qui ut dictum eſt Squirs ab antiquo vocabatur; nunc autem Regula, de conſilio noſtro, & voluntate prefatorum etiam vicecomitum & aliorum baronum terræ, villam in pago qui dicitur Alliardegs ædificavit, jura ſibi & eccleſiæ ſuæ, & conſuetudines perpetuo obſervandas conſtituit. Eaſdem vero inſtitutiones ratas habentes, perpetuo nos & ſucceſſores noſtros obſervaturos in animas noſtras, & ſucceſſorum noſtrorum cum obteſtatione nominis Chriſti, pariter juravimus, & tranſgreſſores conſuetudinum perpetuo anathemati, prout dictum eſt, ſubjecimus.*

Abbatiæ quæ nunc ſuperſunt & priſtinum titulum retinent, ſunt

S. Mauricius de Blaſi-monte, ordinis ſancti Benedicti.

S. Fremerius ejuſdem ordinis.

B. Mariæ de Riveto, prius Benedictini, poſtea Ciſtercienſis ordinis.

Denique Fons-Guillelmi Ciſtercienſis ordinis.

Abbatia sancti Mauricii Bladimontis, *Blamont.*

Sanctus Mauricius de Bladimonte, seu de Blasii-monte, aut Blayimonte, ord. S. Benedicti, abbatia diœcesis Vasatensis, congregationis exemtorum, non longe a Dordonia & Garumna fluviis sita. Contendunt autem Angeriacenses, hoc monasterium suo subjectum ita fuisse, ut abbas Angeriac. olim hanc abbatiam conferret pleno jure.

Series abbatum.

I. Fortis-Arsius, an. 980. Hic confert monasterio S. Petri *in loco qui prænominatur Squirs*, vulgo *la Reole*, portionem alodi sui in Monte-Vinitore, pagi Vasatensis, mense Madio, regnante comite Guillelmo Sancio, ex illustr. D. de Marca, hist. Bearn. l. 3. c. 5.

II. Gaufredus abbas Blavi-montis, 1105. in charta Gosberti episcopi Agennensis, pro Silva-majori, & 1114. in charta Bertranni de Basilada episcopi Vasatensis, pro Silva-majore.

III. Pictavinus, 1177. quo anno memoratur in charta Regulæ, & 1179.

IV. Guillelmus I. 1267. in charta S. Emiliani, & 1306.

V. Martinus, an. 1312. ex tabul. Silvæ-majoris.

VI. Baro Martin rexit ad an. 1420.

VII. Antonius I. d'Espiamont, abbas Bladimontis instituitur an. 1420. obierat vel cesserat an. 1430.

VIII. Guillelmus II. jam an. 1430. ad an. circiter 1473.

IX. Bernardus I. d'Espiamont*, anno 1473. die 4. Febr. & 5. Nov. 1485.

* al. d'Aspremont.

X. Antonius II. d'Espiamont, alterius nepos aut germanus regit ab an. 1485. ad 1504.

XI. Bernardus II. d'Espiamont, ab an. 1504. ad 1525.

XII. Bernardus III. de la Combe, regi ab eleemosynis & consiliis, prior ecclesiæ collegiatæ S. Caprasii Agennensis, annis 1525. 1557. & 1572. in registris episcopi Vasatensis.

XIII. Bernardus IV. de la Combe, reginæ Francorum ab eleemosynis & consiliis, prior ecclesiæ collegiatæ S. Caprasii Aginnensis, commendam habet Bladimontis cœnobii, ab an. saltem 1583. ad 1600.

XIV. Petrus de Prugues in curia Navarræ senator, fit abbas commend. Bladimont. an. 1600. Ipsius habetur mentio in instrumento S. Fremerii, an. 1613.

XV. Antonius III. de Clermont, commendam obtinebat, anno 1634.

XVI. Jacobus de Gourri, commend. anno 1670. & 1680. Obiit an. 1688.

XVII..... Rol designatur abbas 15. Aug. anni 1688. cessit e vita 1703.

XVIII. Jehan. Binet doctor in theol. facult. Paris. abbas nominatur die 14. Aug. 1703.

Abbatia S. Fremerii, *S. Ferme*, ord. sancti Benedicti.

Sancti Fremerii, seu Fermerii abbatia, haud longe a Droto fluvio & oppido Libournæ, *Libourne* posita, condita fertur a Fremundo Burdigalensi. Cum ibi prolapsa esset monastica disciplina, Raimundus Vasat. episcopus, & Raimundus de Gentiaco hoc cœnobium cum rebus ipsius tradidere Samurensi S. Florentii monasterio, & Willelmo abbati, *pro emendatione vitiorum monachorum, in eodem loco male viventium, ad cellam & quidquid voluerint agendum. Quod donum Vido comes Pictav. Burdigalis in turre sua concessit*, id est confirmavit. Actum anno 1080. Vide inter instrumenta C. VIII. necnon IX. & X. ex quibus patebit abbatem & monachos sancti Fremerii molestе tulisse jugum hoc. Attamen istud monasterium ad hunc diem proprios habet abbates, qui usu vestimentorum pontificalium gloriantur, habentque merum & mixtum imperium in villa S. Fremerii. Horum catalogum pro more nostro subjicimus. pag. 189. col. 2. & 190. col. 2.

Abbatum catalogus.

I. R. 1186. in transactione inter priorem S. Petri de Regula, & capellanum.

II. Raimundus 1233. in veteri instrumento Regulæ, de quo in Raimundo III. Vasatensi episcopo. Anno 1225. litteris ad Francorum regem scriptis, precatur enixe ut priorem & monachos Regulæ sub sua regia tutela suscipiat, quorum jus ac dominium omnimodum in oppidum Regulense attestatur.

III. Petrus I. de S. Michaële, jam an. 1266. An. 1273. regi Anglorum fidem & obsequium præstat pro cœnobio suo rebusque ad ipsum pertinentibus inter Duregiam & Drotum sitis. An. 1284. transigit cum Hugone episcopo Vasatensi.

IV. Guillelmus I. an. 1291. quo monasterium eximitur a subjectione sancti Florentii.

V. Arnaldus I. an. 1301.

VI. Guillelmus II. anno 1302. quo ab Elia Aymerici priore S. Petri de Casteto, & Guillelmo de Gensaco milite arbiter super dominio feudorum prioratus de Casteto eligitur. Regebat adhuc an. 1312. Nepos erat Clementis papæ V.

VII. Petrus II. de Sourville præfuit ad annum 1329. vel circiter. Obierat, aut cesserat an. 1333.

VIII. Gaillardus, anno 1333.

IX. Garsias rexit ad annum primum Urbani papæ V. hoc est ad annum 1362. quo obiit, ex act. pontif. Avenion.

X. Bertrandus de Moleria, ex monacho S. Fremerii abbas instituitur bulla Urbani papæ V. anno primo pontif. data, & Garsiæ succedit.

XI. Johannes Constantini, anno 1395. & aliis.

XII. Georgius I. de Madaillan ex monacho S. Fremerii abbas electus est an. 1472. præfuit ad an. 1502. quo obiit VIII. die Octob.

XIII. Georgius II. de Guisson abbas nominatur die 1. Octob. an. 1502. Rexit ad 1508. quo obiit 10. Martii.

XIV. Petrus III. de Madaillan, Georgii nepos, ex monacho S. Fremerii abbas a fratribus renuntiatur an. 1508. Ad an. 1532. obtinuit hanc sedem.

XV. Amanevus de Fuxo, episcopus Carcas. primus commendam sancti Fremerii obtinet ab an. 1532. ad 1569. An. 1547. ad prioratum S. Columbæ nominat.

Digitized by Google

EPISCOPATUS TARBENSIS.

TARBA Bigerronum * caput ad Aturum * fluvium, in Novempopulania, ſub Auxitana metropoli, & parlamento Toloſano, varia olim ſortita eſt nomina; dicta videlicet, Turba civitas in veterrima provinciarum & civitatum Galliæ notitia; Tarvia & Travia in vita S. Licerii Conſorannorum epiſcopi; civitas Gurba, vel Tuſſa & Turſa in nonnullis notitiis; at corrupte, ut merito videtur Joſepho Scaligero, & Hadriano Valeſio. Apud Gregorium Turonicum lib. IX. c. 6. legitur Beoretana urbs, Beoritana apud eundem l. I. de Gloria martyrum c. 74. In pactione regum Guntramni & Childeberti, de qua idem Gregorius, civitas Begorra; in conciliis veteribus civitas Bigorritana, vel Bigerrica, nomine ſumto ex populis quibus præeſt.

* La Bigorre. * L'Adour. l. IX. c. 20.

Hi etiam varie ſunt appellati; Bigerrones, Bigerriones, apud Cæſarem lib. III. commentariorum de bello Gallico, Begerri Plinio, & Bigerri Paulino in epiſtola I. ad Auſonium, qui Bigerros *pellitos* nuncupat, quod pellibus ob aëris inclementiam veſtirentur. Sulpicius Severus dialogo II. de virtutibus B. Martini Bigerrigæ veſtis meminit, quæ vilis eſſe debebat, & forte ex communioribus pellibus; cum enim S. Martinus archidiacono præcepiſſet veſtire quemdam pauperem, *A proximis tabernis Bigerrigam veſtem.... quinque comparatam argenteis rapuit, atque ante Martini pedes iratus expoſuit.* Apud eundem Severum Bigerrica veſtis hiſpida, & apud Fortunatum hirſuta dicitur, quod veſti ex pelle, cum pilis, & non aluta confectæ convenit. Apollinaris Sidonius in epiſtola XII. lib. VIII. *Bigerricum* appellat turbinem, ventum ſævientem, qui ſpirans a Bigerronibus Vaſatum arenas Syrtium more aggerabat. Forte contra veſanientem hunc ventum tunc Bigerrones ſeſe muniebant, ſicuti nunc ipſi & Benearnenſes utuntur quibuſdam capitiis villoſis, quæ Martialis bardocucullos appellavit:

Idem, de eodem ſimili Mart. l. I. Epigram. 128.

Gallia Santonico veſtit te bardocucullo.

Iidem populi aliter quoque vocantur Bigorri, Begorrii, Beorri, nunc vulgo *Bigarrats*. Bigorræ pagus, qui comites aliquando ſuos habuit, a Pyrenæis montibus, qua Arragonum fines attingunt, incipit; indeque per lætam & frugiferam vallem verſus ſeptentrionem ad vicina confluentis Aturi & Arroſii fluviorum loca deſcendit, habens ad occidentem Benearnenſem vicecomitatum; ad ortum (qua collibus neque aſperis nec infœcundis aſſurgit) Convenarum comitatum habet, ac Magnoacenſem pagum. Ita fere Oihenartus in notitia Vaſconiæ.

Bigorra complectitur duos veteres vicecomitatus Levitanenſem, & Aſterienſem ad montis Pyrenæi radices. Levitania vulgo *Lavedans*, ob generoſos quos alit equos celebris eſt; cujus caput Lorda *Lourde*, arcem habet munitiſſimam.

In Bigerris adhuc notandus eſt vicus Aquenſis, vulgo *Bagneres*, a balneis ac thermis dictus. Porro ſalubrium illarum aquarum uſus antiquis notus erat maxime, ut probant veterum lapidum inſcriptiones adhuc ſuperſtites, quarum meminit Oihenartus in notitia Vaſconiæ. Hæc ſola ſufficiat

NYMPHIS
PRO SALU-
TE SUA SE-
VER. SERA-
NUS V. S. L. M.

Cave autem aquas Tarbellicas interpreteris Tarbam. Jam enim diximus eſſe civitatem Aquenſium vulgo d'*Acqs*, vel *Dax*.

Ex Bigorræ comitatu a trecentis circiter annis diſtractus eſt pagus Riparia-inferior (*Riviere baſſe*) vulgo dictus, & vicariatus Malivicini. Gregorius Turonicus meminit vici Sexciacenſis, * *infra terminum Beorretana urbis*, qui S. Juſtini preſbyteri ſacro corpore ditatur; & alterius vici eodem in territorio, Talvæ videlicet, quem illuſtrant S. Miſſelini * reliquiæ. Qui vocatur hîc preſbyter tantum S. Juſtinus, in veteri martyrologio, quod exhibetur Spicilegii tomo IV. epiſcopus appellatur hoc pacto. *Kal. Maii Bigorra civitate, depoſitio ſancti Juſtini epiſcopi magni, Iſici, Phoci.* In ſupplemento Sauſſaii: *Kal. Maii, in caſtro Begorra quod eſt Tarba ad Atyrum fluvium in Novempopulania, depoſitio S. Juſtini confeſſoris talentorum gratia multiplicatione glorioſi*: ubi vides titulum epiſcopi Juſtino denegari, etſi conceſſum in veteri martyrologio.

L. de Glor. Conf. c. 49. * Sert. * S. Meſſelin.

Porro ſupplementi Sauſſaiani auctorem hallucinari putamus, quando caſtrum Begorræ & Tarbam eundem eſſe locum docet his verbis. *In caſtro Begorra quod & Tarba.* Certe notitia antiquiſſima, ut cetera prætermittamus teſtimonia, ſic habet: *civitas Tarba, ubi caſtrum Bigorra.* Adhuc ſupereſt caſtrum Bigorræ quo Tarba urbs munitur.

Tarba urbs, quod ſpectat ad ſtatum civilem, ſeneſcalliæ titulo nunc eſt ornata. Quantum vero ad ſtatum eccleſiaſticum, ſatis amplo epiſcopatu gaudet, cujus eccleſia cathedralis ſub Dei-paræ virginis patrocinio conſecrata eſt. Capitulum, quod olim canonicis Regularibus ſancti Auguſtini regulam ſervantibus conſtabat, (qui ſtatus perſeveravit uſque ad annum 1514.) habet canonicos ſeculares XIV. præbendarios duodecim: iis omnibus præeminent dignitates plurimæ, ſcilicet archidiaconi octo, cantor, ſacriſta, camerarius, & infirmarius. Olim præerat præpoſitus, & tempore Willelmi I. epiſcopi, capituli præpoſitus erat Stephanus, ut videre eſt in hoc epiſcopo.

Diœceſis dividitur in varios archipreſbyteratus, ſcilicet de Serra, de Aucuno, de Præſaco, de Angulis, de Aderio, de Pontaco, de Banheriis, de Baniſſio, de Burgo, de Torraco, de Civitate, de Campiſtronis, de Lierio, de Orlexio, de Andreſto, de Yvoſſio, de Montefalcone, de Chela, de Caxono, de Montanerio, de Caſtro-franco, ſeu de Lagniaco, de Caſtro-novo, ſedes Tarbiæ, de Caſtero, de Juncalaſio, de Salis: in quibus ſunt parochiæ 303.

In urbe ſunt conventus Minorum, Carmelitarum, Capucinorum, Doctrinariorum (ita audiunt quidam clerici quaſi regulares) qui collegium moderantur; denique Urſulanarum: apud Banerias, ſeu vicum Aquenſium, conventus Prædicatorum & mulierum Pœnitentium, vulgo *Repenties*; apud Medouſſam conventus Capucinorum a dominis de Acrimonte, *de Gramont*, fundatus; apud Rabaſtanum Carmelitarum; apud Vicum, & apud Tornacum Minimorum S. Franciſci de Paula. De abbatiis ſeorſim agemus poſtquam præcipuam operam collocaverimus in hiſtoria epiſcoporum e tenebris veterum monumentorum ope eruenda.

EPISCOPI TARBENSES.

I. S. JUSTINUS.

ANNI CHRISTI

QUIS Chriſtianæ fidei lumen prior Bigerronibus attulerit, & Tarbienſis eccleſiæ fundamenta jecerit, cujus fuerit primus epiſcopus, ignoratur. Jam monuimus in veteri martyrologio quod nomen S. Hieronymi præfert, ediditque noſter Dacherius ex veteriſſimo mſ. codice Corbeienſi, tomo IV. Spicilegii, pag. 617. legi calendis Maii depoſitionem *S. Juſtini epiſcopi magni in Bigorra civitate.* Vix dubitare licet Juſtinum hunc fuiſſe epiſcopum Bigorritanum, & quidem antiquiſſimum, quando conſtat nullum huic martyrologio inſcribi ſanctum qui non ſuperet aut ſaltem æquet ætatem S. Hieronymi. Nam qui in fine leguntur diverſo charactere, fuerunt additi. Juſtinus ibi dicitur epiſcopus *magnus*, quod forte idem eſt ac primus. Apud Gregorium Turonicum quidem S. Juſtinus dicitur preſbyter, non epiſcopus; at martyrologio magis credendum ut pote longe antiquiori, quam libro Gregorii de Gloria confeſſorum.

De hoc ſancto nihil addendum ſupperit, niſi quod legimus ad calcem operum Gregorii Turonenſis obſervatum a Ruinarto noſtro; ſcilicet non procul ab eccleſia parochiali vici Sexciacenſis, ſeu Serciaci, vulgo *Sers*, hactenus videri in edito monte vetus oratorium pene deſtructum cum duabus cellulis ſub Juſtini nomine Deo ſacrum, ubi forte olim corpus S. Juſtini quievit. Locus ſex leucis a Tarba civitate diſtat.

II. APER.

Oihenartus in indice præſulum Bigerrenſium primum locum dat Antomario, cujus nomen ſolum exhibet, nec dignatur nos docere, unde illud depromſerit. Oihenartum ſecuti ſunt noſtri Sammarthani. Claudius Robertus, Antomario prætermiſſo, in capite ſui catalogi ponit Syagrium quem dicit ſediſſe in concilio Illiberitano anno 305. minime tamen legitur Syagrius epiſcopus inter patres Illiberitanos. At occurrit quidam Sanagius epiſcopus *Epayrenſis*, & ad marginem legitur, *alias* Bigerrenſis. Porro ſi ſciremus in bonæ notæ codicibus legi *Bigerrenſis*, Sanagio non negaremus locum in hac hiſtoria.

Veniendum itaque ad Aprum optime notum, nimirum ex ſubſcriptione Ingenui preſbyteri quem ad Agathenſem ſynodum miſerat anno 506. ubi legitur in ſubſcriptionibus: *Ingenuus presbyter miſſus a domino meo Apro epiſcopo Bigorritana civitatis ſubſcripſi.* ANNI CHRISTI

Eadem ratione qua Sanagium non admiſimus, excludimus quoque Nibridium, qui ſubſcripſit concilio Tarraconenſi, anno circiter 516. anno VI. Theuderici regis, ſub die octavo idus Novembris. Quamvis enim alicubi legatur epiſcopus Bigerrenſis, attamen vulgata communiuſque recepta lectio eſt *Egarenſis*, qui eſt epiſcopatus in Hiſpania.

III. JULIANUS.

Anno quadrageſimo primo ſupra quingenteſimum habita eſt quarta ſynodus Aurelianenſis, indictione IV. Baſilio V. C. conſule. Ad hunc vero epiſcoporum cœtum, convenit *Julianus epiſcopus civitatis Bigerrica*, cui proinde uti & aliis antiſtitibus adſcribi debent hujus concilii canones tanta ſapientia propter eccleſiaſticam diſciplinam, vel confirmandam, vel reſtituendam conditi. 541.

IV. AMELIUS.

Amelii Bigorritanæ urbis epiſcopi meminit Gregorius Turonicus, narrans multa de quodam Deſiderio Amelii ſervo qui, ſimulata ſanctitate, & falſis quas circumferebat reliquiis, plebeculam deludebat. Sed a Ragnemodo Pariſienſi epiſcopo correptus & in vincula conjectus eſt. Evaſit tamen ex cuſtodia, cum ipſis quibus nexus erat catenis. At vero agnitus eſt ab Amelio epiſcopo ſuo domino properante ad Brennacenſem conventum, anno 580. celebratum. Quinquennio elapſo Amelius concilio ſecundo Matiſconenſi anno 585. aut adfuit, aut ſaltem ſubſcripſit. Cointius poſt Amelium nullos commemorat epiſcopos Bigorritanos. 580. 585.

V. S. FAUSTUS.

S. Fauſtus ex vita S. Licerii ipſius diſcipuli, quam edidit Labbeus, ad noſtram notitiam pervenit. Legimus enim in ea S. Licerium ſeſe tradidiſſe inſtituendum S. Fauſto Tarbenſi epiſcopo; ſed paulopoſt ſanctus præſul Vico-julium in exſilium mittitur, pro Chriſti cauſa. Redeuntem ab exſilio magiſtrum ſuum Licerius ſecutus eſt, eique adhæſiſſe videtur quamdiu vixit. Non enim acceſſit ad S. Quintianum niſi poſt S. Fauſti mortem. Hæc ſunt quæ ex hagiologiis *Tom. 2. Bibl. nova. pag. 581.*

XVI. Stephanus du Bouchet epiſcopus Coriſopitenſis * reſignat nepoti ſuo 1562. omittitur a D. Cl. Eſtiennot.

* Quimper.

XVII. Edmundus du Bouchet, præcedentis nepos poſſeſſionem iniit 13. Octob. 1562. omittitur a D. Cl. Eſtiennot.

XVIII. Nicolaus Caëtanus S. R. E. tituli S. Euſtachii cardinalis de Simoneta, fit abbas ab an. 1569 *.

* 1567.

XIX. Philippus Aſcanel archidiaconus Vaſatenſis 1572. omittitur a D. Cl. Eſtiennot.

XX. Arnaldus II. de Gaſcq 1597. 1601. præfuit ad an. 1615. Baſilicam ſartam tectam fecit, ad cujus columnam hæc leguntur: *Arnaldus de Gaſco hujus cœnobii abbas & reſtaurator, anno Domini* 1607.

B

XXI. Jacobus de Aquis, *des Aigues*, rexit ad an. 1622. quo pedum dimiſit.

XXII. Leo I. de la Lanne ab an. 1622. commendam habet ad annum 1667. quo nepoti reſignavit. Ædem abbatialem, navim eccleſiæ, cellaſque monachorum & ea quæ exſtant ædificia a fundamentis erexit.

XXIII. Leo II. de la Lanne epiſcopus Baionenſis domum abbatialem ampliavit; aliamque ruri in ſaltu vicino conſtruxit. Obiit anno 1700. jacetque in eccleſia S. Fremerii.

C

XXIV. Adrianus Deſchamps Morel de Crecy, 1700. 14. Auguſti. Noſter D. Cl. Eſtiennot, ex quodam codice mſ. Aquenſi, exhibet tom. XI. Fragmentorum quoſdam abbates, quos præmittit Petro de S. Michaële, minime deſignato tempore quo præfuerint; ſcilicet Boneſium, Matthæum de Hoſpitali, qui monaſterium reædificavit, & monachos ſecundum regulam vivere fecit. Poſt Guillelmum Clementis V. nepotem inducit Vitalem du Four, & Michaëlem de Podio epiſcopum, cujus ignoratur ſedes.

p. 1182.

ABBATIA B. MARIÆ DE RIVETO, ordinis Ciſtercienſis.

D

RIvetum ordinis Ciſtercienſis diœceſis Vaſatenſis abbatia de linea Pontigniaci, cujus poſſeſſiones confirmavit Urbanus papa IV. data bulla 1264. in qua teſtatur monaſterium jam fuiſſe fundatum antequam Ciſtercienſi uniretur ordini. Ex paucis quæ ſuperſunt monumentis paucos abbates collegimus.

SERIES ABBATUM.

I. Raimundus I. de la Bannierre, 1408. in veteri inſtrumento Fontis-Guillelmi.

II. Johannes I. Hevrard, ſeu Ebrard, diverſis E in inſtrumentis, ann. 1464. 1467. 1474.

III. Bertrandus de Sabbatier, 1478. 1480. 1484.

IV. Michaël I. Cauſade, licentiatus in decretis, ann. 1491. 1498. 1502.

V. Michaël II. Baudrier, *al.* Baudry, 1511. alibi eodem anno Baudru cognominatur.

VI. Raimundus II. de S. Clair, 1518. 1528. 1543. 1565. vaſtata abbatia a Johanne de Fabas, qui Henrici IV. regis copias ducebat.

VII. Raimundus III. de S. Clair, dominus Podii-Martini œconomus abbatiæ nomine regis reperitur 1594.

A

VIII. Johannes II. de Carſalade, ſequentis memoratur prædeceſſor. Erat prior tempore quo Raimundus de S. Clair erat œconomus regius.

IX. Bernardus I. de Montſegur poſſeſſionem iniit anno 1624. vivebat adhuc anno 1660.

X. Bernardus II. Sarramea de Montaredon, doctor in theologia, coadjutor electus an. 1653. cum hoc ſolo titulo reperitur anno 1662. Præerat adhuc 1674.

XI. Petrus de Verdelin, 1678. 1692. obiit 1701.

XII. Johannes-Baptiſta le Clerc du Walon, primus commendatarius poſſeſſionem iniit 1702.

XIII. D. Jordanus de Fleiis monachus Ciſtercienſis a rege deſignatus abbas 15. Aug. an. 1712. benedicitur ab abbate Ciſtercienſi Pariſiis in abbatia de Pentemonte ejuſdem ordinis, die 11. Novemb. an. 1714.

Ad nominationem abbatis pertinent parochialis eccleſia S. Sulpicii de Brannes, annexam habens eccleſiam de Brinejac; & eccleſia parochialis S. Germani, cui annexa ſuccurſalis eccleſia de Auros.

ABBATIA FONTIS-GUILLELMI, ordinis Ciſtercienſis.

FOns-Guillelmi vel Fons-Gailla, ordinis Ciſtercienſis, filia Gondonii de linea Pontiniaci fundatur anno 1124. a Petro vicecomite de Caſtello, ut docet nos fundationis ipſius inſtrumentum quod ad probationes amandavimus, quia in eo ſunt multæ lacunæ.

Ch. XI. p. 150. mil. 4.

Ex hoc inſtrumento apparet Bertrandum epiſcopum Vaſatenſem, non exiguam contuliſſe operam in fundatione hujus abbatiæ; cujus etiam eccleſiam ipſe conſecravit. Verum cum eccleſia illa lignea nec ſatis ſolida, nec tam multis fratribus ſufficere videretur, Gaufridus Bertrandi ſucceſſor lapideam conſtruere cogitavit, ſcriptis litteris ad abbates, priores, ſacerdotes, clericos & alios fideles, quibus eos hortatur ut ſuppetias Chriſti pauperibus hanc in rem præbeant. § Has litteras ex autographo ipſo deſcripſimus & hic edendas curavimus.

LITTERÆ G. * VASATENSIS EPISCOPI, quibus fideles omnes hortatur ut fratribus Fontis Guillelmi monaſterium ædificantibus de ſuis bonis ſuccurant.

* Gaufredi.

G. Dei gratia Vaſatenſis epiſcopus, abbatibus, prioribus, ſacerdotibus, clericis, atque ſanctæ Dei eccleſiæ miniſtris, ceteriſque utriuſque ſexus fidelibus, ad quoſcunque littera iſta pervenerint, ſalutem & miſericordiæ operibus abundare. Ex ſuſcepto jure paſtorali nobis incumbit officio, viris ſemper deferre religioſis, ne forte religionem videamur contemnere, quia ſi in nobis non habemus, in aliis tamen venerari debemus & diligere. Verum inter ceteros quodam reverentiæ privilegio ſpecialius ab omnibus honorandi ſunt, qui vita & habitu ipſam profitentur religionem, voluntarie ſeſe dantes paupertati. Credimus namque tales & in eleemoſynis & aliis Chriſtianæ devotionis operibus præferendos, dicente ſcriptura: Deſudet eleemoſyna in manu tua, donec videas cui des eam. *Et alibi:* Bonum facientes ad omnes maxime ad

domeſticos fidei. *Eſt ſiquidem in epiſcopatu noſtro domus quædam quæ appellatur Fons-W. in qua abbas & fratrum conventus vitam ducentes religioſam, omnia ſua omnibus faciunt communia; & licet neceſſaria eis minus plene ſuppetant, miſericordiæ tamen operibus aſſidue vacant, & ædificationum inſudant laboribus; ut Mariam ſequentes in contemplatione, Martham etiam in actione præire videantur. Habentes namque capellam ligneam tot fratribus minus idoneam, monaſterium ædificant lapideum, a quo cum quæ neceſſaria ſunt, ibi rara inveniantur, & a longe portari oporteat, potius a multis æſtimabatur deſiſtendum quam inſiſtendum. Ne igitur propter paupertatem incæpto ſubcumbant operi, ſed qui ſpirituales die ac nocte pro nobis ſeminant preces, carnalia a nobis metant beneficia, monemus, rogamus & modis omnibus vos exoramus, quatinus divinæ pietatis intuitu, & ſpe retributionis æternæ, cum eorum nuntios videritis, benigne recipiatis, & ad conſtructionem talis ac tanti monaſterii, impenſa ſibi veſtrarum eleemoſynarum beneficia levamen faciant eis & juvamen. Nam teſtante auctoritate evangelica:* Sicut aqua ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. *Et dantibus eleemoſynam omnia conſtat eſſe munda. Clericis vero noſtri epiſcopatus mandando præcipimus, quatenus eorum nuntios in domibus ſuis benigne recipientes, populum ſibi commiſſum diligenter admoneant, ut ad ſæpe dicti monaſterii opus largas mittant eleemoſynas, & fraternitati quæ in eadem abbatia Fontis-Guillelmi ſtatuta eſt, ſi eis placuerit, ſe aſſocient, vel ædificationi prælibati monaſterii de bonis ſuis aliquid miſerint, de injunctis ſibi pœnitentiis* XL. *dies relaxamus. Ex noſtra parte inſuper in uno quoque anno duas miſſas celebrare decrevimus. Præterea prudentiam veſtram non lateat quod abbas & fratres dicti cœnobii pro vivorum ſalute & requie defunctorum, ſingulis diebus pro benefactoribus ſuis faciunt bis divina celebrari, per omnes etiam abbatias, quæ monaſterio Cadonenſi* * *ſubjacere noſcuntur, eandem obſervantiam noveritis propagatam. Item abbas & fratres Fontis-Guillelmi ſuas orationes ſuis benefactoribus communicant.*

* V. Gondonenſi.

SERIES ABBATUM.

I. Bernardus abbas Gondonii primus rexiſſe Fontis-Willelmi monaſterium videtur, ſub quo Grimaldus erat prior. Saltem id inſinuant plures chartæ quas vidimus. Præfuit uſque ad annum circiter 1135. De hoc abbate fortaſſe intelligendum quod legimus in necrologio Silvæmajoris ad VI. *idus Auguſti*, mors Bernardi de Segur abbatis Fontis-Guillelmi.

II. Stephanus, cui abbati Arnaldus-Guillelmi donat terram, quæ appellatur *Inſula*, Fortone apud Vaſatem *epiſcopante*, Ludovico rege duce Aquitaniæ. Eidem abbati Raimundus de Lugat donat medietatem terræ ſuæ eum Arnaldo filio ſuo, quem ſuſcepit abbas ad docendum, paſcendum & monachum faciendum. Eidem Stephano abbati Arſivus de la Vail donum fecit 1140. Eidem etiam Annetus de Garinol medietatem terræ de Beſunt conceſſit 1146. Memoratur 1152. in perveruſta charta eccleſiæ Vaſatenſis. Stephano etiam abbati Amanevus de Lebreto, nepos Gaſtonis vicecomitis de Bearn, 1164. donavit terras ſuas de Artigavella. Recenſetur adhuc 1165.

III. Johannes I. poſt Stephanum memoratur in veteri charta, eique plures reperiuntur factæ donationes.

IV. Raimundus I. de Mont-long, 1180. 1188.

V. Aimericus reperitur in veteri inſtrumento cujus character annos circiter quingentos repræſentat. Forſitan idem cum A. S. abbate qui 1215. occurrit in charta Amanei de Blogoneo.

VI. P. abbas memoratur in veteri charta Willelmi Amanevi de Pomeis, forte Petrus qui occurrit abbas an. 1249. Hic abbas eodem tempore quo Raimundus abbas S. Fremerii, ſcripſit ad Ludovicum Francorum regem pro priore & monachis Regulæ, ut eis reſtitueret juſtitiam, *quantum ad ſanguinem & latrocinium*, qua ſpoliatos ab Anglorum rege aſſerit.

VII. Bertrandus, 1271. 1272.

VIII. Galterius d'Eſtiſſac, 1283. 1284. 1285.

IX. Hugo de Lerin, 1302.

X. Guillelmus I. de Saint-Felis, aut de Saint-Philip, utroque enim modo reperitur, 1312. 1313. 1315. 1317. 1323. 1327.

XI. Guiraldus, 1337. 1343. 1351. 1352.

XII. Johannes II. 1357. 1360. 1362. 1365. 1379. 1381. 1387.

XIII. Johannes David III. 1389. 1392. 1397.

XIV. Sancius Lanneau, 1409. 1410. 1411. 1417.

XV. Johannes Martin IV. 1444. 1462. Ceſſit anno 1464.

XVI. Audetus, ſeu Odo de Laterano, alias de Macencoma, ſeu de Maſconia, nobili genere natus, per reſignationem præcedentis bullas obtinuit 1464. Regebat adhuc 1470.

XVII. Raimundus II. epiſcopus Vaſatenſis & abbas Fontis-Guillelmi, 1476. 1480. 1484.

XVIII. Ferrandus I. de Caſtagnier, 1487.

XIX. Johannes V. Bonal epiſcop. Vaſatenſis, & abbas Fontis-Willelmi, 1494. 1495. 1502.

XX. Ferrandus II. de Caſtenerio, ſeu de Caſtault, 1504. 1505. 1507.

XXI. Menco de Bernede, 1509. 1514.

XXII. Petrus II. Salmeron, commendatarius ceſſit 1517. retenta ſibi penſione & adminiſtratione duarum eccleſiarum parochialium.

XXIII. Dominicus de Bernede per ceſſionem præcedentis, 1517.

XXIV. Johannes VI de Salignac, 1548.

XXV. Fiacrius de Salignac 1560.

XXVI. Johannes VII. de Salignac, 1564.

XXVII. Guillelmus II Carré, 1581.

XXVIII. Vitalis Chaſtenet, 1616.

XXIX. Ludovicus Darodes, doctor theologus, ex ceſſione præcedentis factus abbas regularis Fontis-Guillelmi; jam erat vicarius & viſitator generalis ordinis Ciſtercienſis in provincia Aquitaniæ anno 1643. & anno 1660. tranſlatus eſt ad abbatiam Cadunii.

XXX. Ignatius de Monteſquioux ex abbate Cadunii vi permutationis, cum beneplacito regis factus abbas Fontis-Guillelmi, 1660. hactenus præeſt.

didicimus de ſancto Fauſto, ea vero pro indubitatis & omni ex parte certis nolim venditare. A

ANNI CHRISTI.

S. Licerius a Sammarthanis Fauſto ſufficitur in epiſcopatu; ſed id in vita ipſius quam legimus minime dicitur. Idem tamen habet noſter dominus Claudius Eſtiennot, qui docet ipſius meminiſſe calendaria vetera S. Orientii Levitanei, ad VII. cal. Septembris, & pervetuſtum ſancti Severi in Vaſconia hagiologium ad VI. calend. ejuſdem menſis.

VI. SARSTONUS.

Sarſtonus recte notatur epiſcopus Tarbenſis,
878. ad annum octingenteſimum ſeptuageſimum nonum aut octavum, quo anno Johannes papa B
VIII. idibus Junii indict. x. ſcripſit epiſt. 198. ad Auſcienſem archiepiſcopum & aliquos ejus provinciæ epiſcopos, inter quos ipſe *Sarſtonus Bigorrenſis epiſcopus* legitur in inſcriptione, hortans eos ad corruptos populorum mores corrigendos.

VII. AMELIUS II.

1000. Præfuiſſe dicitur anno circiter 1000. Ludovico Bigorrenſi comite. Hic ſucceſſerat Raimundo patri, qui vivebat annis Chriſti 945. & 955. Ludovicus autem comes vixit uſque ad annum 1025. C

VIII. BERNARDUS I.

Bernardus vivente eodem Ludovico Bigorræ comite præfuit. Memoratur in charta Regulæ
1009. anni 1009. Sub hoc epiſcopo, tempore Ludovici comitis fundatur monaſterium ſancti Orientii Regulæ dictum.

IX. RICHARDUS.

Memoratur in charta quam refert Johannes Briz Martinez l. 2. hiſt. Pinnatenſis c. 34. cujus initium eſt: *Anno incarnationis Domini* M.XXXVI. *menſe Auguſto* XXII. *die, ego Ranimirus gratia Dei prolis Sanctionis regis, accepi uxorem* D *nomine Gilbergam filiam comitis Bernardi Rod-*
Hiſt. Bear. l. 2. c. 34. p. 147. *geri, & comitiſſæ matris ejus nomine Garſindæ, quam dederunt mihi Richardus epiſcopus Bigorritana civitatis, & proconſules Levitanenſes Garſias Forto, & Gielm-Forto fratres uterini.*

X. HERACLIUS.

Heraclius erat de genere comitum Bigorræ, cum in ſuo diplomate anni 1064. pro monaſterio ſanctorum Felicis & Licerii, quod cum Bernardo comite Bigorrenſi dedit ſancto Hugoni abbati Cluniacenſi, dicat hoc monaſterium ad utriuſque poſſeſſionem devolutum eſſe, *ex hereditate*, inquit, *parentum noſtrorum*. Hoc inſtrumentum ex ipſo autographo deſcripſimus, quod etſi V. C. Stephanus Baluz. in ſuorum Miſcellaneorum tomo VI. nuperrime ediderit; nihilominus tamen recudi curavimus inter inſtrumenta. Heraclius adfuit concilio Toloſano anno 1056. & Jaccenſi in Hiſpania anno 1060. Recenſetur inter præſules qui ad dedicationem Moïſſiacenſis monaſterii acceſſerunt an. 1063. In necrologio Divionenſi memoratur Heracleus epiſcopus Bigorræ ad diem VI. idus Aprilis.

978. 978. c. 2.
Ch. I. pag. 11. ad. 2.
1056.
1060.
1063.

XI. PONTIUS.

ANNI CHRISTI.

Pontius ante ſuum epiſcopatum erat abbas Simorræ circa annum 1060. quo, cum litem haberet cum Raimundo-Arnaldi *Dantin*, ambo *fecerunt judicium Dei, in quo Raimundus-Arnaldi victus eſt*; ut videre eſt apud Mabill. ad annum 1060. n. 66. poſtea factus eſt epiſcopus Bigorritanus; neque vero, accepto epiſcopatu abbatiam reliquit, eam enim adhuc obtinebat an. 1073. quo, judicio epiſcoporum reſtituta eſt Simorrenſibus monachis ſanctæ Dodæ cella.

Factus epiſcopus conſenſit illicito conjugio Centulli vicecomitis Benearnenſis, cum Bigorrenſi comitiſſa, facto cum legitima uxore divortio; & in flagitioſæ adulationis præmium obtinuit, ut monaſterium ſancti Petri Generenſis, quod erat diœceſis Laſcurenſis, ad Bigorrenſem pertineret; ita enim legitur in fragmento quodam quod ex Laſcurrenſi chartario deſcriptum P. de Marca Benearnenſi inſeruit hiſtoriæ l. IV. c. 17. ubi legitur: *Centullus vicecomes Bearnenſis dimittens legitimam uxorem, matrem Gaſtonis quam habebat, Bernardum epiſcopum de poſſeſſione ſua ejecit violenter, & Pontium Bigorrenſem epiſcopum in poſſeſſionem monaſterii induxit, tali pacto, ut ei concederet illicitas nuptias Bigorrenſis comitiſſæ, quod B. prohibebat quem tandiu perſecutum, propter aſſiduam querelam, & interdicta quæ inde faciebat, a toto epiſcopatu ejecit, & in exſilio mortuus, & apud Forum-julii eſt ſepultus.*

Utrum huic chartæ fides debeatur, dubitamus. Pontium quidem depoſitum fuiſſe in quodam concilio Novempopulaniæ, a Geraldo Oſtienſi epiſcopo ſedis apoſtolicæ legato, nos docet Gregorius VII. epiſtola XVI. libri 1. data Romæ calendis Julii, indictione XI. hoc eſt anno 1073. ſed ob leviorem culpam, videlicet 1073.
quia cum excommunicato ſcienter communicaverat. Id liquido conſtat ex epiſtolæ ſerie. Primo ſcribit Gregorius de cauſa Guillelmi Auſcienſis archiepiſcopi: *Nos decreviſſe cognoſcas, ut prefatus archiepiſcopus, propter hoc ſolum, quia communicavit excommunicato, dejectioni ſubjacere non debeat*, Deinde ſubdit de Pontio:

Pontium vero Bigorritanum dictum epiſcopum, quem ſimili de cauſa (qua Guillelmus Auſcienſis archiepiſcopus) *depoſitum eſſe nuntiaſti, ad nos veniſſe cognoſcens: ſed honori tuo providentes nulla querelis ejus reſponſa dedimus. Attamen quia in paribus cauſis paria jura tenenda ſunt, fraternitati tua ſcribimus, ut habita ſuper his quæ ſibi* E *intenduntur diligenti inveſtigatione, ſi aliud quod canonica ſeveritate puniendum ſit in eo crimen legati approbatione invenire * poſſit, officii ſui reſti-* nunc
tutione non careat.

Si Pontius auctor fuiſſet Centullo vicecomiti rejiciendæ legitimæ uxoris, & illicitum conjugium ineundi cum Bigorrenſi comitiſſa, uti legitur in Gallia Chriſtiana; imo ſi tantum ratas habuiſſet illas nuptias, & pro mercede accepiſſet abbatiam, id ſane non latuiſſet legatum apoſtolicum; qui volens Pontium deponere, hanc potius cauſam dejectionis protuliſſet, quam quod communicaſſet cum excommunicatis. At

ANNI CHRISTI.

vero potuit hic epiſcopus poſt annum 1073. favere vicecomiti in contrahendo cum Beatrice comitiſſa conjugio. Ceterum ſtetit hoc conjugium, nec videmus eccleſiaſtico judicio illud eſſe ſolutum; ſuſcepitque Centullus ex Beatrice duos filios, ac ex jure uxoris, Bigorræ comitatum ſuæ adjecit ditioni.

Porro ex Gregorii VII. epiſtola tempus tenemus quo ſedit & ſedere cœpit. Compertum quoque habemus ex tabulis Simorræ ab anno 1073. ducendum ejus epiſcopatus exordium.

Hujus epiſcopi conſilio & hortatu Centullus vicecomes de quo ſuperius, Beatrix altera ejuſdem uxor, & Stephania mater monaſterium ſancti Savini in valle Levitana, quod a regulari diſciplina defecerat, dederunt Richardo abbati ſancti Victoris Maſſilienſis reſtituendum ac reformandum, diplomate dato calendis
1080. Aprilis anno 1080. Hoc anno credimus Pontium eſſe mortuum, nam eodem anno alium in ſede Tarbenſi epiſcopum invenimus.

XII. Hugo I.

Hugo Tarbenſis epiſcopus inter patres concilii ab Amato Olorenſi, & Hugone Dienſi epiſcopis ſanctæ ſedis apoſtolicæ legatis apud Burdigalam, anno 1080. congregatos recenſetur, in charta Silvæ-majoris, pro confirmatione hujus monaſterii cui ſubſcripſit. Ei quoque ſanctus Geraldus Silvæ-majoris abbas qui Burdigalenſi concilio intererat, in ejuſdem anni documento adfuit. Paulo poſt exſtinctus eſt aut ceſſit hic præſul.

XIII. Dodo, vel Odo.

Dodo ſuborta controverſia pro ſepulturis, pepigit cum Odone de Benaco abbate ſancti Petri Generenſis, ſuper eccleſia ſancti Martini de Semeaco, & ſepultura Raimundi de Battis militis, ex chartulario Generenſi, & hiſtoria Benearnenſi. Ad hanc pacem conciliandam Gregorius de Montaner abbas ſancti Orientii de Regula operam navaſſe legitur; idque factum anno circiter 1080.

l. iv. c. 19. p. 313.

Dodonis conſilio Centullus comes abbatiam ſancti Severi in valle Ruſtanenſi regendam commisit Richardo abbati ſancti Victoris apud
1087. Maſſiliam, anno 1087. Anno 1093. Amatus olim
1093. Oleronenſis epiſcopus, tunc vero Burdigalenſis archiepiſcopus & legatus apoſtolicæ ſedis, ſancivit in ſynodo Burdegalenſi, ut Bernardus Aquenſis præſul, prioratum de Pontons monaſterio de Regula ad Garumnam reſtitueret, teſtibus qui & ſubſcripſerunt, Willelmo-Bernardo metropolita Auſcienſi, Raimundo Petracoricenſi, Simone Agennenſi, Ademaro Engoliſmenſi, Petro Adurenſi, Odone Tarbenſi, Stephano Vaſatenſi, & Bertrando Convenarum epiſcopis; ubi vides Odonem appellari quem ſuperius vidimus Dodonem vocatum. Eundem
Tab. Reg.
1095. adfuiſſe concilio Placentino legimus an. 1095. ac privilegio Urbani II. pro ſancto Ægidio ſubſcripſiſſe.

XIV. Bernardus II.

Bernardi nomen & dignitatem epiſcopalem patefecit charta ſancti Petri Generenſis, anni 1096. quam exhibet V. Cl. Petrus de Marca, 1096.
l. v. hiſtoriæ Benearn. *Anno ab incarnatione D.* c. 5.
MXXVI. (legendum M.XC VI.) *indict.... epacta* 1096.
XXII. II. *idus Octobris præſidente Romanæ eccleſiæ Urbano II. papa, incitante Odone II. tertio abbate Generenſi, convenerunt ad idem monaſterium Guillermus Auſciorum archiepiſcopus, atque prædictus Odo, ſimulque epiſcopus Olorenſis, Bernardus præſul Bigorrenſis, Sancius Laſcurrenſis, Bernardus etiam Aquenſis; & dedicaverunt eccleſiam in honore apoſtolorum Petri & Pauli.* Hujus epiſcopi cognomen eſſe Iſeraſcum volunt Sammarthani fratres.

XV. Pontius II.

In tabulis monaſterii Regulæ diœceſis Tarbenſis occurrit anno 1103. Pontius epiſcopus, 1103.
qui vivebat Centullo comite, vel potius Bernardo Centulli qui regebat anno 1100. ſucceſſoremque habuit Centullum fratrem.

In tabulario Madirani reperimus chartam quandam in cujus fine legitur: *Eraclio præſule Bigorræ & Bernardo Centullo comite Bigorrenſi.* Annus vero Domini non notatur; & quidem deſideratur in omnibus aliis hujus tabularii inſtrumentis quæ legimus. Inter comites Bigorræ unus reperitur Bernardus Centulli, filius Centulli vicecomitis Bearnenſis, qui relicta uxore duxit Beatricem Bigorræ comitiſſam ex qua genuit Bernardum Centulli. At hic comes longe poſt Heraclium epiſcopum de quo ſupra egimus, vixit; quippe Pontius Heraclii ſucceſſor dicitur conſenſiſſe conjugio Centulli cum Beatrice, ex quo Bernardus Centulli eſt ortus. Hinc conjicimus alium epiſcopum Heraclium nomine ſedem Bigorrenſem obtinuiſſe, cui locus aſſignari non poteſt niſi inter Pontium II. & *t. III. pag.* Willelmum I. Chartam Madiranenſem inter *192. col. 1.* inſtrumenta dedimus a viris doctis examinandam.

XVI. Willelmus I.

Willelmus præerat quoque tempore ejuſdem Bernardi Centulli comitis Bigorrenſis, qui pervenit uſque ad annum 1120. Hic princeps laudante & corroborante noſtro Willelmo, cum Gregorio abbate Generenſi, Petro abbate S. Savini, Stephano præpoſito Tarbienſi, &c. conſulentibuſque proceribus & ſenioribus, fieri præcepit deſcriptionem antiquarum conſuetudinum avi ſui Bernardi tempore inventarum. Bernardus Centulli, filius erat Centulli vicecomitis Benearnenſis, & Beatricis comitiſſæ Bigorrenſis, quæ patre Bernardo comite mortuo ſine prole maſcula, comitatum poſſidebat, quem marito ſuo in dotem attulit. Has conſuetudines Willelmi epiſcopi approbatione corroboratas exhibet V. C. Petrus de Marca l. ix. hiſt. Benearn. c. 6.

Anno 1131. Willelmus Auxitanus archiepi- 1131.
ſcopus Willelmum epiſcopum Bigorritanum invitavit ad concilium Remenſe ſub Innocentio II. celebrandum xv. calendas Novembris,

ut

ANNI CHRISTI.

ut legitur in chartario Laſcurenſi. Memoratur poſtea in charta ſancti Petri Generenſis, pro reſtitutione eccleſiæ de Benaco. In Gallia Chriſtiana Sammarthanorum producitur ejus epiſcopatus ad annum 1142. ſed ex hoc annorum numero unus ſaltem videtur detrahendus. Ejus tempore conditum eſt Scalæ-Dei monaſterium.

XVII. BERNARDUS III.

Bernardus, quem cognominatum lego Lobatum de Monteſquivo apud Oihenartum & Sammarthanos, jam obtinebat ſedem Tarbienſem,
1141. anno 1141. quo patronatum B. Quiteriæ de Ripa-alta cedere cogitur abbati Caſæ-Dei, ordinis Præmonſtratenſis, in diœceſi Auſcienſi, ut diſcimus ex cœnobii hujus tabulis. Anno 1145. pepigit cum Raimundo de Mayroſio ſancti Savini de Ruſtano abbate, & cum Bernardo de Barbazano, ut nos docent tum chartularium Tarbienſe, tum ſancti Savini tabulæ. Ex aliis, nimirum prioratus de Madirano, conſenſit do-
Ant. PP. ſs. Inſ. Tarbi. nationi factæ huic monaſterio a Bernardo vicecomite de Riparia, *de Ribere*. Vivebat adhuc
Cath. pag. 391. col. 2. ſub pontificatu Alexandri III. anno 1164. & & forte anno 1175. nam in charta Madirani nomen ejus cum nomine Centulli comitis Bigorræ reperitur hoc modo: *Bernardo Labat de Monteſquieu epiſcopo Tarvia, & Centullo comite Bigorra.* Porro Centullus hic non notatur comes ante annum 1175 in ſtemmate illorum comitum,
pag. 399. quod exhibet Oihenartus in ſua Vaſconiæ notitia.

d'Orso. ## XVIII. ARNALDUS-GUILLELMUS I.

Arnaldus-Guillelmus de Oſonio infulas gerebat anno 1177. ut ex certis documentis & inſtrumentis nobis conſtat. Adfuit concilio Late-
1179. ranenſi anno 1179. ubi appellatur epiſcopus Bi-
Cath. pag. 1. col. 1. gorritanus pro antiquo more. Memoratur in inſtrumento cujuſdam oblationis factæ prioratui B. Mariæ de Madirano in pago Benearnenſi, ſed deſunt notæ temporis.

de Bran. ## XIX. ARNALDUS-GUILLELMUS II.

Arnaldus-Guillelmus de Birano, quem legimus olim abbatem fuiſſe Sorduenſem, epiſco-
1200. pus erat ſub annum 1200. & aliquot, ut putamus, annis antea ſub principatu Gaſtonis Benearnii vicecomitis, necnon comitis Bigorræ ex capite uxoris ſuæ Petronillæ filiæ Bernardi Convenarum comitis, & Stephaniæ Bigorræ comitiſſæ. Hæc Petronilla multarum nuptiarum mulier,
* La Cerdagne. vivente Nunione Sanctii comite Cerretaniæ * cui nupſerat poſt Gaſtonis mortem, tertium iniit conjugium cum Guidone Montfortio Simonis Narbonæ ducis, comitis Toloſæ, &c. filio; in
1216. cujus matrimonii tabulis memoratur Arnaldus-Guillelmus epiſcopus, anno 1216. In tabulario Palenſi, anno 1217. XIV. cal. Maii præſens commemoratur in tranſactione inter A. epiſcopum Aginnenſem, & Simonem Montis-fortis dominum, ſuper juſtitia, fiſco & moneta urbis Aginnenſis. In chartario eccleſiæ Tarragonenſis legitur Guillelmum Raimundi de Monte catano, (*Moncade*) vicecomitem Benearnenſem, ad

compenſandam peregrinationem Jeroſolymitanam, ad quam fortaſſe tenebatur, contuliſſe Deo, domui hoſpitali Jeroſolymitanæ, ac militiæ templi fratribus, domum de Mazro, de conſilio patrum, & cariſſimorum amicorum G. archiepiſcopi Auſcienſis, & A. epiſcopi Bigorritani, necnon P. abbatis Cluniacenſis: *Actum anno ab incarnatione* M. CC. XXIII. *cal. Martii apud Oloronem.* 1223.

Guillelmus ille Gaſtoni fratri ſuo ſine liberis defuncto ſucceſſerat. Incertum eſt qua cauſa ductus interfecit archiepiſcopum Tarraconenſem avunculum uxoris ſuæ Guillelmæ de Caſtro veteri (*de Caſtelvel*). Idcirco diris devotus & anathemate percuſſus, Romam profectus eſt, ubi veniam tanti criminis eſt conſecutus: at veriſimile eſt ipſi pro ſatisfactione imperatum, ut ad bellum tranſmarinum proficiſceretur. Quod cum facere diſtuliſſet, commutata eſt hæc pœna, & abſolutus eſt a voto Jeroſolymam in armis pergendi, donatione facta templi militibus. Litteræ abſolutionis reperiuntur in archivo eccleſiæ Tarraconenſis, una cum Guillelmi præfati teſtamento, quod condidit apud Oloronem anno 1223. quo in teſtamento continebatur, ut conjicimus, donatio hæc. Ita fere Franciſcus de Moncata comes Oſſonæ in notis de Bearnenſibus vicecomitibus, quæ ad calcem hiſtoriæ Benearn. P. de Marca leguntur.

Anno 1224. die feſto ſancti Ambroſii, eccle-
1224. ſiam ſanctæ Quiteriæ de Ripa-alta contulit Petro de Serra Caſæ-Dei ordinis Præmonſtra-
Tab. Caſæ-Dei. tenſis aſcetæ, ad præſentationem Raimundi-Guillelmi abbatis ejuſdem loci. Conjicimus hunc epiſcopum aliud adhuc nomen habuiſſe, nam anno 1223. quo ſediſſe Arnaldum-Guillelmum conſtat, Guillelmus Baionenſis (alias Raimundus-Guillelmi) & Bernardus A. Tarbienſis (Bernardus-Arnaldus) epiſcopi, necnon Petrus Clairacenſis abbas, ſalvitatis prærogativam abbatiæ Silvæ-majoris aſſeruerunt, ex hujus monaſterii tabulis.

XX. AMANEVUS.

de Gresinhac. Hunc epiſcopum ſediſſe calendis Junii anni 1224. probant tabulæ Silvæ-majoris, quas infra 1224. proferemus in Guillelmo de Douzac epiſcopo Baionenſi. Chartæ ſanctæ Crucis Burdegalenſis nos docent Amanevum de Greſinhaco in diœceſi Burdigalenſi nobili genere ortum, Tarbenſem epiſcopum, anno 1225. compoſitioni in- 1225.
ter Burdegalenſes ſanctæ Crucis cœnobitas, & Geraldum ſancti Michaëlis ejuſdem urbis capellanum initæ interceſſiſſe XII. calend. Octob. Idem decem ſupra centum ſolidos legavit Silvæ-majoris monachis, pro anniverſariis quas pro ſe poſtulabat precibus.

de Pardaillan. ## XXI. HUGO II.

Hugo de Pardaillan, fere initio epiſcopatus habuit querelam adverſus Sancium abbatem
Tab. Caſæ-Dei. Caſæ-Dei ord. Præmonſtr. pro jure patronatus B. Quiteriæ de Ripa-alta, quæ tandem arbitrali judicio Odonis de Levitania abbatis Generenſis
Tab. Caſæ-Dei. definita eſt in gratiam abbatis Caſæ-Dei, VI. nonas Maii 1227. 1227.

ANNI CHRISTI. 1233. 1244.

Anno 1233. sexto idus Martii inscribitur in charta abbatiæ de Regula. Obiit 11. calend. Martii anni 1244. ex fragmento libri obituum.

Sammarthani qui observarunt eum memorari in instrumento cessionis castelli de Bidalos in favorem Bosonis de Mastacio, & Petronillæ comitissæ Bigorrensis, anno 1228. & anno 1239. in litteris ejusdem Petronillæ datis apud Vicum Bigorræ mense Martio, addunt eum anno 1244. fuisse designatum archiepiscopum Ausciensem: numquam tamen sedem hanc obtinuit, sed tantum legitur *ecclesiæ Auxitanæ vicarius*, simulque Bigorritanus episcopus in charta Baionensi, in qua simul commemorantur G. Burdigalensis, B. Lascurrensis, J. Oleronensis, N. Aquensis, R. Adurensis, R. Vasatensis, R. Baionensis. Caret hæc charta notis numericis; sed scripta videtur anno circiter 1244. quo tempore vacavit sedes Auxitana.

Ex hoc Hugone duos forsitan facere cogeremur, si nobis constaret Guillelmum Bigorritanum episcopum anno 1231. interfuisse dedicationi ecclesiæ a Grimoardo Convenarum episcopo & abbate Silvæ-majoris, in gratiam monachorum exstructæ, quam consecravit Geraldus Burdigalensis archiepiscopus, anno præfato in festo sancti Bartholomæi apostoli, uti lego in quibusdam schedis domni Cl. Estiennot. Attamen dici potest Guillelmum hunc de episcopatu cum Hugone contendisse, & postea cessisse retento umbratili episcopi titulo.

de Coarasa.

XXII. Arnaldus-Raimundi III.

Arnaldus-Raimundi de Caudarasa [a] (quæ familia inter nobiliores Vasconiæ spectabilis est) jam sedebat anno 1250. Coram hoc episcopo & Alfonso regis Arragonum primogenito, compromissum fit in arbitros pro dirimenda controversia Gastonis vicecomitis Bearnensis, & Esquivati comitis Bigorræ; qui sibi mutuo multa juraverunt iisdem præsentibus, & Lupo de Fuxo abbate sancti Savini. Hæc acta sunt anno 1256. postridie festi Nativitatis B. Mariæ, cujus acta exstant in lib. 7. c. 9. hist. Bearnensis. Testibus eodem episcopo & Rogerio Fuxi comite, Esquivatus comes apud Londam incolas loci de Bidalos ab omni exactione & servitio emancipavit. Anno 1257. litteris suo sigillo obsignatis institutionem judicum factam pro *Communia* de Navarresto comprobavit.

a 1256. 1257.

de Miossens.

XXIII. Arnaldus IV.

Arnaldus de Mille-sanctis notatur episcopus anno 1264. apud Oihenartum & Sammarthanos. Nobis occurrit Arnaldus episcopus Tarbiensis, anno 1260. IV. nonas Martii quo sententiam tulit in gratiam capituli adversus vicecomitem Asterienſem pro decimis de Baudean, & in charta Baionensi anni 1267.

1260. 1267.

de Coarasa.

XXIV. Raimundus-Arnaldi.

Raimundus-Arnaldi de Caudarasa, anno 1268. apud Montem-martianum, die Mercurii post octavam sancti Martini hyemalis una cum Auscensi archiepiscopo, Lactorensi, Adurensi, Oloronensi præsulibus, & aliis nobilibus præsens notatur in actu emancipationis Constantiæ filiæ Gastonis vicecomitis Benearnensis. Anno 1284. Constantia comitissa Bigorrensem comitatum dimisit in manibus senescalli regis Angliæ, præsentibus Amanevo metropolitano Ausciensi, Geraldo Adurensi episcopo, & hoc de quo agimus Raimundo-Arnaldi Tarbiensi antistite. De hac cessione in Geraldo Adurensi episcopo egimus. Adfuit variis consiliis habitis pro negotiis præfatæ Constantiæ, maxime anno 1292. Nominatur in tabulis Scalæ-Dei an. 1276.

1268. 1284.

Anno 1281. instituit duas præbendas, unam *simplicem* ad collationem capituli, & aliam *duplam*. Inscribitur chartæ Casæ-Dei ordinis Præmonstr. die Jovis post festum S. Barnabæ apostoli anni 1286. & in instrumento monasterii de Regula nono cal. Julii anni 1290. Nomen ejus primum inscribitur in litteris anno 1292. nomine præsulum & procerum Philippo regi oblatis pro Constantia comitissa. Denique in tabulario sancti Savini notatur anno 1306. Anno 1308. sedes vacabat.

1281. 1286. 1290. 1306.

Doucet, al. Dosat, b

XXV. Geraldus.

Geraldus [b] de Dulceto ex canonico & præcentore ecclesiæ Lectorensis erat Tarbiensis episcopus an. 1308. nam hoc anno & sequenti legitur in tabulis sancti Savini; sedes autem vacabat anno 1313. XVI. cal. Martii & an. 1314. De eo ita necrologium ecclesiæ Lactorensis: III. *idus Februarii obitus Geraldi de Dulceto canonici & precentoris hujus ecclesiæ, & episcopi Tarbiensis.*

1308. 1309. 1314.

de Lascal.

XXVI. Guillelmus II.

Guillelmus Hunaldi de Lantario ante episcopatum fuit abbas sancti Petri Lesatensis, hujusque monasterii claustrum construxit, uti docet sequens inscriptio, quæ legitur in claustri latere meridionali: *Anno* M.CCC.XIII. *Reverendus Pater in Christo G. Unaldi de Lantario abbas monasterii hujus Lesatensis, ord. Cluniacensis, incepit construi facere, & perfecit construi annis sequentibus claustrum hoc, prout est in quadro; cujus, postquam solverit debitum natura, anima requiescat in pace. amen. Et supplicat quicumque, qui hoc opus respexerit, pro anima illius dicat devote* Pater noster *cum salutatione Angelica. M. rerevend. Dargut de sancto Bertrando de Convenis fuit magister operis antedicti.* Anno 1316. ex hoc monasterio traductus est ad cathedram Tarbiensem. Anno 1319. obtinuit insigne privilegium a Carolo comite Marchiæ & Bigorræ Caroli regis filio; quo diplomate jurisdictionem ecclesiasticam tuetur & corroborat. Instituit unam præbendam *duplam* ad capituli collationem. Anno vero 1326. in ecclesia Lesatensi fundavit duo sacerdotia quæ *capellanias* vocant. Anno 1329. die 6. Decembris sedit in synodo provinciali a Guillelmo metro-

1316. 1319. Vide Ch. II. 1326.

a In sententia quam comes Fuxi & vicecomes Castri-boni, electus judex tulit inter Gastonem vicecomitem Benearni, & Eschivatum Bigorræ comitem anno 1256. post episcopos subscripti leguntur hi proceres, Guillelmus Odo de Audons, Bernardus dominus de Caudarasa, Raimundus Garsias de Levitano, & Arnaldus-Guillelmi de Barbazano. Hist. Bearn. l. VII. c. 3.

b Eodem tempore quo Geraldus electus est, quidam Bernardus promotus est ad eandem cathedram bulla Clementis papæ V. an. 3. ejus pontificatus, qui eum commendavit regi; ut videlicet eum contra æmulum tueretur. *R. thes. chart.*

politano coacta & celebrata. Ut divinum offi- A
ANNI CHRISTI. cium ea qua decet pietate celebraretur opera dedit, pauperumque patrem sese probavit. Ad cathedram Agathensem translatus est.

De Monte Bron.

XXVII. Petrus-Raimundus.

Petrus-Raimundus de Monte-bruno Guillelmo suffectus, æque beneficum se exhibuit capitulo, fundatione facta duarum præbendarum simplicium, quas a capitulo conferri vo-
1348. luit. Anno 1348. motam litem inter Arnaldum de Tusaguelo abbatem sancti Orientii de Regula, ejusque monachos ob eorum præbendas B
1351. sopire curavit. Anno 1351. decimas quas proprio nomine, non ut episcopus possidebat, cessit sancti Savini monasterio. Adhuc sedebat anno
1353. 1353.

XXVIII. Guillelmus III.

Post Petrum de Monte-bruno Arnaldus Oihenartus inducit quemdam Guillelmum ad annum 1359. Hunc nostri Sammarthani dicunt prius fuisse Brundusinum archiepiscopum; qua ex sede translatus fuit ad episcopatum Casinensem a Clemente papa VI. anno 1345. VII. idus Aprilis. Nuntii quoque apostolici & collectoris officio perfunctus est in regno Siciliæ citra C Pharum; simulque rector fuit urbis Beneven-
1353. tanæ anno 1353. quo anno aiunt eum esse creatum episcopum Tarbensem ab Innocentio papa VI. xv. cal. Junii pontificatus ejus anno 1. uti
Fol. 61. Reg. Vatic. docet epistola 35. Innocentii papæ. Diem suum obiit apud Tarbenses, forte anno 1361. quo legimus in tabulis sancti Savini vacasse sedem die 2. Augusti. Notat quoque Oihenartus eccle-
1361. siam hanc fuisse pontifice orbatam an. 1362. De hoc episcopo agit Ughellus in appendice ad tom. II. Italiæ sacræ.

XXIX. Raimundus II.

In charta monasterii de Regula episcopus D Tarbiensis nomine Raimundus consignatur
1362. die 8. Julii anni 1362. At plura de illo non licuit nobis rescire.

XXX. Bernardus III.

Bernardum episcopum nobis suppeditant duo
1363. sancti Savini instrumenta: unum anno 1363. scriptum, alterum 1365. Recensetur inter præsules, qui adfuerunt synodo Vaurensi trium
1368. provinciarum, anno 1368. mense Maio desinente. Sedebat adhuc anno 1372. juxta Oihenartum & Sammarthanos. Condidit testamentum & ibi elegit sepulturam in monasterio B. E Mariæ de Calertio; unde eo mortuo abbas & monachi anno 1374. 1. Augusti ad aulam ubi cadaver jacebat accesserunt, ut illud efferrent, canonicis denegantibus. Ejus fit anniversarium in ecclesia sancti Saturnini Tolosæ die 13. Aprilis.

De Coadrasa.

XXXI. Gaillardus.

Gaillardus cujus cognomen de Caudarasa
1374. legitur in tabulis sancti Savini; in iisdem occurrit anno 1374. ubi docetur Guillelmum de Planis, & alios, census quos sancti Savini monasterio quotannis persolvere tenebantur, super terris & artigis suis, assignasse die XX. Martii, *Anno* M.CCC.LXXIV. *Gaillardo Tarbensi episcopo*. Ibidem reperitur anno 1375. In chartophylacio regio Parisiensi notatur ad annum 1376. probaturque ex documentis publicis eum usque ad annum 1392. præfuisse. Comes fuit 1392.
legationis patriarchæ Alexandrini missi ad componendas Gastonis Fuxi, & Johannis Armaniaci comitum controversias.

ANNI CHRISTI.

Anno 1392. Bernardus Sorduæ abbas rege- 1392.
bat ecclesiam Tarbiensem, ut liquet ex tabulis S. Savini, ubi videlicet legimus Bernardum hunc per sanctam sedem apostolicam in diœcesi Tarbiensi generaliter deputatum, ad parochialem ecclesiam sancti Bartholomæi de Adasto Raimundum de Cayrey promovisse IV. die Januarii anni Dom. M.CCC.XCII. præsentante R. patre Dominico de Fuxo sancti Savini abbate. Ejusdem diœcesis administrationem a Romano pontifice commendatam adhuc infra videbimus.

XXXII. Reginaldus.

De Foix.

Reginaldum de Fuxo de Castro-bono suppeditavit nobis testamentum Matthæi de Fuxo vicecomitis Castri-boni (*Castel-bon*) & postea comitis Fuxensis. Sedebat enim Reginaldus an-
1392. no 1392. quo suum testamentum condidit hic comes, uti ex ipsius tabulis intellexit V. C. D. d'Hozier in cujus manus devenere. Idem ex veteri instrumento autumat Reginaldum fuisse nothum Matthæi comitis Fuxensis.

XXXIII. Adelbertus.

Adelbertus, qui Bernardus quoque vocabatur, ut probatur ex veteri quodam catalogo, anno 1399. sedisse legitur. Sedes vacabat an-
1399. no 1400. uti nos docet sancti Savini charta. 1400.

In tabulis hujus loci legitur Auxitanus archi- D episcopus in Tarviensi diœcesi administrator per sanctam sedem apostolicam & Rom. curiam generaliter deputatus; quo nomine parochialem S. Petri de Nastalassio ecclesiam Raimundo de Gaillard contulit anno 1403. Hic
1403. archiepiscopus fuit Johannes de Armaniaco, qui tum Auscias sedebat. Illum quidem Petrum appellant Oihenartus & Sammarthani fratres; at nullum Petrum tunc inter archiepiscopos Auscienses invenimus, ne quidem ipso in catalogo, quem idem Oihenartus contexuit. Sammarthani admittunt ad annos 1406. & 1407. Petrum administratorem perpetuum Tarbiensis ecclesiæ, sed minime dicunt eum fuisse simul metropolitanum Ausciensem; quod tamen aliunde constat, nimirum ex S. Savini tabulis.

XXXIV. Christianus.

Episcopum hunc debemus S. Savini documento, quo Raimundus-Arnaldus de Begola sancti Savini abbas, & fratres Bernardus de Guillelmo prior major & eleemosynarius, Guillelmus de Rumeno prior de Vallatica, Petrus de Gento prior de Bucceno, Jordanus de Planis syndicus, Raimundus de Cahens operarius, Bonus-homo de Servats infirmarius, & quinque alii S. Savini ascetæ, boariam de Ar-

Digitized by Google

ceto, Petro de Arceto ad præſtariam tradunt an. Dom. M.CCCCVII. IX. Maii, *Chriſtiano Tarvienſi epiſcopo*. Noſter D. Edm. Martenne dicit chartam ſancti Savini an. 1406. ejuſdem meminiſſe.

ANNI CHRISTI. 1407.

XXXV. BERNARDUS IV.

1408. Bernardus hic præfuit annis 1408. 1410. &
1416. 1416. cujus anniverſaria memoria conſignatur in necrologio ſancti Saturnini 21. Aprilis. Bernardi quarti, vel tertii cura factum creditur ut ſacrum ſodalitium initum ſit inter eccleſias Tarbenſem, & ſancti Saturnini Toloſæ, in qua die 21. Novemb. legitur commemoratio Fratrum Tarbenſium.

XXXVI. BONUS-HOMO.

D'ARMAGNAC.

Bonus-homo qui cognominatur de Armagnaco in chartis ſancti Savini, nominatur epi-
1422. ſcopus in tabulis anni 1422. Hic Bernardum de Angaria de Lorda, perpetuum eccleſiæ ſancti Saturnini d'Arout vicarium inſtituit 10.
1424. Martii an. Dom. M.CCCC.XXIV. ad Raimundi Garſiæ de Lavedano ſancti Savini abbatis votum, ex iiſdem chartis. Anno 1427. ſeceſſit in monaſterium ſancti Petri de Generoſo, ubi per 40. dies bonis operibus ſeſe ad mortem paravit, ex MS. cod. Aquenſi, quem laudat D. Cl. Eſtiennot tom. XI. fragm. pag. 183. Vacabat ſedes an. 1427. 10. Junii. Itaque error eſt in quodam tranſſumto ex theſauro Reg. Chart. ubi legitur Raimundum qui ſequitur, promotum fuiſſe bulla Martini V. data an. 1. ejus pontif.

XXXVII. RAIMUNDUS-BERNARDI.

1428. Raimundus dictus Bernardi anno 1428. præerat, ex Oihenarto, & Sammarthanis.

XXXVIII. JOHANNES.

Iidem ſcriptores Raimundo Bernardi ſubrogant Johannem quem epiſcopum fuiſſe annis
1432. 1432. & 1434. aſſerunt. Anno 1436. inſcri-
1434. bitur tabulis ſancti Savini. Tunc capitulum adhuc adſtrictum erat regulæ ſancti Auguſtini, anno enim 1433. Eugenius papa IV. Jordanum de Aura *canonicum eccleſiæ Tarbenſis, ordinis S. Auguſtini*, creavit epiſcopum Mirapicenſem VII. calendas Auguſti, ex ejuſdem papæ bulla. Sedes vacabat anno 1439. ex tabulis S. Savini.

XXXIX. ROGERIUS.

DE CASTEL-BON.

Rogerius Fuxenſis de Caſtro-bono ex epiſcopatu Aduренſi traducitur ad Tarbenſem,
1441. ſedebatque anno 1441. quandoquidem legimus in ſancti Savini tabulis, vicarium generalem hujus epiſcopi contuliſſe Arnaldo de Caſalibus, parochialem ſancti Saturnini de Oroto eccleſiam, ad præſentationem abbatis ſancti Savini, die 18. Junii anni præfati. Occurrit ejus nomen in chartis S. Petri de Generoſo
1457. annis 1457. ac 1459. Memoratur in tabulis conjugii Arnaldi de Cardaillac domini de Sarlabous, in comitatu Nemuſano, cum Bertrada de Muen, in Bigorrenſi pago; quæ ſcriptæ ſunt die 14. Januarii anni 1457. Eum obiiſſe anno 1461. die 8. Julii legimus. Certe ſedes vacabat
1461. die 11. Junii anni 1461. ex quadam ſancti Savini charta. Et tamen in alia monaſterii ſancti Petri de Generoſo reperitur Rogerius epiſcopus anno 1463. Rogerii nomen vulgare quodammodo eſt in nobiliſſima & regia gente de Fuxo, ex qua Rogerius noſter erat prognatus: nam vicecomites Caſtri-boni orti erant ex Rogerio-Bernardi natu minori filio Gaſtonis primi, comitis Fuxenſis, cujus atavus Rogerius-Bernardus ſecundus, ex uxoris nomine erat dynaſta Caſtri-boni. Forſitan poſt noſtrum Rogerium, aliquis Rogerius ex eodem genere fuit brevi tempore epiſcopus.

ANNI CHRISTI.

XL. PETRUS II.

DE FOIX.

Petrus de Fuxo cardinalis donatus eſt adminiſtratione eccleſiæ Tarbeienſis. Non exceſſit annum 1466. quo ſedem reperimus vacaſſe
1466. die prima Aprilis.

XLI. ARNALDUS-RAIMUNDUS.

DE PALATZ.

Arnaldus-Raimundus de Palatz, e parochia de Solon in valle Levitanenſi ad radices Pyrenæorum oriundus, non longe a monaſterio ſancti Savini, in ejuſdem abbatiæ inſtrumentis legitur epiſcopus annis 1467. ac 1474. Memo-
1467. ratur quoque in charta Regulæ, anno 1472. & in tabulis ſancti Petri Generenſis, 1466. 1467. necnon 1470. Non complevit annum 1474. in
1474. hac ſacra præfectura, nam anno eodem ſedes vacabat, die 18. Febr. ex S. Savini chartis; necnon die 21. Octobris, ac die 21. Decembris anni 1475. Ejus obitus in ſancti Savini necrologio conſignatur VI. cal. Septembris; ibidemque ſepultus eſt, ex ſchedis D. Cl. Eſtiennot.
1475.

XLII. MENALDUS.

D'AURA.

Menaldus de Aura Sancii Garſiæ vicecomitis Aſterienſis, & Agnetis Larbuſtiæ filius, Johannis vicecomitis frater, anno 1478. vacantem ſedem impleverat, die 29. Maii, quo tempore vicarius ejus generalis commiſit Gaillardo de Oraſſio eccleſiam ſancti Saturnini de Arout regendam, petente ſancti Savini abbate. Imo etiam jam ſedebat anno 1477. ex tabu-
1477. lis ſancti Petri Generenſis, quibus adhuc inſcribitur anno 1480. Anno 1485. die 2
1485. Octobris teſtis fuit pactorum conjugii contrahendi inter Johannem de Cardaillac, & Blancham-Floram de Sorſac. Hoc ipſo anno conjicimus eum aut e vivis exceſſiſſe, aut abdicaſſe. Nam die 10. Decembris hujus anni vicarius generalis Tarbenſis eccleſiæ vacantis, cum ipſi conſtitiſſet præſentationem rectorum ad eccleſias de Lameaco, de ſancto Severo, de Senaco, de Laſcurris, & de Marqueria, ad ſancti Severi de Ruſtagno abbatem & monachos alternatim pertinere; Bernaldum de Media-villa ad eccleſiam de Lameaco, rogantibus pro *turno ſuo* monachis, promovit; ex ſancti Severi de Ruſtagno tabulis.

Id vero nos torquet quod Menaldus epiſcopus Tarbenſis, nihilominus poſtea ſæpius occurrat variis in inſtrumentis; videlicet anno 1494.
1494. indictione XII. die 9. Martii, in charta electionis Dominici de Molinis, in abbatem Regulæ; ac in tabulis S. Petri de Generoſo anno 1497. ac 1504. quo ſedes vacabat, die 24. Decembris, ex ejuſdem monaſterii chartis. Itaque aut Menaldus de Aura ad hanc eccleſiam rediit, poſt

ANNI CHRISTI.

ceſſionem factam, aut alius epiſcopus nomine Menaldus eam obtinuit. Inter præpoſitos eccleſiæ Avenionenſis occurrit Menaldus de Aura circa annum 1490.

De Foix.

XLIII. THOMAS.

Thomas de Fuxo ex jam ſæpius laudata gente Fuxenſi prognatus, poſſeſſionem Tarbenſis epiſcopatus adierat anno 1505. quo Rogerius de Monte-alto (Montaut) eam interpellavit, jus ſibi vindicans in hanc eccleſiam. Attamen Thomas regere perrexit; adhucque ſedebat anno 1513. ex inſtrumentis S. Petri de Generoſo.

1505.

1513.

De Martort, al. Montalt.

XLIV. MENALDUS II.

Thoma epiſcopo mortuo, Rogerius Montaltius iterum pro ſede pontificia decertavit adverſus Menaldum de Martorio Bearnenſem; nam eodem anno, videlicet 1514. aſſenſum ambo præbuere ut canonici ex regularibus fierent ſeculares; Menaldus die ſeptima Decembris, & Rogerius die 29. ejuſdem menſis; qui ſuo in chirographo ſe electum & confirmatum Tarbenſem appellat; prævaluit tamen Menaldus. Quod ſpectat ad ſtatum regularem capituli mutatum in ſecularem, id tantum anno 1524. confectum eſt, die videlicet 23. Februarii quo Johannes de Fraxino archidiaconus de Fontanelles in eccleſia metropolitana promulgavit bullam Leonis papæ X. ea in cauſa datam.

1514.

1521. Ut de Menaldo loqui pergamus, an. 1521. die undecima Julii ejus vicarius generalis contulit adminiſtrationem eccleſiæ de Cauſerez, Fr. Johanni de Martha ſancti Savini monacho, ad abbatis nominationem. Probatur eum adhuc

1524. ſediſſe an. 1524. nam in fine tabularum matri-

*al. Jaquetta. monii inter nobilem Jannetam * de Stagno dominam d'Artagnan, & Paulum de Monteſquivo proavum D. de Monteſquiou nuper facti Franciæ mareſcalli, legitur illas actas fuiſſe: *Franciſco Francorum rege regnante, inclito principe & domino Henrico Navarræ rege Fuxi & Bigurræ comite dominante, reverendo in Chriſto patre Menaldo Tarb. epiſcopo præſulante.* Hæc ut alia plurima debemus V. C. Car. d'Hozier. Eodem anno tranſiit Menaldus ad ſedem Conſoranenſem.

De Gramont.

XLV. GABRIEL.

Gabriel de Acro-monte permutatione facta, ex epiſcopatu Conſoranenſi migravit ad Tarbenſem, vi bullæ Clementis VII. datæ decimo-quarto calendas Auguſti anni 1524. Anno 1525. legatus a rege Chriſtianiſſimo mittitur in Angliam cum Franciſco de la Tour Turennæ vicecomite. Anno quoque 1527. fuit legatus ad Cæſarem pro pace generali. Jura ſacra dabat Bigerronibus anno 1526. die 1. Octobris ex inſtrumentis quæ exploravit V. C. Carolus d'Hozier pertinentibus ad nobilem familiam dictam ſancti Laurentii la Caſſagne. Certe frequens ejus memoria occurrit in chartis ſancti Petri de Generoſo non

1524.

1526.

1534. ſolum anno 1526. ſed etiam 1527. 1531. & 1534. hic autem annus ſupremus ei fuit; nam ſedes hoc anno vacaſſe legitur in tab. ſancti Savini; aliundeque ſcimus eum animam efflaviſſe hoc anno die 15. Martii.

ANNI CHRISTI.

De Caſtelnau.

XLVI. ANTONIUS.

Antonius de Caſtro-novo parentes habuit Ludovicum dominum de Caſtelnau *, & Suſannam de Gramont. Eorum ſtudio in litteris inſtitutus, primum ſenator in magni conſilii curia fuerat, poſtea libellorum ſupplicum magiſter, & regis Chriſtianiſſimi legatus in Angliam & Hiſpaniam. Succeſſit Gabrieli de Gramont, quem ſuſpicamur fuiſſe ipſius avunculum, eique tranſcripſiſſe epiſcopatum Tarbenſem; & fortaſſe magiſtri libellorum ſupplicum officium; neque enim Gabriel eo fungi olim aſpernatus fuerat.

* en Tarſaan.

Antonius anno 1534. die 20. Decembris jam epiſcopalia obibat munia. Nempe hoc ipſo tempore Fr. Vincentium de Caureſan Sorduenſem monachum eccleſiæ de Soyno adminiſtrationi admovit, præſentante & rogante ſancti Savini abbate. Adhuc ſuperſtes erat 1536. & 1539.

1534.

1536.

1539.

De Caſtelnau.

XLVII. LUDOVICUS.

Hic fratri Antonio ſucceſſor datus jam regebat anno 1540. Ejus nomine inſigniuntur quædam chartæ ſancti Savini anni 1547. Obiit Ludovicus die 1. Septembris anni 1549. ex noſtris ſchedis. Tarbenſe capitulum, ſede vacante, perpetuam vicariam eccleſiæ de Agoſſio contulit Raimundo de Fonte ſancti Savini alumno; qui poſſeſſionem adiit x. Aprilis, anno 1552. adhucque ſedes vacua erat anno 1554.

1540.

1549.

D'Ambleni

XLVIII. GENTIANUS.

Gentianus Belinus de Ambæſia, ex ramo dominorum de Buſſy, in chartis S. Savini legitur epiſcopus annis 1558. & 1575. In pactis matrimonii Raimundi de Cardaillac domini du Luc, cum Maria * de Juſſan, die 5. Novembris anni 1563. fit ipſius mentio, cum cognomento de Ambæſia, & epiſcopi Tarbenſis titulo. Regebat adhuc anno 1575. ex ſancti Savini tabulario. ſed eodem anno e vita migraſſe legitur, ut mox oſtendemus.

1558.

*al. Margarita.

1563.

1575.

D'Inarsdi

XLIX. SALVATUS I.

Defuncto Gentiano ſub finem anni 1575. Antonius de Gramont breve regium obtinuit in gratiam Johannis de Haris mendi, qui cum pecuniam pro obtinendis bullis neceſſariam ſolvere noluiſſet, mortuo Antonio de Gramont ejus patrono, anno 1577. die 19. Januarii Salvatus d'Iharſe *, *al.* de Hiarſe, clericus diœceſis Baionenſis epiſcoparum obtinuit, per nominationem Henrici regis tertii, in cujus ſchedula eccleſia hæc vacare dicitur per obitum Gentiani. Noſtri Sammarthani penes ſe habuerunt Salvati litteras autographas ſcriptas die 23. Decembris anni 1577. ad Ludovicum Caſtanæum Rupis-poſæ dynaſtam, Chriſtianiſſimæ majeſtatis in Romana curia oratorem; qui-

1577.

* Sic ſcribitur hujus epiſcopi cognomen apud Oihenartum qui ſub hoc epiſcopo, vel ſaltem ſub ejus nepote altero Salvato d'Iharſe vixerat & forte ſcripſerat.

Digitized by Google

bus eum de iis facit certiorem. De ipsius epi- A
ANNI CHRISTI. D'HARSE. scopatu nihil præterea novimus.

L. Salvatus II.

Salvatus d'Iharse superioris Salvati fratris filius, comes consistorianus, consecratur epi-
1602. scopus die 24. Junii anni 1602. Comitiis regni
1614. generalibus Parisiensibus adfuit anno 1614. nomine cleri comitatus Bigorræ, collega ipsius Gratiano d'Iharse canonico archidiacono Tarbensi ejus gentili, & magno vicario episcopatus in spiritualibus, secundi ordinis cleri depu-
1625. tato. Interest & cœtui cleri anno 1625. mor- B
1648. tuus 1648.

MALLIER.

LI. Claudius.

Claudius Mallier Franciſci Trecensis episc. frater, & primus Aurelianensis ducissæ eleemosynarius, uxoris Gastonis regis patrui, Claudio du Houssay, ærarii præfecto, & Maria Melissant parentibus natus, variis primum togati ordinis muneribus defunctus est, supplicum nempe libellorum magister, dein præses in suprema curia, comes consistorianus, ac postremo regis Christianissimi ad rempublicam Venetam orator: demum hac legatione obita in Galliam reversus,
1648. hujus sedis præsul adlectus inauguratur 1648. 25. Apr. in æde sanctimonialium visitationis B. Mariæ secus arcem Bastiliæ, per Franciscum Mallier Trecensem episcopum, assistentibus Johanne de Lingendes Sarlatensi, & Gisleberto
1668. de Choiseul Convenensi episcopis. Abdicavit anno 1668. in gratiam Marci filii sui, quem jam adjutorem laborum episcopalium assumserat. Mortuus est die 21. Septembris anni 1681. ætatis suæ an. 81.

MALLIER.

LII. Marcus.

Marcus Mallier du Houssay superioris filius, primus per ejus cessionem serenissimæ ducissæ Aurelianensis eleemosynarius, patre libere ce- A
ANNI CHRISTI 1668. dente designatur episcopus mense Aprili anni 1668. Inauguratus est ac sacro perunctus oleo die 25. Novembris ejusdem anni ab ipso patre, cui adfuerunt Bonaventura Rousseau episcopus Cæsariensis, & Guillelmus de la Boissonade d'Orty Vasatensis, in ecclesia patrum dictorum de Mercede; dieque sequenti fidem clientelarem regi juravit. E vivis excessit die 3. Maii anno 1675. sepultusque est in ecclesiæ 1675.
Tarbiensis choro.

DE LA BAUME.

LIII. Annas.

De Anna Tristanno de la Baume de Suze jam actum est in archiepiscopis Auscienſibus, ubi de ejus genere, & de variis sedibus quas obtinuit, breviter pro nostro more & proposito dictum. Prior autem illarum ecclesiarum quibus præpositus fuit est Tarben- B
sis, ad quam designatus est episcopus anno
1675. Sed biennio elapso antequam sponsam 1675.
salutasset & vidisset, quamvis consecratus, translatus est ad sancti Audomari cathedram; denique ad metropolim Novempopulaniæ Augustam Auscìorum anno 1684.

DE POUDENX.

LIV. Franciscus.

Franciscus de Poudenx filius Stephani vicecomitis de Poudenx, ex Gabrielide de Montluc de la Garde de Castillon, doctor & socius Sorbonicus, designatur episcopus in locum Annæ Tristanni anno 1677. * mense Octobri. 1677.
Sed Innocentio papa XI. & Alexandro VIII. * al. 17. Jan. an. minime probantibus translationem Tristanni 1678.
ad sedem Audomaropolitanam, Franciscus, quandiu sederunt hi duo summi pontifices, D bullas non potuit obtinere, ante annum 1692. 1692.
quo sacro oleo est consecratus & unctus in episcopum die 24. Aug. Litterarum cultor audit ac doctæ antiquitatis investigator.

DE ABBATIIS INTRA TARBEIENSEM DIOECESIM SITIS.

Antequam de iis quæ nunc exstant abbatiis tractare incipiamus, investigandum est utrum antiquitus fuerint in diœcesi Bigorritana monasteria, quorum nunc vix aliqua vestigia supersint.

p. 661. Philippus Labbeus tomo 2. Bibliothecæ novæ edidit vitam sancti Savini eremitæ qui in Levitania sepultus est, ubi colitur in monasterio
* celebri de quo mox dicturi sumus. Savinus etsi E Barcinone oriundus, habebat propinquum nomine Eutilium comitivæ Pictavensis administratione clarum, ad quem cum se contulisset, amore solitudinis adiit monasterium olim a sancto Martino Turonum postea episcopo con-
*Ligugé. ditum in pago Pictavensi, Locogiacum * nomine. Tribus annis ibi exactis, cum tenderet ad Pyrenæos montes, Bigorritanam civitatem ingreditur, ubi *Fronimium abbatem cum paucis monachis reperit*. Hinc intelligimus tunc in urbe Bigorritana fuisse monasterium quod abbas hic regebat.

Hujus cœnobii nihil supereſt, nisi sit monasterium sancti Licerii, quod ab ipso sancto Licerio conditum creditur seculo VI. quando sub sancti Fausti episcopi Bigorritani degebat.

I. Monasterium S. Licerii, S. Lezer. Monasterium sancti Licerii ad Aturum fluvium, in suburbio civitatis Bigorritanæ, anno 30. regni Roberti regis, seu Christi 1026. aut 1027. adhuc habebat abbatem nomine Richardum, qui unus fuit ex judicibus inter Aimericum abbatem Lezatensem & Odonem abbatem B. Mariæ de Simorra, in placito Lezatensi, habito pro abbatia Patriciani * *Peiressas*, * al. de Pardeniis. nunc diœcesis Lumbariensis, quæ subdita est Lezatensi monasterio. Judicium in hac causa latum vide tom. IV. annal. Mabill. Lapsu vero p. 711. temporis sancti Licerii monasterium venit in laïcorum nobilium manus, quorum incuria

Digitized by Google

defecit in eo ordo monaſticus uſque ad tempora Heraclii Bigorritani epiſcopi & Bernardi comitis, qui illud S. Hugoni abbati Cluniac. dederunt reſtaurandum; a quo tempore fuit monachorum Lezatenſium & Cluniacenſium; regique cœpit per priores. Guillelmus prior S. Licerii cum Willelmo epiſcopo Tarbeienſi, &c. collegit antiquas comitatus Bigorrenſis conſuetudines, hortante Bernardo II. comite. Bernardus Maurellus prior S. Licerii memoratur in litteris Arnaldi monachi Cluniacenſis, prioris Morlanenſis, & Oleronenſis epiſcopi datis an. 1154. Chartam qua collatum eſt Cluniaco iſtud monaſterium, ex tomo I. chartularii majoris Cluniacenſis deſcriptam hoc loco exhibendam operæ pretium duximus:

Ego Heraclius Dei gratia Bigorrenſis eccleſiæ epiſcopus, & Bernardus Bigorrenſis comes: quoddam monaſterium ad poſſeſſionem noſtram ex hereditate parentum noſtrorum pertinere cognoſcitur: eſt autem in territorio Bigorrenſi & in honore ſancti Felicis martyris & beati Licerii confeſſoris & epiſcopi conſtructum, in quo ex multo tempore fuit congregatio monachorum; ſed per incuriam noſtram & aliorum ibi modo non ita valebat ordo monaſticus. Ideo præfatum locum dedimus Hugoni abbati Cluniacenſi ordinandum eo tenore, ut ibi congregatio Cluniacenſis illud perpetuo jure habeat & poſſideat, & facta fuit hæc charta in ipſo Bigorrenſi caſtro, anno Dominicæ Incarnationis M.LXIV. *Philippo rege Francorum regnante anno* IV.

Sign. Domni Heraclii Bigorrenſis epiſcopi.
Sign. Domni Bernardi Bigorrenſis comitis.
Sign. Domni Stephani Oloronenſis epiſcopi.
Sign. Domni Durandi epiſcopi Toloſani.
Sign. Domni Gregorii Laſcurrenſis epiſcopi.
Sign. Domni Petri Aburenſis epiſcopi.
Sign. Domni Bernardi Armaniacenſis comitis.

II. Monaſt. de Goz.

In chartis ſancti Savini fit mentio abbatiæ de Goz, cujus medietatem dedit huic monaſterio Cornelia matrona undecimo ſeculo deſinente: de qua nihil aliud reſcire licuit.

Abbatiæ quæ exſtant in diœceſi Tarbienſi ſex recenſentur:

S. Severi de Ruſtano ſeu Roſtagno, ord. B.
S. Savini, ord. B.
S. Petri Generenſis, ord. B.
S. Orientii de Regula, ord. B.
S. Petri de Taſqua, ord. B.
Scalæ-Dei, ord. Ciſt.

ABBATIA S. SEVERI DE RUSSITANO.

COenobium ſancti Severi de Albiciaco, (*S. Sever de Ruſtan*,) ordinis ſancti Benedicti in valle Ruſſitana, fertiliſſima Bigorræ ad * Ruſſæ * fluvii ripam ſitum, a quo fluvio quem tangit, Ruſſitanum dictum quaſi Ruſſam tangens, quinque milliaribus a Rapiſtano oppido vulgo *Rabaſteins*, octo paulo plus a Tarba, cujus diœceſis eſt diſtat. Loci inſigniores qui circumſtant ſunt, oppidum *de Trie* ſeſquileuca, ad orientalem plagam; *Tournay* ad meridionalem, diſtans duabus leucis; ad occidentalem partem *Vic Bigorre*; ad ſeptentrionalem *Vic Contal* ſeu *ville Contal* una circiter leuca ſejungitur. Deſinente ſeculo IX. vel ineunte X. florebat, eique Arſius abbas præerat, quem Generenſi monaſterio a ſe fundato Sancius comes præfecit, ex litteris ipſius Sancii. Sanctus Severus ſeu Severius hujus cœnobii Bigorritani patronus, alius eſt a ſancto Severo abbate Agarhenſi, itemque ab eo qui in Vaſconiæ capite monaſterio colitur martyr, ſed ille preſbyter, de quo plura refert Gregorius Turon. lib. de Gloria Confeſſorum cap. 49. Sepultus eſt in una ex duabus eccleſiis, quas in prædio ſuo Sexciacenſi conſtruxerat. Everſum a Saracenis, uti cetera Vaſconiæ, monaſterium hoc Centullus comes Bigorræ ſubjecit ſancto Victori Maſſilienſi ſeculo XI. & abbati Richardo commendavit reſtituendum, quod confirmavit Urbanus II. bulla data anno 1089. Nunc unitum eſt congregationi ſancti Mauri.

ABBATUM SERIES.

I. Arſius ex abbate Ruſſitanenſi Generenſis primus abbas inſtituitur an. circiter 1006. cui cœnobio præfuit ad annum circiter 1030. Vide hiſtor. Benear. Petri de Marca lib. III. cap. 15. pag. 246. & chartam quam ſubjicit, factam *in præſentia domni Arſii abbatis ſancti Severi Ruſſitanenſis, ad hoc* (ſcilicet novum monaſterium) *ædificandum pro ſanctitate adulti*. Paulo poſt diſciplina monaſtica intepuit: quod movit Centullum comitem ad committendum hoc monaſterium ſollicitudini abbatis ſancti Victoris apud Maſſiliam.

II. Arnaldus I. abbas erat tempore Amati Oleronenſis epiſcopi, ſanctæ ſedis legati, quem papa conſtituit judicem controverſiæ inter abbates ſanctæ Crucis Burdegal. & ſancti Severi, pro eccleſia de Solac. Vide hiſt. Bearn. lib. IV. cap. 21.

III. Suavius cum Gaſtone proconſule Bearnii ſcripſit ad Paſchalem II. pro eadem eccleſia, quam ſibi vindicabat. Epiſtolam ab ipſis ſcriptam legimus tom. VIII. fragmentorum hiſt. D. Claudii Eſtiennot pag. 40.

IV. Bernardus I. de Samano anno 1247. domino regi Franciæ ceſſit medietatem dominii & omnium jurium quæ nomine ſui monaſterii habebat in locis de ſancto Severo & de Senaco, ratione pariagii, *ut dominus rex & ſui officiales velint defendere prædictum monaſterium*, ex litteris ceſſionis. In ſchedis D. Stephani du Laura pro 1247. legitur MCCXCVII. die lunæ poſt feſtum omnium Sanctorum.

V. Petrus I. ex abbate ſancti Severi an. 1311. S. R. E. cardinalis factus a Clem. PP. V. legitur. Triſon. Gal. purp. p. 279.

VI. Bernardus II. dictus Rogerii an. 1315. ad[illegible] concilio Nogarolenſi. An. 1317. de conſenſu fratrum ſtatuit ut deinceps in Ruſſitano monaſterio XII. tantum monachi reciperentur. An. 1325. præſes capituli generalis in Manſo-Garnerio celebrati eligitur. Præerat adhuc an. 1337. quo interfuit capitulo generali & decretum de

recipiendis in cœnobio ſancti Severi XII. tantum monachis fecit confirmari. Aſſignavit officiis clauſtri certos reditus; quod vitio proprietatis januam aperuit.

VII. Arnaldus II. Raimundi an. 1350. litigat cum ſancti Severi conſulibus. An. 1356. aut 1357. factus eſt abbas ſancti Hilarii Carcaſſon. ex act. pontif. Avenion.

VIII. Petrus II. ex camerario Simorræ Arnaldo ſufficitur.

IX. Bertrandus de *Palaya* interest concilio Nugarol. anno 1368. Eodem anno *al.* 1369. fit præſes capituli generalis apud Vaurum habiti in clauſtro FF. Minorum. An. 1370. fit abbas S. Hilarii Carcaſſon. Obiit an. VII. Urbani PP. VI. ex act. pontif. Avenion. Legitur quoque abbas Montis-Olivi.

X. Arnaldus III. de Manſan * præerat anno 1424. & 1432. quo juravit fidem regi Francorum pro abbatia ſancti Severi, ex archivo regio Carcaſſon.

* al. De Marcat.

XI. Theobaldus ſeu Manaldus de Barbazan, ex monacho factus abbas, rexit ab an. ſaltem 1441. ad 1445. Pepigit cum domino Tarbenſi epiſcopo pro quibuſdam juribus.

XII. Dominicus de Ponte ſedebat jam anno 1473. Anno 1493. Johannes de Joſſia aſſignavit XXI. ſolidos & alia quædam, pro ſuo anniverſario faciendo. Obiit anno circiter 1504. D. Stephanus du Laura Dominico de Fonte, cujus præfecturam inchoat an. 1490. præmittit N. de Ponte, qui cœpit præeſſe anno 1473. At veriſimile eſt unum eundemque fuiſſe abbatem.

XIII. Rogerius de Monte-alto * ultimus abbas ex monachis aſſumtus, abſens gubernavit toto decennio. Obiit Romæ an. 1514.

* De Montanit de Navalles.

XIV. Johannes I. de Baſcillac ſenator in parlamento Toloſano, commendam obtinet an. 1514. Epiſcopum Carcaſſonenſem ſeſe in nonnullis chartis nominat, & quidem a capitulo Carcaſſon. electus fuit, at competitorem habuit Martinum de S. André Toloſani ſenatus præſidis filium, in utriuſque juris ſcientia apprime verſatum cui cedere coactus eſt rege & papa volentibus. Tabulæ monaſterii abbatis hujus meminerunt uſque ad diem 16. menſis Maii anni 1519. Imo noſter Cl. Eſtiennot ex codice Aquenſi ejus pontificatum protelat ad an. 1552.

XV. Jacobus le Vaſſor, commendatarius, ab an. ſaltem 1563. ad an. 1566. vel etiam 1571. Anno 1573. hæretici perduelles urbem ac monaſterium ſancti Severi devaſtarunt.

XVI. Johannes IV. de Sabbathier nobilis Toloſas commendatarius jam an. 1571. obierat aut dimiſerat abbatiam an. 1576. eo quippe occurrit ipſius nepos. Ita noſter D.C. Eſtiennot, ſed D. Steph. du Laura nocat quemdam Petrum Sabbaterii, ex monacho ſancti Severi abbatem deſignatum, qui reſtaurandæ eccleſiæ curam impendit, anno 1574.

XVII. Michaël de Sabbathier ab an. 1576. ad an. 1597. baſilicam aliaque ædificia aliqua ex parte reſarcivit.

XVIII. Johannes III. de Bertier Ludovici domini ſancti Geneſii & Montis-rapidi ac Margaretæ de Roques de Montels filius, Johannis vero Toloſani primi præſidis frater, primum abbas Manſi-Garn. ad Garumnam, deinde archidiaconus eccleſiarum Toloſanæ ac Tarbenſis, poſtea abbas S. Severi Ruſſitani, tandemque Rivenſis epiſcopus, ad comitia cleri generalia Pariſios an. 1595. deputatur, ibique cleri Gallic. procurator inſtitutus, per decennium hoc munere cum laude functus eſt. Exinde fuit reginæ Margaretæ cancellarius. Multis denique pro eccleſia & regno exantlatis laboribus in pace quievit an. 1620. at pedum Ruſſitanenſis cœnobii dimiſerat jam an. 1608. Ipſius non meminit D. Stephanus du Laura, qui docet anno 1601. quemdam Petrum Podenſan fuiſſe abbatiæ œconomum.

XIX. Carolus Regis, quando Johannes de Bertier Rivenſis epiſcopus renuntiatus eſt, commendam obtinuit Ruſſitani cœnobii an. 1608. & poſſedit ad an. 1627. Eo ſedente adjunctum fuit congregationi exemtorum monaſterium ſancti Severi. D. Stephanus du Laura ſcribit Paulum papam V. abbatiam vacantem per obitum Michaëlis de Sabbathier, commendaſſe Carolo le Roy bulla data V. cal. Aug. anno 1608. quarto ſui pontificatus. Vixit Carolus le Roy ſaltem ad an. 1620.

XX. Guillelmus de Richard Toloſanus utriuſque juris doctor, ſancti Severi fit abbas commendat. an. 1627. Suum cœnobium congregationi ſancti Mauri adjunxit die 24. Julii an. 1646. obiit optimus abbas an. 1658. Tempore hujus abbatis, lues ex legionum quarumdam in Occitania ſtationes habentium conſuetudine contracta omnes præter ſex aut ſeptem ſancti Severi incolas abſumſit an. 1654.

XXI. Amandus de Senault commendam obtinuit mortuo deceſſore, habuitque ad an. 1679. quo moritur die IV. Febr.

XXII. N. de la Barre an. 1680. præficitur.

XXIII. N. de Caſteja nominatur abbas ſancti Severi de Ruſtano die 14. Maii in vigilia Pentec. an. 1711. Noſter Cl. Eſtiennot, ex quodam codice MS. Aquenſi, hos ſancti Severi abbates eruit: Berinum, Saudeletum, Arnaldum, Arnaldum alterum de Monte-rotundo, Arnaldum Dybos, Johannem Dedos, Antonium de Barbezan, Michaëlem de Labatut, qui monaſterium reformavit. Sed tempus quo ſederint ignoratur.

ABBATIA S. SAVINI in Levitania, vulgo *Levedan.*

ABbatia ſancti Savini in Levitania & pago Bigorritano, vulgo *S. Savin de Tarbes*, in valle Levitana ad clivum Pyrenæi-montis, ſolo tamen pingui & peramæno ſita eſt, non longe a Gavo fluvio: octo milliaribus a Balneis-Regiis, vulgo *Bareges*, & quinque leucis Gallicis a Tarba. In hiſt. Bearn. P. de Marca fundata dicitur a Carolo-Magno: ſane commemoratur in conſtituto de monaſteriis facto anno 817. in ſynodo Aquiſgranenſi. At ſatius eſt dicere cum Mabillonio tomo I. annalium ad annum 700. n. 74. hoc monaſterium S. Savino non ſolum nomen, ſed originem debere.

De

De ſancto Savino jam aliqua præmiſimus. Is relicto monaſterio Fronimii abbatis in urbe Bigorritana, perrexit ad montana, ubi intra cellulam ſe recluſit, anuri inſtar longam ſeptem pedes, altam quinque, & manſit annis circiter tredecim una contentus tunica, *vili gunella ſuperjecta ſago pellium ſubſtrata*, nudis incedens pedibus. Obiit VII. idus Octobris incerto anno, ſepultuſque eſt in loco Levitaniæ, qui alias Æmilianum palatium vocabatur, ad montium radices.

Tempore ſancti Severi monaſterium hoc in loco fuiſſe conditum exiſtimamus. Certe Fro- B nimius abbas ſancto Savino comites & miniſtros dediſſe legitur Julianum & Silvanum diaconos; quibus plures alios ſeſe adjunxiſſe veriſimile eſt.

Hoc monaſterium a Saracenis deſtructum poſtea reſtauratur & dotatur a Carolo-Magno, ut vult V. C. Petrus de Marca, quod, inquit, conſtat ex monaſterii inſtrumentis. Mabillonius tamen illud a Ludovico Pio reſtitutum docet. Poſtea iterum a Normannis deſtructum inſtauratur a Raimundo comite Bigorrenſi, cujus ea de re diploma ex monaſterii tabulario primus edidit P. de Marca; quod hic legere antiquitatis ſtudioſos non pigebit. Adjecimus va- C riantes lectiones, quas ſuppeditavit nobis D. Stephanus du Laura.

MANIFESTA *res eſt, & omnibus pene totius Gaſconiæ incolis tertiſſime notum, quod ego Raimundus Bigorritanus nomes, meis peccatis exigentibus, Omnipotentis iram incurrere, & paradiſi gaudia perdere timens, pro redemptione animæ meæ & parentum meorum, locum ubi ſancti Savini corpus jacere ſine dubio cognoſcitur, de prædiis meis & aliis bonis hereditavi: & ut ibi monaſterium & monachi ſub abbate regulariter degentes in perpetuum durarent, ſatis Deo auxiliante laboravi. Inter cetera igitur bona quæ ibi diligenter conceſſi,* D *vallem Caldarenſem prædicto monaſterio & monachis ibidem ſervientibus dono & concedo, quatenus ibi eccleſiam ad honorem Dei & B. Mariæ* * *convenienter edificent, & manſiones ad balneandum competentes ſemper in eodem loco conſervent, & vallem prædictam abbas & monachi ſancti Savini liberam & quietam poſſideant, atque nullus alius, neque nos, neque ſucceſſores noſtri ibi poteſtatem atque potentiam* * *habeant, neque beſtias ſuas qualeſcumque ſint, niſi per conſilium & voluntatem abbatis ſancti Savini ad æſtivas illius vallis introducant. Concedimus etiam in ipſa* E *valle, ut ſi quis porcum ſingularem, ſive cervum venando ceperit, quartam ſive* ſpadlarem *ſancto Savino perſolvat, & per totum* Paſchale * *ſancti Savini infra pontes ſimiliter fiat. Inſuper ad luminaria ſancti Savini butyrum quod per illas totas æſtivas cenſualiter accipiebamus, totum prædicto monaſterio concedendo dimittimus: adhuc etiam pro amore Dei omnipotentis; & tam pro noſtra quam ſucceſſorum noſtrorum ſalute, eidem monaſterio donamus & concedimus, ut ſi quæ* * *nobis pecunia pro placitis, aut batallis, de prædicto monaſterio nobis evenerit, neque nos, neque vicarius qui per nos in illa terra fuerit, nobis retineamus, ſed ad honorem Dei & pro ſalute noſtra*

* Bonæ Mariæ.

* potestatem.

* Paschale.

* legi.

A *ſuper altare ſancti Savini reſtituamus. Hanc itaque cartam & hanc confirmationem procerum, & hominum noſtrorum auctoritate, in manu Bernardi tunc temporis ſancti Savini abbatis facimus, regnante in Francia Ludoico rege, & in Aragone Garſia rege, anno ab incarnatione D.* DCCCCXLV.

Quid ſit *Paſchale*, de quo in præmiſſo diplomate, *per totum Paſchale ſancti Savini infra pontes*, explicat P. de Marca: ſignificat, inquit, fines octo parochiarum quarum incolæ baptiſmum, communionem in feſtis Paſchæ, Pentecoſtes & natalis Domini, ac ſepulturam in eccleſia ſancti Savini accipere tenentur. Præter Raimundum comitem Cornelia matrona cujus chartam damus inter inſtrumenta num. VII. & alii plurima dona contulerunt; omnes p. 193. col. 2. vero poſſeſſiones hujus monaſterii recenſet Alexander III. in bulla quam edidimus ibidem n. VII. Hoc monaſterium olim ſubditum aſceterio ſancti Victoris infra dicemus. Nunc autem unitum congregationi ſancti Mauri reſloreſcit.

ABBATUM SERIES.

I. Eneco a Raimundo comite cœnobii fundatore primus abbas inſtituitur, *vir maximæ ſanctitatis*, qui temporibus ipſius Raimundi *congregatis ſub normam Benedicti patris non mediocriter calogeris*, ex veteri charta, hoc eſt monachis, rexit uſque ad an. circiter 944.

II. Bernardus I. 945. & 957. ſub finem vitæ Raimundi comitis qui eidem ceſſit vallem Caldarenſem, & alia ſuperius enumerata. In veteri inſtrumento laudato appellatur *ineffabilis vir nobilitatis*.

III. Garſias regente pagum Bigorritanum Ludovico comite Raimundi filio, & Fortanerio vicecomite Levitanenſi, qui monaſterium omnimoda immunitate donaverunt, & ipſi juriſdictionem pagi, dicti *Suin*, vendiderunt; ex monaſterii inſtrumentis quæ laudantur hiſtoriæ Bearnenſis l. IX. c. 3. Huic abbati ſucceſſit Bernardus ſecundus, juxta D. Stephanum du Laura, cui non conſentimus.

IV. Arnaldus I. de Lavedan, anno circiter 1036. *ſanctæ memoriæ* appellatur. Filius erat Guilim-Forti de Levitano, ſeu Guillelmi-Fortis. Hujus meminit clariſſimus rerum Bearn. ſcriptor.

V. Bernardus II. circa an. 1059. obiit an. ſaltem 1080. De eo ita vetus inſtrumentum prælaudatum: *Tertium Arnaldum ſanctæ memoriæ, cui magnificus abbas ſucceſſit Bernardus almificus, geſtis grandis & fama ſuper æthera felix.*

VI. Bernardus III. de quo, ex vereribus chartis D. Stephan. du Laura refert, quod cum habuiſſet litem cum Guillelmo Aner, *per Stivas & Silvas, quæ ſunt in Caldarez*, poſteaque cum Roberto Guillelmi filio, tandem *venerabiliſſimus omnium* hic abbas, præclarus ſede, potentior honore, obtinuit a Bernardo comite, & a Raimundo vicecomite, juſſu Bernardi comitis, *quod juſto judicio judicatum erat.* Huic abbati ampliſſima data ſunt latifundia; collatæque ſunt eccleſiæ quamplurimæ. Ipſe adi-

ficavit eccleſiam ſancti Martini & domos Balnearum. Eo defuncto ceſſit monaſterium S. Victoris Maſſilienſis monachis.

VII. Odo an. 1080. cœnobio Levitano præerat, quo illud Centullus Benearni & Bigorræ comes monaſterio Maſſilienſi renitentibus pleriſque monachis ſubjecit. Vide hiſtor. Bearn. pag. 811.

VIII. Ebrardus adfuit judicio Centulli comitis inter Dodonem Bigorritanum epiſcopum & monachos S. Petri Generenſis, occaſione cujuſdam ſepulturæ, anno 1083. Ex annalibus Mabillonii huic abbati Cornilia uxor Arnaldi-Guillelmi de Barbazan ceſſit medietatem abbatiæ de Goz. Aliam medietatem dedit Arnaldus de Tors, offerens ſe ſancto Savino monachum, & uxorem ſuam, & duos filios qui muti & ſurdi erant: & an. 1089. alii alia cœnobio contulere. Anno 1105. nobilis vir Guillelmus d'Adaſt in cœnobio Levitano ab Ebrardo abbate veſtem monachalem accepit, deditque eccleſiam Adaſtenſem cum ſuis pertinentiis.

Cum Richardus & Guillelmus de Solon vallem de Cauteres ad monaſterium pertinentem uſurpaſſent, eamque vindicaret Ebrardus abbas, decretum eſt a judicibus ut duello ſeu pugna ſingulari quæſtio decideretur; vicit vero qui pro monachis pugnabat.

IX. Petrus I. ab an. 1105. ad 1112. Conſuetudines patriæ cum epiſcopo Tarbeienſi, abbatibus & proceribus Bigorritanis in tabulas retulit, ut leges hiſt. Bearn. pag. 812.

X. Arduinus interfuit concilio Toloſano, ſub Callixto papa II. ejuſque decreto pro Anianenſibus ſubſcripſit idib. Julii an. 1119. ut videre eſt Spicileg. to. VI. p. 29. Duos abbates Petrum & Arduinum proxime memoratos omittit D. Steph. du Laura.

XI. Willelmus Stephani a Stephano du Laura quoque omiſſus, ex monacho S. Victoris Maſſilienſis abbas S. Savini fit regnante in Bigorra Centullo comite an. circiter 1130. Hujus meminit Canonicenſe necrol. ex bibl. B. M. Deauratæ, his verbis: III. *non. Sept. obiit D. Guillelmus abbas ſancti Savini monachus noſtræ congreg.* hoc eſt ſancti Victoris Maſſil. cujus eſt membrum Canonicenſis prioratus. Cum hominibus d'Aſſun pepigit pro ſepeliendis mortuis ſuis in cœmeterio ſancti Savini, adſtantibus Centullo comite Bigorræ & nobilibus bene multis.

XII. Emeno I. ex P. de Marca ſedebat an. 1145. hiſt. Bearn. l. 2. c. 10. p. 173. & 818. ſed error eſt in anno 1145. ibidem notato, cum enim inſtrumentum ex quo Emenonis nomen eruit P. de Marca ſit datum Guillelmo-Arnaldo epiſcopo, huic chartæ convenire non poteſt annus 1145.

XIII. Raimundus *de Mayroſio* ex monacho item ſancti Victoris, ſancti Savini abbas an. 1145. pepigit cum Bernardo Lobato de Monteſquiou Tarbeienſi epiſcopo, & Bernardo de Barbazano, ex cartul. Tarbeienſi & ſancti Savini MS. cod. Anno 1157. Raimundus excepit vota Gallardis matronæ ejuſque filiæ, quorum formulam hoc loco dandam cenſemus:

Ego mulier peccatrix nomine Gallardis, cupiens nequam fugere ſeculum, & adipiſci regnum cœlorum, offero me & filiam meam Mariam omnipotenti Deo, & ſancto Savino, in manu Raimundi ſancti Savini abbatis, in conſpectu omnium ejuſdem monaſterii fratrum. Et promittimus ego & predicta filia mea obedientiam & ſtabilitatem in ipſo monaſterio, ſicut oportet & decet familiares & converſas. Damus quoque.... Facta eſt charta iſta menſe Auguſto, regnante in Bigorra Petro de Marciano & comitiſſa uxore ejus Benetrice [a], *anno* MCLVII. An. 1163. Arras ſeu Auras prædium datum fuit ſancto Savino & Raimundo abbati, ex chartul. ſancti Savini. Hujus meminit Canonicenſe necrol. IV. *non. Febr. obiit domnus Raimundus abbas ſancti Savini, monachus noſtræ congreg.* E gente nobili *de Mayroſio* originem traxit, ex chartul. S. Vict. Maſſil.

XIV. Deus-dedit jam an. 1167. quo ad ipſum breve pontificium direxit Alexander papa III. & conceſſa monaſterio ſancti Savini tum prædia tum privilegia enumerando confirmavit.

XV. Sancius I. an. 1176. quo pepigit pro decima de Marſans.

XVI. Emeno II. Arnaldi Willelmi epiſcopi Tarbenſis & Centulli ſuppar, an. circiter 1180. Eo ſedente data fuit decima de Solon, & confirmata eſt eccleſia de Goz, a Cornelia uxore Raimundi-Garſiæ de Lavedan, Petro de Marzaa Bigorritano comite (is eſt Petrus Martianenſis vicecomes conjux Beatricis Bigorritanæ comitiſſæ) & Guillelmo-Arnaldo epiſcopo.

XVII. Bernardus IV. de Ray.

XVIII. Arnaudus de Arciſano anno 1216. quo ſimul cum Petro Claracenſi & Odone Generenſi abbatibus interfuit Tarbæ ſponſalibus Petronillæ comitiſſæ Bigorr. cum Guidone Simonis comitis de Monte-forti filio, die Dominica poſt feſtum omnium Sanctorum, hiſt. Benearn. lib. 9. cap. 10.

XIX. Petrus II. an. 1218. in litteris Petronillæ comitiſſæ Bigorr. hiſtor. Benear. lib. 9. cap. 11. pag. 825. Attamen præfatæ litteræ non exhibent niſi primam nominis Petri litteram.

XX. Lupus de Fuxo an. 1256. quo cum aliis proceribus intereſt multis pactis inter Gaſtonem Bearnenſem vicecomitem & Eſquivatum comitem Bigorræ. Vide D. P. de Marca lib. 7. c. 9. pag. 603.

XXI. Arnaldus II. de Articas an. 1266. quo Eſquivatus Bigorr. comes conceſſa cœnobio ſancti Savini confirmavit, ipſumque abbatem & monachos ac monaſterium ſub ſua tuitione poſuit. Fœdus iniit cum Eſquivato comite & Gaſtone vicecomite Bearn. pro bello indicendo regi Navarræ. Obiit an. 1290.

XXII. Fortanerius de Arciſano cujus nomen inſcriptum eſt litteris procerum prælatorumque datis die 9. Octobris anni 1292. ad regem Francorum Philippum, pro Conſtantia comitiſſa. Sedes vacabat 1293. ex litteris abbatis ſancti Victoris Maſſil. quibus priori & ſacriſtæ regimen Levitani monaſterii committit;

[a] Seu Beatrice. Notat P. de Marca comitiſſam hanc Beatricem vulgo appellatam *Benetris*.

videlicet poſt ceſſionem ſpontaneam Fortanerii, factam in manibus Petri de Saſos prioris clauſtralis, & monachorum.

XXIII. Petrus III. de Saſos an. 1299. exſtinctus eſt menſe Auguſto, die Lunæ poſt feſtum aſſumtionis B. Mariæ, ex inſtrumento electionis ejus ſucceſſoris.

XXIV. Fortanerius de Arciſano, qui abdicarat anno 1293. coactus eſt pedum reſumere, poſt iteratam electionem factam per monachorum compromiſſarios, Guillelmum-Arnaldum priorem de Caudeires, Guillelmum-Arnaldum eleemoſynarium, & Arnaldum de Layrac, die Mercurii poſt feſtum S. Ægidii an. 1299. Anno 1306. VIII. calendas Aprilis, Guillelmo de Rabaſtens militi, regio Bigorræ ſeneſcallo exhibuit litteras Philippi regis, quibus monaſterium in ſuam tutelam recipiebat pius princeps. Anno 1311. die quinto exitus Auguſti lata eſt ſententia in gratiam hujus abbatis & monaſterii, adverſus Bernardum de Planis alioſque cœnobii homines.

XXV. Sancius II. de Luxo, *de Lus*, diu ac bene rexit, ab an. ſaltem 1314. ad 1342.

XXVI. Bernardus V. de Arufato B. Mariæ in Valetica prior, abbas inſtituitur bulla Clementis papæ VI. data apud Villam-novam, v. idus Maii, ejus pontificatus anno 3. Chriſti 1345. Anno. 1361. deceſſit ex act. pontif. Avenion. & ex inſtrumento electionis ejus ſucceſſoris.

XXVII. Sancius III. de Abbadia fratrum calculis exſtincto Bernardo ſubſtituitur die Lunæ ſecunda Auguſti an. 1361. Eum Eduardus rex Angliæ ſuſcepit in ſuam *ſalvam gardiam*, litteris datis Burdigalæ die 14. Junii, anni 1367. memoratur in tabulis adhuc an. 1381.

XXVIII. Dominicus de Fuxo fratrum ſuffragiis abbas renuntiatur. Sedit ſaltem ab an. 1388. De eo vide in Gaillardo Tarbenſi epiſcopo, ad annum 1391. D. Stephanus du Laura dicit chartas meminiſſe Dominici de Fuxo, alias de Bearno, ad diem 18. Martii anni 1404. Valeat ergo. Bernardus de Bearn principum Benearnenſium filius ac frater, qui dicitur e priore Gavarrenſi in pago Auſcienſi, factus abbas Levitanus an. 1399. ac rexiſſe ad annum 1403.

XXIX. Raimundus-Arnaldi de Begolle, ann. 1406. & 1410.

XXX. Raimundus-Garſias de Levitano, *de Lavedan*, primum canonicus Regularis in eccleſia Tarbeienſi, deinde archid. ac tandem 1419. abbas ſancti Savini annuente Martino papa V. Obiit an. 1445. deſinente aut 1446. ineunte.

XXXI. Petrus IV. de Fuxo ſenior dictus, abbas ſancti Savini renuntiatur, & fuit uſque ad an. 1456. Erat etiam epiſcopus Convenarum & adminiſtrator eccleſiæ Tarbenſis. Jam ſedebat anno 1442. die 13. Martii; quo tempore Petrus-Arnaldus de Cara ejus vicarius generalis pepigit nonnulla, nomine abbatis & fratrum.

XXXII. Godefridus de Baſcillac annis 1456. & 1458. poſtea epiſcopus Rivenſis & Petri cardinalis de Fuxo comes in gerendis quibuſdam magni momenti negotiis. Nondum e vivis exceſſerat an. 1478.

XXXIII. Petrus V. de Fuxo alterius Petri de Fuxo pronepos aut conſanguineus, adminiſtrator ſancti Savini, ſaltem ab an. 1467. ad 1482. al. 1486. S. R. E. cardinalis Romæ deceſſit variis legationibus, & exantlatis pro eccleſia laboribus clarus. Vicarium habuit in adminiſtratione ſancti Savini fratrem Arnaldum Pros decretorum doctorem, qui dicitur in chartis abbas electus.

XXXIV. Johannes de Fuxo e priore Nerviſenſi abbas commendatarius ſancti Savini Levitani, vicarios in hujus abbatiæ adminiſtratione inſtituit die 12. Junii, anni 1489. Johannes legitur abbas in chartis adhuc die 25. Novembris an. 1498.

XXXV. Paulus de Fuxo, ſeu Benearno, abbas commendat. ab an. 1501. ad 1533. in tabulis memoratur. Fuit quoque Laſcurrenſis epiſcopus.

XXXVI. Antonius I. de Rupe-forti abbas commendatarius, die 9. Aug. anni 1534. ratum habuit quoddam *arrendamentum* factum per vita functum Paulum de Bearnio epiſcopum Laſcurrenſem abbatemque ſancti Savini. Habuit Raimundum de Fonte vicarium generalem. Adhuc præerat an. 1537.

XXXVII. Nicolaus d'Angu Sagienſis epiſcopus, locum tenens generalis, & cancellarius regis Navarræ, abbaſque ſancti Savini, eundem Raimundum inſtituit vicarium generalem an. 1540.

XXXVIII. Franciſcus de Foix de Candale princeps ſeu capitalis Bojorum, Chriſtophori de Candale frater primogenitus, ingenii felicitate omnique genere litterarum præſertim matheſeos excultiſſimus, abbas commend. ſancti Savini ab an. 1540. ad 1593.

XXXIX. Johannes-Michaël a S. Siviano litteris tum regiis tum apoſtolicis fit abbas commendat. anno 1597. Cœnobium Levitanum congregationi ſancti Mauri optimus abbas adjunxit an. 1623. Obiit an 1651. in caſtro de S. Sivier octo milliaribus circiter a cœnobio ſancti Savini diſtante, ac ſepultus eſt in baſilicæ dicti cœnobii abſide ad ſuppedaneum altaris majoris in cornu epiſtolæ.

XL. Jacobus de Teſac de Montaut de Vernajoul deceſſoris nepos anno 1651. fit abbas commend. & erat adhuc 1678.

XLI. Michaël de Jonquieres deſignatur abbas a rege menſe Martio an. 1683. Ceſſit an. 1695.

XLII. Antonius II. Juif Narbonenſis canonicus admittitur in poſſeſſionem abbatiæ vi bullarum Innocentii XII. datarum VIII. cal. Maii, anni 1695. qui erat quartus ejus pontificatus.

Digitized by Google

Abbatia S. Petri Generensis.

S Pé de Generez.

COenobium ſancti Petri de Genereſio ordinis ſancti Benedicti ad radicem Pyrenæorum montium, in limite Benearnenſis, & Bigorritani pagorum, olim diœceſis Laſcurrenſis, in vico de Laſſu, ad confluentem fluvioli de Generez, a quo nomen habet, in Gavum Palenſem, ſitum, conditur ineunte ſæculo XI. a Sancio totius Vaſconiæ principe & duce, qui ex Ruſſitano ſancti Severi monaſterio aſſumſit primum abbatem & forte monachos primos novi monaſterii incolas: obiit Sancius IV. nonas Octobris anni 1032. ex necrologio ſancti Severi quod martyrologium appellatur. Chartam fundationis, quod prolixior ſit, ad inſtrumenta amandavimus, cui quædam excerpta ex chartulario adjecimus, ob nomina plurimorum hujus monaſterii benefactorum in iis contenta.

Ch. IX. p. 194. ad. 2.

Diu poſt fundatoris mortem baſilica fuit dedicata in celeberrimo præſulum & procerum cœtu anno 1096. in honore SS. apoſtolorum Petri & Pauli. Tuncque acceſſerunt totius Vaſconiæ tam principes, quam populi, *& renovaverunt ſalvitatem B. Petri a Sancio comite ejuſdem loci conſtructore firmatam. In primis acceſſit ad jurandum Beatrix comitiſſa Bigorrenſis, & Gaſto vicecomes Bearnenſis.* Poſt ipſos jurarunt Aſta-nova comes Fidenciacenſis, Augerius vicecomes Mirimontis, &c.

Quamvis Sancius hoc monaſterium ab epiſcoporum poteſtate exemiſſet, illud apoſtolicæ ſedi immediate ſubjiciendo, pro ipſo tamen diu fuit controverſia inter epiſcopos Bigorrenſem & Laſcurenſem, quam agitatam aiunt in quadam ſynodo Burdegalenſi. Hoc monaſterium nunc unitum eſt congregationi S. Mauri.

Abbatum series.

I. Arſius ſive Arſinus ex abbate S. Severi Ruſſitanenſis, primus abbas S. Petri Generenſis anno circiter 1006.

II. Sancius in codice mſ. Generenſi abbas legitur; quem perperam quidam volunt fuiſſe Sancium comitem cœnobii auctorem. Non ignoramus tamen V. C. P. de Marca cenſere Odonem, qui ſequitur, fuiſſe ſecundum abbatem.

III. Odo I. de Benaco filius Guillelmi Auriol de Benaco, ex Maria filia Raimundi Garſiæ vicecomitis Levitaniæ, a parentibus Arſino abbati cum donatione eccleſiæ Benacenſis inſtruendus traditur. Triginta vero & amplius annis præfuit cœnobio Generenſi: ut notant litteræ pro eccleſia Benacenſi. Vide hiſt. Bearn. p. 810. Ipſo abſente, & forte ad concilium Romanum cum Amato Oloronenſi epiſcopo profecto Dodo Tarbienſis epiſcopus litem movit monachis, pro quadam ſepultura anno 1083. Qua de re vide in hoc epiſcopo.

IV. Odo hujus nominis ſecundus baſilicam Generenſem aut abſolutam aut innovatam jam creatus Olorenſis epiſcopus, dedicari fecit a Willelmo Auſcienſi archiepiſcopo, II. id. Octobris anno 1096. ex litteris conſecrationis. Vide hiſt. Bearn. lib. 5. cap. 4 pag. 355.

V. Petrus I. de Angulis, *d'Angles*, Arnaldi-Willelmi de Angulis militis filius, & Sancii de Angulis frater, cujus temporibus Generenſem abbatiam quæ prius Laſcurrienſi ſedi ſubdita erat, ab ea omnino ſejunctam fuiſſe, & Bigorritanæ ſubjectam voluntsqua de re diximus in Pontio I. Tarbeienſi epiſcopo. Hujus abbatis ita meminit necrol. *Kalend. Martii, obiit R. Petrus abbas ex familia baronia'des Angles qui dedit decimam de Leſcunno & alia.*

Cererum id factum fuiſſe putamus tempore Odonis abbatis, & ante concilium Placentinum, ad quod de hac mutatione querelæ ſunt delatæ. Longas lites pro hac diſtractione movit epiſcopus Laſcurrenſis, Bigorrenſi, quas refert P. de Marca l. 5. hiſt. Bearn. c. 32.

VI. Gregorius d'Aſter, Arnaldi-Willelmi de Aſter filius, cui Petrus Pampilonenſis epiſcopus dedit eccleſiam ſanctæ Mariæ de Gorduno in valle Oſellæ. Bonæ memoriæ abbas appellatur in charta donationis eccleſiæ Benacenſis. Statuta Bigorritana collegit & firmavit cum Willelmo I. epiſcopo Tarbienſi, anno circiter 1112.

VII. Petrus II. abbatis Gregorii ſucceſſor legitur in donatione eccleſiæ Benacenſis. De eo intelligendum putamus id quod legitur in chartario. Idem *Centullus filius Gaſtonis, Bearnenſis vicecomes veniens in capitulum cum matre ſua Taleſa, in præſentia domni Petri abbatis, cum conſilio baronum ſuorum, dedit Deo & B. Petro totum aledum de Exeſa, pro redemptione animæ ſuæ... & propter injurias quas fecerat in honore & in bovetiis B. Petri, &c.* Charta hæc edita a P. de Marca nullas præfert temporis notas: ſed veriſimile eſt ipſam factam fuiſſe paulopoſt patris Gaſtonis mortem a Mauris in Hiſpania interfectum, anno circiter 1131. ſicut alia ejuſdem Centulli charta, quam edidit quoque P. de Marca. Nam teſtes qui ſubſcripſerunt ſecundæ chartæ pro S. Petro Generenſi, ſunt iidem qui commemorantur in priori pro Cluniacenſibus. Obiit hic Petrus anno circiter 1169.

pag. 432. hiſt. Bearn.

VIII. Bernardus I. de Sadiraco, ann. 1170. & 1173. electus poſtea epiſcopus Oleronenſis, retenta abbatia, ut poſtea dicturi ſumus. Vide hiſt. Bearn. V. C. domini de Marca fol. 469 Bernardus ad annum 1183. pervenit ex D. Edmundo Martenne.

IX. Garſias rexit ad annum 1211. quo erat epiſcopus Convenarum, ex chartul. Niſortienſi, vulgo *Niſors.*

X. Odo III. de Levitano, *de Lavedan*, ſedebat jam anno 1216. quo adfuit ſponſalibus Petronillæ comitiſſæ Bigorræ, Guidonis comitis filiæ, cum Guidone de Monte-forti, Tarbæ celebratis, hiſt. Bearn. l. 9. c. 10. p. 823. Huic abbati anno 1219. Garſias-Arnaudi de Borg, & Dulcis uxor ejus ceſſere quæ habebant apud Barleſt. Anno 1227. VI. nonas Maii judex electus patronatum eccleſiæ S. Quitteriæ adjudicat Sancio abbati Caſæ-Dei, contra Hugonem Tarbeienſem epiſcopum: ubi vide.

XI. Philippus de Benaco ſub finem ſeculi XII. aut initium XIII. in Generenſi cœnobio receptus, ibidem electus in abbatem legitur anno 1210. & perveniſſe ad annum 1272. quo pepigit

cum militibus templi pro quodam censu. Sed id falsi revincitur, tum ex jam dictis, constat enim Odonem adhuc sedisse anno 1217. tum ex dicendis.

XII. Willelmus abbas Generensis occurrit anno 1233. in veteri charta Agennensi, & 1234. in chartul. Silvæ-maj.

XIII. Arnaldus-Willelmi de Benaco sedisse dicitur ab anno 1273. ad an. 1308. quo decessit. An 1285. *infeudavit* dominicaturam de Rocas, ex chartul. fol. 75. Vide hist. Bearn. P. de Marca lib. IX. cap. 15. ubi dicit Arnaldum cum aliis prælatis & proceribus scripsisse ad Philippum regem an. 1292. pro Constantia comitissa.

XIV. Bernardus II. de Male, anno 1309. abbas instituitur, occurritque ad annum circiter 1319.

XV. G. A. præerat anno 1319. quo ex ms. cod. pepigit cum Francorum rege & comite Bigorræ, super dominio, scilicet alta ac bassa justitia, in villa Generensi. Obiit an. 1326. ex actis pontif. Avenion.

XVI. Bernardus III. abbas sancti Benigni de Fructuaria, huc traductus bulla Johan. PP. XXII. rexit ad an. 15. pontif. ejusdem papæ, hoc est ad an. 1331. quo dimisit pedum.

XVII. Johannes I. ex priore Canonicæ, advocatur abbas an. 1331. ex schedis Suarezianis.

XVIII. Hugo de Lanis *de Laas*, ann. 1341. 1343. ex chartul. veteri. Anno 1354. quasdam domos ad cœnobium Generense in civitate de Java pertinentes dedit ad censum annuente conventu. Præfuit ad an. circiter 1358.

XIX. Raimundus-Arnaudi de Bascillaco præerat ann. 1390. 1393. & 1394. quo anno præses capituli generalis habiti apud Carcassonam eligitur, necnon visitator cœnobiorum Vasconiæ, ex chart. fol. 117. Resignavit an. 1407. obiitque prior S. Mavii anno circiter 1439. ut patet ex litteris Raimundi-Aimerici ipsius nepotis qui sequitur hoc anno datis.

XX. Raimundus-Aimericus, *de Bascillac*, ex ms. abbatum catalogo legitur abbas Generensis anno 1407. ad an. fere 1482. Is est forte R. cui præsidentes capituli Biterris celebrati vices suas commisere, 3. Maii 1448.

XXI. Anerotus de Cophita Raimundo sufficitur anno circiter 1483. ad an. saltem 1505.

XXII. Johannes II. de Carreria, aut Carrerius, *de Carrere*, Aneroto de Cophita succedit ante an. 1513. An. 1517. fidem sibi præstari fecit a suis hominibus & feudos tenentibus de Pontaco; ex chartul. fol. 71. Præfuit ad an. circiter 1538.

XXIII. Franciscus d'Antin *de Montespan*, gente nobili natus sed bonis moribus clarior præfuit ab anno 1540. ad 1558. quo decessit aut pedum dimisit. Anno quippe insequenti sedes vacabat.

XXIV. Johannes III. de Porta, *de la Porte*, renitentibus pleriisque fratribus sedem abbatialem occupat toto fere decennio.

XXV. Johannes IV. Destornes d'Angosse, Generensis cœnobii monachus, eidem præficitur anno 1570. Obiit optimus abbas anno 1611. die 5. Jan.

XXVI. Arnaldus de Maytie Oleronensis episcopus, a rege commendam obtinuit, anno 1612. habuitque ann. 1613. 1615. & aliis.

XXVII. Arnaldus-Franciscus de Maytie, abbas commendatarius sancti Petri Generensis, sed commendatariis, imo ipsis regularibus, saltem plurimis melior, abbatiam suam congregationi sancti Mauri anno 1650. concessit, in cujus realem possessionem senatus Tolosani decreto inducti fuere monachi dictæ congregationis an. 1659. die festo SS. apostolorum Petri & Pauli. Hoc autem anno Arnaldus de Maytie factus Oleronensis episcopus pedo Generensis cœnobii nuntium remisit.

XXVIII. Johannes V. Barthet Lascurriensis canonicus commendam habuit anno 1660. & adhuc 1679. Obiit die Pentecostes 29. mensis Maii anni 1689. ut docet ejus epitaphium in ecclesia Lascurrensi.

XXIX. Romanus Dalon filius primi præsidis in senatu Palensi a rege nominatur XIV. Augusti 1689.

Abbatia S. Orientii de Regula.*

TRia sunt in Novempopulania monasteria monachorum Benedictinorum, quæ sub Regulæ nomine sunt nota: unum in diœcesi Vasatensi quod pendet a celebri monasterio Floriacensi; alterum in Lascurensi, vocaturque Regula Silvestris: tertium vero est monasterium sancti Orientii * de Regula in Begorritano solo, vulgo *la Reulle en Bigorre*. Conditur ab Othone-Dato vicecomite Montanerii *, in alodio ejus, temporibus Ludovici comitis & Bernardi I. episcopi Bigorræ, opem ferente Arnaldo Sancione vicecomite, X. seculo desinente, vel ineunte XI. ut refert D. de Marca hist. Bearn. lib. V. cap. V. Jam autem constructo cœnobio & monachis in eo adunatis abbatem præfecit Mansionem, & ecclesias S. Johannis de Monte-longo, sanctæ Mariæ de Luco aliaque prædia attribuit, locumque ab omni censu liberum declaravit, ut fuse refert dominus de Marca loco citato, pag. 358. & 359. De fundatione, & exordiis hujus monasterii chartam dedimus inter instrumenta n. XI.

* al. Montis-Aneni.

pag. 185. col. 1.

Abbatum series.

I. Mansio prædiis pluribus privilegiis ac libertatibus donatur ab *Ottodato* vicecomite Montanerii fundatore hujus monasterii, præsente Ludovico Bigorritano comite, & mediatore Bernardo episcopo anno 1009. quæ omnia confirmavit Gasto comes de Fuxo, vicecomes Bearni & dominus de Marsan, 3. Martii 1355. ex tabulario domus.

II. Sancius aut Sancio mortuo Mansioni sufficitur, ut notat D. de Marca, quo sedente Willelmus Otto vicecomes, Ottonis filius, villam de Laurede cœnobio auferre tentavit: hist. Bearn. p. 358.

III. Arsinius Gregorium de Montanerio filium Garsiæ-Dati de Montanerio excepit in monachum, cui & postea etiam renitenti regimen abdicavit an. circiter 1035. hist. Bearn. lib. 5. cap. 5. pag. 358.

IV. Gregorius I. ex quadam notitia matrem habuit Endegrod mulierem sanctam, de qua

chronicon loquitur, & cujus nuper in eccleſia Reulæ ſepulcrum repertum eſt cum epitaphio. Adfuit judicio Centulli comitis inter Dodonem epiſcopum Tarbienſem, & monachos ſancti Petri Generenſis, occaſione cujuſdam ſepulturæ, anno 1083. vide annal. Bened. Mabill. & hiſt. Bearn. l. 4. c. 19. p. 323.

V. Garſias abbas Reulæ, cujus tempore clericus quidam Arnaldus nomine ad converſionem veniens pro ſuæ animæ remedio obtulit S. Orientio in villa quæ Artigals dicitur ſeptem jugera terræ, unamque dineratam vineæ; & hoc quidem circa tempora Dodonis epiſcopi Tarbienſis.

VI. Guillelmus memoratur his verbis deſcriptis ex quodam inſtrumento diverſas chartas an. 1103. continente: Defuncto Gregorio I. abbate ſucceſſit in ejus locum Guillelmus Levitanenſis monachus S. Savini, electione Regulenſis congregationis & benedictione Pontii Bigorrenſis epiſcopi, qui Dei gratia in vita ſpeculativa attentus ut Maria, in activa ſollicitus ut Martha, quaſdam poſſeſſiones eidem loco ſua frequenti inquiſitione contulit; inprimis acquiſivit tres caſales in Bigorrenſi villa quæ dicitur Antes, ſub præſentia Centulli Bigorrenſis comitis, & Montanarenſis vicecomitis, quos olim dederat beato Orientio Bernardus Orbeacenſis factus monachus ejuſdem cœnobii. Hos namque poſtea abbas V. cum conſilio Regulenſis congregationis epiſcopo Dodoni & præpoſito Arnaldo de Her, archidiacono Sancio atque canonicis Tarbienſis ſedis attribuit illis redonantibus chartas & prandia, * trium eccleſiarum, ſcilicet ſancti Johannis de Lucar, & ſancti Johannis de Noila, atque ſancti Johannis de Fitta.

* .f. prædia.

VII. Gregorius II. memoratur abbas anno 1103. in charta quam Pontius epiſcopus Tarbienſis confirmat. Vixit etiam ſub Dodone epiſcopo Bigorritano, quorum ætate quidam clericus Garcias nomine cum filio ſuo Guillelmo, & Petro nepote filio præfati Guillelmi, ad converſionem veniens dedit B. Orientio medietatem eccleſiæ S. Martini de Artigals, &c. poſtea vero filius ejuſdem Arnaldus nomine invaſit prædictam eccleſiam reluctante abb. Gregorio.

Notandum eſt duos ultimo loco recenſitos abbates non reperiri in notitia, ſed Dodonem, qui vivente adhuc Gregorio abbas fuerat ordinatus, forte quod Gregorius, ne jura monaſterii proderet, apud Gregorium abbatem ſancti Severi in capite Vaſconiæ ſe receperat & quodam modo abdicarat. Itaque juxta notitiam, cui conſentit P. de Marca,

VIII. Dodo abbas Regulenſis, inſtituitur an. circiter 1084. huic Taleſa vicecomitiſſa nonnulla ceſſit. hiſt. Bearn. pag. 359.

IX. Ezius anno 1151. pepigit cum Petro comite Bigorræ, & commutavit villam de Peyrer cum villa de Luerri. hiſt. Bearn. lib. 9. cap. 9. pag. 810.

X. Johannes abbas ex laudata notitia.

XI. S. abbas Reulæ accipit *veſtituram* de parte cujuſdam eccleſiæ in villa quæ dicitur Fitta, de qua poſtea invaſa ab Arnaldo-Bernardo hujus honoris domino, abbas & monachi querimoniam fecerunt comiti Centullo, multo tempore poſt E. Epiſcopum Tarb.

XII. Arnaldus I. de Genos abbas Reulæ anno 1233. in charta Guillelmi de Auriebad, & Philippæ uxoris ejus, & Arnaldi filii eorum vendentium villam Malburgeti, M. CC. LXXXV. ſolidis Morlanenſibus.

XIII. Johannes I. de Lignaco 1290.

XIV. A. anno 1315. adfuit concilio Nogarolenſi.

XV. Bonus ad annum 1328. quo bulla pontificia Johan. PP. XXII. Avenione pontificatus an. 12. data, factus eſt abbas ſanctæ Mariæ de Tavilta diœceſ. Exonienſis. ex actis pontific. Avenion.

XVI. Bernardus abbas Reulæ electus interfuit concilio provinciali in eccleſia S. Mariæ de Marciaco, 1330.

XVII. Arnaldus II. de Tuſſagueto, tempore Petri Tarb. epiſcopi, 1344. 1348. quo anno Petrus hic epiſcopus inter abbatem hunc ejuſque monachos ortam prò monachalibus portionibus litem ſopivit die 27. Martii, ex tab. abbatiæ.

XVIII. A. de Liag 1354. forte is eſt Arnaldus de Lighaco qui chartas collegit & compegit. Obiit anno x. Innocentii papæ VI. hoc eſt 1362.

XIX. Azemarus anno 1362. ex ſacriſta S. Licerii fit abbas bulla Innocentii VI. data anno x. ejus pontificatus 3 ſedebatque adhuc annis 1374. & 1375. Tranſegit cum monachis, iiſdem conditionibus ac Arnaldus de Tuſſagueto. In charta anni 1373. cognominatur de Cariaco.

XX. Johannes II. de Soſſio 1453.

XXI. Johannes III. de Burgo, 1472. quo tranſigit cum monachis, quibus ceſſit mediam partem bonorum fratrum decedentium, & alia plurima. Obiit anno 1494.

XXII. Dominicus de Molianis e ſacriſta Regulæ abbas eligitur a fratribus, ſede vacante per obitum Johannis de Burgo. 9. Martii 1494. ex tabul. abbatiæ.

XXIII. Garcias de Caſtro-Bayaco, obiit anno 1530.

XXIV. Arnaldus-Guillelmus IV. de Ortha ſacriſta, eligitur 5. Junii 1530.

XXV..... Pelgrin.

XXVI. Franciſcus Chabot Niortii canonicus ſucceſſit.

XXVII. Henricus de Baudean filius Henrici comitis de Parabere equitis torquati ex Catharina de Pardaillan, poſſeſſionem iniit anno 1635. vel circiter.

XXVIII. Ceſar de Baudean Parabere, Henrici frater circa annum 1638. obtinuit abbatiam quam annis 40. rexit. Simul erat abbas S. Vincentii Metenſis, & B. Mariæ de Nuceriis, fueratque cardinalis Mazarini camerarius. Obiit anno 1678.

XXIX. Gilbertus Flamant regi ab eleemoſynis, circa annum 1678. nominatur, & anno 1699. providetur de abbatia Fontis-Morigniaci.

XXX..... de la Caſſaigne 1693. menſe Aprili; deceſſit menſe Octobri anni 1699.

XXXI. Maria Federicus Green de S. Marceau de Chaſtellaillon, Rupellenſis patria, filius clariſſimi viri baronis de Chaſtellaillon, præfecti Rupellæ & Alnetenſis * tractus, ex Judith Dez, filia baronis de la Rochery. 1699. 24. Dec.

* Pays d'Aunis.

ABBATIA SANCTI PETRI DE TASQUA, ordinis S. Benedicti, diœceſis Tarbienſis.

SAncti Petri de Taſqua monaſterium ordinis ſancti Benedicti diœceſis Tarbienſis in Riparia Armaniaci, a Johanne Armaniaci comite aiunt fundatum eſſe. Sed in ſtemmate comitum illorum auctore Oihenarto, nullus occurrit Johannes ante ſeculum XIV. quo tempore jam a plurimis ſeculis exſtabat hoc cœnobium. Forte hic Johannes comes ab Oihenarto eſt omiſſus, ut pote qui minus cognitus. Hoc cœnobium non ſemel deſtructum & reſtauratum fuit. Eſt ſub parlamento Toloſano, ſeneſcallia Lectorenſi, & electione Auſcienſi. Sequentes duntaxat abbates ex paucis quæ ſuperſunt chartis eruimus.

ABBATUM SERIES.

Primus abbas nobis notus eſt Antonius, qui monaſterium reſtaurari cœptum a Guillelmo de Prehac abſolvit, anno circiter 1312.

II. G. abbas de Taſqua, interfuit concilio Nogarolienſi anno 1315.

III. Peregrinus de Geminos 1319.

IV. Michaël, 1343.

V. Petrus abbas moritur anno 10. Innocentii papæ VI.

VI. Raimundus eodem anno ſuccedit ex actis pontificii Avenion.

VII. Brunus, 1389.

VIII. Petrus interfuit anno 1397. capitulo generali Carcaſſonæ habito, cujus etiam definitor electus eſt, ex mſ. codice Caunenſi.

IX. Guillelmus I. de Oſſuno, 1414.

X. Bernardus I. de Serranto, 1410.

XI. Guillelmus-Bernardi II. 1473.

XII. Ogerius de Pardaillan, 1487. 1489.

XIII. Petrus I. d'Armagnac, electus & confirmatus poſſeſſionem adipiſcitur 10. Auguſti 1494.

XIV. Bernardus II. d'Armagnac poſſeſſionem iniit 1499.

XV. Petrus II. de Joyeuſe, 1547. 1560. 1563. Circa illud tempus heterodoxi duce Mongommerio abbatiam deſtruxerunt, & pene omnes pagi eccleſias.

XVI. Raimundus a Domina-ſancta abbas erat 1582. Ceſſit in gratiam Johannis Portet, 1585.

XVII. Johannes Portet 1590. ceſſit Arnaldo-Michaëli d'Armagnac.

XVIII. Arnaldus-Michaël d'Armagnac, 1606. reſignavit Michaëli d'Armagnac.

XIX. Guillelmus III. du Caſſe, per obitum Johannis Portet brevi regio donatus bullas obtinuit a Clemente papa VIII. datas Romæ IV. nonas Junii 1597. Poſtea ceſſit anno 1619. in gratiam Michaëlis d'Armagnac. Hinc colliges duos tunc fuiſſe apud Taſquam abbates, qui ambo jus ſuum in Michaëlem contulerunt.

XX. Michaël d'Armagnac poſt reſignationem Guillelmi du Caſſe, bullas obtinuit a Paulo V. anno 1619. quibus abbatia quam hactenus invaſerant commendatarii redditur regularis, eamque poſſedit uſque ad annum 1662. quo nepoti reſignavit.

XXI. Antonius de Monferran d'Armagnac, ex illuſtri baronum de Termes familia, præcedentis nepos per cujus ceſſionem brevi donatus regio 1662. poſſeſſionem adeptus eſt 1664. migravit a ſeculo 1691.

XXII. Natalis Gaillard de Chodean Aquiſſextiis natus, monachus Victorinus factus abbas de Taſqua 1691. transfertur ad abbatiam de Arulis in Ruſſinione 1702.

XXIII. Nicolaüs Symore de Soleng, patria Lugdunenſis, Maſſilienſis ſancti Victoris monachus, deſignatur a rege 1702. bullas accipit 1703. & eodem anno benedicitur. Hactenus præeſt abbatiamque funditus everſam reſtaurare cogitat.

ABBATIA BEATÆ MARIÆ SCALÆ-DEI, ordinis Ciſtercienſis diœceſis Tarbienſis.

SCala-Dei ordinis Ciſtercienſis diœceſis Tarbienſis, filia Morimundi, plurium abbatiarum fuit mater, præſertim in Hiſpania, ubi Sagramenia in diœceſi Segovienſi, Nianzebas in Caſtella, Mons-ſaluis diœceſis Conchenſis, Fiterra in diœceſi Tolerana, Verola in Tarraconenſi, Oliva in Pampelonenſi, Bugetum in veteri Caſtella, & in Gallia Portaglonium, & Flaranum filias Scalæ-Dei ſe profitentur. Ex ea prodiit imprimis S. Raimundus abbas Fiterræ auctor quinque militarium ordinum, Calatravæ, Alcantaræ, Avis, Monteſæ & Chriſti. Fundatur autem ante annum 1136. a Fortone de Vico, apud locum de Cabadur * in valle quam ſecat Aturus fluvius e ſummo Pyrenæi jugo fluens, quæ definit ad municipium Campanum famoſum ob butyri copiam, quod venale defertur in Occitaniam & Aquitaniam. Deinde anno 1141. favente Beatrice vicecomitiſſa Bearnii transfertur in locum ubi modo ſita eſt abbatia: cujus tranſlationis chartam inter inſtrumenta reperies n. VI. Hanc vero fruſtra quæſierat illuſtriſſimus vir P. de Marca, uti ait in diſſertatione de origine monaſterii Scalæ-Dei edita a Stheph. Baluzio inter ejuſdem opuſcula.

* ſic diſtum tanquam caput Auri fl.

p. 192. col. a.

ABBATUM SERIES.

I. Bernardus I. an. 1136. fratribus Boni-fontis locum in territorio Aſtaricenſi, ubi monaſterium ædificarent, conceſſit. Eo ſedente facta eſt monaſterii tranſlatio anno 1142. quo tempore plura ipſe acquiſivit variaſque donationes accepit. Notatur in charta abbatiæ de Criſta anno 1150.

II. B. * frater Odonis de Barta qui gaudens de fratris ſui adventu, qui poſtea Dei nutu ordinatus eſt abbas Scalæ-Dei, dedit monaſterio alodium ſuum in loco qui dicitur Luſtared in manu Willelmi Auſcienſis archiepiſcopi, & apoſtolicæ ſedis legati, & in manu B. fratris ſui.

* forte idem ac Bernardus.

III. Garſias Sancius 1158. 1162. & 1165. in chartis Gimundi.

IV. Guillelmus cui 1175. Bernardus de Niſano ſeipſum & quidquid habebat in villa de Gurga tradidit. Anno 1183. Garſias Mora impignorat decimam eccleſiæ de Salana. Eidem Guillelmo Bernardus-Raimundi Deſparros

Google

offert filium ſuum Bertrandum cum decimis quas habebat in eccleſia de Mazerolas. Ipſi etiam 1196. G. de Borz volente filia ſua Franca donat totum jus decimarum quod habebat in eccleſia ſancti Petri de Borz.

V. B. de Panaſſac ex chartis Boni-fontis, 1223.

VI. R. de Malo-leone, 1237. & 1244.

VII. A. Rodgerius de Mauleon, 1252. forte idem.

VIII. Brunellus d'Aurians ſive de Pories, præerat 1263. 1267. 1272. & 1276. quo anno illuſtris Eſquivatus comes Bigorræ, præſente A.* epiſcopo Tarbienſi donavit illi caſtrum ſeu villam de Bona-manſione. Præerat adhuc 1279. & 1284. quo teſtis fuit ceſſionis comitatus Bigorræ factæ inter manus ſeneſcalli Vaſconiæ, pro rege Anglorum. l. 9. hiſt. Bearn. c. 13. p. 835.

* R. Arnaldi.

IX. Augerius I. de Benac anno 1292. cum prælatis & proceribus Bigorræ ſcribit ad Philippum Francorum regem, in gratiam Conſtantiæ Bigorrenſis comitiſſæ: hiſt. Bearn. l. 9. c. 15. p. 841. Idem uſque ad annum 1305.

X. Augerius II. de Benac abbas Scalæ-Dei, in feſto ſancti Marci an. 1305. tranſigit cum Rogerio-Bernardo comite Fuxenſi Benearni vicecomite, &c. ex tabul. Palenſi litt. F. n. 10.

XI. Rogerius I. de Malo-leone, 1322.

XII. Augerius III. de Benaco, 1336.*

XIII. Rogerius II. de Malo-leone, tranſigit cum conſulibus de Artagamino 1338.

XIV. Arnaldus de Foiſſano abbas Bardi. electus eſt abbas Scalæ-Dei, anno 1339.

XV. Raimundus I. de Ferra 1380.

XVI. Raimundus II. tranſigit cum habitatoribus de Malo-vicino 1456.

XVII. Petrus 1477.

XVIII. Johannes I. de Mareſtagno 1478. 1479.

XIX. Thomas de Foix.

XX. Gaſpardus de Montpezat 1517. 1518.

XXI. Ludovicus d'Anjou * 1544.

* Johannes d'Ozon.

XXII. Johannes II. de Montiers epiſcopus Baionenſis 1561. 1564. Ceſſit 1567. in gratiam ſequentis.

XXIII. Raimundus III. de Courtrade per reſignationem præcedentis bullas accepit 1567.

XXIV. Petrus II. Sibert doctor theologus, canonicus & archidiaconus Catalaunenſis, regi ab eleemoſynis bullas accepit datas Romæ idibus Januarii 1574. Præerat etiam 1577.

XXV. Bertrandus de la Coſte in ſacra facultate licentiatus 1585.

XXVI. Bernardus II. Bataille baccalaureus 1588. forte idem qui in chartis ſancti Polycarpi anni 1602. legitur Bertrandus Bataille: facile enim fuit Bernardum ſcribere pro Bertrando, & vice-verſa.

XXVII. Bernardus III. de Sariac clericus Auxitanus bullis donatur III. cal. Junii 1616. Reperitur adhuc 1654. forte eſt idem ac Bernardus de Sariac epiſcopus Adurenſis qui hanc abbatiam poſſedit.

XXVIII. N. du Freſnoy abbas erat an. 1680.

XXIX. N. Caſtan deſignatur abbas Scalæ-Dei, menſe Aprili an. 1684.

XXX. Stephanus Bidal d'Aſfeld menſe Novembri 1690.

OLORENSIS ECCLESIA.

ILURO nunc Olero ad Gavum amnem urbs epiſcopalis ſub Auſcienſi metropoli, in Benearnenſi principatu, olim viceconitatus caput, intra ſenatus Palenſis fines, varia in antiquis ſcriptoribus habet nomina. Nam in itinerario Antonini appellatur Iluro: *Iter a Cæſar-Auguſta Benehar-*

* Laſcutim. *num* *, inquit, M. P. C. XII. (id eſt mille paſſus C. XII.) *ſic Forum Gallorum*, M. P. XXX. *Ebellinum* M. P. XXII. *Summum Pyrenæum* M. P. XXIV. *Forum ligneum* M. P. V. *Aspalucam* * M. P. VII. *Iuro-* * Aſpe. *nem* M. P. XII. *Benearnum* M. P. XII. In veteribus notitiis *civitas Elloronenſium*, vel *Elleronenſium*. In nonnullis *civitas Lurianenſium Elarona*, vel *Hellaronna*. In conciliis Galliæ *Eloro* & *Oloro*, *civitas Olorenſis*, aut *Olerenſis*. Hallucinantur autem qui Apollinarem Sidonium de lepuſculis Olarionenſibus loquentem ep. 6. libri VIII. interpretantur de lepuſculis in agro Olorenſi natis. Olario enim hic eſt Uliarus inſula in ſinu Aquitanico contra Santones, vulgo *Iſle d'Oleron*, de qua apud Plinium; quæ lepuſculis, hoc eſt cuniculis abundat.

Notit. Galliarum. *Sincerum*, inquit Hadrianus Valeſius, *& incorruptum nomen urbis* hujus eſt *Iuro*, vel *Illuro*, *ex quo poſtea factum eſt Eloro*, ſeu *Elloro*, *nonnumquam & Olero. Ex Eloro factum Eloronia & Elarona*, *ut ex Narbo Narbona*, *ex Barcino Barcinona*.

Oloronem urbem a Saracenis, qui ex Hiſpania profecti erant, vaſtatam fuiſſe anno 732. docet illuſtriſſimus ſcriptor hiſtoriæ Benearnicæ P. de Marca. Poſt hanc cladem aliam non minorem paſſa eſt hæc urbs, cum a Normannis exciſa eſt; quam Centullus IV. Benearni vicecomes inſtauravit, anno circiter 1080. juxta locum ubi eccleſia cathedralis jam conſtructa fuerat; cujus occaſione jam plurimæ excitatæ fuerant ædes; unde loco nomen Burgi S. Mariæ datum, ab illa ſcilicet eccleſia ſub Deiparæ Virginis patrocinio Deo conſecrata. Centullus exſtructis mœnibus palatium vicecomitum ædificavit, utramque ripam Gavi ponte junxit, portam urbis verſus Hiſpaniam alta turri munivit, condiditque eccleſiam parochialem S. Crucis. Ut vero novam urbem civibus frequentaret, incolis multa conceſſit privilegia & immunitates, jura paſcuorum, & lignationis in vicinis ſilvis. Multa paſſa eſt damna ſeculo XVI. a Calviniſtis, qui ea potiti ſunt tempore Gerardi Rufi epiſcopi, quo præſertim auctore & hortatore plerique cives a catholica fide defecerunt; favente tunc maxime hæreticis Navarræ regina. Nunc urbs eodem quo a Centullo condita eſt in loco ſa-

* Oſſeam. Aſpe. tis amœno viſitur, inter duos amniculos Oſſavum & Aſpam, * præter Gavum fluvium aliter Gaberum qui ab urbe quam alluit dicitur Gavus Oloronenſis, junctuſque alteri Gavo dicto Bearnenſi,

ANNI CHRISTI. nensi, seu Palensi influit in Aturum fluvium; urbs commercio, maxime cum Hispanis dives est. ANNI CHRISTI.

Antiquitatem episcopatus Iluronensis probant vetera Galliarum concilia, quibus ejus præsules adfuere. Episcopus primum se baronem Benearnii dicit, estque cum capitulo dominus illius partis civitatis, quæ olim B. Mariæ Burgus appellabatur. Capitulum constat duodecim canonicis, & archidiacono; adjutores ad officia divina octo *choristas* habent, qui ritulis carent. Exstat præterea Solæ sancti Engracii ecclesia collegiata, duodecim canonicos & unum sacristam habens. At qui præest capitulo, titulo abbatis gaudet in dioec. quæ patet in longum duodecim leucis, & totidem in latum: ubi sunt ducentæ circiter ecclesiæ parochiales. In urbe sunt conventus Minorum, Capucinorum, & virginum Urbanistarum, seu S. Claræ. Sedes habent Præmonstratenses Sarancii, Carmelitæ apud Salvam-terram, Capucini apud Malum-leonem, moniales Ursulanæ apud S. Mariam. Unica est in tota diœcesi abbatia sancti Vincentii de Luco, ordinis sancti Benedicti.

Indicem episcoporum Oloronensum (uti modo solent vulgo appellari) exhibet Arnaldus Oihenartus in sua Vasconiæ Notitia. Horum præsulum historiæ multum lucis attulit V. C. Petrus de Marca de rebus Bearnensibus scribens. Nostri Sammarthani plurima feliciter doctorum illorum virorum lucubrationibus addiderunt. Catalogum Claudii Roberti pene omiseramus, certe valde jejunum. Ad hanc vero novam historiam episcoporum Oloronensium compendiose scribendam non accedimus, nisi post inspecta & collecta plurima vetera monumenta ex quibus profecimus.

EPISCOPI OLORENSES.

I. GRATUS.

A

506. ANNO Christi quinto supra quingentesimum Alaricus Gothorum rex, quamvis hæreticus, indulsit ut episcopi catholici convenirent Agatham ac synodum celebrarent, in qua multa decreta sunt ad meliorem ecclesiæ constitutionem, ecclesiasticamque disciplinam resarciendam; cujus concilii pars magna fuerunt episcopi provinciæ Novempopulaniæ; undecim enim ad illud convenerunt, octo per se, & tres per presbyteros a se missos. Ex his autem qui interfuerunt fuit *Gratus episcopus de civitate Oloronc*; sic enim legitur in subscriptionibus. Carolus Cointius Grato subjicit Agrestium, quem vult esse illum episcopum *Toronnica* civitatis qui legitur in actis concilii V. Aurelianensis anno 549. misisse Vicalem presbyterum, ut vice sui canonibus in eo conditis subscriberet; autumatque pro *Toronnica* legendum *Eloronica*; seu *Loronica*; *neque enim*, inquit, *Toronnica civitatis ulla mentio est in descriptionibus Galliarum*. Eundem esse Agrestium conjicit qui legitur interfuisse synodo secundæ Parisiensi anno 551. dissimulato sedis quam obtinebat nomine. At vero per episcopum Toronnicæ civitatis vix dubitari potest intelligendum esse episcopum Turonensem; Turones enim etiam appellati sunt Toronis, Toroni. Et quidem optime notat Hadrianus Valesius in notitia Galliarum, ipsum Gregorium Turon. appellari episcopum *Toronacum*, apud Fredegarium; & in inscriptione libri IV. Fredegarii dici excerptum de chronico Gregorii episcopi *Toronaci*.

B

C

D

In subsidium tamen opinionis Cointii dici posset Gregorium Turonicum omnes suos antecessores in cathedra Turonensi accurate recensuisse, quorum dicit fuisse decimum-octavum S. Eufronium. At si Agrestio locum demus, plures invenientur. Certe mirum non videretur unum ex Turonicis episcopis qui ante Gregorium vixerunt, excidisse, cum in tot aliis erraverit. De sententia tamen Cointii judicium relinquimus prudenti lectori

II. LICERIUS.

Occasionem concilio Parisiensi quarto anni 573. dedit res insolita, scilicet ordinatio Promoti cujusdam presbyteri, quem Ægidius Remorum episcopus in Castro-Dunensi episcopum consecrarat, invito Pappolo Carnotensi episcopo, ad cujus diœcesim locus pertinebat. De hac usurpatione libellum obtulit synodo Pappolus. Episcopi vero in ea congregati, quos inter fuit Licerius *ecclesiæ Eloronensis episcopus*, deponendum exauctorandumque Promotum censuerunt; qua de re scripserunt ad Ægidium, ut Promotum ad se revocaret; simulque supplicarunt Sigeberto regi, ut Promoti causæ minime patrocinaretur. Utrique epistolæ, sive ad metropolitanum Remensem, sive ad regem scriptæ subscripsit Licerius. Adfuit etiam concilio Matisconensi secundo anno 585. 573. 585.

Post hunc episcopum quatuor pene integra secula nullum nobis suppeditant episcopum Olorensem, quod forte urbs fuisset destructa, totique regioni illata vastitas a barbaris.

Placuit tamen Claudio Roberto, cui facilius obsecuti sunt nostri Sammarthani, Abuntium episcop. qui interfuit concilio Toletano VIII. anno 653. subscripsitque ut episcopus Elborensis, præsulibus Ellorensibus accensere; quasi Elborensis, & Elorensis idem sonarent. Quidni ergo catalogo huic adhuc addiderunt Zozimum Elborensem antistitem subscriptum concilio Toletano X. anni 656. & Tructemundum qui in Toletano XII. anni 681. dicitur etiam sedis Elborensis episcopus, uti in XIII. anni 683. & in XV. anni 688. item Arcontium in synodo Toletana XVI. cum ejusdem episcopatus titulo notatum. Frustra tempus tereremus in aliis Hispaniæ conciliis evolvendis.

III. GUMBALDUS.

Gumbaldus dux & episcopus Vasconiæ, de quo jam non semel diximus, maxime in Vasatensibus episcopis, ea ratione fuit episcopus Olo-

ANNI CHRISTI.

ronensis, quod fere omnes obtinuerat sedes episcopales Vasconiæ, non ut ex iis ditaretur; erant enim ad extremam redactæ inopiam, sed ut eas restauraret ac redintegraret; tam ea qua pollebat potestate, quam auctoritate fratris sui Willelmi Sancii ejusdem Vasconiæ ducis. Vivebat circa annum 977.

977.

IV. Arsias Racha.

Arsiam in episcopatu Vasconiæ Gumbaldo successisse jam diximus in Adurensibus episcopis; quapropter dici quodammodo potest Olorensis episcopus. Vixit sub Willelmo Sancii duce.

V. Raimundus.

Idem debet esse judicium de Raimundo dicto Vetulo, qui diu quoque episcopatibus Vasconiæ præfuit; quapropter multatus est in concilio Tolosano anno 1056. ac eo fere tempore putamus datum fuisse Olorensi urbi singularem episcopum de quo nunc agendum.

1056.

VI. Stephanus.

Stephanus cum Austindo suo metropolitano, & comprovincialibus episcopis Johanne Lactorensi, ac Heraclio Bigorritano, adfuit anno 1060. concilio Iaccæ in Arragonia, in quo ritus precandi Gothicus, seu liturgia juxta Gothorum ritum abrogatur admitti turque Romana; uti ex nobili scriptore Surita mutuatum habetur tom. IX. Conciliorum Labbei. Signum apposuit chartæ Heraclii episcopi Tarbiensis, & Bernardi comitis, qua cœnobium SS. Liceril & Felicis dederunt Cluniacensibus, quam consule in Heraclio. Subscripsit quoque litteris Bernardi comitis Vasconiæ, pro fundatione monasterii Sancti-Montis IV. nonas Maii anni 1061. Idem Stephanus convenit ad celebrem dedicationem monasterii Moïssiacensis factam anno 1063. legitur enim in veteri de hac dedicatione & consecratione carmine:

1060.

tab. IV.

1063.

Elorens Stephanum, concessit & Adura Petrum.

VII. Amatus.

Amatus natione, ut aiunt, Benearnensis, patriæ suæ ac sedi Oleronensi plurimum splendoris attulit: propter egregias enim dotes Gregorius papa VII. eum legatum suum fecit non solum in Novempopulania & Aquitania, sed etiam in Gallia Narbonensi, & in Britannia, ut mox videbimus. Et quidem quantum ad Galliam Narbonensem, Gasconiam & Hispaniam, id probat epistola Gregorii ejusdem ad archiepiscopos, episcopos, abbates, reges, &c. quam primus edidit V. C. Stephanus Baluzius in notis & observationibus ad tom. II. de Concordia, postremo excusa in appendice ad tom. X. Conciliorum. His enim litteris summus pontifex eos certiores facit de potestate legati his in regionibus Amato data.

c. 1217.

Jam vero tum Amatus, ut legatus apostolicus, Pictavense indixerat concilium anno 1073. vel saltem 1074. nam initio anni 1074. Gregorius VII. ad Isambertum Pictavensem episcopum scribens, eum redarguit, quod interdictus a legatis apostolicæ sedis (unum ex ipsis postea indicat Amatum Ellorensem episcopum) officium episcopale usurpare præsumsisset; maxime vero quod eodem Amato legato, & Gozelino Burdegalensi archiepiscopo, cum aliis pro divortio Guillelmi comitis Pictavensis & consanguineæ ipsius faciendo congregatis, conventum illorum Isambertus per milites suos turbasset; qui perruptis monasterii quo episcopi convenerant foribus, in consessum irrumpentes, patres, in primis Amatum, *multa turpitudine dehonestaverant*, conviciisque ac verberibus affectos expulerant. Quamobrem summus pontifex Isamberto præcepit ut ante festivitatem S. Andreæ sedis apostolicæ tribunali se sisteret de his responsurus. Si accedere contenserit, eum non solum omni sacerdotali officio privat, sed etiam sacra communione. Epistola pontificia data est Tiburi IV. idus Septembris indictione XIII. incipiente, anno 1074. Guillelmum comitem Aldeardem consanguineam quam duxerat, dimisisse nos docet alia ejusdem papæ epistola, iisdem die & anno scripta, qua laudat præfatum comitem, quod ab ipsius societate recedendo sedi apostolicæ sit obsecutus.

3074.

Ep. 3. lib. II.

Nobilissima legatione functus est in Hispania cum abbate sancti Pontii Tomeriarum missus, anno 1077. ut jura ecclesiæ Romanæ Saracenorum invasione amissa; censusque per reges & principes pensitari solitos, restitui curaret, quod a Sancio Ramire Arragonum rege impetravit. Celebravit quoque Gerundæ concilium, & in castro Besalu cum episcopis Agathensi, Carcassonensi, & Elnensi, in quo excommunicavit Wifredum Narbonensem metropolitanum.

1077.

Fr. Diego. hist. com. Barcin.

Anno 1079. Gregorius scripsit ad Centullum vicecomitem Benearnensem Bigorrensemque comitem, præmissisque laudibus ob justitiam, quam colebat, pacem quam propagabat, pauperum curam quos defendebat, eum hortatur ad dimittendam Beatricem consanguineam suam, quam duxerat, & ad pœnitentiam agendam. Suadet autem ut Amati Elorensis episcopi, & Bernardi Massiliensis abbatis ejus in legatione collegæ utatur consilio.

1079.

l. VI. ep. 28.

Eodem anno papa controversiam inter abbates S. Crucis Burdegalensis, ac S. Severi in capite Vasconiæ Amato commisit dirimendam cum Hugone Diensi episcopo, sedis apostolicæ quoque legato; ante omnia jubens restitui abbati S. Crucis, quæ injuste ablata fuerant; ut postea canonicum & legale foret judicium: ex apicibus videlicet juris, spoliatus est restituendus. De illa diutina lite mota pro ecclesia B. Mariæ de Solaco, egimus in Arnaldo d'Estios abbate S. Severi, epistolamque Gregorii papæ ad eundem commemoravimus.

l. VI. ep. 24.

Non est silentio prætereunda legatio in Britanniam, quam suscepit Amatus, de qua ita scripsit Gregorius eodem anno 1079. VIII. calend. Decembris: *Volumus atque præcipimus ut legatum nostrum, Amatum videlicet Olorensem episcopum cui vicem nostram in partibus vestris commisimus, studeat vestra fraternitas reverenter convocare; & ut, illo agente, synodale concilium congregetur, ubi cum aliis quæ ad salutem pertinent animarum, etiam*

ANNI CHRISTI.

de pœnitentia conſultatione vigilantius pertractetur: nempe falſæ illic pœnitentiæ conſuetudo inoleverat, ut abſque ceſſatione peccandi pro peccato crederent ſatis facere ſe poſſe.

Amatus anno 1080. præfuit concilio Santonenſi. Anno 1081. indict. IV. menſe Januario III. idus comprobavit cum Hugone Dienſi epiſcopo, ſuæ legationis collega, donum quod Cluniacenſibus eorumque abbati Hugoni fecerat de Santonenſi S. Eutropii eccleſia Willelmus comes Pictav. & totius dux Aquitaniæ; ex chart. Cluniacenſi. Eodem anno, in ſynodo Exoldunenſi confirmavit ſua ſubſcriptione donationem eccleſiæ ſancti Martini de Campis, prope muros civitatis Bituricenſis, quam Richardus archiepiſcopus Bituricenſis ceſſit majori monaſterio. Anno 1088. aſcendit cathedram Burdegalenſem, ex qua ut ex editiore loco virtutes ejus & dotes ſplendere magis ac magis viſæ ſunt.

1081.

1088.

VIII. Odo.

Odo ex abbate ſancti Petri Genetenſis, cujus abbatiæ titulum retinuiſſe creditur, factus eſt epiſcopus Olorenſis. Anno 1095. convenit ad ſynodum Placentinam, in qua privilegio Urbani papæ II. pro S. Ægidio ſubſcripſit. Anno ſequenti eccleſiam Generenſem conſecrari fecit magna pompa menſe Octobri; adfuerunt enim & ſacris operam dedere Willelmus Auſcienſis metropolitanus, Bernardus Bigorrenſis epiſcopus, Sancius Laſcurenſis, Bernardus Aquenſis. Convenerunt etiam Beatrix Bigorræ comitiſſa, Gaſto Benearnenſis vicecomes, Altanova comes Fidentiacenſis *, Augerius vicecomes de Miro-monte, & alii quam plurimi nobiles. Interfuit concilio Burdegalenſi ſub Amato archiepiſcopo & ſanctæ ſedis legato. Memoratur in charta Sancii Laſcarienſis epiſcopi, data anno 1101. ubi agitur de canonicorum Oloronenſis capituli reformatione. Chartam hanc edidit P. de Marca lib. v. cap. 9. hiſt. Benearn.

1095.

Tabul. Laſc.

* Fontfroide

1101.

IX. Rogerius I.

Rogerius de Sentes, Raimundi Aquenſis, & Stephani Vaſatenſis epiſcoporum, ut nonnulli volunt, frater, legitur Odonis ſucceſſor in charta Aquenſi. Teſtis fuit donationis a Gaſtone vicecomite Benearnenſi, annuentibus Taleſa uxore & Centullo filio, factæ cuidam xenodochio; ſed notæ temporis ſunt corruptæ, ut probat Petrus de Marca. Controverſiam habuit pro dominio pagi Solenſis & aliis cum epiſcopo Aquenſi. Præſul enim Aquenſis cauſabatur Amatum epiſcopum Olorenſem, poteſtate legati fretum, multa loca ad Aquenſem eccleſiam pertinentia pervaſiſſe. Aquenſis tunc epiſcopus erat Raimundus de Sentes, qui dicitur frater noſtri Rogerii. At vix mihi perſuadeo inter duos fratres vehementiorem hanc motam eſſe controverſiam; unde facile adducor ut credam Raimundum & Rogerium ad ſummum fuiſſe conſanguineos.

Prætermitti non debet Rogerium curaſſe fieri quandam arcam ligneam, veſtitam laminis argenteis fabrefactis, ad recondendum Domini noſtri corpus. In circuitu arculæ hi verſus leguntur.

Res ſuperimpoſitas commutat Spiritus almus.
Fit de pane caro, ſanguis ſubſtantia vini.
Sumta valent animæ pro corporis atque ſalute.
Danatur in hac menſa ſanguis, caro, potus & eſca, &c.

Hæc nos docet V. Cl. P. de Marca qui & vidit & legit.

Lib. v. hiſt. Bearn. pag. 409.

X. Arnaldus I.

De Arnaldi epiſcopatu certos nos facit charta monaſterii Lucenſis ſeu S. Vincentii de Luco, quæ exhibet compoſitionem factam inter abbatem & monachos, ac Raimundum Seguinum cui Gaſto vicecomes favebat. Ut enim finis imponeretur litibus, rixis & contentionibus, ad hoc ventum eſt, conſiliis bonorum virorum, ut darent abbas & ſeniores eidem Raimundo CCC. ſolidos de Morlaas, & LXVI. ſolidos ad vicecomitem, & decem vaccas prægnantes. *Facta eſt hæc charta anno ab incarnatione Chriſti* M. C. XIV. *exiſtente eodem principe Gaſto, epiſcopo Arnaldo in ſede Oloronenſi, epiſcopo Guidone in Laſcurrenſi.* Memoratur idem epiſcopus in alia compoſitione facta XVI. calendas Februarias, luna V. æra M. C. LXVI. præſide Cetitullo in Bearno ſub patre Gaſtone, Laſcurri præſule Guidone, Oloroni Arnaldo pontifice, anno Domini M. C. XXVIII. V. C. Petrus de Marca l. v. hiſt. Bearn. c. 19. profert chartam cujuſdam donationis factæ in manu Raimundi Laſcurrenſis epiſcopi, & Arnaldi epiſcopi Olorenſis, anno, ut ceniet vir doctiſſimus, 1147. in qua putamus agi de Arnaldo I. non de ſecundo; ubi enim de hoc agitur, ſimul dicitur prior Morlanenſis, & epiſcopus Olorenſis.

Hiſt. Bearn. l. v. c. 7.

1114.

Ibid. c. 21.

1128.

1147.

XI. Arnaldus II.

Alter hic Arnaldus Oloronenſis epiſcopus; antea Sorduenſis abbas, ut quidam volunt, fuerat, ſimulque prior ſanctæ Fidis Morlanenſis ordinis Cluniacenſis. Ejus nomen cum titulo epiſcopi non occurrit nobis ante annum 1150. quo legitur in charta fundationis prioratus de Orduos, facta anno præfato menſe Maio feria VI. luna XI. epacta XIV. concurrente III. indictione VII. regnante Ludovico rege Francorum; Guillelmo comite Pictavenſi duce Vaſconiæ, Willelmo Auſcienſi archiepiſcopo, Arnaldo-Guillelmi Aquenſium, Arnaldo Oloronenſi epiſcopo. Teſtes fuerunt A. Bunio abbas Sorduenſis, &c.

Marca p. 441.

1150.

Anno 1154. primum locum obtinuit in frequenti cœtu coacto ad electionem Raimundi comitis Barcinonenſis in dominum, ut nos docet publicum inſtrumentum de hac electione quod ex tabulario Barcinonenſi eruit vir illuſtr. P. de Marca, dignum ſane quod hoc loco referamus: *Anno ab incarnatione Domini* M. C. LIV. *mortua vicecomitiſſa Bearnenſi nomine Gaſcarda; in menſe Aprilis, convenere in unum apud Campum-franchum omnes illius terræ proceres, videlicet epiſcopi venerabiles Olorenſis & Laſcurrenſis, cum abbate ſancti Severi de Gaſchonia, & Fortanerius d'Eſchot, Raimundus de Dumi, Raimun-*

Hiſt. Bearn. l. v. c. 34. pag. 405.

1154.

ANNI CHRISTI.

dus-Garſias de Gavaſto, Raimundus-Arnaldus de Gerderes, Gasardus de Morlana, Arnaldus d'Alaçchun cum magna multitudine Bearnenſium ſcilicet, ac Morlanenſium, & Aſpenſium, atque Orſalenſium, ante præſentiam inclyti Raimundi comitis Barcinonenſis, Aragonenſium principis, qui omnes tam per ſe, quam per illos qui decerant, ditioni & dominio comitis jam dicti ſe ſupponentes, fecere ei hominium, ſacramenta, & fidelitates, eligentes eum ſibi in dominum & rectorem, ſalva fidelitate filiorum Petri vicecomitis Bearnenſis olim defuncti. Facta fuit hæc charta apud Campum-franchum, in præſentia Petri comitis Bigorræ, & multorum nobilium inibi pariter aſſiſtentium, in menſe Aprilis, in era milleſima centeſima nonageſima ſecunda; in primis Arnaldus epiſcopus Olorenſis, Raimundus epiſcopus Laſcurrenſis, Raimundus abbas ſancti Severi de Gaſchonia, &c.

Eodem anno 1154. Arnaldus cum conſilio Raimundi Laſcurrenſis epiſcopi, conſenſuque Guiſcardæ vicecomitiſſæ, conceſſit fieri ſacellum in domo hoſpitali Morlanenſi, rogante nobili femina Juliana, *quæ ſe ibi devoverat pauperibus & peregrinis, dum viveret, ſervitutem.* In ſuis ea de re litteris, quas damus, ſe dicit epiſcopum Olorenſem, priorem Morlanenſem, & monachum Cluniacenſem.

Ch. I. pag. 195. col. 2.

XII. P.

In concilio Vaurenſi a trium provinciarum epiſcopis & metropolitanis celebrato, an. 1168. in feſto Pentecoſtes recenſetur P. epiſcopus Oloronenſis. Cetera vero de illo nos latent; ut etiam genuinum ejus nomen ignoremus.

XIII. Bernardus I.

Bernardus quem noſter D. Cl. Eſtiennot, abbatem fuiſſe ſancti Petri Generenſis, anno 1170. docet, cognominatumque de Sadiraco, paulo poſt provectus eſt ad epiſcopatum. Ejus meminit Surita in hiſtoria Arragon. tanquam teſtis hominii quod Maria vicecomitiſſa præſtitit Ildefonſo Arragonum regi. Id autem factum eſt anno 1180. ſeu æra 1218. Bernardus etiam eidem regi exhibuit hominium *. Idem legimus factum a Mariæ marito Guillelmo de Monte-catano, (Moncade) nobili viro, e primaria gente principatus Caraloniæ; cui Maria ſoror Gaſtonis vicecomitis Bearnenſis & heres (obierat enim ſine liberis) invitis proceribus nupſerat. Quod indigne ferentes optimates & populi; maxime quia Hiſpano Ildefonſi regis ſubdito nubens, Bearnium ſimul imperio regis ſubjecerat, præſtito de ſuo vicecomitatu hominio, ejus jugum excuſſerunt. Rem narrat V. C. Petrus de Marca, l. VI. cap. 6. cui immorari diutius noſtri inſtituti non eſt.

Lib. 1. 1180. Hiſt. Bearn. l. VI. c. 5.

Bernardus adfuit anno 1179. concilio Lateranenſi, & anno ſequenti dedicationi eccleſiæ Moiſſiacenſis. Anno 1181. Gaſtoni de Montecatano, vicecomiti Benearnenſi filio Guillelmi, & Mariæ de quibus jam diximus, *aſſidebat*,

1181.

* Ex forma hominii a Bernardo præſtiti facile probatur eum tunc fuiſſe ſimul abbatem ſancti Petri Generenſis, nam fide data & ſacramento confirmata, ratione ſui epiſcopatus, excipit abbatiam Generenſem, & quæ ad ipſam pertinent, quod non eſſet in Olorenſi epiſcopatu.

quando confirmavit omnia quæ à majoribus ſuis conceſſa fuerant Silvæ-majori, & prioratui de Gavarreto (*Gavardan*) in quibus legitur *Caldaria judiciaria cum marmore; ita quod in toto archidiaconatu non habeatur niſi ibi tantummodo.* Diplomatis dati anno 1181. teſtes ſunt Arnaldus-Guillelmi de Marſiano, Odo de Cadalon, Garſias-Arnaud de Navailhas, Arnaldus de Codaraſa, &c. Occurrit in charta Silvælatæ anni 1190. & in conventione Gaſtonis vicecomitis Bearnenſis anni 1205. cum Raimundo-Garſia filio G. Arnaldi caſtri de Navalhas toparchæ, ex tabulario Laſcurrenſi.

ANNI CHRISTI. 1190.

1205. Hiſt. Bearn. p. 506.

XIV. Bernardus II.

DE MORLANS.

Præfuit hic epiſcopus difficillimis temporibus, Gaſtone Benearnii vicecomite, qui defecerat ad partes comitis Toloſani & hæreticorum Albigenſium, multa eccleſiæ Oloronenſi damna inferente. Attamen initio epiſcopatus Bernardi, beneficum ſeſe huic exhibuerat eccleſiæ, ut probat ejuſdem diploma, cujus hic tenor eſt: *Ego Gaſto vicecomes Bearnii & comes Bigorræ dedi Deo & eccleſiæ Olorenſi, quod quicumque meorum hominum, militum vel ruſticorum, in eodem epiſcopatu conſiſtentium, aliqua ad jus eccleſiaſticum pertinentia, ut decimas & hujuſmodi dare voluerit Oloronenſi eccleſiæ, dandi liberam habeat facultatem, meo dominio non obſtante: idem a meis jubeo poſteris obſervari. Hoc autem factum eſt, quia quidam hereditario jure eccleſiam de Aren meo freti auxilio uſurpabant, & conſtaret illam fore propriam Olorenſi eccleſiæ, prius acceptam in pignore ab Arn. Garſia de Aren, deinde adquiſitam titulo donationis. Pro qua tamen dederant epiſcopus & canonici eidem Arnaldo-Garſiæ & filiabus ejus, ducentos & decem ſolid. Morlan. & jam poſſederant eccleſiam 68. annis, quando iſtigium hoc incæpit, &c. Actum publice apud Orteſium, præſentibus epiſcopo Laſcurrenſi, R. G. de Nouailles, W. Od. d'Andonhs, R. de Coarraſa, verbi incarnati anno 1209. tertio nonas Junii, B. de Morlane regente eccleſiam Olorenſem.*

Chart. Olor.

Sed poſtea Gaſto inita cum fidei hoſtibus ſocietate multa eccleſiis damna intulit; pro quibus pœnas dedit, ſuis pulſus ditionibus. De illarum reſtitutione Gaſtoni facienda Petrus Arragonum rex ſcripſerat ad Vaurenſe concilium celebratum anno 1213. circa feſtum Dominicæ Apparitionis, inquit Petrus Vallis-Sarnenſis, hoc eſt Epiphaniæ; ad quam ita reſponſum ex parte concilii: *Poſtulatis inſuper & rogatis pro Gaſtone de Bearno, ut reſtitueretur ad terram ſuam, & ad fidelitatem vaſſallorum ſuorum; ſuper quo vobis taliter reſpondemus. Ut alia multa, immo potius infinita, quæ in ipſum Gaſtonem dicuntur, ad præſens ſilentio tranſeamus, confœderatus tamen hæreticis, & receptatoribus ſeu defenſoribus eorum contra eccleſiam & Signatos (cruce) eſt eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum manifeſtiſſimus perſecutor. Venit in auxilium Toloſanorum ad obſidionem Caſtri-novi. Interfectorem Fr. P. de Caſtro-novo apoſtolicæ ſedis legati habet ſecum. Ruptarios diu tenuit atque tenet. In anno præterito ruptarios in cathedralem eccleſiam Ole-*

ANNI CHRISTI.

ronis induxit, ubi amputato fune de quo pendebat A pixis continens corpus Domini nostri Jesu Christi in terram decidit; & quod nefas est dicere, ipsum corpus Dominicum est per terram expensum. Transgressus juramenta, manus in clericos violentas injecit, &c.

Sed paulo post cæsis in prælio Muretano fugatisque comite Tolosano, Petro Arragonum rege, comitibus Fuxensi & Convenarum, ac aliis comitis Tolosani sociis, attritisque Albigensium viribus, Gasto, ut interim de aliis principibus sileamus, ad misericordiam Innocentii papæ III. confugit, obtulitque facere satis; quod B & præstitit; statimque absolutus est a Bernardo de Morlana Oleronensi episcopo, ut docent ejusdem principis litteræ quas ex chartario Olorensi descriptas a V. C. Petro de Marca, dedimus inter instrumenta. Anno 1214. Bernardus

Ch. II. pag. 157 col. 2.

iste testis nominatur in charta Silvæ-latæ, qua Gasto vicecomes largitur aut confirmat tres casales, scripto dato apud Moneins III. non. Febr. 1214. Præsens fuit solemnitati nuptiarum Petronillæ comitissæ Bigorrensis cum Guidone

1216. comite apud Tarbiam 1216. recenseturque in

* al. Monez Catani.

actis testamenti Guillelmi-Raimundi Moncatæ* vicecomitis Bearnii apud Oloronem, XIII. cal. C

1223. Martii 1223.

XV. R.

In tabulis S. Severi designatur more tunc recepto quidam Oloronensis episcopus sola priori littera nominis, scilicet R. ad annum M.CC.XXXI.

1231. quo videlicet Amanevus Auxitanus metropolitanus cum ipso finem imposuit cuidam controversiæ inter A. (Arnaldum) Aduriensem episcopum, & A. Lascurrensem præsulem S. Severi provisorem seu abbatem, ortæ pro nonnullis ejusdem monasterii juribus. Adfuit quoque huic judicio H. (Hugo) Bigorrensis præsul. D

XVI. Petrus I.

Hist. Bearn. l. VII. c. 12.

Petrus donationem Petronillæ comitissæ Bigorrensis, factam Mathæ filiæ suæ, uxori Gastonis Bearnensis vicecomitis, probavit apud

1150. castrum Montaner, anno 1150. cum Raimundo abbate Scalæ-Dei, ut est in chartario Palensi.

1254 Vixit & anno 1254. inquiunt Sammarthani fratres.

XVII. G.

Hac priori nominis littera designatus invenitur episcopus quidam Oloronensis anno 1255. uti docet Oihenartus; forte Geraldus, aut potius Guillelmus. In sancti Severi necrologio notatur calendis Maii obiisse Guillelmum episco- E pum Oloronensem, sancti Severi monachum.

XVIII. R.

1256. Anno 1256. die sabbati post festum Exaltationis S. Crucis, Rogerius comes Fuxi & vicecomes Castri-boni compromissarius, arbitrator seu amicabilis compositor electus a Gastone Bearnii vicecomite, & ab Esquivato comite Bigorrensi, qui de plurimis altercabantur, sententiam protulit; præsentibus & adstantibus Bertrando Lascurrensi, Navarro Aquensi, & R. Oloronensi episcopis, Odone de Andons, Bernardo domino de Caudarasa, Raimundo-Gar-

sia de Levitano, Arnaldo-Guillelmi de Barbazano. Per episcopum vero R. Oloronensem, Oihenartus intelligit Rogerium, P. de Marca vero Raimundum.

ANNI CHRISTI.

Lib. VII. Hist. Bearn. c. 12.

XIX. Compainhus.

Sedebat jam anno 1260. quo testis fuit cum 1260. G. Lactorensi, quorumdam pactorum inter Simonem comitem Licestriæ, & Esquivatum de Chabanes, Bigorræ comitem (instrumentum hoc exhibet V.C.P. de Marca l. IX. hist. Benear. c. 13.) adfuitque conventui habito apud Montem-martianum, 1268. cum archiepiscopo Auscienſi, episc. Aduriensi, Tarbensi, & Lactorensi, ubi Constantia vicecomitis Gastonis nata emancipatur. Delegatus est cum Bernardo abbate de Luco, & magistro Guillelmo-Raimundi a Gastone vicecomite Benearni, ad Lucam de Chanap senescallum Vasconiæ, ad abbatem & totam curiam sancti Severi, ut vicecomitis nomine significarent ob illata ab Angliæ rege gravamina vicecomitem ad dominum regem Franciæ appellasse tabulis scriptis apud Ortesium die 18. Octobris anni 1273. Anno 1279. adfuit concilio Auscienſi, in quo pro defensione jurium ecclesiæ Vasatensis, scripserunt præsules inter quos Compainhus nominatur, ad Eduardum Angliæ regem & ducem Aquitaniæ. Sedit usque ad annum 1283. ex Oihenarto; sed quin- 1283. que anni addendi videntur huic numero; nam anno 1288. testis fuit hominii exhibiti Constantiæ Bigorræ comitissæ die 1. Septembris, ut lego l. IX. hist. Bearn. c. 13. sed mendum suspicamur in nota temporis & pro 1288. legendum esse 1283. Hunc errorem emendat P. de Marca paulo post in notis chronicis alterius hominii eidem Constantiæ præstiti pene eodem tempore ubi pro 1288. legitur 1283. In quodam transsumto hujus hominii ex thesauro regio Chart. Paris. vitiose legitur an. 1293. pro 1283.

XX. Bernardus III.

Hunc episcopum consignant Oihenartus & Sammarthani ad annum 1288. nullis prolatis testimoniis quibus id probetur. At ejus nomen in indice veteri nobis occurrit addito cognomento de Mota.

XXI. Gaillardus.

de Lebuit al. Labuz.

Gaillardus instituitur curator testamenti Gastonis Benearnensis vicecomitis, in his quæ spectabant ad Benearnensem vicecomitatum, tractus Montanerienſem & Brulesiensem, ac Gavarretum, cum episcopo Lascurrensi, abbate Lucensi, &c. Porro testamentum hoc confectum est paulo ante mortem Gastonis, quæ contigit in festo sancti Marci die 26. Aprilis anni 1290. Unus fuit ex episcopis provinciæ 1290. Auxitanæ, ad quos Angliæ rex misit epistolam de recuperanda Vasconia datam die 10. Julii anni 1294. de qua vide in Amanevo archiepiscopo Auxitano. Obiit die Veneris majoris hebdomadæ, anni 1308. 1308.

XXII. Petrus Raimundi.

Ex schedis mecum communicatis, quidam Petrus-Raimundi Oloronensis episcopatus regi-

men iniit an. 1309. juſſu Clementis papæ quinti. Paulo ante abbatiam ſancti Severi Aduenſis diœceſis rexiſſe dicitur. Ipſa charta ſancti Severi ex qua iſte epiſcopus reſtituitur, aſſerit non diu epiſcopatum Olorenſem Petrum tenuiſſe; nam ſtatim a ſummo pontifice multis negotiis impedito vocatus fuit, & 23. Decembris anni 1312. cardinalis creatus eſt, obiitque Avenioni 19. Julii 1317. In abbatibus ſancti Severi occurrit Raimundus factus cardinalis qui obiit etiam anno 1317. qui videtur idem ac epiſcopus Oloronenſis.

ANNI CHRISTI.

XXIII. Guillelmus-Arnaldus.

Hic memoratur in quodam eccleſiæ Oloro-
1316. nenſis inſtrumento anni 1316. ut legimus apud Oihenartum, cui conſentiunt Sammarthani Fratres. Ex ſchedis ad me miſſis electus eſt anno 1310. ac paulo poſt confirmatur & conſecratur.

XXIV. Arnaldus III.

Valen-sun.

Arnaldus quem Valenſunum cognominant Oihenartus & Sammarthani, juxta eruditos
1324. illos ſcriptores ſedit ab anno 1324. ad 1341.

Ad concilium provinciæ Auſcitanæ apud
1329. Marciacum celebratum an. 1329. die feſto S. Nicolai hyemalis venit, cum aliis multis epiſcopis & abbatibus. Idem quoque interfuit comitiis curiæ majoris Bearnii convocatis in lo-
1337. co de Buſi, vallis Urſi-ſaltus 1337. cum epiſcopo Laſcurrenſi, & baronibus, uti liquet ex veteri regiſtro.

XXV. Bernardus IV.

Bernardi electio ſeu promotio inſcribitur
1342. Vaticani regiſtris ad annum 1342. Aliunde compertum eſt, ſcilicet ex veteri inſtrumento, ipſum cathedram tenuiſſe anno 1343. In veteri inſtrumento Bernardus, vel Bertrandus, (legi-
1345. tur *Berdus*) epiſcopus Oloronenſis anno 1345. auctoritate ſedis apoſtolicæ ſancivit ut in eccleſia Laſcurrenſi plures canonici non eſſent quam quindeni.

Stiron.

XXVI. Petrus II.

Petrus Eſtironus (cognominatus apud Oihenartum Sammarthanoſque Eſquironus) ordi-
1347. natus fuit die 3. Junii 1347. deinceps uſque
1369 ad annum 1369. Oloronenſibus populis jus divinum dixit. Idem eſt qui in libro obituum eccleſiæ Laſcurrenſis legitur Petrus de Stirono, ubi ejus obitus notatur die quarto Decembris.

Assatus.

XXVII. Guillelmus.

Guillelmus Aſſatus creatur epiſcopus die 3.
1371. Junii anni 1371. adhucque ſedebat anno 1375.
1375. uti legimus apud Oihenartum & Sammarthanos; neque enim alibi de eo quidquam invenimus.

Villasonquis.

XXVIII. Orgerius.

Orgerius (forte Rogerius) Villeſonques, in memorialibus ab illuſtriſſimo epiſcopo nunc ſedente datis, ex abbate Leunſii diœceſis Baionenſis electus eſt epiſcopus Oloronenſis an-
no 1378. ad quod probandum adducitur teſtimonium chartæ Dei-Villæ (Du Vielle) abbatiæ diœceſis Aquenſis.

XXIX. Sancius I.

Sancius ex monacho epiſcopus factus, præſens fuit ſacramento Matthæi comitis de Fuxo, vicecomitis Bearnenſis, in cœnobio Dominicanorum Orteſii 1393. coram baronibus cu-
1393. riæ-Majoris præſtito; ſucceſſerat hic princeps Gaſtoni cognomento Phœbo cognato ſuo, qui obierat ſine liberis [a] anno 1390.

XXX. Arnaldus Willelmi.

Docent nos Oihenartus & Sammarthani epiſcopum hunc in Oloronenſi cathedra ſediſſe anno 1399. Cetera quæ ad ejus pontificatum
1399. ſpectant nos latent.

Apud Oihenartum Petrus archiepiſcopus Auſcienſis, adminiſtrator perpetuus eccleſiæ Oloronenſis, ponitur anno 1407. Sammarthani vero dicunt hunc Petrum adminiſtratorem Oloronenſem fuiſſe ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini; cui aſſignant etiam annum 1407. In notis Fratrum Sammarthanorum, quas novæ editioni Galliæ Chriſtianæ addere cogitabant, legi Petrum hunc anno 1415. in feſto ſanctiſſimæ Virginis aſſumtæ miſſam ſolemnem celebraſſe coram concilii Conſtantienſis patribus, & anno 1417. in eodem ſediſſe. Hujus Petri meminerunt Joſephus Pamphilus, chartæ quædam regii tabularii, & Philippus Eiſſius Belga Auguſtinenſis familiæ, in Auguſtiniano encomiaſtico.

Quod ſpectat ad Oihenarti ſententiam, prorſus rejicienda eſt; nam anno 1407. archiepiſcopus Auxitanus Petrus non vocabatur. Præterea hoc anno conſtat Sancium, de quo mox agemus, fuiſſe Oloronenſem epiſcopum. Eadem ratio probat Petrum a Sammarthanis admiſſum prorſus rejiciendum aut ſaltem loco movendum.

Mullerii

XXXI. Sancius II.

Sancius Mullerius ex ordine religioſo procul dubio aſſumtus fuerat; nam ejus vicarius generalis eccleſiam ſancti Martini Johanni de Borda regendam commendans, ad præſentationem Bernardi Sorduenſis abbatis, ejuſque conventus, vicarium ſe dicit *fratris Sancii Oloronſis epiſcopi*, ex tabulario Sorduenſi. Inſtrumentum hoc factum eſt calendis Martii an. D.
1406. quo etiam legitur in charta ſancti Vin- 1406.
centii de Luco. Ab hoc vero tempore Sancius ſedit uſque ad annum 1414. ſaltem quo ad- 1414.
fuit ut orator comitis Fuxenſis. Hic epiſcopus ſcripſerat in libros IV. Sententiarum, cujus opus MS. aſſervatur in bibliotheca Fratrum Prædicatorum Toloſæ cum hac epigraphe:

Iſte auctor fuit ordinis Prædicatorum, regens hujus conventus, anteceſſor in academia Toloſana, nuntius domini comitis Fuxenſis in concilio Conſtantienſi, & tandem epiſcopus Oloronenſis. Obiit in ſuo munere paſtorali anno Domini 1414.

[a] Duxerat Agnetem Philippi Ebroïcenſis & Johannæ Navarræ reginæ filiam, ex qua ſuſceperat Gaſtonem ſine liberis mortuum. Sed alios filios, ut aunt, naturales genuerat, Bernardum ducem Medina-Celi, Johannem, Gratianum,

Google

ANNI CHRISTI. D'Espagne.

XXXII. Arnaldus-Raimundi.

1420. 1438. Arnaldus-Raimundi d'Eſpagne, Rogero domino Montiſpani ſeneſcallo Toloſæ, ex Clara de Acro-monte genitus, memoratur in actis publicis epiſcopus, annis 1420. 1436. & 1438. in charta Sorduenſi.

His autem repugnat quod nos docent memorialia nobis ab illuſtriſſimo epiſcopo ſubminiſtrata; nimirum ab anno 1426. ad 1432. Raimundum-Gerardum d'Orbinac Oloronenſem obtinuiſſe cathedram, ex charta S. Crucis Burdigal. Certe Oihenartus locum non dat Arnaldo-Raimundi niſi anno 1436. Sed eodem anno ex iiſdem memorialibus Andreas hactenus ignotus hiſtoricis memoratur teſtis in inſtrumento ſacramenti præſtiti a Gaſtone Bearnenſi vicecomite, in refectorio Fratrum Prædic. Ortheſii, coram optimatibus provinciæ. Quin etiam ibidem legitur Michaëlem Sedirac ex antiqua proſapia Sediracenſi, conjunctæ nobili familiæ de Sanſons, epiſcopatum Olorenſem rexiſſe hoc ipſo an. 1436. ex charta abbatiæ Exienſis in dioceſi Aginnenſi. Ita ut ad ſolum fere annum 1438. quo Arnaldus-Raimundi nobis occurrit in tabula Sorduenſi, aſſignari poſſit ipſius epiſcopatus, quem in citatis memorialibus lego productum ad annum 1450.

De Fondaera, *f.* Faudoas.

XXXIII. Garsias I.

1453. Garſiam de Fondaëra epiſcopum Oloronenſem anno 1453. repræſentat vetus inſtrumentum abbatiæ ſancti Vincentii de Luco.

1461. Anno 1461. menſe Julio confirmavit auctoritate pontificia, ſtatuta collegii Fuxenſis Toloſæ fundati a Petro cardinale Fuxenſi. Ex ipſo & ſequenti unicum fecerunt noſtri Sammarthani, quibus nota non erant inſtrumenta quæ inſpeximus & exploravimus.

De la Mota.

XXXIV. Garsias II.

Garſiæ de Mota notitiam hauſimus ex tabulario ſanctæ Crucis Burdigalenſis, ubi legimus Petrum de Fuxo Navarræ *infantem* ſedis apoſtolicæ protonotarium, abbatiarum S. Savini & ſanctæ Crucis Burdigalenſis adminiſtratorem Papiæ conſtitutum, vicarium generalem pro iis monaſteriis creaſſe anno a nativitate

1467. Domini 1467. die 31. Julii, Garſiam de Mota Oloronenſem epiſcopum. Eodem anno locum habet in inſtrumento ſancti Savini. Itaque ad hunc pertinet Garſiam, quod de alio ad annum 1471. dicitur in Gallia Chriſtiana quadri-

1473. partita; & anno 1473. legitur in tabulis ſancti Vincentii de Luco, ſcilicet ad præſentationem Petri de Bearnio abbatis Luci, Garſiam epiſcopum contuliſſe eccleſiam parochialem de Gers.

De Casa-nova.

XXXV. Sancius III.

1478. Sancius de Caſa-nova anno 1478. ut epiſcopus memoratur in charta ſancti Johannis Sorduenſis. Anno 1481. comitatus eſt Franciſcum Phœbum regem Navarræ ſolemni pompa ingredientem Pampelonam, ex Sandovalio. Aderat quoque quando Pali Sacramentum præſtitit Bearni proceribus, &c. Nam hic princeps erat ſimul comes Fuxenſis, & vicecomes Benearni. Anno 1486. Sancius adhuc ſedebat ex inſtrumento Baionenſi.

ANNI CHRISTI. 1486.

XXXVI. Johannes I.

De Pardaillan.

Johannes de Pardaillan ad epiſcopatum Oleronenſem vocatus eſt cum eſſet archidiaconus in Auxitana eccleſia anno 1490. Conſecratus legitur Dominica die 1. Maii anni 1491. in ſua eccleſia. 1490.

XXXVII. Cosmus.

Pacii.

Coſmum Pacium natione Italum legimus eccleſiæ Oleronenſi præpoſitum tempore Alexandri papæ VI. haud dubie ab ipſo; ſed quandiu præfuerit non liquet. Certe non prætergreſſus eſt annum 1498. quo alium epiſcopum habemus. 1498.

De Beon.

XXXVIII. Raimundus-Arnaldus.

In charta ſancti Vincentii de Luco anno 1498. die 1. Aprilis exarata, occurrit R. epiſcopus Oleronenſis electus & confirmatus. Is autem haud dubie eſt Raimundus-Arnaldus de Beon, filius Arnaldi-Guillelmi de Beon militis, vicecomitis de Serre & Guyſtæ de Devoze, *forte* Deveze, conſanguineus Gaſtonis principis Navarræ, comitis Fuxenſis, qui infulas geſſit ab an. 1498. ad 1518. Attamen vir clariſſimus Carolus d'Hozier in genealogiis nobilium familiarum ediſſerendis apprime verſatus, me monuit epiſcopum, de quo loquimur appellatum eſſe Arnaldum-Guillelmum de Beon, non vero Raimundum-Arnaldum, ut legitur apud Oihenartum. Huic tamen favet quod retulimus ex charta S. Vincentii de Luco. Forte hic epiſcopus vocabatur Raimundus-Arnaldus-Guillem de Beon, ita ut Guillem eſſet nomen commune familiæ. 1501.

d'Albret.

XXXIX. Amanevus.

Amanevus cardinalis de Lebreto, nunc de Albreto, factus eſt adminiſtrator perpetuus Oleronenſis eccleſiæ, anno 1502. Hoc enim anno, menſe Octobri data eſt bulla Alexandri papæ VI. qua hæc ipſius curæ commendatur eccleſia. Bullæ ſane hujus exemplum in bibliotheca Colbertina aſſervatum præ manibus habuimus, & propriis uſurpavimus oculis. 1502.

Hæc idcirco notamus, quia Oihenartus, & qui ab ejus ſententia ægre diſcedunt noſtri Sammarthani, volunt Amanevum conſecutum eſſe adminiſtrationem eccleſiæ Oleronenſis anno 1500. Addit Oihenartus Lebretium brevi poſſeſſione deturbatum fuiſſe, ſcilicet a Raimundo-Arnaldo Beonio, qui a canonicis ex archidiacono in epiſcopum electus fuerat. De illuſtri regioque Amanevi genere jam diximus in Vaſatenſibus epiſcopis; eritque adhuc in conſequentibus locus loquendi de eminentiſſimo celſiſſimoque hoc eccleſiæ principe.

Salviata.

XL. Johannes II.

Johannes Salviatus Florentinus ex clara familia Salviata, patre Jacobo, matre Lucretia Medicæa Leonis X. ſorore, anno 1490. 24.

ANNI CHRISTI

Martii, ex protonotario apoſtolico creatus eſt cardinalis tituli ſanctorum Coſmæ & Damiani ab avunculo, qui cum etiam adminiſtratorem eccleſiæ Ferrarienſis conſtituit. Acceſſerunt plurima alia ſacerdotia tum in Italia tum in Galliis, ubi epiſcopatus San-Papulenſem ac Oleronenſem eſt conſecutus. Brevi tempore quo potitus eſt Oleronenſi, vicarium generalem & officialem habuit Arnaldum de Caſali-veteri. Anno 1521. tranſcripſit hunc epiſcopatum ſequenti. Obiit Johannes anno 1553. cum eſſet tunc cardinalis epiſcopus Portuenſis, in vita & poſt mortem à viris doctis laudatus, maxime a Sadoleto, qui eum ut omni virtutum genere ornatiſſimum celebrat.

De Foix.

XLI. JACOBUS.

Jacobus Fuxius, quem alii Johannem appellant, ceſſione Johannis Salviati factus eſt epiſcopus anno 1521. Anno 1525. ſignatur in charta ſancti Vincentii Lucenſis. Adhuc præerat anno 1534.

1521. 1525. 1534.

De Foix.

XLII. GASTO.

Gaſto Fuxius legitur electus anno 1538.

1538.

Le Roux, al. Rouſſi.

XLIII. GERARDUS.

Gerardus Ruffus abbas Claracenſis diœceſis Aginnenſis, quem alii nuncupant Ruſſellum, Margaritæ Navarrorum reginæ a ſacris concionibus, præfuit eccleſiæ Oloronenſi annis 1542. & 1559. Is Novatorum hæreſi infectus notatur a Spondano in annalibus. Namque in Germaniam profectus, apud Lutherum aliquandiu conceſſit; inde in Galliam reverſus, ad Margaritam Valeſiam Franciſci I. ſororem, atque Henrici de Albreto regis Navarræ conjugem ſe recepit, a qua benigne exceptus, inter domeſticos familiareſque aſſumitur; & ipſius patrocinio Cleyracenſi abbatia, demum epiſcopatu Oloronenſi potitus eſt. At ille ſacro miniſterio contra fas uſus eſt ſimulata probitate, quæ litteris exculta videbatur. Hoc præcone in Bearnia, inquit Spondanus ad an. 1549. facta eſt in ea provincia atque in aula regis Navarræ ingens religionis corruptio, quæ maximam ejus partem peſſumdedit; eo faciliori introductione, quod eſſet is vita inculpata, prædicaret frequentiſſime, greges pauperum aleret, turbas puerorum in litteris erudiendas curaret, denique ſemper ſe catholicum [a] exterius profiteretur; quin immo & Lutheri, & Zuinglii, & Calvini doctrinam improbare præ ſe ferret. Adeo ut tradant in eum potiſſimum, ut tempori magis quam cauſæ inſervientem, compoſitum eſſe a Calvino librum, cui titulum fecit, *adverſus Nicodemitas*. Memorat Spondanus num. 8. quod cum Rouſſellus epiſcopus miſiſſet ad hæreſim promulgandam in oppido Malleone concionatorem quemdam monachum apoſtatam, is cum ex ipſius præſcripto contra indulgentias & Sanctorum invocationem e pulpito invehi cœpiſſet, monitus a nonnullis firmioribus Catholicis ab ejuſmodi carmine ceſſare, cum non acquieſceret, Petrus Arnaldus quidam Maytia ex honeſtis loci incolis eum acriter arguens, ab oppido fugere compulit. Eam injuriam ulturus Rouſſellus e Bearnia Malleonem accurrens, inquit Spondanus: *Cum primo obtentu celebrationis ſynodi convocatis ſacerdotibus, de feſtis Sanctorum reſecandis propoſitionem ingeſſiſſet, tanquam inutilibus, & populi commodis detrimentoſis, nec a clero audiretur; poſtea pulpito publice conſcenſo, cum rem ad plebem urgeret, alioſque errores immiſceret: idem Petrus Arnaldus zelo fidei incenſus, ad cathedram peſtilentiæ accedens, ſecuri, quam ad id ſub pallio attulerat, illam magnis ictibus in fruſta conſcidit, Rouſſello proſtrato ſemimortuo, nec tamen cæſo, qui a ſuis abſtractus, vix reſumtis ſpiritibus in Bearniam ſecedens, cum non multo poſt tempore ad vires firmandas balnea peteret, mortuus eſt in via. Maytia in jus vocatus ad parlamentum Burdegalenſe, poſt rem diligenter examinatam liber dimiſſus eſt. Adeoque de pio atque eximio facinore talitus convenientiſſime remuneratur, ut cathedra peſtilentiæ dejectione, aliam ſalutis domui ſuæ præparaverit: filio ejus Arnaldo dicto, facto poſtea ejuſdem diœceſis epiſcopo apprime catholico: cujus ſummis laboribus, itineribus, & expenſis, religionis catholicæ exercitium quod per quadraginta circiter annos in Bearnia conticuerat, in priſtinum ſtatum poſtliminio reſtitutum fuit.* Eique defuncto ſubrogatus eſt alter Arnaldus, ejus ex fratre nepos.

ANNI CHRISTI.

[a] Hac ſpecie deceptus Carolus Sammarthanus, in funebri oratione Margaritæ Navarrorum reginæ, cum laude locutus eſt de Gerardo Ruffo in hunc modum: *Loquebatur Margarita nunc de hiſtoriarum monumentis, & philoſophica etiam diſciplina, cum eruditiſſimis aliis viris quibus nunquam carebat, nunc de fide ac religione Chriſtiana cum ſuo eccleſiaſta* GERARDO RUFFO *epiſcopo Oloronſi, viro undecumque doctiſſimo. In ſumma, nullum erat horulæ momentum, quod honeſtis atque utilibus planè ſermonibus non impertiret. Quod cum nobilis quidam animadverteſſet, qui reginam ſalutatum venerat, (eramus autem Tuſſeni) tanquam attentius ipſam nobiſcum diſputantem contuebatur: noſque vicißim regina reſpondentes torva inſpiciebat. Erat autem inter nos tunc ſermo de verbis Domini;* Niſi efficiamini ſicut parvuli, non ingredietmini regnum cœlorum. *Auguſtini ſententiam Ruffus, Hieronymi Reginius ſupplicum libellorum magiſter, eruditus ac bonus planè vir; ego vero (Sammarthanus) Chryſoſtomi, Theophylacti & Heliorii proferebam; ſed, Deus bone! quo verborum pondere, quæ ſententiarum gravitate, quæ eruditione, quid ipſa quoque ſentiret explicabat!*

XLIV. CLAUDIUS.

Regin.

Claudius Reginius laudatus a Carolo Sammarthano, ut in ſubjecta nota obſervari potuit, Arvernus ex urbe Ricomago, nobili genere natus, quod adhuc in Arvernorum Leomania notum, prior ſancti Orientii in Levitania, favore Margaritæ Navarrorum reginæ, cui erat a libellis ſupplicibus & ſanctioribus conſiliis, Gerardo ſuffectus eſt anno 1560. Sedit uſque ad annum 1580. hæreſi graſſante, cujus etiam inſimulatum eum apud ſummum pontificem legimus, ſed minime reum.

1560. 1580.

XLV. ARNALDUS III.

Maytii.

Arnaldus Maytius Mauleoſolenſis, natus patre Petro-Arnaldo de quo ſuperius legimus Henricum Spondanum multa egregia narrantem, a Deo datus eſt eccleſiæ Oloronenſi ſponſus, ut eam conſolaretur, & contra heterodoxorum furorem, dolos, inſidias defenderet. Jam dudum

ANNI CHRISTI.

dudum gemebat ſub hoſtium jugo, quando Henrico-Magno placuit Arnaldum ſtudio fidei catholicæ flagrantem epiſcopum deſignare
1599. anno 1599. Statimque poſt acceptas a ſummo pontifice bullas & conſecrationem, impigre pro reſtituenda avita religione laboravit cum præſtantiſſimo ſuo collega Johanne de Salete Laſcurrenſi epiſcopo. Idque tandem feliciter conſecutus eſt, domitis bellica virtute Ludovici XIII. regis cognomento Juſti hæreticis.
1620. Tuncque anno 1620. edicto regio templa catholicis, bonaque clericis & ſacerdotibus reſtituta ſunt. Oihenartus Arnaldi epiſcopi popularis, & coævus, ejus epiſcopatum non protrahit ultra hunc annum 1620.

Maytii.

XLVI. Arnaldus IV.

Arnaldus Maytius ſecundus, ſuperioris Arnaldi fratris filius, ipſi ſubrogatur; de quo, quamvis rexerit uſque ad annum 1646. nulla tamen ſcripto tradiderunt Oihenartus & Sammarthani, præter pauca a nobis præmiſſa.

De Baſſompierre.

XLVII. Ludovicus.

Ludovicus de Baſſompierre filius Franciſci domini de Baſſompierre nobiliſſimi Lotharingi, Franciæ mareſcalli, & Helvetiorum Rhætorumque præfecti generalis, ex Maria de Bal-
1646. ſac extra legitimum conjugium, anno 1646. deſignatur a rege Chriſtianiſſimo epiſcopus Oleronenſis; at priuſquam bulla pontificia fuiſſet in hac ſede confirmatus, ad aliam vocatus
1647. eſt eccleſiam, nempe Santonenſem, anno 1647. Itaque de hoc epiſcopo dicere ſuperſedendum; ſed in Santonenſibus epiſcopis, debitis eum laudibus non defraudabimus.

De Gaſſion.

XLVIII. Petrus III.

Petrus de Gaſſion, patre Jacobo in ſupremo Navarræ & Benearnii conſilio ſecundo præſide, matre Maria d'Eſclaux, ex nobiliſſimo genere Benearnii ortus, fratrem habuit Johannem de Gaſſion primarium caſtrorum Franciæ præfectum, (mareſcallum Franciæ appellamus) Corracique pro rege Chriſtianiſſimo gubernatorem, fama bellica virtute parta toto orbe celeberrimum. Ipſe tamen Petrus majori laude dignus, quod ad fidem catholicam quam majores ſui deſeruerant, reverſus ſit; qui ut ſacram doctrinam in purioribus hauriret fontibus, in academia Pariſienſi theologicis ſtudiis ſeſe addixit, in qua doctoris lauream conſecutus eſt. Cum jam eſſet abbas ſancti Vincentii de Luco, deſignatus eſt epiſcopus Ole-
1647. ronenſis anno 1647. Anno ſequenti die 7. Martii Pariſiis in eccleſia Fulienſium vici ſancti Honorati unctus eſt in epiſcopum a ſuo metropolitano Dominico de Vic Auſcienſi archiepiſcopo, cui aſſiſtebant Ægidius Boutauld Aurenſis & Petrus Berthier Uceſienſis epiſcopus, qui tunc erat coadjutor Montalbanenſis. Expleto in epiſcopatu quadriennio, migravit e vi-
1652. ta die 24. Aprilis anni 1652. Corpus ejus Palo ubi mortuus fuerat, Oloronem delatum eſt, ibique in majori eccleſia conditur.

XLIX. Johannes III.

ANNI CHRISTI.

Johannes de Mille-ſanctis Bernardo domino de Sanſons, & Franciſca de Monteſquiou vicecomitiſſa de Sedirac paris nobilitatis parentibus natus, cognatuſque aut ſaltem affinis Petri de Gaſſion epiſcopi, ei ſubrogatur, dieque 1. Auguſti anni 1652. ſchedula regia renuntiatur 1652.
epiſcopus. Anno ſequenti conſecratur die 9. Februarii in eccleſia Dominicanorum vici S. Honorati a Petro de Marca Toloſatum archiepiſcopo, in magno præſulum cœtu, ex quibus archiepiſcopo conſecranti adſtabant Jacobus de Mont-rouge ſancti Flori, & Johannes d'Eſtrade Condomienſis epiſcopi. Die 7. Martii ſequentis, regi fidem facto ſacramento obſtrinxit; quo die per procuratorem poſſeſſionem eſt adeptus. Carnis depoſuit ſarcinam anno 1658.

De Mioſſens.

Maytii.

L. Arnaldus-Franciscus.

Arnaldus-Franciſcus de Maytie pronepos Arnaldi Maytii primi, nominante & deſignante rege Chriſtianiſſimo, ad Oleronenſem cathedram promovetur, anno 1659. Subſequen-
1659. ti anno die 21. Aprilis, oleo ſacro eſt delibutus & conſecratus a Dominico de Vic Auſciorum archiepiſcopo, cujus coadjutores hoc in ſacro opere fuerunt epiſcopi Mirapicenſis & Aquenſis. Eodem anno, die 27. Julii fidem regi pollicitus eſt cum jurejurando. Apud Malumleonem patriam ſuam procuravit conventum Capucinis. Mira patientia ſedavit ſeditionem; cujus præcipuus auctor erat quidam preſbyter & parochiæ rector. Animam efflavit anno 1682.
1682. Erat etiam abbas S. Petri Generenſis.

De Salet-te.

LI. Carolus.

Carolus de Salette conſanguineus Johannis de Salette epiſcopi Laſcurrenſis, quem de fide catholica optime meritum in Benearnio jam monuimus, agendo de Arnaldo Maytio primo; deſignatus fuit epiſcopus Oleronenſis menſe Januario anni 1682. cum jam ſenex eſſet. Ni-
1682. hilominus tamen in cuſtodia gregis ſui aſſiduam navavit operam, pius, vigilans, miſericors. Diem clauſit ultimum nonagenarius menſe Auguſto anni 1704.
1704.

De Magnent.

LII. Antonius-Simon.

Paulo poſt Caroli epiſcopi mortem Antonius-Simon de Magny decanus regalis eccleſiæ ſancti Martini Turonenſis, deſignatus eſt epiſcopus Oleronenſium die 14. Auguſti anni 1704. Verum ante acceptam ordinationem epiſcopalem, morbo morteque oppreſſus eſt die 26. Februarii anni 1705. anno ætatis ſuæ 52.
1705.

De Revol.

LIII. Josephus.

Joſephus de Revol, parentibus Petro vicecomite de Revol, regio in ſuprema ſubſidiorum apud Delphinates curia cognitore, & Franciſca-Carola de S. Chamond genitus, Johannis Revoli epiſcopi Arauſicani anno 1349. gentilis, cum eſſet vicarius generalis Pictavienſis epiſcopi, quo in officio fidelem, ſtrenuum, vigilantiſſimumque Dei ac eccleſiæ miniſtrum

ſeſe probavit, renuntiatus eſt epiſcopus Oloronenſis anno 1705. die undecima Aprilis. Conſecratur eodem anno die 8. Novembris in eccleſia Pictavienſi a Johanne-Claudio de la Poëpe de Vertrieu epiſcopo ejuſdem eccleſiæ, aſſiſtentibus Lucionenſi & Santonenſi epiſcopis. Nunc pergit præeſſe in ſollicitudine paſtorali, & in doctrina ſana, potens eos qui contradicunt arguere; ut merito doctoris theologi lauream olim ſit conſecutus, in academia Pariſienſi. Fundavit in ſua urbe ſeminarium clericorum, cui præfecit clericos ſancti Pauli dictos Barnabitas.

In hac ſerie nondum locum aſſignavimus cuidam Rogerio epiſcopo, de quo Willelmi Auſcienſis archiepiſcopi litteræ, hæc nos docent. Rogerius, ut aiebant ejus clerici, adulterinum privilegium confecerat, ex alio Electenſis monaſterii, quibuſdam mutatis, additis, & detractis; morte repentina poſtea ſublatus eſt veneno potatus, nulla facta confeſſione, inteſtatuſque. Iptius exſequias curaverat Willelmus Auſciorum archiepiſcopus, ex cujus litteris inter inſtrumenta editis hæc nobis nota. *C. III. p. 198. col. 1.*

Quis ſit iſte Willelmus difficile eſt ſtatuere: in litteris ſuis meminit cujuſdam concilii Nugarolienſis, cui præfuerat. In collectione conciliorum Labbeanea quæ accuratior eſt, tria duntaxat notantur concilia apud Nugarolium habita, ſcilicet annis 1290. 1303. & 1315. quæ tempore Amanevi metropolitani Auſcienſis habita ſunt. Conſtat nihilominus plura alia concilia Nugarolii celebrata fuiſſe, ut jam oſtendimus. Conjicimus autem Rogerium Oloronenſem epiſcopum vixiſſe tempore Willelmi Auſciorum epiſcopi, & collocandum eſſe inter Arnaldum I. & Bernardum primum.

ABBATIA DIOECESIS OLERONENSIS.

UNA tantum ſupereſt in hac diœceſi abbatia ſancti Vincentii apud Lucum.

Abbatia S. Vincentii Lucensis.

S. Vincentius de Luco, ſive de Saltu-bono, vulgo *Saudebone de Luc*, monaſterium ordinis ſancti Benedicti, inter utrumque Gavum Oloronis & Pali, Guillelmum-Sancium ducem Vaſconiæ fundatorem ſuum agnoſcit. Hoc autem proceſſu temporis ita a ſplendore ſuo decidit, ut cum nullus ibi monachus ante annos quadraginta inhabitaret, Ludovicus XIII. anno 1611. locum hunc RR. patribus Barnabitis conceſſerit.

Series abbatum.

Vide hiſt. Bearn. l. 3. c. 3. p. 102.

I. Garſias de Vaſconia, Willelmi-Sancii comitis fundatoris monaſterii conſanguineus, primus abbas recenſetur, cui comes ipſe & Gaſto-Centulli vicecomes Bearn. villam de Luco ceſſerunt. Sancius Forto de Monrenſels factus in eodem cœnobio monachus dedit eccleſiam ſancti Saturnini. Hiſt. Bearn. pag. 172. Idem Garſias vivebat tempore Centulli vicecomitis.

II. Forto, *al.* Fortinus, monaſterio Lucenſi præerat tempore Centulli vicecomitis Bearnenſis, ſed quo anno nos latet. Ineunte ſeculo XI. huic Lupus de Caſtello, Garſias Lupi ejus filius, Aurea-Garcia mater & Bucerna filia Salcedam donaverunt, cum in cœnobio Lucenſi vota vovere Domino. Hiſt. Bearn. l. 4. c. 5.

III. Gaſto Fortoni ſuccedit circa an. 1010. inquit noſter Cl. Eſtiennot, quo ſedente Formatus de Caſtello monachus factus dedit medietatem eccleſiæ de Caſtello. Hiſt. Bearn. pag. 171. Garſanus de Morengs dedit terras de Morengs & de Lagor. Ibidem pag. 174.

IV. Guillelmus.

V. Donatus, jam an. 1100. Anno 1114. legitur ipſius nomen in charta S. Severi in capite Vaſconiæ. Suo cœnobio vindicavit medietatem eccleſiæ S. Mariæ de Marſlag. ex hiſt. Bearn. l. 5. c. 16.

VI. Odo ex monacho Generenſi electus abbas Lucenſis an. circiter 1125. ex hiſt. Bearn. pag. 457.

VII. Fortanerius abbas de Luco an. 1193.

VIII. Geraudus 1129. ex charta Silvæ-maj. ex monacho S. Severi aſſumtus, cujus necrologium ſic meminit: *II. nonas Aprilis ob. Geraudus abbas de Luco monachus noſtræ congregationis.* Verum & in obituario Silvæ-majoris ejuſdem obitus annotatur ad eandem diem, ubi legitur *monachus noſter*, forte nimirum duo hæc monaſteria, S. Severus, & Silva-major, ſocietatem inter ſe habebant, qua poſita conjectura, hunc dicere malim monachum Silvæ-majoris (ut verba ſonant) quam S. Severi, ad quod monaſterium ſocietate duntaxat pertinebat.

IX. Bernardus I. vir ſane litteratus & pius an. 1173. regebat. Hic procurator Gaſtonis vicecomitis Bearnii cum Compainho epiſcopo Oloronſi, ad Eduardum Anglorum regem miſſus contra ipſum appellavit ad regem Francorum; ex hiſt. Bearn. l. 7. c. 18. p. 634. & ſeq. Forte idem eſt qui per ſolam primam nominis litteram B. deſignatur an. 1177.

X. Michael-Gaſto de Benſin Bernardum excipit, ex tomo XI. fragm. D. Cl. Eſtiennot, pag. 183.

XI. Raimundus I. quaſdam decimas cum jure patronatus in quibuſdam eccleſiis acquirit an. 1187.

XII. Arnaldus I. epiſc. Laſcurrenſis, 1190.

XIII. Raimundus II. 1196.

XIV. Raimundus III. ex actis pontific. Avenion. moritur an. 1357. eique ſuccedit eodem anno,

XV. Geraldus ex priore Lagornenſi, bulla donatus apoſtolica Innocentii papæ VI. an. ejuſdem pontificatus ſexto.

XVI. Arnaldus-Willelmi an. 1354. & 1388.

quo Avenione degens teſtis legitur in chartis nonnullis tabularii Andaonenſis.

XVII. Antonius, 1391.

XVIII. Ay. de Navaille, 1405.

XIX. Petrus I. de Bearnio adminiſtrator perpetuus 1453. 1464. 1473. 1474. 1481. 1494. Idem eſt ac Petrus abbas de quo locuti ſumus in Garcia II. epiſcopo.

XX. Arnaldus II. de Nabalhes, 1500.

XXI. Amanevus d'Albret cardinalis, 1505. & 1507.

XXII. Bernardus II. de Lordat, 1516. 1522.

XXIII. Arnaldus-Guillelmus de Montpezat, 1525.

XXIV. Jacobus Darros, 1538. 1540. 1546.

XXV. Arnaldus III. de Foix, 1556. 1565. 1576. 1591.

XXVI. Arnaldus IV. de Maytie epiſcopus Olorenſis.

XXVII. Arnaldus V. de Maytie epiſcopus Olorenſis, cujus temporibus auctoritate apoſtolica Pauli V. ſummi pontificis, ac decreto privati conſilii Navarrenſis, Regularium ſancti Pauli clericorum, quos vulgo Barnabitas vocant, congregationi unitum eſt monaſterium 1613. Tranſiit ex hac vita 1646.

XXVIII. Carolus de Coſſé, ducis de Briſſac filius.

XXIX. Petrus II. de Gaſſion epiſc. Olorenſis abbas erat 1647. Obiit an. 1652.

XXX. Johannes Dolec epiſcopus Baionenſis, abbatiam obtinebat 1667. 1671. 1677. Obiit anno 1681.

XXXI. Antonius II. de Fenis an. 1685.

XXXII. Franciſcus-Carolus de Salette epiſc. Olorenſis, abbas de Luco 12. Apr. 1688. obiit an. 1704.

XXXIII. Bernardus d'Abadie d'Arbocave epiſc. Aquenſis, hodiernus abbas, nominatus die 14. Auguſti an. 1704.

ECCLESIA LASCURRENSIS,

olim BENEHARNENSIS.

Lescar proche le Gave de Pau.

BENEHARNUM, quod nomen eſt hodie provinciæ, fuit olim civitatis & urbis epiſcopalis: V. C. Petrus de Marca hiſtoriæ Benearnenſis l. 1. c. XI. contendit Plinium in recenſione populorum Aquitaniæ, poſt Bigerros, Tarbellos & Cocoſates, meminiſſe Bearnorum ſeu Venarnorum; ſic enim legendum putat, non Venanorum. Contra vero Hadrianus Valeſius cenſet nec Strabonem, nec Melam, nec Plinium aut Ptolemæum de Benearnis locutos eſſe; ita ut primus qui Benearni meminerit, ſit Æthicus in Itinere a Cæſarea-Auguſta Benearnum, ſic: *Foro Gallorum M. P.* XXX. *Summo Pyrenæo* XLVI. *Foro ligneo* V. *Aſpalluca* VII. *Iluronе* XII. *Benearnum M. P.* XII. Aſpaluca, Hiſpanis Aſpa, & vallis Aſpalucenſis, Saltui-Pyrenæo ſubjecta, vel ab hac urbe, vel a fluvio etiam Aſpa dicto ſic vocata ſatis notæ ſunt. Iluro eſt *Oleron*.

Not. Gall.

Itinerar. Anton.

Poſt Æthicum veteres notitiæ Imperii Benearni meminerunt inter provinciæ Novempopulaniæ civitates duodecim, eique locum tribuunt ſeptimum. Benarna urbs legitur apud Gregorium Turonenſem l. IX. cap. 7. & civitas Benarnum in pactione Guntramni & Childeberti regum, apud eundem Gregorium. Benarnum occurrit in concilio Agathenſi ad annum DVI. & civitas Benarnenſium in concilio Matiſconenſi II. an. DLXXXV. A longo vero tempore Benearni nomen ceſſit ſoli pago vulgo *le Bearn*; urbs vero pagi caput, poſtquam deſtructa fuiſſet a Normannis, omiſſo priori nomine dicta eſt Laſcuris, & Laſcurra, propter varios in loco ubi ſita eſt amniculi & fonticulorum circuitus, quos populares appellant *Las Eſcourres*, inquit Petrus de Marca loco jam ſupra laudato. Laſcurram eſſe Benearnam veterum docet quoque Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum, ubi refellit Joſephum Scaligerum, qui in notis ad Auſonium probare conatus eſt Orteſium in Benearni locum ſucceſſiſſe, mutato tantum nomine. Id autem falſi convincitur, tum quod hoc oppidum ſit diœceſis Aquenſis, tum quod ſancti Galactorii Benearnenſis epiſcopi, ſeculo VI. ineunte, corpus ſemper apud Laſcurram fuerit aſſervatum, uſque ad an. 1559. quo Calviniſtæ ſacrum hoc pignus combuſſerunt; quod innuit ſedem epiſcopalem eo in loco uſque perſeveraſſe.

Non unicum hoc fuit Joſephi Scaligeri erratum de Benearnenſibus rebus diſſerentis: nam quod ait totam Novempopulaniam regibus Anglorum olim paruiſſe, præter Benearnum, *quod abſoluti ſemper fuit imperii, ſemper ſeparatum a ditione Francorum, ac nulli ditioni ſubditum*, præterquam domeſtici principis, omnino falſum eſt. Nam Benearnenſes vicecomites nunquam fuerunt ſui juris, ſed pro dominis agnoverunt ſive Francorum ſive Anglorum reges, ut gentis utriuſque hiſtoriæ docent [a].

Objici poteſt contra laudatam ſententiam, ex Itinerario Antonini ab Aquis Tarbellicis Benearnum uſque ſpatium XIX. milliarium tantum interponi, quod Laſcurræ convenire non poteſt, quæ ab Aquis Tarbellicis diſtat ad minimum triginta tribus paſſuum millibus. Sed potuit mendum irrepere in annotandis milliaribus; aliundeque nihil vetat dicere deſcriptionem Itinerarii hujus non ita eſſe accuratam, ut in milliarium computatione, nihil aut addendum ſit aut detrahendum. De his conſulendus Petrus de Marca l. 1. c. XI. Benearnum, ut eſt vicecomitatus

[a] Lege Notitiam Galliarum Hadriani Valeſii ad vocem *Benearnum*. Sententiam tamen Scaligeri adprobare videtur V. C. Petrus de Marca l. V. hiſt. Bearn. c. 34.

igitized by Google

ANNI CHRISTI * La Chaloſſe.

& principatus, hos habet terminos: Bigorræ comitatum ab ortu, præfecturas Baionenſem & Aquenſem ab occaſu, a Septentrione pagos Scialocenſem * & Taurſanenſem, a Meridie Pyrenæos & vicecomitatum Solenſem. Urbes vero præcipuæ Benearni ſunt, Palus (Pau) ubi ſedes eſt Parlamenti a quo Laſcurra & aliæ urbes pendent, & Cameræ rationum; Laſcurra, Oloro, Morlaſium, ubi moneta olim cudebatur, ut oſtendemus in appendice; Navarrenſium munitiſſimum propugnaculum, & Salvaterra. pag. 201.

ANNI CHRISTI.

Benearno urbe deſtructa, ſuperfuit tantum ædicula, quam Willelmus Sancius dux Vaſconiæ, reſtaurandam curavit per unum e ducibus ſuis Lopo-forrem nomine monachum factum, a quo ibi congregatio monachorum inſtituta eſt, cui præfuit ut abbas Lopo-fortis. Hunc vero locum aliquot proventibus dotavit ſub annum 980. quo tempore vacavit ſedes epiſcopalis; & quidem ſtatim aut paulo poſt everſam urbem. At vero cathedram reſtituit Sancius dux Willelmi-Sancii ducis filius, excitata ex veteris urbis ruderibus nova urbe, quæ Laſcurra eſt appellata, ob rationem ſuperius prolatam. Porro epiſcopus non Laſcurrenſis dictus eſt aut Benearnenſis, in illa epiſcopatus innovatione, ſed epiſcopus totius Vaſconiæ, quod præter illam eccleſiam quatuor alias epiſcopales Vaſconiæ regeret.

Epiſcopus nunc eſt primus conſiliarius in ſenatu Palenſi, primus baro provinciæ, & deputatus in ipſius comitiis.

Laſcurrenſis eccleſia, quæ Auſciorum metropoli ſubdita eſt, patronam agnoſcit Dei-param Virginem. Illa fuit plurimorum Navarræ regum conditorium, quorum imagines ex marmore albo fractæ fuerunt & in fruſta comminutæ ab heterodoxis. In crypta autem quieſcunt e gente Lebreta, reges Navarræ Franciſcus Phœbus, & Henricus II. avus Henrici IV. Franciæ & Navarræ regis, Margarita Valeſia Franciſci I. germana, & dicti Henrici II. ſponſa, necnon quædam alia cadavera principum utriuſque ſexus, e ſtirpe Navarrica ac Bearnenſi. Capitulum quindecim conſtat canonicis. In diœceſi numerantur quadraginta circiter eccleſiæ parochiales; & duæ duntaxat abbatiæ, de quibus erit agendum poſt exhibitam epiſcoporum ſeriem, ex variis eccleſiarum maxime documentis contextam.

EPISCOPI LASCURRENSES.

I. S. Julianus I.

IN antiquo eccleſiæ Benearnenſis breviario legitur, S. Julianum Trevirenſis eccleſiæ diaconum, a Leontio Trevirenſi præſule ordinatum epiſcopum, miſſum fuiſſe ad Benearnenſes, ut eos ad Chriſtianam fidem conculcata idololatria revocaret; quod præſtitiſſe dicitur. Exſtat in ſuburbio eccleſia ſub ſancti Juliani titulo conſecrata. Ut narrationem hanc perſuadeat Petrus de Marca, obſervat 1°. Leontium fuiſſe Aquitanum, uti hoc in breviario habetur, unde non mirum ſi miſeratus populariam ſuorum cæcitatem, qui relicta fide Chriſtiana, idololatriæ erant dediti, ad eos verbi Dei præconem miſerit. Obſervat 2°. Trevirenſem urbem, tempore Leontii, hoc eſt anno circiter 400. ſedem fuiſſe præfecti prætorio Galliarum, & quaſi totius Galliæ metropolim, uti nuncupatur a S. Athanaſio in apologia; unde jure exarchatus in tota Gallarum diœceſi, ad eum pertinebat epiſcopos in eccleſiis vacantibus ordinare. Anno circiter 407. Vandali Gallias ingreſſi Trevirenſem urbem diruerunt, & per totam Galliam effuſi pervenerunt uſque ad Novempopulaniam, cujus urbes tunc gravi clade afflictæ ſunt. Neque vero Benearno barbarorum pepercit furor; quo tempore S. Julianum adhuc ſediſſe credimus.

l. 1. Hiſt. Beam. c. 15.

400. 407.

II. S. Galactorius.

S. Galactorius interfuit concilio Agathenſi, anni 506. cui ſubſcripſit cum titulo epiſcopi de Benearno. De illo in veteribus monumentis Laſcurrenſibus memoriæ proditum eſt, ſtrenue admodum dimicaſſe cum militibus Bearnii contra Wiſigothos Arianos, a quibus victus juxta locum Mimiſani prope mare Oceanum, & captus, fruſtraque tentatus ut ejuraret fidem Catholicam, immaniter eſt trucidatus anno, ut conjicitur, 507.[a] unde & a ſucceſſoribus præſulibus, univerſoque pago Bearnenſi martyr dictus, duobus per annum diebus in divino celebratur officio, altero quidem depoſitionis & tranſitus, alio tranſlationis reliquiarum ejus e loco Mimiſano, ad oppidum Laſcurrenſe. Corpus ejus ſumma veneratione colebatur in cathedrali uſque ad annum 1569. quo ſacra ejus oſſa ſunt combuſta, & direpta eſt qua tegebantur theca a militibus comitis Montiſgomerici novatorum ducis. De eo conſulendus jam laudatus Petrus de Marca lib. 1. hiſtoriæ cap. XI. & XV.

506. 507.

III. Savinus.

Savinus adfuit concilio II. Matiſconenſi, anno 585. habito, cujus meminit Gregorius Turonicus. In actis autem concilii legitur: *Ego Savinus epiſcopus eccleſiæ Benarnenſium ſubſcripſi.*

585.

IV. Julianus II.

Sediſſe creditur hic epiſcopus tempore Theodorici Francorum regis, & Ebroini majoris palatii circiter annum 680. ſub quo eccleſia deſolata fuit Abderramani Saracenorum principis furore, deinde etiam Normannorum infeſtatione. Tunc Novempopulaniæ urbes, eccleſiæ ma-

680.

[a] Non poteſt differri S. Galactorii martyrium poſt hunc annum; nam Alaricus Wiſigothorum rex hoc anno victus eſt a Clodoveo, qui Burdigalæ eodem hyemavit anno, & in Novempopulania præſidia reliquit ad exſcindendas Wiſigothorum reliquias. S. Galactorium a Wiſigothis captum eſſe, cum copias ad Clodoveum duceret, autumat P. de Marca.

ANNI CHRISTI. 732.

xime deſtructæ ſunt. Laſcurram ſeu Benearnum a Saracenis exciſum fuiſſe in invaſione Sarracenica, circa an. 732. narrat Petrus de Marca, in hiſtoria Benearnenſi, l. 2. c. 111. unde interrupta fortaſſe præſulum ſucceſſio.

V. ARSIAS.

Arſias cognomento Raca, qui in chartario Laſcurrenſi corrupte legitur Aſſiatraca, in ſerie præſulum Laſcurrenſium collocari debet ſaltem ab anno octogeſimo ſupra nongenteſimum vel etiam 977. nam ad hunc annum Mabillonius revocat fundationem monaſterii Regulæ in Bearnia & diœceſi Laſcurrenſi, quod factum legitur cum conſilio Arſiæ Laſcurrenſis epiſc. Vide Marca hiſt. Bearn. l. IV. c. 2. Idem eſt ut conjicimus, qui ſigillo firmavit fundationem abbatiæ ſancti Severi. Gumbaldus autem qui reperitur epiſcopus Vaſconiæ in charta Regulæ anno 977. erat epiſcopus Vaſatenſis, non Laſcurrenſis.

VI. RAIMUNDUS I.

Raimundus dictus Vetulus ſedit ad annum circiter 1040. Iſte ſex ſimul epiſcopatuum adminiſtrator vixit, uti vetus chartarium Laſcurrenſe declarat his verbis: *Raimundus epiſcopus, more anteceſſorum ſuorum ſex epiſcopatus tenuit, Vaſatenſem, Aduenſem, Aquenſem, Laburdenſem, Olaronenſem, & Laſcurrenſem. Tempore hujus, Iatus Generenſis qui erat, & eſt infra terminos epiſcopatus Laſcurrenſis, in parochia ſancti Hilarii de Laſſu, cœpit florere miraculis:* Et infra additur: *prædictus vero idem R. Roma accuſatus, depoſitus fuit, ſed quia nobilis erat & potens, ne perturbaret fieri canonicas electiones, conceſſit ei papa Laſcurrenſem epiſcopatum in omni vita ſua: data ſibi licentia, ut quem vellet de vicinis epiſcopis ad ſupplenda epiſcopalia officia invitaret. Ante depoſitionem ejus, & poſt depoſitionem Laſcurrenſis eccleſia tenuit Generenſe monaſterium.*

1040.

In eodem tabulario notatur Raimundum epiſcopum conveniſſe Guidonem comitem Pictavienſem, aſſiſtente ſibi Sancio præpoſito ſedis ſuæ, ut moveret querimoniam de eccleſia ſancti Stephani de Careſſa; ejus depoſitio potuit incidiſſe in annum 1058. aut circa. Cui ſucceſſit,

VII. GREGORIUS.

Gregorius ſimul abbas ſancti Severi in capite Vaſconiæ & epiſcopus, Bearnenſem, ſeu Laſcarrenſem ſedem obtinebat ſaltem anno 1061. IV. nonas Novembris, quo die comitatus eſt Heraclium Auſcienſem, ut aiunt, archiepiſcop. in monaſterio ſancti Severi quædam ſtatuentem, ex ejuſdem loci tabulario.* Anno 1061. ſubſcripſit ut epiſcopus *Viernenſis*, hoc eſt Bearnenſis, diplomati Bernardi comitis Vaſconiæ, pro fundatione monaſterii Sancti-montis, quod habes in Auſtindo archipræſule Auſcienſi. Subſcribit literis Heraclii Bigorrenſis, hoc eſt Tarbienſis epiſcopi, & Bernardi comitis donantium monaſterium SS. Felicis & Licerii, Cluniacenſibus reſtaurandum, anno 1064. die XI. Decembris. Anno 1066. ſedit in concilio Toloſano, cui præfuit Hugo Candidus cardinalis Alexandri ſecundi legatus, quo in concilio interceſſit ne monaſterium Lactorenſe in cathedralem eccleſiam, monachis expulſis, converteretur, affirmans illud eſſe juris ſancti Severi: *Placuit autem Spiritui ſancto illud monaſterium, jam eo uſque quaſi authenticum, quod Gregorius Laſcurrenſis epiſcopus juris ſancti Severi eſſe injuſte dicebat, ad priſtinum revocare gradum, &c.* ex quo videtur conſequi eumcumepiſcopatu abbatiam retinuiſſe. In Hiſpaniam Chriſtianis ſuppetias laturus profectus eſt, ac per tres menſes pro religione ibidem ſtrenue decertavit. Senex demum, multis pro eccleſia laboribus exantlatis animam emiſit 1072. quod ſignificat vetus charta ſancti Severi ubi legitur: *Anno Dominicæ incarnationis* M. LXXII. *feria 4. abbas S. Severi, & Laſcurrenſium epiſcopus dominus Gregorius florente canitie exceſſit a ſæculo multis dolentibus; cui, ſi quid male geſſit humanæ conditionis mole gravatus, indulgeat miſericorditer omnipotens omnium Dominus; qui ab ipſis infantiæ rudimentis veniens Cluniacum, ibi longo tempore pie degens, petente Sancione comite reverſus eſt, & ſic abbatiæ ſancti Severi abbas effectus eſt. Quam rexit per quadraginta fere annos meliorando cuncta, & quaſi ex informi materia poſtens omnia, inter cætera bona quæ huic loco condonavit. Nam poſt ignis combuſtionem, proprium monaſterium mirifice fundans, eo, quo nunc eſt, opus conduxit.* In ejuſdem monaſterii necrologio legitur: III. *idus Januarii depoſitio dompni Gregorii abbatis & epiſcopi Laſcurrenſis.* De eo vide in epiſcopis Aquenſibus.

ANNI CHRISTI.

1072.

VIII. BERNARDUS I.

Bernardus de Baſſo monachus ſancti Petri Generenſis, quod monaſterium olim Benearnenſi ſubditum erat epiſcopo, a Gregorio anteceſſore ſuo electus eſt ad archidiaconi munia obeunda. Qui mortuo Gregorio ſuffectus eſt, ut nos docet Guido de Loth epiſcopus in chartulario Laſcurrenſi, ubi ſuæ eccleſiæ jura tuetur in cœnobium ſancti Petri de Generoſo, auctoritate Centulli vicecomitis datum Bigorrenſi antiſtiti, quod ipſius nuptiis cum Bigorrenſi comitiſſa conſenſiſſet hic epiſcopus. Bernardum ſubſcripſiſſe chartæ Garſiæ regis Navarræ, qua Stephaniæ uxori aſſignat dotem, anno 1075. auctor eſt Prudentius Sandovallius lib. de Pampelonenſibus epiſcopis. Toto vero ſui epiſcopatus tempore a Centullo vicecomite exagitatus eſt, quod ipſius conjugio cum Beatrice comitiſſa Bigorrenſi conſentire noluiſſet. Audiendus ea de re Guido de Loth epiſcopus in chartario Laſcurrenſi: *Centullus vicecomes Bearnenſis dimittens legitimam uxorem, matrem Gaſtonis quam habebat, Bernardum epiſcopum de poſſeſſione ſua * ejecit violenter, & Pontium Bigorrenſem epiſcopum in poſſeſſionem monaſterii induxit, tali pacto, ut ei concederet illicitas nuptias Bigorrenſis comitiſſæ, quod B. * prohibebat, quem tandiu perſecutum, propter aſſiduam querelam, & interdicta quæ inde faciebat; a toto epiſcopatu ejecit, & in exſilio mortuus, & apud Forum Julii eſt ſepultus.* Porro mortuus legitur anno 1080. Eodem pontifice

1075.

Vide P. de Marca l. v c. 32.

* Monaſterii Generenſis.

* Bernardus.

* Vide quæ diximus in Auſtindo Auſcienſi archiepiſc. ad. 980.

ANNI CHRISTI. Sancius Gaſconiæ princeps & dux, cathedralem baſilicam plurimis prædiis, decimis, vicis ac juriſdictionibus dotavit ex patrimonio procerum Bearnenſium, de quibus inveſtiit eccleſiam ſancti Juliani Laſcurrenſis, epiſcopali tum unitam. Toparchiarum autem hæc ſunt nomina: villa Laſcurrenſis, vicus de Beneiaco, de Garua, de Borderiis, de Meilho, & alii recenſiti fuſius apud hiſtoriam Bearnenſem. Subſcriptus memoratur in authentico Morlanenſis chartæ, qua Centullus vicecomes Bearnenſis, conſilio Willelmi Auſciorum metropolitani, hujus Bernardi, & Amati Oloronenſis præſulis dotavit eccleſiam in honore ſanctæ Fidis Morlanenſis, ſub regimine Cluniacenſis monaſterii.

IX. Sancius I.

Qui excepit Bernardum in epiſcopatu Sancius, forte idem eſt qui motam de monaſterio ſancti Petri Generenſis quæſtionem adverſus Tarbeienſem ſeu Bigorrenſem epiſcopum proſecutus eſt in concilio Placentino, an. 1095. coram Urbano papa * II. præſente adverſario ſuo, qui tamen tempore concilii, cauſa nondum judicata, e vivis exceſſit. Sancius vero, ut in ſynodo Claromontana paulo poſt habita, de hac controverſia ſententia ferretur inſtabat. Porro ejus judicium Amato Oleronenſi epiſcopo ſanctæ ſedis legato mandavit ſynodus, collegamque & aſſeſſorem ei dedit Auſcienſem archiepiſcopum; qui moleſte admodum ferens cauſam in ſua provincia ortam & motam, alterius judicio permiſſam fuiſſe, ſtatim ac regreſſus eſt in Novempopulaniam, diem indixit & locum, ad quem partes convenirent, in diœceſi Tarbienſi, non exſpectato legato. At Sancius de formula judicii minime uſitata, & de tota actione provocavit ad ſummum pontificem. Lis vero pendebat adhuc ſub Guidone Sancii ſucceſſore.

Felicius ipſi ceſſit aliud negotium de inducendis in eccleſiam ſuam canonicis Regularibus. In eccleſia Laſcurrenſi monachi tunc domino famulabantur, a tempore Guillelmi Sancii ducis ejuſque uxoris Urracæ; qui cum a ſancta regula exorbitaſſent, adduxerunt Gaſtonem Benearni vicecomitem, ut ſuaderet epiſcopo, monachis expulſis, in eorum locum canonicos Regulares admittere. Gaſto tunc ex itinere Jeroſolymitano reverſus erat, in quo multa præclare feliciterque geſſerat. Deo gratias redditurus cogitavit de reſtauranda in clero eccleſiaſtica diſciplina, & de reſtituendo canonico ordine ſecundum regulam ſancti Auguſtini. Idcirco dedit cum uxore ſua Taleſa, ad honorem & utilitatem eccleſiæ Laſcurrenſis, clericis canonice ſecundum præfatam regulam vivere volentibus, eleemoſynariam domum, quam pro ſuorum remiſſione peccatorum, ad ſuſtentationem peregrinorum, aliorumque indigentium ædificaverat, cum omnibus jam a ſe datis huic loco & acquiſitis, & cum decima parte omnium bonorum, quæ in ſuis congregabantur, ſive congreganda erant cellariis; addito etiam alodio, id eſt terra, quam idem vicecomes & ejus uxor emerant a Raimundo-Willelmi de Ardeos. Cetera lege in vicecomitis diplomate, quod datum eſt anno M. C. I. epacta XIX. concurrente I. indictione nonaſlegiturque l. v. hiſt. Benearn. P. de Marca c. x. Ibidem habentur litteræ Sancii epiſcopi, ex Laſcurrenſi chartario uti Gaſtonis diploma deſcriptæ, quarum tantum fragmenta quædam exhibenda putavimus: *Anno* M. C. I. *ex quo Dominus noſter & redemtor humani generis de intemerato virginis utero naſci dignatus eſt, præſidente Paſchalio Romanæ eccleſiæ papa, regnante Philippo Francorum rege, & G. Aquitanorum comite. Sancius Laſcurrenſis epiſcopus divini amoris igne ſuccenſus, conſilio archiepiſcopi Burdigalenſium Amati, Romanæ quoque ſedis legati, & R. Auxienſium archiepiſcopi, & O. Olorenſis epiſcopi, conſilio quoque G.* * *vicecomitis Bearnenſis patriæ, aliorumque principum, conſiderans evangelii dictum, non poſſe duobus ſervire dominis, in eccleſia ſuæ ſedis, videlicet B. Mariæ Laſcur. Regulares canonicos inſtituit. Prius namque irregulariter, & ſine aliqua regulæ diſtrictione vivebant, neque communiter, neque convenienter Deo ſervire videbantur. Supra memoratus vero S.* * *præſul deſiderans illos quaſi paſtor gregem ſuum ab erroris via revocare, & in rectitudinem ſemitarum dirigere, & ſicut qui redditurus erat rationem in tremendo Dei judicio, de talento a Deo ſibi credito; & ut attentius, & ſine aliqua ſeculari inſtantia poſſent intereſſe Dei ſervitio, eos præſenti ſæculi rerum omnium proprietati abrenuntiare fecit. Et ut nullam ſollicitudinem, atque neceſſitatem victus ſcilicet & veſtitus ſub regulari diſciplina exiſtentes paterentur, hos honores ab hominibus bonis eccleſiæ B. Mariæ datos, & partim per eundem epiſcopum adquiſitos illis aſſenſit & firmavit. Eccleſiam ſcilicet de Carreſſa cum tota decima, eccleſiam de Mureg cum appenditiis ſuis, eccleſiam S. Johannis de Podio cum decima, &c* Addidit Sancius quartam partem panis & vini archidiaconatus de Bigbilh, & juſtitiam eccleſiarum & decimarum, aliorumque placitorum; exceptis tribus, clericorum videlicet in peccatis permanentium; miſſarum quoque & pœnitentium oblationibus. Et ſi forte in his duellum, vel aliqua diviſio advenerit, damnum * eis conceſſit. Additur in chartario: *Poſt multa vero tempora ſupradictus Sancius venerabilis epiſcopus videns multiplicari conventum canonicorum, conceſſit eis domum in perpetuum obſervandum, ut in uno quoque anno, in feſtivitate S. Mariæ Septembris, darentur eis quadraginta modii de tritico. Poſtmodum A.* * *epiſcopus ſucceſſor illius in eadem feſtivitate decem modios inſuper omni anno dari conſtituit. Dedit etiam eis eccleſiam de ſancta Confeſſa ex integro; pro qua unum ruſticum apud Ilbe donavit Gm.* * *abbati de S. Juliano reclamanti, ſe in ea jure hereditario dicenti jus habere.* Omnia eccleſiæ huic collata confirmavit poſtea Paſchalis II. anno Chriſti 1115. ſui pontificatus anno decimo quinto, Guidone jam ſedem Laſcurrenſem obtinente, de quo mox. Porro Sancio gubernante, coram Taleſa vicecomi-

ANNI CHRISTI. 1101.

* Gaſtonis.

* Sancius.

* Anſius II.

* f. Guillelmum.

a Cujus papæ privilegio pro S. Ægidii cœnobio ſubſcripſit.

a Damnum ibi ſignificat mulctam pecuniariam, quam pendere tenebantur, qui duello decertantes vincebantur, aut in examine per ferrum calidum cauſa cadebant, ut exponit vir eruditiſſimus P. de Marca.

ANNI CHRISTI.

tissa, nec non baronibus, disceptata est controversia inter canonicos Lascurrenses, & quemdam Exarnaldum, pro decimis & oblationibus ecclesiæ sancti Petri de Sevinhaco, quondam datæ ecclesiæ sanctæ Mariæ, ut liquet ex instrumentis tabularii.

ANNI CHRISTI. * Iidem visuntur decem.

X. GUIDO.

ubera. Guido de Locho, sive de Lodo, & de Lor, patria & origine Bearnensis, parente Arnaldo-Guillelmo de Locho, toparcha hujus loci, & Sancia Vaccha matre genitus; inter canonicos Lascurrenses, vivente Sancio admittus fuit annitente patre, qui legavit ei dimidium ecclesiæ de Cemuda, decimam de Lanardone, aliave dominia. Tunc vero temporis vocitabatur Calbetus; sed postquam suffragiis capituli ordinatus est præsul post Sancium, Guidonis nomen gessit. Factus autem episcopus, patris donationes in favorem cathedralis ecclesiæ a canonicis possidendas post excessum suum, episcopali privilegio sancivit, ac quædam pro anima fratris sui Cajardi de Lodo itidem donavit. Et ut erat augendorum ecclesiasticorum reddituum pro cathedrali ecclesia studiosissimus, nonnulla injuste per nobiles occupata, indefesso recuperavit labore. Inter cetera ecclesiæ suæ acquisivit dimidium honoris ecclesiæ S. Petri de Tesa.

1115. Ceterum jam ab anno 1115. Guido episcopus invenitur in tabulis. Biennio post componit controversiam Bernardi-Garciæ de Bisanos, donum a patre suo Raimundo factum irritare conantis. Præterea querelam movit Bernardo de Corberis, qui injuste occupabat casale de Luco, quod erat ex jure basilicæ Lascurrensis. Varias præsertim controversias habuit cum episcopis Bigorrensibus, ad recuperandam possessionem monasterii sancti Petri Generensis, quod intra limites episcopatus Lascarriensis situm foret, Tarbiensi tamen sedi, auctoritate Centulli vicecomitis attributum fuerat, de quibus exstant plurima & prolixa instrumenta in chartario Lascurrensi. Ex iis vero summam totius controversiæ legere licet l. v. hist. Bearnensis, auctore V. C. Petro de Marca, ubi plura de Guidonis vita commemoravit. Is subscripsit *Encyclica* Petri episcopi Cæsaraugustani, annr
1118. 1118. cum Petro antistite Toletano, apud Hieronymum Blancam in historia Arragoniæ. Adfuit concilio Toletano idibus Julii anno 1119. celebrato sub Callixto II. memoraturque anno 1118. in charta fundationis domus Albertini factæ per Gastonem & Talesam Bearnii vicecomitissam; a quo Guidone facta est concordia cum fratribus de sancta Christina: in eodem chartario Lascurrensi: & in altera scheda, una cum præposito, archidiacono & clericis ecclesiæ suæ, Guillelmus Pampelonensis præsul alteram pacem in communi capitulo cum clericis de sancta Christina comprobavit.

Inter cetera vero spectatæ ejus virtutis & religionis argumenta prætermitti non debet quod ecclesiæ cathedrali o namento sedulam operam impenderit, cujus chorum stravit opere musivo, cui insculpta cernuntur insignia * ejus domus. Quinetiam vir bellicosus, galea sumta adversus Mauros infideles, in Hispaniam copias duxit; enimvero apud Suritam, & Blancam reperitur inter ceteros Vasconum exercitus duces, quibus præerat Gasto Bearnensis princeps in obsidione Cæsarauguitana. Idem Blanca refert Guidonem chirographo suo approbasse indulgentiam seu relaxationem pœnitentiæ, quam Petrus antistes Cæsarauguitæ, ex auctoritate Gelasii papæ, Bernardi archiepiscopi Toletani, legati Romanæ sedis, & omnium episcoporum Hispaniæ concessit iis qui pecuniam erogarent pro struenda ac reparanda antiqua ecclesia nostræ dominæ de Pileis; cujus litteris noster episcopus subscripsit hac forma: *Ego Guido Lascurrensis episcopus hanc absolutionem facio & confirmo.* Decessit longiori proculdubio vita dignus episcopus, & rerum gestarum claritudine spectatissimus, mense Maio anno 1141. uti prodit vetus lapis tumulo superpositus. At cineres pii antistitis effodit Calvinistarum ac militum comitis de Montgomery furor, & in auras projecit. Superfuit vero solum ex his exuviis annulus episcopalis. Quin etiam lapidem sepulcralem a monumento eruerunt, & in plateam publicam ante cathedralem ecclesiam prætereuntium pedibus conculcandum transtulere ecclesiæ hostes, quoad Johannes de Salete episcopus tumbam intra absidem muri sacelli sancti Galactorii honorificentius collocari curavit; epigraphe autem vetus, cujus nomina quædam excidere temporum injuria, sic habet.... *Maii obiit dompnus* GUIDO *venerabilis memor..... turrensis episcopus, anno millesimo quadragesimo pr..... pacis* XI. *concurrente duo era millesima* CLXX.... *ab incarnatione Domini indiccio.* In sacello D. Galactorii hæc etiam inscriptio Latina legitur recentior: *Posteritati. Religiosissimi* GUIDONIS *episcopi Lascarrensis locum hic frustra quæres; hominum, non vetustatis injuria factum; ut sit ignorabilis. Nam cippum hunc lapidem, quinquaginta abhinc annis, contra jus fasque transtulerant ad ulmi muniendum aggerem pra foribus hujus basilica majoris, qui dolebant illum unquam egisse vitam. Tamen rever. & illustr. Johannes de Salette in sede Lascarrensi successor, hunc locum illi studiose dedit, & Guidonis nomen intermortuum fama restituit, ut saxum quod antea mortuum, nunc quasi vita restitutum testaretur. Anno Christi* M. DC. XX. *quo glorioissimus Ludovicus XIII. rex Christianissimus & dominus Benarni Palum advenit, blandaque auctoritatis justitia religionem & bona ecclesiastica restauravit, sicque epocha Ludovici, novaque ara libertatis ecclesiastica condenda occasionem prabuit.* Hactenus Marca in dissertatione de vita hujus antistitis.

XI. RAIMUNDUS II.

Raimundi hujus exstat mentio in charta dotis de Gabas, quæ pauperum est hospitium in Pyrenæorum montium faucibus, de concessione pascuorum armentorum in montibus Pyrenæis, facta in præsentia Petri vicecomitis Bearnii, & manu Raimundi Lascurrensis episcopi, atque Arnaldi Olorensis in plenaria curia apud

Marca l. v. c. 19.

ANNI CHRISTI. 1147

Morlas, menſe Julio in feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ anno 1147. Ejuſdem epiſcopi conſilio & Guaſcardæ vicecomitiſſæ, datur privilegium conſtruendi ſacellum in domo hoſpitali de Morlano 1154. ex ſcheda Morlanenſi. Cum autem Odo de Cadelione abſtuliſſet beatæ Mariæ eccleſiam, quidquidve poſſidebat in villa de Serres, idem præſul cum capitulo querimoniam detulit ad archiepiſcopum Auſcienſem, quia, inquit ſcheda chartarii Laſcurrenſis, non habebant vicecomitem niſi puerum parvulum Gaſtonem. Eodem anno exſtincta vicecomitiſſa Bearnenſi Guaſcarda, convenere apud Campum-Franchum omnes proceres, Arnaldus epiſcopus Olorenſis, Raimundus Laſcurrenſis, Raimundus abbas S. Severi de Gaſchonia, Fortaner d'Eſchot, Raimundus de Domi &c. cum magna multitudine, qui elegere ſibi in dominum & rectorem Bearnii, Raimundum comitem Barcinonenſem, Arragoniæ principem, *ſalva tamen fidelitate filiorum Petri vicecomitis Bearnenſis olim defuncti*, ex chartophylacio Barcinonenſi. Vide in Arnaldo II. epiſcopo Oleronenſi. Suſpicamur eum eſſe Raimundum d'Aſſa epiſcopum Laſcurrenſem, commemoratum in charta Madirani, de abbatia Betragenſi.

1147. 1154. Chart. Laſcur.

Tom. XI. fragm. pag. 281.

Circa idem tempus, ſcilicet ad an. 1163. D. Cl. Eſtiennot inducit quemdam epiſcopum dictum Robertum ja ſancto Johanne, ex cod. mſ. Aquenſi.

XII. Odo.

Adfuit concilio trium provinciarum, circa feſtum Pentecoſtes habito apud Vaurum, anno Domini 1168. hic epiſcopus fruſtra quæſitus in aliis catalogis.

1168.

XIII. Guillelmus.

Guillelmus hic licet omnibus inſertus catalogis, non idcirco magis nobis eſt notus; imo pauciora de ipſo ad nos pervenere. Itaque de illo unum aſſeritur, videlicet notatum ejus nomen ad annum 1170.

1170.

XIV. Sancius II.

Sancius cognomento Anerius, quandoque uno nomine duo complectente *Sanzanerius* dictus, jam auſpicatus erat epiſcopatum an. 1179. Anno 1181. teſtis eſt donationis factæ ſancto ſepulchro de Gavareto. Forte ipſe eſt Sanzanerius de Gerdereſt *præſul Bearni* cujus fit mentio in charta Madirani infra exhibenda, ubi agitur de quadam abbatia *Craboſſe* dicta. Porro illi quædam tribuuntur in Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum, quæ procul dubio ſpectant ad alium.

1179.

XV. Bertrandus I.

Reſtituendus eſt in Laſcurrenſium epiſcoporum catalogo Bertrandus hic, qui videlicet memoratur in partitione bonorum eccleſiæ facta inter ipſum & capitulum anno 1201.

1201.

XVI. Arsius II.

Ejus nomen occurrit in quadam conventione facta inter Raimundum-Garſiam dominum de Navailles & caſtri de Caſtelnau, & dominum Gaſtonem vicecomitem Bearni, Marſani &c. an. ab incarn. Dom. M. CC. V. tempore quo illuſtris Caſtellæ rex cum domino Angliæ rege pro Vaſconia contendebat, Arſio tunc Laſcurrenſi, & Bernardo Oleronenſi epiſcopis, ex tab. Sorduæ. Hæc perperam ad Sancium nonnulli referunt. Fuit etiam abbas ſancti Severi in capite Vaſconiæ, ut docet necrologium hujus monaſterii ubi legitur: III. *nonas Auguſti depoſitio domini Arſivi epiſcopi Laſcurrenſis & ſancti Severi miniſtri*, anno M. CC. XIII. In codice mſ. Aquenſi quem laudat D. Cl. Eſtiennot cognominatur de Caſtro-novo.

ANNI CHRISTI. 1205.

Tom. XI. fragm. pag. 282.

XVII. Raimundus III. DE BENAC.

Raimundus ex illuſtri dominorum de Benaco ſtirpe ortus, idem procul dubio eſt qui in chartario Laſcurrenſi anno 1203. legitur R. de Venach. Ipſum contendiſſe de epiſcopatu cum Arſio conjicimus, cui cum cedere coactus eſſet, poſtea ipſo mortuo, anno 1213. libere cathedram conſcendit. Teſtis legitur anno 1214. in donatione Gaſtonis vicecomitis Benearnenſis monaſterio beatæ Mariæ Silvæ-latæ, de tribus caſalibus, inſtrumento dato apud Moneins, III. nonas Februarii ejuſdem anni, in præfato tabulario Silvæ-latæ. Vivebat & 1220. ex libro antiquarum conſuetudinum Bearnii.

1214. 1220.

XVIII. A.

Anno 1231. Laſcurrenſis epiſcopus quidam erat ſola prima littera nominis, ſcilicet A. deſignatus in tabulis ſancti Severi referentibus A. (Amanevum) Auſcienſem archiepiſcopum, H. Bigorrenſem, & R. Oleronenſem epiſcopos, pacem inter Adurenſem præſulem, & A. Laſcurrenſem abbatem ſeu proviſorem ſancti Severi, Gregorii papæ IX. auctoritate renovaſſe, qua S. Severi monachi, ubicumque ſunt in Adurenſi diœceſi, ſive in prioratibus, ſive alibi, pronuntiantur liberi ab omni juriſdictione Adurenſis epiſcopi, menſe Decembri an. M. CC. XXXI.

1231.

XIX. Bertrandus II. DE LA MOTHE.

Bertrandus de la Mothe præfuit ab anno 1247. & inde ad annum 1256. ex libro laudato conſuetudinum, ac alio cenſuum capituli; ſed præſertim ex ſententia quam Rogerius comes Fuxenſis tulit inter Gaſtonem Benearnenſem vicecomitem, & Eſquivatum Bigorræ comitem, anno præfato 1256. Sabbato poſt Exaltationem ſanctæ Crucis. Huic judicio, quod edidit P. de Marca l. VII. c. 9. ex tabulario Pariſienſi, ſubſcripſit Bertrandus epiſcopus Laſcurrenſis, R. Olorenſis, Navarrus Aquenſis. In necrologio ſancti Severi in capite Vaſconiæ legitur, III. *cal. Novembris anni Dom.* M. CC. LXVIII. *depoſitio dompni Bertrandi epiſcopi Laſcurrenſis.*

1247. 1256. 1268.

XX. Arnaldus I. DE MORLANA.

Arnaldus ex nobili genere de Morlana, anno 1286. teſtis eſt judicii, quo monaſterium Silvæ-latæ attribuitur ordini Ciſtercienſi. Eodem anno ..... nonas Maii memoratur in litteris Gaſtonis

1286.

ANNI CHRISTI. Gaſtonis vicecomitis Bearn. domini Montis-catani (*Moncade*) & Caſtri-veteris, quibus ſignificat quomodo ſedens pro tribunali, convocata curia ſua baronum, militum & aliorum nobilium, ſpontanea voluntate filiam ſuam naturalem & legitimam Margaritam ſecundo genitam uxorem domini Rogerii Bernardi comitis Fuxi & vicecomitis Caſtri-boni emancipavit, & extra manum ſuam poſuit.

Paulopoſt v. idus Maii idem Gaſto præfatæ filiæ Margaritæ in augmentum dotis dedit vicecomitatum Bearnenſem, ſi abſque prole maſcula ipſe moreretur; & Bruleſium ac Gavardani pagos, ſi Gaſto filium legitimum haberet, & Conſtantia ejus primogenita careret prole: *Actum apud Morlanis anno* M. CC. LXXXVI. *regnante Philippo rege Francia, Eduardo rege Anglia & duce Aquitania, D. Gaſtone vicecomite Bearn. D. Arnaldo de Morlana epiſcopo Laſcurrenſi.* Adhuc præerat annis 1291. & 1292. proindeque is eſt epiſcopus qui in concilio provinciali Auxitano Nugarolii interfuit anno 1290. ex cujus actis in archivo Auxitano conſtat, proclamationem factam fuiſſe ſuper ſpoliatione epiſcopi Laſcurrenſis: *Moneatur*, inquiunt, *nobilis vir comes Fuxi & uxor ejus, ut infra quindecim dies poſt monitionem iſtam, reſtituant dicto epiſcopo Laſcurrenſi, civitatem Laſcurrenſem, caſtra, ac loca, & alia bona in monitione ſuper hoc contenta, alioquin excommunicationis ſententia ſint ligati.*

Chron. Bordegal.

In necrologio Laſcurrenſi ejus obitus notatur die 6. Septembris.

XXI. RAIMUNDUS IV.

Oeta. Raimundus Ogerius cum titulo epiſcopi occurrit in chartis ann. 1293. & 1300. Unus eſt ex epiſcopis provinciæ Auxitanæ ad quos rex Angliæ miſit epiſtolam de Vaſconia recuperanda, an. 1294. die 10. Julii datam; de qua vide in Amanevo Auxitano archiepiſcopo. In quodam inſtrumento anni 1301. legitur frater Raimundus, quod probat ipſum ex quadam religioſa familia fuiſſe aſſumtum ad cathedram epiſcopalem. Necrologium Laſcurrenſe obitum ejus aſſignat 15. Aprilis.

1293. 1301.

XXII. ARNALDUS II.

d'Arbouſſe. Arnaldum de Arbuſio legimus interfuiſſe ſynodo provinciæ Auxitanæ anno 1303. & alteri apud Nugarolium habitæ anno 1316. eidemque ſcripſiſſe Johannem XXII. anno 1317. Contra hæc pugnant quæ leguntur in nonnullis ſchedis de abbatibus ſancti Severi in cap. Vaſconiæ, ſcilicet Guillelmum de Podio-artino, (*Puy artin*) monachum hujus loci, Laſcurrenſem epiſcopum creatum eſſe anno 1304. qua dignitate depoſita, ſuſcepit regimen monaſterii ſancti Severi, mortuus circiter anno 1357. Sed parum certis fundamentis nititur hæc opinio. Necrologium Laſcurrenſe docet diem obitus Arnaldi de Arbuſio eſſe 24. Martii.

XXIII. GUILLELMUS-ARNALDUS.

Dicitur notari in libro cenſuum eccleſiæ, ad annum 1321. quibus licet admodum paucis nihil ſuppetit adjiciendum.

1321.

XXIV. RAIMUNDUS V.

Hic ex genere nobili baronum Andoinſiorum in Benearnenſi pago, epiſcopatum patriæ ſuæ jam obtinebat anno 1326. Anno 1329. die XI. Octobris, teſtis fuit pacis initæ inter Gaſtonem comitem Fuxenſem, Johannem comitem Armaniacenſem, & Gerardum vicecomitem Fezenſaguelli, qui compromiſſo facto, Philippi regis Navarræ judicio ſtare polliciti erant. Ejuſdem pacis conciliator fuit Bertrandus archiepiſcopus Ebredunenſis apoſtolicus nuntius. Anno 1330. adfuit concilio provinciæ Auxitanæ apud Marciacum per procuratorem Bernardum electum abbatem *Reulæ*, ſeu Regulæ. Anno 1342. hic epiſcopus *in remotis agebat*, quando abbas Regulæ & prior ſanctæ Mariæ de Serris vicarii ejus generales, unierunt eccleſiam ſancti Johannis d'Arrien, parthenoni ſancti Sigiſmundi apud Ortheſiam. Raimundi tempore, & ad ejus preces Bernardus epiſcopus Oleronenſis, tanquam delegatus a ſede apoſtolica, ſancivit anno 1345. ut in eccleſia Laſcurrenſi quindecim tantummodo canonici reciperentur. Eodem anno inſtituit annuas preces pro ſe poſt mortem faciendas, aſſignatis reditibus.

1326. 1329. *Balux. not. in vit. pap. col. 812.* *V. Ch. III. p. 199. col. 2.* 1345.

Annis 1346. & 1347. epiſcopus erat R. de Bearn. Num hoc nomine intelligendus eſt noſter Raimundus, an alius?

1347.

XXV. ARNALDUS-GUILLELMUS.

d'Andoins. Arnaldus-Guillelmus, Guillelmo-Odone domino d'Andoins patre ortus, inſcribitur ut epiſcopus libro cenſuum anno 1352. & memoratur in quodam Laſcurrenſis urbis inſtrumento an. 1354. Anno 1361. bene & religioſe de reſurrectione cogitans conſtituit partem decimarum caſtri Pugonis,[a] annuas preces fundentibus poſt obitum ſuum, pro ſuæ animæ ſalute. Anno 1362. vacabat ſedes.

1352. 1354. [a] 1362.

XXVI. BERNARDUS II.

Bernardus eodem anno viduæ eccleſiæ datus eſt ſponſus, quæ non diu ipſius fruita eſt ſolatio. Vix enim ſexennium in pontificatu explevit.

XXVII. ODO II.

Ab Odone regi cœperat eccleſia Laſcurrenſis anno 1368. Nominatur in charta cujuſdam præbendæ nuncupatæ *de Requiem*, in eccleſia ſancti Aniani loci de Momas inſtitutæ die 27. menſis Martii anni 1375. de quo tabulæ anni 1378. Adfuit die 5. Aprilis anni 1379. nuptiis Gaſtonis comitis Fuxenſis cum Beatrice filia Johannis comitis Armaniaci, ex tabulis matrimonii aſſervatis in archivo Rutenenſi; ex hujus archivi inventario facto jubente viro clariſſimo Johanne Colbert, regni adminiſtratore & ſummo rei ærariæ præfecto, quo nullus de Republica litteraria melius meritus eſt. Memoratur in publicis actis uſque ad annum 1401.

1375. 1401.

XXVIII. JOHANNES I.

Rexit anno 1402. teſtibus Oihenarto & do-

[a] In libro obituum Laſcur. quatuor dies obituum ipſi aſſignantur, IX Januarii, XXII. Februarii, XXII. Maii, & XXV. Novembris.

Digitized by Google

ctis fratribus Sammarthanis. At nos de hoc Johanne episcopo nihil invenimus.

ANNI CHRISTI. DE FOIX.

XXIX. PETRUS I.

1405. Petrus Fuxius (postea cardinalis) ab an. 1405.
1422. ad annum usque 1422. quo a Martino V. pontifice maximo revocatur, hanc ecclesiam rexit, inquit Oihenartus quem sequuntur Sammarthani fratres.

SALIN.

XXX. ARNALDUS III.

Arnaldus Salinus sedebat anno 1427.

D'ARADIS.

XXXI. ARNALDUS IV.

Annis 1428. & 1432. circumscribitur omne tempus quo hic episcopus cathedram obtinuit. In libro obituum notatur ejus mors die 30. Decembris.

DE FOIX.

XXXII. PETRUS II.

Præsul hic cognomento de Fuxo, & purpura cardinalitia conspicuus, cum jam foret episcopus Albanensis, sub titulo administratoris perpetui potitus est episcopatu Lascurrensi anno
1433. 1433. quem adhuc obtinebat anno
1453. 1453.

DE LEVI.

XXXIII. JOHANNES II.

Johannes Levius perillustri ortus ex genere, jura sacra Lascurrensibus dabat anno
1473. 1473. ut probant ecclesiæ tabulæ. Sed quo tempore accesserit, aut recesserit, decesserive, nobis incompertum.

D'ESPINAY.

XXXIV. ROBERTUS.

Robertus d'Espinay nobilissimis clarissimisque ortus parentibus Richardo d'Espinay & Beatrice de Montauban, frater Andreæ cardinalis archiepiscopi Burdegalensis, postea Lugdunensis (ut de ceteris ejus fratribus sileamus, qui pedum infulasque in nostra Gallia Christiana
1480. gesserunt) anno 1480. rexit ecclesiam Lascurrensem. Postea factus est Nannetensis præsul.

PERUZZI.

XXXV. BONIFACIUS.

Bonifacius filius Francisci Peruzzi de Florentia civis Avenionensis, & Helenæ Bicheriæ, regebat ecclesiam Lascurrensem mense Decembri anni
1495. 1495. Ejus mandato missale hujus ecclesiæ typis fuit impressum Pompelonæ anno 1496.

D'ALBRET

XXXVI. AMANEVUS.

Amanevus de Lebreto cardinalis administrator erat Lascurrensis ecclesiæ anno
1513. 1513. die 14. Maii. Conjicimus eum cessisse anno
1515. 1515. quo videlicet Leo papa X. ei creavit pensionem mille scutorum parvorum die 11. Julii, cujus
arrula bulla sive litteræ asservantur in tabulario castri
Leitoure. Palensis.

DE LA SALLE.

XXXVII. JOHANNES III.

Johannes de la Salle cathedram obtinebat
1519. anno 1519. ut liquido constat ex edicto erectionis consilii Benearnii factæ per Alanum de Lebreto pupillarem custodem Henrici II. Navarræorum regis.

ANNI CHRISTI. DE BEARN.

XXXVIII. PAULUS.

Paulus de Bearno, alias de Fuxo, ante episcopatum, fuerat abbas sancti Savini, ut jam diximus in abbatibus hujus monasterii diœcesis Tarbiensis. Anno 1514. erat etiam abbas Bolbonæ, nam in tabulario Palensi exstant litteræ Johannis regis Navarræ & Catharinæ reginæ, datæ die 11. Decembris anno 1514. quibus Paulus de Bearn abbas Bolbonæ procurator constituitur ad profitendam nomine ipsorum obedientiam Leoni papæ X. pro regno Navarræ, comitatu Fuxensi, & Benearnio.
Anno 1516. nondum, ut putamus episcopus, legatus regis Navarræ, scilicet Henrici constituitur, a quo provinciam accepit cum Gastone d'Andoins, renovandi fœderis inter hunc regem, & Franciscum I. Francorum monarcham, *Lit. C. n.* ex tabulario Palensi. Episcopale munus gessit *32.*
annis 1527. ac 1530. Jam e vivis excesserat anno
1527. 1533. die 20. Februarii, quo tempore legimus in
1533. tabulis sancti Savini Antonium de Rupeforti, hujus loci abbatem ratam habuisse quamdam locationem (arrandamentum) factam per vita functum Paulum de Bearnio episcopum Lascurrensem, sanctique Savini abbatem.

DE FOIX.

XXXIX. JACOBUS.

Jacobus de Fuxo abbas S. Volusiani & Regulæ, præfectus Benearni ac inferioris Navarræ, Henrici regis Navarræ cancellarius, suffectus videtur fuisse Paulo. Anno 1537. canonici majoris ecclesiæ, ex regularibus facti sunt seculares, auctoritate Pauli papæ III. Anno 1540.
1540. Jacobus de Foix episcopus Lascurrensis, mandato (procurationem appellant) accepto a rege reginaque Navarræ, una cum Francisco Olivario, & Johanne-Jacobo de Mesme, prætore civili apud Parisios, tractavit de pactis matrimonii inter principissam Navarræ & ducem *Ex autographo.*
Cliviæ, apud Anetum die 16. Julii anni ejus-
1551. dem. Constitutiones synodales correxit & auxit, anno 1551.

DE CAPDEVILLE.

XL. JOHANNES IV.

Johannes de Capdeville semel in tabulis publicis occurrit, videlicet die 17. Januarii anni
1554. 1554.

D'ARMAGNAC.

XLI. GEORGIUS.

Georgius de Armaniaco de quo jam non semel a nobis dictum, scilicet in episcopis Ruthenensibus & Vabrensibus, illorum episcopatuum possessioni addidit administrationem perpetuam Lascurrensis, qua jam donatus erat anno 1555. Postea translatus est ad metropoles Tolosanam & Avenionensem.

D'ALBRET

XLII. LUDOVICUS.

Ludovicus de Lebreto, vulgo etsi corrupte *d'Albret*, ab anno 1556. ad 1569. episcopus instituitur ab Antonio rege Navarræ, & Johanna d'Albret ejus uxore, præfectus vicarius Benearni anno 1561. Recensetur inter episcopos qui de pullulante tunc hæresi postulati sunt apud summum pontificem, ut supra observatum a nobis in Johanne San-Romano Aquensium archiepisc.

ANNI CHRISTI. Jagot.

XLIII. Johannes V.

Johannis Jagoti episcopi nomen nudum absque temporis nota legitur tum apud Oihenartum, tum apud Sammarthanos fratres, quos sequimur, cum Ludovico d'Albret subjiciendo. Alium episcopum nomine Calvetum exhibet quoque nobis chartarium Lascurrense, tempore quo præfuit dissimulato.

d'Abbadie.

XLIV. Johannes-Petrus.

1600. 1609. Johannes-Petrus d'Abbadie novennium episcopatus explevit, ab anno videlicet 1600. ad 1609. quem Papirius Massonus in descriptione fluminum Galliæ appellat diligentem rerum memorabilium patriæ suæ observatorem.

Salette.

XLV. Johannes VI.

Johannes de Salette genere Benearnensis, canonicus Ebroïcensis forsan beneficio Jacobi cardinalis Perronii hujus ecclesiæ tunc episcopi, ejusdem familiaris fuit; qui quidem ipsius opera usus est in celebri collatione quam habuit apud Fontem-bellaqueum cum Plessio Mornæo; ingenue enim fatetur eruditissimus præsul, se frequenter in concertatione hac expertum fuisse adjutorem nostrum Johannem, in perquirendis, proferendis, & explanandis patrum & veterum sententiis, de quibus disceptabatur. Ita probe notus Henrico regi IV. ab ipso designatus est episcopus Lascurrensis post obi-
1609. tum Johannis Petri d'Abbadie, an. 1609. Tunc abjecta omni cunctatione, una cum Arnaldo de Maytie Oloronensi præsule, omnibus animi nervis contendit ad recuperandas ecclesiæ possessiones ab heterodoxis occupatas, & res omnes quæ ad cultum Dei spectant pristinæ dignitati restituendas. Itaque post multos ex antlatos la-
1617. bores obtinuit an. 1617. a Christianissimo rege Ludovico XIII. decretum, quo pius & æquissimus princeps liberam omnibus quorum interesset, faciebat potestatem percipiendi reditus annuos ecclesiæ, qui jussu aviæ ipsius, Johannæ nimirum de Albreto reginæ fisco jam pridem fuerant addicti. Sed quominus executioni mandaretur obstiterunt judices consilii Palensis hæretica labe corrupti, maxime vero Dom. de la Force provinciæ prorex, qui Calvinistis in regem rebellantibus animos addebat. Itaque episcopus infractus regem iterum adire cogitur, qui tum Burdegalæ agebat, post fusas fugatasque ad Arenas Olonenses Subisii copias. Tum Johannes noster coram rege tanta verborum & argumentorum sententiarumque copia religionis causam peroravit, ut Christianissimus princeps protinus armata manu, longis & arduis itineribus in Bearnensem provinciam contenderit, ubi potestate regia fidem Catholicam, quæ ab annis septuaginta exsulabat, restituit & in pristinas revocavit sedes. Postea pius pastor, ut doctrinam ecclesiæ magis ac magis assereret confirmaretque, utilissimam catechesim elucubravit, inscriptam cardinali Perronio, quam Johannes-Henricus de Salette, ipsius ex fratre nepos ac successor, libro rituum Augustæ Ausciorum typis excuso inseruit. Hujus episcopi

A tempore Johannes de Bourdenave canonicus & officialis Lascurrensis, scripsit librum de curiis ecclesiasticis, quem suo nuncupavit episcopo. Vidit magno cum gaudio præsul optimus templa instaurata, pastores suis gregibus reditos; bona, dignitates, pristinum splendorem ecclesiæ restituta, priusquam ad Dominum migraret, anno 1632. quo die aut mense ignora- 1632.
mus; nam in elogio sepulcrali, quod illi posuit Johannes-Henricus de Salette ipsius ex fratre nepos & successor, neque dies, neque mensis, neque annus obitus notatur. Ceterum ab hoc elogio describendo abstinemus, quod nihil con- B tineat, præter ea quæ jam sunt a nobis observata.

ANNI CHRISTI.

Salette.

XLVI. Johannes-Henricus.

Johannes-Henricus de Salette, successor datus patruo in ecclesia Lascurrensi, episcopalis potestatis & dignitatis insignia suscepit inauguratus in ecclesia cathedrali Lascurrensi anno Christi 1632. pridie nonas Octobris. In ipso sui 1632.
pontificatus aditu, satis indicavit, quantus esset ejus in novatorum erroribus expugnandis ardor, quantumve salutis eorum procurandæ studium; quippe qui & coram & scriptis contra C ipsos assidue decertaret. Nam in lucem emisit varios de religione tractatus, quorum titulos exhibere sufficiet: Responsio adversus duos Calvinistas: Demonstratio contra septem articulos Calvinianæ confessionis: Confutatio responsionis ad priorem illam demonstrationem: Examen rationum in responso contentarum; Familiaris concertatio inter Catholicum & Calvinistam De mirabili in Eucharistiæ sacramento transubstantiatione: Consensus ecclesiæ Romanæ cum primitiva, tempore apostolorum, ecclesia. Quibus dissertationibus plures non so- D lum ex vulgo, sed etiam ex ministris, ut vocant, ad orthodoxæ fidei lumen sunt reversi.

Ceterum orator a comitiis Bearniæ destinatur ad regem Christianissimum, anno 1634. pro 1634.
tuendis Bearnicæ provinciæ antiquis consuetudinibus; qua de re luculentam orationem habuit. Anno Christi 1643. in solemnibus trium 1643.
ordinum provinciæ comitiis, quibus ipse præerat ut primus Benearniæ baro, delectus fuit, ad salutandum Ludovicum XIV. & regiam majestatem votis communibus, ac faustis acclamationibus prosequendam, necnon & ad Annæ reginæ matri pro more gratulandum. Ad meE liorem vitam commigravit die 21. Junii, anni 1658. 1658.

du Haut de Sallies.

XLVII. Johannes VII.

Johannes du Haut de Sallies abbas Leuntii diœcesis Baionensis, frater N. du Haut cognitoris regii in senatu Palensi, consecratur episcopus die 1. Decembris anni 1658. a Nicolao Se- 1658.
vin Sarlatensi episcopo, assistentibus Francisco Faure episcopo Ambianensi, & Johanne de Montpezat San-papulensi. Præstitit regi fidelitatis sacramentum die 5. Februarii anni sequentis. Obiit die 18. Aprilis anni 1681. ætatis suæ 1681.
anno 87. Mortem prospiciens & laudes hominum etiam post obitum metuens, testamento

ANNI CHRISTI.

suo cavit, ut suo sepulcro tantum inscriberetur: *Johannes de Sallies episcopus Lascurrensis in hoc tumulo diem resurrectionis expectat. Obiit nunquam moriturus die &c. ora pro eo.* A

ANNI CHRISTI

D'Esclaux.

XLVIII. Dominicus.

Dominicus d'Esclaux de Messelez senator fuerat in parlamento Palensi, & uxorem duxerat ex qua plurimos suscepit liberos, antequam ad episcopale munus vocaretur. Fuit autem designatus a rege Christianissimo die 31. Maii 1681. Adhuc est incolumis, & in custodia sui gregis assidue vigilat. 1681.

DE PRÆPOSITIS ECCLESIÆ LASCURRENSIS.

CApitulum Lascurrense habuisse olim præpositum probari potest ex statu ejus regularis; canonicis enim Regularibus ecclesias cathedrales obtinentibus præerat præpositus. Verum ante canonicos Regulares in ecclesia Lascurrensi receptos, jam habebat suum præpositum. Etenim anno duntaxat 1101. canonicis Regularibus hanc ecclesiam cesserunt monachi, ut diximus in Sancio I. episcopo, & probatur ex multis chartis, quas V. C. Petrus de Marca exhibet l. v. c. 9. p. 375. at vero diu antea leguntur præpositi, ut ex sequentibus palam fiet. B

Sancius erat præpositus, tempore Raimundi I. dicti Veruli episcopi, inter ann. 1040. & 1060.

Odo d'Espoei cum esset monachus S. Petri Generensis, quod monasterium tunc ad episcopum Lascurrensem pertinebat, constitutus est præpositus in ecclesia Lascurrensi, a Gregorio episcopo Raimundi successore; nec mirum, cum tunc monachi in hac versarentur & ministrarent ecclesia. Porro de Odone præpositura donato testis est Guido de Loth episcopus, in dissertatione qua sibi & episcopis Lascurrensibus asserit jus in monasterium Generense. C

A. Præpositus legitur in charta Guidonis episcopi, qui sedere cœpit anno circiter 1115. Eam exhibet Petrus de Marca lib. v. c. 24. pag. 429. col. 1. ubi legitur: *Notum sit..... quod Lascurrensis episcopus A. præpositus. S. archidiaconus & clerici &c.* Sed legendum: *Quod G. Lascurrensis episcopus, A. præpositus &c.* Sane infra G. id est Guido episcopus subscribit. Ceterorum nomina & res gestæ exciderunt.

ABBATIÆ DIOECESIS LASCURRENSIS.

SCripturi breviter de abbatiis, exordium sumemus a monasteriis veteribus quæ aut non amplius stant, aut statum mutaverunt.

I. S. Maria Lascur.

MOnasterium sanctæ Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ de Lascurris, vulgo *Lescar*, (modo sedes episcopalis Benearnensium) exordia sua debet Lopoforti de Serra Fortanerii filio, super cæde quam commiserat pœnitentia moto. Hist. Benearn. l. III. p. 213. & seqq. Ea de re legenda est charta 1. D

pag. 198. col. 1.

Hanc incoluere abbatiam monachi nigri ad annum 1100. quo eam Sancius episc. & abbas, consulente & approbante Gastone Bigerronum vicecomite, canonicis Regularibus cessit. Hist. Bearn. lib. v. cap. 10. pag. 373.

Lopofortis de Serra, Fortanerii militis de Serra filius, cædis pœnitens fit monachus; restaurato postea cœnobio sanctæ Mariæ & S. Johannis Baptistæ de Lascurris præfuit abbas finiente sæculo X. Vide chronicon Benearn. P. de Marca pag. 212. & 213. E

Garsias Lupi Lopoforti patri succedit. Hist. Bearn. lib. IV. c. 5.

Gregorius ex abbate sancti Severi in cap. Vasconiæ & episcopo Aquensi, Lascurrensium factus est episcopus circa an. 1060. & abbas.

Annerius Lascurrensis abbas occurrit in necrol. S. Severi in cap. Vasconiæ VI. cal. Junii, his verbis: *Ob. Fr. Annerius abbas Lascurrensis.*

II. B. M. de Sarranzia.

SAncta Maria de Sarranzia in oppido ejusdem nominis de Sarrances, in Bearnia, olim abbatia celebris, filia Gratiæ-Dei de Castello, de qua abbatia hæc leguntur in capite 21. antiquitatum Galliæ in provincia Bearniæ: *Urbs de Sarranzia* olim eleganti abbatia ordinis Præmonstratensis* insignita fuit: & idem auctor alibi de eodem monasterio subjicit, servatam olim ibi fuisse S. Mariæ imaginem miraculis satis famosam & populorum concursu celebrem; sed locum hunc ab Hugonotis destructum fuisse & funditus eversum. His consentit index Præmonstratensis. *Sarrances.

Ecclesia de Garos & ecclesia de Acons Olorensis diœcesis ad hanc abbatiam pertinebant.

In veteribus chartis nomina plurimarum abbatiarum nobis occurrerunt, quas suspicamur fuisse diœcesis Lascurrensis, sive quia in iis jura episcopalia percipiebat episcopus Lascurrensis, sive quia in instrumentis ad illas pertinentibus memoratur episcopus Lascurrensis, qui tunc præerat. In chartario prioratus Madirani, qui nunc est Jesuitarum collegii Tolosani, fit mentio abbatiæ de *Betrag*, cujus dimidiam partem nobilis vir Raimundus Bed da Roser dedit Madirano tempore Raimundi d'Assad Lascurrensis episcopi, *qui in illa ecclesia debita sua, scilicet episcopalia jura accipiebat.* In eodem chartulario Mammazra da Rozer ejusque uxor leguntur dedisse Madirano unum casalem in abbatia *de Craboſſe, Sanzanmerio de Ferdereſt præſule Bearni.* Ibidem memorantur abbatiæ de *Ferdereſt*, & *de Lanecaube*, ex quarum bonis assignantur decem solidi Madirano; cujus doni testis est episcopus *de Lescar.* S. Engratiæ abbas Arnaldus-Raimundus anno 1215. subscripsit diplomati Gastonis vicecomitis Bearni resti-

tuentis ablata eccleſiæ B. Mariæ Oleronenſis. Adhuc exſtat inſignis locus in tabulis geographicis notatus ſub titulo *S. Engrace.* At fortaſſe nomen abbatiæ his locis datum, etiam ſignificat quamlibet aliam eccleſiam. Nunc de duabus abbatiis quæ huc uſque ſuperſunt, ſcilicet ſancti Petri de Regula, & B. Mariæ de Silvalata, compendioſe eſt agendum.

MONASTERIUM SANCTI PETRI* de Regula, ord. ſancti Benedicti.

* & S. Vincent. de Mont.

Ch. IV. pag. 199. in f.

HOc monaſterium, juxta notitiam de ipſius fundatione & origine, quam legeſis inter inſtrumenta eccleſiæ Laſcurrenſis, ſitum legitur in pago Vaſconiæ qui Silveſtrenſis dicitur. Cœpit autem inſtitui temporibus comitis Willelmi-Sancii, favente Centullo Gaſtone vicecomite Benearni, aliiſque militibus & vicinis abbatibus, cum conſilio Arſii Raca Laſcurrenſis epiſcopi, qui ſedit ab anno circiter 977. ad quem Mabillonius refert Regulæ fundationem. Sed Centullus Gaſto tardius præfuiſſe legitur; hoc eſt circa annum 990. & anno 977. vicecomes erat Gaſto Centulli. Sed facile fuit ſcriptori pro Gaſtone Centulli ponere Centullum Gaſtonem; vel potius differenda eſt fundatio Regulæ ad annum circiter 984. quo Centullus cœpit regere, uti docet Petrus de Marca, hiſt. Bearn. l. IV. c. 4. Inter nobiles qui ad hoc monaſterium condendum contulerunt, laudatur Lupus-Garſias vicecomes Lupiniacenſis (*de Levigner.*)

Monaſterii auctores fuerunt duo clerici, qui poſtquam edocti fuiſſent diſciplinam monaſticam, ſeceſſerunt in quemdam locum vici ſancti Medardi de Deſeſt, unde pulſi ſilvam petierunt, ubi oratorium invenerunt ſub titulo ſancti Petri, cui miniſtrabat preſbyter Garſias nomine qui monachus factus eſt. Locus ille qui prius dicebatur Barba-podii, cœpit appellari *Regula*, ob regulam monaſticam S. Benedicti ibidem obſervatam.

ABBATUM SERIES.

I. Centullus abbas primus, cui Centullus Gaſto vicecomes Bearni locum ipſum ubi ſitum eſt monaſterium donavit.

II. Rabinus ſub eodem Centullo-Gaſtone præerat, a quo nimirum Barbæ-podii & Liſerati dominia accepit. Hic abbas abſolutam ſuis potiſſimum curis eccleſiam dedicari curavit.

III. Sancius abbas cui Sancius Vaſconiæ comes locum de Pardines cum domo de Momas conceſſit.

IV. Richardus innoteſcit ex cauſa mota inter ipſum & monaſterium de Squirs, ſuper eccleſia de Pontonis, quæ quidem in cœtu epiſcoporum Vaſconiæ coacto in cœnobio Regulenſi, ad finiendam litem inter epiſcopos Olorenſem & Aquenſem ſuper territorio de Soule, præfato monaſterio de Squirs adjudicata fuit.

V. Elias vivebat tempore Guidonis Laſcur. epiſcopi cui promiſit obedientiam his verbis ex libro cenſuali Laſcurrenſi pag. 206. deſcriptis: *Ego Helias nunc ordinandus abbas Regulæ, ſubjectionem & reverentiam articulis præſentibus conſtitutam & obedientiam ſecundum præceptum S. Benedicti, ſanctæ ſedi eccleſiæ Laſcurrenſis in præſentia dompni epiſcopi Guidonis ſibi & ſucceſſoribus ejus perpetuo me exhibiturum promitto & propria manu firmo.* Hic autem epiſcopus ſedit ab anno circiter 1115. ad annum circiter 1147. Obiit Elias VI. Aprilis idus ex necrologio S. Severi in capite Vaſconiæ, ubi ſic legitur: *Obiit D. Helias abbas S. Petri de Regula monachus noſtræ congregationis.*

VI. Odo ſimul prior Morlanenſis coævus fuit Arnaudi Oleron. epiſcopi, memoraturque in charta annorum ſaltem quingentorum. Exceſſit e vivis calend. Maii, ex necrologio S. Severi in capite Vaſconiæ.

VII. Petrus Dalmas anno 1162. precum iniit ſocietatem cum Arnaldo de Montras priore de Patricianis.

VIII. Bernardus I. anno 1233.

IX. Arnaldus Bruni ſucceſſor Bernardi legitur.

X. Johannes I. abbas Reulæ-Silveſtris anno 1308. quo teſtis eſt compromiſſi facti inter Amanevum Auſcienſem archiepiſcopum, ejuſque capitulum ex una parte, ac Vitalem abbatem Caſæ-Dei ord. Præmonſt. ex altera, die 10. exitus Junii, ex tabulario Caſæ-Dei.

XI. Bernardus II. eligitur abbas anno 1319. ſtatimque Laſcurrenſis epiſcopi procuratorio nomine interfuit concilio provinciali apud Marciacum hoc anno contra auctores cædis epiſcopi Adurenſis congregato. Vide Labbeum in collect. concil.

XII. Bertrandus anno ſexto Urbani papæ V. hoc eſt 1368. ex actis pontif. Avenion.

XIII. Guillelmus ex priore S. Vincentii de Luco factus eſt abbas S. Petri de Regula, bulla ejuſdem ſummi pontificis Urbani V. anno ſexto, ex ſchedis D. Suarez. Deceſſit an. 1372.

XIV. Raimundus ex monacho S. Severi in capite Vaſconiæ, Guillelmo ſuffectus eſt bulla Gregorii XI. data pontificatus ejus anno 2. Chriſti 1372. ex actis pontif. Avenion.

XV. Arnaldus-Guillelmi 1436.

XVI. Johannes II. de Salette abbas ſeu adminiſtrator perpetuus anno 1481.

XVII. Jacobus de Foix epiſcopus Laſcurrenſis, magnus eleemoſynarius Henrici regis Navarræ, abbas erat anno 1538. ex charta Fontis-Guillelmi.

XVIII. Johannes III. de Caſa-nova 1552. cujus tempore heterodoxi chartas & ædes combuſſerunt.

XIX. Johannes IV. de Sales in jure canonico baccalaureus, abbas Regulenſis, anno 1614.

XX. Apollo d'Albret annis 1612. & 1625

XXI. N. Courtin an. 1654.

XXII. N. Lamouroux an. 1650.

XXIII. Gabriël de la Roque Prielle, epiſcopus Baionenſis, obiit menſe Julio 1688.

XXIV. Henricus-Xaverius de Bethune, epiſcopus Maſſilienſis nominatur abbas 14. Aug. an. 1688.

Digitized by Google

ABBATIA SILVÆ-LATÆ, vulgo *Sauvelade*, primum ord. S. Benedicti, poſtea Ciſtercienſis. A

MOnaſterium B. Mariæ de Silva-lata, in pago Benearnenſi ordinis S. Benedicti, monachos prius incolas habuit, ut legitur in notitia de ejus fundatione mox ſubjicienda; poſtea ceſſit Ciſtercienſibus de linea Morimundi & filiatione Gimundi. Conſtructum fuit a Gaſtone vicecomite Bearni & Talaſia ejus conjuge, Centulloque filio, anno 1127. Quædam notitia de fundatione hac & primis Silvæ-latæ habitatoribus, quam legi tom. XI. fragment. hiſtor. D. Cl. Eſtiennot p. 127. laudatis fundatoribus addit Guidonem Calbertum de Loos epiſcopum Laſcurrenſem. B

Notitia fundationis Silvæ-latæ.

NOtum ſit poſteris, quod Gaſto vicecomes de Bearno, nobilis & ſtrennus homo, cum Hiſpaniam intrare vellet ad ſubigendos Sarracenos, in Sylva-lata quoddam monaſterium conſtruxit ſub regula ſancti Benedicti patris, & monachis dedit de reditibus, &c.

Diploma Gaſtonis vicecomitis Benearnenſis, pro Silvæ-latæ fundatione. C

EGo Gaſto vicecomes Bearnenſis & uxor mea Taleſa & filius meus Centolus in Sylva quæ vocatur Fajet in loco qui dicitur Silva-lata, quæ hereditario jure mihi ſuccedit, donamus Deo & ſanctæ Mariæ, & domno Helya abbati ejuſdem loci & fratribus ibidem Deo ſervientibus, præſentibus & futuris, locum ad inhabitandum. Donamus quoque in eadem Sylva in nemoroſo vel in plano quidquid eis neceſſarium fuerit domibus ædificandis, &c. Actum anno M. C. XXVII. VIII. *idus Aprilis.* Vide hiſt. Bearn. lib. V. c. 21. D

Plures aliæ chartæ editæ ſunt paſſim in hiſt. Bearn. lib. V. Abbates non paucos variis ex monumentis erutos hîc ſubjicimus.

SERIES ABBATUM.

I. Elias primus abbas Silvæ-latæ anno 1119. ex diplomate Gaſtonis vicecomitis.

II. Bertrandus ſecundus abbas dicitur in donatione Roberti vicecomitis de Tartas. Donum excepit Talaſiæ Bearnii vicecomitiſſæ, qua etiam præſente W. de Villa-nova ſe ipſum & unum caſale eidem Bertrando tradidit.

III. Matthæus ex veteri notitia quam legimus tom. XI. fragment. hiſtoricorum D. Cl. Eſtiennot p. 128. E

IV. Gerardus de Artigamara 1168. 1171. & 1177. quo anno terram de Lobreges a Burgundio de Roſſe comparavit.

V. Arnaldus I. 1190. & 1194. quo anno Gaſtonem Bearnii vicecomitem munificum expertus eſt. Reperitur etiam anno 1195. quo mortuus eſt ex laudata notitia.

VI. Bernardus I. 1195. & 1201. Is miſſam nuptialem Gaſtoni vicecomiti & filiæ comitis Convenarum, apud S. Mariam de Mured celebravit.

VII. Antonius.

VIII. Philippus.

IX. Jacobus.

X. Petrus.

XI. Geraldus 1210.

XII. Willelmus I. de Gado 1222.

XIII. Willelmus II. de Bello-monte, cui 1223. R. vicecomes Bearnii dat unum caſale.

XIV. Arnaldus II. de S. Avito 1230.

XV. Petrus I. 1235.

XVI. Aimericus 1236.

XVII. B. 1237.

XVIII. R. Didecuas 1244. & 1247.

XIX. Guillelmus 1257.

XX. Vitalis ſe ſuumque monaſterium anno 1286. abbatiæ Gimundi ſubjecit. Vide inter inſtrumenta. *Ch. V. pag. 119. col. 2.*

XXI. Bernardus II. de Lagomio reſignat abbatiam in manu abbatis Gimundi, an. 1332. Id tamen continuo minus probatum videtur, quando ſediſſe adhuc anno ſequenti reperitur in tabulario Gimundi.

XXII. Johannes I. abbas ibidem occurrit, an. 1334.

XXIII. Johannes II. de la Salle an. 1436.

XXIV. Bernardus III. de Barbel, 1476. obiit 1517.

XXV. Johannes III. de Vineo electus 1517. eodem anno confirmatur ab Aimerico de Bidos abbate Gimundi.

XXVI. Petrus II. de Maillos, ex illuſtri apud Bearnenſes proſapia 1538.

XXVII. Bernardus IV. du Barbier multa pertulit ab hæreticis.

XXVIII. N. Boyer pro defenſione ſui monaſterii ab hæreticis occiſus.

XXIX. Johannes IV. de Sales 1562. Ejus tempore monaſterium juſſu Johannæ reginæ ſolo æquatum eſt, venditæque ipſius poſſeſſiones 17. Maii 1578. pretio 8500. ſcutorum parvorum Franciſco de la Borde de Lagor, qui teſtamento ſuo eas reliquit Gentiano filio ſuo.

XXX. Arnaldus III. de Maytie epiſcopus Oleronenſis.

XXXI. N. de Senay in parlamento Palenſi ſenator deſignatur abbas die 15. Auguſti anno 1714.

Digitized by Google

BAIONENSIS ECCLESIA.

* 1. Nive. * 2. Adour.

BAIONA urbs celebris ad confluentes Nivi* & Aturi* fluviorum posita, tribus tantum leucis abest ab Oceano, cujus exæstuantis frequenti accessu naves cujuslibet magnitudinis ad hunc portum appelluntur ex Gallia, Hispania, Britannia insula, denique tota ex Europa. Baiona autem dicta creditur a quingentis circiter annis, ob commodum portum hunc, quasi *Baia-ona*, id est bonus portus, seu *Baja-june*, hoc est, juxta Oihenarti Vasconis sententiam, locus seu regio portus.

Antiquum celebris hujus urbis nomen fuit Lapurdum, quod adhuc in pago & agro Baionensi perseverat; dicitur enim vulgo *païs de Lapord*, & *de Lapourd*, corrupte *de Labourd*. Lapurdi meminit Notitia imperii Romani his verbis: *In provincia Novempopulana tribunus cohortis Novempopulanæ Lapurdo.* Sidonius ludens cum amico Trigetio epistola XII. libri VIII. & invitans eum ad epulas ait: *Hic Aturricus piscis Garumnicis mugilibus insultet; hic ad copias Lapurdensium locustarum, cedat vilium turba cancrorum*; locustas appellans carabos, qui ad Aturri ostia capiebantur, & adhuc in hac abundant ora, dicunturque langostæ ab indigenis. In pactione Guntramni & Childeberti regum, inter urbes quæ Charibertus rex possederat *Lapurdum* recensetur, *cum Vico-juli, Conseranis, & Albige.*

Lapurdum esse Lutarburgium Tarbellonum coloniam, in veteri lapide a Goltzio & Panvino viso signatam censent eruditi. Olim quoque appellabatur civitas Boatium. Boates autem perperam a Josepho Scaligero, Boii existimantur, *le païs de Buchs*, qui, ut pote vicinus agri Burdigalensis, non Novempopulanæ provinciæ, sed Aquitaniæ II. tribuitur. Lapurdi, nunc Baionæ, vetustatem arguit veterum mœnium forma, aliarum urbium non vulgaris antiquitatis structuræ accommodata, inquit Oihenartus. Sub Angliæ regibus Aquitania potitis floruit hæc urbs; asseritque ad an. 1239. Thomas Walsingamus in hypodigmate Neustriæ fuisse olim Basclorum caput & regni sedem. Secundum dignitate locum ob commodum portum, frequentes naves, vini mercatum, viros bellatores, quos commendat inviolata erga principes suos fides, inter Gasconiæ civitates Baionæ tribuit Matthæus Westmonasterienſis; scilicet post Burdigalam primariam sedem. Nunc Baiona caput est præfecturæ, cujus termini sunt, ab ortu Bearnensis provincia, & inferior Navarra, ab occasu mare, a Septentrione Aquensis præfectura, a Meridie Pyrenæi montes & Vedasso amnis, subestque parlamento Burdigalensi. Suos quondam habuit dominos vicecomites dictos, quorum seriem ab anno circiter 1060. exhibet Oihenartus l. III. c. 13.

De optimo Baionæ portu supra meminimus, ex quo etiam nomen ejus diximus desumtum. Attamen a trecentis circiter annis Aturri fluvii ostia, quibus influit in Oceanum, ingentes arenarum moles vi ventorum & maris æstuantis congestæ pene obstruxerant, ac navibus aditum præcluserant. Sed Oihenarti ætate, ut ipse narrat, exorta gravis tempestas, omnes illas arenas, quæ fluminis ostia insederant, illico dissipavit, prioremque fluvii alveum, quod humana opera non potuerat, pervium fecit: *Hujus cælestis beneficii memoriam* Baionensis *populus solemni supplicatione quotannis celebrat*, inquit Oihenartus. Hæc de politico statu, nunc de ecclesiastico.

Baionensis episcopatus, qui subditur Auscienſi metropoli, initia obscura sunt, ut infra dicemus; ejus vero fines describuntur in hac Arsii charta, quam idcirco typis mandandam duximus:

Ex chartul. Bazadensi ecclesiæ.

In Dei nomine, ego ARSIUS *indignus & humilis Laburdensis episcopus, volo tradere notitiæ successoribus & posteris, ea quæ nostro episcopatui, scilicet B. Mariæ Laburdensis subjacent loca. Idcirco hæc subtili & canonicali auctoritate subnotamus, ne forte, quod absit, successores nostri episcopi, vel archidiaconi in dubio sint laboraturi, quæ in nostro jure subjacent, seu quæ priscis temporibus ipsa Laburdensis ecclesia publico auxilio, vel consilio fidelium canonice acquisivit. Non enim dignum videtur, ut aliqua fraus in sancta catholica & apostolica ecclesia laboret, sed potius veritas, quæ ab auctore mundi semper erigitur. Et ideo quæ post mortem testificari non possumus, authentica auctoritate, & exemplo scriptum verissimis in membranes reliquimus, ut omni dubietate postposita, prælatores S. Laburdensis ecclesiæ cum pace quod invenerint testificatum, nostro testimonio vel sanctum, absque adminiculo ullius anxietatis teneant, ipsamque sanctam matrem ecclesiam ex acquirendis, vel acquisitis pristino in honore restaurent, & ad posse ex stipendiis subjacentium fideli modo edificent. Omnis vallis quæ Cirsia dicitur usque Caroli Cruce [a]. Vallis quæ dicitur Bigur. Vallis quæ Erberua dicitur. Vallis quæ Ursazia dicitur. Basten item Vallem usque in medio portu Belat. Vallem quæ dicitur Latin. Terra quæ dicitur Ernania, & S. Sebastianum [b] de Pusico usque ad sanctam Mariam de Aarosth, & usque ad sanctam Trianam. Has tenemus & possidemus in dominio S. Mariæ Laburdensis ecclesiæ, eo tenore, ne unquam ab episcopo vel archiepiscopo fiat ulla contradictio, vel proclamatio successori nostro, sed potius sit affirmatio. Hæc autem affirmatio seu stipulatio facta est in præsentia domini archiepiscopi Auxiensis Odonis, necnon & aliis vi-*

a Hujus Crucis mentio fit in chronico Viziliacensi, ubi agit de ditionibus quas Ludovicus rex Francorum dictus Junior ducta in matrimonium filia Guillelmi Aquitanorum ducis comitisque Pictavorum, Francorum regno addidit: *Omnem Aquitaniam, Gasconiam, Basloniam, & Navarriam, usque ad montes Pyrenæos & usque ad Crucem Caroli*; quæ posita erat in excelsiori Pyrenæorum loco, ubi nunc sacellum sancti Salvatoris, ad Yvaneram, inquit Oihenartus Notitiæ Vasconiæ l. III. c. 4. De Baiona ejusque episcopatu consulendi sunt laudatus scriptor & V. C. Petrus de Marca in hist. Bearnensi.

b Fanum sancti Sebastiani in Ipuscua provincia.

ris religioſis, clericis & monachis. Vigente domno apoſtolico Romano pontifice Benedicto, regnante Hugone Magno [a] *rege Francorum, imperante duce Gaſconiæ Willelmo Sancio. Sig. Arſivi qui hanc fieri vel confirmari juſſit. Sig. archiepiſcopi Auxienſis Odonis. Sig. Waſtonis Centulli vicecomitis. S. Lupi Anerii vicecomitis. S. Arnaldi Lupi vicecomitis Aquenſis. S. Salvatoris abbatis ſancti Severi. Si quis contradicere voluerit, repetitio ejus ad nihilum redigatur, & niſi reſipuerit, victus canonicali judicio anathema ſit.*

Hanc finium deſignationem confirmavit reſcriptum Urbani II. pontif. v. idus April. indict. XIII. anno Incarnat. 1106. item alterum Cæleſtini III. 1194. in quo fines Laburdenſis epiſcopatus explicantur his verbis: *Vallem quæ dicitur Laburdi. Vallem quæ dicitur Arberoa. Vallem quæ dicitur Orſais. Vallem quæ dicitur Cizia. Vallem quæ dicitur Baigur. Vallem quæ dicitur Baſtan. Vallem quæ dicitur Lerin. Vallem quæ dicitur Leſſeca. Vallem quæ dicitur Ocarzu uſque ad S. Sebaſtianum.*

Ex hoc pervetuſto inſtrumento habemus patronam Baionenſis eccleſiæ eſſe Deiparam Virginem.

In diœceſi 101. eccleſiæ parochiales numerantur, 72. in ditione regis Franciæ, & 30. ſub regis Hiſpaniarum dominio. Porro anno 1566. Pius papa V. ad petitionem Philippi II. regis Hiſpaniarum, mandavit ut infra ſex menſes epiſcopus Baionenſis & archiepiſcopus Auxitanus vicarios & officiales ex Hiſpaniarum regnis oriundos deputarent in regno Navarræ in provincia Guipuſcoa, qui parochias diœceſis Baionenſis in dictis regno & provincia ſitas nomine epiſcopi regerent; alioquin Pampelonenſi & Calaguritanenſi epiſcopis mandat ut eiſdem parochiis provideant, ne in Lutheri, aut Calvini errores incidant. Cum pontificis mandato defuiſſent Baionenſis & Auxitanus præſules, 30. parochiæ a Baionenſi diœceſi diſtractæ ſunt.

Intra hujus diœceſis fines duæ ſunt abbatiæ; una in Francorum ditione, ſcilicet Leunſium; alia, quam appellant Urdacium, intra Navarræ fines, ſub Hiſpaniæ regis poteſtate. De iis ſeorſim infra nobis agendum.

In urbe Baiona ſunt ſeptem religioſorum aut monialium familiæ, Dominicanorum, Fratrum Minorum, Carmelitarum, Auguſtinianorum, Minorum Capucinorum, qui admiſſi ſunt anno 1615. Virginum S. Claræ filiarum, & earum quæ a B. Mariæ Viſitatione nomen acceperunt. Minores dicti Recollecti conventum habent apud fanum S. Johannis Luzi. Nunc vero epiſcoporum, qui Baionenſem eccleſiam rexerunt, hiſtoriam e tenebris eruamus.

EPISCOPI LAPURDENSES, ET BAIONENSES.

ANNI CHRISTI.

IN ſerie Lapurdenſium & Baionenſium præſulum ad nos miſſa, primus epiſcopus legitur Iſcaſſius, qui notatur ad annum 381. Verum nullis rationibus munitur ſententia quæ huic primo patrocinatur antiſtiti. Aliis placuit primatum hunc conferre in quendam ſanctum Sulpicium epiſcopum, quem alii Baionenſem, Bajocenſem alii eccleſiam rexiſſe contendunt. In veteri martyrologio quod exhibet Spicilegii tomus IV. legitur: VI. *cal. Februarii Sulpicii epiſcopi*; ſed ejus epiſcopalis reticetur ſedes.

Ex vulgata Lapurdenſium opinione, B. Leo cum Rotomagenſem pontificatum gereret, in Hiſpaniam a Romano pontifice ad confirmandos Chriſtianos in fide a Saracenis vexatos legatus, Baionam appulit, ibique dum vitæ exemplo & ſacris concionibus rem Chriſtianam promoveret, a piratis & facinoroſis hominibus quorum vitia inſectabatur cæſus, Divorum albo inſcribi meruit die primo Martii, regnante Carolo Simplice; floruitque anno Chriſti 900. In antiquo breviario Baionenſi, Leo dicitur Lapurdenſes cum Eleutherio & Gervaſio ſociis, fidei myſteriis initiaſſe, ejuſque officium in proprio eccleſiæ tanquam patroni celebratur. Attamen ex noſtrorum antiſtitum albo (ita loqui cogit amor veri) S. Leo expungendus videtur: nam quæ de eo narrantur, omnia fabulam redolent, nec ulla vel umbra veritatis, aut veriſimilitudinis, ejus epiſcopatus poteſt ſtabiliri. Et vero quod archiepiſcopus Rotomagenſis fuiſſe dicitur, omnino falſum eſt. Nam in nullo antiquo aut recentiori ante Prevotium archiepiſcoporum indice reperitur. Certe abbas ſancti Sigiranni, eo in officio quod de eodem ſancto compoſuit eum ſincere fatetur non fuiſſe epiſcopum. De eo conſulendus eſt Bailletus ad diem 1. Martii, ubi pernegat eum cathedram obtinuiſſe Rotomagenſem.

ANNI CHRISTI.

Gumbaldus, frater ducis Vaſconiæ, omnes fere ducatus illius epiſcopatus obtinebat, anno circiter 977. Unde non temere poſſumus conjicere Lapurdenſi eum eccleſiæ præfuiſſe. Attamen id certo non conſtat. Itaque primus de quo dubitare non licet hujus ſedis epiſcopus eſt Arſius.

I. ARSIUS, vel ARSIVUS.

Arſius tempore Benedicti papæ VII. Lapurdenſem gubernavit eccleſiam anno circiter 980. Ipſius ſollicitudini debemus circumſcriptionem diœceſis, & limitum ejus definitionem, quam exhibet vetus illud monumentum jam a nobis in exordio præmiſſum. Nec plura nobis ſuppeditat de hoc epiſcopo tabularium Baionenſe. Porro hic Arſius videtur idem eſſe ac Arſias Racha, de quo in epiſcopis Oloronenſibus & aliis jam actum. 980.

II. RAIMUNDUS I.

Raimundus dictus Vetulus epiſcopatus Va-

[a] Odhenarius exiſtimat Hugonis Magni nomen hic a recentiori aliquo additum, dum illud monumentum chartulario inſeredum curaret.

ſconiæ

ſconiæ pleroſque poſſedit; ſcilicet Vaſatenſem, Aduренſem, Aquenſem, Lapurdenſem, Oloronenſem & Laſcurrenſem. Sedebat ab anno 1025. ad annum circiter 1059.

ANNI CHRISTI. 1025. 1059.

III. RAIMUNDUS II.

Raimundus dictus Junior, ſenioris nepos, ex fratre an ex ſorore ambigimus, cum jam Vaſatenſis præſul eſſet, hortatu Auſtindi metropolitani Auſcienſis, accedenteque Nicolai ſummi pontificis auctoritate, Laburdenſis eccleſiæ regimen capeſſivit ad ipſam reſtaurandam, quod feliciter eſt exſecutus. Nam cum bona epiſcopatus inveniſſet dilapidata & diſtracta, inquiſitione diligenti adhibita, didicit ea eſſe in Lapurdenſis vicecomitis dominio. Is tunc erat Fortunius-Sancius, quem epiſcopus adiit fratremque ipſius Lupum-Sancium; & ab eis obtinuit ut de iis quæ velut propria poſſidebant, partem eccleſiæ reſtituerent. Chartam integram de hac reſtitutione, ex libro aureo deſcriptam, quam Petrus de Marca ſuis de hiſtoria Bearnenſi lucubrationibus inſeruit, edi curavimus inter inſtrumenta. Sedit hic antiſtes ab anno circiter 1059. ad 1063. Vivebatque tempore Rogerii ſeu Otgerii Convenenſis epiſcopi; nam legimus in chartario Aquenſis eccleſiæ Raimundum II. Laburdenſem epiſcopum olim priorem Auſcienſem teſtatum eſſe Petrum abbatem Simorræ, clerico in extremis poſito pœnitentiam dediſſe.

C. I. p. 100. col. 1.

1059. 1063.

IV. BERNARDUS I.

Bernardus patria Aſtaracenſis, ex Electenſi monacho creatus eſt Laburdenſium epiſcopus. Anno 1106. a Paſchali II. bullam protectionis obtinuit. Quandiu ſedem hanc tenuerit ignoramus. Jam ad aliam migrarat, ſcilicet ad Auxitanam metropolim anno 1118. ut in Auſcienſibus archiepiſcopis probavimus. Huic præſuli catalogus recens factus & nobiſcum communicatus præmittit Guillelmum quendam ignotum Oihenarto & Sammarthanis. Is forſan eſt Willelmus de quo mox agemus.

1118.

V. GARSIAS I.

Etſi de illo antiſtite nihil inter vetera nobis occurrerit inſtrumenta, obſequamur tamen doctis viris, qui de Lapurdenſibus epiſcopis ante nos ſcripſere. Omnes enim Garſiæ epiſcopi meminerunt ad annum 1120. Plurima ſuæ contulit eccleſiæ, cujus fuerat canonicus, & archidiaconus de Maya.

1120.

VI. WILLELMUS I.

Ex tabulario Sorduæ prodit hic epiſcopus; ibi ſiquidem legimus Guillelmum totius Aquitaniæ ducem filium Guillelmi donum a ſuo patre factum eccleſiæ ſancti Johannis-Baptiſtæ de Sordua, confirmaſſe propria manu ſubſcribendo. Porro in diplomate teſtes leguntur Guido Laſcurrenſis ab anno 1115. ad 1141. epiſcopus, Gaſto Bearnenſis vicecomes; & Willelmus Lapurdenſis præſul. Guillelmus Aquitaniæ dux hujus privilegii auctor anno 1137. Gaſto vero vicecomes anno 1131. obiit ex Oihenarto. Ex quibus obſervationibus colligi poſſet Willelmi epiſcopatum concluſum inter annum circiter 1120. & 1131. Sed annis paucioribus conſtitit, ut jam probaturi ſumus.

VII. RAIMUNDUS III.

De Martres.

Raimundus cognomento Martrius, S. Severi in capite Vaſconiæ monachus, ex necrologio ejuſdem monaſterii nobis innotuit; ubi etiam quo tempore epiſcopatum vitamque reliquerit notatur. Ipſi G. Aquitaniæ dux mediam partem urbis Baionæ conceſſit diplomate quod inter inſtrumenta habes. Ejus obitus ita notatur in laudato necrologio: *x. cal. Maii obiit bona memoria Raimundus epiſcopus Laburdenſis eccleſiæ & monachus noſtræ congregationis in cap. Vaſconiæ* M.C.XXV.

C. II. pag. 201. col. 1.

VIII. ARNALDUS-LUPUS.

Arnaldi-Lupi cognomento Beſſaburi nomen in omnibus catalogis reperimus; quamquam nullibi quidnam geſſerit ſcriptum legatur. Recentior catalogus eum revocat ad annum circiter 1141.

1141.

IX. ARNALDUS I.

Formatelle.

Arnaldus hic alter cognomento Formatellus ſedebat anno 1149. inquiunt poſt Oihenartum Sammarthani fratres. Conſentit recentior catalogus.

1149.

X. FORTANERIUS.

Fortanerius præfuit circa annum 1150. Exſtat in chartario Baionenſi documentum vetus oppignerationis decimæ ſancti Martini factæ a comitiſſa ſeu vicecomitiſſa Maritimæ * pro quibuſdam ſolidis quos Navarrus vicecomes ejus natus iterum Fortanerio epiſcopo pignori obſtrinxit. Sed quia eo tempore tantum valebant Pictavini, quantum [a] Morlani, ſtatutum fuit, ut ſi dictus Navarrus decimam de manu Baionenſis epiſcopi ſolvere vellet, & Pictavini minoris eſſent pretii quam Morlani, tot daret Pictavinos, qui Morlanis æquivalerent, ſpondente Bertrando vicecomite Baionenſi, & filiis Petro-Bertrando, & Arnaldo-Bertrando: hæc ex tabulis apud Petrum de Marca lib. 4. cap. 16.

1150.

* Mauma?

[a]

Fortanerius a Richardo filio Henrici Anglorum regis confirmationem obtinuit doni mediæ civitatis quod Raimundo de Martres fecerat Guillelmus Aquitaniæ dux, teſte Willelmo-Bertrando epiſcopo Aquenſi. Ejus tempore Bertrandus vicecomes Baionenſis conſilio baronum ſuorum definivit quid Laburdenſes & Arboreæ homines ex hac vita migrantes dare deberent epiſcopo. Chartam retulimus inter inſtrumenta. Petrus Bertrandus vel Bertrandi vicecomes Laburdenſis eccleſiæ Baionenſi donum facit in manu Fortanerii epiſcopi. Hoc autem fieri debuit anno 1170. quo Petrus Bertrandi Bertrando patri vicecomiti ſucceſſit, neque vero ultra differri poteſt; etenim eodem anno ſedem Baionenſem ceſſiſſe alteri cogimur dicere, ex infra ſcribendis. Fortanerius ſive Forto, ex

C. III. ibidem.

1170.

[a] Solidi in urbe vulgo *Morlas*, quæ eſt Benearniæ provinciæ, cuſi.

necrologio Silvæ-maj. exceſſit e vita IX. cal. Febr. ſed quo anno minime notatur.

ANNI CHRISTI.

De l'Eſpelette.

XI. Petrus-Bertrandus.

Petrus-Bertrandus de l'Eſpelette ex illuſtri baronum de l'Eſpelette proſapia, quorum linea ſeculo noſtro exſtincta, beneficio regis ad Acrimontenſem familiam tranſiit, ſubſcripſit anno 1170. litteris Richardi ducis Aquitaniæ in gratiam urbis Baionenſis.

1170.

XII. Ademarus.

Sedit hic epiſcopus in concilio Lateranenſi anno 1179. menſe Martio. Cum Henrico Albanenſi epiſcopo apoſtolicæ ſedis legato, Ademaro Santonenſi epiſcopo, & pluribus aliis teſtis fuit in compoſitione facta inter Geraldum abbatem Dalonis & Aldeburgem abbatiſſam S. Mariæ Santonenſis anno incarnat. 1181. ex chartul. Dalonenſi. Anno 1188. legitur arbiter concordiæ inter Clarium abbatem ſancti Æmilionis, & R. abbatem Faëziæ. Sed in anno indicato ſuſpicor mendum; nam tunc alius epiſcopus Baionenſem obtinebat ſedem.

1179. 1181.

De Liscarre.

XIII. Bernardus II.

Bernardus de Leſcarre, aliter de la Carra, ex monacho & abbate Sorduenſi, ut nonnullis placet, electus eſt ſaltem anno 1186. Ad hunc enim epiſcopum ſcripſit Urbanus III. primo ſui pontificatus anno, qui reſpondet anno Chriſti 1185. ut cum præſule Tiraſonenſi & abbate de Populeto, inquirerent utrum juxta querelam epiſcopi Pampelonenſis, abbas ſancti Salvatoris aliquod privilegium ſubreptitium ab Alexandro papa tertio conſecutus foret. Anno 1191. interfuit nuptiis Richardi regis Anglorum cum Berengaria regis Navarræ filia. Willelmus-Raimundus de Saltu vicecomes Laburdenſis Bernardo antiſtiti confirmavit anno 1193. Bertrandi vicecomitis avi ſui (ejus enim filiam matrem habebat) donum & ratum habuit. Porro in inſtrumento quo illud approbat Bernardus, cognominatur *de Carra*, & in alio anni 1198. *de la Carra*.

1186. 1191. 1193.

Cum multis aliis tum Galliæ tum Hiſpaniæ epiſcopis donationem Alfonſi regis Caſtellæ & Tolcti, quam pius princeps cum uxore ſua Alienora fecerat eccleſiæ majori Aquenſi in Novempopulania, laudavit apud S. Sebaſtianum VII. cal. Novembris anni 1204.

Silentio minime prætermittendum eſt Bernardum noſtrum a Richardo Angliæ rege præfectum fuiſſe copiis, quas ad ſacrum bellum in Palæſtinam miſit; de qua expeditione Rogerius de Hoveden in Richardo I. ſcribit: *Interim rex Anglia profectus fuit in Gaſconiam; deinde perrexit in Andegaviam ad Chinonem, & ibi conſtituit Gerardum Auxienſem archiepiſcopum, & Bernardum epiſcopum de Baonia & Robertum de Sabul*, & Richardum de Canvil, & Willelmum de Fors de Vlerum, ductores & conſtabularios totius navigii ſui, quod in terram navigii Sulia iturus erat. Præterea idem rex præcepit in alio brevi ſuo, ut omnes homines ſui, qui per mare eſſent ituri, obedirent dictis & præceptis prædictorum juſtitiariorum navigii ſui.*

* Sabluil.

Nominatur apud eundem Hovedenum in charta pacis inter Tancredum regem Siciliæ, & Richardum Angliæ, his verbis: *Hujus autem pacis tenorem & formam, quam in voto habemus, & in propoſito gerimus, vobis & veſtris, illæſa fide, ſervare per Waltherum Rotomagenſem, & Girardum Exonienſem archiepiſcopos, & per Johannem Eboracenſem, & Bernardum Baionienſem epiſcopos, & per Jordanum de Humez conſtabularium noſtrum, & Willelmum de Curci, Richardum de Camvilla, Girardum Talbot, Robertum de Sabluil, Guidonem de Croum, Willelmum Chamberlangum de Tancervile, Robertum de Novoburgo, Amauri de Monfort, Gaufridum de Rancune, & pluribus alios de familia noſtra fecimus juramentis præſtitis in animam meam firmari.* Meminit ejus quoque in deditione Accon * civitatis, cum ait idem Hovedenus: *Alardus Veronenſis epiſcopus cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus, & Tyronenſis * & Piſanus, & Arienſis * archiepiſcopi, & Hubertus Saresberienſis, Johannes Ebroicenſis, & Bernardus Baionienſis, & Tripolitanus Philippus, Carnotenſis, & Belvacenſis epiſcopi, & cæteri eccleſiarum principes, eccleſias civitatis Accon dedicaverunt, quas pagani polluerant, & ædificaverunt altaria Domino, & in eis celebraverunt miſſas.*

* vulgo Acre, alim Ptolemais.

* Tyrenſis. * Anſeanſis.

Poſt Bernardum Sammarthani locum dant cuidam Arſio de Navailles, quem aiunt electum fuiſſe tempore Johannis regis Angliæ, qui Oihenarto & aliis eſt incognitus. Iidem Arſio ſubjiciunt Petrum-Bertrandum; qui non eſt alius a Petro-Bertrando de l'Eſpelette quem præmiſimus.

XIV. Raimundus IV.

De Donzac.

Raimundus Willelmi de Donzac, qui & Willelmus aliquando appellatur, dicitur factus epiſcopus ab anno ſaltem 1213. Forte idem eſt ac Raimundus de Luc, quem noſter D. Edmundus Martenne ex ſchedis Oihenarti notavit ad annum 1215. Eum fuiſſe monachum & *Pitanciarium* Silvæ-majoris aſſerit noſter D. Cl. Eſtiennot. In tabulis hujus monaſterii legimus Guillelmum de Donzac priorem B. Mariæ de Caſtelleto (cella eſt Silvæ-majori ſubdita) Baionenſemque epiſcopum, cenſum cui Caſtelleti moletrina obnoxia erat, numeratis 60. Burdigalenſis monetæ libris redemiſſe: *Actum apud Silvam-majorem in capella ſancti Martini, anno* MCCXXIV. *cal. Junii, teſtibus Amanevo Bigorritano, & Grimoaldo Convenenſi epiſcopis.* Per hunc Guillelmum intelligendus proculdubio eſt noſter Raimundus-Guillelmus.

1213. 1224.

Interfuit ſynodo habitæ Turiazoni anno 1228. Johanne Veſontionenſi præſide Gregorii IX. legato per Hiſpaniam, pro diſſolutione matrimonii, quod Jacobus rex Arragonum cum Eleonora contraxiſſe dicebatur in gradu prohibito, nulla accedente ſummi pontificis facultate. Notatur in charta eccleſiæ Aquenſis anni 1233. Dies ejus obitus in necrologio Silvæ-majoris eſt II. idus Auguſti, diſſimulato anno. Adhuc vero præerat 1256.

1228. 1233. 1256.

ANNI CHRISTI. De Hachius.

XV. Sanctius.

Sanctius, vel Sancius Axius adhuc erat canonicus & sacrista ecclesiæ Baionensis annis 1256. & 1257. Nomen electi episcopi præfert
1259. anno 1259. quem titulum aliquot annis retinuit. In nonnullis chartis legitur Hachius. Ipsius tempore admittuntur Baionæ Carmelitæ,
1264. anno 1264. Nominatur testis in charta Baionæ
1267. scripta mense Novembri 1267. qua Johannes de Sordua vendidit Johanni de Greilly seneschallo Vasconiæ aliquas possessiones pro rege Angliæ.
1275. Hanc ecclesiam rexit ad an. usque 1275. ex charta Majorum & castellani Baionæ scripta in festo apostolorum Petri & Pauli.

De Mans, & de Manso.

XVI. Dominicus.

Dominicus Mansius annis 1279. & 1296. notus, maxime ex epistola regis Angliæ de recu-
1279. peranda Vasconia ad eum & ad alios provin-
1296. ciæ Auxitanæ episcopos missa die 10. Julii an. 1294. de qua vide in Amanevo Auxitano archiepiscopo. Testamentum condidisse dicitur
1302. anno 1302. Sequenti anno 1303. die 30. Maii, & anno 1304. die 30. Maii, sedes vacasse reperitur.

De Mont.

XVII. Arnaldus-Raimundus.

Arnaldus-Raimundus Montanus is est qui Baionensis electus legitur in concilio provin-
1303. ciali apud Nugarolium habito die lunæ post festum B. Andreæ anni 1303. Attamen sedes vacasse dicitur annis 1303. & 1304. quia electus hic episcopus nondum erat confirmatus aut
1307. consecratus. Anno 1307. die 5. Januarii transegit cum Augustinianis, qui absque ipsius facultate ecclesiam sibi construxerant. Hic autem annus ejus vitæ fuit ultimus.

De Mont.

XVIII. P.

P. de Mont episcopus Baionensis occurrit in veteri instrumento ecclesiæ, anno 1308. Omissus est in omnibus catalogis.

De Maritima.

XIX. Petrus II.

Petrus de Maritima, ita forsitan dictus, quod e gente vicecomitum Maritimensium, in pago Laburdensi oriundus foret, sedebat annis 1309. 1310. 1313. Frustra plura de ipso inquisivimus.

De Villa.

XX. Bernardus III.

Bernardum de Villa catalogis omnibus inscriptum legimus, assignatis pro ipsius episcopa-
1315. tus tempore annis 1315. & 1316. Addunt docti Fr. Sammarthani, ipsum electum & confirmatum nuncupari in actis concilii provincialis Auscien-
1316. sis apud Nugarolium in Armaniaco habiti anno 1316. Ceterum acta concilii hujus ignoramus, uti & Marsiacensis, quod ab episcopis Auscensis provinciæ celebratum fuisse anno 1310. mense Decembri aiunt. Bernardus vero Villanus non amplius sedebat hoc anno, si constent quæ de Petro ipsius successore legimus.

De Mar-lac.

XXI. Petrus III.

Petrus de Maslac ordinis Prædicatorum electus dicitur anno 1316. Controversiam habuit cum Fratribus Prædicatoribus anno 1317. quæ Avenioni coram Johanne papa XXII. agitata est. Facultate sibi concessa ab eodem summo pontifice, pontificatus anno 1. decimas exegit & imperavit in omni ditione Bernardi comitis de Armaniaco, ex tabulis episcopatus Albiensis.

ANNI CHRISTI. 1316. 1317.

De eo sic legimus in codice ms. Fr. Prædicatorum Tolosæ: *Fr. Petrus de Maslaco origine & nomine, de Prædicat. Mes.... fuit factus episcopus Baionensis in jejuniis quatuor temporum Adventus Anno Dom.* M.CCC.XVI. *per dominum Johannem papam. De initio & occasu & consecratione istius habetur in margine voluminis actorum capitulorum provincialium, scilicet per capitulum Perpiniani celebratum in quo ipse fuerat diffinitor, hoc omisso, quod fuerant in sua consecratione, præter ipsum, duo episcopi de ordine Prædicatorum, scilicet Fr. Arnaldus Fradeti de quo supra.... & quidam alius pauper episcopus, qui gerebat vices... domini Auxitani.*

De S. Jean.

XXII. Petrus IV.

Petrus San-Johannius, ex religioso assumtus ordine, scilicet Prædicatorum, renuntiatur epi-
1319. scopus anno 1318. vel potius 1319. die 27. Octob.
1329. Ad concilium Marcianense convenit an. 1329. die 6. Decembris, cum suo metropolitano, & Auxitanæ provinciæ præsulibus. Hic episcopus vulgo dictus frater Petrus S. Johannis sedebat annis 1320. 1322. 1337. quo transegit cum Carmelitis, 1342. 1347. 1354. 1357.
1357. Anno 1356. die 8. Augusti testatur a se visam bullam Innocentii papæ VI. qua iis qui pro redemtione Petri & Berengarii de la Mothe militum, & aliorum Christianorum ad sanctum Domini sepulcrum pergentium a Saracenis captorum, conferrent pecuniam, concedit annum integrum & 40. dies indulgentiæ, ex tabulis Inquisitionis.

Rymer. t. V. p. 45.

Fuit sæpe adhibitus a rege Angliæ ad pacem procurandam, ex variis ejusdem regis epistolis. Prima data die 28. Aprilis an. 1344. rex confert ei potestatem, pro *pacificandis dissentionibus inter subditos regis Angliæ, & homines de potestate regis Castellæ & comitis de Biscay.*

Secunda epistola est ad P. episcopum Baionæ & Mag. Gerardum de Podio *ambassiatores super ligis incundis, ac super matrimonio inter primogenitum regis Castellæ & Johannam filiam regis Angliæ. Dat.* XX. *Junii* M.CCC.XLIV. Ibid. p. 484.

Tertia est de eodem argumento, & sic incipit: *Eduardus Dei gratia rex Franciæ & Angliæ: noveritis quod nos de fidelitate & circumspectione provida venerabilis patris Petri episcopi Baionæ & fidelium nostrorum dilectorum Petri de Fermat abbatis de S. Crucé, &c. Dat.* III. *Augusti an.* M.CCC.XLV. Ibid. p. 475.

Quarta est *de arbitratoribus super querelis inter subditos regum Anglia & Castellæ constitutis ad Petrum episcopum Baionæ directa* XIV. *Februarii anno* M.CCC.XLVIII. In priori epistola a nobis visa appellatur Petrus de S. Johanne. Ibid. p. 610.

De hoc episcopo sic legitur in codice ms. Dominicanorum Tolos. *Fr. P. de S. Johanne successit domino fratri P. predicto, paulo post feli-*

ANNI CHRISTI.

cem translitum ipsius, factus per eundem dominum Johannem papam. Hic etiam Fr. P. Baionensis erat. Ipsi duo supradicti facti fuerunt episcopi, non solum operum virtuosorum meritis ..... sed etiam ad suggestionem Dom. W. P. tunc presbyteri cardinalis ... erat etiam Baionensis.

Du Pin.

XXIII. Guillelmus III.

Guillelmus de Pinu ab Oihenarto & a Sammarthanis prætermissus, annis 1357. ac 1359. recensetur in chartis abbatiæ sancti Bernardi monialium secus Baionam. Alius est a Guillelmo San-Johannio de quo nunc dicendum.

1359.

Dns. Joan.

XXIV. Guillelmus III.

Guillelmus Vitalis a Sancto-Johanne sedebat annis 1367. & 1368. ex chartis sancti Bernardi prope Baionam. Et sane hoc anno 1368. per vicarium suum interfuit synodo trium provinciarum congregatæ circa festum Pentecostes.

1368.

Ex hac episcoporum Lapurdensium serie expunximus Milonem de Dormanno, licet in historia cancellariorum Franciæ quam notis illustravit V.C. Dionysius Godefroy, & in Gallia Christiana nostrorum Sammarthanorum recenseatur inter Baionenses episcopos. Verum in ejus epitaphio quod legimus in æde sacra collegii Bellovac. dicitur tantum episcopus Andegav. Bajocens. ac denique Belvac. Præterea quis credat eodem anno 1373. duos creatos esse Baionenses episcopos, Milonem & Bartholomæum, ut legitur in Gallia Christiana quadripartita.

Doriach.

XXV. Petrus V.

Petrus Doriach ex diœcesi Ruthenensi oriundus, ordinisque Fratrum Minorum alumnus, præfuit annis 1372. 76. 77. Anno vero 1381. sedes vacabat.

1372.
1377.

d'Arribaiar.

XXVI. Bartholomæus.

Bartholomæus de Ribera, vulgo d'Arribaire, apud Vascones, quod interpretaremur *de la Riviere*, sedebat jam anno 1383. Occurrit ejus nomen in tabulis sancti Bernardi annis 1387. 88. 90. adhucque præerat anno 1392. ex schedis D. Edmundi Martenne, qui chartas inspexit.

1383

Iis tamen adversantur quæ leguntur apud Oihenartum & Sammarthanos fratres de Nicolao & de Garsia Henguy episcopis, quorum prior inscriptus legitur registro Vaticano die 24. Julii anni 1385. posterior ex ordine Augustinianorum assumtus, fuit Carolo Ebroicensi Navarræ regi a confessionibus, unusque ex curatoribus ipsius testamenti cum Lupo de Luna archiepiscopo Cæsaraugustæ, Martino de Calvo regis cancellario, aliisque apud Pampelonam urbem in palatio episcopali electis. Sandovalius eundem recenset inter antistites qui adfuerunt coronationi Caroli regis apud Pampelonam, an. 1390. Scripsit Garsias breviarium historiæ regum Navarræ; quæ quidem probat Garsiam fuisse virum doctum & præcipuæ auctoritatis, sed nullatenus convincit ipsum fuisse Baionensem episcopum, reclamantibus actis publicis.

A

ANNI CHRISTI

XXVII. Menendus.

Menendus ex religiosa eremitarum Augustinianorum familia electus, signatur in actis & tabulis, annis 1394. 1395. 96. 97. & 1405.

1394. 1405.

XXVIII. Petrus VI.

Vernet.

Petrus Vernet, seu *du Bernet*, anno 1406. episcopus erat Lapurdensis. Pro sua ad hanc ecclesiam provectione solvit 2500. florenos auri, cameræ apostolicæ & collegio cardinalium, de qua pecunia a se recepta Johannes XXIII. papa dedit chirographum 11. nonas Septembris, anno 1. sui pontificatus, id est Christi 1410. Memoratur in chartis S. Bernardi anni 1414. adhucque jura sacra dabat 1415. In decreto concilii Constantiensis facto sessione XXXI. anno 1417. die Mercurii ultima mensis Martii, *super redintegratione ecclesiæ Baionensis*, legitur, quod ecclesia Baionensis duos simul per plures annos habuerat episcopos; *& inter alios bonæ memoriæ Petrum, qui fuit de obedientia Balthazaris tunc Johannis papæ XXIII. in sua obedientia nuncupati, noviter defectum, & superstitem venerabilem fratrem Guillermum hic præsentem, qui fuit creatus per Petrum de Luna.* Ex his Petrum e vivis excessisse anno 1417. liquido constat.

1406.
1414.
1417.

B

C

XXIX. Guillelmus [a] IV.

Dela Bordi. a

Hic episcopus a Petro de Luna dicto Benedicto XIII. æmulus datus est Petro Vernet, qui Johannis XXIII. obedientiam amplexus fuerat. Adfuit concilio Constantiensi sessione XXXI. anno 1417. in qua dicitur functus legatione Caroli Navarræ regis. De ipso concilii Constantiensis patres in decreto supra laudato statuunt, ut ecclesia Baionensis *deinceps per Guillelmum episcopum regatur, ac verus episcopus ipsius ecclesiæ, necnon episcopatus Baionensis unicus censeatur; & illi clerus, & populus civitatis & diœcesis Baionensis, in omnibus, consuetis, licitis & honestis, ut eorum vero episcopo & pastori obediant, & ipse eos benigne vice versa pertractet.* Inhibuit etiam capitulo hujus ecclesiæ, ne ad electionem alicujus, loco ipsius defuncti (scilicet Petri Vernet) procederet; & archiepiscopus Auscienſis electionem, si qua fieret a capitulo, confirmaret.

1417.

D

Ex eodem decreto intelligimus Guillelmo, quando a Petro de Luna creatus est episcopus, & quatuor canonicis, qui instituti fuerant vel a Petro dicto Benedicto XIII. vel a Clemente VII. pro victu & cultu assignata esse bona episcopatus Baionensis in Castellæ & Navarræ regnis existentia. Hi autem canonici sublato schismate, paceque reddita, fuerunt additi Baionensis capituli canonicis; ita ut stallum in choro, locumque in capitulo cum aliis haberent, ac in omnibus fructibus capitularis mensæ ut veri canonici perciperent.

E

In tomo IX. collect. Rimerii Angli legimus

a Hic episcopus in omnibus catalogis appellatus Guillelmus-Arnaldus, in concilio Constantiensi semper legitur simpliciter *Guillermus*.

litteras Willelmi cognomento Arnaldi, ordinis ſancti Franciſci, epiſcopi Baionenſis auctoritate Petri de Luna creati, quibus die 15. Aprilis an. 1417. pollicetur Anglorum regi, ſe abſque licentia prædicti regis, nunquam adepturum partem diœceſis, quæ ſub hujus principis poteſtate erat. ANNI CHRISTI.

XXX. PETRUS VII.

De Mosnac.

Quamvis auctoritate concilii Conſtantienſis cautum fuiſſet, ut Guillelmus Bordamus epiſcopus ſolus Baionenſem obtineret epiſcopatum, abſtinerentque canonici ab eligendo Petri Verneti ſucceſſore, tamen ipſi ſuffectus eſt Petrus de Maſloco. Sed nihilominus Guillelmus cathedram tenuit, in qua ſedebat adhuc anno 1444. ex charta S. Bernardi; quo anno tranſlatus eſt ad eccleſiam Aquenſem. 1444.

XXXI. JOHANNES I.

De Mareüil.

Johannes de Mareüil ab anno 1454. ad 1458. præfuit. Forte is eſt qui in Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum legitur Johannes de Mont-revel, electus, inquiunt, anno 1459. calendis Julii in actibus conſiſtorialibus Vaticani. Huic vero præmittunt Gualardum mortuum anno 1454. & Jacobum ordinis S. Dominici, cui nullus aſſignatur annus. Sed de utriuſque epiſcopatu dubitamus maxime. 1454. 1458.

Ceterum epiſcopalis dignitas non obfuit quominus Johannes eſſet cancellarius Ambianenſis eccleſiæ, qua dignitate fungebatur anno 1463. ex ejuſdem eccleſiæ regiſtris.

Noſter Cl. Eſtiennot, in ſerie abbatum Montis-Olivi recenſet Amalricum de Senergiis, quem ait electum an. 1465. per biennium rexiſſe, quo elapſo creatur epiſc. Baionenſis; quæ omnia nobis prorſus incognita ſunt.

XXXII. JOHANNES II.

De Lauro.

Johannes de Lauro 1466. 1468. anniverſarium pro Navarræ regibus una cum capitulo fundavit 1478. ſuperſtes erat adhuc 1482. 1466. 1481.

In Gallia Chriſtiana quatuor in tomos diſtributa, Petrus de Fuxo cardinalis legitur adminiſtrator Baionenſis, anno 1488. ſubjicitur que Johanni de la Barriere. Sed ſi locus huic adminiſtratori debeatur, in ſerie epiſcoporum locandus eſt poſt Johannem de Lauro. At de Petri Fuxenſis adminiſtratione nihil certi habemus, de eoque ſilet Oihenartus.

XXXIII. JOHANNES III.

De la Barriere.

Johannes de la Barriere electus & confirmatus reperitur in pluribus inſtrumentis 1489. 1491. 1493. 1495. Mutavit locum præbendæ de Hengui in Lorrendaete 26. Aprilis 1503. Anno 1494. die 10. Januarii adfuit conſecrationi regis Navarræ, ex actis publicis. 1489. 1503. *Marlot, l. 1. c. de Navar. R.*

XXXIV. BERTRANDUS I.

Labie.

Bertrandus Labie ex illuſtri proſapia, canonicorum omnium ſuffragiis electus eſt 8. Julii 1504. Die 9. Aug. ejuſdem anni ejus electionis confirmatio ab archiepiſcopo Auxitano poſtulatur. Notatur ab Oihenarto & Sammarthanis anno 1507. ANNI CHRISTI.

XXXV. HECTOR.

D'Ailly.

Hector d'Ailly de Rupe-forti nobilis Arvernus canonicus Pariſienſis, ſedit ab anno 1520. ad 1524. quo ſponte ceſſit; & paulo poſt factus eſt Tullenſis epiſcopus. Legatione functus eſt nomine Aloiſiæ a Sabaudia matris Franciſci I. Francorum regis, apud Venetos. 1520. 1524.

XXXVI. JOHANNES IV.

Du Bellay.

Johannes de Bellayo gente apud Andes & in ea Gallia antiquitate, nobilitate, virtutum ſplendore, ac rerum pro patria geſtarum gloria illuſtriſſima, ortus eſt patre Ludovico domino de Langey, & matre Margarita de la Tourlandry. Fratres habuit Guillelmum Taurinenſis provinciæ præfectum & Martinum Normanniæ progubernatorem; qui militaribus ſtudiis, variiſque legationibus clari, bellicam ac politicam virtutem litterarum laude cultuque cumularunt. Et quidem Guillelmus hiſtoriam de rebus Gallicis, Martinus junior Franciſci I. res geſtas ornate conſcripſit. Johannes vero noſter a puero in Pariſienſis academiæ ſinu inſtitutus, ſcite Latine ſcribere, & verſus eleganter pangere didicit; nec minus in ſacris quam in humanioribus profecit litteris. Itaque ob egregias animi dotes Franciſco regi muſarum cultori & litteratorum parenti cariſſimus, ſummis rebus adhuc junior adhibetur, & ad primas eccleſiæ dignitates evehitur. Certe anno 1516. epiſcopatum Baionenſem conſecutus eſt, inde ſedem Pariſienſem. Tempore ſui epiſcopatus Baionenſis legitur legatus regis in plurimis inſtrumentis, quæ Rimerius Anglus collegit tomo XIV. 1°. intereſt hoc nomine juramento regis Anglorum de obſervatione tractatuum ſeu pactorum 27. Septembris 1527. 2°. in negotio pro mutuo commercio inter ſubditos imperatoris regiſque Hiſpaniæ & regis Franciæ 10. Martii anni 1528. 3°. in confirmatione treugarum ſeu induciarum 14. Junii anni 1528. Cetera quæ ad eum ſpectant proſequemur; cum in Pariſienſibus epiſcopis de ipſo loquendi occurret locus. 1516.

XXXVII. STEPHANUS.

Poncher.

Stephanus Poncher, quo cognomine ornati ſunt duo Pariſienſes epiſcopi Stephanus & Franciſcus, excepit Johannem Bellayum in ſede Baionenſi. Anno 1543. miſſale ad uſum eccleſiæ Baionenſis typis mandari curavit. Poſtea fuit archiepiſcopus Turonenſis anno 1550. Idcirco plura de ipſo dicere ſuperſedemus, donec de Turonenſibus agamus archipræſulibus. 1543. 1550.

XXXVIII. JOHANNES V.

De Monstiers.

Johannes de Monſtiers dominus de Froiſſac ſenator & libellorum ſupplicum magiſter, præpoſitus de Magnac, priorque commendatarius ſancti Michaëlis de Angelis, necnon abbas Scalæ-Dei, Baionenſem poſt Stephanum cathedram conſcendit. Sed reipublicæ negotiis adhibitus, parum ſui gregis cuſtodiæ invigilavit. *Ex ch. hujus ann.*

ANNI CHRISTI. 1552.

Legatus ac orator regius apud principes Germaniæ anno 1551. & 1552. in conventu Paſſaviæ orationem habuit elegantem III. nonas Junii. Ceterum vir erat rerum agendarum peritiſſimus, cujus conſilio & dexteritate, quod diu in Allemania verſatus eſſet, ac linguam Germanicam calleret, rex Henricus II. uſus eſt ad conventionem faciendam cum Mauricio Saxoniæ duce, qui tam ſuo, quam Georgii Friderici pupilli, nomine agebat, & Johannis Alberti marchionis Brandeburgi, ac Willelmi Heſſorum principis, pro Germaniæ libertate, ut notat Jacobus Aug. Thuan. hiſt. l. 8. Vide Franciſcum Balduinum juriſconſ. in panegyrico de matrimonio Caroli IX. regis cum Eliſabetha Auſtriaca. Edidit porro Johannes librum cui titulus, *de ſtatibus & familiis in orbe Chriſtiano illuſtribus*. Sedebat & an. 1561.

1561.

Ex hoc epiſcopo duos conflavit Oihenartus; unum appellans Johannem Fraxineum, (du Freſne) alterum Johannem Monſterium. Mortuus Pariſiis poſt annum 1568. jacet in æde ſacra Fratrum Minorum.

De Soſſiondo.

XXXIX. JOHANNES VI.

Nihil de hoc epiſcopo cui cognomen de Soſſiondo erat, nobis notum, quam quod ſederit ab anno 1569. vel etiam 1567. juxta Oihenartum; immo etiam anno 1566. ut legitur in recenti catalogo ad nos miſſo. Diem vero ſuum obiiſſe legitur anno 1579.

1579.

Maurar.

XL. JACOBUS I.

Ab Henrico III. Francorum rege deſignatus eſt epiſcopus anno 1579. pro cujus bullarum impetratione ſcripſit rex ad Ludovicum Caſtaneum Rupi-poſæum ſuum apud ſummum pontificem legatum, die 5. Julii ejuſdem anni. Adhuc præerat anno 1590.

1579.

1590.

De Deschaus.

XLI. BERTRANDUS II.

Bertrandus Deſchaus Benearnenſis, ex gente vicecomitum de Baigorry, in citeriori Navarra, ſacri-conſiſtorii aſſeſſor, conſecratur epiſcopus Baionenſis anno 1598. Delectus eſt a Ludovico XIII. cujus primus fuit eleemoſynarius anno 1611. ut diſcordiam inter eundem Chriſtianiſſimum regem & Philippum III. Hiſpaniarum pro finibus Galliæ & Hiſpaniæ cum aliis componeret: interfuitque comitiis Pariſienſibus anno 1614. cui Johannes Fileſacus theologus Pariſienſis dicat librum de Idololatria politica 1615. Traducitur tandem ad archiepiſcopatum Turonenſem ubi de ipſo plura. Mortuus eſt an. 1645.

1598.

1615.

De Ruëil.

XLII. CLAUDIUS.

Claudius de Ruëil Guillelmi Ruſæi epiſcopi Andegavenſis conſobrinus, fuit Carnotenſis canonicus, inde cleri ſyndicus, Henrici IV. & Ludovici XIII. eleemoſynarius, poſtea archidiaconus major Turonenſis, ad hanc demum ſedem vocatus conſecratur a Franciſco cardinali Rupi-fucaldio 1622. Adfuit comitiis cleri Gallicani anno 1625. & conventui Pariſienſi vulgo dicto *Notabilium* anno 1626. Eodem anno traducitur ad pontificatum Andegavenſem.

1622.

1625.

ANNI CHRISTI. De Bethune.

XLIII. HENRICUS.

Henricus de Bethune, Philippi comitis de Selles & de Charrors, ex Catharina le Bouteillier de Senlis, e proſapia comitum de Moucy, abbas Jardi, nominatur Baionenſis præſul a Ludovico XIII. anno 1626. 1. Octobris, ſed nondum inauguratus tranſiit ad cathedram Malleacenſem in Pictonibus, indeque ad Burdegalenſem metropolim, ut narraturi ſumus infra in archiepiſcopis Burdegalenſibus.

1626.

De Montagne.

XLIV. RAIMUNDUS V.

Raimundus de Montagne ortus erat ex illuſtri apud Burdegalenſes genere, cui ſuis lucubrationibus non modicum ſplendorem attulit Michaël de Montagne; Raimundus vero dominus de S. Genes, régi Chriſtianiſſimo a conſiliis ſanctioribus, antea prætura Santonenſis præſes, epiſcopus creatur anno 1630. Interfuit cœtui cleri Pariſienſi an. 1635. defunctus autem menſe Martio anni 1637.

1630.

1637.

Fouquet.

XLV. FRANCISCUS.

Franciſcus Fuquetus epiſcopus deſignatus eſt eodem anno 1637. Conſecratur vero Lutetiæ in templo ſocietatis Jeſu vici S. Antonii, anno 1639. die 15. Martii a Claudio de Ruëil Andegavorum præſule, operam navantibus epiſcopis Ademaro de Monteil de Grignan tunc temporis epiſcopo Tricaſtinenſi, poſtea vero Arelatenſi archiepiſcopo, & Johanne de Sponde Megarenſi antiſtite, coadjutore Appamienſi, præſentibus ſedis apoſtolicæ nuntio, archiepiſcopis Turonenſi & Bituricenſi, necnon epiſcopis quamplurimis. Urbem eccleſiamque ſuam ſolemni ritu ingreditur menſe Novembri ejuſdem anni.

1637.

1639.

Favente hoc pontifice moniales ſub regula ſancti Franciſci, & ſanctæ Claræ inſtituto militantes, revocatæ ſunt in urbem, ex qua pulſæ diu exſularant in loco *Sorobette* nuncupato, minus tuto, quod prædonibus pateret. Eadem in urbe virgines ſub B. Mariæ cognatam Elizabetham viſitantis patrocinio inſtitutæ, ex Pariſienſi ejuſdem ordinis parthenone profectæ recipiuntur. In oppido vero ſancti Johannis de Luzo cœnobium conditum eſt pro monialibus Urſulanis, quæ erudiendis puellis Chriſtianis incumbunt.

Ad tollendam, quæ tamdiu graſſabatur, morum corruptelam, maxime cohabitationem virorum cum mulieribus, poſt datam de contrahendo matrimonio fidem, plurimum laboravit.

Ut facilius onera epiſcopatus valeret ſuſtinere, rex ipſum deſignavit abbatem S. Severi in Normannia. Commutatione facta Baionenſis eccleſiæ cum Agathenſi ad eamdem traducitur anno 1643. menſe Julio.

1643.

Dolce.

XLVI. JOHANNES VII.

Johannes Dolce Baionenſis, Bertrandi Deſchaus Turonum archiepiſcopi ex ſorore nepos,

a quo conſecratus fuit epiſcopus Bolonienſis, ex hac ſede aſſumtus eſt ad patriæ ſuæ cathedram anno 1643. cum paulo antea fuiſſet deſignatus epiſcopus Agathenſis, nec tamen poſſeſſionem iniiſſet. Quo tempore Boloniæ ſedebat, interfuerat comitiis generalibus cleri Gallicani anno 1641. apud Meduntam habitis. Obiit die 8. Februarii anni 1681. Sepultus eſt in eccleſia cathedrali ante majus altare. Erat ſimul abbas ſancti Vincentii de Luco diœceſis Oleronenſis, & Buxeriæ diœceſis Andegavenſis.

ANNI CHRISTI 1643. 1681.

XLVII. Gaspardus.

De la Roque-Priolé.

Gaſpardus de la Roque-Priolé bullas obtinuit datas 22. Septembris 1681. poſſeſſionem adeptus 23. Maii 1682. duo inſtituit & dotavit ſacerdotia (capellanias vocant.) Migravit e ſeculo apud Petram-perforatam, vulgari lingua *Peyrourade*, 19. Junii 1688. Sepultus in ingreſſu eccleſiæ ut ipſe petierat ſub vaſe aquæ luſtralis. Fuit etiam abbas Regulæ diœceſis Laſcarrienſis.

1682. 1688.

XLVIII. Leo.

De la Lane.

Leo de la Lane patre præſide infulato in ſenatu Burdegalenſi ortus, fratrem habuit eadem dignitate ornatum. Ipſe cum jam eſſet deſignatus epiſcopus Aquenſis, ſchedulam regiam pro obtinenda Baionenſi cathedra accepit die 15. Auguſti anni 1688. Sed bullis donatus eſt tantum anno 1692. quo, die videlicet 24. Auguſti unctus eſt ſacro oleo in ſummum ſacerdotem. Obiit die 6. *Auguſti anni 1700. apud Tuſtat; jacetque in eccleſia S. Fremerii diœceſis Vaſatenſis, cujus abbas erat, ubi nullum habet monumentum.

1688. 1692. * al. 1700.

XLIX. Renatus-Franciscus.

ANNI CHRISTI De Beauvau.

Renatus de Beauvau, qua gente apud Andes orta & in Lotharingia propagata, vix ulla aut antiquior aut nobilior; affinitate enim cum regia Francorum domo conjuncta eſt; patrem habuit Jacobum de Beauvau marchionem du Rivau tribunum Helvetiorum, Gaſtonis-Johannis-Baptiſtæ ducis Aurelianenſis excubitorum, & regiorum caſtrorum præfectum; matrem vero Mariam de Campel de Sarſon. Bonis litteris addictus doctoris theologi facultatis Pariſienſis lauream conſecutus eſt die 13. Maii anni 1694. Paſtoralis vero officii tirocinium poſuit ſub Petro-Franciſco de Beauvau patruo ſuo Sarlatenſi præſule. Nominatus die 1. Novembris anni 1700. a rege deſtinatur epiſcopus Baionenſis; die vero 17. Julii anni 1701. conſecratur, cum jam ſacramento fidem promiſiſſet die 22. Junii ejuſdem anni. Eccleſiam mirifice decoravit, choro in abſidem baſilicæ tranſlato. Gregi ſuo mœrenti aufertur, & Tornacum migrare cogitur accepta regia ſchedula die 23. Aprilis anni 1707. nunc eſt Toloſatum archiepiſcopus.

1700. 1707.

L. Andreas.

Druillet.

Andreas Druillet Toloſas filius N. Druillet præſidis claſſium inquiſitionum in ſenatu Toloſano, archidiaconus & vicarius generalis Cenomanenſis, volente rege ac deſignante ſchedula data die 23. Aprilis anni 1707. conſecratur epiſcopus a cardinali Noallio Pariſiorum archiepiſcopo in oratorio palatii archiepiſcopalis, aſſiſtentibus epiſcopis Tornacenſi & Bleſenſi die 8. Januarii anni 1708. Regi fidem juravit die 20. ejuſdem menſis.

1707. 1708.

ABBATIÆ DIOECESIS BAIONENSIS.

Duæ tantum ſunt hoc in epiſcopatu abbatiæ, Leunſium & Urdacium; utraque vero eſt ordinis Præmonſtratenſis.

Leunsium, *vulgo* la Honce.

Leunſium ordinis Præmonſtratenſis monaſterium in diœceſi Baionenſi, poſitum eſt prope Gavum, Sorduam inter & Baionam, a qua urbe diſtat tribus circiter leucis. Fundatorem agnoſcit Bertrandum vicecomitem Baionenſem, cujus mentio fit in necrologio Caſæ-Dei ejuſdem ordinis, III. cal. Novembris. Ex paucisſimis vero quæ ſuperſunt inſtrumentis, ſequentes eruimus abbates.

Abbatum series.

I. Vidalis primus abbas Leunſii dicitur in necrologio Artonæ, die 12. Septembris.

II. Nicolaus 1217. ad quem exſtat donatio prioratus Behaunil, ut videre eſt in charta ea de re confecta, quam inter probationes noſtras retulimus. *C. f. 102. a.*

III. Pernaldus memoratur in necrologio Artonæ 12. Aprilis.

IV. Guillelmus I. de Rupe-bruna in necrologio Caſæ-Dei locum habet III. nonas April.

V. Alnaldus Bernardi 31. Maii in necrologio Artonæ.

VI. Petrus I. 21. Julii in necrologio Artonæ.

VII. Raimundus I. 23. Septembris in necrologio Artonæ.

VIII. Bertrandus I. 8. Decembris in necrologio Artonæ.

IX. Bertrandus II. preſbyter abbas Leunſii 12. Decembris in necrologio Artonæ.

X. Noliver 1285. in charta eccleſiæ Aquenſis.

XI. P. abbas Leunſii adeſt concilio Nugarol. an. 1315. ex actis ejus MS. quæ emendatiora ſunt quam edita.

XII. Guillelmus II. de Labadie 1398.

XIII. Petrus de Hitſc 1471. in charta ſancti Severi in capite Vaſconiæ.

XIV. Johannes I. de Joyeuſe filius Ludovici & Iſabellæ de Hallwin comitiſſæ de Grandpré, quam duxerat poſt obitum rioris conjugis mortuæ 1487. Fuit abbas Leunſii (la Honce) & Bellæ-vallis.

XV. Laurentius Dolhaſts 1518.

Digitized by Google

XVI. Petrus III. Beyrié, 1514.
XVII. Petrus d'Aquarra, 1558.
XVIII. Salvatus de Sales-Juſſan, 1565. 1569.
XIX. Johannes II. de Marguye, 1590. 1593.
XX. Johannes III. de Harembure, 1600. 1601. 1606. 1613.
XXI. Raimundus II. de la Sales etiam abbas Sorduæ, 1632. Obiit 1635.
XXII. Antonius-Rogerius de la Sales bullas ſubreptitias ex ceſſione Raimundi obtinuit 1633. at Raimundo defuncto ſequens prævaluit.
XXIII. Philibertus de Grammond, 1635. & 1646.
XXIV. Johannes IV. du Haut de Sallies regi a conſiliis & eleemoſynis, ſacræ theologiæ doctor, decanus eccleſiæ collegiatæ de Vidaënen, poſtea epiſc. Laſcurrienſis 1658. Obiit 1681.
XXV. Michaël de Caſſagnet de Tilladet epiſcopus Matiſconenſis: hactenus præeſt.

URDACIUM, *Ourdach.*

HÆc abbatia diœceſis Baionenſis, filia Caſæ-Dei, ordinis Præmonſtr. S. Salvatori dicata eſt, ſita inter Brenæ-montes in regno Navarræ, ſed in ipſo pene Galliæ veſtibulo. Cum fuiſſet ab initio canonicorum Regularium S. Auguſtini, an. 1209. Præmonſtratenſe amplexa eſt inſtitutum.

Abbas autem hujus cœnobii in oppido de Urdach, quod ad nullam proprie pertinet diœceſim, epiſcopalem habet juriſdictionem. Ceterum cum hæc abbatia ad Galliam non ſpectet, plura de ipſa dicere ſuperſedemus. Hujus meminit Oihenartus in notitia Vaſconiæ lib. 2. c. 3. pag. 102.

ADDENDA PROVINCIÆ AUXITANÆ.

ANtequam abſolvamus ea quæ ſpectant ad provinciam Auxitanam addendum eſt Johannem Flandrini Auſcienſem archiepiſcopum, qui Roberti Genevenſis, ſeu Clementis VII. partes ſequebatur, habuiſſe competitorem, qui pro Urbano VI. Romæ ſedente ſtabat, nomine Petrum de Anglada: id autem nos docet collectio inſtrumentorum data nuper a Rimerio Anglo tom. VII. p. 384. ubi legitur:

Littera pro Petro de Anglada ſacra pagina profeſſore, archiepiſcopo Axitanenſi contra adherentes Roberto antipapæ, 16. *Martii* 1383. Ibidem p. 385.

Littera de protectione, pro Johanne Guttery epiſcopo Aquenſi, 18. *Martii* 1383. qui Johannes haud dubie Urbano, non Clementi obediebat. Hic Johannes fuit Angliæ regi a conſiliis, & magni momenti negotiis eſt adhibitus. In collectionibus laudatis habemus to. VII. p. 680. *Inſtructiones ſuper negotio tractatuum Hiſpaniæ. Inſtruction donée as reverentz pieres en Dieu F. Evecque de Burdeux. J. G. Eveſque d'Ax* 1390.

Petrum de Boſco ſucceſſorem Johannis in ſede Aquenſi diximus legatione functum fuiſſe anno 1398. pro papa, apud Angliæ regem. Id autem confirmatur ex eadem collectione, ubi legitur tom. VIII. pag. 68. *Littera pro Petro epiſcopo Aquenſi nuncio papæ* 18. *Mart.* 1399.

In Geraldo Lactorenſi epiſcopo Petri de Marca auctoritas, pene ceſpitare nos fecerat: nam illuſtriſſimus ſcriptor docet Geraldi ſucceſſorem anno 1284. adfuiſſe ceſſioni Bigorritani comitatus factæ a Conſtantia comitiſſa. Ne idem ſentiremus obfuerunt tabulæ Moiſſiacenſes. At aliud teſtimonium nobis ſuppeditant collectiones Rimerii tomo II. p. 647. quæ cogunt producere epiſcoparum Geraldi uſque ad an. 1294.

Littera directa a rege Angliæ epiſcopis ſequentibus de Vaſconia recuperanda, Amanevo archiepiſcopo Axitano, Hugoni epiſcopo Vaſatenſi, Bertrando epiſcopo Agennenſi, Arnaldo epiſcopo Aquenſi, Dominico epiſcopo Baiona, Galhardo epiſcopo Olorenſi, Petro epiſcopo Adurenſi, Raimundo epiſcopo Laſcurrenſi, Giraldo epiſcopo Lectorenſi, 10. *Jul.* 1294.

ADDENDA HUIC TOMO.

I. IN præpoſitis Albienſibus reponendum eſſe Armangaudum Moiſcheti ex codice MS. venerabilis viri N. de Leſſene canonici ſancti Martialis Lemovicenſis, me monuit noſter D. Jacobus Boyer; quippe qui præfuerit capitulo anno 1331. Sicque collocandus eſt inter Petrum de Roſſono, & Iſarnum Briſſi.

In præpoſitis autem Mimatenſibus adde Magenfredum de quo in inſtrumentis p. 203.

II. Inter abbates Moiſſiacenſis cœnobii, ultimo loco Johannem Franciſcum d'Eſtrades commemoravimus; cui longiorem adprecati fuimus vitam. Aliter Deo optimo maximo viſum eſt, nam die 10. menſis Maii hujus anni 1715. ex hac vita migravit in ſuo Paciacenſi prope Pariſios receſſu.

III. Agendo de eccleſia Ruthenenſi pag. 195. locuti ſumus de Ariſitenſi quondam epiſcopatu in pago Ruthenenſi, & comitatu Amelienſi. Amelienſis epiſcopus nomine Guido legitur in charta Petri Anicienſis epiſcopi, qui anno 1167. de ejus conſilio, necnon Ademari Xantonenſis, & Raimundi Uzeticenſis epiſcoporum, dedit Pontio abbati Caſæ-Dei ejuſque ſucceſſoribus, *canonicam unam & dignitatem* in ſua eccleſia. Hæc referens noſter D. Claudius Eſtiennot ait hunc Guidonem epiſcopum fuiſſe Ameliæ vulgo *Milhau* in Ruthenis; hoc eſt Ariſitenſem. At exſtinctum tot a ſeculis epiſcopatum hunc nequaquam putamus tunc reſuſcitatum fuiſſe. Quærenda eſt itaque alia ſedes Guidoni.

IV. Col. 84. in Johanna-Ludovica d'Arpajon abbatiſſa Veteris-muri adde, *obiit an.* 1700.

Regina Rigaud de Serezin nominatur a rege Chriſtianiſſimo die 14. *Auguſti anni* 1700. *adhuc-*

que

quæ præfuit optimo abbatissæ.

V. Col. 218. ad Gilbertum trigesimum-sextum ep. Ruthenensem legitur ad marginem *de Cantabria*, cujus loco legendum de Contobon. Ibidem E. l. 5. pro Cantabrio legendum Contobrio.

VI. Ex amplissima D. Edmundi Martennè collectione brevi tempore lucem visura, synodus habita est apud Nobiliacum anno 1290. cui adfuere ex provincia Bituricensi R. Ruthenensis episcopus, B. Cadurcensis, &c. sed subodoramur errorem hoc loco irrepsisse; constat enim tunc Raimundum episcopum fuisse Cadurcensem, ut fatebitur quisquis attenderit ad ea quæ de ipso scripsimus. Itaque errante amanuensis calamo scriptum est B. pro R. Hujus Raimundi tempore in urbe Cadurcensi Carmelitæ admittuntur, & moniales ex instituto sanctæ Claræ.

VII. In abbatibus Conchensibus omissus est Raimundus, qui in sessione 38. concilii Basileensis anno 1439. III. cal. Novembris habita, fuit institutus in electorem futuri papæ opponendi Eugenio IV. & cum multis aliis cardinalibus, episcopis, abbatibus, decanis, &c. ingressus est conclave. Electus est autem Felix V. seu Amedeus olim Sabaudiæ dux. Forte tunc apud Conchas erant duo qui abbates sese dicebant; unus qui Eugenii quarti, alter qui concilii Basileensis partes sequebatur.

VIII. Col. 269. in serie abbatissarum sancti Saturnini Ruthenensis omissa est Christina de Noailles, quæ anno 1705. monumentum cum epitaphio posuit sorori suæ abbatissæ Luminis-Dei, diœcesis Cadurcensis, qua in inscriptione edita col. 193. designatur per titulum abbatissæ *monasterii*. Deesse nomen hujus monasterii suspicabamur; at postea didicimus Ruthenis abbatiam sancti Saturnini non alio quam *monasterii* simpliciter nomine significari. D

IX. In Guidone Vabrensi episcopo ordine tertio col. 279. addere potuissemus eum fuisse filium Ebuli VIII. de Ventadorio, & Margaritæ de Bello-joco, ipsumque fuisse etiam episcopum Cameracensem, ex Baluzio hist. Arverniæ domus. p. 287.

X. Col. 309. in Aqui-Sextiensibus archiepiscopis, addendum anno 1112. habitum esse hac in urbe concilium, cui adfuerunt Petrus metropolitanus, Leodegarius Aptensis & Gerardus Sistaricensis episcopi. Aderat quoque Fulco præpositus Aquensis; ex schedis Martennianis, quæ nunc prælo subjiciuntur, quasque prius videre non licuerat. Hæc autem optime conveniunt tempori quod his præsulibus assignavimus. E

XI. Petrus Fabri quadragesimus-quintus episcopus Regensis, adfuit synodo Aptensi anno 1365. unde refelluntur qui eum ante annum 1362. volunt aut mortuum esse aut cessisse.

XII. Raimundus de Castellana præpositus ecclesiæ Forojulienſis adest eodem anno 1365. die 13. Maii præfato concilio Aptensi ut procurator Raimundi Forojul. episcopi.

XIII. In episcopis Forojulienſibus col. 445. addendum est Andream-Herculem de Fleury episcopum abdicasse hoc anno 1715. designatumque esse abbatem sancti Basoli diœcesis Remensis; ejusque locum in ecclesia Forojulienſi accepisse nominatione regia in vigilia Epiphaniæ N. de Castellane archiepiscopi Aqui-sextiensis vicarium generalem. A

XIV. In episcopis Sistaricensibus col. 492. agendo de Petro episcopo cognomento de Alamanone, diximus eum obiisse anno 1303. protulimusque testimonium libri viridis; at in codice MS. Fratrum Prædicatorum Tolos. ubi dantur quoque huic Petro anni 13. episcopatus ab anno 1292. legitur tamen ejus obitum contigisse anno 1304. Aquis in Provincia post festum sanctæ Mariæ-Magdalenæ; & paulo post celebratum ibidem capitulum provinciale, cui adfuerat. Utri codici, ecclesiæ Sistaricensis, an Dominicanorum Tolosatum fidem adhibere debeamus valde incertum. B

XV. In Arelatensibus episcopis agendo de Johanne de Rupe-cavardi col. 580. plurima scitu digna sunt omissa quæ nuper nos docuit amicus noster D. Raybaud; confirmant autem hæc quæ ibidem de hoc diximus archiepiscopo.

Non ita pridem incidit vir doctus in commentarios seu schedas Bertrandi Boüisset civis Arelatensis, quibus complexus est quæque notatu digna gesta sunt sive in urbe sive in tota Provincia ab anno 1372. ad 1414. hoc est ætate sua. Ita vero loquitur de Johannis archiepiscopi morte & quidem vernacula lingua: C

L'an mil tres cens quatre vingts dex huich a troge de Septembre mori monssur Johan de Rochachouart Arcivesque d'Arles; e mori en lo luoc de Villanova prop. d'Avignon, e dormi ad Chastroses de Villanova. Item mori que fon madama Maria maire del Rey Leys pres tota la despuelha laqual a trobet en l'Arcivesqat d'Arles, laqual despuelha valie plus de quinge mille escuts; e aqueo per tot de fach comma parenta que era de Sobredich Arcivesque.

Hoc est anno 1398. die 13. Septembris obiit Dom. Johannes de Rochechouart Arelatensis archiepiscopus in loco de Villa-nova prope Avenionem; quieſcitque apud Cartusianos Villæ-novæ. Post ejus vero mortem domina Maria Blesensis mater Ludovici regis* sibi accepit ejus spolium, hoc est quidquid ipsius suppellectilis erat in palatio archiepiscopali, tanquam ejus consanguinea. Hoc autem pretium quindecim millium scutorum excedebat.

* Ludovici II. regis Neapolitani, & Provinciæ comitis.

Mortuo Johanne Benedictus XIII. *al.* Petrus de Luna retinuit in manu sua fructus & redimus hujus ecclesiæ, cui vicarium generalem & administratorem dedit Arduinum episcopum Andegavensem. Hac provincia non est defunctus per se Arduinus, sed suo loco Stephanum de Langlade præpositum Arelatensem constituit. Hæc eruuntur ex actis publicis confectis mense Octobri 1399. 24. Aprilis, & 11. Januarii an. 1400. ac 5. Julii anno 1401. Anno 1402. die 29. Augusti Arduinus non erat amplius administrator Arelatensis, sed Guillelmus Massilienſis episcopus, ut liquet ex præsentatione ad quandam capellaniam facta a Blan-

queta Baucete vidua nobilis Johannis de Villemur.

Anno 1403. mortuum esse Guillelmum episcopum Massilienſem diximus, quo anno Benedictus XIII. suum vicarium generalem in archiepiscopatu Arelat. præposuit Philippum abbatem S. Salvatoris Anianensis, uti probatur ex investitura quam dedit Guillelmus Glause sacrista & clavarius nobili viro Hugoni Ricaut, scilicet manerii in urbe Arelatensi: *Actum die* III. *Junii* M. CCCC. III. *sede pastorali* * *vacante, pro sanctissimo in Christo patre & domino domino Benedicto divina favente gratia, sacrosancta Romana & totius universalis ecclesiæ summo pontifice.*

* id est, sede Arelatensi

Idem abbas Anianensis adhuc vicarii generalis papæ in administratione archiepiscopatus Arelatensis munus obibat anno 1404. ut testantur instrumenta hujus anni ab incarnatione, data die 12. Junii, die 13. Novembris, 3. Decembris, & 24. Januarii.

Paulo post Benedictus contulit archiepiscopatum Arraudo, jamque die 5. Martii hujus anni possessionem Arelatensis ecclesiæ obtinebat; uti liquet ex chirographi cautione in gratiam Michaëlis Martini pharmacopolæ facta in palatio archiepiscopali, ipso Arraudo archiepiscopo præsente.

XVI. In Johanne Mixono Telonensi episcopo, addendum est eum vitam produxisse saltem ad annum 1496. ex placito parlamenti, quo condemnatus Guillelmus de la Rochefoucaud die 7. ad quasdam impensas pro lite ipsi solvendas, hoc instrumentum vidit Carolus d'Hozier.

XVII. In episcopis Avenionensibus col. 815. diximus Petrum Girardi usque ad annum 1382. nulla ecclesiastica dignitate insignem fuisse, idque probavimus ex Diario Johannis Fabri Carnot. episcopi. At vero in episcopis Mimatensibus col. 98. loquimur de Petro Gerardi episcopo qui sedem hanc obtinebat anno 1367. quem dicimus translatum esse ad ecclesiam Avenionensem. Hæc autem videntur invicem pugnare. Quo pacto enim Petrus Gerardi caruit ecclesiastica dignitate quavis, saltem insigni, usque ad an. 1382. si jam anno 1367. erat episcopus Mimatensis, & anno sequenti transierit ad ecclesiam Avenionensem? Ista difficultas non potest solvi nisi dicendo duplicem fuisse Petrum Gerardi aut Geraldi. Unus fuit præpositus administrationi ecclesiæ Avenionensis anno 1368. ab Urbano V. quem dicunt ejus fuisse patruum. Tuncque vacavit sedes Mimatensis translatione hac, eamque, id est ejus proventus occupavit idem Urbanus papa; idcirco episcopis urbis Mimatensis annumeratus a plerisque. Alter Petrus Geraldi rexit quoque Avenionensem ecclesiam, verum sub alio papa, nimirum sub Clemente VII. seu Roberto Genevensi, qui pro vero summo pontifice habebatur in Galliis.

XVIII. In episcopis Vasionensibus col. 934. commemoravimus Benedictum de Paganostis. Juxta vitam Hieronymi Savonarolæ scriptam a Johanne-Francisco Pico Mirandulæ & Concordiæ principe, hic Benedictus fuit delectus a papa ad exauctorandum Savonarolam ante mortem, quam passus est laqueo suspensus die 23. mensis Maii anno 1498.

XIX. Sæpe usi sumus historia genealogica regiæ domus Franciæ & majorum ejusdem domus & regni Franciæ ministrorum; cujus quasi auctorem laudavimus N. dominum du Fourny, qui alteram hujus operis editionem accuravit longe emendatiorem, multisque novis accessionibus ditatam; ut visum sit quasi novum opus ex ipsius prodire manibus. Attamen primus operis architectus fuit pater Anselmus ex ordine Augustinianorum discalceatorum.

XX. In Gallia Christiana Fratrum Gemellorum fit mentio cujusdam abbatiæ puellaris quam appellant *Desertum*, & Gallice *la Deserte*; de qua etiam in nuntiis publicis, legitur eam fuisse datam die 15. Augusti anni 1701. Hæc abbatia debetur Claudio Roberto qui nonnullas alias in sua Gallia Christiana finxit. Cæterum qui Cadurcensem lustraverunt diœcesim nostri DD. Edmundus Martenne ac Ursinus Durand accurati exploratores de hac abbatia nihil rescire potuerunt. Consuluimus quoque multos in pago Cadurcensi diu commoratos, vel etiam indigenas, qui perinde ignorant hunc locum. Adhibuimus præterea censum omnium *beneficiorum*, quæ in hac diœcesi decimas aut veteres aut novas a clero Gallicano impositas persolvunt, quibus in indicibus nullum vel ignobilius facellum omittitur; attamen de parthenone hoc ne verbum quidem occurrit. Indeque liquet fictitiam esse hanc abbatiam, nisi per illam intelligatur parthenon dictum Lumen-Dei, Gallice *Leime*, qui etiam appellatur Eremus; de quo suo loco egimus.

Apud Manuescam nostro ævo conditum est monasterium virginum Cistercienſium de quo loquimur col. 890. Quæ præest huic monialium cœtui jam abbatissa audit, etsi fortasse locus in abbatiam non sit creatus. Hinc abbatiis diœcesis Sistaricensis hoc cœnobium annumerare distulimus.

In Auscienſibus præsulibus, ubi Dracoaldum commemoravimus vigesimum octavum episcopum, potuissemus Mabillonii nostri subjicere conjecturam; qui videlicet tomo III. Analectorum pag. 138. censet Dracoaldum episcopum, cujus meminit Bertichramnus Cenomanorum episcopus in suo testamento, fuisse Auscienſem antistitem, uti probat nota margini libri addita. Bertichramni verba hæc sunt: *Villas vero quas dato pretio de Dracoaldo episcopo* * *comparavi . . . . ubi prædictus pontifex fuit occisus, &c.* Certe ætas Dracoaldi episcopi Auscienſis convenit satis tempori quo S. Bertichramnus suum condidit testamentum, ante mortem, quæ contigit anno 615.

* Addit Mabillonius, *Auscienſi.*

Hæc sunt quæ in toto qui prodit in lucem tomo I. Galliæ Christianæ retractanda bona fide nobis visa sunt; in quibus nulla quæ a vero aberrarent corrigenda nobis fuere, ut judicabit æquus & benevolus lector; sed nonnulla addenda, quæ jam dicta magis ac magis confirmant.

INSTRUMENTA

AD TOMUM PRIMUM

GALLIÆ CHRISTIANÆ

SPECTANTIA

Digitized by Google

INSTRUMENTA

Digitized by Google

INSTRUMENTA AD GALLIAM CHRISTIANAM IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTAM SPECTANTIA.

QUÆ PERTINENT AD PROVINCIAM, ET PRIMUM AD ECCLESIAM ALBIENSEM.

I.

Bulla Innocentii Papæ XI. qua erigitur Albiensis ecclesia in metropolim.

INNOCENTIUS Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Triumphans Pastor æternus, gloriosa dilatante sanctorum traditione Patrum, ut suum salvaret populum, decretis in monte colloquiis, in reductione sanctuarii, inter alia ministeria permisit, quod ignis in altare sacerdotis confoveretur, & ut sine intermissione combureretur, signa ei subjicere, ut illius non cessaret ministerium studiosum. Altare quippe Dei, cor fidelis habetur cujuslibet, in quo ipsius ignis ardor indesinenter exeritur, quo velut flamma ardentis caritatis incendatur. Sancta vero & immaculata, quam pastor ipse, adveniente temporis plenitudine, ejus Unigeniti gloriosissimi aspersione sanguinis fundari, consecrari, & æternaliter stabiliri centuit, ecclesia, ignis seu sacri flaminis splendore induta, quos regeneravit in Christo, ipsius caritatis nexu & compage fideles stringit universos, & ecclesias suas alias tanquam adolescentulas, ignis ejusdem confovet ardoribus, & fibris exornat caritatis. Nos itaque illius summi directione Pastoris, qui ecclesiarum & fidelium omnium nostræ commisit insufficientiæ curam, nosque, licet immeritos, in ipsius montis vertice ad summum sacerdotii pontificium conscendere voluit, hujusmodi instructi documentis, easdem ecclesias, earumque pastores in partem sollicitudinis consilii cœlestis dispositione vocatos, in caritatis visceribus ardentius complectentes, nostros continuo revolvimus cogitatus, ut ea in operam nostri ministerii dona congeramus, per quæ ecclesiarum & illis præsidentium prælatorum dispendiis & necessitatibus occurratur, ac litium anfractibus, immortalibus incommodis, aliisque infortuniis provideatur accommode, ipsæque ecclesiæ invicem caritatis nexu conjunctæ, votivæ prosperitatis incrementa suscipiant. Sane providi vigilisque pastoris more, considerantes ecclesiam Bituricensem archiepiscopo de præsenti viduatam, quæ una ex antiquissimis regni Franciæ metropolitanis ecclesiis existit, undecim sedes complecti episcopales, sibi suffraganeas, easque maxime insignes; nimirum Claramontensem, sancti Flori, Mimatensem, Aniciensem, Ruthenensem, Vabrensem, Caturcensem, Albiensem, Castrensem, Lemovicensem, & Tutelensem: ex his autem cathedralibus, sex; videlicet Albiensem, Ruthenensem, Castrensem, Caturcensem, Vabrensem & Mimatensem, seu earum plerasque ab ipsa Bituricensi sua metropolitana distare plus centum leucis, earumque partem multo majorem sitam esse in locis montanis, & propemodum, hiberno saltem tempore, inaccessibilibus, tantamque distantiam & itinerum difficultatem multis incommodis locum præbere, ac communicationem membrorum cum capite impedire, nec posse easdem ecclesias suffraganeas, illarumque diocesanos, quandocumque opus est, sui metropolitani Bituricensis opem implorare & consequi; & hinc multos beneficiatos & ecclesiasticos arripere occasionem vagandi, suas ecclesias deserendi, & ab eis diu emanendi. Præterea tametsi jurisdictio ecclesiastica cum civili nunquam sit confundenda; distantiam tamen dictæ metropolitanæ ecclesiæ Bituricensis à suis suffraganeis, jurisdictionum & subordinationum seriem atque ordinem ab ecclesia universali præscriptum intervertere, cum nimiæ hujusmodi distantiæ difficilisque ad metropolitanum recursus obtentu, multa inordinate fiant, & casibus in quibus solus metropolitanus adeundus esset, ordinarii viciniores falcem in messem alienam immittendo, A providere, beneficia conferre, sacramenta administrare, ecclesias curandas committere, censuras relaxare, seu iis innodatos absolvere, aliosque ejuscemodi actus jurisdictionis, in alienos subditos contra sacrorum canonum dispositionem exercere præsumant; inde autem lites enasci immortales, multa animarum pericula suboriri, rerum sacrarum profanationes, offensiones, & deplorandas morum corruptiones provenire, ecclesiasticam disciplinam multipliciter perverti ac perturbari: quinimo archiepiscopis Bituricensibus suos suffraganeos ad concilia provincialia vocantibus, illos non comparere, nec interesse, nimiam scilicet & dispendiosam causantes locorum distantiam & itinerum asperitatem ac pericula; sed mittere pro- B curatores, qui quamtumvis scientia, pietate, & probitate egregii, non eum tamen afferunt ecclesiis fructum, quem à suorum episcoporum præsentia meritò sperare possent. De his vero similibusque edoctum carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum & Navarræ regem christianissimum, pro eximia sua in Deum pietate, ac in res ecclesiasticas studio, remedium tot detrimentis & offensionibus in dies succrescentibus a sede Apostolica enixis precibus flagitavisse, & flagitare; nec aliud remedium præsentius, meliusque videri, quam si tam late patens provincia ecclesiæ Bituricensis divideretur, separatis seu dismembratis ab ea ex supradictis suffraganeis ecclesiis, & ex illis una, videlicet Albiensis, in metropolitanam, cui reliquæ, nempe Mimatensis, Ruthenensis, C Castrensis, Caturcensis & Vabrensis in suffraganeas assignarentur, erecta; cum præsertim ecclesia ipsa Albiensis sita sit in civitate quæ est caput provinciæ Albiensium, & juxta eorumdem sacrorum canonum præscriptum, sedes archiepiscopales in civitatibus præcipuis sint collocandæ, ipsaque ecclesia Albiensis aditu sit percommoda, quippe in meditullio ceterarum jam dictarum ecclesiarum constituta, accessu admodum optimo instructa; & proinde ecclesia Bituricensis detrimentum quod ex distractione, seu dismembratione sex ecclesiarum suffraganearum hujusmodi acciperet, facilius reparate valeat. Nos itaque ad ecclesias prædictas, illarumque præsules & universos cleros & populos earumdem, quos non immerito affectu prosequimur in visceribus caritatis, paternæ dirigentes considerationis intuitum, ac sperantes quod

Digitized by Google

qui bonorum largitor eſt omnium, & prout vult ſua A diſpenſat bona gratiarum, dirigente Domino, erectio hujuſmodi in prædicta provincia ad eccleſiarum prædictarum, illarumque præſulum & incolarum univerſorum in dicta provincia conſiſtentium, ædificationem de virtute in virtutem, tranquillamque & proſperum ſub timore Domini confovendum ſtatum, mutua caritatis viciſſitudine fructus dietim afferet ampliores, ipſique præſules & incolæ tanto Apoſtolicam ſedem, in qua cœleſtis clavigeri Apoſtolorum principis ſucceſſores exiſtimus, puris jugiter corde & animo venerari, & pro illius votivis ſucceſſibus opem & operam accuratioribus ſtudiis impendere debeant efficaces, quanto ſedem ipſam de eorum ſtatu proſpero & tranquillo ſolertius cogitare cognoverunt, matura ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus deliberatione præhabita, ad enixas ejuſdem Ludovici regis preces, de eorum fratrum conſilio & aſſenſu, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædictas ſex eccleſias earumque civitates ac dioeceſes, videlicet Albienſem, Caſtrenſem, Mimatenſem, Ruthenenſem, Caturcenſem & Vabrenſem, illarumque electos & populos a provincia Bituricenſi, ac ſuperioritate & poteſtate pro tempore exiſtentis archiepiſcopi Bituricenſis, cui metropolitico jure ſubſunt, perpetuo ſegregamus, dividimus, ſeparamus & diſmembramus, illaſque omnes & ſingulas pro tempore exiſtentis archiepiſcopi & capituli, ac prædictæ eccleſiæ Bituricenſis ſuperioritate, juriſdictione, poteſtate, viſitatione & correctione, ac jure metropolitico hujuſmodi prorſus eximimus & liberamus, necnon dictam eccleſiam Albienſem tunc per obitum bonæ memoriæ Gaſparis olim epiſcopi Albienſis, extra Romanam curiam defuncti, paſtoris ſolatio deſtitutam, in metropolitanam, & ſedem epiſcopalem Albienſem, in archiepiſcopalem, archiepiſcopaliſque & metropolitanæ provinciæ ſedem pro uno archiepiſcopo Albienſi nuncupando, cum pallii & crucis delatione ac omnibus & ſingulis aliis inſigniis, honoribus, privilegiis, & prærogativis eccleſiæ & ſedis metropolitanæ ac archiepiſcopalis, (jure nominandi perſonam idoneam ad ipſam eccleſiam Albienſem, ſic in metropolitanam erigendam, vigore concordatorum Galliæ dicto Ludovico regi, ejuſque ſucceſſoribus Francorum regibus pro tempore exiſtentibus ſalvo & illæſo remanente) ad Dei omnipotentis laudem & glorioſiſſimæ ejus genitricis virginis Mariæ, totiuſque triumphantis eccleſiæ gloriam, & fidei catholicæ exaltationem, de conſilio & poteſtatis plenitudine ſimilibus perpetuo erigimus & inſtituimus; ac eccleſias CASTRENSEM, MIMATENSEM, RUTHENENSEM, CATURCENSEM & VABRENSEM prædictas, illarumque civitates & dioeceſes cum omnibus & ſingulis illarum terminis, territoriis, caſtris, villis, & locis, necnon clero, populo, & perſonis, ac eccleſiis, monaſteriis, & locis piis ac beneficiis eccleſiaſticis cum cura & ſine cura, ſecularibus, & quorumvis ordinum regularibus, in eiſdem civitatibus & dioeceſibus conſiſtentibus, archiepiſcopo Albienſi, uti earum metropolitano, itidem perpetuo ſubjicimus & ſupponimus ac ſubjacere volumus. Et attento quod fructus menſæ archiepiſcopalis Albienſis, multo pinguiores ſunt fructibus eccleſiæ Bituricenſis, ut archiepiſcopo Bituricenſi pro tempore exiſtenti, cujus menſa archiepiſcopalis, ſicut accipimus, redditibus ad ſuſtinendam archiepiſcopi dignitatem ſatis inſtructa non eſt, detrimentum quod ex diſmembratione ſex ſuffraganearum eccleſiarum hujuſmodi paſſurus eſt, congruenti, quantum fieri poteſt, ratione reparetur, ſupplicationibus prædicti Ludovici regis nobis ſuper hoc porrectis inclinati, ac de expreſſo venerabilis fratris noſtri Hyacinthi nuper epiſcopi Mimatenſis, ad dictam eccleſiam Albienſem ab eodem Ludovico rege nominati conſenſu; annuam ſummam quindecim millium librarum Turonenſium, ex decimis ad menſam olim epiſcopalem nunc archiepiſcopalem ejuſdem eccleſiæ Albienſis legitime ſpectantibus, & per commiſſarium ſeu commiſſarios a nobis ad id deputandum ſeu deputandos aſſignandis, juxta exiſtimationem peritorum ab eodem commiſſario ſeu commiſſariis eligendorum percipiendum, ab eadem menſa archiepiſcopali Bituricenſi, Apoſtolica auctoritate ipſidem perpetuo ſeparamus & diſmembramus: illamque ſic ſeparatam & diſmembratam, & nunc prout ex tunc, poſtquam aſſignatio hujuſmodi per commiſſarium ſeu commiſſarios prædictos juxta mandatum apoſtolicum facta fuerit, menſæ archiepiſcopali Bituricenſi, & archiepiſcopo Bituricenſi pro tempore exiſtenti ad tuendum archiepiſcopalis dignitatis decus, & alias omni meliori modo & forma, perpetuo dicta auctoritate, unimus, annectimus, & incorpo- B ramus, ac concedimus, & aſſignamus; volentes, & pari auctoritate decernentes, ut capitulum eccleſiæ Albienſis in archiepiſcopalem, ut præfertur, erectæ, advenientе quomodolibet, & quandocumque ſedis archiepiſcopalis Albienſis vacatione, primo anno cujuſcumque vacationis hujuſmodi ſive per obitum, ſive alias, omnibus & ſingulis ſuperioritatis juriſdictionis & ſigilli ac reddituum utilium, juribus, quæ ratione dignitatis archiepiſcopalis recens acquirentur dicto archiepiſcopo Albienſi, fruatur & gaudeat in futurum, quemadmodum etiam in pari caſu vacationis ſedis archiepiſcopalis Bituricenſis, capitulum eccleſiæ Bituricenſis pendente primo anno cujuſcumque vacationis per obitum vel alias etiam, ſi ipſa ſedes intra ipſum primum annum repleatur, dictis an- C nuis quindecim millibus librarum menſæ archiepiſcopalis Bituricenſis, ut præfertur, unitis fruatur, & gaudeat cum eorum oneribus, eodem prorſus modo, quo ipſe archiepiſcopus Bituricenſis illis gavisus fuerit; ut ita ipſi capitulo Bituricenſi damnum ex ſeparatione & diſmembratione ſupra dictarum ſex eccleſiarum acceptum farciatur. Decernentes quoque præſentes ac præmiſſa omnia & ſingula cum omnibus & ſingulis inde ceteroque legitime ſecuturis, tametſi ſupradictæ eccleſiæ Bituricenſis & Albienſis ſuis paſtoribus reſpective viduatæ ſint, & defenſionibus careant, nec deſuper quorumcumque intereſſe habentium ſeu habere prætendentium conſenſus accederit, nihilominus ſemper & perpetuo valida, firma & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros D effectus ſortiri & obtinere, ac illos ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque & non alias per quoſcumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; & ſi ſecus ſuper his a quocumque, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, nonobſtantibus præmiſſis, ac de jure quæſito non tollendo, ac de unionibus & diſmembrationibus perpetuis committendis ad partes vocatis, quorum intereſt, exprimendoque in illis vero valore, ac Lateranenſis concilii noviſſime celebrati unionis perpe- E tuæ, niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque apoſtolicis ac in univerſalibus, provincialibus, ac ſynodalibus conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon eccleſiarum, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris apoſtolicis illis, earumque præſulibus, ſuperioribus & capitulis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis & derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis per quoſcumque pontifices Romanos prædeceſſores noſtros, ac nos & dictam ſedem illiuſque legatos etiam motu, ſcientia & plenitudine ſimilibus etiam conſiſtorialiter ac alias quomodo libet, & iteratis vicibus con-

cessis, approbatis, & innovatis; quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias & illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per regulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti essent præsentibus, pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque. Præterea etiam volumus quod taxa fructuum, reddituum, & proventuum mensæ olim episcopalis nunc archiepiscopalis Albiensis, in libris cameræ descripta, propter separationem & dismembrationem annuarum quindecim millium librarum hujusmodi, diminui seu alterari nullomodo possit; sed in ea quantitate in qua hactenus fuit perpetuo remanere debeat: & e contra ecclesiæ Bituricensis taxa, propter novum hoc reddituum augmentum amplificanda non sit, cum antea inopiæ mensæ archiepiscopalis non congrueret. Nulli ergo omninó hominum liceat hanc paginam nostræ segregationis, divisionis, separationis, dismembrationis, exemtionis, liberationis, institutionis, subjectionis, suppositionis, unionis, annexionis, incorporationis, concessionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo, quinto nonas Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

II.

Instrumentum cujusdam concambii inter Mironem episcopum, & Adalardum abbatem S. Eugenii ex una parte, & Amelium cum uxore sua Avana ex altera; ex quo instrumento constat de tempore Mironis episcopi Albiensis.

Ex archivo S. Eugenii Albiens.

PLacuit atque convenit inter domini Mironi episcopi & Adalardi abbati, seu illa congregatione S. Eugenii, ex alia parte Amelio & uxore sua Avanæ, quod inter se concambiare debuerunt, quod ita vero & fecerunt. Inprimis dedit Miro episcopus & Adalardus abba, cum illa congregatione S. Eugenii, Amelio & uxori suæ Avanæ, illo alode quæ dicitur Lausa, cum ipsa ecclesia quæ est fundata in honore sancti Juliani, quantum ad ipso alode pertinet, quistum vel inquirendum, totum & ab integrum, nos vobis donamus in concambio: & in contra dedit Amelius, & uxor sua Ava illo alode de Savanencus, quæ de partibus Matfredo nobis advenit; quantumcumque in ipso alode Savanengus, vel de illas Volvenas, quæ Matfredus visus fuit habere vel possidere; exceptis illa vinea Aboneſca; totum & ab integrum nos vobis donamus in concambio, ita ut post hac die, Deum propitium habeatis, teneatis, possideatis, & faciatis quicquid facere volueritis. De repetitione vero, si qui nos ipsi aut ullus homo fuerit qui hoc ire aut inquietare præsumserit; qui hoc fecerit, componat vobis * quod lexem, & quod repetit non valeat vindicare; sed stabilis permaneat, omnique tempore cum stipulatione annixa. Facta carta conscambiaria ista sub die feria secunda in mense Junii, anno sexto regnante Lodoico rege. Signum Miro episcopus. Signum Adalardi abbatis. Signum Amelius capriscolis, Magfredus canonicus, Benedictus canonicus, Benjamin canonicus.

* *forte*, quod lex est.

III.

De Mirone episcopo Albiensi pro S. Salvio.

Ex chartul. S. Salvii.

MUltum declarat auctoritas & lex Romana, & Gotha, sive Salica, ut qualiscunque homo res suas proprias in Dei nomen licentiam habeat donandi vel cedendi. Quapropter in Dei nomine Raimundus & Aimericus cedimus vel donamus Domino Deo & sancto Salvio Albiensi episcopo..... alode in pago Albiense, in manu Mironi episcopi. In tali vero ratio ut Mirus episcopus & Gausbertus abbas, cum clericis S. Salvii faciant ecclesiam in honore S. Salvii, in ipso alode; & sit ipsa ecclesia in sua honore omni tempore, in communia S. Salvii, cum suas adjacentias, & cum ipsas fines, de vas meridie adjacentia usque ad gutta ad currente: de vas oriente ad gutta currente de alia parte.... usque ad honorem Mafredo de alia parte, usque ad parochia sancta Martiana, &c.

IV.

Ebraldi præpositi Albiensis testamentum.

Ex chartul. Albiensi.

IN nomine æterni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, incipit brevis codicellus sive divisionalis, quomodo divisit Ebraldus præpositus alodes suos. Imprimis dono Bernardo episcopo illa ecclesia de Padalnag, cum ipso ecclesiastico, & cum alio alode meo, quem ego ibi visus sum habere, cum mansos, & terras, & vineas, & boscos, quantum in ipso agro visus sum habere vel possidere, totum & ab integrum, tibi jam dicto Bernardo episcopo dono: in tali vero ratione, ut quandiu vivis, teneas vel possideas; & post tuum discessum, S. Salvii, & ad ejus rectores remaneat in communia ipse alodus, cum omni integritate; & non habeas licentiam, neque tu neque alius, vendere nec alienare de communia S. Salvii. Illum alodem meum de Isartis dono Witardo archidiacono, ut teneat dum vivit, & post suum discessum sanctæ Ceciliæ remaneat in communia; illo mansum de Dalingis, ubi Benedictus evisus fuit manere, Gausberto presbitero remaneat, & post suum discessum S. Salvii remaneat. Illum mansum ubi Rogerius visus fuit manere in Aribergos, dono Benedicto fidele meo dum vivit; & post suum discessum S. Salvii remaneat. Facta carta ista sub die feria VII. in mense Martio anno X. regnante Lotario rege.

V.

Littera Froterii Albiensis episcopi de consecratione & dotatione Ecclesiæ Galliaci.

Ex tabul. Galliaci.

ANno ab incarnatione Domini DCCCCLXXXII. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Froterius dictus episcopus, hac sacra consecratione qua ad honorem Dei Omnipotentis, beatæ Mariæ semper virginis, & S. Joannis Baptistæ, & omnium sanctorum martyrum, hoc altare consecramus pro amore Dei, & redemtione animæ meæ, & animarum parentum meorum, in præsentia domini Folcranni episcopi Lodovensis, & domini mei Regimundi comitis, & dominæ meæ * Gersendis * comitissæ, & aliorum plurimorum hominum. Huic monasterio Galliacensi dono & concedo Vallem Caninam, illos pinos & cambilegos, & * Salheriam, & ecclesiam, de Brencia (*Brens*) cum omnibus appendiciis suis, de Falgueras, & Montonum (*Montans*) cum ecclesia & cum campanis, & Donazat, & Feuguerias, & illos mansos de Tescoat, & ecclesiam de Brancona, & de Brens, cum omnibus quæ ad eam pertinent. Et ecclesiam S. Jacobi de Brens, cum omnibus quæ ad eam pertinent, & ecclesiam S. Petri de Galliaco. Et omnes honores hos supradictos huic monasterio Galliacensi dono & con-

* a Gersendis & Gursendis.

* Salmeriam.

* Prior uxor Raymundi comitis laudatur adhuc in literis Raymundi de constructione monasterii S. Ponti Tomeriensis. Altera hujus comitis uxor Berta vel Bertana commemoratur in Raymundi testa-

cedo in perpetuum. Et deprecor dominum meum Regismundum comitem qui in præsenti est, ut ipse concedat & confirmet has donationes. Et ego Regismundus comes ad honorem Dei, & pro peccatis meis, hæc dona supradicta concedo & confirmo. Insuper & ipsum monasterium Galliacense concedo & confirmo esse in perpetuum ad Dei servitium, ut monachi sub regula S. Benedicti in eo degentes deserviant semper. Et ipsam villam Galliacensem, quæ magna nunc est, vel futura est, & milites & homines universos qui in ea habitant, vel habitaturi sunt, & castrum de Ulmo, dono & concedo & confirmo huic monasterio, ut habeat & possideat sub proprio dominio sine *ullo contradictore. Et fidantias, & justitias, vendentium & ementium redditus, & ingressus, & egressus fluvii Tarnis, à villa de Cortes usque Montanum, & ripas utriusque partis, & transitus & retransitus, & molinaria & molendinos, & Ecclesiam S. Amantii, & Ecclesiam de Brencio: hæc omnia supradicta dono & concedo & confirmo huic monasterio Galliacensi. Signum Domni Froterii episcopi. Sig. Domni Folcranni episcopi. Sig. Gersindis comitissæ. Sig. Evardi elcemosynarti Albiæ. Sig. Comitis.

* ulla contradictione.

VI.

De constructione pontis Albiensis tempore episcopi Amelii.

Ex chron. S. Salvii.

QUoniam humanorum actuum brevis est recordatio, & cito labuntur ea quæ sub sole geruntur, ideo memoriæ litterarum tradimus, quod Anselmus ecclesiæ S. Salvii abbas, & Adalbertus præpositus, Leo Francus archidiaconus, & R. Cabiscolius & ceteri ejusdem ecclesiæ canonici, ammonitione & ordinatione multiplicique precatu domni Amelii sanctæ memoriæ Albiensis episcopi, & Froterii Neumacensis episcopi & fratris ejus B. Atoni proconsulis Neumacensis & principis Albiensis, necnon & aliorum episcoporum; Geraldi * videlicet Rutenensis, & B. * Caturcensis, insuper & communi petitione supplicique rogatu omnium tam civium quam burgensium Albiensium, multorumque aliorum quos supra dicti episcopi ad postulandum secum quod ipsi postulare decreverant, ex vicinis castellis & vicis advocaverant: omnium istorum petitione, hortatu & precibus, supradicti seniores ecclesiæ S. Salvii dimiserunt, concesserunt & voluerunt pontem fieri super Tarnum, in alodio beati Salvii, ad communem villæ meliorationem, & totius Albereis utilitatem. Et ut tam grande opus faciliorem sortiretur effectum, omnium pariter supradictorum petitione, exhortatione multimodoque precatu, dimiserunt & donaverunt supradicti operi pontis, portum qui in alodio S. Salvii erat, & omnes redditus qui sibi inde veniebant; ita tamen quod facto ponte, si quispiam à transeuntibus aliquid exigere vel capere voluerit, illud ad canonicos S. Salvii sicut ad dominos, sine ulla contradictione redeat, & illorum sine omni inquietudine, sicut olim fuerat, libere in perpetuum permaneat. Istius promissionis, concessionis, & donationis, testes sunt quatuor prætaxati episcopi, & supradictus Albiæ princeps B. Ato, qui totum hoc, ut supra scriptum est, fieri voluit, concessit & firmum habuit. Testis est maxima multitudo tam incolarum, quam eorum qui ad conferenda suffragia in tam utilimo opere convenerant.

* *forte* Arnaldi. * Bernardi.

VII.

Bernardus vicecomes & Froterius episcopus, sub certis conditionibus, dant Bernardo Aimardo, & Guillelmo filio ejus, episcopatum Albiensem; ita ut mortuo Amelio successurus sit Guillelmus.

Ex regist. ch. Fusc. p.

BReve memoratorio de placito & convenientia, quæ fecit Bernardus vicecomes & Froterius episcopus, ad Bernardum Aimardum, & Guillelmum filium ejus, de episcopatu de Albi, qui est fundatus in honore sanctæ Ceciliæ, vel de quanto ad ipsum episcopatum pertinet, vel pertinere videtur. Donamus ergo Froterius & Bernardus, ad Guillermum filium Bernardi ipsum episcopatum subscriptum post mortem Amelii episcopi: ut si intus se fecerit, aut alium episcopum fecerit benedicere, in vita sua habeat Guillermus ipsum episcopatum suprascriptum post mortem Amelii. In tali vero ratione ut teneat Froterius episcopus, & Bernardus frater ejus, in pignore & medietate, de ipsa dominicatura, de ipso episcopatu, excepto sacrationes, & missas, & pœnitentias, & receptos, & excepto gallinas, & paleas, & ligna, & excepto candelas de servitio, & illas feos qui sunt vel ..... debent recipere qui habuerint de manu Guillermi. Et de ipsos douos quos donaverint, habeant Froterius & Bernardus frater ejus medietatem, excepto viginti solidos & viginti solidos .... & ipsum donum non debent minuare ad damnum vel ad ingannum de ipso Froterio & Bernardo. Istas pignoras suprascriptas teneat Froterius & Bernardus, per quinque millia solidorum vel solidatas apretiatas justis apreciatoribus. Et nisi donaverit Guillermus ad Froterium vel ad Bernardum duo millia quingentos solidos vel solidatas, debet recipere medietatem de pignore. Et nisi dederit alia duo millia quingentos solidos vel solidatas habeat totam suam pignoram de manu Froterii & Bernardi. Et infra duos menses ex quo benedictus erit ad episcopum, Guillermus debet donare ad Pontium comitem duo millia solidatas à justis preciatoribus; & ad alios duos menses mille solidos vel solidatas; & ad alios duos menses duos solidos vel solidatas. Etsi Guillermus mortuus fuerit antequam sit benedictus ad episcopum, habeat Petrus frater suus de manu Froterii & Bernardi pro ipso dono & per ipsam convenientiam.

VIII.

Charta Pontii comitis, quæ legat uxori suæ episcopatum Albiensem.

Ex authentico, Bibl. D. Foucaut comitis campigoran. & ex tabular. Fontenay. C. ffri.

MUltum declarat auctoritas & lex Romanorum & Gothorum sive Salicorum, ut unusquisque homo de propriis rebus suis dare, aut cedere, aut condonare voluerit, licentiam habeat ad faciendum. Quapropter ego in Dei nomine Pontius, dono tibi dilectæ sponsæ meæ Majoræ, episcopatum Albiensem, & civitatem, & moneta, & mercatum, & vineas in dominio & villa Magniloci, cum ipsa ecclesia, & cum homni adjacencia sua, & ecclesia S. Saturnini quæ vocatur fiscus, cum alode quæ vocatur Bricio, & castrum S. Marcelli cum sua honore, & cum suo mandamento; & medietatem de episcopatu de Nemauso, & meo * dricto de Amiglavo, & medietate de abatia S. Egidii, & castrum de Porta Spanz ..... & de castellum de Tarascone similiter, & terra de Argencia similiter, omnia & in omnibus totum & ab integrum, sic dono ego tibi, sponsa mea, omnia & in omnibus, quantum superius insertum est: in tali vero ratione, ut, dum tu vivis, teneas & possideas, & post obitum tuum remancat ipsius alodis ad infantes quæ de me Pontione erunt creati, & de utero tuo erunt nati. Et si tu, sponsa mea Majore, super vixeris, teneas & possideas ipsos alodes in vita tua, cum alio castello quæ vocant Cofolencio. Et si mortua fueris sine legitimo herede, ad pro-

* dictum de

pinquos meos revertatur. Sane si quis, ego, aut ullus de A heredibus nostris, qui contra carta ista donationis remere aut usurpare, aut inquietare venerit, non hic valeat vindicare quod requirit, sed componat tibi hæc omnia superius scripta dupla meliorata; & in antea donatio ista firma & stabilis permaneat omnique tempore. Facta carta donatione ista in mense Septembri, sub die feria IIII. octavo decimo cal. Octobris, anno regnante Ehenrigo Rege. Signum Pontii qui hanc carta donationis scribere fecit, & manu sua firmavit, & firmare rogavit. Signum Vvillelmo Patri suo. Signum Bertramno. Signum Remigio. Signum Bernardo. Signum Petrone. Signum Rostagno. Signum Rainone. Signum Petrone. Signum Emenone. Siguum Elisiar. Signum Petroni. Signum Berengario. Signum Rostagno. Signum Ugone. Dinarus scriptit. B

Pontium donatorem non dubitamus esse comitem Tolosanum, qui, cum potiretur abbatia Moissacensi, ejusque esset abbas, eam subjecit Cluniaco: de quo vide Mabill. ad an. 1062. *n.* 120. *Tempus quo vixit hic comes id persuadet; coævus enim erat Henrici* 1. *regis Francorum, quo regnante data est præsens charta. In ea uxor Pontii nominatur* Majore, *quæ prima fuit in collocata in matrimonium: in charta vero pro subjiciendo Moissaco Cluniacensibus, secunda uxor appellatur* Adalmodis.

IX.

Froterii episcopi Nemausi. donatio facta S. Salvio, ut canonici communem in ea ecclesia vitam agant.

C

Ex charta S. Salvii Albiens.

EGo igitur Froterius, non meis meritis, sed gratia Dei vocatus episcopus, & Bernardus meus utique frater, una cum Wilelmo ipsius loci pontifice, damus & reddimus ad honorem S. Salvii in communia, illum honorem quem præpositus ejus ecclesiæ tenere solet, totum & ab integrum, cum ecclesiis, & parochiis, & villis, & pascuis, & aquis, & canonicis, & cum omnibus quæ ad illum honorem pertinere videntur. Damus autem pro remediis animarum nostrarum, sive parentum nostrorum, istum & alios honores quos per singula nomina prænominare volumus; videlicet quantum possidere videmur in cimiterio; similiter illa meditate portus, & meditatem ecclesiæ Montilensis, & illam canonicam Fossiensis villæ, D simili modo damus illam caputscoliam, & quæ ad illam pertinent, & illa dona quæ abba aut episcopus habere solet, aut præpositus: faciunt enim similiter canonici omnes honores quos tenere solent de S. Salvio, aut per obedientiam, aut per fevum, aut per comandam, cum censu & servitio, quæ illi soliti sunt accipere. In tali vero ratione, ut unusquisque quando accepturus est societatem illius communiæ, si cum fratribus participare desiderat, ex redditibus suis & de temporalibus substantiis, illic largiatur quantum cum episcopo & ceteris fratribus invenire potuerit; id est, si quando de viginti qui modo intrant vel intrare desiderant, si mortuus fuerit unus ex illis, alius unum mansum ad alodem de incommunia & substantiis mobilibus, quantum cum episcopo & cum ceteris fratribus invenerit. Censemus autem, & cum juramento firmamus, ut de ista hora in antea de illis honoribus quos superius nominavimus, aut de aliis quos acquisiturus est B. Salvius, ad ipsam communiam, nec ego Froterius, nec Bernardus frater meus proconsul, nec Willelmus ipsius ecclesiæ episcopus, aut unus de canonicis, qui obedientias tenent, non dabimus ad damnum S. Salvii, aut ipsius communiæ; & si aliquid de ipsis qui fevos tenent post obitum illorum evenerit, ad ipsam communiam simili lege accommodent: de repetitione vero si quis hoc legitime usus fuerit, & adjutor ut firmiter ista teneantur extiterit, auxiliante Deo & Salvatore nostro Domino Jesu-Christo, liberi & absoluti ab omnibus culpis, unde pœnitentiam accepti sunt vel accepturi permanent ab ipsis Episcopis qui ista constituunt; scilicet Froterio atque Guillelmo, & ab aliis omnibus qui post istos episcopium istud sunt accepturi. Insuper etiam a plurimis aliis, a Papa Romano & ab archiepiscopo Bituricensis ecclesiæ, sive a ceteris omnibus quoscumque ad hoc opus inciare potuerimus. Si quis vero tam negligens fuerit aut defides, ut ista non servaverit, & jusjurandi infregerit, & fidem quam promisit, insuper & quicumque contra istam communiam malivolus insurgere voluerit; qui hoc fecerit excommunicatus & anathematizatus usque in seculi finem permaneat, & a liminibus S. Dei ecclesiæ segregatus, cum Daran & Abiron, in infernalibus claustris omni tempore participent.

X.

De reformatione ecclesiæ Albiensis.

Ex charta Albiens.

IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Paraclito Spiritu, cujus est prava cuncta dirigere, & aspera in vias planas referre, super hujus cenobii beatissimæ martyris Ceciliæ inenarrabilem * defolationem, miserante beato hujus loci Erotardo antistiti, divinitus inspiratum est, ut tam istius urbis quam totius episcopatus & ceterarum provincialium civitatum convocatis Dei fidelibus & sapientibus viris, de prefata hujus matris Ecclesiæ lacrymabili destructione, sibi non inutile, Deo autem placitum consilium pariter investigaret. Erant enim in hac ecclesia complures, non dicam canonici, sed qualescumque mercenarii, qui temporalis avaritiæ mordacia lucra quærentes, ferventis luxuriæ coarrantia vincula sectantes, & totius secularis inertiæ vana negotia experentes, nec fraternæ charitatis exemplo, sibi vel ceteris proficiebant, nec amandæ castitatis munditia Deo vel hominibus placebant; nec ad reddendum Deo psalmos vel debitas orationes, ad sanctum matris tabernaculum præfinitis temporibus conveniebant; attendentes quod à Domino per prophetam dicitur: *Vovete & reddite Domino Deo vestro*: qui videlicet ad temporalem laudem, non ad æternam remunerationem canonicum nomen subeuntes, canonicalis officii vel minima negotia explicare non curabant. Unde supradictarum personarum specialiter communicato consilio, cum non aliter in ecclesiæ possessionibus serviendorum præbenda reperiri posset, prædicti qualescumque canonici a pastore suo, nostro videlicet episcopo rationabiliter admoniti sunt, ut vel a pravis consuetudinibus, velut quibusdam lupis rapacibus impiorum animas ad mortem pertrahentibus, recederent; & Dei matrisque in gremio commorantes certis & horis & temporibus, secundum regulam Patrum, studiose inservirent; aut, si ipsi quidem non possent, filios vel consanguineos cum injuste possessis honoribus ecclesiæ ad serviendum relinquerent. Quod si spontanei paternæ admonitioni obedire recusarent, canonice institutionis judicio, quamvis inviti ecclesiasticis privari honoribus viverent, & pro crudeli rebellione anathematis ancipiti gladio percussi graviter ingemiscerent. Ad hæc quidam partim idoneæ veritatis rationem agnoscentes, partim canonum judicia formidantes, partim quia honores ecclesiasticos quos tenuerant oppignerati erant vel vendiderant; partim quia in parentum nimiam elationem minime confidebant, quod sibi his de causis utiliter tenere non poterant, ecclesiæ per integrum reddiderunt. Bernardus namque & Wido uterque sacrista, honorem quem possederant, ecclesiæ ab integro reliquerunt. Ernaldus S. Quintini cum fratre suo Petro cabiscolarem honorem & filium suum Durandum, huic sanctæ matri ecclesiæ per integrum, sicut melius possederat, reliquit. Gosbertus thesaurarius, itidem ab integro suum honorem reliquit. Guillelmus Beg. decaniæ honorem ab integro similiter reliquit. Hii tamen omnes episcopo Frotar-

* Quæ hic dicuntur de miserabili ecclesiæ Albiensis statu, facile credent qui legerint quæ retulimus ex indubitatis actis, charta VIII. de episcopum vendito; imo etiam lege testamenti dato uxori & liberis.

do vivente, illoque cogente, hos honores omnes reliquerunt; quod idcirco ipse, quamvis quidam ex his quasi propria retinerent, spontaneus & libens disposuit; quia ipse & prædecessores sui huic ecclesiæ multa incommoda & injurias, laïcis personis disperciendo ejus possessiones, intulerant: à quo non solum hæc prædicta beneficia, verumetiam aliud multo gratius & utilius beneficium in hujus ecclesiæ crementum recepimus cum consilio Romani cardinalis, scilicet Guiraldi Hostiensis episcopi, & Ricardi Bituricensis archiepiscopi, & Frotterii episcopi quam maxime affirmantis & simul Pictavensis episcopi: hanc namque videns ecclesiam quasi viduatam, & absque patrono, & propriis rebus expoliatam: archidiaconatum, sicut Tarnus fluvius dividit, & pariter cum Caturcensi pago & Rutenensi, Deo & S. Ceciliæ & clericis ipsius loci in Canonica, ipsis videlicet qui simul inmorari voluerint, reddidit & concedit, hac conditione quatenus, si quemlibet archidiaconum eligere voluerint, ex ipsis eisdem ponatur, vel si alienus fuerit, secundum electionem majoris partis; si autem aliqua necessitate separari voluerint, in claustri ædificio totum ponatur; quod inde habebitur, pro honore ipsius claustri detur. Hoc totum confirmatum & laudatum fuit ab omnibus supra dictis autenticis personis, tempore Alexandri Papæ, anno XII. regnante Philippo rege Francorum, XIII. anno sui imperii, & comite Tolosensi. His autem adjungimus Raimundum vicecomitem, & Sicardum & Frotardum vicecomites, præpositum ipsius ecclesiæ Pontium, & decanum Vivianum, & Guidonem secretarium, & Gausbertum thesaurarium. Quod totum peractum est anno XVII. decemnovennalis cicli, ab incarnatione[a] M LXXVIIII. Epacta XXVI. concurrente VII.

XI.

Fœdus pacis initum inter Guillelmum Petri episcopum Albiensem, & comitem Tolosanum.

1191. *Ex archivo Albiens.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, anno ab Incarnatione Christi M. C. LXXXXI. dominus Raimundus comes Tolosæ, & Guillelmus Petri Albiensis episcopus, consilio domini Rogeri Biterrensis vicecomitis, & Sicardi, vicecomitis de Lautrec, & Albiensium baronum, & illustrium virorum, in Albiensi diocesi pacem constituerunt. In primis ecclesias, monasteria, & loca religiosa, & clericos, & omnia bona eorum in hac pace posuerunt: mercatores, venatores, piscatores, milites, burgenses, rustici, & omnes omnino homines qui in Albiensi diocesi sunt, & omnia bona eorum in hac pace erunt; & omnes ad invicem hanc pacem tenebunt. De masnadis vero & exercitibus dominus Raimundus comes Tolosæ præstat securitatem & ducatum omnibus bubulcis & omnibus bobus, & animalibus arantibus, & saumariis, eis tantum qui signa pacis portaverint. Nullus, sive miles, sive aliquis homo de Albiensi episcopatu, debet facere malum per se in Ruthenensi, sive in Tolosanensi, vel in vicinis episcopatibus. Sed si contigerit quod aliquis de vicinis episcopatibus aliquem de episcopatu Albiensi roget ut eum sequatur, cavere debet ille qui de episcopatu Albiensi fuerit, quod ea die qua malum vicinis episcopatibus faciet, non exeat de Albiensi, neque revertatur in Albiensi. Domini locorum & castrorum cogant & compellant subditos suos, ut hujusmodi pacem inviolabiliter observent. In hac pace sunt omnes homines, cujuscumque conditionis aut ætatis fuerint, & omnia bona eorum; hanc pacem omnes Albienses ad invicem tenere debent. Proditores, invasores pacis, & omnes illi qui post * communionem pacis in jus venire voluerint, & judicio comitis & episcopi super aliquibus querimoniis stare noluerint, extra pacem erunt; & nullus locus, nulla persona, nulla dies securos eos facere poterit. Capellani & rectores ecclesiarum commoneant parochianos suos, ut hanc pacem per quinque continuos annos observent, & se observaturos super quatuor evangelia jurent. Illos autem qui tenere pacem noluerint & jura, excommunicatos & extra pacem esse denuntient. Ad adjutorium istius pacis, dabitur Raimundo comiti & episcopo pro animalibus cujusque aratri, sestarium annonæ; & pro uno quoque saumario duodecim denarii Albiensis monetæ, & sex pro asino vel asina. De animalibus vero quæ signa pacis portaverint, non poterit aliquis pro debito, vel fidejussione, vel aliquo delicto pignorationem facere, nisi specialiter ea sibi à domino obligata fuerint.

* compositionem.

[a] Hic annus non convenit cum supra notato Papæ & regis anno: legendum itaque an. 1072. qui est annus duodecimus & ultimus Alexandri Papæ II. & decimus tertius Philippi regis.

XII.

Charta Guillelmi Petri episcopi Albiensis, de privilegiis ab eo concessis monasterio S. Salvii Albiensis.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, anno incarnationis ejusdem M. CC. XXVII. VIII. idus Augusti. Noverint universi tam præsentes quam futuri litteras istas inspecturi, quod nos G. Dei gratia Albiensis episcopus, recognoscimus tibi * G. de Rabastenis, præposito ecclesiæ S. Salvii Albiensis, & * toto capitulo ejusdem ecclesiæ, licet universis sit manifestum quod in veritate profitemur, quod si forte aliquis cardinalis, vel aliquis alius Apostolicæ sedis legatus, sive archiepiscopus Bituricensis, vel aliquis alius prælatus, sive rex, comes, vice comes, vel aliqua sæcularis potestas, civitatem Albiensem aliquo casu intrare contingerit, & ad processionem admittuntur; episcopus Albiensis tenetur & debet ad ecclesiam S. Salvii venire, & primo cum præposito & canonicis S. Salvii, prælatos vel sæculares personas ibi recipere. Item recognoscimus & profitemur quod si in dominica ramis palmarum processio extra civitatem celebretur, episcopus Albiensis debet ad ecclesiam B. Salvii venire, & cum supradicto præposito & canonicis dictæ ecclesiæ usque ad locum processioni destinatum exire, & in reditu usque ad gradum B. Salvii & cum ipsis redire; diaconi vero S. Salvii & S. Ceciliæ, si equitando episcopus intraverit, ipsum tenentur ducere per lora usque ad gradum supradictum; de gradu vero usque ad ecclesiam S. Ceciliæ cum canonicis ejusdem ecclesiæ venire. Item recognoscendo affirmamus quod cum moram facit episcopus extra diocesim, sive in consecrationibus vel conciliis, vel alio aliquo modo, in reditu descendit ad ecclesiam B. Salvii, & ibi prius, si processio sibi offeratur, debet à præposito & canonicis eam recipere; si vero ad processionem non admittatur, debet primo ad ecclesiam B. Salvii orare, & tunc majus signum pulsare, ut notitiam præstet omnibus de adventu domini episcopi. Item recognoscimus & in veritate profitemur quod omnes Albienses episcopi debent sepeliri apud ecclesiam S. Salvii successive; & ut hæc recognitio in perpetuum firma habeatur, sigillum nostrum apponi fecimus huic chartæ. Nicolaus notarius mandato domini episcopi supradicti, præsens instrumentum scripsit.

1227. *Ex cartul. S. Salvii.*

* Guillardo.

* toti.

XIII.

De obitu & exequiis Guillelmi Petri episcopi Albiensis.

SIt notum omnibus præsentibus & futuris, quod cum dominus Guillelmus Petri Albiensis quondam episcopus, in ægritudine positus, mente tamen sana & integra, quasi in extremis laboraret; accersito ad se præposito & canonicis S. Ceciliæ Albiensis sedis, & B. capellano, & procuratore domini D. episcopi Albiensis, elegit sibi sepulturam in ecclesia S. Ceciliæ sedis Albiensis. Sed cum eo mortuo dicti canonici exequias funeris & officium sepulturæ, pro-

1230. *Ex autographo.*

ut moris est, sibi præpararent, & vellent eum in ecclesia S. Ceciliæ intromittere, G. præpositus & canonici S. Salvii oppositerunt se fortiter, resistere volentes & contradicentes, ne in ecclesia S. * Salvii sepeliretur. Dixerunt enim ad ecclesiam S. Salvii de antiqua consuetudine sepulturas episcoporum Albiensium pertinere; quam consuetudinem præpositus & capitulum S. Ceciliæ negabant. Allegabant etiam quod dictus Guillelmus fuerat canonicus regularis S. Salvii, & ideo non poterat eligere sepulturam alibi quam in ecclesia S. Salvii. Et contra præpositus & canonici S. Ceciliæ dicebant pro se, quod ipse quando fuit factus episcopus in ecclesia S. Ceciliæ, fuit factus de filio pater & exemtus a potestate & obedientia præpositi S. Salvii; & ideo de jure communi poterat ubi vellet, & maxime in cathedrali ecclesia eligere sepulturam, cum inde fuisset episcopus. Præter hæc dicebant, quod illa consuetudo, si qua esset, quam præpositus & canonici S. Salvii allegabant, per quam auferretur episcopis Albiensibus libertas eligendi sepulturam ubi vellent, non debebat valere de jure, cum sit contra jus scriptum, nec fuerat unquam obtenta contradicto judicio, nec per privilegium sedis Apostolicæ roborata. Et cum super iis aliquandiu ad invicem litigassent coram magistro R. Albiensi officiali, sicut coram judice ordinario, tandem compromiserunt utraque pars in officialem & magistrum Simon archipresbiterum de Corduo, promittentes sub pœna M. solidorum Raimond. quod quidquid ipsi statuerint vel judicarent, illud utraque pars ratum & firmum haberent, & illud observarent, & contra * unquam venirent. Ipsi vero habito prudentum consilio diligenter consideratis supradictis rationibus, positis pro ecclesia S. Ceciliæ, & iis quæ erant posita pro ecclesia S. Salvii, judicaverunt dictum dominum Guillelmum episcopum in ecclesia S. Ceciliæ de jure debere sepeliri, ea præcipue ratione quod cuilibet de toto episcopatu licitum est eligere sepulturam in ecclesia cathedrali: & hoc cum omnibus liceat, multo fortius debet licere episcopo, & de jure communi potest quilibet & ubicumque voluerit, dum tamen non sit illectus, vel non faciat ex temeritate, propriam ecclesiam contemnendo, & relicta suæ ecclesiæ canonica portione, eligere sepulturam. Et cum hæc liceat filiis de jure, multo fortius licet episcopo, qui pater est; qui tamen si non elegisset sepulturam, in sua cathedrali ecclesia, sicut quilibet parrochianus in sua parrochia, debebat de jure sepeliri. Lata autem ista sententia sæpe fatus dominus Guillelmus episcopus pontificalibus indumentis ornatus, quia semper sibi pontificalem dignitatem retinuerat, honorifice & pacifice delatus fuit in ecclesiam S. Ceciliæ, & celebratis missis, & officio funeris rite peracto, præsentibus præposito & canonicis S. Ceciliæ, & præposito S. Salvii, & clero & populo Albiensi, sepultus est in capitulo claustri S. Ceciliæ sedis Albiensis. Actum est hoc anno Domini MCCXXX. IX. Cal. Junii in claustro S. Ceciliæ Albiensis, præsidente in sede Apostolica domino Gregorio IX. pontificatus ejus anno IIII.

* f. Ceciliæ.

* nequam.

XIV.

Guillelmus Petri statuta condit pro reformatione S. Salvii.

Et archivo S. Ceciliæ Albiensis.

SIt hæc audientibus manifestum quod ego Guillelmus per Dei gratiam Albiensis episcopus, communicato consilio fratris nostri R. abbatis Candelii, & aliorum virorum religiosorum, sapientium & discretorum, habitatoribus domus S. Salvii hæc perpetuo observanda statuimus. Inprimis ut conventus ipsius domus simul comedat in refectorio, de eodem pane & de eodem vino bibat, qui de uno vase omnibus propinetur; & quæ supererunt in hospitali pauperibus ibidem semper manentibus distribuenda deferantur. In quo hospitali ponatur aliquis diligens ac timens Deum, qui pauperum curam habeat, & ciborum reliquias & cetera eidem hospitali competentia, sicut ab antiquo constitutum est; colligat, & pauperibus fideliter administret; simul dormiat in dormitorio, simul sit in ecclesia ad horas diei & noctis; & maxime ad Vigilias, ad Primam & ad Tertiam; ad Missam majorem, Processiones, Vesperas & Completorium. Qui hoc transgressus fuerit sequenti die ecclesiæ stipendia omnino amittat; & detur leprosis, nisi forte aliquem evidens infirmitas coegerit, sive de via lassus quis venerit, vel sibi minuerit *; sed qui minutus fuerit, per tres dies chorum intrare non cogatur. Post Completorium statim fores ecclesiæ diligentius obserentur, ut nullus foras egredi possit, nisi pro ordinatione infirmorum, transgressor per continuam hebdomadam ecclesiæ beneficio penitus careat, quod detur leprosis. Cum in villam exire voluerint, bini incedant; contemtor, unius diei stipendio puniatur; detur leprosis. Donatus qui uxorem duxerit, ea quæ ecclesiæ contulit prorsus amittat, nihil ex eadem ecclesia de cetero recepturus. Custos ecclesiæ, qui signa pulsare consuevit, sit in potestate sacristæ; ipse vero tanquam justo judici Deo redditurus rationem, in omnibus se habeat. Operarius constituatur in ecclesia, qui omnia quæ ejusdem operis solent esse, accipiat fideliter & dispenset; si quis autem canonicus vel donatus sancti Salvii hæc conciliosa institura nostra infirmare tentaverit, pœna duplici puniatur; scilicet ut centum solidos Melgorienses in communi utilitate ponat, vel ecclesiæ beneficia per annum amittat, & in die districti judicii damnatus a Domino, cum iniquis portionem recipiat. Omnia & singula superius instituta tenere & custodire faciat, & competenti severitate coerceat ille, cui potestas a domino episcopo super hoc fuerit attributa. Insuper, ut res ista perduret stabilior & in statu perpetuo, eorum nomina, qui iis adfuerunt, præsenti pagina volumus annotari, & eam a sigillo nostro recipere firmamentum.

* De minutione sanguinis per phlebotomiam hic agitur.

Instrumentum illud videtur habere aliquam connexionem cum sequenti. Optimus ille episcopus Guillelmus Petri dolens ecclesiam S. Salvii omnino defecisse, & tam brevi temporis intervallo, (decimo quinto certe anno post bullam Calixti, ut satis liquet) primo quidem statuta condidit; deinde suum jus ecclesia desolata præpositum eligendi reddidit, ut sequitur. Videtur ab episcopo hæc & alia charta emanasse primo episcopatus ejus anno, id est anno 1185. quo consequenter Galhardus fuit electus præpositus S. Salvii.

XV.

Guillelmus Petri episcopus Albiensis reddit ecclesiæ S. Salvii potestatem eligendi præpositum, & eligitur Galhardus.

Et archivo S. Salvii.

SIcut recte gradientes normæque inhærentes fovere & protegere justum est & laudabile, sic quidem exhorbitantes & a vero deviantes revocare, & reducere pium est & remunerabile. Et licet non minimæ laudis sit ordinata ne fluitent, laboriosioris tamen & excellentioris virtutis est fluitantia in ordine confirmare: inde est quod ego Guillelmus Petri, Dei gratia Albiensis episcopus, ecclesiam beati Salvii, quæ incidentibus discordiis vel invidiis a priori statu dudum deciderat, & sine præposito ac consueto rectore annos ferme quinquaginta manserat, tali ejecta enormitate cupio reformare, & antiquiori & rectiori cursui, Deo annuente, reddere; unde quidem hoc illi restituo, dono, atque, ut in posterum valeat, præcipio ut ejus canonici, tam in præsenti quam in futuro, præpositum de more semper habeant, & sub ejus regimine servire Deo studeant; qui & ceteras ecclesiæ personas & honores canonice disponat, & communt . . . . . & instituat profectui & utilitati, in quo & omnia ad ecclesiam spectantia, tanquam in capite corporis membra uniantur, & a divisione & dispersione deffendantur. Sola est immunitas, qua cuncta in statu suo permanent, & sine qua nulla durabit religio. Præpositi quoque electionem ipsis canonicis tam præsentibus quam futuris,

ed by

tam per me quam per meos ſucceſſores tranquillam, A liberam & in omnibus abſolutam, & nunc & in perpetuum trado, dono atque concedo, & donum & conceſſionem venerabilis Papæ Calixti ſuper hac ipſa re ab olim factam approbo & ..... tamen præpoſitus præſente & faciente epiſcopo inſtituatur. Denique ut jam dicta donatio & conceſſio inpoſterum rata, quieta, illibataque permaneat, nec ullo modo fruſtrari valeat, ſigillo & præſentium apicum atteſtatione munio & confirmo. Teſtes ſunt hujus reſtitutionis & donationis dominus Galhardus in ipſa donatione præſentis eccleſiæ factus præpoſitus, Vedianus Ichardi ſanctæ Ceciliæ præpoſitus, Durantus de monte Autino, Willelmus de Marcilio ſacriſta Airebaldi, P. de Jovent, D. capellanus, Bernardus Boetus, & plures alii tam canonici quam familiares hujus eccleſiæ.

XVI.

Sententia Petri de Collemedio in gratiam Duranti epiſcopi Albienſis de omnimoda juriſdictione quam habebat in urbe Albia.

1229. Ex archivo epiſcopatus Albienſis.

OMnibus Chriſti fidelibus ad quos litteræ iſtæ pervenerint Petrus de Collemedio ſalutem in domino. Cum de jure & juriſdictione civitatis Albienſis inter baillivos domini regis & dominum Philippum de Monte-forti, qui pro ipſo rege jus ſe dicebat in dicta civitate tenere, ex parte una, & venerabilem D. Albienſem epiſcopum ex altera, quæſtio verteretur: de mandato domini regis ſpeciali, cujus vices etiam gerebamus in partibus illis, quæſtiones illas audivimus, & tandem de conſenſu prædictorum de jure domini regis & eccleſiæ Albienſis fecimus diligenter inquiri, & per inquiſitionem invenimus quod major juſtitia civitatis, videlicet de criminibus, ſanguinis effuſione, furtis & adulteriis, & fidelitas hominum de villa, & cuſtodia clavium portarum de villa; item incurrimenta ſive commiſſa hominum prædictorum, ſpectant ad epiſcopum & eccleſiam Albienſes. Item invenimus quod præconizari ſolet per civitatem ex parte epiſcopi & proborum hominum de Albia tantum; de minoribus autem clamoribus invenimus quod juſtitia minorum communis fuerat epiſcopi & Froteriorum, ita quod ille cognoſcebat ad quem ibant primo clamores, videlicet quod ſi primo ibant ad epiſcopum, epiſcopus cognoſcebat; ſi ad Froterios, Froterii cognoſcebant: ſi ad epiſcopum & Froterios ſimul, inſimul cognoſcebant; exceptis quibuſdam hominibus, quorum juſtitia tantum eſt epiſcopi. Inquiſitione autem prædicta diligenter inſpecta, & habito conſilio reverendi patris & domini R. S. Angeli diaconi cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legati, & domini Adæ de Millaco militis, qui ad partes Albienſes venerat ut gereret vices regis, & aliorum proborum virorum tam prælatorum etiam quam baronum, ad dictum epiſcopum & eccleſiam Albienſem, majorem juſtitiam, incurrimenta ſeu commiſſa, cuſtodiam clavium, fidelitatem villæ, præconem videlicet, ut ex parte epiſcopi & proborum hominum de villa præconizetur dicimus .... prohibentes ne ſuper iis eccleſia a balliviis domini regis vel aliis moleſtetur; minores autem clamores dicimus eſſe communes epiſcopi & domini regis, qui jus tenet in villa Froteriorum, ita quod ille cognoſcat de minoribus clamoribus ad quem vadunt: & ſi ſimul vadunt ad epiſcopum ſeu officialem ſuum, & ad ballivum domini regis, ſimul inde cognoſcant, exceptis clamoribus quorumdam hominum quos tantum ad epiſcopum invenimus pertinere, de quibus epiſcopus ſeu officialis ſuus tantum cognoſcet. Ut autem omnia ſupradicta, rata & inconcuſſa permaneant, præſentes litteras fecimus annotari, & ſigilli noſtri munimine roborari. Actum apud Laſignanum die Martis proxima poſt feſtum beati Andreæ apoſtoli, anno Domini MCCXXIX. menſe Decembris.

Hanc ſententiam confirmavit Innocentius IV. pontificatus ſui anno 8. 2. *Cal. Aprilis.*

XVII.

Philippus archiepiſcopus Bituricenſis excipit homagium ab epiſcopo Albienſi de ipſa urbe Albia, ea lege, ut, ſi facta inquiſitione non cognoſceretur de iſtius homagii jure, non amplius exigeretur.

PHILIPPUS divina permiſſione Bituricenſis archiepiſcopus Aquitaniæ primas, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Noveritis quod cum epiſcopus Albienſis teneat a nobis in feudum civitatem Albienſem, caſtra, villas & alia jura ad civitatem prædictam pertinentia, nos domino B. epiſcopo B Albienſi & ejus ſucceſſoribus promittimus, quod dictum feudum non alienabimus, nec extra manum noſtram ponemus. Quod ſi contrarium faceremus, volumus quod eo ipſo epiſcopus Albienſis & ſucceſſores ſui, qui pro tempore fuerint, a feudo ſint immunes, & eidem epiſcopo feudum ſolvimus, remittimus & quittamus; nec alienatio obtinere poſſit alicujus roboris firmitatem. Promittimus etiam eidem epiſcopo quod infra octavas Pentecoſtes litteras capituli Bituricenſis ſub eodem tenore procurabimus Bituris ſibi dari, vel ejus certo mandato. Recipimus etiam fidelitatem ab ipſo epiſcopo pro civitate Albienſi & ejus tenemento quam facit nobis, ita quod, ſi probare potuerimus quod homagium inde factum fuerit nobis vel anteceſſori noſtro, homagium inde facere nobis te- C nebitur epiſcopus antedictus. Si vero dictas litteras infra dictum terminum eidem vel ejus mandato dari non fecerimus, volumus quod fidelitas quam nobis facit, habeatur penitus pro non facta, & ſit res in eodem ſtatu in quo erat ante promiſſam fidelitatem, & ſi receperit litteras capituli idem epiſcopus, dabit nobis litteras ſuas patentes ſuper receptione litterarum prædictarum. Hanc autem recognitionem feudi & fidelitatem facit nobis epiſcopus ſupradictus, ſalvo jure ſuo & ſuæ eccleſiæ Albienſis ſi inpoſterum agere nollent. Actum Biturico præſentibus Claromontenſi & Lemovicenſi epiſcopis, anno Domini M. CCLIV. die Lunæ poſt Dominicam qua cantatur: *Oculi mei.*

1254. Ex archivo Albienſi.

XVIII.

B. epiſcopus Albienſis pro maximis ſibi & civibus ſuis, illatis injuriis per ſeneſcallum Carcaſſonenſem, regem appellat.*

* Bernardus de Combret an. circiter. 1259.

NOverint univerſi præſentem paginam inſpecturi, quod nos B. Dei gratia Albienſis epiſcopus, ſentientes nos indebite & injuſte aggravari à vobis Stephano de Dadeiſi, tenente locum nobilis viri P. de Autolio ſeneſcalli Carcaſ. & Biterr. pro eo quod, cum vos citaveritis nos & cives noſtros ſemel, ut veniremus apud Carcaſſonam, parituri juri coram vobis, ſuper eo quod dicebaris nos & cives noſtros portaſſe arma & pacem fregiſſe per terram domini regis Franciæ, minus brevem terminum nobis aſſignando, E ita quod in craſtinum receptionis litterarum veſtrarum nos oportebat comparere; ad quam diem nos excuſatorem noſtrum miſerimus litteratorie deſtinatum, qui pro nobis prætenderet, quod propter brevitatem temporis coram vobis minime venire poteramus, & ſecundo apud Caſtras ut nos & cives noſtri veniremus ſuper prædictis juri parituri coram vobis, & ibidem a nobis perſonaliter coram vobis exiſtentibus, & a procuratore univerſitatis civitatis noſtræ Albienſis firmantias ſuper prædictis peteretis, de ſtando juri & congregationi curiæ veſtræ Carcaſ. Et nos quod non immerito curiam prædictam reputabamus ſuſpectam, pro eo quia inimici noſtri capitales conſiliarii & aſſeſſores in dicta curia exiſtebant, & quia nobis coram vobis conſtitutis multæ injuriæ nobis & noſtris factæ fuerunt, & pluſa enormia & turpia nobis dicta. Item

Ex autographo cart. Albienſ. archiep.

quia

quia frater noster carnalis, per vos & per consiliarios A vestros, fuit juxta nos captus, verberatus, & viliter pertractatus, & in magnum vituperium nostrum & episcopalis dignitatis, feceritis portas villæ Castrensis claudi, ne nos sive nostri exire possemus, & per unam noctem quasi captos tenuistis inclusos; noluerimus cavere, nec etiam litigare coram vobis, offerentes nos & cives nostros paratos cavere, sed stando juri & cognitioni domini regis Franciæ, quod vos minime acceptastis: immo venientes contra nos, & civitatem nostram, cum magna multitudine armatorum, ceperitis, seu capi feceritis, indebite & injuste homines nostros, & civitatis nostræ, & bestiale, & alia bona multa hominum nostrorum, & decimas clericorum nostrorum, & redditus nostros bannieritis, & etiam bladum decimarum ecclesiarum de Pozols & de Pozlanih nostræ Diocesis, de ipsa Ecclesia de Pollanih de nocte extrahi feceritis; communantes insuper nobis de aliis multis infinitis gravaminibus inferendis, & specialiter quod tolleretis & destrueretis omnia bona per civitatem nostram constituta. Demum, cum nos magnum damnum nobis & hominibus nostris timeremus inferri, compulsi & coacti nos & cives nostri caverimus coram vobis de stando juri & cognitioni super præmissis, curiæ Carcass. salvo tamen jure nostro in omnibus, & domni archiepiscopi Bituricensis, & protestato quod non intendebamus in vos tanquam in judicem consentire, salvis nobis omnibus definitionibus & exceptionibus nostris, & salva appellatione nostra, quam nos & procurator universitatis Albiensis, propter multa gravamina quæ nobis & universitati C prædictæ intenderatis; a vobis ad dominum regem feceramus. Et vos post cautionem a nobis & civibus nostris interpositam; pignora nostra & hominum nostrorum reddere, vel etiam recredere nolueritis, & decimas, sive redditus nostros, & clericorum nostrorum, nec credere nec disbannire volueritis, quod est contra justitiam, & statutum domini regis Franciæ; & insuper volueritis nos amplius aggravari, citaveritis nos personaliter apud Carcassonam, & quosdam cives nostros, & nobis etiam injunxeritis, quod nobiscum coram vobis ibidem adduceremus quosdam homines, qui non sunt de jurisdictione nostra, seu districtu; volentes nos & homines nostros graviter afficere laboribus & expensis, ut coacti compellamur cedere juri nostro, quod est contra jus & statutum D domini regis: cum potius in civitate Albiensi, ubi dominus rex curiam habet ordinariam, audiri debuerimus; & quia compulisti nos assecurare clericos, & alios homines nostros, & in civitatem nostram recipere; qui contra nos & civitatem nostram arma tulerant, & insidias plures nobis posuerant, & grave bellum nobis & hominibus civitatis nostræ in territorio & feudo nostro influxerant, in quo quidam de civibus nostris interfecti fuerunt, & plures graviter vulnerati; quod quidem in grave periculum nostri corporis & nostrorum, videlicet qui tales inter nos manent & morentur, ab iis gravaminibus, quæ nobis & civibus & valitoribus nostris intulistis, & ab aliis quæ nobis a vobis timemus inferri, pro nobis & civibus, & omnibus valitoribus nostris, ad dominum regem E Franciæ in scriptis appellamus; & apostolos petimus & instanter petimus; quos si nobis denegaveritis, iterato ad eundem dominum regem appellamus, ponentes nos & cives, valitores & alios homines nostros, & omnia bona nostra, & omnium prædictorum, in protectione Dei, & domini regis Franciæ.

XIX.

Compositio super hæresibus & faidimentis civitatis Albiensis, inter regem Franciæ & episcopum Albiensem.

LUDOVICUS * Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum orta esset materia quæstionis inter nos ex una parte, & dilectum nostrum Bernardum episcopum Albiensem ex altera, super jure & jurisdictione civitatis Albiensis, vel parte ejusdem, & specialiter super eo, quod pro parte nostra proponebatur, quod ratione jurisdictionis quam nos habemus in civitate Albiensi, incurrimenta hæreseos, & faidimentorum pertinebant ad nos: episcopo Albiensi in contrarium asserente, & dicente, dicta incurrimenta ad se, & Albiensem ecclesiam pertinere, ratione jurisdictionis quam habet in civitate Albiensi; nec non super quibusdam aliis, occasione contentionis hujusmodi suscitatis, & quibusdam aliis. Tandem super dicta quæstione ad amicabilem compositionem devenimus, prout inferius continetur. Videlicet quod nos pro nobis & successoribus nostris regibus Francorum, volumus, concedimus & assentimus quod episcopus Albiensis & successores ipsius, habeant & possideant, vel quasi pacifice & quiete tanquam sua, majorem justitiam civitatis Albiensis; videlicet de civibus, sanguinis effusione, furtis & adulteriis, & fidelitatem hominum ejusdem civitatis, & custodiam clavium portarum dictæ civitatis, & incurrimenta sive commissa hominum prædictorum, & præconizare facere in civitate prædicta. Nobis vero & episcopo Albiensi, communis remanet in dicta civitate justitia minoris clamoris. Quæ fuit communis episcopi Albiensis, erit communis nobis & successoribus nostris, & dicto episcopo Albiensi & successoribus suis. Ita quod ille cognoscet de minoribus clamoribus, ad quem primo ibunt super hoc litigantes. Nam si primo ibunt ad episcopum Albiensem, vel bajulum suum; episcopus Albiensis cognoscet tantum, vel bajulus suus; & e converso, si primo ad nos vel bajulum nostrum; nos tantum cognoscemus, vel bajulus noster: si vero simul ibunt ad episcopum Albiensem, vel ejus bajulum, & ad nos vel nostrum bajulum; simul cognoscemus, exceptis clamoribus quorumdam hominum qui tantum ad episcopum Albiensem dicuntur pertinere, de quibus episcopus Albiensis, seu officialis suus tantum cognoscet: de quibus inquiretur qui sint illi, ut super hoc certitudo aliqua habeatur. De qua justitia minorum clamorum, nos vel successores nostri reges Franciæ, non tenebimur aliquam recognitionem facere episcopo Albiensi, & successoribus suis, quandiu ad manum nostram nos vel successores nostri reges Franciæ, tenebimus eandem. Sed si contigerit nos vel successores nostros reges Franciæ, prædicta jura quæ fuerunt incurrimentorum in civitate Albiensi, ponere extra manum nostram, vel successorum nostrorum regum Franciæ; ille, vel illi qui dicta jura possideret, vel possiderent; ea teneret vel tenerent ab episcopo Albiensi & successoribus suis, & teneatur vel teneantur sibi facere homagium pro iisdem. Præterea interim bajulus noster & successorum nostrorum, qui pro tempore erit in civitate Albiensi, pro nobis & successoribus nostris, veniens coram episcopo Albiensi, vel mandato suo, apud Albiam jurabit præsente episcopo Albiensi, vel mandato suo, quod jura episcopi & ecclesiæ Albiensis non usurpabit, nec diminuet contra justitiam, nec per ullos de familia sua diminui sustinebit, salvo etiam dicto episcopo Albiensi & successoribus suis, quod nos vel successores nostri non possimus recipere compensationem aliquam pro jure exercitus civitatis Albiensis, vel ipso exercitu per quem oneraretur civitas, vel homines Albienses in aliquibus redditibus persolvendis, nisi de voluntate Albiensis episcopi, vel

1164. Ex tab. regio. * S. Ludovicus.

Digitized by Google

ſucceſſorum ſuorum,& conſenſu: nec propter hoc volumus, nec intelligimus aliquod novum jus nobis vel ſucceſſoribus noſtris ſuper dicto exercitu acquiſitum, nec nobis eſſe conceſſum dictum exercitum a dicto epiſcopo Albienſi; nec volumus eidem epiſcopo Albienſi in aliquo derogari, ſuper hoc quod ipſe epiſcopus Albienſis habet & poſſidet, ut aſſerit, in civitate Albienſi exercitum, nec alii juri ſuo. Item ſi aliquis eſt juſticiabilis epiſcopo Albienſi, non eximetur à juriſdictione epiſcopi, eo quod in bajulum noſtrum ſit aſſumtus, vel ad noſtrum ſervitium quoquomodo vocatus, videlicet quandiu in diſtrictu Albienſis epiſcopi moram trahet. Item juriſdictio prædicta quam nos habemus in civitate prædicta, quam bajulus noſter invenietur contra uſitatam juriſdictionem epiſcopi & eccleſiæ Albienſis injuſte ampliaſſe,ignorando, banniendo, ſeu alio modo in præjudicium juriſdictionis epiſcopi Albienſis & eccleſiæ Albienſis, ad modum ſolitum reducatur. Item nos pro nobis & ſucceſſoribus noſtris regibus Franciæ volumus, concedimus & aſſentimus, quod epiſcopus Albienſis & ſucceſſores ſui habeant & poſſideant, vel quaſi medietatem incrementorum, hæreſum & faidimentorum in civitate Albienſi, & nos & ſucceſſores noſtri habeamus aliam medietatem: & ſi forte retroactis temporibus prædeceſſores dicti epiſcopi Albienſis aliquid dederunt,vendiderunt, ſeu alio modo alienaverunt hæredibus hæreticorum, ſeu faidirorum, vel alias de hæreſibus & faidimentis, quæ fuerunt anteceſſorum dictorum hæredum,& illud a dictis hæredibus vel aliis evincatur, vel retrahatur ad manum noſtram, ſeu epiſcopi Albienſis, nos & ſucceſſores noſtri reges Franciæ, habeamus medietatem de dictis hæreſibus & faidimentis; & epiſcopus Albienſis,& ſucceſſores ſui,aliam medietatem. Et ſi oportuerit inde reſtitui aliquam pecuniam a nobis vel ſucceſſoribus noſtris, vel ab epiſcopo Albienſi vel ſucceſſoribus ſuis: ſi partem in dictis hæreſibus & faidimentis habere voluerimus, nos vel ſucceſſores noſtri reſtituemus medietatem, & epiſcopus Albienſis, vel ſucceſſores ſui, ſi partem habere voluerit, aliam medietatem: ſi vero non evincantur prædicta incurrimenta, a prædictis non diminuatur propter hoc pars epiſcopi Albienſis vel ſucceſſorum ſuorum, nec nobis vel ſucceſſoribus noſtris teneatur epiſcopus Albienſis vel ſucceſſores ſui, propter hoc ad reſtitutionem aliquam faciendam,prædictis incurrimentis non evictis. Et intelligitur de faidimentis illorum faiditorum qui fuerunt vel erunt faiditi a civitate Albienſi, & ſe oppoſuerunt vel opponunt faciendo guerram univerſali Eccleſiæ, vel nobis vel ſucceſſoribus noſtris regibus Franciæ. Item de prædictis incurrimentis hæreſum & faidimentorum, molendina quæ dicuntur * Delbateis, remanent epiſcopo Albienſi, & ſucceſſoribus ſuis integre, ultra medietatem ipſius epiſcopi Albienſis ſupradictam. Item non intelligitur aliquid nobis vel ſucceſſoribus eſſe conceſſum, de his incurrimentis quæ nunc tenent, ſeu poſſident tanquam ſua, epiſcopus & capitulum & eccleſia Albienſis, & diu tenuerunt bona fide, ſed eis remaneant pacifice & quiete. Item dicta incurrimenta hæreſum & faidimentorum inquirantur & colligantur ſimul per bajulum dicti epiſcopi Albienſis, vel ſucceſſorum ſuorum, & per ſervientem noſtrum vel ſucceſſorum noſtrorum, ad hoc ſpecialiter deputatum. Ita quod medietas utrique noſtrum ſtatim reddatur fideliter, & dictus bajulus & ſerviens meus, ſibi jurabunt ad invicem, quod erunt fideles nobis & ſucceſſoribus noſtris,& dicto epiſcopo Albienſi & ſucceſſoribus ſuis, in hoc facto. Jurabit nihilominus ſerviens noſter prædictus & ſucceſſorum noſtrorum,ſe jurare ſuper prædictis ex parte noſtra bajulum dicti epiſcopi Albienſis & ſucceſſorum ſuorum, quando a dicto epiſcopo Albienſi, vel ſucceſſoribus ſuis, vel ab ipſo bajulo fuerit requiſitus. Et ſciendum quod immobilia quæ nobis & ſucceſſoribus noſtris advenient,de hæreſibus & ſaidimentis,debemus nos & ſucceſſores noſtri, & tenemur vendere vel alienare infra annum talibus perſonis, quæ faciant epiſcopo & eccleſiæ Albienſi, & ſucceſſoribus ſuis ſervitium, & alia quæ tenebantur eis facere veteres poſſeſſores pro rebus ejuſdem. Si vero nos vel ſucceſſores noſtri, non vendiderimus vel alienaverimus infra annum immobilia hujus, epiſcopus Albienſis vel ſucceſſores ſui, in ſecundo anno,& in tertio accipiet authoritate propria illa mobilia & poſſidebit, & faciet fructus ſuos. Et ſi nos vel ſucceſſores noſtri infra tertium annum non vendiderimus vel alienaverimus prædicta, ut dictum eſt, epiſcopus Albienſis & ſucceſſores ſui, extunc habeant & retineant authoritate propria poſſeſſionem, & proprietatem omnium prædictorum pleno jure. Item immobilia quæ nos vel ſucceſſores noſtri vendemus vel alienabimus, non poterimus ponere in manu religioſorum, vel tam potenti, quod epiſcopus Albienſis & ſucceſſores ſui,non poſſint ſuam juriſdictionem in eos exercere, vel eos juſtitiare ſicut veteres poſſeſſores. Item licebit epiſcopo Albienſi, vel ſucceſſoribus ſuis,illa immobilia quæ nos vel ſucceſſores noſtri vendemus, pro * certis pro eodem pretio retinere. Item ex iſto jure & ex iſta compoſitione pro medietate prædictorum incurrimentorum nullum novum jus nobis vel ſucceſſoribus noſtris acquiritur, ſeu acquiretur in dicta civitate, præter illud quod de prædictis incurrimentis ſuperius eſt expreſſum. Nec jura epiſcopi & eccleſiæ Albienſis in aliquo alio imminuantur; ſed liceat ea poſſidere, vel quaſi dicto epiſcopo Albienſi,& ſucceſſoribus ſuis pleno jure, ſicut ipſe & anteceſſores ſui antea poſſederunt; prohibentes & volentes ne ſuper prædictis epiſcopus & eccleſia Albienſis & ſucceſſores ſui,a bajulis noſtris & aliis de cetero moleſtentur. Quod ut ratum &c. Actum Pariſius anno Domini MCCLXIV. menſe Decembri. Hanc autem compoſitionem ſupra ſcriptam nos dictus Bernardus Albienſis epiſcopus pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris, de licentia ſupradicta cum dicto domino rege Francorum fecimus, & ratam habemus & habebimus perpetuo, atque firmamus. In cujus rei teſtimonium ligillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum Pariſiis anno Domini MCCLXIV. die Veneris in vigilia S. Nicolai hiemalis menſe Decembri.

* Delbateis.

* emend.

XX.

Philippi regis alias anteceſſorum ſuorum literas commemorantis.

PHILIPPUS, Dei gratia Franciæ rex,notum facimus univerſis tam præſentibus quam futuris, quod nos litteras inclitæ recordationis, cariſſimi domini & genitoris noſtri Ludovici regis Franciæ, vidimus in hæc verba: Ludovicus, Dei gratia Francorum rex, notum facimus univerſis tam præſentibus quam futuris, quod dilectus & fidelis noſter Bernardus epiſcopus Albienſis, nobis præſentavit litteras infra ſcriptas,hanc ſeriem continentes. Simon Comes Leyceſtriæ, dominus Montisfortis, Dei providentia Bitterenſis & Carcaſſonenſis vicecomes, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Univerſitati veſtræ notum facimus, quod nos venerabili & dilecto patri noſtro Guillelmo epiſcopo Albienſi, & omnibus epiſcopis Albienſibus ſucceſſoribus ſuis, damus & concedimus Caſtella de Roſſiac,& de Marſſac cum pertinentiis eorumdem,ſalvis regalibusnoſtris,in perpetuum a nobis & hæredibus noſtris tenenda; ita quod, quando epiſcopus deceſſerit,nos prædicta caſtra cum pertinentiis in manu noſtra teneamus, quoaduſque alius epiſcopus ſubſtituatur; & tunc eidem prædicta caſtra cum pertinentiis reddemus. Idem vero epiſcopus ſuique ſucceſſores nobis & hæredibus noſtris in perpetuum, tenentur eſſe fideles. Quod ut ratum ſit præſens ſcriptum ſigilli noſtri munimine confirmavimus. Actum Albiæ anno Domini milleſimo ducenteſimo duodecimo, tertio nonas Aprilis. Quibus præſentatis & viſis idem epiſcopus dicta caſtra cum pertinentiis eorumdem, a nobis pro ſe ſe & ſucceſſoribus ſuis, qui

1211. 1270. 1277.

1212.

pro tempore fuerint episcopi Albienses, recognovit se tenere, pro quibus nobis promisit, & ad sancta Dei evangelia juravit, quod nobis & successoribus nostris regibus Franciæ, semper fidelis erit, quodque vitam, membra, honorem, & jura nostra custodiet bona fide, & secreta nostra celabit, si ei fuerint revelata. Quod etiam nobis fidele præstabit consilium, si super hoc fuerit requisitus. Ac nos donationem & concessionem prædictas, prout superius continentur, quantum in nobis est, ratas & gratas habemus; volentes quod idem episcopus, & ejus successores episcopi Albienses, qui pro tempore fuerint, præmissa castra cum eorumdem pertinentiis tenere valeant in perpetuum, & pacifice possidere sine coactione aliqua, vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo in aliis jure nostro, & jure in omnibus alieno. In cujus rei testimonium & munimen præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Nemausi anno 1170. Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, mense Junio. Nos vero præmissa omnia & singula, prout superius continentur, volumus, concedimus & approbamus, salvo in aliis jure nostro, & jure in omnibus alieno, & in horum testimonium & munimen, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis 1177. anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, mense Aprilis.

XXI.

Privilegium Philippi regis pro Bernardo de Castaneto Albiensi episcopo.

1304. PHILIPPUS, Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod nos prolocutam liberalitatem, nobis ex parte episcopi Albiensis dilecti & fidelis nostri, suo & personarum ecclesiasticarum Albiensium civitatis & diocesis nomine faciendam, pro præsentis nostri Flandrensis exercitus subsidio, ad defensionem regni nostri, gratam & acceptam habentes, gratiosius tenore præsentium ipsis duximus concedendum. Primo quod nos in instanti festo omnium Sanctorum faciemus cudi & fabricari monetas legis, valoris & ponderis, quorum erant illæ, quæ tempore beati Ludovici, quondam regis Francorum, avi nostri, currebant, & inter Domini festum, ac subsequens festum resurrectionis dominicæ, faciemus paulatim cursum mutari monetarum, quæ in monetagiis nostris cuduntur ad præsens, prout consultius fuerit faciendum; ita quod in dicto festo resurrectionis Domini vel circa, prædictas novas moneras habere faciemus cursum suum. Item quod omnia conquesta ab ipsis, suorum ecclesiasticorum nomine tempore retroacto, usque ad tempus concessionis hujusmodi, in feodis aut retrofeodis nostris, aut subditorum nostrorum, in quantum ad nos spectat, tenere possint perpetuo, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, aut financias præstandi nobis pro eisdem. Item similiter quod possessiones, quas pro ecclesiis, & cimeteriis ecclesiarum parochialium fundandis de novo, vel ampliandis, intra vel extra villas, non ad superfluitatem, sed ad convenientem necessitatem acquiri continget, vel jam sint acquisitæ, de cetero apud ecclesias perpetuo remaneant, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, aut præstandi financias pro eisdem; & quod possessionum hujusmodi possessores, ad eas pro justo pretio dimittendas, possint, mediante justitia, coerceri. Item quod bona mobilia ecclesiasticarum personarum & clericaliter viventium, non cogentur aut justiciabuntur in aliquo casu, per justitiam secularem. Item quod advocationes & recognitiones novæ, quæ ab ecclesiarum subditis fiunt, nullatenus admittentur, & sententias de novo faciemus penitus revocari. Item quod prætextu gardiæ antiquæ, in personis ecclesiasticis non impedietur ecclesiastica vel temporalis jurisdictio prælatorum. Item quod baillivi & alii officiales nostri teneantur jurare, quod mandata sibi facta & facienda, per litteras nostras, pro ecclesiis & personis ecclesiasticis, absque difficultate fideliter exequentur. Item quod non impedientur aut inquietabuntur ecclesiæ, super possessionibus, seu reditibus, emptis vel emendis, in feodis, retrofeodis, aut censivis eis; in quibus omnimodam altam & bassam habent justitiam, quin possessiones vel reditus taliter acquisitos perpetuo tenere valeant, absque coactione vendendi, aut extra manum suam ponendi, aut nobis præstandi financias pro iisdem. Item quod tollantur gravamina eis per gentes nostras illata, ac nostra jam concessa statuta serventur; & ea baillivi nostri tenebuntur * se firmiter servaturos. Item, quod si decimam vel aliud onus ad opus nostrum, per Romanam ecclesiam, publicis prædictis & aliis personis ecclesiasticis, durantibus terminis solutionum, decimarum nobis concessarum vel concedendarum ab iisdem, ut permittitur, imponi contingat, vel jam impositum existat, decimarum ipsarum & decimæ, seu alterius oneris, per dictam Romanam ecclesiam concedendarum, vel concessarum solutionum termini non concurrant. Similiter nonnulli, qui nobis deberent exercitum, tenebuntur ad eumdem vel mittendum, seu se redimendum pro exercitu præsenti. Item, quod non est intentionis nostræ, nec volumus, quod prætextu exactionum quarumlibet, in terris dictorum prælatorum, ex parte nostra, pro necessitate guerrarum factarum, a personis subditis vel justicialibus sibi de consuetudine, vel de jure, eis ecclesiis aut personis aliquod generetur præjudicium, vel novum jus nobis propter hoc acquiratur, sed in eisdem liberalitatibus & franchesiis, in quibus ante guerras ceptas erant legitime, perseverent. Item, quod ad opus garnisionum nostrarum, bona ipsorum aut subditorum suorum, eis invitis nulla tenus capientur. Item, quod impedimenta ac gravamina, quæ in feodis prælatorum ponuntur, amoveri debite faciemus. Item, quod nihil, occasione subventionis noviter nobis concessæ, levabitur ab hominibus ecclesiarum de corpore seu manu mortua, de alto & basso, ad voluntatem talliabilibus; & si aliquid ab eis hoc anno præsenti & occasione exercitus præsentis sit levatum, vel levari contingat, id ecclesiis hujusmodi de præstando ab eis subsidio deducetur. Item, quod subsidium illud juxta concessionis ipsius tenorem, per dictos prælatos, seu authoritate ipsorum levabitur, nobis seu gentibus nostris ad hoc deputatis instantibus, quam citius assignandum, & insuper quod pro gravaminibus sibi aut ecclesiis suis vel personis ecclesiasticis illatis corrigendis de quibus liquebit, auditores non suspectos eisdem, cum requisiti fuerimus, concedimus, qui vice nostra clericis complementum justitiæ prompte & fideliter exhibebunt. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis die quinta decima mensis Julii, anno Domini millesimo trecentesimo quarto.

* *Addendum forsitan fuisse*

XXII.

Philippus rex Galliæ auxilium postulat ab episcopo Albiensi.

1314. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, dilecto & fideli nostro episcopo Albiensi salutem & dilectionem. Cum Robertus comes Flandriæ & ejus subditi, a pace alias per eos nobiscum jurata ab eis, ac etiam ad eorum instantiam per Romanam ecclesiam confirmata, omnino infideliter recedentes, obliti verisimiliter gratiarum & remissionum in quibus eis magnifice a suis excessibus & delictis pluries pepercimus, cum in eos ulcisci possemus, se inimicitiarum nobis rebelles exponant, guerram faciendo apertam contra nos, sic excommunicationis & interdicti sententias in apostolica confirmatione..... incurrere non verentes, sicque perjurii ac totius temporalis fore-facturæ pœnas committere erga nostram regiam majestatem. Nos tantæ & talium obstinationi obstare inflexibiliter proponentes, mandamus vobis, vos sub debito fidelitatis, quo nobis & coronæ Franciæ naturaliter astringimini, requirentes, aliis omnibus submotis, secundum statum & posse vestrum, in equis & armis apud Attrebatum ad instantem festum na-

Ex autogr. archiep.

tivitatis glorioſæ Virginis, quo perſonaliter intereſſe A propponimus, interſitis pro noſtra & villarum noſtrarum ac regni noſtri defenſione, ac noſtri & coronæ Franciæ, juris cuſtodia & honoris; taliter id agentes, quod non ſolum pro debito noſtro, imo potius ex veſtra majori affectione, vobis non immerito teneamur ad grates. Datum Pariſius die XXIX. Julii anno Domini MCCCXIV.

XVII. Auguſti ejuſdem anni ad eumdem epiſcopum reſcripſit, quod predictus comes jam aliquas villas & caſtra obſedisſet, & damna plurima intuliſſet, & quotidie inferre conetur, proindeque die feſto nativitatis apud Astrebatum interſit armatus.

XXIII.

Ingreſſus in urbem Arnaldi Guillelmi epiſcopi Albienſis.

1351. NOverint univerſi & ſinguli, præſentes pariter & futuri, quod R. in Chriſto pater & dominus noſter, dominus Arnaldus Guillelmi, Dei gratia Albienſis epiſcopus, exiſtens ante portam vocatam de Verducia, a parte extra, dicta porta clauſa exiſtente, propter novum adventum & introitum ipſius domini Albienſis epiſcopi, & ibidem exiſtens coram dicto domino noſtro epiſcopo Albienſi, videlicet diſcretus vir magiſter Bertrandus de Monte judeo conſul Albiæ, qui pro ſe & aliis conconſulibus ſuis, & univerſitate dictæ civitatis Albienſis, tradidit dicto domino epiſcopo claves omnium portarum civitatis Albienſis; ſupplicando eidem domino Albienſi, ut conſuetudines civitatis Albienſis, per ejus prædeceſſores Albienſes epiſcopos in talibus obſervatas, ſervare dignaretur. Et tunc dictus dominus epiſcopus dictis clavibus a manibus dicti conſulis per eum receptis, dixit ſe paratum conſuetudines dictæ civitatis tenere & ſervare; & inſuper ipſe idem dominus Albienſis epiſcopus, claves prædictæ portæ de Verducia, tradidit Duranto Vaiſſerie, civi dictæ civitatis Albienſis, de conſilio conſulis ſupra dicti. Qui quidem Durantus Vaiſſerie, ad juſſum & præceptum dicti domini epiſcopi, juravit ſupra ſancta Dei evangelia, ejus manu dextra corporaliter tacta, quod ipſe dictas claves fideliter cuſtodiret, & eis in præjudicium & damnum ipſius domini epiſcopi, & eccleſiæ ac civitatis Albienſis, ſeu civium D ejuſdem, ſeu regni Franciæ, non uteretur; & quod dictam portam aperiet ad mandatum ipſius domini epiſcopi, quando ipſe dominus epiſcopus, ſeu ejus familia, intrare voluerit vel exire. Et conſequenter dictus dominus epiſcopus claves portæ vocatæ de Vicano dictæ civitatis Albienſis, tradidit Joanni Cota; qui quidem Joannes Cota, &c. Poſt vero præmiſſa dictus dominus epiſcopus claves portæ vocatæ de Roanello dictæ civitatis Albienſis tradidit Dominico de Monaco; qui quidem Dominicus claves recipiens ad juſſum, &c. Poſt hæc autem præfatus dominus Albienſis epiſcopus, claves portæ capitis pontis Tarni Albiæ, tradidit Petro Faverii, ibidem præſenti; qui quidem Petrus Faverii dictas claves recipiens ad juſſum & præceptum dicti domini, juravit ſupra ſancta Dei quatuor evangelia, a ſe gratis corporaliter tacta, quod ipſe Petrus dictas claves fideliter cuſtodiret, & eis in præjudicium vel damnum ipſius domini epiſcopi, & eccleſiæ Albienſis, & civitatis, ſeu terminii ejuſdem, ſeu regni Franciæ, non uteretur, &c. De quibus omnibus & ſingulis ſupra dictis, tam dictus epiſcopus, quam dictus conſul ſibi petierunt fieri, & requiſierunt publicum inſtrumentum per me notarium infra ſcriptum. Acta ſunt hæc ante portam vocatam de Roanello civitatis Albienſis, a parte extra, die XO. menſis Julii, anno Domini MCCCLI. excellentiſſimo principe domino Johanne, Dei gratia rege Francorum regnante, & dicto domino epiſcopo, domino temporali civitatis Albiæ exiſtente, in præſentia & teſtimonio diſcretorum virorum magiſtrorum Petri de Fonte juriſperiti, &c.

B

XXIV.

Littera ad Hugonem epiſcopum, de captione Johannis regis Francorum.

GEntes conſilii domini noſtri regis Pariſius exiſtentis, reverendo in Chriſto patri domino epiſcopo Albienſi, ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum. Ad veſtram credimus notitiam perveniſſe, qualiter dominus noſter rex, hoſtes ſuos fugientes anno præſenti, videlicet regem Angliæ in patria Atrebatenſi, ducem Lancaſtriæ in Normannia, & ultimo principem* Galliarum inſequens, ſub ſpe belli, & procurandi ſibi regi & ſubditis ſuis quietem & pacem, demum die nocteque tandiu cum feſtinantia equitavit, quod dictum Galliarum principem prope Piſtavis attigit, ubi XXX. die hujus menſis Septembris contra ipſum principem & ſuos prælium animoſius intravit; & quamvis ſtrenuiſſime, ſicut eſt notorium, habuerit ſe in bello, tamen finaliter, ſiniſtra adverſante fortuna, hoſtes ſui prævaluerunt in campo, & quod dolentes referimus, ceperunt eumdem, captumque duxerunt. Quapropter de ſpeciali & expreſſo mandato illuſtriſſimi domini noſtri domini ducis Normanniæ, primogeniti dicti domini regis, cupientes opportuna ſuper hoc, ſicut neceſſitas exigit, ſine mora conſilia capere, & opportuna remedia querere, cum fidelibus & ſubditis dicti domini regis, cum prælatis, capellanis, ducibus & comitibus, baronibus, nobilibus, burgenſibus, ceteriſque prudentibus dicti regni, ex parte dictorum dominorum regis, & primogeniti ſui requirimus vos inſtanter; vobis etiam præciſe mandantes ſub fidelitate & dilectione, qua ſibi tenemini, & ſub animi indignatione eorum, quam id facere negligentes, poſſetis merito formidare, quatenus die prima inſtantis menſis Novembris cum dicto domino primogenito, omni excuſatione ceſſante, pro præmiſſis Pariſius interſitis; nec arbitremini in tam urgenti neceſſitate terminum hujuſmodi nimis arctum. Et hic probari poterit quid geritis in affectu. Datum ſub ſigillo dicti domini noſtri regis Pariſius, die XXVII. Septembris, anno domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto. Per magnum conſilium regis Pariſius exiſtens. C. Haillon.

1356.

*Vvallie

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM CASTRENSEM PERTINENTIA.

I.

Froterii episcopi, ut opinamur, Nemausensis charta, qua subjecit Massiliensi S. Victoris monasterium Castrense.

1071. Ex chartario S. Victoris Massiliensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Froterius episcopus, & Raymundus vicecomes, nepos A meus, videntes monasterium sancti Benedicti & sancti Vincentii, quod sub potestate nostra constitutum est, peccatis nostris & parentum nostrorum, & ipsius loci habitatorum, a regulari ordine penitus destitutum, & a nobilitate & gloria, quam dudum habuit, ex maxima parte minoratum, cogitavimus qualiter ad religionem monasticam potuissemus eum, cum Dei adjutorio restaurare. Et cum id ipsum per nos ipsos implere nequivimus, abbatem Massiliensem & congregationem ejus pro caritate Dei rogavimus, ut in hoc nobis adjutores existerent, & laborem pro tantæ fructu religionis assumerent; quod & facere cum Dei adjutorio profitentur. Ideoque talem volumus de hoc inter nos & illos constitutionem, per hanc notitiam confirmare, quam nemo possit vel debeat in tempore unquam futuro dissolvere; B quatenus neque illi suum laborem, neque nos perdere nostram timeamus Deo juvante mercedem. Igitur donamus prædictum monasterium, quod appellatur Castras, nos supra dicti donatores Froterius episcopus, & Raymundus vicecomes, Bernardo abbati monasterii sancti Victoris Massiliensis, & omnibus successoribus ejus, tali tenore, ut ibi abbatem & monachos mittant, qui regularem ordinem secundum præceptum sancti Benedicti, & constitutiones Massiliensis monasterii teneant. Et quando abbas monasterii Castrensis obierit, idem abbas Bernardus, & successores ejus abbates Massilienses, semper in monasterio Castrensi abbates mittant, qui secundum Deum vivant, & sibi ac successoribus ejus cum omni congregatione sua obedientes existant. Quod si deviaverit a lege Dei quisquam abbas Castrensis monasterii, veniat abbas Massiliensis qui fuerit in tempore illo, C & corripiat eum bis & ter: Si emendare noluerit, expellat eum & ponat alium in loco ejus, qui dignus & obediens sit. Et hoc pro soliditate & firmitate religionis, stabile semper ac firmum esse pro divino amore decernimus, ut nemo unquam potestatem habeat constitutionem istam infringere; & si quis violare tentaverit, non valeat vendicare quod voluit, sed sit in hoc seculo & futuro, nisi resipuerit, perpetuo anathemate condemnatus, constitutione ista firma semper ac stabili permanente. Acta est donatio & constitutio hæc anno ab incarnatione Domini M. LXXIII. XI. id. Jan. coram idoneis testibus, in ipso loco de Castras. Sig. Froterii episcopi, qui chartam istam firmavit & firmare rogavit. Sig. Raymundi vicecomitis. Sig. Raymundi Ermengau. Sig. Arnaldi Sicard. Sig. Bernardi Raymundi. Sig. Durani Nogauzfre. Guilabert Sicard. Engelbertus monachus scripsit. D

II.

Charta societatis inter Castrensem & Dalonensem abbates, in qua mirifice eluceat pietas & caritas.

Ex chartulario Dalonensi, fol. 38. verso.

EGo Petrus abbas Castrensis, & ego Rotgerius abbas Dalonensis, servos summi & veri patrisfamilias, licet inutiles, nos esse scientes, fratribus nostris tam præsentibus quam futuris, stilo præsentis paginæ, denuntiamus ut pacem & caritatem invicem habere studeant, & hoc tanto bono se veraciter esse Christi discipulos omnibus hominibus ostendant. Hoc enim bonum & acceptum est coram salvatore nostro Deo; ut quemadmodum locorum vicinia sibi propinqui sunt, ita vel multo magis animorum concordia in pacis vinculo sibi mutuo copulentur. Fratres igitur utriusque monasterii, non sicut hospitibus & peregrinis, sed sicut fratribus & domesticis, se se invicem in utroque monasterio fruantur, & nullus super alterum temere superextendat, seu in terris acquirendis, seu aliis quibuslibet molestiis faciendis. Cum breve congregationis cujuslibet in capitulo alterius fuerit recitatum, fratribus defunctis, secundum usus & consuetudines suas, septem diebus divinum officium persolvant. Abbatibus vero, sicut monacho vel canonico, in utroque monasterio totum officium ex integro reddatur. Hæc itaque, sicut diximus, ita amodo & in futurum observanda paterna autoritate sancimus. Ego vero Rotgerius Dalonensis abbas, volentibus & concedentibus fratribus nostris, ex parte Dei & nostra, terram illam de Podio-Auriol, quam & prius de Guidone Rasa, & postea de nepote ejus Stephano Belleri, præsentibus Geraldo & Petro de Faia, atque Guidone de Boisolio, acquisivi, & post aliquantum temporis, hoc idem donum Iterius de Born & fratres ejus apud Castrum Autafort, multis præsentibus in manu nostra publice confirmavit; terram, inquam, illam domno Petro abbati Castrensi & fratribus ejusdem ecclesiæ, libere damus atque concedimus. Ego etiam Petrus abbas Castrensis, cum consilio & voluntate fratrum nostrorum, vicissim donamus domno Rotgerio abbati & fratribus Dalonensibus, tres partes cujusdam nemoris, atque remittimus octo denarios, quos nobis debebant *à la Foreſt*, & alios octo in podio de la Vaissa, alios octo dabimus eis censuales de podio Auriol, ad festivitatem sancti Michaelis in perpetuum annuatim. Ut autem hoc pactum & hæ commutationes, in futurum firmius observentur in capitulis nostris, hanc constitutionis paginam recenseri fecimus, manibusque propriis subscribentes, sigillis nostris munivimus.

III.

Johannis Papæ XXII. de erectione monasterii Castrensis in ecclesiam cathedralem.

Ex ch. P. ap. Avenion. in bibl. fo. 2. col. 308.

JOHANNES episcopus servus, &c. venerabili fratri Lodovensi episcopo, & dilectis filiis abbati monasterii Bonæ vallis, Ruthenensis diœcesis, ac præposito ecclesiæ Magalonensis, salutem & apostolicam benedictionem. Nuper ex certis rationabilibus & manifestis causis, quæ ad hoc nostrum animum induxerunt, villam de Castris, infra Albiensi. diœcesis limites constitutam, qui locus insignis & multiplici commoditate dotatus existit, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis, per nostras sub certa forma litteras in civitatem ereximus, & civitatis titulo duximus decorandam; statuentes, & etiam decernentes, ut ecclesia monasterii ipsius loci, ordinis sancti Benedicti, tunc monasterio sancti Victoris Massiliensis subjecti, suo exinde amoto abbate, ex hinc haberetur & consisteret cathedralis. Ac deinde volentes eidem ecclesiæ de pastore idoneo salubriter providere, in dilectum filium Deodatum, tunc abbatem monasterii Latiniacensis, ordinis sancti Benedicti, diœcesis Parisiensis, direximus oculos nostræ mentis, eumque de fratrum eorumdem consilio prædicto, præfecimus in episcopum & pastorem,

curam & administrationem ipsius ecclesiæ, ei in spiritualibus & temporalibus committendo. Verumtamen quia prædicta ecclesia, quam de bonis episcopatus Albiensis dotare intendimus, nondum dotata existit, nec eidem certi limites assignati sunt, idemque Deodatus de redditibus & proventibus, quibus eadem monasterii ecclesia antea fruebatur, juxta dignitatis suæ decentiam nequeat sustentari, apostolica auctoritate decrevimus, de bonis episcopatus Albiensis, summam quinque millium librarum Turonensium parvorum, ex tunc dicto Deodato ab Albiensi episcopo, qui est, vel pro tempore fuerit, persolvendam, donec de redditibus ipsius episcopatus, qui valde dignoscitur abundare, eidem Castrensi ecclesiæ, fuerit auctoritate nostra, sufficiens & congrua portio assignata. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel tres, vel duo, seu unus vestrum, per vos vel alium, seu alios hujusmodi, summam quinque millium librarum Turonensium, de bonis dicti episcopatus Albiensis, faciatis annis singulis dicto Deodato episcopo, pro rata temporis exhiberi, donec ejusmodi portio dictæ ecclesiæ Castrensi assignata fuerit, ut præfertur. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: non obstante, si quibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici vel suspendi non possent, per litteras apostolicas, quæ de indulto ejusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem. Datum Avinioni quinto idus Junii, Pontificatus nostri anno primo.

IV.

Charta de dono facto in nemore Ardorelli Heliæ abbati Cadunensi.

1134. *Ex chartario abbatiæ Ardorelli.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Petrus Raimundi, & Guilermus, & Raimundus Bonus homo, & Guilhabertus, pro amore Dei & pro redemtione animarum nostrarum, & parentum nostrorum, damus Deo ejusque gloriosissimæ genitrici, in nemore de Ardorello, quod est in parochia ecclesiæ sanctæ Mariæ Sanguinorensi, ad alodium tantum quantum signaverunt Bernardus de Miravalle, & Bernardus de Altopullo; & in toto ipso nemore quidquid opus fuerit monachis ibidem Deo servientibus, ad animalium suorum pascua, sine servitio, & sine pascalio, & condecens illorum & illorum hominum, qui a suos sibos stabant, & alignamenta ipsorum & illorum hominum, qui a suos sibos stabant, hoc totum damus libere & puro corde, Deo & sanctæ Mariæ, & Heliæ abbati Cadunensi, & Raynaldo priori & successoribus ejus, in manu domini Bertrandi Albiensis episcopi, & in manu Bernardi Actonis vicecomitis, & uxoris ejus Ceciliæ, & filii eorum. Et nemini ibi damus aliquid nisi supra dictis. Anno ab incarnatione Domini M C XXIV. decimo quarto cal. Octobris, regnante Ludovico rege Francorum, anno pontificatus domini Calixti Papæ secundi. * Domni Begonis abbatis Castrensis. Domni Bernardi de Miravalle. Domni Bernardi de Altopullo.

* Forte Segonis.

V.

Instrumentum Rogerii Biterrensis vicecomitis pro Ardorello.

1139. *Ex scrinio Ardorelli.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Rogerius Biterrensis vicecomes, pro salute animæ meæ & parentum meorum, dono per me & per omnes successores meos, Domino Deo & beatæ Mariæ de Ardorello, & tibi, Fulconi abbati, ac Stephano priori, omnibusque fratribus de Ardorello, ac successoribus eorum, omnem terram de Villa nova, ex integro, libere, per allodium, usque in perpetuum. Hanc autem terram de Villa nova dono & permitto prænominatis fratribus de Ardorello perpetuo possidendam, pro honore & terra de Cambones, quam Gaubertus de la Valetta, consilio & voluntate domini & patris mei vicecomitis, Bernardi Actonis, & matris meæ dominæ Cæciliæ vicecomitissæ, eisdem fratribus de Ardorello dederat: quam terram de Cambones a patre meo feudaliter habebat & tenebat. Et quoniam Guilhermus de Peisola hanc terram de Cambones calumniatur fratribus de Ardorello, & prohibet quin fratres in pace vivere & Deo servire, suaque jura absque calumnia valeant possidere, ego permitto eis Villam novam, eamque dono habendi jure perpetuo, & in allodio tenendi. Similiter dono & concedo per me & per omnes successores meos, fratribus de Ardorello, eorumque successoribus in perpetuum, libere & per allodium, quidquid jam a feudalibus meis militibus adquisiverunt, vel deinceps adquirere poterunt. Hoc donum factum fuit in præsentia dominæ Cæciliæ vicecomitissæ, matris ipsius Rogerii vicecomitis, apud Burlatum, anno dominicæ incarnationis M C XXXIX. Hujus rei testes sunt Reginaldus prior de Burlato, Petrus Vassalh frater ejus, Bernardus de Villanova, & Sicardus Vicarius, & Deodatus Ameli, & Ermengaudus de Ansac.

VI.

Artaldus episcopus Elnensis dat Petro abbati Ardorelli monasterium sanctæ Mariæ de Cleriana ordinis S. Benedicti in Rossilione.

1162. *Ex chartis Ardorelli.*

IN Dei nomine ego Artaldus Dei gratia Helenensis episcopus, consilio & voluntate totius nostri conventus, & voluntate Arnaldi de Musseto, & filii sui Ademari & fratrum suorum Mossatensis ecclesiæ parochianorum, dono & trado monasterium sanctæ Mariæ de Cleriana, sanctæ domo Ardorelli; & tibi, Petre, prædicti loci abbas, & successoribus tuis, ad regendum & disponendum secundum regulam beati Benedicti, & traditiones prædictæ domus, & facias ibi abbatiam, eo conditionis tenore, ut qui nunc in abbatem electus est, Martinus nomine, & omnes successores ejus promittant & exhibeant obedientiam & reverentiam in omnibus, nostræ ecclesiæ, & mihi, & omnibus successoribus nostris, quod post hujus decessum conventus prædictæ sanctæ Mariæ de Cleriana, liberam habeat electionem juxta regulam beati Benedicti, quam factam nobis & nostræ repræsentet ecclesiæ, ut & eam, si canonice facta fuerit, confirmemus, & manus nostræ impositione in abbatem consecretur electus. Quod est actum IV. nonas Augusti, anno Dominicæ incarnationis M C LXII. regnante Ludovico rege in Francia. S. ✠ Artaldi Elnensis episcopi, qui hæc fieri jussit, firmavit & testes firmare rogavit. S. ✠ M. Bernardi de Musseto, Helenensis archidiaconi. S. ✠ M. Ademari de Turriliis, archidiaconi. S. ✠ M. Petri de Mataplaria, archidiaconi. S. ✠ M. Bertrandi præcentoris & præpositi. S. ✠ M. Bernardi de Brulian. S. ✠ M. Guillelmi de Insula. S. ✠ M. Guillelmi Jordanis. S. ✠ M. Bernardi de Furnuls. S. ✠ M. Remundi de Ilice decani, videntibus & audientibus & comitantibus aliis. S. ✠ M. Petri, abbatis Ardorelli. S. ✠ M. Pontii, monachi domus Ardorelli. S. ✠ M. Martini Clerianensis, electi. S. ✠ M. Petri Bernardi monachi. S. Arnaldi de Mosseto. S. Ademari filii ejus. ✠ S. Raimundi & Guillelmi fratrum Arnaldi de Mosseto. Bernardus de Palatio levita scripsit hæc, vice Petri præcentoris, die & anno quo supra.

VII.

Ex chartar. abbatiæ Ardorelli.

ANno domini M C XXXVIII. Innocentius papa II. confirmavit, & privilegio communivit abbatiam beatæ Mariæ de Ardorello, Cistercienfis ordinis, Albiensis diœcesis tunc, nunc vero Castrensis, Fulcone primo abbate tunc existente ibidem, pontificatus ipsius Innocentii anno IX. præfatamque confirmationem succedente tempore iteravit, & ampliori gratia communivit Alexander papa III. anno Domini M C LXV. pontificatus ipsius Alexandri anno VI. in Montepesulano. Hujus monasterii fundatrix fuit devota Cæcilia, nobilis vicecomitissa Biterrensis, quæ ibidem juxta ostium

ecclesiæ condita requieſcit. Sequentes vero verſiculi ſuper lapidem ejus tumuli ſunt inſculpti.

Omnis qui neſcit, diſcat quoniam requieſcit.
Hoc in ſarcophago Cæcilia vera virago.
Iſta monaſterium fecit, reliquiaſque decorem,
Culta vel inculta dans fratribus hæc bona multa.
Ergo præſentes orent pariterque ſequentes
Hæc pro defuncta, quibus hic ſunt præſita cuncta. Amen.
O pie rex Chriſte, propter tua vulnera quinque,
Da requiem cunctis hic & ubique ſepultis,
Ut poſſint requiem tecum habere quietam. Amen.

Oremus.

DOmine pro tua pietate miſerere animæ famulæ tuæ & a contagiis mortalitatis exutam, in æternæ ſalvationis partem reſtitue, per Chriſtum. Requieſcat in pace. Amen.

VIII.

Bulla reductionis venerabilis capituli eccleſiæ cathedralis Caſtrenſis, nuper provinciæ Bituricenſis, nunc Albienſis in ſtatum ſecularem per Paulum III. ſummum pontificem.

1533. PAulus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacri apoſtolatus miniſterio (meritis licet imparibus) ſuperna diſpoſitione præſidentes, ex incumbentis nobis apoſtolicæ ſolicitudinis officio, circa eccleſiarum quarumlibet præſertim cathedralium inſignium, & illarum perſonarum potiſſime religionis titulo inſignitarum, ſtatum proſpere dirigendum, & dante Domino, in melius commutandum, ne in ſpiritualibus & temporalibus collaberetur; attentæ conſiderationis aciem, maxime dum catholicorum regum vota expoſcunt, libenter dirigimus, ac eorum diſpendiis & indemnitatibus occurrere, & profectibus conſulere ſatagentes, ſtatum ipſum interdum commutamus & alteramus, ac deſuper diſponimus, prout ſalus exigit animarum; ac temporum & locorum conditionibus diligenter conſideratis pro eccleſiarum & perſonarum earundem felici ſucceſſu, decore & venuſtate, ac bonorum & jurium conſervatione, & divini cultus augmento conſpicimus in domino ſalubriter expedire. Sane cariſſimus in Chriſto filius noſter Franciſcus Francorum rex illuſtris, tam ſuo quam venerabilis fratris noſtri Jacobi de Turnone moderni epiſcopi Caſtrenſis, ac dilectorum filiorum priorum, majoris nuncupati, eleemoſinarii, infirmarii, cantoris, cabiſcolis nuncupati, ſubcameratii, ſacriſtæ, & capituli, ſingulorumque monachorum & novitiorum eccleſiæ Caſtrenſis ordinis ſancti Benedicti nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod licet dicta eccleſia olim de monaſterio ſub invocatione ejuſdem S. Benedicti fundato, dicti ordinis, tunc Albienſis diœceſis in Albigeſio partium Aquitaniæ, per felicis recordationis Johannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum in cathedralem eccleſiam ejuſdem ordinis apoſtolica auctoritate erecta, ac diverſis privilegiis honoribus & immunitatibus, quæ forſan varietate, & vetuſtate temporum perierunt, exornata & inſignita extiterit; ac in ea numerus triginta monachorum quorum viginti quatuor præbendati monachales portiones inibi percipientes exiſtunt, inſtitutus, & menſa capitularis a menſa epiſcopali ſeparata ac prorſus diſtincta; necnon unus prioratus, major nuncupatus, dignitas poſt pontificalem major, & una eleemoſynaria, una infirmaria, una cantoria, cabiſcola nuncupata, una ſubcameraria, & una ſacriſtia, & forſan alia officia & beneficia clauſtralia, per monachos de numero triginta monachorum hujuſmodi exiſtentes, ex ordinaria diſpoſitione obtineri ſolita, & ad collationem & proviſionem præfati Jacobi, & pro tempore exiſtentis epiſcopi Caſtrenſis ſpectantia & pertinentia; nec non duæ ad altare beatæ Mariæ de Bethleem ſitum in eadem eccleſia, & aliæ perpetuæ capellaniæ, per diverſas perſonas fundatæ & dotatæ, & ad collationem, proviſionem ſeu diſpoſitionem eccleſiaſticarum & aliarum perſonarum pertinentes; ac quatuor perpetua ſimplicia beneficia eccleſiaſtica, clericaturæ nuncupata, per clericos ſeculares obtineri ſolita, inter alia fore noſcantur: & ab eadem eccleſia prioratus de l'Aſſoal ſive de Aſſoale, & S. Pauli, necnon de Muraſſo, ſive de Muraſſone dicti ordinis, Vabrenſis & Vaurenſis diœceſium, per tres ex dictis triginta monachis, portiones tamen monachales non percipientes, obtineri ſoliti, quos pro tempore obtinentes novitios ſeu religioſos in ipſis prioratibus alere, fovere & manutenere tenentur, & forſan alii prioratus dependentes; ac pro illius fabrica ſumma mille librarum Turonenſium per epiſcopum Caſtrenſem pro tempore exiſtentem annis ſingulis debeatur; & ratione fabricæ hujuſmodi, idem epiſcopus de dictis mille libris fabricæ prædictæ debitis, ſummam ducentarum librarum ſimilium pro reparationibus domorum & locorum menſæ ſuæ epiſcopalis ex tranſactione dudum tunc cum epiſcopo Caſtrenſi per ipſum capitulum inita percipiat, ſibique & pro tempore exiſtenti epiſcopo Caſtrenſi certa penſio annua bladi & vini, per eoſdem capitulum annuatim perpetuo debita ſit. Nihilominus cum ex frequentia monachorum ipſius eccleſiæ cum ſecularibus ad dictam eccleſiam in qua pontificalia & alia ſolemnia officia de more celebrantur confluentibus, monachi ipſi vitam a regularibus inſtitutis penitus alienam ducere quodammodo inducantur, ac propter manuales diſtributiones quaſi proprium & peculiare in ſe habere cogantur; quo fit ut vota ſua Altiſſimo juxta ipſius ordinis regularia inſtituta non reddentes, animabus ſuis minus conſulant, & ſeculares ex eorum mutua converſatione famæ & honori eorumdem monachorum detrahant, ac devotio ad eccleſiam & ordinem hujuſmodi minuatur. Nec facile reperiantur viri nobilitate generis, & litterarum ſcientia præditi, qui ordinem ipſum in præfata eccleſia profiteri, & ad illius regularem obſervantiam obligari velint: ac plerumque in dicta eccleſia ſint monachi, quorum induſtria & favore bonorum & jurium ipſius eccleſiæ conſervationi, & rerum plurium occupatarum recuperationi, aliiſque ejuſdem eccleſiæ neceſſitatibus, ut expediret, conſuli nequeat, & niſi per nos opportune provideatur, gravia incommoda, pericula & ſcandala cum ipſius eccleſiæ jactura, ac religionis & divinorum diminutione non modica ſubſequentur tempore procedente. Ac idem Jacobus epiſcopus penſionem ſibi, & pro tempore exiſtente epiſcopo Caſtrenſi præfato, per ipſos capitulum perpetuo, ut præfertur, debitam, prædictam eiſdem capitulo, ſi ſeculares efficiantur, remiſerit & donaverit, & eos ab illius ſolutione ſibi, & eidem epiſcopo Caſtrenſi pro tempore exiſtenti facienda abſolverit, & perpetuo liberaverit: ſi in præfata eccleſia, cui epiſcopus ſecularis, qui archiepiſcopo Bituricenſi pro tempore exiſtenti jure metropolitico ſubeſſe dignoſcitur, præeſt, ordo prædictus & dependentia, ac ſingulæ illius monachales portiones, nec non officia ac major, & dependentes prioratus, ac capellaniæ, & beneficia ſupradicta penitus ſupprimerentur, & extinguerentur, ipſaque eccleſia ad ſtatum canonicorum & preſbyterorum ſecularium adinſtar aliarum cathedralium eccleſiarum ſecularium regni Franciæ reduceretur; profecto in eadem eccleſia, ad quam præfatus Jacobus epiſcopus ſincerum devotionis affectum in dies gerere comprobatur, ceremoniæ & officia pontificalia in majori devotione haberentur; & perſonæ nobilitate generis ac litterarum ſcientia aliiſque virtutum donis præditæ, quæ canonicatus & præbendas ac alias dignitates in ea obtinere, ac de illius gremio eſſe vellent, ac inibi cum majori decentia reſiderent, ac quorum reſidentia, & divino cultui aſſiſtentia & conſiliis, ac doctrina, nec non conſanguineorum & amicorum favore, ipſius eccleſiæ decor, ſtatus, honor, & utilitas, ac in ea divinus cultus hujuſmodi magnum incrementum ſuſciperent, & alienata recuperarentur, necnon collapſa reſtaurarentur, diſperſa etiam congregarentur, ac alia ipſius eccleſiæ jura & bona conſervarentur, & augerentur, ac facilius repararentur,

necnon Chriſti fidelium devotio ad eamdem eccleſiam cum animarum ſalute augeretur, ac præmiſſis aliiſque incommodis & inconvenientibus obviaretur, animarumque periculis ſalubriter provideretur. Quare præfatus Franciſcus rex, dictis nominibus, nobis per ſuas litteras humiliter ſupplicavit, ut in dicta eccleſia Caſtrenſi, ordinem prædictum, omnemque ſtatum & dependentias regulares, necnon ſingulas illius monachales portiones, majorem & dependentes prioratus, ac ſingula officia, necnon capellanias, & beneficia hujuſmodi penitus ſupprimere & extinguere, ac ſtatum regularem eccleſiæ Caſtrenſis hujuſmodi, in ſtatum canonicorum, preſbyterorum & clericorum ſecularium immutare, & illam ad ſtatum ſecularem reducere; necnon omnes & ſingulos ipſius eccleſiæ Caſtrenſis monachos, etiam illius officia, ac majorem & dependentes prioratus prædictos obtinentes, ordinem ipſum tacite vel expreſſe profeſſos, ab obſervatione conſtitutionum, ordinationum, inſtitutionum, & conſuetudinum regularium ordinis, & ſtatutorum eccleſiæ Caſtrenſis prædictorum, ac votorum quomodolibet per eos in profeſſione hujuſmodi emiſſorum, necnon a regula ejuſdem ſancti Benedicti penitus abſolvere, & totaliter liberare; ac in eadem eccleſia Caſtrenſi loco viginti quatuor monachalium portionum, viginti quatuor canonicatus & præbendas ſeculares; necnon loco prioratus majoris, unam præpoſituram poſt pontificalem majorem; necnon loco eleemoſynariæ, unam majorem ſecundam; & loco infirmariæ, aliam archidiaconatus minorem nuncupandam tertiam; ac loco cantoriæ regularis, unam cantoriam ſecularem, quartam; ac loco ſubcamerariæ unam ſuccentoriam, quintam; ac loco ſacriſtiæ ſupprimendarum hujuſmodi, unam theſaurariam ſextam, poſt pontificalem non majores inibi dignitates erigere & inſtituere, aliiſque in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum communem æſtimationem tam beneficii uniendi, quam illius cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet.* Quique eccleſiarum quarumlibet præſertim cathedralium, & illarum perſonarum proſperum ſtatum, & decorem, ac in melius directionem, nec non divini cultus in eis augmentum, ac animarum ſalutem, noſtris potiſſime temporibus, ſinceris deſideramus affectibus; Jacobum epiſcopum qui, ut aſſeritur, dilecti filii noſtri Franciſci, titulo SS. Petri & Marcellini preſbyteri cardinalis de Turnone nuncupati, qui dictæ eccleſiæ Bituricenſi ex conceſſione & diſpenſatione apoſtolica præeſſe dignoſcitur, ex fratre germano nepos exiſtit, necnon priorem, eleemoſynarium, infirmarium, cantorem, ſubcamerarium, ſacriſtam, monachos, & novitios ac ſingulares perſonas capituli hujuſmodi, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat exequendum abſolventes, & abſolutos fore cenſentes: ac omnium & ſingularum monachalium portionum, necnon majoris, & dependentium prioratuum, ac officiorum, & capellaniarum; necnon beneficiorum, ac menſæ capitularis prædictorum fructuum, redituum & proventuum, veros annuos valores; præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, cum ipſius Jacobi epiſcopi, per dilectum filium magiſtrum Franciſcum Colucium de Piſcia litterarum apoſtolicarum ſcriptorem familiarem noſtrum, procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum; & dummodo etiam præfatorum capituli, ſeu majoris partis eorum ad hoc expreſſus accedat aſſenſus, ad divini nominis laudem & gloriam, ac militantis eccleſiæ exaltationem, necnon ipſius eccleſiæ Caſtrenſis felicem ſtatum, ex certa ſcientia noſtra in eadem eccleſia Caſtrenſi ordinem ſancti Benedicti hujuſmodi, ac omnem ſtatum omneſque dependentias regulares, necnon omnes & ſingulas illius monachales portiones, ac majorem, necnon de Laſſoal, & S. Pauli, ac de Muraſſo prædictos, ac omnes & ſingulos alios prioratus ab eadem eccleſia mediate vel immediate dependentes, ubique conſtitutos qui conventuales non ſunt, necnon omnia & ſingula officia clauſtralia, & ſingulas capellanias, ſingulaque beneficia prædicta, etiamſi ad prioratus & officia hujuſmodi conſueverit quis per electionem aſſumi, eiſque cura etiam juriſdictionalis immineat animarum; penitus & omnino authoritate apoſtolica, tenore præſentium ſupprimimus & extinguimus: ipſumque ſtatum regularem in ſtatum canonicorum, preſbyterorum, & clericorum ſecularium immutamus, & ad ſtatum ſecularem penitus reducimus, & capitulum ſeculare in eadem eccleſia Caſtrenſi inſtituimus, omneſque ipſius eccleſiæ Caſtrenſis monachos & regulares perſonas, etiam majorem, & ab eo dependentes prioratus, & officia hujuſmodi obtinentes, ordinem ipſum tam inibi quam alibi profeſſos, & ad ipſam eccleſiam Caſtrenſem quomodocumque tranſlatos, ab obſervatione conſtitutionum, ordinationum, inſtitutionum & conſuetudinum ordinis, necnon ſtatutorum eccleſiæ Caſtrenſis prædictorum, & quorumcumque per eos in profeſſione hujuſmodi emiſſorum votorum (caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis votis dumtaxat exceptis) nec non a regula ejuſdem S. Benedicti, & ſecundum illam a divini officii recitatione; ita ut canonici & perſonæ ſeculares ipſius eccleſiæ Caſtrenſis exiſtant, & pro talibus habeantur, teneantur, reputentur & nominentur, ac de cetero regularem habitum dicti ordinis geſtare, & illius regularia inſtituta, ordinationes, definitiones, & mores quoad divinorum in eadem eccleſia Caſtrenſi celebrationem, jejunia, victum, & ciborum uſum, ac quæcumque alia ad quæ ratione dicti ordinis tenebantur, in futurum obſervare minime teneantur; ſed in habitu, ordine, ceremoniis, ritu, inceſſu, moribus, & vita quoad omnia ſecularibus canonicis & perſonis aliarum cathedralium ſecularium ſe omnino & ubique conforment. Et qui nunc ſunt, & pro tempore erunt ejuſdem eccleſiæ Caſtrenſis canonici de bonis ſuis quomodolibet licite, etiam intuitu eccleſiæ acquiſitis, & in poſterum per eos quomodolibet acquirendis, libere & licite in vita & in morte diſponere valeant: & ſpolia monachorum decedentium quæ forſan ratione ſtatus regularis Epiſcopo Caſtrenſi pro tempore exiſtenti, vel alias fiſco regio debebantur, de cetero per ipſum epiſcopum aut alium quavis authoritate fungentem exigi & peti minime poſſint; & ſi de bonis hujuſmodi non diſponant præfati, capitulum pleno jure ſuccedant: ſic tamen quod monachi qui habitum S. Benedicti dimittere noluerint, in illo, quandiu voluerint, remanere poſſint, & nihilominus in divinis in ipſa eccleſia deſerviendo tantum percipiant, quantum unus alius canonicus ipſius eccleſiæ; ac ſedeant & incedant, vocemque cum aliis canonicis ſecundum ordinem priſtinum habeant, dummodo in divinis & eccleſiaſticis officiis ſuperioti in habitu ſeculari ſe conforment; penitus abſolvimus & totaliter liberamus. Ac in ipſa eccleſia loco viginti quatuor monachalium portionum, viginti quatuor canonicatus & prebendas; necnon loco prioratus majoris, unam præpoſituram majorem poſt pontificalem, & primam; ac loco eleemoſynariæ, majorem, ſecundam; necnon loco infirmariæ, aliam archidiaconatus, minorem, nuncupatam tertiam; & loco cantoriæ regularis, unam cantoriam ſecularem, quartam; ac loco ſubcamerariæ unam ſuccentoriam, quintam; & loco ſacriſtiæ ſuppreſſarum hujuſmodi, unam theſaurariam, ſextam; poſt pontificalem non majores inibi dignitates: necnon quatuor hebdomadarias nuncupandas, quarum collatio & proviſio ad dictos præpoſitum & capitulum dumtaxat pertineat, pro quatuor hebdomadariis nuncupandis, qui ſingulas dictæ eccleſiæ majores miſſas celebrare & decantare, necnon in omnibus horis de more incipiendo, & debito modo juxta providam ordinationem ipſorum

*ſ. Cumque.

rum præpoſiti, & capituli deſuper faciendam, finiendoque, aſſiſtere teneantur. Ac loco dictarum duarum capellaniarum ſuppreſſarum alias duas perpetuas capellanias ſemipræbendas nuncupandas, quarum collatio ad ipſum epiſcopum Caſtrenſem pro tempore exiſtentem pleno jure pertineat, pro duobus perpetuis capellanis ſemipræbendatis nuncupandis, qui poſt obitum ipſas ſuppreſſas capellanias nunc obtinentium de gremio chori ejuſdem eccleſiæ Caſtrenſis exiſtant, & de diſtributionibus ejuſdem eccleſiæ, ſicuti ceteri illius capellani & vicarii, ac beneficiati, de manibus præpoſiti & capituli prædictorum participent, auctoritate apoſtolica, & tenore ſupradictis erigimus & inſtituimus. Ac eidem Jacobo epiſcopo, ut in dicta eccleſia duos alios archidiaconatus pro duobus aliis archidiaconis, qui locum in choro dumtaxat, ſed non vocem in capitulo ipſius eccleſiæ Caſtrenſis habeant, nec etiam ratione ipſorum archidiaconatuum quotidianas diſtributiones, ſeu alia a menſa ſeu capitulo præfatis emolumenta percipiant, erigendi & inſtituendi, ac illorum ſingulis unum beneficium eccleſiaſticum, etiamſi parrochialis eccleſia, vel ejus perpetua vicaria fuerit, uniendi & incorporandi plenam & liberam facultatem concedimus. Necnon omnes & ſingulos fructus, reditus, & proventus ſingularum monachalium portionum, necnon majoris, & dependentium prioratuum, & ſingulorum officiorum clauſtralium, necnon capellaniarum, & beneficiorum ſic ſuppreſſorum prædictorum menſæ capitulari eccleſiæ Caſtrenſis prædictæ. Ita quod per præpoſitum & capitulum præfatos, loco quatuor clericorum perpetuorum beneficiatorum, quatuor beneficia clericaturas nuncupata, ſuppreſſa prædicta obtinentium, ex illorum, ſi ad id competant, alioquin ex eorum & menſæ capitularis hujuſmodi fructibus, reditibus, & proventibus paulatim juxta poſſibilitatem. Ac in eadem eccleſia ſex pueri chorales, & unus in cantu & muſica ludimagiſter, qui eoſdem pueros apprime inſtruendo erudire teneatur, ad nutum ipſorum præpoſiti & capituli amovibiles. Necnon poſtquam numerus viginti quatuor canonicorum ad numerum ſexdecim hujuſmodi reductus extiterit, & non prius, decem & ſeptem vicarii perpetui qui ſingulis horis diurnis pariter, & nocturnis, ac aliis divinis officiis in eadem eccleſia aſſiſtant, illaque celebrent & decantent. Sic quod dictus epiſcopus, & quilibet canonicus ratione ſuæ præbendæ unum vicarium ſub ſe habeat, & illum eiſdem capitulo præſentare teneatur, ac ſufficiens & idoneus repertus per ipſos capitulum recipi & admitti debeat, deputentur & continuo manuteneantur. Liceatque eiſdem præpoſito & capitulo per ſe, vel alium, ſeu alios, ſuppreſſarum monachalium portionum, ac officiorum, & prioratuum ex nunc necnon poſt deceſſum illa nunc obtinentium, capellaniarum, & beneficiorum hujuſmodi fructus, reditus & proventus propria auctoritate libere exigere, levare & percipere, ac in ſuos & dictæ menſæ uſus & utilitatem, necnon quotidianarum diſtributionum erogationem, ac capellaniarum, vicariorum, choralium, & ludimagiſtri prædictorum ſuſtentationem convertere, diœceſani loci, & cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita. Sic tamen quod miſſarum numerus, & aliorum divinorum officiorum ritus, qui in ipſa eccleſia Caſtrenſi per illius monachos officia prædicta obtinentes, ac capellanos, & beneficiatos prædictos, ratione monachalium portionum, prioratuum, officiorum, capellaniarum, ac beneficiorum ſuppreſſorum prædictorum ſervabatur, nullatenus minuatur, ſed per eos in quorum locum ſuccedent cum majori devotione, ac decentiori ordine pari modo celebretur, & ſerveatur; eiſdem auctoritate, & tenore præſentium perpetuo applicamus & appropriamus: decernentes appropriationem & applicationem hujuſmodi ſub quibuſvis revocationibus unionum, & applicationum per nos, & ſedem prædictam pro tempore factis nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere, & cenſeri debere. Et inſuper apoſtolica auctoritate prædicta, earumdem tenore

A præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod perpetuis futuris temporibus nullus vicarius modo aliquo in dicta eccleſia Caſtrenſi admittatur, niſi & bene legere, & ſufficienter cantare ſciat, & actu preſbyter; vel in ea ætate, in qua infra annum ex tunc proximum ad ſacros, & preſbyteratus ordines, quocumque impedimento ceſſante, promoveri poſſit, conſtiturus exiſtat: & ſecus quocumque modo vel ſub cujuſquam auxilio, favore, vel prece, alicui modo præmiſſo non qualificato de aliqua vicariarum prædictarum provideri contingat, tunc capitulum præfati unum alium conductitium loco illius non qualificari inſtituere, & eidem de fructibus dictæ vicariæ reſpondere, & providere teneantur. Necnon quod ſingulis dignitatibus prædictis futuris temporibus, ſingulæ etiam dictorum officiorum domus, ac
B omnia & ſingula bona, res, jura, fructus, reditus & proventus, dominia, hereditates, terræ, paſcua, cenſus, decimæ, & omnia alia quæ prius ſingulis officiis præfatis communiter vel diviſim competebant, ipſis & ſingulis ſic erectis dignitatibus pariformiter, communiter & diviſim, ut prius, ſpectent & pertineant. Ac dignitates ipſas pro tempore obtinentes ad omnia & ſingula officia & onera, ad quæ ante ſuppreſſionem hujuſmodi officia ſuppreſſa prædicta pro tempore obtinentes reſpective tenebantur, in omnibus & per omnia nihil penitus omiſſo: ita ut, ſicut eleemoſynarius ad certas eleemoſynas erogandas, & infirmarius ad certam penſionem ſingulis monachis prædictis præſtandam, ac ſacriſta præfati ad luminaria eccleſiæ miniſtranda, & alia onera ſubeunda tenebantur; ita de cetero archi-
C diaconus major eleemoſynas erogare, & archidiaconus minor penſionem ſingulis canonicis præfatis præſtare, ac theſaurarius præfati luminaria eccleſiæ miniſtrare, & alia onera hujuſmodi ſubire reſpective & omnino teneantur. Quodque de Laſſoal ſive de Aſſoallo, & S. Pauli, ac de Muraſco ſive de Muraſſone prioratus prædictos pro tempore obtinentes, donec illi extincti, ac illorum fructus menſæ capitulari hujuſmodi applicati fuerint, ad certam pecuniarum ſummam per ipſos capitulum cum modernis illorum poſſeſſoribus conventam eiſdem capitulo perſolvendam teneantur: & ſimilis aſſignatio fiat, ſeu fieri debeat tribus canonicis ſicut tribus dictis monachis, ſive novitiis fieri ſolita erat. Ipſique tres canonici, quibus hujuſmodi aſſignatio fiet, non amplius percipiant quam triginta libras Tu-
D ronenſes, prout monachi percipere ſoliti erant, donec numerus viginti quatuor ad numerum ſexdecim canonicorum prædictorum reductus, vel aliter per eoſdem capitulum deſuper ordinatum fuerit. Ac quod erectis dignitatibus hujuſmodi pro prima vice majoribus & principalibus dictæ eccleſiæ perſonis, videlicet præpoſitura priori majori, & major archidiaconatus eleemoſynario, ac minor archidiaconatus infirmario, & cantoria cantori, cabiſcoli nuncupato, necnon ſuccentoria ſubcamerario, theſauraria vero ſacriſtæ ipſius eccleſiæ, qui tempore publicationis præſentium in humanis egerint, etiamſi in habitu regulari remanere maluerint, aut remanere diſpoſuerint, per nos & ſedem apoſtolicam libere conferri debeant. Ac illis ſic collatis, occurrente poſtmodum pro tempore dictæ præpo-
E ſituræ vacatione, illius collatio, proviſio, & omnimoda diſpoſitio ad pro tempore exiſtentem epiſcopum Caſtrenſem, & loco ipſius ad ejus vicarium, necnon ad archidiaconos, cantorem, ſuccentorem, theſaurarium, canonicos, & capitulum præfatos, communiter ſpectet & pertineat. Ita quod inter ſe ad præpoſituram vacantem prædictam nominent & eligant, ac nominando, & eligendo abſque aliqua obſervatione contentorum in capitulo. Quapropter, & abſentibus aliis minime expectatis, ſed illis ad ſonum campanæ capitularis duntaxat vocatis, conferant; epiſcopuſque, vel ejus vicarius in hujuſmodi electione & nominatione ſic celebranda duas duntaxat voces concludentes habeant. Reliquarum autem dignitatum prædictarum collatio, proviſio, & quævis alia diſpoſitio ad eumdem epiſcopum, qui illas omnes dictæ eccleſiæ canonicis duntaxat pro-

ut officia prædicta illius monachis conferre tenebatur, & non aliis conferre, & de aliis eisdem providere teneatur, spectet: ac juramenti desuper præstandi receptio, & illarum installatio ad præpositum & capitulum præfatos competat. Et sede episcopali Castrensi vacante, omnium & singularum dignitatum, canonicatuum, & præbendarum, ac capellaniarum prædictarum collatio, & similis dispositio ad præpositum & capitulum prædictos dumtaxat: præsentatio vero personæ idoneæ ad illos, eadem sede episcopali vacante, ad canonicum hebdomadarium in turno suæ hebdomadæ pertineant. Quodque numerus viginti quatuor canonicorum hujusmodi ad numerum sexdecim canonicorum successive redigatur: ita quod loco decedentium dumtaxat ipsius ecclesiæ Castrensis canonicorum etiam illius dignitates obtinentium nullus recipiatur, sed canonicatus & præbenda decedentium etiam dignitates obtinentium perpetuo suppressi & extincti sint &, censeantur; donec dictus numerus viginti quatuor canonicorum ad numerum ipsum sexdecim canonicorum, qui inibi perpetuo existant, reducatur. Et postquam numerus viginti quatuor canonicorum hujusmodi ad dictum numerum sexdecim reductus fuerit, ut præfertur, tunc & eo casu & non prius, collatio & provisio eorumdem canonicatuum & præbendarum ad episcopum & capitulum præfatos alternatis vicibus, ad præsentationem dicti canonici hebdomadarii in suo turno existentis, & non alias, spectet. Ita quod in ordine episcopus primo, & deinde capitulum, & sic successive alternatim ad præsentationem canonici hebdomadarii, hujusmodi ad dictas collationem & provisionem procedatur. Et cum episcopus ratione suorum canonicatus & præbendæ, quos in eadem ecclesia Castrensi obtinebit, in turno suæ hebdomadæ, hebdomadarius extiterit, capitulum præfati, ad præsentationem episcopi ut canonici hebdomadarii hujusmodi, ad similem eorumdem canonicatuum & præbendarum collationem & provisionem pari modo procedere teneantur. Et si aliqui ex dictis viginti quatuor canonicis nunc existentibus, etiamsi essent de deferentibus habitum canonicatus & præbendas, ac dignitates, aut alias erectas, & quarum fructus, reditus & proventus, solum per decessum illa obtinentium dictæ mensæ capitulari, ut præfertur, applicati existant, capellanias prædictas obtinentes, canonicatus & præbendas, aut dignitates, vel capellanias hujusmodi simpliciter, vel ex causa permutationis resignare voluerint, ipsi dumtaxat, antequam numerus canonicorum hujusmodi ad numerum sexdecim reductus sit, sed non eorum successores, illos simpliciter, vel ex dicta permutationis causa in manibus ad id potestatem habentis, semel dumtaxat & non ultra, resignare seu dimittere possint: ac per hujusmodi resignationem, canonicatus & præbendæ extincti, fructusque, reditus & proventus suppressorum prioratuum, & officiorum, ac capellaniarum hujusmodi mensæ prædictæ applicati pro illa vice non censeantur: sed canonicatus & præbendæ, dignitates, prioratus, & officia sic resignata, compermutantibus libere & absque aliqua dubitatione, pro una vice tantum, ut præfertur, & non ultra conferri debeant. Quodque canonici etiam dignitates obtinentes prædicti, sive præsentes sive absentes in numero viginti quatuor, sive jam ad numerum sexdecim reducti pro grossis fructibus suarum præbendarum hujusmodi non habeant singulis annis nisi 30. libras Turonenses; & reliquum, quod absentibus, si præsentes fuissent, distribui debuisset, accrescat canonicis, & dignitates obtinentibus præsentibus, ac cultui & obsequio divino insistentibus: nisi forsan de licentia ipsorum capituli ex legitima causa se absentassent, seu infirmitatis, aut legitimo alio impedimento detinerentur; quo casu pro præsentibus habeantur, & sicut præsentes participent. Ac quod præfatus Jacobus, & pro tempore existens episcopus Castrensis canonicus præbendatus existat, & percipiat de more singulos suos grossos fructus, necnon si præsens fuerit quotidianas distributiones, nisi legitimo, ut præfertur, impedimento detentus, prout & quemadmodum ceteri dictæ ecclesiæ canonici, excepto præfato Jacobo, qui quamdiu dictæ ecclesiæ præfuerit, tam grossos omnes, quam alios distribuendos fructus, ex speciali gratia habeat & percipiat, ac habere & percipere valeat. Necnon, cum personæ ecclesiasticæ, quæ altari serviunt, de altari etiam vivere debeant, quod præfatus Jacobus, & pro tempore existens episcopus Castrensis, ex dicta summa mille librarum Turonensium per eum pro dicta fabrica, ut præfertur, debita, præposito & capitulo præfatis quingentas libras similes annis singulis tradere & solvere teneatur; & adstrictus sit, excepto illo anno, in quo decimæ apostolicæ super fructibus, redditibus & proventibus mensæ episcopalis Castrensis imponentur & exigentur: quo anno solum summam quadringentarum librarum similium illis tradere teneatur: & residuum usque ad integram summam sexcentarum librarum hujusmodi pro decimis prædictis persolvendis servetur, seu pro hujusmodi solutione cedat, vel alias pro illis applicetur. Ac idem Jacobus, & pro tempore existens episcopus Castrensis, eo anno quo nullas decimas apostolicas persolverit, quingentas libras remanentes prædictas, in reparationibus tam domorum mensæ suæ episcopalis, quam fabricæ ecclesiæ prædictarum, ad ejus discretionem applicare & appropriare possit. Et quidquid præposito & capitulo præfatis de summa mille librarum hujusmodi tradiderit, id totum supputetur de summa mille librarum, pro fabrica prædicta debitarum, ac si totalis hujusmodi summa persolura foret. Ac quod domus seu cameræ canonicales & aliæ habitationes, viridaria, & vineæ, ac alia ad dictam mensam capitularem pertinentia, sive infra, sive extra ambitum ipsius ecclesiæ Castrensis consistentia, dum pro tempore vacabunt, ad eamdem mensam eo ipso revertantur, & per ipsos præpositum & capitulum, si videbitur, plus offerenti venumdari, sive offerens sit canonicus, sive inferior ipsius ecclesiæ minister existat: & venditio hujusmodi, etiam si videbitur, ad ementis vitam duntaxat seu alias fieri valeat. Ita quod illa, post obitum ejus cui sic forsan vendita fuerint, iterum ad dictam mensam capitularem libere revertantur, & per ipsos præpositum & capitulum iterum prædicto modo, & cum aliquibus oneribus similiter venumdari possint, sed quod exinde nullus possit in illis onus aliquod imponere. Ac quod præpositus in diebus solemnibus, in absentia vel impedimento episcopi, & pari modo in præpositi absentia, vel impedimento archidiaconus major, & post eum eodem ordine alter archidiaconus, & sic successive cantor, succentor, & thesaurarius, & consequenter in absentia & negligentia, vel impedimento eorum antiquior canonicus missas, & alia divina officia cum pallio, si videbitur, & baculo, ac aliis convenientibus ornamentis in eadem ecclesia consistentibus, etiamsi videbitur duobus aut pluribus canonicis inibi præsentibus, qui sibi gradatim assistere teneantur, celebrare possit. Et quod idem præpositus post episcopum, primum locum & primam vocem in capitulo & aliis tractatibus: majorque archidiaconus secundum locum & secundam vocem: & archidiaconus minor tertium locum & tertiam: ac cantor quartum & quartam vocem: necnon succentor quintum locum & quintam vocem: & thesaurarius dictæ ecclesiæ pro tempore existens sextum locum & sextam vocem habeant: alii vero canonici, sive dimittant habitum, sive non, solitum ordinem servent: ceteri autem qui de novo recipientur, ordinem servent suæ receptionis. Similisque ordo servetur, tam in choro quam in processionibus. Ita quod post episcopum archidiaconus major primum, & cantor secundum, & thesaurarius tertium a dextra: a sinistra autem partibus præpositus primum, archidiaconus vero minor secundum, succentor autem tertium stallum & locum habeant. Canonici vero tam præsentes quam futuri, hinc inde tam a dextris quam a sinistris, simili modo suæ receptionis ordinem servent; sed per hoc in sacris non constituti vocem nullam in capitulo habeant. Quodque vacantibus pro tempore dignitatibus, canonicatibus & præbendis, personatibus, capellaniis & aliis beneficiis erectis prædictis, in illis seu eorum aliquo succedens, nullos

donec pacificus poſſeſſor fuerit, aut in caſu litigii ſententiam, recredentiam nuncupatam, reportaverit, fructus, reditus & proventus percipiat; ſed illorum, ſeu alicujus eorum fructus, reditus & proventus, durante lite hujuſmodi præfatis capitulo, ad effectum tamen ut lite durante in divinis officiis, prout alias ſi idem ſucceſſor pacificus eſſet teneretur, convertantur, & reſiduum, ſi quod ſuperfuerit, pro negotiis capituli erogetur, cedant. Quodque præpoſitus, & capitulum præfati nullam in choro juriſdictionem habeant, niſi prout & quemadmodum tempore ſuppreſſionis & reductionis hujuſmodi habebant, quinimo ſuper hoc nihil immutando, eidem Jacobo, & pro tempore exiſtenti epiſcopo Caſtrenſi, ejuſque paſtorali juriſdictioni, ſubjectioni & obedientiæ, prout tempore ſuppreſſionis & reductionis hujuſmodi ſubjecti erant, perpetuo ſubjiciantur. Et demum quod præpoſitus & capitulum præfati, ne ipſi tanti muneris & officii eis per Franciſcum cardinalem & Jacobum epiſcopum præfatos, tam circa reductionem & erectionem, ac eorum a regularium inſtitutionum obſervatione abſolutionem hujuſmodi, quas ad ampliorem dictæ eorum eccleſiæ decorem ipſi Franciſcus cardinalis & Jacobus epiſcopus apud nos ſolerti ſtudio & induſtria procuraruntur, quam alias impenſi, ac beneficii ab eorum illuſtri domo de Turnone recepti prorſus immemores eſſe, & vitio ingratitudinis laborare cenſeantur; ſed muneris & officii ac beneficii hujuſmodi ad poſteros memoria habeatur, ſponte & libere teneri, & obligari voluerunt, die per ipſos Jacobum epiſcopum & capitulum ſtatuenda, ac eiſdem capitulo præfigenda, unum anniverſarium ſolemne, obitum de Turnone nuncupandum, pro animarum, tam eorumdem Franciſci cardinalis & Jacobi epiſcopi, quam aliorum præſentium & futurorum, ac defunctorum ipſius illuſtris domus de Turnone ſalute, in dicta eccleſia Caſtrenſi, annis ſingulis perpetuis futuris temporibus celebrare teneantur. Et nihilominus præpoſito & capitulo præfatis pro felici ſtatu & ſalubri directione ejuſdem eccleſiæ Caſtrenſis, quæcumque ſtatuta ſalubria ſuper divinorum officiorum celebratione, & agendis per miniſtros eccleſiæ, ac honore & debita reverentia ſuperioribus exhibendis, necnon delatione almutiarum, capparum & ſuperpelliciorum; necnon præeminentia eorumdem capituli, vel ſolius præpoſiti, ac archidiaconorum, cantoris, ſuccentoris & theſaurarii prædictorum pro tempore exiſtentium, quam in eadem eccleſia & illius choro habebunt, ac capitulis generalibus vel particularibus, & ſynodo celebrandis, collationibus beneficiorum & diviſionibus fructuum, nec non diſtributionum in horis canonicis perceptione & amiſſione, & aliis omnibus decorem & honeſtatem eccleſiæ prædictæ, etiam quoad bonos mores miniſtrorum prædictorum concernentibus. Necnon quæ ſuper præmiſſis majori declaratione indigebunt, ſubſtantia non mutata: etiam illa & fundationem hujuſmodi non obſervantes diſtributionibus privando, & alias mulctando, condendi & edendi, ac condita & edita, quoties eis videbitur, alterandi, ac in melorem & ſaniorem ſententiam mutandi, & ab omnibus ſub pœnis eccleſiaſticis & pecuniariis obſervari mandandi, plenam & liberam auctoritatem & facultatem concedimus. Præterea præfatos monachos, ac eorum ſingulos, qui forſan propter tranſgreſſum inſtitutorum regularium prædictorum, aliquam apoſtaſiæ notam ſive irregularitatem, aut inhabilitatem incurrerunt, ab hujuſmodi exceſſibus & apoſtaſia, & quibuſvis excommunicationibus, & aliis ſententiis, cenſuris & pœnis eccleſiaſticis, quas præmiſſorum occaſione quomodolibet forſan incurrerint, præfatis, auctoritate apoſtolica, earumdemque tenore præſentium abſolvimus, ac cum eis ſuper irregularitate, ſi quam cenſuris hujuſmodi forſan ligati, miſſas & alia divina officia celebrando, aut illis ſe immiſcendo, contraxerint. Quodque etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, cum cura & ſine cura ſecularia, alias ſe invicem compatientia beneficia eccleſiaſtica, etiamſi canonicatus & præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis vel collegiatis ſecularibus, & dignitates ipſæ in cathedralibus etiam metropolitanis poſt pontificales majores, ſeu collegiatis eccleſiis hujuſmodi, principales fuerint, ſi eis alias canonice conferantur, aut eligantur, præſententur, vel alias aſſumantur ad illa, & inſtituantur in eis poſt ſuppreſſionem & reductionem hujuſmodi, ac ſi numquam regulares fuiſſent, recipere: & illa, necnon quæcumque, quodcumque, & qualiacumque alia beneficia eccleſiaſtica cum cura & ſine cura; ſecularia, ac prædicti, & quorumvis aliorum ordinum regularia, etiamſi ſecularia, parrochiales eccleſiæ vel earum perpetuæ vicariæ: regularia vero, prioratus, præpoſituræ, præpoſitatus, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia; etiamſi clauſtralia fuerint, & ſimiliter, ad prioratus, præpoſitatus, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia hujuſmodi conſueverint, qui per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, quæ eorum ſinguli, etiam ex quibuſvis conceſſionibus & diſpenſationibus apoſtolicis in titulum ſeu commendam obtinent & expectant, nec non in quibus & ad quæ jus eis & eorum cuilibet competit, ut prius retinere, illaque omnia & ſingula quoties eis placuerit dimittere, & eiſdem commendæ cedere: ac loco dimiſſi, vel dimiſſorum, aliud vel alia, ſimile vel diſſimile, aut ſimilia vel diſſimilia, beneficium vel beneficia, eccleſiaſticum vel eccleſiaſtica, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque ſe invicem compatientia ſimiliter recipere, & ut præfertur retinere. Necnon quaſcumque penſiones annuas ſuper quibuſvis fructibus, reditibus & proventibus eccleſiaſticis eis aſſignatas, ut prius etiam quoad vixerint percipere. Ac quibuſvis gratiis & indultis, ac diſpenſationibus eis hactenus, & eorum cuilibet apoſtolica vel alia quavis auctoritate quomodolibet conceſſis, uti & gaudere, & beneficia ſub eiſdem diſpenſationibus comprehenſa recipere, & juxta illarum tenorem retinere. Et nihilominus eidem eccleſiæ Caſtrenſi, ac illius capitulo, & aliis etiam dignitates, ac canonicatus & præbendas imbi pro tempore obtinentibus, ceteriſque perſonis ejuſdem eccleſiæ, etiam habitum & alia indumenta regularia ſuper & ſubter quomodolibet deferentibus, pro tempore exiſtentibus, tam conjunctim quam diviſim, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, prærogativis, conceſſionibus, gratiis & indulgentiis ac indultis, per quoſcumque Romanos pontifices, ac alias perſonas eccleſiaſticas, ante ſuppreſſionem, reductionem & erectionem hujuſmodi quomodolibet conceſſis. Ac omnibus aliis, quibus aliæ cathedrales eccleſiæ ſeculares, & illorum canonici, ac dignitates, & perſonatus in eis obtinentes, de jure vel de conſuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, eisdem auctoritate apoſtolica, & tenore præſentium diſpenſamus, ac eis pariter indulgemus, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam, per eoſdem monachos & eorum ſingulos præmiſſorum occaſione quomodolibet contractam penitus abolemus. Necnon obtenta beneficia & jura in eis, vel ad illa quomodolibet quæſita propter reductionem & ſtatus hujuſmodi immutationem, non vacare, & commendas non ceſſare: ac diſpenſationes, gratias, indulta & privilegia hujuſmodi plenum firmitatis robur obtinere: ac cum permutandi & commendæ cedendi, necnon derogationis, omnibuſque & ſingulis aliis in eiſdem contentis clauſulis eiſdem eccleſiæ & capitulo, ac ſingulis monachis præfatis, etiam poſt ſtatus regularis hujuſmodi alterationem, ſuffragari poſſe & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi reductio, immutationes & abſolutiones prædictæ minime factæ fuiſſent, decernimus. Quocirca dilectis filiis decano eccleſiæ ſancti Petri de Burlatio Caſtrenſis diœceſis & Albienſis, ac montis Albanenſis officialibus, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Jacobi epiſcopi & capituli prædictorum, ſeu majoris partis eorum deſuper fuerint re-

quiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis deffenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ſuppreſſionem, extinctionem, immutationem, reductionem, abſolutionem, liberationem, erectionem, inſtitutionem, applicationem, appropriationem, conceſſionem, ſtatutum, ordinationem, & alia præmiſſa firmiter obſervari: ipſoſque epiſcopum & capitulum, ac monachos illis ac poſſeſſione ſeu quaſi diſpenſationis, abolitionis & indulti prædictorum pacifice gauderenon permittentes eos deſuper per quoſcumque quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Nonobſtantibus priori voluntate noſtra prædicta, ac Lateranenſis concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, necnon piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavetur: ne quis extra ſuam civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur: ſeu ut judices a ſede præfata deputati extra civitatem & diœceſim in quibus deputati fuerint contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant: & de duabus dietis in concilio generali edita dummodo ultra tres dietas, aliquis auctoritate præſentium non trahatur: & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis: necnon fundatione etiam ſeculari eccleſiæ, ac illius & ordinis prædictorum, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ac illorum fundatorum, dotatorum, & benefactorum voluntatibus, mandatis & diſpoſitionibus: necnon quibuſvis privilegiis & indultis apoſtolicis eiſdem eccleſiæ, & ordini ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis conceſſis, approbatis & innovatis, quibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio etiam diſpoſitive fieri deberet, tenores hujuſmodi pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus. Necnon quacumque forſan contradictione per minorem partem monachorum prædictorum, poſt præſentationem earumdem præſentium, forſan in poſterum quomodolibet facienda, contrariis quibuſcumque; aut ſi aliqui, ſuper proviſionibus ſibi faciendis de locis & monachalibus portionibus, ac officiis & prioratibus, hujuſmodi, necnon aliis beneficiis eccleſiaſticis, ſpeciales in illis partibus, vel generales dictæ ſedis, vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum: quas quidem litteras & proceſſus habitos per eaſdem, hac inde ſecuta quæcumque, ad loca & monachales portiones, necnon officia & prioratus, capellanias & beneficia ſuppreſſa hujuſmodi volumus non extendi, vel nullum per hoc eis quoad aſſecutionem locorum & monachalium portionum, ac officiorum & prioratuum, vel aliorum beneficiorum præjudicium generari: ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Volumus autem quod monachi aliqua irregularitatis & inhabilitatis nota ſeu cenſura forſan innodati, pœnitentiam ſalutarem per confeſſores eorum, quos ſinguli eorum duxerint eligendos, eis pro præmiſſis injungendam adimplere omnino teneantur; alioquin præſentes litteræ quoad abſolutionem hujuſmodi, nullius ſint roboris vel momenti: & inſuper ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, ſuppreſſionis, extinctionis, immutationis, reductionis, inſtitutionis, liberationis, erectionis, conceſſionis, applicationis, appropriationis, ſtatuti, ordinationis, diſpenſationis, indulti, abolitionis, decreti, mandati, derogationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto, ſeptimo idus Julii, pontificatus noſtri anno primo. N. Luſcus max. ccccccc. Jo. de Fatis. Jo. Meleti. B. de Medina. Jo. de Moluet. L. V. Valt. Balthaſar. de Piſcia. L. de Jul. Jo. Curlemaſcus. P. de Berrio max. ccccccc. Ciacy. J. de Piſcia. N. Gabre. Anno a nativitate Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto, & die prima Januarii retro nominatus reverendus pater dominus Jacobus, per dominum Franciſcum de Piſcia procuratorem ſuum retro ſcriptum retro ſcriptæ reductioni, ac litterarum expeditioni conſenſit, juravit. ex. Jo. Nicia. J. die prima Januarii. Nicia. Regiſtrata in camera apoſtolica. Nicia.

Univerſis & ſingulis dominis reverendiſſimis archiepiſcopis, epiſcopis, principibus ſeculi, abbatibus, prioribus, rectoribus, vicariis perpetuis, aut locatenentibus eorumdem, curam & adminiſtrationem eccleſiarum habentibus, tam in diœceſi Caſtrenſi, quam alibi exiſtentibus, ſinguliſque aliis viris tam eccleſiaſticis quam ſecularibus ubilibet conſtitutis, ad quem ſeu quos noſtræ præſentes litteræ pervenerint. Falco Auranc in utroque jure baccalaureus, decanus eccleſiæ collegiatæ ſancti Petri de Burlatio, judex & executor ad infra ſcripta ſpecialiter deputatus, una cum aliis in hac parte noſtris collegis, cum illa clauſula: quarenus ipſi vel duo aut unus eorum, ſalutem in domino. Cum itaque hodie decima ſexta menſis Septemb. anno Domini 1536. apud civitatem Caſtrenſem, & in domo ſolitæ noſtræ habitationis; nobis pro parte procuratoris reverendiſſimi in Chriſto patris, & domini Caſtrenſis epiſcopi, & ſyndici ac procuratoris capituli eccleſiæ cathedralis Caſtrenſis fuerit verbo tenus & ſcriptis narratum & demonſtratum, quod poſtquam monachi ordinis divi Benedicti, gratia Spiritus ſancti inducti, ſuos agnoverint errores & defectus per ipſos hactenus ob non obſervantiam dictæ regulæ divi Benedicti commiſſos, & quod mala conſuetudo (quæ potius corruptela dici deberet) vivendi contra ipſam regulam de jure ipſius eccleſiæ monachos relevare non poterat, ſi tamen a pœna temporali, non ab æterna. Quare ſentientes conſcientiam illorum in iſtis multum læſam, & quod multo plus in futurum læderetur in non ſervando dictam regulam, ad obſervationem cujus nemo illorum, quamvis de facto in ipſorum profeſſione ſervare juraſſet, credebat, ob alium morem vivendi in monaſterio priſcis temporibus tentum, teneri, neque parabant; ob quod multæ animæ in laqueum cadere poterant, & in futurum caderent: volentes, ipſi ſano ducti conſilio, animabus illorum principaliter providere, & ſtatum ac regimen ipſius eccleſiæ in melius commutare: eamdemque viris probis & litteratis in futurum implere, quibus ad præſens fere ex iis viris litteratis penitus nudata exiſtebat, cauſante illa regula, ad quam nemo peritus propter ejus acerbam vitam adſtringi volebat, vocatis tam per edicta publica quam privata omnibus ipſius eccleſiæ prioribus, officiariis, monachis & intereſſe habentibus, illiſque comparentibus, aut in contumacia debita poſitis, & in eccleſia cathedrali prædicta, de licentia & permiſſione reverendiſſimi in Chriſto patris D. domini Caſtrenſis epiſcopi ad hos fines congregatis ſimul & unanimiter, retentis ſedis apoſtolicæ auctoritate, & beneplacito chriſtianiſſimi domini noſtri Franciæ regis, decreverunt hanc eccleſiam (quæ regularis ut dictum eſt exiſ-

tebat) cum ſuppreſſionibus aliquarum præbendarum, A
ſeu monachalium portionum, unionibus beneficiorum,
erectionibus dignitatum, & aliis modificationibus infra
dicendis in ſecularem ſtatum dictis auctoritatibus pon-
tificali & regia reducere. Quare ſic congregatis, eorum
ad hos fines, cum conſenſu dicti reverendiſſimi epiſcopi,
ad iſta procurandum & humiliter ſupplicandum ipſos
ſummum pontificem & regem, ſuos conſtituerunt pro-
curatores: tam ipſe reverendiſſimus in Chriſto pater &
dominus Jacobus de Turnone tunc epiſcopus Caſtrenſis,
quam capitulum præfatum, quorum medio & cum ſpe-
ciali conſenſu regio bullam plumbeam cum cordulis ſe-
ricis & more Romanæ eccleſiæ plumbatam, authenti-
cum, non vitiatam, nec cancellatam, a ſanctiſſimo do-
mino Paulo III. divina providentia Papa nunc moder-
no, nobis directam obtinuerunt; quam nobis pro par- B
te dicti reverendiſſimi in Chriſto patris domini Antonii
de Veſco, nunc Caſtrenſis epiſcopi, & ſyndici ac pro-
curatorum capituli, organo magiſtri Joannis de Fargia,
procuratoris domini Caſtrenſis epiſcopi, & domini An-
tonii de Bone prioris majoris eccleſiæ jam dictæ, Ludo-
vici de la Palu eleemoſynarii, Antonii Vaſſailh infir-
marii, Raymundi Guitardi præcentoris, & Jacobi de
Senegatio illius eccleſiæ monachorum ad hos fines conſ-
tituentium, humiliter præſentarunt; illius requirentes
debitam executionem, litteras opportunas contra quas
decebat eis per nos concedi depoſcendo, ſimileſque re-
quiſitiones verbo tenus nobis fecit magiſter Georgius du
Gabre, tanquam unus ex capitulo ipſius eccleſiæ. Noſ-
que Falco d'Auranc executor prædictus, prædictis litte-
ris cum honore & reverentia debitis receptis, illis prius C
viſis, noſtrum obtulimus facere debitum, & eiſdem
diem ad procedendum ad debitam executionem, ſi pre-
ces veritate niterentur aſſignare. Præſentibus in præ-
miſſis dominis Bartholomæo Limas, Bartholomæo Si-
monetti preſbyteris, ac magiſtro Bertrando de Cellis,
notario noſtro infra ſcripto. Quibus litteris apoſtolicis
per nos viſis ſubſequenter anno prædicto & decima no-
na menſis prædicti Septembris, coram nobis compa-
rentibus ſupra nominatis de Fargia, & de Bone nomi-
nibus prædictis, qui prius facta narrativa præmiſſorum,
nos requiſiverunt, juxta aſſignatam eiſdem diem, aſſignari
ad procedendum ad ulteriora noſtræ commiſſionis, nec-
non litteras contra religioſos abſentes & alios quos de-
cebat, eiſdem concedi: quas nos conceſſimus, & diem
vigeſimam ſecundam ipſius menſis ad procedendum præ- D
fiximus, hora prima de mane ante portam principalem
ipſius eccleſiæ cathedralis Caſtrenſis, vocatis vocandis,
literis ut ſupra opportunis conceſſis: atteſtantibus do-
minis Matthæo Pulli, & Andræa Barriera presbyteris,
Guilhelmo Alberti de Caſtris teſtibus ad præmiſſa vo-
catis, & notario noſtro ſubſignato. Qua die adveniente
vigeſima ſecunda dicti menſis Septembris antedicta,
& ante portam principalem eccleſiæ cathedralis jam di-
ctæ, hora prima ſupra aſſignata, monachis & prioribus,
ac intereſſe prætendentibus, & judice ordinario, ac pro-
curatore regio, & conſulibus dictæ civitatis, ac populo
ejuſdem in maximo numero, tam litteratorie quam ad ſo-
num campanæ majoris dictæ eccleſiæ congregatis: coram
nobis executore jam dicto comparuit in propria reve-
rendiſſimus in Chriſto pater dominus Antonius de Veſ-
co nunc epiſcopus Caſtrenſis ex una parte & pro ſe: &
reverendus pater dominus Antonius de Bone prior ma-
jor ipſius eccleſiæ, nobileſque & religioſi viri domini
Ludovicus de la Palu eleemoſynarius, Antonius Vaſ-
ſailh infirmarius, Raymundus Guitardi præcentor, Ja-
cobus de Senegatio ſubcamerarius, Theobaldus de la
Palu hoſpitalarius, Berengarius de Roſeto prior de
Aſilianeto, Petrus Sobiran operarius, Joannes de Vil-
liſpaſſantibus ſacriſta, Guido Guytardi prior de Man-
dolio, Joannes de la Mota de Heremo, Ludovicus Picar-
del de Podio Gayraudo, Ludovicus de Bona decanus,
Carolus Olrici, Raymundus de Vayraco, Franciſcus
de Villiſpaſſantibus, Joannes de Petruſſia, Reginaldus
de Alto-pullo, Franciſcus de Roſeto, Bertrandus de
Roſeto, monachi religioſi dictæ eccleſiæ cathedralis Caſ-
trenſis, prioreſque, & officiarii dictorum prioratuum,
& Georgius du Gabre ſecularis canonicus loco alicujus
monachi, capitulum facientes: qui organo ſupradicti
Vaſſailh infirmarii verbo expoſuerunt, quomodo ad
ſupplicationem & requiſitionem illuſtriſſimi principis,
& domini domini Franciſci Chriſtianiſſimi Franciæ re-
gis, & de conſenſu reverendiſſimi in Chriſto patris &
D. domini Jacobi de Turnone olim Caſtrenſis epiſcopi,
& capituli præfatæ eccleſiæ per ſanctiſſimum dominum
noſtrum Paulum III. ſummum pontificem modernum,
eccleſia nunc cathedralis Caſtrenſis, quæ abbatialis,
ordinis ſancti Benedicti olim, per bonæ memoriæ Joan-
nem Papam XXII. erecta fuit in cathedralem, a
paucis diebus citra, per prædictum Paulum modernum
de regulari in ſecularem erecta eſt, conſtantibus litteris
ſuper hoc confectis, nobis tanquam decano ad exequen- B
dum directis, & per ſuprafcriptos præſentatis: requi-
rentes, tam pro dicto reverendiſſimo epiſcopo Caſtrenſi,
hic præſente, quam pro dicto capitulo, quatenus ad pu-
blicationem dictarum litterarum apoſtolicarum procede-
re vellemus. Igitur, nos decanus prædictus & execu-
tor, dictis litteris ut ſupra cum honore & reverentia re-
ceptis, facta prius ſummaria appriſia cum teſtibus fide
dignis de die, loco & hora, & vocatis alta & intelligi-
bili voce non comparentibus, & litteris noſtris mediantibus
citatis nos procedi viſuris ad fulminationem &
executionem dictarum litterarum, & ipſis in contuma-
cia poſitis, eaſdem litteras noſtræ commiſſionis publicari
fecimus publice & juſſimus, quarum tenor talis eſt.
PAULUS epiſcopus, &c. Qua facta & lectura earum- C
dem, fuimus pro parte dicti epiſcopi & capituli inſtan-
ter requiſiti, quatenus procedere vellemus ad fulmina-
tionem & executionem earumdem, & procedendo juxta
contenta in eiſdem regulam divi Benedicti ibi obſervari
ſolitam extinguere: numerumque viginti quatuor mo-
nachorum regularium, in numerum viginti quatuor ca-
nonicorum ſecularium: beneficia, prioratus, capellanias,
clericaturas, & alia contenta in bulla ſupranominata menſæ capitulari unita declarare, ut in dicta bul-
la fieri mandaturi archidiaconoſque per dictum de Veſ-
co nunc epiſcopum eligendos recipere vellemus, & inſ-
talare: & canonicatus & præbendas per ceſſum vel de-
ceſſum vacaturas, unica eis tamen renuntiatione per-
miſſa, ſuppreſſas & extinctas declarare, ſic ut non poſ-
ſint in loco cedentium vel decedentium, neque alio D
quovis modo aut recipi vel ſubrogari, donec facta re-
ductione ad numerum ſexdecim: & alias plures fecit &
requiſivit requiſitiones de contentis in eadem bulla, quas
hic inſerere brevitatis cauſa omittimus. Quibus re-
quiſitionibus attentis, primo loco interrogavimus reve-
rendiſſimum in Chriſto patrem & D. dominum Anto-
nium de Veſco, epiſcopum prædictum ibidem exiſten-
tem, & ſubſecutive dictos religioſos ibi præſentes, ſi
contenta in bulla ſupra perlecta veritatem continebant,
& ſi de eorum proceſſerat conſenſu. Qui dominus epiſ-
copus, & monachi prædicti unanimiter dixerunt, quod
ſic. Quibus attentis, & quod nullus contradixit execu-
tioni prædictarum litterarum requiſiti in præſentia præ-
dictorum judicis, procuratoris regii, & conſilii civita-
tis Caſtrenſis ad hoc expreſſe vocatorum, proceſſimus ad
executionem dictæ noſtræ commiſſionis, & eoſdem mo- E
nachos, ita volentes tacite vel expreſſe dictam regulam
profeſſos, ab obſervatione conſtitutionum, ordinatio-
num, inſtitutionum & conſuetudinum regularium ordi-
nis, & ſtatutorum eccleſiæ cathedralis Caſtrenſis, præ-
dictis votis paupertatis, caſtitatis & obedientiæ dumta-
xat exceptis, necnon a regula ejuſdem ſancti Benedicti,
& ſecundum illam divini officii recitatione, ita ut ca-
nonici & perſonæ ſeculares ipſius eccleſiæ Caſtrenſis exi-
ſtant, & pro talibus habeantur, teneantur, reputentur,
& nominentur: ac de cetero regularem habitum, ſi vo-
luerint, dicti ordinis geſtare, dummodo in aliis ceremo-
niis eccleſiæ & ſuperiori habitu aliis ſe conforment: &
illius regularia inſtituta, ordinationes, definitiones &
mores quoad divinorum in eadem eccleſia Caſtrenſi ce-
lebrationem, jejunia, victum & ciborum uſum, ac quæ-

cumque alia ad quæ ſatione dicti ordinis tenebantur, in futurum minime obſervare teneantur; ſed in ordine, ceremoniis, ritu, inceſſu, moribus & vita, quoad omnia ſecularibus canonicis & perſonis aliarum cathedralium eccleſiarum ſecularium, ſe omnino & ubique conforment. Et quod qui nunc ſunt, & pro tempore erunt ejuſdem eccleſiæ Caſtrenſis canonici de bonis ſuis quomodolibet licite, etiam intuitu eccleſiæ acquiſitis, & in poſterum per eoſdem in futurum acquirendis, libere & licite in vita & in morte diſponere valeant, relaxamus, liberamus & abſolvimus, & auctoritate apoſtolica, qua in hac parte fungimur, providemus, & exemtos, liberatos & abſolutos pronuntiamus. Necnon loco viginti quatuor monachalium portionum, viginti quatuor canonicatus & præbendas: & loco prioratus majoris unam præpoſituram majorem poſt pontificalem & primam: ac loco eleemoſynariæ unam majorem ſecundam: necnon loco infirmariæ aliam archidiaconatus minorem nuncupatam tertiam: & loco cantoriæ regularis unam cantoriam ſecularem quartam: & loco ſubcamerariæ unam ſuccentoriam quintam, & loco ſacriſtiæ ſuppreſſarum hujuſmodi unam theſaurariam ſextam, inibi dignitates juxta nobis mandata ereximus. Necnon quatuor hebdomadarias nuncupatas, quarum collatio & proviſio ad dictum præpoſitum & capitulum duntaxat pertineat. Ac eidem reverendiſſimo in Chriſto patri domino Antonio de Veſco, ut in eadem eccleſia duos alios archidiaconatus pro aliis duobus archidiaconis, qui locum in choro duntaxat, ſed non vocem in capitulo ipſius eccleſiæ Caſtrenſis habeant, neque etiam ratione ipſorum archidiaconatuum quotidianas diſtributiones ſeu alia a menſa ſeu capitulo præfatis emolumenta percipiant, facultatem dedimus auctoritate prædicta ipſos eligendi & inſtituendi, ac illorum cuilibet unum beneficium eccleſiaſticum, etiamſi parrochialis eccleſia, vel ejus perpetua vicaria fuerit, uniendi & incorporandi plenam & liberam poteſtatem illi conceſſimus. Et omnes uniones fieri mandatas: & ſuppreſſiones, quorumcumque beneficiorum caſu adveniente fecimus & declaravimus, & factas eſſe cenſuimus, & alias juxta ac ſecundum civiliter requiſita & nobis in mandata egimus & fecimus, actis deſuper confectis penes notarium infra ſcriptum exiſtentibus, & atteſtantibus quæ hic brevitatis cauſa inſeri omittuntur, nobis ampliori executione reſervata. Poſt quæ & modico intervallo voce dicti Vaſſailh fuimus amplius requiſiti, ut executionem noſtram continuando, monachalem habitum eiſdem monachis ita requirentibus auferre dignaremur, eoſdemque abſolvere ab omni reatu, irregularitate, apoſtaſia & excommunicatione ob cauſam non obſervantiæ regulæ ſupra ſcriptæ divi Benedicti, forte per eoſdem vel aliquem ipſorum incurſa; & quia juſta petentibus non denegantur requiſita, nos obtulimus noſtrum facere debitum. Quapropter eadem die & ſine intermiſſione actus apud capitulum eccleſiæ præfatæ cum dictis reverendiſſimo epiſcopo & canonicis nos tranſtulimus, ibique eoſdem canonicos coram nobis flexis genibus exiſtentes, & ita fieri poſtulantes, poſt generalem confeſſionem per eos factam, ab omni excommunicationis ſententia, apoſtaſia & irregularitate, quibus cauſa tranſgreſſionis regulæ divi Benedicti innodati forte exiſtebant, abſolvimus & rehabilitavimus, juxta noſtræ commiſſionis formam & mentem, eis præcipiendo, quatenus delicta ſupraſcripta eorum confeſſori quamprimum confiterentur, & pœnitentiam ſalutarem acciperent. Deinde & abſque moræ intervallo juxta requiſita eumdem præpoſitum interrogavimus, ſi habitum monachalem dimittere vellet, qui ſuo organo verbo tenus expoſuit, nolle dictum habitum relinquere; tamen non vult ſubjici dictæ regulæ divi Benedicti. Similiter nobis expoſuerunt ſupraſcripti Theobaldus de la Palu, Veyrac, Senegatio, Franciſcus de Villiſpaſſantibus, Franciſcus de Roſeto & Bertrandus de Roſeto, petentes ut ſupra cum dicto præpoſito. Qua declaratione & requiſitione attentis, eiſdem habitum relinquimus, & a dicta regula & ceremoniis relaxamus, votis ſupraſcriptis demptis: & eos & omnes dictos canonicos in ſecularem ſtatum reduximus eoſdemque demptis ſupraſcriptis præpoſito, Theobaldo de la Palu, Veyrac, Senegatio, Franciſco de Villiſpaſſantibus, Franciſco & Bertrando de Roſeto, dicto habitu monachali exuimus, eoſdemque præpoſitum omneſque dictos canonicos ſuperpellicio & almutia induimus. Præcipientes dictis præpoſito, Theobaldo de la Palu, de Senegatio, Veyrac, Franciſco de Villiſpaſſantibus, Franciſco & Bertrando de Roſeto, ut in divinis & ceremoniis eccleſiæ juxta mandata aliis ſe conforment, & ad abſolutionis beneficium, & ad ſuppreſſionem extinctorum dictorum viginti quatuor canonicatuum vel præbendarum per ceſſum & deceſſum vacantium, unica eis et men renuntiatione permiſſa, donec ad numerum ſexdecim pervenerint, ſuppreſſos & extinctos declaravimus: ſic ut non poſſint ullo modo aliqui ſubrogari nec recipi quomodocumque, donec facta reductione ad numerum ſexdecim. Qua adveniente eiſdem canonicis juxta nobis mandata injungendo præcipimus, ut procedere habeant ad erectionem decem & ſeptem vicariorum qui ſingulis horis diurnis pariter & nocturnis, ac aliis officiis in eadem eccleſia aſſiſtant, celebrent & decantent. Et alias ad immutationem, reductionem, inſtitutionem, liberationem, erectionem, conceſſionem, applicationem, appropriationem, & ſtatutæ ordinationis diſpenſationem, ut fuit requiſitum, & nobis mandatur & permittitur proceſſimus, actis noſtris ita atteſtantibus, ampliori executione nobis in poſterum reſervata. Decernentes, propter decretum irritans in commiſſione noſtra adjectum, omnia & quæcumque, in contrarium dictæ commiſſionis & bullæ attentata irrita & inania haberi. Et ſi quis hoc attentare præſumſerit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Præſentibus in præmiſſis honorabilibus viris nobili viro Ademario Capriolli ſanctæ ſedis apoſtolicæ protonotario, Jacobo Cambolivas rectore de Ferreriis, & providis viris Gabriele Fau, Joanne Raymundi, Joanne de Sancto-Palatio, conſulibus dictæ civitatis, Joanne Thoma, dominico Boffardi, mercatoribus dictæ civitatis, & notario noſtro infraſcripto, qui de præmiſſis de noſtri mandato & ad requiſitionem dictorum epiſcopi & capituli inſtrumentum ſeu inſtrumenta & acta retinuit. In quorum præmiſſorum fidem hunc noſtrum proceſſum fulminatum in publicam formam redigi fecimus, eumdemque manu noſtra propria ſignavimus, & per eumdem notarium ſignari fecimus, & ſigillo noſtro muniri juſſimus. Caſtris vigeſima ſecunda die menſis Septembris, anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto. F. Aurane judex & executor prædictus, de dicti Domini decani & judicis delegati mandato. G. Blancheti notarius.

Præſentem bullam ratam habuit Henricus Francorum rex, datis apud S. Germanum in Laya litteris 16. Maii 1547.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM MIMATENSEM SPECTANTIA.

I.

Instrumentum donationis ecclesiæ de Canonica, monasterio sancti Victoris apud Massiliam.

POstquam mirificus auctor rerum omnium Deus primum hominem creavit, eumque ab æternitate ad quam fecerat, suasus venenosi serpentis callide dejecit, omneque humanum genus suum dominatorem agnoscere volens, & invisibilia bona quæ ei præparaverat, pro nihilo ducens, indignis ac turpibus idolatris inservivit; inenarrabili atque ineffabili sua misericordia, lacrymabili cunctis dejectionis humanæ condoluit: nam instituere primi parentis originali macula, videns fluctuantem inter turbines & procellas hujus mundi hominum genus, tenebris noctis, venenosique diaboli laqueis deceptum esse; dominator omnium Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, unicum filium suum, Dominum nostrum, sempiternum ex se sempiterno, ad nostram omnium redemptionem, quasi floridum tenebris lumen, huic seculo non dedignatus est mittere. Qui Dominus noster Jesus Christus, postquam in humana carne quam sumsit, sui sancti evangelii doctrinam, cunctis ad gloriam suam vocatis, prædicavit, atque quæ olim prophetata Deo fuerant, adimplevit, & ad Patrem, cum quo, & cum Spiritu sancto est inconvertibilis & immutabilis Trinitas, cum humana carne rediit; per hujus mundi climata, ab ortu scilicet solis, usque ad occasum, apostolorum, atque ceterorum fidelium ejus doctorum, quibus verbi sui commisit semina, sonus prædicationis exivit. Qui sequentes pii magistri sui Domini nostri documenta, hoc nobis annuntiaverunt inter cetera, nihil tam sceleſtum homini esse, quam lethaliter quotidie peccare, & peccata eleemosynis non redimere, & de cetero non emendare; fuerintque veritatis testes, & quandiu in præsenti vixerint, fortiter obstiterunt simoniacæ hæreti, obedientes suo salvatori, qui eis præceperat, dicens: *Gratis accepistis, gratis date.* Ex quibus omnibus extitit unus in primitiva ecclesia, beatissimus scilicet Petrus, sicut cunctis patet, qui Simonem magum, a quo hæc nec dicenda hæresis, nomen & actum sumsit, ab Jerusalem usque in maximam Romam variis sermonum & actuum argumentis omnimodis oppugnavit in tantum, ut ab eo oratione ad Dominum fusa, scelestum corpus ejus, quod in aëra magicis artibus volitari videbatur, id solo dejectum, horribili non multo post morte plecteretur. Quæ detestanda hæresis in tantum pullulavit, ut modernis temporibus, proh dolor, vix reperiantur in ecclesiastico ordine constituti, qui non sint hujus nefandi sceleris vinculo colligati. Sed quia diu immorari non possumus in hujusmodi sermonibus, ad id propter quod loqui incepimus, articulum flectamus. Erat in territorio Gabullitano quædam nobilis ecclesia, in honore sancti Martini confessoris constructa, in episcopatu Mimatensi sita, in pago Bearnecensi posita, olim possessionibus & facultatibus, atque maximis miraculis, ibi a Deo perpetratis, decorata: sed nunc instante supra nominata hæresi, a jam defunctis episcopis, ceterisque ejus potestatibus ita (quod extra præceptum Dei est, & sanctorum canonum) in laicorum hominum dominatione videtur esse reducta, ut milites uxorati sint in ea præpositi & decani, atque ecclesiasticarum rerum venditores & donatores, & (ut verius dicam) in tantum oppressores clericorum in ea manentium, ut fructus dudum ecclesiæ suæ concessos, ipsi in suos proprios transferant usus. Ego igitur Eldebertus, sanctæ ecclesiæ Mimatensis gratia Dei episcopus, in cujus episcopatu præfatus locus videtur esse: & ego Berengarius Ricardi vicecomes, cum consilio domni Deusde ejusdem ecclesiæ decani, & in hoc ut fieret multum laborantis, atque domni Astrebaldi præpositi, & filiorum ejus, nec non canonicorum in jam dicta ecclesia, quæ vulgo vocatur Canonica, sanioris consilii habitantium; scilicet Petri de Planiol, Geraldi Laugerii sacri scrinii, Petri de Masel, Geraldi Godafredi, Petri Maiamfredi, Geraldi Botlarii, Raymundi de Murero, Geraldi de Brama-torta; præ- A sertim cum privilegia & auctoritates nullæ de ea ostendi possint, aliquibus dicentibus eam antiquitus monasterium, aliquibus canonicam fore; non aliter cognoscentes illam a captivitate supra dictæ hæresis posse eripi, pro remissione peccatorum nostrorum donamus eam omnipotenti Deo, & cœnobio sanctæ Mariæ, ac sancti Victoris Massiliensis, atque abbati vel abbatibus, seu congregationi in eo jure perpetuo habitantium, cum omni honore quem hodie habet, vel in antea accaptare poterit, sicut mos est nostræ patriæ, ad totos honores. Nam, sicut audivimus, & ex parte didicimus, cœnobium illud, cum tantæ antiquitatis nobilitatis esset, ut quinquaginta millia monachorum inibi habitantium, abbas beatus Cassianus doctor præclarissimus, in eo nunc corpore requiescens, existeret, sicut in libris reperitur quos ipse B composuit, ceterorum monasteriorum in tota Gallia positorum potiores rivuli sapientiæ, & regularis disciplinæ ordo processit, & nunc & omni seculo jam pene lapso, si non sicut antiquitus, tamen in tantum viget, ut de quacumque patria in eo, causa religionis venientes, & actum in eo habitantium cognoscere volentes, accesserint; dicant cum recesserint, hoc potius regulariter degere, quam ceteros mos asseruit totius Galliæ. Quapropter ego quoque Deusde decanus, & ego Astrebaldus præpositus cum filiis meis Geraldo, Guillelmo, similiter cum consilio & voluntate Berengarii vicecomitis, atque episcopi Eldeberti, & canonicorum supradictorum, amore ducti nostri Redemptoris, & beatissimi martyris Victoris, & abbatis, suæque congregationis, pro nostrorum & parentum remissione peccaminum donamus & concedimus sæ- C pe dictam Canonicam cum honore quem hodie habet, vel in futurum accaptaverit, sicut diximus, mos est nostræ terræ ad totos honores, Domino Deo, & monasterio sanctæ Mariæ, sanctique Victoris, & abbati, vel congregationi præfecti & futuræ: tali tenore, ut abbas supradicti monasterii Massiliensis, monachos ibi mittat, qui servitium Dei in eodem loco faciant, & pro nostrorum atque parentum, omniumque christianorum viventium simul & mortuorum ponderepeccaminum intercessores existant, etiam sæpe dictus locus sancti Martini ab hodierno die monasterium sit, & in ditione ac potestate monasterii Massiliensis & abbatis, ac congregationis suæ jure perpetuo maneat, & ad voluntatem & providentiam eorum, quando viderint sibi prodesse, abbas ibi ex monasterio suo ab eis mittatur; ita tamen, ut quem miserint, non sit natus a fluvio qui vocatur Tarnus, usque ad fluvium qui dicitur Ylerius. Nos quoque, Ugo Bonafos, & Rogerius, atque Falcons fratres, hoc donum firmamus, & de nostro in eodem donamus & dabimus, volente Deo, & adjutores erimus in hac terra, totius honoris sancti Victoris, omnibus diebus vitæ nostræ. Si quis igitur hominum cujuscumque personæ, marchio, comes, vicecomes, episcopus, abbas, canonicus, presbyter, monachus, clericus, miles, rusticus, contra hanc chartam donationis nostræ ire, agere, vel inquietare voluerit, vel hoc donum nostrum rumpere aliquo modo, quod absit, studuerit; iram & abominationem Dei omnipotentis & omnium sanctorum ejus incurrat, velle & posse sit maledictus, scabie & prurigine, atque omni pessima passione sui corporis plenus, a societate Dei & sanctorum ejus permaneat extraneus, atque in inferno infe-

Matth. xv. 8.

Digitized by Google

riori cum Juda traditore Chriſti, ceteriſque extraneis, A a Deo ſit damnatus, niſi penitus ad voluntatem abbatis ſancti Victoris, monachorumque ejus ſatisfecerit, deinceps emendaturus. Nos autem ſupradicti donatores, hanc chartam ſcribere mandavimus, & manibus propriis firmavimus, & aliis ut firmarent præcepimus. Domnus Eldebertus Mimatenſis, gratia Dei epiſcopus, voluit & firmavit. Geraldus Mimatenſis canonicus firmavit. Geraldus de Bramatorta canonicus, firm. Ego Berengarius vicecomes firmavi, & propria manu ſubſcripſi. Raymundus frater ejus firm. Sig. Deuſde decanus. Sig. Aſtrebaldo præpoſitus. Sig. Geraldo filio ſuo. Sig. Villelmo fratre ſuo. Sig. Petrus de Planiol canonicus firm. Geraldus ſecretarius canonicus firm. Geraldus Gotafredus canonicus firm. Petrus de Maſel canonicus firm. Petrus Maiamfredi canonicus firm. Geraldus Botlarius canonicus firm. Geraldus de Bonacap canonicus firm. Milites autem firmaverunt. Jorius firm. Nichilforas de Monteferrario firm. Stephanus Motus de Panoſa firm. Fulconis firm. Rothgerius frater ejus firm. Acta eſt charta anno ab incarnatione Domini milleſimo adjuncto etiam ſexageſimo, die menſis Julii IV. S. Fredaldi, in cimiterio, regnante in ſecula ſeculorum Domino Deo, indictione XIII. epacta XV. concurrente VI.

II.

Charta fundationis monaſterii Cyriacenſis ab Aldeberto Mimatenſi epiſcopo.

1062. *Ex mſc. chartul. S. Victoris, fol. 18.*

UNiverſitatis conditor omnipotens Deus, qui per unigenitum & coæternum ſibi verbum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum cuncta creavit ex nihilo, adhuc quoque quotidie per eumdem Deum & Dominum noſtrum operari non ceſſat in mundo, dicente eodem filio: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* Cupidus enim humanæ ſalutis, & mallens vitam quam mortem peccatoris, ſe fugientibus vocem prædicationis mittit, averſos adloquitur, revertentibus non ſolum de erratibus dat veniam, ſed etiam munera largitur. Hæc ejus tantæ pietatis viſcera conſiderantes: ego videlicet Aldebertus immerito ſanctæ Mimatenſis eccleſiæ dictus epiſcopus, Auſtorgus frater meus, ob remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum, utque poſſimus redemtorem & advocatum noſtrum Dominum Jeſum, terribilem venturum judicem, videre placatum; & evadentes ejus miſericordia æternas flammas gehennæ, valeamus illam omni ſuavitate dulciorem audire vocem: *Venite benedicti patris mei, poſſidete præparatum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Ex his quæ ipſe Dominus noſter nobis in hoc ſeculo largitus eſt bonis, partem aliquam offerentes, illi conſtruere cupimus, adjuvante eodem Domino, monaſterium in ipſius Salvatoris mundi nomine, in locum quem dicunt *Cyriacum*; quem locum, excepto hoc quod nos prædicti ibidem jamdudum habueramus, gravi pretio a multis emimus, hoc in voto magnopere habentes, quatenus hoc monaſterium de noſtris propriis, & aliorum fidelium hominum prædiis ditatum, ovile Chriſti ablinc efficiatur, & pro nobis noſtrisque omnibus propinquis, tam vivis quam defunctis, & pro omni eccleſia, Deus exoretur, atque quoadusque ipſe voluerit, a ſuis fidelibus ibi inceſſabiliter laudetur. Et quoniam in ſacra ſcriptura continetur ut qui ſpirituales & firmati dono Dei exiſtunt, incipientes & rudes in omni charitate inſtruant; & hanc excellentem omnes virtutes charitatem, in monaſterio ſancti Victoris martyris Maſſilienſis, & in domno Durando abbate ipſius monaſterii, & in ceteris fratribus inibi habitantibus, per omnia quæcumque voluimus reperimus; recompenſare volentes & ipſi vicem tantæ beneficentiæ ipſorum. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ipſi eodem Domino, & altari ſanctæ Virginis Mariæ, ſanctique Victoris martyris, & altari ſancti Petri apoſtolorum principis, quæ ſunt fundata in ſupradicto monaſterio Maſſilienſi, & domno Durando abbati, & abbatibus ejuſdem loci futuris, & congregationi ipſius monaſterii præſenti & futuræ: ipſum altare, & locum, & monaſterium de Cyriaco, cum omnibus quæ nunc habet, & in antea adquiſierit, ad proprium allodium ut habeant, * & ad ſervitium omnipotentis Dei, & ad bonum & * perfectum ipſius loci, videlicet de Cyriaco, eumdem locum ſecundum regulam ſancti Benedicti diſponant & ordinent omni tempore. Et ſi Deus in diebus noſtris, aut poſtea monaſterium ſuprascriptum Cyriacum, ita creſcere donaverit, ut abbati monaſterii Maſſilienſis & fratribus ipſius loci, in nobis bonum & proficuum videant abbatem mittere in monaſterio Cyriaco dicto: tunc abbas monaſterii Maſſilienſis, ſecundum regulam ſancti Benedicti, in jam dicto monaſterio abbatem mittat. Sig. Aldebertus. Facta charta donationis XVII. cal. April. anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MLXII. Sig. Petrus Airadi. Sig. Guillelmus de Morers. Nos teſtes qui hanc chartam donationis rogati firmavimus, Aldebertus epiſcopus dictus Mimatenſis eccleſiæ. Auſtorgus. Noſque hanc donationem animo volenti, in omnibus modis quibus donari & firmari donanda aliqua res poteſt, ſupra dicto monaſterio ſancti Victoris Maſſilienſis & habitatoribus ejus, ſecundum quod ipſi ad opus ſuum melius requirere & velle poſſunt; ad proprium allodium firmamus, & teſtes firmare rogamus, ea ratione, ut hoc ſit ad bonum & * perfectum jam dicti monaſterii de Cyriaco. Quod ſi nos aut aliquis ex poſteris noſtris, ſive aliquis alius homo utriuſque ſexus, hanc donationem irrumpere voluerimus, aut voluerit, nullo modo hoc ad effectum veniat; ſed omni tempore hæc donatio firma, ſtabilis & inconvulſa permaneat. Frater Dalmatius qui hanc chartam donationis ſcripſit die & anno quo ſupra. Ricardus Guillelmi ſimili modo donavit & firmavit. Aldebertus filius Auſtorgi, & Guillelmus frater ejus. Giraldus & Auſtorgus donaverunt & firmaverunt. Guillelmus filius Ricardi ſimul. Petronilla uxor Auſtorgi ſimul.

Joh. 5. 17.

Matth. 25. 34.

* *Fortaſſe concedimus.* * *Fortaſſe profectum.*

* *Fortaſſe profectum.*

III.

Gabalitani comitatus confirmatio facta Aldeberto III. epiſcopo Mimatenſi a Ludovico VII. Francorum rege.

1165

EGo LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, Aldeberto venerabili Gaballorum epiſcopo, & omnibus ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. Longe eſt a memoria omnium mortalium noſtri temporis, quod aliquis epiſcoporum Gaballorum ad curiam a receſſorum noſtrorum Francorum regum venerit, & eorum ſubditionem noverit, ſive fidelitatem eis fecerit, quamvis tota terra illa difficilius aditu & montuoſa, in poteſtate epiſcoporum ſemper extiterit, non tantum ad faciendum eccleſiaſticam cenſuram, ſed ad judicandum in gladio ſuper illos quos culpa ſua monſtrabat ſic redarguendos. Vir autem illuſtris jam dictus Aldebertus epiſcopus, religioſe cogitans materiales gladii juſtitias ad virgam regni pertinere, noſtram ſerenitatem Pariſius adiit, & ibidem in præſentia totius baroniæ noſtræ cognovit epiſcopatum ſuum de corona regni noſtri eſſe, & ſe nobis ſubdens, nobis & regno, celebriter tacto evangelio ſacro, fidelitatem fecit: quod ſane factum ad nullum detrimentum & ad nullam prorſus privationem hactenus habitæ poteſtatis, in poſterum converti volentes: Notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quod eccleſiæ glorioſi martyris Privati, & epiſcopis omnibus, venerabili amico noſtro Aldeberto canonice ſuccedentibus, totum Gaballorum epiſcopatum cum regalibus ad noſtram coronam pertinentibus, ex integro concedimus, & ut libere & quiete in perpetuum poſſideant, auctoritate regia confirmamus. Ne autem de cetero aliquis ſucceſſorum noſtrorum moleſtiam & violentiam aliquo modo inferre conetur, paci & quieti prædictæ eccleſiæ regia benignitate providentes, ipſam liberam, & ab omni exactione immunem eſſe concedimus. Et ut ſic temporibus cunctis permaneat decernimus, ſubtus inſcripto noſtri nominis caractere confirmantes. Actum publice Pariſiis anno ab incarnatione Domini MCLXI. aſſtantibus in Palatio

palatio noſtro, quorum appoſita ſunt nomina & ſigna. A S. comitis Bleſenſium Theobaldi dapiferi noſtri. S. Guidonis buticularii. Signum Mathæi camerarii. Data per manum Hugonis cancellarii.

IV.

De conſecratione Stephani Mimatenſis epiſcopi.

1223. STEPHANUS Dei gratia Mimatenſis epiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Univerſitatis veſtræ notitiæ volumus declarare, quod nos, de mandato & voluntate domini Simonis Bituricenſis archiepiſcopi, Aquitaniæ primatis, a Carnotenſi, aſſiſtentibus Lingonenſi & Sagienſi epiſcopis, munus conſecrationis ſuſcepimus in civitate Romana, B nolentes quod propter hoc Bituricenſi eccleſiæ aliquod præjudicium generetur.

Littera Carnotenſis epiſcopi de conſecratione Stephani Mimatenſis epiſcopi.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis G. permiſſione divina Carnotenſis eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem in ſalutari, in ſalutis auctore.

Univerſitati veſtræ notum facimus nos in Romana curia conſtitutos, ad preces venerabilis fratris noſtri Simonis Bituricenſis archiepiſcopi, cum idem tunc in Romana curia conſtitutus pallium non haberet, conſecraſſe venerabilem virum S. Mimatenſem electum, aſſiſtentibus nobis in conſecratione ejuſdem venerabilibus C partibus Hug. Lingonienſi, & Sagienſi epiſcopis. Ipſe autem poſtquam fuit in epiſcopum conſecratus a nobis, confeſſus eſt in noſtra præſentia, præſentibus multis & audientibus, ſe dominum Bituricenſem ſuffraganeum, & eccleſiam Mimatenſem ipſi Bituricenſi archiepiſcopo, ſicut ſuo metropolitano ſubjectam. Domino vero Bituricenſi archiepiſcopo dicente, Bituricenſem eccleſiam hanc conſuetudinem in Mimatenſi eccleſia obtinere; quod capitulum eccleſiæ Mimatenſis non poterat, nec debebat ad electionem epiſcopi procedere, niſi denunciata eidem ceſſione epiſcopi, vel deceſſu, & petita ab archiepiſcopo licentia eligendi. Idem epiſcopus dixit, quod aſſumtus non fuerat de gremio eccleſiæ Mimatenſis; verumtamen credebat verbis archiepiſcopi, & Bituricenſem eccleſiam in Mimatenſi eccleſia præ- D dictam conſuetudinem obtinere. Ego ſiquidem Hug. Lingonenſis epiſcopus, ad preces domini Bituricenſis archiepiſcopi, conſecrationi prænominati Mimatenſis electi interfui, & aſſiti domino Carnotenſi eumdem conſecranti, & audivi ipſum Mimatenſem epiſcopum confitentem & dicentem ſe ſuffraganeum eſſe archiepiſcopi & eccleſiæ Bituricenſis, & eccleſiam Mimatenſem ipſi Bituricenſi archiepiſcopo ſuo metropolitano ſubjectam, & credebat quod capitulum Mimatenſe non poterat, nec debebat ad electionem epiſcopi procedere, niſi denunciata archiepiſcopo Bituricenſi primitus ceſſione, & petita ab eo licentia eligendi, cum archiepiſcopus hanc conſuetudinem in Mimatenſi eccleſia ſe & Bituricenſem eccleſiam diceret obtinere. Ego ſiquidem Sagienſis eccleſiæ miniſter humilis, ad preces domini E Simonis Bituricenſis archiepiſcopi, conſecrationi prædicti Mimatenſis electi interfui, domino Carnotenſi eumdem conſecranti aſſiſtens. In hujus itaque rei teſtimonium præſentibus litteris ſigilla noſtra duximus apponenda. Actum anno MCCXXIII.

V.

Rex Arragonum profitetur clientelam pro caſtro de Gredona.

1225. JACOBUS Dei gratia rex Arragonum, comes Barcinonenſis, & dominus Montiſpeſſulani, venerabili patri S. per eamdem Mimatenſi epiſcopo, & honeſto capitulo ejuſdem ſedis, ſalutem & dilectum affectum. Per dilec-

tiſſimum noſtrum fratrem E. de Corniilio, venerabilem magiſtrum hoſpitalis Maragonenſis, & per Hugonem Carboni dilectum militem noſtrum, ad noſtram noveritis notitiam perveniſſe, quod nos caſtrum de Gredano cum univerſa terra de Gevandano, tenere debemus, & habere per vos & eccleſiam Mimatenſem; unde habito conſilio a prædicto magiſtro, dictam terram univerſam de Gevandano vobis reddimus, & reddi faciemus ad recognoſcendum dominium veſtræ eccleſiæ Mimatenſis. Ideirco vos attentius deprecamur, quatenus circa dictam terram defendendam & conſtituendam, taliter vos habere ſtudeatis, quod a vobis in hoc veſtrum debitum compleatur, & nos vobis teneamur merito ad grates inde rependere. Datum Derenciæ octavo idus Octobris, anno Domini MCCXXV.

VI.

Simonis archiepiſcopi Bituricenſis, ad capitulum Mimatenſe, de electione epiſcopi Mimatenſis.

SIMON Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, viris venerabilibus, & diſcretis dilectis filiis ſuis capitulo eccleſiæ Mimatenſis, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. 1225.

Cum veſtra Mimatenſis eccleſia per longum tempus exiterit paſtoris ſolatio deſtituta, miramur quamplurimum ſuper eo, quod ſi paſtorem aliquem elegiſtis, nos certos reddere non curaſtis, & nobis metropolitano veſtro, electum veſtrum minime præſentaſtis; ſi vero non elegiſtis, cur tanto tempore diſtuliſtis? Hinc eſt quod cum de damno irreparabili eccleſiæ veſtræ, ſi pro defectu paſtoris remaneat vidua, non immerito timeamus, dubitemus inſuper an per lapſum temporis ad nos fuerit devoluta proviſio, juxta canonicas ſanctiones. Ad vos tranſmittimus præſentium portitorem, vobis in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter injungentes, quatenus veritatem negotii & facti ſeriem in veſtris patentibus litteris nobis curetis adeo certitudinaliter ſcribere, quod poſſimus in eis inſtrui, & ſic jura veſtra & veſtræ Mimatenſis eccleſiæ illæſa ſervare, quod jura noſtra & noſtræ Bituricenſis eccleſiæ remaneant illibata. In præmiſſis adeo vos habentes,* ne ob defectum veſtrum invadat gregem dominicum lupus rapax, & ne veſtra eccleſia læſionem aliquam in ſpiritualibus & temporalibus patiatur. Datum die Martis poſt quindenam paſchæ, anno Domini MCCLXXXV. * f. Mendax.

Reſponſio ad præditam epiſtolam.

VEnerabili ac reverendo patri in Chriſto, ac domino domino Simoni, divina providentia Bituricenſi archiepiſcopo, Aquitaniæ primati, ſui devoti capitulum Mimatenſe, reverentiam & obedientiam cum ſalute. 1225.

Paternitatis veſtræ litteras nos cum reverentia recepiſſe noveritis; inter cetera continentes, vos quamplurimum admirari ſuper eo, quod ſi paſtorem elegimus, vos non curavimus reddere certiorem, injungentes nobis, ut veritatem negotii & facti ſeriem, noſtris parentibus litteris vobis certitudinaliter ſcribere curaremus. Super quo paternitati veſtræ regratiamur quamplurimum, quia adeo curialiter nobis ſcribere voluiſtis, ex quo evidenter perpendimus ad utilitatem & honorem noſtræ eccleſiæ vos zelare, reſcribentes paternitati veſtræ nos elegiſſe unanimiter & concorditer, rite & canonice, virum venerabilem & diſcretum, dominum Guillelmum Duranti, decanum eccleſiæ Carnotenſis, in epiſcopum & paſtorem noſtræ eccleſiæ Mimatenſis; electionis tamen decretum nondum eidem præſentavimus, propter ejus abſentiam, quia eſt abſens in partibus Romaniæ; & in proximo noſtrum debemus capitulum convocare, & ſolemnes nuncios eidem mittere, pro præſentando eidem electionis memoratæ decretum*, quam cito commode poterimus, & conſenſu ipſius habito, tam electionem quam ipſius electi perſonam, vobis tanquam metropolitano noſtro præſentabimus confirmandam, prout ratio * decreto.

ſuadebit. Datum Mimati die Mercurii in feſto beati Marci, anno Domini MCCLXXXV. Et quia duo de canonicis noſtris, qui claves arcæ, in qua majus ſigillum noſtrum cuſtoditur, erant abſentes, cum ſigillo noſtro ad cauſas, & ſigillo officialis Mimatenſis, præſentes litteras fecimus ſigillari.

VII.

De confirmatione Guillelmi Duranti, epiſcopi Mimatenſis.

HONORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo Bituricenſi S. & A. B.

Ad cumulum tuæ cedit ſalutis & famæ, ſi perſonas eccleſiaſticas, præſertim pontificali præditus dignitate, divinæ propitiationis intuitu, opportuni præſidii, ac favoris gratia proſequaris. Sane dudum, ſicut accepimus, Mimatenſi eccleſia per bonæ memoriæ obitum Stephani epiſcopi Mimatenſis, paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii capitulum ejuſdem eccleſiæ, poſtquam dilectus filius Guillelmus de Narbona, archidiaconus Redenenſis, in eccleſia Narbonenſi electioni per eoſdem capitulum celebratæ de ipſo, in ipſo in dicta eccleſia Mimatenſi expreſſe renuerat conſentire, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt & potuerunt commode intereſſe, die ad eligendum præfixa, ut moris eſt, convenientes in unum, ſpiritus ſancti gratia invocata, & deliberantes in electionem futuri pontificis, per viam procedere compromiſſi; quatuor ex eis videlicet, dilectis filiis R. Ægerii Anicienſis, & Gaucelino de Garda, Brivatenſis eccleſiarum decanis, A. de Petra, præcentori, & G. Gruni, ſacriſtæ eccleſiæ Vivarienſis, canonicis ejuſdem eccleſiæ Mimatenſis, providendi ea vice ipſi Mimatenſi eccleſiæ de prælato poteſtatem liberam unanimiter conceſſerunt; promittentes quod illum in eorum epiſcopum reciperent & paſtorem, quem ipſi quatuor vel unus eorum de reliquorum collegarum ſuorum aſſenſu, de gremio ejuſdem eccleſiæ Mimatenſis, vel etiam aliunde ducerent eligendum. Dicti autem quatuor ſecedentes in partem, poſt diligentem quem ſuper hoc ad invicem habuere tractatum, in dilectum filium Guillelmum Duranti electum Mimatenſem, cui ætatis maturitas, gravitas morum, & litterarum ſcientia ſuffragari dicuntur, ſuos oculos direxerunt. Et demum præfatus decanus Brivatenſis, vice ſua & dictorum collegarum ſuorum, ac de ipſorum conſenſu, eumdem Guillelmum auctoritate conceſſionis hujuſmodi, elegit in Mimatenſem epiſcopum & paſtorem. Præfati quoque capitulum electionem hujuſmodi acceptantes, deliberatione habita, ut conſenſu veſtro primitus requiſito, decretum electionis ejuſdem venerabili fratri noſtro Bituricenſi archiepiſcopo, loci metropolitano facerent præſentari, & humiliter peti ab ipſo, ut eamdem electionem auctoritate metropolitana confirmaret, deſtinantes decretum præfatæ electionis per eorum certos procuratores & nuncios, eidem Guillelmo circa executionem officii rectoriæ commiſſi, ſibi ab apoſtolica ſede in Romaniola & Maſſa Trabaria, noſtris & ejuſdem ſedis obſequiis inſiſtenti, ab eo cum inſtantia petierunt, ut electioni prædictæ celebratæ de ipſo, ſuum præberet aſſenſum. Idem vero Guillelmus, ne ſi abſque noſtra conſcientia petitioni dictorum capituli annuiſſet in hac parte, per hoc a prædictorum obſequiorum proſecutione, forte non ſine ambitionis nota, ſe velle ſubducere videretur, quid ſuper hoc ſibi eſſet agendum a nobis cum reverentia poſtulavit, & tandem eidem electioni de ſe factæ, recepto apoſtolico reſponſo, conſenſit. Et cum non poſſet abſque damnoſa ipſorum obſequiorum intermiſſione, ad prædicti archiepiſcopi præſentiam perſonaliter ſe conferre, pro confirmationis munere obtinendo: nos volentes ſuper hoc paterna ſollicitudine providere, venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Ravennati, noſtris ſub certa forma dedimus litteris in mandatis, per quas ſeu proceſſum eorum auctoritate habendum decrevimus, nullum Bituricenſi eccleſiæ in poſterum præjudicium generari, ut tam proceſſum electionis prædictæ, quam ejuſdem Guillelmi perſonam, auctoritate diligenter examinare curaret; & ſi electionem ipſam inveniret de perſona idonea canonice celebratam, illam auctoritate eadem confirmaret, alioquin ea rite caſſata, mandaret capitulo memorato, ut ipſi Mimatenſi eccleſiæ de perſona idonea per viam canonicam providerent, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Sane dictus archiepiſcopus Ravennas, præfato proceſſu ejuſdem electionis, & perſona ipſius Guillelmi examinatis, juxta formam per prædictas litteras ſibi traditam, diligenter electionem ipſam, quia eam invenit celebratam canonice de perſona idonea, confirmavit, prout in patentibus litteris inde confectis, dicti epiſcopi Ravennatis ſigillo ſignatis, plenius dicitur contineri. Nos itaque quod ab eodem archiepiſcopo Ravennati taliter factum eſt, in hac parte ratum & gratum habentes, illud per noſtras litteras prædicto electo directas duximus confirmandum. Cum igitur, ut idem electus in commiſſa ſibi eccleſiæ prædictæ jura facilius proficere valeat, tuus favor ſibi eſſe noſcatur plurimum opportunus, fraternitatem tuam rogamus, & hortamur attente, tibi per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eumdem electum, & commiſſam ſibi eccleſiam habens pro noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia commendatos, in ampliandis & conſervandis juribus ſuis, ſic eum tui favoris præſidio proſequaris, quod ipſe per tuæ auxilium gratiæ, in commiſſo ſibi eccleſiæ prædictæ regimine, ſe poſſit utilius exercere; tuque divinam miſericordiam & ejuſdem ſedis benevolentiam provide valeas uberius promereri. Datum Romæ apud ſanctam Sabinam II. nonas Februarii pontificatus noſtri anno I.

VIII.

Littera Bonifacii Papæ.

BONIFACIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Guillelmo, electo Mimatenſi. In deſideriis noſtris avide gerimus univerſas eccleſias, quibus auctore Domino præeſſe dignoſcimur, in ſtatum dirigere proſperum, & in eo continue conſervare. Et licet circa ſingularum commoda ſolicite vigilemus, de illarum tamen ſtatu, fortius & ſolicitius cogitare nos convenit, quæ ſolatio deſtitutæ paſtoris, incommoda viduitatis deplorant, ut tales illis præficiamus rectores, per quos ſpiritualiter & temporaliter optatæ conſolationis remedia, favente Domino conſequantur. Nuper ſiquidem eccleſia Mimatenſis per obitum bonæ memoriæ G. epiſcopi Mimatenſis, qui apud ſedem apoſtolicam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta; nos de ipſius proviſione ſolicite cogitantes, ac intendentes ei de tali providere paſtore, per quem ſalubriter regi poſſit, & utiliter gubernari: ad te ipſius eccleſiæ archidiaconum, quem ejuſdem epiſcopi prædeceſſoris tui, cujus nepos fuiſti, conſideratione, benevolentia gratioſa proſequimur, convertimus noſtræ conſiderationis intuitum, ad quod tam grata & accepta obſequia per eumdem epiſcopum eccleſiæ Romanæ impenſa, & gratioſi fructus qui eidem eccleſiæ Mimatenſi ex ipſius provenerint opibus, quam laudabilis tuæ probitatis merita, quibus te fide dignorum teſtimoniis pollere didicimus, nos ſpecialiter induxerunt. Hoc igitur provida deliberatione penſantes, conſiderantes, quod ranquam vir providus, litterarum ſcientia præditus, morum honeſtate decorus, & aliis circumamictus donis virtutum, præfati Guillelmi epiſcopi inhærens veſtigiis, eccleſiam ipſam feliciter gubernabis, te ipſi eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, in epiſcopum præficimus & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ſupplentes de eadem plenitudine defectum, quem in ordinibus patereris, & etiam, ut aſſeritur in ætate. Jugum itaque Domini, &c. Datum Romæ apud S. Petrum XVI. cal. Januarii anno II.

IX.

Littera Bernardi de Chevenon, episcopi Belvacensis, ubi agitur de Johanne de Corbie, Mimatensi episcopo.

1416. Ex tabul. D. Normanni remens. Belvacensis.

A Tous ceux qui ces presentes lettres verront & orront : Bernard par la grace de Dieu evesque & comte de Beauvais, vidume de Gerberroy, per de France, salut. Sachent tous, que nous confessons avoir eus & reçu de reverend pere en Dieu, Monseigneur l'evesque de Mande, comte de Givauldin, frere & heritier de Messire Arnault de Corbie, chevalier, seigneur d'Anneil & de Lihus, par certain accord & composition faits, pour le droit des reliefs, des terres & possessions que B fouloit tenir de nous ledit chevalier, lequel nous disons estre allé de vie à trepas, en la bataille faite en Picardie contre les Anglois, dès le mois d'Octobre MCCCC & XV. la somme de mille ecus en or ; & avec ce demeure en nostre main & à nostre prouffit, la somme de cinquante-neuf livres dix sols six deniers parisis, que les gens dudit chevalier demandoint, à cause de rente, pour le terme de Pasques derrain passé, sur la revenuë du fief, qui fut feu Messire Boort Quieret, situé à Beauvais, lequel est de present en nostre main, per deffaut d'homme : desquels mille ecus en or, & choses dessus dites, nous nous tenons pour bien contents, & en quittons à toujours mais ledit evesque de Mande, ses successeurs & ayans cause, & tous autres à qui quittance en appert. Et pource que ledit evesque maintient fondit frere estre vif, & C prisonnier des Anglois, prins en ladite bataille : nous avons accordez & accordons par ces presentes, en cas que fondit frere retourneroit par deça, que nous fussions certainement informez de sa vie, & suffisanment, de restituer & rendre audit evesque de Mande, ou à son certain commandement, ses successeurs ou ayans cause, ladite somme de mille ecus en or. Et aussi voulons & accordons que ledit chevalier, ou son procureur pour luy, en cas qu'il seroit vif, comme dit est, puisse demander & pourchasser ladite somme de LIX. livres X. sols VI. deniers parisis, pour ledit terme de Pasques derrain passé, dont dessus est faite mention, comme il eust fait & pu faire, au devant de ladite composition ; & cesseront tous procez & debats meus & encommenciez en la cour de parlement & ailleurs ; tant en cas d'appel, com- D me autrement, & ce qui s'en est ensuy ; & aussi pour raison d'une autre appellation pendante en ladite cour de parlement, faite par ledit chevalier, ou son procureur, touchant la reparation des etaulxs à poisson, qu'il a dans la ville de Beauvais, sauf audit evesque & à fondit frere, que ils, ou l'un deux, ou leurs ayans cause, sont & seront reçus à opposition & oyance que ils voudroint dire en jugement, en la cause dont est meuë, & interjettée ladite appellation. Et nous mettra ledit evesque de Mande hors de cour, à ses despens ; par ainsi que nous ne pourrons autre chose demander des mises & despens sur ce faits de nostre costé, ny aucunes amendes : & moyennant ces choses, nous avons levez & levons nostre main qui mise avoit esté, & estoit par defaut d homme ; ausdits fiefs, terres & possessions dudit chevalier, tenans de nous, & les avons tous mis & mettons à pleine delivrance, au prouffit dudit evesque de Mande, avec toutes les levées & fruicts echeus en icelle terre & fiefs, durant le temps de la main mise, sauf le droit de chambellage non compris en ce que dit, & tenons à souffrance ledit evesque de Mande, des hommages d'iceulxs fiefs, jusques à la feste S. Remy prochain venant : & promettons de bonne foy tenir & accomplir entierement lesdites choses dessus dites, & chacune d'icelles, sur l'obligation de tous nos biens, & temporel, present & advenir. En temoins de ce, nous avons fait seeller ces presentes lettres de nostre seel, qui furent faites & données le XXII. jour de Mars, l'an de grace MCCCC. & XVI.

X.

Littera Guidonis de Panusia Mimatensis episcopi.

1460. Ex archivis Cantoriæ-fis monasterii, ut olim e cl. fis. Symphoriana subjacebat præsumpta unione Cantoriæ abbatiæ Casæ-dei monasterio.

GUIDO Dei gracia episcopus Mimatensis & comes Guaballi, dilecto nobis in Christo Durando, cerlerii clerico, salutem in Christo eternam. Taliter conferimus beneficia his quos morum honestas, scientia, & alia virtutum merita laudabilia commendant. Cum itaque cura rectoria, sive vicaria perpetua ecclesiæ parochialis sancti Simphoriani nostræ diœcesis Mimatensis, cujus præsentatio ad reverendum in Christo patrem dominum abbatem monasterii Casæ Dei, ordinis sancti Benedicti Claromontensis diocesis, institutio vero, sive quævis alia dispositio ad nos & ecclesiam nostram pertinent, & spectant; vaccet ad præsens de jure & de facto, per obitum quondam dilecti nostri privati Chalderonii presbiteri, ultimi illius ecclesiæ curati, rectoris & possessoris. Hinc igitur est quod nos prædictam vicariam, sive rectoriam perpetuam, dictæ parrochialis ecclesiæ sancti Simphoriani, sic modo præmisso vaccantem, ad præsentationem reverendi in Christo patris domini Hugonis abbatis monasterii Casæ Dei moderni, qui te nobis presentavit suis litteris scriptis & signatis per Laurentium Bartholomeum notarium, sub anno Domini millesimo CCCCLX. & die XXV. mensis Decembris, & sigillo suo sigillatis, tuorum prædictorum meritorum intuhitu ; tibi conferimus, teque instituimus & investimus per traditionem nostri aurey anuly, tuis manibus coram nobis presentialiter impositis, ac de illa cum juribus & pertinensiis universis providemus, curamque animarum dictæ ecclesiæ, & administrationem sacramentorum, in eadem tibi committimus, conscientiam nostram exhonerantes, tuam vero honerantes in premissis omnibu, jure nostro salvo, & quolibet alieno. Tu enim nobis juraști ad sancta Dei evangelia a te corporaliter tacta, quod dictæ ecclesiæ parrochiali S. Simphoriani laudabiliter deservies in divinis, seu deservire facies per habentes potestatem a nobis; sacramenta in eadem administrabis, jura illius posse thenus conservabis ; & alienata si quæ sint, tuo posse recuperabis. Ad sanctas venies synodos ; hospitalitatem debitam & consuetam ibidem tenebis, nobisque & nostris successoribus canonice intrantibus, & ecclesiæ nostræ Mimatensi eris obediens & fidelis ; mandatisque officiariorum nostrorum obedies, & alia prestiristi juramenta circa talia prestari solita. Verum ut hec presens nostra collatio, institutio & provisio, suum debitum assequatur effectum ; curato de Crosancer, ceterisque aliis curatis, presbiteris & non curatis, sive tabellionibus, subjectis nostris per nostram diocesim Mimatensem ubilibet constitutis, comitendo mandamus, quathenus te, vel procuratorem tuum, tuo nomine & parte in realem & corporalem possessionem dictæ ecclesiæ, sive vicariæ perpetuæ, juriumque, & pertinantiarum illius inducant & immitant, inductumque & immissum, thueantur & defendant authoritate nostra ; faciantque de illius fructibus integralibus responderi, amoto ex hinc quolibet illicito detentore, quem nos per presentes amotum esse censemus. Contradictores, si qui sint, per censuram ecclesiasticam auctoritate predicta, compescendo, in quorum fidem & testimonium, presentes litteras per infra scriptum secretarium nostrum scribi & sigilli nostri rotundi parvi jussimus appensione communiri. Testibus presentibus dilectis nostris domino Guillelmo Sabbaterii canonico ecclesiæ nostræ cathedralis Mimatensis, & Guillelmo Malitrusi in legibus licentiato, priore de Bissonibus. Actum & datum in castro nostro de Chanaco, in camera nostra episcopali, die 27. mensis Decembris, anno Domini MCCCCLX.

De prefati domini nostri Mimatensis episcopi & comitis Gabalitani mandato, Bonniller.

Ex hoc instrumento, cujus orthographia fideliter servata est, patet Guidonem de Panusia ad Castrensem episcopatum non transisse ante annum 1460. & vero simile est Raynaldum de Chartres non administrasse ecclesiam Mimatensem 12. *Maii* 1444. *ut aiunt San-marthani in episcopis Mimatensibus: cum ex iisdem San-marthanis Raynaldus obierit* 4. *Aprilis ejusdem anni. Videsis archiepiscopos Remenses.*

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM CADURCENSEM PERTINENTIA.

I.

Excerptum ex vita ſancti Allogioſi Caturcenſis Epiſcopi.

Ex manuſc. Vellavico, monaſterii ord. Ciſt. in diœc. Nemauſenſi.

SAnctus Allogioſus cum eſſet pontifex in civitate quæ dicitur Caturcis, omnibus diebus & noctibus, vigiliis & orationibus erat intentus. Non enim in divitiis, A nec in theſauris eccleſiæ confidebat, ſed in miſericordia Domini plenus gratia Dei; non diligebat ſeculum, nec facultates; & res proprias eccleſiæ quas habebat pauperibus erogabat, nudos veſtiebat, eſurientes ſatiabat, captivos redimebat, theſaurum ſibi in cælo præparabat. Dicebant autem omnes ſenatores in civitate verba iniqua contra eum: *Unde is venit contrarius noſter deſtruere theſaurum eccleſiæ? Quid faciemus contra eum?* Cum vidiſſet vir Dei Allogioſus homines illos contra ſe, converſus ad orationem recluſit ſe in cubiculum ſuum, quod eſt juxta eccleſiam; ſtetit ibi multos dies, & multas virtutes cœpit ibi facere. Veniebant ad eum multi languidi, & ſanabat eos; cæci viſum recipiebant; ſurdi audiebant; muti loquebantur; dæmoniosi mundabantur; infirmis membra curabat; animum ad Dominum ſemper habebat. (Deinde tentatus a conjuge ſua, eam oratione ſuperavit & convertit.) Interea veniebant ad eum ſenatores & populi multitudo, admirantes virtutem quam fecerat. Dicebant enim: *vere Deus eſt cum eo. Væ nobis peccatoribus qui contradicimus operæ ejus.* Poſt multos vero dies exiit ſanctus Allogioſus de cellula nocte, nullo ſciente, niſi uno ex diſcipulis ſuis, quem habebat fidelem, qui erat archidiaconus, ſub theſauro eccleſiæ, & vocabatur Agrippinus. Dixit ergo ei ſanctus Allogioſus: *Noli dicere quo vado, fili.* Dixit illi diſcipulus: *Domine, quid vis?* Dixit ei Allogioſus: *Fili, ſcio quia multiplicata ſunt peccata mea in me; unde vado ut intercludam me in caverna caſtri in hunc pontem qui eſt ſuper fluvium Olta, & præcingam me ferrea catbena, ut requiem habeam paratam.* Diſcipulus dixit quoque C ad eum: *Pater meus, de lumine quid eris facturus in nocte.* Et dixit ei venerabilis Allogioſus: *Fili in nocte & in die Deus erit lumen.* Similiter interrogavit eum: *Domine, qualis erit cibus tuus tibi miniſtrandus.* Ille autem dixit ei: *Fili, uſque in hodiernum diem poſt ſolis occaſum cibum ſumebam, modo vero ad tertium diem exhibe mihi ſicut oblatam & aqua quantitatem quam Deus præcepit.* Sic itaque Allogioſus vigilans & orans ſtetit ibi annos tres. Igitur ſenatores & omnis populus civitatis clamabant & dicebant: *Væ nobis, ubi eſt pontifex noſter & paſtor Allogioſus? Væ nobis iniquis, propter nequitiam noſtram egreſſus eſt de hac civitate, & ivit ubi neſcimus.* Poſt eumdem miſerunt alium epiſcopum in locum ſuum, quia eum non ſperabant ultra videre. Anno vero tertio, di- D vinitus derectus eſt & epiſcopus ille qui poſitus erat in loco ejus proſtravit ſe ad pedes ejus, dicens: *Domine & paſtor bone, in loco tuo poſitus, quid vis? peccavi tibi, quia tu es ſervus Dei.* Sanctus Allogioſus dixit: *Vos eſtis ſervi Dei & patres, & ego peccavi Domino.* Epiſcopus autem dicebat: *Domine, reſide in loco tuo, & ego exeam hinc.* Dixit ei ſanctus Allogioſus: *Tibi dico, frater, tu ſede ubi poſitus es, & ego vadam Romam, in nomine Domini. Si jubet Dominus meus, redeo huc; ſi autem non, tu poſſide omnia ubi poſitus es.* Poſt hæc progrediens, dixit: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi, & ſemitas tuas doce me.* Populus autem qui ſequebatur eum, lacrymatus eſt vehementer, & deduxerunt eum cum laudibus, & dixerunt: *Domine, cognovimus, quia ſanctus & potens apud te; requieſcas in pace bona ubi volueris.* Diſcipulus autem fidelis Agrippinus qui docuit omnia quæ fecerat, ut ſcripta eſſent, ſecutus eſt eum uſque ubi ambulabat. Epiſcopus vero qui conſtitutus fuit in loco ejus, & reliqui ſenatores, & omnis plebs terræ, reverſi ſunt in civitatem in pace.

Explicit vita ſancti Allogioſi epiſcopi & confeſſoris.

II.

Quædam excerpta ex cartulario eccleſiæ Caturcenſis.

GDei gratia Caturcenſis epiſcopus, cupiens in omnibus pauperrati eccleſiæ Chriſti ſubvenire, cujus facultates tam interiores quam exteriores antiqui poſſeſſores prave vivendo conſumſerant, ut vix ſedes epiſcopalis a tranſeuntibus eſſe crederetur, conceſſit quæcumque potuit, vel ex propriis, vel ex eccleſiaſticarum reſtitutione dignitatum, quas Deo auxiliante a laicarum, ac ſecularium poſſeſſione perſonarum, ſummo ſtudio revocavit, uſibus fratrum canonicam vitam regulariter, voce & converſatione profeſſorum; quos divinæ præſidio pietatis, conſilio & auctoritate domini Hugonis venerabilis Cluniacenſis abbatis, & domini Hugonis B Lugdunenſis, & domini Amari Burdegalenſis archiepiſcoporum, apoſtolicæ ſedis legatorum; conſilio quoque & auctoritate domini Ricardi Bituricenſis archiepiſcopi, & omnium ſuffraganeorum, tam epiſcoporum quam abbatum, necnon cum conſenſu Willelmi comitis Toloſani, & omnium principum nobiliumque epiſcopatus Caturcenſis, ibidem, & in Caturcenſi eccleſia communiter victuros eſſe inſtituit. Unde & alterum fecit teſtamentum Romani privilegii auctoritate corroboratum, voto & petitione civium utriuſque ſexus, & conſilio prædictorum patrum, inſtituit quamdam confraternitatem victui canonicorum proventuram, &c.

GEraldus Caturcenſis epiſcopus, in inſtrumento Willelmi electi in præpoſitum, menſe Julio hebdomada C III. feria V. anno dominicæ incarnationis MCIII. indictione XI. 1103.

GCaturcenſis epiſcopus, controverſiam quæ erat inter ipſum & canonicos ſuæ ſedis, ſub præſentia Petri venerabilis confratris ſui Lemovicenſis epiſcopi, conduxit ad pacem, confirmantibus & conlaudantibus P. Lemovicenſi epiſcopo, P. G. Vinciensi epiſcopo, Arvernenſi Vicario domino P. Aureliacenſi abbate, domino G. ſedis Caturcenſis præpoſito; conlaudante & confirmante in ipſo capitulo una cum omnibus ſibi ſubditis canonicis. *Sine temporis nota.*

GSarlatenſis abbas, & Petrus Pontii eorius monaſ- D terii procurator, conſilio ceterorum fratrum, eccleſiam ſancti Agapiti de Patriniaco, concedunt ſanctæ matri eccleſiæ Caturcenſi, in manu domini Gauzberti Caturcenſis præpoſiti, & Segulni, ac Willelmi archidiaconorum, tempore Geraldi nobiliſſimi epiſcopi.

WIllelmus epiſcopus Caturcenſis, in donatione Iſarni de Luzegio tempore Innocentii Papæ, regnante Lodovico rege Francorum, menſe Novembri.

Forma electionis Caturcenſis epiſcopi.

PRiſca modernaque eccleſiarum moderamina cheloquelariis ſanxere canonibus, quo arripientibus viam univerſæ terræ quarumlibet ſedium præſulibus per vicinioremepiſcopum, aut per quemlibet alium epiſcopum, 1130.

cui archipræſul injunxerit, extincti fratris tumulatorem, orbatæque ſedis viſitatorem atque conſolatorem, ſine cujus conſcientia ſacri prohibent canones, conſiteri aut confici de ſubrogatione epiſcopi, perficiatur eccleſiaſticarum inventarium rerum . . . . . .

. . . . . .

Quapropter vir inclytus Dagobertus primæ ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ ſedis archimandrita, agnoſcens obitum bonæ memoriæ Froterii epiſcopi ſanctæ ſedis Caturcenſis eccleſiæ, cujus memoria æthereo deſcribatur in albo; uti ſacra canonum auctoritas jubet, in ipſius loco jubeo, & abſolutionem facio ad coepiſcopos noſtros eligere & benedicere Gauſbertum ſacerdotem, vitum nobilem, orthodoxum, non ſenodoxum, frugalem, non gaſtrimargiæ *; humilem, non filargicum; modeſtum, hoſpitalem, karitativum, caſtum, miſericordem, & juxta apoſtolum armis divinis decentiſſime ac plenius adornatum. Nos quoniam quidem humiles Jeſu Chriſti una cum auctoritate vel abſolutione domini archipræſulis noſtri Dagoberti, Rego Arvernenſis, Ingelbinus Albienſis, Froterius Petragoricenſis, cernentes tantam adclamatorum unanimitatem, & acclamanti profectum eccleſiæ utilitatem, una per conceſſum & voluntatem Guillelmi comitis Caturcenſis, matriique ſuæ Acilicinæ, recepimus in noſtro epiſcopali numero, atque collegio proclamatum Gauſbertum, & eum per auctoritatem canonicam benedicendum ordinavimus, & electum epiſcopum in ipſam ſedem ſancti Stephani eccleſiæ Caturcenſis epiſcopum exaltavimus, & in nomine ſanctæ Trinitatis inthronizavimus, & ipſi eccleſiæ paſtorem præfecimus. Acta ſedula hujus indignus a corpore trabeatione Verbi divini, anno DCCCCXC. indict. X.* facta electione iſta nonas Januarii, regnante Karolo rege.

* Sup. addum.

* Al. III. epocha epiſt.

Hanc formulam jam editam tomo VIII. Spicilegii, ubi non indicatur unde ſit depromta, idcirco retudi curavimus in chartario Caturcenſi reportam.

III.

Gauſbertus epiſcopus Caturcenſis dotat de eccleſia ſua bonis cellulam ſanctæ Mariæ.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Gauſbertus ſanctæ eccleſiæ Caturcenſis epiſcopus, notum eſſe volumus, cunctis ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, tam præſentibus quam venturis, necnon ſucceſſoribus noſtris; quod cum fines parochiæ noſtræ paſturali more peragraremus, devenimus ad quemdam vicum Carbanacum nomine, ibique reperimus quamdam cellulam in honore Dei genitricis Mariæ, ubi ſancta Karitas humata quieſcit, non ſub ordine prout decebat venerari. Idcirco tacti divina inſpiratione providimus aliquantulum ex rebus jam dictæ noſtræ eccleſiæ illius inopiam ſublevare. Concedimus itaque conſilio Engelberti abbatis & archidiaconi, qui eamdem cellulam jure beneficiario poſſidet, ceterorumque fidelium noſtrorum, omnes res ad eamdem cellulam pertinentes cum villa Sadeno ſeu omnibus rebus, vineis, pratis, ſilvis, terris, aquis & omnibus adjacentiis ex integro, ut deinceps in ulus clericorum ibidem Domino militantium, & eccleſiæ profectibus perpetuo deſerviant, &c.

Gauſbertus epiſcopus Caturcenſis eccleſiæ, ſubſcripſit. Adacius archiepiſcopus ſubſcripſit & Evrardus levita. Adalardus epiſcopus. Ramulfus diaconus. Aganulfus epiſcopus. Turpio epiſcopus. Adralgarius preſbyter. Petrus levita & archidiaconus. Berengarius epiſcopus. Gauſbertus archidiaconus. Adaqgand levita. Adaraldus archidiaconus. Audemus arch. Adalginus levita & archidiaconus. Stephanus archidiaconus. Aganus levita & archidiac. Ruben preſbyter & archidiaconus. *Sine temporis nota.*

ODolricus eccleſiam ſuam indominicatam quæ eſt conſtructa in honore ſancti Agapiti martyris, & eſt ſita in pago Caturcino in villa quæ dicitur Pairiniac, concedunt Deo & loco ſancti Salvatoris Sarlatenſis monaſterii, in præſentia domni Adazacii abbatis, & monachorum ejus. Facta charta iſta in menſe Junio anno XIX. regnante Lodovico imperatore.

BErnardus Caturcenſis eccleſiæ prior & omnis conventus ejuſdem ſedis donaverunt eccleſiæ de la Pomareida eccleſiam de Fraiſſenet, &c. Hoc factum eſt conſilio W. Caturcenſis epiſcopi, & Petri de Born, & Rothlandi archidiaconorum. Facta eſt charta iſta menſe Martio, feria V. regnante Lodovico rege Francorum.

AMblardus Caturcenſis epiſcopus in inſtrumento Benjamin archidiaconi Caturcenſis, menſe Aprili feria VII. anno VIII. ſub Lodoico rege.

FRoterius epiſcopus menſe Aprili, feria VI. anno I. Ludovico regnante.

Idem Froterius epiſcopus cum cuncta caterva canonicorum, Gauſberto abbate, Feraldo preſbytero, Stephano decano, ceteriſque aliis canonicis conſentientibus; cedit ad opera eccleſiæ de ipſas manſiones epiſcopales ſancti Stephani illa eccleſia de ſancto Petro, quæ vocant centum Ventos. Facta charta iſta in menſe Auguſto, regnante Lotario rege.

RAgambaldus decanus edificavit baſilicam in honore ſancti Petri apoſtolorum principis & ſanctorum, quorum reliquiæ ibi poſitæ ſunt vel condite. Domnus præſul Froterius ad illius loci concedit illa eccleſia que fuit fundata in honore ſancti Simplicii de Borna cum ipſo eccleſiaſtico & cum ipſas decimas, &c. Facta charta iſta in menſe Aprili feria III. anno IV. X. ſub Lodoico rege.

FRoterius epiſcopus, & Feraldus præpoſitus, & Ragambaldus decanus, & alii canonici eccleſiæ Caturcenſis, cedunt Ebboni eccleſiam ſancti Privati. Facta ceſſio iſta in menſe Septemb. ſub die feria IV. anno XIV. ſub Lotario rege.

FRoterius epiſcopus in donatione Geraldi archidiaconi anno XXV. ſub Lotario rege.

Idem Froterius feria II. in menſe Madii, anno XVII. regnante Lotario rege, & Feraldo præpoſito, & Stephano decano, & Aldeberto archiclavo.

IV.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Ego W. Dei gratia Caturcenſis epiſcopus, cupiens tota animi benignitate revocari in perfectam amicitiam cum dilectiſſimis fratribus noſtris ſedis noſtræ canonicis, poſt quaſdam diſceptationes quas aliquanto tempore mutuo habuimus, propter quædam negocia ad jus noſtræ eccleſiæ pertinentia, concedo, & laudo, & confirmo omnia illis perpetuo poſſidenda, quæ prædeceſſores noſtri, Geraldus videlicet, bonæ memoriæ Caturcenſis epiſcopus, qui dictus eſt de Gordonio, contuliſſe dignoſcitur, vel etiam quecumque ſucceſſor, anteceſſor noſter, qui dictus eſt de Cardaliaco illis conceſſiſſe vel augmentaſſe non ignoratur. S. archidiaconatus omnes Caturcenſis diœceſeos & archipreſbyteratus, & ceteras eccleſiaſticas dignitates, vel quecumque alia a ſeculariter viventium, ſive a militarium poteſtate perſonarum, ſtudium, vel prudentia illorum, Domino auxiliante, eripuit; ſicut in privilegio ſuper his ſibi conceſſo, apoſtolica auctoritate contineri cognovimus. Quidquid vero ex archidiaconatu qui ultra Dordoniam conſtitutus, in epiſcopi partem provenire ſolebat, ſecundum conceſſionem prædicti bonæ memoriæ Geraldi de Cardaliaco in indumentis illorum obvenire conſtando, &c. *Sine temporis nota.*

GAuzbertus abbas Moyſiacenſis teſtis preſens conſecrationi eccleſiæ beati Andreæ de Villanova, factæ a G. epiſcopo Caturcenſi. *Sine temporis nota.*

RAymundus Arnaldi de Picacos concedit canonicis A
ſancti Stephani Caturcenſis eccleſiam ſancti Felicis & alia plura bona. Facta eſt conceſſio iſta in Caturcenſi eccleſia in præſentia domini G. epiſcopi, die ſancto purificationis beate Dei genitricis Marie, feria III. ante altare beati protomartyris Stephani, dum miſſa ſolemnis ab eodem epiſcopo celebraretur; preſentibus quoque G. præpoſito & canonicis omnibus ſub teſtimonio quorumdam nobilium & civium plurimorum, ſub Paſchali Papa, regnante Philippo rege Francorum.

W. Caturcenſis epiſcopus menſe Marcio feria V. regnante Lodovico rege Francorum.

BErnardus archipreſbyter de Montepeſato concedit B
eccleſiæ Caturcenſi alodium quod eſt in Genebreda, menſe Mait feria VI. pontificante G. de Cardaliaco, regnante Philippo rege.

STephanus plura dimittit Deo & ſancto Stephano & clericis eccleſiæ Caturcenſis, regnante Bernardo epiſcopo. Donadeus rogitus ſcripſit.

SAcroſancta Dei eccleſia quæ eſt conſtructa in honore ſancti Stephani protomartyris Caturcenſi civitate, vel ceterorum ſanctorum, quorum reliquiæ ibi poſite eſſe videntur, ubi vir inclitus Amblardus donum Dei epiſcopus, ſeu cuncta congregatio canonicorum ibidem aſſiſtentium tam preſentibus, quam & in Dei nomine futuris, qui ibidem aſſiduas orationes fundunt pro ſalute vivorum & requie defunctorum. Ob hoc igitur in Dei nomine, ego Raynaldus cedo ad ipſam prefatam eccleſiam C
pro anima Aboni preſbyteri fratris mei aliquid de rebus proprietatis noſtræ, hoc eſt vineam noſtram, quæ eſt in pago Caturcino, in vicaria ſancti Saturnini, &c. Facta eſt elemoſyna iſta in menſe Novembris, feria VII. anno ſexto regnante Radulfo rege.

Cartularium Cadurcenſis eccleſiæ ex quo hæc ſelegit noſter D. Jacobus Boyer, humaniſſime commodavit. V. C. Arnaldus Foulhiac utriuſque juris anteceſſor in academia Cadurcenſi, qui licet hiſtoriam patriæ ſuæ meditetur; ad quod eximium opus multa deprimere poteſt ex hoc optima nota codice, ea tamen ſine invidia nobis ſuppeditavit.

IV.

Dedicatio eccleſiæ de Vairiaco à Froterio epiſcopo Cadurcenſi.

968. *Ex chartario Tutelenſi.* * *ſ. hæc.*

IN nomine ſanctæ individuæque Trinitatis, *hæc ineſt iſtic conſcriptum, quod ad memoriam futurorum reducatur, qualiter domnus Froterius Caturcenſis urbis venerandus epiſcopus, veniens ad locum nuncupatum Vairiacum, ſuper fluvium Dornoniæ, ſcilicet capellam dedicare, quam venerabilis Bernardus abbas ex cœnobio ſancti Martini, ante hos dies una cum juſſione prefati epiſcopi fieri juſſit, conſecravit, atque dedicavit eam; unde & viſum fuit illi, una cum conſenſu proborum clericorum, ſimulque vulgum promiſcuum, ſeu & cum ipſis pagenſibus, ut decimas de illis villis adjacentibus, quæ prope ſunt in gyro, ibi concedere debet; videlicet ad illuminationem ejuſdem eccleſiæ, quæ in honore Domini, ac beatiſſimi Martini, noſcitur dedicata; ſcilicet..... (*tres aut quatuor linea omiſſa ſunt in chartario.*) Monemus autem ſucceſſores noſtros ut hanc donationem noſtram perennis temporibus, firmam & ſtabilem, inconvulſamque conſervent. Ego Froterius, nutu Dei Caturcenſium præſul. Facta eſt ceſſio iſta in menſe Auguſto, anno ab incarnatione Domini DCCCC LXVIII. indictione XI. die dedicationis ejuſdem eccleſiæ, regnante Lotario rege anno XV.

V.

Donatio facta ab eodem epiſcopo eccleſiæ ſancti Martini Tutelenſis.

SCiant omnes preſentes & futuri, quod domnus Fro- 968.
terius nutu Dei Caturcenſis epiſcopus, dedit Deo & ſancto Martino, & monachis Tutelenſibus & B. abbati, eccleſiam de Rocamador. Facta eſt donatio iſta in menſe Auguſto, anno ab incarnatione Domini DCCCCLXVIII. indictione XI. regnante Lotario rege anno XV.

VI.

Bernardi Cadurcenſis epiſcopi de eccleſia ſancti Saturnini in villa Carenniaco.

TOtius humanæ ſalutis auctor, & de peccatis ſuis digne pœnitentibus clementiſſimus veniæ largitor, contra inevitabilia humanorum exceſſuum vulnera, opponere dignatus eſt ſalubria præpoſitorum ſuorum medicamina, de quibus eſt illud: *Date elemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Et item, *Sicut aqua extinguit ignem, ita elemoſyna extinguit peccatum.* Et, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Quod ego in Dei nomine Bernardus epiſcopus Caturcenſis, & frater meus Rotbertus, cum uxore ſua Matfreda, & filio ſuo Petro, & filia, animo perpendentes, ultimique judicii diem pertimeſcentes; pro remedio animarum noſtrarum, ſeu omnium parentum noſtrorum, atque omnium fidelium chriſtianorum vivorum, vel defunctorum, donamus Deo, & ſancto Petro ad locum Cluniacum, cui præeſt domnus Odilo abba, quamdam noſtri juris eccleſiam, in pago Caturcenſi, in villa Carenniaco ſitam, & in veneratione ſancti Saturnini ab antiquis conſecratam, cum omnibus appenditiis ſuis, terris cultis & incultis, campis, vineis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, totum ad integrum, ſicut ad jam dictam eccleſiam pertinere videtur, excepta ſua illa parte de paxeria, quæ ibi eſt quam ſibi retinuit frater meus Rotbertus. Et ne quis præſentium ſive futurorum calumnietur, dicat quod non poſſumus firmam & ſolidam donationem de hac eccleſia facere, eo quod ſit de jure ſancti Stephani, & eccleſiæ Caturcenſis, cui per Dei gratiam præeſſe videmur. Noverint cuncti tam præſentes quam futuri, quod pro ea D
damus in loco commutationis, aliam eccleſiam de noſtra propria hereditate in eodem pago, in villa Grammato ſitam, tali tenore, ut frater meus jam dictus Robertus, pro deceſſoribus noſtris in beneficio teneat, ſicut jam dictam eccleſiam faciebat. Fecimus autem hanc commutationem in capitulo ſancti Stephani, feria VII. in ſynodo, in præſentia canonicorum, abbatum ſcilicet, archipreſbyterorum, & ceterorum clericorum, atque laicorum nobilium. Et ut hæc donatio noſtra firma permaneat, manibus noſtris propriis firmavimus, & teſtibus præſentibus firmari rogamus. S. Bernardi epiſcopi, & fratris ſui Roberti cum uxore ſua, & filio Petro, & filia. S. Stephani, & Alberti abbatum. S. Arberti archidiaconi. S. Gauſberti, vice archidia- E
coni. S. Geraldi ſacri cuſtodis. S. Willelmi archidiaconi. S. Grimardi. S. Andreæ. S. Conſtantii.

Sequitur alia charta Roberti, ut credo, fratris Bernardi epiſcopi, aliquid eidem loco donantis, quæ ſic incipit.

Dono etiam ego Robertus ſpecialiter ex parte mea, unum boſcum, &c.

Hæc charta data eſt regnante Henrico rege, videturque ad primam donationem reſpicere.

VII.

Pontius comes Toloſanus dat Moiſſiacum Cluniaco.

PONTIUS Dei gratia urbis Toloſæ comes palatinus. 1067.
Quamvis apoſtolica pronuntientur verba, quod non ſit niſi a Deo poteſtas aliqua, tamen de reprobis ſermo

divinus per prophetam indicat, dicens: *Ipsi regnaverunt, sed non ex me; principes extiterunt, sed non cognovi.* . . . . . Idcirco ego Pontius Tolosæ urbis comes, ne in numero male regnantium, arbitro Deo, ac salubri consilio uxoris meæ Adalmodis comitissæ, ac principum mihi subditorum, venerabilium scilicet Bernardi Caturcensis episcopi, necnon Gausberti abbatis nominati, Guillermi quoque, ac Fulconis fratris consulum, decrevi ut abbatia sancti Petri Moissacensis cœnobii, cujus defensionem ego hactenus, & parentes mei, seu predecessores mei comites Tolosæ, de manibus abbatum & monachorum habuimus; deinceps in Dei servitio rectius, diligentiusque custodiatur. Quapropter volo ut cunctis meis successoribus pareat, quod ego prænominatus Pontius abbatiam sancti Petri Moyssacensis cœnobii, præstante Deo, & intercedentibus apud ipsum sanctis apostolis ejus Petro & Paulo, pro salute animæ meæ, unio domno Hugoni abbati Cluniacensi, & cunctis successoribus ejus, in loco Cluniac. futuris, secundum regulam sancti Benedicti ordinandam in perpetuum coram testibus concedo. Si quis autem parentum, vel successorum meorum, aut quicumque hominum post finem meum, sive post decessum Gausberti principis illius, cui * sedem à me in defensione illa nunc esse videtur, & abbas vocatur, hanc meam concessionem dirumpere quocumque modo attemptaverit, quod fieri omnino sub detestatione judicii Dei prohibeo, omnipotentis Dei viventis examinandi, & Papæ Romani, necnon Francorum Regi, ad quorum tuitionem locus præfatus Moyssacensis pertinet distringuendum relinquo. Ego vero hanc inscriptionem concessionis in manu jam dicti abbatis Hugonis, adstante omni conventu ejusdem monasterii, cui præest mea deprecatio, & prænominati Bernardi Caturcensis episcopi, ad cujus diœcesim attinet locus iste *, consecratione Durannus abbas & monachus Cluniac. in die solemnitatis sanctorum apostolorum Petri & Pauli, manu, ore, corde confirmo, atque corroboro. Bernardus Caturcensis episcopus firmavit. Gausbertus abbas firmavit. Adalmodis Comitissa firmavit, &c. Data sub die III. kal. Junii, feria III. anno ab incarnatione Domini M. LXVII.

* Tit. Mercurialis.

* Mendose locus.

VIII.

Bulla Urbani II. qua confirmantur canonici Caturcenses in professione vitæ regularis quam recens professi erant.

1096. Ex originali archivi Caturcensis.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis *Gisberto* priori, ejusque fratribus in Caturcensi ecclesia canonicam vitam professis, & eorum successoribus in eadem religione permansuris in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatinus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utiliter postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur vos, ô filii in Christo carissimi, per divinam gratiam aspirati, mores vestros sub regularis vitæ disciplina coercere, & communiter secundum SS. Patrum institutionem omnipotenti domino deservire proposuistis; nos votis vestris, atque petitionibus, paterna benignitate, impertimur assensum. Vitæ quippe canonicæ ordinem quem professi estis, præsentis privilegii auctoritate firmamus, & ne cui post professionem exhibitam, sine prioris seu congregationis licentia de claustro discedere liceat, interdicimus, & tam vos, quam vestra omnia sedis apostolicæ protectione munimus. Vobis itaque, vestrisque successoribus in eadem religione permansuris, ea omnia perpetuo possidenda sancimus, quæ venerabilis frater noster *Giraldus* Caturcensis episcopus, ad gubernationis vestræ solatia nosci tur contulisse. Ecclesiam scilicet S. Juliani de Bovena, ecclesiam S. Petri de Morrado, redditus villæ quæ dicitur Pardinas, medietatem oblationum ex altari beati Stephani, medietatem census monetæ Caturcensis, qui episcopo competere videtur, tertiam partem paratarum, quæ parochiani solent episcopo comparari, cetera omnia quæ idem episcopus vel jam vobis contulit, vel in futurum ex largiente domino collaturus. Ea etiam quæ olim ad Caturcensium canonicorum usum collata; sed post, eorum negligentiis detrita, & in manus militum, ceterorumque secularium dissipata sunt. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eamdem canonicam temere perturbare, vel ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Illud etiam supra nominati episcopi constitutum præsentis decreti pagina stabilimus; ut præpositura, sive archidiaconatus, & ceteri ecclesiastici honores Caturcensis ecclesiæ vestris, vestrorumque successorum consiliis ordinentur. Si qua vero in futurum ecclesiastica, secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit: secundo, tertiove commonita; si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu Christi, aliena fiat, & in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen Amen Amen. . . . . Joannis S. Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis. X. cal. Sept. indict. III. anno Dom. incarnationis MXCVI. . . . . bani secundi Papæ octavo.

IX.

Gregorii papæ IX. ad archiepiscopum Bituricensem; de electione episcopi Caturcensis.

1237.

GREGORIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Bituricensi S. & A. B. Sua nobis archidiaconus, & capitulum Caturcensis ecclesiæ petitione monstrarunt, quod eadem pastoris destituta solatio, ipsi ad habendum de futuri episcopi electione tractatum, vocatis qui ad hoc fuerant evocandi, convenientes in unum, in tres ex canonici fide dignos contulerunt taliter vota sua, quod illum in suum episcopum reciperent, quem ipsi in præsentia venerabilis fratris nostri archiepiscopi Viennensis apostolicæ sedis legati, nominandum ducerent, vel etiam eligendum. Ipsi quidem hujusmodi potestate susceptra, G. archipresbyterum de Salvaco Caturcensis diocesis, virum utique gratiosum, cujus providentia, & potentia error pravitatis hæreticæ in ipsis partibus plus solito pullulantis, speratur & creditur posse divina suffragante gratia, exstirpari; & eadem ecclesia in temporalibus, & spiritualibus susceptre incrementa, pari voto, & voluntate unanimi elegerunt. Verum dicto archipresbytero electionem hujusmodi acceptare nolente, nec super hoc aliquam causam rationabilem assignante, timentes ne propter hoc eidem ecclesiæ posset illudi, tam electionem hujusmodi, quam electum protectioni sedis apostolicæ supponere curaverunt. Quare sæpe fati archidiaconus, & capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut faceremus eamdem electionem confirmari, & eidem electo munus consecrationis impendi. Volentes igitur tibi qui loci metropolitanus existis, ex hac parte deferre; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus super hoc officii tui debitum exequaris, prout secundum Deum ipsius ecclesiæ utilitati videris expedire. Datum Lateranis, idus Februarii pontificatus nostri anno X.

Digitized by Google

X.

Inſtrumentum Bartholomei Caturcenſis epiſcopi pro abbatia B. Mariæ Deauratæ inſtauranda.

1293. *Ex archivo monaſterii Deauratæ.*

BARTHOLOMEUS Dei gratia Caturcenſis epiſcopus univerſis abbatibus, archidiaconis, archipreſbyteris, prioribus, decanis, capellanis, ſubcapellanis; ceteriſque eccleſiarum rectoribus per civitatem, & dioceſim noſtram Caturcenſem conſtitutis, vel eorum loca tenentibus ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem in Domino. Quoniam, ut ait Apoſtolus, *omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, recepturi prout in corpore geſſimus, ſive bonum fuerit, ſive malum*: oportet nos diem meſſionis extremæ miſericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu ſeminare in terris, quod, reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere valeamus in cœlis. Firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quoniam *qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.* Cum igitur ad reædificationem eccleſiæ B. Mariæ Deauratæ civitatis noſtræ Caturcenſis, quæ de novo reædificatur opere ſumtuoſo, propriæ non ſuppetant facultates: univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & exhortamur in Domino Jeſu Chriſto, vobis in remiſſionem veſtrorum peccaminum nihilominus injungentes, quatinus nuntios, ſeu queſtores dicti operis latores preſentium, cum ad eccleſias veſtras declinaverint, benigne, & curialiter recipiatis; & de bonis veſtris eiſdem conferatis, & cartellos noſtræ indulgentiæ, & dicti operis parochianis veſtris exponatis, vel dictis queſtoribus, ſeu nuntiis dicti operis exponi permittatis: plebes vobis commiſſas nihilominus commonentes, & ſalubriter, & efficaciter inducentes, ut de bonis ſibi a Deo collatis, dicto operi pias eleemoſynas, & grata caritatis ſubſidia erogent, & tranſmittant; ut per hæc & alia bona quæ vos, & ipſæ plebes, Domino inſpirante, feceritis, vel fecerint: poſſitis, ſeu poſſint ad æternæ felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia & beatæ Mariæ ſemper Virginis, & B. Petri & Pauli apoſtolorum, & B. Stephani protomartyris, & omnium SS. meritis confidentes: omnibus vere penitentibus & confeſſis, qui dicto operi ſuas eleemoſynas duxerint tranſmittendas XL. dies de injunctis ſibi pœnitentiis, & vota fracta ſi ad ea redierint; peccata oblita, & offenſa, patrum & matrum ſine injectione manuum, miſericorditer indulgemus; præſentibus poſt annum minime valituris. Datum apud capellam Templariorum, die Veneris ante feſtum aſſuntionis beatæ Mariæ, anno Domini MCCLXXIII.

Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10.

2. Cor. 9. 6.

XI.

Epitaphium Sicardi de Monteacuto, epiſcopi Cadurcenſis.

1300. INfulata effigies, quam ſtratam cernis, devote lector, ſuppoſitos hoc ſarcophago injuria temporum obliterato, adumbrat cinere, extremo ſervandos judicio præſtantiſſimi quondam præſulis Cadurcenſis Sicardi de Monteacuto. Si quæris curioſe defuncti parentes, nobilibus Vitali de Monteacuto milite, & Hermengardi de Montelanardo ſatus, ſtemma nobilitaris ex Alexandro atavo, filio Hugonis ſecundi ducis Burgundiæ, inclyto Capetorum ſanguine ſplendidus, & ex Margareta uxore Alexandri, filia & herede Lamberti comitis de Monteacuto Remenſis diœceſis, filii celeberrimi comitis Cononis, cujus fœlici & pio conſilio capta fuit Hieruſalem à Godofredo Builloneo duce Lotharingo, illius ſororio, magni Bonifacii Corſicæ inſulæ, markionis & comitis Emporitani, qui ſub Ludovico Pio in Affrica Vandalis quinquies aperto Marte profligatis, orbem Chriſtianum ſervavit, illuſtri ſemine clarus. Si geſta ſcire aves; ex archidiacono hujus Cathedralis eccleſiæ titulo Montiſpeſati, antiſtes factus, jurium & honorum ſponſæ acerrimus vindex fuit, & brevi, quo ſedit, tempore, quinque nempe annis, dotem immane auxit quam plurimis damnis per nova relevia a vaſtis rebellibus evindicatis, ut codex epiſcopalis teſtatur. Inter quæ baronia Caſtrinovi Ratierii, & vicecomitatus Lautricenſis fuerunt, cujus vicecomitem Amalricum apud Lautrecum glorioſus præſul manu propria militari ordine inſignivit. Deinde caſtrum Montiſpeſati de novo extruxit, dynaſtia Montiſlanardi, non ignoti hujus patriæ nominis, fiſco regio jam pridem incurſa, a rege Philippo pulcro donatus, tanquam privata perſona; hanc Armando de Monteacuto militi ex Bertrando fratre nepoti, tabulis teſtamentariis hereditarie mancipavit. Qui aſſumto Montiſlanardi cognomine, in his Aquitaniæ partibus nobiliſſimam Montiſlanardi familiam latiſſime propagavit. Quid amplius? hanc ſacram ædiculam divo Blaſio epiſcopo & martyri dicatam de ſuo condidit, ubi corpus condi voluit. In extremis poſitus, plebi ſuæ hujus civitatis ad limina epiſcopalis Palatii turmatim convolanti, & veniam commiſſi recentis flagitii crebris gemitibus a ſuo expirante Pontifice deprecanti, mitiſſimus præſul, per archidiaconos benigniter impertiri juſſit. Sic qui ſancte & præclare vixerat, pie in Domino quievit, anno incarnati verbi MCCC. Manibus tanti pontificis hoc encomium funebre ſuo magno labore exquiſitum Joannes Arnaldi ex avia Anna Montelanardi ſerus longa ſerie nepos, ſero, ſed devote poſuit, poſtquam venerabilis vir dominus Henricus Oruntius, hujus cathedralis eccleſiæ canonicus, eximia qua pollet pietate, hanc ſacram ædiculam ſuis ſumtibus, novo ſchemate interpolari curavit, hoc albo appoſite relicto, anno apotheoſis hominis MDCXLVI.

XII.

Littera Philippi regis in gratiam Raymundi Cadurcenſis epiſcopi.

PHILIPPUS Dei gratia Franciæ rex, notum facimus univerſis, tam præſentibus quam futuris, quod nos prolocutam liberalitatem nobis faciendam ex parte dilecti & fidelis noſtri epiſcopi Caturcenſis, ſuo & perſonarum eccleſiaſticarum civitatis & diœceſis Caturcenſis nomine, pro præſentis exercitus noſtri Flandrenſis ſubſidio, ad defenſionem regni noſtri, gratam & acceptam habentes, gratioſius tenore præſentium ipſis duximus concedendam. Primo quod in inſtanti feſto omnium ſanctorum faciemus cudi & fabricari monetas valoris, legis & ponderis quorum erant illæ, quæ tempore beati Ludovici quondam regis Franciæ avi noſtri, currebant; & inter dictum feſtum & ſubſequens feſtum reſurrectionis dominicæ, faciemus paulative curſum minui monetarum quæ in monetagiis noſtris cuduntur ad præſens, prout conſultius fuerit faciendum: ita quod in dicto feſto reſurrectionis Domini, vel circa, prædictas novas monetas habere faciemus ſuum curſum. Item, quod omnia conqueſta ab ipſis ſuarum eccleſiarum nomine, a tempore retroacto, uſque ad tempus neceſſarium hujuſmodi, in feodis & retrofeodis noſtris, aut ſubditorum noſtrorum, in quantum ad nos ſpectat, tenere poſſint perpetuo, abſque coactione vendendi, vel extra manum ſuam ponendi, aut financias præſtandi nobis, pro eiſdem. Item ſimiliter quod poſſeſſiones quas pro eccleſiis & cimeteriis eccleſiarum parrochialium fundandi de novo, vel ampliandi intra vel extra villas, non ad ſuperfluitatem, ſed ad convenientem neceſſitatem acquiri continget, vel * jam ſint acquiſitæ de cetero, apud eccleſias preperuo permaneant, abſque coactione vendendi, vel extra manum ſuam ponendi, aut præſtandi finantiam pro eiſdem: & quod poceſſorum hujuſmodi poſſeſſiones ad eas pro juſto pretio dimittendas, poſſint mediante juſtitia coarctari. Item quod bona mobilia eccleſiaſticarum perſonarum & clericorum cleticaliter viventium non capientur, vel juſtificabuntur aliquo caſu per juſtitiam ſecularem. Item quod advohationes & recognitiones novæ, quæ ab eccleſiarum ſubditis fiunt, nullatenus admittentur; & factas de novo faciemus penitus revocari

1304.

f. Pendet de novo, vel ampliari.

** f. vel &.*

revocari. Item quod prætextu gratiæ antiquæ in perſonis eccleſiaſticis, non impedietur eccleſiaſtica vel ſecularis juriſdictio prælatorum. Item quod ballivi & alii officiales teneantur jurare, quod mandata ſibi facta & facienda per litteras noſtras pro eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis, abſque difficultate fideliter exequentur. Item quod non impedientur aut inquietabuntur eccleſiæ ſuper poſſeſſionibus, ſeu redditibus emtis, vel emendis in feodis, retrofeodis, aut cenſivis ſuis, in quibus omnimodam altam & baſſam habent juſtitiam: quin poſſeſſiones & redditus taliter acquiſitos perpetuo tenere valeant abſque coactione vendendi, vel extra manum ſuam ponendi, aut nobis præſtandi finantias pro eiſdem. Item quod tollantur gravamina eis per gentes noſtras illata, & noſtra jam conceſſa ſtaruta ſerventur, & ea ballivi noſtri jurare tenebuntur ſe firmiter ſervaturos. Item quod ſi decimam vel aliud onus ad opus noſtrum per Romanam eccleſiam prælatis prædictis, & aliis perſonis eccleſiaſticis, durantibus terminis ſolorium decimarum nobis conceſſarum, vel concedendarum, ab eiſdem, ut præmittitur, imponi contingat, vel jam impoſitum exiſtat; decimarum ipſarum, & decimæ ſeu alterius oneris per prædictam Romanam eccleſiam, eccleſiarum conceſſarum vel concedendarum ſolitum terminum non concurrant ſimiliter, nec illis qui nobis deberent exercitum, tenebuntur ad eumdem vel mittendum, ſeu ſe redimendum pro exercitu præſenti. Item quod non eſt intentionis noſtræ, nec volumus quod prætextu exactionum quarumlibet, in terris dictorum prælatorum ex parte noſtra pro neceſſitate guerrarum factarum a perſonis ſubditis, vel juſticiabilibus ſibi de conſuetudine, vel de jure eis eccleſiis, aut perſonis aliquod egeneretur præjudicium, vel novum jus nobis propter hoc acquiratur: ſed in eiſdem libertatibus & franchiſiis quibus erant ante guerras inceptas legitime perſeverent. Item quod ad opus garniſionum noſtrarum bona eorum, vel ſubditorum ſuorum eis invitis nullatenus capientur. Item quod impedimenta & gravamina, quæ in feodis prælatorum prædictorum amoveri debite faciendum. Item quod nihil occaſione ſubveniente noviter nobis conceſſæ levabitur ab hominibus eccleſiarum de corpore, ſeu manu mortua, de alto & baſſo ad voluntatem tayliabilibus; & ſi quid eis hoc anno pro ſubventione exercitus præſentis ſit levatum, vel levari contingat, id eccleſiis hujuſmodi de præſtando ab eis ſubſidio deducetur. Item quod ſubſidium illud juxta conceſſionum ipſius tenorem per dictos prælatos, ſeu auctoritate ipſorum levabitur, nobis, ſeu gentibus noſtris ad hoc deputatis inſtanter quam citius aſſignandis. Et inſuper quod pro gravaminibus ſibi, aut eccleſiis ſuis, vel perſonis eccleſiaſticis illatis, corrigendis, de quibus liquebit, auditores non ſuſpectos eiſdem, cum requiſiti fuerimus, concedemus: qui, vice noſtra, ceteris complementum juſtitiæ ſuper hoc prompte & fideliter exhibebunt. In cujus rei teſtimonium præſentibus litteris noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum Pariſiis quindecima die menſis Junii, anno Domini milleſimo trecenteſimo quarto.

A

B

C

D

E

XIII.

Pareagium cum rege a Remundo epiſcopo initum.

1306. 1314. 1320. PHILIPPUS Dei gratia Franciæ & Navarræ rex. Notum facimus univerſis & ſingulis, tam præſentibus quam futuris, nos infraſcriptas vidiſſe litteras formam quæ ſequitur continentes.

LUDOVICUS Dei gratia Franciæ & Navarræ rex. Notum facimus univerſis præſentibus & futuris, nos infra ſcriptas vidiſſe litteras in hæc verba:

PHILIPPUS Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus univerſis, tam præſentibus quam futuris: quod cum dilectus noſter R. & fidelis venerabilis eccleſiæ Caturcenſis epiſcopus, prædeceſſoreſque ſui Caturcenſes epiſcopi, conſiderantes juriſdictionis temporalis & dominationis civitatis Caturcenſis regimen, quatenus ad eos pertinuerat, & ad eum pertinebat, pluribus ex cauſis ſibi difficile ſumtuoſum ac oneroſum, maxime propter dicti epiſcopi, gentiumque noſtrarum diſcordiam, inter quos ſuper pluribus rebus & juribus ad juriſdictionem & dominationem ſpectantibus, ſuper muribus, foſſatis, liciis, plateis, portis, fortalitiis, juribus, & rebus aliis civitatis Caturcenſis, quæſtio vertebatur: provida deliberatione penſantes, ſuper dictis quæſtionibus tranſigere, & dimidiam partem indiviſam juriſdictionis & dominationis ipſius, prout ad dictum epiſcopum, & ſuam poterat pertinere eccleſiam, in nos transferre permutationis titulo, pro decenti recompenſatione terræ per nos ſibi dandæ, ut per manus noſtræ potentiam, ad honorem Dei, Caturcenſis eccleſiæ pacem & utilitatem; ac tranquillitatem ſubjectorum & patriæ, promptius ac fructuoſius juriſdictio, dominatioque ipſa gubernari valerent: & quod propterea, quidquid juris nobis in muris, foſſatis, liciis, vel rebus aliis, ſeu juribus, quibus ſibi ad juriſdictionem vel dominationem quamcumque ſpectantibus competebat, ſeu competere poterat, ex advohatione quorumcumque, vel alias quoquomodo id commune eſſet, nobis, & epiſcopo ſupradicto, & communiter regantur & adminiſtrentur futuro tempore, caſibus inferius expreſſis duntaxat exceptis: & quod nos decentem recompenſationem ultra hoc præſtaremus ſibi in terra, pro his quæ conſequeremur ex cauſa hujuſmodi ab eo, tam præfatus epiſcopus, quam ſui prædeceſſores qui fuerunt pro tempore primo, cum domino cariſſimo & progenitore noſtro, ſucceſſiveque nobiſcum ex gentibus noſtris ſuper his pluries tractaverit. Et tandem dictus epiſcopus ſuper prædictis quæſtionibus, & ſuper aliis quæ inter ipſum epiſcopum pro ſe, & eccleſia ſua ex parte una, & nos, ſeu gentes noſtras pro nobis ex altera vertebantur, ſeu verti poterant quoquomodo, ſe noſtro arbitrio, diſpoſitioni, & voluntati noſtræ in nos compromittendo pro ſe, & eccleſia ſua ſuppoſuit, & ad hoc ſui capituli plenius acceſſit approbatio & aſſenſus. Nuper autem dictus epiſcopus perſonæ & eccleſiæ ſuæ magnam utilitatem prætendens, nobis ſupplicavit inſtanter, ut quod tandiu tractatum extiterat, ad effectum perducere, noſtrum inſuper, ex poteſtate nobis per eum & capitulum ſuum conceſſa, ferre arbitrium dignaremur. Ea propter nos, quietem ſubjectorum noſtrorum, præſertim eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum, & ſpecialiter epiſcopi memorati, & eccleſiæ ſuæ Caturcenſis, qui ſemper nobis & noſtris primogenitoribus fideles & devoti fuerunt quam plurimum, affectantes tranſactionem & communionem perpetuam, ſeu permutationem, prout infra ſequitur, inivimus ſuper præmiſſis cum epiſcopo ſupradicto, ex poteſtate nobis data & conceſſa, ut dictum eſt, per epiſcopum & capitulum memoratos ſuper dictis quæſtionibus, quoad jus noſtrum, & dicti epiſcopi & eccleſiæ ſuæ ſolum ferentes, noſtrum arbitrium pronuntiantes, & declarantes modo & forma inferius per compoſitionem hujuſmodi declaratis, ſuper aliis quæſtionibus in præſenti non agitur, jure noſtro & dicti epiſcopi & eccleſiæ ſuæ, dictaque poteſtate arbitraria nobis data ſalvis manentibus, ſine omni præjudicio, ſicut ante. Præfatus epiſcopus ex cauſa igitur tranſactionis communis & permutationis, & arbitrii noſtri hujuſmodi, dat & concedit pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, & eccleſiæ Caturcenſi, nobis & noſtris ſucceſſoribus regibus Franciæ perpetuo dimidiam partem indiviſam meri & mixti imperii, ac omnimodæ juriſdictionis temporalis altæ & baſſæ; leudæ, pedagii, theoloneii, quantum leuda, pedagium, theoloneum ad epiſcopum pertinent; omniſque dominationis temporalis, adminiſtrationis & regiminis temporalis civitatis & villæ Caturci, ejuſque territorii & diſtrictus, jurium & pertinentiarum ipſorum, ad ſe & ſuam eccleſiam pertinentium, ſine omni præjudicio ſuæ ſpiritualis juriſdictionis, modo, forma & conditionibus infra ſcriptis. Et vice verſa, ex cauſa arbitrii noſtri, tranſactionis, communionis & permutationis hujuſmodi, nos quidquid juris in præmiſſis, vel ea tangentibus habemus, vel aliis rebus quibuſlibet in civitate prædicta, & ejus territorio, & diſtrictu ad nos pertinere pote-

rat, quequomodo id communicamus episcopo supradicto, suæque ecclesiæ, modo & forma prædictis. Caturci namque perpetuo unus tantum erit regiminis, jurisdictionis omnis altæ & bassæ, & dominationis prædictæ præpositus communis nobis & dicto episcopo, qui vicarius appellabitur; unus quoque judex communis, qui jurisdictionem ipsam exercebunt & administrabunt communi nomine nostro & dicti episcopi; juramentumque dictæ suæ administrationis præstabunt in manu episcopi, & successorum suorum, qui tunc erunt pro tempore, seu eorum vicariorum, & deputatorum ab eis, vel ecclesiæ sui capituli, sede vacante, gentiumque nostrarum, videlicet senescalli nostri Caturcensis, vel ab eo deputandi pro nobis, qui simul & pariter cum dicto episcopo, vel suis, ut dictum est, creabunt, & instituent dictos officiales, & eorum recipient juramenta. Idemque servabitur in notariis, custode carceris, satellitibus, bedellis, & aliis quibuslibet officialibus curiæ nostræ, quæ erit una curia communis & sola, & in solidum temporalis ad communes expensas, & onera pro prima & immediata omnimoda jurisdictione, executione, ac dominatione quacumque Caturci, ejus districtu & territorio exercendis. Unus erit communis nobis, & dicto episcopo receptor, & custos omnium obventionum, emolumentorum communium dictæ curiæ, telonei, leodæ, pedagii, aliarumque obventionum, & reddituum communium. Una arca communis ad custodiam, qui receptor de receptis nobis & dicto episcopo, seu gentibus nostris, & suis partibus respondebit, quotienscumque a nobis, gentibusque nostris, vel episcopo, vel nostrum altero fuerit requisitus. Cognitio primarum appellationum a dictis vicario, judice, communique curia; suppletio defectus eorum in exhibenda justitia, omneque primum ressortum, cum suis emolumentis in omni casu ad nos & dictum episcopum communiter pertinebunt in locis prædictis, atque exercenda. Unus erit semper judex communis nobis & episcopo, qui judex appellationum vocabitur; a quo appellationes solum jure concessæ, aliudque ressortum ad nos solummodo pertinebunt, & senescallum nostrum prædictum. Omnium prædictorum officialium communium creatio, institutio & destitutio eorum, & eos offendentium in dictis locis correctio, & punitio ad nos, & dictum episcopum simul & partim pertinebunt. Dicti vicarius, judex ordinarius, appellationumque judex communes erunt annales; nisi de communi consensu dicti episcopi, seu sui capituli, sede vacante, nostro seu senescalli nostri, procedat ut ex eis aliqui, propter sui idoneitatem, amplius maneant in officio suo. Quod si accidat semel vel pluries, non fiet nobis aut dicto episcopo præjudicium in aliis vel in futurum in eisdem, quominus semper ad requisitionem partis alterius debeant esse annales. Portatio armorum, fractio pacis, vel itinerum, omniumque criminum vel itinerum, levium & gravium quorumcumque coërtio & executio in dictis locis sine omni exceptione incursus heresum, foris facturæ commissa, penæ fiscales, & publicationes bonorum quæcumque, ac compositiones, si ex eis causis vel aliis fiant, aut finantiæ ad nos, & dictum episcopum communiter pertinebunt. (Læsæ majestatis casus ubi contra personam nostram, vel regni nostri coronam, duntaxat committerentur, & aliis casibus superioritatis in terris baronum, & parium Franciæ ad nos solum spectantibus, veluti cum officiales nostri proprii suum exercentes officium excedunt, vel offenduntur duntaxat exceptis) in quibus casibus fore facturæ, si acciderent in dictis locis, erunt communes nobis & dicto episcopo: nisi in casu majestatis nostræ lesæ, ut præmissum est; quo casu duntaxat, cum plene constaret, fore facturæ penæ, seu commissa, ad nos solummodo pertinebunt; pendente vero cognitione super eis, annotatio & executio super bonis hujusmodi fierent per manum communem nostram & episcopi memorati. In Caturco, & dicta terra communionis hujusmodi tabelliones, si qui forte de communi consensu fuerint pro tempore, curatores operum, aliique similes communes erunt, & in futurum communiter creabuntur; nulloque tempore tabelliones nostri proprii, aut quicumque officiales nostri proprii residentiam facient, nec stationes tenebunt in locis eisdem. Nec officiales nostri proprii quicumque nomine nostro quidquam ad jurisdictionem vel ejus executionem pertinens, in locis eisdem poterunt exercere; & si hoc attentarent facere impune, non pareatur eisdem, (casibus secundi ressorti & superioritatis nostræ, ut supra notatum est, solum exceptis;) hoc etiam salvo, quod in locis prædictis senescallus noster assisias suas de terra etiam, & ressorto nostro exterioribus tenere poterit, modo hactenus consueto, sine tamen omni præjudicio, & sine impedimento jurisdictionis ordinariæ, & primi ressorti, & jurium communium nobis & dicto episcopo, quæ superius sunt expressa; de quibus nihil in talibus assisiis attingere poterit senescallus prædictus. Turres, muri, fossata, liciæ, plateæ, portæ, vallata, & ante vallata, viæ publicæ, earum munitio, pondera, mensuræ, pontes, munitiones, & fortalitia dictæ villæ & pertinentiarum ipsius, & eorum emolumenta, ad nos & dictum episcopum communiter pertinebunt; dictos vero pontes, turres & fortalitia, præter ecclesiam cathedralem, & præter domos episcopales & capituli Caturcensis, nos quando & quantum nobis placebit tenere & facere custodiri per gentes nostras poterimus, sine omni juris præjudicio episcopi memorati; contra episcopo * supradicto. In loco vero communi, ubi commodius fieri poterit, fiet, & ordinabitur ad communes expensas nostras & episcopi, curia & carcer communis; satellites, seu vedelli, signatos portabunt baculos armis nostris & dicti episcopi. Sigillumque cum impressione signi nostri & sui, erit commune dictæ curiæ temporalis communis, quo signabuntur seu sigillabuntur acta, processus & alia quæcumque ad officium curiæ spectantia; & emolumentum erit commune nobis & dicto episcopo; quæ omnia fient sine præjudicio jurisdictionis spiritualis, & juris curiæ episcopalis & officialis sui, quibus per præcedentia vel sequentia nullum volumus præjudicium generari. Preco communis creabitur, preconisationes & mandata publica, & executiones fient in dictis locis, pariter nomine nostro, & episcopi Caturcensis. Episcopus Caturcensis, baro & comes Caturcensis esse censebitur, & appellabitur in omnibus, ubi videbitur faciendum; & privilegiis comitis & baronis eum semper gaudere debere decernimus. Juxta cathedralem ecclesiam Caturci episcopus & canonici clausulam moderatam & determinatam propter honestatem ecclesiæ, quæ de nocte claudatur, pro claustro parare & habere poterunt; & quod ea libertate gaudebit & immunitate, quibus claustra similia ceterarum regni ecclesiarum solent gaudere. Et similiter nos in loco congruo dictæ civitatis, vel eius territorii, prope muros intus, vel extra, vel partim intus, & partim extra, ubi melius expedire viderimus, castrum nostrum proprium, palatium, & domum construere & habere perpetuo poterimus, cum ea libertate & immunitate quibus castra, domos & palatia in villis nobis & aliis communibus habere solemus. Acto insuper inter nos & episcopum memoratum, quod præmissa quæ Caturci ex nobis habemus, atque ex cansis hujusmodi ab episcopo & ecclesia Caturcensi consequimur nos, aut nostri successores extra manum regiam nostram nunquam ponemus insolidum, vel in parte. Pro prædictis autem quæ a dicto episcopo ex causis prædictis consequimur, damus & concedimus, & assidere permittimus episcopo prædicto in locis idoneis in Caturcinio nobis & sibi congruis, ut magis commode fieri poterit, quadringentas & quinquaginta libras Turonenses, bonæ & fortis monetæ annui & perpetui redditus; quem redditum eidem episcopus & successores sui, cum omni justitia alta & bassa, primoque ressorto tenebunt a nobis & successoribus nostris in feudum, prout civitatem Caturci dictus episcopus & sui prædecessores consueverunt a nobis tenere. Cum autem dictus episcopus a nobis dictam assisiam perpetuam plene fuerit assecutus, & non ante, nos juribus dictæ communionis fruemur. Retinuit autem sibi, ecclesiæque suæ dictus episcopus, quæ nobis communicare non intendit, monetam suam Caturcensem, & jus mo-

* Hic aliquid desit.

netæ ipſius fabricandæ in civitate prædicta, vel alibi in locis temporalitatis ſuæ, & ejus curſum, prout ſibi & eccleſiæ ſuæ antea competebant. Cenſus inſuper, redditus & proventus, acapita, aliaque jura, & dominia feodalia & retrofeodalia ad eum, eccleſiamque ſpectantia in locis prædictis. Si quid vero movens ab ipſo epiſcopo, aut ejus capitulo quocumque tempore in ſolidum, vel in parte ex commiſſo, vel fore facturis ad nos vel ſucceſſores noſtros, quocumque tempore perveniret; id infra annum & diem extra manum noſtram ponere tenebimur; nec quidquam hereditagium aliud acquirere poterimus in locis dictæ communionis, quod non communicemus epiſcopo, pro parte dimidia pretii nobis ab eo primitus reſtitura: & hoc idem dictus epiſcopus facere tenebitur, dum ad manum ſuam ex commiſſis, vel fore facturis, aliqua venient in futurum; excepto loco prædictis caſtro, palatio, domo, & fortalitio noſtris conſtruendis; quæ de noſtro acquirere poterimus, & nobis in ſolidum retinere. Juramenta de pace ſervanda quæ præſtari conſueverunt in illis partibus, præſtabuntur futuris temporibus in manu ſeneſcalli noſtri & epiſcopi, prout eſt hactenus conſuetum. Actum inſuper eſt inter nos & epiſcopum memoratum, quod omnes & ſinguli homines Caturcenſes fidelitatem jurare debeant nobis & epiſcopo Caturcenſi; quod juramentum renovabitur, quotiens erit ibi novus epiſcopus, & per ſingulas ſucceſſiones regum heredum noſtrorum; quod juramentum recipient ſimul pariter epiſcopus Caturcenſis, vel ejus capitulum ſede vacante, & seneſcalli noſtri, qui erunt pro tempore, seneſcalli etiam noſtri, necnon seneſcalli locum tenentes in seneſcalli longa abſentia, judex majorum. Procuratores noſtri Caturcenſes & advocati quicumque pro tempore fuerint, in ſui novo ſpecialiter & expreſſe regimine palam & publice, ubi aſſiſiam ſuam tenebit, præſente dicto epiſcopo, vel ejus vicario, vel ſede vacante ejus capitulo, lectis & eis expoſitis omnibus & ſingulis in præſentibus litteris comprehenſis, jurabunt ad quatuor ſancta Dei evangelia corporaliter tacta, ſe ſervaturos & completuros bona fide, & ſine calumnia, quantum in eis erit, omnia & ſingula, in præſentibus litteris comprehenſa; nec antea Caturci, vel ejus pertinentiis aliquid attingere, vel aſſiſias tenere poterunt quoquomodo; quominus ſi poſtquam eſſent certiorati, & litteræ exhibitæ, ex quibus teneantur jurare. Contra facientes perjuri teneantur ubique, cum hujuſmodi juramentum præſtari volumus, & ex nunc præcipimus, & ad præſtandum eos aſtringimus ſub fide, fidelitate & juramento, quibus nobis aut noſtris ſucceſſoribus erunt aſtricti. Quod ſi forte, quod abſit, per gentes noſtras quaſcumque, contra ea quæ in præſentibus litteris continentur, vel aliqua ex eiſdem, aliqua contigerit attentari per tale factum contrarium, nulli juri dicti epiſcopi aliquod præjudicium afferatur: nec jus poſſeſſionis, vel quaſi nobis acquiri, nec cauſa alicui conſuetudini vel præſcriptioni etiam centenariæ poſſit parari; ſed tam nos, quam ſucceſſores noſtri, curia noſtra regia, & seneſcalli omnes prædicti, qui erunt pro tempore, ſine omni lite, & alia diſcuſſione, depoſitis eis in litteris ipſis contentis per epiſcopum, qui pro tempore fuerit, ejus vicarium, vel eorum procuratores, ſeu capitulum prædictum in contrarium attentata, ſemper ad ſtatum debitum reducere teneantur. Et idem intelligatur, ſi ex parte dicti epiſcopi, vel ſucceſſorum ſuorum fieret aliquid contra prædicta, noſtroſque ſucceſſores reges Franciæ, ad præmiſſorum recentiorum memoriam approbando præmiſſa: litteras ſeriem præſentium continentes, epiſcopo Caturcenſi, qui fuerit pro tempore, dare ſinguli tenebuntur libere, abſque difficultate quacumque. Prædicta vero fecit nobiſcum dictus epiſcopus, prout & quatenus, plenius & ſecurius de jure, aut de conſuetudine ſibi licet ea facere, & non ultra, nec aliter quod fuit ante prædicta ſuperius acta, & poſt incontinenti proteſtatus expreſſe. Dictus epiſcopus inſuper promiſit nobis ſolemniter ſe prædicta omnia complere & ſervare, omnes ſuos ſucceſſores ad hæc ſpecialiter obligando; ac ſe bona fide facturum & curaturum, quo melius poterit bono modo, quod ſuum capitulum eccleſiæ Caturcenſis præmiſſis omnibus aſſentiat, & ea omnia approbabit. Nos autem contemplatione perſonæ dicti epiſcopi & eccleſiæ ſuæ quos proſequi volumus ſpeciali gratia, & favore; præmiſſa omnia volumus & concedimus, & ſervare & complere promittimus, nos & ſucceſſores noſtros dicto epiſcopo, & ſuis ſucceſſoribus ſolenniter obligando, ſalvo in aliis jure noſtro, & dicti epiſcopi, ac eccleſiæ ſuæ, & jure quolibet alieno. Quod ut ratum & ſtabile duret, præſentibus litteris noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum Pariſius anno Domini milleſimo treceteſimo ſexto, menſe Februario.

Nos autem ad inſtar ſupra dicti domini & genitoris noſtri, juxta actam expreſſe conventionem in litteris ſupra dictis ad præmiſſorum recentiorem memoriam, dilecto & fideli noſtro B. nunc Caturcenſi epiſcopo, litteras continentes ſeriem, approbando contenta in eis, conceſſimus, ſigilli noſtri quo ante dicti domini & genitoris noſtri deceſſum uti conſuevimus appenſione muniras, ſalvo in aliis jure noſtro, & dicti epiſcopi, ac eccleſiæ ſuæ, & jure quolibet alieno. Actum apud Vicenas prope Pariſios, anno Domini milleſimo treceteſimo * quadrageſimo quarto, menſe Februario.

* 1 detimo quarto.

Nos autem inclitorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, & volentes complere quæ in præmiſſis fuerunt acta, per eos ad ſupraſcriptorum recentiorem memoriam, & omnia & ſingula, prout ſuperius ſcripta ſunt & expreſſa, approbantes, ratificantes, ac etiam confirmantes, dilecto & fideli noſtro Guilhermo epiſcopo Caturcenſi, litteras priorum ſeriem continentes, ſigilli noſtri roboratas munimine duximus concedendas, noſtro, dictique epiſcopi & eccleſiæ ſuæ in aliis, ac alieno quolibet jure ſalvo. Actum Pariſiis anno Domini milleſimo treceteſimo viceſimo, menſe Novembri. Per vos G. Julioci. Collatio acta eſt.

XIV.

Bulla Johannis Papæ XXII. pro erectione univerſitatis Cadurcenſis.

JOHANNES, &c. Cum civitas Cadurcenſis quam excellentiæ divinæ bonitas multiplicium gratiarum bonis & dotibus decoravit, propter ipſius commoditates & conditiones quamplurimas, apta non modicum generali ſtudio cenſeatur; nos reipublicæ multipliciter expedire credentes, quod in civitate præfata fiat & emanet fons ſcientiarum irriguus, de cujus plenitudine hauriant univerſi litteralibus cupientes imbui documentis, & etiam cultores ſapientiæ inſerantur & provehantur diverſarum facultatum dogmatibus eruditi, facundi, & undique illuſtrati, fructum uberem largiente Domino, ſuo tempore producturi; attendentes quoque ſinceræ fidei puritatem, ac eximiæ devotionis affectum, quos dilecti filii conſules & univerſitas ejuſdem civitatis ad nos & Romanam eccleſiam habere noſcuntur. Ex prædictis cauſis, porrectis etiam nobis pro parte conſulum & univerſitatis prædictæ, humilibus & devotis ſupplicationibus inclinati, auctoritate apoſtolica ſtatuimus & ordinamus, quod in civitate prædicta perpetuis futuris temporibus generale ſtudium habeatur, & vigeat in qualibet licita facultate: quodque præfatum ſtudium ac ejus univerſitas, ac doctores, magiſtri, licentiati, bacchalarii, & ſcholares pro tempore commorantes cauſa ſtudiorum, ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus conceſſis ſtudio Toloſanenſi, ac univerſitati ejus, ac doctoribus, magiſtris, licentiatis, bacchalariis & ſcholaribus in dicto Toloſanenſi ſtudio commorantibus, plene ac libere gaudeant & utantur. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Avenione VII. idus Junii, pontificatus noſtri anno XVI.

De legibus ejuſdem academiæ per pontificem ordinatis, plura apud Cruceum.

XV.

Littera Begonis Cadurcenſis epiſcopi, pro capitulo S. Martini de Montepenſato.

1188. UNiverſis & ſingulis præſentes litteras patentes viſuris & audituris; Bego miſeratione divina epiſcopus Caturcenſis ſalutem in Domino, & præſentibus perpetuo fidem adhibere. Cum reverendus in Chriſto pater & dominus dominus Joannes de Pratis, quondam epiſcopus Caſtrenſis, inſtituiſſet & ordinaſſet ſex capellanias perpetuas de & ſuper certis decimis, rendis, atque aliis fructibus & redditibus, prout plenius conſtat per inſtrumenta ſuæ ordinationis ratione dictarum capellaniarum facta, percantandas perpetuo & deſerviendas in capella B. Mariæ, quæ eſt in eccleſiâ collegiata B. Martini loci noſtri de Montepenſato; in qua quidem capella noſcitur eſſe ſepultus, & hoc per ſex preſbyteros bonos & probos, vitæ laudabilis, & converſationis honeſtæ, qui miſſas & alia divina officia in dicta capella ob honorem & reverentiam omnipotentis Dei, & beatæ glorioſæ virginis Mariæ, totiuſque curiæ cæleſtis, & pro ſalute animæ ipſius, parentumque ſuorum continuo perpetuis temporibus haberent & tenerentur celebrare: contigeritque, &c. Actum & datum in ſæpe dicto ſuo loco de Montepenſato, ſub ſigillo noſtro authentico die VIII. menſis Junii, anno Domini MCCCLXXXVIII. præſentibus, &c.

XVI.

Charta Agarni ſeu Auvarni epiſcopi Caturcenſis de inſigni dono quod fecit monaſterio Moiſiacenſi

673. *Ex chartul. Moiſiac. & tribus ſchedis ſeparatis.* CUm omnibus hominibus in commune benefacere jubemur, nullomodo gratiam ſummi regis, & æterni remuneratoris Dei accipere diffidimus; ſi his quoque, quibus cura regendi nobis commiſſa eſt, impenſius aliquid beneficii impartire ſtudemus. Ideirco ego Auvarnus epiſcopus humillimus cunctis ſucceſſoribus meis per tempora futuris notum fieri volo, quod poſt aliquanta, quæ ſucceſſione parentum meorum, ſeu regali munificentia mei juris extiterant, prædia matri eccleſiæ Caturcenæ, cui Deo auctore præſideo collata, Moïſiaci quoque loco in dioceſi ejuſdem eccleſiæ, ſupra flumen Tarni in honore ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli monaſterio conſtructo aliquantulum contulerim. Dono quippe jure perpetuæ conceſſionis omnipotenti Deo, & ejus apoſtolis in eodem loco jam dicto Moïſiaco, ubi vir venerabilis Hermenninus abbas, cum maxima congregatione monachorum Deo militare videtur, prædium meum in pago Caturcino ſitum, eccleſiam ſcilicet in honore S. Petri fundatam cum adjacenti villa, juxta alveum Avarionis, loco cui vocabulum eſt *Bialis*. Alteram quoque eccleſiam in pago Toloſano ſuper ripam fluminis Tarni, in honorem S. Martini fundatam, cum ipſa curte vulgo *Meſſag* nominata. Inſuper & alio loco in ipſo pago Toloſano, aliud prædium meum, quod de fiſco regali competenti ſervitio adquiſivi, ubi ſanctus Ruſticus martyr & epiſcopus anteceſſor utique meus, corpore quieſcit, cum capella S. Petri ibi conjuncta. Similiter cedo, & trado eidem Domino Deo, & ſanctis apoſtolis ejus in præfato monaſterio Moïſiaco tenendum, & poſſidendum a fratribus præſentibus & futuris, ibidem pro ſtabilitate totius chriſtianitatis Deo ſervientibus, & in villis, ſeu villaribus prænominatis quantum ego viſus ſum habere, & tenere, vel quiſlibet homo per me, eccleſias, & quidquid ad eccleſiaſticum jus attinet; terras, vineas, manſos, liberos, ſervos, & ancillas, aquas aquarumque decurſus, cultum & incultum, tam ad exitus quam ad ingreſſus, totum ab integro trado tenendum, habendum, & poſſidendum in ſupradicto monaſterio Moïſiaco pro ſalute animæ meæ, & parentum meorum, ſeu totius plebis mihi a Deo commiſſæ. Do ſiquidem, poteſtate domini mei Ludovici ſereniſſimi regis evectus protectione, ac ſuffultus pontificali auctoritate, & totius cleri eccleſiæ Caturcenſis corroboratione, cunctis fidelibus chriſtianis in noſtra dioceſi commorantibus: ut quicumque pro ſalute animæ ſuæ de prediis, aut ſubſtantiis ſuis Deo in eodem monaſterio aliquid offerre voluerit, liberam habeat facultatem oblatione ſua, cujuſcumque rei ſint in terrenis, ſive mobilibus rebus, vel in ſacris theſauris Deo oblatis, intacti & inviolati in perpetuo permaneant ordinamus atque conſtituimus perpetua ſanctione. Si quis autem auſu temerario extiterit, qui injuſte contra hanc noſtram ceſſionem ſeu oblationem inſurgere voluerit, ab æterna damnatione ſe noverit puniendum. Ut vero hæc noſtra in æternum firma, ſtabiliſque permaneat donatio, proprii nominis aſtipulatione cenſuimus conſignatam reddere, auctoritate quoque jam dicti domini Ludovici regis firmare, ne præſentes aut futuri ulla valeant occaſione calumniare. Signum Aguari Caturcenſis epiſcopi. Signum Aſterii archidiaconi. Signum Ingelbert decani. Signum Hectoris. Signum Uciandi. Signum Elgelrandi. Facta charta anno incarnationis Dominî ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio, ejuſdem principis domini Ludovici anno ſecundo.

Annus Chriſti 673. non illigatur cum anno ſecundo Clodovei II. ſed neque cum anno ſecundo Clodovei III. Itaque ſi non ſit error hic in numero, Ludovicus ille rex, non Francorum, ſed Aquitanorum dicendus. Mabillonius pro DCLXXIII. *legit* DCLXXXIII. *Conſule quæ dicimus in Agarno epiſcopo* XV. *Caturcenſi.*

XVII.

Charta donationis monaſterii S. Genii Lectoratenſis poſt ejus combuſtionem facta Moiſiacenſi cœnobio, & Duranno abbati & epiſcopo.

ANno incarnationis dominicæ milleſimo quinquageſimo nono, ob immaniſſimam cladem, quæ pro interfectione cujuſdam militis, Gualterii ſcilicet cognomento de Tudel, in Lomaniæ vicecomitatu accidit, adeo cæleſtis vindicta occulto Dei judicio patuiſſe dignoſcitur, ut poſt internecionem multorum hominum, poſtque combuſtionem multarum villarum in illis partibus, ipſa etiam eccleſia quæ pro matre eccleſiarum habebatur prima, monaſterium videlicet S. Genii Lectoratenſis omnino ad favillam cum pluribus hominibus clericis, laïcis, ac mulieribus, parvulis, & lactantibus in dominica die a ſupervenientibus hoſtibus combureretur. Qua concrematione patrata, qui ſemiuſti evaſerunt, cum paucis qui eo quod defuerunt illæſi remanſerant, conſilio inito cum principibus patriæ illius, ad quos res pertinere videbatur, parietes vacuos, qui de combuſtione exuſti remanſerunt, Deo & S. Petro loci Moïſiacenſis cœnobii, & domno Duranno epiſcopo, ejuſdem monaſterii abbati, & omnibus fratribus in eodem monaſterio degentibus, tam præſentibus quam & futuris, cum omni decimatione, & primiciis, & offerendis, & cum omne quod ad eccleſiaſticum pertinet ſervitium illius honoris in alodii jure tradiderunt, coram plurimis, qui de ea affinitate erant, nullo contradicente, teſtibus. Dederunt quoque iſta facientes ex illo alodio quod antiquitus pertinebat ad eamdem eccleſiam S. Genovefæ, præfato loco Moïſiaco S. Petri totum, ſicut inter fines qui iſtic conſcribuntur, videtur habere, ſicut finitur vicecomitalis honor, & vadit uſque in illum pomaredum cum ipſo pomaredo, & venit vallis uſque ad portam Auriol, & ſicut determinat ipſa ſtrada publica, uſque ad fontem de ipſo Broil. Illum vero alodium quod eſt in caballi dorſo, quod Sancius dedit S. Genovefæ guerpivit in iſto dono, ſicut & aliud Guillelmus Arnaldi de Brunomont & uxor ejus, & filius ejus, cujus auctoritate, guirpitione, inſtinctu, & voluntate facta eſt donatio iſta ſolemniter a Donato, & nepotibus ejus Arnaldo de Illabarta, & Arnaldo filio abbatis, & Arnaldo filio altero, & Bernardo filiis Garſiæ, ſine retentione alicujus ſervitii, vel expletæ à Guillelmo ip-

1059.

ſo retentæ. Finis autem hujus honoris ex altera parte de illa artiga de orbo, uſque in illa gutta de vulpe. Dedit autem de ſuo alodio altero prædictus Guillelmus in iſta donatione, duas perias de alodio in ipſo Broilo, cum uno prato de illa guardela, pro qua re accepit de S. Petro quinque ſolidos. Noverint omnes quicumque legerint hanc ceſſionis chartam, quod ego Donatus, & nepotes mei Arnaldus de Illabarta, & alius Arnaldus filius abbatis, necnon & alius Arnaldus & Bernardus frater ejus filii Garſiæ donamus, & auctoritate firma corroboramus iſtam donationem, eccleſiam ſcilicet ſanctæ Genovefæ in epiſcopatu Lectoratenſi conſtructam cum omni honore ſuprafcripto Domino Deo, & S. Petro Moïſiacenſi monaſterio, ſicut ſuprafcriptum eſt pro animabus patrum noſtrorum, & matrum noſtrarum, & & omnium parentum noſtrorum viventium, ac defunctorum, ſeu eorum qui in eadem eccleſia cremati fuerunt, tali quidem tenore, ut ſi aliquando ſuadente diabolo qualiſcumque poteſtas, quocumque malo ingenio voluerit locum jam nominatum Moïſiacum a ſocietate & fidelitate loci, & ordinis Cluniacenſis monaſterii, quod abſit, divellere poteſtate; illa nihil quidquam in hac noſtra donatione retinente, locus & ejus habitatores Cluniacenſis monaſterii donationem hanc noſtram eccleſiam ſcilicet S. Genovefæ habeant, teneant & in perpetuum poſſideant. Facta ſolemniter donatio iſta in menſe Junio, die Dominica, coram teſtibus, in præſentia & manu Odgerii prioris, & aliorum multorum fratrum.

XVIII.

Charta Pontii comitis de abbatia Moiſiacenſi Cluniaco ſubjicienda.

QUamvis apoſtolica pronuncient verba quod non ſit niſi a Deo poteſtas, aliqua tamen de reprobis ſerino divinus per propheram indicat, dicens: *ipſi regnaverunt, ſed non ex me; principes extiterunt, & non cognovi.* Idcirco Pontius Toloſanæ urbis comes, ne in numero male regnantium a juſto arbitro Deo diſtricte quaſi non ab eo agnitus dijudicer; communi ac ſalubri conſilio uxoris meæ Adalmodis comitiſſæ, ac principum mihi ſubditorum, venerabilis ſcilicet Bernardi Caturcenſis epiſcopi, necnon Gauſberti abbatis nominati, Willelmi quoque, ac Fulconis fratris ejus conſultu decrevi ut abbatia S. Petri Moïſiacenſis cœnobii, quam ego hactenus, & parentes mei, ſeu prædeceſſores mei comites Toloſani, de manibus regum Francorum viſi ſumus in fori jure habere & poſſidere, deinceps in Dei ſervitio rectius diligentiuſque cuſtodiatur. Quapropter volo ut cunctis meis ſucceſſoribus pateſcat, quod ego prænominatam abbatiam S. Petri Moïſiacenſis cœnobii omnipotenti Deo, & ſanctis apoſtolis Petro & Paulo dimitto, necnon & ſeniori carifſimo domno Hugoni abbati Cluniacenſi, ſive cunctis ſucceſſoribus ſuis in loco Cluniacenſi futuris, ſecundum regulam S. Benedicti ordinandam in perpetuum trado coram teſtibus. Si quis autem parentum vel ſucceſſorum meorum, aut quicumque hominum poſt finem meum, ſive poſt diſceſſum Gauzberti principis illius, qui ſecundus a me in abbatia illa nunc eſſe videtur, & abbas vocatur, hanc meam ceſſionem diſtrumpere quocumque modo adtentaverit, quod fieri omnino ſub obteſtatione judicii Dei prohibeo, omnipotentis Dei virtute examinandum, & Papæ Romano, necnon & Francorum regi ad quorum tuitionem præfatus locus Moïſiacus pertinet, diſtringendum relinquo. Ego vero hanc inſcriptionem ceſſionis in manu jam dicti abbatis domni Hugonis, adſtante omni conventu ejuſdem monaſterii, cui præeſt, mea electione, & prænominati Bernardi Caturcenſis epiſcopi ad cujus dioceſim attinet locus iſte conſecratione. Durannus abbas & monachus Cluniacenſis in die ſolennitatis ſanctorum principum apoſtolorum Petri & Pauli manu, ore, corde confirmo atque corroboro. Bernardus epiſcopus Caturcenſis firmavit. Adalmodis comitiſſa firmavit. Gauzbertus abba firmavit. Willelmus cognomento Miſcens-malum firmavit. Fulco frater ejus confirmavit. Datum ſub die III. calendas Junii IIII. feria, Philippo rege Francorum.

Ann. 1. 4.

XIX.

Gauzberti abbatis Moiſiacenſis de eodem argumento.

SAtis omnibus, ut opinor, notum eſt, qualiter ego Gauzbertus abba nominatus, olim a Willelmo comite Toloſano emtione magni pretii XXX. ſcilicet millia ſolidorum abbatiam Moïſiacenſis cœnobii comparaverim. Nunc vero & deinceps omnes poſteros meos ad quoſcumque quorum in manibus hæc guerpitionis meæ adnotatio advenerit ſcire volo, quod ego poſtea ſeniori meo Pontio, & filio ejus Willelmo totam prædictam dederim abbatiam poſt finem meum, hac de cauſa, pro amore videlicet Dei, & pro ſalute animæ meæ, ſeu pro ſtabilitate, ac reſtauratione ejuſdem abbatiæ, ut non deinceps poſt deceſſum meum ipſe meus ſenior Pontius, neque filius ejus Willelmus, nec ullus ſucceſſorum meorum comitum licentiam habeant aut vendere, aut dare, aut commodare præfatam abbatiam S. Petri Moïſiacenſis cœnobii cuiquam clericorum, vel laïcorum, nec etiam ulli parentum meorum, ita ad poſſidendum, ut hactenus ego, & prædeceſſores mei male & ſeculariter viſi ſumus poſſidere; ſed perpetuo Willelmus filius Pontii, & filii ejus poſt eum, & omnis poſteritas genealogiæ tenendo poſſideant, & juſte, ac viriliter regant, & abbati regulari a fratribus ejuſdem congregationis voluntate, & conſenſu abbatis, & totius congregationis Cluniacenſis monaſterii regulariter electo, regendam tradant. Sed & ſi de Willelmo Pontii filio legales non apparuerint filii; fratribus ſuis Raymundo & Ugoni filiis Pontii ſimiliter per conventionem ſuprafcripram ipſis, & filiis eorum qui legales ex eis prodierint, habituram trado. Quod etſi caſu evenerit, ut omnium iſtorum comitum palatinorum abolendo progenies evaneſcat, illi tamen qui ſorte poſt eos arcem ac regimen Toloſani comitatus acceperit; & qui ſecundum Deum, & ſeculi dignitatem præfatam abbatiam poſſidere voluerit, ſimiliter habendam cedo, ſalva in omnibus fide abbatum futurorum Clunienſium. Hoc autem ut omnibus tam præſentibus ſcilicet ac futuris pateat, volo quod prædicti mei ſeniores, ac palatini comites Pontius, & ejus filius Willelmus ante hanc meæ donationis guirpitionem, mihi dextras, & propriorum inſuper corporum fidem dederunt, nunquam ſe daturos, cuiquam hominum viventium S. Petri Moïſiacenſis monaſterii abbatiam, niſi abbati regulari, regulariter, ut dictum eſt, a fratribus ejuſdem cœnobii, juſſu & voluntate abbatis & congregationis electo. Et ut hæc meæ dimiſſionis annotatio ſemper firma, ſtabiliſque permaneat: in manibus prædictorum meorum ſeniorum comitum Pontii & filii ejus Willelmi, coram nobilibus, propriis meis manibus ſubnixa ſtipulatione firmavi. Hujus autem rei teſtium vocabula ſubter habentur inſerta. Ego Gauzbertus abba nominatus rem dictam reddidi ſtabilitate firmam. Gauzbertus de Lauragenſi caſtro firmavit. Bernardus Petri de eodem caſtro firmavit. Bernardus Rainonis de Wandalorum caſtro firmavit. Raymundus Amelii firmavit. Facta donatio hæc in manu Willelmi comitis Toloſani anno ab incarnatione Domini milleſimo LXIII. regnante rege Philippo. Data V. idus Junii.

1064. *Ex chart. Cluniac.*

XX.

Unaldi abbatis Moiſiacenſis teſtamentum de decimationibus a variis ſecularibus ab eo redemtis.

PAx origo univerſis Deus, ſcilicet majeſtatis, eruditorum cogitationum proviſor, & conſiliorum propagator, bonorumque factorum patrator, cujus nutu

1071.

reguntur universa, gubernatur quidquid est quod habet esse a Deo, saluti providet humanæ, ut humanis casibus condescendat propria lege. Quapropter si suorum facta fidelium ad posteritatis memoriam traduntur aliquo modo, quod actum vel deliberatum est simplici oculo, non debet argui a subsannantibus ex improviso: quod enim communi proficit utilitati, omnium sine dubio expedit memoria teneri. Cum igitur secularium testamenta vim multam obtineant ad rerum deliberandarum indagia, magis credi oportet religiosorum quorumcumque fidelium ad comparationem istorum valere exempla. Certus itaque redditus hujusmodi allegationibus, ob multorum profectum filiorum, ego Unaldus abbas dictus cœnobii Moïsiacensis, cum consilio fratrum Dominum timentium, egi modis quibuscumque potui datis muneribus omnem decimationem, quam hactenus primates vel provinciales milites juste aut injuste possidere visi sunt, in nostram ducere ditionem: hoc tamen non ob avaritiæ quæstum multiplicandum; sed restituendum, quod Deo jure debetur censum. Olim quippe ex legis præcepto non solum decimas, sed & primitias omnium rerum Deo ferre populus: indignus etenim judicabatur ejus conspectui, quisquis hoc auderet prætergredi. Unde ipse Salvator pharisæos arguit in evangelio applaudentes de sua justitia, quod hæc quidem implentes minima, relinquerent quæ legis essent graviora, decimas, inquiens, mentam & anetum & ciminum, & omne olus. Hoc idcirco non dicimus quo ad Judaïcæ legis ritum christianitatis velimus transducere cultum; sed ut fidelium populus de majori justitia sollicitus, de minori non audeat contra gloriari inimicus. Cum ergo ita sint, & non tantum divinis, sed etiam humanis promulgatum constet legibus, dubium non est reatu constringi prævaricationis, qui ex industria tollere conatur res Deo sacratas usu nefariæ temeritatis. Qua de re ego jam denominatus abbas Unaldus, ob hujusmodi coemtionem, largitus sum Bertranno abbati seculari triginta solidos, simili modo Willelmo cognominato siccarii pro hoc adipiscendo duos equos, & unam unciam auri, ac solidos sexdecim; & contulit nobis intra hos terminos, scilicet ab ipsa Barta, sicut flumen Tarni discurrit, & sicut parrochia S. Michaëlis determinatur, & ab alia parte subtus stratam, quæ ducit ad S. Laurentium, sicut ipsa parrochia S. Laurentii determinatur; & parrochia S. Ansberti, ita dedit de omnibus, quæ infra hos terminos ipse vel alii per eum tenere videbantur: & firmavit ipse, & uxor ejus, & filii ejus Raimundus & Siquerius. Eadem quoque ratione Raimundo de Podiolo dedimus unum equum, & dedit infra hos terminos ab ipsa Barta, & per ipsam tapiam descendendo, & in hac villa quidquid ipse vel alii per eum habere videbantur, & ita firmavit, & debet facere fratri suo eodem modo firmare. Qui videlicet Stephanus veniens ad mortem, cum consilio fratris sui ejusdem, Raimundi scilicet, omnem suam decimationis partem, pro hoc (ad) succurrendum monachus effectus, relinquendo firmavit: de vineis scilicet Falqueti & Armulh. Pro hac eadem causa Stephano de illa Valleta similiter dedimus unum equum, & ipse dedit infra hos terminos, sicut strata publica quæ ducit ad Orientem, & determinatur cum terris Willelmi Siccarii de omnibus quæ ipse, vel alii per eum tenere videbitur, & ita firmavit ipse, & filius ejus Bernardo, seu Hugoni, & fratribus ejus de Anazago, nonaginta solidos, qui omnem suam quam habebant partem decimationis dederunt Deo, & S. Petro jure perpetuo possidere, quantum in parrochia S. Michaëlis, & alii per eos habere videbantur. Similiter Gaufredus de Belpoi omnem decimationem quam habebat ipse, vel per eum in partochia S. Michaëlis pro anima sua, ipse & filii ejus dederunt S. Petro. Simili modo Pontius Faber in infirmitate positus, omnem decimationem suam ipse & filius ejus dederunt S. Petro, Raymundus Geraldus & frater ejus omnem decimationem suam quam habebat in parrochia S. Michaëlis totam ab integro dedit S. Petro & nobis, sicut & suprascripti alii, & dedimus & inde triginta solidos. Pro hac autem digna eorum mercede socios fraternitatis nostræ, & participes omnium benefactorum nostrorum dignos judicavimus esse: non solum vero illos, sed & posteros eorum per omnem jugiter ævum. Decrevimus etiam pro animabus eorum post finem vitæ fieri generalem memoriam, officium scilicet decantandum, missam quoque celebriter peragendam omnibus annis in vigilia S. Michaëlis. Facta autem hujus cessionis vel donationis charta, anno incarnationis MLXXIII. regnante Philippo rege Francorum, in manibus Domini Hugonis Clunienſium abbatis, & domini Unaldi abbatis, cujus providentia & dispositione hæc omnia acta noscuntur, & aliorum fratrum plurimorum in ipso Moïsiaco Deo famulantium. Nomina autem eorum, qui hanc donationem firmaverunt, hæc sunt. Bertrannus abbas secularis firmavit. Bernardus Hugo, & fratres ejus firmaverunt. Willelmus Siccarii, uxor & filii ejus firmaverunt. Raymundus de Podiolo, & alii multi firmaverunt. Si quis autem hanc chartam juris cessionis adversariorum, vel certe filiorum illorum, qui eis hereditate successuri sunt, post obitum violare, seu depravare vel corrumpere, sive etiam loca eidem congredi aut deprædari tentaverit, hac sorte multetur. Non discedat a domo ejus plaga lepræ, famis & pestilentiæ, gladii ac mortis horrendæ.

Matth. 23. 23.

XXI.

Charta Fidis comitissæ Narbonensis de dono ecclesiæ S. Petri de Sermur facto Hugoni Cluniacensi & Unaldo abbati Moïsiacensi.

1077. *Ex archiv. Moïsiac. & schedis Celbertinis.*

NOverint tam præsentes quam futuri, quod ego vicecomitissa Narbonæ nomine Fidis, in Dei nomine sub hac descriptione dono Domino Deo & SS. apostolis Petro & Paulo, & Hugoni abbati Cluniacensi, & Unaldo abbati Moïssiaci, & cunctis ejus succedentibus, & monasterio Moïssiaco, & omnibus ibi Deo servientibus, quandiu locus ipse in Dei servitio perstiterit, ecclesiam illam, quæ fundata est in honore B. apostoli Petri, in loco qui vulgo vocatur Sermur super flumen Biauri, in episcopatu Ruthenensi, ut habeant & possideant ipsam ecclesiam cum omnibus ad eam ubi ubi pertinentibus in perpetuum. Dono etiam & concedo ego supradicta Fidis vicecomitissa totum montem usque in collum alterius montis, qui vocatur del Poieth, a parte superiori a rivo Naosa, usque in Biaur, sicut ambo claudunt ambos montes, alodem & fevum, & vicariam undique silvam quæ monti adjacet; vineas, hortos, domos, molendinos, piscarias, fontes, ingressus & egressus. Similiter dono caput manſum de Cesairent. Hanc igitur donationem, ut firma ac stabilis perseveret, facio cum auctoritate domini Petri Ruthenensis episcopi, & consilio, & voluntate. Si quis vero nostræ vel cujusliber propinquitatis hanc nostram donationem quam ego facio pro peccatis meis, & redemtione animæ patris mei, & matris, & omnium parentum meorum, violare, aut alienare præsumserit; in primis iram Dei, & omnium sanctorum incurrat; deinde domni Papæ illius temporis & cunctorum fidelium, quousque resipiscat, & satisfaciat auctoritate & potestate damnetur. Facta donatio ista in manibus supradictorum abbatum, & Bernardi monachi cognomento Guillelmi, cujus studio hoc factum est, & Vitalis Clerici, anno ab incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, regnante Philippo rege, sedis Romæ pontificatum tenente domno Alexandro Papa. Signum Fidis vicecomitissæ, quæ hanc chartam fieri jussit, & testibus firmare rogavit. Signum Petri episcopi Ruthenensis, & Pontii de Cassanas, & Pontii de Panat. Signum Hugonis Stephani. Amen.

Error est manifestus in hujusce charta numericis notis, nam Alexander Papa anno 1077. *Romana non præerat ecclesiæ, quam morte reliquerat Gregorius* VII. 1073. *Itaque pro* 1077. *legendum forte* 1067.

XXII.

Charta Bernardi comitis Biſuldunenſis Campi-rotundi, Arulenſem, & S. Pauli de oleis abbatias Hugoni abbati Cluniacenſis in manu Unaldi abbatis Moiſiacenſis conſobrini ſui reformandas ſubjicientis.

1078 ex tabulis Moiſiac. monaſterii Caturcenſis.

OMnibus in æternum manifeſtum ſit, quoniam ego Bernardus comes Biſuldunenſis videns quædam monaſteria, quæ mihi ſuccedebant ex propinquitate anteceſſorum meorum, a monaſtico ordine, & regulari vita penitus devialſe, pro remiſſione peccatorum meorum, atque remedio animarum patris mei, & matris meæ in melius ordinare diſpoſui. Hoc igitur ſalubri conſilio accepto, auctoritate meorum hominum dono ſub legali deſcripto omnipotenti Deo, ſanctiſque apoſtolis ejus Petro & Paulo loco Cluniaco, atque abbati venerando domno Hugoni, & omnibus ejus ſucceſſoribus, quandiu locus Cluniacus in ordine perſtiterit; electionem, & dominationem monaſterii S. Petri Campi-rotundi in Gerundenſi territorio, atque monaſterii B. Mariæ quod dicitur Arulas, in Elenenſi confinio: ſimulque monaſterii S. Pauli in valle Oley, in Narbonenſi pago; ut teneant & ordinent prædicta monaſteria, ſecundum regulam S. Benedicti in perpetuum. Ut autem hæc mea ceſſio ſtabilis permaneat, abbatiam S. Mariæ de Arulis ab illis qui in fevum adquiſierant redemi; ſcilicet a Guifredo Narbonenſi archiepiſcopo centum uncias auri, & ab Arnaldo Arnaldi centum uncias auri, & in vita ſua dimiſi ei de ipſo honore capellaniam in eccleſia S. Petri de Albania, atque omnes fevos militum, quos in Biſuldunenſi confinio S. Maria habebat abſque fevo Bernardi Adalberti, & Willelmi Segarii. Similiter etiam abbatiam S. Pauli a Petro vicecomite Fenolenſium, quam in fevo acquiſierat redemi centum uncias auri, & dum vixerit dimiſi ei de ipſo honore S. Pauli villam quæ dicitur Mauri, inſuper omnes malas conſuetudines, botaricos, albergas, atque traginas, & omnes torturas, quas ego hactenus, vel omnes anteceſſores mei in ipſis honoribus prædictorum monaſteriorum inquirere videbamur, funditus dimitto. Iſtam ſiquidem donationem, ſicut jam dixi, ita jure perpetuo tenendam eſſe volo; ut ſi quis eam, quod abſit, violare tentaverit, ſub judicio Romani Pontificis examinandum eſſe relinquo. Factum eſt autem hujus meæ conceſſionis teſtamentum in manibus carilſimi mei conſobrini domni Hunaldi abbatis Moïſiacenſis, anno Dominicæ incarnationis MLXXVIII. Era MCXVI Gregorio VII. papa pontificatum Romæ tenente, Philippo Francorum rege regnante. Teſtium vocabula, qui hoc affirmaverunt ſubtus ſunt ſcripta. Ego Bertrandus comes affirmo, ac propriis manibus ita conſigno † S. Pontii Bledger. S. Udalardi vicecomitis. S. Adalberti Gauſberti. S. Arnaldi Geraldi. S. Petri Gauſberti. S. Gauſberti Petri.

XXIII.

Charta fundationis monaſterii ſubtus Brunechildum caſtrum in pago Caturcino, Hunaldo abbati Moiſiacenſi & Hugoni Cluniacenſi ſubjecti.

1083. Ex archiv. Moiſiac. & ſchedis Caturcens.

LEgibus inſtructi divinis, atque eccleſiaſticæ ſanctionis roborati exemplis credimus, & confitemur impietates, atque delicta humanis exceſſibus commiſſa, eleemoſynarum largitate, ſimulque bonorum operum aſſiduitate per Dei diſpoſitionem poſſe redimi, atque mundari: ipſa veritate quæ Deus eſt atteſtante, quæ ait: *date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Et iterum ſcriptura; *fili*, inquit, *benefac ſemper, & Deo dignas oblationes offer: memor eſto, quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum manifeſtabitur tibi.* His etiam, aliorumque divinorum eloquiorum admonitionibus provocati, nos videlicet Artmannus & Ademarius

Luc. 11. 41. Eccli. 14. v. 12. 13.

A vicecomites cognominati, auxiliante Domino providemus, atque diſponimus pro omnibus peccatis noſtris ex facultatibus propriis noviter monaſterium conſtruere, ad honorem ipſius omnipotentis Dei, & memoriam beatiſſimorum Petri & Pauli apoſtolorum principum, quibus a Domino collata eſt poteſtas ligandi, atque ſolvendi, procul dubio pro defenſione & melioratione noſtrorum tam corporum quam animarum, ſimulque pro remedio animarum parentum noſtrorum, atque omnium tam vivorum quam defunctorum fidelium. Igitur inſtinctu, & conſilio multorum nobiliſſimorum virorum, nos prænominati vicecomites Ademarus ſcilicet, atque Artmannus concedimus, atque donamus jure perpetuæ conceſſionis Domino Deo, ſanctæ ſcilicet & individuæ Trinitati, ſanctiſſimiſque ejus apoſtolis Petro & Paulo in locis ipſorum Cluniaco atque Moïſiaco, ſimulque abbatibus venerandis domno Hugoni, & domno Unaldo, & omnibus eorum ſucceſſoribus abbatibus, & monachis in ſupradictis locis Domino in perpetuum ſervientibus, locum ad hæc præerectum atque conſtitutum. Et eſt locus ipſe in Caturcenſi pago, in territorio ſubtus ipſum Brunechildum caſtrum; inter flumina Veræ & Avarionis, ipſum locum cum univerſis appenditiis & adjacentiis ſuis, quicquid ibi vel alias ad hoc opus deſignavimus, & donavimus, vel adhuc daturi ſumus, & quodcumque ipſius loci habitatores, cum Dei auxilio, inibi acquirere potuerint, ut ita teneant & poſſideant cœnobiorum ſupradictorum Cluniacenſium & Moſſiacenſium habitatores, in proprio alode jure perpetuo. Damus etiam, & ſub legali deſcripto, & firma corroboratione illum manſum noſtrum dictum de Monte Argillo in dominicatura propria, cum omnibus finibus ſuis, ingreſſibus & egreſſibus ut proprio alodio poſſidendum. Hæc autem omnia cum univerſis reditibus ſuis, quantum a nobis demonſtratum eſt, vel quantum in futuro, Deo annuente, acquiſitum ibi fuerit; ſcilicet in terris, vineis, aquis, ſilvis, pratis, cultis ſive incultis, totum ab integro cum ingreſſibus & egreſſibus ſuis, ita cedimus & donamus firma, & ſtabili ceſſione ſupradictorum monaſteriorum habitatoribus, abſque ulla omnino retentatione: ut ita habeant, teneant & poſſideant fideliter per cuncta ſuccedentia tempora, tali quoque conditione, ut neque nos, neque ullus unquam homo noſtræ vel alicujus generationis, poteſtatem aliquam in ſupradictis honoribus requirat, neque juſtitiam, neque vicariam, aut aliquam violentiam inferre præſumat ipſius loci habitatoribus, quantum infra ipſos terminos deſignatum eſt; ſed libera atque quieta hæc omnia ſupradicta ſervis Dei in æternum permaneant. Laudamus etiam & donamus, ut quicunque de beneficiis, & de fevis quæ de nobis tenent aliquid dare voluerint, ejuſdem loci in perpetuum teneant & poſſideant habitatores.

Volumus etiam, atque rogamus de his omnibus privilegium fieri a domno Papa Romanæ eccleſiæ; ut firma & ſtabilis hæc noſtra eleemoſyna ſemper permaneat, quam ſi quis violare præſumſerit, vel aliquo modo invadere tentaverit, ſentiat ſe eſſe damnandum & nunc, & in perpetuum. Hæc autem facta ſunt cum conſilio & auctoritate domni Geraldi Caturcenæ eccleſiæ pontificis, anno ſcilicet Dominicæ incarnationis MLXXXIII. regnante Philippo rege Francorum, domno Gregorio VII. pontificatum Romanæ eccleſiæ tenente anno X. menſe Septembrio, feria III. id eſt nonas ipſius menſis, luna XIX. indictione VI. Era MCXXI. Sig†num Armanni, & Ademari vicecomitum Sig†num Remundi Amelii. Sig†num Pontii Matfredi. Sig†num Raterii. Sig†num Matfredi Amelii. Sig†num Amelii Juſtini. Sig†num Bernardi filii ſui, & Hugonis fratris ſui. Sig†num Arnaldi de Mairaco, & filiorum ejus. Sig†num Petri, Stephani, & fratrum ejus. Sig†num Bernardi Hugonis, & fratrum ejus.

XXIV.

Urbani Papæ II. ad Guillelmum Toloſanum comitem, in gratiam Anſquitini abbatis Moïſiacenſis.

Ex archiv. B. M. Deauratæ.

URBANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Guil. Tholoſano comiti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Super religione & eleemoſynis, quas erga Deum & ejus famulos diceris exhibere, magno gaudio exultamus, maximas Deo gratias agimus. Eſt autem quod noſtram erga te benevolentiam minus afficiat, quod non adeo juſtitiam exequi te audivimus. Hoc autem ex eo accipit argumentum, quia Moïſiacenſis & Lezatenſis cenobii abbates injuſte expelli, & in eorum locis inique alios ſubrogari, pati ullo modo potuiſti. Notum autem tibi facimus, quia venerabilem fratrem noſtrum Anſquitillum in Moiſſiacenſem abbatem conceſſimus; Unaldum autem ut invaſorem ex eodem cenobio recedere decrevimus, idque *a* coram epiſcopo Caturcenſi, noſtris litteris intimavimus. Studeat ergo religio tua ſedis apoſtolicæ decretis viriliter inſudare, & ut noſtris effectus præceptis detur, inſiſtere. Sane quia te ſanctæ Mariæ apud Tholoſam omnino eccleſiam diligere & honorare accepimus; tuis aſſenſum precibus, tuæ religionis dilectione, concedimus; quatenus tibi, tuæque progeniei illic cimiterium conſtruas, & benedici facias. Ut autem beatæ Mariæ, beatique Petri ſtudeas devotionis ſervitiis incumbere, te & omnes qui in eodem loco religionis gratia obtinuerint ſepeliri, per beati Petri gratiam ab omnibus abſolvimus vinculis delictorum. Epiſcopo autem civitatis ut illud conſecret, ex noſtra parte mandabimus.

XXV.

Urbani Papæ II. ad Iſarnum Toloſanum, Simonem Agenenſem, Geraldum Caturcenſem, & Raimundum Lactoratenſem pro Moiſiaco.

1097. Ex cartulario Moiſiacenſi fragmento.

URBANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis fratribus & coepiſcopis, Iſarno Toloſano, Simoni Agennenſi, Gerardo Caturcenſi, Raymondo Lactorenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Fraternitatem veſtram non ignorare credimus, quod Moyſſiacenſe monaſterium magnæ quondam religionis, magnæ famæ, magnæque fuerit excellentiæ. Poſtmodum vero cum illic habitantium negligentia religionis gloria decreviſſet, ſubſtantiarum quoque copia diminuta, & pene ad nihilum redacta eſt. Gratias autem Deo, qui noſtris temporibus per Cluniacenſium abbatum induſtriam, religionem in eodem loco abolitam, reparare dignatus eſt. Oportet ergo, & veſtram fraternitatem pro beatorum Petri & Pauli devotione, quorum nomini locus ipſe dicatus eſt, operam dare, quatinus antiquarum poſſeſſionum ſubſtantiam recipere, & quas in præſenti tenet firmiter ad uſus ſervorum Dei ibidem manentium mereatur. Proinde abbatias vel monaſteria, quas & quæ nunc uſque tenuerunt, vel tenent, confirmamus eccleſiæ Moyſſiacenſi, apoſtolica auctoritate, ut poſſideant & teneant ſub dominio * Anniaceſis abbatis; ſcilicet in epiſcopatu Toloſano, abbatiam Lezatenſis; in Agennenſi, abbatiam ſancti Gervaſii Exienſis; in Elenenſi, ſanctæ Mariæ Arulenſis; in Girundenſi, ſancti Petri Campi-rotundi. Sed in hac conſtituimus & mandamus, ut non ibi amplius abbas ordinetur; ſed a Moyſſiacenſi abbate ibi prior præponatur. Prioratum etiam ſanctæ Mariæ Toloſæ, ſancti Petri de Coquinis, & ſancti Genii Hirtorenſis & Durivelleris, & Villænovæ in Ruthenenſi pago, & conquetas cum appendiciis ſuis, & omnia quæ nunc in præſenti tenent, ut in æternum poſſideant in pace, volumus & mandamus; & hæc ex beatorum apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate & noſtra. Adjicientes hæc, ut in abbatiis ſupra nominatis, ſine Moyſſiacenſis abbatis

* *f.* Cluniacenſis.

a Extat ea de re epiſtola Urbani II. ad Guillelmum Caduroenſem epiſcopum, quam edidit Baluz. Miſcellan. tom. VI. p. 402.

A conſilio & voluntate, abbas nullatenus eligatur, vel ab aliquo ordinetur. Quod ſi contigerit auſu temerario ab aliquo fieri; & electus & eligentes, ordinatus & ordinator, excommunicentur, & a ſuis ordinibus ex beati Petri auctoritate, ſub anathematis interminatione deponatur. Conqueruntur etiam ipſi fratres Moyſſiacenſes plurimas ſui juris eccleſias a laicis omnibus occupari; in Toloſano quidem epiſcopatu, eccleſiam ſancti Martini de Maurago, ſancti Juliani, ſancti Ruſtici; eccleſiam de Affiniaco, de Corduba, de Biſingis, de Monte-bererio; in Agennenſi, eccleſiam ſancti Amantii de Tarrago, de Verbegaria, de Angarriaco; in Caturcenſi, eccleſias ſancti Martini & ſancti Vincentii de Antejaco, ſancti Petri de Biolo, ſancti Throdori de Linaco, ſanctæ Liberatæ, ſancti Amantii, ſancti Martini & ſancti Petri de Catex, B ſancti Saturnini de Bas, ſancti Johannis de Perſica; eccleſiam ſancti Saturnini, quæ conjuncta eſt eccleſiæ ſancti Petri; eccleſiam de Titiaco, ſancti Petri de Brugarias, ſanctæ Mariæ de Troilo; eccleſiam de Cogornoco, de Gratacumba, ſancti Lupi de Malauſa; eccleſiam cum curia, quæ dicitur de Fals; eccleſiam de Arduno; eccleſiam ſancti Sulpitii, ſancti Mauritii. In Lactorenſi epiſcopatu, in parrochia Limaniæ, eccleſiam de Sarraciaco, de Flamalingis, de Aliciano, de Orriols, eccleſiam ſancti Martini, ſancti Quiriaci, ſancti Ilari, ſancti Saturnini Manſionis-villam. Veſtram igitur prudentiam litteris præſentibus exhortamur atque præcipimus, ut ſupradictarum eccleſiarum occupatores, pro veſtri officii debito commoneatis; & quæ Dei ſervis, vel ipſi, vel ipſorum parentes perperam abſtulerunt, reſti- C tuere compellatis. Quod ſi veſtris noluerint commonitionibus obedire, noverint ſe beatorum apoſtolorum indignationem, ſicut eccleſiaſticarum rerum pervaſores, in pervaſione ipſa contumaciter permanentes habere, & excommunicatos eſſe. Data Toloſæ, nonis Maii indict. IIII. anno Dominicæ incarnationis MXCVII. per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis.

XXVI.

Raimundi Vicecomitis Caduroenſis vitam Monaſticam in Moiſiacenſi cœnobio amplectentis, & duas eccleſias Anſquitilio abbati condonantis.

1101. Ex archivio Moyſſiacenſi & ſchedis Colbertinis. Alt. 20. 31° Eccli. 30, 24.

D CUm manifeſtum ſit beatius eſſe dare quam accipere, & moneat unumquemque ſcriptura: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Ego in Dei nomine Raimundus vicecomes dictus, qui totiens ab aliis male acceperam tandem aliquando bene dare diſpono, atque miſeræ animæ meæ inſpiratione divina miſereri eligo. Nam vitam meam qua tam inique viveham, ut Chriſtianis omnibus audire tantum nefarium ſit, relinquens omnia, religione monaſtica commutavi. Eccleſias vero quæ dicuntur de Calzada, quas parentes & anteceſſores mei per ſimoniacam hæreſim prave diſtraxerant, ut oblationes earum, non per manus pauperum, ſed, quod turpe erat, per manus concubinarum, diſtribuerentur, in diſpoſitione Deo ſervientium ordinatione divina conſtitui atque compoſui. Has igitur eccleſias quæ in Caturcenſi pago conſtructæ videntur, major in honore & nomine B. Mariæ ſemper virginis: minor vero in honore ſancti E Audoeni confeſſoris; cum ſuis cimiteriis & oblationibus, terris, vineis, aquis, molendinis, ſeu omni eccleſiaſtico honore, & omnibus ubique ad ipſas pertinentibus, ego ſupradictus Raimundus, ſimulque filii mei Pontius & Petrus, donamus & relinquimus Domino Deo univerſorum, & beatiſſimis apoſtolis ejus Petro & Paulo, in locis venerabilibus Cluniaco & Moyſſiaco, abbatibus quoque præſentibus domno Hugoni & domno Aſquitilio, cunctiſque eorum ſucceſſoribus, tam abbatibus quam monachis in ipſis locis Deo ſervientibus, ut habeant, teneant & poſſideant in perpetuum alodum omni tempore, quamdiu cælum imminet terræ. Hæc, inquam, admonitione & induſtria ſummi & illuſtris viri domni Geraldi noſtri, id eſt Caturcenſis pontificis: inſtantia vero atque diuturnis ad Deum orationibus venerandi

randi abbatis Aſquitilii, cunctaque congregationis Moyſſiacenſis, exhortatione quoque, & ut ita dicam, partim violentia filiorum ſuorum Petri & Pontii, conſilio etiam & voluntate amicorum meorum, ac multorum nobilium virorum, tali tantaque devotione peregi. Si quis itaque hanc noſtram donationem inrumpere, violare, aut in aliquo minuere tentaverit, in primis iram Dei viventis incurrat, ac cum Dathan & Abiron damnatione perpetua damnandum ſe ſentiat in infernum. Cui autem melior apparuerit filius, aut propinquus meus, potentia ſua totum ab integro reſtituat ſancto Petro in ſupradicto loco Moyſiaco, ut particeps hujus meæ eleemoſynæ ſit, & hæreditaris meæ hæres legalis permaneat; ſcilicet, ut quod de manu laicali, ubi hactenus erat, in omnipotentis Dei & ſervorum ejus ſtipendia commutamus atque tranſducimus, abſque perturbatione & inquietudine ratum ſit, & inconvulſum conſiſtat omni tempore. Facta ceſſio deſcriptionis hujus auctoritate & conſilio domni Geraldi ſanctæ Caturcenæ eccleſiæ epiſcopi, ac clericorum ejus, anno Dominicæ incarnationis MC1. indictione nona, præſidente in Romana eccleſia Paſchale ſecundo Papa, regnante Philippo Francorum rege, in præſentia & corroboratione multorum teſtium. Ego ipſe Raimundus ſupradictus vicecomes, & filii mei Pontius & Petrus vicecomites, ita firmamus & corroboramus tenendum in perpetuum. Ego Ademarus Ramo dictus, qui ipſas per ſucceſſionem parentum meorum male tenebam & injuſte poſſidebam, ita libere & abſolute dono atque derelinquo, ſimul cum filio meo in manibus & præſentia ſupradicti abbatis domni Aſquitilii, atque aliorum multorum teſtium, tam monachorum quam laicorum. Signum Aimonis Eliæ. Signum Gauffredi militis de Caltzeda. Signum Petri Amelii. Signum Sicardi. Signum Hugonis vicarii.

XXVII.

Raymundus de Proeto abbas Moyſſiacenſis.

1100 IN nomine Domini noſtri J. C. Ego Raymundus Dei gratia comes Toloſæ, dux Narbonæ, marchio Provinciæ; amore Dei & pro redemptione animæ meæ & parentum meorum, dono & concedo in perpetuum Domino Deo, & beato Petro monaſterii Moyſſiacenſis, & dilecto in Chriſto fratri Raymundo, Dei gratia abbati dicti monaſterii, præſenti & recipienti, nomine dicti monaſterii & conventus, videlicet omnimodam juriſdictionem altam & baſſam, corporis, membrorum, ſanguinis & rerum in loco dicto de Catalens, & in omni territorio & pertinentiis, prout ſe extendunt & confrontantur inter Garumnam & territorium S. Parguerii, & territorium caſtri de Montcon & Boſcum, &c. Hoc donum dono, laudo, & in perpetuum concedo prædictis nominatis. Facta fuit charta iſta apud Narbonam, die Jovis ante ramos, hora prima, anno Chriſti MCC. &c.

XXVIII.

Raymundus de Ruſiaco abbas Moyſſiacenſis.

1118. IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, anno incarnationis ejuſdem MCCXVIII. ſexto cal. Octobris. Nos Raymundus Dei gratia Moyſſiaci abbas, notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quod cum nobilis vir dominus Almaricus dux Narbonæ & comes Toloſæ, & dominus Montisfortis poſt deceſſum inclytæ recordationis domini patris ſui, ad villam Moyſſiaci deveniſſet; nos de voluntate, conſilio & aſſenſu totius conventus noſtri, & hominum de Moyſſiaco, ipſum recepimus in hominem noſtrum, & ipſi promiſimus quod eum & & omnes homines ſuos, & terras, & res ſuas pro poſſe noſtro cuſtodiemus bona fide; & per hanc chartam confirmamus eidem omnes pactiones, & omnia jura quæ pater ſuus habebat in villa Moyſſiaci, & in pertinentiis ejuſdem, ſicut in chartis patris ſui plenius continetur. Et nos Almaricus dux Narbonæ, comes Toloſæ, & dominus Montisfortis, recognoſcimus vobis domino Raymundo feciſſe hominium & promiſiſſe vobis, quod vos & veſtra omnia & hominum veſtrorum, etiam villam Moyſſiacum cum pertinentiis ſuis pro poſſe noſtro cuſtodiemus & tuebimur bona fide: & omnes pactiones & jura omnia eccleſiæ & hominum Moyſſiaci, corporali vobis præſtito ſacramento, cum omni integritate obſervabimus, ſicut in chartis noſtris, & domini patris mei plenius continetur. Et ut hæc omnia firmius teneantur, &c. Actum Moyſſiac. anno ab incarnatione Domini MCCXVIII. ſexto cal. Octobris, præſentibus, &c. Egō Raymundus, No. pub. &c.

XXIX.

Epiſtola H. prioris Moiſſiaci, in qua de eligendo in abbatem R. jam abbate Lezatenſi, multas rationes nec ineptas affert.

SAnctiſſimo patri ac domino R. divina providentia Cluniacenſi abbati, H. humilis prior Moiſſiacenſis monaſterii, ac ejuſdem loci totus conventus, debitam cum ſubjectione obedientiam. Ex quo noſtrum monaſterium ſuos humeros Cluniacenſi eccleſiæ ſuppoſuit; quantæ qualiſve fraternitatis ac familiaritatis dilectionos vobis convinxerit, dilectionem veſtram nequaquam credimus ignorare; & ideo directos fratres noſtros A. priorem B. Mariæ Deauratæ Toloſæ, ac A. de Aragone, quem dominus abbas noſter quondam bonæ memoriæ dum viveret, domus noſtræ procuratorem conſtituit: necnon R. jam dicti domini abbatis capellanum, vobis mittimus, adverſitates & anguſtias quas noſtra eccleſia paſſa eſt, & adhuc patitur, ac etiam quod eidem ſuper his profuturum eſſe cognoſcimus declarando. Noverit itaque veſtra paternitas, quod paſtor noſter R. quondam bonæ memoriæ, de vitæ medio eſt ſublatus; & noſtra eccleſia in mari magno & fluctuoſo, pleno raptoribus poſita, inceſſanter ab inimicis juſtitiæ devaſtatur; ac ſui pauperes redditus, quos ab antiquis temporibus poſſidebat, ita ad nihilum ſunt redacti, quod ſuis ſervitoribus, dum divinum officium ibidem celebrabitur, vix poterit providere. Domino enim abbati noſtro dum viveret, noſtri redditus ſufficere non valebant: & ſicut jam dictus abbas per VI. annos tranſactos & amplius, in ſede propria moram facere non fuit auſus; tum propter cardinalem *a*, tum maxime propter comitem Toloſanum; ita prædictis de cauſis creditmus quod abbas ſuccedens in noſtro monaſterio, ad præſens moram facere non audebit. Et quia tot & tantis malis noſtra eccleſia circonvallatur ubique, tali paſtore indiget qui moderanter expenſas faciat, & ſe ipſum ad præſens propriis expenſis regere & vobis conſulere præſentialiter poſſit, ac notus in *pro[ria] benigvolentiam omnium nobilium, ac omnium terræ cleri captare ſciat, ac nos in honorem noſtri, & noſtri utilitatem noverit gubernare. Cum igitur talem qualem prædiximus penes nos invenerimus, dominum videlicet R. abbatem Leſatenſem, boni teſtimonii virum: ipſum nobis dignum duximus prætendendum. Hic etenim maxima dona virtutum percepit; eſt enim ſtudio caſtitatis mundus, abſtinentiæ robore validus, ad ſufficientiam litteratus, ad omnem tolerantiam fortis, ad ſuſtinendam injuriam mitis, ad faciendam miſericordiam ſ cilis, ac omnis patria ipſum excellentiori prælatura judicat eſſe dignum. Inſuper ipſe ſeſe & nos, qui huc uſque exules & vagantes pauperrimam vitam duximus, in abbatia ſua ſuſtentare poterit: quouſque in noſtram eccleſiam licite redeamus. Qua de cauſa benignitatem veſtram flexis ge..ib.s exoramus; quatenus jam *demum dominum R. abbatem Leſatenſem veſtri ac noſtri monaſterii monachum, nobis in paſtorem concedere dignemini; hunc enim a vobis ſummopere petimus, ac toto cordis deſiderio affectamus. Et quia dominus cardinalis, dum in ſua legatione eccleſias vacantes reperit, electiones fieri ſine ſuo conſenſu & conſilio prohibet: adhuc diſcretionem veſtram humiliter

a Iſte cardinalis ex alia charta eſt R. legatus apoſtolicæ ſedis.

*f. in patrii.

*f. jam dictum.

deprecamur, quatinus in continenti expedire nobis noſ- A trum negotium ſtudeatis, ne alienus meſſor ſua falce meſſem veſtram & noſtram valeat occupare. Si id, quod abſit, contingeret, vobis ad magnum dedecus, & nobis ad irreparabile cederet detrimentum. Cetera igitur quæ hic propter prolixitatem evitandam deficiunt, nuncii noſtri latores præſentium, vobis plenius explicabunt.

XXX.

Epiſtola ejuſdem de eodem ideo ſubjungenda, quia multa de R. per cujus obitum vacat eccleſia Moiſiacenſis refert.

1245. REverentiſſimis & venerabilibus patribus in Chriſto chariſſimis priori, & univerſo ſabbatho conventui B Cluniacenſis eccleſiæ, frater P. tertius prior in ordine, & totus conventus Moiſiacenſis eccleſiæ, ſalutem, & ſe eorum orationibus commendatos. Cum non liceat a capite membra recedere, ſed potius ſuo capiti membra debeant uniri; Moiſiacenſis eccleſia quæ nullum alium ſuperiorem immediate quam eccleſiam Cluniacenſem recognoſcit, ad vos, patres ſanctiſſimi, ſuos dirigit gemitus & dolores; clamans velut vidua, & piiſſimi patris R. ſolatio præſentiali deſtituta, ut eam, patres beatiſſimi, amplexantes, dignemini recipere in viſceribus caritatis. Et licet doloris immenſitas quoad ſenſualitatem, non recipiat aliquod conſolamen, Moiſiacenſis eccleſiæ conventus inhærens veſtigiis rationis, confortari deſiderat conſolationibus piiſſimis Cluniacenſis eccleſiæ ſuæ matris. Ut quid enim, patres piiſſimi, ut relatu fide digno per- C pendimus, eo quod vir venerabilis & piæ recordationis R. quondam pater noſter a vobis vocatus, in regimen eccleſiæ Cluniacenſis voluerit conſentire; cum eum ad hoc, non ſolum immenſa humilitas, ſed & piæ proviſionis ineffabilis caritas induxerit; ut pote illius qui languorem ſuæ infirmitatis ſentiens, præſumerat quodammodo. Sed heu, heu nobis! eſt poſt modum ſubſecutum, ſe non tantum vobis, ſed nobis etiam per modicum temporis duraturum. Hinc eſt quod conventus Moiſiacenſis eccleſiæ, attendens leſionem non modicam, non ſolum in temporalibus, ſed & in ſpiritualibus eidem eccleſiæ imminere, ſi diu ſine patris regimine permaneat, ad vos mittit ſuos fratres dulciſſimos R. priorem majorem, & A. priorem B. Mariæ Deauratæ Toloſæ, & G. priorem clauſtralem, & Heliam priorem de Coquinis, & J. priorem de Rabaſtans, quibus plenam providendi dicto Moiſiacenſi monaſterio contulit poteſtatem, prout in inſtrumento exinde confecto, plenius videbitis contineri; ſupplicans, requirens & rogans precibus caritatis, quatenus eos benigne recipientes, & de ſolatione patris piiſſimi dignemini conſolari, & in novo patre eligendo eis, tanquam patres filiis, imperdatis conſilium, & vivamus in illis in quibus a dictis noſtris fratribus, veſtris filiis, juſte fueritis requiſiti. Datum Moiſiaci, feria v. ante feſtum Pentecoſtes, anno Domini MCCXLV.

XXXI.

Epiſtola P. tertii prioris ordinis Cluniacenſis, de electione abbatis Moiſiaci.

1245. *Turbert. Chron.* REverentiſſimo in Chriſto patri ac domino, Dei providentia abbati Cluniacenſi, P. tertius prior in ordine & totus conventus eccleſiæ Moiſiacenſis, ſalutem cum ſubjectione, reverentiam tam debitam, quam devotam. Cum Dei judicio, cujus manu reguntur omnia, Moiſiacenſis vacaret eccleſia, felicis recordationis R. quondam abbate dicti monaſterii de carnis ergaſtulo divina vocatione ſublato, congregato Moiſiacenſi conventu, licet de ſeparatione tam nobilis capitis, cujus dignitate non ſolum membra ſua decorabantur, verum totius compaginis monachalis armonia, dictus conventus non dolere non poſſit; licet penſata ratione, magis gaudendum ſentiret, ſi rationem admitteret vis doloris. Tamen quia in electionibus mora periculum ad ſe trahit, invocata ſancti Spiritus gratia, ne diu Moiſiacenſis eccleſia paſtoris maneat ſolatio deſolata, venerabilibus viris R. priori majori, & A. priori B. Mariæ Deauratæ Toloſæ, & G. priori clauſtrali, & Heliæ priori de Coquinis, & J. priori de Rabaſtans, dilectiſſimis fratribus noſtris, præſentibus omnibus qui debebant vel erant ad electionem de longa conſuetudine Moiſiacenſis eccleſiæ convocandi, unanimi omnium conſenſu, conſilio & voluntate, idem conventus contulit vices ſuas, promittens firma ſtipulatione in eos transferendo, non ſolum poteſtatem eligendi, ſeu poſtulandi, ſed & providendi dicto monaſterio, ſe ſemper habiturum pro abbate illum quem dicti quinque, vel tres eorum de gremio Moiſiacenſis eccleſiæ eligerent abbatem, remota contradictione qualibet & ſemota. Cum igitur juſtis petentium deſideriis facile plus debeat præberi aſſenſus, & mora dilationem non capiat in præſenti, ſed poſſit in detrimentum non minimum noſtræ & veſtræ eccleſiæ redundare; paternitatem veſtram duximus obnoxius* reverendam, quatinus illi perſonæ quam ipſi elec- * *f.* obnixius requirendam.
tores juxta formam eis traditam duxerint eligendam, munus confirmationis manu benignissima impendatis. Datum apud Moiſiacum feria v. ante feſtum Pentecoſten, anno Domini MCCXLV.

XXXII.

1447. ACcum reformationis per modum apriſiæ agitatum coram honorabili circumſpectoque ac religioſo viro D. Petro Valete monacho & pitanſerio monaſterii B. Mariæ virginis Deauratæ Tholoſæ, ac licentiato in decretis, officialique Montis-Albani, pro reverendo in Chriſto patre domino Aymerico de Rupemaurello, divina & ſanctæ ſedis apoſtolicæ gratia Montis-Albani epiſcopo, & abbatiæ Moiſſiaci ordinis Cluniacenſis & diœceſis Cathurcenſis perpetuo adminiſtratore, &c. Anno incarnationis Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, & die Martis, intitulata ſexta die menſis Junii apud eccleſiam cathedralem Montis-Albani, & in domo priorali ejuſdem eccleſiæ, &c.

XXXIII.

Bulla Gregorii IX. pro monaſterio Moiſiacenſi.

1446. D GREGORIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecti filius abbati monaſterii ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli de Moyſſaco Cluniacenſis ordinis, ejuſque fratribus, tam præſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Quoties a nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire cognoſcitur, libenti animo concedimus. Quapropter dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & monaſterium ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli de Moyſſaco, Caturcenſis diœceſis, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtram protectionem ſuſcipimus, ſtatuentes ut ordo monaſterii, qui ſecundum Deum & beati Benedicti regulam atque inſtitutionem Cluniacenſem firmus in eo inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis temporibus ibidem inviolabiliter obſervetur; & quæcumque bona ipſi monaſterio acqui- E ſita vel acquirenda, vobis veſtriſque ſucceſſoribus firma & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipſum in quo præfatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis; villam Moyſſaci cum omnibus pertinentiis ſuis; S. Michaëlis; S. Jacobi & S. Mariæ de Portu Capellas & de Guiraland; S. Anſberti & de Poucha; hoſpitalia & eccleſias, cum decimis & aliis pertinentiis ſuis; S. Laurentii; S. Chriſtophori, & de Bieroſe; S. Petri de Bodor; S. Stephani de Liſac, de Garda, & S. Petri de Bieule; eccleſias cum villis in quibus eccleſiæ ipſæ conſiſtunt, & decimis earumdem, &c. dominium caſtrorum de Duroforti, de Monteſquivo, de Malunſa & de Bourniquel, &c. abbatiam S. Petri Lezatenſis, monaſterium & villam in diœceſi Toloſana, & abbatiam S. Gervaſii de Exis in diœceſi Aginnenſi, &c. abbatiam S. Mariæ

Arulenſis in dioceſi Helenenſi, cum decimis & aliis pertinentiis ſuis; abbatiam S. Petri de Camporotundo, in dioceſi Gerundenſi, monaſterium & villam, cum decimis & aliis pertinentiis ſuis, necnon & alias poſſeſſiones, cum pratis, vineis, nemoribus, &c. Præterea omnes libertates & immunitates a prædeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſæcularium exactionum a regibus & principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas; auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium tenere, perturbare, aut ejus * poſſeſſionem, aut terræ, vel oblatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſervent eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, &c. Datum XV. cal. Aug. indict. XIII. incarnationis dominicæ anno MCCXL. pontificatus vero domini Gregorii Papæ noni an. XIV.

* *f.* poſſeſſionis aut terræ.

XXXIV.

Bulla Stephani Papæ II. pro Figiacenſi monaſterio.

755. STEPHANUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis coëpiſcopis per Galliam degentibus, clero ſimul & populo, ſalutem. Principis piiſſimi Francorum Pepini, poſt unctionem ſui, & conſecrationem apud Pariſium eccleſiæ B. Dionyſii, coactus ſum precibus partes Aquitanias peragrare; ac cum eodem rege in pago Caturcenſi deveniens, monaſterium in loco qui Fiacus dicitur ab ipſo fundatum, conſecrare. Quo cum veniſſem cum quibuſdam epiſcopis ad hoc ipſum officium una mecum invitatis, quid ibi divini & inuſitati contigerit miraculi, nullatenus oblivioni tradendum. Nam in ipſa nocte, quæ hoc opus præcedebat, auditæ ſunt voces pſallentium a nonnullis in ipſa eccleſia quæ dedicanda erat. Facto itaque mane, nobis ad tantum miniſterium peragendum accedentibus, nubes ſubito denſiſſima ita omnem illius templi ſuperficiem operuerat, ut totum omnino aditum introeundi denegaret. Cum igitur nubes ipſa abſceſſiſſet, eccleſiam ingredimur, altaria & parietes diligentius contemplamur, ſacrique chriſmatis unctionem & cuncta quæ ad ritum dedicationis pertinent, ſolemniter adimpleta, liquido cognoſcimus. Hujus itaque tam magnifici operis ipſum mundi Salvatorem, in cujus honorem idem locus fundatus eſt, auctorem fatentes, miſſarum reverenter ſolemnia celebravimus. Ad teſtimonium ergo tantæ virtutis poſteris noſtris inſinuandum, ſecundam ibi Caturcenſis eccleſiæ ſedem exiſtere apoſtolica diffinitione ſtatuimus, atque primatum cunctarum haberi ejuſdem dioceſis eccleſiarum; & interdum ibi ordines myſteriorum ab epiſcopo Caturcenſi congruis temporibus generaliter fieri, & ipſam eccleſiam ſub nullius unquam poteſtate redigi pari modo decrevimus. Abbas autem ipſius loci ab ipſo epiſcopo in ipſa cui præponitur eccleſia benedicatur, niſi forte a Romano benedici voluerit pontifice, in hoc ſibi præſtita reverentia. Nulli præterea archiepiſcopo, vel epiſcopo, aut cardinali ſit facultas illum excommunicandi, niſi tantum Romano pontifici. Sepultura quoque illic præ cunctis aliis eccleſiis liberior habeatur; nulluſque defunctus ibi delatus a ſepultura prohibeatur, niſi propria culpa exigente, fuerit anathema. Monaſterium denique ſancti Quinctini de Galliaco, & cœnobium eremitarum Conchenſe, & illud de * Lonante, & omnes alias eccleſias a præſente rege eidem loco datas, cum cunctis ad ſe pertinentibus, necnon univerſa quæ a quibuſlibet fidelibus collata ſunt vel fuerint, Anaſtaſio abbati a nobis benedicto, ejuſque ſucceſſoribus perpetuo jure poſſidenda cenſemus; auctoritate ſimul ſanctæ Romanæ eccleſiæ & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli & noſtra, hoc per decretum firmantes. Si quis vero huic ſanctioni noſtræ in aliquo obviaverit, & habitatoribus illius loci moleſtus extiterit, & ex his quæ dicta ſunt aliquid irritum facere voluerit, ſi non admonitus ſe correxerit; pro contemptu apoſtolicæ ſedis, proprii gradus amiſſione mulctetur, & ſub anathemate redigatur, cujuſcumque gradus vel conditionis fuerit. Actum publice in eodem monaſterio VII. idus Novembris, anno dominicæ incarnationis DCCLV. indict. VII. anno vero IV. domini Stephani Papæ II. Data per manum Petri ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, VI. idus Novembris.

* *l.* Jonante.

Hanc bullam commemoratam ab Urbano II. contendunt Figiacenſes, ex teſtimonio Clementis Papæ V. in bulla data Avenione anno dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo, tertio id. Maii, pontificatus anno quarto. Verum hoc anno minime ſedebat Clemens V. Itaque interpolationis expertes non credo tam bullam Stephani II. quam alias ad ejuſdem confirmationem a Figiacenſibus laudatas; quod tamen litteris Stephani auctoritatem omnem haud detrahit.

XXXV.

Paſchalis I. conſecratum abs ſe Aymarum abbatem Figiaci mittit ad idem monaſterium deſtructum penitus & monachis deſtitutum, ut in priorem illum ſtatum reſtituat: & Conchenſe ſimiliter deſolatum ejuſdem juriſdictioni reſtituit.

821. PASCHALIS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei venerabili fratri & coëpiſcopo Stephano Caturcenſi, ſalutem. Fiacenſe monaſterium in dioceſi veſtra ſitum, quod anteceſſores noſtri, propter quandam ſanctitatis excellentiam, ſub diſpoſitione ſui moderaminis & defenſionis habere voluerunt, & privilegiis ſpecialiter ſublimaverunt, nunc novimus eſſe deſtructum, ignique a paganis concrematum, & monachos ubique diſperſos. Qua de cauſa doloris affectu tam ſacratiſſimæ eccleſiæ, quæ a Chriſto dedicata fuiſſe cognoſcitur, ſicut decretales litteræ gloriоſæ memoriæ domni Stephani ſecundi Papæ, nobis teſtantur oſtenſæ; deſolationi compatientes, in ejus reſtaurationem, prout poſſibilitas requirit, ſolicitudinem adhibere curavimus. Hujus itaque negotii ac laboris venerabili fratri noſtro Aymaro committentes præcipimus, & pro ſuorum abſolutione peccaminum; ut eundem locum ad priorem ſtatum reformet, atque monachos ibi aggreget. Ideo namque ille a nobis monachus & abbas benedictus eſt, ut clericos ab ipſa eccleſia, temerario auſu, ſibi uſurpatum auferat dominatum; & monachorum, quemadmodum fuerat, ibi reſtituat: quorum veſtræ quoque beatitudinis ſolicitudinem, ut in cunctis eum adjuvare velit admonemus, theſauroſque ac libros, & ſanctas reliquias, necnon & cuncta quæ propter timorem gentilium in Capdenacenſi caſtro deportata fuiſſe noſcuntur, reddi ſibi abſque dilatione mandamus; caſtrum etiam eundem monaſterio reſtitui, ſicut olim Innanti a Clodoveo rege datum fuerat, præcipimus. Filioſque noſtros chariſſimos Villelmum & Girbertum milites, qui ſunt ipſius caſtri ſeniores admonemus, ut abbati Aymaro adjutores in orationibus exiſtant, & jus ſuum, ſuique monaſterii tam in ſe ipſis, quam in caſtro, vel in proprio honore, quem ex altare Fiacenſi habere debent, recognoſcant. Omnem præterea honorem, monaſteria, vel eccleſias quæ a Pipino rege, vel aliis regibus, ſeu bonis viris eidem monaſterio conceſſa ſunt, & illa quæ a prædicto Clodoveo loco Innanti prius erant data, ſicuti chartarum auctoritas affirmat, Aymaro & ſucceſſoribus ejus poſſidenda perpetuo jure cenſemus. Monaſterium ergo quod Conchas nominatur, ſub ejus regimine, & abbatis Fiacenſis, quemadmodum olim fuerat, concedimus: & ut eum in priorali dignitate, quia deſtructum eſt, reſtauret, commonemus; ea ſiquidem libertate prædictum monaſterium donamus, qua a beatæ memoriæ prædeceſſore noſtro Stephano donatum eſt: videlicet ut nullius epiſcopi vel alicujus perſonæ excommunicationi ſubjaceat, præter ſolius pontificis Romani, neque ſub alicujus eccleſiæ dominatu redigatur, niſi ſolius Romanæ eccleſiæ; & ut liberior ibi ſepultura habeatur, & cetera quæ in decreto ejuſdem

anteceſſoris noſtri, in eadem eccleſia poſita, ſcripta A ſunt, inconcuſſa ſerventur. Si quis vero huic noſtræ vel illius conceſſioni contrarius extiterit, & abbati Aymaro, aut eccleſiæ illius habitatoribus moleſtus fuerit, & corrigere ſe noluerit, & proprii gradus damnum incurret, & velut prophanus & incorrigibilis anathema permanebit. Datum Laterani per manum Gregorii S. R. E. diaconi, notarii ſacri palatii, undecimo calendas Maii, feria ſecunda poſt octavas Paſchæ, indictione 15. anno dominicæ incarnationis octingenteſimo vigeſimo ſecundo, pontificatus autem domni Paſchalis Papæ quarto, qui in numero pontificum centeſimus habetur.

XXXVI.

Notitia de abbatia Figiacenſi, Cluniaco data.

1074. Per chartam Cluniacenſ.

DIvina conſulens clementia mortalibus naturalem & generalem legem mentibus indidit humanis, ut quiſquis proprium detrimentum agnoſcens, perquirat ſibi utile & proficuum. Igitur monachi Figiacenſes præter communem legem privatam etiam de ſuo proventu & profectu habentes, cum jam per multa annorum curricula ſui neglectores extitiſſent: tandem largiflua Domini inſpirati bonitate, multis laboribus deluderunt, quo priſtinos vitæ erratus in melius corrigendo emendare potuiſſent. Ad poſtremum ſub regula patris Benedicti degere & vivere parati, elegerunt in hoc dominum Hugonem abbatem Cluniacenſem pari voto & communi, quatinus ſicut proprio paſtori illi C obedirent, & ipſe ut peculiaribus ovibus deinceps agenda provideret. Qui in primis iſtud omnimodis pertimeſcens, & nullatenus adquieſcens, poſtmodum ſuaſionibus & impinctionibus, ut ita loquamur, domni Hugonis tunc temporis ſuæ congregationis profeſſi monachi; cujus dominio antequam monachicum habitum iſdem locus, videlicet Figiacus ſuberat, victus; habens etiam inde auctoritatem & permiſſionem domni Geraldi cardinalis Romani & epiſcopi Oſtienſis, qui illis diebus in locum ſupervenit, pariterque laudationem & & aſſenſum Begonis domni Hugonis filii, tam loci quam patriæ procuratoris & domini; necnon domni Geraldi Catûrcenſis epiſcopi, ſed & comitis Rotenorum Raymundi & Willelmi fratris ejus comitis Toloſani, quibuſdam fratribus ſuis illuc directis, locum ſecundum D regulam ſancti Benedicti innormandum ſuſcepit. Hoc intervallo venerabilis memoriæ Hugo Begonis pater, viam univerſæ carnis ingreditur, reſque ſemiperacta relinquitur. At Bego ardens animo ad effectum perducere quod pater ſuus morte prævenrus non potuit, legatione ſua optimatum ſuorum domno abbati Cluniacenſi directa, ad viſitandum & ordinandum locum, eum reinvitat. Quid multis? cepto conſilio, dimiſſis maximis negotiis, hoc iter arripuit, ac tandem poſt nimiam ſui fatigationem, ad jam dictum locum pervenit, ubi domnus Bego ante illum veniens, quæ bene mandando promiſerat meliori executione adimplere procuravit. Sane primo ſeorſum tota cauſa ventilata & inquiſita, omnes malas conſuetudines & torturas, quas illi loco hactenus fecerat, ſuorum nobilium uſus conſilio werpivit ac dimiſit; & poſtea in generali capitulo præſentibus domno Hugone & domno Hunaldo abbatibus, cum nonnullis fratribus Cluniacenſibus, ſed & Figiacenſibus; tunc ut primum domnum Hugonem abbatem & paſtorem ſuum una & eadem ſententia eligentibus & proclamantibus, palam a loco ſuam progeniem alienavit, & in perpetuum extorrem reddidit, ac poſtmodum Domino Deo Patri, Filio, Spirituique ſancto, in cujus honore eſt attitulatus, eumdem locum pro abſolutione patris, matris, ſuorum ſuæque progenitei peccatorum conceſſit, & domno Hugoni abbati, ſuiſque ſucceſſoribus & loco Cluniacenſi ad ordinandum & ſervitio Dei diſponendum ſubmiſit ex tunc, & in antea per omnia ſæcula ſæculorum. Ubi ob monimentum tantæ rei & ipſe & ſui, partem & ſocietatem omnium beneficiorum privatorum & publicorum totius Cluniacenſis congregationis acceperunt; quique in aſtipulatione & affirmatione nominatim * ſubnotatis. Approbavit quoque & laudavit domnus Bego, atque ſui optimates fratrum Cluniacenſium conceſſionem, ac ſuam prædicto loco factam werpitionem & relaxationem muniri ac roborari regalibus præceptis & apoſtolicis privilegiis, ut nullus deinceps abſque damno & periculo cujuſque ordinis, honoris, vel poteſtatis, promiſcui ſexus, aut ætatis, audeat vel præſumat, tam notabilem & ſolemnem liberalitatem quocumque modo infringere vel calumniari. Quod ſi quis heres aut proheres domni Begonis, vel qualiſcumque immiſſa perſona, contemto Deo & ſanctis ejus contra hoc aliquid contradictionis molitus fuerit; niſi reſipiſcens pœnituerit & emendaverit, ſors ejus & B pars ſit cum Juda traditore Domini, cumque Dathan & Abiron, quos vivos terra abſorbuit, & cum his qui dixerunt Domino: *recede a nobis*. Factum eſt autem hoc memoriale vel charta deſcriptionis, anno ab incarnatione Domini MLXXIV. indictione XII. præſidente ſanctæ & apoſtolicæ ſedi domno Gregorio VII. Papa, ſecundo anno papatus ejus, Francorum regnante rege Philippo. Eſt autem hoc ſcriptum Fiaci publice factum Sabbato in die B. Lucæ evangeliſtæ. Signum in primis domni Begonis.

* *f.* ſubnotati ſunt.

XXXVII.

Begonis charta quæ offert Cluniaco abbatiam Figiaci.

SUggerente ſumma & inſeparabili Trinitate, ego Bego filius Hugonis de Calmonte, offero & dono ad altare beati Petri Cluniacenſis ordinationem abbatum monaſterii Fiaci, ſive monachorum omnium, præſentium ſcilicet & futurorum, ut ſit in manu præſentis abbatis Cluniacenſis, & eorum qui poſt eum venturi ſunt, ut ordinent eum ſecundum regulam ſancti Benedicti: & hoc * facto pro redemtione animarum patris mei & matris meæ, & omnium parentum meorum, ut ſit ſtabile in perpetuum, & ſine mendacio & fraude.

* *f.* facio.

XXXVIII.

Urbanus Papa II. in concilio Nemauſenſi controverſiam inter Conchenſes monachos & Figiacenſes componit, & utrique monaſterio proprium abbatem indulget.

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Cum 1097
pro negotiis eccleſiaſticis in partes Galliæ veniſſemus, apud Arverniam largiente Domino plenariam ſynodum convocavimus. Illic a Conchenſis monaſterii fratribus reverendæ memoriæ Gregorii ſeptimi Papæ litteræ præſentatæ ſunt, præcipientis Figiacenſe cœnobium Conchenſi cœnobio uniendum; & quia per idem tempus utrique loco abbates proprii præſidebant, alterutro defuncto, eum qui ſuperſtes eſſet, utrique monaſterio præferendum. Conchenſis itaque cœnobii abbas, quia contra litterarum ipſarum tenorem ſubſtitutus fuerat, in eodem concilio depoſitus, & Figiacenſis, E qui ſupervixerat, utrique loco prælatus eſt. Cœpit ergo inter utrumque monaſterium diſcordia tanta verſari, ut & bona plurima diſtraherentur, & animarum ſalus detrimentis maximis peſſundaretur. Præterea, cum ad aures Cluniacenſis abbatis hujuſmodi conſtitutio perveniſſet, cœpit ſupradictas Gregorii Papæ litteras tanquam ſurreptitias calumniari, & definitionem ejuſdem negotii, ſe præſente aliter perpetratam reſtari; quandoquidem ab eodem pontifice Figiacenſis locus Conchenſi monaſterio per privilegium fuerit ſuperpoſitus. Igitur cum largiente Domino, tertia per inſtantiam noſtram apud Nemauſum ſynodus conveniſſet, cœpit ejuſdem negotii quæſtio graviter agitari. Poſt longum vero ſuper hac re epiſcoporum abbatumque tractatum, placuit cum pro apoſtolici privilegii conſervatione, tum pro communi monaſteriorum ſalute, ut utrique loco, ſicut

ante fuerat, abbis cardinalis reſtitueretur; & tam Figiacenſes monachi quam Conchenſes, ſub proprii abbatis cura deinceps & proviſione perſiſterent. Et nos igitur commune concilii decretum apoſtolicæ auctoritatis pondere confirmantes, definitionis hujus ordinem perpetuo permanſurum, noſtri nominis litteris annotari, & ſigilli noſtri præcepimus impreſſione firmari. Si quis autem hujuſce definitionis tenorem temerario auſu fuerit conatus infringere, ſciat ſe apoſtolicæ indignationis ultionem incurrere, & detrimentum ſui ordinis vel officii invenire. Actum in concilio apud Nemauſum, in eccleſia ſanctæ Mariæ, ſeptimo idus Julii, anno dominicæ incarnationis MXCVII. indictione * IV. anno vero pontificatus domni Urbani papæ ſecundi nono *. Datum apud vallem Flavianam, in monaſterio ſancti Ægidii, idus Julii.

* v.

* malus decimo.

XXXIX.

Epiſtola R. abbatis Moyſiaci, de electione abbatis Figiaci.

1237. VEnerabili in Chriſto patri, ac domino H. Dei gratia Cluniacenſi abbati R. humilis abbas Moiſiacenſis, obedientiam tam debitam, quam devotam, cum ſalute. Cum vacante eccleſia de Figiaco veniſſemus ad dictum locum de mandato veſtro, & vice veſtra procederemus in ordinatione prædictæ eccleſiæ; reprobata electione cujuſdam perſonæ tanquam nulla, electionem Reſinondi de Caſa canonicam atque legitimam, & de perſona idoneam, auctoritate in hac parte nobis commiſſa, dignam duximus confirmandam, & confirmavimus; ſupplicantes quatinus prædictam confirmationem ratam & gratam habeatis. Datum an. MCCXXXVII. menſe Maii.

XL.

Alia epiſtola R. abbatis Moiſiaci, ad H. abbatem Cluniacenſem, de electione abbatis Figiaci.

1243. REverendo in Chriſto patri H. Dei providentia abbati Cluniacenſi, frater R. dictus abbas Moiſiacenſis, ſalutem, & obedientiam tam debitam, quam devotam, cum animi reverentia & honore. Paternitati veſtræ inſinuatione præſentium intimamus, quod cum de perſona venerabilis & chariſſimi fratris noſtri W. de Becens in Figiacenſem eccleſiam nuper fuerit electio celebrata: nos ipſius perſonam cognoſcentes litteratam, idoneam & honeſtam, tanquam ejus cujus converſatio nobis ab infantia fuit nota, ipſam electionem auctoritate veſtra confirmavimus. Prædictus vero W. promiſit in manu noſtra coram multis, tam clericis quam laicis, obedientiam & fidelitatem vobis & ſucceſſoribus veſtris, & Cluniacenſi eccleſiæ in perpetuum obſervandam. Promiſit etiam quod eandem promiſſionem ſolemniſaret coram vobis in Cluniacenſi eccleſia infra annum. Datum * Cluniaci anno Domini MCCXLIII.

* forte Moliſiaci, vel potius Figiaci.

XLI.

Charta electionis Aldemari in abbatem Figiaci.

1244. ANno ab incarnatione Domini MCCXLIV. die Sabbati ante nativitatem Domini, nos conventus Figiacenſis notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quod cum nos & eccleſia Figiacenſis eſſemus paſtoris ſolatio deſtituti, nos vocatis omnibus qui de jure vocandi erant, capitulum noſtrum Figiacenſe intravimus, prout eſt moris, de futuri paſtoris electione tractaturi: qui unanimiter & communiter poteſtatem noſtram providendi, poſtulandi, eligendi abbatem & paſtorem nobis & eccleſiæ Figiacenſi deſolatis, contulimus priori, & decano, & elemoſynario, & camerario, & priori de Tourit, & priori S. Felicis, monachis, & fratribus eccleſiæ Figiacenſis, & tranſtulimus in eoſdem: promittentes firmiter, & ab unoquoque noſtrum, juramento corporaliter facto & præſtito, quod nos illum haberemus & reciperemus præciſe, abſque aliqua contradictione in abbatem & paſtorem, pro abbate & paſtore, quem præfati electores a nobis concorditer inſtituti, nobis & eccleſiæ Figiacenſi per electionem, poſtulationem ſeu nominationem providerent. Qui præfati electores unanimiter & concorditer, invocata Spiritus ſancti gratia, religioſum virum Aldemarum celerarium & monachum Aureliacenſem, honeſtæ converſationis & famæ laudabilis, in prædicto capitulo dicta die nominaverunt, & elegerunt in poſtulandum: quam electionem & nominationem univerſi & ſinguli laudavimus & approbavimus, Deo gratias referentes. Teſtes autem, &c. Et quia nos præfati conventus ſigillum proprium non habemus, rogavimus venerabilem patrem P. Dei gratia abbatem Manziacenſem, ut ipſe in teſtimonium ſigillum ſuum apponi faceret huic chartæ. Et nos P. præfatus abbas, ad preces præfati conventus, ſigillum noſtrum proprium apponi fecimus huic chartæ: & ego prior: & ego decanus: & ego elemoſynarius: & ego camerarius: & ego prior de Toirac: & ego prior S. Felicis, præfati electores ſigilla noſtra poſuimus huic chartæ in teſtimonium rerum omnium præmiſſarum.

XLII.

Inſtrumentum epiſcopi Claromontani, de electione ſcilicet Aldemari in abbatem Figiaci.

1244. NOs Hugo Dei gratia Claromontenſis epiſcopus, notum facimus univerſis præſentes litteras inſpecturis, quod cum ad venerabilem patrem Guillermum, Dei gratia venerabilem abbatem Cluniacenſem, religioſi viri decanus, & infirmarius Figiacenſes, & prior Garderiaci acceſſiſſent; eidem ex parte prioris & conventus Figiacenſis eccleſiæ humiliter ſupplicarunt, ut fratri Aldemaro monacho, quem unanimiter ſibi elegerunt in abbatem, confirmationis munus impendere dignaretur; eidem formam electionis factæ, & conventus ſuper his litteras præſentantes. Prædictus vero abbas Cluniacenſis ex ſuo officio volens agnoſcere utrum in his canonice proceſſiſſent, invenit memoratum conventum Figiacenſem, pro eo quod decimam iſtius anni quam dominus Papa eidem Cluniacenſi abbati a toto Cluniacenſi ordine perſolvendam conceſſerat termino ſtatuto, non ſolverint, excommunicationis ſententiam incurriſſe. Quare idem abbas Cluniacenſis, habito ſuper hoc diligenti conſilio, electionem hujuſmodi reprobavit & caſſavit, utpote ab excommunicatis celebratam: qui Figiacenſes monachi, tam pro ſe, quam pro conventu Figiacenſi petierunt & obtinuerunt abſolutionis beneficium ab eodem, recepta prius ſatisfactione de decima, pro qua erant excommunicati. Quia vero memorata Figiacenſis eccleſia in medio pravæ & perverſæ nationis dignoſcitur eſſe ſita, & multis debitis & gravaminibus eſt oppreſſa; dictus abbas Cluniacenſis diligenter conſiderans, quod mora poſſet dictæ Figiacenſi eccleſiæ periculum non modicum generare, eidem volens paterna ſollicitudine providere, Deum habens præ oculis, de Aldemaro Cluniacenſi * monacho, viro utique religioſo, provido & honeſto, dictæ duxit Figiacenſi eccleſiæ providendum, ipſum in ipſa dicta Figiacenſi eccleſia inſtituens in abbatem. Qui Aldemarus eidem abbati Cluniacenſi fecit obedientiam manualem, & in noſtra præſentia repromiſit. Acta ſunt hæc apud Saviniacum nobis præſentibus, & ad inſtantiam partium, videlicet abbatis Cluniacenſis, & prædictorum monachorum Figiacenſium omnibus ſupradictis interfuimus, ac præſentibus litteris ſigillum noſtrum apoſuimus in teſtimonium veritatis. Datum anno MCCXLIV. menſe Januarii. Ego Jacobus prior Marcigniaci interfui & ſubſcripſi. † Ego frater Aimo interfui & ſubſcripſi. † Ego Johannes archidiaconus Cluniacenſis interfui & ſubſcripſi † Ego frater Henricus interfui & ſubſcripſi. † Ego frater Willelmus conſtabulus interfui & ſubſcripſi. † Ego Guillelmus..... canonicus Claromontenſis interfui & ſubſcripſi. † Ego Martinus capellanus domini epiſcopi Claromontenſis interfui & ſubſcripſi.

* alibi dicitur Autiſiodorenſis

XLIII.

Epiſtola Bertrandi abbatis Aureliacenſis, de electione Aldemari monachi ſui in abbatem Figiac.

1145. REverendo in Chriſto patri, ac domino Dei gratia abbati Cluniacenſi, Bertrandus divina miſeratione abbas Aureliacenſis, ſinceram in Domino charitatem. Cum religioſus vir Aldemarus celerarius Aureliacenſis, unanimiter, & concorditer, & canonice in abbatem Figiacenſem fuerit poſtulatus, & poſtulationi de ſe factæ aſſenſum præſtiterit, de voluntate noſtra & aſſenſu, paternitatem veſtram exorandam duximus & rogandam humiliter & devote, quatenus domnum Aldemarum virum utique providum & diſcretum, qui bonæ famæ, religioſæ vitæ, & commendabilis converſationis extitit, recommandatum habentes, poſtulationem de ſe ipſo factam a Figiacenſi conventu, dignemini confirmare, & ipſum in ſuis juſtis petitionibus exaudire, cum ad regimen Figiacenſis eccleſiæ valeat pro certo idoneus reputari. Datum Aureliaci III. feria poſt Epiphaniam, anno Domini MCCXLV.

XLIV.

Epiſtola A. prioris Figiacenſis, de ſeditione populi Figiacenſis.

Ex chart. Cluniac. REverentiſſimo in Chriſto patri, ac domino U. Dei gratia Cluniacenſi abbati, A. humilis prior Figiacenſis, ſalutem, reverentiam & honorem. Paternitatem, nec non ſanctam religionem veſtram credimus non latere, qualiter propter malitiam & ſevitiam populi Figiacenſis in præterito oportuit nos exire a villa Figiacenſi, & remanſit eccleſia ſuis miniſtris deſolata: ſed mediante compoſitione venerabilis patris Pariſienſis epiſcopi, in quo compromiſſum fuit ab utraque parte ſuper controverſiis & damnis illatis eccleſiæ, & jurejurando fuit firmatum, fuit per ipſum epiſcopum definitum. Modo conſules & univerſitas, fracta religione ſacramenti, quod deductum fuit in compromiſſum, & ſacramento provulgatum, ſolita malignitate non obſervant; imo penitus omnes proventus retinent, a quibus conventus in veſtibus & victualibus ſuſtentabatur. Præterea noſcat ſanctitas veſtra, quod villa eſt in tanta ſeditione & periculo propter diſcordiam quæ eſt inter burgenſes & populum Figiacenſem, quod multum timetur de deſtructione villæ pariter & monaſterii: unde diſcretionis veſtræ paternitatem humiliter & devote requirimus, quatinus conſilium & auxilium veſtrum electo noſtro impendatis, ut eccleſia noſtra jura ſua poſſit coram domino rege, vel coram ſummo pontifice, ſecundum quod melius vobis videbitur, obtinere; & hoc, ſi placet, faciatis quam citius poteritis, quia periculum eſt in mora. Et quia ſigillum conventuale non habemus, ſigillo venerabilis patris abbatis Mauziacenſis præſentes litteras fecimus ſigillari.

XLV.

Varia inſtrumenta pro abbatia ſancti Marcelli, ex archetypis deſcripta.

1134. NOtum ſit omnibus ſancte matris eccleſie fidelibus, tam poſteris, quam præſentibus, quod domnus R. prepoſitus & univerſalis eccleſie beati Antonini conventus dederunt, & in manu Petri primi abbatis, Deo & beate Marie de Septemfontibus, eternaliter conceſſerunt terram que Fonſclarus dicitur, quantum infra cruces circumpoſitas continetur, ad conſtruendum monaſterium; pro qua terra monachi de Septemfontibus, debent reddere per unumquemque annum clericis beati Antonini, preſentibus & futuris, in die feſtivitatis ejus, unum morabetinum quinque ſolidos bene valentem. Hujus rei teſtes ſunt, Iſarnus vicecomes, & Sicardus vicecomes, & Helias de Bona, & A. de Alti, & Umbertus de Fontanis, & Willelmus frater ejus. Facta charta anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MCXXXIV. indict. XII. Innocentio Romano pontifice, Ludovico rege regnante. Ego R. præpoſitus ſubſcripſi. † Ego Bernardus Berengarius canonicus ſubſcripſi. † Ego P. Sigfredus ſubſcripſi. † Ego Martinus ſubſcripſi. † Sig†num Geraldi, qui hanc chartam ſcripſit.

Notandum quod hac charta ſit denticulata.

ARMANDUS de Montepezato & fratres ejus dederunt locum ſancti Marcelli Deo & beatæ Mariæ, in manu Petri primi abbatis de Septemfontibus. Dictus vero abbas ſuſcepit eos cum omnibus beneficiis quæ in loco de Septemfontibus fiunt, ſive factura ſunt; & ſi converti voluerint, vel ibi ſepeliri, ſic fratres ſuſcipiantur & ſepeliantur. Hujus rei teſtes ſunt Arnaldus Autr', Bernardus de Sancto-Ciricio, & Bernardus Grimaldi cappellanus. Willelmus vero Aimonis & uxor ejus dederunt & dimiſerunt decimam prædicti alodii in manu Petri primi abbatis de Septemfontibus. Poſtea filii ejus Willelmus Aimonis, & Bernardus & Aimo, & Gineſius & Arnaldus, & ipſius terre decimarii Arnaldus & Geraldus & Bernardus, dederunt & conceſſerunt, ſicuti Willelmus Aimo & uxor ejus dederant in manu Raymundi abbatis. Hujus rei teſtes ſunt Bernardus Gaucelini, & Bernardus Aimonis, &c. *Sine temporis nota.*

ANno ab incarnatione Domini MCLIX. indictione ... epacta nulla, concurrente ſecundo luna XI. V. idus Auguſti, domno Adriano ſummo pontifice exiſtente, Ludovico piiſſimo rege Francis imperante, Geraldo Hectore Caturcio epiſcopante, Raimundo conſule Toloſenſi, Guillhelmus de Pomaret dedit Deo & ſancte Marie & habitatoribus Septemfontium, in manu Bernardi abbatis, quicquid juris & rationis habebat vel habere ſe credebat in tota terra de Foſſat-franc. Ita ſane, ut ſi quando ipſe, vel filii ejus religionis habitum accipere voluerint in eodem monaſterio, ſalvo jure ordinis noſtri ſuſcipiantur. Eodem pacto dedit Geraldus de Solario cognatus ejus. Hoc autem ſciendum quod ubicumque moriantur Guillhelmus ſcilicet, vel Geraldus, pro eis, ſicut pro fratribus noſtris, facturi ſumus. Hoc donum factum eſt juxta eccleſiam ſancti Martini Montiſpiſati. Hujus rei teſtes ſunt Armandus de Mazeriaco Caturcenſis canonicus. Armandus de Montepiſato gener Guillelmi de Toloſa. Raimundus de Salvaniaco. Petrus Bernardus de Pino, & Guillelmus frater ejus. 1159.

ARNALDUS Bernardi Montiſlavardi, & Braida ſoror ejus, concedunt Deo & ſancte Marie, & Bernardo abbati ſancti Marcelli, ejuſque ſucceſſoribus, & omnibus fratribus ibi Deo ſervientibus honorem de Vacareſcas. Facta charta anno ab incarnat. Domini MCLXIII. luna VII. menſe Januarii, regnante Ludovico rege Francorum, Raimundo ſancti Egidii conſule cum Enrico rege Anglorum litigante, Geraldo Hectore in pago Caturcenſi preſidente. Hujus doni teſtes ſunt Villelmus capellanus de Biule, Armandus vicecomes Brunequelli, Armandus de Artiga, &c; & plures alii. 1163.

CUm inter monachos de Septemfontibus qui in loco ſancti Marcelli morabantur, & decanum & monachos Cariacenſes maxima diſcordia diutius agitaretur, cauſa pacis & concordie W. abbas de Septemfontibus & Arnaldus de Broza, qui tunc temporis ſancti Marcelli prior dicebatur, predicto decano Arnaldo de Mota, & monachis Cariacenſibus tali pacto L. ſolidos accommodaverunt, ut quicquid in prædicto loco ſancti Marcelli decanus & ejuſdem eccleſie monachi juſte vel injuſte exigebant, nichil ulterius requirerent, nichil ulterius in perpetuum exigerent; donec ad inquiſitionem & voluntatem abbatis & monachorum de Septemfontibus, eoſdem L. ſolidos reddi ..... Hujus rei teſtes ſunt Willelmus Macips, & fratres ejus Pontius &

Raimundus, & Robertus de la Broſa. Facta ſunt hec A Eugenio ſancte Romanæ eccleſiæ preſidente, Lodovico rege Francorum, cum manu valida & exercitu copioſo Iheroſolimam proficiſcente. *Hoc eſt anno* MCXLVII.

Gregorius Papa X. confirmavit donationes, &c. abbatiæ ſancti Marcelli, bulla data Lugduni nonis Octobris, anno III. *ſui pontificatus.*

XLVI.

Bulla Urbani Papæ IV. pro Garda Dei.

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui monaſterii de Garda Dei, Ciſtercienſis ordinis, Caturcenſis dioceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Devotionis veſtre precibus inclinati, auctoritate vobis preſentium indulgemus, ut poſſeſſiones & alia bona mobilia & immobilia que liberas perſonas fratrum veſtrorum ad monaſterium veſtrum mundi relicta vanitate convolantium & profeſſionem facientium, in eodem jure ſucceſſionis, vel alio juſto titulo, ſi remanſiſſent in ſeculo, contigiſſent; & ipſi potuiſſent libere alii erogare, feudalibus rebus duntaxat exceptis, poſſitis petere, recipere, ac etiam retinere. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam, &c. Datum Viterbii x. calend. Martii, pontificatus noſtri anno primo.

1250. *EXtat & diploma pontificium Innocentii Papæ IV. quo monaſterium ſancte Dei genitricis & virginis Mariæ de Cuſtodia Dei, Caturcenſis dioceſis ſub beati* C *Petri & ſua protectione ſuſcipit.*

Statuentes (*inquit,*) ut ordo monaſticus, qui ſecundum Deum & beati Benedicti regulam, atque inſtitutionem Ciſtercienſium fratrum, a vobis ante concilium generale ſuſcepram, in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.

Deinde ſingillatim nominantur omnes poſſeſſiones monaſterii in eadem bulla, in qua nihil notatu dignum occurrit, niſi quod illud monaſterium a ſuo exordio Ciſtercienſi ordini addictum non fuerit, ut liquet ex his pontificis verbis.

. . . . Hec propriis duximus exprimenda vocabulis; locum in quo ipſum monaſterium ſitum eſt cum omnibus pertinentiis ſuis; in Caturcenſi dioceſi de Viminers, & de Flais eccleſias cum decimis & omnibus pertinentiis earumdem; ſancti Petri de Siurac, ſancti Martini & Chriſtophori eccleſias, cum decimis & omnibus pertinentiis earumdem, quas idem monaſterium antequam Ciſtercienſium fratrum inſtituta ſuſciperet, poſſidebat. Grangias quas aberis, &c.

Denique conceſſis eidem monaſterio pluribus privilegiis, ſubſcribit ſummus pontifex cum octo cardinalibus. Datum Lugduni per manum magiſtri Marini S. R. E. vicecancellarii, v. idus Maii, indictione VIII. incarnationis Domini anno MCCL. pontificatus vero domini Innocentii Papæ IV. anno VII.

1181. ANno ab incarnatione Domini M CLXXXI. Raymundus comes Tholoſæ ſuaſu & conſilio E Guillelmi de Mella vicarii ſui, Geraldo tertio abbati Gardæ-Dei, & fratribus, conceſſit terras quas acquiſierat a Petro abbate Aureliaci, & a Sicardo decano Cayraci, videlicet totum honorem ex integro de Viminario & d'Eſparzac, &c.

Hæc omnia ſtabilivit Guillelmus de Mella, & confirmavit, & conceſſit per voluntatem & mandatum comitis ad eccleſiam de Maceriis ſancti Bernardi feria ſecun-
1184. da, teſtibus Sicardo decano Cayraci. B. de Perella monacho ſuo. B. Urſino. Stephano priore Gardæ-Dei. G. ſubpriore. Ugone d'Antejac. B. de Lartiga, & Armando fratre ſuo. Petro rectore de Grazina. Bertrando de Montepezato. P. cellerario. Rege Francorum regnante Philippo, & G. Caturcenſi epiſcopo.

Eodem anno idem Raymundus comes Tholoſæ acquiſivit a fratre Odino priore hoſpitalis ſancti Ægidii, & a fratribus hoſpitalis ſancti Amantii Armando & Bertrando XXX. cenſuales ſolidos quos fratres Gardæ-Dei pro decimis grangiæ de la Coſta fratribus hoſpitalis reddere ſolebant, necnon & reliquas decimas & omnia juris eccleſiaſtici quæ fratres hoſpitalis ſancti Amantii exigebant: & hæc omnia dedit & conceſſit Deo & ſancte Marie, & Geraldo tertio abbati Gardæ-Dei, & cunctis fratribus illic regularem vitam profeſſis in perpetuum pro commutatione grangiæ de la Boiſſonia. Actum III. nonas Auguſti die Dominica MCLXXXI. audientibus & videntibus G. Caturcenſi epiſcopo, R. vicecomite Forenſ, abbate de Figiaco Guillelmo de Balaguer, Guillelmo de Mella, fratre Guillelmo de Vienna capellano prioris ſancti Ægidii, Ebrardo Geraldi, G. ſubpriore Gardæ-Dei, P. Conſtantini; regnante rege Philippo, & G. Caturcenſi epiſcopo.

S. Amantii prioratus ordinis S. Johannis Jeroſol. prope Gardam Dei & in eadem valle.

Ex his ſubinferendum duos fuiſſe duntaxat abbates ante Geraldum abbatem tertium Garde-Dei, quos etiam exhibuimus. Conſule vitam ſancti Stephani abbatis primi Obaſinenſis, lib. 2. *num.* 15.

Epitaphium Antonii d'Oriole, abbatis Gardæ-Dei.

CY giſt, Anthoine abbé de grand renom, 1542.
Qui de d'Oriolle eut jadis le ſurnom:
Lorſque la mort le frappa de ſa darde,
Docteur eſtoit, & abbé de la Garde,
Prieur de Bridan de ce couvent auſſy,
Auquel voulut que giſt ſon corps tranſy,
A pouvres gens a fait maintz benefices,
Et faict baſtir maintz pompeux edifices,
Et meſmement le chaſteau & la place
De ſainct Michel, lequel par long eſpace
Avoit eſté ſans eſtre reparé;
Or eſt ſon corps de l'eſprit ſeparé:
Mais ſi la mort à ſon corps fait meſleſte,
Son ame ſoit au la gloire celeſte.
Poures lecteurs qui paſſez par icy,
Priez Dieu qu'il luy face mercy.

Il trepaſſa le XXIV. de Novembre MDXLII.

XLVII.

Charta Girardi Caturcenſis epiſcopi, qua Bellilocenſi hoſpitali a Guiberto de Theminis, & Myglina ejus uxore recens erecto & fundato, eccleſiam d. Yſſandolus donat.

GDei Gratia Caturcenſis epiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. 1245. Ex membr. ejus Cathedr. Cum nobilis vir Guizbertus de Theminas, ad honorem Dei & intuitu animæ ſuæ & parentum ſuorum, quoddam hoſpitale cum quadam capella de licentia & voluntate expreſſa claræ memoriæ domini Pontii prædeceſſoris noſtri in noſtra dioceſi conſtruxiſſet, in ſtrata videlicet publica quæ ducit a caſtro de Theminas ad caſtrum de Gramat, & ipſum hoſpitale de bonis ſuis juxta poſſibilitatem ſuam ſatis competenter dotaſſet, attendentes magnam devotionem ipſius & ſuæ meritæ probitatis; amore Dei, & ad magnam inſtantiam & humilem petitionem nobilis memorati: eccleſiam de Yſſandolus cum omnibus pertinentiis, in cujus parrochia eſt dictum hoſpitale fundatum; eidem hoſpitali, communicato bonorum virorum conſilio, liberaliter duximus concedendam: volentes quod proventus ipſius eccleſiæ, & reditus univerſi, juxta diſpoſitionem dicti Guiſberti quandiu vixerit, vel dominæ Ayglinæ uxoris ſuæ, ſi Guiſbertum præcedere contigerit ſupradictum, vel poſt mortem ipſorum. Juxta diſpoſitionem præceptoris hoſpitalis ejuſdem, in uſus hoſpitalis ipſius integraliter committant; excepta tamen congrua portione, quam capellano qui deſervierit in eadem, de bonis ipſius eccleſiæ volumus aſſignari. Verum cum dictam eccleſiam vacare

Digitized by Google

contigerit, volumus quod ad ipſam vacantem, dictus A Guiſbertus, vel domina Ayglina prædicta, ſi præmoreretur Guiſbertus prædictus, aut per deceſſum eorum præceptor dicti hoſpitalis, de conſilio fratrum & ſororum ipſius hoſpitalis, nobis vel ſucceſſoribus noſtris clericum præſentet: & præſentatus, ſi idoneus fuerit, a nobis vel noſtris ſucceſſoribus inſtituatur in ea, & cura animarum ipſius eccleſiæ committatur eidem. Et ne propter inopiam reditnum & defectum contingat in futurum quominus in dicto hoſpitali pauperes poſſint recipi, & etiam peregrini, & alia exerceri in eo opera caritatis; volumus quod prædicta eccleſia a quæſtis & oneribus omnibus, quæ jure dioceſano quandoque eccleſiis imponuntur, præterquam a procurationibus ratione viſitationis debitis, ſit libera & immunis. In ipſa vero eccleſia in ſignum ſubjectionis cathedraticum B & ſynodaticum retinemus. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri munimine duximus munendas. Datum anno Domini MCCXLV. menſe Martii.

Eamdem donationem ratam habuit capitulum Caturcenſe anno MCCL.

Porro quamvis Guibertus Bellilocenſe fundaſſet hoſpitale ſub Pontio epiſcopo, fundationis tamen inſtrumentum non niſi anno MCCLIII. *conſcribi curavit.*

XLVIII.

Excerpta ex monumentis Cartuſiæ Caturcenſis.

1310. C GARBERTUS, epiſcopus Maſſilienſis, camerarius Johannis Papæ XXII. nomine ejuſdem Papæ, emit a fratre E. de Vilanova magiſtro majore ſanctæ domus hoſpitalis Ieroſolymitani, domum hoſpitalem, & omnia quæ fuerunt ordinis quondam militiæ Templi in civitate Caturci duorum millium & quingentorum florenorum auri de Florentia pretio. Acta fuerunt hæc Avenione in camera habitationis reverendi patris in Chriſto domini Arnaudi, Dei gratia ſancti Euſtachii diaconi cardinalis, anno Domini MCCCXX. die XXVI. Octobris, indictione III. pontificatus Johannis anno V. præſentibus reverendis patribus dicto domino cardinali Petro archiepiſcopo Aquenſi, Geraldo epiſcopo Lemovicenſi, & Petro abbate ſancti Saturnini Toloſæ, & magnificis viris dominis Petro de Oſſa, Petro de Via, Arnaldo D de Trian militibus de Cadureo, &c.

GAUBERTUS Arelatenſis archiepiſcopus, domini Papæ camerarius, religioſo viro fratri Aymoni priori majori ordinis Cartuſienſis amico cariſſimo ſcribit nomine Johannis XXII. quatenus virum providum & prudentem & duodecim alios fratres bonos, idoneos & honeſtos procuret Cartuſiæ Caturcenſi. Datum Avenione die III. Novembris. *Abſque anni nota.*

1318. Præfatus Aymo domnum Johannem de Laſſana monachum domus Bonæfidei, & quondam priorem Vallis bonæ, priorem Caduici conſtituit litteris datis anno MCCCXXVIII. menſe Novembri.

1318. JOHANNES XXII. concedit Cartuſienſibus domum E de Templo vocatam in ſuburbiis Caduici, diplomate dato Avenione XIV. cal. Januarii, pontificatus anno XIII. Item magiſtro Guillelmo la Chapella præpoſito de Navis in eccleſia Tutellenſi, Bertrandi epiſcopi Caduicenſis vicario generali mandat, ut Cartuſienſes in realem poſſeſſionem dictæ domus inducat. Datum Avenione X. cal. Januarii, pontificatus anno XIII. Id autem exſecutus eſt dictus vicarius generalis die Mercurii poſt Epiphaniam XII Januarii MCCCXXVIII. ad requiſitionem domni Johannis Fayni alias de Laſſanna prioris B. M. de Templo, & domni Johannis Groſſioculi monachi Cartuſienſis, in præſentia canonicorum & cleri, conſulum & populi.

SÆpe laudatus Johannes XXII. unit Cartuſiæ Caduicenſi eccleſias parochiales de Caziliaco, de Jumaregis, ac de Montejuſtino diœceſis Caduicenſis, VI. cal. Octobris, pontificatus XV. Item eccleſiam ſanctæ Crucis prope Montem acurum, vulgo Moncuc, X. cal. Julii, pontificatus anno XVII. Benedictus Papa XIII. eidem unit medietatem fructuum eccleſiæ de Broqueriis Rutenenſis diœceſis, nonis Octobris, pontificatus anno XII. Item prioratum Eccleſiæ de Montegio, *Montech*, diœceſis Montiſalbani. Datum Maſſiliæ apud ſanctum Victorem XIII. cal. Januarii, pontificatus anno XIII.

GUILLELMUS epiſcopus Caduicenſis, eidem Cartuſiæ 1409
unit prioratum ſancti Symphoriani de Canhaco, 1412.
prope Caſſutium Bonetæ diœceſis Caduicenſis. Datum & actum in caſtro noſtro de Luzegio IX. April. MCCCCIX. Quod & confirmavit in eodem caſtro cal. Jan. MCCCCXII.

CApitulum Caturcenſe inivit ſocietatem ſpiritualem 1391.
cum Cartuſienſibus ejuſdem urbis, die XX. Aprilis 1613.
anni MCCCXCI. quæ renovata eſt die XXII. Novembris anni MDCXV.

XLIX.

Ex Necrologio Prædicatorum Caduici.

DEcimo nono Auguſti, anno Domini MCCCXLVIII. 1348.
obiit R. in Chriſto pater, frater Petrus de Bireto iſtius conventus, oriundus de Flaunhaco *a*, qui ſinceriſſime in ordine converſatus & apertus, & multum ſufficiens clericus in omni ſcientia liberali & divina, vero in merito fuit Pariſius ad gradum ſacræ theologiæ promotus. Et exinde magiſter ſacri palatii factus exigente ejus ſufficientia, converſatione & religione, quæ ubique in orbem patentiſſime rutilabant, per domnum Johannem Papam de Caturco aſſumtus eſt in epiſcopum Mirapicenſem; in quo gradu quantum de bono in melius, ac de virtute in virtutem veſtigia patris ſui ſanctiſſimi Dominici ſecutus proceſſerit, paucis litteris ſcribi non poteſt. Hic reverendiſſimus pater hujus conventus filius, ſub cujus religione & diſciplina fuit pleniſſime eruditus, nolens de ingratitudine reprehendi, tanquam verus filius memor beneficiorum, tam ſpiritualium, quam temporalium a conventu acceptorum, multa beneficia quæ non ſunt oblivioni tradenda, fecit. Dedit enim indumenta multum pretioſa. (*Et enumeratis ſingulis ornamentis, & recenſitis libris ac voluminibus, ita concludit auctor necrologii.*) Et hoc quod amplius conventui facere potuit, fecit; nam conventum heredem inſtituit, & ultra ſeptingentos florenos de Florentia, quos diviſis temporibus ab eo habuerat dum vivebat, poſt ejus mortem habuit pluſquam octingentos; & multa pluta habuiſſet pluſquam habuerit, ſed quia tempore mortalitatis magne anno quo ſupra obiit, ob negligentiam executorum in epiſcopatu omnia perierunt, quod non eſt culpa ſua. Quare patres & fratres hujus domus qui nunc eſtis, & pro tempore in futurum eritis, affectionem & beneficia tam ſumptuoſa oblivioni non tradatis; ymmo omnem ingratitudinem radicitus poſtponendo in veſtris miſſis & aliis veſtris, tam ſacerdotes quam alii, orationibus ſecretis pro tam notabili & benefico patre ad Dominum preces affectuoſas & devotas effundatis, cum ſcriptum ſit: *accepti beneficii memor eſto.* Migratio ejus ab hoc ſeculo fuit decima nona die Auguſti, anno quo ſupra, cujus anima requieſcat in pace. Amen. Amen. Amen. Et eſt ſepultus retro chorum in capella ſancti Thomæ in fundo capelle in ſepultura epiſcopali que fuit fabricata pro ipſo *b*.

a Flaunhac parochia ab urbe Caturcenſi, 3. leuc. diſtans, prope caſtrum novum Rateu.

b Nunc Petri tumulus lapideus, elevatus cum ejuſdem effigie cernitur in ſacello ſanctæ Catharinæ Senenſis, cum hoc ſimplici epitaphio.
Hic jacet R. P. Fr. de Puteo ordinis Prædicatorum conventus Caduici filius, epiſcopus Mirapicenſis, qui obiit anno domini MCCCXLVIII.

Tertio

Digitized by Google

A

TErtio Octobris hodie debet dici missa pro domino Petro Beraldi canonicho Caturcensi, pro quo dominus Johannes sanctissimus pater, tempore quo erat episcopus Forojulienſis, fecit emi XL. solidos Caturcenſes annuales de legato quod dictus dominus Petrus fecerat sibi in testamento suo.

SExto Octobris obiit Arnaldus de Attrea pater quondam sanctissimi patris domini Papæ, qui nunc est, & est sepultus in capella beato Agnetis, & legavit viginti solidos Caturcenſes annuales, pro anniversario suo, super domum quam inhabitabat tempore mortis suæ, que est domus principalis & paterna, quam fecit de novo construi dominus Petrus filius suus, & tenetur eos solvere dominus Arnaldus nepos ejus, qui nunc superest. B

Constanter lego in hoc necrologio optima nota de Attrea, *quod est conferendum cum Baluzio in notis ad vit. Paparum Avenion. tom. 1. pag. 795. Certe adhuc extat turris præcelsa dictæ domus a Petro constructæ, juxta ecclesiam sancti Bartholomæi Cadurcensis, & vocatur* la tour de Deze. *Pertinebat olim ad moniales ordinis sancti Dominici, nuncupatas* les Johannites, *nunc vero ad urbem Cadurcensem. Ex his certum colligi potest Arnaldum non fuisse futorum, sed saltem civem satis opulentum, cum legaverit XX. solidos annuatim. Sane si Johannes Papa XXII. sit e familia de Dueza, reperio in regestis domus publicæ Caturci, Arnaldum Dueza anno* MCCLXXI. *tertium civem Caduræi* taxatum *fuisse post duos ipso ditiores. Præterea in dicto necrologio Dominicanorum, de aliis* burgensibus *refertur si fuerint mercatores, sartores, &c. quod non dicitur de Arnaldo.*

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM RUTHENENSEM SPECTANTIA.

I.

Ecclesia sancti Petri prope montem Castelli nuncupati Panadi, in comitatu Ruthenensi, reparatur cura & consilio Alboyni filii Eroldi regis, devotionis ergo per orbem universum peregrini; accessit consensus episcopi Ruthenensis & serenissimæ comitissæ ejusdem loci. C

1028. Ex cartul. sive libro Miscellan. Caturcensis eccles.

IGitur Alboynus Anglorum terræ, urbis Lundena ortus fuit; pater ejus Eroldus rex fuit Anglorum terræ; mater ejus nomine Alveva. Alboynus homo nobilis & fidelissimus Christianus pergit in peregrinatione in universum mundum propter amorem Domino Deo & sancta Maria matris Domini & sancto Petro, & omnes apostolos Domini. Tunc venit in Gallliis in comitatu de Ruthenico, & post hæc advenit in unum vicum dispersum atque confractum, quod fuit ab olim locus dedicatus in honore Domini, & sancti Petri. Prosternens se in hoc loco, & adoravit Dominum; & com- D pleta oratione, ascendit in montem ad castello, qui dicitur Panado, & mansit ibi tres dies, & admonuit seniores de Panado, & duos fratres Hugone atque Rigaldo seniores de castello Cassanas, & Guarnerio fevoale illorum, & ait ad illos: *Fratres carissimi, in ista vestra valle fuit ab olim ecclesia constructa, atque dedicata in honore sancti Petri apostoli, & est dispersa: redificate illa in honore Domine, & sancti sepulchri, & sancti Petri & sancti Thoma apostoli, & sancti Sicarii innocentis.* Ad illi dixerunt: *Frater peregrinus, volumus edificare monasterium de monachos in amore quem tu dicis, si ad episcopum Petrum & a comitissa placet.* Tunc venerunt ante episcopum atque comitissam, & dixerunt ut supra scriptum est. Respondentes illi: *Sic fiat.* Tunc venit episcopus Petrus ad ædificationem in illo loco, & ammonuit istos seniores suprascriptos; *Audite, fratres, voluistis edificare in istum locum monasterio in honore Domini, & sancta Maria, & sancti Petri, & sancti Thoma apostoli, illum ma-* E *sium in qua ecclesia est, cum fevales meos, & cum meum dictum adolode, in tali ratione qua dicitis.* Dixerunt duo fratres, Hugo atque Rigaldus: *Nos donamus & imitamus ista ecclesia cum cimiterio, & mansum, in qua ecclesia est, totum & ab integrum ad alodo cum dicto nostro a domino Deo, & sancti sepulchri, & sancti Petri, & sancti Thoma apostoli, & sancti Sicarii martyris, pro redemptione anima patre nostro Raymundo, & matre nostra Richelda, & pro peccata nostra redemptione; & iterum donamus corpora nostra ad sepeliendum, & munera nostra qui ad obitum mortis ad elemosyna nostra pertineat, & decimam de illum pretium qua nos prendiderimus de equis nostris, & de loricbas, & de mulas atque mules, & de caballarios de nostro castello, sepultura de corpora illorum donamus.* Et caballarii de elemosyna illorum, & de sepultura fecerunt similiter, & seniores de Panado decimam quæ habebant in illum mansum, & sepultura, & dictum de illorum vigerios totum & ab integrum donaverunt: & iterum isti seniores sepulturam de illorum corpora & de elemosyna quæ ad obitum mortis pertineat, & decimam de equis illorum, & de loricas, & de mulos atque mulas de illum pretium quem prendiderunt, donaverunt ad locum, & caballarii de Panado fecerunt similiter. Tunc venerunt in ecclesia sancti Desiderii Deusdet de Panado, & Ictor, & Hugo, & Berengerius, & Geraldus, & duo fratres seniores de Cassanias Hugo atque Rigaldus, & caballarii de istos castellos juraverunt ita. De ista hora in antea, nos in illa ecclesia, qui supra scriptum est, de sancto Petro apostolo; nec in cimiterio, nec in illas mansiones, quæ per manu Alboyno, nec per monachos de illo loco factas erunt, vel acaptadas fuerint, nec in marcado homines, nec feminas non aucirent, nec membra illorum, noloc tollere; nec pro redemptione non destringerent sine grado Alboyne, aut monachos de isto loco nostro sciente; & si homines vel feminas forfacturas faciunt ad illo loco vel ad alla honore, vel ad allos mercatores, quæ veniant ac regrediant ad illum mercatum; erimus adjutorio domino Deo, & sancto Petro sine enganno per quantas vices nos commoverint Alboynus, aut monachi de illo loco Siotenrem & Oatendrem cum in ista charta scriptum est nostro sciente per istos sanctos. †.

Ista ecclesia est dedicata, & donus iste firmatus est decimo quinto cal. Decembris, die lunis, luna vigesima secunda, anno ab incarnatione Domini MLX. a passione MXXVIII. regnante Papa Romano Nicolao, regnante Philippo rege Francorum.

II.

Pontius Ruthenensis præsul, sancti Amantii abbatiam Massilitensi S. Victoris monasterio subjicit. 1079. Ex chartario sancti Victoris.

IN Dei omnipotentis nomine, ego Pontius Dei gratia licet immeritus Ruthenensis ecclesiæ præsul, tamen ad hoc in episcopatus officio positus, ut ecclesiastica quæque quæ per antecessorum meorum negligentiam & potestatum secularium violentiam neglecta fuerant corrigerem; inter multa quæ corrigenda reperi, abbatiam sanct Amantii, quæ quondam monastica religione floruerat, ad secularitatem declinaram inveni: & quum hanc abbatiam Rothbertus comes, & ejus uxor Bertha filia Ugonis Rutenensium comitis relevare, & in ordinem antiquum, scilicet monasticum reformare, Bernardo Massilienſi abbati ad hoc reordinandum tradide-

runt, ut ſui monaſterii juris eſſet in perpetuum. Sed ſrviente bellorum turbine, idem abbas locum ſibi traditum non potuit reordinare. Igitur epiſcopatus mei tempore, jam bellorum ſedato turbine, ob reordinandæ abbatiæ jam dictæ, venerabilem Ricardum abbatem jam dicti abbatis Bernardi ſucceſſorem adii, & donum ipſius abbatiæ prædeceſſori ſuo factum, eidem abbati Ricardo recognovi, & confirmavi; ea ſcilicet ratione ut monaſticum ordinem inibi reformaret, ut idem abbas & ejus monachi eandem abbatiam cum eccleſiis & omnibus ad ſe pertinentibus gubernandam & ordinandam ſine ulla contradictione alicujus hominis, ſicut a ſupradicto comite, & ejus uxore Berta acceperant, in perpetuum haberent & poſſiderent. Itaque ſupradictam eccleſiam cum omnibus legaliter & legitime ad ſe pertinentibus, ſancto Victori & Maſſilienſi monaſterio trado, dono & firmo B prædicto monaſterio & abbatibus & monachis præſentibus & futuris. Si quis autem epiſcoporum, clericorum vel & ſecularium, hanc auctoritatis noſtræ cartam annullare tentaverit, nullatenus hoc agere poſſit. Sed hæc auctoritatis meæ carta firma & ſtabilis in perpetuum maneat: & qui hanc irrumpere voluerit, a conſortio fidelium Dei alienus exiſtat, niſi reſipuerit; inſuper componat in vinculo auri pondus centum librarum. Facta carta ceſſionis hujus anno incarnat. dominicæ MLXXIX. Pontius Rutenenſis epiſcopus manu propria firmat.

III.

Charta Pontii epiſcopi Ruthenenſis plures eccleſias monaſterio ſancti Victoris ſubjicientis.

C

1081. Ex Cartul. mon. S. Victoris, fol. 19. verſo.

IN nomine omnipotentis Dei, ego Pontius Dei gratia licet immeritus Rutenenſis eccleſiæ præſul, ſervorum Dei juſtis petitionibus annuere ſtiens, atque eorum ſacris precibus præſentem futuramque promereri ſalutem; ex his quæ ad eorumdem ſervorum Dei utilitatem proficere poſſint, aliquid eorum uſibus deſerviendum tradere, prout poſſibilitas meæ paupertatis ſinit, decrevi; videlicet eccleſiam ſancti Amantii cum eccleſiis & omnibus quæ ad eandem eccleſiam pertinent; videlicet eccleſiam de Boadone, & eccleſias de ſtagno, & eccleſiam ſancti Electi de ſubtus Belvider, & multis aliis quocumque fuerint loco ad ſe pertinentibus. Inſuper dono eccleſiam ſanctæ Mariæ de Alta-Fagia, & eccleſiam de Rivioria, & eccleſiam ſancti Petri de Colnoz, D rogante & donante mecum Ugone abbate Vabrenſi prædictam eccleſiam de Colnoz. Dono præterea eccleſiam ſanctæ Mariæ de Limenſione, & eccleſiam de Maſtogol. Dono etiam eccleſiam ſancti Michaëlis de Caſtello novo, & eccleſiam ſanctæ Mariæ parochialem, & eccleſias ſancti Baudilii. Dono, & laudo, & confirmo Vabrenſe monaſterium cum monaſteriis & eccleſiis ad ſe pertinentibus; videlicet Nantenſe & Ferret, & ſancti Severi, & ſancti Hypolliti, & monaſterium de Vernia cum appendiciis eorum; monaſterium ſancti Capraici de Pera cum eccleſiis ad ſe pertinentibus, videlicet eccleſiam de Verzols & aliis eccleſiis. Dono & ſimiliter eccleſias ſancti Geneſii in valle Olti, & eccleſiam de Fijaget, & eccleſiam de Marnag, & eccleſias ſancti Salvatoris de Grandi Folio, & eccleſiam ſancti Victoris de Cam- E bolas. Dono & monaſterium ſancti Petri & ſancti Leoncii, cum eccleſiis ſancti Petri de Alſobre, & ſancti Stephani ad * Juvarium, & eccleſiam ſanctæ Mariæ de Eccleſia nova, & eccleſiam de Mauriace. Dono ſimiliter monaſterium ſanctæ Mariæ de Amiliavo. Hæc omnia ſupradicta cum aliis omnibus legaliter & legitime ad ſe pertinentibus, trado, cedo, dono & confirmo, cum conſenſu & voluntate canonicorum meorum, videlicet & eccleſiæ filiorum Bernardi Iſarni archidiaconi, & Odalrici archipreſbiteri, & Deodati ſacriſtæ, Ingelberti, & nepotis ejus Bernardi, & Deodati diaconi, & Ragmundi Petri, ſicut domnus Papa Gregorius ſua authoritate donaverat & confirmaverat ſancto Victori & Maſſilienſi monaſterio & abbati Richardo, & monachis præſentibus & futuris, cum aliis omnibus quæ

* Juvarium.

A in Rutenenſi epiſcopatu adquiſierint, tam in eccleſiis quam in aliis honoribus. Si quis autem epiſcoporum, clericorum vel & ſæcularium, hanc authoritatis noſtræ cartam annullare tentaverit, nullatenus hoc agere poſſit; ſed hæc authoritatis meæ carta firma & ſtabilis in perpetuum maneat: & qui hanc irrumpere voluerit, a conſortio fidelium Dei alienus exiſtat, niſi reſipuerit: inſuper componat in vinculo auri pondus centum librarum. Facta eſt hæc charta anno ab incarnato Dei verbo MLXXXII. revertente me peccatore epiſcopo a concilio Romano, ſub præſentia & authoritate domni Papæ Gregorii VII. celebrato.

IV.

Notitia de conceſſione thelonei monaſterio ſancti ſepulcri Villæ-Novæ, a Petro Berengarii epiſcopo Ruthenenſi, qui illius fuerat fundator.

Ex chartis Monaſt. & MSS. Colbertinis.

NOtum ſit omnibus Chriſti fidelibus, & præcipue monachis, præſentibus & futuris, quod Petrus Berengarii Ruthenenſis epiſcopus, ædificator & cuſtos monaſterii Villæ-novæ, quod eſt conſtructum in honore Dei & ſancti ſepulcri ſui, ac poſitum ſub regimine Moyſiacenſis cœnobii in diebus .... poſt ædificationem ſupradicti monaſterii, conſtituit .... fieri mercatum in eodem loco cauſa meliorationis & augmentationis; in quo etiam ſupradictus epiſcopus ſibi retinuit medietatem telonii, tali convenientia, ut habere poſſet ſi requirere vellet, quod nec poſtea habuit; quia nec adeo requiſivit. Prior tamen ejuſdem loci nomine Deodatus, evocatis amicis & familiaribus ſuis, non tam illius quam pro ſucceſſorum timore ſuorum, multis precibus obtinuit, ut totum quod ſibi retinuerat, redderet & relinqueret eidem eccleſiæ, ac præfato priori cunctiſque ſucceſſoribus ſuis. Quo facto, conceſſit etiam jam dicto monaſterio ac priori memorato, ut qualicumque tempore epiſcopus Ruthenenſis vellet communias facere, ſecundum conſuetudinem patriæ, nunc prior congregatis agricolis vel habitatoribus, ſui honoris retinendi licentiam haberet ad opera ſua explenda, ſcilicet ad conſtructionem eccleſiæ, & aliorum, ejuſdem loci ædificiorum, ut tamdiu faceret illos ibi operari, quandiu cognoverit alios in communia demorari .... rei gratia jam præfatus prior dedit illi centum ſolidos & fidei ſcutum; videlicet ut illud fidei ſcutum foret hujus largitionis ſignum. Et ad confirmationem hujus ſcripturæ & memoriale ſempiternum hujus rei, teſtes ſunt . . . . & prior Deodatus, Rigualdus de Maurlon, & ....de Pradinas, & multi alii clerici ſimul & laici.... Sicut hic ſcriptum eſt tenuit prior Deodatus, & poſſedit in pace hujus acquiſitionis donum valde ſibi neceſſarium, cum P. epiſcopo, & bonæ recordationis Pontio ſucceſſore ſuo. Similiter Raimundus epiſcopus & glorioſæ memoriæ Ademarus ſucceſſor & conſanguineus ejus laudaverunt, & condonantes incommutabiliter firmando corroboraverunt. Teſtes ſunt Bernardus archidiacomus, Frotardus de Belcaſtel, Bego Foramunz, & multi alii.

V.

Sententia arbitraria inter Hugonem comitem & Petrum epiſcopum Ruthenenſem ſuper munitionibus, turribus, &c.

1161. Ex Manuſcr. Colbertino.

ANno incarnationis dominicæ MCLXI. regnante Ludovico Francorum rege. Hæc eſt ſententia quam dederunt R. de Levedo, V. de Salis, Niſes de Braſviol, Frocardus de Belcaſtel, D. de Mirabel, A. de Cabdenac, aſſidentibus eis P. Raimundo de Altopullo, B. de Senarcto, Ugone Bello, Hugone de Monteferrando, inter dominum Petrum epiſcopum Ruthenenſem, & Ugonem comitem de querimoniis quas inter ſe habebant. Auditis itaque utriuſque partis allegationibus, & diligenter examinatis a prædictis arbitris, talis definitio prodita eſt. Judicarum namque fuit, quod poſſeſſio munitionum, turrium, militum .... prædicto co-

miti bona fide reſtitueretur, ſalvo jure proprietatis & cui competit. Item a petitione mille ſolidorum, quos nomine .... comes ab epiſcopo exigebat, Ruthenenſis eccleſia abſoluta eſt. Item definitum eſt quod epiſcopus habeat in moneta duodecim nummos ſingulis ſeptimanis.... ſcilicet quando forma in ea in .... Judicatum etiam fuit quod comes epiſcopo hominium jure facere debet, & quod caſale & hortus qui ſunt juxta ſalam comitis.... aliis militibus qui domos ibi habent, reſtituantur, & quod comes Berengario de Cannac domum quæ eſt in burgo reddat, & quod cives ab illo ſacramento quod fecerunt comiti abſolvantur de illis ſeptem manſibus, de quibus epiſcopus conquerebatur, & de conventu & nundinibus quæ in nativitate B. Mariæ fiunt, ita ſtatutum eſt inter epiſcopum & comitem, ut unuſquiſque ſuum jus habeat, quemadmodum dominus Ademarus epiſcopus, & .... comes in pace inter ſe habuerunt.

VI.

Decretalis epiſtola Alexandri III. approbantis quæ Hugo Ruthenenſis epiſcopus cum Hugone comite conſtituerat pro ſtabilienda pace. Variantes lectiones adjecimus ex hiſtoria manuſcripta Antonii Bonal.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei; venerabili fratri Hugoni Ruthenenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoties ea quæ ad pacem pertinent, poſtulantur a ſede apoſtolica confirmari, tanto ſuper his benigniorem aſſenſum nos convenit adhibere, quanto ex bono pacis plura commoda, ſingulis proveniunt incrementa. Ex quodam reſcripto a tua nobis fraternitate tranſmiſſo ad audientiam noſtram pervenit, quod tu habito conſilio abbatum, præpoſitorum, & archidiaconorum tuorum, & baronum terræ, cum nobili viro Hugone fratre tuo comite Ruthenæ hujuſmodi pacem & concordiam ſtatuiſti; quod omnes res mobiles & immobiles, & omnes homines tam clerici quam laici, in omni tempore ſint ſub ea pace ſecuri. Nec ulli liceat præter armatos milites & clientes quælibet arma ferre, niſi milites enſes ſolummodo, & clientes ſingulos baculos ferant, qui pacis, ſicuti ceteri debent ſecuritate gaudere; & præter eos qui hanc pacem noluerint firmare & obſervare, ſicut de his qui publice perjurant, vel fidem mentiuntur pro manifeſto debito, ſeu pro cognita fidejuſſione, de rebus eorum pignorandis licentia non denegetur, vobis exceptis. Ad * cujuſmodi vero pacis deffenſionem ſtatutum eſt, ut abbates, archidiaconi, archipreſbyteri, monachi, canonici, priores & omnes clerici*, milites quoque & mercatores, atque burgenſes, qui facultatibus abundaverint, & omnes tam clerici quam laici, qui habuerint par boum, ſeu aliorum animalium cum quibus arare poſſint, vel qui habuerint ſommarium equum vel equam, mulum vel mulam, quæ ad portanda onera locent, 12. denarios Ruthenenſes donent; cum vero habuerint ovile ovium, dent pro eo ſex denarios; totidem autem dabunt qui habent unum bovem, vel aliud animal cum quo valeant arare; clientes vero & artifices, ſcilicet fabri, ſartores, pellicarii, & omnes operarii, aut ſex vel octo, ſeu 12. denarios ſecundum ſuorum capellanorum arbitrium dabunt *. Verum ſi pater cum filiis, ſeu fratres ſive conſanguinei fuerint, qui nondum ſunt invicem ſeparati, nec ſunt res eorum diviſæ, unus pro omnibus dabit, alioqui ſolvat unuſquiſque pro ſe. Commune autem iſtud per ſingulas parochias debet reddi, cum ſcripto unius parochianorum, quem capellanus eum conſilio ſui archipreſbyteri, & voluntate parochianorum elegerit; & in die ſtatuta ab ipſo parochiano, & cum eodem ſcripto ad Ruthenenſem eccleſiam deferatur. Quiſquis autem res ſuas amiſerit, poſtquam commune, ſicut prædictum eſt, ſolverit, in integrum reſtituatur. Si tamen certam perſonam quæ res ſibi ablatas habeat, vel locum ubi ſunt poterit * demonſtrare; ſin autem minime. Si vero inimicos villas vel oppida depræ̃dari, vel dirui contigerit, res quidem mobiles emendabuntur de communi, ſed damna rerum immobilium non reſtituentur*. Clerici vero qui proprias eccleſias non habent, niſi parboum habuerint, non cogantur dare, ſi nolint *. Additum eſt in prædicta pace, ut capellani eccleſiarum & omnes laici, a quatuordecim annis & ſuprà, pacem & commune firmare debeant, & obſervare. Qui vero obedire contempſerint, debent ab eccleſiæ liminibus coërceri, & ab omni pace fieri alieni. Eccleſiæ quoque parochiarum, in quibus violatores pacis habitaverint, a divinis vacent officiis, donec ipſi ad emendationem venire cogantur. Quam ſi quidem pacis inſtitutionem; quemadmodum a vobis facta eſt, & reſcripto authentico roborata, firmam & ratam habemus, & eam auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentium ſcripto communimus: ſtatuentes, &c. Datum Verulis 11. idus Maii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

* Ad hujuſmodi vero pacem & ſecuritatem ſuſtinendam non & debet ſolvere

* qui proprias eccleſias regunt.

* nisi quæ cum a malefactoribus poterit recuperare.

* sed non debito communi, ſi forte res ſuas perdiderint, eis interquaquam emendabuntur.

VII.

Concordia inita inter Hugonem epiſcopum Ruthenenſem & Hugonem comitem Ruthenenſem.

1195. Exhartar. Albonſ.

HÆc eſt carta de concordia domini U. epiſcopi Ruthenenſis. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, anno incarnationis ejuſdem MCXCV. menſe Madii, diſcordia quæ inter dominos U. epiſcopum & U. comitem Ruthenem vertebatur, amicabiliter utriuſque partis aſſenſu eſt terminata, & jure perpetuo definita per manus domini W. abbatis Aureliaci, & Richardi fratris ejus & comitis; & per manum V. præpoſiti Montis Salvii, & Bernardi de Coſta archidiaconi Ruthenenſis; hoc modo videlicet, quod U. comes & ſucceſſores ejus debent promotionem comitatus accipere ab epiſcopo; & epiſcopus debet promovere illum qui comes fieri debet, recipiendo eum cum proceſſione, ſine procuratione & omni gravamine: & comes debet tunc offerre pallium, & facere hominium epiſcopo; & poſtea epiſcopus debet illum aſſidere in cathedra ſua, & ita erit comes. Hæc debet facere comes epiſcopo, & ſucceſſores ſucceſſoribus; ut quod de his dicitur, inter eos perpetuo ſerveur. Præterea epiſcopus tunc comiti bona fide reddat fortias militum, turrim rotundam quæ eſt in curia; quia fuit militis, & alias turres militum civitatis, quæ ſunt vel fuerunt, vel erunt quandocunque: quibus recuperatis comes, epiſcopo bona fide ſimiliter reddat, ſine gravamine & damno. Airale quod infra civitatem anteceſſores comitis habuerunt, habeant comites nunc & in ævum ita, ſicut eorum anteceſſores habuerunt; de * vallis Biterr. ſicut in eorum cartis habetur, ita ſit; Portalli uſus quod eſt inter eccleſiam ſancti Stephani & hoſpitale pauperum, ſit communis civibus & burgenſibus: ita ut ſine contrarietate tempore pacis, eorum omnibus pateat aditus: homines & poſſeſſiones, & omnia quæ infra burgum epiſcopus habuit, ſine cujuſque contradictione poſſideat ſemper. Hæc omnia ſibi ad invicem facere debent comes & ejus ſucceſſores epiſcopo & ſucceſſoribus ejus, & e converſo epiſcopus & ejus ſucceſſores comiti; & ſucceſſoribus ejus perpetuo. Cartæ de vallis, & aliæ de judicio, in quibus de moneta & abſolutionibus, & aliis continetur, ſuum obtineat robur, & omnes perpetuo his bona fide debent eſſe contenti. Nos itaque prædicti omnes U. epiſcopus & U. comes, & U. novus comes filius ejus, tactis ſactoſanctis evangeliis, juramus atque promittimus quod omnia prædicta obſervabimus ſemper, & adverſus præſcripta nunquam veniemus aliquo jure, modo, vel ratione. Acta ſunt in præſentia domini S. Conchenſis abbatis, & W. Ruthenenſis arch. & W. de la Baircira, W. Dalzairan hoſpitalarii, atque Donati vicarii, R. comitis Toloſæ.

* f. villas

ANno MCLXI. facta eſt concordia inter P. epiſcopum Ruthenenſem & U. comitem. Adjudicatæ ſunt comiti turres militum civitatis; abſoluta eccleſia a mille 1161.

ſolidis, quos petebat comes ab epiſcopo: epiſcopus debet de moneta habere XII. nummos ſingulis ſeptimanis tunc, quando forma in ea imprimitur. Comes debet facere hominium epiſcopo in ceteris. Definitum quod inter ſe epiſcopus & comes ſe haberent, quemadmodum Ademarus epiſcopus, & Richardus comes inter ſe in pace habuerunt.

VIII.

Vivianus epiſcopus Ruthenenſis dat crucem Hugoni comiti Ruthenorum.

1247. *Ex archivo comitatis Ruthen.*

FRater Vivianus, Dei gratia Ruthenenſis epiſcopus, univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quod cum nobilis vir dominus Hugo comes Ruthenenſis anno Domini MCCXLVII. in vigilia Epiphaniæ Domini, apud Tholoſam coram nobis votum emiſiſſet de aſſumenda cruce, in craſtino ſcilicet, in ipſa Epiphania, in ſubſidium terræ ſanctæ, taliter ut ipſe in propria perſona accederet, vel pro ſe mitteret unum militem, vel miniſtraret expenſas ſufficientes uni militi ad transfretandum, in die Epiphaniæ prædicta ipſe crucem de manibus noſtris aſſumpſit, ſecundum modum ſuperius memoratum. Datum apud Tholoſam, anno & die prædictis.

IX.

Johannes epiſcopus Ruthenenſis, villam Ruthenenſem munitionibus cingi permittit.

1275. *Ex manuſcr. Colbertino.*

JOHANNES divina favente gratia pat iarcha Alexandrinus, & adminiſtrator perpetuus eccleſiæ & epiſcopatus Ruthenæ, dilectis nobis in Chriſto conſulibus & univerſitati popularium burgi Ruthenæ ſalutem. Cum pro tuitione & defenſione villæ Ruthenæ fiat, ſeu incepta fuerit per vos quædam barbacana, cum quodam portali in foſſatis dicti burgi, juxta ſeu de prope eccleſiam B. Catharinæ, pro fortificatione ipſius villæ; quod in noſtri & eccleſiæ noſtræ Ruthenæ ac popularium dictæ villæ & reipublicæ utilitatem redundat & commodum: cumque urgente neceſſitate oporteat macellam ſiniſtram exitus dicti portalis dictæ barbacanæ, & parietem ipſius macellæ conſtrui & ædificari infra cimiterium dictæ eccleſiæ, dictumque parietem conjungi cum pariete ipſius eccleſiæ ad filum cum macella dextra exitus dicti portalis dictæ barbacanæ, & ipſam eccleſiam deſuper & ab exteriori parte ipſius barbacanæ & mureto foſſatorum, quod eſt a parte ſiniſtra ipſius eccleſiæ junctum, cum ipſa eccleſia fortificari, conſtrui & crinellari, ſive merlatari de materia lapidum cum cemento & fuſtium, ſeu alterutrius earum. Ideo ad veſtri humilem ſupplicationem, mandatum, auctoritatem & licentiam conſtruendi & fortificandi modo præmiſſo infra dictum cimiterium, dictam macellam, cum pariete, & eccleſiam & barbacanam prædictas, ac melius, ſi melius, ſeu utilius vobis videatur, reparandique & reædificandi demolita, ſeu collapſa futuris temporibus totiens quotiens neceſſe fuerit, vel etiam oportunum; noſi tamen & ſucceſſoribus noſtris in epiſcopatu Ruthenæ prædictis ad hæc conſultis, & a nobis ſeu dictis noſtris ſucceſſoribus obtenta licentia ſpeciali ſeu conſtrui, fortificari, reparari & reædificari faciendi modo & forma prædictis, vobis dedimus & conceſſimus, damus & concedimus per præſentes de noſtra certa ſcientia & gratia ſpeciali: non intendentes per præmiſſa juribus noſtris & dictæ eccleſiæ ac rectoris ejuſdem, qui nunc eſt vel parrochianorumque ejuſdem, & cujuſlibet alterius alieni in aliquo præjudicari, detrahi, ſeu etiam derogare: quinimmo privilegia, libertates & immunitates ipſius eccleſiæ & cimiterii dictis ædificiis duntaxat exceptis, una cum uſibus & explectis eorum integras remanere volumus & jubemus. Datum Ruthenæ ſub ſigillo noſtro proprio appoſito, impendenti die XXII. menſis Februarii, anno Domini MCCCLXXV.

X.

Preſens epitaphium B. Franciſci d'Eſtaing, lamina cupreæ inſculptum in medio presbyterii ante gradus altaris eccleſia Ruthenenſis.

D. O. M.

Obiit R. in Chriſto pater,

D. D. FRANCISCUS DE STANNO

EPISCOPUS RUTHENENSIS.

O Mirum conſenſu, ob ſuas ingentes virtutes, electus olim a magno conſilio regis ſenator. Et decretorum doctor Papienſis eximius. Vicelegatus in Francia & Aveniene. Anno ſalutifera incarnationis MDXXIX. k. *Novembris, qua die eſt celebre feſtum omnium Sanctorum. Qui ex nobiliſſima familia de Stanno etiam Ruthenenſi, pro meritis inenarrabili us inſignita, & dotata ſtemmatibus & ſignis regiis ortus. Vixit annos ſexaginta novem, in epiſcopatu octo & viginti. In Chriſti pauperes liberaliſſimus. In religione Dei & cultu die ac noctu pientiſſimus. In inſtaurandis & noviter conſtruendis ſacris & Deo dicatis templis, & aliis ſuæ eccleſiæ ædibus magnificentiſſimus. In aſſervandis eccleſiæ juribus omnium diligentiſſimus. Et qui neminem verbo aut opere unquam læſit, aut triſtem a ſe diſcedere permiſit. Stylum & leges fori, ſive curiæ ſuæ in melius reformavit. Præclaras in ſua eccleſia tum pro ſe, tum pro defunctis parentibus, domeſticis & amicis, ordinationes ſumma ſua impenſa fieri curavit. Suam diœceſim & plebem ſibi commiſſam nunquam deſeruit, ſummo omnium deſiderio, cælum, quantum pie credimus, petiit, ſuam plebem & ſuos ferventius & propius Domino Jeſu, ſua pientiſſima matri, ſanctis omnibus, commendaturus.* 1529.

Faciat Dominus Jeſus, ut vota noſtra in ſummum ejus gloriam ſuæ immenſæ majeſtati & ineffabili pietati, accepta grataque ſint.

XI.

Monaſterium Figiaci a Pipino olim fundatum ut perpetuo a Conchenſi abbate gubernaretur, & ipſius poteſtati eſſet ſubjectum, juxta priſtinum hunc ordinem reſtituit Bego de Calmonte, abbati Conchenſi Odalrico.

GUbernante ſummo rege Pipino regnum Francorum, multa a fundamentis conſtruxerat cœnobia, multaque reædificavit diruta. Interea dum ſancta loca quaque luſtraret, reperit quendam locum Conchas vocatum, quem dudum venerabilis Dado ſolitarius incoluerat poſt vaſtationem Saracenorum, ibique monachos congregatos reperiens, dona ac prædia multa monaſterio contulit. Poſtea autem eo quod locus in aſperrimis locis erat fundatus, ſaluberrimo accepto conſilio, aliud cœnobium in loco qui dicebatur Figiacus, conſtruxit, novas Conchas eum nuncupans; quamvis in hoc dignitas & reverentia antiquiſſimi monaſterii Conchas appareret, ſervitutique illum prioris monaſterii ſubjiciens; itaut liberalis conditio ſicut regales oſtenduns apices Conchas reſervarentur, ablata penitus omni poteſtate comitum & principum ab illis. Poſtea autem deficiente paulatim regum ſublimitate, decreverunt ſemet comites & principes nefandiſſimos monaſteriorum proviſores; itaut ab invicem hæc cœnobia disjungerent, abbatem in ſubdito * cauſa cupiditatis conſtituentes. Hac-tenus hic error permanſit, donec ego Bego de Calmonte filius fidei, una cum meis optimatibus præcepta audiens regalia, ſtatui ut privilegium & dignitas, ac reverentia antiquitatis priori monaſterio Conchas, ſicut reges decreverant, remaneret. Quo circa dono & dimitto ſancto Salvatori de Conchas, & ſanctiſſimæ Fidei virgini, &

* *f.* Tubditor.

abbati Odalrico, & monachis in eodem loco perpetualiter conſtitutis, monaſterium Figiacum novas Conchas nuncupatum, in tali convenientia, ut ſecundum regulam ſancti Benedicti, monachi ibi degentes vivant, ordinemque, ut ipſe jubet, cuſtodiant. Quod ſi aliquis inobediens aut contemptor ſanctæ regulæ ibi repertus fuerit, ſi emendare noluerit, de monaſterio projiciatur. Quod ſi abbas ſupradicti monaſterii mortuus fuerit, abbas de Conchis unum eligat de ſuis monachis, qui dignus ſit tali honore, & ſecundum regulam ſancti Benedicti abbatem eum in Figiaco conſtituat, una cum conſilio ſupradicti Begonis aut filii ſui; ſi autem mortuus fuerit ſine filio, cum conſilio plus propinqui parentis, cui ipſe ſuum honorem dimiſerit. Hoc etiam donum facio pro animæ meæ & Fidei matris meæ remedio, parentumque noſtrorum, ſeu conjuge & prole noſtra, ut Deus omnipotens noſtri miſereri dignetur. Signum Begonis & matris ejus Fidei, qui cartam iſtam ſcribere rogaverunt. Signum Hectoris. Signum Hugonis. Signum Geraldi. Signum Hugonis. Signum Deuſdet. Signum Hectoris. Scripta eſt autem hæc carta apud Conchas, tertio nonas Januarii regnante Philippo Francorum rege.

XII.

Stephanus Arvernenſium epiſcopus, dat monaſterio Conchenſi eccleſiam de Rufiaco.

OMnipotentis Dei ampliſſima miſericordia in his mortalibus conſulit, ut ex perituris non peritura, & ex labentibus non labentia adquirere poſſint homines moribundi. Quapropter ego Stephanus gratia Dei Arvernenſium epiſcopus, cedo Domino Deo ſalvatori noſtro, & beatæ Fidi virgini & martyri ſuæ aliquid ex rebus proprietatis meæ, pro redemtione animæ meæ ut pius & miſericors Dominus aliquid de immunitate peccatorum meorum relaxare dignetur. Hæ ſunt autem res quas cedo, eccleſiam de Rufiaco cum omnibus ad ipſam eccleſiam pertinentibus, & quæ ego tenere & poſſidere videor. Hanc autem donationem facio in tali ratione, ut ab hodierno die teneant & poſſideant habitatores loci ſupradicti ſine ullo contradicente. Si quis autem hanc donationem deſtruere voluerit, iram Dei omnipotentis & omnium ſanctorum incurrat, niſi ad ſatisfactionem & emendationem veniat.

Iſte Sephanus monachus erat Conchenſis & abbas; epiſcopatumque dimiſit ut ad ſuos Conchenſes reverteretur. Immediatum ſucceſſorem habuit in ſede Arvernorum Begonem monachum etiam Conchenſem.

XIII.

Conchenſi monaſterio apud Ruthenos Garſendis comitiſſa donat eccleſiam S. Felicis de Vairaco.

Ex archiv. Pallo-Mayn.

INſpirante rerum omnium gubernatore, cunctis fidelibus notum eſt omnes ſeculi hujus labores vanis eſſe atque caducis ſuperſtitionibus implicatos; præſertim Dei ſapientia dicente, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Et item: *Grave jugum ſuper filios Adam a die exitus illorum, uſque in diem reverſionis in matrem omnium.* Ego igitur Garſendis comitiſſa, divinis monitis perterrita, placuit una mihi, & filiis meis Petro & Guillelmo, & Bermundo ut de rebus juris noſtri pro remedium animarum noſtrarum Deo aliquid largiremus: quamobrem ego in Dei nomen Garſendis comitiſſa, cedo, vel dono ad illum ſacrum locum qui eſt ſitus ſuper alveum Dordonis, cujus vocabulum eſt Concas, qui eſt conſecratus in honore Dei & Salvatoris noſtri, ubi ſancta Fides & S. Vincentius, cererique plures tumulati conſiſtunt: cedo & dono Deo & ſanctæ Fide, & monachis Deo ibidem famulantibus, de res meas quæ injuſtiſſime per originem parentorum meorum, mihi ſunt debitæ, & in perpetuum ceſſum permaneat: hoc eſt illa eccleſia de meo alode, cujus vocabulum eſt Variacus, quæ eſt conſecrata in honore ſanctæ Felicis, & eſt ſita in pago Agathenſi; cum ipſa curte, & cum ipſa villa de Vairaco, & cum omnes villas quæ ad ſupraſcriptum alodem pertinet: cum curtes, & hortos, cum exeis & ingreſſis, & egreſſis; cum terras cultas & incultas; cum pratis, garricis, aquis, aquarumve decurſibus; vel cum ipſis molindinis, & cum paſcuis ovium, & cum omne cenſu quæ ad ipſum alodem ſupraſcriptum pertinet; vel quantumcumque ad ipſa curte, vel ad ipſum alode ſupraſcriptum de Vairaco aſpicit, vel aſpicere videtur: queſtum, vel quidquid ad inquirendum eſt, vel quantumcumque in ipſo alode viſa ſum habere, vel poſſidere: totum & ab integrum cedo, & dono ſancti Salvatori, & ſancta Fide de Concas, vel ad ipſos Deo ſervientes, quantum infra fines hujus alodis concluditur: totum firmiter cedo, vel dono ad ipſa caſa Dei jam dicta, pro animæ meæ remedium, vel pro anima genitoris mei Guillelmi, & pro anima genitricis meæ, & pro anima Bernardi ſenioris mei, & filii mei Remundi, & pro animabus filiorum meorum Guillelmi, Petroni, Bermundi, & pro cunctis conſanguineis meis: ut Deus omnipotens ad judicium nobis veniam concedere dignetur. Iſtum alodem ſupraſcriptum, ego Garſendis comitiſſa cedo, vel dono ſancti Salvatori de Conchas, & ſancta Fide ſine ullo contradicente in omnibus. Sane quod ſi ego ipſa immutata voluntate mea, aut ullus heres meus, vel propinquus contra hanc chartam ceſſionis ulla calumpnia generare præſumpſerit: nullatenus hoc liceat facere; ſed faciat quod lex eſt. Facta charta ceſſione iſta, in menſe Auguſto, feria tertia, regnante Henrico rege. Signum Garſendis comitiſſæ, quæ charta iſta ſcribere, vel firmare rogavit. S. Guillelmi. S. Petroni. S. Bermundi. S. Alcherio. S. Berengario. S. Guillelmi. S. Poncioni. S. Andreæ. Ceſſio iſta inviolabilem omni tempore obtineat firmitatem. Pro iſto alode ſupraſcripto de Vairaco, donat Odolricus abbas, & monachi ſanctæ Fidis ſexcentos ſolidos. Geraldus Monachus ſcripſit.

XIV.

Sententia lata ab epiſcopis Meldenſi, & Trecenſi, & abbate Latiniaci, coram ſereniſſima comitiſſa Adela Willelmi regis Anglorum filia, in gratiam monachorum Conchenſium contra Resbacenſes, qui ſimoniace eccleſiam Columbarienſem à comite Theobaldo, qui eam dederat Conchenſibus, obtinuerant.

ADELA comitiſſa, Willelmi regis Anglorum & Mathildis reginæ filia, omnibus Dei fidelibus in Chriſto ſalutem. Anno ab incarnatione Domini MCI. diſſenſio quæ inter Reſbacenſes, & ſanctæ Fidis Conchenſis eccleſiæ monachos, pro eccleſia Columbarienſi diu fuerat ventilata, ad unguem divina gratia adjutrice ducta eſt. Univerſis itaque Chriſti, ſanctæque & matris eccleſiæ filiis, & diſſenſionem & diſſenſionis originem tractatus ſubſequens intimabit. 1100

Ex libro mſ. tabul. Conch. eccleſiæ.

Theobaldus comes, Odonis comitis filius, præfatam Columbarienſem eccleſiam eccleſiæ ſanctæ Fidis Conchenſis, divina gratia inſpirante, conceſſit; ad cujus conceſſionis confirmationem calicem argenteum, per quem donum quod Conchenſi eccleſiæ fecerat, confirmaret, proprios nuncios deſtinavit; volens etiam memoratus comes donum quod fecerat inconcuſſum & irrefragabile permanere, Conchenſem eccleſiam devotus viſitans, & propria ſuæ perſonæ præſentia, & ſcypho aureo, per quem donum Columbarienſis eccleſiæ quod abſens Conchenſi conceſſerat, teſtaretur ſuorum multis præſentibus, & hujus doni teſtimoniis perhibentibus, & ipſius Conchenſis cœnobii multis tam monachis quam alterius profeſſionis aſtantibus, ſecundo ſe feciſſe teſtatus eſt. Mirandum valde, & a conſtantiæ ratione vehementer extraneum! præ-

dictus comes reverſus ad propria, mutato animo, A mutavit & donum. Eccleſiam Columbarienſem quam præmiſſis indiciis Conchenſi eccleſiæ dederat, ira rationem ſuffocante, revocavit. Hanc ergo Reſbacenſis eccleſiæ monachi non, ut dicitur, abſque hereſis ſimoniacæ contagio, nec per hoſtium, ſed aſcendendo potius, annuente prænominato comite, ſubintrarunt. Quid plura? hoc pacto Conchenſes monachi ſic ſuæ eccleſiæ, ſibique conceſſam argumentis prænotatis eccleſiam perdiderunt quam, quod dictu nefas eſt, Reſbacenſes modis quos præſcripſimus acceperunt. Diu itaque Conchenſibus monachis reclamantibus, & Reſbacenſibus in hujuſmodi uſurpatione manentibus, res eſt in pleriſque conciliis, & apud Lugdunenſem archiepiſcopum Romanæ ſedis legatum aliquandiu ventilata; ſed tamen, vivente Theobaldo comite, nullatenus deffinita; pluribus quoque annorum decurſibus, poſt Theobaldi comitis obitum, ſub domino meo Henrico ejus ſucceſſore & filio, & me ejus uxore Adela comitiſſa, Willelmi regis Anglorum & Mathildis Reginæ filia, res extitit indiſcuſſa. Eo itaque anno quo prædictus dominus meus comes Henricus iturum ſe Jeroſolimam, adjunctis ſibi complurimis, epiſcopis Laudunenſi, Sueſſionenſi, Pariſienſi; comitibus quoque, & nonnullis baronibus decreviſſet; mihi injunxit, ut inter Conchenſes & Reſbacenſes monachos cauſam tractari præciperem, & eorum diſſentioni ſupremam manum imponerem. Statuto ergo die, abbas Reſbacenſis cum ſuis monachis ac complicibus, & ille frater, Arnaldus nomine, quem Conchenſis eccleſia miſerat ante me, in cauſam vocati conveniunt, epiſcopis Walterio ſcilicet Meldenſi, & Milone Trecenſi, Arnulfo quoque Latiniaci abbate præſentibus; Arnaldi quoque reclamatione, & Reſbacenſium narratione a memoratis epiſcopis & abbate meiſque & ipſorum epiſcoporum clericis eſt exorta ſententia; quæ ante me perlata, & in medium conſtitura, abbatem Reſbacenſem & ejus monachos injuſte Columbarienſem eccleſiam tenuiſſe, & eos invaſionis inconcuſſa veritate convincit: ſicque Conchenſibus monachis eccleſiam Columbarienſem judicii rigore, & canonica auctoritate reſtituit; quinto itaque calendas Februarii ante me taliter data ſententia Reſbacenſes expulit, & Conchenſes in jus proprium introduxit. Ut autem & hujus negotii modis quos prædiximus deffiniti, memoria ſtabilis valeat permanere: tam eorum qui audiere, quam eorum qui dedere D ſententiam, nomina eſſe ſubnectenda decrevimus. Galterius Meldenſis epiſcopus . . . Milo Trecenſis epiſcopus, Arnulfus abbas Latiniaci, Guicerius prior Coxiaci, Manaſſes archidiaconus, Raginaldus comitiſſæ capellanus, Raginaldus filius Milonis de Braïo, Oddo præcentor Trecenſis eccleſiæ, Ancellus, & ii Trecenſes. Meldenſes duo clerici Walterus, & Giſlebertus. Durantus quoque, & Rogerus Adelæ comitiſſæ clerici & Bernardus, & preſbyter, & hi omnes clerici. Barones, Hugo-Flavus, Galterus de Feritate, Albertus de Montemauri, Marnerus Maingot, Hugo de Dangione, Robertus de Turre filius Agenonis, Oddo de Darneſtallo, & Bartholomeus, Albertus de Latiniaco, Guandelbertus de Trecis, Teolfus de Caſtello Theodorici, Adam de Cruce, Gervaſius de Monte ſanctæ Mariæ. Milites, E Burdinus de Altvire, & Heldierus frater ejus, Hugo panetarius & Goiſbertus frater ejus, Petrus de Latiniaco; Lambertus Columbarienſis præpoſitus, Bernerédus frater abbatis Reſbacenſis, Berneredus de Monte-Engleadi, Roſco decanus, Galterus Telonarius, Radus Cellerarius, Radus filius Albuini, Geraldus de Tuiri. Servientes dominæ, Valterius de Caſtriduno, Serlo, Rotlandus, Henricus hoſtiarius, multi quoque alii tam militum quam aliorum quos enumerare perlongum eſt. Signum Adelæ comitiſſæ. † Signum filii ejus Theobaldi. † Rodgerius clericus regis Anglorum ſcripſit chartam iſtam.

XV.

Petrus Sancii Aragonenſium rex, & Pampilonenſium, ob inſignem adverſus Mauros victoriam ſibi a Deo conceſſam apud civitatem Barbaſtrum quam poſt victoriam ceperat, erecta ibi prius epiſcopali ſede, monaſterium ſanctæ Fidis, quod jam fundaverat, abſolvit, & demis amplioribus auget, longe plura promittens ſi Deus ipſi largiatur Ylerdam & Cæſarauguſtam.

Sub Begone abbate.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, hoc eſt teſtamentum firmum & ratum, quod facio ego Petrus Sancii, Dei gratia rex Aragonenſium & Pampilonenſium, de conſtituenda & ordinanda eccleſia ſanctæ Fidis glorioſæ virginis apud civitatem Barbaſtrum, cum affirmatione, & auctoritate domini Pontii ipſius ſedis venerabilis epiſcopi, & clericorum ſuorum immenſis miſerationibus. Deo multiplices gratiarum debemus actiones qui noſtris temporibus, collata celitus victoria, dedit nobis facultatem adjutandi ſuam ſanctam eccleſiam, ac de terris diu a Mauris detentis, nonnulla religioſorum noſtrorum dotare loca, & monaſteria. Unde inter cetera, notum ſit tam præſentibus quam futuris Dei fidelibus, me, antequam Barbaſtrum civitas ſanctæ Chriſtianitati reſtitueretur, dediſſe ſancto Salvatori, & ſanctæ Fidei de Conchis, atque Begoni venerabili, abbati, ejuſdemque loci monachis, unam mechitam meliorem ſcilicet, quæ eſſet in Barbaſtro, C excepto de ſede epiſcopali, ad conſtruendum ibi monaſterium pro ſalute, & remedio animæ meæ, ac bonæ memoriæ patris mei, & regis Sancii, & matris meæ, ceterorumque parentum meorum: addens etiam viginti argenſatas de vineis, & almunia quæ fuit del Benxipiello, ſicuti melius ab illo & parentibus ejus poſſidebatur die qua ego cepi ædificare illud meum caſtrum ſuper Barbaſtrum.

1101. Ex archivo abbatiæ Conchenſis.

Anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo primo, capta Barbaſtro, ordinata prius ibi, Deo auctore, epiſcopali ſede, cum conſilio, & affirmatione domni Pontii ... venerabilis epiſcopi clericorumque ſuorum, monaſterialem eccleſiam ſanctæ Fidis poſt multas examinationes taliter pacifice ordinavimus ut videlicet de propriis terris meis, & vineis, quas populatores mei ipſo die tenebant, & poſſidebant, vel comprobari poterit deinceps de termino eorum . . . . eccleſiæ ſanctæ Fidis decimæ & primitiæ integerrime perſolvantur, & populatores illi, omniſque eorum poſteritas, quæ loco videlicet, & hereditati ſucceſſerit, tam pro ſepultura, quam pro ceteris eccleſiaſticis cauſis, inibi omnino deputentur. Sit autem ipſius eccleſiæ parochialis terminus, a porta Corvina, uſque ad portam Ferream quæ ducit ad civitatem, ſicut * Azuta, & infra conſiſtit totus ille circuitus exterior civitatis deputatus ad habitandum noſtris hominibus. Præterea damus ſanctæ Fidi glorioſæ virgini, molendinos cum aquæductu ſuo: & hortos ad ipſam portam, cum balneis & furno quæ fuerant de ipſa mechita. Concedimus etiam, cum aſſenſu & favore prædicti epiſcopi, & clericorum ſuorum, eccleſiam de Allinces, cum omnibus eccleſiaſticis rebus ad ſe jure pertinentibus. Hæc omnia ſupra ſcripta Domino Deo, & ſanctæ Fidi laudando & confirmando, ut ipſe Deus ac Dominus Jeſus Chriſtus, per meritum ipſius glorioſæ virginis regnum noſtrum ſalvum & inconcuſſum conſervet, & ad honorem & gloriam nominis ſui, inimicos pacis deſtruendo, amplificet: ſicque nos, & omnem progeniem noſtram tranſire per bona temporalia ſibi ſerviendo faciat, ut poſt iſtius vitæ decurſum, ad æternam gloriam perducat. Quod ſi etiam Deus dederit nobis, ſeu poſteritati noſtræ Ylerdam, ac Cæſaraugustam; donamus inibi beatæ Fidi hereditatem unius Mauri de melioribus, domos videlicet, terras, & vineas, hortos cum omnibus pertinentiis ſuis, ut ipſe Deus, per meritum ipſius, urbes ipſas ſanctæ reſtituat chriſtianitati. Amen.

* *Sarasa.*

Signum Mi†ronis-Rogerii prioris. Signum Rai†mundi Galindonis. Signum Bernar†di-Guillelmi. Signum Pe†tri-Raimundi. Signum Ar†naldi Bernardi. Signum Enne†chonis. Signum Ba†rònis. Signum Deus†det. Signum Steppha†ni. Signum Ru†derici. Signum Domini†ci. Signum Guillel†mi de Pampilona. Signum Mar†tini Cappellani. Signum Pe†tri. Signum Pon†tii. Signum Ber†nardi abbatis Alionis. Signum Rai†mundi Aſnerii archidiaconi. Signum Bernardi Actonis archidiaconi.

XVI.

Umberto abbati Conchenſis eccleſiæ uſus mitræ & annuli conceditur ab Innocentio Papa IV.

1244. Innoc. IV.

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Umberto abbati ſanctæ Fidis de Conchis, ordinis S. Benedicti, Ruthenenſis dioceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ante tribunal omnipotentis judicis, & æterni, ac per hoc omnibus metuendi, ſanctorum adjuvari precibus & patrociniis confidentes, ipſius nimirum placere deposcimus, eorum benevolentiam medullitus flagitramus, utque favorem valeamus ipſorum merito promereri, locorum miniſtris quæ illis aſcripta ſunt titulis, ex collata nobis cælitus poteſtate libenter gratias impertimur, alios privilegiis muniendo, alios honoribus ampliando & terminis, alios etiam inſigniis decorando, prout ſancti alicujus & loci eo prædicti exee lentiæ nobis exigentia innoteſcit. Hinc eſt quod, expoſitis nobis beatæ Fidis virginis & martyris, cujus præes monaſterio, meritis glorioſis, quæ adeo virtute fidei dicitur claruiſſe, adeo fidem ſuam tenuiſſe conſtanter nunquam a Domino mutans eam, quod pro amore ipſius flore virginitatis ſervato in quem credidit, quem dilexit, aſſata & ſecta totum corpus ſuum ſanguine proprio rubricavit. Unde, ut pie credendum eſt, ab ipſius fidei eſt agnominata vocabulo, & Fides proinde nuncupata. Nos, ob ipſius reverentiam, ex conſortio nominis occaſionem trahentes, ad compendium pietatis, præfatum ejus monaſterium mitra & annulo, quæ ſunt inſignia fidei, miſtica ratione duximus decorandum. Sicut mitra nempe caput geſtantis ornat, ſic utique fides mentem, quæ dum per dilectionem, juxta verbum apoſtoli, operatur, quaſi duobus cornibus, Dei ſcilicet dilectione ac proximi, ventilat inimicum. Annulus etiam fidei eſt ſignaculum, quo fidelis anima Domino deſponſatur, qui ex auro conſtat & gemma, & digitum illum ambit, ex quo vena dicitur ad cor mitti; in quo notari videtur quod fides, cum cor fidelis ambit & ornat, ipſum & actione ſtrenuum, & ſapientia efficit eruditum. In ambitu quoque digiti diſcretio commendatur, qui etiam ſua rotunditate deſignat, ut cuncta quæ agit, ad æternam beatitudinem referat obtinendam. His igitur inſigniis pretioſis tibi, & tuis ſucceſſoribus utendi perpetuo, ob devotionem dictæ virginis, concedimus poteſtatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni VI. nonas Octobris, pontificatus noſtri anno tertio.

XVII.

Proceſſus verbalis depredationis Monaſterii Loci-Dei ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Ruthenenſi ab Anglis regis Franciæ hoſtibus.

1431. Ex archiv. Loci-Dei.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis Rauletus de Arca, miles, dominus de Diuſſaco, Cambellanus domini noſtri regis ejuſque ſeneſcallus ſeneſcalliæ Ruthenæ, ſalutem. Notum facimus, quod monaſterium vocatum Loci-Dei infra noſtram ſeneſcalliam & diœceſim conſtitutum, & a Villa-Franca Ruthenæ per ſpatium unius leucæ diſtante; per Anglicos domini noſtri regis inimicos fuit captum, & per dictos Anglicos per certuſi temporis ſpatium occupatum, & dicti Anglici omnes libros, papiros, & regiſtra cenſuum, & proventuum dicti monaſterii comburi fecerunt; & calices, veſtimenta ſacerdotalia, napas, & alia ornamenta dicti monaſterii deprædaverunt, & ſecum aſportarunt. Et ex poſt abbas dicti monaſterii, dum dicti Anglici, & dicti domini noſtri regis inimici, dictum monaſterium vacuaverunt, pro alimentando ſe, & monachos dicti monaſterii, multum bladum, vinum, & alia victualia manu levavit; & etiam pro induendo ſe, & dictos ſuos monachos penes diverſos mercatores & burgenſes tam Villæ-Franchæ, Villæ-Novæ, & alibi obligavit; & de præſenti dicta abbatia vacet per mortem reverendi in Chriſto patris domini domini Raimundi miſeratione divina olim abbatis dicti monaſterii; ibidem vero in dicto monaſterio ſint 13. monachi, cum quibuſdam ſervitoribus tam donatis, bubulcis, paſtoribus, quam aliis perſonis, & ſervientibus dicti monaſterii, uſque ad numerum octo, qui quidem monachi & ſervitores ſunt de præſenti in tali ſtatu; præmiſſis omnibus ſuprascriptis attentis, quod non habent niſi unum calicem argenti pro celebrando miſſas, nec alia ornamenta, ſeu jocalia, & attenta ſterilitate fructuum pro anno præſenti; vix poterunt vivere, nec eorum vitam ſuſtentare de omnibus fructibus, & proventibus dicti monaſterii: nec habent unde ſe induant, niſi mendicent, quod eſt opprobrium totius ordinis Ciſtercienſis, & quod omnes proventus dicti monaſterii in redditibus non valent niſi centum libras Turonenſes. Et præmiſſa nobis & curiæ noſtræ conſtant, per relationem certarum gentium dicti monaſterii, conſilii, & plurium aliarum gentium fide dignorum; & in teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras certificatorias ſcribi fecimus per magiſtrum Johannem Rainaldi notarium regium Villæ-franchæ, & clericum noſtrum. Actum & datum in Villa-francha, ſub ſigillo regio autentico dictæ noſtræ ſeneſcalliæ, die IV. Octobris, anno Domini MCCCCXI.

XVIII.

Epiſtola concilii Baſileenſis in gratiam abbatis Bona-vallis, quem mittit ad Regem Anglorum.

1432. Ex archiv. Bona vallis. Ruthen. diœceſ.

SACRO-SANCTA generalis ſynodus Baſilienſis in Spiritu ſancto legitime congregata univerſalem eccleſiam repræſentans, dilecto eccleſiæ filio nobili viro comiti de Caſtro ſalutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Hæc ſancta ſynodus, pro nonnullis arduis negotiis, extirpationem hereſum, pacificationem populi Chriſtiani, reformationem morum, & ſtatum univerſalis eccleſiæ concernentibus; deſtinat ad chariſſimum in Chriſto filium Alfonſum regem Aragonum illuſtrem, dilectos eccleſiæ filios Johannem abbatem Bonæ-vallis ſacræ paginæ profeſſorem, & Aymarum de Roſſilione canonicum Lugdunenſem licentiatum in decretis ſuos nuntios & oratores, quibus tuæ nobilitati quædam referenda commiſit. Ipſorum relatibus placeat adhibere credentiæ plenam fidem, ipſiſque ad expeditionem tam ſanctæ legationis, conſiliis & auxiliis aſſiſtere opportunis, ad honorem Dei, qui tuam nobilitatem feliciter conſervare dignetur. Datum Baſileæ decimo octavo calendas Septembris anno Domini MCCCCXXXII.

Extant adhuc duæ epiſtolæ ejuſdem ſynodi ad eundem abbatem, quarum una ipſi committitur cura convocandi archiepiſcopos, alioſque prælatos ex partibus Galliæ & Hiſpaniæ ad concilium Baſileenſe. Data eſt anno 1433. 2. *idus Auguſti.*

Alia anno 1436. *undecimo calendas Januarii, in qua jubent patres Baſileenſes, ut publicet indulgentias in ipſa ſynodo conceſſas, pro remiſſione peccatorum, & reductione eccleſiæ Græcæ: ex quibus conſtat hunc abbatem fuiſſe hac ætate, & in illa ſynodo alicujus auctoritatis & ponderis.*

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM VABRENSEM PERTINENTIA.

I.

Diploma Berteiz comitiſſæ, & Bernardi ejus filii comitis Tholoſani, de inſigni donatione quam ſub Adalgiſo abbate Vabrenſi monaſterio contulerunt.

864. Ex chartario Vabrenſi.

PRiſcarum legum imperatorum & conſulum decrevit auctoritas, ut qualiſcumque perſona, & nobili ortus genere, res ſuas in alieno jure transferre voluerit, tam in eccleſiis, quamque & in aliis hominibus per cartas, codicillos & legitimas traditiones, licentiam habeat id faciendi. Quamobrem ego in Dei nomen Berteiz comitiſſa, & filius meus Bernardus comes & marchio Tholoſenſis, divina annuente gracia, pertractavimus caſum humanæ fragilitatis, metuentes diem extremum, ne ſubita mors improviſa adveniat, & ſuæ mortis laqueos tradat: & ut nobis Dominus veniam donare dignetur, cedimus, ceſſumque in perpetuum eſſe volumus res proprietatis noſtræ quæ ſunt ſitæ in pago Ruthenico, in vicarias nuncupantes curia & valle Sorica, vel in Tarneſca, ad monaſterium qui eſt ſitus ſuper fluvium quæ dicitur Dordone, & eſt nuncupatus Waber, & eſt in honore ſancti Petri & ſancti Dioneſii, ceterorumque ſanctorum, quorum ibi reliquiæ continentur: quem domnus & genitor meus Raymundus marchio quondam Tholoſenſis, una cum genitrice mea Berteiz jam dicta conſtruxit vel conſtruere juſſit. In primis pro remedium animæ jam dicti domni Ramundi, & noſtrarum animarum mercede, cedimus villa Calmilius cum omnibus appenditiis ſuis, vel cum mancipiis ibidem pertinentibus: & in alio loco qui dicitur ad illa Brugaria manſos duos, & in Cambarenſe in villa Ribdgo manſos duos, & in Peredo manſos duos, & in Segalare manſo uno, & in Montecalvo manſo uno, & in Betianus quantum viſi ſumus habere; & in Larciaco ſimiliter, & in Vigrone manſos quatuor, & in Croſeto ſimiliter, & in Caſania manſus quinque, & ſerratorum & ab integrum, & ad Sudes manſos duos, & in alio loco in Talupio, vel quantum ibi aſpicit ſimiliter condonamus; & in Rovorianicas quantum viſi ſumus habere; ſimiliter & in Valilias manſos duos cum ipſis mancipiis; & in Cogiaco manſos duos cum Ingelberto & infantes ſuos; & in Naſtogilo manſos quatuor, in Buciago manſos tres, & in Cagio quantum viſi ſumus habere; ſimiliter condonamus, & ad Petra ſuper fluvium Tarno vinea una. Hæc omnia ſuperius nominata ad jam dictum monaſterium, ubi venerabilis vir Adalgiſus cuſtos & rector ſanctæ congregationis ſub regula ſancti Benedicti degentium eſſe videtur, pro remedium animæ domni noſtri Raymundi manibus tradimus, transferimus atque tran fundimus in ſtipendia monachorum, & in ſuſceptione hoſpitum, in elemoſynas pauperum, ut habeant, teneant, poſſideant & faciant exinde pars monaſterii, quicquid juſte & rationabiliter facere voluerit, licentiam habeat in omnibus faciendum quicquid voluerit. De repetitione vero dicimus, quod fieri nullatenus credimus, ſi nos ipſi, quod abſit, immutata voluntate, aut ullus de hæredibus noſtris, vel quiſlibet immiſſa perſona contra hanc ceſſionem, quam nos pronta voluntate pro amore Dei fecimus, ire, aut reſultare præſumſerit; quod petit non vindicet, & ejus petitio nullam obtineat firmitatem; ſed inſuper, cogente fiſco, componat auri libras viginti, argentum pondere centum. Sed præſens ceſſio iſta, omnique tempore inviolabilem obtineat firmitatem. Facta ceſſione iſta decimo quinto calendas Madii, in die ſancto Sabbati Paſchæ anno XXV. regnante Carolo rege. Et cedimus vobis ſervo noſtro nomine Francom filium Trudmor. Signum Berteiz comitiſſe quæ ceſſione iſta fieri vel adfirmare juſſit. Signum Bernardo comiti ſeu duce, qui ambo pariter fieri rogaverunt. S. Hictori. S. Druetamno. S. Tedrico. S. Bercaudis. S. Begoni vicecomiti. S. Oncolentz. S. Jorius. S. Beroz. S. Raymundo. Ermenricus levita ſcripſit.

II.

Præceptum Caroli Calvi regis Francorum, Vabrenſis monaſterii fundationem, ac Rotlando abbati dignitatem abbatialem confirmantis.

870. Ex chartario Vabrenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei rex. Si neceſſitatibus ſervorum Dei etiam ad fidelium noſtrorum deprecationem aurem celſitudinis noſtræ libenter accommodamus, eamque ad effectum perducimus, regiam exercemus conſuetudinem; & hoc nobis in poſterum non dubitamus fore profuturum. Igitur noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum, ſagacitatis induſtria, quod Bernardus Tholoſanus marchio, & dilectiſſimus nobis fidelis, ad noſtram accedens manſuetudinem, innotuit qualiter pater ejus Ragemundus in pago Ruthenico, & in loco ſuæ proprietatis ſuper fluvium Dordonæ in villa Vabra eccleſiam ad monaſticum ordinem excolendum, in honore ſancti & glorioſi principis apoſtolorum Petri, ſanctique Dionyſii, nobili opere conſtruxerit, & conſecraverit, ac ſolemniter dedicaverit, quin & ad divinum officium ſacerdotes & levitas, ac reliquos prooportunitate ipſius loci ordinaverit miniſtros, ſuumque filium ibidem ad ſerviendum tradiderit; qualiter etiam Rollandus ſui patri clericus, ſuas ad idem monaſterium tradens res, ſe ibidem Domino ſuo ſub monaſtico ordine tradiderit. Quam ob rem humiliter noſtram petiit celſitudinem, ut pro mercedis noſtræ augmentum, quæcumque data ſunt vel fuerunt, ſub prætextu noſtræ donationis ac immunitatis ſalvamento recuperemus, atque jam dicto clerico Rotlando, & poſt ipſius deceſſum Benedicto filio Ragemundi fratri ſuo, præcepto noſtræ auctoritatis confirmaremus. Cujus petitionibus autem noſtræ clementiæ prębentes, libenter hoc imprævaricabile præceptum noſtræ auctoritatis fieri, illique dari juſſimus; per quod præcipimus atque jubemus, ut in quibuſque locis jam dictorum monachorum res ſitæ habentur, inviolabilis ſervetur immunitas, neque aliquis judicum, in omnibus rebus eorum quicquam diſtrictionis aut injuſtæ exactionis conetur, quo remota ſæculari judiciariaque poteſtate liberius pro nobis Domini miſericordiam valeant implorare. Quod ſi aliquis hoc quod prohibemus temerario auſu facere tentaverit, ſexaginta ſolidos pœna multatus exſolvat, & immunitas noſtra auctoritate conceſſa inrefragabilis jure firmiſſimo teneat & inconcuſſa. Ad deprecationem quoque jam dicti fidelis noſtri Bernardi, Rollando abbati jam dictum locum quandiu vixerit cedimus ad habendum, quatenus ſecundum Dei, ſuamque diſpoſitionem libere ei diſponere, regere liceat & ordinare. Poſt ipſius quoque digreſſum Benedictus filius Ragemundi, & frater Bernardi, ſimilem ex hoc ſecundum Dei voluntatem utendi habeat monaſterio poteſtatem quandiu vixerit. Ut autem hoc noſtræ largitatis præceptum pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem & vigorem, &c.

Signum Karoli glorioſiſſimi regis.

Data XI. calendas Julii, indictione III. anno triceſimo regnante Karolo glorioſiſſimo rege.

Actum Moria mannis valle, in Dei nomine feliciter.

III.

III.

Diploma Berteiz comitiſſæ, de inſigni donatione quam monaſterio Vabrenſi, ſub Bernardo abbate fecit.

113. Berteiz Vabr.

SI rerum mearum locis ſanctis confero, dubium non eſt æternæ vitæ præmia adepturam. Idcirco in Chriſti ego nomen Berteiz ſagaci, ut expedit, hoc animo pertractans, locum cui vocabulum eſt Vaber, qui eſt ſitus in pago Ruthenico citra fluvium Dordonis in miniſterio Curienſe, & eſt fundatus ipſe locus in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, necnon & venerabilis ſanctæ Dei genitricis beatæ Mariæ, principis quoque apoſtolorum Petri, martyriſque venerandi Dionyſii, necnon & beati Martini confeſſoris, ceterorumque ſanctorum ibidem humata pignorum conſecratum, eligo prout valui humiliter ex rebus honorare paternis; ideoque cedo loco prænotato res quæ mihi ex paterno jure advenerunt, ſcilicet curte mea, quæ vocatur Exinis, quæ eſt in pago Ruthenico, in vigariis cui vocabulum ſunt Cambarenſe & Bruſcenſce. In primis caſa mea dominicaria, cum capella, quæ eſt fundata in honore ſancti Petri, ſive ſancti Hypoliti, ſeu ceterorum ſanctorum quorum reliquiæ ibi continentur, cum manſos quatuor eccleſiaſticos, & in ipſa villa manſos tres dominicarios; in Pelipio manſos quatuor; in Caternago manſos tres; in Fabricas manſos tres; in Suagas manſos duos; manſo ubi Adalbertus viſus eſt manere uno; in Riols manſos duos; manſo ubi Agiricus viſus fuit manere uno; in Exitello manſo uno; Ariagos manſos duos; Metito manſos duos; Rotharias manſos duos; in Laurite manſo; in villa manſo uno; in Sils manſo uno; in Cambulio manſo uno; in Ladedubro manſo uno; in Valedubro manſos tres; & in alio loco in ipſa curte capella quæ eſt fundata in honore ſancti Timothei, cum manſos duos. Iſta omnia ſuperius nominata in integrum cedo ad jam dicta venerabili loco, ſacriſque pignoribus ibidem humatis, necne & Bernardo, qui cuſtos loci & abba fratribus Deo monaſtica norma militantium præeſſe videtur, cum terris cultis & incultis, cum pratis & paſcuis, ſilvis pomiferis, molendinis cum omni integritate, & ſuperpoſita eorum, & quicquid quæſitum vel inquirendum eſt, & omne fundus poſſeſſionis; ut poſt hodiernum diem ipſas res ſuperius nominatas, tam pro animæ meæ quamque & pro animæ genitoris mei Remigii, ac genitricis meæ Arſinda, necne & pro jugale meo Raimundo, & filio meo Bernardo, qui fuerunt quondam, ſeu & filio meo Odone & Benedicto, minuendis peccatis, præfata eccleſia Dei, & monachis ibidem Deo militantes jure proprietario teneant & poſſideant. Si quis autem aut ego ipſa, aut ullus de hæredibus meis, animo cupido res prætaxatas, loco jam dicto Vabrenſe monaſterio, ſacriſque pignoribus ibidem humatis, ac monachis Deo militantibus condonatas ac traditas, pro remedium meorum ex quorum mihi parte ipſæ res advenerunt, a præſenti die habeo, inquietudinem aliquam inferre auſu temerario præſumſerit, aut præfatas res ad jam dicto monaſterio abſtrahere aliquo ingenio tentaverit, quod reperit nullatenus vindicare valeat; inſuper judiciali poteſtate coactus, cum fiſco publico tres libras auri componere cogatur, & æterna ſe ſciat damnatione multandum, & a liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ habeatur extorris. Facta hæc carta donationis anno incarnationis Domini noſtri *f. a* Jeſu Chriſti DCCCLXXXIII. indictione IV.* Karlamandi etiam regni monarchiæ anno I. II. ſub octavo idus etiam kalendarum Aprilium. S. Berteiz, quæ donatione iſta fieri vel firmare rogavit. S. Fulquardus. S. Benedictus. S. Roſtagno. S. Jaintardo. S. Oddo. S. Winaramno. S. Bernardo. S. Airiberto, qui vocatus fuit Benedictus, qui hoc conſenſit. S. Miloni. S. Emmoni. S. Fludrigo. S. Ermengaudo. S. Bertramno. S. Berno Tholoſæ ſedis epiſcopus. S. Ato. Sendraldus monachus ſive ſacerdos rogatus ſcripſit. S. Sigovinus.

IV.

Vabrenſe monaſterium ſancto Victori ſubjicitur.

1083. Ex parte chartularii S. Victoris Maſſil. fol. 3..

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis; videlicet Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Memoria & notitia, ſive pactio, qualiter vir nobiliſſimus Deuſde Rotenenſis abbas ſummi opificis inſtinctu permotus, atque amore patriæ cœleſtis incenſus; adiens dominum Nicolaum papam Romanum, accepta ab eo licentia & authoritate, ſeu potius apoſtolica juſſione, quatenus Vabrenſe monaſterium ſuæ poteſtatis ditioni ſubditum, quod olim regulare fuerat atque religioſum, nunc vero ab omni ordine deſtitutum, & etiam habitatoribus vacuatum, quorum culpa conſtat eveniſſe, idipſum B abbati & cœnobio cujus adminiculum ſibi commodius fuerit viſum, decernat committendum; ſectum diutius animo volvens, & monaſteriorum Galliæ mores; regulamque proſpiciens, unum ex omnibus a quo monaſtica religio inſtitutionibus & collationibus ſanctorum patrum, auctore ſanctiſſimo & meritis glorioſo ejuſmem Maſſilienſis videlicet monaſterii patre ac fundatore Caſſiano primo noſtras ad partes promulgata proceſſit; quod hactenus, Deo propitio floret ac regulari diſtrictione pollet, Domini noſtri Jeſu Chriſti & ejus ſanctæ genitricis Mariæ, ſanctorumque Victoris & ſociorum ejus pretioſorum martyrum ibidem quieſcentium, ſanctorum etiam Petri & Pauli, & omnium apoſtolorum honore conſtratum, ſuæ voluntati potiſſimum atque utiliſſimum eligit. Igitur libentiſſimo animo concedente & con- C ſentiente domino & ſeniore meo Rotenenſium atque Arverenſium comite Rotberto, & uxore ejus domina Berta, ejuſque avia comitiſſa Ricardis, ego Deuſde ſupra nominatus abbas, & Raymundus frater meus, & uxor ejus Aldiardis, una cum filiis ſuis pro redemptione animarum noſtrarum, parentumque noſtrorum, & remuneratione patriæ cœleſtis, ſupra nominato Vabrenſi monaſterio quædam quæ hucuſque uſurpata injuſte tenuimus ac poſſedimus, donamus & reddimus, ſcilicet medietatem caſtelli quod nominatur Petra-Alba de ipſo baſtimento quod ibi eſt, & in antea factum erit, per nomen de Caſtello; quam medietatem abbas & congregatio ejuſdem monaſterii teneant, & caſtellani ipſius medietatis de manu ejus accipiant & ei ſolvant, ac fidele ſacramentum faciant. Malos vero uſus, caltas, tortitu- D dines, diſtrictiones, fidejuſſorias, & lucra quæ per ſimoniacam factionem in eodem monaſterio & in ejus dominicaturis, manſis, villis & cellis, uſque ad hoc tempus nos vel noſtri parentes accepimus, vel exegimus; omnino relinquentes funditus abrenunciamus, & in manu Durandi abbatis Maſſilienſis, & domni Raimbaldi archiepiſcopi Arelatenſis, ejuſdem ſancti Victoris monaſterii monachi firma ſtipulatione coram Deo & ſanctis ejus ex toto in perpetuum gurpitionem facimus. Hæc autem ſupraſcripta omnia ſcilicet ſupra nominatum Vabrenſe monaſterium in pago Rotenico ſitum, in honore Domini Salvatoris, ejuſque genitricis, & ſanctiſſimi Dionyſii martyris conſecratum, cum omnibus ſuis ad honorem omnipotentis Dei & reſtaurationem ipſius loci concedimus, tradimus, donamus & E committimus altario in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque genitricis, & domini Victoris glorioſiſſimi martyris, & ſociorum ejus; necnon & altari principum apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium apoſtolorum in Maſſilienſi cœnobio conſecratis, & abbati Durando, ejuſque ſucceſſoribus, & congregationi ipſius loci præſenti & futuræ. Ordinamus vero atque diſponimus, & ſtabili firmitate ſancimus, ut ipſe abbas Durandus & ſucceſſores ejus per omnia tempora de congregatione Maſſilienſi ponant in monaſterio Vabrenſi abbatem, & quos voluerint monachos qui eis obedientes ſecundum normam regulæ ſancti Benedicti, & conſuetudines Maſſilienſis monaſterii in eodem loco ad ſervitium omnipotentis Dei permaneant. Si vero, quod abſit, abbas ipſe vel monachi a regulari tramite deviantes perverſe vivere voluerint, & ſæpe commoniti emendare no-

luerint, abbas Maſſilienſis educat ſecum perverſos abbatem ſive monachos, & eorum loco ponat ſine ullius contradictione de ſuis honeſtos, utiles atque bonos, ſibique ac regulæ obedientia ſubditos. Ergo ſi quis, vel ſi qua, nos aut aliquis, vel aliqua heredum, ſive ſucceſſorum noſtrorum, vel alia quæcumque oppoſita perſona cujuſcumque dignitatis aut ordinis, hujus privilegio vel ſcriptioni contraire vel inquietudinem inferre tentaverit, ſummæ Trinitatis iram incurrere, & a cœtu eccleſiæ catholicæ ſegregatum noverit ſe perpetua pœna cum Antichriſto damnatum, cumque Juda Scarioth & Sabellio, atque Ario, Dathan & Abiron, Simone quoque mago, æternis ignibus concremandum. Hoc privilegio permanente ſtabilitate fixa, cum ſtipulatione ſubnixa, ego Deuſde hanc cartam ſcribere juſſi, & manu mea roboratam teſtes firmare rogavi. Signum Deuſde abbas. Sig. Raymundus & filii ſui. Facta donatio hæc anno incarnationis dominicæ MLXII. indictione * XIV. pridie idus Junii, III. feria, epacta XXVI. luna XIX. in burgo vel villa ſancti Ægidii. Sig. Arnaldæ filii Arfredæ. Sig. Petroni de Caſtlutz. Sig. Pontioni Eſcodacani. Sig. Raymundi Geraldo. Sig. Rainoni vicecomite, cum filiis ſuis. Sig. Amblardi. Sig. Bernardi. Sig. Rigaldi. Sig. Bonafos. Sig. Volverati. Sig. Raiambaldi archiepiſcopi. Sig. Ugoni monachi. Ego Pontius rogatus ſcripſi, Durando abbate mandante.

* XV.

V.

Charta donationis inſignis quam Vabrenſi monaſterio & Bernardo abbati fecere vir nobilis Larfredus ſeu Arfredus, & uxor ejus Fara.

Ex chartario Vabrenſi.

SAcroſanctæ baſilicæ ſancti Salvatoris, necnon & ſanctæ Mariæ genitricis ſuæ, ſancti Petri principis apoſtolorum, necnon & ſancti Dioneſii præcellentiſſimi martyris, ſeu & ſancti Marii confeſſoris, necnon & ſanctæ Alveræ virginis, & cæterorum ſanctorum, quorum ibi reliquiæ ſub monaſtico ordine a viris religioſis ibidem Deo famulantibus venerandæ eſſe videntur; & eſt ipſe locus ſitus in pago Rutenico in vigaria Curienſe, citra limpham Dordonis, & nuncupatur Waber, ubi Bernardus abba cum monachis ibidem Deo famulantibus, cuſtos & rector eſſe videtur. Quamobrem ego igitur in Dei nomen Larfredus, necnon & uxor mea Fara, cedimus ad ipſa Caſa Dei, vel ad ipſos Deo ſervientes de res proprietatis noſtræ pro animas remedi Amigo genitori meo, ſeu & Aquilena genitrice mea, vel uxori meæ Leogbardi, qui fuit quondam, & fratri meo Jorio, & filio meo Bernardo, ſeu & pro me ipſo peccatori, vel uxori meæ Faranæ, ceſſumque in perpetuum eſſe volumus, & de noſtro jure in veſtra quoque dominatione tradere atque transferre volumus. Hoc ſunt res proprietatis noſtræ, quæ nobis juſtiſſime debitum eſt in pago Ruthenico, in miniſterio Curienſe, ſeu & Dordoniſca villa, cujus vocabulum eſt Boſcho, cum caſa dominicaria, cum omnes ſuas adjacentias, vel pertinentiis in integrum ad ipſa Caſa Dei donamus, & in ipſo Aice alia villa noſtra, cujus vocabulum eſt Cannago, cum ipſa eccleſia, quæ eſt fundata in honore ſancti Martini in integrum. Donamus ſimiliter in ipſo Aice alia villa noſtra ſuper alveum Dordonis, cujus vocabulum eſt Arzilarius in integrum vobis donamus; & in ipſo Aice alios manſos noſtros, ubi Fludricus viſus eſt manere, cum ceteris aliis, cum vineas & terras, vel cum ipſo molino in integrum ad ipſa Caſa Dei. Donamus ſimiliter in ipſo Aice alios manſos noſtros, quem nos de Anſerigo preſbytero comparavimus, cum vineas, ſilvas & terras in integrum. Vobis donamus ſimiliter in ipſo Aice alios manſos noſtros, cujus vocabulum eſt ad illo Riolo, ubi Ebroinus & Adjunus viſi ſunt manere, cum vineas, ſilvas & terras in integrum. Vobis donamus in ipſo Aice ſimiliter alios manſos noſtros, quem nos ab Orloberto comparavimus, cum vineas & terras in integrum. Vobis donamus ſimiliter in ipſo Aice alia villa noſtra, cujus vocabulum eſt Fraxeneſo cum vineas, ſilvas & terras in integrum. Vobis donamus ſimiliter in ipſo miniſterio alio manſo noſtro, cujus vocabulum eſt Spinatioſo, cum ipſo caſtello Duricio, vel cum ipſas eccleſias, quæ ſunt ſitas in honore ſancti Johannis, vel ſancti Stephani martyris, ipſum manſum cum ipſas eccleſias in integrum. Vobis donamus ſimiliter & in miniſterio Tauronico in vigaria de ſancto Georgio, cedimus vobis villas vel manſa, quæ nobis juſtiſſime debitum eſt; in primis villa marcianas ſuper fluvium Linde, cum Caſa dominicaria, vel cum ipſa eccleſia, quæ eſt fundata in honore ſancti Amantii, ipſa villa, ſeu ipſa eccleſia, cum vineas & terras, ſeu & molino in integrum. Vobis donamus ſimiliter, ibidem adharrente alio manſo noſtro, cujus vocabulum eſt Cauſaco, cum vineas & terras, ſeu & molino in integrum. Vobis donamus ſimiliter in ipſo Aice alio manſo noſtro, cujus vocabulum eſt Silvacava, ſeu & Silvacaveta in integrum. Vobis donamus ſimiliter in ipſo Aice vel in ipſo miniſterio, alios manſos noſtros, cujus vocabulum eſt Adita Maurella, cum vineas & terras in integrum. Vobis donamus & alios manſos noſtros ad illa Maurelleta in integrum. Vobis donamus ſimiliter in ipſo miniſterio alios manſos noſtros in ſtipendio, quantum noſtra videtur eſſe poſſeſſio, cum vineas & terras in integrum. Vobis donamus iſta omnia ſuperius nominata, in integrum cedimus vel donamus ad ipſa Caſa Dei, ſeu ad ipſos ibidem Deo famulantibus, pro animas noſtras remedii, vel pro animas ſuperius nominatas, ut ante tribunal Chriſti, ſeu in præſentia Dei omnipotentis veniam mereantur accipere pro majoribus culpis, ſeu & minoribus, pro principalibus peccatis, ſeu & aliis, cum domibus & ædificiis, terras cultas & incultas, cum pratis, paſcuis, ſilvis, garricis, farinariis, aquis, aquarumve decurſibus, vel cum omnibus adjacentiis, vel cum omne fundus poſſeſſionis quæſitum, vel quicquid inquirendum eſt & noſtra juſta videtur eſſe poſſeſſio; itaut poſt hodiernum diem habeatis, teneatis, poſſideatis, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam in omnibus habeatis poteſtatem ad faciendum. De repetitione vero, quod minime fieri non credimus, ſi quis, nos ipſi immutata voluntate noſtra, aut ullus de hæredibus noſtris, vel de propinquis, qui contra hac ceſſione iſta ire aut inquietare præſumpſerit, componat vobis tantum quantum manſi ipſi vel ipſas terras eo tempore melioratas valere potuerint in duplum ſit redditurus, & quod repetit nihil vindicet; ſed præſens ceſſio iſta omnique tempore firma & ſtabilis valeat perdurare cum ſtipulatione ſubnixa. Facta ceſſio iſta in menſe Madio, ſub die duodecimo kalendas Junii, Domino regnante & regem ſperante. S. Arfredi donatione iſta pro anima remedii fieri volui, vel firmare rogavi. S. Farane uxore ſua conſentiente.

VI.

Bulla erectionis epiſcopatus Vabrenſis.

1317. *Ex manuſcr. Colbert. Autogr. aſſervatur in eccleſia Vabrenſi.*

JOHANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Salvator noſter cujus nutui cuncta ſubſerviunt, in agro mundi hujus meſſem multam aſpiciens, & operariorum raritatem attendens, dominum meſſis rogandum eſſe cenſuit ut in illam operarios mitteret: & ipſe idem exiens mane veluti paterfamilias diligens, horis diei variis operarios in vineam ſuam miſit. Romanus itaque pontifex, qui ſicut eodem Domino diſponente, vicarius ejus in terris eſſe dignoſcitur, ſic & ipſius actibus, in quantum ſinit humana fragilitas, ſe conformare tenetur: ut ubi ſuperexcreſcere meſſem, populi videlicet multitudinem viderit; operarios debet opportunos adjicere, & juxta propheticum verbum augere cuſtodiam, levare cuſtodes, ac cultores idoneos in dominicam vineam deſtinare. Sane conſiderantes attentius, & intra pectoris clauſtra meditatione ſollicita revolventes, quod in tanta multitudine populi, quanta fœcundavit altiſſimus civitatem & dioceſim Ruthenæ, ſingulorum vultus nequibat, ut

Digitized by Google

eindecet ; unicus paſtor inſpicere, aut alias partes boni paſtoris implere : nos cultum augere divinum & ſpiritualem animarum profectum ; quem ex ſubſcriptis indubie provenire ſperamus, promovere ſalubriter intendentes ; præmiſſis & aliis ſuadentibus juſtis cauſis, præhabito ſuper hoc diligenti tractatu, ex certa ſcientia de fratrum noſtrorum concordi conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ad laudem Dei, & exaltationem eccleſiæ, fidelium que ſalutem, epiſcopatum Ruthenenſem, ſuamque dioceſim auctoritate apoſtolica dividimus in duas dioceſes, quas per certos diſtingui limites faciemus ; volentes ac decernentes auctoritate prædicta, de fratrum ipſorum conſilio & prædictæ plenitudine poteſtatis, quod præter civitatem Ruthenenſem, quæ ſuam propriam & diſtinctam habebit dioceſim certis finibus limitandam, villa de Vabro dictæ quondam dioceſis, quam veluti ad hoc convenientem & accommodam, eadem auctoritate & dictorum fratrum conſilio, in civitatem erigimus, civitatiſque titulo inſignimus, ſeparatam dioceſim habeat certis limitibus a dioceſi remanſuram Ruthenenſi ac civitate dictis limitibus diſtinguendam : quodque eccleſia monaſterii ſancti Salvatoris civitatis ejuſdem, ordinis ſancti Benedicti, ſit de cetero & habeatur perpetuo eccleſia cathedralis, ipſa & civitate prædicta cum ſuis capitulo, clero & populo, ac dioceſi, ab omni juriſdictione, poteſtate ac ſuperioritate Ruthenenſis epiſcopi, & capituli ejuſdem Ruthenenſis eccleſiæ, necnon abbatis, & conventus, & monaſterii Maſſilienſis, a quo hujuſmodi monaſterium ſancti Salvatoris dependebat, remanentibus omnino liberis & exemtis. Nos enim, licet idem quondam monaſterium ſancti Salvatoris Vabrenſis cum membris ſuis a prædicto dependere hactenus monaſterio Maſſilienſi noſceretur, ipſumque monaſterium Maſſilienſe vel abbas ejuſdem jura quædam & ſuperioritatem in prædicta eccleſia ſancti Salvatoris hactenus obtineret ; de conſilio, auctoritate & poteſtate prædictis, eccleſiam & civitatem eaſdem ad cenſum aliquem ullamve præſtationem vel ſubjectionem quamcumque memoratis abbati, conventui & monaſterio Maſſilienſi volumus & decernimus in antea non teneri : quinimmo ipſam ab omnibus prædictis abſolvimus & totaliter liberamus. Jura quæ in eccleſia prædicta ſancti Salvatoris, civitate, incolis, pertinentiis, ac diſtrictibus ejuſdem præfatum monaſterium Maſſilienſe, aut abbas illius, mediate vel immediate olim quomodocumque habebat, quæcumque & qualiacumque illa ſint & quocunque nomine cenſeantur, in dictam eccleſiam Vabrenſem transferentes, & illa penes eam plene & integraliter volentes perpetuo remanere. Hæc igitur per dictæ ſedis prudentiam circumſpectam ſic facta ſalubriter & utiliter ordinata, perpetuis eſſe valitura temporibus, & robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta diſtrictius inhibemus, ne aliquis cujuſcumque præeminentiæ, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi archiepiſcopali vel epiſcopali, ſeu regia præfulgeat dignitate, hujuſmodi ordinationem apoſtolicam & alia ſupradicta quovis quæſito colore vel modo, ſive cauſa, aut occaſione qualibet adjuvantis turbare, ſeu quolibet modo impedire præſumat. Nos enim irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari. Et nihilominus in eos, qui ex certa ſcientia contrarium præſumſerint, niſi infra octo dierum ſpatium poſt publicationem præſentium reſipuerint cum effectu, excommunicationis in perſonas, & interdicti in univerſitates, ac ſuſpenſionis ſententias in conventus, capitula ſeu collegia promulgamus ; de conſilio & auctoritate prædictis ; a quibus non niſi per Romanum pontificem abſolutionis beneficium, præterquam in articulo mortis valeant obtinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum diviſionis, erectionis, inſtitutionis, abſolutionis, liberationis, tranſlationis, voluntatum, inhibitionis ; conſtitutionum, & promulgationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione idibus Auguſti, pontificatus noſtri anno primo.

Diviſionem autem utriuſque dioceſis, idem Johannes papa fecit ſingulari bulla data x. calendas Decembris, pontificatus ſui anno ſecundo.

VII.

Electio Petri de Olargio primi Vabrenſis epiſcopi.

JOHANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Petro electo Vabrenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Nuper ex certis, rationabilibus & manifeſtis cauſis quæ ad hoc noſtrum animum induxerunt, villam de Vabron nunc infra Ruthenenſis limites conſtitutam, quæ locus ad hoc aptus & multiplici commoditate dotatus exiſtit, de fratrum noſtrorum conſilio & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, per noſtras ſub certa forma litteras in civitatem ereximus, & civitatis vocabulo duximus decorandam. Statuentes etiam & decernentes ut eccleſia monaſterii ſancti Salvatoris ipſius civitatis, tunc monaſterio ſancti Victoris Maſſilienſis ordinis S. Benedicti immediate ſubjecta, extunc haberetur & exiſteret cathedralis ; & deinde volentes eidem eccleſiæ de paſtore idoneo ſalubriter providere, in te tunc abbatem dicti monaſterii S. Salvatoris prædictæ villæ de Vabro dicti ordinis, virum litterarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate, & generis nobilitate decorum, diſcretionis & conſilii maturitate conſpicuum, direximus oculos noſtræ mentis ; teque de fratrum eorumdem conſilio ipſi eccleſiæ prefecimus in epiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus committendo. Verum quia noſtræ intentionis exiſtit, ut prædicta Vabrenſis eccleſia jam, ut præmittitur, in cathedralem erecta, ſuam propriam dioceſim, ſub certis & diſtinctis limitibus habeat, a præfata Ruthenenſi dioceſi ſeparatam ; quia tamen nondum ad ſeparationem & limitationem hujuſmodi proceſſimus, & pars quæ de dioceſi Ruthenenſi citra flumen Tarni exiſtit, ex contiguitate ac vicinitate dictæ Vabrenſis eccleſiæ multum accommoda exiſtere dinoſcatur : volumus, & preſentium auctoritate decernimus, ut interim limitatione, ſeu diſtinctione prædicta pendente, juriſdictionem & exercitium juriſdictionis omnium, & ſingulorum a prædicto flumine Tarni verſus civitatem Vabrenſem conſiſtentium, eorum videlicet quæ de dicta dioceſi Ruthenenſi exiſtere dinoſcuntur, temporaliter & ſpiritualiter exerceas, prout venerabilis frater noſter epiſcopus Ruthenenſis, & prædeceſſores ſui qui fuerunt pro tempore, ac capitulum & eccleſia Ruthenenſis auctoritate ordinaria exercuerunt huc uſque, ac exercere & habere ſunt ſoliti : quouſque videlicet tibi & Eccleſiæ Vabrenſi prædictæ, propria & determinata dioceſis ſub certis & deſignatis terminis fuerit, ut præmittitur, aſſignata. Licet autem nondum ſit tibi munus conſecrationis impenſum, nec apoſtolicas litteras promotionem tuam hujuſmodi continentes, cum illas nondum habeas, poſſis oſtendere : nos tamen tibi ut conſtitutione felicis recordationis Bonifacii papæ octavi prædeceſſoris noſtri, & qualibet alia ſuper hoc in contrarium editis nequaquam obſtantibus, poſſis eidem eccleſiæ Vabrenſi, & quorumlibet bonorum ipſius adminiſtrationem accipere, ipſamque adminiſtrationem, ac juriſdictionem, & exercitium juriſdictionis prædictæ libere exercere auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, conſtitutionis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avenioni XIII. cal. Octobris, pontificatus noſtri anno ſecundo.

Ex autogr. pbo.

VIII.

Fundatio ſocietatis presbyterorum apud S. Africanum a Raimundo ſecundo Vabrenſi epiſcopo.

1346. *Ex chartul. S. Afric.*

AD laudem, gloriam, & honorem divini nominis, virginis Mariæ, ac omnium civium ſupernorum. Nos Raimundus permiſſione divina Vabrenſis epiſcopus, univerſis & ſingulis fidelibus pro certitudine & memoria præſentium harum litterarum ſerie intimamus, ad noſtram, quod lætanter referimus, notitiam perveniſſe quod plerumque nonnulli parochiani eccleſiæ, & vicini villæ S. Africani noſtræ prædictæ dioceſis, zelo piæ devotionis accenſi, animarum ſuarum ſalutem ſpecialiter, & generaliter cunctorum fidelium affectantes, ſalubriter de bonis ſuis inter cetera ſic diſponunt; quod erogant, transferunt, & aſſignant juſtis ac licitis titulis, tam inter vivos quam etiam cauſa mortis, plura de bonis ſuis, preſbyteris inibi Deo ſervientibus, qui nunc ſunt, & qui pro tempore erunt in villa S. Africani prædicta, annis ſingulis in perpetuum communiter dividenda, in diebus anniverſariorum erogantium celebrandorum in dicta eccleſia, pro eiſdem per preſbiteros in dicta villa reſidentes, & inde oriundos, & in ipſis anniverſariis præſentialiter exiſtentes, ſeu diebus aliis, prout quilibet ipſorum ordinantium ſtatuit, & diſponit; vel ipſi preſbiteri diviſionem inter ſe faciendam ordinant, & diſponunt, de ſpeciali conceſſione largientes, quorum preſbiterorum orationibus, ſacrificiis, & devotis precibus præfati diſponentes committunt in Domino humiliter ſe & ſuos. Cum igitur tam piæ diſpoſitiones fidelium, per quas honoratur altiſſimus, & augmentatur ejus cultus, animabus ſalubriter conſulitur, & miniſtris Domini providetur, ſpeciali præſidio merito tuendæ ſint & fovendæ, ac firmitate perpetua roborandæ; modum & formam tutos ad eorum ſtabilitatem provide aſſumentes, ſtatuimus auctoritate noſtra ordinaria, & etiam ordinamus quod preſbiteri dictæ villæ, inde oriundi & reſidentes, ibidem, & beneficiis eccleſiaſticis non dotati, qui nunc ſunt & pro tempore erunt, ibi uſque ad numerum quadraginta nunc & inpoſterum abſque præſidio alicujus unum corpus ſint, faciant & habeant, & unam communem fraternitatem cenſeantur habere, corpusque preſbiterorum dictæ villæ vocetur, ac etiam nuncupetur, necnon habeant, & habere poſſint arcam communem, & facultatem creandi, & conſtituendi procuratores, ſyndicos, œconomos ſeu actores unum vel plures, excepto contra nos, ſeu ſucceſſores noſtros, & eccleſiam noſtram, ac curiam, & vicarium qui nunc eſt, vel qui pro tempore fuerit in eccleſia S. Africani prædicta, per quos procuratores, œconomos, ſeu actores; res, bona, & jura jam ipſis acquiſita, vel inpoſterum acquirenda, & ipſorum cauſæ & negotia in judiciis, & extra regantur, & ducantur, ac adminiſtrentur: ita tamen, quod illos mutare, & revocare, & alios creare valeant, quandocunque, & quotieſcunque ipſis videbitur expedire; poſſintque, poſt veſperos pulſatos in dicta eccleſia pulſare, ſeu pulſari facere campanas ejuſdem eccleſiæ, pro anniverſariis in craſtinum celebrandis, ac in die anniverſarii, cum occurrerint celebranda: necnon omnia, & ſingula ſine cujuſcumque præjudicio habeant, & obtineant preſbiteri hujuſmodi fraternitatis, & corporis quæ ipſis in hoc utilia fuerint, & etiam opportuna, & juſte & licite debent & poſſunt, & debebunt & poterunt acquirere, & etiam obtinere eccleſiam, aut capellam, ſeu baſilicam, vel oratorium ſeu cimiterium ullo unquam tempore non habebunt: ſed præfata ſua parochiali eccleſia, & ejus cimiterio ſint contenti, nec per præmiſſa, nec per aliquod aliud juri parochialis, ſeu cuicunque alteri juri matricis eccleſiæ in aliquo derogetur, nec poſſit in aliquo derogari. Item volumus & ordinamus quod vicarius curatus dictæ eccleſiæ, & ejus ſecundarius, quamvis de loco prædicto non fuerint oriundi, & eorum ſucceſſores, non obſtante quod beneficiati exiſtant, in dicto fraternitatis conſortio ſint incluſi, nec obſtet preſbiteris ejuſdem corporis, ſi ad titulos facultatum ſuarum vel paternarum, monaſteriorum, nobilium, vel aliorum quorumcunque in preſbiteros promoti, exiſtant, quominus gaudeant bonis juribus eidem corpori competentibus & etiam competituris: illa vero quæ in dictis anniverſariis erunt diſtribuenda, inter omnes preſbiteros dicti corporis communiter pro æquis partibus dividantur, de quibus nihil recipiant, niſi illi qui in anniverſariis præſentes exiſtent; niſi eſſent in loco S. Africani, & eos infirmitas excuſaret, quominus poſſent in anniverſariis perſonaliter intereſſe, quibus eorum portio, ſi eam recipere voluerint, non negetur. Item volumus & ordinamus, etiam quod preſbiteri beneficiati, de loco S. Africani oriundi, quamvis de corpore & fraternitate non exiſtant, cum anniverſariis eos eſſe præſentes contigerit, quod ſimilem & æqualem diſtributionem recipiant, qualem alii qui de corpore exiſtunt recipient illa die; ſi vero, in villa prædicta eſſent ultra quadraginta preſbiteri, beneficiis eccleſiaſticis non dotati, volumus quod poſt mortem unius qui de numero fuerit, ponatur ille qui in ordine ſacerdotali antiquior fuerit; ſi vero fuerint duo vel plures in ordine ſacerdotali ejuſdem temporis recipiatur ille qui * numero, quem bajuli, procuratores vel actores dicti corporis ſeu fraternitatis ſingulorum exiſtentium de corpore, duxerint eligendum. Sane ex ſpeciali gratia volumus, & etiam ordinamus quod Jacobus Bonelli preſbiter, quamvis de loco prædicto oriundus non exiſtat; quandiu in loco prædicto reſidentiam fecerit perſonalem, quod ſub corpore, fraternitate, & numero prædictis includatur: cujus quidem corporis & fraternitatis, & ſingulorum exiſtentium de corpore, devotis orationibus animam noſtram, tam in vita quam poſt mortem recommendamus, in Domino humiliter & devote. In quorum omnium fidem, & teſtimonium præſentes noſtras litteras ſigilli noſtri munimine impendenti juſſimus roborari. Datum & conceſſum apud Caſtrum noſtrum de S. Aredio dioceſis noſtræ; die decima octava menſis Novembris, anno dominicæ incarnationis MCCCXLVI.

* *ſic*

Bertrandus Vabrenſis epiſcopus præſentem chartam confirmavit anno MCCCLV. *indictione* VIII. *Innocentii papæ VI. anno* III. *die* IV. *Aprilis, & a ſede apoſtolica eorum omnium confirmationem poſtulavit. Obtenta fuit bullis datis Avenione ab Innocentio papa VI.* VI. *idus Junii, pontificatus anno* III.

Johannes epiſcopus Vabrenſis hanc ſocietatem erexit in collegiatam. Unam præpoſituram loco perpetuæ vicariæ, unam ſacriſtiam, & viginti duo preſbyteralia loca, ſuppreſſo quadragenario numero, inſtituens; & prioratus ſeculares ſancti Africani menſæ capitulari uniens. Erectionis bulla directa fuit abbati S. Tiberii dioceſis Agathenſis & data anno 1440. XII. *cal. Februarii, Eugenii papæ anno* 10.

IX.

Fundatio monaſterii Nantenſis.

Ex chartar. Vabrenſ.

SI rerum noſtrarum donatia locis ſanctis conferimus, dubium non eſt æternæ nos vitæ præmium adepturos. Idſirco in Chriſti nomine ego Bernardus & uxor mea Udalgarda pertimeſcentes diem mortis, & diem judicii ſagaci, ut expedit, animo pertractantes, locum cui vocabulum eſt Waber, qui eſt ſitus in pago Rutenico, in miniſterio Curienſe, citra limpham Dordonis, & eſt fundatus ipſe locus in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, necnon & venerabilis S. Dei Genitricis Mariæ, & in honore quoque S. Petri principis apoſtolorum, martyriſque venerandi Dionyſii, necnon & beati Marii confeſſoris, ſeu & ſanctæ Alveræ virginis, ceterorumque ſanctorum ibidem humata pignorum conſecratum, elegimus prout voluimus humiliter ex

rebus honorare, quæ nobis ab origine parentum, seu A
ex conquisto advenerunt, seu ex rebus paternis. Ideoque cedimus loco prænominato res proprietatis nostræ pro remedium animæ nostræ, vel pro remedium genitori meo Radulfo & Genitrice mea Rodlinde, vel pro remedium Guigoni, Madanulfo, Bernardo, Gonduino; item Bernardo Adraldi, vel Fredolone abba, & Mancii præposito, & pro cunctis amicis, vel fidelibus nostris, vel pro remedium genitore meo Fredelone, & genitrice mea Odane, & Benigno presbitero; ut quorum fuit communis amor, sit & elemosyna communis. Eas namque res quæ sitæ sunt in pago Ruthenico, in ministerio Nantense, hoc est ecclesia quæ est fundata in honore S. Petri, in villa Triancianico, quæ vocant *Nantes* ubi aspiciunt villæ quorum vocabula sunt Molinis, Ambolo, Carisico, Maliaco, Caucenello, Abrigas, Macello, Spinaciolo, & quantum in ipsas villas visi sumus habere vel possedere, quæstum & quod inquirendum est. Ista omnia superius nominata in integrum cedimus ad jam dicto venerabili loco, sacrisque pignoribus ibidem humatis, nec non & Fredoloni abba, qui custos loci fratribus Deo monastica norma militantium præesse videtur, ad monasterium construendum in honore S. Petri burbis Romæ: ea scilicet ratione ut ipse abba vel ipsi monachi, per singulos annos solidos decem ad ipsius aula S. Petri persolvant; ita ut post hodiernum diem ipsas res superius nominatis, nostris minuendis peccatis præfata ecclesia Dei, & monachi ibidem Deo militantes, jure proprietario teneant & possideant. Eo videlicet modo, ut nullus rex, vel aliqua potestas, habeat licentiam ipsas res beneficiare, vel con- C
cambiare, sive condonare, nisi tantum sub tuitione & emunitate regis perhenniter inviolabilis maneat; & quandiu ego Bernardus vixero, de ipso loco non heres: sed tutor & defensor sim, ut in jam dicto loco caterva congregent monachorum, * secundum regulam S. Benedicti, ibidem serviant, ospites recipiant, pauperes recrehent, & pro nobis fideliter orent. De repetitione dicimus, si nos ipsi immutata voluntate, aut ullus de heredibus, vel de propinquis nostris, aut ullus apposita vel admissa persona, aut aliquis homo iniqua voluptate testamentum anteriorem vel posteriorem, quasi ad me factum protulerit, quod nec feci, nec decrevi, nullum habeat effectum, & prolator falsitatis reus teneat * obnoxius. Et ille qui helemosinam nostram voluerit extinguere, imprimis iram Dei omnipotentis incurrat, & cum Dathan & Abiron damnationem perpetuam acquirat, & in ultima resurrectione cum electis portionem non habeat, & cum Juda qui sacrum corpus Domini vendidit, in perpetuum damnetur: & insuper quod conatur agere non vendicet, & qui contra hanc cessionem ire, aut ullam calumpniam generare præsumpserit, quod petit non vendicet: & insuper cogente fisco, componat auri libras triginta, argentum pondera centum; & præsens cessio ista, omnique tempore inviolabilem obtineat firmitatem, cum stipulatione subnixa. Facta cessione ista tertio idus Februarii anno trigesimo octavo, regnante Carolo rege. Istas res superius nominatas, eodemque modo disposuimus, ut monachi in stipendia fratrum possideant; non abbas, non monachus de monasterio abstrahens à laïcis hominibus tenere faciat. Quod si fecerint, propinquiores parentes mei, non in E
suo proprio recipiant; sed in stipendia monachorum ibi Deo degentium tenere faciant. Signum Bernardo. Signum Udalgarda uxore sua, qui charta cessione ista ambo pariter scribere vel firmare rogaverunt. Signum Barnardo. S. Guigoni. S. Aldegrimo. S. Hodilone. S. Darinconi. S. alio Guigoni. In Dei nomen Rainulfus monachus jubente Fredolone abbas scripsit.

X.

Bulla Paschalis II. ad R. Guillelmum præpositum Nantensem de subjectione Nantensis monasterii ad Vabrensem.

PASCHALIS episcopus servus servorum Dei dilecto filio R. Guillelmo præposito Nantensi salutem & apostolicam benedictionem. Ex illius boni viri Bernardi monimentis accepimus, quod Nantensis ecclesia pro voto & oblatione ejusdem Bernardi in monasterium constituta sit, & Vabrensis monasterii dispositioni & ordinationi concessa. Ex communi itaque fratrum nostrorum consilio adjudicatum est, ut ecclesia Nantensis Vabrensis abbatis subesse debeat dispositioni: quatenus prædicti B
boni viri Bernardi votum & oblatio integra permaneat, & ordo ibidem monasticus per Dei gratiam illius sollicitudine perseveret. Monachi quoque ejusdem monasterii ut proprio abbati obedire debebunt. Repetitis igitur litteris vos obedire Vabrensi abbati, & subesse præcepimus, alioquin sicut aliis litteris statutum est, a divinis vos officiis interdictos, usque ad satisfactionem manere præcipimus. Data Albæ idibus Aprilis.

Ex chron. Vab. mſs.

XI.

Bulla Innocentii II. qua prioratum sancti Petri de Nanto ad abbatiæ dignitatem evehit, unicendo ipsi plures ecclesias.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Raimondo abbati monasterii beati Petri Nantensis ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Apostolice sedis nos urget auctoritas religiosas personas diligere, & earum loca præsertim que beati Petri viris existunt, sancte Romane ecclesie gremio confovere. & ut in eis religio augeatur, & conservetur paterne affectionum consideratione prospicere. Proinde dilecte in Domino filii abbas desiderium tuum, quod ad religionis propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo sine aliqua dilatione duximus affectui mancipandum, ut videlicet ecclesia beati Petri Nanctensis, qui, Deo gratias, tam in temporalibus quam in spiritualibus per tuam industriam plurimum accreviſſe, juxta petitionem tuam de prioratu abbatia deinceps statuatur: & ut in futurum inviolabiliter abbatia permaneat, presenti decreto sancimus. Ipsum itaque ad jus, & proprietatem beati Petri pertinens, sub apostolice sedis tutela & protectione suscipimus, & presentis scripti pagina roboramus. Statuentes ut qualscumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in- D
presentiarum juste, & legitime possidet; aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hec propriis nominibus annotanda subjunximus. In Nanctensi villa ecclesiam sancti Stephani, & ecclesiam sancti Jacobi: in Larzaco ecclesiam sancti Salvatoris, ecclesiam sancte Marie de Cuneis, ecclesiam sancti Stephani de Cantobrio, ecclesiam sancte Marie Magdalene de Lechiciis, ecclesiam sancti Martini de Vicano, ecclesiam sancti Michaëlis de Robiaco, ecclesiam sancti Sepulcri de Algua, ecclesiam sancti Christophori de Cubertoirata, ecclesiam sancte Marie de Luc, ecclesiam sancte Marie de Celeleras, ecclesiam sancti Johannis de Brolio. In episcopatu Nemausensi, ecclesiam sancte Marie de Durbia, ecclesiam sancti Geraldi de Rupefolio, ecclesiam sancti Johannis de Vallegarinca, ecclesiam sancte Marie de Treve, & ecclesiam sancti Petri de Revenh. Porro obeunte te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullum inhibi qualibet surrectionis astutia, seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Electus autem a diocesano consecretur episcopo; si quidem catholicus

1135.

igitized by Google

fuerit; & ea abſque pravitate, & exactione aliqua voluerit inhibere; alioquin catholicum quem malueritis adeatis antiſtitem, qui nimirum, noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe diſcernimus, ut qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, eorum devotioni & extreme voluntati, niſi excommunicati fuerint, nullus aſſiſtat, * ſalva nimirum matricis eccleſie juſtitia. Nulli ergo epiſcopo, nulli omnino magne, parveque perſone facit * preſatum cenobium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur, tam veſtris quam fratrum, & pauperum uſibus profutura. Ad indicium vero quod idem cenobium beati Petri juris exiſtat; duos Bizantios nobis, & ſucceſſoribus noſtris, annis ſingulis perſolvetis. Si qua igitur impoſterum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam, ſiens contra eam temere venire temptaverit: ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque hic dignitate careat, & a ſacratiſſimo corpore, ac ſanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Jeſu-Chriſti, aliena fiat, adque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Ego Innocentius catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi. Ego Guillelmus Prænestinus epiſcopus ſubſcripſi. Ego Guido Tiburtinus epiſcopus ſubſcripſi. Ego Gerardus preſbiter cardinalis ſubſcripſi. Ego Liruſens preſbyter cardinalis ſubſcripſi. Ego Lucas preſbyter cardinalis SS. Johannis & Pauli ſubſcripſi. Ego Antonius preſbyter cardinalis ſubſcripſi. Ego Gregorius diaconus SS. Sergii & Bacchi ſubſcripſi. Ego Chriſogonus diaconus cardinalis ſubſcripſi. Datum Piſis per manus Aymerici ſancte Romane eccleſie diaconi cardinalis & Cancell. Idibus Junii indictione XIII. incarnationis Dominice anno milleſimo centeſimo XXXV. Pontificatus vero domini Innocencii pape ſecundi anno ſexto.

*ſ. obſiſtat.

*ſ. vetet.

XII.

Petrus epiſcopus Ruthenenſis confirmat fundationem Parthenonis de Elnonenca ordinis Ciſtercienſis.

1162. ..... inutilis miniſter dilectis in Chriſto filiabus Petronillæ prioriſſæ beatæ Mariæ de Elnonenca, ejuſque ſororibus tam præſentibus quam futuris religioſam vitam ibidem profeſſis ſalutem in perpetuum. Paſtoralis officii cura nos ammonet, & ipſa nihilominus noſtræ mentis in hoc verſatur intentio, omnia videlicet loca divinis obſequiis dedita, ſinceræ pietatis affectu diligere, fovere, ac defenſare; ubicumque eis ad pacem, & ſtabilitatem prodeſſe poſſunt, provida ſollicitudine miniſtrare. Speramus ſi quidem, ſicut & ſperare debemus, religioſorum virorum ſeu mulierum Deo placentium precibus, divinam nobis miſericordiam adfuturam. Unde etiam de veſtris in Chriſto profectibus, plurimum immo ſpecialiter congaudemus: quia domus veſtra in diebus noſtris, Deo volente, ſumpſit exordium, ejuſque favente gratia, non modicum habuit incrementum. Quidquid igitur decreto, & privilegio domini Alexandri, papæ vobis conceſſum eſt, nos quoque præſentis ſcripti auctoritate vobis concedimus, & corroboramus. Decimas ſane quas idem dominus papa ab Ugone abbate Villæ-magnæ impetravit, vobiſque dedit: quæ videlicet decimæ ad jus monaſterii Villæ-magnæ antea pertinebant, nos vobis laudamus, & in perpetuum poſſidendas ſancimus. Illud quoque modis omnibus prohibemus, ne alicui clerico vel laico omnino liceat, cauſa decimarum vel oblationum ... primiarum ſive aliqua occaſione parochialium debitorum, domum veſtram aut .... perturbare, aut inquietare aliquo modo. Qui vero ſupradictorum aliquid in rebus veſtris ſeſe habere putaverint, audientiam noſtram expectent; & quod audientia noſtra ſeu ſucceſſorum noſtrorum dictaverit, in pace ſuſcipiant. Decimas ſiquidem, & primitias animalium veſtrorum cunctis generaliter clericis & laicis a vobis exigere ſeu ace ... ſeu aliquas indebitas & irrationabiles conſuetudines ſuper vos imponere prohibemus. Quicumque vero res veſtras quas inpreſentiarum habetis ſive deinceps juſte adquirere potueritis, contra mandatum domini papæ, & noſtrum transferre, minuere, ſeu alio modo infeſtare præſumpſerit, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione, correxerit, ſciat ſe ab introitu eccleſiæ, & a perceptione corporis & ſanguinis Domini alienum exiſtere. Vobis autem, & ejus jura ſervantibus, ſit pax, & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Inſtrumenti hujus fuerunt hi teſtes & aſſertores, Willelmus venerabili abbas Loci-Dei. Raimundus Rutenenſis eccleſiæ præpoſitus. Ugo ejuſdem eccleſiæ archipreſbiter & canonicus. Petrus ejuſdem eccleſiæ archipreſbiter. Willelmus de Vaurelus ejuſdem eccleſiæ canonicus. Præſens pagina facta fuit & corroborata. v. nonas Maii indictione x. Dominicæ incarnationis MCLXII.

XIII.

Ermengardis comitiſſa Ruthenenſis renuntians ſeculo, habitum religionis ſuſcipit in monaſterio de Elnonenca.

IN nomine Domini anno MCLXX. Ego Ermengardis comitiſſa quondam Rutenenſis, renuntians ſeculo, & habitum religionis pro Dei amore ſuſcipere cupiens, meipſam Domino Deo, & ſanctiſſimæ matri ejus, perpetuæ videlicet virgini Mariæ, & loco qui dicitur Elnonenca, nec non domnæ Petronillæ prioriſſæ, & ejuſdem loci ſororibus perpetuo ſervituram trado; ſcilicet totum illud quidquid ſit quod habeo, & habere debeo, vel aliqua perſona per me in tota villa de Leugaz, & in ejus terminio, & in omnibus manſis & Capmanſis, & appendariis, quæ ſunt in terminio de Leugaz: videlicet domos, terras paſturales, aquas, uſaticos, feudos, culta vel inculta, & quidquid ſit & quæcumque ſint; & inſuper pratum quod habeo in prato de Monte-Olivo quod dicitur pratum Abadil, cum omnibus pertinentiis ſuis. Hæc omnia prædicta dono tibi Petronillæ & ſuccedentibus tibi, & omnibus prædicti loci ſororibus præſentibus & futuris, ut habeatis & poſſideatis illa in perpetuum integre ſine diminutione. Factum eſt hoc in præſentia & teſtificatione domini Ugonis Rutinenſis epiſcopi, qui hoc laudavit & confirmavit: Berengarii archidiaconi qui hæc laudavit & confirmavit: Bernardi de Arpajon, qui hoc laudavit & confirmavit: abbatis Pontii Salvaneſii: G. de Rocoſello archipreſbiteri: R. Guillelmi archipreſbiteri de Lazos, Arnaldi de Orulgas, Deodati de Noviz, Berengerii de Auriaco, Aimerici de Monte-Clarat, & Rainaldi filii ejus, Petri de Auriaco, & Bernardi Rogerii converſi de Elnonenca. Fr. Guillelmus ſcripſit.

1170. Ex autogr.

XIV.

Agnes abbatiſſa de Elnonenca cum conventu, fundat prioratum S. Antonii de S. Sulpicio, retento ſibi ejuſdem loci patronatu.

ANno ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo calendis Octobris. Notum ſit omnibus præſentibus pariter & futuris, quod nos Agnes divina miſeratione abbatiſſa Elnonenſis monaſterii ordinis Ciſtercienſis diœceſis Ruthenenſis, voluntate, conſilio & aſſenſu ſororum Clariæ prioriſſæ, Aicelinæ de Auriaco, Raimundæ Cabreiræ ſacriſtanæ, Guillelmæ Roſæ ſubprioriſſæ, Elis cantoriſſæ, Marchiſæ Laſſinæ, Delphinæ Lumbardæ pitantiariæ, Borquienæ de Caſtro-marino infirmariæ, Joannæ de Creiſſello, Florentiæ de Monte-Alacri, Catherinæ de la Panoſa, San-

1267.

riæ de la Tour, Blasiæ de Monteclaro, Eigeniæ de Belcapel, Margueritæ de Lampiere, & aliarum monacharum dicti monasterii; damus & laudamus, & cum hoc præsenti publico instrumento, nunc & in perpetuum valituro, concedimus tibi Esclaramundæ Alemandæ religiosæ professæ dicti nostri monasterii de Nonenca, & ad præsens conventus sancti Antonii de sancto Sulpicio priorissæ, nomine dicti conventus recipienti, centum quinquaginta solidos Malgoirenses, pro constructione & incremento dicti conventus. Similiter donamus & laxamus totum illum honorem, quem Sicardus Alemandus miles castri sancti Sulpicii dederat pro dicto nostro monasterio Elnonensi pro Dei amore & hereditate Ecclinæ Alemandæ, quam pro monacha ipsi monasterio, cum hoc honore tradiderat & obtulerat, videlicet eorum mansum & territorium vocatum de Varissia-rabia, situm in jurisdictione sancti Sulpicii, prout idem mansus & territorium confrontatur ex duabus partibus, cum honore Deodati Cabonæ, & ex alia parte, cum itinere publico, quo itur de sancto Sulpicio, versus civitatem Vaurensem & aliis confrontationibus, cum omnibus suis juribus, rationibus & pertinentiis, introitibus & exitibus, terris cultis & incultis, herbis, pascuis, domibus, lignis & aquis; & quidquid habemus vel habere debemus in dicto manso & territorio, tibi dominæ priorissæ, nomine dicti conventus recipienti, donamus, ut prædictum est, cedimus & concedimus in perpetuum, & ut melius dici potest & scribi, intelligi vel exponi, ad vestram & dicti conventus, vestrorumque utilitatem & commodum, tali pacto & conditione, ut ab hac donatione superius a nobis facta, volumus & retinemus, & in pactum eodem donationis contractu esse volumus & mandamus, videlicet quod jus patronatus & visitationis, in prædicto sancti Anthonii conventu, ad nos & ad dictum nostrum Elnonense monasterium in perpetuum pertineat, & pertinere debeat. Nos vero Sclaramunda Alemanda prædicti conventus sancti Anthonii de sancto Sulpicio priorissa fatemur esse verum, dictam donationem humiliter recipientes sub pacto & conditione supra scriptis, & ratam & gratam habentes promittimus omnia universa, & singula prout ordinatum superius, inviolabiliter attendere & complere, Deum & beatam Mariam ejus matrem devote & humiliter exorantes, ut pro hujusmodi donatione & elemosina æternum præmium mereamini obtinere. Acta fuerunt hæc in capitulo dicti monasterii. Testes fuerunt ad hæc vocati & rogati fratres G. Manet, R. Gausselinus, Sicardus conversus Salvanensis. B. de Rupeforti, Deodatus vitalis, Guillelmus de Montealacri, Guillelmus de Lunas, & ego Bernardus Rebeli publicus notarius de Versollis, qui omnibus his prædictis interfui, & rogatus hanc chartam scripsi & signavi. B.

INSTRUMENTA
AD
PROVINCIAM AQUI-SEXTIENSEM
PERTINENTIA
QUÆ SPECTANT AD METROPOLIM AQUENSEM.

I.

Amalricus Aquensis archiepiscopus, confirmat donationem vallis Pertusi factam Montis-majoris monasterio.

1000. Ex archiv. Montis majoris.

NOtum sit quod veniens in præsentia Almarici Aquensis sedis Archiepiscopi, domina comitissa Adalax, & filius suus Willelmus, & servus omnium servorum Dei Archinricus, quamvis indignus abbas; petentes obnixe, ut donationem quam comes Bozo fecerat S. Mariæ, de villa Pertusus, firmaret eleemosynam, quam comes Willelmus, S. Mariæ & S. Petri fecerat monasterio Montis majoris. Pro petitione itaque dictæ comitissæ, & filii Willelmi & abbatis, & obsecratione fidelium christianorum assensum fuit, & per hanc chartam donationis, secundum institutum sanctorum Patrum, canonum & suorum canonicorum posteris corroboratam tradidit villam scilicet Pertulus, cum omnibus adjacentiis suis, cultis terris & incultis, vel quidquid in ea ædificatum est, ab omni fundo possessionis, ipsius territorio consistentibus, scilicet pertinentibus sibi cum primitiis & oblationibus. Facta fuit hæc charta donationis in Avenione publice, anno incarnationis M. indict. XIII. VII. kal. Octob. data a domino præsule Amalrico, in conspectu principum & canonicorum, & fidelium christianorum Archinrico abbate de monasterio Montis-majoris, & monachis ibidem Domino famulantibus.

II.

Sergius Papa IV. Amalricum Aquensem archiepiscopum, ob vexatum Montis-majoris monasterium, redarguit.

Ex S. Petri Montis-maj. tabul.

SERGIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis, episcopis, ducibus, marchionibus & comitibus salutem &c. Nobis clamor nobilissimæ comitissæ Adalaidis delatus est, & monachorum S. Petri super filios Nebelongi, Rainaldum videlicet, Willelmum & Lanfredum, & archiepiscopum Amalricum Aquensem, qui fortiter devastant monasterium Montis-majoris, quod est sub potestate sancti Petri & nostra, & insuper villam quæ nominatur Pertusus, per virtutem illorum deprædaverunt & cremaverunt, tamdiu quousque inhabitabilis permanet. De qua causa, monemus & rogamus auctoritate apostolorum & nostra, supra dictum Aquensem archiepiscopum, ut ipse primus satisfaciat: deinde cum ceteris comprovincialibus archiepiscopis, episcopis, atque fidelibus christianis, qui imperio Provinciæ habitant, faciat venire infantes Nevelongi, & ad congruam emendationem illos admoneat de gravi damno, quod injuste intulerunt monasterio B. Petri. Si vos audierint & emendaverint, Deo gratias. Si autem contempserint obedire vobis, & apostolicis præceptis, excommunicamus illos, ac maledicimus ex parte Dei & S. Mariæ, & authoritate B. apostolorum Petri & Pauli, &c. Insuper rogo omnes

Digitized by Google

vos, qui Dei curam habere videmini, ut ſicut ego ex- A communico, ſimiliter & vos faciatis, & conſtringantur vinculo anathematis, qui vi ſæculari vaſtant atque diſſipant ſine voluntate abbatis & monachorum, terras retinent, quas nos & anteceſſores noſtri tradidimus, & corroboravimus cœnobio ſupradicto.

III.

Charta Bertranni comitis Provinciæ.

1044. EGo Bertrannus auctore Deo marchio ſive comes Provinciæ, eccleſiam S. Promaſii Martyris, cum burgo & terris, quæ ſunt meæ poſſeſſionis, reddo ac dono omnipotenti Domino, ac S. Victori martyri ejuſque monaſterio. Facta hæc donatio anno incarnationis B dominicæ MXLIV. indictione XII. Henrico rege regnante. Bertrannus marchio, ſive comes Provinciæ firmat. Rajambaldus Arelatenſis archiepiſcopus firmat. Petrus Aquenſis archiep. firmat. Stephanus Aptenſis epiſcopus firmat. Udalricus Tricaſtrenſis epiſcopus firmat. Geraldus epiſcopus Sigiſtericenſis firmat. Berengarius vicecomes (Siſtaric) Ego Willelmus, & ego Gosfredus comites ſive marchiones Provinciæ filii filii præfati Bertranni.

IV.

1065. NOtitia guirpitionis caſtri Pertuſi, omniumque appendentium ejus, quæ facta eſt ab archiepiſcopo Roſtagno, & canonicis ſanctæ Aquenſis eccleſiæ. Anno igitur incarnationis dominicæ MLXIX. indictione VII. C acta eſt publice in Aquis civitate, in conſpectu clericorum, ac monachorum, ſive laicorum utrarumque eccleſiarum ſubſiſtentium. Quia igitur perantiqua authoritate Boſonis comitis, quæ fuit quondam Aquenſi eccleſiæ reddita, atque donata, ſive pro poſſeſſione archiepiſcopi Amalrici, interpellatio prolixa facta fuerat a ſubſequentibus, placuit tunc archiepiſcopo Roſtagno & clericis ſuis, Rotlanno abbati & monachis ſibi ſubjectis, ut res tamdiu conqueſta in pace diffiniretur per ſcripturam. Conſtitutum eſt ab utriſque, ut abbas Rotlannus & monachi, Archiepiſcopo Roſtagno tunc temporis CCXL. ſolidatas darent, & omni anno perſolverent incenſum ſanctæ Aquenſi eccleſiæ in die Sabathi ſancti, duas libras legales incenſi optimi & tres libras ceræ, ut futuris temporibus inter utraſque eccleſias, altercatio amplius nequaquam fieret, niſi ſtabiliti cenſus menſura, eccleſiæ Aquenſi ab ipſis monachis, vel a ſucceſſoribus eorum, ſcienter defraudaretur, aut non redderetur omnino. Authoritates etenim, quas diu poſſederant cleri Aquenſes, reddidit archiepiſcopus Roſtagnus in manu Rotlanni, qui tunc dicebatur abba & fratrum ejus, & in conſpectu clericorum & laicorum, qui tunc aderant, & hanc in perpetuum corroboravit, &c. Signum Roſtagni archiepiſcopi, qui hanc guirpitionem fecit, & clericis ſuæ eccleſiæ, ſive laicis firmare fecit graris. Benedictus præpoſitus, Poncius grammaticus, Odo, Arbertus, Poncius, canonici: conterranei eccleſiæ laici Aquenſis ſimiliter firmaverunt, Bonifacius, Amelius frater archiepiſcopi, Nevelongus, Atenulphus. Hi omnes publice firmaverunt in Aquis civitate, in clauſtro S. Salvatoris, in conſpectu archiepiſcopi Roſtagni, & Patris Rotlanni & monachorum qui ibi advenerunt, ſcilicet Bertrannus, Albaricus, Rainoardus monachi. VII. idus Aprilis, Roſtagnus Aquenſis archiepiſcopus poſuit hanc chartam ſuper altare ſanctæ Mariæ Montis-Majoris.

V.

Roſtagni Aquenſis archiepiſcopi littera pro ſancto Victore Maſſilienſi.

1071. IN nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, Roſtagnus Aquenſis archiepiſcopus, & Amelus frater meus, donamus in elemoſynam omnipotenti Deo & ſanctæ Dei genitrici ſemper virgini Mariæ, ſancto Victori martyri & abbati Bernardo & monachis in monaſterio Maſſilienſi Deo ſervientibus, tam præſentibus quam futuris, in territorio Caſtri, quod vocatur Airas, in ſtagno quod vocatur Fabricanum, unuſquiſque noſtrum unas ſalinas, illas ſcilicet quas incolit homo Pontius; & prædictus Amelus illas quas tenet homo Andreas, &c. III. nonas Julii anno MLXXV. apud cellam ſancti Benedicti in territorio ipſius Caſtri. Roſtagnus archiepiſcopus firmavit. Amelus frater ejus firmavit. Hugo de Torreves firmavit. Garcias uxor Ameli firmavit. Pontius filius Ameli firmavit, & omnes ejus filii. Guido frater ejus firmavit.

VI.

Roſtagni Aquenſis archiepiſcopi charta de monaſterio ſanctorum Gervaſii & Protaſii.

1082. *Ex chartario Cluniacenſi.*

EGo ROSTAGNUS licet indignus, tamen appellatus Aquenſis archiepiſcopus, & meus germanus frater Amelius, & ejus filii Pontius, Raymundus, Wido, Gauſridus, Bertrannus, communi voto rogamus omnes fideles Chriſti præſentes & futuros, ut pro illa charitate qua ipſi, Deo jubente, unuſquiſque proximum ſuum ſicut ſe ipſum diligere debet, pro illa caritate foveant & ſuffragentur ad hanc actionem noſtram & donationem, quæ in textu hujus cartæ adnotata videtur. De noſtro namque patrimonio & hereditate noſtra habemus quoddam monaſterium, quod & parentes noſtri de alodo ſuo fundantes conſtruxerunt, ſitum in dioceſi Arelatenſi & in territorio Caſtri item noſtri, quod Foſſas appellatur, & in ipſo monaſterio memoria beatiſſimorum Chriſti martyrum Gervaſii & Prothaſii præcipue honoratur. Quod cum vidiſſemus, quia non regulariter, nec ſecundum Deum eſſet ordinatum, viſum eſt nobis id maxime expedire, ut pro amore Chriſti, omnem ſecularem poteſtatem quam huc uſque habuimus ſuper idem monaſterium ex toto dimittamus, & quantum in nobis eſt, in poteſtatem & donationem ſolius Dei, & ſanctorum ejus conferamus. Idcirco abſolute & ſine omni conditione præfatum monaſterium, cum omnibus rebus ad ſe pertinentibus donamus, & delegamus Deo & ſanctis ejus apoſtolis Petro & Paulo, & eccleſiæ Cluniacenſi, omnino in proprium, & perpetuo jure tenendum & poſſidendum: itaut nullus mortalium quicquam ibi poteſtatis habeat, niſi domnus Hugo abba Cluniacenſis, & D ejus ſucceſſores, in illorum manu & in conſilio illorum, & arbitrio ſit per omnia ordinatio monaſterii, ut abbatem & patrem monaſterii, quemcunque ipſi voluerint, mittant. Et hoc donum facimus pro remiſſione peccatorum noſtrorum, & pro anima patris noſtri, & matris, & fratrum defunctorum, & ſpecialiter pro anima noſtri germani fratris Widonis jam defuncti, ut Chriſti miſericordia a vinculo eam abſolvat peccatorum, & requiem ei ſempiternam concedere dignetur. Actum anno dominicæ incarnationis milleſimo octogeſimo primo, domno Gregorio ſeptimo Romanæ eccleſiæ & apoſtolicæ ſedi præſidente. † Signum domni Roſtagni Aquenſis archiepiſcopi. Signum Bertrandi comitis, qui dedit & confirmavit. Signum Amelii de Foſſis Uxor ejus Garſia firmavit. Pontius de Foſſis, & Wido frater ejus, E & Gauzfredus & Bertrannus fratres firmaverunt. Guido de Currives & fratres ejus firmaverunt. Faraldus de Caſtello-duplo firmavit. Bultuagarus & Hugo preſbyteri firmaverunt. Hugo, Humbertus & Wido fratres ejus firmaverunt. Hugo Yſona & frater ejus firmaverunt. Hugo Geraldus & fratres ejus firmaverunt. Dodo & filii ejus firmaverunt. Raimundus & filii ejus firmaverunt. Fulco de Foſſis & Pontius Signoritus, & Willelmus Pontius firmaverunt. Pontius Iſnardus & frater ejus firmavit. Pontius Geraldus de Foſſis firmavit. Petrus de Foſſis firmavit. Hugo Willelmus de Areis firmavit. Pontius Lambertus, & Amelius Eldebertus firmaverunt. Iſmido de Madalgas firmavit. Fredus de Zaturre firmavit. Petrus Lentaldus firmavit. Bermundus Mataronus firmavit. Willelmus Amelius firmavit.

VII.

A

VII.

Charta Rostagni Aquensis archiepiscopi pro Avenionensi ecclesia.

1095. *Ex chart. eccl. Avenionens.*

DOmini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, sanctorumque ejus, videlicet patriarcharum, prophetarum, apostolorum, ceterorumque patrum dictis frequenter ammonemur; quatenus dum in hoc momentaneo & fluctivago seculo vitam ducimus, ne steriles & infructuosi, omnique bono carentes munere, in die futuri tremendi examinis inveniamur; ac ne sententiam infructuosæ ficulneæ a Domino prolatam audiamus: *Succide,* Luc. 13. 7. inquit, *illam, ut quid etiam terra occupatur?* Verumenumvero summis viribus totoque mentis affectu studeamus, ut aliquod profuturi boni munus, ad aream Domini eo opitulante conferamus. Quapropter his prælibatis, aliis evangelicis institutionibus ammoniti, quod subsequens declarabit sermo, ultroneo nulloque cogente, nisi pondere nostrorum parentum & nostri prægravante peccatorum, perficere curavimus; videlicet ego Guido & uxor mea Astrudis memoriæ commendantes, qualiter erga Deum ejusque genitricis ecclesiam in urbe Avenica fiam olim ante offensas feceram quandam portiunculam nostræ hæreditatis, scilicet honorem illum qui quondam fuit proavi Poncii Bakle dicti Marini Rufi. Est autem honor præscriptus in territorio castelli, quod dicitur Fossis in mansionibus, vineis, terris cultis & incultis, in salinis & piscatoriis; quæ omnia supra scripta reddidimus Poncio, & eo suppliciter deprecando concessimus Deo & sanctæ Mariæ Avenicæ sedis, atque canonicis in claustro assidue, toto alio respectu remoto, præsentialiter & future permansuris & permanentibus, ut Deus omnipotens dimittat parentibus nostris vivis atque defunctis & nobis omnium peccatorum nostrorum & eorum vinculas; & coheredes & participes æternæ beatitudinis faciat, & ad paradisi amœnitatem perducat. Post decessionem autem domni Guidonis & ejus conjugis existentis, ejus filii Rostagnus Aquensis episcopus, & Amelius, & Guido, & Garsia conjux Amelii, & filii ejus Pontius de Fossis, & Gaufredus, Guido atque Bertrannus, recordantes paternæ donationis, non solum ea corroboraverunt, sed etiam de suis eam adcreverunt. Adjunxerunt autem supradictæ donationi lenioritatem piscatoriæ operæ fictæ, medietatem parationis. Insuper autem dederunt Deo & sanctæ Mariæ de Domo, & canonicis de claustro, totam lisdam de sale, & piscibus, proprie qualicumque modo, ædificatione, aut comparatione, vel adquisitione. Facimus autem hanc donationem nostram communi voluntate cum consilio omnium militum ipsius castelli quod dicitur Fossis, & ceterorum bonorum virorum, Domino Deo & beatæ Mariæ, & canonicis suprascriptis, pro remissione peccatorum nostrorum, & pro anima patris nostri & matris, & fratrum nostrorum defunctorum Pontii, Guillelmi & Ugonis, ut Deus omnipotens dimittat nobis omnia peccata nostra, & eis requiem æternam concedere dignetur. Si quis autem contra hanc donationem post decessorum * nostrorum insurgere voluerit, vel inquietare tentaverit, incurrat omnipotentis Dei iram, & sit anathema maranata, & cum Juda traditore in terra & fœtida inferni voragine collocetur, *ubi vermis non moritur & ignis non extinguitur.* Marc. 9. 43. 45. 47. Acta est hæc donatio anno Dominicæ incarnationis millesimo octuagesimo quinto, indictione septima, concurrente secundo. Signum domni Rostagni Aquensis archiepiscopi, qui dedit & firmavit. Pontius de Fossis, & Beluldis firmavit. Gaufredus & Guido & Bertrandus fratres firmaverunt. Ugo, Humbertus & Guido frater ejus firmavit. Guillelmus de Fossis firmavit. Ugo Geraldus & fratres ejus firmaverunt. Dodonus & filii ejus firmaverunt. Petrus Fulco firmavit.

* *Decessorum nostrorum.*

B C D E

VIII.

Charta Petri Aquensis episcopi, de restauratione sua ecclesiæ.

PETRUS Aquensis archiepiscopus omnibus ecclesiæ filiis salutem a Domino. Ad notitiam cunctorum fidelium pervenire volumus, sedem sanctæ Aquensis ecclesiæ in honorem sanctæ Mariæ consecratæ, cum oratorio sancti Salvatoris nostri Dei, cum baptisterio beati Johannis destructione gentium, cum eadem Aquensi civitate, per multa curricula annorum, in solitudinem permansisse: miseratione autem divina idem locus ob amorem & reverentiam illius glorioši Salvatoris nostri, cœpit ædificari; inter quos præcipue emicuit Benedictus præpositus, prudentia laudabilis & bonitate conspicuus, qui eundem locum Deo propitio cum clero ibidem Deo famulante, ædificiis, ornamentis, honoribus pro posse suo præ omnibus ditavit & auxit; qui nostram præsentiam adiens, ut eidem ecclesiæ aliquid beneficii ad restaurationem loci concederemus, supplex expostulavit. Quod satis libere annuentes, concedimus supradictæ ecclesiæ & canonicis ibidem Deo servientibus, ecclesiam sancti Andreæ, quæ paululum extra muros ejusdem civitatis Aquensis in septentrionali plaga sita est, juxta eundem locum, cum suis vineis, hortis, & omnibus ad eum pertinentibus. Concedimus etiam supradicto præposito burgum sancti Salvatoris, &c. Anno incarnationis MLXXXII *. A. † Ω. Petrus archiepiscopus firmavi. 1082. *2, secundo.

IX.

Charta Petri Gaufredi Aquensis archiepiscopi.

QUoniam religiosa sollicitudo pastorum fidelium animarum ad hoc debet invigilare attentius, ut quieti & honori, augmentoque catholicæ ecclesiæ Dei instantius prodesse valeat; ego Petrus Gaufridi Aquensium archiepiscopus, & monasterii Massiliensis beatæ Mariæ, sanctique Victoris martyris, licet peccator, monachus, servus & filius; utilitati servorum Dei ejusdem cœnobii providens, quibus semper officiosus esse debeo, & injuriosus nunquam, litigium ecclesiarum in perpetuum sopire gestiens, quidquid a predecessoribus ecclesiæ meæ, vel ab Aquensibus clericis, vel a meipso datum est, aut aquisitum, vel confirmatum, dono, laudo, confirmo & indulgeo prænotato monasterio, ab antiquissimus sanctisque patribus fundato, prout fidelius & devotius valeo. Et quemadmodum scripta omnia Aquensium pontificum, vel clericorum monasterio Massiliensi cum privilegiis sanctæ Romanæ ecclesiæ collata, vel tradita continent, quæ ego omnia insimul congregata manu & voluntate mea laudando firmavi, & firmando laudavi omnipotenti Deo & sanctis ejus, ac venerando abbati Ricardo, monachisque Massiliensibus tam præsentibus quam futuris perenniter habenda & disponenda, humiliter pro salute animæ meæ offero, & pro anima patris mei & matris meæ, & pro salute clericorum meorum, parentumque eorum, ut in sacrificiis, & orationibus, & eleemosinis servorum Dei Massiliensium salutis remedium capiamus: hic & in perpetuum Deo protectore adjuti, cum integris decimis, & primiciis, & reditibus, & oblationibus omnibus, & cum his omnibus nulla exceptæ parte, vel facta divisione per aliquam controversiam; deincepsque fideles morientes pro se, vel executores eorum amici pro eis, monachis, vel eorum ecclesiis in quibuslibet rebus, vel locis dederint, vel reliquerint; ita ut nulla exactio, vel perturbatio a modo, ullo invidiæ genere, vel ambitu per clericos, vel monachos in aliquo..... oriri possit; salva tamen fidelitate Aquensis ecclesiæ, & annuali censu, quem per singulos annos ei debent persolvere. Si quis autem episcoporum, clericorum, seu etiam secularium, sive cujuscumque sit sexus, generis, ordinis, dignitatis, hanc nostræ authoritatis cartam inquietare, infringere, vel annulare tentaverit, nullatenus hoc valeat perficere; sed quousque resipue- *Ex mss. chart. mon. S. Victor. Massil. fol. 97.*

rit, a conſortio fidelium Dei alienus exiſtat; & inſuper hæc carta firma & ſtabilis permaneat. Ego Petrus Gaufredi archiepiſcopus hujus paginæ ſcriptum fieri juſſi, anno ab incarnatione Domini [a] MCIV. VII. cal. Januarii, luna XXV. teſtibus monachis Pontio, Willelmo, Petro, Fulcone, Ugone, Gaafred, Ugone, Bernardo, Ragmando de Roſſet, Guillelmo.

X.

Petrus archiepiſcopus Aquenſis capitula poſſeſſiones & honores confirmat.

1103. *Ex archiv. Capu.*

ANno incarnati Verbi MCIII. domno Petro archiepiſcopo divina diſpenſatione Aquenſem eccleſiam gubernante, ejuſdem Aquenſis eccleſiæ & glorioſi Salvatoris præpoſitus venerabilis Fulco, cum canonicis ſibi ſubditis, ipſius archiepiſcopi præſentiam adierunt, multa prece & ſumma humilitate poſtulantes, quatenus quaſdam eccleſias in Aquenſi comitatu ſitas, quas poſt exceſſum domini Petri archiepiſcopi, anteceſſoris ejus adquiſierant, Aquenſi eccleſia adhuc paſtore vacante, iſdem venerabilis P. laudando concederet, & concedendo ſcripris & teſtimonio hujus paginæ confirmaret. Inſuper etiam, ſumma prece ut diximus, & præcipua humilitate poſtulaverunt, quatenus eccleſias & honores canonicis beatæ Mariæ & glorioſi Salvatoris, ab anteceſſoribus ejus conceſſas, quas ſcilicet anteceſſor ejus Petrus conceſſerat, & ab aliis conceſſas ſuis ſcripris confirmaverat, iſdem venerabilis P. hac ſerie corroboraret. Humillimis etiam poſtulationibus poſtulaverunt, quatenus quartam partem decimarum, & redituum omnium ſuarum eccleſiarum, quam proprii juris archiepiſcopi ſecundum canonicam regulam non eſſe non ignorabant, eam quoque concederet, & ſcripto altari beatæ Mariæ & glorioſi Salvatoris, & canonicis Aquenſis ſedis confirmaret. Quorum petitionibus domnus P. archiepiſcopus miſericorditer condeſcendit, & quam juſtum fuit fideliter annuit. Donavit quoque altari beatæ Mariæ, & glorioſiſſimi Salvatoris, & canonicis ibidem Domino ſervientibus, eccleſiam ſancti Joannis, cum omnibus appendiciis ſuis, ſitam in comitatu Aquenſi, in territorio de caſtro Rubiantis. Simili etiam modo donavit eccleſiam parochialem de caſtro Paracol, & eccleſiam beatæ Mariæ in territorio ejuſdem caſtri poſitam, cum omnibus appendiciis & dotibus ſuis, excepto ſynodali cenſu. Donavit etiam eccleſiam ſancti Martini de Gavarone, eccleſiam etiam parochialem ſancti Michaëlis de caſtro Bruſa, cum omnibus ſibi pertinentibus, excepto ſynodali cenſu. Simili etiam modo donavit eccleſiam ſancti Martini in territorio de caſtro Rians, eccleſiam ſancti Martini de Lodena, & ſanctæ Mariæ de Gariana, cum omnibus ſibi pertinentibus, & ſanctæ Mariæ parochialem de caſtro monte Juſtini, & ſancti Romani ſecus ipſum caſtrum poſitam, cum ad eaſdem eccleſias pertinentibus. Dedit quoque quartam partem de decimis vinearum, quam adquiſiverunt a Bonifacio in caſtro Reliana. Dedit etiam decimam dominicaturæ comitis, quam adquiſiverunt ab ipſo comite Ermengau, & comitiſſa Adalaide in caſtro Pertuſo. Præterea laudavit & confirmavit omnes eccleſias illas & honores, quas Petrus archiepiſcopus anteceſſor ejus, beatæ Mariæ, & glorioſi Salvatoris canonicis, ſcripris donaverat. Super hæc etiam firmavit per hanc præſentem paginam, quartam partem decimarum & redituum, quæ ſui juris erat, omnium illarum eccleſiarum, quas ab anteceſſore ejus adquiſierant, & iſtarum quas per hanc chartam donavit & firmavit. Hæc omnia quæ ſuperius ſcripta ſunt, Petrus archiepiſcopus eccleſiæ beatæ Mariæ & altari glorioſi Salvatoris, & canonicis, perpetuo jure tenenda, ſua authoritate roboravit, in omnibus & per omnia, ſalva reverentia, obedientia & fidelitate ſua, ac ſucceſſorum. Donavit etiam tertiam partem mortalitatis, totius epiſcopatus, operibus ſanctæ Mariæ & ſancti Salvatoris, in illis eccleſiis quas in domino ſuo retinere placuit. Ego Petrus Aquenſis archiepiſcopus hanc chartam donationis eccleſiæ beatæ Mariæ & glorioſi Salvatoris domo, laudo, corroboro. Si quis autem, &c. Ego Petrus archiepiſcopus firmavi, Fulco præpoſitus, Ugo archidiac. Petrus, Arnulfus, Giraldus, Pontius, Amalricus, Joannes, Wilelmus, Guido, Odo, Arbertus Willelmus.

[a] In exemplari eccleſiæ ſancti Salvatoris legitur MXCIV. quam chronologiam credimus prætereundam.

XI.

Notitia dedicationis eccleſiæ ſancti Salvatoris facta a Petro archiepiſcopo.

1103. *Ex chartar. Aquenſi.*

ANno Domini noſtri Jeſu-Chriſti MCIII. Petrus Aquenſis archiepiſcopus, congregatis quibuſdam comprovincialibus epiſcopis apud Aquas; videlicet domno Gibelino Arelatenſi archiepiſcopo, Johanne Cavellicenſi, Berengario Forojulienſi, & Augerio Regienſi epiſcopis, una cum conſilio clericorum ſuorum, videlicet Fulconis Præpoſiti, & Hugonis archidiaconi, Bremundi ſacriſtæ, & archipreſbyterorum Gaufridi & Petri, ac canonicorum Norberti, Petri, Hugonis, Willelmi, Giraldi & aliorum, quorum nomina, timendo moras, non enumeramus; ſtatuit conſecrare eccleſiam Domini Salvatoris, ſcilicet hic noviter fundatam, inter duas eccleſias, videlicet adverſus ſeptentrionem eccleſiam Dei genitricis ſitam, verſus meridiem vero, eccleſiam beati Joannis Baptiſtæ poſitam; oratorio quoque ejuſdem Domini noſtri Salvatoris, verſus orientem conſtructo. Hanc denique conſecrationem domnus Petrus archiepiſcopus, tantorum Religioſorum virorum, quorum ſuperius nomina enumeravimus, authoritate muniri voluit, quatenus venerabilis eccleſia glorioſi Salvatoris, a venerabilibus viris conſecrata, in poſterum per infinitum venerabilius veneraretur. Sed quoniam earundem eccleſiarum, quas ſuperius exaravimus, beatus Maximinus & beata Maria Magdalena primi fundatores extiterunt; in eadem eccleſia Salvatoris, a ſupradictis religioſiſſimis viris, in honore beati Maximini & beatæ Mariæ Magdalenæ altare dedicatum eſt, cujus conſecrationis dies eſt VII. idus Auguſti, quatenus futuris temporibus, abſque ulla dubitatione, in eccleſia illa, dies iſta celebris annuatim celebretur.

XII.

Paſchalis II. Petro archiepiſcopo Aquenſi.

PASCHALIS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Petro Aquenſi archiepiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſedis benignitas exigit ſua cuique jura ſervare, & ſic honoris a Domino conſtituti privilegium cuſtodire, ut fratribus dignis honoris conſortium non negetur. Idcirco venerabilis frater Petre Aquenſis archiepiſcope, fraternitati tuæ, tuiſque ſucceſſoribus confirmamus, quidquid parochiæ, vel metropolis, vel epiſcopatus jure ad Aquenſem cognoſcitur eccleſiam pertinere. Pallium præterea fraternitati tuæ, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ex apoſtolicæ ſedis liberalitate concedimus: quo te intra eccleſiam tantum ad miſſarum ſolemnia ſubſcripcis diebus noveris induendum, id eſt nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, epiphaniæ, ypopanton, cœnæ Domini, reſurrectionis, aſcenſionis, pentecoſtes, tribus ſolemnitatibus beatæ Mariæ virginis, feſtivitatibus SS. apoſtolorum, commemorationis omnium ſanctorum, SS. Mariæ Magdalenæ [b], Maximini confeſſoris & epiſcopi, & eorum martyrum qui in eccleſia Aquenſi requieſcunt; in conſecrationibus eccleſiarum, epiſcoporum, preſbyterorum, diaconorum, & anniverſario tuæ conſecrationis die, [c] cujus nimirum pallii volumus te per omnia

1104.

[b] Sanctæ Magdalenæ feſtum tum in Provincia ſolemniter celebrabatur.

[c] Hæc deſumta ſunt ex Ep. 125. S. Gregorii P. lib. IX. indict. ſecunda ad Maximum Salonitanum epiſc. in noviſſima editione quam curavimus.

genium vindicare. Hujus siquidem indumenti honor, A humilitas, atque justitia est : tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem, in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, amicum bonis, perversis contrarium ; nullius unquam faciem contra veritatem recipiens, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, misericordiæ operibus juxta virtutem cupiens ; infirmis compatiens ; benevalentibus congaudens ; aliena damna propria deputans de alienis gaudii, &c..... Fraternitatem tuam divina miseratio per tempora multa conservare dignetur incolumem. Amen. Datum Laterani per manus Johannis S. R. E. diaconi cardinalis, v. cal. Aprilis, indictione x. anno Domini incarnati MCIV. pontificatus autem domni Paschalis II. papæ VI.

XIII.

De restitutione castri Pertusi Montis-majoris facta.

1120. HÆc est carta definitionis factæ inter monasterium Montis-majoris, & comitem Forcalcariensem Guigonem. Abstulerat supradictus comes monasterio Montis-majoris, castrum quod vulgo Pertusus dicitur, cum omnibus appenditiis suis. Unde abbas justitiam expectans, obtinuit ab eo * sententiam excommunicationis in comitem, & interdictum in comitatum illius, donec monasterio satisfaceret. Cum sententiam comes diu ferre non valens, adiit Viennam cum abbate, ante præsentiam domini papæ ; & ibi tenens stolam papæ, reddidit in manu ejus & abbatis castrum & villulam, quam C contra voluntatem ejus ædificaverat ; & ejecit bajulum ..... & dimisit omnes malos usus, qui a matre sua & ab ipso instituti fuerant. Et fecerunt finem omnium querimoniarum quas adversus monasterium credebat se habere. Et ideo abbati & monachis, precibus Guigonis comitis, peractis illi promittentibus, cum de cætero super hac re monasterium non amplius inquietaturum, condonarunt ei mala quæ ab ipso reddi debebant ; salva tamen querimonia comitalis domus, & alia querimonia suis. Facta anno incarnationis Dominicæ MCXX. Testes sunt ipse dominus papa Calixtus II. in cujus præsentia & manu dimissa sunt omnia ista. Et Fuleo Aquensis archiepiscopus. Berengarius Forojulienſis episcopus. Mainfredus Antipolitanus episcopus.

* *f.* Callisto papa.

XIV.

Diploma Ildefonsi regis Arragonum, ducis Provinciæ, pro monasterio de Arta-cella S. Victori subdito.

1167. Ex autogr. ad. reg. arg. NOtum sit omnibus, quod ego Ildefonsus Dei gratia rex Arragonum, comes Barchinonensis, Tortosæ Ilerdæque marchio, & Provinciæ dux, dono & concedo, ob remedium animæ meæ & parentum meorum, Deo, sanctæ Mariæ, & sancto Victori de Marsilia, necnon abbati Petro, cum monachis ibidem Deo servientibus, & sanctimonialibus, quæ in monasterio sanctæ Perpetuæ sunt, vel deinceps erunt : scilicet ecclesias & villas de Campis, de Garele, sancti Joannis de Peirafoc, de Colobreyra, sancti Michaëlis de Arcis, E sanctorum Benedicti & Georgii de Bormeta, & quidquid possident in villa de Borma, sancti Eucherii de Braz, sanctæ Mariæ de Gaisola, sancti Petri de Brinola, & sanctæ Mariæ de Cabasia. Omnes ecclesias præfatas cum villis, & omnes usaticos & albergios confirmo, sicut pater meus Raimundus Berengarius dedit Deo & memoratis fratribus. Actum est hoc donum in capitulo cellæ sanctæ Perpetuæ, in manu Guillelmi prioris ejusdem loci, & priorissæ Bonifaciæ, VIII. idus Maii, die Lunæ, anno ab incarnatione Domini MCLXVII. Signum Ildefonsi regis Arragonensis, comitis Barchinonæ, & ducis Provinciæ. Testes, archiepiscopus Aquensis U. * & G. episcopus Barchinonensis, Hugo de Baucio, & Raimundus filius ejus, Raimundus de Villanova, Isnardus de Brinolia.

* Ugo.

XV.

Charta Raimundi Berengarii pro partheneone de Arta-cella.

NOtum sit, &c. Quod ego Raimundus [a] Berengarii Dei gratia comes & marchio Provinciæ, pro salute animæ meæ & parentum meorum, dono, laudo & concedo in perpetuum priori & dominabus de Arta-cella [b] quidquid habeo vel habere debeo in villa de Cabassa, & in territorio ejus, in dominiis castellaniis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, pascuis, usaticis, justiciis & defensionibus, & quidquid ibi pro me habetur aliquo modo, & possidetur, pro priore & dominabus de Arta-cella, teneatur & habeatur. Hæc donatio & laudatio facta est apud Aquas, IV. kal. Junii, anno ab incarnatione Domini MCLXXIX. in præsentia domni Bertrandi Aquensis archiepiscopi, & [c] Guidonis præpositi. 1179.

XVI.

Charta Raimundi comitis Provinciæ pro Arta-cella.

EGo RAIMUNDUS Dei gratia comes & marchio Provinciæ, pro remedio animæ meæ & parentum meorum, concedo, dono, & laudo monasterio Boscodoni, & fratribus ibidem Domino servientibus, tam præsentibus quam futuris, totam terram quæ dominationi nostræ subjacet & potestati, pascherium ovium suarum, & passaticum, & usaticum, & omnia quæ emere, vel vendere voluerint, libera sint ab omni usatico & lesda, quantum ad nostrum fiscum proprie pertinet. Concedo etiam, ut sine omni pedatico, & absque omni exactione, tantum salis habeant de nostro comitatu, quantum ovibus & animalibus eorum propriis, & ad cæteras expensas illius domus abundanter possit sufficere. Sed & ipsos, & res ipsorum, semper & ubique, sub tutela & custodia nostra suscipio. Et si quis eos læserit, lædet pupillam oculi nostri. Et ut hoc quiete habeant, &c. Signum Raimundi comitis. Factum est anno ab incarnatione MCLXXIX. Testes, Bertrandus Aquensis archiepiscopus, Isnardus Antipolitanus, Willelmus de Turriez, Willelmus Dodo notarius comitis. 1179.

XVII.

Guido Aquensis archiepiscopus excommunicat G. de Sabrano comitem Forcalcariensem.

GUIDO per Dei gratiam Aquensis archiepiscopus, & B. per eandem Cavalicensis episcopus, universis Christi fidelibus salutem. Universitati vestræ innotescat, quod cum in causa secundum justitiam terminanda, quæ vertitur inter abbatem Montis-majoris, & G. de Sabrano Forcalcariensem comitem nuncuparum, nos legati judices delegassent ; diebus & locis super hæc partibus assignatis, licet partis abbatis prænominati semper copiam haberemus, pars comitis nunquam diei & loco voluit ullatenus interesse ; verum communicato nostrorum consilio sapientum, partem ipsius comitis, in ejusdem contumaciam excommunicationis vinculo duximus innodari ; & totam terram ipsius ecclesiastico supposuimus interdicto. Ut autem sententia vires haberet majores, dictus abbas a summo pontifice litteras impetravit, in quibus recepimus in mandatis, ut sententiam quam in dictum comitem rationabiliter duximus inferendam, faceremus in condignam satisfactionem inviolabiter observari. Recepta itaque hujus cautela præcepti, de facienda ratione in nostra manu, super his, eundem comitem monuimus iterata, &c. Nos vero super hoc, sicut summus pontifex præceperat, dis- Ex cod. Mmoh. maj.

[a] Frater Ildephonsi regis Arragonum, ut Bouzus probat.

[b] Hæ pendebant a monasterio Sanctorino ; unde priorem habebant.

[c] Guido iste præpositus, cognomento de Fossis, successit Bertrando post Henricum.

Digitized by Google

ſtrictius injungendo, eundem comitem & fautores ſuos A anathematis vinculo, pulſatis campanis, & extinctis candelis, duximus permulctari; & terram ejuſdem ſub arctiori poſuimus interdicto; quod nullum in ea officium celebretur, præter pœnitentiam & baptiſmum. Et ut id faciant diſtrictius cuſtodiri, ex authoritate papæ fratribus reverendis Ebredunenſi archiepiſcopo, Aptenſi & Siſtericenſi epiſcopis, per noſtras litteras intimavimus per totam terram ejuſdem, quæ in noſtra diœceſi continetur, tamdiu donec ſatisfaciat de præmiſſis.

XVIII.

Diploma Petri Arragonum regis pro S. Pontio, cui ſubſcribit Guido Aquenſis archiepiſcopus.

1209. *Ex tab. S. Pont.*

IN Chriſti nomine ſit notum; quod nos Petrus Dei gratia rex Arragoniæ, & comes Barchinonenſis, ob remedium & ſalutem animæ noſtræ, & Ildefonſi chariſſimi fratris noſtri, comitis olim & marchionis Provinciæ, & animarum etiam parentum noſtrorum; corde bono & animo volenti, non decepti, nec in aliquo circonventi, ſed ex propria voluntate noſtræ meræ liberalitatis regiæ, concedimus, laudamus, & confirmamus, cum hoc publico inſtrumento, Domino Deo & ejus glorioſæ genitrici ſemper virgini Mariæ, & monaſterio S. Pontii, & prioriſſæ ac ſororibus ejuſdem præſentibus, & futuris in perpetuum beneficium & privilegium, quod dictus frater noſter eis indulſit; videlicet ut ſorores ejuſdem monaſterii præſentes & futuræ, necnon & earum procuratores, œconomi, ſyndici etiam & actores poſſint acquirere, ſalvo jure & dominio noſtro, & nepotis noſtri, & noſtrorum, in univerſa terra Provinciæ titulo emptionis, donationis, permutationis, legati, vel fideicommiſſi, vel quolibet alio titulo; & omnia hujuſmodi quæ idem comes conceſſit eis, ſicut in inſtrumento ejuſdem comitis, per manum Berengarii Damiliano publici notarii Maſſiliæ ſcripto plenius continetur. Concedimus etiam, & confirmamus in perpetuum eidem monaſterio ſancti Pontii, pro habitatione monialium in territorio de Geminis conſtructa, totum illum honorem, jura, poſſeſſiones, ſervitia, uſatica, & redditus univerſos quos vel quæ Sacriſtana domina Burgi Arelatenſis, dedit eidem monaſterio, ſicut prætaxatus comes frater noſter chariſſimus, eis cum ſua charta, ſalvo tamen jure ſuo D & dominio, conceſſit, & confirmavit. Hæc autem omnia ſupradicta memoratus comes frater noſter, conceſſit, & confirmavit, ut ex notitia inſtrumentorum ſuorum plenius habetur; nos eidem monaſterio S. Pontii, prioriſſæ & ſororibus ibidem Deo ſervientibus laudamus, concedimus; & perpetuo confirmamus, per nos & ſucceſſores noſtros & ejuſdem comitis, ad utiliratem monaſterii, prioriſſæ, ac ſororum ejuſdem præſentium & futurarum. Præterea quemadmodum frater noſter, monaſterium illud, cum omnibus ſuis rebus, & poſſeſſionibus in ſua protectione habebat, ita nos ſimili modo, ipſum cum omnibus ad illud quoquo modo pertinentibus, volumus ſub noſtra protectione, emparentia, cuſtodia & ſecuritate gaudere: ſicut in charta protectionis ab eodem comite conceſſa plenius E continetur, &c. Datum apud Aquas per manum Ferrarii notarii noſtri, & mandato noſtro, & ipſius. Scripta a Bononaro idib. Decemb. an. Chr. M. CC. IX. Signum Petri Dei gratia regis Arragonum & comitis Barcinonenſis. Teſtes hujus rei ſunt Michaël archiepiſcopus Arelatenſis, Guido archiepiſcopus Aquenſis, Hugo Regenſis epiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus, Guilelmus epiſcopus Arauſicanus, comes Sanctius; frater P. de Falcone prior domus hoſpitalis S. Egidii, fr. P. de Monte-acuto magiſter domus militiæ in Hiſpania, fr. Guilelmus Cadelli magiſter militiæ in Provincia, fr. Guilelmus de Saino, Guilelmus Durofortis.

XIX.

Raimundus Berengarius comes Provinciæ 300. ſolidos annuales pro ſuo anniverſario conſtituit.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, an. ejuſdem ſecundum carnem MCCXLIII. x. kal. Novembr. Nos Raimundus Berengarius, Dei gratia comes & marchio Provinciæ, & comes Forcalquerii, donamus & aſſignamus in perpetuum pro anniverſario noſtro, Deo & eccleſiæ ſancti Salvatoris de Aquis, & venerabili patri R. archiepiſcopo, Guillielmo præpoſito, Guillelmo Archidiacono, Hugoni Affunello ſacriſtæ, Bermundo de Vitrola operario, R. Roſtagno, Iſnardo de Sparrono, Stephano & Bartholomæo B canonicis Aquenſibus, recipientibus nomine dictæ eccleſiæ & nomine veſtro, & aliorum canonicorum Aquenſium, trecentos ſolidos annuales regales coronatos, in alberga noſtræ villæ inferioris Aquenſis, ſcilicet in villa de Turribus. Et quia dicta alberga Turrium eſt obligata archiepiſcopo prædicto, trecentos ſolidos annuales prædictos, pro noſtro anniverſario vobis aſſignamus, in alberga noſtra S. Juliani Montanii, uſque dum alberga Turrium a prædicta obligatione fuerit abſoluta. Et vos archiepiſcopus, præpoſitus & canonici ſupra dicti, teneamini pro animabus patris noſtri & matris, & pro nobis, quolibet anno facere ſolemniter celebrari miſſas: in die Jovis ſynodi S. Michaëlis, ab omnibus capellanis, qui interernnt C ſynodo ſupradictæ apud Aquis. Et volumus, ut quicunque canonicus ſeu clericus, qui pro tempore ad recipiendum alia anniverſaria S. Salvatoris conſtitutus fuerit, & capellanus noſtræ capellæ S. Mitrii quicunque fuerint, recipiant annuatim dictos trecentos ſolidos anniverſarii noſtri, & dividant per capellanos in dicta ſynodo, pro animabus patris noſtri & matris, & pro nobis miſſas celebrantes: retentis XXX. ſolidis dividendis inter archiepiſcopum & capitulum Aquenſe: ſcilicet archiepiſcopo X. ſolidos & capitulo 20. mandantes bajulis, nec non & ſucceſſoribus noſtris, ut prædictam donationem & aſſignationem noſtram, firmam teneant & obſervent. Si quis autem contra venire præſumpſerit, &c. Actum Aquis in clauſtro ſancti Salvatoris. Teſtes fuerunt G. Barjolenſis præpoſitus, R. Aranulphus juriſperitus, Giraudus de Podio, B. Alamanno.

1243. *Ex arch. Cap.*

XX.

Hominium a Vicedomino Aquenſi archiepiſcopo præſtitum Carolo Provinciæ comiti, &c.

NOtum ſit præſentibus & futuris, quod venerabilis P. dominus de Vicedominis Dei gratia ſanctæ Aquenſis eccleſiæ archiepiſcopus, præſente & volente Bertrando de Nigrello præpoſito ejuſdem eccleſiæ, recognovit quod ipſe tanquam electus in archiepiſcoparu, & confirmatus per ſedem apoſtolicam, tenet & tenere debet pro excellentiſſimo D. D. Carolo filio regis Franciæ & D. D. Beatrice ejus uxore, omnia temporalia E quæ habet vel habere poteſt Aquenſis archiepiſcopus in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, & ſpecialiter caſtrum de Podio S. Reparatæ, caſtrum de Peirolis, & totum illud quod habet in caſtro de Jocis, & in caſtro de Borma, & totum illud quod habet ad turres, infra civitatem, & omnia quæ habet vel habere poteſt in villis & locis dictorum caſtrorum; & omne jus quod habet archiepiſcopus & eccleſia Aquenſis in nobili viro Bertrando de Baucio & heredibus ſuis, & in terra dicti Bertrandi, quam tenet & tenere debet pro Aquenſi eccleſia in caſtro de Meiranicis, & in caſtro de Sambuco, & in villa & territorio dictorum caſtrorum. Actum Taraſcone anno MCCLVII.

1257.

XXI.

Pactum initum inter Carolum regem, Andegavia, Provincia, & Forcalquerii comitem, ac Rogerium de Areis.

1257. IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen. Anno incarnationis ejuſdem milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo, die Martis, poſt feſtum B. Nicolai hyemalis. Notum ſit præſentibus & futuris, quod nobilis vir Dominus Galt. de Saciata miles, ſeneſcallus Provinciæ & Forcalquerii nomine & vice illuſtris domini Caroli regis filii regis Francorum, Andegaviæ, Provinciæ, & Forcalquerii comitis, & marquionis Provinciæ; & dominæ Beatricis ejus uxoris dictorum B comitatuum comitiſſæ, & marchioniſſæ: dedit & tradidit domino Rogerio de Areis præſenti, volenti, recipienti, totum illud quod venerabilis dominus Hugo Aquenſis electus, vel eccleſiæ Aquenſis habuerunt, vel viſi erant habere in caſtro de Borma, & ejus territorio, & pertinentiis, & hominibus, & juriſdictione & ſeignoria dicti caſtri, & territorii, & omnibus aliis, alioque jure pertinenti nunc, vel olim ad dictum electum, vel dictam eccleſiam, vel ſucceſſores dicti electi, & hoc per quinquaginta libras earum, in reditibus quolibet anno computatis, ſcilicet pro eſcambio, quod dictus dominus comes, vel domina comitiſſa tenebantur dare dicto Rogerio de Areis, pro ſcambio Arearum; ſecundum cartam inde factam per manum Guillelmi Gazeli notarii publici. Quæ facta ſunt apud Taraſconem, &c. C

XXII.

Bulla Gregorii X. qua Grimerium archidiaconum Aquenſem ejuſdem eccleſiæ creat archiepiſcopum.

1272. GREGORIUS epiſcopus, &c. venerabili fratri Grimerio electo Aquenſi, &c. Sane venerabili fratre Vicedomino Præneſtino epiſcopo de eccleſia Aquenſi, cui antea præfuerat tranſlato ad Præneſtinam; dilecti filii præpoſitus, & capitulum ejuſdem eccleſiæ, venerabilem fratrem noſtrum Alanium Siſtaricenſem epiſcopum, in Aquenſem archiepiſcopum poſtulantes, per nuncios ſuos humiliter ſupplicarunt, ut poſtulationem hujuſmodi admittere curaremus. Nos autem attendentes quod perſona ipſius epiſcopi erat ad præſens D Siſtaricenſi eccleſiæ multipliciter fructuoſa, & quod tranſlatio ipſius poterat eſſe eidem eccleſiæ Siſtaricenſi multipliciter damnoſa, conſiderantes etiam, quod convenientius videbatur, quod perſona de ipſius gremio Aquenſis eccleſiæ, ſi quæ ibidem idonea reperiatur, quam aliunde proficiſceretur; poſtulationem prædictam non duximus admittendam, &c. Te tunc archidiaconum Aquenſem, & capellanum noſtrum, virum utique litteratum, morum honeſtate conſpicuum, in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, acceptumque nobis & fratribus noſtris, tuæ probitatis meritis prædictæ Aquenſis Eccleſiæ in archiepiſcopum & paſtorem præfiximus: ſperantes &c. Datum Lugduni, idibus Januarii pontificatus noſtri anno II. MCCLXXII. E

XXIII.

Clemens papa Johannem epiſcopum Aquenſem, propter quædam inter ipſum & civitatem exorta diſſidia, eccleſiæ Aquenſis cura eximit, ad dignioremtransferendum.

Præcibus. CLEMENS, &c. Ad ea paſtoralis officii debitum nos inducit, quæ pacem & concordiam ſubditorum, & quietem reſpicere dignoſcuntur. Cum igitur pro parte dilectiſſimi filii in Chriſto Ludovici regis, & cariſſimæ Mariæ reginæ Siciliæ illuſtrium, ad quos Provinciæ & Forcalquerii comitatus pleno jure pertinent; & dilectorum filiorum civitatis Aquenſis quæ in dicta Provincia conſiſtit, propoſitum extitit coram nobis, * nonnulla inter eoſdem venerabilem fratrem noſtrum Johannem archiepiſcopum Aquenſem, & diſſentiones diſcordiæ, rancores & alia, pacis æmulo procurante, prob dolor, ſint exorta. Nos autem attendentes quod idem Johannes archiepiſcopus alterius quam Aquenſis eccleſiæ regimini quietius, & utilius præeſſe poſſit, pariterque & prodeſſe, ad utilitatem eccleſiæ Aquenſis, pacemque & tranquillitatem, & quietem: epiſcopi ac communitatis in hac parte ſupplicationibus inclinati; ex præmiſſis & aliis cunctis cauſis, curam, regimen, & adminiſtrationem ejuſdem Aquenſis eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus ad noſtras manus, quouſque de perſona idonea ipſi eccleſiæ proviſum fuerit, auctoritate apoſtolica ponimus, recipimus, & applicamus, & etiam eidem regi, reginæ, & communitati promittimus, nos de perſona dicti Joannis altius, quamprimum ad id ſe facultas obtulerit, & eidem Aquenſi eccleſiæ de aliqua alia perſona idonea utili, dictæque communitati grata, pariter & accepta, providere. Datum Avenione II. nonas Maii pontificatus noſtri I. * al. quid dam.

XXIV.

Electio Petri Aureoli Aquenſis archiepiſcopi.

DIlecto filio electo Aquenſi. Sponſo cæleſti cujus dignatio inclitæ ſponſæ ſuæ militantis eccleſiæ curam & cuſtodiam noſtræ humilitati commiſit, in eo potiſſimum placere ſemper exquirimus, ut ſtatum eccleſiarum omnium quantum nobis ex alto conceditur, erigamus ad proſpera, & ad ſalutaria dirigamus: quod profecto credimus veriſimiliter & efficaciter proventurum, cum eccleſiis quas conſpicimus propriis carere paſtoribus, de perſonis idoneis providemus, taleſque viros ad earum regimina deputamus, quorum ſcientia & virtute hujuſmodi eccleſiæ ipſis commiſſæ, Deo propitio, in ſpiritualibus floreant, & in temporalibus augeantur. Nuper ſiquidem Aquenſis eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, pro eo quod nos dilectum filium Petrum tit. S. Pudentianæ preſbyterum cardinalem archiepiſcopum Aquenſem, tunc apud ſedem apoſtolicam perſonaliter conſtitutum, a vinculo quo ipſi eccleſiæ cui præerat tenebatur aſtrictus, de fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis abſolventes, ipſum ad dignitatem cardinalatus, ut regiminis univerſalis eccleſiæ nobiſcum onera portarentur, duximus aſſumendum. Nos attendentes quod nullus præter nos de ordinatione ipſius eccleſiæ Aquenſis ſe hac vice intromittere poterat, pro eo quod nos diu ante vocationem hujuſmodi proviſiones omnium eccleſiarum tam cathedralium, quam etiam aliarum, tunc apud ſedem ipſam vacantium & vacaturarum in antea diſpoſitioni noſtræ duximus reſervandas, decernendo ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, de præficiendo eidem Aquenſi eccleſiæ perſonam utilem, ac etiam fructuoſam cogitare cœpimus diligenter, & poſt deliberationem, quam cum dictis fratribus ſuper hoc attentam habuimus, demum in te ordinis fratrum minorum, ipſum expreſſe profeſſum, in ſacerdotio conſtitutum, ac ſacræ theologiæ magiſtrum, virum quidem morum gravitate conſpicuum, aliarumque virtutum muneribus circumfultum, aciem direximus noſtræ mentis; quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem fratribus exigentia hujuſmodi tuarum virtutum accepta, præfatæ Aquenſi eccleſiæ, de fratrum prædictorum conſilio, auctoritate apoſtolica providemus; teque ipſi Aquenſi eccleſiæ præficimus in archiepiſcopum, & paſtorem, curam & adminiſtrationem illius tibi tam in temporalibus quam in ſpiritualibus plenarie committendo; firma concepta fiducia quod, dirigente domino actus tuos, eadem Aquenſis eccleſia ſub tui cura regiminis augmenta recipiet commodi & honoris. Suſcipiens igitur jugum Domini tam leve collis, quam ſuave in procurandis profectibus, & honoribus ampliandis dictæ Aquenſis ec- 1221. Ex Regiſtr. Johannis XXII.

cleſiæ, te gerere ſatagas ſollicitum & fidelem : præfi- A ciendo tibi per vitæ meritum, & aliis per exemplum, ita quod velut fidelis ſervus & prudens digna in diſtricto examine de villicatione tua reddita ratione, regnum æterni patris paratum electis, introite feliciter merearis. Datum Avenioni VII. calendas Martii anno V. [pontificatus noſtri.]

XXV.

De celebratione exequiarum archiepiſcoporum Aquenſium

Ex arch. D. epiſcopi Aptenſis.

QUando migraverit dominus archiepiſcopus Aquenſis volente Domino, in civitate vel prope civitatem Aquenſem, abluitur corpus ejus, & poſt ablutionem induitur, & calceatur veſtimentis, & calceamentis quibus vivens utebatur. Poſtea depoſitis ſotularibus, calceatur ſandalis nigris, & induitur ac paratur roquetto, amictu, alba, ſtola, manipulo, zona, tunicella, dalmatica, caſula nigri coloris, chirothecis, & annulo pontificali, & pallio deſuper cum tribus acubus argenti, & mitra alba in capite; atque ſic paratum, & ornatum corpus locatur ſupra lectiſcam coopertam pretioſis ſericis pannis, cum pulvinari nigro ad caput, & croſſa ſua in manibus ejus, atque ponitur veſpere præcedente diem ſepulturæ, in aula vel capella domus archiepiſcopalis: & ibidem dicuntur agendæ & vigiliæ defunctorum, & per noctem pſalmodiatur ſine intermiſſione, prout vigilantium & aſſiſtentium devotioni dominus inſpirabit, cruce argentea quam ante ſe deferri facere ſolebat, cum aſperſorio & aqua benedicta poſitis ad caput ejus. In craſtinum cum competenti luminarium copia, deferrur proceſſionaliter corpus ad eccleſiam, & celebratur miſſa, fitque officium ſepulturæ per epiſcopum Aptenſem, cui incumbere debetur ab antiquo: & fertur habere debere pallafredus, quem dominus archiepiſcopus dum ageret in humanis, equitabat. Quandiu miſſa durat ſint duo vel quatuor clerici cum thuribulis, igne, & thure thurificantes corpus: non tegitur terra corpus in fovea, cum illis pretioſis ornamentis, ſed cooperitur uno tapetio, donec populus abceſſerit: & clauſa eccleſia, illis pretioſis exuitur; & aliis minoris valoris induitur, & cooperitur: remanente tamen pallio cum corpore, ſine quo non debet tumulari. Per totam novenam celebratur de mane ad altare majus miſſa *de requiem*, ad quam omnes familiares ejus, quibus providetur in domo archiepiſcopali de victualibus per dictam novenam conveniunt. Fit abſolutio poſt miſſam: ponuntur quotidie duodecim tortitia nova, de quibus nocte & die ardent duo ſupra ſepulturam prælati, pulſantur quotidie omnes campanæ ſolemniter, & ultima die tortitia duplicantur. Sic factum fuit in ſepultura bonæ memoriæ Arnaudi archiepiſcopi Aquenſis, in eccleſia ſepulti: cujus corpus delatum fuit per homines eccleſiæ ultroneos, congregatos a caſtro Podii Ricardi in quo deceſſit, uſque ad civitatem Raimundo de Baucio domino Aeculeæ, & cum domini* Podii Ricardi funus aſſociantes.

** Al. cum eo vel cum eo nimi.*

XXVI.

Sacramentum a Renato rege Neapolitano, & comite Provinciæ præſtitum, de ſervandis Aquenſis eccleſiæ juribus & privilegiis.

1437. ANno 1437. die Jovis XIX. menſis Decembris, prima indictione, pontificatus D. N. Eugenii anno VI. Notum ſit quod ſereniſſimus princeps D. N. Renatus Dei gratia Hieruſalem &c. rex &c. in manibus R.* in Chriſto patris & domini Aquenſis archiepiſcopi, præſentibus venerabilibus & egregiis viris dominis G. de Littera in decretis licentiato præpoſito: R. Tholoni legum doctori ſacriſta, Balcono Colunt præcentore, Conſtantino Fabri, Gaucherio de Fore, Ludovico Pitoni, Petro Veſelloni, Palemede de Carreto, Fulcone.....

** Roberti.*

Joanne de Belcoduno & Petro Gaſtinelli canonicis dictæ ſanctæ eccleſiæ, cum ſuperlicio & merlino indutus, in choro magno dictæ eccleſiæ juramento ſupra SS. Dei evangelia manibus corporaliter tacta, libertates dictæ ſanctæ eccleſiæ ſervare, privilegia cuſtodire, & ipſam defenſare juravit: de quibus dictus dominus archiepiſcopus, præpoſitus, & canonici petierunt eis fieri publicum inſtrumentum. Actum Aquis in eadem eccleſia videlicet in choro majori, præſentibus potentibus magnificis & egregiis, & nobilibus viris Georgio comite Pulcini, Carolo de Pictavia, Raimundo de Agulto domino de Saltu, Bertrando de Graſſa domino de Albano; N...domino de Trancio, Guidone de Aſſignero domino dicti loci, militibus: Henrico de Barri, domino de Lavangarda; Elione de Glandevez, domno B de Fulcone milite; Balthaſar de Gerente, Baltoldo de Trachio, & quam plurimis aliis teſtibus: & me Albano Felici notario.

XXVII.

Teſtamentum Olivarii de Penart Aqu. archiep.

Ex archiv. urbis Maſſilienſis tranſumptum a V. C. Lud. Antonio de Ruffi.

ANno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo primo, & die Veneris viceſima prima menſis Septembris. Ego Olivarius de Penart Dei gratia archiepiſcopus Aquenſis, ſanus mente, licet gravatus corpore, aliquatenus de præſenti exiſtens in lecto, volens admodum, dum mihi licet, & ratio regit mentem meam, de bonis meis diſponere per modum qui ſequitur infra ſcriptum. In primis eligo ſepulturam in eccleC ſia S. Salvatoris civitatis prædictæ Aquenſis, & in capella per me ædificata, & fundata in eadem eccleſia, ſub titulo beatæ Mariæ, & pro funerariis meis lego florenos mille diſtribuendos modo, & forma, & ad deliberationem gadiatorum meorum infraſcriptorum. Item ordino miſſam unam magnam perpetuam dicendam in dicta mea capella, a nota ſingulis diebus; & fiat abſolutio mortuorum more aſſueto. Pro eadem fundatione lego primo centum marchas argenti, quæ ſunt in vaicella mea argenti, exceptis ſex magnis meis taceis cum pede, & duobus flaſconibus argenti, quos lego ut infra. Item ſexcentas ſaumatas annonæ, quas habeo tam in granariis meis, quam in caſtris, & nihilominus quingenta illa ſcuta auri mihi debita per illuD ſtriſſimam reginam Johannam, pro certo pignore videlicet baga auri, nominata *Lazarrazina* iſtente in mea arca, quæ eſt in ſacriſtia eccleſiæ Aquenſis, & diſtributio fiat æqualiter inter præſentes in miſſa ipſa, declarando etiam quod ſi pro dicta fundatione miſſæ, præmiſſa per me legata debite non ſufficerent; gadiatores mei infra nominati reducere dictam miſſam poſſint.

Item lego dicto Guillelmo de Pugeto totam illam pecuniæ ſummam per eum mihi debitam, proviſo & reſervato quod det ſcuta quadraginta abbatiæ de la Roa in Andegavia, fundando unum anniverſarium perpetuum in eccleſia ejuſdem abbatiæ.

Item lego nobili Guillelmo de Penart fratri meo primogenito ſex meas magnas taceas argenti cum pede, & duos flaſcones meos argenti.

E Item lego nobili Yvone de la Roa filiæ Jacobi de la Roa neptı meæ, videlicet centum ſcuta auri in maritagio ſuo.

Item lego Olivæ filiæ nobilis Petri de Penart nepotis mei pro ſuccurſu ſui maritagii ſcuta centum auri.

In omnibus bonis & juribus meis hæredem meum inſtituo capitulum ſive eccleſiam S. Salvatoris Aquenſis, in hoc tamen gravando quod debeat quartam partem debitorum meorum convertere in fabrica portæ eccleſiæ prædictæ Aquenſis.

Gadiatores facio venerabiles & egregios viros dominos Guillelmum de Pujeſeto, Honoratum Flotte præcentorem Aquenſem, & Jacobum Duranti priorem de Reſauduno.

Actum Maſſiliæ in camera domus honorabilis viri Ludovici Saure. Teſtes, &c.

Et ego Johannes Deolemis Notarius publicus. &c.

A

XXVIII.

Antonius de Filioli archiep. Aquenſis præcipuus inter prælatos in concilio Tridentino congregatos.

1546. Evangeliſt. Manſer. archiep. Aſſumm.

IN Chriſti nomine amen. Poſtquam decretum de peccato originali in hoc ſacro concilio Tridentino editum & publicatum, in quinta ſeſſione die Jovis XVII. menſis Junii anno Domini MDXLVI. habita fuiſſet; RR. & illuſtriſſimi ſacri concilii præſidentes & legati, ſucceſſive articulum de juſtificatione patribus examinandum propoſuerunt; quod factum eſt in generali congregatione die Mercurii XXX. ejuſdem menſis Junii: qui quidem articulus trifariam ab ipſis RR. & illuſtriſſimis dominis præſidentibus divilus, patribus in ipſa con- B gregatione propoſitus eſt, videlicet circa tres ſtatus hominum adultorum, infidelis vel impii, fidelis juſtificati, & peccatoris relapſi: quorum ſtatuum primus ſeparatim ab aliis duobus a patribus concilii diſputatus eſt, & examinatus eſt. Super quo primo ſtatu patres ſententias dixerunt per octo generales congregationes, a die videlicet Lunæ V. menſis Julii, uſque ad diem Martis decima tertia ejuſdem. Cum autem reverendiſſimus pater, & D. dominus Antonius Filioli archiepiſcopus Aquenſis, primas ſit & caput omnium prælatorum in hoc ſacro concilio exiſtentium; reverendiſſimis dominis cardinalibus exceptis, ipſe reverendiſſimus dominus archiepiſcopus Aquenſis, poſt reverendiſſimum D. cardinalem Genuenſem, ſuam ſuper hoc articulo, & primo ſtatu juſtificationis protulit, & in ſcriptis exhibuit ſententiam; quæ cum ut catholica & pia ab omnibus laudaretur, omnes quotquot adfuerunt patres in octo illis congregationibus de quibus ſupra, tam archiepiſcopi & epiſcopi, quam abſentium procuratores, abbates & & generales ordinum, dum vota & ipſi ſua proferrent, in eandem dicti reverendiſſimi archiepiſcopi ſententiam devenerunt, paucis admodum exceptis, qui vel ex diverſitate verborum, vel intellectu, & interpretatione ſcripturarum, non idem ad unguem uſque dixerunt vel ſenſerunt: licet nihilominus, & ipſi ſacræ ſynodi judicio & cenſuræ ſe remiſerint. Qua ratione omnes idem ſentire dicendum eſt. Hoc primo ſtatu abſoluto, idem reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini præſidentes ſuper ſecundo & tertio ſtatibus juſtificationis ſupradictis, vota a patribus rogarunt. Qui duo ſtatus D per novem continuas generales congregationes examinati, & diſcuſſi fuerunt: a die videlicet Jovis XV. dicti menſis Julii, uſque ad diem Veneris XXIII. ejuſdem, ſuper quibus duobus ſtatibus, idem reverendiſſimus dominus archiepiſcopus Aquenſis, poſt reverendiſſimum dominum Cardinalem Genuenſem, ut dictum eſt, omnium prælatorum caput, ſententiam ſuam protulit, & ſimiliter in ſcriptis exhibuit: quæ cum ſimiliter ab omnibus tanquam catholica commendaretur, in eam ut in aliam fecerant, omnes facillime, dum vota & ipſi ſua protulerunt, deſcenderunt; paucis, ut dictum eſt exceptis, qui eodem modo, vel verbis diverſis, vel ſcripturarum intellectu, & interpretatione alia non idem ſenſerunt vel dixerunt, ſe nihilominus ſacræ ſynodi E cenſuræ & judicio ſubjicientes, ita ut a communi patrum ſententia diſcedere noluiſſe oſtenderent. Quæ omnia cum vera ſint, & a me Angelo Maſſarello de S. Severino his omnibus ſupradictis congregationibus præſente, & intereſſente, ut concilii ſecretario, & protonotario apoſtolico, adnotata fuerint, ea ipſa omnia in hanc patentem formam redegi, & de his omnibus univerſis ad quos præſentes pervenerint fidem facio indubitatam. Datum Trideuti, die XXV. menſis Septembris, anno incarnationis Dominicæ MDXLVI.

Idem Angelus Maſſarellus de S. Severino ſecretarius concilii & protonotarius apoſtolicus, qui ſupra manu propria. †

XXIX.

Donatio eccleſiæ ſanctæ Perpetuæ de Arta-cella facta S. Victori Maſſil.

1016.

DIvina inſpirante clementia, & ejus benigniſſima opitulante ſuffragia, qui non vult mortem peccatorum, nec lætatur in perditione impiorum, cujus bonitas eo uſque præcellit, ut omnes homines velit ſalvari, & intra ſinum beatitudinis ſuæ foveri, & qui per prophetam ſuum miſericorditer pollicetur, dicens, *Vivo ego*, dicit Dominus, *Nolo mortem peccatorum: ſed ut magis convertantur & vivant.* Ego Nevelongus, cum uxore mea Teucenia, una cum filiis noſtris Rainaldo Guilielmo, Leufredo, de ſalute animarum noſtrarum ſolliciti, & immanitatem ſcelerum noſtrorum pertimeſcentes, ut a pio domino veniam peccaminum & abſolutionem poſſimus conſequi criminum, volumus Deo ipſi, quod ille nobis immeritis contulit, aliquid ſibi conferri, dicente ipſo, *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis, quia ſicut aqua extinguit ignem: ita eleemoſyna extinguit peccata*; & item: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, ubi nec arugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur*; itemque: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hæc igitur & multa alia conſiderantes, & in futurum nobis perſpicientes, per ſcripturæ hujus auctoritatem, facimus donationem omnipotenti Domino, & ſancto Victori ſuo martyri, ejuſque monaſterio, haud procul C a civitate Maſſiliæ fundato, & abbatibus, & monachis perpetuo inibi militantibus de allodio noſtro, quem habemus in commitate Aquenſi, intra terminos de villa quæ vocatur Brignolla; id eſt eccleſiam quæ fundata eſt in honorem Dei, ſanctæque Perpetuæ, in valle quæ vocatur Collemazo * cum campis, cultis, & incultis, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, garricis; aquis, aquarumque decurſibus. Habent igitur hæ omnia conſortes, de uno latere; id eſt de Oriente, rivam qui vocatur *Carmis* *, de alio latere, id eſt contra meridiem ſicut aſcendit de ipſo rivo Charmis, alius rivulus ſicut & pertingit uſque in cacumina montis qui vocatur Pennicus, ſicut aqua verſat de tertio latere, id eſt de Aquilone; ſicut via diſcurrit publica, & ferit de rivo Charmis uſque in fontem Croſam; de quarto latere, id eſt contra occi- D dentem, de ipſa fonte Croſa, uſque in cacumine montis ſupradicti Pennici. Quantum itaque intra iſtos terminos habemus, ſine ulla diminutione donamus ſupradicto monaſterio, ut ab hac die abbas & monachi ejuſdem monaſterii, ſine ulla interpellatione, teneant, & poſſideant, & quæcumque facere voluerint, liberam poteſtatem habeant, ac pro animabus noſtris filiorumque noſtrorum, omnipotentem Deum exorent. Si vero venerit, quod abſit, ut ex nobis, aut ex heredibus noſtris aliqui hanc donationem, quam pro animarum noſtrarum redemptione omnipotenti Deo offerimus, divellere conetur, iſtud facere nequeat, ſed cogatur in vinculo exolvere auri optimi libras quinquaginta; & ſcripta iſta inconvulſa permaneat. Facta donatio iſta anno incarnationis Domini milleſimo decimo ſexto; indictione decima quarta, regnante Rodulpho rege Alamanorum, ſeu Provinciæ. Ego Nevelongus & uxor mea nomine Teucenia, nec non & filii mei Rainaldus, Guillelmus, Leufredus, hanc donationem corde perfecto & animo, omnipotenti Domino, ſancto Victore ſuo martyri dedimus & manibus noſtris firmamus, teſtibuſque ſubter adnexis firmare rogavimus. Pontius firmavit; Hoſtaldus firmavit, Siguiranus firmavit, Leutrardus firmavit, Bernardus Gondo firmavit, item Bertrandus ſecretarius firmavit, Vitalis firmavit, Roſtagnus indigne vocitatus monachus ſcripſit, precipiente domino abbate Wiſerio.

* Ronche Goudemaro.

* f Cæmi.

Digitized by Google

XXX.

Charta archiepiſcopi Aquenſis pro Arta-cellæ.

1306. IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen. Anno incarnationis ejuſdem milleſimo trecenteſimo ſexto, die vigeſima nona Auguſti, quintæ indictionis, univerſis pateat tam præſentibus quam futuris, quod conſtitutus in præſentia nobilis & ſapientis viri domini Berengarii de Turre, judicis Brinoniæ, & ſancti Maximini, in curia regia Brinoniæ pro tribunali ſedentis, magiſter Petrus Salvarius notarius Brinoniæ & ſindicus, ut dicit, monaſterii Artæ-cellæ, & dominarum monialium ipſius monaſterii, nomine dicti monaſterii, & pro eo, & nomine dictarum dominarum monialium ipſius monaſterii & pro eis, dixit & expoſuit coram dicto domino judice, quod ipſe magiſter Petrus, habet quoddam inſtrumentum quod pertinet ad monaſterium prædictum, & moniales monaſterii prædicti, quod inſtrumentum eſt ejuſdem monaſterii & monialibus prædicti monaſterii, valde utile & neceſſarium, & dubitant prædictæ moniales ut * inſtrumentum prædictum propter veruſtatem ejus litteræ minuatur & debilitetur, & quia frequenter per procuratores ipſius monaſterii dominarum prædictarum monialium ipſius monaſterii per diverſa loca portari contingat, ne amitti valeat, ſeu perdi, & propter alia millia pericula, quæ occurrere poſſent pro eo admittendo; idcirco dictus magiſter Petrus Salvarius nomine quo ſupra ſupplicando requiſivit dominum judicem ſupradictum, ut dignetur ſcribi præcipere notario curiæ prædictæ, vel ejus locum tenenti, dictum inſtrumentum reſcribat, & in publicam formam reducat de verbo ad verbum, nihil de eo addito ſeu diminuto. Qui dictus dominus judex audita poſtulatione dicti magiſtri Petri Salvarii, nomine quo ſupra, tanquam conſentanea rationi, viſo etiam inſtrumento prædicto producto & tenore ipſius cum diligentia attento, ipſam poſtulationem admittens præcepit mihi Raimundo Guillelmo curiæ prædictæ vicenotario, quatenus prædictum inſtrumentum dicto Domino judici productum tranſcribam, & in publicam formam redigam de verbo ad verbum, prout in eo continetur & nomen & ſignum mei notarii infraſcripti apponam, nihil inſeo addito, vel diminuto. Ad quod faciendum, ego dictus Raimundus Guillelmus vice notarius curiæ prædictæ, mandato dicti domini judicis proceſſi & dictum inſtrumentum tranſcripſi, & in formam publicam redegi de verbo ad verbum, nihil addito de eo, ſeu diminuto niſi forte titulum pro littera, vel litteram pro titulo, quod idem præſtat prout ſequitur infra.

1292. In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione ejuſdem milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo, vigeſimo ſeptimo die menſis Julii, noſcant omnes, & ſciant ſingulí præſentes pariter & futuri, quod cum excellentiſſimus dominus Carolus ſecundus rex Jeruſalem & Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii comes, conveniſſet ad monaſterium Arcte-cellæ, ſitum in archiepiſcopatu Aquenſi, quod quidem monaſterium fundatum, conſtructum, & ædificatum, ac dotatum per prædeceſſores ſuos, quod monaſterium regitur ſub abbate monaſterii ſancti Victoris Maſſiliæ, veniſſet inquam cauſa conſolandi & viſitandi moniales prædicti monaſterii, & ſciendi conditiones, ac ſtatum monialium & monaſterii prædicti, præſentibus reverendis patribus domino R. Dei gratia Ebredunenſi archiepiſcopo, & domino E. Ciſtaricenſi epiſcopo, & R. Dei gratia abbate monaſterii ſancti Victoris de Maſſilia, & religioſo viro domino Stephano de Alayrato priore monaſterii Arcte-cellæ ſupradicti, ac religioſo viro fratre Bertrando Malſane priore ſancti Geneſii, ac Raimundo Ruffo de Comis milite vicario Aquenſi, conſiliariiſque ac familiaribus ipſius domini regis, & dominaque Maria de Norriis prioriſſa monaſterii ſæpedicti Arcte-cellæ fecit convocari conventum monaſterii ejuſdem more ſolito, & in loco conſueto. Qui dictus dominus rex requiſivit prædictam prioriſſam, & conventum prædictum ſuper ſtatum & conditionem ipſarum, an dictum monaſterium abundaret, & haberet unde poſſet ſe commode ſubſtentare, & utrum dictum monaſterium eſſet creditoribus obligatum, & mole debitorum oppreſſum, & dicta inquam prioriſſa, nomine ſuo & conventus prædicti præſentis ibidem, dixit & expoſuit quod dictum monaſterium eſt & fuit ſemper in protectione dominorum comitum Provinciæ, qui pro tempore fuerint prædeceſſores ipſius domini regis, ipſumque monaſterium dotaverant, conſtruxerant & ædificaverant, dando & conferendo prioriſſæ & monialibus quæ pro tempore fuerant in dicto monaſterio, & eſſent etiam in futurum, multa beneficia, & multa privilegia & plura caſtra ad ſubſtentandum ſeu ſubſtentationem dicti monaſterii, & monialium prædictarum: concedens etiam ſpecialiter & præcipue dictæ prioriſſæ & monialibus ſupradictis, & monaſterio prædicto pro veſtiariis ſeu indumentis ſuis, ſeu pannis earum, caſtrum de Cabaſſia, cum territorio ipſius & juriſdictione, & quædam alia deſignata, & nominata in dictis privilegiis; quæ privilegia lecta & recitata fuerant in præſentia ipſius dominæ regiæ majeſtatis, & aliorum dominorum ſupra nominatorum: aſſerens prædicta prioriſſa nomine quo ſupra, quod dictum caſtrum de Cabaſſia de facto & non de jure tenebatur, & gubernabatur per monachos ſancti Victoris Maſſiliæ, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, in magnum damnum & detrimentum ipſius prioriſſæ, & monialium prædictarum, ita quod omni commodo, omni utilitate carebant ipſa & moniales prædictæ, ſiquidem donatio & privilegia prædicta collata in eas cum fructu quo ad eas carebant, excepto pauperrimo veſtiario, ita etiam quod quia dictæ moniales ſecundum ordinationem & conceſſionem factas in privilegio, prædictis debebant & debent tenere & poſſidere tam in temporalibus quam in ſpiritualibus omnes fructus, gauſitas, redditus & obventiones dicto caſtro de Cabaſſia, & territorio ejuſdem, ratione indumentorum ſeu veſtimentorum ipſarum; cumque ordinatum fuerit dominum Jacobum de Barres camerarium, priorem, ſeu gubernatorem, ſeu receptorem fructuum dicti caſtri de Cabaſſia & territorio ejuſdem tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, quos fructus & gauſitas in alios uſus converteret, ita quod ipſæ dominæ nullum commodum, ſeu utilitatem aſſequuntur, niſi veſtiarium pauperrimum ſupradictum, immo penitus ſunt de prædictis totaliter deſtitutæ, ea propter prædicta prioriſſa & & conventus lacrimabiliter ſupplicabant, & devote clementiam regis, quatenus ſic providere, ordinare, & ordinari facere quod prædicta prioriſſa & conventus prædictus inde commodum & utilitatem conſequantur; ſicut per prædeceſſores ſuos eiſdem extitit conceſſum collatum, donatum, & etiam ordinatum. Decet etiam celſitudinem regiam, ut patronum & gubernatorem, & deffenſorem dicti monaſterii, quod prædictæ moniales jus ſuum totaliter conſequantur, & quod privilegia conceſſa per prædeceſſores ſuos firmitatem obtineant, & ipſe etiam commodum & utilitatem de dictis privilegiis conſequantur. Qui prædictus dominus rex de conſilio prædictorum prælatorum ordinavit, ſtatuit præſente reverendo domino R. abbate Maſſilienſi volente & ordinante una cum prædicto domino rege, & ordinationi hujuſmodi ſeu infraſcriptæ conſentiente, quod ab illa hora in antea, nullus camerarius, prior, ſeu gubernator, nec quiſquam alius quocumque nomine cenſeretur, ſic vel eſſe debeat in futurum ad regendum caſtrum prædictum in temporalibus ſeu ſpiritualibus, nec ad recipiendos fructus, gauſitas provenientes, ſeu proventuros a dicto caſtro, in territorio ejuſdem deſtituendo, & amovendo, & revocando, dictus dominus abbas dictum Jacobum de Barres a cameraria prædicta in quantum in eo eſt ſeu erat, & inhibendo quod ab inde in antea de cameraria, de gubernatorio, ſeu fructuum perceptione in temporalibus ſeu in ſpiritualibus, ſe aliquatenus intromittat, & ſpecialiter de gubernatione

gubernatione caſtri de Cabaſſia ſupradicti, & perceptione fructuum, & reddituum provenientium temporaliter vel ſpiritualiter, ex dicto caſtro & territorio ejuſdem. Ordinaverat etiam prædictus dominus rex, volente præſente dicto domino abbate, & ipſi ordinationi conſentiente, ut ſupra, quod adminiſtratio & gubernatio ſeu regimen, ſeu fructuum perceptio, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, ad dominam prioriſſam & conventum qui nunc ſunt, vel ab inde in antea pro tempore fuerint, pertineant pleno jure, ita quod ex dictis fructibus & proventionibus & gauſitis, poſſint facere pro ſuo libito voluntatis, & in ſuos uſus convertere; ita quod nulli perſonæ vel collegio rationem aliquam reddere teneantur, ſeu ipſi fructus, reddituſ, & obventiones in veſtimentis, & aliis uſibus ipſarum conſumantur & expendantur, & ponantur ſicut ab antiquo extat ordinatum. Inhibentes univerſis perſonis & ſingulis, collegio ſeu collegiis, quod ipſam prioriſſam ſeu conventum qui nunc ſunt, vel pro tempore fuerint, in prædicta adminiſtratione ſeu receptione fructuum, vel ordinatione ipſius caſtri impediant, vel conturbent, vel vexent, etiam de jure, vel de facto: promittens prædictus dominus abbas ad inſtantiam ipſius domini regis, ipſi dominæ prioriſſæ, & dicto conventui ſolemniter interrogantibus & recipientibus, ſe juraturum, facturum, acturum & perfecturum bona fide, quod conventus monaſterii ſancti Victoris Maſſiliæ prædictam ordinationem ſeu ordinationes ratas & firmas haberent perpetuo, & eas approbabunt, omologabunt, & confirmabunt: quæ omnia ſupradicta & ſingula dicta, facta & ordinata, ſic ſolemniter firma, & rata habere perpetuo voluerunt; ſtatuenſque prædictus dominus rex, præſentibus prædictis dominis & volentibus conſentientibus, quod aliqua bona perſona ordinetur per aliquem nomine dictæ prioriſſæ & dicti conventus, tradat & mittat in poſſeſſionem dicti caſtri, jurium & pertinentium ejuſdem, ſeu dictæ quaſi gubernationis perceptionis fructuum, & regiminis & juriſdictionis dicti caſtri de Cabaſſia: præcipiens dicta regia majeſtas prædicto domino Rubo, & domino Bertrando Maſſano, præſentibus prælatis prædictis, & aliis ſupranominatis, quod de præſenti deliberatione, reſtitutione, & de aliis univerſis & ſingulis ſupradictis debent ad utilitatem omnem, & profectum dominæ prioriſſæ, & dicti conventus, dominarum monialium ſemel vel pluries conſilium prædicti domini Raimundi Ruffi, & domini Bertrandi Maſſanæ, quamquam eſſet in judicio productum. * Actum Arcta-cellæ infra dictum monaſterium in capitulo prædictarum monialium, in præſentia & teſtimonio prædictorum prælatorum, & aliorum ſupra nominatorum teſtium, vocatorum & rogatorum ad prædicta & mei Raimundi Guillelmi de Arcta-cella notarii publici illuſtriſſimi domini Caroli regis quondam Jeruſalem, & Siciliæ Provinciæ & Forcalquerii comitis, qui rogatus & requiſitus ſane chartam ſcripſi, & ſigno meo ſignavi. Actum Brinoniæ in curia ubi jus redditur, præſentibus teſtibus vocatis, & rogatis domino Petro Sartore priore eccleſiæ de Gaylleno, Bermundo Petro capellano, & magiſtro Jacobo Cabroni notario de Brinonia. Et ego Raimundus Guillermus notarius publicus a ſereniſſimo principe domino Carolo Jeruſalem & Siciliæ rege, comitatus Provinciæ & Forcalquerii comite, & in curia regia Brinoniæ pro diſcreto viro magiſtro Oliverio Augerio dictæ curiæ notario locum tenens, de mandato expreſſo mihi facto, ut omnia apparent per dictum dominum judicem, hoc inſtrumentum præſens ſcripſi de verbo ad verbum, nihil in eo addito vel diminuto, niſi titulum pro littera, & litteram pro titulo, & in publicam formam ſcripſi, & ſigno meo conſueto ſignavi.

* aliquid deeſt.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM APTENSEM PERTINENTIA.

I.

Charta Roſtagni, in qua Auſpicius primus epiſcopus D [illegible].

Ex chartul. Aptenſi.

AUctoritate eccleſiaſtica commoniti, & legum juſſionibus informari ſumus ut ſi quis ſuam rem qualicumque merito in alterius vult commutare poteſtatem, aut grata largitione, aut pretii comparatione, per conſcriptionis teſtamentum, & teſtium proviſionem commutatio fiat, & ut largitor ſentiat meriti incrementum, & cui conceditur careat detrimento. Quocirca ego Roſtagnus filius Adalais, & uxor mea Giſla, una per voluntatem noſtrorum filiorum, quos Deus nobis dare dignatus eſt, qui vocantur Umbertus, Rajambaldus, Raimundus, Laugerius, Guillelmus, Bertrannus, & ſi qui adhuc alii naſcituri ſunt ex nobis, donamus omnipotenti Deo, & ſanctæ Mariæ genitricis Domini noſtri Jeſu Chriſti eccleſiæ ſedis Aptenſis, quam martyr egregius Auſpicius primus eccleſiæ hujus epiſcopus, primum conſtruxit & dedicavit intra mœnia murorum; & concedimus donum illis clericis, qui communiter vivunt in clauſtra ipſius civitatis; & hoc eſt quod donamus. Habemus unum manſum in quodam caſtello, quod dicitur Barretum, quod eſt in comitatu Guapincenſi, & dedit illud mihi Rajambaldus ſocer meus cum filia ſua Giſla, ut Deus omnipotens dignetur miſereri mei, & uxoris meæ, & noſtræ generationis, & concedat remiſſionem noſtrorum peccatorum, ut percipere mereamur requiem ſempiternam in regione vivorum. Si quis ergo interpellaverit donationem noſtram, quam in præſenti facimus; & ullo modo evertere quæſierit, vetamus illi, ut non poſſit efficere quod injuſte quærit; & inſuper Dei omnipotentis, & beatæ genitricis Dei, & omnium ſanctorum incurrat maledictionem, excommunicationem, & omnium bonorum amiſſionem, & confuſionem, & abhominationem, & virtutum omnium diſſolutionem, & de regno Dei expulſionem uſque ad interitionem & æternam exterminationem, & nullam unquam ſentiat recuperationem; ſed ſemper irrevocabilem damnationem & maledicam perditionem.

Facta eſt hæc donatio,
In Apta diverſorio,
Sexta iteſub Julio,
Regnante Chriſto Domino.
Roſtagnus eſt ſignaculum.
Qui fecit hoc propatulum
Menſura dat tetrametrum
Scriptorem autem Fredulum.

II.

De ſancto Caſtore.

SAnctus Caſtor ita commemoratur in pervetuſto martyrologio eccleſiæ Aptenſis. XI. kal. Octob. In Galliis civitate Aptenſi eodem ipſo die S. Caſtoris epiſcopi & confeſſoris præcipui, qui Nemauſenſis civitatis indigena, nobilibus ſatus parentibus, & rerum præſentium copia affluens, Arelato imbuendus a parentibus liberalibus litterarum ſtudiis ſummopere traditus eſt: ubi etiam ita ad plenum hauſit omnium nobilium ſtudia, ut & mundialibus abundaret divitiis, & poſt cæleſtis diſciplinæ amator effectus, contemptibilibus cæleſtia præponeret.

Denique paucorum annorum ſpatio vacans mundanis actibus & triumphis, in quodam ſui juris agello ſancti Fauſtini ſummo ſtudio conſtruxit eccleſiam, ubi deputatis monachis ſub regularibus diſciplinis ſe libere Domino ſerviturum certius conſtituit implicandum, ibique epiſtolam hortatoriam fingens, clariſſimo abbati Caſſiano Maſſilienſis cœnobii patri direxit, in quo ipſius ſibi depoſcens adfuturum auxilium ſuis videlicet rudibus monachis profuturum, quod & promeruit. Igitur præclariſſimus prædictus abba, qui ferme, ut vere reperimus, quinque millia *a* pater excitit monachorum, hujus precibus libenter annuens, ſcripſit ei regulam decentiſſime lucidenterque compoſitam, quam ſpeculum monachorum vocavit, in qua normam & totius vitæ cœleſtis cenſuram exprimens diſtinxit, eique tranſmiſit, quam ille non parvipendens, ſe ſuoſque his ſubegit diſciplinis. Inde præſule civitatis Aptenſis communi ſorte diſtricto, omnis clerus ſcilicet & ruralis plebs unanimes ſibi Caſtorem poſcunt pontificem; quem adeuntes invitum coactumve a clauſtris erutum, ſibi paſtorem ſtatuunt; ubi deinceps qualis quantuſque extiterit, vita ejus, quæ exterioribus extitit plena virtutibus manifeſtat. Cetera quæ ejus intima fuerint cordis & animæ ſimplicitatis commoda, non noſtram reor poſſe ſententiam, qui ſe medium præbuit curæ monachorum & canonicorum, ac nec priorum ſtudium, nec poſterorum indigentiam ullo modo ſinerit incautus, talibus, ut brevi exaratum eſt ſtylo, vitam ducens ſtudiis, apud eamdem civitatem beato fine quievit in pace.

a Hanc monachorum nominem in Maſſilienſi aſcetario ſub Caſſiano abbate fuiſſe refert Ecclebertus Mimatenſis epiſcopus in inſtrumento donationis eccleſiæ de Canonica an. 1060.

III.

Charta Milonis Montani comitis Aptenſis, qua abbatiam S. Martini, ad preces Sendradi epiſcopi, eccleſiæ Aptenſi donat.

855. SUmma providentia catholicorum imperatorum eſſe conſtat, qui ſacras leges ſua compoſuerunt induſtria, & rationabili ſenſu memoriæ mandaverunt, ut quæque donaria, aut merito, aut ſponte peracta fuiſſent nullo injecto compoſitionis eloquio abſque litteratoria functione vigorem obtinere valerent, nec ſine tempore, loco, perſona, capax haberetur ſtationis. Et ſi in his, quæ ſæculari ambitione prorſus abrumpenda, quo valent ingenio ſervantur, & ſolius vitæ præſentis deſerviunt rationi, ut eorum poſteritati profutura ſubveniant, qui hæc ſua ſollicitudine, ut ſemper maneant peregerunt: quanto magis ea omnimoda ſunt proviſione ambienda, & inviolabili, quantum fas eſt, aſſertione fulcienda, quæ ſolius beatitudinis commercio peraguntur, & æternæ vitæ deſerviunt felicitati, & ſoli aſſignantur omnipotentiæ Dei. Quocirca utriuſque ceſſionis actionibus, & præſentis videlicet & æternæ vitæ inſtigatus, ego Milo Montanus ita noſtram procuro ſubniti ceſſionem, quam ſatago, ut in his pro quibus agitur beneficiis noſter non fraudetur effectus: quia hactenus ea quæ ad modicum poſſeſſa retineri nequeunt, curioſa ſollicitudine plus æquo inſectatus ſum: malo exin divino nutu comminuta, quædam ex vaſto latifundio ſummo deſervire largitori, quatenus & infelici inaniter vixi vitæ ſubveniant & ſeveri judicis meritam iram evadam, & irrevocabilem ad improbitatem ſententiam quodam tranquillo repagulo elapſus non obviem, ſed ad miſerandum inflectant. Accitis ad hoc meæ nobiliſſimæ conjugis Hortenſiæ, & quorumdam noſtrorum nobilium perſonis, paribus faventibus votis offero quædam Domino Deo omnipotenti, & eccleſiæ S. Mariæ ſedis Aptenſis, cujus beneficiis utor; hoc eſt, abbatiam S. Martini cum ædificiis ibi præeminentibus, cum manſis equitum & pagenſium, cum omni habitatore & poſſeſſore, cum campis vineis, pratis, molendinis & omnibus reditibus, & adjacentibus, & his quæ ibi debitis deſerviunt uſibus. Eſt namque ipſa abbatia in comitatu Aptenſi fere millibus ſex diſparata a civitate ad ſolis ortum, terminis certis mea & meorum alode præſignata, & prærogativis undique vallata privilegiis ſatis honeſtis. Hujus territorium eſt Localitio ſitum. A ſolis ortu fons fluens oritur, qui vocatur Bogia, a meridie fluvius Cauſalonus, ab occaſu vallis quæ dicitur Urſalis-captio, & alio nomine Curiolis: a ſeptentrione, locus qui vocatur Lonias, & ſi qua ſunt alia diverſa vocabula. Anno a Verbo Dei carnem ſumente octingenteſimo trigeſimo quinto, regnante Carolo Ludovici filio, Simmacho juniore præfecturæ faſcibus infulato, indictione undecima, hæc noſtra donatio exordium temporum cepit eſſendi gratia, & eſt conſcriptionis auctoritate & teſtium ſatis nobilium perſonis ſubnixa, XVI. kalendas Auguſtas plenarias auctore Milone prænomine Montano comite nobiliſſimo Aptenſis civitatis cum illius comitatu & Glanniacenſis & Senacienſis comitatuum & ſedium epiſcopalium, cujus ſtudio opes & res eccleſiarum, nec non & librorum & ſacrorum vaſorum plenitudo augmentum ſenſerunt, Sendardo epiſcopo Aptenſi ad id peragendum inſtigante animos largitorum non parva ſuggeſtione precum. Signum & auctor hujus privilegii Milo & uxor ejus Ortenſia mulierum nobiliſſima, qui hæc ſcribi juſſerunt, & teſtibus additis firmata reliquerunt memoriis poſterorum. Terbertus firmavit, Leoprandus firmavit, Agilbos firmavit, Wido firmavit, Teudfrit firmavit, Eldoardus firmavit, Auſarith firmavit.

Sic plures alii patula de fronte faventes
Teſtes adſciti, qua inſunt famina fignt.
Rotmarius heros hæc juſſus ſcripta reliquit.

IV.

Charta Teuderici Aptenſis epiſcopi de canonicorum inſtitutione in eccleſia Aptenſi.

IN nomine Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & in charitatis dilectione Patris ſcilicet, ac Filii & Spiritus ſancti, & in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & præcipue ſancti Petri apoſtolorum principis, cunctorumque electorum Dei veneratione Teudericus ſedis Aptenſis humillimus in Chriſto epiſcopus. Si circa ſanctæ religionis cultum munificos nos eſſe exhibemus, ſuperna nos gratia muniri non dubitamus. Quam ob rem comperiat omnium Chriſti fidelium tam præſentium quam & futurorum ſolertia, quia prædictus venerabilis epiſcopus cogitans qualiter in eccleſia ſanctæ Mariæ ſedis Aptenſium clericos canonico more conſtitueret, qui in eadem eccleſia officia divina Deo rite perſolverent; atque ex rebus ejuſdem eccleſiæ in communia concederet, per quam cotidianum victum ſumentes facilius cæleſti mercantur cibo perfrui, quod eſt verbum Dei, ut carnalis homo cibo reficiatur terreno, & ſpiritalis paſcatur divino alloquio, memorans illud apoſtoli dictum, *qui altario deſerviunt & altario participentur.* Nihil enim nequius quam poſſeſſiones & dona a Chriſti fidelibus accipere, & pro animabus fidelium non laborare. Et quia vix nemo ſibi ſoli ſufficit, ideo canonicorum ſolarium adhibendum eſt, ut magis ac magis apud Deum valeat deprecatio quam unius oratio. Quapropter ego in Chriſti nomine Teudericus jam dictus epiſcopus divina favente clementia cum conſilio & voluntate Willelmi totius Provinciæ principis, inſuper etiam domni Annoni Arelatenſis archiepiſcopi, necne domni Amalrici Aquenſis archiepiſcopi, Ingilranni Cabellicenſis epiſcopi, pro voto & auxilio conſtituimus atque ordinamus in præfata ſede Aptenſe omnipotenti Deo, ſanctæ Mariæ virginis, ſanctique Petri apoſtoli, atque S. Caſtori eximii confeſſoris, ob eorum omnium honore ac veneratione canonicos duodecim, quibus concedimus atque condonamus ex rebus noſtræ eccleſiæ, illorum victui cotidiano in communia juxta canonicam auctoritatem ex decimis de villa quæ vocatur Vallis unam medietatem, & de rivo Remmis uſque in rivo Margaritæ omnem decimum, de campis

1 Cor. 9. 13.

ed by

sive de vineis. Et de rivo Margaritæ usque in rivum Mauraniæ omnem decimum extra vineis ; donamus etiam omnem decimum de vineis quod est de Arculas, usque ad Balmam Tropini,& usque ad ipsam civitatem de campis, sive de vineis,quæ ibi ædificatæ sunt, vel in antea ædificatæ erunt ; & quantum infra ipsa terminia ædificare potueritis in communia, in campis, sive in vineis torum vobis cedimus atque condonamus. Donamus etiam in villa, quæ nominant Celariana campos cultos, & in villa Antinianicus donamus vineas cum campis. Addimus etiam in communia de synodo cum ipsa parata, & de pœnitentes quæ nobis pertinent, in omnibus tertiam partem. Concedimus ad ipsos canonicos omnes ecclesius nostris quæ sunt in Aptæ civitate, vel in circuitu ejus, vel quicquid in possessionibus tam vineis quam campis cultis & incultis, auri & argenti, & omnibus rebus tam mobilibus quam & immobilibus, sive in cymenteriis vel in nomine canonicorum collatum est vel donatum Deo propitio in antea fuerit, totum & ad integrum tradimus atque transfundimus perpetualiter ad possidendum,pulsa omni contradictione. Hoc autem ante omnia & super omnia statuentes, atque ex auctoritate Dei Patris & Filii & Spiritus sancti præcipue promulgantes devitamus, ut nulli liceat successorum nostrorum tam episcoporum quam principum, vel cujus ordinis aut dignitatis sit, sive ecclesiastica seu laicalis potestas, magna & parvaque fuerit persona, qui in supradicto canonicorum numero duodecim, quemquam addere aut minuare præsumat, obnixe devitantes excommunicamus. Id ipsum autem censuimus, ut si quis in hanc communia largire, sive accommodare amplius voluerit, hoc Dei remunerationi, ac suæ beneficentiæ liberam tribuimus facultatem,certissime credentes, quod a retributore bonorum omnium, illam recompensationem mercedis recipit, 1. Cor. 2. b. *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus his qui diligunt eum.* Quicumque autem ex hac nostra statuta vel suprascripta communia quidquam adminuare vel inrumpere conaverit, non obtineat, quod nec ita agi voluerit; sed primitus iram omnipotentis Dei incurrat, sanctæque Dei genitricis Mariæ,omniumque cælestium virtutum, necne B. Petri apostoli regni cælorum clavigeri, sanctique Castori Christi confessoris, omniumque sanctorum maledictionibus subjaceant, sitque pars eorum cum Juda Domini proditore, cum his quoque Job. 21. 14. qui dixerunt Domino Deo : *recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Fiat eis sicut Zeb & Ps. 82. 12. Oreb. Zebee & Salmana, & omnibus principibus eorum qui dixerunt : hereditatem possideamus sanctuarium Dei. Deus meus pone illos ut rotam & sicut stipulam ante faciem venti, sicut ignis qui combusit silvam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua conturbes eos.* Dentur etiam ultione & submergantur in inferni barathro, sicut demersit Pharao cum exercitu suo in mari rubeo ; sintque anathematis vinculo conligati atque percussi a Deo Patre & Domino Jesu Christo filio ejus, & Spiritu sancto ; & nostra a Deo collata potestate, & omnium episcoporum clericorum quoque interdictione, quorum nomina subtus scribere, & manibus firmare curavimus pro omni firmitate atque stabilitate hæc conscriptio subnexa.

Acta hæc charta apud sedem Aptensem, anno incarnationis Dominicæ nongentesimo nonagesimo primo, indictione IV. secundo nonas Augusti,regnante Chuonrado rege Alamannorum sive Provinciarum in Christo feliciter. Signum Teuderici episcopi,qui hoc conscriptum scribere & firmare rogavit manu sua roborata atque confirmata. Warnerius Avenionensis episcopus firmavit, Pontius presbyter firmavit, Warnerius presbyter firmavit, Durantes presbyter firmavit, Barangarius presbyter firmavit, Boso presbyter firmavit, alius Pontius firmavit, Vuarnaldus presbyter firmavit, Rostagnus levita firmavit, Ranulfus levita firmavit, Boso levita firmavit, Warnerius levita, Fridda levita, Silvius levita, Petrus subdiaconus, Dodo presbyter, Boso presbyter, Albaricus presbyter, Johannes presbyter, Rodoinus presbyter, Dominicus presbyter, Gerundus Presbyter, Teudericus presbyter, Pontius presbyter,alius Teudericus presbyter, Apollonius presbyter, Daiterius presbyter. Scriptum per manu Heliæ presbyteri.

V.

Charta de restauratione ecclesiæ Aptensis.

AUctoritas jubet ecclesiastica, nec non & lex præcipit Romana, ut quicumque vult terrena despicere, & amare celestia ; dignum est ut de proprietatibus suis sibi qualicumque modo acquisitis, Dei omnipotentis honoret sponsam, recipiatque ab eo sempiternam gloriam. Ideoque Ermengarda auctoritatem secuta, recto corde,Dominici sermonis reminiscens dico: *Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam* ; tribuo, dono, cedo, atque transfundo quod mihi ex progenie parentorum meorum legibus obvenit, quæ sunt ipsas res in pago Aptense, in loca denominata,hoc est villam Intertivis & in Campanias, & in Surdonicus, & in Celeriana, sive Guttilone, in Intervias, vel in Sertiana,in Sarpalianicus, & in Pineto quantum mihi de ipsis villis, vel de omnia quæ ibi pertinent, pars obvenit, vel obvenire debet, hoc est quintam partem, totum & ab integro dono ad ecclesiam S. Petri, nec non & conforma chanonicorum sedis Aptensis, pro ædificatione ipsius ecclesiæ, & pro remedio & liberatione animæ meæ de meo jure, in sancto Petro jure, & de mea dominatione, in sua ejusque transfundo dominatione, & chanonicorum ibi Deo servientium dispensationem, ita ut ab hodierna die & deinceps prætatas res teneant, possideant, suoque ordine compleant, dominenturque dominatione absque aliqua dubitatione, & contrarietate. At si comes, aut episcopus ipsius civitatis, aut ego, aut ullus de propinquis parentibus meis, aut aliqua contradicta persona ad ecclesiam S. Petri, vel ipsius chanonicorum consortia inquietare aut inrumpere voluerit ; ne hoc valeat vendicare quod repetit, sed iram & maledictionem Dei omnipotentis, & agmina * sanctorum accipiat, & sancto Petro cum omnibus sanctorum choris contrariam habeat, & 15. libras auri persolvat, & præsens ecclesiastica donatio firma, stabilis & inviolabilis permaneat. Quod si ita est, quod ipsa congregatio virorum Dei propter obpressionem, aut timorem pontificis, aut successores ejus dominare nequeant ; volo ut ad propinquos parentes meos possessio prædicta perveniat. Facta hæc donatio ecclesiastica in Aptæ civitate publice,sexto calendas Februarii anno ab incarnatione Dominica nongentesimo nonagesimo primo, regnante Chuonrado rege,indictione quarta. Ego Ermengarda hanc donationem fieri & firmare rogavi, & manu mea firmavi. Ego Bermundus hoc testamentum firmare jussi & firmavi, ut congregatio ecclesiæ Aptensis teneat, absque ullo contradicente. Teudricus presbyter firmavit, Garaldus levita firmavit, Aramberta voluit, & consensit, & firmavit : Teucinna voluit & consensit, & firmavit.

Ex ch. t. ni. Aptens.

Joh. 6. 27.

* *Al.* spatium.

VI.

Donum castri Sagnone, Aptensi ecclesiæ factum.

IN prioribus humanæ conversationis collocutionibus & stabilimentis,sola vigebat locutio,& rerum dispositio & causarum ordinatio, nec ulla vi commovebantur. Postquam autem multipliciter per orbem universum creverunt, & reges esse per varia regna habentes varios judices, homines sibi servituros subdiderunt. Hoc priores sua prout quisque dispositione ordinaverat videntes inter se dissentiones fieri, unusquisque alium præoccupare satagebat, & irritum fieri, quod prioribus in pace dispositum fuerat. Inde regnum super regnum & gens super gentem insurgebat,& vario misu bella commovebantur, & strages diversarum gentium & occisiones plurimæ, & mortes immenso discrimine. Deus autem ompotens ut vidit suam plasmationem,quam in pace in

exordio mundi creaverat, vario diſcrimine deperire; A inſperit non ſibi placitum more, ſi eos quos a principio peculiares elegerat, & de quibus ante ullam creationem rerum unigenitam prolem ſibi præ cunctis dilectam, & præ filiis hominum ſpecioſum elegerat, naſci decreverat, toc & tantis perturbationibus deperire vidiſſet: deſcendit in quemdam montem in finibus Madian, in rubo & ſpecie ignis ardentis manens ſeptem diebus. Et Moyſes erat circa montis latera paſcens gregem Jetro cognati ſui, dixitque ſociis ſuis, vadam ad ignem quem video, qui ardet & non comburitur: cuſtodite gregem, & cum adpropinquaſſet, vocavit eum dominus de medio rubi, & ait: *Moiſes, Moiſes: Et reſpondit: Quis es Domine? Et Dominus ait, Non appropinques huc ne moriaris, ſolve calceamentum de pedibus tuis, terra in qua ſtas ſancta eſt, ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſahac, & Deus Jacob. Vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & per manum tuam volo liberare eum, te ſolum vidi juſtum coram me.*

Exodi c. 3. & cet.

Et ego Georgius peccator nimius & uxor mea Deda, una per voluntatem Dei omnipotentis, & omnium ſanctorum ejus, quia ſcio eum eſſe miſericordem & propitium, diſpoſuimus dare aliquid ex honore noſtro ipſi Deo Domino noſtro, & ſanctæ Mariæ matri Domini noſtri Jeſu Chriſti, & S. Auſpicio martyri & epiſcopo, & epiſcopo præcipuo Caſtori, & confeſſori nobiliſſimo, & hoc quod offerimus in comitatu Aptenſis civitatis, eſt quoddam caſtrum inſigne & nobile, quod eſt poſitum ſupra civitatem ad Orientem, nomine Sagnone. Ipſum caſtrum damus prædictæ ſedi, & ſancto Caſtori ibidem quieſcenti & innumeris ſanctorum reliquiis, quorum C nomina Dei ſolius miſericordia novit. Et hoc & ejus fundum, terris cultis & incultis, cum vineis & pratis, & omnibus adjacentiis, & ultra Cauſalonem, in loco qui dicitur Sabloned, & in olivetis, ipſi caſtro pertinentibus, & nunc & in æternum. Habuimus olim hæredem unum maſculini generis nomine Siſinnium, ipſum per manus Paganorum perdidimus, qui ductus eſt ad Iſpanias, ibidem commoratus eſt per ſeptem annorum tempora. Nos vero ejus genitores interim non ceſſavimus orare in jejuniis & eleemoſynis pro filio noſtro, & omni hebdomade revoluta in ſabbato vigilantes ante altare ſanctæ Mariæ & ſancti Caſtoris eramus: apparuit autem Domini virtus & miſericordia: quia poſt finem annorum prædictorum eramus vigilantes ante altare Domini Dei Salvatoris, & S. Caſtoris ſepulcrum. Et ecce de repente in prima noctis vigilia, venit filius eo- D rum ante eos ſtans, & ferens qua vinculatus fuerat tot annorum tempora, dicens ad eos, Recognoſce pater filium tuum quem genuiſti: & tu mater quem triennio ablactaſti, ecce adſum cum ſanitate mentis & corporis. Quo viſo fit gaudium magnum genitoribus, & omni populo & civibus, & omnes unanimes effecti reddebant Deo gratias. Amen. Caſtrum autem ut erat datum, voverunt cum filio, & firmaverunt privilegio, & perſonarum teſtimonio Caroli tempore.

Sequitur in chartario Aptenſi præſtaria de eodem caſtro Sagnone a Narroldo epiſcopo facta in gratiam Rotberti & Waracenis anno 30. *regnante Conrado rege.*

VII.

Alfanti epiſcopi Aptenſis charta, de reſtauratione eccleſiæ Aptenſis.

1056. QUæ divinæ ſunt aptanda ſervituti, multimode ſunt ſagacitate diſcutienda, ne paritura profectum humanitati neceſſarium caſſa comprobentur executione damnari; quia aliquando evenire ſolet, ut aliquis ſua talia perſcrutari ſuadeat, quæ Dei judicio ſunt damnanda. Quocirca ſummopere permotus, ego Alfantus quamquam indignus, tamen præminente * Dei potentia epiſcopus ſanctæ ſedis Aptenſis eccleſiæ, meditans quo vigeo ingenio, quibus exercitiis Domino grata ſervitus ſit exhibenda, experior ſummi faſtigium honoris, ſanctæ incrementum eccleſiæ, quam ſibi Deus ſuper omnia condita liberiori amplexu ſine macula præelegit omnium matrem virtutum. Inde vero ſemotis aliis omnibus invenio propriam cui commiſſus ſum, & quæ mihi commiſſa eſt præ omnibus eccleſiam cecidiſſe; opinans ſalubrius mihi ipſius ruinæ caſum levare, quam earum, quarum non mihi cura commiſſa; & ad hoc aſtruendum meum adſcivi clerum, ſciſcitans ab eo ſi huic neceſſitudini ſuam ullo modo curarent diligentiam adhibere, qua præfocatæ matris ſublevare quiviſſent lapſum. Tandem quidam ex clero, meam experti querimoniam, fatentur ſe Dei auxilio in hoc ſumturos laborem, ſua ſeque dedentes, & mei parati voti curæ obedientiam affectando, ſuam parere ſaragunt profeſſionem: ſicque ad hoc exquirendo ſodales, invenio ſodales idoneas perſonas duorum fratrum meæ civitatis principum, ſcilicet Roſtagnum & Guillelmum, qui inde exhila- B rati, & auxilium ſe impenſuros, & de ſuo daturos fatentur, ad erigendam prædictæ matris eccleſiæ conſternationem: & quotquot aliorum poſſe fuerit invenire perſonas, ſua monitione ac imprecatione circumventos adjutores, complices adducturos. Quod ut effectum capiat votum anno Dominicæ incarnationis milleſimo quinquageſimo ſexto, indictione..... ego Alfantus adſcito clero, & prædictis duorum fratrum perſonis, alioque nobili comitatu, exquiſivi ut promiſſa impleantur. Sed illi meam largitionem priorem debere progredi aſſeverant: quod ego & agendum cenſui, & me auctorem hujus conditionis non ponendum eſſe ultimum æſtimavi, cum ſit meum aliis viam monſtrare ſalutis. Eſt igitur largitionis meæ hujuſce qualitatis & quantitatis ſignum; . oc eſt unus manſus cum terris ſibi pertinentibus, cultis & incultis, cum hortis & poraginis, & omni exitu ſibi debito. Et eſt ipſe manſus in comitatu Aptenſi, in territorio villæ ſancti Petri, quæ dicitur Turrita, qui fuit poſſeſſoris Davidis. Hoc dono clericis ſanctæ Mariæ ſervientibus & in commune viventibus. Eſt & alia donatio, quam facit Roſtagnus & Guillelmus frater ejus, quæ eſt in comitatu Aptenſi in territorio caſtri Caſtellionis; hoc eſt eccleſiam ſancti Petri, cum campis & vineis, cum oblationibus & primitiis & omnibus ſibi pertinentibus, & eccleſiam ſanctæ Fatæ, cum omni poſſeſſione & oblatione, & eccleſiam ſanctæ Mariæ & ſancti Stephani, & ſancti Michaëlis in caſtro. Hoc donant duo prædicti fratres ſanctæ Mariæ & congregationi in commune viventi. Si quis autem inde extiterit, quærens hæc confringere vel uſurpare, hoc vetamus, nos donatores; ſed in duplum componat præſumptor, qui hoc agere tentaverit, & ob hoc incurrat iram Dei omnipotentis & ſanctæ Mariæ ſemper virginis, & omnium ſanctorum maledictionem, confuſionem, perturbationem, abhominationem, deſolationem, inimicorum incurſionem, & omnium bonorum amiſſionem, donec pereant de terra, & de his quæ ſunt in ea. Acta hæc auctoritas in Apta civitas, v. calendas Julii, regnante Deo noſtro in ſæcula. Amen.

* *f.* permitente.

VIII.

Domus Conradi regis conceſſa eccleſiæ Aptenſi.

IN nomine ſanctæ Trinitatis, ego Pomeus facio donationem de manſionibus meis, quas habeo in Aptenſi civitate, in quibus meam cotidianam facio ſtationem Domino Deo omnipotenti, qui mihi dedit bonum quod habeo, & ſanctæ Mariæ genitrici Dei ſedis Aptenſis, & clericis ibi degentibus in communi domo quæ obvenit mihi ex poſſeſſione meorum parentum, & ex dono Conradi regis, quod fecit avo meo Almalberto, in cujus domo tunc temporis rex hoſpitabatur cum comitatu ſuo. Et eſt hoc donum, manſiones in quibus quotidianam ſtationem facio cum corte, & cum exitu toto, & adjungo huic dono domum illam quæ eſt ante meam portam aforis, cum horto & viridario, quæ ibi eſt, hoc totum, & vineam quæ vocatur Rotunda, quæ eſt in territorio civitatis. Hæc quæ ſupra dixi omnia dono & concedo ſanctæ Mariæ ſedis Aptenſis, & clericis ibi Deo ſervientibus, illis tantum modo qui in com-

1064. *Ex chart. Aptenſi.*

muni domo commorantur, & illis qui poſt iſtos advenerint & in communi domo permanſerint. Si quis autem undecumque extiterit volens rumpere hoc meum donum quod facio in præſentia meorum vicinorum, hoc ego Pometus vero & contradico, ut efficere non poſſit quod injuſte quæſierit; ſed res omnes convictus in judicio in duplum componat, & inſuper hoc meum donum firmam obtineat ſtabilitatem omni tempore, & contradicentes huic dono noſtro incurrant Domini omnipotentis iram, & maledictionem, & excommunicationem, & offenſionem, & perturbationem, abominationem, & omnium bonorum deſolationem, niſi ſe correxerint. Vinea ipſa quam dixi Rotunda ad partem Borei venti, qui eſt circius, in montem ſupra civitatem in territorio villæ quæ dicitur Ticia, juxta eccleſiam ſancti Michaëlis eſt poſita. Anno ab incarnatione Domini MLXIV. indictione II. regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto in ſæcula. Amen.

A B

IX.

Charta Leodegarii epiſcopi Aptenſis, pro Aptenſi eccleſia.

1113. Leodegarius Aptenſis. Pſal. 25. 8. Matth. 5. 7.

EGO LEODEGARIUS Dei gratia Aptenſis epiſcopus, ut & ipſe cum propheta beate pſallerem: *Dilexi, Domine, decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*; & ut fructum hujus beatitudinis, *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*, cum ſanctis in templo Dei feliciter colligerem; meæ ſedis eccleſiæ nequitia malorum hominum ſuis honoribus ſpoliatæ, & opibus valde nudatæ ſtudui ſubvenire. Et ſic meum C conſilium fuit, ut eccleſia & juſte haberet, & firmiter poſſideret, quod meo cenſu & proprio alode ibi adquirerem, poſſeſſiones quas injuſte amittebat redimere, & ei reddere. Quapropter caſtrum Sagnionis, quia meæ eccleſiæ hereditas, & eidem perutile in hominibus & aliis pluribus erat, Crugeriam & Medium-caſtrum, ſcilicet Tortam-mollam ſpecialiter emi, & pro Torta-molla uxori Raimbaldi Niciæ, Riſen & filio ſuo Leodegario, & filiæ ſuæ Poncia, & Willelmo Talun ſuo genero medietatem Turritarum, meam quidem hæreditatem & alodium dedi, & quadringentos ſolidos, & pro Crugeria mille & trecentos ſolidos Melgorienſium Aldeberto & ſuo filio Willelmo dedi, cum laude ejuſdem caſtri omnium militum; qui quia conceſſerunt, magnam partem meæ pecuniæ habuerunt. Et ego Leodegarius D hoc caſtrum, ſcilicet Sagnionem, pro animæ meæ ſalvatione, & peccatorum meorum remiſſione in præſentia & teſtimonio meorum canonicorum, & omnium mei epiſcopatus fere clericorum, do & concedo Deo & S. Mariæ, & ſancto Auſpicio, & ſancto Caſtori, & omnibus epiſcopis in eadem ſede meis ſubſequentibus. Et hanc donationem laudaverunt milites iſtius caſtri, Raimundus Aicardus, & frater ſuus Gaufredus, qui pro Mediicaſtri conceſſione emtionis, centum ſolidos habuerunt; & Bertrannus Raymundus, & ſui fratres; Raimundus Guido, & ſui fratres; & Datil, & ſui fratres; Faraldus, & Bertrannus, & Petrus Guido cum ſuis fratribus, & Willelmus Guntran, cum ſuis fratribus, Ruſtannus de Turre, cum ſuis nepotibus; Willelmus Malacauſa, cum ſuo fratre; & filii Poncii Buzot; & E Sancia uxor Raimbaldi de Agolt, cum omnibus filiis ſuis laudavit & conceſſit. Et ſi quis huic donationi contrarius eſſe voluerit, vel impedire quoquo modo, ad damnum eccleſiæ, hoc caſtrum volens alienare tentaverit, illum ex auctoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, & domini noſtri papæ Paſcalis, & mea, excommunico & anathematizo ſicut Judam qui Dominum tradidit & Datan & Abiron, quos terra vivos abſorbuit. Facta eſt autem hæc donatio MCXIII. indictione IV. Teſtes hujus donationis ſunt, Reinaldus abbas ſancti Euſebii, Rodulfus præpoſitus, Bermundus ſacriſta, Petrus Stephanus, Giſbernus, Porzellus, Bertrannus, Gigo, Willelmus Rubianus, Willelmus Garnaldus, Ruſtannus Bernardus, Willelmus, & Stephanus, Scizereſt, Poncius Acardus, Aycardus, Artaldus preſbyter ejuſdem caſtri, Andreas, Bernardus monachus, Alſandus, Gilus, Petrus Lambertus, Stephanus Alemannus, Durandus, Ruſtannus de Monte-czlico, Willelmus ſacerdos Simianæ.

Idem Leodegarius anno MCXXII. *caſtrum Sagnone quod dicitur Crugeria, Aldeberto Geraco dat ad fidelitatem.*

X.

Permutatio Gordæ & Turritarum ab eodem Leodegario epiſcopo facta.

IMperialibus edictis & legibus Romanis conſtitutum eſt quod aliquis permutationem, vel venditionem, vel quamlibet rem certam faciens, per paginam teſtibus firmatam hoc faciat. Quapropter ego Leodegarius Dei gratia Aptenſis epiſcopus, volens cum cognata mea Sancia, & cum nepotibus meis, ſcilicet Guiranno & Bertranno, & ceteris fratribus conſilio noſtrorum fidelium permutationem facere, morem priſcorum patrum ſequens, hac conſcriptione confirmo. Quæ autem ſit permutatio, præſens deſcriptio declarat. Eſt namque ſitum quoddam nobile caſtrum in epiſcopatu Cabellionenſi quod vocatur Gorda, cujus quartam partem cum omnibus ſibi pertinentibus pro medietate Turritarum, tibi & filiis tuis remota omni fraude trado, cujus mediietatis uſque modo poſſeſſores fuerunt Raimundus Aicardi & frater ejus Gaufredus.

XI.

Bulla Paſchalis Papæ II. data eccleſiæ Aptenſi ſub Laugerio epiſcopo.

PASHALIS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis 1115.
filiis Aptenſis eccleſiæ canonicis, tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Officii noſtri nos hortatur auctoritas, pro eccleſiarum ſtatu ſollicitos eſſe, & quæ recte ſtatuta ſunt ſtabilire. Idſirco veſtrum votum veſtrique propoſitum auctoritate ſedis apoſtolicæ confirmamus, ut in Aptenſi matrice eccleſia beatæ Dei genitricis & ſemper virginis Mariæ, & beati Caſtoris, perpetuis deinceps temporibus clericaliter & regulariter vivant, & quæcunque prædia, ſeu quæcunque res ad eorum victum deliberatæ ſunt, quiete ſemper eis, integreque ſerventur. Porro ipſi eccleſiæ & ejus epiſcopis confirmamus caſtrum ſancti Martini, & caſtrum de Sanione, quod cum ex antiquo jure Aptenſi eccleſiæ pertineret per confratris noſtri Laugerii epiſcopi præſentis induſtriam eidem eccleſiæ reſtitutum eſt: cæteras ſane donationes quas idem epiſcopus fecit, & ſcripti ſui aſſertione firmavit, & tam vobis quam ſucceſſoribus veſtris præſenti decreti auctoritate firmamus, in regularis videlicet vitæ obſervatione manentibus. Ipſo vero vel ſuorum quolibet ſucceſſorum ad Dominum evocato, quæcunque epiſcopi ſunt, ſub canonicorum proviſione permaneant; nec alius in Aptenſi eccleſia ſubſtituatur epiſcopus, niſi qui canonice ipſorum conſilio fuerit & electione promotus; res autem deficientis epiſcopi nullus omnino laicorum invadere & deprædari præſumat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione ac gubernatione conceſſa ſunt uſibus profutura. Si quis autem, quod abſit, decreti hujus tenore cognito temere contraire attemptaverit, honoris & officii ſui periculum patiatur, aut excommunicationis cenſione plectatur, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit; obſervantibus vero Dei omnipotentis gratia & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli benedictio conferatur. Datum Laterani per manum Joannis S. R. E. diaconi cardinalis, ac bibliotecarii, idibus Januarii, indictione VII. incarnationis Dominicæ anno MCXV. pontificatus quoque domni Paſchalis ſecundi papæ XV.

Digitized by Google

XII.

Leodegarii epiſcopi Aptenſis charta, qua nepotibus ſuis donat medietatem caſtri Gordæ, & partem ſuam Aptæ civitatis.

SAncitum eſt canonibus & legibus, quod aliquis volens inſtituere hæredes, teſtibus ſeptem hoc faciat. Quapropter ego Leodegarius Aptenſis epiſcopus, poſt mortem meam cognatæ meæ, & Guiranno, & Bertranno & ceteris filiis & filiabus, qui ex fratre meo Ragembaldo ex ea nati ſunt, medietatem totius caſtri Gordæ, cum omnibus ſibi pertinentibus cultis & incultis, & turrim majorem Aptæ, cum omnibus ſibi pertinentibus, quæ mihi ex patre meo proceſſerunt, derelinquo. Hujus autem inſtitutionis cauſa quingentos ſolidos accipio. Supradictæ autem donationi totius urbis Aptæ partem, quæ mihi ex patre meo evenit, ut bonus patruus addo. Me autem vivente fidem & ſervitium habere volo. Teſtes hujus inſtitutionis ſunt, Raimundus Aicardi, Rodulfus ſacriſta, Willelmus, Centulio, Bermundus, Petrus Willelmi, Gaufredus, Vilelmus, Elias, Wilelmus. Garnaldus ſcripſit

XIII.

Aliud donum eiſdem nepotibus factum.

IN Dei nomine, ego Leodegarius epiſcopus Aptenſis, totum in integrum, quantum Bonefacius de Rellana, in villa quæ Torita vocatur, pro epiſcopo Aptenſi ad feudum habuit, vobis Guiranno & Bertranno filiis Raimbaldi de Agolt, cum conſilio Rodulfi præpoſiti, ſive Bermundi ſacriſtæ, aliorumque meorum canonicorum ad fidelitatem & ſervitium dono & laudo, atque confirmo. Et inſuper totum meum honorem quem a parte patris mei Roſtagni habui, ego Leodegarius epiſcopus tibi Guiranno, & Bertranno, & Roſtagno filiis Sanciæ dono, & laudo, & affirmo, ſub tali conditione, ut quamdiu vixero habeam & poſſideam, uſumque fructum retineo omni tempore vitæ meæ; & poſt mortem meam in poſſeſſione veſtra & jure veſtro in integrum tranſferatur & transmittatur; & nunquam in vita mea, nec in morte proprietatem alteri transferre poſſim. Honorem vero donatum eſſe Gordam, & Sorquetam, & Jocatum, & Gargarum, & partem meam Aptæ civitatis, quam a parte patris mei Roſtagni habui, & Caſam-novam, & Caſtellionem manifeſto & confirmo. Et vobis prædictis Guiranno, & Bertrano, & Roſtagno prædictum honorem cum prædicta conditione transfundo & dono ad fidelitatem & ſervitium.

Idem Leodegarius altera charta ſcripta MCXX. *eiſdem nepotibus ſuis Guiranno & Bertranno donat caſtrum Sagnone ad fidelitatem & ſervitium.*

XIV.

Charta Guillelmi I. Aptenſis epiſcopi pro ſancti Andreæ monaſterio.

1160. ANno ab incarnatione MCLX. ego Guillelmus ſolius Dei gratia Aptenſis epiſcopus, conſilio eccleſiæ noſtræ, dono & laudo, & concedo fratri Pontio abbati ſancti Andreæ montis Andeonis, ac fratribus Deo ibidem ſervientibus tam præſentibus quam futuris, eccleſias quas prædictum monaſterium ante tempus noſtrum, vel in tempore noſtro tenuerat, vel habuerat in epiſcopatu noſtro. Dono inquam & concedo, ut eas ſicut nunc poſſident, & in futuro quiete habeant, & ad ſervitium Dei teneant, cum omnibus quæ ad eaſdem eccleſias pertinent, vel ſpectant. Ita ſcilicet ut ſi quis moleſtiam eis aliquam vel calumniam, ſeu quæſtionem inferre præſumpſerit, nullatenus contra eos obtineat, ſed improbus cum improbitate ſua, non impetrato quod calumniatur abſcedat, & ipſi obtineant, & quod prius tenuerant quiete ſicut nunc poſſident, teneant perpetuo. Hæ ſunt autem eccleſiæ quas prædictis fratribus in pace concedimus; eccleſiam ſancti Chriſtophori & ſancti Nicolai, cum decimis ſuis, & quartam decimæ laudo & concedo eis quam prædeceſſor noſter Laugerius prius donavit & conceſſit, & eccleſiam ſanctæ Mariæ de la Garda, & ſancti Petri de Bainols, & eccleſias ſancti Petri & ſancti Michaëlis de Simiana, & ſancti Andreæ, & ſanctæ Mariæ, & eccleſiam ſancti Ferreoli, & ſancti Hilarii de Venis, & ſancti Joannis, & eccleſias ſancti Salvatoris de Cedereſta, & ſancti Martini, & eccleſiam ſanctæ Crucis de Roſſillone, & interpellationem, & jus quod in aliis eccleſiis de Caſtro habuere, & eccleſiam ſancti Andreæ de Arnavis, & eccleſiam ſancti Martini de Roſainas. Facta fuit hæc donatio vel confirmatio in urbe Aptenſi, in domo epiſcopali, iſtis videntibus & audientibus, Raimundo de Lauduno, Martino, Bertrando Molnerii priore de Coſta monachis, Petro de ſancto Paulo ejuſdem eccleſiæ præpoſito, Rainoardo canonico, Guillelmo Pagani, &c. Bertrando de inſula milite, Gordone, Bernardo de Rupe armigeris, Bertrando Guiramandi.

XV.

Friderici imperatoris privilegium Petro epiſcopo Aptenſi conceſſum.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator & ſemper auguſtus. Noverint omnes imperii Romani fideles præſentes & poſteri, præcipue tamen univerſus clerus & populus Aptenſis civitatis, & totius epiſcoparus, quod Petrus venerabilis epiſcopus Aptenſis eccleſiæ, noſter fidelis ac dilectus, ad noſtram curiam in præſentiam noſtram venit; & facta nobis & imperio debita fidelitate, cum hominio, regalia noſtra, quæ vel de antiquo, vel de novo jure debet habere, a manu noſtra per rectam inveſtituram recepit: videlicet & partem quam habet in Aptenſi civitate cum canonicis & clericis, & pertinentiis ſuis, & caſtrum ſancti Martini, & Medianum caſtrum quod dicitur Tortamollis, cum Crugeria, villam de Turrita, & mediam partem in Claromonte. Quæ omnia prædicto fideli noſtro & ceteris in eodem epiſcopatu ſucceſſoribus ſuis in perpetuum poſſidenda confirmamus, & noſtra auctoritate ſtabilimus & concedimus. Statuentes igitur imperiali edicti vigore præcipimus, ut nulla omnino perſona magna vel parva in prædictis bonis vel locis, ullam dominationem ſibi de cetero uſurpet, aut ullam in eis exactionem requirat, vel faciat abſque gratia & conceſſu, & bona voluntate Aptenſis epiſcopi, quicunque illic pro tempore fuerit, & cognoſcant omnes ejuſdem epiſcopatus bona, ſub imperiali tuitione conſiſtere. Datum in palatio Vapincenſi, anno dominicæ incarnationis MCLXXVIII. indictione XI. XV. cal. Auguſti. 1178. *Ex ſchedis D. de S. Marthan.*

XVI.

Privilegium Friderici imperatoris in gratiam G. Aptenſis epiſcopi.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus, univerſis clero & populo Aptenſis civitatis, dominis quoque & militibus de Sagnione, gratiam ſuam & bonam voluntatem. Scire volumus univerſitatem veſtram quod venerabilis epiſcopus Aptenſis eccleſiæ G. noſter fidelis & dilectus ad noſtram curiam in noſtra præſentia venit, & facta nobis & imperio debita fidelitate cum hominio, regalia noſtra quæ vel de antiquo vel de novo jure debet habere a manu noſtra, per rectam inveſtituram recepit, videlicet partem quam habet in Aptenſi civitate cum canonicis & clericis, & pertinentiis ſuis, & caſtrum ſancti Martini, & Medianum-caſtrum quod dicitur Tortamollis cum Crugeria, villam de Turreta, & mediam partem in Claro-monte. Inde eſt quod cum plenitudi-

ne honoris & gratiæ prædictum fidelem noſtrum epiſcopum univerſitati veſtræ remittimus, mandantes omnibus vobis & per gratiam noſtram, ac pro debito fidelitatis firmiter præcipientes, quatenus de cetero ei ſicut epiſcopo veſtro & dilecto principi noſtro, debitum honorem & dignam reverentiam, cum omni ſubjectione, & debita ſervicia exhibeatis, omni occaſione & contradictione remota. Statuentes quoque imperiali edicto præcipimus, ut nulla perſona magna vel parva in prædictis bonis vel locis ullam dominationem vel ullam exactionem de cetero habeat, abſque gratia epiſcopi, & ejus bona voluntate. Datum Taurini decimo octavo calendas Septembris.

XVII.

Henrici imperatoris privilegium Guiranno epiſcopo Aptenſi conceſſum.

1193. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus ſextus divina favente clementia Romanorum imperator & ſemper auguſtus. Credimus ad imperialem excellentiam pertinere, commodis & utilitatibus eccleſiarum liberaliter intendere, & ea quæ ab antiquo eis collata ſunt, inviolata conſervare; ea vero quæ a Chriſti fidelibus eccleſiis de novo conferuntur, imperatoriæ magnitudinis auctoritate confirmare: certi quod ex hoc felicem vitæ præſentis diuturnitatem, & æternæ vitæ conſequemur beatitudinem. Notum ergo fieri volumus univerſis imperii noſtri fidelibus tam futuris quam præſentibus, quod nos imperiali libertate confirmamus fideli noſtro Aptenſi epiſcopo Guiranno, & eccleſiæ Aptenſi, ut ſi quis fidelium Chriſti prædium ruſticum vel urbanum, vel quodcunque aliud immobile nullius alterius eccleſiæ ſervitio obnoxium, eccleſiæ Aptenſi reliquerit, vel donaverit, vel quocunque alio titulo tranſtulerit, libere & ſine conditione poſſit transferre; & quod ſic factum fuerit, ratum haberi volumus & inconvulſum; & quæ hactenus facta ſunt, imperiali auctoritate in perpetuum confirmamus. Statuimus etiam & imperiali edicto ſancimus, ut nulli dominorum in Aptenſi civitate conſtitutorum, de libra accipiant, niſi duodecim denarios nomine ſportularum, & pro juſtitia. Præterea terminos burgi epiſcopalis confirmamus a puteo Seſtarii inferius, & tendit recta via verſus domum Guillelmi Fabri, & tangit portam Emerici, uſque ad muros civitatis. In alia parte recta via tendit verſus domum Laugerii Bori, & tangit muros civitatis & vallatum, ſicut infeudati ejuſdem civitatis prædictæ eccleſiæ recognoſcunt. Præterea quæ predicto ſunt Aptenſi epiſcopio, & eccleſiæ Aptenſi jure domnii conceſſimus, & nomine regalium invetimus partem illam & bona veſtra quæ Imbertus de Viens pater Guiranni epiſcopi, & fratres ejuſdem Imberti in civitate Aptenſi habuerunt, & quæ ipſi & heredes eorum epiſcopo Aptenſi ſpontanea voluntate, vel quocunque alio titulo contulerunt, vel contulerint, eandem partem & eadem bona epiſcopo & eccleſiæ Aptenſi perpetuo confirmantes; ac hæc precipimus & eccleſiæ Aptenſi donamus. Quod ſi qua lex & conſtitutio loquantur de conſtitutione triginta vel quadraginta annorum, contra Aptenſem eccleſiam, & contra privilegium a noſtra majeſtate indultum; nullius momenti habeantur. Præcipimus, etiam imperiali ſanctione firmamus, ut nulla perſona alta vel humilis, eccleſiaſtica vel ſecularis, huic noſtræ liberæ conceſſioni aliquo modo contraire, vel eam auſu temerario præſumat infringere . . . . . attemptaverit, triginta libras auri puriſſimi componat, medietatem cameræ noſtræ, reliquam partem injuriam paſſis. Otto Friſingenſis epiſcopus. Henricus Volmacienſis epiſcopus. Valterius Trojanus epiſcopus. Gaydinus Hipponenſis epiſcopus. P. decanus Treverenſis. Emero comes Delungenſis. Fredericus Burgivus de Nurembert. Voolle de Berge. Cunno junior de Menſenber. Marquardus dapifer de Annevire. Truſardus de Lueſtenebeirck. Henricus Maſcalcus de Lualendini. Joannes de Dutra. Arnoldus de Orembres. Rudolphus de Bayſſchione; & alii quamplures; & ſigillum domni Henrici ſexti Romanorum imperatoris invictiſſimi. Acta ſunt hæc regnante domno Henrico ſexto Romanorum imperatore glorioſiſſimo, anno regni ejus XXIV. anno Dominicæ incarnationis MCXCIII. indictione XI. Datum apud Luceriam ſexto nonas Julii, imperii vero tertio.

Appenſa fuit præſenti privilegio bulla aurea.

XVIII.

Charta Guillelmi Dalmatii Aptenſis epiſcopi, pro reconciliando eccleſiæ Bertrando Raybaudo de Simiana.

1147. Ex chartis Penitentiar.

Anno Domini MCCXLVII. IX. cal. April. omnipotentis nomine invocato Patris, Filii & Spiritus ſancti. Amen. Pateat cunctis præſentibus & futuris, quod nos G. Dei gratia ſanctæ Aptenſis matris eccleſiæ dictus epiſcopus, gaudens, & animo lætanti aperimus gremium ſanctæ prædictæ matris eccleſiæ nobili viro Bertrando Raybaudo deviato, ad ipſum gremium redire cupienti: & quia de iis in quibus commiſit contra ſupradictam ſanctam matrem eccleſiam, nobis idoneas præſtitit cautiones, & eſt etiam alias præſtiturus. Ideireo coram vobis omnibus ei volumus beneficium abſolutionis indulgere, ſecundum formam & mandatum ſanctæ matris eccleſiæ, & noſtrum, quo facto ad noſtra proferenda mandamenta procedimus in hunc modum. Primum mandamentum proferimus, ut pro complendis & attendendis ſanctæ matris eccleſiæ & noſtris mandamentis, det nobis in fidejuſſorem & principalem, & totam ſuam terram obligantem ſupradictæ eccleſiæ & nobis, dominum Rainonem; & quod nos, ſi contingeret, quod abſit, quod dictus nobilis Bertrandus Raybaudi aliquo tempore contra noſtra mandamenta, poſſemus excommunicare perſonam, & terram interdicere, & velut obligatam nobis nomine ſupradictæ eccleſiæ auctoritate propria capere, ſeu occupare, & de rebus ſe ſe innoventibus ipſum & modo ſupradicto pignorare. Ad quod idem faciendum mandamus nomine quo ſupra, ut ſub eadem forma detur nobis dominus Villelmus de Malotortello. Ad hæc omnia D. Rainonus & D. Villelmus de Malotortello fidejuſſores nobis exiterunt ſub ea forma ſub qua ſupra a nobis fuerant poſtulati. Præcipientes eidem Bertrando Raybaudo, ſub virtute præſtiti juramenti, quod nullo tempore ſimilia attentet, neque in eccleſiis, neque in perſonis eccleſiaſticis, neque in aliis perſonis religioſis & eorum domibus, atque rebus acquiſitis & acquirendis, ſed eos debere ſervare, & cuſtodire pro poſſe ſuo, in rebus & perſonis, & privilegia dictæ Aptenſis eccleſiæ in omnibus obſervare, quæ omnia ſupradicta approbavit expreſſe dictus dominus Raybaudus. Secundum mandamentum tale facimus nomine ſupradictæ matris eccleſiæ & noſtro; breve epiſcopale de bocaria civitatis Aptenſis, & breve quod quondam fuit dominorum de Viens, ſecundum quòd in privilegiis imperatorum conceſſis ſupradictæ eccleſiæ continentur; & ſecundum E quod illa duo petita fuerunt coram venerabili bonæ memoriæ quondam Guidone de Solerris præpoſito Barjolenſi judice delegato a domino Zoen Dei gratia Avenionenſi epiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato, tunc temporis officio legationis fungente in Provincia, & domino Raymundo Berengario Dei gratia illuſtriſſimo comite Provinciæ & marchione, & comite Forcalqueriі, & adjudicata nobis nomine dictæ eccleſiæ damus pertinentia ad nos, & ad ſupradictam matrem Aptenſem eccleſiam, ipſi nobili Bertrando Raybaudo in feudum. Ita tamen ut ipſe inde teneatur nobis nomine ſupradictæ eccleſiæ homagium facere & fidelitatem, & quod teneatur recognoſcere ipſe & ſucceſſores ſui, & homagium facere nomine dictæ eccleſiæ ipſi epiſcopo, qui erit pro tempore quandocumque requiratur. Et ſpecialiter cum contigerit in Aptenſi eccleſia epiſcopum

eligi, ſive de novo creari, vel aſſumi. Jurantes nomine ſupradictæ conceſſionis, nobis nomine noſtro & epiſcopatus, & eccleſiæ, ſervare eccleſiam cum ſuis ſervitoribus ſecundum fidelitatis formam, quæ continet tutum, incolume, honeſtum, utile, facile, poſſibile; adjicientes quod in recognitionem dominii dictorum brevium, ſerviat annuatim in feſto beatiſſimi Auſpicii martyris & Aptenſis quondam epiſcopi, unum caſbovis *, ſcilicet quatuor carteria valentia 50. ſolidos Villelmenſes. Item quod quandocunque aliquid per præconem ipſorum dominorum præconiſabitur, er dicta brevia, ſemper & perpetuo preponatur nomen Domini epiſcopi qui erit pro tempore, & poſtea dominorum. Item quod quandocunque contigerit quod homines dictorum brevium litigaverint ſub examine judicis & bajuli ipſorum dominorum, ſentientes ſe gravari ante ſententiam, vel poſt, vel qualitercumque appellaverint, appellare valeant ad dominum epiſcopum, tanquam ad majorem, & ſub examine dictæ eccleſiæ ventilari, appellare dico indiſtincte. Tertium mandamentum eſt de caſtro ſancti Martini, quod fuit & eſt adjudicatum ſupradictæ ſanctæ Aptenſi eccleſiæ, ut commiſſum & adjudicatum per ſupradictum judicem. De quo caſtro ſic ordinamus & facimus. De novo concedimus & donamus ipſi nobili Bertrando Raybaudo dictum caſtrum in feudum, & inveſtituram ſub eadem forma qua dictum eſt ſupra, de brevibus civitatis Aptenſis, excepto quod cenſum de dicto caſtro, ſive canonem qui erat unius ſterlingi, permutamus in unum multonem vivum, qui valeat octo ſolidos Villelmenſes, quem ſerviat dictus nobilis vir B. Raybaudi annuatim in vigilia B. Martini. Quartum mandamentum ſic facimus & ordinamus ſuper facto Caſtellionis, quia in cauſa quæ ventilata fuit coram ſupradicto judice delegata petitum fuit, & relictum a Raybaudo Guirano quondam, ita remaneant eccleſiæ ſancti Petri de Caſtilione, & eccleſiæ Aptenſi, & Ferrago, quam dominus Ripertus Aptenſis quondam præpoſitus eccleſiæ reliquit ad ejus anniverſarium, cum Bezennariis reſtituat ſanctæ Aptenſi eccleſiæ, & eorum caſamenta, & quod in eis de cetero nullam exactionem faciat. Quintum mandamentum ſuper facto Sanionis, & ſuper deſtructione caſtri Mediani. Primo ſic dicimus & mandamus, quod nobilis vir B. Raybaudus reficiat, ſive refici faciat dictum caſtrum, cum domibus circumpoſitis, quæ domus erant Aycardi de Sagnione, & reficiatur ſive refici faciat dictum caſtrum & dictas domos, ſecundum quod erat vetus forma, ſecundum latitudinem, profunditatem, longitudinem & altitudinem. Et hæc facta ſint uſque ad tres annos; ita videlicet quod infra primum annum reædificatæ ſint omnes ſupradictæ domus, turris vero infra duos annos ſequentes: & hæc omnia reædificentur ad arbitrium trium vel quatuor probatorum virorum a nobis electorum, reſtituendis loricis, baliſtis, & cayrellis, & ſcopiris, & poſſeſſionibus, & munimentis aliis quæ de dicto caſtro tempore captionis fuerunt abſtracta, ſi quæ de prædictis coram nobis probata extiterint; pannis inſuper & veſtimentis, ſi qui, vel ſi qua coram nobis probabuntur eſſe abſtracta tempore ſupradicto; caſſantes omnes venditiones, ſive alias alienationes quæ factæ ſunt de dicto caſtro nobis irrequiſitis. Item præcipimus & mandamus, quod nobilis vir B. Raybaudus abſolvat omnes illos a quibus recepit fidelitatis ſacramentum, & coëgit præſtare. Item quod renunciet donationi quartæ partis conſulatus ipſius caſtri, quia per eam infringitur libertas dicti caſtri, & dominium Aptenſis epiſcopi; & quod conſulatus ſe habeat ſecundum veterem formam & antiquam in qua ſe habebat antequam Dom. B. Raybaudus haberet rupem dicti caſtri: caſſantes & annullantes omnes alienationes, venditiones & emptiones, permutationes, & alios actus per quos transfertur dominium, factas nobis irrequiſitis a dicto Bertrando Raybaudo, & omnes invaſiones, licet per eas non transferatur dominium in caſtro ſupradicto, & ejus territorio præterquam de Rupe: præcipientes eidem ut eis omnibus ſi quæ ſunt, renunciet. Sextum mandamentum tale facimus, quia in proſecutione dictarum cauſarum motarum contra dictum D. Raybaudum, & ventilatarum coram prædicto judice delegato ſcilicet domino præpoſito Bariolenſi, & in curia Romana multas fecimus expenſas, & dictus B. Raybaudus in XX. & unum millibus & quingentos ultra ſolidos condemnatus extitit, quæ ſumma fere aſcendit uſque ad 30. millia ſolidorum, omnem illam ſummam ei ex parte Omnipotentis & noſtræ ſanctæ matris Aptenſis eccleſiæ, & per conſenſum capituli remittimus, quantum ad intereſſe noſtrum & donamus, & animam ejus ex damnis & injuriis illatis eccleſiis noſtris, epiſcopatus, & nomine quorum actum fuit cum dicto Bertrando liberamus, quantum ad intereſſe noſtrum, exceptis centum lib. Villelmenſibus, quas præcipimus, & mandamus ut eas nobis det & ſolvat infra quatuor annos quolibet anno XXVI. lib. dictæ monetæ, & ita ſit pax & finis inter ipſum & nos, & noſtram ſanctam matrem Aptenſem eccleſiam, & omnes canonicos & clericos dictæ eccleſiæ. Et hæc omnia ſupradicta mandata volumus & mandamus ſingula & univerſa, quod ipſe nobilis vir B. Raybaudus ſive ſint in faciendo, ſive in remittendo, ſive omittendo, ſive quolibet alio modo, approbet, acceptet, & firma & rata habeat in futurum per ſe, & per ſuos omni tempore vitæ ſuæ, & quod præſens charta dividatur per alphabetum, factis duabus chartis ſigillatis cum ſuo ſigillo, & cum noſtro. Lata ſunt hæc mandamenta anno & die quo ſupra præſente toto populo, vel majori parte civitatis Aptenſis, vocato ad benedictionem ramis palmarum. Anno Domini MCCXLVII. VIII. kal. Aprilis, ſcilicet ſecunda die proxime ſequenti a ramis palmarum. Nos G. Aptenſis epiſcopus ad preces & inſtantiam nobilium virorum domini Villelmi de Malotorrello & domini Haine, necnon & militum, & multorum procerum, temperavimus canonem ante ſtatutum in dictis brevibus civitatis Aptenſis, & in caſtro ſancti Martini, reducente in quartam partem unius caſbovis valentem XII. ſolidos Villelmenſes, pro brevibus ante dictis faciendam in feſto B. Auſpicii, & inſuper remittentes præconiſationem & appellationem prout in præcedenti die datum fuerat in mandatis, & 2. juratores, & cenſum ſive canonem caſtri ſancti Martini reducimus in agnum unum, & valentem tres ſolidos Villelmenſes, eſſe dandum in feſto ſancti Martini. Omnibus aliis mandamentis, ſive pro dictis vel de dictis brevibus, ſive pro caſtris Sagnionis, vel ejuſdem tenemento, ſive de dicto caſtro Sagnionis vel ejus tenemento, vel de caſtro Caſtillionis & ejus territorio, data fuiſſent mandamenta remanentibus in ſuo robore & firmitate. Et iis peractis B. Raybaudi nobilis vir de Simiana gratus & hilaris, a nobis ſuſcepit in feudum dicta brevia civitatis Aptenſis & caſtrum ſancti Martini. Et corporale nobis fecit homagium, ſuſcipientibus per nos & ſucceſſores noſtros, ponendo manus proprias infra noſtras, & promittens jurejurando ſupra ſancta Dei evangelia fidelitatem nobis ſervare, prout in forma fidelitatis exprimitur, videlicet incolume, tutum, utile, honeſtum, facile, poſſibile. Preterire tamen nolumus quod per nos & ſucceſſores noſtros promittimus nobili viro B. Raybaudo dicta brevia ſalvare, & deffendere ab omni inquietante, vel controverſias movente in jure, & ſecundum jus cum noſtris ſumptibus & expenſis. Poſt hæc omnia mandamenta dicta ſuperius nobilis B. acceptavit, & mandavit ut inde fierent duæ chartæ ſui ſigilli & noſtri munimine roboratæ. Acta fuerunt hæc in ſala G. Aptenſis epiſcopi, præſentibus P. Aptenſi præpoſito, Riperto archidiacono, Iſnardo ſacriſta, S. præcentore, R. Artaudo operario, R. de Relania, Audeberto & Gauterio canonicis Aptenſibus, Guillelmo priore ſancti Saturnini.

* Vide infra ſub finem chartæ: *quartam partem unius caſbovis, valentem* XII *ſolidos*. De hac voce nihil aliud obſervatur in Gloſſario Cangii.

XIX.

XIX.

Creatio conſulum Aptenſis civitatis pertinet ad epiſcopum ſub Petro epiſcopo.

1157. Ex ſchedis D. de Gaignieres.

NE lapſu temporis revocetur in dubium, quod fit auctoritate multorum teſtium, hac præſenti pagina innoteſcat tam præſentibus quam futuris, quod cum Raymundus Artaudi, Raymundus de Apta, Berengarius de Lerida milites, Tibaudus Berengarius, Guillelmus de Lerida juriſperiti, Gauterius Loarencii burgenſis eſſent procuratores conſtituti, ſyndici vel actores per G. Got, Veſianum Fabri, Raymundum Julianum conſules Aptenſes, præſente conſilio & univerſitate, ſeu majori parte & ſaniori dictæ civitatis ad pertractandum ejuſdem negotia, cum domno Carolo Dei gratia comite Andegavenſi & Forcalquerii, domino Maſſiliæ, & marchione Provinciæ, ſeu cum domno Petro Dei gratia epiſcopo Aptenſi, prout eiſdem procuratoribus videbitur melius expedire, ſecundum quod in inſtrumento procuratorio plenius continetur; & quidam ipſorum certi eſſent, ut affirmabant præſtito juramento, tam per ſe quam per alios fide dignos, quod conſulatus ejuſdem civitatis ſub dominio Aptenſis epiſcopi & eccleſiæ tenebatur; & ea videlicet ratione, quia viderant pluries, quod quando de novo creabantur conſules, alii qui eos creaverant, ipſos eidem D. Aptenſi epiſcopo præſentabant, tanquam majori domino conſulatus, ipſe domnus epiſcopus eos confirmaret, & quandoque infirmaret; ipſi procuratores revocantes ad ſuum animum quod æquum fuerat atque juſtum, omnes unanimiter concordantes recognoverunt tam nomine procuratorio, quam nomine dictorum conſulum & univerſitatis dictæ civitatis, ſe habere & tenere ſub dominio & ſenhoria domni Petri Dei gratia Aptenſis epiſcopi, & eccleſiæ, dictum conſulatum, & de eodem ipſi domno epiſcopo & eccleſiæ eſſe fideles perpetuo promiſerunt. Actum fuit hoc apud Maſſiliam infra eccleſiam ſanctæ Trinitatis, anno Domini MCCLVII. ſcilicet IV. idus Aug. in præſentia & teſtimonio Riperti de Viens Aptenſis præpoſiti *a*, R. Sentulii ejuſdem eccleſiæ canonici, Bertrandi Bueymundi & mei Raymundi de Venaſca publici notarii ejuſdem domni epiſcopi, qui mandato prædictorum Ar. ſindicorum ſeu actorum, hanc chartam ſcripſi.

a Hic præpoſitus fuit conſanguineus domni Guirranni epiſcopi uti ex charta XVII. conſtat.

XX.

Johannis epiſcopi Aptenſis litteræ, quibus eleemoſynas largientibus 40. dierum indulgentias concedit.

JOHANNES miſeratione divina Aptenſis epiſcopus; univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, præpoſitis, prioribus, vicariis, ceteriſque eccleſiarum rectoribus, ac capellanis, curatis & non curatis, per civitatem Aptenſem, & ejus dioceſim conſtitutis, ad quos præſentes litteræ pervenerint; eorumque cuilibet vel loca tenentibus eorumdem ſalutem & ſinceram in domino caritatem. Quia juxta verbum apoſtoli, *omnes ſtabimus in divino judicio ante tribunal Chriſti recepturi prout in corpore geſſimus, ſive bonum fuerit ſive malum*; & propterea nos oporteat diem meſſis extremæ præmeditari, operibus miſericorditer prævenire, & in terris intuitu æternorum ſeminare, quæ reddente Domino firma ſpe bonis multiplicatis recolligere valeamus in celis. Sane cum ad honorem omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ac B. Annæ matris glorioſæ virginis Mariæ, cujus quidem B. Annæ corpus in noſtra Aptenſi eccleſia requieſcit, intendamus breviter, Deo dante, cum noſtri cleri & aliorum fidelium adjutorio, ipſius beatæ Annæ capitis repoſitorium facere honorifice ædificari & conſtrui, ad quod anhelamus & intendimus toto poſſe, ut debemus. Volumus igitur, ut vobis & veſtrum cuilibet harum ſerie præcipiendo mandamus, quatenus dum latores præſentium quibus commiſimus & committimus per tenorem præſentium perquirere elemoſinas fidelium, nobis multum ad conſtructionem hujus operis neceſſarias, ipſos benigne recipiatis & tractetis, populumque vobis commiſſum diligenter, gratioſe & fideliter in eccleſia publice dum populus ibidem convenit ad divina, & alias ubi magis vobis videbitur expediens, ſollicite ac precibus ex noſtri parte inducatis, taliter quod per hæc & alia bona quæ vos & ipſi inſpirante Domino feceritis, ad æternæ felicitatis gaudium mereamur pervenire. Nos vero de omnipotentis Dei miſericordia, & glorioſiſſimæ virginis Mariæ ejus matris, ac beatæ Annæ, & beatorum Auſpicii & Caſtoris patronorum noſtrorum meritis & precibus confidentes, omnibus illis tam maribus quam feminis, qui ad conſtructionem dicti operis ſuam manum porrexerint adjutricem, totiens quotiens hæc fecerint, vere tamen pœnitentibus & confeſſis, XL. dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. In quorum teſtimonium præſentes litteras per Colinum Briſſoni noſtræ curiæ notarium, fecimus ſcribi, & ſigillo dictæ curiæ in defectu noſtri pontificalis ſigilli ſigillari. Datum Aptæ die IV. Novembris, anno Domini MCCCCVII.

1407. Ex ſchedis D. de Gaignieres.

1. Cor. 5. 10.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM REIENSEM SPECTANTIA.

I.

Almeradi epiſcopi Reienſis de conſtructione monaſterii Valentiolæ.

Ex chartario Cluniac.

QUæcunque ſtatu proclivi temporis firma debent perſiſtere, neceſſe eſt ea litterarum caracteribus ſolidare. Quapropter notum ſit omnibus Chriſtianis fidelibus, & præcipue ſanctæ Dei Cluniacenſis eccleſiæ filiis, quia dum reſideret domnus Almeradus Regenſis epiſcopus Grandini, una cum ſuis clericis, apud eandem urbem adierunt quidam fratrum noſtrorum ejus magnificentiam juſſi * domni Odilonis abbatis, humiliter ejus intimantes celſitudini, in confinio ſui epiſcopatus quoddam ſe conſtruere monaſterium velle, in loco qui Valentiola nuncupatur, prope eccleſiam quæ in honore almi Chriſti confeſſoris Maximi in eadem villa antiquitus eſt conſecrata, cujus etiam ſerenitati id ſuggerere, hocque omnimodis ipſi fratres expoſcere maluerunt, quo, ſi quid poſt ipſius monaſterii conſtructionem a fidelibus populis in eodem monaſterio deinceps oblatum fuiſſet, hoc ipſius loci rectoribus perpetualiter poſſidere liceret, abſque ullius calumpnia vel contradictione: quorum jam dictus pontifex juſtam petitionem libenter annuens, pro redemptione animæ ſuæ omniumque remiſſione peccatorum, ac deinde ipſum locum recenter conſtructum ita ingenuum ac liberum epiſcopali auctoritate fore decrevit, ut nec ipſe neque aliquis ex ſucceſſoribus ejus, vel aliqua ſubintroducta perſona, nullam dominationem habeant, aut aliquam conſuetudinem requirant in cunctis, quæ ad eumdem locum devenerunt, tam in oblationibus quam in ſepulturis; ſed ſub

V. infra.

jure & dominatione Cluniacenſium fratrum hæ eædem A res perpetualiter maneant ; unde ut hanc auctoritatem rectam facere *manuque propria corroborare*, accepi ab eis pretium libras IV. denariorum novemque modios frumenti, ac vini mappulam valde bonam, ac ſcyphos ad aquam in manibus fundendam adeo optimos. Teſtes Almeradus epiſcopus, Humbertus, Petrus, Nectardus, Iſnardus canonici, Ermengardus preſbiter, Albinus, Raimoaldus, Pontius, Gentio, Acardus. Robertus monachus ſcripſit.

*f. ratam facerem.
*f. corroborarem.

II.

Donum Bertranni Reienſis epiſcopi pro canonicis regularem vitam ſervantibus.

Ex tabul. D. Joſephi Antelmi.

INſtitutionum legalium documenta ſuis aſſertionibus B ſanxerunt, & canones eccleſiaſticorum dogmatum confirmaverunt, ut cujuſcunque rei donatio litterali pertitulatione inſigniretur, & teſtium munitione firmaretur quatenus * obloquentium verboſitates perpetuam obtinere firmitatem, & per ſuccedentia curricula temporum inviolabile poſſit admittere ſupplementum. Quocirca juſſionibus antiquis obedientes, & preceptis legalibus parere cupientes, ego diſpoſitione Dei Bertrannus Reienſis epiſcopus, & Riculfus preſbiter, cum conſilio canonicorum ſanctæ Mariæ & ſancti Maximi, una pro Dei timore & liberatione animarum noſtrarum, ut nobis pius dominus venium peccaminum largiri dignetur, concedimus clericis Deo ſervire volentibus, & canonicali regulæ colla ſubmittere cupientibus, aliquid de rebus nobis commiſſæ eccleſiæ; videlicet eccleſiam ſanctæ C Mariæ, quæ videtur eſſe fundatam in caſtro quod Monaſterium dicitur, cum omnibus quæ Riculfus preſbyter tenere videtur in decimis & primitiis, & cimiteriis, & oblationibus, ut clerici, qui in ipſa eccleſia regulariter vivere decreverunt, abſque inquietudine teneant & poſſideant, & ſucceſſores illorum in perpetuum noſtra auctoritate muniti. Eccleſiam quoque ſanctæ Crucis cum medietate oblationum, & medietate cimiteriorum, & ex parte decimarum, quæ Riculfo preſbytero attinere videtur, ſupra taxatis canonicis eadem ratione concedimus. Riculfus vero preſbyter pro amore Dei & timore futuri examinis, & liberatione animarum patris & matris, ſeu propinquorum parentum, ſeipſum in conſortio prælibatorum conferens, atque cum eis unanimiter vivere cupiens, quidquid ſibi in patrimonio ſucceſſionis ineſſe videtur, ſuam fraternam hereditatem in commune eccleſiæ & clericis condonavit, in terris cultis & incultis, vineis, arboribus, hortis, pratis, molindinis. Videtur autem eſſe ipſa hereditas in termino caſtri Monaſterii, in comitatu Regienſi, & quidquid per diverſa loca attinere ſeu pertinere videtur ipſi Riculfo, totum ab integro ſupra taxatæ eccleſiæ, & fratribus tradidit. Rogo ſanctiſſimos ſucceſſores noſtros, ut hanc communem vitam, quam Dominus cordibus clericorum infundere dignatus eſt, ſeu ſuccedentibus per gratiam ſui ſpiritus immiſſurus eſt, nullo modo perturbari ſinant, neque patiantur ab aliquo moleſtari. Hanc vero donationem ſupradictæ ſanctæ Mariæ collatam, nullus hominum tollere ſeu alienare præſumat. Quod ſi præſumpſerit, iram & maledictionem Dei omnipotentis incurrat, anatematiſetur a beata Maria, & a ſanctis apoſtolis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus ſanctis, cum Juda traditore damnetur in infernum; a noſtra quoque parte ſciat ſe excommunicatum & maledictum, niſi ad emendationem venerit: in vinculo vero auri optimi libras quinque componat, & deinceps hæc donatio, &c. Facta carta iſta in caſtro quod dicitur Monaſterium, anno ab incarnat. Domini noſtri Jeſu Chriſti MLII. indictione tertia*. Signum domni * v. Bertranni epiſcopi, qui faciens hoc donum teſtibus inſigniri juſſit firmum ſua manu. Signum domni Riculfi preſbiteri, qui firmans hanc donationis cartam teſtes adeſſe rogavit. Pontius preſbiter ſcripſit.

* f. deſit contra.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM FOROJULIENSEM SPECTANTIA.

I.

Willelmus Provinciæ comes & Adalais ejus conjux, eccleſiæ ſanctæ Mariæ & ſancti Leontii, medietatem urbis & omnium quæ in circuitu ejus ſunt, &c. donant ad preces Riculfi epiſcopi.

Ex tabul. epiſc.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Riculfus Forojulienſis epiſcopus, in villa Manoaſca ante præſentiam domni Willelmi Provinciæ comitis, & genibus ejus provolutus, rogavit eum ut eccleſiam ſanctæ Mariæ, ſanctique Leontii honore dicatam, non pateretur eſſe inhonoratam. Namque civitas Forojulienſis in qua ipſa eccleſia conſtructa eſt, acerbitate Saracenorum deſtructa atque in ſolitudinem redacta, habitatores quoque ejus E interfecti, ſeu timore longius fuerunt effugari, non ſupereſt aliquis qui ſciat, vel prædia, vel poſſeſſiones quæ præfatæ eccleſiæ ſuccedere debeant, non ſunt cartarum paginæ, deſunt regalia præcepta. Privilegia quoque ſeu alia teſtimonia, aut vetuſtate conſumpta, aut igne perierunt. Nihil aliud niſi tantum ſolo epiſcopatus nomine permanente. Igitur nunc inclyte comes, tibi eſt a Domino facultas conceſſa, ut expelleres Agarenos a priſtinis finibus; exhibe ei munus acceptum, in reddendo ſanctæ Mariæ, ſanctoque Leontio prædia ſua juſte, quæ perdidit injuſte. Dignum namque eſt, ut ipſum in eccleſia ſuæ matris nomine dedicata honores a quo accepiſti, ut ceteros qui ante te fuerant, in expulſione paganorum præcelleres. Commotus namque his & multis aliis precibus præfatus princeps, reſpectum epiſcopo dedit, quouſque cum uxore & judicibus, cæteriſD que fidelibus ſuis inveniret quid de hac re facere debuiſſet. Expleto autem reſpectu, venit in Arelate civitate prædictus epiſcopus ante præſentiam ejus, & requiſivit ipſius voluntatem. Ipſe vero princeps conſilium ad ſuam conjugem, vel ad judices ſuos Aldebertum, atque ad Adelelmium, necnon & ad ceteros fideles ſuos qui ibi aderant, quæſivit quid de hac cauſa agi oporteret. Illi vero timorem Domini præ oculis habentes, tale ei conſilium dederunt, ut præter hereditatem quam eccleſia prædicta ibidem antiquitus habuit, ſeu propter hoc quod ipſe epiſcopus poſt expulſionem paganorum primus veſtire cepit ipſam civitatem; unam medietatem de omnibus quæ in circuitu ejuſdem civitatis adjacent, redderet, vel donaret. Ego, inquit Vilelmus comes, & E uxor mea Adalais, una pro Dei amore & per remedium animarum noſtrarum, ſeu parentum noſtrorum tam vivorum quam defunctorum, reddo atque concedo unam medietatem de ipſa civitate Forojulienſi, vel de terra in circuitu ejuſdem civitatis adjacente, culta vel inculta, & de portu, vel ſeu de omnibus cenſuris quæ ex ipſo exeunt, vel exire debent, & de piſcatoriis, & de omnibus quidquid dici aut nominari poteſt, quæ ad uſus dominorum prædicti loci exeunt hodie, vel in antea exire debent, ſive de villa Pogito, ſanctæ Mariæ, ſanctoque Leontio, necnon & epiſcopo Riculfo, ſucceſſoribuſque ejus in perpetuum, ut teneant & poſſideant abſque ullius contrarietate perſonæ, confortes de uno latere mare magnum, de altero latere caſtrum Gorgia, montem Mercori; de uno fronte flumen Cyagna, de alio vero fronte rivum Blaveto, & flumen Ar-

gencium uſque in jam dicto mare, ac ſi qui alii ſunt A conſortes; quicquid infra his terminationibus continetur, tam inquiſita, quam inquirenda, tam ruſtica, quam & urbana, id eſt in pratis, in paſcuis, in ſilvis, in garricis, in arboribus pomiferis, vel impomiferis, in molinis, ſeu in molinariis, in aquis, aquarumve deductibus, earum in omnibus reddo & concedo prædictæ eccleſiæ unam medietatem jure perpetuo; decimum quoque ab integro. Sane ſi quis, nos, aut hæredes noſtri, vel ulla oppoſita perſona quæ contra hanc guirpicionem ire voluerit, non valeat vindicare quod repetit; & componat illi cui litem intulerit, auri optimi libras x. Et in antea poſſeſſio, guirpicio, vel redditio, atque ceſſio iſta in Arelate civitate publice pridie Nonas Marcii anno L.... Mo.. regnante Conrado rege, indictione III[a]. Signum Wilelmi comitis, & B uxoris ſuæ Adalais, qui hanc notitiam ſcribere, & teſtes ſubterfirmare preceperunt, manu illa firma. Robaldus comes conceſſit, & manu firmavit. S. Aicardus. S. Wilelmus vicecomes. S. Poncius Major. S. Leidratus. S. Canalerius. S. Richelius. S. Aicardus. S. Waldus. S. Inguiltanus. S. Ugo.

II.

Gancelmus epiſcopus Forojulienſis quinque eccleſias Lerino concedit.

1038. Ex libello D. Anselmi.

UTrarumque legum auctoritas, qualiter unicuique præcipit, ſatis notum eſt omnibus pleniſſime jura ſcientibus, ut vel unius cujuſque qui voluerit de rebus ſuis aliquid dare Deo, ſanctiſque ejus, C quomodo ſecundum auctoritatem ſupradictarum legum, ſcilicet humanæ & divinæ, dare debet, quemadmodum ego Gancelmus Forojulienſis epiſcopus volo, ſicuti placet animo meo, concedere Deo una cum conſilio & conſenſu de omnibus canonicis meis, & aliquantis caballariis meis, videlicet Tendiberto canonico & altero Tendiberto, Petro, Odone caſtellano, & ceteris quampluribus, & caballario meo Hugone cum ſua uxore, & Iſnardo filio Landrici, & Iſnardo preſbitero filio Dominici preſbiteri, & Juguberto filio ejus, atque Cotarone & Iſnardo, & Alberto, & Guillelmo fratribus. Omnes iſti communi voluntate me deprecantes & firmiter me rogantes, ut aliquid de epiſcopatu meo darem Domino Deo; quorum deprecationibus & vo- D luntatibus ego obediens, do monaſterio Lerinenſi & domino abbati Amalrico, & monachis tam præſentibus quam futuris in ipſo monaſterio Deo militantibus, quinque eccleſias cum omnibus altariis ſuis, & omnibus quæ ad ipſa pertinent altaria. Quæ igitur ſupradictæ eccleſiæ ſunt fundatæ in comitatu Forojulienſi, & in loco qui dicitur Caſtanus, quarum eccleſiarum prima ædificata eſt in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſecunda in honorem beati Petri principis apoſtolorum, tertia in honorem beati Johannis Baptiſtæ, quarta in honorem S. Stephani protomartyris, quinta in honorem ſancti Martini epiſcopi & confeſſoris; has omnes eccleſias concedo proprietario jure cum omnibus quæ ad ipſas modo pertinent eccleſias, vel in futuro eis acciderint, & quæ Dominus per bonos homines eis per E omnia tempora dedit ſupradicto monaſterio, quod fundatum eſt in honorem S. Mariæ, & S. Capraſii atque S. Honorati ſive omnium ſanctorum. Et dono prædicto abbati, & omnibus monachis ſive congregationi ibidem Deo ſervientibus, ut deinceps prædictus abbas, ſive monachi propriam in perpetuo habeant poteſtatem tenendi, poſſidendi, fruendi, &, ſi neceſſe fuerit, commutandi. Sane ſi ego aut quilpiam de ſupradictis perſonis vel ſucceſſoribus noſtris, qui contra hujus donationis cartulam aliqua fraude tentaverit, aut eam irrumpere voluerit, pro ſola tentatione incurrat in Dei maledictionem, & particeps ſit cum Datam & Abiron, uſque dum venerit ad congruam emendationem & ſupradicto monaſterio componat in vinculo C. libras auri & mille argenti; & inſuper ſupradicta hujus chartæ donatio firma & ſtabilis permaneat, atque quieta omni tempore. Facta igitur donationis cartula in comitatu Forojulieſi XI. cal. Aug. indict. VII. anno Dominicæ incarnationis MXXXVIII. regnante domino Conone[a] imperatore, XII. anno regni ejus. S. Gancelmi domini epiſcopi, qui hanc donationis cartulam ſcribere rogavit, manu ſua firmavit & hos teſtes firmare rogavit. Hugo firmavit. Ermingarda uxor ejus firmavit. Iſnardus filius Landriæ & fratres ejus firmaverunt. Tendibertus canonicus & alius Tendibertus firmaverunt. Petrus firmavit. Odo firmavit. Capellanus firmavit. Inguibertus & filii ſui firmaverunt. Iſnardus preſbyter & filii ejus firmaverunt. Cotaronus & fratres ejus firmaverunt.

[a] Indictio terna quater recurrit tempore quo regnavit Conradus ſcilicet annis 945. 60. 75. & 90. Wilelmus comes in hac charta deſcriptus cum Adelaide uxore, cepit principatum an. 968. quem tenuit uſque ad an. 993. proindeque charta hæc data eſt anno 975. aut 990. Vide tabulam genealogicam comitum Provinciæ præmiſſa in diſſertatione nuperrima V. C. Antonii de Ruffi de origine comitum Provinciæ.

III.

Bertranni Forojulienſis epiſcopi donatio facta S. Victori Maſſilienſi, ex qua nonnulli ejuſdem parentes innoteſcunt.

Ex libello D. Anſelmi.

EGo Bertrannus Forojulienſis epiſcopus cum matre mea Aclia & fratre meo Aldeberto, & uxore ejus, & nepotibus meis, dedimus Domino Deo & monaſterio S. Victoris Maſſilienſis obedientiam quandam quæ in honore S. Caſſiani ædificata eſt cum terris & appenditiis ipſius eccleſiæ, pro remedio peccatorum patris noſtri qui ibi ſepultus eſt, & pro redemptione animarum noſtrarum. Et ego Aldebertus, & uxor mea Ermengarda, & filii mei, donamus Domino & ſanctæ Mariæ, & S. Victori manſum de Inguiltrano ab integro.

Iſta charta abſque ulla temporis nota legitur in magno chartulario ſancti Victoris.

IV.

Ejuſdem fere argumenti.

1038. Ex magno chartulario S. Victoris Maſſil.

EGo Aldebertus & frater meus Bertrannus epiſcopus, & mater noſtra Ayclias, & uxor mea Ermengarda & filii mei Petrus, Hugo, & Guillelmus, filiique mei omnes ac filiæ, donamus aliquid de hereditate noſtra in comitatu Forojulienſe, in territorio Marſendis: videlicet ſuper fluvium aquæ Indole, localem aptum ad faciendum molindinum cum omni ripa, & cum aqua, Domino Deo omnipotenti, ſanctoque Victori glorioſiſſimo martyri ejuſque monaſterio. Facta donatio hæc anno incarnationis Dominicæ MLVIII. indict. XI. epacta XXIII. regnante Domino Jeſu Chriſto. Bertrannus epiſcopus firmavit.

V.

Roſtagnus Berengarii & Hermenſendis parentes Berengarii epiſcopi Forojulienſis, ipſeque Berengarius quædam donant Avenionenſi eccleſiæ.

1101. Ex chartario eccleſ. Avenionenſis.

ROmanæ legis auctoritate cautum habetur, ut cum aliquis donationem facit, in inſtrumento ea conſcribatur, ipſumque inſtrumentum eorum, qui donationem fieri vident, teſtimonio confirmetur: cujus inſtrumenti vigorem & auctoritatem, cum cetera valeat infirmare, auget potius & confirmat vetuſtas. Quod cum ita ſit, ego Roſtagnus Berengarii, & uxor mea nomine Hermenſendis, & filii mei Forojulienſis epiſcopus Berengarius, & vicecomes Gaufredus, & Bertrannus & Raymundus, & Petrus Berengarii; nos omnes donamus Deo & glorioſæ ſemper virgini matri ejus & fratribus canonicis in majori eccleſia Avenicæ urbis

[a] Num Conradus imperator, qui tunc regnabat, aliquando dictus Cono?

Digitized by Google

conſtitutis & conſtituendis, illis inquam, donamus A per hanc ſcripturam donationis, jus & dominium & poteſtatem quam habemus, in omnibus molendinis quæ ſunt & quæ fient in loco, qui vulgo dicitur Molvatas; & donamus eis jus & dominium quod habemus ſuper aquam Sorgiam per eumdem locum fluentem, ut ipſi habeant dominium ejuſdem aquæ a loco qui dicitur Videna, uſque ad Rodanum, & uſque in urbem Avenicam: ut per donationem noſtram liceat eis eandem aquam ducere per terras quaſlibet, & per vias publicas, ſeu per quælibet loca, ſecundum quod eis viſum fuerit, & habeant jus de eadem aqua faciendi quicquid eis utile fuerit, infra terminationem locorum, quam modo declaramus. Hanc autem donationem noſtram ſi qua perſona rumpere vel infirmare tentaverit, nos contra illam fideles eorum adjutores erimus, eademque B perſona ſit excommunicata atque damnata, & cum Juda traditore in terris & fetidas inferni pœnas atroces locata & conculcata, ubi neque vermis moritur neque ignis extinguitur. Facta charta iſta in Avenica urbe menſe Junio anno ab incarnatione MCI., indictione IX. epacta XVIII. concurrente I. Signum Petri Guillelmi de Rocha-maura. Signum Petri Guillelmi de Mornas, Signum Guillelmi Petri Chriſtophori. Signum Raimundi Guillelmi de Cucuzone. Petrus Garcinus magiſter Avenionenſis dictavit, & ſcripſit hoc inſtrumentum Robertus.

VI.

Berengarius Forojulienſis epiſcopus dat Lirinenſibus C *eccleſiam de Rocabruna.*

1094. EGo Berengarius Forojulienſis epiſcopus, licet indignus, proſpiciens totum mundum urgeri diverſis anguſtiis & tribulationibus, & ſacerdotale regnum decidere & fere annihilari, noſtris culpis exigentibus, prout poſſe vellem eorum præſulum ſequi veſtigia qui cenobia fundaverunt, & ditarunt ſuis opibus, & maxime illa in quibus complentur ea quæ beatus præcipit Benedictus. Sed dum conſidero qualiter in melius ſit agendum, non reperio adeo in noſtra patria ſic habilem locum, cui me prærogativo amore committam, præter Lirinenſe cenobium, quod olim ſic effloruit in *ſ. haberet. omni genere virtutum, ut habitatores habet * in Dei laudem ex omni genere linguarum. Nec debeo ſeparari D a ſocietate illorum, qui ibi die noctuque in Dei famulatu perſeverant unanimes, quia S. Leontius & S. Honoratus concordes & amici fuerunt quandiu vixerunt. Quapropter ego Berengarius ſupradictus Forojulienſis epiſcopus, canonicorum meorum conſilio ductus, videlicet Amalrici præpoſiti, Petri Rifredi, Boſonis Bermundi, trado, dono, tribuo, & concedo eccleſiam parrochialem S. Mariæ de Rocabruna, cum omnibus ad ſe pertinentibus, decimis, primitiis, & oblationibus, abbati Aldeberto Lirinenſi, & omnibus ſucceſſoribus ſuis atque cunctis monachis præſentibus & futuris ibidem Deo famulantibus. Si quis vero, quod abſit, meus ſucceſſor, vel aliqua perſona clericalis hoc donum infringere voluerit, ſit anathema maranata, donec reſipiſcat, & quod injuſte fecit, ſatisfaciendo emendet. E Hujus autem donationis teſtes Fulco Dodonis, Guillelmus Aldebertus de Codignaco, Bertramus de Blancaforti, Guigo de Rocabruna, Guillelmus Hugoleni. Hæc autem charta facta eſt in feſtivitate natalis Domini in die S. Joannis Evangeliſtæ, anno ab incarnatione Do- *ſ. VI. Cal. mini MXCIV. indictione II. luna XV. calend. * Jan. regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

VII.

Berengarius epiſcopus Forojulienſis, renovat ſocietatem eccleſiæ Forojulienſis, cum Lirinenſi monaſterio, cui dat S. Raphaëlis eccleſiam.

ROmanæ legis aliarumque legum docent præcepta; 1095. hoc etiam SS. Patrum confirmant inſtituta, ut quicumque aliquid de ſuo in alterius poteſtatem transfundere voluerit, per chartam teſtamenti illud infundat. Si enim bonoris dario ſine charta teſtamenti facta fuerit, lex eam annullari jubet. Quapropter ego Berengarius Dei gratia Forojulienſis epiſcopus, de Placentino concilio ſub Urbano II. papa celebrato rediens, atque in ramis palmarum apud S. Honoratum Lerinenſis mo- B naſterii loci ſanctitati oculis, & animo .....ac reverentia inſiſtens, nec non amicitiam & familiaritatem, quæ antiquitus penes patres priores ex longinquis temporibus fuerat, videlicet inter Lerinenſe monaſterium, & Forojulienſis eccleſiæ ſedem, multum libenter reformare cupiens, Aldeberto abbati, immo ſub illo monachis ejus, eccleſiam S. Raphaëlis, & altare cum omni poſſeſſione ſua, quam anteceſſores mei gratis ſub ſcripturæ teſtimonio donaverant, a me diu etiam requirentibus, ſalva Forojulienſis eccleſiæ fidelitate, nimia loci veneratione commotus reddo. Inſuper vero ex mea parte, ut melius ibi Dei ſervitium fiat, & honeſtius ipſe Dominus recognoſcatur, tam futuris quam præſentibus dono, omni ſophiſmate ſimoniacæ hereſis excluſo, amore quoque caritatis & dilectione, propria manu firmo &c. Facta eſt hæc charta anno ab incarnatione Domini MXCV. Urbano papa II. Romanæ ſedis utente dominio, indictione IV.

VIII.

Pactio inter Berengarium Forojulienſem epiſcopum, & abbatem monachoſque Maſſilienſes.

DE longa querimonia quæ inter epiſcopum & cle- 1119. ricos Forojulienſes, & abbatem & monachos *Ex magno chart. Vallis* fuerat, hæc definitio facta eſt. Berengarius Forojulienſis epiſcopus & clerici, reddiderunt monachis Maſſilienſibus eccleſiam de Grimallo & eccleſiam de Cellans, & eccleſiam de Luco, & eccleſiam de Calars, & eccleſiam de Archs, & eccleſiam de Cabacia quas abſtulerant, tali tenore, ut omni anno prædicti monachi perſolverent prædicto epiſcopo de eccleſia Grimalli duos modios annonæ, & unum de ſigalis inter eccleſiam de Arcubus, & eccleſiam de Cabacia unum modium annonæ, & alterum ordei. De eccleſia de Luco, ſi totum potuerint monachi habere, perſolvant epiſcopo tres modios, ſi autem non poterunt habere niſi medietatem, perſolvant epiſcopo modium & dimidium annonæ, & medietatem ordei. De eccleſia de Salernis unum modium, medietatem annonæ & medietatem ordei. De parochiis autem quæ pertinent ad canonicos ſtatutum eſt, ut de decimas quas hodie habent, vel inantea quoquo modo adquirere poterunt, ſive clerici, ſive monachi, habeant monachi tres partes, & canonici quartam. Videlicet de par- E rochia de Mora & de Calars, & de Bargemone, & de Cellans. Monaſteria autem omnia ejuſdem Maſſilienſis monaſterii, quæ in epiſcopatu Forojulienſi ſunt, libera & quieta deinceps exiſtant ab omni infeſtatione Forojulienſis epiſcopi, & clericorum: ut nihil ibi requirant, neque ab eis aliquid uſualiter exigant; ſalva tamen epiſcopali reverentia. In ſupradictis autem eccleſiis pertinentibus ad epiſcopum, ſive ad clericos, quas monachis dimiſerunt, quidquid monachi deinceps adquirere poterunt, totum habeant, ſine cujuſquam contradictione, cum ſuprafcripta convenientia, nec ab aliquo epiſcopo, aut clerico cenſus augeatur, vel epiſcopatu Forojulienſi & percepris quæ perſolvantur. Facta definitio in manu Radulfi abbatis anno incarnationis MCXIX. præſentibus monachis Arberto de Ponteves, & aliis &c. Berengarius Forojulienſis epiſcopus firmat,

Mainfredus Antipolitanus epiſcopus, Amalricus præpoſitus Forojulienſis, Bertrandus archidiaconus firmar.

IX.

Privilegia eccleſiæ Forojulienſi ab Ildefonſo rege Aragonum comite, & marchione Provinciæ conceſſa.

1103. EGo ILDEFONSUS Dei gratia comes & marchio Provinciæ, dono, laudo, & concedo tibi Raimundo Dei gratia Forojulienſi epiſcopo, fideli noſtro, & omnibus ſucceſſoribus tuis in perpetuum, omnes juſtitias hominum qui ſunt vel erunt in poſterum in tenemento Forojulienſis eccleſiæ, ſive ſint in civitate Forojulii, ſive extra in caſtris, vel villis ad epiſcoparum vel præpoſituram pertinentibus, ſive ſint clerici, vel laici, vel milites, vel ruſtici, viri, vel fœminæ, ex quocumque contractu, vel ex quacumque cauſa proveniant. Firmiter inhibentes, quod nec ego, nec aliquis ſucceſſorum noſtrorum, vel bajulus noſter, vel ſucceſſorum noſtrorum, vel aliquis omnium hominum in prædicta civitate, villis vel caſtris ad eccleſiam in præſenti vel in futuro pertinentibus aliquas firmancias accipere, vel aliquas juſtitias poſſit vel debeat exigere, vel exercere. Tu vero & ſucceſſores tui, poſſitis prout vobis viſum fuerit, negotia univerſa quæ in dicta terra acciderint examinare, & juſtitias accipere, tibi & ſucceſſoribus tuis, & eccleſiæ profuturas. Quia vero reos ſanguinis miniſtris Dei non eſt honeſtum punire, ideirco eos nobis & ſucceſſoribus noſtris ſpecialiter reſervamus, quod ita intelligimus. Quod ſi forte aliquis, vel aliqua propter crimen aliquod commiſſum ſit membris truncandus, & ultimo ſupplicio afficiendus, poſtquam in auditorio tuo, vel ſucceſſorum tuorum convictus, vel confeſſus fuerit, nobis vel bajulis noſtris tradatur prout juſtum fuerit puniendus, bonis ejus tibi & eccleſiæ tuæ retentis. Nolumus enim aliqua occaſione ſumpta, nobis vel ſucceſſoribus noſtris ut in bonis damnatorum aliquid liceat ſperare. Actum anno incarnationis MCCIII. x. Decembr.

X.

Ildefonſus comes Provinciæ Bertrando epiſcopo Forojulienſi ejuſque ſucceſſoribus, dat liberam acquirendi in ſuo comitatu facultatem.

1208. EGo Ildefonſus Dei gratia comes & marchio Provinciæ, petitionibus ſingulorum maxime favorabilibus volens ſatisfacere, dono, laudo atque concedo tibi Bertrando Forojulienſi epiſcopo, & epiſcopis ejuſdem eccleſiæ pro tempore ſuccedentibus, per me & ſucceſſores meos, quatenus liceat tibi & ſucceſſoribus tuis, ſicut prædiximus, & ejusdem eccleſiæ canonicis, nomine eccleſiæ tam ex licentia noſtra, nobis irrequiſitis, vel aliis pro nobis, acquirere, recipere & habere, in toto comitatu noſtro quidquid jure emptionis, vel permutationis, vel jure donationis inter vivos, vel in ultima voluntate, ſive in caſtris, vel villis, vel poſſeſſionibus, & in omnibus obventibus, & proventibus, vel aliquibus redditibus, pignoribus vobis erit venditum, vel donatum, vel redditum, vel pignoratum, ſeu quoquomodo tranſlatum. Hanc autem donationem facio Deo & ſanctæ Mariæ Forojulienſi principaliter, pro anima mea & parentum meorum, & propterea in recompenſationem & emendationem multorum quæ contra eccleſiam Forojulienſem, & ejus membra feci multoties minus bene. Actum Draguniani menſe Novembri MCCVIII.

XI.

Diploma Caroli II. Siciliæ regis pro Jacobo epiſcopo, & eccleſiæ Forojulienſi.

1302. CAROLUS II. Dei gratia rex Jeruſalem & Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, Provinciæ, & Forcalquerii comes, univerſis &c. intuitu venerabilis patris Jacobi Forojulienſis epiſcopi, regis Siciliæ cancellarii, conſiliarii & familiaris noſtri, cujus grandia & fructuoſa ſervitia, quæ nobis exhibet, gratis affectibus recenſemus, eidem epiſcopo ac ſuis in dictis epiſcopatu & eccleſia Forojulienſi, & ſucceſſoribus canonice intrantibus, partem pertinentem olim Guilielmo de Areis militi ſeu Raimundo ejus filio quondam aliter dicto Gartaro, in caſtris de Reveſto, & Villepiſceis, ad manus curiæ noſtræ nuper juſte & rationabiliter devolutam, & quicquid juris vel actionis eadem curia noſtra habebat, vel habere poſſet in illa, cum hominibus, vaſſallis, redditibus, ſervitiis, domibus, fortalitiis, vineis, terris cultis & incultis, planis, montibus, pratis, nemoribus, paſcuis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, tenementis, territoriis, aliiſque juribus, juriſdictionibus & pertinentiis ſuis, omnibus quæ de dominio in dominium, & quæ de ſervitio in ſervitium perpetuum damus, tradimus, & ex cauſa donationis propriæ motus inſtinctu in feudum concedimus de liberalitate mera; certa noſtra ſcientia & gratia ſpeciali, renuntiato prius in manibus noſtris per eumdem epiſcopum pro ſe ac dictis ſucceſſoribus ſuis omni juri competenti ſibi in bonis ſtabilibus, aliiſque prædictis quæ fuerunt dicti Raimundi, præfati Guilielmi filii, quæ per eum a noſtra curia tenebantur. Necnon in bonis mobilibus quibuſlibet ejuſdem Raimundi ubicumque conſiſtant: ita quidem præfatus epiſcopus, dictique ſucceſſores ejus in epiſcopatu & eccleſia præſidebitis, nobis noſtriſque in dictis comitatibus hæredibus, pro jam dicta caſtrorum parte ſervire de feudali ſervitio, proque & ſub quo partem quam memoratus Guilielmus ab eadem noſtra curia tenebat, juxta conſuetudinem dictorum comitatuum teneantur. Quod ſervitium idem epiſcopus bona voluntate pro ſe & ſucceſſoribus ſuis nobis ipſiſque noſtris hæredibus facere promiſit, inveſtientes eumdem per annulum de illa re. Actum Neapoli præſentibus Bartholomeo Signulfo de Neapoli comite Caſertæ, & aliis per manum Bartholomei de Capua militis logothetæ, & protonotarii regni Siciliæ. Anno MCCCIX. x. Februarii.

Digitized by Google

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM VAPINCENSEM SPECTANTIA.

I.

Caſtus epiſcopus Wapincenſis dat de alode ſuo eccleſiæ Aptenſi.

950. *Ex chartario eccleſiæ Aptenſis communicato a domno de Beaumont canonico Gratianop.*

MAgnus eſt titulus donationis atque ceſſionis, in quem nemo poteſt irrumpere actum largitatis. Igitur ego in Deinomine Caſtus, gratia Dei Wapincenſis B epiſcopus, cogito de Dei miſericordia, & caſum humanæ mortalitatis, amore * peccaminum dono aliquid de alode meo proprio, qui mihi de genitore meo, Emone, & de genitrice mea Indulgarda mihi legibus obvenit, ad ipſam S. Mariam, vel ſancto Caſtori ad ipſum epiſcopum, & ipſis canonicis alode meo in villa quæ dicitur Domo-novo, omnia medietatem pro Dei amore, pro remedio animæ meæ, & pro remedio patris mei, vel matris meæ, ut Deus omnipotens de inferni faucibus me liberare digneris, & habeant poteſtatem ad faciendum quod voluerint *, atque pſalmiſta dicit: *Deus mens pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti &c. Erubeſcant & conturbentur in ſeculum ſeculi, confundantur & pereant.* Et componat S. Mariæ vel S. Caſtori auri libram unam, & ceſſio iſta firma & ſtabilis permaneat C omnique tempore pro omni firmitate ſubnixa. Actum in Arenſe civitate publice anno incarnationis Dominicæ, decimo tertio regnante Coronatore a rege Alamandorum indictione feliciter. Ego Caſtus humilis epiſcopus donationem fieri & firmare rogavit & ſubſcripſit. Signum Lamberto teſte. Signum Daiberto teſte. Signum Ainardo teſte. Signum Teuberto teſte. Signum Gaucelino teſte.

* aliquid deeſt. Pſalm. 82. v. 14. &c.

a

II

Iſoardus epiſcopus Vapincenſis, multas Eccleſias dat B. Mariæ Avenionenſi.

Ex chartario eccleſiæ Avenionenſi.

OBlivioni memoriæ ſemper invidæ quæ longitudine temporis inducitur obviare curantes, quæ firma D mentibus hominum manere volumus, apicibus annotamus. Cujus rei gratia his litteris ſignificatur, quod ego Iſoardus Vapincenſium præſul conſiderans non indignum eſſe prælationis eccleſiaſtica loca in quibus Deo digne & laudabiliter ſervitur, dono, auxilio ſublimari; do Deo & B. Mariæ de Avinione, & præpoſito Roſtagno, præſentique congregationi, ac futuræ, eccleſias de Celedone, & eccleſias de Caſtello-novo, & eccleſias de Popeto cum omnibus quæ ad eas pertinent, & cenſuram quam prius habebant in eccleſia de Caba-noxa, in omnibus his retenta ſynodo & parte decimarum quæ ad me pertinet. Hoc autem dono cum conſilio canonicorum meorum Pontii decani, Stephani Berengarii, Bertranni Borrelli, Ugonis de S. Erigio Petri Tardivi, Geraldi Anſerii, Stephani Mainfredi, & cete- E rorum.

III.

Ejuſdem Iſoardi epiſcopi Vapincenſis ad ſanctum Hugonem.

Ex Cluniac. chartario. *b*

ISOARDUS Dei gratia Wapincenſis epiſcopus venerabili Patri domno Hugoni,[b] Cluniacenſi abbati, in Domino ſalutem. Idibus Maii reſidentibus nobis ante præſentiam domni Paſchalis papæ, frater Petrus domini Papæ Camerarius & veſtri cœnobii monachus, nos humiliter rogavit, ut eccleſiam S. Mariæ de Vedeneto, quæ noſtri patrimonii eſt, veſtro traderemus monaſterio. Et nos ergo pro veſtræ religionis reverentia & ejuſdem fratris Petri amore, veſtro cœnobio eamdem eccleſiam cum omnibus ad eam pertinentibus, præter ſynodalem juſtitiam, perpetuo concedimus poſſidendam. Ut autem hæc noſtra conceſſio robur obtineat, præſenti paginæ propriis manibus dignum duximus ſubſcribendum. Ego Iſoarnus epiſcopus ſubſcripſi.

a Exiſti no legendum Contado, conſtat enim ex quadam charta Montis-majoris, de qua egimus in Roſtagno epiſcopo Aptenſi, tunc Comitem Alamandorum ſeu Provinciæ regem annum 13. ſui regni egiſſe.

b S. Hugo fuit abbas ab ann. 1048. ad 1108. Paſchalis II. in S. Petri cathed. a ſede ab anno 1099. ad 1118.

IV.

Charta fundationis Cartuſiæ Durbonis in diœceſi Vapinci, quam Leodegarius II. epiſcopus Vapincenſis confirmat.

1116. *Ex ſchedis D. Joſeph. Antbelmi.*

GRatia ſanctæ & individuæ Trinitatis miſericorditer noſtræ ſalutis admoniti, recordati ſumus humanæ ſtatum conditionis, & vitæ fragilis lapſus inevitabiles, quam ſine termino ducimus in peccatis. Bonum itaque judicavimus nos peccati ſervos de manu mortis redimere, temporalia pro celeſtibus mutare, æternam hereditatem pretio perituræ poſſeſſionis comparare, ne duplici contritione conteramur, & præſentis vitæ miſerias laborum & dolorum initium ſentiamus. Itaque Lazaro, & his qui cum eo venerunt fratribus, ut Deo vacarent, ad inhabitandam ſolitudinem querentibus, ipſis eorumque ſucceſſoribus, in æternam poſſeſſionem ſpatioſam eremum concedimus & donamus. Ego Matfredus de Bleſdinar, una cum Lagerio fratre meo & filiis meis, Petro ſcilicet & Guigone, ac filiis ejuſdem Lagerii, & una cum nepotibus meis, Petro ſcilicet, Manaſſe, & Pontio Rollandi, & Petro Guillelmi & Rodlando, & matre eorum. Et ego Pontius de Beldiſnar, & fratres mei Albuinus ſcilicet & Guillelmus, & filii eorum, & ego Pontius Albuinus nepos eorum, & ego Richaudus Albuini & filii mei, nos omnes ſupraſcripti, cum heredibus noſtris concedimus & donamus prælibatam eremum ſupradictis fratribus. Laudant etiam & corroborant hoc donum Richaudus de Valle-nigra, & filii ejus; Guillelmus quoque de Monte-amato & fratres ejus, Ugo videlicet & Richaudus, Petrus, & Guigo, ac Pontius, & mater eorum. Filii vero Richaudi de Valle-nigra, qui hoc laudant ſunt ii, Guillelmus, Bermundus, Petrus, Iſnardus, Bertrandus, & mater eorum. Ipſa vero quam eis damus, eremus, hunc habet ab oriente terminum: locum qui vocatur Collis de Chalmeta, & extenditur per criſtam montis contra meridiem uſque ad Caſtellare, & de Caſtellari deſcendendo protenditur uſque ad rivum directe contra ortum, qui eſt in prato de Burriana. Deinde protenditur aſcendendo per alveum ipſius rivuli, uſque ad rupem quæ eſt fita ad radicem de Belſerre, & a rupe producitur aſcendendo juxta Belſerre uſque ad criſtam ſuper montem obſcurum, & per ipſam criſtam protenditur aſcendendo uſque ad ſummum de Petincucha, & a Petincucha per criſtam montis aſcendendo, uſque ad ſummum montis, & poſtea deſcendendo uſque ad collem de Chalmeta. Præfata quidem eremus his terminationibus concluſa a Lazaro & ab his qui cum eo erant fratribus cepit inhabitari ac conſtrui anno ab incarnatione Domini MCXVI. epiſcopatus vero domini Leodegarii II. Wapincenſis epiſcopi undecimo, qui videlicet laudat & corroborat hoc donum, quod fecerunt ſupraſcriptæ perſonæ, cum omni conventu clericorum ſuorum, & quantum ad ſe pertu-

net vel ad clericos suos, quidquid sui juris vel clericorum suorum esse videtur omnino concedit. Laudat Petrus Sacrista, Petrus Guigonus præpositus, & Petrus Geraldi Maurinus, & Petrus Odoini, Petrus S. Herigii, & Petrus Grammaticus, Petrus Boni-filii, & Guillelmus de Campo-Sauro, Guillelmus Gonterii, & Isnardus, Stephanus Matfredi, & Dido Alamannus & Rainbaldus Galterius, & Raimundus, & Stephanus Matfredi minor. Si qua vero persona potens aut impotens hanc donationem infregerit, auctoritate Dei & prafati domini Leodegarii Vapincensis episcopi, tanquam sacrilegii rea, ab omnipotentis Domini gratia & fidelium consortio separata, anathemate maranatha feriatur, æterni ignis incendio, ni digne satisfecerit, cum Datan & Abiron, & Juda traditore concremanda. Lecta est autem hæc charta Vapinci in ecclesia beatæ & gloriosissimæ semperque virginis Mariæ, quarta feria hebdomadæ tertiæ Octobris, in præsentia dicti domini Leodegarii Vapincensis episcopi, atque canonicorum suorum, aliorumque multorum tam sacerdotum quam ceterorum ordinum clericorum, celebrantium sanctam synodum XV. kal. Novembris.

De consecratione prime ecclesie Durbonis fit mentio in charta de Alpe ad Petrum Galdemar, & de nemore ad turnos, ut sequitur.

Lecta est autem hæc charta in monte Durbono ad consecrationem ecclesiæ ad honorem Domini & beatæ semperque virginis Mariæ in ipso monte constitutæ calendis Octobris, in præsentia domini Leodegarii II. Vapinc. episcopi, & domini Stephani Diensis episcopi, & aliorum quamplurimorum clericorum & laicorum, anno ab incarnatione Domini MCXXI.

V.

Præceptum Friderici imperatoris pro Gregorio Wapincensi episcopo.

1178. Ex archivis Vapinc. episcop.

FRIDERICUS divina favente clementia Romanorum imperator Augustus. Imperialem decet excellentiam prælatorum suorum votis rationabilibus benignum præbere assensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Universis ergo imperii nostri fidelibus tam futuris quam præsentibus, notum fieri volumus, qualiter nos venerabili viro ac dilecto principi nostro Gregorio Wapincensi episcopo accepta ab ipso fidelitate, & homnio, omnia regalia per legitimam investituram concessimus, quæ ipse & ecclesia sua ab imperio debet tenere. Hæc itaque sive alia quælibet bona & possessiones, quas præfatus episcopus inpræsentiarum juste possidet, vel in posterum legitime poterit adipisci, auctoritate nostra confirmamus, & præsentis scripti pagina ei, ac ecclesiæ suæ corroboramus, statuentes & imperiali edicto districte præcipientes, ne quisquam marchio vel comes aut civitas, vel aliqua prorsus persona, magna sive parva, memoratum episcopum, vel suam ecclesiam in persona, seu rebus de cetero temere gravare audeat, vel molestare præsumat. Quod si quis contra hujus nostri edicti constitutionem fecerit, pœna XX. lib. auri feriatur, quarum una medietas fisco imperiali, altera vero episcopo persolvatur. Datum apud Arelatem anno Domini MCLXXVIII. indictione XI. II. kalendas Augusti mensis.

VI.

Aliud Friderici privilegium pro Willelmo Vapinc. episcopo.

1186. FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator, & semper augustus fidelibus suis, clero, militibus & universis aliis hominibus per episcopatum Wapincensem constitutis gratiam suam & omne bonum. Notum facimus discretioni vestræ, quod nos Willelmo Vapincensi episcopo, sicut justum est, concessimus, ut nulli hominum liceat acquirere feuda sua & ecclesiæ suæ, nisi consilio suo & successorum ejus, & eorum permissione. Mandamus igitur vobis & imperiali auctoritate districte præcipimus, ut nulla omnino persona publica vel privata, sacularis vel ecclesiastica, hanc nostræ concessionis seu institutionis paginam audeat infringere, vel ei ausu temerario contraire. Quod qui fecerit, iram & indignationem nostram se noverit incursurum, & pœnam XL. lib. auri sustinebit, dimidium cameræ nostræ, & reliquum ipsi episcopo & successoribus ejus persolvendarum. Datum ..... anno ab incarnatione Domini MCLXXXVI. indictione IV. mense Martii.

VII.

Oddo episcopus Vapincensis appellat senescallum regium adversus Beatricem comitissam Viennensem, super consulatu Vapincensi, quem comitissa injuste possidebat; senescallus vero ab ipso exigit hominium regi debitum.

1271. Ex archivis Vapinc. episcop.

IN nomine patris, &c. anno Domini MCCLXXI. XIV. kal. Januarii. Notum sit præsentibus & futuris, quod venerabilis Oddo episcopus Vapincensis requisivit nobilem virum Guillelmum de Lagoneza, senescallum regium in comitatibus Provinciæ, & Folcalquerii, quod cum ipse & terra ecclesiæ Vapincensis sint in comitatu Folcalquerii, quod deberet eum, & ecclesiam Vapincensem juvare & deffendere contra homines Vapinci, qui rebellarunt contra ipsum, & ecclesiam memoratam; nolentes ei, ut consueverant, obedire. Et aliqui ex eis donaverant & concesserant de facto, cum de jure non possent, nobili dominæ Beatrici comitissæ Viennensi & Albonis, & filiis ejus consulatum Vapinci; qui consulatus ab ipso episcopo Vapincensi, & ecclesia tenebatur. Quæ comitissa dictum consulatum accipiens contra justitiam, in ipsa civitate vicarium introduxit, ad faciendum officium consulatus, & petiit dictus episcopus per regiam curiam dictam comitissam compelli ipsum dimittere consulatum, & suum inde vicarium amoveri: cum reges, comites & barones teneantur episcopos & prælatos, & ecclesiarum jura in suis regnis & comitatibus, & terris deffendere, & juvare a magnatibus & aliis qui eos, & eorum jura molestant indebite & injuste. Petiit etiam a dicto senescallo, quod castrum Mantherii, quod est in ipso comitatu, de quo fuit indebite spoliatus, & pervenit ad curiam regis, sibi restituere dignaretur. Qui senescallus, habito consilio sapientum, respondit eidem episcopo, quod tenebatur domino regi & heredibus suis ratione comitatus Folcalquerii fidelitatem facere, de temporalibus quæ ipse episcopus & ecclesia Vapincensis tenebant in civitate Vapinci, & episcopatu Vapincensi, secundum privilegium imperiale concessum per imperatorem Fredericum bonæ memoriæ, domino Raymundo Berengario comiti Provinciæ & Folcalquerii. Unde 1°. volebat, quod dictam ecclesiam cognosceret se tenere debere pro dicto domino rege Carolo, & heredibus suis, & bonæ memoriæ Beatrici reginæ Siciliæ, & comitissæ Provinciæ & Folcalquerii, & facere sibi fidelitatem nomine domini regis, & filiorum dicti domini regis, & dominæ reginæ pro civitate prædicta & castris inferius nominatis, & postremo dum ipse in prædictis apponeret bonum consilium & salubre. Qui episcopus viso dicto privilegio imperiali, & habito consilio prælatorum plurium sapientum, recognovit, quod prædicta petitio & responsio senescalli erat conveniens & honesta, & utilis sibi & successoribus suis & ecclesiæ Vapincensi, & quod tenebatur de jure ad faciendum dictam recognitionem dicto domino regi, & dictis heredibus suis, vel ejus senescallo, pro eis recognovit nomine suo & dictæ ecclesiæ & successorum suorum ipsi senescallo recipienti nomine dicti domini regis & dictorum heredum suorum, quod ipse & ecclesia Vapincensis tenent & tenere debent, ratione comitatus Folcalquerii, tanquam pro majori domino, totam terram quam tenet & tenere debet in comitatu Fol-

calquerii & epiſcopatu Vapincenſi, & ſpecialiter civi- A tatem Vapincenſem, & caſtrum de Lazara, & caſtrum vetus Stellardi cum villa Strictus; caſtrum Raimbaudi, caſtrum Baſtidæ veteris, caſtrum Baſtidæ novæ, caſtrum de Torna-Forti, caſtrum Montis-Pienerii, caſtrum de Fara, caſtrum de Poliniaco, caſtrum de Noerio, dominium de Gulayſilio, dominium Monteterium, dominium Montis-Mauri & Layuncelli, & Baſtidæ Montis-Mauri, & generaliter quidquid tenet vel poſſidet, vel tenere & poſſidere debet in epiſcopatu ſeu comitatu Vapincenſi, & inde facere fidelitatem & recognitionem prædicto domino regi; & pro prædictis faciet dictus dominus epiſcopus calvacadam prædicto domino regi & ſuis, præmiſſa ſibi denuntiatione ante per tres ſeptimanas in comitatibus Provinciæ, a Durencia uſque ad pontem alcum, & uſque ad buxum, & uſque B ad pertuſum Roſtagnum.

VIII.

Odo epiſcopus Vapincenſis, cedit Carolo I. Siciliæ regi, comiti Provinciæ mediam partem urbis Vapinci.

1234. IN nomine Domini anno incarnationis MCCLXXXI. I. Maii. Noverint univerſi, quod cum venerabilis pater dominus Oto Dei gratia Vapincenſis epiſcopus, ſeu feudatarius regis, a ſubditis ſuis civibus & hominibus de Vapinco, & ab aliquibus magnatibus, & hominibus aliis circonſtantibus, & aliunde ipſe & eccleſia Vapincenſis graviter opprimeretur, & vexaretur gravibus in- C juriis & diverſis, in diminurionem & enormem læſionem honoris & jurium dicti Epiſcopi, & eccleſiæ, ita quod juriſdictionem civitatis Vapinci non poterat commode exercere, imo denegabatur ei penitus obedire, & quod gravius ferendum eſt, ipſum ceperunt & captum diutius tenuerunt & invitum. Et quia propter potentiam hominum de Vapinco, juriſdictionem ſuam non poterat exercere in eoſdem; cujus delicti etiam de jure communi ad regem præd.ctum & ejus curiam tanquam ad majorem dominum coercitio & punitio pertinebat, eo, quia ſanctitas epiſcopi ignoſcendi gloria derelinquit. Et quia idem epiſcopus ſit vaſſallus fidelis dicti domini noſtri regis, attendens utilitatem eccleſiæ Vapincenſis, & pro utilitate & commodo ipſius epiſcopi & eccleſiæ antedictæ, ex cauſa irrevocabilis donatio- D nis, de conſilio plurium prælatorum aſſociavit dominum Carolum ſereniſſimum regem Jeruſalem & Siciliæ, & illuſtrem dominum K. principem Salernitanum ejus primogenitum, & eorum heredes & ſucceſſores in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, in mero & mixto imperio, & omnia alia juriſdictione, coercitione juſtitia & ſeignoria in quibuſcumque cauſis & rebus exiſteret dicta juriſdictio ſive ſit criminalis ſive pecuniaria, & in omnibus regalibus, quæ & quas dictus epiſcopus & eccleſia habet ceu habere videtur, & quæ ſpectant & ſpectare videntur ad dictum epiſcopum & eccleſiam ſupradictam in civitate Vapinci & ejus territorio. Et in villa de Aſperis & ejus territorio, & in emendis delictorum & forefactorum contra dictum epiſcopum & ec- E cleſiam, & in conſulatu dictæ civitatis. Tali modo quod pro medietate, pro indiviſo omnia ſingula ex cauſa prædicta pertineant pleno jure ad dictos regem, principem & eorum ſucceſſores, & omnes proventus & bauſitæ quæ ex prædictis juriſdictione & conſulatu exiverint, pro medietate pertineant ad regem, principem & ſucceſſores, & habere debeant ex cauſa donationis prædictæ & aliam medietatem dictus epiſcopus & eccleſia. Item fuit actum quod officiales in dicta civitate ponantur per regem dominum principem eorum nomine, & per epiſcopum qui jurent ſervare jura & dare utrique parti &c. Si vero pro prædicta juriſdictione exercenda vel conſervanda fieret guerra, in expenſis quæ fierent occaſione dictæ guerræ epiſcopus nihil ponere teneatur, ſed dominus noſter rex eas faciat, hoc ſalvo quod epiſcopus cum hominibus ſuis & gente ſua in prædictis debeat eſſe ad expenſas proprias ipſius epiſcopi, &c. Item fuit actum, quod epiſcopus procuret quod capitulum eccleſiæ Vapincenſis præſentem donationem & aſſociationem ratificet; quam quidem medietatem juriſdictionis & conſulatus & regaliæ villæ de Aſperiis, dedit epiſcopus ad vitam donatione ſimplici inter vivos nobili viro Joanni de Burlatio militi ſeneſcallo regis, principis, & hæredum in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, &c. Item voluit epiſcopus & conceſſit dicto ſeneſcallo præſenti & recipienti nomine quo ſupra, quod tam milites quam ceteri homines de Vapinco jurent fideles eſſe regi, principi & ſucceſſoribus, &c. Quam donationem dominus ſeneſcallus recepit ſalvo eo quod non intendit per hanc donationem derogare in aliquo juri conventionum inhabitarum inter B regem & Delfinum. Sed vult quod conventio in aliquo non lædatur, &c. Actum Siſtarici præſentibus domino Iſnardo de Antravenis, domino de Agouto, domino Raymundo Ruffo B. Giraudo præpoſito Craciacenſi.

IX.

Hominium à Gaufrido de Leoncello epiſcopo Vapinc. exhibitum Roberto Jeruſalem & Siciliæ regi, necnon comiti Provinciæ & Forcalquerii.

ANno ab incarnatione MCCCIX. XVI. Decembris in- 1309.
dictione VIII. Noverint univerſi, quod mortuo inclytæ memoriæ Carolo II. Dei gratia Jeruſalem & Siciliæ rege, cum illuſtris dominus Robertus Dei gratia Jeruſalem & Siciliæ rex, filius & hæres univerſalis dicti regis in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, & ſuccedens ut hæres dicti regis in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, in mutatione hujuſmodi Domini reciperentur recognitiones & fidelitates a ſubditis ſuis; cumque nobilis & potens vir Hugo de Vicinis quaſdam feciſſent conventiones nomine dicti regis ex una parte & reverendus Pater Gaufridus Epiſcopus Vapincenſis ex altera ſuper dominio civitatis & Terræ eccleſiæ Vapincenſis, & ſuper quibuſdam aliis, idem dominus & epiſcopus, in præſentia domini Roberti conſtituti nomine ſuo, eccleſiæ Vapincenſis, & ſucceſſorum ſuorum, eidem regi præſenti recipienti nomine ſuo, & hæredum recognovit pro dicto domino, & ſenhoria dicti regis, civitatem Vapinci, caſtrum de Lazara & caſtrum vetus Talardi, cum villa Strictus; & caſtra Raibaudi & Baſtidæ veteris & Baſtidæ novæ, & caſtra ceu villas de Tornaforti, Montiſdonerii, de Fara & de Polignia-co, & de Noerio & de Cigoyerio, Mallipili cum eorum territoriis & pertinentiis, & quidquid idem epiſcopus nomine dictæ eccleſiæ Vapincenſis temporaliter tenet, vel poſſidet in comitatu Forcalquerii & diœceſi Vapincenſi tanquam pro majori domino, excepto dominio caſtri de Redorterio, ſito in diœceſi Siſtaricenſi &c. Eidem regi fidelitatis præſtitit juramentum, & promiſit omnia quæ in dictis conventionibus continentur, ſervare, &c. Actum Aquis in palatio præſentibus RR. in Chriſto patribus J. Dei gratia Forojulienſi epiſcopo, ac regni Siciliæ cancellario, Franciſco epiſcopo Gaietano, Raymundo de Baucio domino Podii Ricardi, Domino Ricavo de Alamanono, Gaucherio domino Cezariſtæ, Guigone Alamandi domino Valbonenſi, Raynaldo de Lecto ſeneſcallo Provinciæ & Forcalquerii, & aliis.

X.

Charta Joannis de Aquablanca militis qua præcipit ut juxta compoſitionem dudum habitam inter curiam regiam & epiſcopum Vapincenſem, vexillum regium in turri Palatii pro Dragoneto recens electo, per unum diem ponatur.

JOHANNES de Aquablanca miles, comitatuum Pro- 1329.
vinciæ & Forcalquerii ſeneſcallus; ſapientibus viris magiſtro Bernardo Garde in comitatu ipſius rationali, & Remundo *Ex ſched. D. Joſeph. Antelmi.*

Remundo de Soleriis bajulo Siſtarici, ſalutem & amoris affectum. Continet compoſitio dudum habita inter curiam regiam ex una parte, & bonæ memoriæ epiſcopum Vapincenſem ex altera, quod cum contigit novum creari epiſcopum, in turre palatii civitatis Vapincenſis vexillum regium in ſignum majoris dominii debet erigi, atque poni. Nos autem propter creationem nuper factam in epiſcopatu prædicto de reverendo in Chriſto patre D. Dragoneto, ipſius compoſitionis mente, pro parte ipſius curiæ uri omnino volentes, vobis ideo præcipimus & jubemus expreſſe, ut quatenus ad ipſam civitatem Vapinci vos perſonaliter conferentes vexillum ipſum regium in turri prædicti palatii poni & erigi auctoritate præſentium faciatis, juxta formam compoſitionis ipſius, per diem unam continue moraturum, &c. Datum Dignæ per virum nobilem dominum Jacobum Bermundi militem majorem ... appellat judicem die IV. Auguſt. XII. indict.

Mandatum hoc exſecutus eſt bajulus, an. MCCCXXIX. *& die* VIII. *Auguſt.*

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM SISTARICENSEM SPECTANTIA.

I.

Conradi regis privilegium pro eccleſia Siſtaricenſi, Urſo conceſſum epiſcopo.

947. IN nomi e ſanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus gratia Dei rex. Si quis juſtis nos poſtulat petitionibus, dignum & rectum eſt ut & impendere curemus. Quapropter noverit omnium fidelium noſtrorum induſtria præſentium ſcilicet & futurorum, qualiter quidam venerandus epiſcopus nomine Urſus, noſtram regiam adiit excellentiam, humiliter deprecans, ut tale illi dediſſemus privilegium, per quod ſuam diœceſim Siſtaricenſis eccleſiæ, in honore S. Dei genitricis Mariæ, & S. Tyrſi martyris conſtructæ, ſub omni integritate, quiete, leniterque quiviſſet poſſidere. Cujus petitionibus acquieſcentes, & aures noſtræ benevolentiæ accommodantes, hoc quod precatus eſt ei indulſimus, atque conceſſimus, hoc eſt caſtrum de Lurs, & quicquid ad prædictam eccleſiam, ſive ad illa ſancta loca juſte & legaliter pertinet, vel pertinere videtur, eccleſiis, villis, caſtellis, mancipiis omnibus utriuſque ſexus, omnia in omnibus cultis & incultis, veſtitis, & deſertis, quæſitis & acquirendis, & omnibus ſicut ad eandem eccleſiam dependere ſolent. Ea vero ratione, ut nullus comitum, vel baronum, ſeu aliarum perſonarum regni noſtri, illum prælibatum epiſcopum, ſive ſucceſſores ſuos inquietare, vel calumniare præſumat. Et ſi aliquis hoc noſtræ firmitatis privilegium aliqua temeraria protervitate violare præſumpſerit, ſciat ſe indignationem noſtram incurſurum, ab omnibus regni noſtri epiſcopis perpetualiter anathematizatum, & in noviſſimo die omnipotenti Deo rationem redditurum. Sane ut hæc noſtra auctoritas ſtabilis, inconvulſaque, noſtris futuriſque temporibus permaneat, & a nemine unquam frangatur, vel violetur, manu propria ſubſcripſimus, & de ſigillo noſtro ſubtus ſigillare mandavimus. Signum domini Conradi regis. Ego Hedolphus ad vicem Beroldi epiſcopi atque archicancellarii recognovi. Actum VIII. idus Aprilis anno incarnationis Dominicæ DCCCCLXVII.[a] anno XXVII. regnante Conrado rege. Actum Arelatenſi civitate feliciter. Amen.

II.

Bulla Nicolai II. qua commendat Gerardum epiſcopum, & quædam ei præſcribit.

Ex lib. vet. reiſ. Siſtar.

NICOLAUS ſervus ſervorum Dei, clero, ordini, plebi conſiſtentibus in civitate Siſtaricenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem ſi obedierint. Cum noſtri ſit officii univerſalis eccleſiæ curam gerere, oportet nos ſtudere omnibus ubique prodeſſe. Unde pro veſtra ſalute fratrem etiam & coepiſcopum noſtrum Gerardum vobis ordinavimus ſacerdotem, a religioſis viris in partibus Galliæ habitantibus electum, ſcilicet a venerabili fratre Cluniacenſi H. *qui noſtra vice in partibus illis fungebatur, Arelatenſi archiepiſcopo, epiſcopo Aventionenſi, epiſcopo Cabilonenſi, epiſcopo Aptenſi, epiſcopo Vaſenſi, epiſcopo Dignenſi, epiſcopo Dienſi. Quibus teſtibus de ejus vita nil dubitamus. Cui dedimus in mandatis, ne* [a] *unquam ordinationes præſumat in eum, qui virginem non eſt ſortitus uxorem, neque inliteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex pœnitente, vel curæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, notarumque, ad ſacros ordines permittat accedere. Sed ſi quos hujuſmodi forte comperierit, non audeat promovere. Afros paſſim ad eccleſiaſticos ordines prætendentes, nulla ratione ſuſcipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati ſæpius ſunt probati. Miniſteria atque ornatum eccleſiæ, vel quicquid illud eſt in patrimonio ejus non minuere ſtudeat, ſed augere. De reditu vero eccleſiæ, vel oblatione fidelium quatuor* [b] *faciat portiones, quarum unam ſibi retineat, alteram clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, tertiam vero pauperibus & peregrinis: quartam vero eccleſiaſticis fabricis noverit obſervandam; de quibus divino erit redditurus judicio rationem. Ordinationes vero preſbyterorum, ſeu diaconorum, nonniſi quarti, ſeptimi, vel decimi menſium jejuniis, ſed & ingreſſu quadrageſimali, atque mediante veſpere ſabathi noverit celebrandas. Sacroſancti autem baptiſmi ſacramenta nonniſi in Paſchatis feſtivitate, & Pentecoſtes meminerit eſſe præbenda: exceptis his qui mortis urgentur periculo, ne in æternum pereant, talibus debet remediis ſubveniri. Nunc ergo fedis noſtræ præcepta ſervanti, devotis animis obſequi oportet, ut inreprehenſibile placidumque fiat corpus eccleſiæ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat cum Deo patre omnipotente & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

Hagone.

a Legendum eſſe DCCCCLXIII, oſtendimus in Urſo epiſcopo.

III.

Charta Petri, Roſtagni & Pontii fratrum Siſtarici dominorum, quæ Gerardo epiſcopo ſatisfaciunt.

Ex lib. vetuſt.

NOſcant præſentes & poſteri, legentes vel audientes hoc inſcriptum, quod nos Petrus, Roſtagnus, Pontius fratres & domini Siſtarici, recognoſcentes mala & facinora quæ fecimus contra Deum; & ſanctam eccleſiam matrem noſtram ſedem Siſtaricenſem, quæ in honore B. Mariæ Virginis conſtructa eſt, atque S. Tyrſi martyris glorioſi, & contra epiſcopum, & canonicos ipſius eccleſiæ, in recompenſatione malorum quæ fecimus, recepimus terram noſtram & honorem

a Hæc deſumta ſunt ex epiſtola 37. libri II. S. Gregorii papæ ad Johannem Squillacinum epiſcopum ſcribentis, ubi præſertim legitur: *Afros paſſim vel incognitos peregrinos ad eccleſiaſticos ordines tendentes nulla ratione ſuſcipiat, quia Afri quidam Manichæi, aliqui rebaptizati, &c.*

b Hæc redituum eccleſiæ diviſio quatuor in partes eſt etiam Gregorii ſcribentis ad ſanctum Auguſtinum Cantuarienſem archiepiſcopum lib. XI. ep. 64.

ed by Google

quem habemus vel habere debemus in Siſtarico, per manum Gerardi epiſcopi & eccleſiæ, & juramus illi vitam & membra ſua, & caſtellum quod habemus in Sextirone. Idem autem epiſcopus reddidit eis vicem de ſacramento quod non tollat eis caſtellum, neque homo, neque femina per ſuum conſilium, vel per ſuum conſentimentum. Sic Deus illi adjuvet & ſancti ſui. Ipſi vero reddiderunt & donaverunt decimas quas poſſidebant ipſi, & alii pro illis, juraveruntque eccleſiæ S. Mariæ, & canonicis ejuſdem eccleſiæ qui communia tenere voluerint, quod ipſi defendent jura epiſcopi & eccleſiæ, & terram illorum. Sic Deus illis adjuvet, & ſancta ejus evangelia. Hoc idem juravit epiſcopus tenere & attendere ipſis & filiis ſuis. Et ſi epiſcopus, comes, aut vicecomes, vel aliqua perſona iſta omnia ſupra dicta frangere voluerit, ſit ira Dei ſuper eum, & ſit maledictus, & excommunicatus, ſicut fuit Arius, & Sabellius: & in inferno cum Juda traditore damnatus uſquedum reſipiſcat, & ad emendationem veniat. Amen.

IV.

Diploma Guillelmi IV. comitis Forcalquerienſis pro abbatia de Lura.

1191. IN apicibus litterarum memoria commendatur, ne res geſta penitus oblivioni tradatur. Præſentibus igitur & futuris hoc præſenti ſcripto cunctis notificetur, quod ego Guillelmus, Dei gratia comes Forcalquerii, filius quondam bonæ memoriæ domini comitis Bertrandi, & dominæ comitiſſæ Jauſerandæ, confiteor tibi patri & domino Roſtagno Lurenſis monaſterii abbati, & recognoſco quod in tempore adoleſcentiæ meæ cum eſſem cum comitiſſa Garcenda avia, domina & tutrice mea; poſt factam a dominis de Alſonengues, & Montiſlauri donationem, eorum voluntate donavi poſtea Deo & S. Mariæ locum de Lura ad ædificandum ibidem eccleſiam in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & glorioſæ virginis Mariæ, & ad inſtituendam ibi abbatiam ſecundum ordinem Caliſienſium a S. Hugone Gratianopolitano epiſcopo quondam inſtitutum. Hanc autem donationem factam in præſentia multorum teſtium quorum nomina inferius ſcripta ſunt, poſtea factus juvenis, & annorum quadraginta iterum volui confirmare, in manu domini Hugonis * abbatis Caliſienſis monaſterii, in cujus manu primam donationem ſimiliter feceram, cum eſſet abbas tunc Boſcaudunenſis monaſterii, quod prius ipſe conſtruxerat. Poſtea vero idem ipſe ædificavit monaſterium de Lura, & fuit primus abbas utriuſque monaſterii. Ad ultimum reductus eſt ad Calicenſe monaſterium, & abbas ibi factus cum viſitaret poſtea monaſterium de Lura, veniens ad nos rogavit, ut iterum in manu ejus monaſterium de Lura, & omnes terras poſtea eidem monaſterio acquiſitas laudarem & concederem. Sanctas itaque preces illius libenter exaudiens, in remiſſionem peccatorum meorum, & patris mei, & parentum & omnium meorum anteceſſorum, donavi, laudavi, & conceſſi Deo & S. Mariæ de Lura, locum ipſum in quo fundata eſt abbatia, & omnem terram infra terminos & extra terminos abbatiæ, tam a prædicto abbate Caliſienſi, quam ab alio abbate de Lura Imberto, & ab aliis fratribus: uſque in hodiernam diem jam dicto monaſterio per donationem, vel per quemcumque alium modum, acquiſitam, & nominatim domum ſeu grangiam in valle S. Pontii de Lura, & nominatim cellarium in valle S. Stephani, & molendinum ubicumque facere voluerint, in valle Montiſlauri. Præterea conceſſi & confirmavi terminos ſupradictæ abbatiæ qui incipiunt a furno Miramaciæ, * recta linea ultra cumbam Lauteriam, donec incipimus aſcendere. Conceſſi etiam & donavi fratribus prædicti monaſterii, qui tunc ibi erant, & qui nunc ſunt, & ſucceſſoribus eorum, omnia uſatica in terra mea, tam in leudis, quam in pedagio, & paſcuis, & aliis uſaticis meis, ubicumque habeam uſatica in terra illa, ſive in aqua. Confiteor tibi adhuc, & recognoſco jam dicto domino abbati Roſtagno, quod primæ donationis meæ in burgo Manuaſca in clauſtro beatæ Mariæ factæ, teſtes fuerant Guillel. archidiaconus Siſtericenſis, Guillelmus ſacriſta Forcalquerii, Petrus Iſnardi ſacriſta Crocienſis, Hugo monachus, frater Richardus converſus, Petrus Groſſus de Petra Rua, Guillelmus Giraudi ſacerdos, Hugo de Relhana, Guigo de la Roqua, & filius ejus Guillelmus Raimundus de Cadaraia, & multi alii clerici & laïci, qui præſentes fuerunt huic donationi. Secundæ autem donationis teſtes fuerunt Petrus Petrus, Guillelmus Forcalquerii præpoſitus, qui tunc hanc chartam dictavit, Geraudus de Caturicis monachus, & ſocius domini abbatis, Bernardus Tardivus & Gerardus fratres converſi, & multi alii. Secundæ autem confirmationis teſtes Petrus, G. Forcalquerienſis præpoſitus, qui nunc hanc chartam dictavit & alii. Facta fuit donatio ſive confirmatio iſta anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo nonageſimo primo, menſe Novembri, regnante Henrico Romanorum imperatore. Ut autem fides & memoria tam primæ quam ſecundæ donationis meæ omni tempore firma permaneat, tibi patri & domino Roſtagno Lurenſi abbati, per te & per omnes monachos fratres & converſos recipienti, omnibuſque monachis fratribus & converſis præſentibus & futuris, ſicut ſupra dictum & ſcriptum eſt, adhuc iterum quaſi de novo dono, laudo & confirmo, & cum præſenti plumbico ſigillo ſigillando corroborari præcipio. Petrus ego notarius domini mei comitis mandato, hanc chartam hujus recognitionis, donationis & confirmationis ſcripſi & ſigillavi: & hoc proprium ſignum meum appoſui. Apud Forcalquerium menſe Maii die primo Dominicæ incarnationis anno MCCVII.

*Gulgonis.

*vel. Juxta-MARIAM.

V.

Bulla Johannis papæ XXII. qua Luram abbatiam ordinis S. Benedicti, Avenionenſi capitulo unit certis conditionibus.

JOANNES epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis præpoſito & capitulo eccleſiæ Avenionenſis, ordinis S. Auguſtini, & abbati & conventui monaſterii de Lura, ordinis S. Benedicti Siſtaricenſis diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Univerſali eccleſiæ licet immeriti præſidentes, continua reſedimus attentione ſolliciti, ut ſic ſtatus cunctarum eccleſiarum & eccleſiaſticorum locorum proſperis ſucceſſibus dirigatur, quod ſpiritualibus & temporalibus autore Deo proficiant incrementis. Ex tenore ſiquidem veſtræ petitionis accepimus, quod inter dilectos filios vicarios epiſcopatus Avenionenſis, autoritate apoſtolica conſtitutos, & vos filii præpoſite & capitulum ex parte una, & vos filii abbas & conventus, ſuper unione & incorporatione de monaſterio veſtro cum ſuis membris ac bonis, juribus & pertinentiis univerſis eidem eccleſiæ faciendis habitus & formatus, præmiſſa diligenti deliberatione tractatus extitit in hunc modum. Videlicet quod factis perpetua & reali unione, & incorporatione prædictis, nomen dignitatis abbatis ejuſdem monaſterii nullatenus mutaretur, & perpetuo appellaretur communiter abbas de Lura in eccleſia Avenionenſi: quodque idem abbas, ac omnes & ſinguli ejuſdem monaſterii beneficiati, adminiſtrationes & beneficia quæ obtinebant, tenerent in poſterum ſicut prius, ipſiuſque monaſterii monachi, qui tunc erant ac eſſent pro tempore, eccleſiæ Avenionenſis canonici vocarentur, & in monaſterio ipſo profeſſi, in eadem eccleſia pro profeſſis canonicis haberentur, ſuperpellicea ſicut veri canonici Avenionenſes deferrent, ac de veſtiario & aliis per abbatem ipſius monaſterii provideretur eiſdem. Et nihilominus duodecim de canonicis ejuſdem monaſterii, perſonaliter perpetuo juxta ordinationem abbatis ejuſdem monaſterii, qui nunc eſt, & eſſe continget in futurum, eodem abbate in ipſorum numero computato, reſiderent in monaſterio ſupradicto; reliquis autem octo canonicis, in beneficiis & adminiſtrationibus quæ obtinent factu-

ris reſidentiam perſonalem. Et inſuper eodem abbate A cedente vel decedente, hujuſmodi ordinatio ad Avenionenſem epiſcopum, qui eſſet pro tempore ac dictos præpoſitum & capitulum pertineret; ac ipſo abbate vivente, ad eum pertineret creatio canonicorum in monaſterio ſupradicto, uſque ad præfatum viceſimum numerum, & ipſorum levis prima correctio pleno jure: ad eumdem vero epiſcopum major correctio, & in criminibus etiam per viam appellationis & ſimplicis querelæ, vel aliter immediate ad eumdem epiſcopum pertinebit. Scabellum autem in choro, & locum in capitulo ac refectorio ipſius Avenionenſis eccleſiæ, & vocem idem abbas & ſucceſſores immediate poſt memoratum præpoſitum obtinebunt. Ad hebdomadam vero in eadem eccleſia Avenionenſi faciendam, dicti abbas & ſucceſſores minime adſtringantur, niſi quaB tenus ad illam faciendam ſupradictus præpoſitus eſt adſtrictus. Eiſdem quoque abbati, & ſucceſſoribus, de generali providebitur eccleſiæ ſupradictæ, ſicut antedicto præpoſito providetur. Itaque abbas, & ſucceſſores, abſentes ab eccleſia ſupradicta, nequaquam in minimis negotiis vocabuntur, ſed vocabuntur in majoribus & arduis in eadem eccleſia ordinandis. Præterea prædictus epiſcopus, ſicut archidiaconatus & ſacriſtiæ ejuſdem eccleſiæ Avenionenſis, ipſius eccleſiæ confert canonicis, ſic ejuſdem abbatiæ confert dignitatem. Et nihil minus ipſo abbate cedente vel decedente, idem epiſcopus & præpoſitus ac capitulum, de beneficiis ad eandem abbatiam ſpectantibus, ſicut de beneficiis ejuſdem eccleſiæ providebunt, de quibus habebit idem abbas, dum vixerit, providere. BeneC ficiati namque canonici monaſterii ſupradicti, qui priores vel rectores eccleſiarum exiſtunt, necnon & decanus, & ſacriſta dicti monaſterii, ad electionem eccleſiæ Avenionenſis, cum fuerit facienda pro tempore, vocabuntur, aliis præfati monaſterii canonicis, etiamſi grangiarii fuerint vel clauſtrales, ad electionem ejuſmodi aliquatenus non vocatis. Cæterum dicti abbas, & ſucceſſores erunt de ſtricto conſilio capituli ſupradicti, ſicut archidiaconi ipſius eccleſiæ Avenionenſis fore noſcuntur, ac certas in eadem eccleſia libertates habebunt, quas præfati archidiaconi virtute privilegiorum apoſtolicæ ſedis, vel quovis alio modo obtinent in eadem. Ac ipſius monaſterii canonicis, cum eos ad eccleſiam Avenionenſem applicare contigerit, providebitur, ſicut S. Pauli de Mauzeolo, & ſancti D Michaelis de Faigeleto canonicis eſt fieri conſuetum. Pro quibus etiam tam in ſpiritualibus quam in temporalibus fiet in eccleſia ſupradicta, ſicut pro canonicis ipſius eccleſiæ vivis & defunctis fieri conſuevit. Quoque in generali citatione & receptione canonicorum ipſius eccleſiæ Avenionenſis, tot ponent canonicos abbas & ſucceſſores prædicti, quot ponere continget præpoſitum memoratum. Licebit etiam eiſdem abbati & ſucceſſoribus, extra dictam eccleſiam Avenionenſem, prope tamen, ubi moretur & comedat habere hoſpitium; jacebit tamen infra clauſtrum, ipſius eccleſiæ neceſſitate ceſſante. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut hujuſmodi tractatum admittere, dictaſque incorporationem & unionem concedere dignaremur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, tractatum eumE dem admittimus, & monaſterium præfatum, cum omnibus membris, bonis, juribus, & pertinentiis ſuis, eidem eccleſiæ Avenionenſi, autoritate apoſtolica incorporamus, perpetuo annectimus, & unimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ admiſſionis, incorporationis & unionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avenione decimo tertio calendarum Juniarum pontificatus noſtri anno ſecundo.

Hæc Avenionenſis eccleſia ſtatum illo tempore pulchre oſtendunt, quam epiſcopo tunc fuiſſe deſtitutam facile conjicias. Bullam nobis ſuppeditavit Columbus l. 4. epiſcoporum Siſtaricenſium; nec uſpiam legitur huic unioni conſenſiſſe Siſtaricenſem epiſcopum, cum tamen illi ſubeſſet hæc abbatia. Certe abbas Lura, anno MCCCCXVII. *obedientiam Roberto epiſcopo Siſtaricenſi cum ſacramento promiſit: ſalva tamen obedientia quam debebat epiſcopo Avenionenſi. Columbus qui hanc exceptionem prætermittit, addit illico:* Vides quas de Lurenſium monachorum unione cum Avenionenſibus canonicis litteras ſcripſit Joannes XXII. non habuiſſe vim ſuam, Siſtaricenſi epiſcopo, ut ego quidem arbitrabar, vehementer pro re ſcilicet obnitente. *Sed hanc ipſius conjecturam everti appoſita ſacramento clauſula; multo magis etiam id quod ipſe ſubdit, ſe legere in inſtrumento ſecularizationis, ut vocant, canonicorum Avenionenſis eccleſiæ ſequentia:* Abbatiam de Lura, ordinis ſancti Benedicti, Siſtaricenſis diœceſis, eccleſiæ Avenionenſi olim unitam, & ab ea dependentem cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, dictæ menſæ capitulari aſſignamus, ita & taliter quod deinceps nullus ejuſdem eccleſiæ canonicus, ſeu alia perſona in dicta abbatia inſtitui poſſit. *Iſtam ſecularizationem edidit Julianus cardinalis de Rovere, ex mandato Sixti IV. pontificis anno* MCCCCLXXXI. IV. *cal. Julii. Lurenſis abbatia non eſt annexa nunc temporis collegio canonicorum Avenionenſium; & monaſterium quod olim 20. monachos capiebat, illis defectum, vix ſe olim ſtetiſſe demonſtrat non magna ruderum multitudine.* Hæc Columbus.

VI.

De conſtructione conventus Urbaniſtarum in urbe Siſtarico.

NOtum ſit omnibus quod anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo quarto, ſcilicet octavo idus Martii, exiſtentibus dominis civitatis Avenionenſis, domino Philippo, Dei gratia rege Francorum, & domino Carolo, eadem gratia comite & marchione Provinciæ, & comite Forcalquerii, ſoror Auria & ſoror Aſtruga ſorores converſæ monaſterii ſanctæ Claræ de Avenione, accedentes ad præſentiam diſcreti viri domini Matthæi de Forti judicis Avenionenſis, quaſdam litteras apertas ſigillis cereis pendentibus ſigillatas, unam videlicet cum ſigillo ſereniſſimi domini Caroli principis Salerni, & aliam cum ſigillo curiæ Siſtarici ex parte dominæ ſororis Giraude abbatiſſæ prædicti monaſterii, exhibentes & oſtendentes eidem, requiſiverunt eumdem ut eaſdem litteras ejus auctoritate in formam publicam per manum mei Roſtagni magiſtri notarii infra ſcripti, redigi faceret, & de eis ipſis fieri faceret publicum inſtrumentum. Qui quidem judex præfatus, viſis & inſpectis prædictis litteris non cancellatis, non vitiatis, nec in aliqua parte ſui abolitis, & earum ſerie ſeu tenore plene perſpecto, & ſigillis earumdem, præcepit mihi Roſtagno magiſtro notario Avenionenſi infra ſcripto ut dictas litteras in formam publicam ejus authoritate redigerem, & de earum tenore in formam publicam redacto, eiſdem ſororibus ut ſupra requirentibus facerem publicum inſtrumentum ſeu publica inſtrumenta. Quarum litterarum domini principis tenor talis eſt.

1282. Vidimus litterarum ſequentium.

CAROLUS primogenitus illuſtris regis Hieruſalem & Siciliæ, princeps Salerni, & honoris Montis ſancti Angeli dominus, religioſæ ſorori Giraude de Sabrano, abbatiſſæ monaſterii ſanctæ Claræ Avenionenſis, ſalutem & dilectionem. Cum intellexerimus quod vos pio & benigno affectu proſequentes duxeritis a miniſtro generali ordinis fratrum minorum ſuperiore ordinis veſtri obtinendum, quod valeatis monaſterium in honorem Dei ac beatæ ſanctiſſimæ Claræ magiſtræ, ac veſtri ordinis fundatricis, conſtruere, ac de novo fundare in civitate Siſtarici, vel alibi ſub ditione noſtra & dominio, prout Dominus vobis duxerit ordinandum; attendentes etiam, quod boni homines loci de Siſtarico vobis circa hoc ſe ipſos exhibent favorabiles & benignos. Nos vero qui devotionem erga veſtram religionem habuimus & habemus, benignum veſtrum propoſitum

1282. *Litteræ Caroli primogeniti regis Siciliæ &c. principis Salerni, &c.*

collaudantes, monemus vos, rogamus carius & hortamur, ut de noſtra gratia ac ſpeciali licencia & authoritate, ad locum prædictum Siſtarici venire favente divina gratia valeatis, dictum monaſterium fundare, ipſumque monaſterium cum juribus & pertinentiis ſuis, ſub Dei protectione & noſtra ſuſcipientes, hortamur inde & requirimus univerſos & ſingulos bonos vicos ſubditos noſtros & homines, ut ſuis piis ac benignis elecmoſynis vos juvare habeant in prædictis, ut inde ab altiſſimo creatore conſequi debeant præmium in futurum. In cujus rei teſtimonium parentes noſtras litteras vobis ſigilli noſtri munimine roboratas duximus concedendum. Datum Aquis, anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo, ſcilicet undecimo kalendas Auguſti.

Aliarum vero litterarum ſigillo curiæ Siſtarici ſigillatarum tenor talis eſt.

1283. *Littera univerſitatis hominum de Siſtarico in idem argumentum.*

Reverendæ in Chriſto & religioſæ ſorori Giraude de Sabrano dominæ abbatiſſæ monaſterii, & conventui ſanctæ Claræ Avenionenſis, Univerſitas hominum de Siſtarico more ſolito voce præconis in parlamento publico congregata, ſalutem in filio virginis glorioſæ, cum compunctione ſermonis & honoris. Cum ſereniſſimus dominus noſter Carolus princeps Salerni, qui erga religionem veſtram devotionem habere non modicam ſe oſtendit, vos invitet humiliter & requirat, ut vobis placeat deſcendere & venire ad civitatem Siſtaricenſem, cauſa ædificandi de novo & conſtruendi in honorem Dei & beatæ virginis ſanctæ Claræ, monaſterium ordinis veſtri, cujus ordinis dicta virgo fundatrix exiſtit atque mater; & nos moneat idem dominus princeps & requirat, ut vos requiramus ſimiliter ac humiliter ſupplicemus, ut ad locum prædictum Siſtarici vos deſcendere placeat prædicta de cauſa, & venire, prout in littera patenti ipſius domini principis in noſtro publico parlamento recitata plenius audivimus contineri. Igitur deliberatione inter nos præhabita, attendentes & videntes ſummum bonum circa hæc agi, & divinum cultum ac Dei ſervitium in ædificatione dicti monaſterii perpetuo celebrari, ſi Deo actore vobis religioſæ dominæ & conventui veſtro placuerit deſcendere ad prædictam, vos affectu quo poſſumus nos omnes homines de Siſtarico, prout moris eſt voce præconis in dicto parlamento congregati, ac univerſitas noſtrorum hominum, & populus civitatis prædictæ devotionem non modicam erga ordinem veſtrum habentes, & quam ſemper habuimus veſtris meritis & exemplis, humiliter ſupplicamus vobis religioſæ dominæ abbatiſſæ & conventui veſtro, vocando vos devote & cum inſtantia requirendo, ac quanto carius poſſumus, rogamus, & in Domino vos hortamur, quatenus ad honorem Dei, ac beatæ ſanctæ Claræ virginis, veniatis quam primum poteritis, & deſcendatis de veſtro beneplacito & aſſenſu, cauſa ædificandi de novo & conſtruendi monaſterium veſtri ordinis ad civitatem Siſtarici memoratam, ubi cultus divinus flore virginitatis & caſtitatis valeat in perpetuum jugiter obſervari. Nos vero Deo actore propitio, prout ipſe qui remunerator eſt omnium nobis ſeu cuilibet noſtrum miniſtrabit, piis bonis voluntaribus elecmoſynis, circa hæc proponimus vos juvare juxta mera veſtri placita, ut ab eo remunerationem condignam valeamus conſequi in æternum. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigillo curiæ Siſtarici volumus ſigillari. Datum Siſtarici in curia regia decimo kalendas Martii, anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo tertio, in præſentia domini Guillelmi de Calbro-novo militis, bajuli, domini Raymundi Collombi judicis, Joannis de Braia clavarii Siſtarici, & domini Guillelmi Alamani militis, domini Ferrari Spendei juriſperiti, ac nobilis dominæ Alaſiæ de Medullione dominæ de Curbano, requirentes præſentem licentiam quæ poſſit ex parte noſtræ univerſitatis prædictæ ipſi dominæ abbatiſſæ & ejus conventui præſentare. Facta fuit dicta præſentatio litterarum prædictarum dicto domino judici, & requiſitio a dictis ſororibus converſis, & authoritas publicandi præſtita a dicto domino judice, anno & die quibus ſupra in principio juxta . . . . . Roſtagni de Montitiis quondam, teſtibus præſentibus, Bartholomæo Malacino clavario, Bertrando de ſancto Paulo clerico & me Roſtagno magiſtro notario publico Avenionenſi, qui authoritate & mandato dicti domini judicis, & ad requiſitionem prædictarum ſororum prædictas litteras apertas non cancellatas, non vitiatas, cum ſigillis cereis pendentibus ſigillatas, in publicam formam de verbo ad verbum redegi, ſicut ſuperius continetur, & hanc chartam inde ſcripſi, bullavi & ſignavi. *Cum peculiari nota ſubſcripto nomini addita.*

Et ſupra dorſum. Archivatum eſt hujuſmodi licentiæ inſtrumentum in regiſtro ſagittarii, in regiis archivis Provinciæ conſervatum, folio illius 121. mandato magnificorum dominorum magiſtrorum rationalium dictæ patriæ per me ſecretarium rationalem & archivarium regium ſubſignatum die XXVIII. Februarii MDXXXI. a nativitate. Signum H. Danev. 1531.

Sequuntur litteræ patentes Caroli regis Jeruſalem & Siciliæ, &c. in idem argumentum, quas ut pote ſimilis tenoris omittimus. Datæ ſunt Draguignano, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo, die ſecunda Aprilis, ſecunda indictione.

Harum vero litterarum apographum ex authentico exhibuit domina Magdalena de Grueil du Sais abbatiſſa prefati monaſterii ſanctæ Claræ Siſtaricenſis, collatum ad dictamen magiſtri Pauli de Richaud in curia patroni, ad requiſitionem dictæ abbatiſſæ, a Joanne Pellicier regio notario apud Siſtaricum XX. *Novembris* MDCLXXI.

Signum du Sais abbatiſſa. Signum de Richaud patronus. Signum Pellicier notarius.

INSTRUMENTA AD PROVINCIAM ARELATENSEM PERTINENTIA.

QUÆ SPECTANT AD METROPOLIM ARELATENSEM.

I.

Privilegium Ludovici regis pro Rigmundo ſacerdote, atque Arelatenſi, ut videtur, præpoſito.

898. Ex autogr. archiep. Arelat.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Hludovicus gratia Dei rex. Si neceſſitatibus atque utilitatibus fidelium noſtrorum, divini cultus amore, faventes ſubvenire curamus, procul dubio fructum divini muneris a Domino conſequi non dubitamus, imitantes veſtigia prædeceſſorum noſtrorum regum piorum, quorum puſillimum ſemper ſtudium fuit, ut quibus præeſſent, prodeſſe etiam & ſatagerent. Quocirca omnium ſanctæ Dei eccleſiæ, noſtrorumque fidelium præſentium ſcilicet & futurorum univerſitati notum fore cupimus, quoniam quidam venerabilis ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus nomine Roſtagnus, noſterque fidelis, noſtram ſtrenue adiens excellentiam enixius poſtulavit, quatinus cuidam ſacerdoti nomine Rigmundo quendam manſum de comitatu Vaſenſi, conſiſtentem in comitatu Avinionenſi, in villis nuncupantibus, Tres-male, Villa-nova & Bituttica, per præceptum auctoritatis noſtræ jure hereditario ei concederemus; cujus precibus aſſenſum præbentes, hoc ſerenitatis noſtræ præceptum fieri decrevimus, per quod prædictus fidelis noſter Rigmundus ſacerdos & præpoſitus eundem manſum cum omnibus adjacentiis ſuis futuris temporibus quieto & ſecuro ordine perpetualiter poſſideat. Et ut hæc noſtræ præceptionis auctoritas noſtris, futuriſque temporibus inconvulſam atque inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria roborantes, anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Signum Hludovici ſerenissimi regis. Arnulphus notarius ad vicem Barnoini archiepiſcopi * recognovi. Actum eſt hoc præceptum apud Avenionem caſtrum, anno incarnationis Domini DCCCXCVIII. indictione I. anno VII. regnante Hludovico glorioſo rege feliciter.

* Viennenſis.

II.

Privilegium Ludovici imperatoris pro eodem Rigemundo ipſius oratore.

904. Ex autogr. archiep. Arelat.

IN nomine Domini Dei æterni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Hludovicus gratia Dei imperator auguſtus. Omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet ac futurorum noverit induſtria, quoniam Arnolfus cancellarius dilectiſſimuſque fidelis noſter, noſtram . . . . . adiens excellentiam enixius poſtulavit, quatinus cuidam noſtro fideli oratori Rigemundo ſacerdoti nomine concederemus & confirmaremus ea, quæ a nobis jampridem conceſſa ſunt jure proprietario: videlicet quidquid de comitatu Vaſenſi, in comitatu Avinionenſi, in villulis ita nuncupantibus videtur habere: ſcilicet in Fontanas, & in Villa-nova, & in Tres-males, & in Pargo, necnon & in Biſturrica, una cum ſervis & ancillis utriuſque totum & ad integrum, ut ei concederemus tam ipſi quam ſuis heredibus cum omnibus quidquid inibi viſum eſt pertinere, tam quæſitum quam exquerendum, omnia omnino in integrum per præceptum noſtræ auctoritatis. Cujus precibus aſſenſum præbentes, hoc ſerenitatis noſtræ præceptum fieri decrevimus, per quod jam dictus noſter fidelis Rigemundus ſacerdos, ea omnia quæ ſuperius ſive futuris temporibus obtinere valeat, tam ipſe quam ſui heredes, poteſtatemque habeat tenendi, donandi, vendendi, & heredibus ſuis libere relinquendi, remota totius poteſtatis inquietudine aut minoratione. Et ut verius habeatur ac diligentius ab omnibus obſervetur, manu propria firmavimus & anuli noſtri ſubtus juſſimus aſſignari. Signum domni Hludovici ſereniſſimi imperatoris. Arnolfus cancellarius juſſu imperiali recognovi. Actum apud Viennam an. Dom. DCCCCIV. indict. VI. anno III. imperante Hludovico imperatore, in Dei nomine feliciter. Amen.

III.

Manaſſis archiepiſcopi Arelatenſis donatio de Juliaco facta monaſterio Cluniacenſi.

Ex chartar. Cluniac.

DUm in hujus ſæculi laboriosa vivitur peregrinatione, interim cum licet, dumque tempus acceptabile atque dies ſalutis videntur, ſummopere providendum eſt, ut ſi qua agere bona valemus, omni dilatione poſtpoſita, operari non pigritemur, facientes noſtri eos debitores, quos veraciter novimus in præſentiarum corporum ſaluri conſulere, & in futuro animarum judices eſſe minime dubitamus. Quia enim poſt mortem nihil boni facere poſſumus, operæ pretium credimus antequam ad illud ſubtile & incomprehenſibile ducamur examen, occulto judici ſatisfaciendo, negligenter a nobis commiſſa manu pœnitentiæ in iſtius ævi brevitate qualitercunque tergere non deſiſtamus. Igitur ego Manaſſes indignus archiepiſcopus ſcelerum, meorum enormitatem conſiderans, & quod eſt ſalubrius, illam Domini noſtri Jeſu Chriſti dulciſſimam vocem delectans, qua ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur: & divitiæ viri redemtio animæ ejus.* Sunt autem res meæ quæ adjacent comitatui Cabilonenſi, quæ de paterna hæreditate mihi obveniunt, quas pater meus Warnerius poſſedit jure dominantis, totum & ad integrum Deo omnipotenti & S. Mariæ Dei genitrici, necnon & ſanctis apoſtolis ejus Petro ſcilicet & Paulo in perpetuum trado atque tranſfundo. Cluniacum denique monaſterium hujus facti delego atque conſtituo præceptorem & vicarium, quatenus ab hac die & deinceps domnus Heymardus abbas, qui prædicti cœnobii gubernacula pio moderamine nunc Deo annuente adminiſtrat, cunctique ſucceſſores ejus eaſdem res omnibus diebus regant & ordinent, atque ut ſibi placuerint in ſervitio Dei diſponant. Eſt

Luc. 11. 41. Matth. 6. 20. Prov. 13. 8.

enim ipſe locus in honore Dei, & in veneratione beatæ Mariæ ſemper virginis, & eorumdem apoſtolorum conſecratus in pago Matiſconenſe ſitus. Sunt autem, ut jam ſupra inſertum eſt, ipſæ res ſitæ in comitatu Cabilonenſe, in vicaria Buxiacenſi, hoc eſt Juliacum, cum omnibus appenditiis ſuis ad ſe pertinentibus, hoc eſt eccleſia in honore ſancti Mauricii conſecrata, & eccleſia ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſancti quoque Johannis, necnon & altera ſancti Martini cum omni integritate, ut jam ſupra ſcriptum eſt, cum ſervis & ancillis, & omnibus ædificiis, vineis, pratis, campis, ſilvis, paſcuis, aquis, molendinis, exitibus & regreſſibus, vircareis cultis & incultis, quæſitum & ad inquirendum Domino Deo dono, donatumque in perpetuum eſſe volo pro remedio animæ meæ, necnon pro anima patris & matris meæ Teutbergæ, & fratrum meorum Hugonis, videlicet atque Richardi, Boſonis quoque & ceterorum omnium parentum meorum. Inſuper pro ſalute vivorum, & requie omnium defunctorum, quatenus ſemper rectores jam dicti monaſterii & ibi Deo famulantes abſque alicujus interpellatione in perpetuum firmiter, ſolideque teneant. Si quis vero, quod abſit, ego ipſe aut ullus homo contra hanc donationem, aliquam calumniam inferre conaverit, omni maledictioni ſubjaceat, niſi ad emendationem venerit. Signum Manaſſes, qui hanc donationem fieri juſſit. Signum Guntarii. Ayrardus ſanctæ ſedis Vendaſcenſis humilis epiſcopus firmavit. Signum Bertæ comitiſſæ. Warnerius Haba. Lambertus. Hodilus. Pontius. Ado. Warmundus. Ragabertus. Archimbertus. Roſtagnus. Bonefacius. Heldegarius. Maiagaudus. Arnulfus. Hugo. Data menſe Septembri anno XIII. Loudovici regis Francorum. Rodulfus levita ſcripſit.

IV.

Diploma Roberti Burgundiorum ducis, quo ratam habet præfatam de Juliaco donationem.

Ex ſchedis R. P. D. Euſebii Bavilur.

EGO ROBERTUS Domini gratia dux Burgundiorum, filius piæ recordationis Roberti regis Francorum, volo ut ſciant noſtri fideles, qui nunc ſunt, & qui poſt nos futuri ſunt hujus regni duces & præſules, principes & proceres, & omnes utriuſque ordinis nominis Chriſti cuſtodes, quia venit ante præſentiam noſtram, & duorum Hugonum Antiſſiodorenſis & Lingonenſis venerabilium epiſcoporum, & multorum noſtrorum fidelium, noſtræ ſalutis & honoris fidelis & devotus amicus Odilo, videlicet Clunienſis monaſterii preſbyter & monachus, cum quibuſdam ejuſdem monaſterii bonæ opinionis fratribus, in quorum obſequio & ſolatio adfuit etiam domnus Alinardus, monaſterii benigniſſimi martyris Benigni abbas venerandus, deprecantes ut audirem, quo ordine anteceſſores illorum adquiſierunt locum Juliacum in comitatu Cabilonenſi ſitum, cum eccleſia in honore beati Mauricii conſecrata, & ceteris terris cultis & incultis ad ipſum locum pertinentibus, ex qua occaſione negligentia principum & violentia quorumdam hominum inimicorum, Aldonis videlicet & heredum illius perdiderunt, & quo ſtudio & quorum auxilio & benevolentia recuperaverunt. Ordo acquirendi in primis fuit donatio & oblatio etiam liberalis, quando Manaſſes archiepiſcopus Arelatenſis, poſtea Mediolanenſis, obtulit & dedit ſupradictum Juliacum Deo, & ſanctis apoſtolis Petro & Paulo, Cluniaco monaſterio & fratribus, inibi per cuncta ſuccedentia tempora Deo ſervientibus. Fuit enim idem Manaſſes ex majoribus & nobilioribus proceribus Burgundiæ natus, patre Warnerio, matre vero Teutberga, ex quorum hæreditario jure locus ſupradictus ei ſucceſſit in hereditatem. Audiſtis ordinem acquirendi, audite occaſionem perdendi. Fuerunt quidam pervaſores, qui calumniam & violentiam intulerunt ſupradicti monaſterii fratribus, qui veniente duce magno Hugone Francorum in regno Burgundiæ, timentes quod ſupradicti monachi deberent reclamationem facere, præ- venientes eos fraude, ſuaſerunt duci quod ex beneficio illius deberent poſſidere prædictum locum Juliacum. Sed dux audita nobili & feſtiva Manaſſe donatione, & juſtiſſima monachorum reclamatione, non curavit de ſuaſionibus ſatellitum, ſed pro ſua clementia reſtituit ſupradictum Deo & principibus apoſtolorum, ad ſuſtentationem Clunienſis cœnobii monachorum: quo decedente, ſupradicti pervaſores & eorum hæredes inſurrexerunt, & calumniam & violentiam iterum ſupradictis monachis intulerunt, uſque dum Otto cognomento Willelmus, ſancto Petro reſtituit & reddidit: & quia cognovit ſe ex parte ducis Henrici Juliacum locum injuſte acquiſiſſe beneficium, rogavit ipſe domnum regem Robertum ut in ſua redditione & donatione aſſenſum præbetet, & ex ſua parte Deo & ſanctis apoſtolis donaret & redderet; quod factum eſt, & pii regis benigna clementia, & boni principis pia benevolentia; & ut injuſta violentia diu illata ſupradictis monachis omnino ceſſaret, & perpetuo irrita fieret, calumniatoribus ſupradictarum rerum, idem comes Willelmus pro eo quod injuſte tenebant, aliud eis dedit beneficium, videlicet pro terris terras, & inſuper a monachis non parvas acceperunt pecunias. Poſtea vero Willelmo & Raynaldo filio ejus præcipientibus, isdem ipſi calumniatores, iterum aliud receperunt beneficium, & apud Clunienſe caſtrum omnem ſuam calumniam depoſuerunt, & ut ita dicam, ſolemnem & publicam werpitionem fecerunt, coram omnibus principibus & ſenioribus qui adetant, ſponte & voluntarie. His ita geſtis audiens ſupranominatus dux Robertus jam dictum locum Juliacum a poſſeſſore ſuo Manaſſe archiepiſcopo SS. apoſtolis Petro & Paulo, fratribus Clunienſibus deſtinatum & legali teſtamento confirmatum, & auctoritate legali corroboratum, & calumniam ſupradictorum hominum totiens annullatam & evacuatam, & ad nihilum redactam, præcipiendo præcepit in concilio fidelium ſuorum, ut deinceps ſupradicti fratres jam dictum locum Juliacum, cum omni ſecuritate teneant & poſſideant, & ut eis placuerit ordinent. Si quis eis, quod abſit, calumniam inferre tentaverit, niſi cito reſipuerit, & congrua ſatisfactione emendaverit, ſciat ſe & mundanis legibus obnoxium, & cæleſti propitiatione indignum. Et ut hæc notitia firmum tenorem obtineat, domnus dux Robertus manu propria firmavit ac corroboravit, & ut alii firmarent juſſit & rogavit. S. Hugonis epiſcopi Antiſſiodorenſis. Signum Hugonis Lingonenſis epiſcopi. Signum Hugonis ducis filii, bonæ indolis pueri. S. matris ejus. S. Odalrici decani. S. Anſculfi clerici. S. Arbei clerici. S. fratris ejus Milonis. S. Widonis. S. Umberti. S. Theoderici. S. Rainaldi. S. Bernardi. S. Aldigerii. S. Willelmi. S. Araldi.

V.

Privilegium Ludovici III. imperatoris pro eccleſia Arelatenſi, in gratiam Manaſſis archiepiſcopi.

Ex tabul. capitul. Arel.

IN nomine ſummi Dei æterni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Ludovicus ſuperna favente gratia imperator auguſtus. Decet imperialem celſitudinem, ut beneficiis opportunis fidelium ſuorum devotionem remuneret, quos ſuis rite cognoſcit adeſſe obſequiis. Igitur comperiat omnium fidelium ſanctæ Dei eccleſiæ, noſtrorumque præſentium & futurorum induſtria; quia Manaſſes ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus, noſter chariſſimus propinquus, noſtræ ſuggeſſit ſerenitati, ut ſuper omnes res, quas per præceptum quondam anteceſſor ſuus Roſtagnus a genitore meo Boſone, ſive & a noſtris prædeceſſoribus adquiſivit, itidem ei facere juberemus præceptum, per quod ipſas res firmius & ſecurius obtinere, regere & poſſidere valeret. Cujus petitioni ob irrevocabilem circa nos ſuæ directionis * fidelitatem aſſenſum præbentes, hos eminentiæ noſtræ apices fieri decrevimus, per quos ipſæ res, id eſt abbatiam Anianam, & abbatiam ſanctæ Mariæ de Gordanicis, atque de Crudatis, cum omnibus appenditiis ea-

* *f.* dilectionis

Digitized by

rum, portum etiam Arelatensem, tam ex Græcis, quam ex aliis advenientibus hominibus, necnon & teloneum simul cum moneta, ad jus & proprietatem ecclesiæ sancti Stephani, omni tempore teneat & possideat, & in suos proprios usus quicquid facere voluerit, faciat nemine contradicente. Insuper & omnes res quas antecessor suus ab antecessore meo obtinuit, scilicet Judæos pro fata ecclesia, perpetuo obtineat jure. Et ut hæc nostræ largitionis authoritas, inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subtus firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Ludovici serenissimi augusti. Uboldus notarius, ad vicem Alexandri archicancellarii recognovi. Datum est hoc præceptum Viennæ, kal. Februarii, anno xx. domini nostri Lodoici augusti, in Christi nomine feliciter. Amen.

VI.

Charta visitationis monasterii Crudatensis facta ab Iterio Arelatensi archiepiscopo.

970. ANno incarnationis Dominicæ DCCCCLXX. cum resideret sanctæ Dei Arelatensis ecclesiæ archipræsul Iterius, in cœnobio super Rhodanum amnem consito, qui vocatur Crudatus, exquirens sanctæ religionis cultum, cum abbate ejusdem monasterii, nomine Abraham, & ceteris fratribus sub ejus potestate Domino famulantibus; adiit præsentiam prædicti archiepiscopi, nobilissima fœmina & matrona quædam, nomine Godolindes, petens humiliter archiepiscopum, ut in præfato cœnobio ecclesiam destructam quondam, quæ fuerat sancti archangeli Michaëlis, dedicaret. Cujus precibus obtixe favens, domnus archiepiscopus respondit se annuere; sic tamen, ut eam ex hereditate sua dotaret..... Quapropter jamdicta venerabilis matrona voluntarie obediens, donavit in dotem ejusdem ecclesiæ, &c. Acta hæc donatio in monasterio Crudatis, v. kal. Octobris, anno xxxio. regnante Conrado rege. Signum Gotholindis, quæ hanc chartam scribere rogavit.

VII.

Charta Raimbaldi archiepiscopi Arelatensis pro sancto Victore.

1011. Ernol. chart. S. Victor. fol. 9.

OMnipotentem Deum cum ineffabili providentia suo velle liquet creasse cuncta, extat homini datam ad possidendam terram, simulque subsistentia in ea vel ex ea. Quocirca ego Rahimbaldus gratia Dei sedis Arelatensis præsulatus honore sublimatus, enorme scelus meum considerans plurimum, necnon discussionem futuri peccatorum judicii, terroresque immanium flammarum gehennalium, &c. Igitur horum memor, terrorem judicii formidans, clementiam redemptoris amplectens, terram meæ potestatis meæque ditionis omnipotenti Deo, sanctique Victoris martyris monasterio haud longe a mœnibus Massiliæ fundato, abbatibus ac monachis futuris & præsentibus ibidem Deo servientibus statui donandam, & perpetim habendam; videlicet de castro quod vocatur Auriol omnem meam partem quam ego ibi habeo, vel alius pro me, vel excepto alode jam dato in villa & castello, & omni territorio in cultis & in ermis *, in vineis & pratis, pascuis & silvis, garricis & oglatis, cum cunctis molendinis ad meam partem pertinentibus de alode & feu *, exceptis duobus mansis, quos dedi Aldoardo & Pontio. In omnibus igitur & per omnia de supradicto castro & de omnibus appendiciis ejus quæ pertinent ad meam, ut ita dixerim, friscam dono sancto Victori perpetualiter hæc omnia meorum timore peccatorum, simul & æternorum amore præmiorum, venerabili loco cœtui fratrum sancto, trado possidenda, habenda, vel tenenda, pro animæ meæ, genitorumque meorum remissione omnium peccatorum. Ullus vero nostrorum parentum, sive fratrum quicumque personarum, si habuerit velle donum hoc annullare, non valeat implere, sed componat in vinclo decem libras de auro, iraque Dei summi se faciat absumi, pœnas perennes pati, & in infernum trudi; & deinceps hoc donum perpetuum ac firmum permaneat in ævum. Acta est hæc donatio anno ab incarnato Domino MXXXV. indictione III. Ego Rahimbaldus cum hæredibus meis hanc cartam fieri jussi & firmare rogavi. Bonofacius frater meus me precante firmavit, & cæteri qui sequuntur. Willelmus vicecomes Massiliæ, una cum filiis suis domno Pontio episcopo, Aicardo & Fulcone, Stephano & Bertranno firmaverunt. Autrannus firmavit. Pontius de Lambisco firm. Guiquirannus firm. Fulco firm. Majolus firm. Noe firm. Rainaldus firm. Atenulfus firm. Bonifacius firm. Faraldus firm. Guisla firm. Bonifacius firm. filius suus Pontius Milo firm. Pontius Autrico firm. Rostagnus Villamuro firm. Bonporus firm.

* f. eremis.

*f. feudo.

VIII.

Charta Rajambaldi, qua ecclesiam sancti Genesii & sancti Honorati, dat Victorinis monachis.

Eughetterh S. Cæsarii.

OMnipotentis Dei incomprehensibili dispositione adeptus hujus sanctæ sedis Arelatensis pontificale culmen, multa subinde mecum de eodem regimine cœpi in animo evolvere, &c. Unde quadam die, de religioso loco in honorem sancti Genesii, vel sancti Honorati constructo, foras muros nostræ civitatis posito, multa volvens mecum in animo, quomodo de tam spirituali prisci temporis monachorum officio, versus esset in possessionis secularis servitio, mecum tractavi, ut illum locum darem monasterio sancti Victoris de Massilia, in quo constitueret Isarnus abbas monachos in Christi servitia. Igitur ego Raimbaldus, gratia Dei in præsulatus honorem sublimatus, ipsam ecclesiam sancti Genesii, cum omnibus sibi subjectis ecclesiis, & cætera omnia quæ in præsenti videntur tenere, & quidquid in futuro poterit acquirere, de ipsis rebus, quas jam tenuit, vel undequaque aliunde acquisierit, exceptis illis laicalibus feudis, & quidquid laici illi ex ipsis suis feudis abbati congregationis cesserunt, cum eo consilio, vel exterorum episcoporum meorum successorum, totum in manus Isarni abbatis sancti Victoris de Massilia, tradimus, donamus, cedimus jure perpetuo, nobis in hoc consentientibus totius Provinciæ principibus, seu comitibus Josfredo atque Bertranno, & nostræ sedis canonicis Arelatensibus, Poncio Massiliensi episcopo, cum fratribus; tali ratione, ut a monachis, vel ab abbate, census per singulos reddatur annos altari sancti Stephani, vel sancti Trophimi, libra una incensi in festo sancti Trophimi. Idipsum enim quod inspirante Deo egimus sacrorum canonum & legalis jubet authoritas, ut de rebus episcopii construatur monasterium.

IX.

Charta fundationis cœnobii Barjolensis.

DOmino Alexandro S. R. sedis apostolicæ Reibaldus Arelatensis archiepiscopus, utriusque hominum famulatum. Quoniam paterno affectu, beatissime pater, diligo, amplector & veneror; si bene vales, incolumitate tua gaudeo; sin alia, dolor me cruciat; siquidem notum tibi facio me in honorem beatæ semperque virginis Mariæ, in territorio civitatis Forojulensis, quandam construxisse ecclesiam, in qua etiam quosdam clericos posui, quos & sub regulari norma constitui vivere. Verum quia universalis sancta Dei ecclesia apostolica semper ordinibus viget & subsistit, beati Petri juri, & tuo, successorumque tuorum dictorum, præfatam ecclesiam perpetualiter suppono, & ut tuo proprio eam sanctias chirographo humiliter deprecor.

a Hic errorem in annorum numero suspicamur: certe annus trecesimus primus Conradi regis erat DCCCCLXVIII. Christi.

Digitized by Google

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabilibus Reibaldo Arelatensi archiepiscopo, & Bertrando Forojulienſi episcopo, perpetuam in Domino salutem. Quoties illa * a nobis requiritur quæ justitiæ concordare videtur, libenter debemus impendere, & justa poscentium animis condescendere. Quia igitur, carissime frater Reibalde Arelatensis archiepiscope, postulastis a nobis ut ecclesiam sanctæ Mariæ sitam in villa quæ vocatur Barjolis, in territorio vestræ civitatis Forojulii, quam beati Petri perpetualiter juri supposuisti, privilegio confirmaremus apostolicæ sedis, inclinati precibus tuis, ipsam ecclesiam sub tutela & defensione S. R. ecclesiæ recipimus, eamque ab omni infestatione liberam & quietam esse decernimus: ita quidem, ut pro ea annualiter sanctus Petrus habeat unum aureum denarium. Propterea confirmamus ut quidquid nunc juste possidet vel deinceps apostolica interdicente autoritate . . . . . ut nullus ibi præpositus constituatur, neque clericus aut monachus inducatur absque voluntate eorum qui vi perfectionis* se se eidem ecclesiæ servituros devoverent . . . . Interdicimus etiam ut nulla ecclesiastica secularisve persona præsumat præfatam ecclesiam inquietare, aut ea quæ superius continet infringere. Quod si quis temerario ausu præsumpserit . . . . . At vero qui custos & observator extiterit, & pio intuitu aliquod bonum ibi conservare studuerit, repleatur abundantia apostolicæ benedictionis.

* f. tus

* f. professionis.

Quamvis nulla temporis nota hisce litteris appositа sit, eas tamen Alexandro II. vindicamus, quia juxta Platinam, in chartarum Romanæ curiæ indicibus factis tempore hujus papæ reperiuntur.

X.

Bertrannus comes Provinciæ, &c. reddunt sanctis Stephano & Trophimo ecclesiam beatæ Mariæ de Ratis.

Ex authentico Arelatens.

EGO BERTRANNUS comes, & mater mea Stephania, simulque conjux mea Mathildis, pro remissione peccatorum nostrorum reddimus, libere & absolute ecclesiam sanctæ virginis Mariæ de Rads, cum omnibus suis appendentiis sancto Stephano & sancto Trophimo, necnon canonicis sedis eorundem Deo servientibus, ut posthac ab integro possideant, & in nullo eorum quod facere voluerint, resistamus; propterea accipimus, de rebus canonicorum ccc. videlicet solidos, quatenus si quilibet rem a nobis redditam impedire, vel inquietare tentaverit, nos canonicis prænotatis adjutores existamus. Sane si qua persona frangere aut irrumpere voluerit, &c. Bertrannus comes, qui hanc cartam scribere jussit manu propria, Stephania mater, & Mathildis conjux, firmarunt.

Eamdem ecclesiam Aicardus archiepiscopus cessit Monti-majori, adstantibus Raiambaldo præposito, Bertranno sacrista, Pontio decano, aliisve canonicis sub ann. MLXVI. *ex ejusdem abbatiæ tabulario.*

XI.

Josfredus vicecomes, & Aicardus archiepiscopus ejus filius &c. sanctis Victoris monasterio dant quemdam aquæductum.

1079. Ex magno chart. Massil.

EGO JOSFREDUS vicecomes civitatis Massiliæ, filiique mei Aicardus civitatis Arelatensis archiepiscopus, Josfredus, Hugo, Raimundus, Pontius, Fulco, Petrus, necnon & frater meus Guillelmus, cum filiis suis, Pontio Malnerio, Josfredo, Petrus Saumata cum filiis suis, Hugone & Guillelmo, justis Domini promissionibus incitati; simul & etiam nostrorum peccatorum immanitate tractanda, omnipotenti Deo ac sanctæ Mariæ, sanctoque Victori martyri glorioso, & præclaro fundatori cœnobii Massiliensis Cassiano, dominoque abbati Bernardo, sive etiam abbatibus ac monachis præsentibus & futuris summo Deo famulantibus, donationem facimus de aquæductu, qui vocatur Welna, cum omnibus fontibus in eadem aqua descendentibus, omnemque scilicet terram, per quam itura est, ex apprehensione ipsius aquæ, quæ est ad ecclesiam sancti Melne, & omnem piscationem ipsius aquæ sine ullius hominis interpellatione, usque ad descensum ejus in mare, hoc summopere firmantes & statuentes, ut nulla quælibet persona masculus aut fœmina eam deviare aut retorquere præsumat, &c. Acta hæc donatio in solemnitate sancti Victoris, in cœtu omnium illic adstantium episcoporum, presbyterorum, abbatum, monachorum, ex diversis provinciis congregatorum, altare * S. Petri principis apostolorum; in hoc ardentius & instantius laborante & insudante Reinaudo præposito ejusdem cœnobii patre, id fieri acclamantibus, assentientibus clericis & laicis, in præsentia archiepiscopi sanctæ ecclesiæ Arelatensis, ad perfectum pervenire optantibus & exorantibus omnibus. Si quis vero hanc donationem irrumpere tentaverit, &c. Ego Josfredus & filii mei hanc donationem scribere feci, & hanc testes firmare rogavi. Facta donatio hæc an. incarnationis Dominicæ MLXXIX. indictione I. epacta XV. & concurrente I. cyclo lunæ XIV. * regnante Domino nostro Jesu Christo.

* f. ad altare

* al. sumi

XII.

Aicardus archiepiscopus Arelatensis, Bertrandus comes, &c. restituunt S. Victori pontem piscatorium, &c.

ANtiquis patrum sanctorum docemur exemplis, ut quandocumque aliquid memoriale memoriæ commendare voluerimus, id per paginæ testamentum commendetur, ne quandoque per intervalla temporum ex incuria, aut ex aliqua interveniente occasione oblivioni forte detur. Verum ne multis immoremur prætermittendo plura, ad ea unde agendum est veniamus. Norum satis est fidelibus tam laicis quam clericis, pontem piscatorium & piscatorias de ponte, & stagnum ad ecclesiam S. Stephani, & beatissimi Trophimi pertinere, & ejus juris & ditionis esse a B. Cæsario luce clarius constat; sed ob injuriam & violentiam Pontii de Fossis, & suorum, injuste & irrationabiliter ad præsens sublata hæc esse non ignorantur. Unde permoti ego Bertrannus comes, & Aicardus Arelatensis archiepiscopus, & Willelmus Ugo reddimus Deo & beato Stephano, & SS. Trophimo, & canonicis ibidem in commune viventibus, & Deo servientibus omnem decimam in piscatoriis de Ponte, quæ nunc sunt, & in antea futuræ erunt, videlicet in Burdigulis & in cannatis, & in omni stagno de omnibus piscibus quocumque modo capti fuerint. In castro quoque & in villa, & in omnibus adcrescentibus bonis, tam terrestribus quam aquestribus, insuper & ecclesiam cum sibi debite pertinentibus. Signum Aicardus Arelatensis archiepiscopus, & Bertrannus comes, & Willelmus Ugo, qui hanc chartam fieri jusserunt in præsentia multorum virorum manu propria firmaverunt, & testes firmare jusserunt. Si quis autem contra hæc ire tentaverit, maledictionibus quæ sunt scriptæ in veteri & in novo testamento subjaceat, & habeat partem cum Datan & Abiron, & cum Juda traditore, qui Dominum tradidit, & audiant terribilem vocem in judicio Domini dicentis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo & angelis ejus.* Decimam autem reddentes mereantur audire a Domino; *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum est ab origine mundi.*

Matth. 25. 41.

Ibid. v. 34.

XIII.

Raimundi comitis ſancti Ægidii reddentis eccleſiæ Arelatenſi & Gibellino archiepiſcopo terram de Argentia.

1105. *Ex archiep. Arelat. libro manuſcripto ad S. Petrum.*

IN nomine ſanctæ Trinitatis, &c. Ego Raimundus ſancti Egidii comes, fragilis & multipliciter reus peccator, de ineffabili miſericordiſſimi Dei benignitate confiſus, in ipſo meæ mortis articulo utiliter & ut decet Chriſtianum, conſultus de multis, quæ ipſe ego contra ſanctam Arelatenſem eccleſiam inique egi, & a meis quoque progenitoribus inique acta uſque in hodiernum diem injuſte conſenſi, pœnitentia ductus, hæc pauca pro redemptione animæ meæ emendare ſtudeo. Igitur in terra, quæ Rhodano contermina Argentia vocatur, quam totam propriis juris prædictæ eccleſiæ eſſe agnoſco, & manifeſte confiteor, contra hoc quod neceſſe eſſet, nimia adhuc carnalitate detentus, filiis meis majorem portionem, ſub ſpe tamen emendandi, atque ſancto Trophimo, atque ſancto Stephano jus ſuum, id eſt totam Argentiam in integrum reſtituendi, relinquo. Ad præſens autem pro remedio animæ meæ, hanc portiunculam ipſi Arelatenſi eccleſiæ, atque venerando ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopo Gibilino, & ſucceſſoribus ejus, & clero, reſtituendo abſque omni calumnia concedo; ſcilicet villam quæ vocatur Furcas, cum omnibus appendentiis, videlicet de Rhodano & paludibus, de vineis & arboribus tam fructiferis quam infructiferis, de terris tam cultis quam incultis, de portu Rodanet & de paſcuis, & de omnibus terrarum redditibus, & omnes eccleſias, & decimas totius Argentiæ ei reddo. Præterea concedo eidem eccleſiæ in caſtellis Albarone & Fos, quartam partem eorum, quam a majoribus meis injuſte poſſeſſam, ego quoque poſt illos mea culpa poſſedi. In Arelatenſi quoque civitate dono eidem eccleſiæ, meam quartam partem de paſcuis, & leſdis, & montationibus*. Precor denique Bertrannum & omnes ſucceſſores, & homines & amicos meos, ut ſi forte debiti vel cujuſlibet occaſionis impedimentum, in prædictis honoribus factum eſt, pro amore Dei & pro recordatione beneficiorum quæ erga illos aliquando exhibui, illud exolvant, & ad uſus ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ illud reſtituant, &c. Hoc teſtamentum factum eſt apud montem Peregrinum in Syria, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, Paſchali papa ſanctæ Romanæ eccleſiæ præſidente, MCV. incarnationis Domini, indictione XIIJ. menſis Januarii, videntibus Aimino Tolonenſis eccleſiæ epiſcopo, Aicardo de Maſſilia, Raimundo de Balcio, decano de Poſcheriis, Bertranno Porcelleto, Villelmo Arvei, Pontio de Fos, Roſtagno de Port, & multis aliis. Gervila comitiſſa firmat, Adefonſus filius ejus firmat. Poncius de Broſio ſcripſit.

* *Tributum quod a servis qui adverſus eccleſiam peccaverint debetur. Gall. Monnage.*

XIV.

Bernardus archiepiſcopus Arelatenſis dat hoſpitalariis Jeroſolymitanis eccleſiam ſancti Thomæ.

1119. *Ex aut. ant. capitulo.*

NOtum ſit omnibus, quod ego Bernardus Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus, communi conſilio canonicorum, Raimundi ſcilicet decani, Bernardi de Aqueria, Michaëlis Stephani de S. Leoncio, Guillelmi de Taraſcone, Guillelmi de Cabannis, &c. confirmo Deo & ſancto Joanni Baptiſtæ, & hoſpitali ſancti Sepulchri, & pauperibus, & tibi Stephano Raimundo hoſpitalario, & Guillelmo de ſancto Clemente, & Annoni, & ceteris confratribus, ſicut ab Attone ar receſſore meo data eſt, eccleſiam ſancti Thomæ apoſtoli, cum omni honore illo, quem circa prædictam eccleſiam in præſenti poſſideris, & quem deinceps communi conſilio canonicorum ſancti Trophimi adquiretis, ſalva reverentia & fidelitate Arelatenſis eccleſiæ; eo tamen tenore, ut per unumquemque annum in vigilia natalis Domini ſolidos CXV. Melgorienſis monetæ, pro honore illo A canonicis perſolvatis. Iſtius etiam prænominati honoris decimas, atque raſchas, ſine omni impedimento retinemus, hac iterum conditione, ut decimas noſtrarum eccleſiarum a nemine accipiatis, nec corpora mortuorum, niſi confratrum vobis datorum, & veſtræ familiæ, abſque conſenſu archiepiſcopi & canonicorum, ibi ſepeliatis, &c. Acta eſt hæc carta in civitate Arelate in menſe Octobri, XIV. kalendas Novembris anno ab incarnatione MCXXIX. indictione VII.

XV.

Littera Ildefonſi comitis Provinciæ pro eccleſia Arelatenſi.

1141. *Ex archiep. chartophyl.*

B VEterum principum ſanxit authoritas, &c. Eapropter ego Ildefonſus comes Tholoſanus, dux Narbonæ & marchio Provinciæ, propter querimonias quas Raimundus Arelatenſis archiepiſcopus, & anteceſſores ſui pro Arelatenſi eccleſia adverſum me & anteceſſores meos fecerant, conſilio quorumdam baronum meorum, videlicet Raimundi de Baucio, & Hugonis filii ejus, Roſtagni de Sabrano, Raimundi de Malac, Bremundi de Uceta, Gaucelini de Claret, Petri de Lambiſco, & Arnaldi Raimundi, multorumque aliorum, ſolvo, reddo, & dono Deo & ſanctæ Arelatenſi eccleſiæ, & tibi Raimundo archiepiſcopo & ſucceſſoribus tuis, omnes decimas novarum terrarum, in tota Argentia in præſenti conſtitutarum, & in futuro conſtituendarum. Præterea trado tibi Raimundo & ſucceſſoribus tuis, inſulam illam C cum omnibus ſibi præſentialiter & in futurum pertinentibus, quæ Boſcus Comitalis appellatur. Præterea concedo tantum in illis pratis, quæ vulgo Prata Comitalia vocantur, &c. Recognoſco etiam quod quidquid habet in Argentia, vel homo, vel femina, per me de eccleſia Arelatenſi & archiepiſcopo, ego & ſucceſſores mei tenebo, & habere debemus ad feudum; & propter iſtud feudum, ego Ildefonſus comes & ſucceſſores debemus unicuique Arelatenſi archiepiſcopo homagium facere, & jurare illam vitam, & membra, & corpus ſuum, & eccleſiam, & clauſtrum Arelatenſe, & caſtellum de Salone, & caſtrum de ſancto Amantio, ita quod ego non auferam illa, nec ex illis archiepiſcopo Arelatenſi, &c. vel nuntio ſuo commonitus, de iis adjutor illi ero per fidem & ſine inganno. Et ego Raimundus Arelatenſis D archiepiſcopus, conſilio Hugonis decani, Guillelmi præcentoris, Wilelmi de Gorda conſulum, & multorum preſbyterorum Arelatenſis eccleſiæ amicorum, laudo & concedo tibi Ildefonſo comiti & ſucceſſoribus tuis, totam Argentiam; hoc excepto, quod ego ibi habeo, vel homo, vel femina per me; & excepto omni jure canonicorum Arelatenſis eccleſiæ; eo tamen tenore, ego Raimundus archiepiſcopus concedo feudum ſupradictum tibi Ildefonſo comiti & ſucceſſoribus, ut tu & ſucceſſores tui prædictam conventionem, mihi & ſucceſſoribus meis, per fidem pro tempore ſervatis. Facta ſunt autem hæc apud villam Furcas, juxta caput eccleſiæ ſancti Martini verſus orientem, anno ab incarnatione MCXLIII. IV. nonas Septembris. Teſtes, Amelius decanus, Willelmus præcentor, Raimundus de Baucio, Vilelmus Porcelleti, & alii.

XVI.

Bulla Anaſtaſii papæ IV. qua eccleſiæ Arelatenſis privilegia & bona confirmat.

1153. *Ex autograph. archiep.*

ANASTASIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Raimundo Arelatenſi archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Arelatenſem metropolim famoſam & inſignem quondam fuiſſe, atque in Galliarum partibus, multis & dignitatis & gloriæ titulis claruiſſe, tam vetuſta ipſius civitatis indicia, quam authentica veterum ſcripturarum teſtimonia manifeſtant: ſed quia conſiſtentis in ea populi peccata corrigere divinæ diſpoſitio-

Digitized by Google

ni complacuit, guerris undique irruentibus, tam in dignitate, quam in rebus temporalibus ipsa metropolis est plurimum diminuta, cujus contritioni nos, qui licet indigni justitiæ cultores atque custodes, in ecclesia *principis apostolorum Petri & Pauli speculà, disponente Domino residemus, benigno affectu compatimur, & ejus paci & dignitati salubriter, in quantum cum Deo possumus, providere optamus; æquum enim ac rationabile est, ut qui beato Petro & ejus vicariis devotiores esse noscuntur, & sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ parrocinio cupiunt confoveri, ejusdem piæ matris uberibus nutriantur, & in rationabilibus suis petitionibus exaudiantur. Quocirca, dilecte in Christo frater & coepiscope Raimunde, de tuis justis postulationibus clementer annuimus, & prædictam Arelatensem ecclesiam, ad quam nimirum sicut ex dictis beati Zozimi papæ & martyris* evidenter ostenditur, ex hac sancta Romana & apostolica sede Trophimus sanctus antistes, de cujus utique fidei fonte rivulos totæ Galliæ exceperunt, a beato Petro delegatus fuit, sub ipsius apostolorum principis & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum cessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & per vos eidem ecclesiæ permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: monasterium sancti Cæsarii cum omnibus pertinentiis suis, quod idem beatus Cæsarius Arelatensis antistes in alodio ipsius ecclesiæ fundasse dicitur, & de bonis ejus ditasse; ordinationem quoque atque correctionem ipsius loci, ecclesiam beatæ Mariæ de Fosso cum decimis & omnibus pertinentiis suis, ecclesiam beatæ Mariæ de Castello veteri, cum decimis & aliis pertinentiis suis, castrum de Cellone, castrum de sancto Amantio, castrum de Alvernico & de Avalone, castrum de Mornatio & de Montedragone, redditus de ponte sancti Genesii, Judæos, & jus quod habetis in moneta ipsius civitatis, quicquid habetis in partibus & teloneis Arelatensibus. Præterea transactionem quæ inter te & Ansosum Tolosanum comitem, rationabili providentia facta & in scripto redacta est, si rationabilem esse constiterit, authoritate sedis apostolicæ roboramus. Insulam etiam, quæ Boscus-comitalis vocatur, quam prædictus comes ecclesiæ tuæ restituit, tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus. Ad hæc per amplioris & specialioris genere prærogativa * præsenti decreto statuimus, ut nulli prorsus legato, nisi ei tantum qui a Romani pontificis latere fuerit delegatus, Arelatensis provincia sit subjecta. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, &c. Amen. Ego Anastasius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Ymarus Tusculanus episcopus. Ego Hugo Ostiensis episcopus. Ego Gobertus presbiter cardinalis tituli sancti Calixti. Manfredus cardinalis tituli sanctæ Sabinæ. Guido cardinalis sancti Pastoris. Jordanus cardinalis sanctæ Susannæ, &c. Datum Laterani per manum Rolandi sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, VII. kalendas Januarii, indictione II. incarnationis anno MCLIII. pontificatus Anastasii papæ IV. anno I.

* f. ecclesiarum.

* sanctæ dispositionem martyris irrepsisse constiterit.

* f. generis prærogativam.

XVII.

Decreta seu statuta Raymundi Arelatensis archiepiscopi, pro urbis consulibus.

IN nomine Domini nostri J.C. ego Raymundus Arelatensis archiepiscopus, cum consilio quorumdam militum, & proborum virorum, quos nobiscum habere voluimus, & voluntate & sensu aliorum ad honorem Dei & gloriosæ virginis matris ejus & sancti Trophimi, & ecclesiæ ejus innovamus, seu injungimus & facimus in civitate Arelatensi & burgo consulatum bonum, legalem & communem, salvo dominio & jure duorum majorum & minorum illorum, videlicet qui in præsenti consulatu fuerint vel in antea se miserint. Unusquisque vero in hoc consulatu jus suum habeat, jus suum consequatur per manus consulum, & justitiam faciat salvis statutis & bonis consuetudinibus quæ jam in aliis consulatibus receptæ & juratæ fuerunt. Ex membrana S. Cæsarii.

Si quis autem deinceps miles, vel quislibet in consulatu furtum.... vel quamlibet injuriam fecerit, more judiciorum ac secundum leges punietur, & justitiam pro voluntate & arbitrio consulum dabit.

Cognitionem vero firmantiæ ad præsens in nobis retinemus. Cum autem con..... miles de alio milite vel quolibet * de populo firmantiam acceperit, pro se & pro aliis consulibus accipiat. Similiter & in consulibus de populo statuimus.

* f. quilibet.

Hæ autem sunt possessionum consuetudines, quod possessiones quæ a possessoribus sunt detentæ per XL. vel per XXX. annos, secundum differentiam quam inter seculares & ecclesiasticos honores inspici oportet, si nulla rationabili interruptione fuerint interruptæ, sine ulla molestatione ipsis possessoribus a consulibus custodiantur & defendantur.

Et si aliquis honorem aliquem sua propria voluntate sine judicio invaserit, possessionem restituat, & fructus quos inde percepit vel percipere potuit, & expensas quas in petenda possessione fecit, ipsi petitori reddat. Et propter hoc dominis honorum nihil de jure suo diminuatur, sed illi qui habent honorem ab eis, in manibus eorum justitiam firment, & per manum illorum justitiam faciant & recipiant. Verumtamen si domini ultra id quod debent illos adgravaverint, ad consules recurrere possunt, & dominium quod aliqui habent in aliis, sine illorum consilio in quibus dominium illud habetur, nequaquam alii vendant vel emant. Et si filiæ a patribus dotatæ fuerint, vel a matribus, post mortem querimoniam illarum ad paternam vel maternam hæreditatem venire cupientium cum aliis fratribus vel sororibus, secundum antiquum morem Arelatensis civitatis consules non recipiant.

Similiter querelam sororum quas fratres dotaverint non recusantibus illis, nec maritis earum, postea contra fratres de hereditate paterna vel materna litem moventium consules non recipiant.

De injuriis vero illatis consules similiter judicabunt, ita quod secundum qualitatem personarum qui injuriam intulit, pecuniaria pœna condemnetur; & qui passus est injuriam illam, pecuniariam pœnam habeat.

Consules vero deinceps & a militibus & ab aliis justitiam pro bono arbitrio accipiant.

Furta, rapinas, adulteria, homicidia, sanguinis effusionem, raptus mulierum, & alias diversas injurias & turpitudines, secundum suum arbitrium & bonum consilium illorum qui in consiliis fuerint, tam militum quam aliorum proborum virorum, corrigant, castigent & puniant.

Si tamen Dominus servientes vel familiam suam, eo quod circa res earum male versentur, vel turpiter eis respondeant, flagellaverint, vel aliqua & nobilis persona aliquem vilissimum hominem turpiter respondentem, vel contumeliam verborum sibi inferentem percusserit, illorum querimoniam consules non recipiant, nisi tam atrox injuria fuerit, quæ nec familiæ, nec alicui liberæ personæ inferenda sit.

Si qua vero publica consilia in consulatu sunt habenda, si quæ immutationes consulatus, vel consuetudinum meliorationes, augmentationes, vel diminutiones, vel pro communi utilitate guerræ vel vindictæ, vel pecuniarum collectiones sint faciendæ, ad illas faciendas consules cum meliori & saniori consilio consulatus & archiepiscopi, civitati & consulatui provideant; & quod inde sic statuerint, firmiter & bona fide teneatur. A

Extranei vero prima vice cum venerint in civitate placitare, non cogantur, nisi fuerint ignoti vel tales, de quibus suspicio habeatur, quod de his justitia haberi non possit.

Qui fuerint in consulatu causas extraneorum non agant, vel deffendant nisi sint consanguinitate, dominio, vel affinitate eis conjuncti, vel consules advocatos illos dederint. B

Consules tempore sui consulatus nullum in judicium vocent, nisi de his quæ in ipso consulatu facta fuerint vel satisdatio ante sit facta.

Pro discutiendis negotiis consules nullam promissionem, nullum præmium accipiant; consul qui hoc fecerit, a consulatu expellatur. Consiliarius qui consilium secretum prodiderit, similiter expellatur. Litigator qui pecuniam promiserit vel dederit, competenti pena puniatur.

In hoc consulatu erunt XII. consules, IV. milites, IV. de Burgo, II. de Mercato, & II. de Borriano, per quos illi qui fuerint in consulatu regentur & gubernabuntur; & accepto regimine consulatus habebunt potestatem judicandi, & quod judicatum fuerit exequendi tam de honoribus quam de injuriis, & omnibus aliis maleficiis. C

Qui electi fuerint ut consules eligant, jurabunt quod remoto timore & amore, quos magis idoneos esse cognoverint secundum suum intellectum & consilium archiepiscopi, ad gubernationem civitatis eligant.

Consul vero electus sic jurabit. Ego talis electus consul, juro quod omnibus modis secundum scientiam meam illos qui mecum fuerint in consulatu, cum meliori & discretiori consilio eorum, qui erunt in consulatu regam & gubernem, & quod consul esse non desinam donec alius eligatur: & si discordia inter nos consules orta fuerit, consilio archiepiscopi & meliori consulatus consilio eam terminabo, & sic teneri faciam; & pro discutiendo negotio promissionem aliquam vel pretium ab aliquo non accipiam, & nullum tempore mei consulatus in judicium vocabo, nisi de his quæ in hoc consulatu facta fuerint, vel satisdatio antefacta: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta evangelia. D

Illi vero qui intrant in consulatum sic jurabunt. Ego talis juro consulatum usque ad I. annos ad bonam fidem & bonum intellectum, & obedimentum consulum: & si consul electus fuero non me vetabo: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta evangelia.

Hic consulatus erit pacis, reitaurationis & reformationis; & ecclesia Dei, monasteria, & loca religionis, camini, & strata, aquæ & terræ per ipsum pro posse regentur & gubernabuntur; & jurabitur usque ad I. annos in uno quoque quinquennio. Juvenes, extranei, & advenientes jurabunt, ut sic consulatus renoverur, & in suo statu permaneat; & totus in integrum consulatus ad servitium Dei & utilitatem terræ, sicut scriptum est, tenebitur & jurabitur ad bonum archiepiscopi intellectum. E

Si juramenta vel empræmenta in civitate vel in burgo durante consulatu fierent, momenti nullius essent & per consulatum destruerentur.

Si vero civilis discordia aliquo modo oriretur vel emergeret, nullus balistarius, nullus archarius cum balistis vel arcubus, cereros infra civitatem vel burgum, ausus erit impugnare vel debellare.

Nullus extraneorum recipietur in consulatu sine archiepiscopi, & omnium consulum consensu & voluntate.

XVIII.

Compositio Raimundi Arelatensis archiepiscopi, cum Fredolo abbate, & monachis S. Victoris.

IN nomine Domini anno MCLXVI. ego Raimundus Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus, de controversiis quæ erant inter Fredolum Massilienſem abbatem & ejus monachos, & nostros Arelatensis ecclesiæ canonicos, auditis allegationibus, talem transactionem fecimus. Imprimis ab antiqua illa quæstione S. Honorati & Sergii & Bachi, cum cimeteriis & mortalagiis, & cum omnibus ad ipsas ecclesias pertinentibus, præfatum abbatem & monasterium perpetuo absolvimus, & hoc in civitate: extra vero per totum episcopatum nostrum, si quid juris in ecclesiis, decimis, vel aliis ecclesiarum redditibus canonici se habere credebant, de his tamen quæ monasterium in pace & sine contradictione per decennium possedit, ipsum absolvimus. Ecclesiam vero S. Petri de Fayrabregolo, quam abbas & monachi possidebant, cum cimeterio & terris adjacentibus, canonicis attribuimus. Deinde dimidiam partem mortalagii, & omnium obventionum mortuorum, a Bellicadro & Tarascone, superius, qui per Rodanum venient, & annuam libram incensi pro ecclesia S. Honorati singulis annis in festivitate B. Trophimi persolvendam, canonicis perpetuo habendam concedimus, &c. Facta est transactio in palatio nostro, nobis adsistentibus Gaufredo Avenionensi episcopo, in mense Julio, feria III. luna I. Raimundo Berengario comite Provinciæ existente. Hujus rei testes, Guilielmus Boso Arelatensis ecclesiæ præpositus, Guilielmus Bernardi sacrista, Poncius de Baucio præcentor, Christianus archipresbyter, Imbertus de Aqueria, &c. 1166. *Ex pan. chart. ngra.*

XIX.

Diploma Friderici regis pro ecclesia Arelatensi concessum Raimundo archiepiscopo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator Augustus. Ad eterni regni meritum, & ad temporalis gloriam imperii apud regem regum nobis proficere non dubitamus, si necessitatibus ecclesiarum Dei earum jura defensando, & in bono eas statu conservando jugiter intendamus. Quoniam igitur Arelatensis ecclesia speciali ratione imperio pertinet, utpote quæ ab antiquis temporibus principalis sedes regni Burgundiæ esse dinoscitur, universis imperii nostri fidelibus tam præsentis, quam postfuturæ ætatis notum esse volumus, qualiter nos divinæ remunerationis intuitu, præfatam ecclesiam cum canonicis in ea Deo famulantibus, cum ecclesiis, domibus & coloniis, sive quibuscumque possessionibus & familiis suis sub imperialis nostræ tuitionis speciale patrocinium suscepimus, & præfatis canonicis eorumque domibus & rebus tam universitatis quam singulorum, immunitatem concessimus; statuentes, & imperialis edicti vigore districte præcipientes, ne quispiam marchio, vel comes, seu consules vel populus, seu quælibet humilis vel præpotens persona, ad publicam collationem seu descriptionem eos de cetero compellat, neque occasione murorum, vel fossatorum aut custodum, qui de nocte civitatem custodiunt, aliquid a prædictis canonicis, vel possessionibus, vel rebus eorum ullo modo exigere præsumat; vel angariis, vel parangariis, vel quocumque genere exactionis eos vel res eorum audeat molestare. Equum enim est ut personæ divinis obsequiis manciparæ, ab omni onere sordidiorum, vel quorumliber munerum penitus exemptæ secure vivant, & Deo & sanctis ejus cum tranquillitate deserviant. Si quis ergo hujus nostri edicti & institutionis violator extiterit, banno imperiali subjaceat, & centum libras auri purissimi pro pena componat; quarum medietas fisco nostro, altera vero medietas præno- 1178. *Ex autogr.*

minatis fratribus persolvatur. Ut itaque hæc nostra sanctio firma, & in omne ævum inconvulsa permaneat, præsentem paginam conscribi eamque aurea majestatis nostræ bulla signari præcepimus, testibus subternotatis, quorum nomina hæc sunt. Raimundus Arelatensis archiepiscopus, Bertrandus Aquensis archiepiscopus, Uguo Verdensis episcopus, Pontius Avinionensis episcopus, Benedictus Cabillonensis * episcopus, Raimbaudus Carpentoratensis episcopus, Bertrandus Vasionensis episcopus, Willelmus Ugo Tricastinus episcopus, Aicardus Gesslarensis præpositus, Rodulfus imperialis aulæ notarius. Laïci, Bertrandus de Baucio, Brucardus castellanus Magdeburiensis, Rotbertus de Durno, Gualterius dapifer domini imperatoris, Conradus pincerna, Rodulfus camerarius, & alii quam plures.

* Cavallicensis.

Signum domni Frederici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Godefridus imperialis curiæ cancellarius vice Roberti Viennensis archiepiscopi, & Provinciæ ac Burgundiæ archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCLXXVIII. indictione XI. regnante domno Frederico Rom. imperatore glorioſissimo, anno regni ejus XXVII. imperii autem XXIV. feliciter Amen. Datum in palatio Arelatensi III. kal. Augusti mensis die Dominico, quo coronatus est in ecclesia Arelatensi imperator.

XX.

Petri Arelatensis archiepiscopi facultatem cudendi monetam concedentis.

1146. IN nomine Domini anno incarnationis MCLXXXVI. in mense Augusto. Ego Petrus Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus, dono & concedo tibi Petro de Toro & tuis, fabricam monetæ in civitate Arelatensi, ut tibi & tuis liceat monetam cudere in civitate prædicta, nomine ecclesiæ S. Trophimi, & nostro, & successorum nostrorum: tali videlicet pacto, ut de singulis libris monetæ, sine omni onere & expensis, ecclesiæ S. Trophimi & nobis & successoribus nostris, tu & tui, XII. denarios fideliter reddatis, & tertium decimum denarium, ad opus altaris B. Stephani, ut ad alia opera quæ specialiter ad sacristiam spectare dicuntur, sacristæ, & ecclesiæ semper fideliter reddatis, & sic semper pleno jure dominii reddere teneamini. Hoc etiam addito, quod si nobis & successoribus nostris aliquando placeret, in alio loco extra civitatem Arelatensem monetam cudere, magisterium cudendi eandem monetam, eadem ratione tibi & tuis concedimus. Hoc actum est in palatio dom. archiepiscopi, consilio & voluntate canonicorum Arelatensium, supra portam S. Stephani, in præsentia Ymberti de Aquerra sacristæ, Petri Ferreoli præpositi, Willermi de Rossono archipresbyteri, Bertrandi de S. Remigio vestiarii, Petri Isnardi, Poncii Rostagni, Bernardi de Aramone, Petri de Aqueria.

XXI.

Hominium a R. Barral vice-comite Massiliensi Umberto de Aquaria Arelatensi archiepiscopo præstitum.

1192. *Ex autogr.* EGo R. Barral vicecomes Massiliæ, recognoscens me habere ab Arelatensi ecclesia, & ejusdem ecclesiæ archiepiscopo omnem honorem; domos scilicet & quæcumque habeo, vel habere debeo infra muros civitatis Arelatensis, vel extra infra terminos ejusdem urbis, & omnem honorem de Ponte S. Genesii, an. incarnationis MCXCII. pro omni supradicto honore, tibi Umberto Arelatensi archiepiscopo, juro vitam & membra, & castella, & omnem honorem, quem modo Arelatensis ecclesia habet, vel in antea adquirere poterit, quod aliquid ex eis non auferam, nec aliquis homo meo consilio. Et si quis ex eis aliquid tibi auferre, vel impedire voluerit, fidelis adjutor tibi ero, & sic tibi hominium faciens, hæc me omnia fideliter prosecuturum promitto. Sic me Deus adjuvet, & hæc sacrosancta Evangelia. Factum est hoc in civitate Arelatensi, in camera *Imberti archiepiscopi, in præsentia P. præpositi Arelatensis ecclesiæ, & P. præcentoris, & B. vestiarii, & Bernardi de S. Luciano, Petri & Guilelmi de Aqueria.

* al. Umberti.

XXII.

Bulla Cælestini III. pro reformatione monasterii S. Cæsarii Arelatensis.

CÆLESTINUS episcopus, servus servorum Dei. venerabili fratri *** Arelatensi archiepiscopo salutem, &c. Nostris est auribus renuntiatum, quod cum a B. Cesario quondam Arelatensi antistite, monasterium quoddam scilicet monialium, infra muros civitatis tuæ, in alodio quondam instituerum sit & fundatum, ita quod successoribus ejus reverentiam & obedientiam impendere teneantur, de bonis ecclesiæ tuæ, sicut in antiquis & aliis privilegiis continetur, monasterio earum ditato, tempore iniquitatem ex adipe protrahentes, prædictæ ecclesiæ matris dignitatem antiquam, & reverentiam depravare, & ab ipsius obedientia declinare præsumunt, ut discurrendi per civitatem & burgum, & alia plurima honestati suæ contraria præsumendi facultas illis libera concedatur. Eligunt enim secundum conscientiam suam, ut audivimus abbatissas, & alias personas in ecclesia sua, creant sorores, quotquot volunt recipiunt, infirmos per villam publice visitare, & mulieres per se ipsas velare præsumunt; quæ omnia & religionis earum faciem decolorant & ecclesiæ tuæ dignitatem videntur plurimum derogare. Ne igitur archiepiscopalis authoritas, & ecclesiæ tuæ dignitas dispendium utilius in hac parte sui juris incurrat, & sanctimoniales ipsæ de inobedientia valeant notabiles inveniri, abbatissæ & sanctimonialibus prædicti monasterii per apostolica scripta præcipiendo mandavimus, ut tibi & ecclesiæ tuæ tam debitam quam devotam obedientiam impendentes, nihil horum quæ præmissa sunt, ulterius attentare præsumant; ideoque fraternitati tuæ per apostolica mandamus, ut eas a temeritate sua ad devotionem antiquam, & reverentiam ecclesiæ tuæ, authoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, revocare non differas, & a præmissorum penitus attentatione arcere. Datum Romæ apud S. Petrum VI. idus Maii, pontificatus nostri anno quarto.

XXIII.

Instrumentum infeudationis castrorum de Belliquadro, de Argentia, &c. facta a Michaële Arelatensi archiepiscopo, Simoni comiti Montis-fortis.

1214. *Ex autogr. quod in alio codice pergameno archiep. Arelat. asservatur.* IN nomine Domini Jesu Christi, anno incarnationis MCCXIV. III. kal. Februarii. Notum sit omnibus præsentem paginam inspecturis, quod nos Michaël Dei gratia Arelatensis archiepiscopus consilio R. præpositi majoris, B. decani, B. sacristæ, P. præcentoris, & totius capituli Arelatensis ecclesiæ, vobis Simoni comiti Montis-fortis, & heredibus vestris tradimus & concedimus in feudum castrum Belliquadri cum tota signoria sua, cum tota Argentia, & omnibus juribus suis & pertinentiis, de quibus duximus hæc propriis nominibus exprimenda. Castrum de Furchis, Adanum, villam S. Petri de Campo-publico, & castrum de Junqueriis, munitionem de Redorta, castrum de S. Romano, & de Aculia, pedagia, sive in aqua, sive in terra, lesdas, quintale, cordam, furnos, sextairale, jurisdictionem, justitias, firmancias, trezenos, medios trezenos, laudimia, monetam, paludes, pascua, terras cultas & incultas, portus Rodani & Gardonis; & omnia alia jura ubicumque sint, quæ ad memorata castra pertinere noscuntur; quantumcumque Arelatensis diœcesis extenditur a castro Furcarum, & supra

uſque ad Clauſonnam & a Roca-Gaudoni uſque ad Patronos. Concedimus etiam vobis jus omne, ſi quod in Avenionenſi, Uticenſi & Nemauſenſi diœceſibus, idem caſtrum vel alibi habuiſſe dignoſcatur, exceptis decimis, & omnibus dominicaturis antiquis, quæ nos & Arelatenſis eccleſia infra prædictos terminos habere dignoſcitur, & excepto pedagio de palis Belliquadri, quod anteceſſores noſtri archiepiſcopi Arelatenſes, & nos ipſi conſuevimus percipere tempore comitum aliorum, & exceptis etiam petitionibus & querimoniis, ſi quas adverſus perſonas aliquas archiepiſcopus & capitulum ante captionem caſtri Belliquadri habebant de jure, infra terminos ante dictos. Pro dicto autem feudo, vos & hæredes veſtri, nobis & ſucceſſoribus noſtris homagium ligium facietis, & jurabitis fidelitatem, perſonas noſtras, & canonicorum Arelatenſium vitam, membra fideliter cuſtodire, res omnes & jura ad nos & capitulum seu eccleſiam Arelatenſem pertinentia, contra omnem hominem deffendetis, & manu tenebitis bona fide. Baiulus etiam quem apud Belliquadrum, vel Furchas conſtituetis pro tempore, eandem nobis & eccleſiæ Arelatenſi excepto homagio fidelitatem jurabit: & quod jura noſtra, nobis & fratribus canonicis noſtris integra pro poſſe ſuo ſervabit. Item nobis archiepiſcopo & ſucceſſoribus, pro cenſu centum marchas boni & legalis argenti ad pondus villæ Montispeſſuli in feſto ſcilicet S. Michaëlis apud Arelatem per vos vel nuntios veſtros ſine difficultate aliqua dabitis, aut dari facietis fideliter annuatim. Item quando cudetur moneta noſtra in his partibus, dabitis unum denarium in libra, vel de moneta nova quæ currit in caſtro Belliquadri, ubicumque cudatur, & nos per poteſtatem noſtram & juris dictum, pro poſſe noſtro eamdem currere facietemus. Item confitemur nos recepiſſe a vobis pro accapto MCCCC. marcas argenti pro comparandis poſſeſſionibus ad uſum mensæ noſtræ, &c. Item non licebit vobis, vel hæredibus veſtris, ullo unquam tempore præfatum feudum donare, commutare, vel alio modo in aliquem transferre, niſi in hæredem qui in univerſum vobis ſuccedet. Item neque nos, neque canonici Arelatenſis eccleſiæ, dabimus aliquid pro leſda, vel pedagio in vendendo, vel traducendo per aquam vel per terram res noſtras proprias, vel alienas ad uſum noſtrum emendo, &c. Et nos Michael Dei gratia Arelatenſis archiepiſcopus, promittimus per nos & ſucceſſores noſtros vobis & heredibus veſtris, quod bona fide vos & veſtros juvabimus, & pro poſſe noſtro prædictum feudum, & jura noſtra rationabiliter defendemus. Et nos Simon comes Montisfortis, præfata caſtra Belliquadri & Furcarum, cum omnibus territoriis ſuis & diſtrictu, a vobis domino meo Arelatenſi archiepiſcopo, prout ſuperius expreſſum, per nos & hæredes noſtros in feudum recipimus, homagium ligium & fidelitatem, vobis & ſucceſſoribus veſtris, quantumcumque mutabitur dominus ſive in feudo, ſive in Arelatenſi eccleſia, ſine difficultate qualibet faciemus, &c. Et nos Arelatenſis archiepiſcopus & Simon comes Montis-fortis dictum contractum facimus, ſalvo in omnibus mandato & auctoritate domini papæ, ac venerabilis P. noſtri Dei gratia S. Mariæ in Aquiro diaconi card. apoſtolicæ ſedis legati. Acta ſunt hæc in caſtro Belliquadri in præſentia G. Avinionenſis epiſcopi, &c.

XXIV.

Littera Raimundi Berengarii comitis Provinciæ & Forcalqueriі pro eccleſia Arelatenſi, & Hugone archiepiſcopo.

1227. *Ex originali in veteribus documentis capellæ palatinæ S. Mariæ reperto.*

NOs Raimundus Berengarius Dei gratia comes & marchio Provinciæ, & comes Forcalquerii, Deo jugiter ſervire volentes, pro ſalute animæ noſtræ & animæ inclytæ recordationis Ildefonſi patris noſtri, & omnium prædeceſſorum noſtrorum, volumus & mandamus, per omnes ſucceſſores noſtros, & perpetua ſanctione concedimus, ut de cetero Deo & eccleſiæ Arelatenſi, & per eam venerabili patri Hugoni Dei gratia eccleſiæ ejuſdem archiepiſcopo, & ejus ſucceſſoribus omnibus, dentur decimæ, & reddantur de tota condamina, quæ dicitur Maſſilienſis, & de ejus frontaria, & de omnibus proventibus ab ipſa condamina, & in territorio quod dicitur Trebons; & mandamus quod iſtæ decimæ dentur & reddantur, ab his qui in præſenti dictam condaminam detinent, vel poſſident, vel in futurum poſſiderent, eo ſalvo, quod capella noſtra, conſtructa infra domum noſtram quæ dicitur Truella apud Arelatem, percipiat tertiam partem dictarum decimarum; quam partem nos Hugo Arelatenſis archiepiſcopus concedimus, ut prædicta capella in perpetuum abſque alicujus contradictione poſſideat. Acta fuerunt hæc apud Aquas in palatio comitis, ante capellam ejuſdem palatii, in præſentia Roberti abbatis Inſularum de Arcis, Petri de S. Jacobo canonici & infirmarii Arelatenſis. R. Berengarii præpoſiti Forojulienſis. Vil. de Corinaco, &c. Anno MCCXXVII. XI. kal. Jan.

XXV.

Charta fundationis fratrum Prædicatorum Arelatenſium.

1227. *Ex fœdere R. patris Ipharæ Fr. Minoris Arelat.*

IN nomine Domini Jeſu Chriſti amen. Anno ab incarnatione ejuſdem MCCXXXI. calendas* Julii domino Frederico Dei gratia Romanorum imperatore ſemper Auguſto regnante, & domino Percevallo de Auria poteſtate* Arelatenſi exiſtente, ego Petrus Amantius intuitu Dei & pro redemptione animæ meæ, & parentum & ſucceſſorum meorum, plena, perpetua & irrevocabili donatione inter vivos dono, cedo Deo & beatæ Mariæ, & vobis fratri Raimundo priori provinciali ordinis Prædicatorum in Provincia, & per vos ſucceſſoribus veſtris, & toti ordini ſupradicto tantum de vinea mea quam habeo ad portam Agnel, & quæ jungitur a circio & ab occidente viis publicis, a meridie cemeterio S. Deſiderii, & ab oriente terræ Adalaïdis ſororis Hugonis Gaufredi, quantum ſufficiat ad ædificationem unius eccleſiæ, & ad clauſtrum & cemeterium & hortum, & domos, & ad alia quæ neceſſaria fuerint ad cognitionem & proviſionem veſtri prædicti Raimundi conventus, qui ibidem ſtatuetur & morabitur in futurum; quam quidem eccleſiam, clauſtrum, & domos neceſſarias eidem conventui ego ſumptibus meis ſecundum quod Deus mihi miniſtraverit, faciam ædificari in ea parte dictæ vineæ qua magis vobis videbitur expedire, & hæc ſupraſcripta univerſa & ſingula bona fide complere, & attendere ad cognitionem veſtram junctis manibus meis inter manus veſtras vobis ſæpe dicto fratri Raimundo promitto, & in corporalem poſſeſſionem dictæ vineæ vos induco. Actum fuit hoc in eccleſia S. Deſiderii, ſub præſentia & teſtimonio fratris Columbi prioris domus Prædicatorum de Avinione, Guillelmi Catalani, fratris Giraudi de Grilloni, fratris Bernardi de Toloſa, & fratris Rolandi de Cremona, & Ponti Aicardi, Guillelmi de Toro, magiſtri Johannis Franciſci, Guillelmi de S. Deſiderio, & Mei Petri de Podio Arelatenſis notarii, qui mandato dicti Petri Amantii hanc chartam ſcripſi, ſignavi, & ſigillo Arelatenſis communis munivi.

1 a) 7.

* 13. kal.

* nomen eſt magiſtratus poteſtas.

XXVI.

Hominium præſtitum a Barrali de Baucio, Johanni archiepiſcopo Arelatenſi.

ANno ab incarnatione MCCXXVIII. pridie nonas Januarii notum ſit quod dominus Barralis de Baucio juravit homagium J. ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopo, flexis genibus & junctis manibus pro caſtro Trencataillarum cum ſuis pertinentiis, & pro portibus civitatis & burgi Arelatis, de Rodaneto, de Furchis, de S. Egidio, & pro pedagiis & uſaticis tam

1228.

civitatis quam burgi Arelatis & Trencataillarum, & pro dominio & albergo de Cornillono, &c. Et dictus archiepiſcopus inveſtivit ipſum Barralum de feudis & rebus omnibus prædictis, promittens Barralum & res ejus ſalvare & defendere, & pro his omnibus obſervandis dederunt ſibi ad invicem oſculum pacis & fidelitatis: & ſciendum quod Barralus promiſit dare dicto archiepiſcopo & ſucceſſoribus pro affari Trencataillarum & de Camargis, x. paria cuniculorum cum pellibus nomine cenſus ſingulis annis in feſto S. Trophimi; & Barralus promiſit deffendere perſonam archiepiſcopi & ſpecialiter caſtrum de Sallone & canonicorum ſancti Trophimi. Actum fuit hoc in palatio communis Arelatis, ſcilicet in domo conſilii coram comite Berardo. Teſtes interfuerunt epiſcopus Maſſilienſis, Raimundus Berengarius comes Provinciæ, Bertrandus præpoſitus, Bertardus archidiaconus, Raimundus ſacriſta eccleſiæ S. Trophimi Arelatenſis, Roſtagnus de Agoudo præpoſitus eccleſiæ Maſſilienſis & alii.

XXVII.

Littera Raimundi Berengarii comitis Provinciæ & Forcalqueriis fidem archiepiſcopo Arelatenſi, & multa alia promittentis.

1229. *Ex lib. pancharta supra archiep. fol.*

INnoteſcat præſentibus & futuris, quod anno incarnationis MCCXXXIX. nono kal. Auguſti. Nos Raimundus Berengarius Dei gratia comes & marchio Provinciæ, & comes Forcalquerii, tactis ſacroſanctis Evangeliis jurando promittimus, vobis Domino Joanni Dei gratia ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopo interroganti, quod vobis & eccleſiæ fideles exiſtemus, & fidelis deffenſor, protector & conſervator omnium jurium quocumque modo pertinentium ad vos, domine archiepiſcope, & eccleſiam Arelatenſem exiſtemus, & perſonam veſtram, dominium, ſegnoriam, juriſdictionem, & omnia bona veſtra, res, jura, poſſeſſiones, immunitates & libertates veſtras, & perſonas canonicorum Arelatenſis eccleſiæ, ubique deffendemus, ſalvabimus, & cuſtodiemus, & privilegia & regalia veſtra & eccleſiæ Arelatenſis ſervabimus; eccleſias & eccleſiaſticas perſonas, domos religioſas, & earum immunitates tenebimus, & tam minoribus, quam majoribus, & aliis omnibus juſtitiam exhibebimus ſine acceptione perſonarum: Valdenſes & alios hæreticos quocumque nomine cenſeantur, & eorum credentes, fautores, receptatores, deffenſores, conſiliarios & benefactores ad mandatum noſtrum & eccleſiæ Arelatenſis exterminabimus. Et ea quæ continentur in charta conſulatus, & chartam conſulatus permittimus vobis tenere firmiter, ſervare, & omnes venditiones factas de bonis hæreticorum per vos vel commune Arelatis, &c. Item promittimus vobis prænominato archiepiſcopo, quod non patiemur transferri vobis vel eccleſiæ Arelatenſi dominium, juriſdictionem, immunitatem & franchiſiam, quam vos & dicta eccleſia, milites & probi homines Arelatis in Arelate, & civitatis tenementis habetis &c. Ad hæc nos J. Dei gratia Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus, de voluntate totius parlamenti, ad ſonum campanarum & tubarum, concedimus Reimundo Berengario, dicto comiti Provinciæ juriſdictionem Arelatis, & quidquid commune Arelatis habet, vel viſum eſt habere, vel habere debet, cum ſuo emolumento & honore uſque ad tempus quod nos ordinabimus & ſtatuemus; ſalvis tamen & rerentis nobis & vobis, juribus & rebus aliis quæ in civitate Arelatenſi non per vos habemus, vel habere debemus, & eis omnibus quæ in privilegiis noſtris regalibus, & eccleſiæ Arelatenſis continentur. Retentis nobis & eccleſiæ Arelatenſi appellationibus, publicationibus teſtamentorum, codicillorum & omnium aliarum ultimarum voluntatum, & vocatis publicis Judeis Arelatis, ſalvo & retento omni jure, dominio dominorum burgi ipſis dominis burgi, quod tam ipſi quam prædeceſſores eorum habere conſueverunt, in burgo Arelatis; retento vobis prænominato comiti omni jure, quod habetis in civitate Arelatenſi, vel tenementis, vel prædeceſſores veſtri habuerunt & tenuerunt, ex quacumque cauſa, &c. Actum in palatio archiepiſcopi, in parlamento publico Arelatis, præſentibus Romeo de Villanova, Guidone præpoſito Barjolenſi, Henrico priore Antipolitano.

XXVIII.

De caſtro Salonis a ditione eccleſiæ Arelatenſis nunquam alienando.

ANno Dominicæ incarnationis MCCXL. III. cal. Decembris. Nos Joannes Dei gratia ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus, per nos & per eccleſiam Arelatenſem, promittimus univerſo populo caſtri Salonis præſentis, quod nullis unquam temporibus ſuſtinebimus, nec permittemus ullatenus quod caſtrum Salonis, & ſeignoria ejuſdem caſtri ſeparetur, vel tranſferatur, vel removeatur, de poteſtate noſtra & eccleſiæ Arelatenſis, & tradatur, vel perveniat in poteſtatem alterius cujuſcumque perſonæ, vel quarumcumque aliarum perſonarum, ex cauſa permutationis, vel alia quacumque cauſa, vel occaſione: & mallemus quod dictus populus permitteret nos interfici, quam hoc ſuſtineremus: & ita, ſicut prædictum eſt, nos obſervaturos in perpetuum tactis corporaliter ſacro-ſanctis evangeliis, juramus. Et nos Fornerius, Hugo & Raimundus Bertrandus, nomine & mandato totius populi caſtri Salonis, & pro ipſo, promittimus vobis prædicto archiepiſcopo & eccleſiæ Arelatenſi, quod nos, nullis unquam temporibus permittemus ullatenus quod caſtrum Salonis ſeparetur &c. Et in ſignum majoris firmitatis, oſculamur vos in ore noſtro, & manus noſtras junctas ponimus inter veſtras nomine dicti populi. Actum hoc in caſtro Salonis in eccleſia S. Michaëlis in præſentia dominorum, G. Carpentoratenſis epiſcopi, I. Tricaſtricenſis, G. præpoſiti, B. archidiaconi & Gantelmi præcentoris Arelatenſis, G. comitis Forcalquerii, G. de Baucio, viri nobilis, Roſtagni de Alvernico, & aliorum.

1240. *Ex tab. caſtri Salonis.*

XXIX.

Homagium a Johanne archiepiſcopo Arelatenſi præſtitum Carolo comiti Provinciæ.

ANno domini MCCLIV. kal. Novembris. Notum ſit, quod Joannes Arelatenſis archiepiſcopus fecit homagium, & fidelitatem domino Carolo comiti Provinciæ, junctis manibus, & oſculo dato, & juramento præſtito, de eo quod ipſe habet, vel habere debet, nomine eccleſiæ Arelatenſis in burgo Arelatenſi, quod dicitur Porcelletorum, & pro caſtro S. Mitrii, & caſtro veteri, & pro conforſo, & pro ripa S. Geneſii, qui eſt verſus partem S. Mitrii, quod vocatur Juncas, & pro Gabardello, mala & damna domini comitis, & ſuorum evitando, bonaque & proficua & honorem implorando. Actum apud Taraſconem in caſtello. Teſtes Zoe Avinionenſis epiſcopus, F. Regenſis epiſcopus, B. Arelatenſis archidiaconus, Philippus capellanus, dominus Romeus de Villanova, Hugo de Aqueria, Jacobus Gantelmi, ac plures alii.

1254. *Ex thesaurophilacio Arel.*

Aliud hominium jam fecerat Johannes IV. *cal. Novembris anni* 1250.

XXX.

Hominium Florentio Arelatenſi archiepiſcopo, a Bertrando de Baucio exhibitum.

EGo Bertrandus * de Baucio armiger, filius quondam domini Guillelmi de Baucio, dominus de Berra, Caſtrinovi, Alenſonis, & Yſtrii, confiteor & recognoſco, vobis domino Florentio ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopo, me habere & tenere in feudum

1266. *Ex tabul. Arelat.*

* al. Bernardus

Digitized by Google

a beato Trophimo, & a vobis totum affare meum, quod habeo apud Pontem S. Geneſii, & in aquis S. Geneſii & totum affare meum, quod habeo in Cravo, ſive in agro lapidoſo, quantum ſe extendit dominium eccleſiæ Arelatenſis: & pro his vobis hominium facio & fidelitatem juro, promittens me ſervaturum eccleſiam Arelatenſem, &c. Actum in caſtro Sallonis, in domo archiepiſcopali MCCLXVI.

XXXI.

Epitaphium B. Ludovici Alamandi.

MIllibus ab annis centum quater & quinquaginta
Sexta biſquinta menſis cum luce Septembris,
Exulat Alamandi Ludovicus a ſeculo fatus,
Hic tumulatus ſaliens in æthera ſummum,
Doctor egregius præſulque Magalonenſis
Camerarii papæ vice longo tempore gerens
A Magalona baſilica ad hanc tranſlatus
Bononiæque datus a papa dignus legatus
Ceciliæ ſanctæ Romæ titulo decoratus
Cardinaque latus poſt apice ſublimatus.

Anno MCCCCLI. XIX. *Januarii ac ſeqq. diebus inquiſitum eſt in miracula quæ varia in locis patraverat. Hujus autem inquiſitionis acta in archivis eccleſiæ cathedralis aſſervantur.*

XXXII.

Epiſtola Sultani Bajazeth, qua commendat Alexandro VI. Nicolaum Cibo Arelatenſem archiepiſcopum.

1494. *Ex fidelitate D. de Suarel.*

SULTAN Bajazeth Chan Dei gratia rex maximus & imperator utriuſque continentis Aſiæ & Europæ, chriſtianorum excellenti patri & DD. Alexandro divina providentia Romanæ eccleſiæ pontifici dignitſimo. Poſt convenientem & juſtam ſalutationem, notum ſit tuo ſupremo pontificio, quemadmodum reverendus dominus Nicolaus Cybo archiepiſcopus Arelatenſis eſt dignus & fidelis homo ipſius, & a tempore præcedentis papæ ſuprema pontificis domini Innocentii uſque in hodiernum diem in tempus ſuæ magnitudinis continue ad pacem & amicitiam feſtinat, ſemperque animo & corpore in fidelitſima fide duabus partibus ſervivit & adhuc ſervit. Hujus igitur rei cauſa, juſtum eſt & vobis decet majori in ordine ipſum eſſe debere; unde & rogavimus ſupremum pontificem, ut faceret illum cardinalem, & aſſenſus eſt noſtræ petitioni, adeo ut litteris nobis ſignificaverit quod pertum eſt daturum fuiſſe ipſi. Verum quia non erat tempus id. Septembris menſis non ſedet in ordine ſuo, & ut requirit conſuetudo. Interea vero juſſu Dei dedit pontifex commune debitum, & ſic ipſe remanſit. Ea igitur de cauſa ſcribimus & rogamus tuam magnitudinem, propter amicitiam & pacem quam inter nos habuimus, & propter mutuum cor, ut adimpleat ipſi tuum pontificium, videlicet ut faciat ipſum perfectum cardinalem, habebimus & nos id in magna gratia. Datum in aula noſtræ Sultaniæ auctoritatis in Conſtantinopoli, MCCCCXCIV. anno a Jeſu prophetæ nativitate, VIII. Septembris.

Ex hiſtoria arcana Alexandri VI. papæ.

XXXIII.

Littera Manaſſis Arelatenſis archiepiſcopi, & Gontari Forojulienſis epiſcopi, necnon præpoſiti Arelatenſis pro Monte-majore.

Ex archivio Eccleſiæ Tarraſconenſis.

IN nomine Dei ego Manaſſes gratia Dei archiepiſcopus, necnon Gontarus epiſcopus*, atque præpoſitus, communitamus. Teucinda Deo devota, una per voluntatem congregatione ipſius eccleſiæ S. Stephani & bonam voluntatem. Certum quidem & manifeſtum eſt enim, quia ſic placuit animis noſtris & placet, & propria & ſpontanea voluntate noſtra hoc elegimus, bona A voluntas, ut jam dictus dominus Manaſſes gratia Dei archiepiſcopus, necnon & Gontarus epiſcopus atque præpoſitus, una per conſenſum & voluntatem canonic. S. Stephani, commutare & concedere volumus, quod ita & facimus. Commutamus vobis in comitatu Arelatenſe inſolam S. Petri quæ nominant a Monte-majore, ibi donamus totum & ab integrum, ſic ipſa inſola quod pertinet ad præpoſitum; & recepimus nos alium alodem in commutatione parte S. Stephani vel canonicis, quod pertinet ad præpoſitum, qui eſt in ipſo comitatu Arelatenſi in villa, quæ nominant Barcianicus, in ipſa villa. Commutamus vobis campo culto ad ipſa Elſeria conſortes de uno latus, Bermundus de alio latus, Adalilda de una fronte via publica, de alio fronte ipſa Elſeria, & in ipſa villa alio campo de Monterotundo conB ſortes, & uno latus Bermundus, de alio latus Adalalide, de uno fronte, via publica, de alio fronte terra Egreſta. Et in ipſa villa tertio campo in loco qui dicitur Formigario, conſortes de uno latus terra S. Stephani, vel canonicis de alio latus Bermunnus*. De una fronte Adalilde herede, de alio fronte via publica. Et in ipſa villa quarto campo, in loco qui dicitur ab ipſa Juncaria, conſortes de uno latus exago communale, de alio latus Adalilde herede, de uno fronte ſtrata publica, de alio fronte Bermunno herede. Et quintus campus in loco denominato ad via quæ dicitur Ucetira, ibi conmutamus vos conſortes de uno latus, Adalilde herede, & de alio latus ipſe Adalilde herede; de uno fronte ſtrata publica, de alio fronte terra S. Stephani. Ac ſi quis alii ſunt conſortes quæ iſta noſtra hereditate conmutamus S. SteC phani vel canonici quæ vos nobis commutamus ad proprium alodem habeatis .... poſſideatis jure veſtro quæ vos indicetis abhac deffendatis, & quicquid exinde facere aut judicare volueris, Teucindi Deo devota, maneat vobis, pleniſſimam poteſtatem facere voluetis. Si quis vos vel ſucceſſores noſtri contra hanc commutationem irrumpere voluerit, &c. Facta commutatione iſta in Arelate civitate publice NN. Octob. anno XII.* regnante Conrado rege Alamandorum, vel Provinciæ. S. Manaſſes archiepiſcopus firmavit, Gontarus Forojulienſis firmavit, Iſrael Aquenſis archiepiſcopus, Honoratus epiſcopus, Guarnerius Habba, Ayraldus abba, Adalbertus decanus, Adalbertus preſbyter, &c. Lambertus præſens fuit, Boſo comes firmavit, &c.

* Heraclius.

* Chriſti 948.

XXXIV.

Charta Conradi imperatoris confirmantis bona monaſterii Montis-majoris.

D

948. *Ex tabulis Eccleſiæ Arelatenſis.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Conradus* divina opitulante clementia piiſſimus rex. Notum ſit omnibus S. Dei eccleſiæ fidelibus præſentibus atque futuris, qualiter monachi ex monaſterio S. Petri apoſtoli de Monte-major, petiere noſtram regalem auctoritatem, ut omnia quæ habent ad præfatum* adquiſita per inſtrumenta cartarum ſive concambiorum, ut illis* per noſtræ firmitatis præceptum corroboraremus; quod & ita pro Dei amore fecimus. Volumus namque ac firmiter per hos noſtros apices decernimus, ut hoc quod domE nus* .... apoſtolicus atque Orto imperator auguſtus ac ſoror noſtra Adelheis imperatrix ex terra S. Petri apoſtoli nos pro Dei amore poſtulaverunt: prænominatis monachis tenere permittatur. Et inſuper hoc quod Boſo Arelatenſis comes nobis reddidit, illis concedendum de terra S. Remigii de Francia, & in ceteris locis taliter nuncupatis, Aurilino monaſterio, & in inſula maris montium* Lirinis vocatum. Et in comitatu Vapincenſi cellam quam vocant Alamunto S. Martini; & in alio loco cellam quam nominant Antunnava, & in comitatu Aquenſe cellam quam vocant Roca-frunduſa. Et ad caſtellum quod dicunt Iſtio* eccleſias duas, una ſcilicet S. Petri & altera S. Martini*, & ſunt terras quas nominant S. Mariæ Antibolenſi cum ſervis & ancillis; & villam quam vocant Catarofeo cum ſalinariis; & caſtrum quod nominant Foſſas cum terris & ſalinariis .....

* Chunradus.

* Ad partem.

* illud.

* Leo

* monaſterium.

* Iſtro.

* cum campis, & terris, & ſalinariis.

Digitized by Google

& locum qui dicitur Eyras cum ſalinariis & piſcationibus: villam ſcilicet S. Remigii cum turribus & eccleſiis.. . Ut autem hoc noſtræ auctoritatis præceptum obſervetur, & a nemine unquam violetur, manu propria confirmando ſubſcripſimus, & de ſigillo noſtro ſubſignare mandavimus. Data VI. idus Decembris indictione VII. anno incarnationis Dominicæ DCCCCLXIII. Signum Kunradi piiſſimi regis.

XXXV.

Littera Manaſſis Arelatenſis archiepiſcopi, pro Montis-majoris monaſterio.

976. NOtum ſit omnibus filiis eccleſiæ matris tam præſentibus quam futuris, quod Mauringus abbas beatiſſimi Petri Montis-majoris & Teucinna Deo devota, humiliter adierint me Manaſſen archipræſulem Arelatis, & Gontarium præpoſitum, ceteros canonicos eccleſiæ protomartyris Stephani, obnixe rogantes me atque eoidem canonicos ut eadem lege, eademque adſtipulatione darem Deo, & ſancto Petro Romanæ ſedis, eccleſiam ſancti Petri, ſitam in loco Montis-majoris, cum vota inſula ſibi adjacente, quam præfatæ Teucinnæ dederam pro commutatione ſui honoris. Quorum petitionem ego Manaſſes audiens cum conſenſu Gontarii præpoſiti, ceterorumque canonicorum, voluntarie dedi & annui Deo, & ſancto Petro Romanæ ſedis quidquid ibi hactenus habuit eccleſia, cui præſideo beati Stephani protomartyris; eo videlicet pacto, ut nunquam alicui ſucceſſorum meorum liceat violare quod conceſſi.

Quod ſi quis contra noſtrum hoc decretum, venire tentaverit, perpetui gladio feriatur anathematis, & pœnas ſentiat inferni, cum Juda traditore Domini. Obſervatori autem ſit gloria perennis in cœleſtibus regnis. Actum eſt hoc donum Arelate civitate publice, anno incarnati verbi DCCCCLXXVI. kalendis Octobris anno XXXVII. regnante Conrado rege. S. Manaſſis archiepiſcopi præſulis, qui hoc donum fecit, & conſcribere rogavit. Boſo comes firmavit. Gontarius præpoſitus firmavit. Mercorinus canonicus firmavit. Maurinus canonicus firmavit. Andreas canonicus firmavit. Adalbertus canonicus firmavit. Riculfus canonicus firmavit. Babo canonicus firmavit.

XXXVI.

Privilegium Sergii IV. pro Monte-majore.

Ex tab. Montis-maj. SErgius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, notum omnibus fieri volumus præcipue Amalrico archiepiſcopo, Poncionique archiepiſcopo, Eldiberto, Jocelino, Almerardo, & Frodoni epiſcopis, ceteriſque tam clericis quam laïcis, ſalutem & benedictionem apoſtolicam, &c. Sciatis, quod Archinricus abbas ad noſtram apoſtolicam ſedem Aubertum monachum miſit, ut noſtra benedictione Stephanus epiſcopus eccleſiam S. Mariæ, S. Johannis & S. Petri, ac ſancti Benedicti conſecret ac benedicat. Id ſciatis, facimus in ejus conſecratione talem benedictionem & abſolutionem concedimus ut quicunque ad eam pœnitens in conſecratione ipſius advenerit, tale remedium percipiat. Ibi tertiam partem pœnitentiæ illi dimittimus, & eccleſiam uſque apud caput anni ei reddimus, & pacem & capillos incidere habeat; & ſi mors in capite anni evenerit, vel infra annum, ex noſtra parte abſolutus permaneat, & ſi deſiderans per infirmitatem annualiter venire nequiverit, & interveniente morte occubuerit, in eam abſolutio permaneat. Aldibertus vero & Rainoardus qui hanc cauſam propter amorem Dei fieri in eorum poteſtate adjuvando cupiunt, de pœnitentia de qua modo ſuſpirant abſoluti ſint, & habeant integram licentiam & poſſibilitatem in quantum voluerint tam ipſi quam ſui, augendi & creſcendi eumdem locum noviter ædificatum, & cœnobium Montis-majoris, quod juris eſt Romanæ eccleſiæ, & ſancti Petri, & noſtri, tam in honoribus eccleſiaſticis, quam in ſui poteſtate habent, quam in ceteris poſſeſſionibus juxta piam petitionem venerabilis abbatis prædicti loci Archinrici, & modo & in futuro, ſicut olim Lambertus pater eorumdem militum convenienter ſcribere fecit. Quicunque vero huic loco Correno vel Monti-majori bene fecerit, talem benedictionem accipiat ſicut diximus, & qui ad hanc eccleſiam ibit, ſecurus de omnibus inimicis ſuis vadat, & qui ei aliquod impedimentum præſtiterit, ſciat ſe excommunicatum & anathematum. Si quis itaque quod non optamus, temerario auſu, &c. Sergius ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ præſul. Petrus epiſcopus. Creſcentius epiſcopus. Petrus epiſcopus. Gregorius & Stephanus epiſcopi. Datum Laterani per manus Joannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis.

XXXVII.

Littera Imberti Arelatenſis archiepiſcopi, ex quibus liquet Ulmetum Ciſtercienſibus, abbatiſſam & moniales ſancti Cæſarii Arelatenſis certis conditionibus conceſſiſſe.

IMbertus D. G. Arelatenſis archiepiſcopus omnibus ad quos litteræ præſentes pervenerint ſalutem paſtoralis officii. Cum lis agitaretur inter abbatem & monachos Ulmeti ex uno latere, & abbatiſſam & moniales S. Cæſarii ſuper eccleſia Ulmeti, & cauſa nobis commiſſa eſſet ab apoſtolica ſede audienda & terminanda, volentes paſtoralis ſollicitudinis debitum exſolvere, ab utraque parte compoſitionis modum tandem obtinuimus. Cum enim propoſuiſſet abbatiſſa chartam in qua continebatur ipſum & conventum ſuum dediſſe ſub annuo cenſu 60. ſolidorum Melgor. abbati & conventui Ulmeti, eccleſiam de Ulmeto cum ſuis pertinentiis in perpetuum, ea lege ut ſingulis annis abbas Ulmeti miſſam celebraret ſolemnem in monaſterio ſanctimonialium die S. Ceſarii, & quoties novus abbas inducereturr, præſentibus fratribus promiſſionem faceret in eccleſia ſanctimonialium de non alienando poſſeſſiones eccleſiæ Ulmeti, & ſi per duos annos cenſum prætaxatum non redderent monachi, qui eccleſiæ jure commiſſi ad moniales redirent, volentes plantare pacem neceſſariam & eradicare ſuperflua, poſt multas altercationes & appellationes hinc inde factas, voluntate partium hic ſtatuimus cum utrorumque conſenſu prolocutorie. Imprimis neceſſitatem veniendi & divina celebrandi in monaſterio ſanctimonialium abbati Ulmeti in perpetuum remiſimus, arbitrati illos indigne ad conſortia mulierum trahi, quos ordo & regula feminas videre prohibuit, niſi cum peregrinandi ducuntur aut hoſpitandi neceſſitate. Sed & promiſſionem indemnitatis omnino rejecimus, quam ſolis abbatibus ſuis majoribus exhibere tenentur. Commiſſum quoque canonis non ſoluti per biennium amputavimus, cum non ſolventis mora vel minus curioſi abbatis incuria tantam monaſterio generare non debeat damni perpetuitatem, &c. Remiſſis hinc inde omnibus quæſtionibus, & mutuis motis vel quæ moveri poterant quæſtionibus, volumus & firmiter ſtatuimus authoritate domini Papæ ex ordinaria juriſdictione noſtra, ut abbas & monachi Ulmeti in perpetuum prænominatam eccleſiam cum omnibus acquiſitis, & in poſterum juſte acquirendis habeant, ſolvendo monaſterio S. Cæſarii marcam & dimidiam argenti fini ſingulis annis, ita quod medietatem illius cenſus ſolvant ad feſtum nativitatis Domini, &c. Ad hoc ſi abbas Ulmeti locum abbatiæ mutaverit, poterit abbas per ſacerdotem monachum ſui ordinis, ſuæque profeſſionis in eccleſia divina celebrare competenter, aut per ſæcularem ſacerdotem, virum tamen honeſtum, qui nobis & eccleſiæ noſtræ reſpondeat in ſpiritualibus & abbati & monachis in temporalibus. Et nos penſionis hujus incrementum, & ſtatuti noſtri modum firmiter præcipimus pro bono pacis & utilitate utriuſque monaſterii; prout prænotavimus ab omnibus inviolabiliter obſervari, & ſit violatoribus judicium, & obſervatoribus æternæ retributionis meritum.

Ita Imbertus anno MCC. *die* 1. *Novembris.*

XXXVIII.

Fundatio monaſterii Silvæ-regalis ordinis Ciſtert. diœceſis Arelatenſis.

1194. SIt notum cunctis præſentibus & futuris, quod ego Ildefonſus Dei gratia rex Aragonum, & comes Barchinonis & marchio Provinciæ, pietatis intuitu & pro remedio animæ meæ & parentum meorum, per me & per meos omnes ſucceſſores in perpetuum dono, concedo, & præſenti ſcripto roboro, & auctoriſando confirmo Domino Deo, & monaſterio ordinis Ciſtercienſis, & tibi Stephano abbati, Petro priori, ceteriſque monachis, totique conventui præſenti & futuro, totam ſilvam de Albarono ad ædificandum ibi monaſterium conventuale in honorem B. Mariæ ſemper virginis, cum omnibus terminis & pertinentiis ſuis, & cum omnibus directis & juribus meis, quæ ibi habeo vel habere debeo, taliter quod vos dicti monachi pariter & futuri per infinita ſæcula dictam Silvam francam, liberam & immunem, cum paſcuis, aquis, venationibus, laborationibus, & omnibus arboribus diverſi generis, & cum omnibus illis quæ ibi invecta vel illata ſunt, vel fuerunt, cum omnibus illis quæcumque ad uſum & ſervitium hominis utuntur, vel uti poſſunt, tam in terris quam in mari, tam in aquis dulcibus, quam in ſalſis, habeatis, teneatis, poſſideatis & expletetis, vos & omnes ſucceſſores veſtri in perpetuum, in proprium alodium & libertatem: ita tamen quod in generali conventu veſtro ſingulis diebus in ſacro ſanctis myſteriis quæ celebraveritis, propriam pro anima mea & parentum meorum, ſolvatis orationem in perpetuum tam in vita quam in morte. Audito tamen deceſſu mei unuſquiſque ſacerdos per ſe triginta miſſas celebret, ſingulis annis in anniverſario meo ſinguli tres miſſas, & ſi in prædicta donatione naufragium evenerit, illud ſalvo & relaxo. Retineo autem in prædicta donatione mihi & ſucceſſoribus meis quod ſi nobis fuſta fuerit neceſſaria pro conſtruendis vel ædificandis domibus, lignis ſeu ingeniis, ſeu pro aliis negotiis noſtris, habeamus inde fuſtam, & poſſimus inde eam abſtrahere, cum vobis ſigillo noſtro proprio nuntio noſtro ſignificaverimus. Ut autem dicta donatio firma & ſtabilis, & quieta per me & ſucceſſores meos vobis præſentibus & futuris in perpetuum libere permaneat, ego Idelfonſus rex manu mea ſigno & confirmo, & vero ſigillo meo ſigillare mando. Ego autem Stephanus Dei gratia abbas, & prior, & totus conventus noſtri accepimus vos dominum Idelfonſum regem participem omnium beneficiorum noſtrorum, &c. Actum prima die Martii anno Dominicæ incarnationis MCXCIV. in civitate Arelatenſi. Signum Ildefonſi regis Aragonum comitis Barchinonenſis, & marchionis Provinciæ. Teſtes &c.

XXXIX.

Gaillardus Saumate Arelatenſis archiepiſcopus, unionem abbatiæ B. Mariæ de Ulmeto, ſeu de Silva-regali, cum Valle-magnenſi Agathenſis diœceſis, cui prius interceſſerat, re maturius conſiderata poſtremo approbat.

1330. IN nomine Domini amen. Anno nativitatis Domini MCCCXX. die Mercurii XXVI. menſis Martii, indictione III. pontificatus ſanctiſſimi patris & domini noſtri Domini Joannis divina providentia papæ XXII. anno IV. Noverint univerſi hoc præſens publicum inſtrumentum inſpecturi, ac etiam audituri; quod in mei notarii publici & teſtium infra ſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum præſentia; quod cum ab olim in eccleſia B. Mariæ de Ulmeto diœceſis Arelatenſis, fuiſſet abbatia ſive monaſterium religioſorum Ciſtercienſis ordinis, & juſtis ex cauſis fuiſſet dicta abbatia ſeu monaſterium ruinatum *, de licentia & conſenſu archiepiſcopi Arelatenſis in loco dicto Silvæ-regalis, dictuſque locus Silvæ-regalis non haberet ſufficientes redditus ſeu proventus competentes pro ſuſtentatione idonea ſeu congrua honoris, & oneris abbatiæ & conventus ejuſdem, potiſſime juxta neceſſe ſeu conſuetudinem aliarum abbatiarum ordinis prædicti, tandem per capitulum generale prædicti ordinis apud Ciſtercium celebratum, dictus locus dictæ abbatiæ Silvæ-regalis cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis fuerit unitus ſeu conjunctus, ſuppoſitus ſeu ſummiſſus monaſterio ſeu abbatiæ Vallis-magnæ ordinis prædicti diœceſis Agathenſis. Demum cum dicta unio & ſummiſſio facta aſſeratur non valere per reverendum patrem D. Galhardum Dei gratia Arelatenſem archiepiſcopum, tum quia facta ſine ſua & ſuorum prædeceſſorum auctoritate, licentia & conſenſu, & ipſo ſuiſque prædeceſſoribus penitus inconſultis, tum etiam quia facta in præjudicium & gravamen, & detractionem ſeu diminutionem honoris & juris ſui, & dictæ eccleſiæ ſuæ Arelatenſis, cum ad ipſam unio vel ſummiſſio facienda de eccleſiis & monaſteriis ſuæ diœceſis aliis eccleſiis vel monaſteriis, de jure communi pertinere noſcatur, & quia etiam non modicus imo magnus honor ſuis & dictæ ſuæ eccleſiæ Arelatenſi vertitur ſeu verſatur in habendo infra ſuam Arelatenſem (diœceſim) locum abbatialem & conventualem, volens idem archiepiſcopus jus & honorem prædictum pro poſſe ſuo defendere & tueri, ipſumque nolens in aliquo negligere, locum prædictum Silvæ-regalis ob præmiſſa in ſui & dictæ ſuæ eccleſiæ præjudicium, ne quid attentare ad manum ſuam poſſint, captum ſub manu ſua tenuit per medium annum & ultra. Verum volens ſe plenarie informare, an cauſæ prædictæ veræ forent, ob quas per dictum generale capitulum unio & ſummiſſio de dicto loco Silvæ-regalis, monaſterio prædicto Vallis-magnæ dicitur fore facta; miſit diſcretos viros dominum Gerardum de Vallis vicarium ſuum generalem, & dominum Guillelmum de Auriaco archidiaconum Arelatis, ad inquirendum, ac ſe plenarie informandum, eidemque D. archiepiſcopo fidelem relationem faciendi de valore & æſtimatione reddituum, & proventuum dicti loci Silvæ-regalis, & quorumcumque aliorum jurium tam ſpiritualium quam temporalium, ad dictum locum ſpectantium. Qui quidem dicti D. Gerardus, & D. Guillelmus ſupradicti diligenter & curioſe informati, ac plenarie inſtructi de valore & æſtimatione redditum & proventuum prædictorum, retulerunt dicto D. archiepiſcopo in præſentia ſui capituli, quod dictus locus Silvæ-regalis, nec per ſe, nec cum eccleſia de Ulmeto, necnon cum aliis ſuis juribus ad dictum locum ſpectantibus coadunatis, & ſimul computatis non habebat ſufficientes redditus ſive proventus pro ſuſtentatione honoris & oneris dignitatis abbatialis, nec etiam pro ſuſtentatione victus quotidiani conventus, &c.

* *forte* ruinatum.

Digitized by Google

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM MASSILIENSEM SPECTANTIA.

I.

Judicium miſſorum dominicorum Caroli magni, pro reſtituenda S. Victori villa Caladio.

Ex ſchedis Pereſchianis. Vide Mabil. Act. ss. ord. S. n. 8.

CUm in Dei nomine in Digna civitate publice reſiderent miſſi domini noſtri Karoli regis Francorum, & Langobardorum, ſeu & patricii Romanorum: B ſidem Viernerius & Arimadis una cum rationes burguis dominicis Marcellino, Hieronymo, Gedeon, Regnarico, Corbino, Scabines lites, Scabinos ipſius civitatis, aut bonis hominibus, qui cum ipſis ibidem aderant, permultorum hominum altercationes audiendas, & negociis cauſarum dirimendis, & juſtis vel rectis judiciis finiendis. Ibique veniens vir venerabilis Maurontus epiſcopus urbis Maſſilienſis, in eorum præſentia una cum inſtrumentis ſanctæ Mariæ & ſancti Victoris, quæ venerantiſſima & Deo ſacratiſſima Adaltrudis, relicta Nemphidii, quondam in ipſa eccleſia ſanctæ Mariæ, & ſancti Victoris Maſſilienſis delegaverat, in quibus ſic habetur inſertum. Quod villa Caladius * una cum appendiciis ſuis, vel omnes adjumentias ſuas, mancipia tam ruſtica quam urbana, libertis, accolabus, inquiC linis tam ibidem conſiſtentibus, quam & aliunde ibidem tranſlatis, quod ſitum eſt in pago Dignenſe, necnon & Alpibus, quod ſitum eſt in pago Hebredunenſe*, vel omnia quidquid ad ipſas villas pertinere videatur; ſed quomodo ipſa charta ibidem ante ipſos relicta fuiſſet, ſic in poſtmodum alium relatum ibidem oſtendit... quod Abbo patricius juxta legis ordinem de interitione chartarum inſcribere in publico, vel coram bonis ſacerdotibus atque illuſtribus perſonis, ſicut lex eſt roborata, oſtendit de ipſis chartis quas Antener patricius malo ordine & iniquo ingenio, de ipſa arca ſancti Victoris abſtraxerat, & incendere ordinavit, hoc eſt cartas quas Gotricus & jam dicta Adaltrudis, vel quas aliæ plures perſonæ ibidem condonaverant ad ipſam caſam Dei ſanctæ Mariæ, vel glorioſiſſimo S. Victori D Maſſilienſi. Sed ipſe abbas tunc temporis fuit Magnus, quando ipſas chartas quas de Adaltrude Maurontus epiſcopus ibidem præſentavit, pro bono ſtudio, & pro bono ingenio in ſua manica ipſa Adaltrudes abſconſas habuit, quando ipſas alias cartas ſuper altario ipſo miſit, & ibi ſacramentum dedit, & ſic juravit quod amplius exinde in tota Maſſilia cartæ non adeſſent, de illa ratione ſancti Victoris, niſi quantum ſuper ipſo altario continebatur. Et ipſas cartas quæ ibidem fuerunt, Antener ipſas totas in ſua præſentia incendio concremare juſſit. Et ipſas cartas quas Adaltrudes ibidem in ipſa eccleſia in ſua manica abſconſas habuit, in arca S. Victoris denuo reſtituit. Et ipſe epiſcopus jam ſcriptus ibidem aliud judicium oſtendit. Qualiter per ordinationem domni Karoli Major. Dom. cauciarios ſuos miſſos exE inde juſſit ad ipſam caſam S. Victoris reveſtire, quod ita confecit; ſed quomodo per ipſas rixas, vel contentiones quæ in Provincia fuerunt, ipſa caſa Dei exinde deſveſtita fuit, & ſicut alias res ipſas quæ juſte ad domnum regem Karolum obtingebant in alode, Antener adhaberet per ipſam miſculationem, ſeu & ipſam Caladium villam, viſus fuit de ipſa caſa Dei abſtrahiſſe. Sed cum ipſi miſſi ipſas auctoritates vidiſſent & relegere rogaſſent, ſic omnes illos homines ingenuos de ipſo pago Dignenſe qui fuerunt, & hoc cognitum habuerunt ipſos per ſacramentorum interpoſitionem jurare fecerunt, ut omnem rei veritatem ipſorum exinde dicere deberent. Sic omnes ſic affirmaverunt, quod ipſam pro beneficio Metrano, qui fuit patricius in Provincia pro cauſa Maſſilienſe, ipſam villam Caladium ipſius in beneficium ceſſiſſet, & in poſtmodum Abbo patricius pro cauſa Maſſilienſe, S. Mariæ, & S. Victoris in beneficium conceſſit, quod ipſi Ancemundo vicedomino Maſſilienſe, ibidem deſcriptionem ad partes S. Victoris Maſſilienſis facere viderunt. Et ipſum Poleticum ipſe epiſcopus in ipſorum præſentia ibidem oſtendit ad relegendum; ſed cum ipſas auctoritates audiſſent, ſic ipſi etiam miſſi interrogaverunt & adjuraverunt, ut veritatem exinde dicerent, ſed contra epiſcopum ipſum vel contra ipſas cartas aliquis ſic rebeliabat, quod per annoſitatem, ſeu per legem tricenariam in tempore pacis, ad ipſum beneficium ſui ſenioris, aut ad partes domni Karoli regis perportare volebant. Sed in nullis modis ſe inſtituit ad hoc faciendum; cum autem nullus homo hoc contradicere nec contendere voluit, ipſi miſſi per ipſas auctoritates ſcripturarum quæ ibidem oſtenſæ, vel relectæ fuerant, ipſum epiſcopum Maurontum reveſtire fecerunt, ut omni tempore deinceps ipſam caſam dicti S. Victoris, ipſam villam cum ſuis appendiciis habeat vindicatas: teſtimoniaverunt Taurinus, & Sanctebertus, per interpoſitionem ſacramenti, quod ipſa villa Caladius propria fuiſſet Nemphidii patricii quondam, & habuiſſet uxorem Adaltrudem, ex qua habuit filios tres. Et quod ipſe Nemphidius & Adaltrudes & filii, ipſam villam per cartulam ceſſionis ad ipſam caſam Dei M. delegaſſent. Et ipſi viderunt, & cognitum habuerunt, quando Ancemundus vicedominus, per ordinationem Abbonis patricii quondam, ad partes ſupradictæ eccleſiæ deſcripſit, & ipſam villam per conſenſum Abbonis patricii, vel ceſſionem ad partes ſupradictæ eccleſiæ habuit, & omnem inde caſam recepit. Teſtimoniavit Tranſuarius & Amatus ſimiliter, Venantius preſbyter, & Villarius; teſtimoniavit Hunoaldus & Theodolinus ſimiliter: teſtimoniavit Chriſtianus & Theudigilius. Hi ſunt qui præſentes fuerunt, quorum roborationes vel ſignacula ſubter tenentur inſerta. Actum eſt enim die Mercoris, VIII. kal. Martii, anno XII. regnante domino noſtro Karolo, indict. II. comes Marcellinus firmavit. Gedeon, Corbinus, Regnarius, Taurinus, Magnebertus, Sanctebertus, firma.

* Chandel ex Caladio.

* d'Ambrun.

II.

Compoſitio inter Vadaldum Maſſilienſem epiſcopum & Onaldum, &c.

Ex majo chartario S. Victoris fol. 41. verſo.

IN Dei nomine convenientias qualiter convenit inter Vadaldo gratia Dei epiſcopo Maſſilienſi, necnon & alios homines Onaldo, & uxore ſua Rodolena, & Adalario & uxore ſua nomine Bonelda, de terras proprias S. Victoris martyris Maſſilienſis, vel pontifex ipſius eccleſiæ Vadaldo epiſcopo vel clero ipſius civitatis; placuit atque convenit de ipſas terras, qui ſunt ſitas in pago Arelatenſi, loco cognominato Submonte ſuper fluvio Durentiæ, ut ipſi jam dicti ibidem plantare & advinare, & inſertare debeant ad medietatem, qui habet ipſam terram in uno fronte dextros * 23. & in fronte dextros 16. inter conſortes de duos lateres terras ſancti Victoris martyris Maſſilienſis; & de duos frontes vias publicas, ac ſi qui alii ſunt ut infra iſtos quinque annis, qui advenerint, ſic ipſas plantas & advinatas habere debeant, & quandoquidem ad legitimos fructos pervenerint ipſas inter ſe æqualiter dividere debeant, una medietate ipſa caſa Dei ſancti Victoris Maſſilienſis, vel actuarii quæ ejus habere debeant; & illa alia medietate Onaldus & uxor ſua Rodolena; & Adalarius & uxor ſua Boneldis vel infantes, & nepotes eorum uſum & fructum de ipſa terra habere debeant, & poſt obitum illorum ad ipſa caſa

* *dextri dimensi passi 12 mensurand. Conſule Cangium in Gloſſario.*

Dei S. Victoris sub omne integritate reverteredebeant. A Si quis vero quod si ullus pontifex vel successores ipsius ecclesiæ, aut actuarii qui contra has convenientias nostras venire aut agere, vel irrumpere voluerit sint partibus vestris culpabilis, & impleatur pœne numero argenti libras duas. Et si Onaldus vel uxor sua, & Adalarius vel uxor sua, aut infantes vel nepotes eorum, neglegens exinde fuerint, similiter parentibus Wadaldo episcopo, vel pontifex qui ejus vel clero ipsius civitate, solvere debeant. Et in antea in ipsas convenientias citare debeant, & si per ipsas convenientias de ipsa una medietate, quem Onaldus aut uxor sua, & Adalarius vel uxor sua, aut infantes, aut nepotes eorum, ullum quam tempore ipsa planta vendere voluerint ad Vadaldo episcopo, vel successores ejus, vel clero ipsius ecclesiæ offerre debeant, quomodo ad bonis hominibus adpretiatum est. Et si ipsi ejus pretium donare noluerint, quomodo adpretiatum est, cum vos jam dicti qualiter pro ipsa convenientia superius inscriptum est, cuicumque ipsa planta vendere voluerint in eis permaneant potestatem. Facta convenientia sub die decimo k. Junias anno quarto imperii domni nostri Ludovico indictione XI. In Dei nomine Wadaldus episcopus sui convenientias fecit. S. Urgobaldus presbiter consensit. S. Theotbertus * archidiaconus, S. Dominicus diaconus confirmavit. S. Stephanus presbiter consentit. S. Ermenfredus diaconus consensit.

* Is forte est qui post Wadaldum fuit episcopus.

III.

Privilegium Lotharii imperatoris Teutperto Massiliensi episcopo concessum.

Ex mss. chartario S. Victoris fol. 5. verso.

IN nomine domini nostri Jesu Christi Dei æterni Hlotarius divina ordinante providentia imperator Augustus, omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ ac nostris, vel cunctis ministerialibus rem publicam administrantibus, tam præsentibus quam & futuris. Notum esse volumus vestræ industriæ, qualiter vir venerabilis Teupertus Massiliensis ecclesiæ episcopus, adiens serenitatem culminis nostri, gestans in manibus quandam auctoritatem domini & genitoris nostri Ludovici præstantissimi imperatoris, seu & avi nostri bonæ memoriæ Caroli, in qua continebatur inserum, qualiter ecclesiæ sancti Victoris martyris, ubi sacratissimum corpus ejus humatum est, concederet theloneum de villa, quæ dicitur Leonio, quicquid fiscus regius exinde exi- D gebat tam de sale quam & de aliis conditionibus, necnon & theloneum de navibus ab Italia venientibus, quæ ad eandem ecclesiam arripare videntur. Ut quidquid ad publicum opus vel ad fiscum regium exinde consuetudo fuit exactare, ad prædictam ecclesiam sancti Victoris martyris Massiliensis, vel ad rectores ejus concederet. Quapropter precibus quibus valuit nostram exoravit clementiam, ut paternum morem sequentes, nostram etiam authoritatem prædicta ecclesia, in qua ipse Deo authore episcopus præest, habere mereretur. Cujus precibus aurem accomodantes, hos nostros imperiales apices fieri jussimus, per quos præcipimus atque jubemus, ut quemadmodum domnus & genitor noster, & avus noster Carolus prædictæ concesserunt ecclesiæ, ita & deinceps in perpetuum firma & stabilis E permaneat, & nullus rei publicæ aut judiciariæ potestatis alienandi, distringendi jam dictis rebus exactare aut inquietare, vel ullam contrarietatem opponere, vel aliud aliquid contra ipsam casam Dei, & sancti Victoris, ejusque rectores facere audeat; sed & neque naves, neque homines ibidem causa negotiandi venire volentes, vel ad sua revertentes extra ipsorum voluntatem quiliber transducat; insuper hæc nostra donatio firma inviolabiliter conserverur. Et ut hæc authoritas firmitatis nostræ per futura tempora inviolabilis conserveur, annuli nostri impressione signari jussimus. Data VIII. idus Februarii, anno Christo propitio imperii domni Hlotarii serenissimi Augusti in Francia I. in Italia XII. indict. XIII. Actum in Aquisgrani palatio regio.

IV.

Notitia de restitutione thelonei villæ de Leguino facta monasterio S. Victoris, rogante & agente Alboino Massil. episcopo.

Ex mss. chartario S. Vict. fol. 9. in armario ejusd. Abbat.

IN Christi nomine indicium seu notamen donationis, qualiter adveniens Alexandrius advocatus Alboini episcopi, de ipsa casa Dei S. Victoris martyris Massiliensis, in Cadatosco villa, in mallo publico ante Rothbertum vicarium de viro illustri Adalberto comite. Et tam scavinis, tam Romanis quam Salicis, vel judicibus, qui cum ipsis aderant: id est Joseph, Nortaldo, Elephanto, &c. vel quampluribus aliis qui cum ipsis B aderant. Ibique veniens Alexandrius advocatus Albuini episcopi, qui se per manum fidejussoris sui Bertelaigi, de satisdando thelonio, qualiter reclamavit & interpellavit hominem nomine Guinifredum advocatum Rothberti vicarii, dicens eo quod sui homines unde Guinifredus advocatus Rothberti vicarii non redderet sumptus, sicut præstantissimus Pipinus rex, vel Carolus pius augustus, vel etiam Ludovicus, ac Lotharius uterque imperatores suis præceptis singuli ad ipsam prædictam casam Dei S. Victoris, ad luminaria condonaverunt, ipsum theloneum de villa Leguino, vel quidquid ibidem ad eorum fiscum pertinere debebat concesserant, tam terrenis, quam etiam navigantibus ipsius hominis Rothberti, &c. Sed ipse Guinifredus advocatus seniori suo Rothberto in responsis suis C dixit, quod in hac causa non sic veritas se haberet, pro eo quod quantum ipsi homines Rothberti de ipso theloneo, præsertim suus antecessor nomine Frodingus inde vestitus fuerat. Sed ipse Alexandrius advocatus S. Victoris, præceptis memoratis regum vel imperatorum, ibidem manibus ad relegendum ostendit, & quomodo supra memorati reges & imperatores in luminaribus ecclesiæ S. Victoris, vel ei servientibus cullarum habebant; & ipsa præcepta ex cunctorum anulis impressiones manifeste gestant. At tunc ipse præfatus vicarius, ipsos pagenses per eorum sacramentum jurare fecit, ut quidquid de hac causa inter ipsa casa Dei S. Victoris, vel ipso advocato Rothberti vicarii nomine Guinifredo, quidquid de ipso prædicto theloneo in veritate scirent, dicere vel secernere in veritate de- D berent. Quod & ita fecerunt. Inprimis juravit Bertelaigus homo Dei, Manasses, Ruganardus, Jonatha, Giselao, Jacob, Georgius Agilinars, Benedictus, Villemaris, Ison, Ingobertus. Post ipsum sacramentum, facta legibus discussione, unusquisque per se interrogari, vel discussi fuerunt, & sic unanimiter testimoniaverunt & dixerunt per illud sacramentum, quod ipsi juratum habebant quod diebus vitæ eorum, & temporibus Leibulfi comitis qualiter in ipsis præceptis continebatur, taliter ad ipsam casam Dei præfatam de ipso theloneo semper viderant, qualiter vicedominus vel ejus ministerialis S. Victoris cum suos participes in omnibus ordinassent, absque blandimento de comitibus vel vicariis Arelatensibus. At tunc ipse vicarius Rothbertus vel suus advocatus nomine Guinifredus, in E omnibus ibidem concrediti fuerunt, quod quantum de ipso theloneo, vel fisco injuste ablatum fuerat, ipsi uterque Rothbertus & suus advocatus pro eorum gadio secundum legis ordinem, Alexandrio advocaro S. Victoris, vel Albuino episcopo in omnibus suos gadios condonaverunt. Propterea Alexandrio advocato supradictæ ecclesiæ necesse vel oppórtunum fuit, ut notitiam seu & judicium firmitatis sibi exhiberi debuisset, quod ita & fecit. His præsentibus actum fuit, quorum roborationes vel signacula subter tenentur inserta. Facta notitia hæc VIII. cal. Augusti anno V. imperii domini nostri Lotharii imperatoris, indictione VI. Joseph præsens fuit. Elephantus Wildemarus Theutibertus interfuit. Odilo, Gaudentius, Arnulfus & multi alii, interfuerunt.

V.

Præceptum Carlomanni regis pro reſtitutione villæ Ciliani monaſterio Victorino faciendæ, petente Berengario Maſſil. epiſcopo.

* Carlomannus. ** Et archiepiſcopo Burdigalenſi Rituricenſis.

IN nomine &c. Carolus-magnus * gratia Dei rex. Notum eſſe volumus, quia accedentes ad manſuetudinem noſtram illuſtres fideles noſtri Hugo venerabilis abbas, necnon Frotarius * archiepiſcopus humiliter precaverunt coram frequentia procerum primatumque noſtrorum, ut deprecatione Berengarii Maſſilienſis epiſcopi redderemus ad eccleſiam in honore Dei genitricis, ac S. Victoris, Ciliani villam ejuſdem eccleſiæ debitam ex Maſſilienſi comitatu, in Forojulienſi ſitam, atque omni tempore habendam concederemus. Placuit itaque noſtræ cellitudini eorum ſalubertimis adquieſcere poſtulationibus, ac jam dictæ eccleſiæ Maſſilienſi in honore beatiſſimæ atque intemeratæ virginis Mariæ, ſanctique Victoris ſub tuitione paſtoralis curæ Berengarii ejuſdem loci pontificis, præfatam villam Cilianum ab eodem loco dudum ſubtractam, ex comitatu Maſſilienſi in comitatu Forojulienſi ſitam, cum omni integritate reddidimus, contulimus, ac de noſtro jure in jus ac dominationem ejus ſolemni more transferimus; ea videlicet ratione, ut quandiu præſens abbas ac ſucceſſores ejus advixerint, eandem villam ſub ditione S. Mariæ ac S. Victoris ſine alicujus inquietudine, aut minoratione poſſideant. Statuimus etiam ac regio more delegamus, ut nullus unquam alicujus ordinis vir jam dictam villam ex præfato loco ſubtrahere, deteriorare, aut minuere præſumat. Ut autem hoc præceptum noſtræ authoritatis inviolabile in omnipotentis nomine firmius habeatur, ac per futura tempora diligentius conſervetur, manu propria ſubter firmavimus ac annulo noſtro ſubſignari juſſimus. Signum Carlomanni glorioſiſſimi regis. Data quarto nonas Februarii, anno v. regnante glorioſiſſimo rege indictione II. Actum apud Compendium publicum palatium.

VI.

S. Honoratus Maſſilienſis epiſcopus, ejuſque clerici multa conferunt, aut reſtitui curant ſancti Victoris monaſterio.

Ex chartario Maſſil.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, &c. Honoratus Dei gratia ſanctæ ſedis Maſſilienſis epiſcopus ſummi paſtoris veſtigia ſequentes, qui nos non ſolum præeſſe, verum etiam prodeſſe ſanctæ eccleſiæ ſuæ rectores, paſtoreſque inſtituit, &c. cum clericis meis, divini accenſus amoris in honore Dei omnipotentis, ſanctique Victoris martyris, congregationem monachorum ſecundum regulam S. Benedicti in abbatia ejuſdem ſancti Victoris conſtitui optamus, ut pro me, ſucceſſoreſque noſtros, & pro ſtatu eccleſiæ noſtræ quotidie intercedant ad Dominum, ut Domini pietas noſtrorum peccaminum nobis indulgeat, & concedat vitam æternam; & ut ibi utilius poſſint regulariter vivere, ex terra quæ ad eandem abbatiam pertinere dignoſcitur aliquid eis concedimus, hoc eſt terram cultam & incultam cum pratis, paſcuis, &c. & eſt ipſa terra in comitatu Maſſilienſe, in giro ejuſdem eccleſiæ B. Victoris. Confortes de duobus lateribus litus maris, de alio latere fontem, & montem quem nuncupant Gardiam, & viam juxta locum quem vocant Paradiſum, & concedimus eis eccleſiam S. Damiani cum apendiciis, &c. eccleſiam S. Euphemiæ, &c. tertiam partem villæ de Linairolas, &c. eccleſiam S. Victoris fundatam in terminis caſtri Marignana, &c. & in comitatu Aquenſe, eccleſiam S. Victoris in terminio caſtri de Lambiſco, &c. & in eodem comitatu de terminis de Valle Vallavenſe, tertiam partem, & quantum ad ipſam vallem pertinet; & in comitatu Seneſcience in termino de caſtro Petra Caſtellana: terram quantum perriner ad B. Victorem integre concedimus, & in alio loco in termino Aquenſe villa quæ dicitur Filciaco cum appendiciis ſuis, id eſt Melno Trobio, vel alio Trobio quantum ad ipſas villas pertinet, concedimus eis. Et in comitatu Forojulienſi in terminio de caſtro Grudignone terram quantum pertinet ad B. Victorem. Et in comitatu Uceſio in villa Aguaniga cum omnibus appenditiis ſuis. Igitur ego Honoratus epiſcopus cum clericis meis concedimus vobis licentiam ad inquirendam terram S. Victoris, quam nos non ſumus poſſeſſuri; & ubi eam inveneritis, licentiam habeatis interpellare & tenere eam ſine ulla interpellatione de ullo epiſcopo. Hæc omnia ſupra ſcripta cum eccleſia S. Victoris in qua ipſe requieſcit, teneant & poſſideant monachi qui in ea habitaverint, & in ea regulariter deſervierint jure perpetuo abſque ulla contrarietate, &c. Acta cartula iſta in Maſſilia civitate publice regnante Conrado rege, feria IV. II. kal. Novembr. S. domini Honorati qui cartulam iſtam fieri juſſit, & teſtibus firmare rogavit, & manu ſua firmavit. S. Deodatus. S. Nicetius. S. Autardus. S. Marinus. S. Dominicus. S. Folcardus. S. Riculfus. S. dominus Guillelmus frater ſuus vicecom. & uxor ſua Bilieldis voluerunt & conſenſerunt cum filiis ſuis Pontio & Guillelmo. Domnus Guillelmus comes firmavit.

VII.

Notitia de reſtitutione facta monaſterio S. Victoris, a Boſone comite, ad preces & admonitionem S. Honorati Maſſilienſis epiſcopi.

Ex magno chartario S. Victoris.

IN nomine, &c. Notum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus præſentibus, perpetuis, atque futuris, qualiter veniens Honoratus Maſſilienſis eccleſiæ æquiſſimus præſul, in Arelate civitate publice in conſpectu Boſonis comitis, filii Rothboldi quondam, atque in præſentia omnium virorum Arelatenſium, judicumque ac principum ſcilicet omnibus his nominibus, Rainoardo judice, Lamberto judice, Pontio vicecomite, Arnulpho *, Roſtagno, Archimberto, Bonifacio, Rayamberto, Widberto, Ingelrado, * Wicheramno, Taſſilone, David, Amalrico, Pontio, Widone, Vualchando, Hildoardo, cæterorumque omnium hominum, aſpectum præveniens, deprecatus eſt ſupra memoratum comitem ut res ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Victoris Chriſti martyris, quas prænominatus comes injuſte detinebat, ſecundum quod juſtum eſſe videbatur concedere debuiſſet. Requirentes autem judices præfati apud ſupradictum pontificem, & omnes memorati principes, ut ea quæ petebat ſcilicet & dicebat, vera eſſe probarentur. Interea namque epiſcopus ſciens & bene cognitores ac teſtes fideles adhibens, voluit ſecundum jus Romanæ eccleſiæ, ea quæ dicebat confirmare, & veraciter affirmare jurando; cum autem præfatus comes hoc quod epiſcopus quærebat, verum ac juſtum eſſe cognovit, ſacramentum jurandi ei condonavit, & res eccleſiæ prædictæ pro amore Dei, & ſanctæ intemeratæ virginis Mariæ, Chriſtique martyris Victoris conceſſit, atque perpetualiter poſſidenda tradidit. Conſiſtunt autem ſupradictæ res in pago Maſſilienſi ſuper fluvium Vuenæ in locis his nominibus deſignatis, Romagnana *, Liguſpinis, Trabias; hæc omnia quæ ad ſupradictam eccleſiam pertinere videbantur, præfatus jam comes ſicut ſupra inſertum eſt reddidit atque conceſſit. Placuit itaque rogante domino Honorato jam prædicto præſule, & comite excellentiſſimo * hanc notitiam diffinitionis conſentiente ejus filio Rothboldo, & fratre ejus Willelmo comite, atque conſiliantibus * Arelatenſium principibus, ne fortuito quod minime credimus eventu, ullo unquam tempore hæc notitia ceſſionis a nullo auſu temerario quiret fieri irrita. Si quis autem ſane tantæ temeritatis præſumptor repertus fuerit, in perpetuum non obtineat quod nequitia requirit, ſed iram omnipotentis Dei penitus incurrat, & poſtremam inferat precatio ſanctæ glorioſiſſimæque Dei genitricis Mariæ, ſententia quoque

* vel Arculpho. * vel Ingelmare.

* al. Romagna.

* Legendum legit comiti excellentiſſimo ſuppreſſo ejus nomine & * Reliquis, omnibusque conſiliantibus.

gitized by Google

Christi martyris Victoris, ac deinde omnium sanctorum maledictionem..... efficiatur particeps cum iniquis omnibus, societurque in barathro.... cremandus; par quoque Judæ Scarioth qui Dominum tradidit, diffinitionis notitiam firmam cum damnationis ejus vinculo perpetualiter pereat. Anno igitur incarnationis Dominicæ DCCCCLXII. * indictione VII. mense Martii, regnante Rodulpho rege Alamanorum, seu Provinciarum. Ego comes Bozo hanc notitiam concessionis scribi, & manu mea roborari curavi. Lambertus judex firmavit. Raimoardus firmavit. Pontius firmavit, Bonifacius firmavit. Rostagnus firmavit. Wicheramus firmavit. Rayambertus firmavit. Hildoardus firmavit. Arnulfus firmavit. Ingeldradus firmavit. Archimbertus firmavit. Vuido firmavit.

* Legendum DCCCCLXIV. ut probavimus.

VIII.

Littera Pontii Massiliensis episcopi, quibus cum patre suo Willelmo vicecomite Massiliensi dat S. Victori mediam partem villæ Almes.

1001. Ex magno chart. Victorino, fol. 11.

OMnipotentis Dei inspirante clementia, & ejus benignissima semperque expetenda opitulante suffragia, Pontius præsul civitatis Massiliensis, ejusque genitor Willelmus ejusdem civitatis vicecomes; nos fideles Christi quod diu optavimus impleri, cernentes videlicet ut quandocumque, in beati patroni nostri martyris Christi Victoris monasterio, qui nostræ adjacet civitati, servos Dei aggregatos videremus, qui eidem martyri, ac socius ejus, aliisque quamplurimis sanctis, qui in eodem loco tumulati esse noscuntur deservirent, &c. facimus donationem de ipsa medietate quam habemus in villa quam vocant Almes, &c. Facta donatio ista in mense Decembris anno ab incarnatione Domini M I. regnante Rodulpho rege Alamanorum seu Provinciæ, dominus Pontius episcopus fieri jussit, & manu sua firmavit, dominus Willelmus vicecomes, Willelmus filius suus, Fulco firmavit, Ermengarde suprascripta fieri jussit & firmavit. Astrude filia sua firm.

1001. Ex magno chart. Victorino, fol. 11.

IX.

Willelmus vicecomes Massiliæ, pater Pontii Massiliensis episcopi, fit monachus sancti Victoris, cui monasterio multa donat.

1004. Ermengaberti. Massil.

INspirante Dei misericordia, & ejus pia annuente clementia, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat: ego Willelmus vicecomes Massiliensis dum jacerem in lectulo meo, in infirmitate quam mihi idem dominus dederat, circumstetterunt me fratres monasterii beati Victoris, Wifredus scilicet præpositus ipsius monasterii, a domino abbate Garnerio constitutus, ac reliqui fratres, & sicut mos est servorum Dei, cœperunt insurgere, quatenus secularem militiam relinquerem, & Deo militarem, multa de sanctis scripturis nunciantes. Ego autem sermonibus eorum compunctus, gratia Dei comam capitis depositi, & secundum regulam sancti Benedicti habitum monachalem suscepi, & supra ea quæ in sanitate mea jam olim eidem monasterio beati Victoris martyris dederam, id est villam Almis, cum omnibus adjacentiis ac terminis suis: nunc etiam pleno sensu, ac plena memoria propter remedium animæ meæ, facio hanc donationem omnipotenti Deo, ac sancto Victori, & abbatibus, ac monachis in eodem loco servientibus; de ipsa villa quam vocant Campanias, de ipsa scilicet medietate mea, quam ego propter vestitionis causa ibi habeo, vel habere debeo, cum integritate & absque ulla diminutione, &c. Facta carta donationis hujus in Massilia civitate, anno incarnationis Dominicæ M I V. regnante Rodulpho rege. Ego Guillelmus, qui hanc donationem fieri jussi, & manu mea roboravi. Dominus Pontius episcopus firmavit. Guillelmus frater suus firmavit. Fulco firmavit. Aicardus firm. Ermingarda mulier domini Willelmi firm.

X.

Pontius episcopus Massiliensis confirmat omnia dona sancto Victori facta.

1005. Ex magno chart. Victorino, fol. 1.

PEr sacrorum judicium constat paginibus librorum, &c. Ex tunc monasteria exordium sumpsere. Ad horum igitur formulam cœnobiorum extitit infra pagi nostri fines, hocce in Provincia celebre monasterium Massiliæ civitatis, haud procul mœnia situm, præcipue martyris Victoris corpore sacratum, a glorioso imperatore Carolo privilegiis ac maximis donis sublimatum, quod diu in eadem sublimitate sub regulari tramite mansit stabilitum: sed post multorum curricula annorum, cum idem piissimus princeps a solo decessisset, & omnipotens Deus flagellare vellet populum christianum per sævitiam paganorum, gens barbarica in regno Provinciæ irruens, circumquaque diffusa vehementer invaluit, ac munitissima quoque loca obtinens & inhabitans, cuncta vastavit, ecclesias ac monasteria plurima destruxit, &c. Sicque factum est, ut monasterium illud quod olim præcipuum ac famosissimum in tota Provincia fuerat, adnullatum & pene ad nihilum est redactum. Quousque bonæ memoriæ domnus Guillelmus, & dominus Honoratus præfatæ civitatis episcopus, ac frater ejus domnus Guillelmus vicecomes, filiusque suus domnus Pontius præsul, qui eidem avunculo suo in episcopatum successit, & jam pene lapso manum sublevationis porrexerunt, qui non solum ex suis ei aliqua reddiderunt, verum etiam de propriis suis possessionibus ob remedium animarum suarum multa largiti sunt, ac monachos aggregantes, abbatem ibidem ordinaverunt. Igitur ego Pontius ordinatione omnipotentis Dei Massiliensis ecclesiæ pontifex igne divini amoris succensus, &c. beatissimi martyris Victoris amore flagrans, ut ejus monasterium ubi sacrum ac venerabile corpus ejus requiescit, stabilitum & inconcussum, &c. in secuturis sæculis maneat, & ut labor noster, ac donatio, & redditio, vel augmentatio nostra, seu & antecessorum nostrorum supradictorum indissolubilis, firmaque, ac stabilis in perpetuum maneat; una cum consensu domni Rodulphi regis Alamannorum & Provinciæ, seu & cum præcepto & connibentia domini apostolici papæ urbis Romæ, cum voluntate etiam domni Rodbbaldi comitis, & domnæ Adalaizis comitissæ, domnique Guillelmi comitis filii ejus; consentiente etiam, pariterque rogante clero ac populo sanctæ ecclesiæ Massiliensis, facio hanc roborationis, liberalitatis, ac donationis charram, omnipotenti Deo, ac beato Victori, &c. seu & abbatibus, &c. ut ab hac die ipsum monasterium sub nullius hominis manu nisi ad defensionem consistat, sed sit sicut cætera sunt monasteria regularia &c. & terram, cunctamque possessionem, omniaque quæ in præsenti tenere vel in futuro acquirere potuerit, nullus episcoporum, nulliusque ordinis persona, &c. ab eodem monasterio, &c. auferre valeant, &c. Ergo si potestas surrexerit aliquando inimica, quæ hoc opus nostrum, & hanc institutionem, quod pro remedio animarum nostrarum instituimus, vel hoc privilegium quod cum præcepto regis ac jussione domni apostolici, & auctoritate omnium supranominatorum scribimus, irrumpere voluerit, sit anathema, &c. Hoc etiam inferere placuit mihi Pontio episcopo ac fratribus meis, domno Guillelmo, & domno Fulconi, ut quæcumque de hæreditate patris nostri, vel nostræ, parentumque nostrorum huic monasterio a patre nostro, & a parentibus nostris..... collatum est, vel collatum fuerit, vindicari non valeat a potestate qualiber; quod si fiat, hæredes ac successores nostri liberam habeant potestatem resumendi, ac recuperandi ea quæ auferre vel abstrahere aliquis voluerit. Super hæc autem omnia licentiam habeant abbas ac monachi ejusdem monasterii, interpellare eos qui hanc scripturam nostram offuscare voluerint, in omni regali curia, vel ante domnum apostolicum Romæ, & reddere cogantur in

vinculo auri libras D. & denuo ſcriptura iſta firma, ſtabiliſque permaneat. Scripta anno Domini milleſimo quinto, Rodulpho rege Alamannorum, ſeu Provinciæ, Joanne gratia Dei papa ſedis apoſtolicæ, Rodbaldus gratia Dei comes firmavit, voluit & conſenſit, & manu propria roboravit. Signum * Poncius epiſcopus manu propria firmavit. Adalax inclyta comitiſſa aſſenſum præbuit & manu ſua firmavit. Guillelmus comes Provinciæ filius ejus firmavit. Guillelmus Toloſæ urbis comes. Ermengardis uxor Rodbaldi comitis manu propria firmavit. Warnerius abbas Pſalmodiæ firmavit. Guifredus licet indigne ejuſdem monaſterii opilio vocatus. Archinricus abbas Montis-majoris firmavit. Rado epiſcopus firmavit. Elmeradus epiſcopus firmavit. Domnus Poncius Arelatenſis archiepiſcopus, Pato abbas, Deodatus, Andreas, Miſſilius, Ugo, Guillelmus vicecomes, Fulco frater ejus, Lambertus Radaldus, Almaricus Aquenſis epiſcopus firm. Domnus Franco firm.

* a

XI.

Pontius Maſſilienſis epiſcopus, dat ſancto Victori plurima quæ hereditario jure poſſidebat in comitatibus Aquenſi & Forojulienſi, atque in urbe Arelate.

1008. OMnipotentis Dei opitulante clementia ego Pontius intuitu Dei Maſſilienſis eccleſiæ epiſcopus, de animæ meæ ſalute ſollicitus, &c. dono omnipotenti Domino, & ſancto Victori martyri, ejuſque monaſterio apud Maſſiliam civitatem fundato, aliquid de hereditate mea quæ mihi ſorte hereditatis ac diviſionis contingit, & a progenitoribus meis Guillelmo & Bellielde mihi jure hæreditario contigit, ſeu ab avunculo meo * propter ſervitium quod ego illi in ſua vita, morteque grataniter ac devote exhibui, ab eodem mihi coram idoneis teſtibus data, ac derelicta ſunt. Et hæc omnia ſunt in comitatu Aquenſe in valle quæ nuncupatur Tritis. Primo in villa quæ vocatur Porcilis, omnem meam partem ſicut dixi a genitoribus meis, vel ab avunculo meo mihi derelictam, &c. In villa quam vocant Puio-Neroni ſimiliter. In loco ſancti Andeoli ſimiliter. De villa quam vocant Ollarias, manifeſtum eſt quantum avunculus meus dedit monaſterio Montis-majoris. De cætero omnem partem meam dono monaſterio ſancti Victoris, ſed & in comitatu Forojulienſe, id eſt in Fraxeneto, in villa quam vocant ad Molam, &c. omnem partem meam. In civitate etiam Arelato dono manſiones meas quas ego conſtruxi & ædificavi, quæ ſunt juxta ſanctum Lucianum, cum omni ſuppoſito & omni ſtructura quæ ibi pertinet, &c. Facta eſt autem donatio hæc anno incarnationis Dominicæ MVIII. indictione VI. regnante Rodulfo rege Alamannorum ſeu Provinciæ, & in præfato monaſterio præſidente domino Guifredo benigniſſimo abbate. Ego Pontius gratia Dei epiſcopus manu mea roboravi, & teſtibus firmari rogavi. Ego Fulco firmavi. Ego Lambertus, Guillelmus filius Guillelmi, Arnulphus, Pontius filius Guillelmi, Pontius filius Attoni, Leogarda firm.

* S. Honorato.

XII.

Willelmus vicecomes Maſſilienſis frater Pontii epiſcopi, dat monaſterio Victorino partem hereditatis ſuæ in comitatibus Aquenſi, &c.

1014. EGo Willelmus Maſſiliæ vicecomes, dono omnipotenti Domino & ſancto Victori martyri, ejuſque monaſterio, ubi ſacrum ejus corpus requieſcit apud Maſſiliam civitatem fundato, aliquid de hæreditate mea, quæ mihi ſorte diviſionis contigit, & a progenitoribus meis Willelmo vicecomite Maſſilienſi, & Belielde ejus uxore mihi jure hæreditario provenit. Et hæc omnia ſunt in comitatu Aquenſe, in valle quæ vocatur Tritis. Primo in villa quæ vocatur Porcillis, de ipſa tertia parte quam tenebat frater meus dominus Pontius epiſcopus, quæ nobis advenit ex parte genitoris noſtri, manifeſtum eſt quia ipſam tertiam diviſimus inter nos frater meus Fulco & ego, & venit de illa tertia medietas illi, & medietas mihi: ipſam ergo medietatem quæ mihi advenit, ſicut ſuperius reſonat, dono omnipotenti Domino, ſanctoque Victori & abbatibus ac monachis ibidem ſervientibus. In villa ergo quam vocant Podio-Neroni ſimiliter. In villa quæ vocatur Ollaria ſimiliter. In locum qui vocatur ſancti Andeoli ſimiliter. Sed in comitatu Forojulienſi, id eſt in Fraxeneto, in villa quam vocant ad Mollam, &c. Facta eſt autem donatio hæc anno incarnationis Dominicæ milleſimo decimo quarto, indictione XII. regnante Rodulpho rege Alamanorum ſeu Provinciæ, & in præfato monaſterio Wifredo indigno abbate præſidente. Ego Willelmus hanc donationem manu mea roboravi & teſtibus firmare rogavi. Accelina uxor ejus f. Willelmus filius Willelmi f. Domnus Pontius epiſcopus filius ejus f. Aicardus filius ejus f. Fulco filius ejus f. Ego Fulco regnante fratre meo domno Willelmo firmavi. Domnus Pontius archiepiſcopus f. Domnus Stephanus epiſcopus f. Domnus Pontius epiſcopus f. Ego Wifretus indignus domno Willelmo rogante ſcripſi.

a 5. Pontius Arelatenſis archiepiſcopus. 5. Amalricus Aquenſis archiepiſcopus, *ex tranſumto domni Fornerii S. Victoris aſſerto.*

XIII.

Diploma Guillelmi, & Fulconis vicecomitum Maſſiliæ pro ſancto Victore, ex quo genus Pontii II. epiſcopi Maſſilienſis cognoſcitur.

EGo GUILLELMUS, & FULCO frater meus, Dei gratia vicecomites, & uxores noſtræ Aiſſalena & Odila, & filii mei domnus videlicet Pontius Maſſilienſis epiſcopus, Guillelmus & Aicardus, Fulco & Gaufredus, donamus Deo, & ſancto Victori martyri monaſterii Maſſilienſis, eccleſiam quæ eſt dedicata in honorem ſancti Mitrii martyris, & ſancti Martini, & ſancti Laurentii in comitatu Maſſilienſi, & in territorio quod vocatur Albania.

Ex mſ. chart. S. Vict. fol. 16.

Porro hos omnes non Fulconis filios fuiſſe, ſed Guillelmi, declarat hæc altera ex eodem chartulario, fol. 24. donatio.

XIV.

EGo WILLELMUS vicecomes Maſſilienſis, & filii mei Pontius epiſcopus, & Willelmus, necnon Aicardus, Fulco, ſive Josfredus, facimus donationem pro remedio animæ uxoris meæ Accelenæ matris ſupranominatorum filiorum, omnipotenti Domino, ac S. Victori martyri, de octava parte quædam villæ quæ vocatur Cathedra, quæ ſita eſt in pago Provinciæ, in comitatu Maſſilienſi, prope mare. Facta donatio hæc anno incarnationis Dominicæ milleſimo decimo nono, regnante Rodulpho rege Allemanorum ſeu Provinciæ. Ego Willelmus cum filiis meis præfatam villam cum omni integritate prædicto monaſterio dedimus, manibuſque noſtris firmavimus. Stephana uxor ejus firmavit. Pontius epiſcopus firmavit. Willelmus firmavit.

1019.

Ex quibus patet 1°. Pontium hunc nepotem fuiſſe Guillelmi I. filium Guillelmi II. fratrem Guillelmi III. vicecomitis Maſſilienſium, itemque fratrem Josfredi vicecomitis Maſſiliæ & Arelatenſis, ac Horſendis abbatiſſæ ſancti Salvatoris; patruum autem habuiſſe Pontium ſupradictum epiſcopum Maſſilienſem; ipſum vero patruum fuiſſe Aicardi archiepiſcopi Arelatenſis, Josfredi filii. 2°. Ipſum inſediſſe cathedræ Maſſilienſi adhuc ſuperſtite matre Accelina, proindeque aliquo ſaltem tempore ante annum MXIX. *quo novercam habebat Stephanam.*

XV.

Acta dedicationis eccleſiæ ſancti Victoris Maſſilienſis a Benedicto papa IX. facta anno 1040.

SUpernæ divinitatis potentia, &c. Ne oblivioni daretur futuris temporibus, hactenus impreſſum antiquis continetur marmoribus, hac diligentia muniendum

1040. *Ex chartario Maſſil.*

censuimus prædicti martyris monasterium, apud Massi- A lienſem urbem tempore Antonini imperatoris fundatum, quod postea a B. Cassiano abbate constructum, eodem rogante, ut fertur a majoribus natu, a beatissimo Leone Romanæ sedis antistite consecratum, & ejus apostolica benedictione atque auctoritate confirmatum atque sublimatum, in quo majorem constituentes ecclesiam in honorem SS. apostolorum Petri & Pauli, & omnium apostolorum, aliamque in honorem S. Dei genitricis Mariæ, sanctique Joannis Baptistæ multorum sanctorum collatis pignoribus, consecraverunt; quod multis decoratum honoribus & præceptis dilatatum imperialibus videlicet Pipini, Caroli, Carlomanni, Ludovici, & Lotharii regum Francorum, necnon passionibus SS. martyrum Victoris & sociorum ejus, sed & aliorum specialiter, &c. testimonia produnt; nam & in his occiduis partibus, B ad monachorum perfectum ac regularem tramitem Cassianus hinc primus emicuit, ad promulgandam circumquaque monachorum legem: quodque monasterium ita in amore Christi sponsi ambiens perduravit, ut in omnem terram ejus sonus exiret, & in fines orbis terræ ejus doctrina ut lucerna fulgens luceret. Cumque diutius in tanti amoris munimine perduraſſet, obmissa prole tantæ nobilitatis de vagina Wandalorum gladius exactor educitur, quod necare antiqui serpentis framea corrupta velle disponit, hoc extincto, sobolumque flore obmissa viduitatis lacryma, flebilis & infœlix, nimioque senio consumptum permansit; post nempe multorum annorum curricula, temporibus sanctæ Romanæ sedis antistitis Joannis claruit sacris virtutibus Wifredus abbas loci hujus rector. Hic ergo has ædes condens, muris doctrinis dilatavit velle necnon posse vicecomitum, seu egregii præsulis Massiliensis. Post ejus vero obitum, Ysarnus sumpsit ad regendum cœnobium, ut ejus merito floreret in seculum, per quod cœnobiale studium nostris in partibus accepit initium. Hoc igitur a prædecessoribus nostris statutum. Ego Benedictus S. sedis Romanæ ecclesiæ episcopus, & Rayambaldus Arelatensis apostolatus Trophimi vicarius, cæterique præsules Galliarum, Pontius videlicet Massiliensis, cujus tuitione ac patrimonio prædicta consistit ecclesia, & Leodegarius archiepiscopus Viennensis, Pontius Valentinensis, & Udalricus Tricastinensis, Franco Carpentoratensis, Benedictus Avenionensis, Petrus Aquensis, Clemens Cavalicensis, Stephanus Aptensis, Petrus Vasionensis, Hismodo archiepiscopus Ebredunensis, Feraldus Ga- D picensis, Petrus Sistericensis, Hugo Dignensis, Bertrannus Regensis, Ganselmus Forojulicnsis, Deodatus Tolonensis, Hedelbertus Antipolensis, Durandus Vincensis, Nectardus Nicensis, Amelius Senecensis, & Pontius Glanicensis, cum omni clero nobis commisso, necnon abbatum ac monachorum caterva, intravimus culto pondere diei & æstus, ac clericorum plurimorum diversorum graduum, fidelium que christianorum utriusque sexus fere decem millium, ad ejus thalamum reparandum venimus & impenetrabili munitione firmamus, & sancitum testamur præcibus jamdicti pastoris Ysarni, necnon vicecomitum Willelmi & Fulconis in idipsum assensum præbentibus, principibus Gaufredo & Bertranno cum totius Provinciæ nobilibus. Igitur in unum congregati trifida benedictione Apostolico E privilegio prædictam ecclesiam sanctificamus, atque in pristino absolutionis decore ponimus, quo omnis pœnitens, qui ad ejus limina tritis passibus venerit, ecclesiæ fores sibi pateant, & indulta facinora peccaminum, absolutus omnium criminum squaloribus, libere ad propria redeat lætus, eo scilicet tenore, ut transacta peccata sacerdotibus confiteatur, & de reliquo evidenter; de advenientibus vero ad hoc monasterium ob honorem sanctorum, & reverentiam loci præcipimus, ut quicumque quempiam advenientium, vel ibi commorantium, vel ad propria remeantium, læserit, aut damnaverit in corpore, vel in aliqua substantia, iram & maledictionem Dei, & omnium sanctorum incurrat. Si quis ergo imperator, rex, dux, &c. Acta publice apud Massiliam in eodem monasterio idibus Octobris, die ejusdem loci consecrationis, anno MXL. Dominicæ incarnationis, indictione VIII. IV. feria. Dominus Rayambaldus archiepiscopus Arelatensis firmavit. Petrus archiepiscopus Aquensis. Hismodo archiepiscopus Ebredunensis. Stephanus episcopus Aptensis. Pontius episcopus Massiliensis. Deodatus episcopus Tolonensis. Desiderius notarius scripsit.

XVI.

Littera Pontii II. Massiliensis episcopi, quibus confert sancto Victori sancti Genesii ecclesiam.

EGo Pontius gratia Dei sanctæ sedis Massiliensis 1044.
episcopus, cupiens restaurari loca servitio Dei apta, ecclesiam sancti Genesii, quæ est sita in comitatu Massiliensi juxta montem qui dicitur Gardia, quæ nunc est destructa, cum consensu canonicorum ecclesiæ nostræ dono omnipotenti Domino, ipsiusque monasterio in honorem sancti Victoris apud Massiliam fundato, & abbati Isarno, & monachis præsentibus & futuris, in eodem monasterio commanentibus, ut ædificantes prædictam ecclesiam, scilicet sancti Genesii perpetuo teneant & possideant, & pro me, ac successoribus meis, atque clero ecclesiæ nostræ intercessores existant apud Dominum, &c. Facta donatio hæc anno incarnationis Dominicæ MXLIV. indictione XII.

XVII.

C *Charta Pontii episcopi Massiliensis, ejusque fratrum pro sancto Victore.*

COnstat antiquitus legati dispositione sancitum, 1058.
anteriorumque industria patrum legali jure decretum, ut si quispiam suas res voluerit alicui dare vel commutare aut vendere, per descriptionis paginam id studeat agere, qualiter ipsæ res stabiles & inconvulsæ valeant perenniter permanere. Non solum enim hujusmodi descriptionis tabula viventibus & acquirentibus, aliorum possessiones hæredum, etiam profutura, verumetiam longo futuris, longoque post tempore succedentibus, ad cognitionem talium possessionum, & ad tutionem earum contra adversantes valde idonea. Quapropter ego Pontius Massiliensis episcopus, fratresque D mei, domnus videlicet Guillermus & dominus Goffredus, Acelinæ quondam filii, donamus sanctæ Mariæ Dei genitricis altari quod est consecratum in ecclesia sancti Victoris Christi martyris, & eidem sancto Victori martyri, sociisque ejus, ac monachis ibidem manentibus, tam præsentibus quam futuris in æternum, pro remedio animarum nostrarum, nostrorumque parentum, scilicet ecclesiam sancti Torpetis martyris, quæ est sita in comitatu Forojulienſi, in territorio quod vocatur Fraxinero juxta mare, & totum quod habemus vel habere debemus in territorio & in terminis ejusdem sancti Torpetis, usque ad mare, & ipsum mare, ipsum quoque quod domnus Fulco noster avunculus ibi habet similiter in sua vita, & post suam mortem ad proprium allodum. Terminatur siquidem ipsa terra & ipse allodis ab orien- E tali parte, a loco qui vocatur Laudonarias, qui situs est in ripa maris & pergit per media cacumina montium, sicut aqua vergit, & dividit terram, & terminat terminos de Ramaruella, & fecit per antiquum murum, qui est inter Aldiffare & Pampelonam, & usque in Garonam decurrentem, usque in mare ab occidentali parte, & dividit hanc terram sancti Torpetis & castri Bortiani, ab aquilonis parte terminum ipsum mare. Hæc omnia supradicta & quæcunque continentur infra istos terminos & in ipsis terminis, videlicet terris cultis, incultis, pratis, pascuis, silvis, garricis, cum suis venationibus, suisque piscationibus, aquis, aquarumque decursibus, cum ipsis portis & salinis, omnia in omnibus quidquid habemus, vel habere debemus, nunc & in futurum, vel post obitum avunculi nostri domini Fulconis jam dicti vicecomitis tantum * ab in-

Ex schedis D. Antelmi Forojulienſis præpositi.

* *f.* tantum.

Digitized by Google

regro donamus jam nominato sanctæ Mariæ Massilien- A
sis cœnobio, sanctoque Victori martyri ejusdem ce-
nobii, & monachis ibidem manentibus, tam præ-
sentibus quamque futuris in æternum, sicut supradic-
tum est, ad legalem & proprium allodem, ut ab ho-
dierno die & deinceps habeant & possideant cum omni
quietudine & pace. Plane, si quis ex nobis aut aliqua ulla
persona venerit, aut surrexerit ad irrumpendum hæc,
non valeat vendicare, quod reperierit, verum iram
Dei omnipotentis incurrat, cum omnibus maledic-
tionibus * penitens fuerit. Insuper componat in vin- *f. alii dupl.
culo eidem sancto Victori optimi auri libras centum.
Facta est autem hæc donatio atque descriptio anno mil-
lesimo Dominicæ incarnationis quinquagesimo sexto,
marlius IX. indictione VIII. regnante Henrico rege. Pontius episcopus Massilienſis firmavit. Gaufredus frater ejus. Frater Guillelmus episcopus Tolonienſis firmavit. Dominus Guillermus vicecomes Massilienſis firmavit, & alios firmare fecit. Fulco filius ejus firmavit. Dominus Fulco vicecomes. Frater Rostagnus de Castrineto, &c.

XVIII.

Poncius episcopus Massilienſis Garsindæ abbatissæ sancti Salvatoris concedit parochiam sanctæ Mariæ de Acuis.

1078. Ex autogr. SI quid ex secularibus constituitur legibus solemni-
tate scripturæ mandatur memoriæ, multo rectius
quod ecclesia sanciit scriptura testatur. Notum sit igi-
tur fidelibus universis, quod ego Pontius episcopus
urbis Massiliæ sanctimonialium feminarum ad eccle-
siam * sanctæ Mariæ abbatiæ omnes circa ipsam habitan- a
tes, usque ad veteres urbis muros parrochialiter perti-
neant, in omni ecclesiastica ordinatione, nostro dona-
tu. Hæc autem donatio seu restitutio, quoniam sic
antiquitus constitisse vera fama testabatur, facta à
me præsule Poncio Massiliæ abbatissæ Garsindæ, quam
ibi electam intronizavi ac consecravi, omnibusque ibi
Deo servientibus, præsentia canonicorum meorum Jo-
hannis, Stephani, aliorumque omnium, præsentibus
quoque fratribus meis Gaufredo, Petro, & aliis pluri-
bus, die scilicet abbatissæ consecrationis prædictæ. An-
no ab incarnatione Domini MLXXII. indict. XI. epacta
IX. VII. idus Januarii, Luna XXIII. regnante Chri-
sto, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat D
per infinita sæcula. Amen.

XIX.

Petro episcopo Massilienſi sacramentum præstitum a Raymundo Gaufredi Massiliæ vicecomite.

1151. Ex autogr. EGO RAIMUNDUS Gaufredi de Massilia, filius Dul-
celinæ, juro tibi Petre Massilienſis episcope fili Bea-
tricis, quod ego non tollam tibi vitam tuam, nec mem-
bra tua quæ corpori tuo sunt juncta, & quod ego non
capiam te, vel capere faciam, nec ullus homo, vel ali-
qua femina per meum consilium, vel per meum consen-
timentum. Juro etiam tibi, civitatem tuam, & omnia
castella, & villas, & totum honorem Massilienſis eccle-
siæ, quem modo habes, & in antea habiturus es in
episcopatu tuo, quod ego non tollam tibi illum ho-
norem, vel aliquid de illo honore. Et si aliquis homo,
vel aliqua femina, illa vel aliquid de illis tibi abstule-
rit, vel auferre conatus fuerit, postquam me commo-
nueris, vel commonere feceris, fidelis adjutor tibi ero
ad intellectum tuum per fidem & sine enganno. Et hæc
omnia præscripta firmiter tenebo, & fideliter observabo
sicut tu intelligis. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta
evangelia. Factum est sacramentum istud in Massilia
in domo episcopi, anno ab incarnato Domino CLII.
post millesimum, idibus Junii, luna VII. Hujus sacra-
menti testes, Gaufredus Massilienſis ecclesiæ decanus,
&c.

a In Gallia Christiana quadripartita legitur: *Feminarum parochiam domo infra Massiliam, in vicecomitali parte; videlicet ut ad ecclesiam.*

XX.

Bulla Anastasii papæ IV. qua confirmat omnia Massilienſis ecclesiæ bona Petro episcopo.

1153. Ex arch. eccl. Massil. ANASTASIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili Petro fratri Massilienſi episcopo, ejus-
que successoribus canonice substituendis in perpetuum.
In eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domi-
no constituti, fratres nostros episcopos, tam vicinos,
quam longe positos, fraterna charitate debemus diligere, & ecclesiis quibus Domino militare noscuntur, suam justitiam conservare. Eapropter, dilecte in Chri-
sto frater Petre episcope, tuis rationabilibus postula-
B tionibus clementer annuimus, & prædecessorum nostro-
rum felicis memoriæ Innocentii & Eugenii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, beatæ Dei genitricis Mariæ Massilienſem ecclesiam, cui Deo authore præsse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione susci-
pimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bo-
na, tam ecclesiis, quam in decimis, castellis, villis, & aliis eadem ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largi-
tione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, monaste-
rium sancti Salvatoris de la Sachoas, quod infra muros
C civitatis Massiliæ situm est, civitatem episcopalem cum toto territorio suo, Rocambarbaram cum vallo circum-
euntе Rocam ipsam, & vallis a muris eandem civita-
tem circumeuntibus: portum de Porta Gallica, & quid-
quid habes in portu antiquo, qui est inter monasterium & civitatem, terras de Fontecooperto, Pedaticum de territorio Alaugii & Nertii. Quidquid habes in porta de Banneriis; quidquid habes in Leonio, castrum sancti Canati, castrum Nertii, castrum Alaugii, villam sancti Juliani, partem quam habes in castro de Pennis, cas-
trum de Mairanegas, castrum de Melna, castrum de Aurovenes, castrum de Bulcet, cum territorio & appen-
ditiis suis, castrum Albaniæ, & duos rocetos pro eo in natale Domini & in pascha. Quicquid præterea Pon-
tius de Podio-nigro pro filio suo Aichardo in supradic-
D to castro Alaugii ecclesiæ tuæ concessit, partem tuam de castro Evene, podium qui castellum Guimberti vocatur. Addentes si quidem authoritate apostolica prohibemus, ne quis in eodem podio, vel in aliis ejusdem Massilienſis ecclesiæ possessionibus absque assensu & voluntate Mas-
silienſis episcopi castrum Turen. vel munitionem ali-
quam ædificare præsumat. Porro translatione quæ de causa de qua inter te ac Gaufridum de Massilia, & fra-
tres ipsius controversia versabatur, in præsentia vene-
rabilis fratris nostri Raimundi Arelatensis archiepiscopi, & aliorum episcoporum utraque parte consentiente fac-
ta est, quemadmodum in eorum scripto continetur, mu-
nimine præsentis paginæ roboramus, & rata futuris temporibus decernimus permanere. Ecclesiam sancti Ca-
nati, ecclesiam de Mairanicis, & ecclesias de Melna,
E cum decimis & pertinentiis earum, ecclesias de Pennis, de Nertio, de Alaugio, sancti Juliani, sanctæ Mariæ in villa episcopali, sancti Martini in villa vicecomitali, cum decimis & earum pertinentiis, sanctæ Mariæ de la Sachoas, sancti Martini de Arogno, sancti Laurentii, sancti Andreæ in territorio Massilienſi ecclesias de Sep-
timo, S. Tirsi de Cula, S. Mitrii ad castrum Gumberti, & de Solobiis cum decimis & earum pertinentiis eccle-
siam S. Michaëlis in territorio Massilienſi, ecclesias S. Marcelli cum decimis, ecclesias de Albania, S. Petri ad Vincula, sancti Joannis de Gargerio, sancti Clari, sancti Pontii, sanctæ Mariæ de Gemenas, sanctæ Ma-
riæ de Ros, sancti Joannis de Podio, in valle Tritis, ecclesiam sancti Martini de Insol. & cum decimis. In ecclesiis de Auriol tertiam partem decimarum, in ec-
clesiis sancti Zachariæ VII. sol. & duos medollalios de
melle

melle, ecclesias de Villariis & Rochaforti, de Chuia cum decimis, ecclesiam S. Petri & S. Joannis de Signa, de castro veteri cum decimis, ecclesias de Aurovenes, de Bauceto, de Castelleto, sancti Victoris in territorio de Madalgas cum decimis, ecclesiam de Laza cum pertinentiis. Interdicimus etiam ut nullus abbas, nullus monachus, vel quælibet alia persona excommunicatos, vel interdictos, qui ad Massilienſem ecclesiam jure parochiali pertinere noscuntur, recipiat. Decernimus ergo ut nulli omnino homini liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, &c. Amen. Ego Anastasius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ymarus Tusculan. episcopus. Ugo Ostiensis episcopus. Ego Oddo diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, &c. Datum Laterani per manum Rolandi S. Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii III. kal. Januarii, indictione II. incarnationis Dominicæ anno MCLIII. pontificatus domni Anastasii anno I.

XXI.

Transactio inter ecclesiam Massilienſem & sanctimoniales sancti Salvatoris, qua ecclesiarum & parochiarum quarumdam limites definiuntur judicio Petri Massilienſis, & Raymundi Antipolitani episcoporum.

1164. Ex autogr. in archivo Massil. asservato.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi tam præsentibus quam futuris pateat hominibus, quod ego Petrus ecclesiæ Massilienſis episcopus, de controversia quæ erat inter canonicos Massilienſes, & sanctimoniales sancti Salvatoris de las Acuas, cum diutius prædicta controversia seu querimonia more judiciorum ante nos ventilaretur, auditis hinc inde rationibus & allegationibus, consilio Raimundi Antipolitani episcopi, & aliorum sapientum virorum, scilicet Guillelmi sacristæ Arelatensis, P. Itinardi, Raimbaldi de Nicea, Itinardi de Oliolas, talem transactionem vel finem fecimus. In primis de quæstione alaudii quartam partem veteris alaudii, & quartam tascarum, & sextam decimarum sicut antiquitus habuerant, sanctimonialibus adjudicavimus. De quæstione item Caze, unde canonici conquerebantur, quod sanctimoniales diu possederant, monialibus attribuimus. Controversiam vero seu contentionem quæ tunc temporis inter eos erat maxima, de terminis parochiarum S. Martini & S. Mariæ monialium sic terminavimus, ut canonici ordinationem, seu jus parochiale in solidum habeant, illius populi qui habitat vel habitaturus est a veteribus muris civitatis, usque ad portale quod est juxta mare, quod est juxta domum Petri Delboscher, & inde tendit per vetus vallum usque ad aliud portale de Parpillini, & a portale recta linea usque ad vallum de Rocabarbara; & hunc populum canonici recipiant in ecclesia B. Martini, sive in ecclesia nova quam faciant, & ita provideant quod juste conqueri non possit. Reliquum vero populum a prædictis portalibus seu terminis usque ad Vallum-novum, & a Vallo-novo usque ad monasterium S. Salvatoris de las Acuas, ecclesiæ S. Mariæ ordinandum adjudicavimus. Quicumque vero parochianorum habitantium a veteribus muris civitatis, usque ad prædictum terminum monasterii S. Salvatoris in cimiterio S. Mariæ vel S. Martini sepeliri voluerit, salvo jure matricis ecclesiæ, & in sepeliendo & in mortalagio liberam eis facultatem concedimus. Baptisterium vero sanctæ Mariæ, & sancti Martini, & sancti Cannati majori ecclesiæ sanctæ Mariæ, utpote matrici, adjudicavimus. Hæc autem omnia quæ supradicta sunt salva auctoritate & jure episcopali utrique parti concedimus, & hæc omnia sicut supra scripta sunt, pars parti laudavit. Facta sunt hæc anno ab incarn. Domini MCLXIII. III. idus Martii, luna V. epacta XIV. Frederico imperante, in præsentia domini Petri Massilientis episcopi, & domini Raimundi Antipolitani episcopi, Aicardi præpositi Massilienſis, Aicardi de Tollon. Aicardi de Auriol. Petri Martini, Rainaldi de Cuges, & multorum aliorum. Alexander scripsit.

XXII.

Littera Geraldi Ademari Montilii domini, vicecomitis Massilienſis, & Mabilia ejus uxoris, &c. quibus confirmantur Petro Raimundi episcopo Massilienſi antiqua pacta.

GERALDUS Ademari dominus Montilii, vicecomes Massilienſis, & Mabilia ejus uxor domina Montilii & vicecomitissa Massilienſis, approbamus & confirmamus vobis Petro Massilienſi episcopo, & Hugoni Massilienſi præposito, compositionem jamdudum factam inter Petrum Massilienſis ecclesiæ episcopum ex una parte, & vicecomitem Massilienſem, scilicet U. Gaufridi dictæ dominæ Mabiliæ avum, & Bertrandum fratrem ejusdem Ugonis, Ugonem Gaufridi Sardum nepotem eorum, filium Gaufridi de Massilia ex altera; in manu Raimundi Arelatensis archiepiscopi, Raimundi Carpentoratensis episcopi, &c. præcipimus quod sigilli nostri munimine confirmetur. Actum est apud Montilium in camera in qua jacebat domina Mabilia in partu de Raimundo filio suo, anno incarnationis Dominicæ MCCXV. X. calend. Maii, in præsentia & testimonio Petri Massilienſis episcopi, Raimundi Juliani Aquensis archidiaconi, Massilienſis canonici, Ugonis de Burgo Massilienſis canonici.

1215. Ex autogr. in archiv. Massil. asservato.

XXIII.

Charta Willelmi Massilienſis vicecomitis de dono villæ de Campanias, facto Guarnerio abbati sancti Victoris.

INspirante omnipotentis Dei misericordia, & ejus pia annuente clementia, *qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat*, ego Villelmus vicecomes Massilienſis dum jacerem in lectulo meo in infirmitate quam mihi idem Dominus dederat, circumsteterunt me fratres monasterii beati Victoris, Wifredus scilicet præpositus ipsius monasterii a domno abbate Guarnerio constitutus, ac reliqui fratres, & sicut mos est servorum Dei, cœperunt mihi suggerere quatenus sæcularem militiam relinquerem & Deo militarem, multa de sanctis scripturis nunciantes. Ego autem sermonibus eorum compunctus gratia Dei comam capitis deposui, & secundum regulam sancti Benedicti habitum monachalem suscepi, & super ea quæ in sanitate mea jam olim eidem monasterio beati Victoris martyris dederam, id est villam Almis cum omnibus adjacentiis ac terminis suis, nunc etiam pleno sensu ac plena memoria, propter remedium animæ meæ, facio hanc donationem omnipotenti Deo & sancto Victori; & abbatibus ac monachis in eodem loco servientibus de ipsa villa quam vocant Campanias, de ipsa scilicet medietatem meam, quam ego propter vestitionis causam ibi habeo vel habere debeo cum omni integritate, absque ulla diminutione, cum terminis & adjacentiis suis, sicut ego in vita mea tenui ac possedi, sic omnia dono, cedo, atque trado, sicut jam dixi, omnipotenti Deo & domino meo sancto Victori, qui me semper in omnibus necessitatibus juvit, & nunc me per intercessionem suam ad sacram militiam venire fecit. Sunt namque consortes de ipsa villa supradicta Campanias, de uno fronte terra de Buco, de alio fronte terra de Pino, de alio latus usque in quarto, de alio vero latus consortes usque ad stantes quæ sunt contra Marignana. Sane si quis nos, aut successores nostri, aut ulla opposita persona, qui contra hanc cartulam helemosinariam ire, agere, aut infrumpere voluerit, imprimis maledictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti incurrat, & omnia agmina sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, & insuper damnatos damnetur, & cum his qui in inferno sunt crucietur. Neque in hoc sæculo, neque in futuro veniam nullam accipiat, & insuper componat in vinculo auri libras CC. & in an-

1004. Ex magno chartario S. Vict. fol. 22. verso. Extat, ut vid.

tea donatio iſta firma & ſtabilis permaneat omni tempore. Facta carta donatione iſta in Maſſilia civitate, anno incarnationis Dominicæ 1004. idibus Octobris, regnante Rodulfo rege. Ego Willelmus qui hanc donationem iſtam fieri juſſi,& manu mea roboravi. Domnus Pontius epiſcopus firm. Guillelmus frater ſuus firm. Fulconfirm. Aicardus firm. Ermengarda mulier D. Villelmi firm. Lambertus firm. Ademars filius Guillelmi firm. Leodegarda filia ſua firm. Auſtrus firm. Accelena firm. Villelmus & Pontius filii ſui firm. Roſtagnus firm. Iſnardus firm. Leotardus firm. Rotbertus firm. Villelmus filius Ricardi firm. Willelmus de Rance firm.

XXIV.

Littera Benedicti papæ IX. de conſecratione eccleſiæ ſancti Victoris Maſſilienſis.

1040. SUpernæ divinitatis potentia, &c. Hoc igitur a prædeceſſoribus noſtris ſtatutum, ego Benedictus ſanctæ ſedis Romanæ eccleſiæ apoſtolicus, & Raiambaldus Arelatenſis appellatus Trophimi vicarius, ceterique præſules Galliarum, Pontius videlicet Maſſilienſis, cujus tuitione & patrimonio prædicta conſiſtit eccleſia, & Leodegarius archiepiſcopus Viennenſis, Pontius Valentinenſis, Udalricus Tricaſtrenſis, Franco Carpentoracenſis, Benedictus Avenionenſis, Petrus Aquenſis, Clemens Cavallicenſis, Stephanus Aptenſis, Petrus Vaſionenſis, Hiſmodo archiepiſcopus Ebredunenſis, Feraldus Vapincenſis, Petrus Siſtericenſis, Hugo Dignenſis, Bertrannus Regienſis, Gaucelmus Forojulienſis, Deodatus Tolonenſis, Eldebertus Antipolitanus, Durandus Vincienſis, Nectardus Nicienſis, Amelius Senecenſis, & Pontius Glannicenſis, cum omni clero nobis commiſſo, necnon abbatum ac monachorum caterva, qui a vinea patriſfamiliæ denario beatæ remunerationis laboraturi intravimus tulto pondere diei & æſtus, ac clericorum plurimorum diverſorum graduum, fideliumque Chriſtianorum utriuſque fere decem millium ad ejus talamum reparandum venimus, & impetrabili munitione firmamus, & ſanctificatum teſtamur precibus jam dicti paſtoris Iſarni, necnon vicecomitum Willelmi & Fulconis: id ipſum aſſenſum præbentibus principibus Gaufrido & Bertranno, cum totius provinciæ nobilibus, credentes Salvatoris dictum
Joh. 20. 19. dicentis: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine*
Ibid. 14. 13. *meo, in medio eorum ſum, & quodcumque petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Igitur in unum congregati trifida benedictione apoſtolico privilegio prædictam eccleſiam ſanctificavimus, atque in priſtino abſolutionis decore ponimus, quo omnis pœnitens, qui ad ejus limina triſtis paſſibus venerit, eccleſiæ fores ſibi pateant, & indultis facinoribus peccaminum, omnium criminum ſqualloribus abſolutus, liber redeat ad propria lætus, eo ſcilicet tenore, ut tranſacta peccata ſacerdotibus confiteatur, & de reliquo emendetur, &c. Acta publice apud Maſſiliam in eodem monaſterio, idibus Octobris, die ejuſdem conſecrationis, anno MXL. incarnationis Dominicæ, indictione VIII. &c.

XXV.

Pontius epiſcopus Maſſilienſis ſancto Victori dat eccleſiam ſancti Geneſii.

1044. *Ex chart. S. Victoris.* EGo PONTIUS gratia Dei ſanctæ ſedis Maſſilienſis epiſcopus, cupiens reſtaurari loca ſervitoribus Dei apta, eccleſiam S. Geneſii, quæ eſt ſita in comitatu Maſſilienſe, juxta montem qui dicitur Guarda, quæ nunc eſt deſtructa, cum conſenſu canonicorum eccleſiæ noſtræ, dono omnipotenti Deo, ipſiuſque monaſterio in honore ſancti Victoris apud Maſſiliam fundato, & abbati Iſarno, & monachis præſentibus & futuris, eodem monaſterio commanentibus, ut ædificantes prædictam eccleſiam, ſcilicet ſancti Geneſii, perpetuo teneant & poſſideant, & pro me ac ſucceſſoribus meis, atque cleA ro eccleſiæ noſtræ interceſſores exiſtant apud Deum. Si quid vero concedente Deo fidelium largitione eidem eccleſiæ ſancti Geneſii allatum fuerit, cujuſcumque poſſeſſionis aut ſubſtantiæ, ſint juris cujus ſupradicta donavimus. Igitur ego Pontius epiſcopus venerabiles ſucceſſores meos per Dei nomen deprecor & obteſtor, ut hoc meæ devotionis munuſculum prædicto monaſterio pro reſtauratione ejuſdem eccleſiæ amore Chriſti collatum, eadem dilectione firmiter ſtabiliant & teneant, ac corroborent inconvulſum. Si quis vero, quod abſit, quodque fieri omnimodo nolumus, violare voluerit hanc reſtaurationem vel donum, ſciat ſe actu ſanctæ eccleſiæ extrancum, Deique maledictione perpetualiter damnandum. Ego Pontius epiſcopus firmavi, & clericos meos ut firmarent rogavi. Facta donatio hæc anno B incarnationis Dominicæ MXLIV. indictione XII.

Eodem anno ſancti Promaſii eccleſia datur monaſterio ſancti Victoris Maſſilienſis, cui inprimis ſubſcripſit Geraldus epiſcopus Siſtaricenſis. Eam confirmavit ſynodus habita apud Barbaras in pago Vedaſcino, per legatum Nicolai II. Vide Ruffium juniorem in diſſertat. de comitibus Forcalquer. ſub Nicolao II. anno circiter 1060. pag. 66.

XXVI

Charta donationis Pontii Willelmi vicecomitis facta monaſterio ſancti Victoris.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Pon- 1074. *Ex ſchedis D. Anſelmi.*
tius Willelmi vicecomitis filius, de incerto vocatio- C
nis meæ die ſollicitus; ſubito enim ſupervenit repentinus interitus, propter quod ipſe Dominus vigilare nos ammonet; neſcimus enim quando ipſe ſit; nam ſi forte aliquid boni agere cogitantes differimus, in illa die peribunt omnes cogitationes noſtræ. Volo ego vivens & ſanus domino confiteri, & voluntatem meam per ſcripturam firmari, ut ſi me præoccupaverit ſubitanea mors, non valeant poſteri noſtri meam animam hereditatis ſuæ privatione damnare; nihil enim tunc inveniunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis, niſi quia ſi quid omnipotenti Deo viventes & volentes obtulerint: *Amen dico vobis*, ait Dominus, *non perdet* *Matth. 10.* *mercedem ſuam.* Propterea ego vivus & ſanus in mea *42.*
recta memoria præſens teſtamentum facio, non tale quale ſolet eſſe quandiu quod poteſt denuo comutari, D
ſed ut ſit hæc carta donatio firma, ſtabilis, quam nec ego ipſe neque ulla perſona poſſit .... deſtruere, ſive agere contra illam, per quam dono ego Pontius omnipotenti Domino & ſanctæ Dei genitrici Mariæ, & ſancto Victori glorioſiſſimo martyri & monachis in monaſterio Maſſilienſi domino ſervientibus præſentibus qui me ſupervixerint & futuris in manu abbatis Bernardi omnem honorem etiam in quantumcumque nunc habeo, aut ad diem mortis meæ habuero, ſi abſque herede legali de corpore meo mortuus fuero. Si autem verum filii mei abſque filiis mortui fuerint, ſimiliter honor illorum, qui nunc noſtrum eſt, ſancto Victori remaneat, & ita volo progenie mea deficiente monaſterium ſancti Victoris ſemper nobis in hereditatem ſuccedere, quatenus fidelium Dei ſervorum congregatio pro E
animabus noſtris Dei miſericordiam debeant exorare. Villam aut Cabaciam abſolute ſancto Victori per mortem meam relinquo, etiamſi heredes habuero, & in manu abbatis & monachorum dono; affirmo ſimiliter omnia quæcunque Josfredus frater meus in Fraxeneto ſancti Victoris poſt mortem dederit ſive relinquerit, id eſt caſtellum Grimaldi, cum omnibus quæ ad eum pertinent. Et Miremus ſimiliter caſtellum cum omni territorio ſuo & Reveſtum, quod vocatur illa Mota, cum omnibus pertinentiis ſuis. Hæc omnia & totum quantum ſupradictus frater meus in Fraxineto ſancto Victori dederit, ego dono & firmo Domino & ſanctæ Mariæ, ſanctoque Victori, & monachis Maſſilienſibus præſentibus & futuris, in manu abbatis Bernardi per hanc ſcripturam. Ego Pontius ſupradictam donationem per hanc chartam firmavi, & teſtes firmari roga-

vi. Fulco vicecomes frater ejus firmavit. Aicardus frater ejus firmavit. Anno ab incarnat. Domini MLXXIV.

XXVII.

Pontii Ruthenenſis epiſcopi pro ſancto Victore.

1081. *Ex chart. S. Victor.*

IN nomine omnipotentis Dei ego Pontius Dei gratia licet immeritus Rutenenſis eccleſiæ præſul, ſervorum Dei juſtis petitionibus annuere ſitiens, atque eorum ſacris precibus præſentem futuramque promereri ſalutem ex his quæ ad eorumdem ſervorum Dei utilitatem proficere poſſint aliquid ipſorum uſibus deſerviendum tradere, prout poſſibilitas meæ paupertatis finit, decrevi; videlicet eccleſiam ſancti Amantii cum eccleſiis & omnibus quæ ad eamdem eccleſiam pertinent; videlicet eccleſias de Boadone, & eccleſias de Stagno, & eccleſias ſancti Electi de ſubtus Belvider, & multis aliis quocunque tuerint loco ad ſe pertinentibus. Inſuper dono eccleſiam ſanctæ Mariæ de Altafagia, & eccleſiam de Riviotia, & eccleſiam ſancti Petri de Colnaz. Dono præterea eccleſiam ſanctæ Mariæ de Limentone, & eccleſiam de Muſtogol. Dono etiam eccleſiam ſancti Michaëlis de Caſtello-novo, & eccleſiam ſanctæ Mariæ parochialem, & eccleſiam ſancti Baudilii. Dono & laudo & confirmo Vabrenſe monaſterium, cum monaſteriis & eccleſiis ad ſe pertinentibus; videlicet Nantenſe & Ferret, & ſancti Severi, & ſancti Hippoliti & monaſterium de Vernia cum appenditiis eorum; monaſterium ſancti Capraſii de Petra cum eccleſiis ad ſe pertinentibus; videlicet eccleſiam de Verzols, & aliis eccleſiis. Dono etiam ſimiliter eccleſiam ſancti Geneſii in valle Olti, & eccleſiam Deſjaget, & eccleſiam d'Armagnag, & eccleſiam ſancti Salvatoris de Grandi folio, & eccleſiam ſancti Victoris de Cambolas. Dono & monaſterium ſancti Petri, & ſancti Leontii, cum eccleſiis ſancti Petri de Alſobre, & ſancti Stephani ad Vivarium, & eccleſiam ſanctæ Mariæ de Eccleſia-nova, & eccleſiam de Mauriaco. Dono ſimiliter monaſterium ſanctæ Mariæ de Amiliano. Hæc omnia ſupradicta cum aliis omnibus legaliter & legitime ad ſe pertinentibus trado, cedo, dono, & confirmo cum conſenſu & voluntate canonicorum meorum, videlicet & eccleſiæ filiorum Bernardi Yſarni archidiaconi, & Odalrici archipreſbyteri, & Deodati ſacriſtæ, Ingelberti, & nepotis ejus Bernardi, & Deodati diaconi, & Raimundi Petri, ſicut domnus papa Gregorius ſua auctoritate donaverat & confirmaverat S. Victori, & Maſſilienſi monaſterio, & abbati Ricardo, & monachis præſentibus & futuris, cum aliis omnibus quæ in Rutenenſi epiſcopatu adquiſierint, tam in eccleſiis quam in aliis honoribus. Si quis autem epiſcoporum, clericorum, aut ſecularium, hanc authoritatis noſtræ cartam annulare tentaverit, nullatenus hoc agere poſſit; ſed hæc autoritatis meæ carta firma & ſtabilis in perpetuum maneat, & qui hanc irrumpere voluerit, a conſortio fidelium Dei alienus exiſtat, niſi reſipuerit; inſuper componat in vinculo auri pondus c. librarum. Facta eſt hæc carta anno ab incarnato Dei Verbo MLXXXII. revertente me peccatore epiſcopo a concilio Romano, ſub præſentia & auctoritate domni papæ Gregorii VII. celebrato.

XXVIII.

Paſchalis papa II. enumerat & confirmat S. Victoris omnes poſſeſſiones.

1114. *Ex chartario ſanctæ Maſſilienſis.*

PASCHALIS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio Ottoni abbati Maſſilienſis monaſterii, & ejuſdem ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Apoſtolicæ ſedis auctoritate debitoque compellimur, pro univerſarum eccleſiarum ſtatu ſagere, & earum quieti auxiliante Domino providere. Ea propter petitionibus tuis, fili in Chriſto cariſſime Otto, non immerito annuendum cenſuimus, ut Maſſilienſe monaſterium cui Deo auctore præſides, ad prædeceſſorum noſtrorum Gregorii VII. & Urbani II. exemplar; apoſtolicæ ſedis privilegio muniremus. Per præſentis igitur privilegii paginam tibi tuiſque ſucceſſoribus, quæ a prædictis pontificibus ſunt firmata; firmamus, videlicet in Arelatenſi parochia monaſterii ſanctorum Geneſii & Honorati eccleſiam S. Petri & S. Trinitatis de Fanobriculo, SS. Sergii & Bachi in Camargis, eccleſiam ſancti Cæſarii de Villanova, ſancti Ceſarii de Bodenene, cellam S. Michaëlis de Barzaneges cum capellis ſuis, S. Victoris de Marmana, ſancti Heymetis. In epiſcopatu Avinionenſi cellam ſancti Saturnini, ſanctæ Mariæ de Roccamartina, ſanctæ Mariæ de Mirano. In epiſcopatu Cabillonenſi, monaſterium S. Mariæ, ſancti Verani de Vallecluſa, eccleſiam ſancti Juliani, cellam ſancti Michaëlis de Balina, parochiam ſancti Agoldi, eccleſiam ſanctæ Fidis. In epiſcopatu Carpentoratenſi, eccleſiam parochialem de Rocca, cellam ſancti Romani, ſanctæ Mariæ de Vellaloüe, monaſterium S. Felicis de Venneſta. In epiſcopatu Valenſ. monaſterium ſanctæ Mariæ, ſancti Victoris, ſancti Petri de Grauſello, eccleſiam parochialem de caſtro Malancena, ſancti Michaëlis, S. Petri cum capellis ſuis, ſancti Deſiderii, S. Martini, S. Mariæ; S. Sepulchri, capellas de Albaruſco, eccleſiam ſanctæ Mariæ de Vellis, de Mirabel, S. Bladii, ſanctæ Mariæ de Villanova, & medietatem omnium eccleſiarum parochialium de Valle-pladiani. In epiſcopatu Maſſilienſi eccleſiam S. Petri de Paradiſo, S. Ferreoli, ſanctæ Mariæ, S. Margaritæ, cellam S. Geneſii, S. Juſti, ſancti Mitri, ſanctæ Mariæ de Evola, S. Michaëlis de Plano; S. Pontii de Geminas; eccleſiam S. Johannis de Roccafort, S. Pauli de Carnot, ſanctæ Mariæ de Cezereſca, S. Damiani, parochialem eccleſiam de Cadeira cum capellis ſuis, cellam S. Petri de Auriol cum parochia ejuſdem caſtri & capella, cellam Zachariæ, eccleſiam S. Victoris de Savard, parochialem eccleſiam Caſtelli nautis cum capellis ſuis, cellam S. Victoris de Cauſalo, S. Jacobi de Alniis cum tota villa, eccleſiam S. Victoris, Sanctæ Mariæ de Balma, S. Caſſiani, cellam S. Saturnini in caſtro S. Cannati; eccleſiam S. Andreæ. In Tolonenſi epiſcopatu, eccleſiam S. Mariæ de Sexfurnis, S. Joannis de Crota, S. Nazarii, cellam S. Victoris de Inſula, S. Joannis de Ferleda, eccleſiam ſanctæ Trinitatis, parochialem eccleſiam de Solariis, ſancti Michaelis de Eitas, cellam S. Benedicti, S. Bartholomæi de Belgenſier, S. Martini de Corias, S. Joannis de Petrafoco, eccleſiam parochialem ipſius caſtri cum capellis ſuis, S. Martini, S. Mariæ de Colobreira, eccleſiam parochialem S. Poncii ipſius caſtri, S. Cedomi, S. Mariæ de Dexeſa, S. Laurentii de Pinet, S. Victoris de Carnola, & S. Michaëlis. In epiſcopatu Aquenſi eccleſiam S. Petri, cellam S. Petri de Gardana, eccleſiam S. Valentini cum capellis ſuis, S. Andreæ de Bac, cellam S. Ypoliti, eccleſiam de Vellana, cellam S. Mariæ de Nicar, S. Joannis de Segia, parochialem eccleſiam S. Petri de Caudalonga, S. Germani, eccleſiam de Venel, S. Michaëlis de Fuel cum parochiali eccleſia, cellam S. Petri de Favarico, eccleſiam S. Juliani de Podionigro, S. Petri & S. Victoris in caſtro Tretis, cellam S. Trinitatis, eccleſiam parochialem ſanctæ Mariæ, capellas ſancti Andreæ, S. Ceciliæ, S. Michaëlis de Caſtellar, eccleſiam parochialem de Roccafolio, ſancti Auderti, eccleſiam parochialem de Porcils, S. Antonini de Barda, S. Servi, S. Pemati de Roſcero cum parochiali eccleſia, S. Poncii de Podio Lupario cum parochiali eccleſia, S. Pancracii, S. Mariæ de Sale, eccleſiam parochialem de Porreiras cum capellis ſuis; monaſterium ſancti Maximini, S. Mitri, eccleſiam S. Stephani de Fur, S. Simeonis de Auriac, cellam ſanctæ Mariæ de Bruſa, S. Mariæ de Sporrone, & parochialem eccleſiam S. Fidis Artiga, cellam S. Stephani de Treſde, S. Victoris de Gontarelle, S. Victoris de Adonia, eccleſiam parochialem de Laberbent, S. Martini de Toulant, S. Leodegarii, S. Raphaël, eccleſiam parochialem de Rogerio de Caudalonga, cellam S. Stephani de Torreves, eccleſiam de Graleu, S. Juliani de Gaiſola, ſanctæ Mariæ, cellam S. Perpetuæ, S. Petri,

ized by Google

parochialem ecclesiam de Braquola, ecclesiam S. Joannis, sanctæ Mariæ de Campis, sanctæ Mariæ de Garelle, S. Medardi, S. Eucherii de Brar, S. Victoris de Curcurim, S Petri de Arara cum parochiali ecclesia, sanctæ Mariæ de Belmont, sancti Mauricii de Reliana, sancti Sepulchri de Crucis, S. Joannis ecclesiam parochialem, S. Mauricii de Torreves cum capellis suis, sancti Petri de Sillone. In episcopatu Forojulensi ecclesiam parochialem S. Mariæ de Cabaza, S. Pontii, S. Petri, cellam sanctæ Mariæ de Luc, S. Petri de Archs, parochialem ecclesiam ipsius castri cum capellis suis, ecclesiam S. Juliani de Ailla, cellam S. Cassiani de Salelaudimia, S. Victoris de Mota, S. Romani d'Escaus, S. Mariæ de Palione, sancti Victoris de Roccatiliada, S. Salvatoris de Burnis, ecclesiam parochialem de Celians, ecclesiam sanctæ Mariæ, cellam S. Mariæ de Bariemonte, sancti Ausilii, parochialem ecclesiam de Colar, cellam sancti Torpetis, S. Poncii, sanctæ Mariæ de Questa, ecclesiam parochialem de Gival, sancti Antonini de Nirta castel, Monasterium sanctæ Mariæ de Villacrosa, S. Petri de Salernas cum parochiali ecclesia, S. Domini de Tortorio, S. Mariæ de Villa-alta, sancti Martini de Rocabenna. In episcopatu Regensi, cellam S. Juliani de Laugnias, sanctæ Mariæ de Anguvia, S. Mauricii de Merresta, sancti Joannis de Castromonasterii, sancti Guirici, S. Stephani de Recena, sancti Petri de Archinzosch, S. Martini de Bromede, sancti Trophimi, S. Crucis, S. Cassiani de Tavernas. In episcopatu Aptensi, cellam sancti Pauli, S. Joannis de Campanias, sancti Symphoriani, ecclesiam parochialem de Bouls cum capella, ecclesiam de Cezarista. In episcopatu de Sistorico, cellam sanctæ Mariæ de Mannasca, S. Martini, S. Marcellini de Moazaellis, sancti Proviani de Furno calcari, sanctæ Mariæ de Petra mordi. In episcopatu Vapicensi, cellam sanctæ Mariæ de Mandamats, S. Christophori d'Estradis, ecclesiam parochialem de Scola, sancti Martini de Cornalbon, sancti Domini in Vallerrari, sancti Genesii de Dromon, ecclesiam parochialem ipsius castri cum capellis suis, cellam de Fital, sancti Eregii de Valerna cum ecclesia parochiali sanctæ Mariæ, ecclesiam de Almebel, S. Petri de Valadoira, sancti Clementis de Tresclena cum aliis ecclesiis ejusdem castri, sancti Petri de Roma, sancti Eregii de Medulone. In episcopatu Ebredunensi, ecclesiam de Carde, sanctæ Mariæ, S. Victoris, sancti Christophori, sancti Balli, sanctæ Mariæ de Bredula cum ecclesia parochiali S. Mariæ, S. Petri de Bigernis, ecclesiam parochialem de Bellefaire, ecclesiam sanctæ Mariæ & S. Genesii de Curies, S. Mariæ, S. Poncii de Falcone. In episcopatu Dignensi cellam sancti Michaëlis in Cursone, S. Martini de Solla, cellam de Candal, sancti Clementis de Vernet. In episcopatu Senez, cellam sanctæ Mariæ de Petra Castellana, cellam de Bagarras, sanctæ Mariæ de Niveis, cellam de Alanz. In episcopatu Glandensi, cellam sancti Petri de Bonovillari, cellam de Penna, sancti Poncii Adaunot, sancti Cassiani, sancti Sepulchri ad Mugilos, sanctæ Mariæ de Toramenas. In episcopatu Vencensi, cellam quæ dicitur ad Crotos, S. Stephani de Gateiras, S. Petri de Geleta, cellam de Granleitas, sancti Martini de Mugnes. In episcopatu Barchinonensi, monasterium S. Michaëlis de Fullio in Penedes. In episcopatu Urgello, monasterium S. Mariæ de Gerra. In Gerundensi S. Joannis de Fontibus. In Juporiensi S. Thomæ, villam de Maurel de Kantona, villam de Penna fideli, villam Mauratel. In episcopatu Aginensi, cellam de Romeu. In Narbonensi, cellam S. Mariæ in Bargo, S. Crescentis in vicecomitatu Minerbensi, cellam S. Mariæ de Sorea, sancti Marcellini cum capellis suis. In episcopatu Biterrensi, cellam S. Saturnini de Cornelia-no, ecclesiam Cerzac, sanctæ Mariæ de Magalaz, ecclesiam parochialem ipsius castri, sanctæ Mariæ de Sauvarges. In Agathensi, monasterium sancti Andreæ. In Magalonensi, S. Nazarii de Medullio, cellam de Burgeries. In Nemausensi, S. Victoris de Armareis, S. Martini de Aucis, ecclesiam parochialem S. Petri de Mauroix, S. Petri de Ariges, sanctæ Mariæ de Sauviana, S. Martini de Alzone, S. Petri de Vicavo. In Ucetico, S. Mammetis, S. Amancii de Tezeno, S. Petri de Vulpeteries. In Tolosano, cellam de Castillione de Maderies. In Albiensi, cellam S. Sigolenæ de Gana, S. Mariæ de Ambilet, S. Petri de Ammone, S. Johannis de Helvas. In Rutenico, cellam de Petra, sanctæ Mariæ de Melias, S. Stephani monasterium, S. Petri, S. Laurentii, cellam de Cambolas, S. Genesii de Valcenga, cellam de Mistelhol de Clara Fara, S. Michaelis, S. Mariæ de Castronovo, monasterium Vabrense, S. Amancii. In Gaballitano, monasterium de Ciraç cum parochiali ecclesia, S. Martini de Canonica, S. Martini de Salmonte cum capellis suis, S. Martini de Colomeo, sanctæ Mariæ de Nabinals. In Alvernia, cellam de Ruina. In episcopatu Pisano, cellam sancti Andreæ, monasterium sanctorum apostolorum. In episcopatu Ausonensi, monasterium S. Joannis Rivipollensis, sicut ex consilio Urbani papæ per Bernardum Vitulduncnsem comitem vobis traditum est &c. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat &c. Scriptum per manum Crysogoni notarii sacri palatii. Datum Laterani per manus Joannis S. R. E. diaconi card. ac bibliothecarii IX. kal. Maii, Ind. VI. incarnationis 1114. pontificatus Paschalis II. anno 14.

XXIX.

Fundatio S. Pontii ordinis Cistercienſis.

1105. *Ex tabul. ecclesiæ Massiliensis.*

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi. Amen. Anno incarnationis Domini ejusdem millesimo ducentesimo quinto, mense Aprilis, festo Vitalis martyris; presentis cirographi cum alphabeto divisi testimonio pateat tam presentibus quam futuris, quod ego R. Dei gratia Massiliensis episcopus, & ego P. Massiliensis sedis præpositus, & nos Bertrandus de Orto Massiliæ sedis sacrista, Aicardus de Auriolo, Bertrandus de Aquis, Lanbertus Laugerus, Bertrandus de Gignaco, Ugo Bertrandi, Guillelmus Girardi, Guillelmus de Montilis. R. de Auriolo, R. Amelii ejusdem sedis canonici communi omnium nostrorum, & totius capituli nostri voluntate & consensu laudabiliter donamus, tradimus, & nunc, & in omne tempus ad fidelitatem domini Massiliæ episcopi, & ecclesiæ beatæ Mariæ sedis Massiliæ, tibi Garendæ mulieri domum sancti Pontii cum omnibus pertinentiis suis in eremo, & parochialem ecclesiam sancti Martini de Geminis, cum omnibus quæ ad parrochiam suam pertinent, excepta quarta mortalagii, & ecclesias sancti Joannis de Gargario, & sancti Clari cum omnibus earum pertinentiis in heremo culto, & cum omnibus juribus suis, ut in dicta domo sancti Pontii ad honorem Dei & religionis augmentum ædifices, & plantes abbatiam sive prioratum monialium Cistercientis ordinis; iis tamen modis, pro prædicta domo sancti Pontii, & prædictis ecclesiis tu Garenda, & quæ tibi successerint, dabitis annuatim, & censualiter ecclesiæ beatæ Mariæ sedis Massiliæ, centum eminas bonæ & recipiendæ annonæ, ad mensuram Massiliæ eminæ, in festo assumptionis beatæ Mariæ in medio Augusto, quas centum eminas sine omni morura, & prebenda moletis in molendino domus sancti Pontii & servientibus nostris, qui ad portandam farinam, sive annonam, prout nobis melius placuerit cum bestiis suis, quandu occasione portandi farinam, sive annonam prædictam ibi manserint, & in cibo & potu, & ei vada pr videbitis. Dominus Massiliæ episcopus, albergas & visitationes suas adeo bene & plene sicut melius habuit, ibi habebit sine carnibus. Tamen capellanus, sive capellani deservientes parochialibus ecclesiis domino Massiliæ episcopo obedientiam promittent, ad synodos ipsius venient, & synodum consuetum portabunt; suos excommunicatos, sive interdictos in ecclesiis prædictis, sive in ecclesia sancti Pontii, ubi conventus monialium manebit, ad sepulturam, vel ad aliquid divinum officium vel ecclesiæ sacramentum, obtentu alicujus indulgentiæ vel privilegii si ad nitent, & capellanu, sive capellani qui parochiali ecclesiæ, vel ecclesiis deservient, curam

animarum ab eo recipient. Prioriſſa vero & capellanus A
ſive capellani monialium, licet donati fuerint Ciſtercienſis ordinis, ſimiliter obedientiam domino Maſſiliæ epiſcopo promitent, ſalvo tamen ordine Ciſtercienſi; & iidem capellani ad ſynodos ipſius venient, & ſinodum conſuetum procurabunt præpoſitus, & canonici, & clerici, & quicunque fuerint de corpore domus ſedis Maſſiliæ; ſive per ſe, ſive cum ſociis competentibus venerint, ibi ſemper procurationes ſibi, & beſtiis ſuis juxta poſſibilitatem domus, honeſte locum habebunt, ſine carnibus tamen totius mortalagii & relicti, quod dictæ domus operariæ, ſacriſtiæ, perſonæ vel perſonis, vel menſæ, vel quocunque alio modo, dummodo occaſione ſepulturæ provenerit, in rebus mobilibus, vel ſe moventibus, omnium ibi ſepulturam, ſive fuerint de parochiis a caſtello Geminarum ſive aliunde, unde- B
cunque fuerint, ſive fuerint de Maſſiliæ epiſcopatu, ſive de alio, exceptis parochianis caſtelli Albaniæ & tenementi ipſius & exceptis parochianis civitatis Maſſiliæ, & cœmeteriis ipſius, de quibus inferius dicetur, omni fraude, & machinatione remota, fideliter & libere domino Maſſiliæ epiſcopo, & majori eccleſiæ quartam partem reddetis diſtribuendam inter eos, prout in autenticis ſcriptis ſuis continetur, exceptis rebus immobilibus, quæ inter terminos Maſſilienſis epiſcopatus vobis relicta fuerint, quæ ſine parte domini epiſcopi, & majoris eccleſiæ veſtra erunt. quartam autem pannorum ſine parte domini epiſcopi & parochialis eccleſiæ, majori eccleſiæ reddetis. De immobilibus vero illorum qui ibi ſepulti fuerint, ſi illa immobilia in Maſſiliæ epiſcopatu vobis relicta fuerint, tribus partibus vobis C
retentis, quarta eccleſiæ, in cujus decimatione erunt, pertinebit. Sciendum tamen quod totum mortalagium & rebotum, quod de parochianis caſtelli Albaniæ, & tenementi ipſius vobis pervenerit, ſi mobile fuerit, illud in tres partes æquales divideris, quarum unam domino Maſſiliæ epiſcopo, aliam majori eccleſiæ, tertiam eccleſiæ Albaniæ reddetis; ſi vero immobile, duabus partibus vobis retentis, tertiam eccleſiæ Albaniæ, ſine parte domini epiſcopi, & majoris eccleſiæ reddetis. Pannu vero integre ſine parte domini epiſcopi & parochialis eccleſiæ, majoris erunt. Totius mortalagii & relicti, quod de parochianis civitatis Maſſiliæ, & tenementi ipſius vobis pervenerit, ſive mobilia, ſive immobilia fuerint, quartam domino Maſſiliæ epiſcopo & majori eccleſiæ reddetis diſtribuendam inter eos, prout D
in ſuis ſcriptis autenticis; exceptis pannis, qui ſine parte domini epiſcopi, & parochialis eccleſiæ, proprii ſunt eccleſiæ majori. Quicunque infirmitate detentus dictæ domus ſe fratrem fecerit, ſive habitum ſuſceperit, ſive non, & illuc pedibus ſuis venerit, aut ductus, aut portatus fuerit; ſi de infirmitate illa obierit, omnium ab eo relictorum, ſi mobilia fuerint, dominus Maſſilienſis epiſcopus, & major eccleſia ſuam quartam integram habebunt, exceptis pannis, quorum quartam integre, & ſine parte domini epiſcopi & parochialis eccleſiæ, ad majorem eccleſiam pertinebit. Si immobilia, & in Maſſilienſi epiſcopatu, eorum quartam, eccleſiæ, in cujus decimæ erunt, reddetis. Si vero non obierit, nec dominus epiſcopus, nec major eccleſia, nec parochialis eccleſia in aliquid habebit de omnibus terris, cultis, novalibus, pratis, vineis, & hortis, quas in Maſſilienſi epiſcopatu aquiſieritis propria, vel ad factariam feceritis, ſive de factaria dabitis. Dominus Maſſiliæ epiſcopus, vel major eccleſia, ibi eccleſiam vel eccleſias habet vel habent, ad quam, vel quas decimæ pertinent, illi eccleſiæ, in cujus decimatione terræ, novalia, prata, vineæ, vel horti erunt, vel ubi major eccleſia partem decimationis habet, ut in valle caſtelli aurioli, medietatem decimæ reddetis. Integre domum ſancti Pontii, & eccleſias prædictas cum pertinentiis & juribus ſuis ad uſum religionis, & videlicet Ciſtercienſis, tibi Garcendæ prædictæ mulieri, & eis quæ tibi ſucceſſerint, liceat eas in toto, vel in parte in aliam religionem templariorum, hoſpitaliorum, aut quorumlibet aliorum religioſorum, donando, permutando, pignoti obligando, aut quovis alio alienandi genere aliquo tempore transferre; quæcunque in domo S. Pontii abbatiſſa vel prioriſſa fuerit, vel alia perſona, quæ vice ipſarum domus adminiſtrationem habuerit, ſtatim ſuſcepta adminiſtratione, corporaliter jurabit ſuper ſancta quatuor Dei Evangelia domino Maſſilienſi epiſcopo, & præpoſito majoris eccleſiæ, ſe omnia ſupradicta fideliter rata, & firma tenere, & illibata, & nunquam obtentu alicujus indulgentiæ, & privilegii habitæ, vel habiti habendæ vel habendi, vel aliquo alio jure contravenire. Si vero œconomæ religionis, vel indulgentiæ, vel privilegii, vel aliqua alia occaſione contra prædicta in aliquo veniretis, poſt trinam commonitionem a domino Maſſiliæ epiſcopo vel præpoſito canonice factam, licebit tam nobis, quam ſucceſſoribus noſtris, domum ſancti Pontii, & eccleſias prædictas; cum omnibus excrementis, & meliorationibus, autoritate noſtra, & ſine omni veſtra, aut ipſorum contradictione, ſicut rem noſtram propriam intrare, & recuperare. Præterea ſciendum eſt, quod ſi aliqua eccleſia, veſtris propriis eccleſiis exceptis, ſuper rebus mobilibus, vel immobilibus, occaſione ſepulturæ, vel relictis aut donatis, contra vos aliquam queſtionem aut controverſiam moverit, & ratione parochiæ aliquid inde a vobis evicerit ex pacto portionis, quæ de rebus illis ad dictum epiſcopum, & ad majorem eccleſiam ſpectant, prout ſuperius expreſſum eſt, non ideo minuentur. Et ego Garcenda mulier prædicta omni privilegio & indulgentiæ, & etiam generaliter omni juri, quod mihi, & in eis quæ mihi ſucceſſerint competit, vel in futurum competere poſſet, generaliter renuntians, omnia præmiſſa eo modo quo dicta ſunt, bona fide & ſine omni dolo, per ſolemnem ſtipulationem, promitto inviolabiliter cuſtodire, & nunquam in contra venire: ſic Dominus me adjuvet, & hæc tacta ſanctaque quatuor Dei Evangelia. Actum Maſſiliæ ad Canonicam, in eccleſia beatæ Mariæ ſedis Maſſiliæ, coram ad hoc convocatis ſubſcriptis teſtibus, Bremundo præpoſito Aquenſi., Fulcone abbate Floregiæ, R. de ſancto Georgio, & Guillelmo Menquerio monachis, R. Julliano, Petro de Jocone capellano ſedis, Guillelmo Joanne ſacerdote, R. Michaele, B. Durando, Gairaldo, P. de Berra, G. Bernardo, Roſtagno Donatio, G. Sarandi, G. de Templo, Joanne Martini, P. Guinberti, B. de Malavalle, Ugone Breun de Geminis, Gillio Simeonis de Villavetere Cabillone, Elia de Tolone, Berengario publico Maſſiliæ notario, qui preſentibus partium carta iſta ſcripſit, & in ea ſignum ſuum apoſuit. Ad majorem vero preſentis paginæ firmitatem apoſita ſunt & ſigilla dicti domini R. Maſſiliæ epiſcopi, capituli ſedis Maſſiliæ, & prædicti Fulconis Floregiæ abbatis.

Noſter Edmundus Martene exploravit archivum eccleſiæ majoris Maſſilienſis, ubi invenit litteras fundationis abbatiæ S. Pontii in multis diſcrepantes ab iis, quæ ſupra ſunt excuſa. 1°. hæ litteræ datæ ſunt anno 1201. *non* 1205. *2°. non Rainerii nomen habent, ſed Fulconis. Hoc ſupra notavimus in Fulcone epiſcopo.*

XXX.

E

Bulla Urbani papæ V. ex abbate & monacho Maſſilienſi, ad monachos Maſſilienſes tunc abbate deſtitutos.

1362. *Ex archivo prioratus S. Amantii Rutheni.*

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis conventui monaſterii ſancti Victoris Maſſilienſis ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis, ac proprii abbatis regimine nunc carentis, ordinis S. Benedicti, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Romanus pontifex Chriſti vicarius, tenens ſuper orbis eccleſias & monaſteria univerſa, volente Domino, principatum, frequenter eccleſiis & monaſteriis ipſis, pro tempore, exemptionis, & aliarum diverſarum gratiarum privilegia concedere conſuevit, ſed profecto eccleſiis & monaſteriis illis, in quibus divini cultus, ſa-

cræque religionis obſervantiam, fragrantiam fidei, devotionis conſtantiam, ac alia laudanda opera virtutum reflorere, aliaſque juſtas & rationabiles cauſas concurrere conſpicit, non indigne ſe reddit in hujuſmodi gratiarum exhibitione munificum, & in cunctis eorum opportunitatibus liberalem. Sane licet monaſterium veſtrum cum omnibus membris ſuis, & perſonis degentibus in eiſdem communiter reputatum fuerit hactenus, & etiam reputetur ad præſens ab omni juriſdictione quorumlibet ordinariorum judicum liberum & exemptum, & præfatæ apoſtolicæ ſedi immediate ſubjectum; tamen nonnulli locorum ordinarii, vobis, dictiſque monaſterio & præcipue membris, & perſonis degentibus in eiſdem, ſuper exemptione hujuſmodi, & contra eam, ſicut ab olim innotuit, graves injurias & moleſtias intulerunt, ex quibus vobis, ipſiſque monaſterio, membris, ac perſonis impedimenta & diſpendia gravia ſunt ſecuta. Nos itaque qui ab olim in ipſo veſtro monaſterio expreſſam profeſſionem fecimus, & initi* fuimus regularibus diſciplinis eligendo nobis in eo perpetuum, ut ſperabamus, contra mundi naufragia portum ſalutis, ſi placuiſſet Altiſſimo, juxta celebrem alium ſibi contiguum portum maris, quique tunc & etiam poſtea, dum ejus præſideremus regimini, exemplaria laudabilium actionum, quæ per ſanctæ contemplationis ſtudium, innocentis vitæ meritum cum religionis fragrantia, fervore fidei, & abundantia caritatis in monaſterio ipſo fiunt, oculate cognovimus, & indefinenter fieri authore domino confidimus, & ſperamus. Nunc quamquam immeriti, divina favente clementia, ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, præmiſſa omnia paterna indicatione penſantes, ac ipſius veſtri ſacri & antiqui cœnobii, in quo illius beatiſſimi Victoris martyris, qui pro catholica fide pugnando ex martyrio reportavit victoriam & gloriam ſempiternam, aliorumque multorum ſanctorum corpora requieſcunt; cuique etiam præfuit ſanctus Caſſianus præclarus, ſicut antiquarum ſcripturarum habet fida relatio, pater quinque millium monachorum, nobilitatem & celebritatem eximiam, necnon multitudinem membrorum ipſi monaſterio ſubjectorum diligentius adtendentes, dignum reputamus & decens, ut vos, quos ſingulari affectu proſequimur, dictumque monaſterium elegans membrum eccleſiæ ſanctæ Dei, opportunis tueamur præſidiis, attollamus privilegiis, minuamus* per quæ, ſemoris impedimentis quibuſlibet ſervire Domino quietius & liberius valeatis, creſcat in vobis religionis fervor, contemplationis vigor, ac bonorum operum exercitium fructuoſum, & erga ſanctam Romanam eccleſiam, ſedemque & dictæ devotionis & fidei plenitudo.

Eapropter dilecti in Domino filii, abbatem dicti monaſterii, qui erit pro tempore, ac vos & ipſum monaſterium, quod ex certis rationabilibus, & eidem monaſterio utilibus cauſis, ad manum noſtram præſentialiter retinemus, & illud facimus per providum virum vicarium gubernari, ac omnia & ſingula monaſteria, prioratus, officia, beneficia, & alia membra, & loca quæcumque regularia tam virorum quam mulierum, ubilibet conſtituta, ipſi monaſterio veſtro, mediate vel immediate ſubjecta, quæ in præſentiarum habetis; & præſtante Domino habebitis in futurum, cum omnibus perſonis degentibus in eiſdem, etiam converſis & perpetuo oblatis, preſentibus & futuris a quocumque patriarcharum, archiepiſcoporum & epiſcoporum, ac aliorum quorumcumque judicum ordinariorum omnimoda juriſdictione, auctoritate, poteſtate, dominio viſitationum ac charitatum, ſubſidii & ſubventionum, & exactionum quarumlibet præſtatione, necnon a ſynodalis, & alterius cujuſlibet congregationis evocatione, de ſpeciali dono gratiæ, authoritate apoſtolica prorſus eximimus, & de novo totaliter liberamus, illaque in jus, proprietatem B. Petri & ſedis ejuſdem, & ſub eorum ſpeciali protectione ſuſcipimus, atque noſtra; decernentes monaſterium ipſum una cum omnibus & ſingulis monaſteriis, prioratibus, officiis, beneficiis, aliiſque membris, locis & perſonis prædictis fore eidem ſolli ſedi ſubjecta; quodque locorum dioceſani aut alii ordinarii quicumque, vel alia quævis perſona in eumdem abbatem, ac vos ſeu monaſteria, prioratus, officia, & beneficia aliaque membra, & loca regularia, & perſonas præfatas, utpote prorſus exemptas non poſſint authoritate ordinaria, excommunicationis, ſuſpenſionis aut interdicti ſententias ſpecialiter vel generaliter, quomodolibet promulgare, vel alias etiam, ratione cujuſcumque delicti ſeu contractus, vel rei de qua agetur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus aut res ipſa conſiſtat, poteſtatem, juriſdictionem, dominium aut ordinationem aliquam quomodolibet exercere; felicis recordationis Innocentii papæ IV. prædeceſſoris noſtri circa exemptos, quæ incipit, *Volentes*, & aliis apoſtolicis conſtitutione in contrarium editis nonobſtantibus quibuſcumque. Nos enim quaſlibet excommunicationum, ſuſpenſionum & interdicti ſententias & quoſcumque proceſſus, quaſvis pœnas & ſententias generales vel ſpeciales continentes, quas & quos contra eundem abbatem, ac vos, & monaſteria, prioratus, officia & beneficia, & alia membra, loca & perſonas prædictas contra formam & tenorem præſentium quomodolibet promulgari vel haberi contigerit, irritas decernimus & inanes. Volumus autem quod idem abbas ac vos in ſignum perceptæ ab eadem Romana eccleſia libertatis & exemptionis hujuſmodi, unum viſantium auri dictæ Romanæ eccleſiæ in feſto beatorum Petri & Pauli perpetuo annis ſingulis perſolvatis, quodque per præſentem exemptionem & alia ſupradicta, libertatibus, privilegiis, & immunitatibus aliis ejuſdem abbatis ac veſtris ordinis veſtri nullum præjudicium generetur, quinimo volumus quod illa in ſua plenaria remaneant firmitate. Cæterum non intendimus alicui vel aliquibus per exemptionem & libertatem præfatas in ejuſdem abbatis ac veſtrorum & monaſteriorum, prioratuum, officiorum & beneficiorum, & membrorum aliorum prædictorum, eccleſiarum parochialium viſitationibus, nec non in perceptionibus tam earum quæ ratione viſitationis prædictæ debentur, quam aliarum ſolitarum procurationum ſeu alias abſque viſitatione ab antiquo debitarum aliquatenus derogare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, liberationis, ſuſpenſionis, conſtitutionis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinione quarto nonas Januarii pontificatus noſtri anno primo (*hoc eſt an.* MCCCLXII.) & infra. *Datum pro copia a ſuo vero originali extracta per me P. Balitrandi.*

* Imbuit, ſeu immutavit.

* f. immutemus.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM TRICASTINENSEM SPECTANTIA.

I.

Electio Laudonis episcopi.

819. ANno incarnationis Dominicæ DCCCXXIX. sub die Mercurii kalendarum Martium intrante quadrageſimum * venientes in nomine S. Trinitatis clerus & populus omnis Arauſicenſis & Tricaſtinenſis eccleſiæ B ad oratorium ſanctæ Mariæ Arauſicenſis eccleſiæ, coram Hugonis præſentia inclyti marchionis, & Rorgonis nobiliſſimi comitis, aſſenſum etiam præbente ſereniſſimo Ludovico imperatore, unanimi concordia deſtituto paſtore Bonifacio bonæ memoriæ, in electione Laudoni ſacerdotis, Deum præ oculis habentes, generali voto, & benevolo animo auctoritatem canonicam & eccleſiaſticam præ manibus tenentes, una voce & uno conſenſu eum acclamantes, teſtificati ſunt eum in eccleſia præfibata aliquando viduata, divina largiente pietate honoris præſulatus officii dignum eſſe conſtitui paſtorem. Eo namque tenore in prædicta eccleſia eum acclamamus & eligimus, quia eum cognoſcimus nutritum S. Mariæ * Dienſis eccleſiæ, virum bonum & eruditum, & ſobrium, vita & moribus decen- C ter ornatum. Ita ergo nos in pontificatus dignitate acclamamus, ut divina miſericordia in præſulatus officii &c. *ut in recensi hiſtoria S. Pauli Tricaſtinenſi.*

* Qualiter Ecclesiæ.

* apud Bertrandum, dicitur.

II.

Urbanus II. jubet ut mortuo G. epiſcopo Arauſicano, nullus in ejus locum eligatur, ſed hæc eccleſia in priſtinam redeat unitatem, & ab epiſcopo Tricaſtino regatur.

1091. URBANUS, &c. Ad præſentium notitiam & futurorum memoriam non latere volumus, quoniam inter Tricaſtinos & Arauſicos diuturna contentio habita eſt, Tricaſtinis quidem de unitione, Arauſicis vero D de parochiarum eccleſiarum diviſione conteſtantibus. Et concertatio cum reverendiſſimo pontifici Gregorio prædeceſſori noſtro .... Arauſici ... litteras dirigens, legatum pro hujus rei diſcuſſione ad eos ſe miſſurum pollicitus eſt: quod tamen poſtea ... indagare nequivimus. In hac autem ſuſpenſione .... G... eccleſiam epiſcopus electus, & conſecratus eſt. Tricaſtinus ergo epiſcopus Pontius Arauſicenſem eccleſiam aſſerens per multos annos a ſuis prædeceſſoribus fuiſſe poſſeſſam: querelam hanc cum ad noſtras aures, pro multis eccleſiæ Romanæ perſecutionibus proferre non poſſet, in pluribus tranſalpinis conciliis expoſ procuravit. Noviſſime cum ad noſtram notitiam pervenisſet, nos quoque eam ad concilii proxime celebrandi audientiam differri præcepimus. Interim venerabili fratri noſtro Guillelmo E Arauſicenſi epiſcopo ſignificare curavimus, ut ad ſynodum veniens, ſe ad defendendum hujuſmodi negotium præpararet. Cum autem veniſſet, ipſe quidem diviſionis iſtius canonicas cauſas proferre non potuit; Tricaſtinus vero poſt diuturnam, & pluſquam centenariam poſſeſſionem, venerabilium pontificum Romanorum, & Gregorii & Alexandri privilegiis, cauſæ ſuæ partes tuebatur. Quare nos de Gregorii decreto, quo ab ipſa fuit eccleſia poſitum, quædam inter fratres noſtros quæſtio orta eſt, placuit alium adhuc definiendi cauſæ terminum adhiberi, in quo & Arauſicenſis epiſcopus ſi quam poſſet, defenſionem nanciſceretur, & Tricaſtinæ eccleſiæ clerici de eodem privilegio nos jurejurando facerent certiores. Cumque ... convenisſent, & confrater noſter Arauſicenſis epiſcopus, ſicut promiſerat, non veniſſet, nec excuſationes aliquas præmiſiſſet; & tunc nobis placuit negotii finem in tempus aliud protelari. Cererum clericis & itineris difficultates, & rerum longa diſpendia prætendentibus, nec longiores poſſe moras pati inſtantiſſime proclamantibus, viſum eſt fratribus noſtris, tam epiſcopis, quam & noſtræ apoſtolicæ eccleſiæ cardinalibus, ut Tricaſtinorum clericorum ſatisfactionem ſuſcipere deberemus. Tres itaque Tricaſtinæ eccleſiæ clerici ſuper evangelia ſacro-ſancta jurarunt, ſe viditſe & legiſſe Romani pontificis Gregorii bullarum privilegium Bonifacio Tricaſtino epiſcopo attributum, per quod prædictæ eccleſiæ fuerant coïnitæ. Cujus videlicet privilegii tenorem ſecutus S. memoriæ pontifex Alexander II. præfatas eccleſias cenſuerat ſub uno ſemper epiſcopo permanere. Poſt hoc Arauſicenſis epiſcopus, cum eccleſiæ ſuæ clericis veniens, eas quas præſignavimus, Gregorii papæ VII. litteras, detulit; alia quoque chartarum monimenta monſtravit, quibus & rerum veritas certius claruit, & Tricaſtinorum relatio vires accepit. Et nos ergo inſtrumentis talibus roborati, ſecundum fratrum noſtrorum judicium, præſenti decreto ſancimus, ut defuncto fratre noſtro venerabili epiſcopo, qui ad præſens Arauſicenſi eccleſiæ præſidet, utraque mox eccleſia in priſtinam redeat unitatem; niſi forte poſt proximam quam præparante Domino expectamus Pentecoſten, infra unius anni ſpatium ... conſtiterit eas certo Romani pontificis præcepto & decreto fuiſſe diviſas. Alioquin omnis ſopiatur ... ut defuncto confratre noſtro ſuperius nominato epiſcopo, eadem eccleſia ad aliam tranſeat. Illa vero quæ hactenus prima habita eſt, & deinceps principatum obtineat. Ita tamen ut epiſcopus qui utrique præfuerit, nihil de proventionibus clericorum, redditu, ornatu, miniſteriis, quæ vel quomodocunque in alterius patrimoniis habentur, modo quocunque vel occaſione qualicunque patiatur imminui. Si quis vero hanc noſtræ conſtitutionis paginam, &c. ... Actum Cremonæ XVII. kal. Maii ..... anno Dom. incarnationis MXCV.

III.

Bulla Alexandri II. pro Giraldo Tricaſtinenſis & Arauſica civitatis epiſcopo.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, univerſo clero & populo Tricaſtinenſis & Arauſicæ civitatis. Admonemus vos, cariſſimi filii, ut fratri noſtro Giraldo Paſtori *, & epiſcopo veſtro dignam obedientiam exhibeatis, & quia divina diſpoſitio eum cuſtodem animarum veſtrarum poſuit, hortamur vos ut in omni pace & concordia ſub ejus regimine indiſſolubili caritate perſiſtatis, & eum cum omni reverentia in patrem & proprium colatis epiſcopum. Illudque apoſtolica auctoritate vos monere deſtinavimus, ne quis veſtrum in hoc conſilio aut facto conſentiat, ut Bertrannus, vel aliquis mortalium Arauſicanam eccleſiam ab unitate Tricaſtinæ eccleſiæ dirimat, aut in aliqua parte conſtitutionem ſanctiſſimi patris noſtri Gregorii, qui utraſque eccleſias conjunxit & univit, corrumpat aut minuat. Scientes quod omnis, qui in hac diviſione conſilio aut facto commiſcetur, a parte B. Petri & noſtra, apoſtolica auctoritate excommunicatur, & divinum officium penitus interdicitur. Datum Romæ &c.

* Valleri.

IV.

Bulla ejuſdem papæ, quæ Geraldum epiſcopum utriuſque ſimul eccleſiæ Tricaſtinenſis & Arauſica tuetur & confirmat.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Bertrando filio Raimbaldi, ſi obedierit ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Si vera ſunt quæ te conari intelleximus, nec ſalutem animæ tuæ, ſed ad perpetuam damnationem tuam te ejectum eſſe perpendimus; pervenit enim ad aures noſtras quod ſanctiſſimi patris videlicet domini noſtri Gregorii papæ ſtatuta & ordinationes ſummopere labores infringere, & Arauſicanam eccleſiam, quam ipſe juſtiſſima conſideratione Tricaſtinæ eccleſiæ conjunxit, & unum epiſcopatum eſſe conſtituit, die noctuque inde evellere ſtudeas & ſeparare; nec Geraldus utriuſque urbis epiſcopus eamdem eccleſiam Arauſicanam patriarchæ in pace, ſicut epiſcopum oportet, tenere & regere præfatum, ac ſi prædictæ eccleſiæ, non tam antiqua conſtitutione & auctoritate domini Gregorii ad unius epiſcopatus continentiam copulatæ & unitæ fuiſſent. Propterea ex parte ſancti Petri & noſtra monemus, ne prædictam Arauſicanam eccleſiam amplius a Tricaſtina eccleſia ſeparare præſumas, ſed prædictum Geraldum epiſcopum epiſcopali jure & providentia juxta conſtitutiones ſanctiſſimi patris Gregorii, eam Tricaſtinenſi eccleſiæ conjunctam regere & gubernare permittas. Quod ſi non feceris, ſcias te & omnes in hac cauſa tibi conſentientes ex parte beati Petri & noſtra excommunicatos eſſe, & omne divinum officium per totam terram tuam ſuſpendi decrevimus. Datum Romæ, &c.

V.

Bulla Paſchalis II. de unione eccleſiæ Arauſicanæ ad Tricaſtinam.

Ex libello pontif. Pagi.

PASCHALIS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri & coepiſcopo Gibelino Arelatenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod de unione Arauſiacenſis eccleſiæ atque Tricaſtinæ, prædeceſſor noſter dominus Urbanus ſtatuerit, & tua fraternitas non ignorat: unde in ſuſcepris dilectionis tuæ litteris, certi quid tibi ſcribere nequivimus, quod Tricaſtinus epiſcopus ad nos nondum pervenit. Fratre igitur coepiſcopo noſtro Guillelmo a mortalitate ad immortalitatem, a terrenis ad cæleſtia, ut credimus, ſublevato, jam tempus adeſt ut Arauſicana eccleſia Tricaſtino epiſcopo reddatur, & diu ſuper hoc eventilatis litibus, præſentium auctoritate fraternitati tuæ mandamus, ut prædicto epiſcopo ipſam eccleſiam reddas, & ut tam clerus quam populus ei obediat. Datum Laterani.

VI.

Bulla ejuſdem papæ pro unione prædicta.

1100. PASCHALIS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis clero & populo Auraſicenſis eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Univerſa eccleſiæ unitas, quæ Deo auctore, beati Petri, & poſt eum ejus ſucceſſoribus, curæ commiſſa eſt, ita nobis eſt charitate ſervanda, ut & creditarum nobis animarum ſaluti pia ſollicitudine conſulamus, & ſanctorum patrum decretis, & conſtitutionibus non deviemus. Jure enim & auctoritate eſſe vacuum quidquid prædeceſſorum noſtrorum Gregorii, Victoris, Alexandri & Urbani ſtatutis *Auraſicenſis eccleſia Tricaſtinæ conſtet eccleſiæ eſſe unita: quæſtioni ſuper hoc negotio diu ventilatæ, ſecundum ſtatuta eorum, conſilio confratrum noſtrorum finem imponere decrevimus; & ut epiſcopo Tricaſtino de cetero ſicut proprio pontifici poſtpoſita omni refragatione obediatis, apoſtolica auctoritate mandamus, ſicque cum tranquillitate & pace in epiſcopi obedientia reverenter ſtare, ut omnis eccleſiæ plenitudo in unitatis ſoliditate permaneat, & omnis deinceps ſuper hoc ita diſceptatio ſopiatur, ut nihil prorſus de bene compoſitis retractetur; & qui poſt legitimas & divinitus inſpiratas conſtitutiones volet confringere, non pacis eccleſiæ ipſe, ſed rebellis patens agnoſcatur. Caritate itaque dictante fraternitatem veſtram monemus, ut epiſcopo Tricaſtino, qui pro vobis Deo rationem redditurus eſt ſubdi non contemnatis, & ſic vos eſſe oves Chriſti agnoſcatis, & ei qui loco Chriſti præſidet obedire non dubitetis. Obedientes autem, apoſtolorum Petri & Pauli orationibus, ad vitam perveniatis æternam. Datum Laterani III. idus Aprilis Mc.

aliqua de-

VII.

Bulla ejuſdem papæ Paſchalis II. pro eadem unione.

PASCHALIS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, clero & populo Arauſicano, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Miramur vos tanta pertinacia ſedis apoſtolicæ decretis contraire, quod enim cum a prædeceſſore noſtro pro auctorizanda confirmatione definitum eſſet, quidquid a nobis quoque juxta definitionem præceptum eſt, vos quoque adeo contemſiſtis, ut nullam epiſcopo Tricaſtino dignati ſitis ſubjectionem & obedientiam præbere. Nos tandem pertinaciam tantam apoſtolicæ dilectionis manſuetudine tolerantes, iterata litterarum comminatione præcepimus, ne unitatem eccleſiarum a prædeceſſoribus noſtris conſtitutam violare certetis; ſed ſupradicto fratri noſtro epiſcopo tandem humiliter obediatis. Datum Laterani IV. idus Decembris.

VIII.

Præceptum Friderici I. imperatoris, quo confirmat eccleſiæ Tricaſtinenſi donationes omnes a Carolo magno, &c. factas.

1154. *Ex autogr. in chart. epiſc. Tricaſtin. aſſervato.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus ordinante divina clementia Romanorum rex, & ſemper auguſtus. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris, tam præſentibus quam futuris in poſterum; quia pro mortali vita temporaliter exigenda, & futura feliciter obtinenda decorem domus Dei diligimus, & ad exemplum bonæ memoriæ prædeceſſorum noſtrorum illam ampliare, ſublimare, & confirmare Jeſu Chriſto* cooperante proponimus. Quapropter Tricaſtinenſem eccleſiam liberalitate ſereniſſimorum auguſtorum nobiliter ditatam, & imperialibus edictis confirmatam, nos quoque regali munificentia ſuggerente, ejuſdem eccleſiæ Guilhelmo venerabili epiſcopo honorare, & omnimode exaltare decrevimus. Statuimus igitur, ut quidquid venerabilis & inconcuſſa piiſſimorum auguſtorum ſcilicet bonæ memoriæ Caroli, atque Lodoici, ceterorumque prædeceſſorum noſtrorum auctoritas, eccleſiæ Tricaſtinenſi in honore beatæ Mariæ & ſancti Pauli conſtructæ donaverit, ratum noſtra authoritate, & munificentiæ noſtræ præcepto inconvulſum* maneat in perpetuum. Verumtamen quia tantæ rei firmitas imperiali authoritate inniti deſiderat, ſancimus & concedimus eidem ſanctæ Dei eccleſiæ, ſtipulatione equidem noſtra ſubnixa, Guillelmo ejuſdem eccleſiæ epiſcopo, & ſucceſſoribus ejus, dominium prædictæ ſcilicet civitatis cum omnibus redditibus; & a Rodano flumine uſque ad Egrum fluvii, quidquid cognoſcitur regiæ cenſuræ eſſe ſubjectum; præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria poteſtate, aut ullus ex fidelibus noſtris tam præſentibus quam futuris, inſulas *, aut loca, & agros, ceu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in quibuſlibet noſtris territoriis infra ditionem imperii noſtri, juſte & legaliter memorata tenet & poſſidet eccleſia, & ea quæ deinceps in jure ipſius eccleſiæ voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, vel manſiones

Spiritui ſancto.

*inconcuſſum

* in eccleſiis.

manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius eccleſiæ, tam ingenuos quam ſervos ſuper terram ipſius communentes, diſtinguendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris vel futuris temporibus, nec ea quæ ſupra memoravimus, exigere penitus præſumat; ſed liceat præfato præſuli, ſuiſque ſucceſſoribus res prædictæ eccleſiæ ſub tuitionis atque immunitatis defenſione, remota totius judiciariæ poteſtatis inquietudine, quieto ordine poſſidere. Donamus etiam & concedimus prædictæ eccleſiæ, atque Guillelmo epiſcopo & ſucceſſoribus ejus Nativum-ſaxum, quod antiquo vocabulo Tutela vocatur, ea conditione & authoritate, ut nullus judex publicus, nullus comes, nulla poteſtas ibidem habitare præſumat, aut munitionem aliquam conſtruere, nili prædictus epiſcopus, aut ſucceſſores ejus. Hujus rei teſtes eſſe volumus epiſcopos Amedeum Loſanenſem, Arducionem Gebennenſem, Conradum * Varmacienſem; duces Henricum Saxoniæ, & Welfonem. Ego Centolfus * regis cancellarius recognovi. Data Vormaciæ anno ab incarnatione MCLIV. anno tertio regni ejus.

* *deeſt apud Bayerium.*

* *Lomolphus.*

IX.

Pacta fœderis inita inter Bertrandum epiſcopum S. Pauli Tricaſtinenſis, &c. & Raimundum Toloſæ comitem.

1206. *Ex camera comp. Perſ.*

ANno incarnationis MCCII. menſe Decembri. Ego Bertrandus de Perralata Dei gratia Tricaſtrenſis epiſcopus, cum voluntate canonicorum eccleſiæ ſancti Pauli, & militum atque burgenſium ejuſdem civitatis, cognoſcentes totius epiſcopatus & eccleſiæ eſſe communem utilitatem; bona fide per me & ſucceſſores meos promitto vobis Raymundo eadem gratia duci Narbonæ, comiti Tolotano, marchioni Provinciæ, reginæ Conſtantiæ filio, & ſucceſſoribus veſtris, quod omnes homines in placito & in guerra vos fideliter adjuvabo, cum civitate Tricaſtina, & cum caſtro de Balmis, & cum villa ſancti Reſtituti, & cum medietate Camareti. Et ſi aliquod caſtrum vel munitionem de cætero adquiſiero, cum eiſdem vobis fideliter adjuvabo. Et hac de cauſa vobis oſculum in ſignum fidelitatis dono. Item quotieſcumque & quandocumque cavalcadæ de terra veſtra communiter & univerſaliter exierint, cavalcadas vobiſcum noſtris ſumptibus faciemus. Et nos Raymundus dux Narbon. comes Toloſan. marchio Provinciæ promittimus in manus tuas B. de Perralata epiſcopo Tricaſtino in ſignum fidelitatis te oſculando, eccleſiam ſancti Pauli, & ejus civitatem, & caſtella, & villas, & univerſas poſſeſſiones cum omnibus hominibus & ſuis rebus mobilibus & immobilibus, eundo & redeundo, atque ſtando, bona fide tanquam res noſtras proprias defendere fideliter, & cuſtodire, contra omnes homines in placito, & in guerra, & cum noſtris ſumptibus manu tenere. Jordanus archidiaconus, & Petrus de ſancto Paulo miles, & Petrus burgenſis tactis ſanctis evangeliis, juraverunt utile eſſe, & expedire eccleſiæ ſancti Pauli, quod ſupradicta pacta inter B. Tricaſtinum epiſcopum, & dom. comitem inirentur, & tenerentur; juraverunt etiam pro ſe, & pro concivibus ſuis, quod prædicta pacta domino comiti ſervarentur. Facta ſunt hæc apud montem Alavernegum in præſentia W. de Baucio, & Ugonis fratris ejus, & B. Cavellicenſis epiſcopi & Bertrandi de Durfort, Roſ. de Sabrano, Raimund. Gaufredi, &c. Et eodem anno menſe Martio apud ſanctum Paulum, cives ſupraſcripti juraverunt in domo epiſcopi, ſe præſentia pacta inita domino R. comiti Toloſ. ſervaturos, &c.

X.

Hominium a Raimundo de Bautio principe Auraicæ (Orange) exhibitum Bertrando Tricaſtinenſi epiſcopo.

1174. *Ex chirograph. eccleſiæ Tricaſt.*

NOverint univerſi quod anno MCCLXXIV. pridie kalend. Martii vir nobilis Raymundus de Baucio princeps Auraycæ, dominus caſtri de Suza, & de Buxedone, non deceptus, nec circumventus fraude, vel ingenio alicujus, confeſſus fuit & publice recognovit venerabili patri in Chriſto Domino Bertrando de Clahenſays Dei gratia epiſcopo Tricaſtrino, præſenti & recipienti nomine epiſcopatus Tricaſtrini, & tenere, & ſuos hæredes ſucceſſores debere tenere ab ipſo domino epiſcopo, & ejus ſucceſſoribus epiſcopis Tricaſtrinis in perpetuum, in feudum francum & gentile, quidquid habet & poſſidet, vel quaſi ad manum ſuam in caſtro de Buxedone diœceſis Tricaſtrinenſis, & in toto territorio, tenemento & diſtrictu, & in pertinentiis & appendentiis ejuſdem, & in hominibus, & in mulieribus ipſum caſtrum habitantibus, & in poſterum habitaturis, mixto & mero imperio, & in ſenoria & juriſdictione ipſius, & quidquid in eo ſui habebunt in poſterum ſucceſſores. Item confeſſus fuit ſe tenere in feudum francum & gentile, & ſuos hæredes ab ipſo epiſcopo, nomine epiſcopatus Tricaſtrinenſis, & ab ejus ſucceſſoribus epiſcopis Tricaſtrinenſibus, majus dominium caſtri de Buxedone, excepto affare dictus de Montenes, quod eſt ſexta pars dominii dicti caſtri cum ſuis pertinentiis, quod idem nobilis confeſſus fuit ſe tenere a domino papa, ſeu a Romana curia, nomine comitatus Venaiſſini, ſcilicet omnia quæ in caſtro & toto territorio poſſidet, &c. Item fuit conceſſum quod ipſe Raymundus de Baucio, & ejus hæredes ſemper in mutatione domini, vel vaſalli, teneantur facere homagium ligium flexis genibus, & jurare fidelitatem, cum illis articulis, qui in juramento continentur, videlicet dictus epiſcopus & ſucceſſores poſſint ſuum vexillum, ceu banceriam ponere in ſignum dominii & recognitionis dicti caſtri, ſeu in fortalitio, &c. Item fuit pactum, quod Raymundus de Baucio, & ejus ſucceſſores, teneantur dictum epiſcopum, & ſucceſſores in epiſcopatu Tricaſtrino juvare de placito & de guerra, &c. Acta fuerunt hæc in curia Tricaſtrina, præſentibus domino Petro Gar. archidiacono Tricaſtrino.

XI.

Pariagium inter Carolum VI. Francorum regem, delphinum Viennenſem, & Deodatum Tricaſtinenſem epiſcopum.

1409. *Ex camera comp. Delphinatus.*

IN nomine, &c. Noverint univerſi, quod anno a nativitate Domini MCCCCIX. die III. menſis Martii, honorabiles & circumſpecti viri D D. Siffredus Tholoni, dominus S. Gallæ, & Ivonus de Area baillivus Griſeivaudani, conſiliarii delphinales, & commiſſarii ad infraſcripta pro parte delphinali ſpecialiter deputati, conſtituti in domo epiſcopali civitatis Tricaſtinæ coram R. in Chriſto P. & Dom. Deodato de Stagno, dictæ civitatis Tricaſtinæ epiſcopo; præſentibus & aſſiſtentibus ſibi venerabilibus viris DD. Berengario Alrici baccalaureo in decretis, præpoſito, Thoma Peſenti archidiano, Franciſco Arraudi, &c. canonicis, Johanne Rolandi hebdomadario, Germano Fabri &c. chorariis dictæ eccleſiæ Tricaſtinæ vocatis ibidem ad ſonum campanæ, & more capitulantium congregatis. Præſentibus etiam hominibus univerſitatis dictæ civitatis ad ſonum tubæ vocatis, ut moris eſt ..... quorum nomina ſunt hæc: Guillelmus Bermondi, Guillelmus de Rua, Berengarius de Podio, Armandus Marini, Antonius Berengarii, Guillelmus Galafredi, Petrus de Troyes, Giraudus de ſancto Laurentio, Johannes Peliſſerii, Raynaudus Bortini, Vincentius Salvagii, Petrus Vocionis, Bernardus Dalmaſſii, Joannes Galberti, Lambertus Barralerii, Martinus Cheiſſoni,

magiſter Guillelmus Sperandieu, Petrus Jacobi, Jordanus Bernardi, Bertrandus Campoli, Petrus la Chaſſa, Hugonetus Pulchri, Jacobus Lantelmi, Joannes Artaudi, Nicolaus Pearii, Antonius Bernardi, Petrus Solerii, Hugo Charreterii, Joannes Ruffi, Fulco Bernoni, Bartholomeus Silvi, Joannes Laugerii, Hugonetus Barralerii, Petrus Laugerii, Guillelmus Sados, Artaudus Feutrerii, Pontius Geneſii, Guillelmus Pauli, Armandus Bruni, Bertrandus Solerii, Joannes Malheti, Iſnardus Bulethi, Stephanus Giraudi, Armandus Silvi, Hugonetus Barrati, Bertrandus Brici, Joannes Blaverii, Martinus Valentiæ, Guillelmus Alberti, Joannes Deſiderii, Guigo Rioleſii, Petrus Aimarii, Bertrandus Feutrerii, Guillelmus Robaniti, Gerentonus Laugerii, Hugo Marcherii, Pontius Reovelli, Roſtagnus Alhaudi, Hugo de Rua, Paulerus Michaëlis, Joannes Alhiareti, Petrus Fabri, Guillelmus Capreoli, Armandus Cotellerii, Hugo Alhaudi, magiſter Hugo Rodulphi, Joannes Chaironi, Guillelmus Amblardi, Guillelmus Michaëlis, Berengarius Bordeti, Pontius Balbi, Jacobus Amblardi, Joannes Gauterii, Joannes Robini, Hugo Laugerii, Pontius Marcherii, Antonius Jayerii, Petrus Beroni, Vincentius Joannis, Pelegrinus Caſtelli, Petrus Ruffi, Pontius Cotellerii, Hugo Rollandi, Joannes Paſchalis, Lambertus Richardi, Antonius Culorii, Bertrandus Pageſii, Stephanus Hugonis, Joannes Textoris, Guillelmus Bertrandi, Joannes Guithardi, magiſter Guillelmus de Monte-claro, Petrus Geneveſii ſenior, Gerentonus Janſenti, Petrus Geneveſii junior, Hugo Charreterii, & magiſter Pontius de Buyriaco, Monnetus de Morio, Vinetus de Scella, & Iſaquetus Profait, Judæi. Ipſi ſiquidem domini commiſſarii præfato domino epiſcopo exhibuerunt, & præſentaverunt eorum commiſſionis litteras, necnon litteras ſereniſſimi principis domini Caroli, Dei gratia Francorum Regis, delphini domini noſtri, emanatas in duabus pellibus pergameni ſimul ſubtiliter colla junctis, ſigillo regio, & delphinali cera viridi in filis ſericeis, modo & forma quibus litteræ perpetuæ quæ ab eodem domino noſtro emanantur, & in ejus cancellaria Pariſiis ſigillari conſueverunt ſigillatas, in cujus ſigilli medio eſt ſculptum quoddam ſcutum armis regiis, & delphinalibus inſignitum, & circumcirca dictum ſcutum videlicet deſuper erat imago aquilæ volantis: deinde a parte dextra, medietas hominis ſilveſtris, deinde leonis, deinde grifoni; & tantumdem a parte ſiniſtra, in circuitu vero dicti ſigilli erat ſcriptum evidenter: *Sigillum Caroli Dei gratia Francorum regis, & delphini Viennenſis.* Contra ſigillum vero in dorſo dicti ſigilli erat impreſſum, in cujus medio eſt ſcutum parvum dictis armis regiis, & delphinalibus decoratum, & circumcirca ſcriptum eſt: *Contra-ſigillum Caroli Dei gratia Francorum regis, delphini Viennenſis*; junctura vero dictarum pellium a parte ſuperiori, & inferiori filis ſericeis erat ſuta, & etiam dicto contra ſigillo ſigillata, quas ambas litteras ſucceſſive de verbo ad verbum legi fecerunt, & publicari alta voce per me Guillelmum Chalveti notarium, & ſecretarium delphinalem infra ſcriptum in præſentia ipſius domini epiſcopi, dominorum de capitulo, hominum univerſitatis prædictæ, & teſtium infra ſcriptorum paratos ſe offerentes ad executionem dictæ eorum commiſſionis, litterarumque regiarum prædictarum procedere, & cætera facere delphinali nomine quæ facienda incumbent juxta commiſſionem eis datam, inſtanter dictum dominum epiſcopum, dominos de capitulo, & cives ſuperius nominatos, & eorum quemlibet, prout eum tangit, & concernere poteſt, requirentes ut faciant pro parte ſua illud idem. Quarum quidem litterarum videlicet commiſſionis, & regiarum tenores de verbo ad verbum hic immediate inſeruntur.

Guillelmus de Area dominus Cornilionis, cambellanus & conſiliarius regius, gubernator delphinatus, dilectis noſtris domino Siffredo Tholoni juris utriuſque perito, domino ſanctæ Gallæ, & Ivono de Area domicello, ballivo Greſivaudani, conſiliariis delphinalibus, ſalutem. Viſis litteris regiis, & delphinalibus ſigillo regio, & delphinali impendenti filis ſericeis, & cera viridi ſigillatis, datis Pariſiis menſe Novembri, anno Domini MCCCCVIII. continentibus ad plenum confirmationem, & ratificationem tractatus habiti inter nos delphinali nomine ex una parte, & R. in Chriſto patrem dominum Deodatum epiſcopum Tricaſtinenſem, capitulumque eccleſiæ cathedralis civitatis Tricaſtinæ, necnon & homines univerſitatis dictæ civitatis, & loci ſancti Reſtituti, & aliorum locorum in dicto tractatu declaratorum, & ſpecificatorum, ſeu eorum legitimum procuratorem debita, & ſufficienti poteſtate ad hoc fulcitum ex altera, de & ſuper communione, ſocietate, & pariagio civitatis, locorum, territoriorum, & juriſdictionum, homagiorum fidelitatis, obvencionum, & aliorum jurium ad temporalitatem dicti epiſcopatus pertinentium in dicto tractatu declaratorum. Quas litteras pro ſubſequentibus exequendis volumus expediri, remanente ipſarum *Vidimus* in camera delphinalium computorum, & ad ipſius tractatus executionem procedere ſicut convenit cupientes fidelitati veſtræ de qua non immerito confidimus, tenore præſentium committimus, præcipimus, & mandamus diſtrictius injungentes quatenus ad dictam civitatem Tricaſtinenſem, & alia loca opportuna vos perſonaliter transferentes, dictum tractatum ibidem publicetis, & publicari faciatis, ſimul conveniendo ibidem cum epiſcopo, capitulo, & populo dictorum locorum vocato, & congregato, & poſſeſſionem realem, & actualem, ſeu quaſi dictæ partis communionis, ſeu pariagii quantum partem concernit delphinalem recipiatis, & adipiſcatis realiter cum effectu, arma delphinalia cum armis epiſcopalibus communiter in dictis civitate, caſtris, & in locis eorumdem, ac aliis communitatis oppportunis in quibus vobis videbitur expedire ponendo, & affigendo ballivum, & ceteros officiarios in & ſuper exercitio juriſdictionis cuſtodia caſtrorum, & aliis neceſſariis, & opportunis conſtituatis communiter cum dicto epiſcopo, & cum omnimoda poteſtate, juramenta debita ab eis recipiendo, ſigillum commune ordinetis, & cætera omnia, & ſingula adimpleatis, & exequamini quæ in præmiſſis, & circa præmiſſa, ac ea concernentia quoviſmodo juxta formam ipſius tractatus, continentiam & tenorem quomodolibet fuerint facienda nihil de contingentibus omittendo; deinde dictas litteras regias, & delphinales domino epiſcopo, capitulo, & aliis ad quos ſpectat tradatis, expediatis, & deliberetis pro & nomine noſtro, promiſſa, & conventa per nos in dicto tractatu ſuper hoc adimplendo, & quietantiam debitam de dicta expeditione reportando in dicta delphinalium computorum camera reponendum, ſuper quibus omnibus, & ſingulis quantum partem concernit delphinalem exequendis vobis omnimodam conferimus harum ſerie poteſtatem, ac vices noſtras committimus in hac parte, ratum & gratum habere promittentes nomine quo ſupra totum id, & quidquid per vos fuerit geſtum, & actum hujuſmodi exequendo tractarum: omnibus & ſingulis officiariis delphinalibus, juſtitiariis pariter, & ſubditis, & ipſorum cuilibet præcipientes, & mandantes quatenus vobis, & depurandis a vobis præmiſſa exequendo, & in dependentibus, & connexis procedendo, pareant efficaciter, & intendant ſi e contradictione quacumque, præbeantque auxilium, conſilium, & favorem, ſi & quando fuerint ſuper hoc requiſiti. Et omnia & ſingula quæ inde egeritis, nobis apud Gratianopolim quam brevius poteritis ſub forma publici, ſeu publicorum inſtrumentorum fideliter reportetis in dicta delphinalium computorum camera reponenda. Datum Gratianopoli die XX. menſis Februarii, anno nativitatis Domini MCCCCIX. per dominum gubernatorem in conſilio quo erant domini Jacobus Geiu conſiliarius regius præſidens in dicto conſilio, Guillelmus Gelmon, Joannes Generis, Jacobus de ſancto Germano advocatus fiſcalis, Joannes Veteris, judices appellationum, & computorum auditores, Franciſcus Nicoleti.

CAROLUS Dei gratia Francorum rex, delphinus Vien- 1408.

nensis : notum fieri volumus universis præsentibus, pariter & futuris nos litteras quasdam vidisse formam quæ sequitur continentes :

In nomine Domini. Amen. Per hoc publicum instrumentum cunctis tam præsentibus, quam futuris appareat, & sit notum, quod cum R. in Christo pater dominus Deodatus episcopus Tricastinensis evidentem utilitatem, & commodum ecclesiæ suæ eminus præ oculis habens, ac ipsius ecclesiæ meliora perspiciendo diligens quod non est dubium eidem profuturum molestiis, ac disturbiis quæ ecclesiæ suæ prædictæ temporibus contigerunt præteritis, ac in dies magis contingere sperantur nisi provisione occurreretur celeri attentis : habito diligenti cum capitulo ecclesiæ prædictæ, ac multitudine copiosa virorum tam ecclesiasticorum, nobilium, quam aliorum civitatis, & diœcesis suæ super hoc consilio, & deliberatione maturis, communionem, pariagium, & societatem facere disposuerit cum serenissimo domino nostro Francorum rege, delphino Viennensi de bonis & juribus suæ temporalitatis inferius declaratis.

Hinc est quod anno a nativitate Domini MCCCCVIII. & die XXV. mensis Septembris indictione I. cum anno sumpta personaliter constitutus spectabilis, & magnificus vir dominus Guillelmus de Area, dominus Cornilionis, cambellanus & consiliarius regius, gubernator Delphinatus pro serenissimo principe domino Carolo, Dei gratia Francorum rege, delphino Viennensi domino nostro, assistentibus etiam eidem egregiis, & magnarum auctoritatum viris dominis Jacobo Gelu licentiato in utroque jure, consiliario regio, præsidente in consilio delphinali, Guillelmo Gelmon, Joanne Generis in legibus licentiatis, Jacobo de sancto Germano advocato fiscali, & procuratore generali Delphinatus, Siffredo Tolosi juris utriusque perito, & Andrico Garini computorum delphinalium auditore, vice & nomine præfati serenissimi principis domini nostri regis, delphini Viennensis ex una parte, & honorabili & circumspecto viro domino Petro Delphini in legibus licentiato, procuratore & procuratorio nomine R. in Christo patris, & domini P. Deodati de Stagno, Dei gratia Tricastinensis episcopi supradicti, & dominorum capituli ecclesiæ cathedralis civitatis prædictæ, necnon & procuratorio nomine hominum universitatum jam dictæ civitatis, & loci sancti Restituti, & aliorum locorum infra scriptorum habente speciale mandatum ad omnia & singula infra scripta peragenda, ut de procurationis suæ potestate constat quodam publico instrumento sumpto, scripto & signato manu mei Jacobi de Buiraco notarii publici infra scripti, ac bulla plumbea dicti episcopatus plumbato, cujus tenor inferius inseretur ex parte altera. Apud Gratianopolim in superiore consistorio delphinali præhabitis maturis deliberationibus ad invicem fecerunt, inierunt, & appunctaverunt, & conclusionem communi consensu nominibus quibus supra communionem, societatem, & pariagium civitatis, locorum, territoriorum, jurisdictionum, homagiorum, fidelitatum, obventionum, & aliorum jurium ad temporalitatem dicti episcopatus pertinentium inferius declaratorum per modum & formam, ac sub pactis, conditionibus & reservationibus infra scriptis.

In primis tractatum, conventum & concordatum est per præfatos dominum gubernatorem nomine delphinali, & Petrum Delphini nomine procuratorio quo supra, quod omne merum & mixtum imperium, seu jurisdictio temporalis, tam civilis quam criminalis civitatis Tricastinensis, loci sancti Restituti, loci de Balmis, loci Solorni, Perreriæ Nemoris bastardi, & medietatis jurisdictionis loci de Camatero, & generaliter omnium locorum, territoriorum, & tenementorum quæ ad præfatum dominum episcopum nomine suæ prædictæ ecclesiæ spectant & pertinent, exceptа superioritate, & majori dominio castri de Suza, quam seu quod non potest dictus dominus episcopus alienare absque perditione feudi, sit communis, seu commune perpetuo, & indivisa seu indivisum inter præfatos dominum regem delphinum, ac episcopum supradictum.

Item. Emolumenta ratione, sive ad causam dictæ jurisdictionis provenientia, præterquam in infra exceptatis, erunt communia prafatis domino nostro delphino, domino episcopo & successoribus eorum.

Item. Conventum & concordatum est quod vassalli episcopi & ecclesiæ prædictæ, ac nobiles homines & alii civitatis & locorum prædictorum cujuscumque conditionis aut status existant, homagium ratione temporalitatis debentes, teneantur præstare domino nostro delphino homagium in personam domini gubernatoris, seu deputandi ab eo in qualibet mutatione gubernatoris, quando fuerint per prætatum dominum gubernatorem, seu deputandum ab eo requisiti, prout, & taliter, ac quemadmodum prædicto domino episcopo præstare consueverunt, sive præstiterunt, & præstare tenebantur, & tenentur in mutatione episcopi quocumque casu contingente.

Item. Præfati subditi tenebuntur, & debebunt in omnibus talliis, seu subsidiis indicendis per dominum nostrum delphinum in sua patria delphinali imponendis una cum subditis delphinalibus contribuere quemadmodum subditi civitatis Gratianopolis cum præfatis delphinalibus subditis contribuerunt.

Item. Si contingat bona alicujus dictæ civitatis, & locorum confiscari mobilia, erunt & esse debent inter prædictos dominum nostrum delphinum & episcopum, ac successores suos communia ; immobilia vero ad solum episcopum, seu ejus successores pertinebunt.

Item. Dominus noster delphinus poterit, & valebit cudi facere, & fabricari in dicta civitate Tricastina monetam tam auri quam argenti, arma regis delphini domini nostri, & crossam communiter habentem.

Item. Emolumenta ex dicta moneta provenientia erunt inter præfatos dominos delphinum & episcopum communia.

Item. In curia communi prædicta erit sigillum commune armis delphinalibus & crossa communiter insculptum, cujus emolumenta erunt condominis communia.

Item. In civitate prædicta ballivus instituetur communi consensu dominorum gubernatoris, & episcopi, qui jurabit in manibus eorum deputandi, seu deputandorum ab eis, & successoribus eorum, vel ab eis deputandorum, bene & fideliter officium ballivatus pro dominis communibus regere, & gubernare, cui ballivo de emolumentis, & proventibus communibus constituentur, & solventur stipendia, videlicet 40. florenі monetæ delphinalis, prout solvitur officiariis delphinalibus.

Item. In casu quo discordarent jam dicti domini gubernator, & episcopus in ballivo eligendo alternis biennis, per dominum gubernatorem & episcopum eligetur, qui dominus episcopus primo eliget si voluerit.

Item. Ballivus prædictus jurisdictionem ordinariam communem civitatis, & locorum prædictorum nomine dominorum communium habebit, & exercebit, neque amodo ibidem erit aliquis judicis officium exercens, seu jus dicere valens nomine condominorum prædictorum præter ballivum prædictum.

Item. Clavarius communiter eligetur, qui jurabit, ut supradictum est de ballivo, bene & fideliter regere, & rationem reddere de emolumentis ex communi provenientibus, ac singulis annis cuilibet dominorum prædictorum partem dimidiam dictorum emolumentorum tradere sine contradictione quacumque.

Item. Instituetur unus notarius communiter pro iis quæ pertinent ad curiam ballivi prædicti, qui jurabit ut supra.

Item. Servientes, gannerii, sive apparitores communi consensu condominorum eligentur, qui jurabunt ballivo bene & fideliter condominis servire.

Item. Præco eligetur communiter, ut supra, & jurabit ; qui quidem præco dum præconisabit pro curia communi, præconisationes faciet utendo verbis generalibus, videlicet pro parte condominorum.

Digitized by Google

Item. Domus in qua conſuevit teneri, & de præſenti curia tenetur temporalis una cum carceribus *Recobrati* appellatis, erit communis præfatis dominis delphino & epiſcopo. A

Item. Si officiarius aliquis curiæ communis delinquat, ejus coactio, condemnatio & punitio ad ballivum pertinebit; ſi vero ballivus delinquat, punitio fiet per condominos, vel deputandos ab eis.

Item. Si aliquis ex commenſalibus, & domeſticis epiſcopi delinquat, aut officiarii ſui, officialis locum tenens, duo graffarii curiæ ſpiritualis, clavarius curiæ prædictæ, procurator fiſcalis, procurator animarum, & tres ſervientes curiæ prædictæ ſpiritualis, ipſe, vel ipſi, tam civiliter quam criminaliter per dictum dominum epiſcopum ſolum, & in ſolidum punientur, emolumentaque ratione prædictorum provenientia ad præ- B fatum dominum epiſcopum, aut ejus ſucceſſores pertinebunt.

Item. Omnes cauſæ civiles, & profanæ civium, & perſonarum locorum prædictorum per ballivum prædictum tractabuntur, & definientur abſque hoc, quod officiarii curiæ epiſcopalis in aliquo, aut aliqualiter poſſint ſe intromittere de eiſdem citando, ſeu aliquem juriſdictionis actum exercendo in præfatos cives, ſeu perſonas. Et conſimiliter nullus officiarius delphinalis in cives, ſeu perſonas prædictas juriſdictionis actum aliquem exercere poterit, aut debebit, vel ſe intromittere de eiſdem.

Item. Si a domino ballivo contigerit appellari, appellabitur ad judicem communem appellationum datum, vel dandum per dictos condominos in dicta civitate, C & non alibi, & idem ſi ſecundo, vel tertio contingeret appellari.

Item. Dominus noſter delphinus, ejus gubernator in Delphinatu, & alii officiarii delphinales præſentes, & futuri, nullatenus impedient quominus eccleſia Tricaſtinenſis, & perſonæ ſibi ſubjectæ utantur, & gaudeant libere, & ſine contradictione libertatibus, privilegiis, franchefiis, aut immunitatibus quibus uti & gaudere conſueverunt, ſive a præfato domino epiſcopo, aut ejus ſucceſſoribus, ſeu ab aliis quibuſcumque conceſſis; quinimo ballivus infra decem dies poſt adeptionem poſſeſſionis ſui officii, jurabit præfatis hominibus quod prædictas franchefias, privilegia & immunitates eiſdem cuſtodiet illibatas.

Item. Civitas Tricaſtinenſis, loca prædicta, perſonæ D degentes & venientes, in eiſdem gaudebunt libere libertatibus, immunitatibus & franchefiis quibus terra delphinalis, & ſubditi ejus gaudere & frui hactenus conſueverunt, gaudent & fruuntur.

Item. Dominus noſter rex delphinus communionem, pariagium, & ſocietatem juriſdictionis, & emolumentorum locorum, & rerum prædictarum, ſic ut præmittitur pro indiviſo ad eumdem, & ſucceſſores ſuos in Delphinatu tranſlatorum, non poſſit nec debeat quocumque titulo, modo, ſive cauſa, ſeu qualitercumque in aliam perſonam ſtatus cujuſcumque minoris, vel majoris transferre, ſed remaneant perpetuo penes præfatum dominum noſtrum regem delphinum, & ſucceſſores ſuos in Delphinatu, quemadmodum terra delphinalis. Et in caſu quo contrarium fieret per præfatum dominum E noſtrum regem delphinum, præſens pariagium, ſeu ſocietas ſit caſſa & nulla, ſeu irrita, caſſum, nullum & irritum, nulliuſque efficaciæ pariter & momenti, ſed ad præfatum dominum epiſcopum, eccleſiam ſuam, aut ſucceſſores ſuos prædicta revertantur, & ſint reverſa pleno jure, ac ſi nunquam communio, pariagium, ſeu ſocietas facta extitiſſent.

Item. Concordatum fuit & conventum, quod præfatus dominus noſter rex delphinus, ejus gubernator Delphinatus, & alii officiarii delphinales, præfatum dominum epiſcopum, ſucceſſores ſuos, eccleſiam cathedralem, perſonas eccleſiæ, præſentes & futuros homines vaſſallos, ſubditos civitatis, & locorum prædictorum, juriſdictionem tam ſpiritualem, quam temporalem præfati domini epiſcopi, & eccleſiæ prædictæ teneantur, & debeant ſuſtinere, amparare, ſervare, & defendere perpetuis temporibus, prout terram ſuam delphinalem tenetur, & debet defendere contra perſonas quaſcumque.

Item. Præfata ratificari, laudari, approbari & confirmari facere per Romanum pontificem, dum eccleſia Dei gratia ad unionem exiterit reducta, propriis ſumptibus & expenſis tenebitur dominus epiſcopus prædictus, ſive ejus ſucceſſores, quos ad hoc vult fore adſtrictos, & adſtringit.

Item. Quod per prædicta præfatus dominus epiſcopus non intendit communicare aliquomodo in toto, vel in parte fortalitium civitatis Tricaſtinæ, hoſpitia epiſcopalia dictæ ſuæ eccleſiæ in dicta civitate, fortalitium etiam ſancti Reſtituti, & hoſpitia epiſcopalia ſuæ eccleſiæ in dicto loco exiſtentia, terras cultas & incultas, nemora, vineas, prata, molendina, furnos, pedagia, bannum vini, leydas, paſcua, aquas, aquarum decurſus, cenſus, ſervitia, taſchias, cinquena, quarrones, jura quæ percipit ſuper menſuras dictæ civitatis, & locorum dominia directa, laudimia, trezena, tonile, peyrerias, decimas, ſeu alia jura, ſive ſint in blado, pecunia, aut alias quomodolibet conſiſtentia ad dictam eccleſiam pertinentia, ſeu in futurum competitura, ſed civitatem Tricaſtinenſem, villam ſancti Reſtituti, excepto fortalitio ſuo prædicto, & juriſdictionem temporalem in civitate, tenemento, fortalitiis, hoſpitiis, & locis quibuſcumque aliis ab exceptatis præfato domino noſtro regi delphino communicat, volens prædicta exceptata perpetuo penes ſuam eccleſiam remanere, prout ante præſentem communionem, pariagium, ſeu ſocietatem erant, pertinebant, & ad eamdem competebant, ſunt, fuerunt, pertinuerunt, & competierunt. Quæ quidem omnia, & ſingula ſupraſcripta dictæ partes, & earum quælibet nominibus quibus ſupra, gratis ex earum certa ſcientia mutuis, & ſolemnibus ſtipulationibus hinc inde intervenientibus promiſerunt, & ad ſancta Dei evangelia in animas dominorum ſuorum juraverunt in manibus noſtrorum notariorum publicorum infra ſcriptorum ſtipulantium, & recipientium vice, & nominibus dictarum partium, & ipſarum cujuſlibet, & omnium, & ſingulorum quorum intereſt, intererit, vel intereſſe poterit in futurum perpetuo rata, & grata habere, & tenere, & inviolabiliter obſervare, contraque non facere, dicere, vel venire tacite, vel expreſſe, ſub obligatione, & expreſſa hypoteca omnium, & ſingulorum bonorum dictorum dominorum magiſtrorum ſuorum nominibus quibus prædicta fecerunt, & cujuſlibet eorumdem præſentium & futurorum, & ſub omnibus juris, & facti renuntiationibus ad hæc neceſſariis pariter, & cautelis; reſervato tamen in omnibus, & per omnia conſenſu beneplacito regis delphini domini noſtri, prout ſupra. De quibus omnibus, & ſingulis ſupradictis, dictus dominus gubernator pro parte dicti domini noſtri regis delphini per Joannem Henrici, & Franciſcum Nicolei ſecretarios delphinales, ac Jacobum de Buiraco ipſius domini epiſcopi ſecretarium, notarios publicos infra ſcriptos, & etiam dictus procurator pro parte dicti domini epiſcopi, & eccleſiæ ſuæ petierunt, & fieri voluerunt publica inſtrumenta tot quot opus fuerit & neceſſe. Acta fuerunt hæc ubi ſupra, præſentibus venerabili & circumſpecto viro domino Joanne de Vitrolis decretorum doctore, priore de Roneta Vapincenſis diœceſis, nobilibus & potentibus viris dominis Siffredo de Artiis, & Giraudo de Grandi-valle militibus cambellanis regiis, Ivone de Area ballivo Greyſivaudani, magiſtro Giraudo Roſſerie illuſtriſſimi principis domini ducis Bituricenſis ſecretario, Joanne de Fabrica caſtellano ſancti Simphoriani de Auſone, Joanne de Mareſco panaterio domini noſtri delphini, Hugone de Vareſco caſtellano Mirabelli in baroniis, Michaele Richerii caſtellano Vorapii, & Stephano Chalvetonis computorum delphinalium clerico, Guillelmo de Grandi-valle domicello, diſcretis viris Petro Bantarolis, Jacobo de Mollena, Joanne Guifredi, Lantelmo Mure, Franciſco Joffredi ſecretariis delphinalibus, An-

by Google

tonio Boyerii, & Joanne Legarii notariis publicis, & A pluribus aliis vocatis, & rogatis ad præmissa. Tenor vero instrumenti procurationis & potestatis dicti domini Petri Delphini de quo fit supra mentio, talis est.

1402. IN nomine Domini nostri Jesu-Christi. Amen. Anno a nativitate ejusdem Domini MCCCCVIII. & die VI. mensis Septembris R. in Christo P. & domino D. Deodato de Stagno episcopo, & domino in solidum civitatis Tricastinensis existente. Per hujus veri, & publici instrumenti seriem, continentiam, & tenorem, cunctis tam præsentibus quam futuris sit manifestum, quod supradictus R. in Christo P. & dominus Deodatus Tricastinensis episcopus attendens, & considerans quod propter mortalitates, guerras, tribulationes, & oppressiones gentium armorum quæ in istis partibus B a longis temporibus fuerunt, & propter molestias, occupationes, & oppressiones, ac tribulationes quas nonnulli nobiles vicini, & magnates eidem domino episcopo, & ecclesiæ suæ, ac hominibus, & subditis suis temporibus retro actis fecerunt, & de die in diem facere non cessant, præsens civitas Tricastinensis, & aliæ terræ dominii episcopi sunt in majori parte destructæ: & nisi modo infra scripto de opportuno remedio provideatur, gentes ipsius civitatis, & locorum aliorum non poterunt prædictas tribulationes, & oppressiones supportare: idcirco idem dominus episcopus volens, & cupiens de opportuno remedio providere super iis, & utilitatem suam, & dictæ suæ ecclesiæ Tricastinensis, ac hominum, & subditorum suorum pro viribus procurare de consilio, & expresso consensu venerabilis C capituli ecclesiæ suæ cathedralis Tricastinensis, & ipsum venerabile capitulum de ipsius domini episcopi mandato in unum aggregatum infra castrum episcopale dictæ civitatis Tricastinensis, in qua quidem congregatione venerunt, & interfuerunt venerabiles, & circumspecti viri domini Berengarius Alrici Baccalaureus in decretis, præpositus, Thomassius Pesanti archidiaconus, Joannes Vega sacristia, Pontius Bonabelli, Joannes Cotellerii canonici dictæ ecclesiæ cathedralis Tricastinensis in præsenti civitate Tricastinensi pro nunc residentes solummodo; & præsentes nominibus eorum proprius, & nomine ipsius capituli, & aliorum dominorum canonicorum ipsius capituli absentium: & etiam ad humilem postulationem, & requisitionem universitatis hominum dictæ civitatis Tricastinensis, ipsa D universitate voce præconia de ipsius domini episcopi jussu, & præcepto, ac mandato in unum congregata infra castrum prædictum coram ipso domino episcopo, in qua siquidem congregatione venerunt, & interfuerunt providi, & discreti viri, Joannes Artaudi, Joannes Chaironi, Joannes Giraudi, Magister Hugo Rodulphi, Petrus, & Leonardus Artaudi fratres, Jacobus Fabri, Lambertus Barraleri, Petrus Boteron, Massonus, & Petrus de Trois, Joannes Varene, Joannes Alene, Berengarius de Podio, Pontius Marcherii, Joannes Barreti, Hugo Galterii, Bernardus Dalmassii, Petrus Laugerii, Pontius Cotellerii, Stephanus de Alamannia, Petrus Aimarii, Petrus Solerii, Petrus Genevesii, Joannes Rubini, Hugo de Rua, Petrus de Sabaudia, Hugo Charreterii, Guigo Richardi, Bertrandus Guitardi, Stephanus Giraudi, Martinus Valentiæ, Guillelmus Grossi, Armandus Marini, Petrus Becone, Antonius Berengarii, Antonius Capelli, Bertrandus de Laya, Guillelmus de Monte claro, Jacobus, & Guillelmus Amblardi, & Joannes Arnulphi, ac Mornetus de Mornassio, Vinetus de Scella, & Isaquetus Profait Judæi, & plures alii christiani. In qua quidem congregatione erant nedum duæ partes, imo tres & ultra hominum præsentis civitatis Tricastinensis prout homines ipsi dicebant, & asserebant: necnon & ad supplicationem, & requisitionem universitatis hominum dicti loci sancti Restituti, pro qua universitate venerunt, & interfuerunt in ipsius domini episcopi præsentia, & de ipsius domini episcopi licentia, voluntate, & mandato homines inferius nominati ad hoc per dictam universitatem specialiter deputati, scilicet Nicolaus de Grilhone, Petrus Bajuli, Petrus Sicardi domicelli, Guillelmus Payani, Petrus Payani, Guillelmus Donadei, Petrus Bovis, Stephanus Garcerii, Falco Donadei, Petrus Garcerii, Joannes Ruffi, & Petrus Romei. Ipse, inquam, dominus episcopus gratis, & voluntarie nomine suo proprio, & dictæ suæ ecclesiæ Tricastinensis, & suorum successorum episcoporum Tricastinorum, & dictum venerabile capitulum dictæ cathedralis ecclesiæ Tricastinensis nominibus suis, & dicti venerabilis capituli; & successorum suorum in ecclesia, & capitulo prædictis, dictæque universitates hominum præsentis civitatis Tricastinensis, & loci sancti Restituti supra nominatorum nominibus suis, & aliorum hominum, & personarum civitatis, & loci prædictorum absentium, & eorum hæredum, & successorum omnes superius nominati de licentia, voluntate, & expresso consensu ipsius domini episcopi ibidem præsentis, volentis, & consentientis, autoritatemque, & licentiam atque mandatum speciale eisdem præstantis, dantis & concedentis ad infra scripta omnia, & singula facienda; & etiam idem dominus episcopus, ut dominus pro medietate loci prædicti de Camareto pro indiviso cum domino Grignani existente, ac nomine, & vice hominum suorum loci prædicti pro evidenti utilitate, & commodo ipsorum dominorum episcopi, & capituli, & universitatis civitatis locorum prædictorum, & pro conservatione, custodia, & tuitione omnium supra nominatorum, ac successorum suorum, & totius terræ episcopalis Tricastinensis, attendentes, & considerantes quod alias, nec aliter non poterant supradictis damnis, oppressionibus, injuriis, violentiis, & periculis obviare; gratis, & voluntarie, unanimiter, & concorditer pari animo, & consensu, nemineque ipsorum discrepante, omnes insimul, & quilibet ipsorum in solidum, etiam divisim prout negotium infra scriptum tangit, & ad ipsos spectat, omnibus melioribus modo, via, jure, & forma quibus potuerunt, & debuerunt, fecerunt, & constituerunt; creaverunt, & solemniter ordinaverunt suum verum, certum, & indubitatum procuratorem, œconomum, actorem, & negotiorum suorum gestorem specialem, & generalem, ita insuper quod generalitas specialitati non deroget, nec e contra, sed una potius per alteram roboretur, & confirmetur, videlicet venerabilem, & circumspectum virum dominum Petrum Delphini licentiatum in legibus de Abolena Tricastinensis diœcesis licet absentem tanquam præsentem; scilicet ad apariandum, & recipiendum in pariagium pro ipso domino episcopo, & ejus nomine, & successorum suorum quorumcumque in ecclesia, & episcopatu Tricastinensi in futurum; videlicet in medietate totius temporalitatis, & jurisdictionis civitatis suæ Tricastinensis, territorii, atque tenementi ejusdem, & in medietate totius temporalitatis, & jurisdictionis loci prædicti S. Restituti, & in medietate totius temporalitatis, & jurisdictionis loci de Camareto qui locus est pro indiviso inter ipsum dominum episcopum, & dominum Grignani, & in medietate superioritatis, & altæ jurisdictionis quam idem E dominus episcopus habet in castro, & territorio de Balmis, & de Solorino, & in Peyreria Nemoris Bastardi, & in omnibus aliis territoriis, atque locis diœcesis Tricastinensis, excepta superioritate, & majori dominio quod habet in castro de Suza, quæ prædicta ex pacto expresso non debet, neque potest sine feudi perditione in alium transportare. Et hoc cum serenissimo, & inclito principe domino Carolo Francorum rege, delphino Viennensi nomine sui Delphinatus, & in ejus absentia cum magnifico, & potenti viro domino Guillelmo de Arca, domino Cornilionis, cambellano, & consiliario regio, atque gubernatore Delphinatus, & venerabili concilio delphinali in loco Gratianopoli residente nomine ipsius domini nostri delphini, & pro ipso, & ad opus ipsius delphini dumtaxat, ipsasque medietates dictæ temporalitatis, & jurisdictionis ci-

vitatis, & locorum prædictorum, & medietatem temporalitatis, & majoris dominii quæ dictus dominus episcopus habet in locis prædictis de Balmis, & de Solotimo, & territoriis, atque tenementis eorumdem, & in quibuscumque aliis locis, & territoriis diœcesis Tricastinensis, dicta superioritate, & majori dominio loci prædicti de Suza excepta, nunc & in perpetuum causa apariamenti, nomine ipsius domini episcopi, & dominorum venerabilis capituli prædicti, & civium, atque aliorum hominum prædictorum prout ad ipsos spectat, dandum, apariandum & concedendum præfato domino gubernatori, & venerabili consilio delphinali prædicto nomine, & vice ipsius domini nostri regis delphini stipulanti, & recipienti ut supra sub certis pactis, conventionibus, & retentionibus eidem procuratori per dictum dominum episcopum, & ejus venerabile capitulum, & homines superius expressatos, declaratis, & expressatis, atque descriptis in quadam papiri schedula data, & tradita eidem. Quæ pacta, retentiones, & conventiones idem procurator, nomine ipsorum dominorum episcopi & capituli, atque hominum prædictorum possit declarare, interpretari, superflua removere, necessaria addere, & alia capitula, & conventiones de novo facere, & de prædictis omnibus, & singulis cum supra dictis dominis gubernatore, & venerabili consilio prædictis, & quolibet ipsorum etiam divisim convenire, & concordare prout idem dominus episcopus, & alii supra nominati constituentes facere convenire, donare, remittere, & perpetuo concedere possent, si in præmissis præsentes personaliter interessent: & de compensatione omnium præmissorum dicto domino episcopo per supra nominatos dominos gubernatorem, & venerabile consilium prædictum juxta bonam voluntatem, & conscientiam idem dominus episcopus constituens, & alii supra nominati constituentes prout ad ipsos spectat remittunt conveniendum, & concordandum prout supra nominatis dominis, & dicto procuratori placuerit, & videbitur faciendum: necnon pacta, conventiones, retentiones, & omnia, & singula alia in dicto negotio necessaria, & opportuna in animas ipsius domini episcopi, & aliorum supra nominatorum constituentium complere, & adimplere promittendum, & jurandum, & ipsorum bona præsentia, & futura, & cujuslibet ipsorum pro præmissis obligandum curiis quibuscumque cum renunciationibus, & clausulis in præmissis necessariis, & opportunis, & cetera alia universa, & singula faciendum, tractandum, concedendum, arrestandum, & conveniendum quæ in præmissis, & circa præmissa necessaria fuerint, & etiam opportuna, & quæ ipsemet dominus constituens, & alii supra nominati omnes insimul, & quilibet per se, & in solidum etiam divisim facere, dicere, dare, concedere, convenire, remittere, concordare, & exercere possent, si in præmissis præsentes personaliter interessent, & quæ causarum, & negotiorum merita postulant, desiderant, & requirunt; etiamsi talia in præmissis forent quæ mandatum exigerent speciale. Promittentes idem dominus episcopus constituens, & alii prædicti constituentes in quantum prædicta ipsos, & quemlibet ipsorum tangunt, & tangere possunt se ratum, gratum, & firmum perpetuo habituros, & observaturos omne id, & quidquid per dictum procuratorem actum, dictum, concessum, datum, appariatum fuerit, ac etiam conventum, tractatum, promissumque fuerit, ac etiam juratum in præmissis, & quolibet præmissorum. Relevans ex nunc idem dominus episcopus, & alii constituentes dictum procuratorem, & relevatum esse volentes ab omni onere satis dandi, pro quibus omnibus, & singulis idem dominus episcopus, & alii constituentes constituerunt se fidejussores, & principales in solidum pacatores penes me notarium infra scriptum ranquam publicam personam stipulantem, & recipientem, nomine & vice omnium & singulorum quorum interest, intererit, vel in futurum interesse poterit, judicioque sisti, & judicatum solvi cum omnibus suis clausulis universis in & sub obligatione omnium bonorum suorum, & cujuslibet ipsorum nominibus quibus supra præsentium, & futurorum. Et ad majorem omnium & singulorum præmissorum firmitatem præfatus dominus episcopus, & domini de capitulo superius nominati juraverunt in animas, & conscientias suas ponendo quilibet manum dexteram supra pectus, & alii homines universitatis dictæ civitatis Tricastinensis, & dicti loci S. Restituti super sancta Dei evangelia per ipsos, & quemlibet ipsorum gratis corporaliter manu tacta. Et supradicti Judæi juraverunt super legem Moïsis, & elevando manum dexteram ad cælum, & ponendo ipsam supra caput, more Judæorum, cum & sub omni juris, & facti renunciatione ad præmissa necessaria, pariter & cautela. Et ulterius præfatus dominus episcopus, & capitulum, & homines prædicti constituentes gratis, & voluntarie prout ad quemlibet ipsorum spectat prædicta omnia & singula, dum per dictum procuratorem acta, dicta, appariata, conventa, retenta, promissa, arrestata, tractata & jurata fuerint, ex nunc prout ex tunc approbaverunt, ratificaverunt, homologaverunt, & confirmaverunt, & perpetuo rata, grata, & firma habebunt, tenebunt, & observabunt per se, & successores suos quoscumque sub obligationibus, clausulis, renunciationibus, & juramentis prædictis. De quibus omnibus, & singulis supra dictis, præfati domini episcopus, & capitulum, & alii constituentes petierunt sibi, & dicto eorum procuratori publicum fieri instrumentum, & si opus fuerit publica instrumenta per me notarium infra scriptum quod possit fieri, & refici, corrigi, mutari, dictari, meliorari, & emendari semel, & pluries, & in ipso addi possint, & detrahi, seu minui clausulæ, & renunciationes juris, & facti necessariæ ad dictamen, & consilium supra dicti procuratoris, & cujuslibet in jure sapientis, donec perpetuam obtineat firmitatem. Acta fuerunt hæc Augustæ Tricast. infra castrum episcopale dictæ civitatis, videlicet in magna aula dicti castri, præsentibus testibus venerabilibus viris dominis Antonio Pontanerii de Petralata, Joanne Rogerii, & Stephano de Manso S. Florentii Ucetiensis diœcesis presbyteris, Petro Ulsi clerico Vivariensis diœcesis, & aliis supra nominatis, & me Jacobo de Buyraco clerico notario Tricastinensi autoritate imperiali publico, ipsiusque domini Tricastinensis episcopi secretario, qui in prædicti procuratoris constitutione, & aliis præmissis dum sicut præmittitur per dictum dominum episcopum, & alios constituentes superius nominatos fierent, & agerentur una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque sic prout sunt superius scripta fieri vidi, de eisque notam recepi de qua hoc instrumentum publicum ad requisitionem ipsorum constituentium extraxi, scripsi manu mea propria, bullaque plumbea Tricastinensi bullari feci, & signo meo solito signavi in testimonium præmissorum.

Quas quidem litteras superius insertas, ac omnia & singula in eis contenta nos grata, & rata habentes laudamus, ratificamus, & approbamus per præsentes quibus, ut perpetuæ firmitatis robur obtineant, nostrum fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, & in omnibus quolibet alieno. Datum Parisiis mense Novembri anno Domini MCCCCVIII. & regni nostri vigesimo nono. Sic signatæ, per regem delphinum ad relationem consilii, Joannes le Begue: in calce vero dictarum litterarum est scriptum: Collatio facta ad litteras superius insertas per me Joannem le Begue: manu vero prædicti secretarii, qui ipsas litteras signavit, est scriptum in calce earumdem hoc verbum, *Visa*.

Quibus quidem litteris lectis, & publicatis, & per dictum dominum episcopum, dominos de capitulo, & cives supra scriptos auditis, ut dicebant, & bene intellectis ea omnia & singula rata, & grata habentes, & approbantes, pararos se obtulerunt omnia & singula in dictæ communionis, societatis, & pariagii contractu contenta, & in dictis litteris regiis, & delphinalibus descripta pro eorum parte, & prout eos, & ipsorum quemlibet concernit, facere, tenere, & inviolabiliter observare, dictumque contractum in singulis capitulis,

& partibus ejuſdem effectui, & executioni debite demandare. Ad quod faciendum prædictæ partes communi conſenſu in craſtinum hora primæ terminum receperunt. Quem terminum, & horam dictus dominus epiſcopus ſupra dictis de capitulo, & civibus ſupra ſcriptis ad perſonaliter comparendum coram ipſo in dicta domo ſua, & dictum tractatum in quantum eos, & quemlibet eorum concernit adimplendum peremptorie aſſignavit.

Quo craſtino qui fuit quarta dies menſis Martii conſtitutis præfatis domino epiſcopo, & omnibus de capitulo ſupra ſcriptis more capitulantium campana pulſata, vocatis & congregatis omnibus de capitulo ſupra ſcriptis civibus, volens ut dicebat dictus dominus epiſcopus effectualiter adimplere conventa, & concordata prout ſupra, animo transferendi poſſeſſionem medietatis pro indiviſo dictæ civitatis Tricaſtinenſis, & jurium temporalitatis ejuſdem juxta tenorem pactorum & conventionum prædictorum, de conſenſu dictorum de capitulo claves portarum, ſeu portalium omnium dictæ civitatis tradidit dictis dominis commiſſariis, videlicet in manibus domini Siffredi Tolosi recipientis, quas claves ipſi dominus Siffredus, & dominus Ivonus commiſſarii de conſenſu prædicti domini epiſcopi illico tradiderunt vice, & nomine dictorum dominorum epiſcopi, & delphini Jacobo Fabri, & Berengario Bordeti civibus dictæ civitatis tenendas & cuſtodiendas, donec per dictos dominos ſuper ipſarum cuſtodia aliter fuerit ordinatum. Deinde dicti dominus epiſcopus, & commiſſarii communiter, & concorditer omnes & ſingulos officiarios temporales dictæ civitatis Tricaſtinenſis, & aliorum caſtrorum dicti epiſcopatus inferius nominatorum cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, ab eorum officiis ordinaverunt eſſe exoneratos, & ipſos, & quemlibet ipſorum ex tunc in præſentia quorum ſupra exoneraverunt, & depoſuerunt, & dictas exonerationem, & depoſitionem publicari fecerunt ibidem per præconem cujuſlibet officiarii, poteſtatem expreſſe & ſpecifice revocantes; & iis peractis prædicti dominus epiſcopus, & commiſſarii volentes ſingulis officiis providere habito prius inter ſe deliberato conſilio proceſſerunt communiter & concorditer ad proviſionem, & collationem officiorum faciendam ut ſequitur.

Et primo contulerunt officium ballivatus dictorum civitatis & caſtrorum, nomine condominorum prædictorum, nobili viro Hectori de Cailario, licet abſenti, regendum, & gubernandum per eumdem a die præſenti in unum annum dumtaxat ad quadraginta florenos per annum, & ad emolumenta conſueta, videlicet, inventariorum, & æſtimationum tam extra villam, quam intra, & arreſtorum, ſubrogando vice & nomine ejuſdem Hectoris quando ipſum abeſſe contigerit a dicto ballivatu Antonium de la Sudria, alias Malanta; qui Antonius ibidem juravit dictum officium bene, probe, & legaliter exercere, juramentumque dicti Hectoris ballivi dicto domino epiſcopo recipiendum nomine condominorum committentes.

Item. Officium notariatus curiæ temporalis dictorum condominorum in prædictis civitate, & caſtris contulerunt magiſtro Pontio de Buyraco notario publico ſub emolumentis conſuetis, recepto ab eo ſolito juramento de dicto officio bene & legaliter exercere

Item. Inſtituerunt clavarium communiter nominibus dictorum condominorum, & procuratorem ſimul in dicta curia temporali Nicolaum Peaſſi ad decem florenos annuatim pro quo Alziaria Arthelane ejus uxor cavit in forma renuntiando velleyano, & alii juri per quod contravenire poſſet qui ſimiliter juravit in forma debita, & conſueta.

Item. Creaverunt ſervientes dictæ curiæ temporalis Joannem Bruerie & Antonium Gerolatoris, exactis ab eis debitis juramentis.

Item. Æſtimatores extra villam ordinaverunt Pontium Marcherii, & Petrum Laugerii: & intra villam Roſtagnum Alhaudi, & Jacobum Fabri, præſtito ab eis & eorum quolibet ſolito juramento.

Item. Poſuerunt pro bannerius Vincentium Salvagis; Joannem Pellifferii, & Guillelmum Botini receptis ſimiliter ab eis debitis juramentis.

Item. Pro ſcriptore dictorum banneriorum poſuerunt Arnaudum Marini, qui ſimiliter juravit dictum officium probe, & legaliter exercere. Quibus peractis ad inſtantiam, & requiſitionem dictorum dominorum commiſſariorum, præfatus dominus epiſcopus præcepit & injunxit hominibus infra ſcriptis ibidem præſentibus quatenus ſibi, & eccleſiæ ſuæ, & domino delphino in perſonis ipſorum dominorum commiſſariorum communiter homagium faciant, & præſtent fidelitatis ſacramentum: qui quidem homines prædictis præceptis auditis, de ipſis petierunt ſibi fieri publicum inſtrumentum pro eorum exoneratione, paratos ſe offerentes dominus in præmiſſis ipſo domino epiſcopo obedire, ejuſque mandata obſervare juxta contentiam præſentis tractatus; & ibidem, & incontinenti nobiles viri magiſter Pontius de Buiraco notarius, Joannes Artaudus, Petrus Artaudus, Leonardus Artaudus, & Joannes Giraudus, reſervato homagio domini Gardæ nomine Braſtæ Giraude ſororis ſuæ, Nicolaus Peaſſi etiam reſervato homagio dicti domini Gardæ, & Alziariæ ejus uxoris, Joannes Charroni reſervato pariter homagio domini Gardæ nomine ſuo, & Columbetæ ejus uxoris, magiſter Hugo Rodulphi reſervato ſimiliter homagio domini Gardæ, Antonius Berengarii, & Pontius Berengarii, Joannes Michaëlis, Giraudus de S. Laurentio, reſervato homagio domini Gardæ, Guillelmus de Monteclaro, Antonius Culorii, & Joannes de S. Laurentio, Petrus de Viran, reſervato homagio domini Gardæ, & Guillelmus de Manſo S. Flori, & Artauda de Croſo uxor Antonii Manhonis unus poſt alium ſucceſſive dictis domino epiſcopo nomine ſuo, & eccleſiæ ſuæ, ac ſucceſſorum, in eadem ſtipulanti, & recipienti, & dominis commiſſariis ſtipulantibus, & recipientibus vice & nomine dicti domini noſtri regis delphini, & ſucceſſorum in Delphinatu ſtando pedes more, & ritu nobilium, manibus complosſis inter manus dicti domini epiſcopi, & conſequenter dicti domini Siffredi otis oſculo interveniente inter ipſos i. ſignum fœderis, & amoris promiſerunt, & juraverunt eſſe dicto domino epiſcopo eccleſiæ, & ſucceſſoribus ejuſdem, necnon domino noſtro regi delphino, & ſuis ſucceſſoribus condominis dictæ civitatis boni homines, obedientes, & fideles, & deinceps facere ea quæ veri & fideles facere tenentur, & ſervire videlicet incolume, turum, utile, facile, poſſibile & honeſtum, & omnia, & ſingula quæ in capitulis novæ & veteris fidelitatis forma continentur.

Item. Plebeii infra ſcripti, videlicet Gonetus Gauterii, Berengarius Bordeti, Hugo de Larva, Berengarius de Podio, Jacobus Amblardi, Pauletus Michaëlis, Bermundus Marini, Bertrandus Capreoli, Joannes Deſiderii, Guillelmus Pauli, Guillelmus Saderi, Joannes Palliſſerii, Guillelmus Botini, Vincentius Salvagii; Joannes Alene, Stephanus Hugonis, Joannes Malheti, Petrus Laugerii, Pelegrinus Caſtelli, Joannes Bruerie, Joannes Laugerii, Bertrandus Feutrerii, Pontius Marcherii, Petrus Solerti, Antonius Marcherii, Roſtagnus Alhaudi reſervato homagio domini Gardæ, Bertrandus Solerii, Petrus Boteronis, Fulco Barrerii, Guinonus Barraleri, Hugo Charraterii, Iſnardus Valſeri; Antonius Michael, Pontius Dei, Pontius Jacobi, alias Lere, Antonius Feutrerii, Gerentonus Lagerii, Andreas Capreoli, Guillelmus Alberti, Lambertus Barralerii, Joannes Ruſſi, Martinus Chaiſſoni, Pontius Cotellerii, Joannes Blaoni, Franciſcus Pereyroni, Baudoinus Balbi, Stephanus de Alamania, Martinus Valentiæ, Petrus Jacobi, alias le Page, Guillelmus Galafredi, Bernardus Dalmaſſi, Pontius Geneveſii, Stephanus Giraudi, Guillelmus Amblardi, Bertrandus Brici, Petrus la Chaſſa, Guillelmus Michael, Bartholomæus Silvi, Armandus Cotellerii, Hugo Laugerii, Guillelmus Capreoli, Jacobus Lantelmi, Guillelmus Robaneti, Pontius Roynelli, Joannes Gauterii, Gonetus Baneti, Joannes Galberti, Petrus Aimarii, Armandus Silvii;

Antonius Jayerii, Guinnetus Pulchri, Joannes Liareti, Petrus Fabri, Lambertus Pulchri, Guigo Richardi, Lambertus Rechardi, Petrus de Trois, Hugo Marcerii, Amantius de Trois, Joannes Bedoſſii, Joannes Robini, Guillelmus Sperandieu, Guillelmus Bertrandi, Raynaudus Borini, Bertrandus Guitardi, Joannes Guitardi, Pontius Balbi, Petrus Ruffi, Joannes S. Amantii, Joannes Arnulphi, Petrus Bruerie, Petrus de Sabaudia, Antonius Gerolatotis, Bertrandus Pelliſſerii, Petrus Becone, Antonius Chapelli, Joannes Paſchalis, Jordanus Deſiderii, Joannes Boneti, Bertrandus de Laya, reſervato homagio domini de Talard, Bertrandus Pageſii, reſervato homagio domini Petræ latæ, Hugo Alhaudi, Guillelmus Rainaudi, Hugo Rolandi, Petrus Geneveſii, Vincentius Joannis, Lambertus de Montebrando, reſervato homagio domini Grignani, Arnaudus Guſtoni, Joannes Sperandieu, Antonius Bernardi, Jacobus Fabri, Joannes Textoris, Guigo Rioleſii, Guillelmus Bermondi, reſervato homagio domini Gardæ, Guillelmus de la Rua, & Bertrandus Jacobi alias le Page, magiſter David de Scella, Iſaquetus Profait, & Salomon Profach, Judæi. Singulariter ſinguli, & ſigillatim prædictis dominis epiſcopo, & commiſſariis flexis genibus, & pollices dictorum dominorum epiſcopi, & Siffredi ſucceſſive oſculando ſtipulantium, & recipientium prout ſupra promiſerunt, & juraverunt eſſe dicto domino epiſcopo, & eccleſiæ ſuæ ſucceſſoribus, ac regi delphino, ſuiſque ſucceſſoribus in Delphinatu condominis dictæ civitatis boni homines, fideles, & obedientes, eorumque honores, & utilitates totis conatibus procurabunt, & damna pro viribus evitabunt, & cæteta demum facient quæ probi, & fideles ſubditi dominis ſuis facere tenentur: de quibus omnibus, & ſingulis ſupra ſcriptis, & per dictos dominos epiſcopum, & commiſſarios factis, & geſtis petierunt ſibi cuilibet fieri publicum, & publica inſtrumenta per nos notarios infra ſcriptos. Acta fuerunt hæc in civitate Tricaſtina in domo epiſcopali, videlicet, in camera propria domini epiſcopi præſentibus nobilibus viris Joanne de Combreta, alias de Bloqueriis, domino Petro Delphini in legibus licentiato, Nandoneto Aicardi, Deodato Roſſelli, & Antonio de la Sudria, alias Malanra, Joanne Deſmoſnogiis, domino Joanne Rogerii, domino Stephano de Manſo S. Florentii preſbitero teſtibus ad præmiſſa vocatis, ſpecialiter, & rogatis.

Poſt hæc eiſdem anno & die, prædicti domini epiſcopus, & commiſſarii præceperunt Antonio Gerolatoris præconi per eos noviter inſtituto ut ipſe in locis ſolitis dictæ civitatis faciat præconiſationes quæ ſequuntur ex parte dominorum epiſcopi, & regis delphini condominorum temporalitatis dictæ civitatis, videlicet, quod nulla perſona cujuſcumque conditionis exiſtat, audeat, vel præſumat portare arma prohibita infra civitatem, & territorium Tricaſtinum ſub pœna 50. librarum pro quolibet contra faciente, & perditionis arneſiorum. *Item.* Quod nulla perſona cujuſcumque conditionis exiſtat, audeat, vel præſumat immittere, ſeu immitti facere avere, ſeu averia groſſa, vel minuta cauſa depaſcendi in territorio præſentis civitatis Tricaſtinæ ſub pœna 25. librarum pro quolibet contrafaciente. Qui quidem præco iens illico pro mandatis dictorum condominorum exequendis, & paulo poſt rediens retulit prædictis dominis, & nobis notariis infra ſcriptis feciſſe præconiſationes ſupra dictas per modum, & formam eidem impoſitos, videlicet in platea dictæ civitatis vocata *Planum Turrium*, in qua platea omnes præconiſationes fieri conſueverunt. De qua quidem relatione dicti domini epiſcopus, & commiſſarii petierunt fieri publicum inſtrumentum. Conſequenter de conſenſu dicti domini epiſcopi, & præfati domini commiſſarii acceſſerunt perſonaliter ad *portale turris fraſſe*, & ibidem cum clavibus aperuerunt, & clauſerunt januas dicti portalis in ſignum veræ poſſeſſionis nomine delphinali dictæ civitatis adipiſcendæ. De quibus dicti domini commiſſarii petierunt ſibi fieri publicum inſtrumentum præſentibus tam in dicta relatione quam in proxime dictis domino Joanne Rogerii, domino Stephano Rebaneri preſbyteris, & domino Petro Delphini licentiato in legibus teſtibus ad præmiſſa vocatis, & rogatis.

Et ex poſt eiſdem anno & die, prædicti domini epiſcopus, & commiſſarii præceperunt Nicolao Peaſſii clavario, & procuratori noviter ordinato quatenus quam primum fieri poterit, depingi faciat arma domini regis delphini cum croſſa (juxta formam tractatus) per medium in locis publicis dictæ civitatis, & ſimiliter fieri faciat ſigillum commune dictorum condominorum, in quo arma prædicta ſint ſculpta. Poſtremo prædicti domini commiſſarii manualiter, & de facto ſupra ſcriptas litteras regias, & delphinales originales continentes poſuerunt, quas litteras dictus dominus epiſcopus ſigillo authentico regio, & delphinali ſupra deſignato communitas confeſſus fuit ab ipſis dominis commiſſariis habuiſſe, & realiter recepiſſe, & de eiſdem ſe pro contento tenuit, & dominum regem delphinum, & ipſos commiſſarios ſtipulantes, & recipientes nomine delphinali, & ſuorum quictavit, & penitus liberavit cum pacto de ulterius non petendo. De quibus omnibus prædicti domini commiſſarii ſibi fieri petierunt publicum inſtrumentum per nos notarios infra ſcriptos. Quæ acta fuerunt in dicta camera domini epiſcopi præſentibus nobilibus Antonio de la Sudria, alias Malanra, Deodato Roſſelli, &c..

Et Ibidem, & incontinenti præfati domini epiſcopus, & commiſſarii requiſiverunt dominos de capitulo, mandato domini epiſcopi ad ſonum campanæ congregatos, quatenus eidem & dicto domino delphino homagium debitum præſtent pro caſtro de Solorino quod ipſi antea tenebant in feudum ab eccleſia prædicta, & fidelitatis ſacramentum præſtent eiſdem ſicut hactenus præſtiterunt epiſcopo, & eccleſiæ Tricaſtinenſi, & alia faciant ad quæ tenentur pro loco, & caſtro prædicto. Qui quidem de capitulo concorditer reſponderunt quod ad præſens non ſunt bene deliberati de modo dicti homagii, vel fidelitatis præſtandæ; & ideo petierunt eiſdem congruum terminum dari ad ea facienda ad quæ tenentur, & facere debent condominis prædictis virtute communionis prædictæ, promittentes, & juratentes ipſis, & eorum cuilibet in & pro prædictis ſtare cognitioni, & ordinationi dominorum epiſcopi, & gubernatoris Delphinatus, ac venerandi conſilii delphinalis. Et dicti domini epiſcopus, & commiſſarii præmiſſis auditis aſſignaverunt eiſdem de capitulo ad dictum homagium, & fidelitatis ſacramentum præſtandum terminum unius anni a die præſenti computandum, & interim quandocumque. De quibus ſimiliter prædicti domini petierunt ſibi fieri publicum inſtrumentum, quæ acta fuerunt ut ſupra, &c....

Succeſſive anno quo ſupra, & die Martis quæ fuit quinta Martii, prædicti domini commiſſarii una cum Stephano de Manſo S. Florentii preſbytero per dictum dominum epiſcopum ad infra ſcripta ſpecialiter deputato, acceſſerunt ad locum S. Reſtituti, ibique per traditionem clavium portalium dicti loci eiſdem commiſſariis factam per dictum dominum Stephanum aperiendo cum dictis clavibus, & demum claudendo, & iterum reaperiendo, poſſeſſionem dicti caſtri, ſeu villæ nomine delphinali acceperunt. Et inde vocatis hominibus dicti loci præconia voce, & ipſis comparentibus homagia, & fidelitates eorum cujuſlibet, videlicet unius poſt alium receperunt. Et primo nobilium infra ſcriptorum, ſcilicet, Petri Sicardi, Nicolai de Grilhone, reſervato homagio hoſpitalis S. Joannis, Arnaudi Jordani, Perrini Bajuli, Giraudi Jordani, Guillelmi Bajuli, Huguetæ Giraudæ uxoris Nicolai de Grilbone, qui omnes ſigillatim, & ſingulariter prædictis dominis commiſſariis condominorum ſtipulantibus, & recipientibus vice & nomine ipſorum condominorum, & ſuorum ſucceſſorum, promiſerunt, & juraverunt eſſe fideles, & probi homines dictorum condominorum, & omnia pro ipſis condominis facere, & adimplere quæ in nova,

& veteri forma fidelitatis continentur junctis manibus inter manus dictorum dominorum commissariorum stantes pedes; & oris osculo interveniente prout de more nobiles facere consueverunt. Populares infra scripti, videlicet Joannes la Sanha, Pontius Michaël, Petrus Garcerii, Stephanus Garcerii, Guillelmus Monnerii, Joannes Brudoyre, Guillelmus Payani, Petrus Ruffi, Fulco Donadei, Petrus Payani, Guillelmus Donadei, Joannes Ruffi, Berengarius Ruffi, Petrus Garcerii junior, Petrus Chaberti, Petrus Roney, Arnaudus Payani, Petrus Bovis, Petrus Payani, Durandus Payani, Jordanus Payani, Petrus Boneti, Joannes Arnaudi, Antonius Bovis, Antonius Payani, Guillelmus Bovis, Antonius Payani, Monetus Payani, Petrus Arnaudi, Guillelmus Payani junior, Bertrandus Donadei, Guillelmus Valentini, Petrus Solerii, Joannes Boneti, Joannes Payani, & Petrus Ruffi, singulariter singuli, & sigillatim prædictis dominis commissariis flexis genibus, & pollicibus dictorum dominorum commissariorum osculatis promiserunt, & juraverunt dictis dominis commissariis stipulantibus, & recipientibus, prout supra, quod ipsi, & eorum quilibet erunt boni, probi, fideles, & obedientes dictis condominis, eorumque bona, jura, & utilitates amodo, ut in antea procurabunt, & eorum damna suis viribus evitabunt, & alia facient quæ veri & probi homines facere tenentur. Et ibidem, & incontinenti dicti domini commissarii creaverunt bajulum dicti loci Nicolaum de Grilhone, & Petrum Arnaudum fecerunt servientem, & bannerium loci ejusdem: qui Nicolaus, & Petrus juraverunt ad sancta Dei evangelia suum officium bene, probe, & legaliter exercere, subditosque non opprimere. De quibus omnibus dicti commissarii petierunt sibi fieri publicum instrumentum per nos notarios publicos infra scriptos. Acta fuerunt hæc in domo episcopali dicti loci sancti Restituti, præsentibus nobilibus viris Joanne de Broqueriis, Lanceloto de Montedracone, & Annæo de Boisseto, ac domino Malerto Blanchoni presbytero dicti loci, testibus ad præmissa vocatis, & rogatis.

Item. Eodem anno, & die quinta mensis Martii prædicti domini commissarii utriusque partis accesserunt ad locum de Camareto, & ibidem in locis consuetis fieri fecerunt præconisationes quales factæ fuerunt in civitate Tricastina, & hoc per Antonium Gerolatoris præconem publicum de Camareto in signum actualis, seu realis possessionis condominorum prædictorum, & ab hominibus infra scriptis, videlicet a Rostagno Garnerii, Petro Dalbon, Umberto la Motta, Rostagno Bricii, Philipono Laurentii, & Petro Ortolani habitatoribus dicti loci nomine condominorum prædictorum, homagium, & fidelitatis sacramentum receperunt, qui homines juraverunt, & promiserunt dictis dominis commissariis stipulantibus, & recipientibus, prout supra, in omnibus, & per omnia facere quemadmodum populares, & plebeii sancti Restituti. De quibus omnibus præfati domini commissarii ad opus, & utilitatem dictorum condominorum petierunt sibi fieri unum, & plura, & tot quot fuerint necessaria publica instrumenta per nos notarios infra scriptos. Acta fuerunt hæc in loco Camareti in hospitio Rostagni Bricii, præsentibus nobilibus Joanne de Broqueriis, Lanceloto de Montedracone, Petro de Lacu, & Antonio Gerolatoris, testibus ad præmissa vocatis, specialiter, & rogatis; & me Guillelmo Chalveti clerico de Saornono diœcesis Vapincensis publico, imperiali & delphinali auctoritatibus notario D. nostri delphini secretario, qui præmissis omnibus & singulis, cum sic, ut præmissum est, per prænominatos dominum episcopum & commissarios fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus, & magistro Jacobo de Buyraco clerico notario, & dicti domini episcopi secretario; qui ambo de prædictis omnibus & singulis notam recepimus, præsens adfui, de qua hoc instrumentum publicum in tribus pergameni pellibus simul ligatis, per alienam manum fidelem scriptorem tamen scribi fecimus, aliis arduis negotiis occupati. Et facta prius collatione de dicta nota cum originali, hic manu mea propria me subscripsi, & signo meo solito signavi in robur & testimonium omnium, & singulorum præmissorum, & me Jacobo de Buyraco clerico notario Tricastinensi auctoritate imperiali publico, & ejusdem in Christo patris & Dom. D. Deodati episcopi Tricast. secretario, qui in præmissis omnibus & singulis dum sic, ut præmittitur, inter supranominatos dominos episcopum, & commissarios, & alios supra descriptos fierent & agerentur, præsens adfui, una cum supra nominatis testibus, ac etiam mag. Guillelmo Chalveti clerico notario de Saornono diœcesis Vapincensi. publico imperiali & delphinali auctoritatibus, & domini nostri delphini secretario, qui ambo de præmissis notam recepimus; & per omnia & singula sic fieri vidi & audivi. De qua nota hoc instrumentum publicum, in tribus pergameni pellibus simul junctis & ligatis per alienam manum, fidelem tamen scriptorem, & substitutum meum juratum scribi fecimus, aliis arduis negotiis occupati. Deinde prius facta debita collatione de dicta nota cum originali, hic me subscripsi manu mea propria, bullaque plumbea Tricastinensi bullari feci, & signo meo solito signavi, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM TOLONENSEM SPECTANTIA.

I.

Donum Rossolini de Fossis ultra VII. libras annuas ab avo suo legatas, dantis octo alias libras.

1310. Ex tab. Thesaurar.

FRarer Jacobus Dei gratia episcopus Tolonensis, universis & singulis prioribus, vicariis, & capellanis, curatis, & aliis ecclesiarum rectoribus per civitatem & diœcesim Tolonensem constitutis. Perferimus ad notitiam vestram, quod nobilis & potens vir dominus Rossolinus de Fossis, miles, dominus de Borme, ultra illas septem libras quas avus [a] suus pro anima sua in synodo castri de Areis annuatim legavit, pro salubri statu animæ suæ, & parentum suorum, octo libras reforciatas singulis annis perpetuo expendendas reliquit, & fieri ordinavit per illos qui synodum tenent, & tenere consueverunt in domo nostra episcopali, prout prædictæ libræ avi sui consueverunt distribui & exolvi. Datum Areis IX. Martii MCCCXXX.

[a] In alus litteris anni MCCCXXXI. docet avum suum fuisse Guillelmum de Fossis sepultum juxta ecclesiam Templariorum de Areis cum parentibus suis. Ibidem meminit Rogeri de Fossis filii Dulcelinæ, & Gantelmæ ejus uxoris humatæ in ecclesia Minorum.

II.

Fundatio parthenonis sancti Petri de Almanarra.

HONORIUS episcopus servus servorum, dilectis in Christo abbatissæ & conventui S. Pontii Cistercienſis ordinis salutem & apostolicam benedictionem. Ea quæ per legatos sedis apostolicæ provide ordinantur, nostro expedit munimine roborari, ne ulli subjaceant quæstioni cum firmamento stabilita fuerint. Eapropter dilectæ in Christo filiæ, vestris justis supplicationibus grato concurrentes assensu, ordinationem vel trans-

Ex authentico affirmato in archivo Villæ Massiliensis, ex armario exteriore Ecclesiæ Tolonensis, videlicet Sancti Petri de Genarnoo.

lationem potius, quam venerabilis frater noſter Con- A
* Conradus. rad. *Portuenſis epiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus in monaſterio S. Gervaſii de Foſſ. prout in ipſius litteris perſpeximus.... provide facta eſt, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei ejuſdem.... litterarum ipſarum de verbo ad verbum preſentibus duximus inſerendum qui eſt talis. C. miſeratione divina Portuenſis, & ſanctæ Ruffinæ epiſcopus ... univerſis ſanctæ matris eccleſiæ filiis tam præſentibus quam futuris, ſalutem in Chriſto Jeſu. Rerum geſtarum ſerie ideo ſcriptorum tenore munimine.... a memoriæ radicibus avulſa, notitiam poſteritati evitet, danſque locum cavillationibus & impoſturis liberiorem ea quæ ſalubriter tempora... machinatione fraudulosa ſuccedentium nequiter irritare contendat. Hinc eſt quod volentes cauere caſibus occur- B
rere, ad notitiam veſtram duximus.... nos cum adhuc legationis officio fungeremur infra ſcriptam poteſtatem a ſanctiſſimo patre noſtro ſummo pontifice Honorio recepiſſe in hæc verba. Honorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri C. epiſcopo Portuenſi apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum in terra legationis tuæ multi ſint, ſicut accepimus, ſolo.... lares per quorum perverſitatem eccleſiæ, in quibus conſiſtunt fere in ſpiritualibus & temporalibus ſunt collapſæ, collocandi eſt in aliis locis ad penitentiam.... ac ordinandi eaſdem eccleſias de perſonis regularibus ſeu etiam ſecularibus, prout pen- C
ſatis locorum & temporum circunſtantiis.... expedire; liberam tibi concedimus, auctoritate præſentium, poteſtatem. Datum Viterbii idus Decembris pon-
* Lucij tificatus noſtri anno quarto*. Ad decorem igitur domus Domini volentes pro modulo noſtro plantanda plantare, & ſecundum poteſtatem præſcriptam extirpanda extirpare; attendentes monaſterium ſancti Gervaſii de Foſſ. Arelatenſis dioceſis, & membra ipſius ob culpam abbatis, & monachorum quondam dicti monaſterii ita eſſe collapſa, quod vix adjicient ut reſurgant. Conſiderantes etiam diligenter, quod vix vel nunquam pro jure illius profeſſionis poſſet dictum monaſterium reparari, & membra, cum propter lapſum ipſorum & vitam abhominabilem ſint populo in deriſum, & ab eiſdem contemptibiles habeantur, excluſis penitus, & perpetuo abbate & monachis quondam dicti monaſterii, & in aliis locis ad penitentiam peragendam collocandis, in eccleſia ſancti Petri de Almanarra Tholoſani * D
* Tolosa- dioceſis monaſterium monialium Ciſtercienſis ordinis duximus conſtruendum, quod monaſterium volumus & mandamus ſubeſſe omnino monaſterio ſancti Pontii Maſſilienſis dioceſis, in quo, ut dicitur, magna viget religio, & ibidem monialibus commorantibus laudabile teſtimonium a pluribus perhibetur. Ad proviſionem autem monialium in monaſterio S. Petri de Almanarra commorantium, aſſignamus quidquid juris habebat vel habere debebat monaſterium quondam ſancti Gervaſii in epiſcopatibus Tolonenſi & Forojulienſi, vel aliis locis, excepto quod archidiaconatus Arelatenſis, & excepta eccleſia ſanctæ Cæciliæ juxta Caſtrum-novum, quam menſæ canonicorum Arelatenſium aſſignavimus, & exceptis eccleſiis ſancti Vincentii de Jons Maſſilienſis dioceſis, & ſanctæ Mariæ de Cupreſſo Aquenſis dioceſis, quas dicto Monaſterio S. Pontii in perpetuum aſſignamus. Verum quia ad quælibet loca noſtræ legationis perſonaliter accedere non valemus, volentes nihilhominus partiri onera noſtra inter fratres venerabiles, fratres B. Magalonenſem epiſcopum & F. epiſcopum Toloſanum ad monaſterium S. Petri de Almanarra duximus deſtinandos, committentes diſcretioni eorumdem, de qua plane confidimus, quod ſi quid circa proviſionem dictarum monialium augmentando vel diminuendo duxerint innovandum, noſtra freti autoritate, libere & ſine ulla contradictione qualibet valeant immutare ac ordinare. Datum Biterris XI. kalendas Martii. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani VII. idus Junii pontificatus noſtri anno quinto.

III.

Bulla Innocentii IV. qua abbatiam S. Petri de Almanarra ſub protectione S. Petri & ſua ſuſcipit.

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto abbatiſſæ S. Petri de Almanarra, ordinis Ciſtercienſis, ejuſque ſororibus, tam præſentibus quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus amplum convenit adeſſe præſidium &c. Ea propter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus annuimus, & monaſterium S. Virginis Mariæ, & S. Petri de Almanarra, Tolonenſis diœceſis, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Imprimis ſtatuentes, ne ordo monaſticus qui ſecundum B. Benedicti regulam atque inſtitutionem Ciſtercienſium fratrum a nobis poſt concilium generale ſuſceptam, in eodem monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem monaſterium poſſidet &c. firma vobis & eis quæ vobis ſucceſſerint, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; locum ipſum in quo præfatum monaſterium eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, decimas, domos, hortos, terras, vineas, poſſeſſiones, ſalinas, & reddi- C
tus quos habetis in caſtro de Areis, & territoriis caſtrorum quæ Pennulum, Roketa, Ayronis, & Brunetæ vocantur, terras, poſſeſſiones, & reddit⁹ quos habetis in caſtro quod dicitur Draginiani, in caſtro de Reveſt, & de Framguet, &c. Liceat vobis perſonas liberas & abſoluras, ex ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus ut nulli ſororum veſtrarum poſt factam in monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit ſine abbatiſſæ licentia ſecedere, &c. Inſuper authoritate apoſtolica inhibemus, ne ullus epiſcopus, quælibet alia perſona ad ſynodos vel conventus forenſes venire, vel judicio ſæculari de veſtra propria ſubſtantia & poſſeſſionibus veſtris ſubjacere compellat; nec ad domos veſtras cauſa ordines celebrandi, cauſas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi venire præſumat. Nec regularem electionem abbatiſſæ veſtræ impediat, aut de inſtituenda vel removenda ea quæ pro tempore fuerit, contra ſtatuta Ciſtercienſis ordinis ſe aliquatenus intromittat. Pro conſecrationibus vero altarium vel eccleſiarum, ſive pro oleo ſancto, vel quolibet eccleſiaſtico ſacramento, alio modo quicquam audeat extorquere. Sed hæc omnia gratis vobis epiſcopus diœceſanus impendat. Decernimus ergo ut nulli omnino liceat præfatum monaſterium perturbare, &c. Ego Innocentius catholicæ eccleſiæ epiſcopus. Ego Vilelmus Sabinenſis epiſcopus. Ego Petrus S. Marcelli preſbyter cardinalis. Ego Vilelmus baſilicæ duodecim apoſtolorum preſbyter cardinalis. Datum Lugduni per manum Marini ſanctæ Romæ eccleſiæ vice-cancellarii anno incarnationis MCCL. pontificatus Innocentii ſeptimo.

1250. *Ex regiſtro pergameno.*

IV.

Bulla Benedicti XII. pro unione eccleſiæ parochialis ſancti Stephani de Ponte, cum parthenone S. Petri de Almanarra.

BENEDICTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio præpoſito monaſterii Piniacenſis, ordinis ſancti Auguſtini, ſalutem. Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectarum in Chriſto filiarum abbatiſſæ & conventus monaſterii ſancti Petri de Almanarra petitio continebat, quod monaſterium prædictum, quod dudum erat

situm juxta litus maris prope castrum Arearum &c. A propter guerras quæ diutius in provincia Provinciæ, proh dolor, viguerunt, destructum fuit penitus & omnino; propter quod abbatissa & conventus prædicti cum bonis suis quæ potuerunt, se in dicto castro retraxerunt, & ibi ecclesiam cœperunt construere ecclesiam cum dormitorio, opere multum sumptuoso; ad cujus operis consummationem redditus dicti monasterii, qui adeo nunc tenues & exiles existunt, quod ex eis abbatissa & conventus prædictæ commode sustentari non possunt, minime sufficere dignoscuntur. Quare pro parte dictorum abbatissæ & conventus nobis extitit humiliter supplicatum, ut ruralem ecclesiam sive curam sancti Stephani de Ponte dictæ diœcesis, sitam in territorio dicti castri, cujus fructus, redditus, & proventus illam pro tempore obtinenti, & in ea residenti ultra decem francos auri non valeant annuatim. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuæ mandamus, quatenus de præmissis te informes; & si repereris vera, dictam ecclesiam S. Stephani cum omnibus juribus eidem abbatissæ & conventui auctoritate apostolica in perpetuum incorpores & annectas. Datum Saonæ II. cal. Martii pontif. XII.

Hæc bulla fuit executioni mandata per Galterium Berandi Piniacensem præpositum anno 1406. Ludovico II. rege Siciliæ & comite Provinciæ confirmante.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM ARAUSICANAM SPECTANTIA.

I.

Electio Poncii episcopi Arausicani.

914. IN nomine Domini summi, qui unus individua gloria & Trinitate. Amen. Principium & finis Deus ante sæcula, homo in finem sæculorum, cujus utique annus incarnationis DCCCCXIV. volvitur, sub indictione IV.* qui humana divinis conformans, & divinis sequaces C discipulos catechisans, *sine me*, inquit, *nihil potestis facere*, quorum unus privilegio potentiæ sententiarii ejus interius concalescente intra se corde inflammatus dixit; *omnia quæcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in gloria Dei facite.* In hujus & pro hujus solerter explendis mysteriis stantes Auraicensis ecclesiæ filii, clerus & populus alterutrum pari meditatu, & uno consensu consentientes, consuluerunt sibi, ut quandoquidem pastor ipsius ecclesiæ pro fragilitate corporis sui regimen ecclesiæ non poterat tenere, nec curam pastoralem habere, idemque inter se tactu contabescebat, prospicerent idoneum quem suæ sedi subrogarent antistitem, qui sanctæ ecclesiæ præesset, ut clerus & populus, qui de amisso pastore contristabantur, de ipsius consolatione lætificarentur. Quapropter deficiente metropolitano Arelatensi, consensu Augustalium principum, & regis nostri Conradi, necnon & Bosonis comitis, & episcorum comprovincialium, comprovincialisque ecclesiæ Arelatensis agresti magnificentiam, per eorum consultum seu concessionis animum obtinuerunt. Eorum igitur communi adminiculo imperialem adierunt præsentiam, proclamantes misericorditer subveniendum, lacrymabili singultu id ipsum ingeminantes. Commotus igitur Cæsar Conradus rex, immo suadente Bozone comite, obsecrantibus etiam præfatis principibus, annuit illis imperiali licentia providere quem vellent substituendum pontificem. Hac serenitatis clementia opitulante Domino, qui cor regis quocumque vult dirigit, auribus præcepta cum maxima meditatione volverentur, nullumque melius quam Ponsionem sacerdotem sanctæ Auraicensis cathedræ inthronisare consuluerunt; qui utique ejusdem pagi genetarus, & prædiorum amœnitate ut errimus, & omni probitate conspicuus prodesse spiritali administratione, & præesse sæculari valeret regimini, ab ipsius pueritia moribus nutritus catholicæ ecclesiæ, & eidem tirocinius indefesse exercitatus; spe futura ac si jam præsentis complectens fide qua justus vivit, æterna augmentans charitate, ita solidatus, ut altitudinem, longitudinem, sublime & profundum ..... nihilominus dispensare sufficiat. Et hoc moribus & dilectionis confirmabat documentis, ut quidquid pater, quidquid sacri in divinis sermonibus, servaret in effectibus. Hi denique unanimi cælitus illis dato consilio, per consultum ad Ebraum, qui fuit dictæ ipsius ecclesiæ episcopus, sed fragilis corpore curam ecclesiæ non poterat providere. Ipse autem per baculum suum quem benedicendo accepit, omnem curam pastoralem & omnem honorem sui ordinis illi deposuit. De præfato Ponsione sacerdote in divina, ut vidimus, suggestione relevati & consolati, unanimes ejus electionem conclamaverunt sacram & auctorisabilem, istam cum pari voto, communi consensu scriptionem fieri jusserunt. Tum demum in ecclesia B. Florentii convenientes .... laudibus missarum rite per omnia celebrantes solemniter, laudes insuper debitas creatori omnipotenti persolventes, Cæsarique mercedis gratiam impendentes, eundem Ponsionem sacerdotem inter eos elegerunt pontificatus officio fore dignum, conclamantes, manusque ad cælum levantes voce concinerunt dicentes *Te Deum*. Ut autem electionis ejus ritulus sacram inconcussso vigore obineat firmitatem, prælibati episcopi manu propria firmaverunt fidelibusque sanctæ ecclesiæ Dei roborandum sanxerunt. In nomine Domini æterni Fulcherius sanctæ Avenionensis sedis humilis episcopus legit & subscripsit manu sua. Teudicus episcopus ... humilis firmavit. Theubaldus episcopus firmavit. Guitardus presbyter conclamavit. Gebricus presbyter elegit. Eldinus presbyter conclamavit. Pontius presbyter elegit. Leuto presbyter conclamavit. Florentius presbyter conclamavit. Silvester presbyter conclamavit. Arnulfus presbyter conclamavit.

Ebraum, qui fuit dictæ ipsius ecclesiæ episcopus, sed D

II.

Electio Berengarii Arausicensis episcopi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod Auraicenses clerici præsentiam domini papæ Paschalis humiliter adierunt, & ut ecclesiam Auraicensem a conjunctione Tricastinæ, cui pro necessitate temporum fuerat conjuncta, liberaret; & cessante tandem necessitate, & gratia divina superveniente, eis proprium episcopum donaret, cum rogaverunt. Quorum precibus dominus papa Paschalis motus, Richardo Albanensi episcopo, atque suo vicario præcepit, quatenus, quando conventum episcoporum apud Pontem de Sorga haberet, Arelatensem metropolitam cum suis suffraganeis; & Vivariensem episcopum de hac re consuleret; & quicquid ipsi de hac re laudarent, ipse faceret. Secundum igitur domini papæ præceptum, atque metropolitani Arelatensis, & suorum suffraganeorum Vivariensisque episcopi consilium, prædictus Albanensis episcopus Auraicensis ecclesiæ causam definivit, & Auraicensibus clericis eligendi proprii episcopi libertatem tradidit. Hac itaque auctoritate suffulti, & canonica ratione muniti elegerunt Berengarium virum scientia, moribus, genere, & ætatis satis ornatum, S. Ruffi canonicum, in præsentia Albanensis episcopi & Gibelini E

Arelatensis archiepiscopi, & Leodegarii Vivariensis episcopi, & Leberti abbatis S. Rufi, omniumque episcoporum & clericorum, & laicorum qui ibidem aderant, assentiente Geraldo Adhemario Auraicæ principe, cum totius populi Auraicensis concione. Ego Richardus Albanensis episcopus signavi. Ego Gibelinus Arelatensis archiepiscopus signavi. Aubertus Avenionensis episcopus laudavi. Lebertus abbas S. Rufi laudavi.

III.

Bulla Paschalis papæ II. separationem episcopatus Arausicensis a Tricastino approbantis, ejusque fines usurpari prohibentis.

1114. *Ex Privilegio qui Landat hist. P. de Revel.*

. . . . . Arausicæ si quidem civitatis populus aliquando ita exaltatus est, ut illius civitatis nomen vulgaribus passim carminibus celebretur; aliquando ita depressus, ut ejus ecclesia, civitatis alterius ecclesiæ vel subdita sit vel unita; rursus per celestis sapientiæ dispositionem, nostris, vel majorum nostrorum temporibus eidem civitati & ecclesiæ tantus est populus restitutus, ut ecclesia eadem archiepiscopi Arelatensis instantia, proprium & cardinalem receperit sacerdotem, juxta quod de diœcesi, quæ aliquando episcopum habuit, in Affricano est concilio constitutum, ut si multiplicatus populus desideraverit habere proprium rectorem, ejus videlicet voluntate in cujus potestate est diœcesis constituta, habeat proprium episcopum. Quia igitur duo episcopi* nostræ memoriæ temporibus in Auraiæ civitatis cathedra subditi sunt, nos petitioni tuæ ac devotioni multiplicis populi, charissime frater annuimus, & Calcedonensis concilii capitulum sequentes, præsentis decreti authoritate sancimus, ut civiles dispositiones Arausicæ urbis, & publicos ecclesiasticorum quoque parochiarum ordines subsequantur. Itaque tam tibi quam legitimis successoribus tuis integritatem parochiæ Auraiensis ita plane confirmamus, sicut antiquitus eam Auraiensi ecclesiæ manisse cognoscitur, nec Tricastino, vel alicui deinceps episcopo liceat parochiæ ipsius fines, vel cætera ad præfatam ecclesiam pertinentia invadere, vel qualibet machinatione subtrahere; sed omnia vobis & clericis in eadem ecclesia militantibus quieta & integra conserventur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica quælibet, secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, & in extremo examine, districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. † Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Laterani per manum Joannis sanctæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii, XV. cal. Novembris, indictione V[a]. incarnationis Dominicæ anno MCXIII. pontificatus autem domini Paschalis II. papæ anno XIV. *Cum sigillo domini papæ.*

Postulatione.

* Guillelmus & Berengarius.

a VI.

IV.

Charta Idelphonsi comitis Tolosani pro Berengario episcopo Arausicano.

1116. IN nomine Domini, ego Idelfonsus comes Tholosanus & marchio Provinciæ, volo & præsentium & futurorum tradere memoriæ, qualiter Berengarius Auraicensis episcopus requisivit a nobis, assensu Thiburgæ filii Raimbaldi, quasdam justitias ecclesiæ suæ & possessiones, quas ipse ante guerram & præfatæ ecclesiæ destructionem tenuerat, videlicet claustrum cum adjacenti palude, & condamina de Besantiam, quam comitissa mater Raimbaldi dedit B. Florentio, & domum episcopalem, antiquum scilicet palatium, quod est ante januas matricis ecclesiæ beatæ Mariæ. Tunc nos, quia res erat nobis incerta, causam distulimus, & apud Pontem de Sorga placitum ei dedimus, ubi ante præsentiam nostram & baronum nostrorum, instrumentis cartarum & productione testium, Rostagni videlicet, Milonis, & Gaufridi abbatis sancti Florentii, & Petri de Ventoiriolo, & Pontii Launardi, & Gaufredi presbyteri, & Petri de Villaiga, & Petri Gundulfi, & Rostagni Geboini, & Rainoardi, ostendit quod Petrus Arnulfus & Barnoinus, & Petrus Rostagni de Clareto & Mala-partida filius Udalrici episcopi recognoverunt, & attestati sunt, quod Udalricus episcopus Arausicensis tenuit claustrum cum palude adjacenti, & habebat ibi furnum, tabernas, justitias, cum aliis consuetudinibus & dominicaturis. Et post recognitionem fecerunt ei hominium, & acceperunt de manu ejus feudum quo ei habebant. Ostendit etiam testamentum præfatæ comitissæ Raimbaldi matris, multis testibus corroboratum, in quo continebatur de dimissione episcopalis domus, quam ipsa abstulerat mortuo Udalrico episcopo, & de donatione condaminæ, quam prænominata Atalaix comitissa assensu Raimbaldi filii sui donavit B. Florentio. De palatio autem antiquo, quod vocatur domus episcopalis ante januas B. Mariæ, ostendit quod quamdam partem recuperavit Guillelmus episcopus prædecessor illius de Guigone Bovero, & quamdam idem jam dictus Berengarius episcopus de Guillelmo Rainoardi, & fratre ejus Raimundo, & Petro Carbaldo. Nos vero his testibus & instrumentis prænominatam ecclesiæ justitiam luce clarius cognoscentes, hoc præceptum fieri decrevimus, per quod statuentes reddimus, & quicquid in his juris aliquo modo habemus, perpetim donamus dominæ ecclesiæ B. Mariæ & B. Florentii, & tibi Berengari episcope Auraicensis, & successoribus tuis, videlicet claustrum & cimiterium B. Florentii, cum adjacenti palude, & cum omnibus suis pertinentiis, & condamina, & palatium antiquum, quod Domus nominatur. Integraliter hæc superius nominata reddimus & donamus tibi libere, & sine omni retencione ad habendum & tenendum, & tam tu quam successores tui, sicut de rebus aliis prædictæ ecclesiæ, absque nostra vel alicujus contradictione, fraude, occasione, remotione liberam, de his in omnibus potestatem habeatis. Præterea te & ecclesiam tuam speciali dilectionis prærogativa sub nostræ protectionis defensione suscipimus, & possessiones quas nunc habet, vel in futurum, Deo largiente, habitura est, ei conservare studebimus, & ad recuperandum ablatas fideliter adjuvabimus. Id quoque statuimus, ut domus episcopalis & canonica B. Mariæ & B. Genesii, & abbatiæ liberæ sint ab omnibus temerariis vexationibus, & ospicius scilicet, & ceteris exactionibus. Justitias vero clericorum tuorum omnino tibi dimittimus. Ut autem hæc nostræ auctoritatis redditio, sive donatio firmitatem habeat, hanc cartam laudantes confirmamus, & annuli nostri sigillo muniri decernimus. Ego Idelfonsus comes & marchio laudando confirmo. Signum Raimundi de Bariac, Riperti de Caderossa, Rostagni Milonis, Petri Guillelmi de Mornatio. Signum Gaufredi abbatis, Gaufredi presbyteri, Petri de Ventoiriolo, & Pontii Launardi, Petri de Villaiga, Simonis, Geraldi, Raymundi, Arnaudi, atque Arnaudi, Petri Gundulfi, Guillelmi de Cedro. Facta hæc scriptura anno ab incarnatione Domini MCXXVI. Lautharii regno regis secundo, VI. idus Septembris, Auraicæ per manum Arnaldi diaconi.

V.

Bulla Innocentii papæ II. qua Guillelmo Arausicano episcopo confirmat omnes possessiones.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guillelmo Auraicensi episcopo, ejusque successoribus canonice promoventibus*. In beati Petri

1139.

*Promovendis.

cathedra diſponente Domino conſtituti, fratres noſtros epiſcopos debemus diligere, & loca eis commiſſa apoſtolicæ ſedis munimine confovere. Quamobrem, venerabilis frater Guillelme epiſcope, tuis poſtulationibus impartimur aſſenſum, & eccleſiam Auraicenſem, cui, Deo authore, præſides, præſentis ſcripti pagina communivimus; ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem eccleſia in præſenti anno juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis, operante Domino, poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Eccleſiam ſcilicet ſancti Florentii, cum cimeterio & villa quæ Clauſtrum nominatur, infra ipſum cimeterium conſtituta, cum palude, condamina quam comitiſſa Auraicenſis, aſſenſu filii ſui Raimbaldi, beato Florentio contulit, cum decimis & cæteris poſſeſſionibus ſuis; eccleſiam beati Eutropii, cum decimis totius territorii de Cadaroſſa, & poſſeſſionibus ſuis; eccleſiam ſancti Petri cum decimis & poſſeſſionibus ſuis; eccleſias de Monte draconis, de Sagarris, de Jocondaris, cum decimis & poſſeſſionibus ſuis, de Mornatio, de Serignano, de Grapontis, de ſancto Juliano, de Derbucio, de Guardi, de Travallano, de Camareto, de Vellaiga, de Vacquayraſſio, de Albuna, de Durbano, & Balmis, de Albagnano, de Jonquetis, cum decimis & poſſeſſionibus ſuis, & decimis de Sarriano, & de Podio-d'Icardo, de ſancto Privato, de Cauſanis, de Gauſianis & de Aſelano, & eccleſiam ſancti Geneſii, cum appenditiis ſuis, & cætera omnia quæ venerabilium fratrum noſtrorum prædeceſſorum tuorum epiſcoporum fraternitas de occupantium manibus eripuit. Ea etiam omnia quæ per vos vel per feudales veſtros præfata eccleſia poſſidere videtur, vobis nihilominus confirmamus; ad exemplum quoque prædeceſſoris noſtri beatæ memoriæ papæ Calixti apoſtolica authoritate ſancimus, ut in præfata Auraſicenſi eccleſia perpetuis futuris temporibus epiſcopalis ſedes abſque Tricaſtini epiſcopi, vel cujuſlibet alterius contradictione conſiſtat; ſimiliter idem locus propriam parochiam epiſcopalem obtineat, in qua tu, vel ſucceſſores tui clericos ordinandi, eccleſias & oratoria conſecrandi, & alia quæ ad epiſcopale officium pertinent miniſtrandi facultatem liberam habeatis. Terminos ſane Auraſicenſis parochiæ, quos ex præcepto ejuſdem prædeceſſoris noſtri, in præſentia Attonis quondam Arelatenſis archiepiſcopi, & ſuffraganeorum ejus, per aſſertiones teſtium & inſtrumenta cartarum a prædeceſſore tuo bonæ recordationis Berengario epiſcopo conſtat eſſe probatos, & Romæ aſſiſtente Pontio Tricaſtino epiſcopo per eumdem Romanum pontificem, indagatis utrinque diligenter rationibus, in præſentia epiſcoporum & cardinalium collaudatis, prædictæ Auraſicenſi eccleſiæ quiete & ſine aliqua infeſtatione habendos, poſſidendoſque firmamus; videlicet a ponte Abolena, per ſtratam regalem, quæ vadit inter duos montes uſque ad Diganum, & a prædicto ponte ſicut aſcendit aqua de Lez verſus meridiem, & uſque ad fines Vaſenſis epiſcopatus. Porro debitam portionem decimarum & cunctarum oblationum, quæ pro vivis & pro defunctis, eccleſiis offeruntur, ſanctorum canonum inſtituta diſtinguantur; ideoque venerabilis frater epiſcope, quartam partem decimarum ad te pertinentium; tibi ab aliquo uſurpari prohibemus. Simili modo ſtatuimus, ne aliquis detenſiones eccleſiæ non ad ſe pertinentes, ſuis uſibus indebite vindicare præſumat. Nulli ergo hominum fas ſit, præfatam Arauſicenſem eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu cujuſlibet moleſtiis fatigare; ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſubſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Si quis igitur in futurum hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonitus, niſi congrue ſatisfecerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio de perpetrata iniquitate cognoſcat exiſtere, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco quæ ſua ſunt ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum ſuæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Ego Innocentius catholicæ eccleſiæ epiſcopus ff. Ego Angelus preſbyter cardinalis titulo ſancti Laurentii. Ego Litafredus preſbiter ff. Ego Lucas preſbiter titulo ſanctorum Johannis & Pauli. Marton preſbiter cardinalis titulo ſancti Stephani. Ego Guido indignus preſbiter. Ego Gregorius preſbiter cardinalis titulo ſanctæ Priſcæ. Ego Bernardus preſbyter cardinalis titulo ſancti Chriſologi*. Ego Theodevitus ſanctæ Rufinæ epiſcopus. Ego Drogo Oſtienſis epiſcopus. Ego Albertus Albanenſis epiſcopus. Ego Gregorius diaconus cardinalis titulo ſanctorum Sergii & Bacchi. Ego Guiguo diaconus cardinalis S. Hadriani. Ego Ulbordus cardinalis S. M. in Via-lata. Ego Chryſogonus cardinalis diaconus S. Mariæ in porticu. Ego Ivo diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ. Datum Piſis per manum Aymerici ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis & cancellarii, quinto calendas Martii, indictione decima quinta, incarnat. Dominicæ anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo, pontificatus vero domini Innocentii papæ anno octavo.

* *f.* Chryſogoni.

VI.

Littera Bertrandi de Baucio pro Cartuſianis, quibus ſubſcribit Arnulfus Arauſicenſis epiſcopus.

1114. *Ex autogr. majoris barium.*

NOtum ſit omnibus, quod ego Bertrandus de Baucio cum conſilio & voluntate noſtræ matris Auraſicæ, donamus monaſterio Cartuſienſi in perpetuum viginti ſaumatas ſalis annuales in villa Berra, quales illorum beſtiæ deferre poterunt; hoc intuitu pietatis & amore Dei pro ablutione peccatorum noſtrorum, & pro animarum noſtrarum conſequenda ſalute. Adhuc etiam præfato tribuimus monaſterio, & ejuidem monaſterii prioratibus, & prioratuum confratribus, ut ipſi & eorum jumenta cum omnibus quæ ſecum tulerint, liberam habeant facultatem eundi & redeundi per terram noſtram, ut nec in pedagio, nec in aliquo alio uſatico moleſtiam patiantur; ſed ſint totius exactionis immunes, nec etiam in portu pro navibus pretia ſolvant. Hanc autem donationem facimus Cartuſienſi monaſterio & confratribus in monaſterio ſancti Andreæ, ex ipſius ordine pendente, in præſentia noſtræ matris T*. Auraſicæ, & Arnulphi Auraſicenſis epiſcopi, & omnium confratrum ſupradicti monaſterii. Anno incarnat. MCLXXXIII.

* *f.* Tiburgis.

VII.

Diploma Guillelmi de Baucio pro capitulo Arauſicano.

1184

NOtum ſit omnibus præſentibus & futuris hominibus, quod ego Guillelmus de Baucio, præſente mecum matre mea Thiburga, & id ipſum fieri animo poſtulante, ſuſcipio Auraicenſem eccleſiam cum rebus & poſſeſſionibus ſuis ſub mea protectione & cuſtodia, ut Deum valeam, ſi ei placet, mihi invenire propitium, & mei meorumque ſemper cuſtodem habeam & protectorem. Præterea volo & concedo eidem eccleſiæ omnia quæ hactenus poſſedit, & in præſenti poſſidet, aut in futurum occaſione eleemoſinæ, ſeu fidelium largitione poterit adipiſci, & hæc eadem ei laudo atque confirmo; ſpecialiter vero terram Guillelmi de ſancto Deſiderio, quam ejuſdem eccleſiæ canonici nuper emerunt, & domorum ſervitia Bernardi Poſterle & Michaëlis, quæ adhærent cimeterio, & totum cimeterium prædictæ eccleſiæ concedo & laudo cum ſuis pertinentiis & cohærentiis, ſicut olim tempore aviæ meæ, & præſente domino bonæ memoriæ epiſcopo, cum monacho termi-

natum fuit; eis quoque adjiciens, in verbo veritatis promitto, ut si forte, quod Deus avertat, contingat inter me & ecclesiam ipsam, aliquam moveri controversiam, res ipsa vel possessio, super qua controversia orta fuerit, nullatenus a me vel a meis occupabitur vel impedietur, nisi prius ejusdem ecclesiæ canonici de ipsa re benigne commoniti, vel legitime conventi justitiæ stare noluerint. Verumtamen ut hæc firma & inconcussa deinceps permaneant, volo & fieri jubeo inde memoriam hanc; videlicet præsentem scripturam quam mei sigilli authoritate facio roborari. Acta fuerunt hæc in capitulo Auraicensi, ubi dominus episcopus Arnulphus tunc præsens erat, & canonici omnes in suam societatem me susceperunt, & spiritualium bonorum, quæ in eadem ecclesia fiunt, me id ipsum devote & humiliter postulantem confratrem & comparticipem fecerunt anno ab incarnato Domino MCLXXXXIV. tempore scilicet quo nuper cingulum militiæ suscepi in præsentia horum testium qui huic facto interfuerunt. B. de Merendolio sacrista. P. Nitt de Nazari, & Guillelmus Rodulphi, & Rambaudus, & B. de Cucurronne, & Petrus de sancto Martino, & G. Christiani, & B. de Gausanciis, & R. Altevillæ, & G. de Gardo, & B. Laurentii. & P. Renon. & R. de Vasione, & Hugonullo, & B. Antulieri, & Petrus de Rabinelli, & G. Garinus; omnes canonici. Magister Robertus, & G. Romanus Alumandus, B. de Podiol, R. de Auris, G. de Merindolio, B. Bronditus; & multi alii.

VIII.

Compositio inter Petrum II. Arausicensem episcopum, & Antonium Raimundum de Baucio, &c. super nonnullis litigiosis.

1168. IN Christi nomine anno incarnationis millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, scilicet calendas Decembris, Anthonio Raimundo de Baucio, & Raymundo de Baucio nepote ejus existentibus principibus Auraicæ, & domino Raimundo de Grassa præceptore tenente domum hospitalem in Auraica. Notum sit omnibus modernis hominibus & futuris, quod cum dominus Petrus divina miseratione Auraicensis episcopus dixisset publice coram populo, in ecclesia beatæ Mariæ Auraicensis, Dominica post festum beati Bartholomei apostoli proxime tractatum, & die Lunæ & Martis sequentibus, quod domini Auraicenses injuriabantur eidem super quibusdam præconisationibus, quas fecerant fieri in diminutionem honoris sui & ecclesiæ, & contra libertatem ecclesiæ, nec eas revocare volebant; & super eo quod studium faciebant & facere volebant eo irrequisito, cum studium de ejus licentia fieri debere diceret, & super sex millibus solidorum in una parte, & quatuordecim librarum Viennensium ex alia, quos sibi debebat dominus Raymundus de Baucio, & super salario officiatus sui præteriti anni, & super obligatione studii quam dicebat debitam eidem officiatui; unde monuerat eos ter dictus episcopus quod ei satisfaceret de prædictis, & prohibuisset & prohiberet studium supradictum, & magistris, & scholaribus ne legerent aut audirent, vel studerent, aut venirent ad studendum in studio supradicto, & comminatus esset ob hæc & quædam alia recedere de civitate Auraicæ, & monitiones præcedere feciisset ter, quasi vellet procedere ad excommunicationes & interdicta, amicis intervenientibus & tractatu habito inter eos convenerunt in hunc modum. Videlicet quod in publica oratione more solito congregata diceretur per unum de dictorum parte & aliis, & aliquem alium nomine dominorum quod præconisationes præfatæ, quatenus erant factæ contra libertatem ecclesiæ, & contra honorem & jus dicti domini episcopi, & ecclesiæ, seu cleri, non erant factæ eorum voluntate, nec mandato, & insciis omnibus rationibus factæ fuerant, contra prædicta renuntiant eas, & nunc renuntiabant, & specialiter promittentes, & volunt quod perinde habeantur, ac si dictæ præconisationes factæ non essent, & dicti domini sint in tali statu quali erant ante præconisationes prædictas, & rejiciant & retractant præconisationes de non recognoscendo feudo ecclesiæ. Item volunt, quod libere possint omnes in curia domini episcopi agere, & de omnibus ad jurisdictionem domini episcopi pertinentibus, & si quæ promotio magistrorum facta esset, illam & alias supradictas revocant & irritant. Super facto autem studii, & denariorum, & salarii, & obligationis, compromiserunt in dominum archiepiscopum Arelatensem, ita quod in studio ex nunc libere & sine impedimento adhibito vel adhibendo a dicto domino episcopo procedatur, & magistri & scholares præsentes & futuri seu venturi possint stare & venire, & legere & audire, & studere in civitate Auraicensi, si hoc placet, & sit de voluntate prædicti domini episcopi promittentis quod decreto suo nullum afferret impedimentum studio, nec aliquam prohibitionem studii faciendi. Et dominus prædictus archiepiscopus Arelatensis posuit, quod quodcumque voluerit dictus dominus episcopus cognoscere & definire, quod pertineat de facto dicti studii ad prædictum dominum episcopum, & generalis honor, & si debeat agi, & quid, & qualiter, & generaliter, & sic debeat deferri a scholaribus & magistris quod intelligatur studium factum per eum, & de ejus licentia, & perinde per omnia habeatur. Item possit de prædictis denariis & salario, & obligatione cognoscere & definire, & pronuntiare secundum quod ei videbitur, & quidquid super prædictis statuit, & pronuntiavit, statuit & ordinavit, & dominus archiepiscopus promisit una pars alteri, & altera alteri vicissim, attendere & observare, & in nullo contravenire sub obligatione omnium bonorum suorum. Et intelligitur compromissum de dictis sex millibus solidorum, & quatuordecim librarum tamen inter dominum Raimundum de Baucio & dominum episcopum supradictum, quæ firma sint, si dictæ revocationes præconisationum factæ sint, & dominus archiepiscopus sit arbiter super supradicta, aut omnia & singula ambæ partes voluerunt, approbaverunt & concesserunt, & ut super omnia continetur fecerunt, & facere & attendere, observare, & in nullo contravenire, bona fide una pars alteri, & altera alteri ad invicem, & mihi infra scripto notario stipulanti nomine omnium quorum interest, promiserunt sub obligatione omnium bonorum suorum. Dictum in ecclesia hospitalis sancti Johannis Hierosolimitani in Auraica. Testes interfuerunt præsentes dominus Raymundus de Anceduna, dominus Baccianus de Boldene de Laudet legum doctor, Monsmiratus de Balmis miles, Rostagnus Malsanguis de Aureolo miles, bajulus Auraicensis, f. Guillelmus Trisson miles hospitalaris, f. de Mota miles hospitalaris, bajulus Auraicensis, dominus Petrus Porta sacrista ecclesiæ beatæ Mariæ, Raymundus de Montaguil canonicus dictæ ecclesiæ, Joannes Podioleni jurisperitus, & ego de Tesalvo de Vidello publicus notarius Auraicensis, orationibus supradictis & singulis præsens fui, qui de voluntate & mandato utriusque partis hanc cartam scripsi, & bulla dominorum Auraicensium, & domini episcopi Auraicensis, & signo meo signavi.

IX.

Decretum Petri Arausicani episcopi & rectoris comitatus Vindascini pro summo pontifice, quo taxat quid annonæ persolvi debeat ecclesiarum rectoribus & capellanis.

IN nomine Domini, amen. Anno ab incarnatione ejusdem MCCCXXXVIII. indictione VII. pontificatus SS. in Christo patris & domini nostri domini Benedicti divina providentia papæ XII. . . . . die IV. mensis Martii. Cum in ecclesiis infra scriptis, quæ olim fuerunt ordinis hospitalis sancti Joannis Jerosolimitani, & militiæ Templi, & per unionem ad Romanam ecclesiam, & majorem curiam Venaissini devenerunt, quia in eis deserviebatur per conductitios cap- 1338.

pellanos, plerumque ipſæ eccleſiæ divinis ſervitiis fraudabantur. R. in Chriſto pater & dominus Petrus Dei gratia Auraicenſis epiſcopus, comitatus prædicti rector, cupiens quod in his cultus non minuatur divinus, de conſtitutione & mandato, ut aſſerebat, ſibi facto vivæ vocis oraculo SS. patris & domini noſtri domini Benedicti divina providentia papæ XII. ordinaverat & ſtatuerat, quod in qualibet dictarum eccleſiarum imponerentur per rectorem comitatus Venaiſſini qui pro tempore eſſet, perpetui capellani in ſingulis earumdem, qui curam & regimen in habentibus populum haberent, qui perpetui capellani ſecundum ordinationem felicis recordationis Johannis papæ XXII. quoad eccleſias præceptorias de Roais, & de Richarenchiis, & decimas poſſeſſionum dictarum præceptoriarum habere debebant, loco illarum decimarum dictus dominus rector eiſdem capellanis pro ſuſtentatione ipſorum, & debitis oneribus ſupportandis, certas bladorum & vini aſſignaverat quantitates, eumque de mandato, & ex commiſſione ipſius domini rectoris, venerabilis & diſcreti viri domini Petrus de Avitio theſaurarius, & Raynaudus Guillelmi procurator, & advocatus fiſcalis comitatus ejuſdem perſonaliter acceſſiſſent ad loca eccleſiarum ipſarum & certis probis viris de loco quolibet electis commiſiſſent, ut in certis locis, & proprietatibus curiæ Venaiſſini minus utilibus, ſuo juramento ad hæc ſpecialiter præſtito ſolemniter & fideliter taxandis quantitates ipſas bladorum & vini aſſignarent capellanis eiſdem, qui, ut aſſeruerant, diligenti conſideratione præmiſſa in ſingulis eccleſiis hujuſmodi certas poſſeſſiones ſeu proprietates ſingulis capellanis aſſignaverant & taxaverant. In qua quidem taxatione & aſſignatione per dictos electos & juratos facta, & in ſingulis ipſorum locorum magna deceptio intervenit curiæ Venaiſſini, prout ad eorum notitiam iidem domini theſaurarius & procurator aſſeruerunt coram dicto domino rectore perveniſſe de novo, cum longe plus valeant ac aſcendant quam taxa quæ eiſdem eorum juramentis injuncta fuerat facienda per dominos theſaurarium & procuratores prædictos. Quare præfato domino rectori cum inſtantia ſupplicarunt in his indemnitati ipſius Venaiſſini curiæ providere, præſentibus ad hoc vocatis ipſarum eccleſiarum capellanis infra ſcriptis, videlicet domino Giraudo Burgenſis capellano parochialis eccleſiæ de Cayrana, domino Hugone Ferradelli capellano parochialis eccleſiæ ſanctæ Cæciliæ, domino Jacobo Richani de Saltu capellano eccleſiarum parochialium ad invicem annexarum Richarenchiarum, & Borbotoni, domino Rainaudo Valafredi capellano parochialis eccleſiæ de Boiſſono, domino Joanne Ventoni capellano parochialis eccleſiæ ſancti Romani de Malagarda, domino Petro Berbegerii, capellano parochialis eccleſiæ Villædei, Hugone Jordani capellano eccleſiæ ſancti Vincentii prope ſanctum Paulum Tricaſtinenſem, ſine cura, domino Raynaudo Carroſii capellano capellæ Templi de Cavallione, & dictus dominus rector de deceptione hujuſmodi legitime, ut aſſeruit, informatus, taxationes & aſſignationes hujuſmodi per præfatos juratos factas revocari, caſſari, & penitus annullari, & mihi infra ſcripto notario inhibuit & præcepit ne de notis per me aſſumptis, & ſcriptis ſuper taxationibus & aſſignationibus per homines juratos hujuſmodi factis cuique extraham aut extrahi vel confici faciam inſtrumentum, ſed notas prædictas præcepit, & per me cancellari voluit & mandavit; & res & proprietates, jura & bona quæ per dictos homines juratos fuerint taxata, & aſſignata capellanis prædictis, ſint & eſſe debeant curiæ Venaiſſini; & ut taxatio & aſſignatio prius facta & ordinata per eundem dominum rectorem perpetuo durare valeat, & ut dicti capellani in claro & certo taxationem & aſſignationem habeant ſupradictam, etiam ut divinus cultus in dictis eccleſiis augeri valeat in futurum, & eiſdem eccleſiis per dictos capellanos melius & liberius valeat deſerviri; cum circa curam rei ruralis non habeant derogare, ſed intendere dumtaxat circa divina, ſtatuit & ordinavit prædictus dominus rector per modum qui ſequitur infra ſcriptum, quod capellani prædicti eccleſiarum parochialium videlicet de Cayrana, de ſancta Cecilia, de ſancto Romano; de Malagarda, de Boyſſono, & Villa-dei, & quilibet ipſorum habeat eccleſiæ ſuæ, videlicet oblationes, quarcumque mortalagia, lectos, brandones, candelas & omnia alia quæ ad eccleſiam videlicet ad funeralia cum mortuorum corporibus vel pro ipſis portantur, & omnes obventiones quas infra eccleſiam vel cœmeterium evenire contigerint, & etiam ſingulis annis habeat quilibet prædictorum capellanorum prædictarum eccleſiarum cum cura, 5. ſalmatas annonæ, & 25. ſalmatas bladi de tribus granis æqualiter, & 4. modia vini puri quæ ſolvantur & ſolvi debeant per curiam Venaiſſini prædictam cuilibet prædictorum, annis ſingulis, ſcilicet annona, & bladum tempore meſſium in area, priuſquam granum ab area curiæ reſervata aſporterur, & vinum tempore vindemiarum ad tinam. Et capellanus Richarenchiarum & Borborom prædictas habeat, ſicut dictum eſt de aliis, obventiones eccleſiarum ac cœmeteriorum ſuorum, & a curia Venaiſſini 8. ſalmatas annonæ, & 42. ſalmatas bladi ſuperius declaratas, cum curia prædicta in dictis locis vinum ſibi non valeat aſſignare, quare ſibi de bladis major fit aſſignatio ſupradictis; capellanis vero aliis de Roaiſio, de ſancto Vincentio, capellano Templi de Cavallione, habeant ſicut alii ſupra ſcripti ſolum ſuarum eccleſiarum cum obventionibus ipſarum & cœmeteriorum, ſi quæ habeant, & a dicta curia Venaiſſini quilibet ipſorum 3. ſalmatas annonæ, & 9. ſalmatas aliorum bladorum ſuperius declaratas, & tria modia vini puri ſolventur per dictam curiam, prout ſupra de aliis extitit declaratum. Et ſimili & eodem modo fiat capellanis eiſdem, & eorum cuilibet ſolutio prædictorum per arrendatores redditurum dictorum locorum, ſi & quando redditus ipſi vendi contigerit in futurum; ſi per theſaurarium, qui pro tempore fuerit in comitatu prædicto, in venditione redditurum ipſorum onus ſolvendi prædictum dictis arrendatoribus fuerit impoſitum & injunctum, & quod prædicta omnia capellani prædicti, & eorum quilibet habeat pro decimis prædictis, & pro omnibus aliis ſuis juribus quibuſcumque, & quod nihil amplius poſſint petere a curia Venaiſſini, nec ab incolis dictorum locorum præſentibus & futuris, quacumque ratione, occaſione & cauſa, & quod teneantur, videlicet ſingulis præfatis eccleſiis, bene, honeſte, decenter & ſolerter deſervire, & omnia ipſarum eccleſiarum onera ſupportare, videlicet hoſpitalitatem tenere, decimas dominorum archiepiſcopi Arelatenſis, & epiſcoporum in quorum diœceſibus eccleſiæ dignoſcuntur, & decimalia jura ſolvere, onera legatorum ſedis apoſtolicæ, & nunciorum ejuſdem ſupportare, & alia onera, ad quæ aliæ eccleſiæ ſuarum diœceſium ſunt adſtrictæ, hoſpitia per dictum dominum theſaurarium eis aſſignata habeant & teneant, & ipſa ſuis ſumptibus ſuſtinere, reparare, & ſemper pro melius reformare. Item ſtatuit & ordinavit, voluit & præcepit idem dominus rector, quod nullus dictorum capellanorum aliqua animalia nutriat, ne ex eo graventur ſubditi, quod non teneantur ſolvere bannum, niſi dumtaxat unum porcum, vel ad plus duos pro proviſione ſuæ domus, & unum roſſinum, vel aliud animal quod in domo teneat, cum quo facere valeat neceſſaria ſuæ domus. Item ſtatuit & ordinavit, & voluit, quod capellanus Richarenchiarum, & Borbotoni unum teneat conductitium capellanum, qui eccleſiæ prædictæ de Borborono continuus deſerviat, & ibidem ſtet continue, jaceat, comedat, & continuam faciat manſionem. Item quod capellanus Cayranæ alium capellanum conductitium, aut alium ſecum habere minime teneatur, niſi perſonæ ſuæ neceſſitas immineat, cum redditus ſupradicti non ſufficerent ad omnia prædicta onera ſupportanda, attento quod parochia illa per unum ſacerdotem idoneum poteſt commode gubernari, nonobſtante quod in collatione per dictum dominum rectorem facta dicto domino Giraudo de eccleſia ſupra

dicta, & alium ſacerdotem ſecum tenere debeat ſibi per ſuas patentes litteras duxerit injungendum. Item quod capellanus eccleſiæ Boiſſoni penſionem quam recipere conſuevit dominus Vaſionenſis epiſcopus in redditibus dicti loci ſolvere minime teneatur, ſed curia Venaiſſini. De quibus tam dicti capellani, & quilibet per ſe, quam dicti domini theſaurarius, & procurator curiæ Venaiſſini petierunt ſibi fieri publicum inſtrumentum, & plura publica inſtrumenta; & dictus dominus rector eiſdem, & cuilibet ipſorum fieri conceſſit per me Roſtagnum Manſini notarium infra ſcriptum. Acta fuerunt hæc Carpentor. in hoſpitio domini papæ in camera ſtudii dicti domini rectoris. Teſtes fuerunt præſentes dominus Joannes Chabrelli preſbiter de Pugueriis, dominus Oliverius Manqui capellanus, & ſocius dicti B domini theſaurarii, magiſter Simon Momillarii notarius dicti domini rectoris, & ego Roſtagnus Manſini publicus domini noſtri papæ in comitatu Venaiſſini notarius.

A

X.

Charta fundationis beatæ Mariæ de Planis.

1200. CErtum & manifeſtum ſit omnibus hominibus tam præſentibus quam futuris, cartam ipſam legentibus & audientibus, quod anno dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo 19. menſis Aprilis nos Guilhermus Dei gratia Inſulæ-barbaræ dictus abbas, procurator prioratus ſancti Martini de Abolena, conſilio, aſſenſu & voluntate quorumdam fratrum & monachorum noſtrorum, videlicet Guillelmi d'Ars cellerarii, Umberti de Baſſalco, Giraudi, Bartholomei, Pontii, Giraudi, & Faucherii per nos & ſucceſſores noſtros donamus, concedimus & confirmamus in perpetuum Deo & B. Mariæ eccleſiam S. Mariæ de Plano, cum omnibus appenditiis ſuis & eleemoſinis præſentibus & futuris, ad hoc ut ibi conſtruatur monaſterium ſanctimonalium, retento tamen quod non infra dominia, poſſeſſiones vel tenementa noſtra, ſine conſilio noſtri vel prioris Abolenæ. Volumus quidem quod prioriſſa, ſive procuratrix, vel procurator quicunque, vel quæcumque ſit vel fuerit, cum conſilio prioris Abolenæ, vel conſilio & voluntate ſanctimonialium ibidem commorantium conſtruatur in eodem D loco numero ſanctimonialium ibidem commorantium numerum 13. non excedat, niſi tanta eſſet augmentatio bonorum dicti loci, quod ſecundum arbitrium prioris C Abolenæ & procuratoris vel procuratricis, & ſanctimonialium ejuſdem loci, videretur quod dictus locus poſſet ſuſtinere. Volumus etiam quod regulam noſtram teneant & habeant, & noſtrum dicant miniſterium, & talem deferant habitum, veſtimenta alba, & deſuper ſcapularium nigrum, & velum, & ab Inſulano abbate recipiant benedictionem, & quod dictus abbas ibidem poſſit facere moderatam ſine loci gravamine viſitationem, & breves noſtros pro defunctis accipiant, & nos ſuos accipimus. Intelligimus & volumus quod hoc monaſterium eccleſiæ Abolenæ obolum aureum in feſto ſancti Martini ſerviat annuatim, & quod abbas & prior Abolenæ his prædictis contenti nullas faciant exactiones ſupradicto monaſterio, nec fieri patiantur. Eſt autem hæc eccleſia prædicta ſanctæ Mariæ de Plano ſita inter Montemdraconem & Abolenam. Ad majorem autem cautelam hujus donationis & conceſſionis firmitatem ſigilli noſtri, & ſigilli ſancti Martini de Abolena munimine roboravimus. Factum eſt hoc in cimiterio Abolenæ juxta turrim eccleſiæ. Teſtes ſunt, domina regina celorum, & ipſa tanquam domina abbatiſſa monaſterii S. Petri de Podio civitatis Auraicenſis, cui dicta eccleſia B. Mariæ de Plano eſt unita, per ſe & ſuos in dicta eccleſia ſuccedentes, bona fide gratis & ex ſua certa ſcientia confeſſa fuit, & in veritate palam & publice recognovit venerabili viro domino Aymoni Almizier in decretis baccalario, vicerectori venerabilis collegii ſancti Nicolai de Anneziaco in Avenione fundati, preſenti, & mihi notario publico infra ſcripto, ut communi & publicæ perſonæ noſtrum & cuilibet ſtipulanti & recipienti nomine & vice prioratus dicti loci Abolenæ, & pro eo dicti collegii & ſuorum in eodem prioratu ſucceſſorum ſe pro dicto monaſterio beatæ Mariæ de Plano tenere & velle tenere, & tenere debere a dicto prioratu Abolenæ, & ſub ejus dominio directo dictam eccleſiam beatæ Mariæ de Plano, cum omnibus & ſingulis ſuis juribus & pertinentiis, & terras dictæ eccleſiæ beatæ Mariæ de Plano, Montiſdraconis, & in eodem plano exiſtentes ſubſequenter deſcriptas ad accapitum & in emphiteoſim perpetuam. Et 1°. videlicet in territorio Montiſdraconis, &c. pro quibus præmiſſis per dictam dominam abbatiſſam recogniris, ipſa domina abbatiſſa quo ſupra nomine ſervit & ſervire conſuevit, promiſit jure dominii directi præfato domino vice rectori, prout ſupra, ſtipulari unum obolum auri.

Digitized by Google

INSTRUMENTA AD PROVINCIAM AVENIONENSEM PERTINENTIA.

QUÆ SPECTANT AD METROPOLIM AVENIONENSEM.

I.

Sanctus Amatius Avenionenſis epiſcopus urbe ab Alamannis obſeſſa, ſuos hortatur ad martyrium fortiter ſubeundum.

ANno autem tertio incunte epiſcopatus ſui, Amatius beatiſſimus pater, Croſco a duce, cum Alamannis ſuis Avennicam urbem, poſt direptas ceteras urbes Lugdunum, Viennam, Arvernum, Gabalum, Albam, Tricaſtinum, Valentiam, Arauſium, Vaſionem, Carpentoractem, Vendaſcam, Aptam, Arelatem, Uceticam, Nemauſum, Agatham, & circumvicina quæque oppida incenſa & ad terram proſtrata, effera rabie oppugnante, cum videret diutius eam non poſſe reſiſtere eis quibus coactæ, vique captæ longe munitiores provinciarum finitimarum civitates omnes cervicem ſubmiſerant, quos civibus & ovibus ſuis metuentibus vel diriſſimo mortis genere, nempe fame tabeſcere, vel ſine ullo ſexus & ætatis diſcrimine ſæviſſime enecari, quos, inquam, illos conſolans & corroborans ſanctimonia & conſtantia ſua eis fecerit*, puſillimus paſtor ad perferendas tantas calamitates, & mortem ipſam pro Chriſto obeundam, dici non poteſt. Equidem vidiſtis & audiſtis, filii, aiebat eis, quæ fratribus veſtris tam eccleſiaſticis quam ſecularibus omnis ſtatus, ſexus, conditionis illata ſunt ab immaniſſimis his feris immania tormenta, & horrenda ſacrilegia & ſuppliciа, ignes, carceres, lapidationes, ſubmerſiones, excarnificationes & cædes, denique omnium fere epiſcoporum, & ſacerdotum, & principum Galliæ, qui religionem & fidem chriſtianam deſerere, & impio ſe eorum cultu contaminare magno animo recuſarunt. Necnon * non accepit quas ipſe Crocus omnium teterrimus hoſtium Chriſtianorum nulli parcens gradui, ſexui, vel ætati, ædes ſacras evertit, quas ille urbes egregias de-

Et vet. editionis [illegible] de S. Prosper de la Aquitaine

* V. Sermones.

* hic Mendum.

a Quo tempore Alamanni, Croco duce, irruperint in Gallias, & tot tantaque damna intulerint, hic paulo morioſius inquirendum.

Qui eiuis id factum volunt, conſignant anno circiter CCLXV. Valeriano & Gallieno imperatoribus. Qui vero tardius, differunt hanc Gallarum ſtragem ad V. ſeculi exordium.

Gregorius Turonenſis l. 1. hiſtoriæ cap. XXX. manifeſte pugnat pro priori ſententia, ubi ſub Valeriano & Gallieno imperatoribus, poſt memorata SS. Cornelii & Cypriani martyria, ſubdit: *Horum tempore & Crocus ille Alamannorum rex, commoto exercitu Gallias pervagavit.* Et cap. XXXII. narrat de S. Privato quæ retulimus in Mimatenſibus epiſcopis. Demum cap. XXXIII. incipit loqui de cruenta Diocletiani perſecutione. Unde palam fit Gregorium Turonicum credidiſſe martyrium S. Privati contigiſſe antequam Diocletianus bellum Chriſtianis indixiſſet. Hanc ſententiam tuetur Had. Valeſius tum l. 1. rerum Francicarum, tum in notitia Galliarum ad hunc utulum. S. *Privati monaſterium.* Noſter Theodericus Ruinartius in notis ad Gregorium Turon. utramque ſententiam profert, ſed nihil decernit, latiſque habet nos remittere ad Tillemontium hiſt. eccleſ. tomo IV. ubi propenſior videtur in ſecundam opinionem. Ut magis inclinet in priorem, præter ea quæ jam dixi facit hæc ratio. Si ineunte ſeculo V. tot martyres in Gallia facti fuiſſent, qui ſeculo VI. potuiſſent ignorari, ut certiſſime ignorati ſunt ab ipſo Gregorio Turonico, qui de omnibus (excepto uno Privato, filet.

A ſtruxit, & quam incredibilem hominum, mulierum, puerorum & puellarum ſumma & implacabili crudelitate extinxit, quos gladio ſecurive epiſcopos, ſenio, ſanctitate, & doctrina claros percuſſit & obtruncavit, Privatum Gabali *, Albæ * Avolum, Sextum Valentiæ, Juſtum Tricaſtini, Firmum apud Vinduaſcam b, Aptæ Leonium, Vaſione Albinum, Carpentoratæ Valentinum, Victorem Arelatæ, Lucium Arauſio, Felicem Nemauſi, & Agathæ Venuſtum; quos omnes ante nos dira hæc procella conſumpſit. Et nos ſimiliter fratres pro vera pietate oblatam mortem invicto & alacri animo ſuſcipiamus, immortales Deo gratias agentes, quod digni habemur pro recta fide & nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti hæc omnia pati, & hujus cauſa ſanctis ſuis in æterna gloria annumerari.

* Javoulx nunc Mende.
* Vivien.

II.

Debo epiſcopus Avenionenſis reſtitutam a ſe eccleſiam ſancti Pauli conſecrat.

ANno quadringenteſimo trigeſimo tertio Debo Avenionenſis epiſcopus templum ſancti Pauli a Wandalis ſuperioribus annis magna feritate dirutum, magno & auguſto impendio reſtituere parat, civibus non modicam in tam pium opus pecuniam ſubminiſtrantibus; idque ſanum eſt, quod ipſemet pontifex triennio poſt non unius Pauli, ſed Petri ſimul & Pauli apoſtolorum principum dicavit honori, quanta potuit magnificentia, vicinorumque epiſcoporum ac populorum frequentia & concurſu. Ad ejus quippe conſecrationis cumulandam celebritatem, non ſolum beatus Hilarius Arelatenſis epiſcopus intereſſe dignatus eſt, ſed & ipſi Marinus Arauſicenſis, Venerius Maſſilienſis, & Aprenſis Auxonius epiſcopi, cum multis eccleſiarum ſuarum clericis adeſſe voluerunt, in quos ille omnes ſingulari humanitate & pene incredibili certavit pietate. 433

III.

Charta Ludovici imperatoris Remigio epiſcopo Avenionenſi conceſſa.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Hludovicus gratia Dei imperator auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata ob amorem Dei, eorumque reverentiam beneficia oportuna largimur, id nobis procul dubio ad æterna retributionis præmia capeſſenda profuturum liquido credimus. Idcirco notum eſſe volumus cunctis fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, & noſtris præſentibus & futuris, quia adiens ſerenitatem culminis ſub introductu cujuſdam fidelis noſtri Teutberti comitis,

b Hucuſque communis fuit opinio Carpentoractæ & Vandaſcam unam eamdemque eſſe urbem epiſcopalem. Ex hoc vero pretioſo antiquitatis monumento duæ ſunt urbes, ſuum quæque olim habentes epiſcopum. Ac forſaſſe poſt hanc barbarorum procellam inter ſe coaluerunt, & ex duabus facta eſt una.

Digitized by Google

quidam ſanctæ Avinionenſis eccleſiæ epiſcopus nomine Remigius, noſtram flagitavit clementiam, ut auctoritatem quam priſcis temporibus prædeceſſori ſuo facere juſſimus, eamdem noſtra confirmare dignaretur majeſtas, quo firmior haberetur venturis temporibus. Quorum petitiones placide ſuſcipientes, hujus noſtræ auctoritatis conſtitutionem reddimus eccleſiæ ſuæ in honore ſanctæ Mariæ Dei genitricis dicatæ, quamdam inſulam ſubtus Avinione ſitam, quæ determinatur ex una parte Rodono diſcurrente, ex altera Sorgilione, adque Velrerias cum omnibus appenditiis ſuis uſque in exquiſitu, adque ex porro ejuſdem civitatis tertiam partem præfatæ eccleſiæ per hujus noſtræ poteſtatis donum concedimus, quatenus ex his omnibus ſupradictis rebus faciant rectores ejuſdem eccleſiæ, cui nunc præeſſe dignoſcitur Remigius venerabilis epiſcopus, quicquam facere & diſponere voluerint, abſque alicujus contradictione vel repetitione, ſeu aliqua injuſta refragatione. Et ut hæc noſtræ poteſtatis inſtitutio futuris temporibus firma permaneat, atque inconvulſam obtineat firmitatem, manu propria ſubter eam firmavimus, & anulo noſtro ſigillare juſſimus. Signum Hludovici piiſſimi auguſti. Warnerius notharius ad vicem domni Alexandri archicancellari recognovi. & SS. Datum XIV. kal. Novembris anno VII. regni Hludovici piiſſimi auguſti, indictione XI. * Actum Vihenna publice in Dei nomine feliciter. Amen.

* XIIII.

IV.

Diploma Ludovici Imperatoris, quo multa concedit ſeu confirmat Fulcherio Avenionenſi epiſcopo.

Ex autogr. archiep.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Lodovicus miſericordia Dei imperator. Si petitionibus eorum qui au rem noſtræ manſuetudinis.... accomodamus, de quibus veritas in evangelio loquitur dicens: *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Mos fuit prædeceſſorum noſtrorum ut fidelibus ſuis rebus ditarent, ut in illorum fidelitate & ſervitio devote animo ardentes & hilarios exiſterent. Quapropter notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, & noſtris ſcilicet præſentibus & futuris, quod Ugo dux & glorioſus comes, necnon & Bozo frater ſuus, ſive domnus Rottagnus archiepiſcopus, petierunt ſublimitati noſtræ, ut quibuſdam de fidelibus noſtris Fulcherium videlicet Avenionenſis epiſcopum, ut de rebus fiſci noſtri copioſius augeremus; ergo petitioni eorum libenter et claro animo ſuſcipientes, ſecundum voluntatem eorum dedimus & eccleſiam conſecratam in honorem beati Geneſii cum omnibus appenditiis ſuis, quæ eſt ſita in comitatu Avenionenſi: & damus aliam eccleſiam in honore S. Mariæ, S. Johannis, & S. Baudilii dicatam, & aliam eccleſiam in honore SS. Martyrum Coſmæ & Damiani conſecratam; ſuper ripam Rodani in conſpectu caſtelli quod nominatur Leris, etiam per præceptum dono cum territorio, quod ibi adſtinens eſt vel deinceps unquam tempore adjacens ſeu appendens eſſe debuit, & inveſtigare poterat, portum etiam ejuſdem Leris, caſtrum ſimiliter dono ſub integritate per præceptum meret habere ut habeat, teneat, poſſideat; ac deinceps quidquid exinde cupit facere, poteſtatem habeat faciendi. Et ut hæc noſtra auctoritas firma & inviolata permaneat, manu noſtra corroborata eis tradimus & anulo noſtro ſignavimus. Signum Hludovici ſereniſſimi imperatoris.

Luc. 10. 16.

Warnerius notarius ad vicem Alexandri archiepiſcopi archicancellarii ſcripſit. Datum II. nonas Aprilis indictione XIV. anno duodecimo * imperante Hludovico piiſſimo imperatore.

* *hoc eſt an. 911.*

V.

Teſtamentum Fulcherii Avenionenſis epiſcopi.

NOverit omnis fidelium eccleſia, quia Fulcherius humilis Jeſu Chriſti epiſcopus, primo quam culmen hujus honoris & diſcrimen tanti oneris aggrederer, ſuggerente auguſtalis proſapiæ principe Boſone, adii Arelatenſem primatem illuſtrem Rodſtagnum ut quia Avinionenſis eccleſia viduata ſedebat, ſi utile perſpiceret, maxime clero & populo meam exiguitatem ſibi ad hoc expoſtulantibus, eidem ſedi paſtorem præficeret; id tamen neque alicujus rumoris appetitu, neque neceſſitatis vitandæ inopiæ expetens, ſed divino tactus amore, & zelo tactus propriis eam facultatibus relevare & nobilitare ſatagens, quam barbarica utique vaſtatio & deprædatio maxima ex parte mundialibus attriverat copiis. Quid multa? Tandem communi voto, ſociato ſibi Hugone clariſſimo procere, imperiali ſum exhibitus præſentiæ, cujus juſſu licet indignus Avenionenſi ſubnixus cathedræ diſponente ſuperno numine pro poſſe & ſcire, tam ſpiritualiter quam corporal ter omnimodis illam tueri elaborabo; ideoque mente pertractans evangelici tonitrua dogmatis: *Date*, inquit, *eleemoſynam & omni nitore purificabimini.* Et rurſum: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo.* Et cetera quæ ſequuntur. Et quod prudens pater prudenti filio intulit: *Eleemoſina a morte liberat, & non patitur hominem ire in tenebras.* Et iterum ſapiens quidam: *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ.* Et nonnulla alia quæ ſeries tantarum conclamat vocum, & ut ſupra relatum eſt, antequam apicem præſulatus adipiſcerer hæc mecum conſtitueram, Dominum & Redemptorem meum glorificans, qui mihi corpus & animam gratuita pietate conceſſit, & omnibus ſubſidiis humanæ paupertatis conſtipavit, genitrici ejus reginæ cælorum & terræ intemeratæ Mariæ virgini, protomartyri & beatiſſimo Stephano, qui poſt aperitionem celeſtis paradiſi primus aulam regis æterni intrare meruit, hereditatem meam delego, & trado tam pro remedio animarum genitoris & genitricis meæ, quam etiam & Boſonis principis, necnon & meæ infelicis & peccatricis. Certiſſime enim ſcio & credo illos regnare cum domino, idcirco illis terrenam tribuo hereditatem, ut ipſi nobis, & ejus clariſſimæ habitationis, qua in conſpectu regis regum perfruuntur, conſortes & coheredes efficiant: ubi nullus dolor, nullus timor, nulla ægritudo, nulla eſuries, nulla macula gignitur, ſed omnia ante oculos ejus in pace conſiſtunt, & viſione lucis illius ſine fine delectantur. Hæc eſt autem hereditas quam prædictam Dei genitricem, & protomartyrem Stephanum pro ſcelerum noſtrorum relaxatione, ſucceſſores volumus habere. Eccleſiam in honorem S. Mariæ quæ eſt in comitatu Avinionenſe, vicaria Vallerica cum preſbyteratu ſuo, alodum etiam in eodem loco, in eadem villa quæ dicitur Fornis, quantum ibidem habeo vel adquirere potero. Item eccleſiam in honorem S. Mariæ, S. Johannis & S. Baudilii dicatam, & aliam eccleſiam in honore SS. Martyrum Coſmæ & Damiani conſtructam, ſibi vicinas ſuper ripam Rhodani, in proſpectu caſtelli quod nominatur Leris, quas regia munificentia per teſtamentum præcepti aſſecutus ſum, cum territorio quod ibi attinens eſt, vel deinceps unquam tempore adjacens ſeu appendens eſſe debuit, & inveſtigare potuero, tam ego quam mei ſucceſſores. Portum etiam ejuſdem loci, quem ſimili modo ſub integritate, imperiali dono per præceptum promerui. Eccleſiam nihilominus in honorem S. Geneſii martyris ſitam in eodem comitatu in loco qui nuncupatur Nidadis, cum omni appenditio. Omnem hanc hereditatem memoratæ Dei genitrici Mariæ, & beato martyri Stephano dono & trado, & abſque ulla inquietudine perpetualiter habere volo. Si autem inſtigante ſatana aliquis noſter propinquus, aut heres, aut proheres, hoc noſtræ donationis teſtamentum inquietare vel infringere molitus fuerit, niſi reſipuerit,

916. Ex autogr.

Luc. VI. 41. Matth. 6. 19

Tob. 4. 11.

Prov. 13. 8.

Digitized by Google

cum Dathan & Abiron atque Core, & cum Juda traditore, Anna & Caipha perpetuis inferorum torqueatur cruciatibus, & hujus noſtræ oblationis donatio inconvulſa & ſtabilis in ævum vigeat & permaneat, manuum noſtrarum ſubſcriptione inſignita. Actum publice Avenione civitate anno ab incarnatione Domini DCCCCXVI. indictione IV. VI. nonas Maii in die aſcenſionis Domini, decimo tertio anno, imperatore filio Boſonis. † Fulcherius epiſcopus S. Avenionenſis eccleſiæ, qui donationem iſtam manu propria firmavit. † Raimaldus voluit & conſenſit. † Rainardus S. Kavallionenſis eccleſiæ humilis. E. Boſo comes firmavit.

VI.

Charta Ludovici imperatoris Fulcherio epiſcopo Avenionenſi conceſſa.

916. *Ex autogr.*

IN nomine ſummi Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Hludovicus ipſius ordinante providentia imperator Auguſtus. Imperialis dignitatis excellentia nulla major extat quam ut propter remunerationem juſtis fidelium ſuorum precibus aures clementiæ accommodare debeat, & tanto libentius ea quæ expoſtulaverint largire non abneget, quanto eos in obſequio ſuæ utilitatis & magnitudinis perſpexerint promptiores, & in conditione ſui honoris ferventiores. Igitur cognoſcat omnium fidelium ſanctæ Dei eccleſiæ induſtria, quoniam Boſo venerabilis comes noſterque propinquus, necnon & Fulcherius præſul Avenionenſis optimus, noſtræ ſublimitatis excellentiam accedens innotuerit humiliter, quandam abbatiolam S. Ruſi, & eccleſiam S. Juliani cum territorio Capiſtiniano, quæ conjacent in comitatu Avenionenſe, temporibus priſcis a religioſis chriſtianis matri eccleſiæ S. Mariæ, & S. Stephani, ac S. Joannis Baptiſtæ digna ceſſione conlatas, jam præterito longi temporis inter reliquarum rerum ſubtractionem injuſte fuiſſe ſublatas. Unde ſerenitatem celſitudinis noſtræ ſuppliciter rogaverunt, quatenus ob honorem Chriſti, & animæ noſtræ remunerationem, jam dictas eccleſias, quæ injuſte vel temere ab eadem ſancta matre Avenionenſi ſubtractæ fuerunt, cum ſuis omnibus redditibus juſte & legaliter redderemus, ac reddentes præfatæ matri eccleſiæ præcepto noſtræ auctoritatis confirmaremus. Qui precibus ac juſtis petitionibus ob emolumentum mercedis ac retributionis noſtræ, & propter diutinum famulatum ab ipſis nobis exhibitum libentiſſime annuentes, hoc ſerenitatis noſtræ præceptum fieri juſſimus, per quod jam præfatam abbatiolam cum omnibus appenditiis ſuis tam exquiſitis quam inexquiſitis, & ſupra fatam eccleſiam cum ſuo territorio Capiſtiniano, & omnibus adjacentiis ſuis, præfatæ eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & S. Stephani, & S. Johannis, & ſuo præſuli Folcherio ejuſque ſucceſſoribus reddimus, ac reddita perpetuis temporibus eorum utilitatibus ſubeſſe volumus, atque prodeſſe ubique. Et ut hæc noſtræ largitionis ac reſtitutionis auctoritas omni tempore inconvulſum obtinere valeat firmitatis vigorem, manu propria ſubtus firmavimus, & annuli noſtri impreſſione adſignari juſſimus.

Signum HLudovici ſereniſſimi auguſti. Ubboldus notarius ad vicem Alexandri archicancellarii recognovi. Datum eſt hoc præceptum Viennæ publice anno DCCCCXX. XV. calendas Septembris, anno etiam XVII. imperii domini Ludovici * auguſti indictione VIII. in Chriſti nomine feliciter. Amen.

VII.

Landricus epiſcopus Avenionenſis nonnulla canonicis ſancti Stephani reſtituit.

976. *Ex chartario Avenionenſi.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Landricus gratia Dei epiſcopus intuens caſum meæ fragilitatis, pro remedio animæ meæ reſtituo, & ab integro reddo canonicis S. Stephani noſtræ ſedis, quaſdam res quæ illis jure ſuccedunt, quas ego huc uſque recognoſco me non poſſediſſe; id eſt molendinos duos apud Cateractam, & quidquid in vineis, in campis & in decimis, in noſtra dioceſi illis injuſte abſtuli. Præterea cedo ſupradictis canonicis ſanctæ Mariæ & ſancti Stephani manſiones duas, quas ego ideo conſtruxi ut ipſi eas omni tempore poſſediſſent. Sunt autem ipſæ duæ manſiones prope eccleſiam S. Mariæ-majoris. Si autem evenerit, quod minime credo, ut aliquis ex ſucceſſoribus meis, ſeu quiſlibet homo cartam ad irrumpendum ſurgat, non vendicet quod temptaverit agere, ſed iram & maledictionem Dei omnipotentis percipiat, & cum Juda traditore in inferno damnetur, & cum ipſo perpetuo damnetur anathemate. Facta carta iſta in Avenione fuit calendis Aprilis, anno ab incarnatione Domini DCCCCLXXVI. S. Walchandus S. eccleſiæ Cabilicenſis epiſcopus firmavit manu propria. Silveſter epiſcopus firmavit. S. Landrici præſulis, qui hanc cartam fieri juſſit, & teſtes hanc firmare rogavit, manu ſua firmavit. Bermundus vicecomes firmavit. Eldebertus firmavit. Adalelmus firmavit. Leutfredus præſens fuit. Ridfredus firmavit. Iſnardus præſens fuit: item Iſnardus, Wernerius[a] humilis epiſcopus Avenionenſis. Durandus præſbiter ſcripſit.

VIII.

Amalricus Aquenſis archiepiſcopus dat decimas monaſterio Montis-majoris, cujus litteris ſubſcribit Petrus Avenionenſis epiſcopus.

STatutum eſt a cunctis patribus, &c. Dom. Archinricus omni honore dignus abbas Montis-majoris, cum monachorum choris acceſſit, ad Aquenſem tunc temporis pollentem antiſtitem, benignum, ſummumque Amalricum, poſcens ab eo donum ſuorum decimorum, nec non eccleſiarum videlicet ſuarum, ad augmentandam domum cui præeſt ſuorum, & grege conferendum cohabitante ſecum, tunc in Dei timore cœnobitali more. Tunc pontifex & pius, prece cujus gaviſus, canonicorum grege ſubjecta ibi lege conſtante, univerſo partim quoque ſub ferro cepere condemnare, ſibi libet dare, & cariori patri ac familiari, tandem ſumpto conſulto magno quidem reſultu, prædictus præſul primus ac clericatus cunctus dedere collaudantes, ſibique confirmantes & glorioſæ matri factoris regis Chriſti, nec non Simoni Petro apoſtolorum primo, eccleſiam S. Petri Hermenſem, decimum, villenſe, ex cunctis decimandis, ſubſtantiis & dandis, aut habeant tenentes futuri, & præſentes inhabitantes Monte videlicet majore. Anno incarnationis Domini M II. indictione I. facta carta donationis hæc in Aquis civitate publice XIII. Novemb. dato anno præſule Amalrico in conſpectu, & Archinrico patri, vel omnibus futuris, canonicorum & fidelium, ſcilicet laïcorum, Archinrico abbati monaſterio Montis-majoris, & monachis ibidem Deo famulantibus; ita quidem ut ab hac die, nemo noſtrum vel ſucceſſores noſtri, habeant licentiam ullomodo calumniandi. Signum archiepiſcopi Amalrici qui hoc fecit deſcribi. Petrus epiſcopus ſanctæ ſedis Avenionenſis, qui tunc præſens aderat, juſſu ejus firmavit. Ingilrannus epiſcopus firmavit. Heldebertus judex.

1001 *Ex autogr. Montis-maj.*

[a] Præter Landricum epiſcopum Avenionenſem, huic chartæ ſubſcripſit etiam Wernerus epiſcopus Avenionenſis: nec videatur inſolens duos ejuſdem ſedis epiſcopos eidem chartæ ſubſcribere, non enim raro accidebat ut epiſcopi prædeceſſorum ſuorum privilegus nomen ſuum poſt eorum mortem apponerent. Unde Wernerius ultimus omnium huic chartæ ſubſcripſit, utpote poſt mortem ſui prædeceſſoris.

[a] Hic Ludovicus haud dubie III. non niſi 12. annis imperavit, regnandique finem fecit an. Chriſti DCCCCXII. legendum itaque videtur anno DCCCCV. pro DCCCCXX. & an. VII. imperii Ludovici pro anno XVII.

A

IX.

Littera Berengarii patris Roſtagni epiſcopi Avenionenſis, quibus fundat prioratum Pontis Sorgiæ in gratiam Cluniacenſis cœnobii.

1063. PRæcedentium patrum aſſertio docet, & legalis inſtitutio regalium præceptorum jubet, ut omnis homo cujuſcumque dignitatis ſeu cujuſlibet conditionis, qui quaſlibet donationes ſeu venditiones, ſeu commutationes agere tentaverit, non ſolum nudis verbis id agat, ſed litterali pagina voluntatis ſuæ ſecreta inſigniri faciat, teſtiumque roboratione confirmari jubeat; quatinus per ſuccedentia curricula temporum perpetuam obtineat firmitatem, & contra obloquentias garrulitatis, B veritatis teneant fundamentum. Quocirca ego Berengarius cum voluntate uxoris meæ Giſbergæ, & filiorum meorum, videlicet Roſtagni epiſcopi, & Berengarii, Raimundi, Willelmi, Leodegarii, Roſtagni, Bertranni, ac conſilio prædicti Roſtagni Avenicæ civitatis epiſcopi ejuſque canonicorum, dono Deo omnipotenti & ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo Clunienſis cœnobii, eccleſiam SS. Trinitatis, quæ eſt ſita in territorio Avenicenſi, in caſtro quod nominatur Pons Sorgiæ, cum medietate decimarum mearum totius villæ, &c. *Varia hic recenſet dona.* Hæc omnia omnipotenti Deo & ſanctis apoſtolis ejus Petro videlicet & Paulo concedo, ut ipſe ſua ineffabili miſericordia peccata mea delcat, ſuumque ad regnum bono fine, cui laus omnis canitur, feliciter perducat. Seriem autem hujus noſtræ donationis volumus & obſecramus a nobis & a filiis, & propinquis noſtris ita auctoritate muniri, ut ſacroſancta Dei eccleſia Cluniacenſis cœnobii, abſque inquietudine perpetuum poſſideat. Qui autem roboratæ aut confirmator hujus noſtræ donationis extiterit, benedictionis gratiam in hoc ſæculo ab Omnipotenti percipiat, & in futurum præmium æternæ vitæ cum juſtis recipiat. Si vero, quod non optamus, aliquis corruptor aut invaſor hujus donationis repertus fuerit, auctoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, & ſanctæ Mariæ matris Domini, & omnium ſanctorum omniumque fidelium Chriſtianorum, ſit excommunicatus & maledictus, & a colloquio Catholicorum ſeparatus, niſi ad emendationem venerit, ſit anathema maranatha; in vinculo namque componat auri optimi libras quinque, & deinceps hæc damnatio ſtet. Willelmus comes Provincialis, & Joffredus frater ejus firmaverunt. S. Berengarii & uxoris ejus Giſbergæ, & filii ſui videlicet Roſtagni epiſcopi, Berengarii, Remundi, Willelmi, Leodegarii, Roſtagni, Bertramni, qui hanc donationem ſcribere fecerunt, & ſuis propriis manibus firmaverunt, & teſtibus ad roborandum tradiderunt, Petrus amicus, & fratres ſui videlicet Willelmus, Ildebertus & Amicus voluerunt & firmaverunt. Raimundus, Anno & Ricaudus & Wichirannus firmaverunt. Hæc nomina canonicorum Avennicæ ſedis. Pontius decanus, Roſtagnus filius ſuus, & Willelmus & Humbertus firmaverunt. Agarnus & Faraldus & Giraldus firmaverunt. Matatonus, & filius ſuus Willelmus firmaverunt. Pontius, Stephanus, Petrus, & Saliarius, Rainaldus, Faraldus, Pontius, item Pontius, Rolandus, Amblardus; omnes iſti voluerunt, & firmaverunt. Humbertus firmavi, & filius ſuus, & Willelmus & Humbertus firmaverunt. Roſtagnus & Willelmus & Leodegarius vicecomites firmaverunt. Roſtagnus & Raimundus filii Willelmi vicecomitis firmaverunt. Eſt autem edita hæc carta in Avennica urbe, XVI. kal. Martii ſub anno Dominicæ incarnationis MLXIII. indictione I. Pontio auctore, & Petro ſcriptore.

X.

Diploma Raimundi comitis Toloſæ, &c. pro monaſterio S. Andreæ Avenionenſis.

ANno incarnationis MLXXXVIII. Ego Raimundus comes Toloſæ, dux Narbonæ, marchio Provinciæ, bona fide ſicut anteceſſores mei Podium Andaonenſe, ubi ſupra ædificatum eſt monaſterium S. Andreæ, & villam ſibi adjacentem, & omnia ſibi pertinentia, & villam etiam de Angulis cum ſuis territoriis, & cum omnibus paſqueriis, pro ſalute animarum ſuarum donarunt Deo & B. Andreæ, & abbatibus ſuis & monachis, tam præſentibus quam futuris, ut ipſi libere & abſolute perpetuo in pace habeant, & poſſideant. Ego ſimiliter pro ſalute animæ meæ cedo, laudo, & dono tibi abbati Petro, & monachis, & ſucceſſoribus tuis, ut & ipſi in perpetuum quiete habeant, & poſſideant. Et ſicut ipſi donaverunt omnia quæ ſunt in territoriis ipſarum villarum, ego ſimiliter dono culta & inculta nemora, ſive aquas, ſeu etiam feudos, quos ſicut feudales mei ſolebant habere; pro anteceſſoribus meis & pro me concedo, dono & laudo meum dominium, ut ita pro S. Andrea habeant. Et quicumque de meo comitatu, aliqua de me poſſidentes, pro animabus ſuis vel pro filiis, & hæredibus prædicto monaſterio donare voluerint, plenariam ex parte mea licentiam habeant, &c. Teſtes Guillelmus de Sabrano, G. de Rocamaura, Bertrandus de Laudano, Ripertus de Cadaroſſa, Petrus C de Ponte. Ex parte abbatis, Albertus Avinionenſis epiſcopus, Roſtagnus Bellonus prior S. Andreæ, Petrus Raynardus decanus, Guillelmus de Auraſica, & multi alii.

1088. *Ex Catello hiſt. comitum Toloſ. l. 2. c. 11.*

XI.

Litteræ Gibelini archiepiſcopi Arelatenſis pro canonicis qui vitam regularem ducebant in eccleſia Avenionenſi, cujus tunc Gibelinus curam gerebat.

SAncitum eſſe conſtat, & veteribus libris inſertum, ut donationes præſignentur litterali ſignatione, quatenus contra obloquentium verboſitates perpetuam D obtinere poſſint firmamentum; donatio quoque maneat inconcuſſa. Qua propter ego Gibelinus archiepiſcopus Arelatenſis gerens curam Avenionenſis eccleſiæ, dono canonicis in clauſtro ſine proprio viventibus, omnem decimam de epiſcopali dominicatura, videlicet in Avenione, in Bertorrita, in Caſtro-novo, in Novas, in Agillo; hoc eſt in fructibus terrarum, in campiis, in theloneo, in pratis, in nemoribus, in piſcatoriis. Per * hæc omnia dono omnem decimam ſupradictis canonicis. Videant igitur epiſcopi, qui poſt nos futuri ſunt, quomodo hanc donationem firmam teneant, & frequenter cogitent, in quanto honore ſupra dicti canonici eccleſiam S. Mariæ multis diebus tenuerunt, videlicet in matutinis, in miſſarum ſolemniis, & in omnibus quæ ad ritum eccleſiaſticum pertinent; & ideo quod nos feE cimus ſimiliter faciant, & eandem gloriam quam ſperamus accipere a Deo accipiant. Acta eſt hæc carta ſub anno Dominicæ incarnationis MXCIV. indictione prima. * Signum domni Gibelini archiepiſcopi, qui hanc donationem ſcribi juſſit, & propria manu firmavit.

1094. * *f.* Supra

* *nullus* 2.

XII.

Charta Arberti epiſcopi Avenionenſis, qua plura canonicis ſuis concedit.

ARBERTUS Avenicenſis epiſcopus dilectis filiis Roſtagno præpoſito, & ejus fratribus in Avenionenſi eccleſia canonicam vitam profeſſis, eorumque ſucceſſoribus eadem religione ornatis ſalutem. Quoniam epiſcopalis regiminis officium eſt virorum religioſorum

Ex chartario eccleſiæ Avenion.

piis poſtulationibus aſſenſum impertiri, quatenus & devotionis ſinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat, inclinamus aures noſtras prædictorum fratrum noſtrorum Roſtagni præpoſiti, & aliorum juſtis petitionibus. Poſtulant enim prædicti cariſſimi fratres noſtri humilitate devota, quatenus aliqua de rebus ad epiſcopalem menſam pertinentibus, uſibus communitatis eorum paterno affectu conferamus. Admovent etiam præfatæ petitioni, ut quæ anteceſſores noſtri eiſdem fratribus contuliſſe videntur, litterarum noſtrarum aſſertione confirmaremus. Vobis itaque cariſſimis filiis & fratribus Roſtagne præpoſite; omnibuſque aliis in eadem religione permanſuris, quicquid per ſucceſſiones epiſcoporum vobis collatum eſt, præſentibus litteris perpetuo poſſidendum ſancimus. Donamus etiam vobis animorum hilaritate pro communis victus ſuſtentatione, eccleſias de Taraſcone, eccleſiam de Luparias, eccleſiam S. Pauli de Palude, eccleſiam S. Johannis de Vennoſca, eccleſiam de Morarias, & medietatem eccleſiæ B. Mariæ de Ponte, & alteram medietatem quam Cluniacenſes monachi per ſimoniam poſſident, ſi quandoque recuperare poteritis, abbatiamque S. Tirſi cum decimis, primitiis, alodiis, omnibuſque ad eas jure pertinentibus. Donatione equidem ſubnixa non minus conferimus vobis cariſſimis filiis atque fratribus eccleſiam S. Mariæ de Caſtello cum honore atque theſauro, decimis, primitiis, alodiis & omnibus ad eam jure pertinentibus, & quicquid ab ea, negligentia tyrannorum alienatum eſt, vobis requirendum & poſtea poſſidendum mandamus. In hac autem prædictarum eccleſiarum donatione retinemus, ut quarta pars pauperum, ſicut cenſent canones, ſalva ſit, & inviolata neceſſitatibus pauperum profutura. Eccleſiam autem de Interaquis cum pertinentibus ſuis eadem bona voluntate fraternitati veſtræ donamus, ſalva juſtitia pauperum.

Per omnes equidem ſupra memoratas eccleſias epiſcopalis obedientia & auctoritas canonice ſervetur; & ſynodalis cenſus ſolito more perſolvatur. Eodem autem ſpiritu benignitatis atque liberalitatis in cariſſimos fratres noſtros ducti adjungimus ſupra memoratæ largitioni noſtræ, decimas atque primitias omnium terrarum cultarum, atque incultarum, omniumque vinearum, omniumque inſularum Avenioni adjacentium, abbatiarum S. Ruſi atque S. Agricolæ decimis & primitiis exceptis. Hæc autem quæ ceſſione noſtræ largitionis atque liberalitate noſtræ bonæ voluntatis, pro ſuſtentatione humanæ neceſſitatis vobis dilectiſſimis filiis devote collata ſunt, ſi qua in craſtinum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hujus noſtræ conſtitutionis paginam ſciens fraternitati veſtræ temere auferre tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac Domini Redemtoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem conſtitutionem noſtram ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Hæc autem carta facta eſt Avinioni in epiſcopali domo, dictante Arberto ejuſdem civitatis epiſcopo, ſcribente vero Bernardo Raimundi ejuſdem præfati præſulis diacono.

XIII.

Privilegium Urbani II. pro canonicis eccleſiæ Avenionenſis.

1096. *Pontificatus Urbani.*

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Silveſtro præpoſito & ejus fratribus in Avenionenſi eccleſia canonicam vitam profeſſis, eorumque ſucceſſoribus in eadem religione permanſuris in perpetuum. Piæ poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, quatenus & devotionis ſinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Quia igitur vos, o filii in Chriſto cariſſimi, per divinam gratiam aſpirati mores veſtros ſub regularis vitæ diſciplina coercere, & communiter ſecundum SS. patrum inſtitutionem omnipotenti Deo deſervire propoſuiſtis, nos votis veſtris paterno congratulamur affectu. Unde etiam petitioni veſtræ benignitate debita impertimur aſſenſum, & vitæ canonicæ ordinem quem profeſſi eſtis præſentis privilegii auctoritate firmamus; & ne cui poſt profeſſionem exhibitam proprium quid habere, neve ſine præpoſiti congregationis licentia de claustro diſcedere liceat, interdicimus; & tam vos quam veſtra, omnia ſedis apoſtolicæ protectione munimus. Vobis itaque veſtriſque ſucceſſoribus in eadem religione permanſuris ea omnia perpetuo poſſidenda ſancimus, quæ in præſentiarum pro communis victus ſuſtentatione poſſidere videmini; eccleſiam ſcilicet S. Marthæ apud Taraſconem, S. Agricolæ de Lupera, & S. Pauli de Palude, S. Dom .... & S. Columbæ de Cortedune &c. S. Georgii de Garriga, pagi de Mairanica partem quartam, & inſularum ad ipſum pertinentium. Univerſas præterea Avenionenſis eccleſiæ præbendas & honores ſeu diſpenſationes quas hodie poſſidetis vos qui auctore domino vitam canonicam ducitis, ſive quas clericorum quidam obtinent, qui necdum propriis abrenunciaverunt, communitatis veſtræ uſibus confirmamus, quocumque in tempore illas aperiri contigerit, & quæcumque deinceps conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium, juſte atque canonice poteritis adipiſci. Ad hæc decernimus, ut defuncto eccleſiæ veſtræ epiſcopo ſucceſſoris electio potiſſimum, veſtrorumque ſucceſſorum, qui canonice vixerint, deliberatione perſiſtat. Id ipſum etiam de univerſo eccleſiæ ſeu claustri veſtri præpoſitis, ſive diſpenſatoribus eligendis perpetuo obſervandum cenſemus. Si qua ſane in craſtinum eccleſiaſtica, ſeculariſve perſona hujus noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecunda tertiave commonitione, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem congregationi juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Avenione per manum Joannis R. eccleſiæ diaconi cardinalis XVII. kal. Octob. indictione III. anno Dominicæ incarnationis MXCVI. pontificatus domini Urbani papæ anno octavo.

XIV.

Fundatio ſancti Remigii Avenionenſis pro abbate, & monachis S. Remigii Remenſis, auctore & benefactore Arberto epiſcopo.

1100. *Ex archiv. S. Remigii.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti, ego Arbertus Avenionenſis epiſcopus. Divina lex præcipit, & mundana illud idem aſſerit, ut qui ſuum aliquid in alterius transfundere poteſtatem voluerit, per paginæ teſtamentum tradat, ut in poſterum quietum, inconvulſumque contra impetentes permaneat. Quapropter ad memoriam poſterorum tradere curamus, quod S. Remigii abbas cum ſuis monachis, per ſuos legatos noſtram adiens fraternitatem ſuppliciter petiit, quatenus ex pertinentiis ad menſam epiſcopalem eis aliqua concederemus. Quoniam igitur piorum religioſorumque virorum eſt Dei ſervorum vitam tueri, eorumque inopiam ope qua valent in omnibus ſublevare; ego Arbertus Avenionenſis epiſcopus, una cum conſilio canonicorum noſtrorum petitioni eorum aſſenſum prebentes, eccleſiam & villam S. Remigii cum capella, cimiterio, oblationibus, decimis, primitiis, allodiis, omnibuſque ad eam jure pertinentibus eis hoc pacto concedimus, ut annuali cenſu Avenio-

nensi episcopo quinque Melgorienses solidos persolvant, & obedientiam matri ecclesiæ in omnibus exhibeant, retinentibus etiam in præfata ecclesia medietatem omnium decimarum dividendam, sicut sacri canones censent, inter episcopum & pauperes; per omnia autem episcopalis reverentia, necnon & dignitas serveturi. Si quis autem diabolico spiritu incitatus hanc nostram donationem inquietare aut irrumpere tentaverit, nil valeat; sed ab omni ecclesia segregatus, judicioque damnatus: insuper hæc nostra donatio firma & stabilis permaneat omni tempore. Actum est hoc publice Avenione, anno ab incarnatione Domini MC. anno pontificatus domini Paschalis primo, episcopatus vero præfati præsulis IV. Gibilinus Arelatensis archiepiscopus firmavit. Rostagnus præpositus firmavit. Austrandus, Raincardus, Girardus, Elitias, Rostagnus, Berengarius Forojulienſis episcopus, hi omnes firmaverunt.

XV.

Littera Adalaxis Avennicensis & Forcalquerienſis comitissæ, quibus cedit nepotibus ſuis comitatus ſuos, præſente Laugerio Avenionenſi epiſcopo.

1129. ROmana lex præcipit, & antiqua consuetudine sancitum est, ut quicumque donum sui honoris alicui facere voluerit, scripta authoritate, ac testium confirmatione corroboretur, atque laudetur, ut in succedenti tempore firma stabilitate permaneat subnixum. Igitur ego Adalax Avennicensis atque Forcalcherienſis comitissa, dono, concedo, & laudo filiis filii mei Wilelmi comitis, Bertranno atque Guigoni nepotibus meis, omnem meum honorem, totiusque Provinciæ potestatem, atque dominium, ubicumque mei juris est, retento mihi tantum usufructu de meis dominicaturis, ad victum & vestitum meum quando vixero. Hanc donationem facio tali pacto & tenore, ut nulli alii aliquid mei honoris ulterius donare possim, sine illorum legitima laudatione, & confirmatione. Facta est autem hæc donatio in Avennica civitate, post mortem Willelmi comitis mense Octob. quo ipse mortuus est, in præsentia Laugerii ejusdem civitatis episcopi, & Bernardi Andusiæ, aliorumque multorum testium, quorum nomina subscribuntur. Anno Dominicæ incarnationis MCXXIX. indictione VI. Guirannus & Bertrannus fratres, Bertrannus de Sanione, Isnardus de Dalfino.

XVI.

Privilegium Friderici imperatoris Gaufredo epiſcopo Avenionenſi conceſſum.

1157. *Ex archiv. archiepiscop. Avenionens.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator & semper augustus. Quandocumque nostræ imperialis donationis vel corroborationis pie exposcitur suffragium, celeri effectu est attribuendum. Et si in his exposcitur quæ durare perpetuo videntur, litteris est etiam annotandum, ne prolixitas temporum posteris hoc dubium reddat vel incertum. Omnibus igitur tam futuris quam præsentibus Christi imperiique nostri fidelibus notum esse volumus, qualiter nos Gaufredum venerabilem Avennicæ civitatis episcopum ad curiam nostram venientem benigne suscepimus, honorifice tractavimus, & accepta ab eo debita fidelitate, & hominio de omnibus regalibus sive possessionibus vel justiciis, quas Avenionensis ecclesia largitione regum vel imperatorum, vel oblatione fidelium legitime visa est hactenus possidere, plenarie eum investivimus. Concessimus itaque præfato episcopo Gaufredo, & per eum omnibus successoribus suis in perpetuum, villam videlicet quæ Episcopalis vocatur infra muros Avennicæ civitatis, & medietatem de descensu Rodani, & tertiam partem portus prædictæ civitatis, & insulam subtus Avenionem sitam, quæ ab oriente terminatur rivulo Surgilione, ab occidente vero Rodano discurrente, & quicquid a nobis habet vel habere debet in territorio præfatæ civitatis in terris cultis & incultis, vineis, aquis, aquarumque decursibus, mercatis, naulis, theloneis, castellis, villis, vicis, areis, servis, ancillis, tributariis, forestibus, silvis, venationibus, molendinis, campis, pratis, pascuis & paludibus, quarum quædam propriis duximus exprimenda vocabulis; villam Bethorritæ cum omnibus appenditiis suis; Castrum-novum cum appenditiis suis; castrum de Novis cum appenditiis suis; villam de Agel cum appenditiis suis. Hæc supradicta omnia & subtus notata damus & confirmamus Gauferedo Avinionensi episcopo, & ecclesiæ suæ, salva per omnia imperiali justitia. Nulla in his infestatio tyrannorum sæviat, nulla potestas per violentiam irruat, solus episcopus habeat in omnibus plenariam jurisdictionem. Præterea imperiali auctoritate per omnem episcoparum Avinionensem interdicimus, ut non liceat alicui hominum ecclesiasticæ personæ vel seculari, masculo vel feminæ, eorum quæ ab Avinionensi ecclesia modo possidet, vel in posterum possederit, aliquid vendere vel alienare, vel in alienum dominium transfundere, seu etiam relinquere, vel in feudum constituere sine consilio & permissione Avinionensis episcopi, & successorum suorum. Sit itaque præfatus episcopus cum supradictis omnibus possessionibus ab omni extranea & iniqua securus potestate. Verum in nostra imperiali ditione immobilis semper permaneat. Ut autem huic nostræ confirmationi nihil ad perfectionem valitudinis deesse possit, præsentem inde paginam conscribi, & aurea bulla nostra insigniri jussimus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina hæc sunt: Humbertus Bisuntinus archiepiscopus, Odo Valentinus episcopus, Mathæus dux Lotharingiæ, comes Udalricus de Lencaburch, comes Hugo de Tagesburch, comes Stephanus, Walcherius de Salins, Odo Campanienſis. Signum Friderici Romanorum imperatoris invictissimi. Ego Reinaldus cancellarius vice Stephani Viennensis archiepiscopi, & archicancellarii recognovi. Datum Bisuntii IX. kal. Decembris indictione V. anno Dominicæ incarnationis MCLVII. regnante domino Friderico Romanorum imperatore glorioſissimo anno regni ejus VI. imperii vero III. *Infra pendet ſigillum aureum.*

Hæc charta mutilata & imperfecta eſt edita in hiſt. epiſcop. Avenion. ſed nos eamdem deſcripſimus fideliter ex authentico.

Aliud privilegium idem Gaufredus obtinuit ab eodem Friderico imperatore 1161. Datum apud Novam Laudam habito generali concilio, quod dominus Victor papa IV. celebravit præsente domino Friderico imperatore augusto.

XVII.

Præceptum Friderici imperatoris in gratiam Gaufredi epiſcopi Avenionenſis.

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator semper augustus fidelibus suis clero Avenionensi, consulibus & militibus, & populo suo gratiam suam. Significavimus, quod remoto omni dubio, apud vos certum esse debet, quod episcopum vestrum Gaufredum pro sinceritate fidei sive gratiæ quam circa nos ad honorem imperii omni exhibitione declaravit, sicut dilectum & honestum principem nostrum arctius amplecti & fovere, & amplius honorare decernimus: utpote cujus personam, cujus ecclesiam, cujus possessiones universas, auctoritate nostri privilegii communimus. Pro certo itaque scire debetis, quod nos ecclesiam Avenionensem cum omnibus castris & villis, & ceteris omnibus possessionibus intus & foris pro honore & servitio imperii ad manus nostras specialiter, ita integre volumus retinere & conservare, quod nunquam alicujus dominio, nisi tantum nostro nostrorumque successorum regum & imperatorum ea subjiciemus. Præcipimus igitur, modis omnibus prohibendo, ne supra pontem Mali passus, quem nos episcopo fideli nostro concessimus

& confirmamus aliquas munitiones ædificare, abſque voluntate & conſilio epiſcopi aliquis præſumat. Si quis autem prædictum epiſcopum, vel ejus eccleſiam, vel poſſeſſiones inquietare, vel gravare præſumpſerit, mandamus veſtræ omnium fidelitati rogantes & præcipientes, quatenus vice noſtra conſilium & auxilium epiſcopo fideliter præbeatis, & in omnibus manum teneatis.

XVIII.

Gaufredo. *Diploma Friderici imperatoris pro G.° epiſcopo, & eccleſia Avenionenſi.*

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator, & ſemper auguſt. clero, conſulibus, & univerſo populo Avinionenſi gratiam ſuam & omne bonum. Devotionis veſtræ fidelitas quantum nobis obſequio ſubjiciatur ex relatu dilecti noſtri G. Avinionenſis epiſcopi ſatis didicimus, & multotiens effectu proſequente ſenſiſſe meminimus. Quamobrem de laudabilibus obſequiis & larga devotione vobis gratias referentes, de eo nihilominus grates referimus, qui eumdem epiſcopum, ſicut ipſe aſſerit, & ejus eccleſiam ſincere diligitis & congruis obſequiis favorabiliter honoratis. Nos enim epiſcopum & eccleſiam ſicut jam dudum ſub noſtra protectione ſuſcepimus, ita & adhuc perpetua defenſione tenemus, & neque hactenus conceſſimus, neque in poſterum concedemus, quod epiſcopus vel eccleſia Avenionenſis alicujus eccleſiaſticæ vel ſæcularis perſonæ dominio vel poteſtati debeat in temporalibus ſubjacere, niſi nobis tantum noſtriſque ſucceſſoribus imperatoribus & regibus Romanorum. Ad hæc præterea duximus adnectendum quod jura, dignitatem quoque & libertatem, quam habere civitas conſuevit, ei perpetuo volumus conſervare, nec ullo unquam tempore earumdem diminutionem, Deo volente, fieri patiemur. Nihilominus vero ſcire vos volumus, quoniam precibus & interventu carißimi noſtri Avinionenſis epiſcopi, quod ad mandatum noſtrum venire contemſiſtis vobis ad præſens remittimus. In præſentiarum vero ſtatuimus, & perpetuo jubemus, ut in rebus & poſſeſſionibus ipſius epiſcopi, & eccleſiæ ſuæ nemini liceat in ædificiis aut teloneis ſive pedaticis, aut aliis quibuſlibet modis aliquid novum facere vel inſtituere, ſine epiſcopi vel eccleſiæ ſpontanea conceſſione. Quod ſi quis facere tentaverit, omni jure & ſtabilitate carere cenſemus, & noſtras iracundias cum gravi pœna ſe noverit incurſurum.

XIX.

Privilegium Friderici imperatoris in gratiam Judæorum, quos Pontio Avenionenſi epiſcopo ſubdit, & commiſſis defendendos.

1178. Ex MS. hiſt. Avenion. Andreæ Wadingi abbatis S. Anaſt.

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator. Noverint igitur imperii noſtri fideles tam futuri quam præſentes, quod nos attendentes prudentiam, conſtantiam & fidelitatem, quibus dilectus ac fidelis noſter Pontius Avenionenſis eccleſiæ venerabilis epiſcopus conſpectui noſtræ majeſtatis complacere meruit; Judæos in ſua civitate manentes, qui ſpecialiter ad cameram noſtram pertinere dignoſcuntur, & ex noſtræ tuitionis patrocinio magis ſecuri, & defenſi debeant conſiſtere: eos utique qui vel nunc ibi reperiuntur, vel in futurum illic habitare decreverint, eidem fideli noſtro Pontio Avenionenſi epiſcopo committimus; ut ipſe vice noſtra præſit, & ſtudeat eos commodius fovere, manutenere, & ab omni violentia defendere. Quod ea prorſus intentione facimus ut ipſos Judæos ab exactionibus comitum, nobilium, & quorumlibet aliorum vexationibus liberemus. Et præterea ex noſtræ dignationis munificentia concedimus eidem Pontio epiſcopo, & per eum ſuis in perpetuum ſucceſſoribus, portum & plena jura portus in flumine Druentia, a loco qui vocatur Rometa uſque ad Rhodanum, & hoc ex parte illius caſtri, quod vocatur Berbentana; & ex parte Avenionis uſque ad Sorgentilum: ita quod infra hos terminos quocumque prædictum flumen brachia ſua extenderit, liceat epiſcopo portum facere ubicumque voluerit. Datum apud caſtrum Montilium Ademari anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo, indictione XI. quarto nonas menſis Auguſti.

XX.

Privilegium Roſtagni epiſcopi Avenionenſis pro civibus Avenionenſibus.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus & futuris, quod anno Dominicæ incarnationis MCXCVIII. menſe Decembris dominus Roſtagnus Avinionenſis epiſcopus & conſules qui eo tempore in civitate Avinionenſi, dignitate & officio conſulatus fungebantur, Petrus Bermundus Mataronus, S. Bertrandus de Montibus, Petrus Roſtagnus, Petrus de S. Laurentio, Guillelmus Hugo, Bertrandus Rancurelli, Pontius Rainaldi, & Hugo de Maiſſana, conſilio Audeberti de Novis judicis jurati; multorum etiam civium Avinionenſium, tam cauſidicorum & militum, quam aliorum proborum virorum requiſito & habito, conſilio, & aſſenſu, ſicut eſt conſuetudo in magnis & caris negotiis requirere & habere. Pro honore ſiquidem & utilitate civitatis ex communi conſilio ab omnibus unanimiter approbato conſtituerunt, & perpetuo ſervandum auctoritate ſua & decreto mandaverunt, ut omnes cives & habitatores civitatis Avinionenſis, cum blado, farina, vel quibuſlibet mercibus, aut aliis rebus ſuis per Rodanum deſcendentes vel aſcendentes, vel alio quocumque modo per terram vel per aquam euntes, vel in civitate Avinionenſi manentes, tam ipſi quam omnes res eorum a tolta & a præſtatione, & uſatico toltæ, quæ ad ripam percipi ſolebat, liberi ſint & abſoluti. Et quod nemini de cetero liceat de rebus civium vel habitatorum hujus civitatis aliquid nomine toltæ prædictæ exigere umquam vel extorquere, vel aliquod gravamen aut moleſtiam civibus vel habitatoribus Avinionenſibus nomine vel occaſione toltæ deinceps inferre. Ad cujus rei firmitatem & memoriam præſens inſtrumentum fieri & auctoritate ſua muniri & corroborari dominus epiſcopus & conſules pariter voluerunt & mandaverunt. Actum eſt hoc in camera veteri domini epiſcopi, præſentibus ut dictum eſt R. epiſcopo, & conſulibus prænominatis, & judice & aliis pluſquam quadraginta probis civibus antedictis, qui ad hoc vocati interfuerunt, & rei prædictæ executioni conſilium ſuum & aſſenſum ſolemniter præbuerunt. Ego Stephanus notarius auctoritate & mandato domini epiſcopi, & conſulum pariter & judicis, præſens inſtrumentum ſcribi feci & ſubſcripſi, & bulla conſulum ſignavi & ſigillo domini epiſcopi.

1193. Examinopolo.

XXI.

Bulla Innocentii IV. pro reſtituendo Monti-majori, caſtro de Pertuſio.

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, illuſtribus fœminis comitibus Folchacherienſibus, Guiranno de Simiana & B. R. nobilibus viris, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Monaſterium Montis-majoris B. Petri juris exiſtit, & ad ſanctam Romanam eccleſiam ſpecialiter noſcitur pertinere. Anteceſſores ſi quidem veſtri locum ipſum plurimum diligentes, caſtrum Pertuſium pro animarum ſuarum ſalute præfato monaſterio contulerunt. Willelmus quoque comes poſt longas infeſtationes eidem illatas, jam dictum caſtrum per manum fratris noſtri L. Avignionenſis epiſcopi prædicto monaſterio in morte ſua reſtituit. Idcoque nobilitati veſtræ per præſentia ſcripta mandamus, quatinus prænominatum caſtrum, jam dictum monaſterium ſine inquietatione poſſidere, & ſine moleſtia permittatis, & ab infeſtatione de cetero deſiſtatis; alioquin præfatum monaſterium ſua privari juſtitia nullatenus patiemur. Datum apud S. Egidium X. kal. Octob.

Digitized by Google

A

XXII.

Diploma Alphonſi Toloſæ comitis & Caroli Andegaviæ comitis & marchionis Provinciæ, quo Zoen Avenionenſi epiſcopo pollicentur hæreſis exſtirpationem, & jurium epiſcopalium conſervationem.

1251. *Ex archiv. epiſcopi Avenion.*

NOverint univerſi præſentem paginam inſpecturi, quod anno Domini MCCLI. ſexto idus Madii, nos Alphonſus Dei gratia comes Pictaviæ & Toloſæ, & marchio Provinciæ, & Carolus eadem gratia comes Andegaviæ & Provinciæ & Forcalquerii, marchio Provinciæ & dominus Arelatis promittimus, vobis domino Zoen divina providentia epiſcopo Avinionenſi, recipienti nomine & vice Avinionenſis eccleſiæ, pro vobis & ſucceſſoribus veſtris, quod nobis tenentibus civitatem Avinionenſem extirpabimus & curabimus extirpari de civitate prædicta, & diſtrictu ipſius hæreticam pravitatem, & ſervabimus & manu tenebimus poſſeſſiones, libertates, & omnia jura eccleſiæ Avinionenſis & eccleſiarum civitatis & dioceſis, & eccleſiaſticorum virorum in noſtra poteſtate exiſtentium; & faciemus, quod vicarius noſter qui pro nobis veniet ad regimen civitatis ejuſdem, præſentabit ſe vobis in civitate exiſtente, aut ſi eſſetis extra civitatem in dioceſi, nunciabit vobis diem qua debeatis intereſſe, & cum conſilio veſtro, & voluntate intrabit ad regimen civitatis, ſi non fuerit excommunicatus, vel hæreticus aut de hæreſi ſuſpectus, vel alias manifeſte malus; in quibus caſibus eum repellere valeatis, alias dimittatur. Admiſſus autem jurabit quod extirpabit de civitate & terra ſibi commiſſa hæreticam pravitatem, & quod manu tenebit & defendet pro viribus perſonam veſtram & familiam veſtram, & clericos ſui diſtrictus, & poſſeſſiones & libertates, & temporalia jura eccleſiaſtica, & eccleſiaſticorum virorum, & de juribus & eccleſiaſticorum virorum nihil penitus per ſe vel per alios ſcienter uſurpabit; & civitatem & diſtrictum ſuum reget ſecundum jura & laudabiles conſuetudines ipſius: quod juramentum præſtabit in manu veſtra, in publica concione; aut ſi nolueritis vel non potueritis intereſſe, faciat illud in manibus alterius cujuſcumque; & volumus quod ſic fiat noſtris temporibus, & omnium ſucceſſorum noſtrorum. Item volumus quod in præconiſationibus nomen veſtrum præponatur, ſicut fieri conſuevit; & quod generale conſilium teneatur ſicut hactenus exſtitit obſervatum. Acta ſunt omnia ſupradicta apud Avinionem in domo domini epiſcopi ſupradicti, in camera ſuperiori, juxta majorem aulam ſuperiorem, ubi fuerunt præſentes venerabilis pater dominus Guillelmus Dei gratia epiſcopus Aurelianenſis, dominus Vicedominus camerarius Biterrenſis, capellanus domini papæ, dominus Bert Cavellerii canonicus Vivarienſis, dominus Henricus de Saliaco, dominus Guido de Caproſia, dominus Robertus de S. Claro, dominus Johannes de Granchia, Guillelmus de Gaiis milites, & ſocii dominorum comitum prædictorum. Et ego P. Duranti publicus notarius iis omnibus præſens fui, qui de mandato expreſſo eorumdem dominorum comitum hanc chartam feci, & ſigni mei munimine communivi, & nos comites præfati in teſtimonium omnium prædictorum & firmitatem majorem, præſentem cartam ſigillis noſtris pendentibus duximus roborandam.

Idem privilegium confirmavit Andreæ epiſcopo & ampliavit Carolus II. Jeruſalem & Siciliæ rex, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii comes 1292.

XXIII.

Bulla Clementis papæ IV. ad B. Avenionenſem epiſcopum de numero 30. *canonicorum in eccleſia Avenionenſi ponendo.*

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri B. epiſcopo Avinionenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Divini cultum numinis adaugeri ubilibet affectantes, ſuper his aſſidue promti ac favorabiliter volumus inveniri, per quæ augmentum hujuſmodi valeat procurari. Cum igitur, ſicut ex parte tua fuit propoſitum coram nobis, Avinionenſis eccleſia adeo per Dei gratiam abundet in facultatibus, quod ad ſuſtentationem triginta canonicorum congruenter ſufficere dinoſcantur, & horum canonicorum multo pauciores hujuſmodi numero inibi habeantur: nos tuis ſupplicationibus inclinati, ut ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, & dilecti filii capitulum ejuſdem eccleſiæ a te moniti diligenter infra duorum menſium ſpatium poſt monitionem tuam tot perſonas idoneas de tuo conſenſu ibidem in canonicos admittere non curarint, quod ex eis prædictus trigeſimus canonicorum numerus compleatur, tu ex tunc aliquos idoneos clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, qui viceſimum quintum ætatis ſuæ annum ad minus attigerint, & velint in eccleſia ipſa ſub habitu regulari domino deſervire, prout utilitati ac bono ipſius eccleſiæ ſtatui providentia tua expedire cognoverit, auctoritate noſtra in canonicos ibidem inſtituere, necnon & contradicto eſ ſuper hoc per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita valeas coartare, non obſtante ſi aliquibus a ſede apoſtolica ſit indultum, quod ad receptionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli, ſive quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem ſeu, qualibet alia ſedis ipſius indulgentia per quam id impediri valeat vel differri, fraternitati tuæ auctoritate præſentium duximus concedendum. Datum Peruſii II. cal. Decembris, pontificatus noſtri anno I.

Ex autogr.

XXIV.

Formula hominii & recognitionis data a Bertrando Avenionenſi epiſcopo, Roberto regi ejuſque filio Carolo, Provinciæ comitibus.

IN Dei nomine. Anno incarnationis MCCCIX. die III. Decembris, VIII. indictione. Pateat per hoc inſtrumentum univerſis, quod Bertrandus Avinionenſis eccleſiæ epiſcopus, exiſtens in præſentia excellentiſſimi principis domini Roberti Dei gratia Jeruſalem & Siciliæ regis illuſtris, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii, ac Pedemontis comitis, ſciens & recognoſcens eumdem dominum regem fore naturalem, verum heredem, & legitimum ſucceſſorem univerſalem & in ſolidum, in regnis & comitatibus ſupradictis, claræ memoriæ Caroli II. præfati domini regis genitoris, quondam prædictorum regnorum regis, & dictorum comitatuum comitis, eidem regi Roberto præſenti, recipienti pro ſe, tanquam pro vero domino, & inclito Karolo primogenito ſuo & duci Calabriæ, ac aliis ejus hæredibus natis jam, & inantea naſcituris, recognovit ſponte, & conſenſu aſſeruit ſe tenere, & tenere debere ſeu poſſidere, vel quaſi ab eodem domino rege, & ſub ejus dominio, caſtrum de Novis, & territorium de Agello cum pertinentiis eorumdem, pro quibus eidem regi Roberto recipienti nominibus ſupra dictis fidelitatem promiſit verbo tenus abſque vinculo juramenti. Recognovit inſuper & confeſſus fuit, ſe tenere & tenere debere ſub ejus dominio & ſenhoria juxta morem antiquum, prout ipſe & prædeceſſores ejus prædeceſſoribus dicti regis alias recognoverunt, & eidem, caſtra & villas de Berbentana & de Verqueriis cum pertinentiis eorumdem; partem etiam territorii

1309. *Ex autogr.*

Digitized by Google

territorii de Ayraga, acquiſitam olim per Avinionenſem epiſcopum predeceſſorem ſuum, a Petro Amici quondam domino dicti loci, pro quibus eidem regi Roberto requirenti nominibus quibus ſupra, tanquam vero domino ſuo præpoſitis ſacro-ſanctis evangeliis, ſibi prædictis nominibus fidelitatis præſtitit juramentum. Unde ad æternam rei memoriam, dicti regis & heredum ſuorum cerritudinem & cautelam, facta ſunt per me infra nominatum notarium duo conſimulia inſtrumenta, unum pro ipſo rege, & aliud pro dicto prælato. Actum Aquis in palatio regio in aula veteri. Teſtes fuerunt ad hæc vocati Franciſcus Gaietanus epiſcopus, dominus Joannes Pipinus, Herricus de ſancto Severino, Rainaldus de Lerco ſeneſcallus Provinciæ, Andreas de Hernia, dom. Petrus de Caſtro-novo, Joan. Cabiſole, Matharus Filmarinus, Nic. Caraſulus. Signum Raimundi Wilermi notarii.

XXV.

Bulla Urbani V. qua Anglico Avenionenſi epiſcopo facultatem dat teſtamentum faciendi.

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Anglico epiſcopo Avinionenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Devotionis tuæ ſinceritas quam nos olim in minoribus conſtituti, & deinde ad apicem ſummi apoſtolatus evecti, in negotiis magnis & arduis, experientia longa probavimus, promeretur, ut votis tuis in his præſertim quæ tuæ aliarumque animarum ſalutem reſpiciunt, favorabiliter annuamus. Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, ut de fructibus, & proventibus eccleſiæ tuæ Avinionenſis cui præes, & alterius cujuſque, ad quam forte te transferri, ſeu cujuſlibet dignitatis ad quam aſſumi, ac beneficiorum quorumlibet quæ tibi commendari, ſeu de ipſis provideri contigerit in futurum; nec non de bonis quæ ex induſtria, vel contemplatione perſonæ tuæ, ſeu quocumque alio modo, & undecumque licite tamen ad te obvenientibus, & in poſterum obventuris, poſſeſſiones, redditus, proventus, hæreditates poſſeſſas per laicos, & quaslibet alia, res & bona emere, ſeu acquirere & appropriare ad certum tempus, vel in perpetuum pro tuo arbitrio, pro capellis conſtruendis, de ipſiſque fructibus, & proventibus, ac poſſeſſionibus, redditibus, hæreditatibus, & decimis pro tua, & progenitorum tuorum, & aliorum de tuo genere, animarum ſalute, eccleſias ſeu capellas, ac hoſpitalia, & alia pia loca conſtrui facere, & capellanias perpetuas inſtituere, ordinare & dotare, necnon tuam & aliorum de dicto tuo genere exſtrui facere ſepulturas, ipſaſque poſſeſſiones, redditus, proventus, hæreditates, decimas ac res, & bona per te empta, ſeu acquiſita, ſeu eorum partes in illa opera pietatis convertere, & deputare, ubi, quando, quotiens, ac de ſumma, ſeu ſummis quibus tibi videbitur expedire, fraternitati tuæ plenam auctoritate apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem; non obſtante * quod ordinis S. Auguſtini profeſſor exiſtas, & apoſtolicis, ſeu aliis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque. Datum Avenione IV. nonas Auguſti pontificatus noſtri anno primo.

* obſtantibus.

XXVI.

Littera de inſtitutione ſororum Viſitationis beatæ Mariæ apud Avenionem.

1623. Idibus Sept. ANNO MDCXXIII. die XVIII. menſis Decembris, coram illuſtriſſimo & RR. domino fratre Stephano Dulci, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia Avinion. archiep. camerario & executore apoſtolico ad infra ſcripta ſpecialiter deputato, in meique notarii publici apoſtolica & regia auctoritatibus conſtituti, archiepiſcopatuſque Avenionenſis ſecretarii, teſtiumque infra ſcriptorum præſentia, comparuit nobilis & egregius dominus Franciſcus Felix in utroque doctor Avenionenſis, procurator & eo nomine Blanchæ Morarde, Lionetæ Borſellete, Alexandræ & Franceſiæ de Pugets ſororum, Mariæ de Sommeyre, Giolandæ de Labeæ, Margaretæ de Capellis, Margaretæ de Bolliers, Mariæ de Gitalis, Magdalenæ de Felix, & Franceſiæ de Mazelli, prout de ejus mandato conſtare fecit per D. Joannem Topenas notarium Avenionenſem de anno & die præſentibus, quod debite ſignarum per eundem D. Topenas remiſit & produxit tenoris infra ſcripti: qui eidem illuſtriſſimo D. archiepiſcopo dixit & expoſuit, qualiter ſupra nominatæ devotione motæ & deſiderantes terrena in celeſtia, & tranſitura in æterna bona felici commercio permutare, in laudem Dei omnipotentis, ac gloriоſiſſimæ virginis Mariæ, necnon in augmentum cultus divini in quandam domum præſentis civitatis Avenion. jam a quibuſdam annis ſe recepiſſe, inibique pie & devote vixiſſe, ac divinis laudibus inſtitiſſe, ſitam in parochia S. Petri & Carreria nuncupata vulgariter *la Correterie des chevaux*: quam domum cupientes in monaſterium monialium ordinis S. Auguſtini, ſub titulo B. Mariæ de Viſitatione erigi, obtinuiſſe bullas apoſtolicas ab illuſtriſſimo & RR. domino Coſmo Bardo ex comitibus Verniæ Carpentor. epiſcopo, Aven. vicelegato eidem domino archiepiſcopo directas, ad effectum domum præfatam in monaſterium monialium dicti ordinis erigendi, cum clauſula, ſi eſt ita, quatenus præfata domus ſit ad formam monaſterii ſufficienter reducta, & debita clauſura munita, ſacraque & profana ſuppellectile luculenter inſtructa, illique tot cenſus, redditus aut proprietates ſive bona ſtabilia per dictas exponentes ſeu alios Chriſti fideles, quorum annuus valor ad competentem monaſterii dotem ac illius abbatiſſæ, prioriſſæ, & monialium congruam ſuſtentationem, onerumque incumbentium ſupportationem ſufficiant, perpetuo donata & aſſignata fuerint, ut ita unum monaſterium monialium ordinis S. Auguſtini cum eccleſia, campanili, campanis, cemeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, ceteriſque officinis & membris neceſſariis pro una abbatiſſa, prioriſſa & competenti monialium numero, quæ inibi juxta regularia dicti ordinis, ſub illius regulari habitu Altiſſimo perpetuo famulentur, divinuſque laudibus inſiſtant, ac alias in omnibus & per omnia ad inſtar aliorum monaſteriorum monialium dicti ordinis Anitii in Sabaudia, Pariſiis & Lugduni inſtitutorum ſub titulo B. Mariæ de Viſitatione perpetuo auctoritate apoſtolica, ſub correctione, viſitatione, obedientia, ſuperioritate, juriſdictione, tam ſpirituali quam temporali ejuſdem illuſtriſſimi & RR. domini Avenionenſis archiepiſcopi, & pro tempore exiſtentis ejuſque vicarii generalis erigant & inſtituant, necnon ſub aliis qualitatibus & clauſulis in dictis bullis contentis, quas ſub datum Avenioni in palatio apoſtolico die ſeptima præſentis menſis Decembris ſignatas Decoborno ſecretario & regiſto legationis ejuſdem munitas, non vitiatas, raſas nec in aliqua parte ſuſpectas, ſed omni vitio & ſuſpicione carentes præſentando eidem illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino archiepiſcopo petiit ad executionem illarum procedi per dictum illuſtr. D. archiep. prout per eaſdem committitur, mandatur, dictaſque bullas interim regiſtrari. Memoratus illuſtr. & RR. dominus Avenionenſis archiepiſcopus, viſis dictis bullis apoſtolicis illarumque perſpecto tenore, cum debitis honore & reverentia recepit, & ad executionem petitam promptum & paratum ſe obtulit; prout per illas ſibi committitur & mandatur eaſque regiſtrari per me dictum notarium & ſecretarium: de quibus omnibus dictus dominus Felix procurator præfatus petiit actum & inſtrumentum a me dicto notario, quæ acta fuerunt Avenioni, in palatio archiepiſcopali & Camera ſolitæ reſidentiæ ejuſdem illuſtriſſimi & RR. domini archiepiſcopi: præſentibus ibidem D. Joanne vicario preſbitero domeſtico dicti illuſtriſſimi domini archiepiſcopi, & Joanne Perſo Barralis clerico, habitatoribus Aven. teſtibus ad hæc vocatis.

XXVII.

Charta Pontii Rainoardi &c. pro Roſtagno præpoſito Avenionenſi.

1109. LEgis præceptum eſſe novimus, ut quicumque ultro facere donationem, emtionem, tranſmutationem, ſcripturæ alligetur, ne oblivioni in poſterum tradatur. Præſenti igitur tradere volumus *,quod dominus Pontius Rainoardi & uxor ſua Blanca inſimulque filii ſui Roſtagnus atque Gaufredus, ac Imbertus dederunt eccleſiæ virginis Mariæ Avernicæ ſedis & Roſtagno præpoſito, atque ceteris canonicis tam præſentibus quam futuris aquam de Sorgia quantum accipere ipſi vellent ac ducere uſque in Rodanum ad facienda molendina, vel batitoria, vel piſcatorias & loca terrarum competentia, quæ pertinent ad caſtrum, quod vocatur Vedena ad curſum aquæ, vel ad faciendum hoc quod ſupra diximus. Sed ſi aliqua molendina factura ſunt vel batitoria, vel piſcatorias in territorium Vedena, ibi quartam partem retinuerunt cum conſobrinis ſuis. Item ipſimet ſupradictis canonicis dederunt omnes paludes quæ pertinent ad caſtrum quod vocatur Vedena ad exſiccandum, tali pacto, ut quicquid exſiccare poſſent, poſt exſiccationem, medietatem omnem ſine ulla querimonia canonici ſupradictæ eccleſiæ in perpetuum haberent. Proinde habuerunt a Roſtagno præpoſito ſcilicet avunculo ſuo, qui particeps vel heres erat iſtius honoris & ceteris canonicis LXXV. ſolidos Egidienſis monetæ. Acta charta in Avernica civitate menſe Auguſto anno ab incarnato Domino MCIX. indictione ſecunda. Pontius Rainoardi, & uxor ſua firmavit. Roſtagnus Rainoardi firmavit. Gaufredus firmavit. Imbertus firmavit. Teſtes ſunt Remundus Gerunenſe, Pontius Sylveſtri, Roſtagnus Gontardi.

*f. voluerit.

XXVIII.

Fundatio Collegii S. Nicolai Avenionenſis vulgo le grand College.

1412. ANno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo x. cal. Februarii pontificatus Domini Martini papæ V. anno x. venerabiles & circumſpecti, & egregii viri domini Antonius Virronis legum doctor, Alagus Bientius archidiaconus Coloniæ in eccleſia Briocenſi, Chriſtinus Fabri præpoſitus Regenſis, Johannes de Nemoribus archidiaconus Vapincenſis, & Thomas de Burgundia ſacriſta Glandatenſis, coexecutores teſtamenti reverendiſſimi in Chriſto Patris bonæ memoriæ domini Johannis, miſeratione divina Oſtienſis epiſcopi, S. R. E. cardinalis vicecancellarii: ac etiam pro parte reverendorum patrum dominorum Hugonis, & Beraldi Vaſionenſis & Conſeranenſis epiſcoporum, ac Franciſci olim electi, nunc vero epiſcopi Gebennenſis, receperunt litteras apoſtolicas, & bullam a dicto Martino pontifice pro fundatione & erectione unius collegii, quod olim dictus quondam Johannes cardinalis in ſua ultima voluntate diſpoſuerat & ordinaverat fundari ad Dei laudem, reipublicæ honorem, & pauperum ſcholarium quorumdam ſuſtentationem, conſervationem & profectum in civitate Avenionenſi; in qua ſtudia litterarum, & maxime vigebant & fervebant, & hoc de bonis dicti quondam Johannis cardinalis cum conditione, ut monaſterium de Furnis Avenionenſis dioceſis ordinis S. Benedicti, quod tunc dependebat a monaſterio S. Andreæ ſecus Avenionem dicti ordinis, pro fundamento dicto collegio illis concederetur, in quo tantum erant quatuor moniales, quæ pro exilitate & tenuitate fructuum dicti monaſterii non valebant ſuſtentari, necnon pro complemento dicti collegii fundationis, ut prioratum de Abolena Tricaſtinenſis dioceſis perpetuo dicto collegio uniretur & annecteretur: ut ſcholares congruentius ſuſtentari, collegiumque facilius conſervari valerent. Quare pro parte dictorum executorum fuit ſupplicatum, ut concederetur licentia & auctoritas

A ædificandi dictum collegium apud dictum monaſterium de Furnis, dignitate abbatiali & ordine ſuppreſſis, & monialibus ad aliud monaſterium dicti ordinis tranſlatis, domibuſque & ædificiis dicto collegio applicatis & appropriatis, una cum dicto prioratu de Abolena a monaſterio Inſulæ Barbaræ dependente, & per monachos gubernato: cujus quidem negotii & rei fuit factus commiſſarius judex & executor unicus dominus Johannes de Puteo præpoſitus eccleſiæ Carpentoratenſis, domini noſtri papæ theſaurarius generalis, per breve apoſtolicum dicti domini noſtri papæ, ſub datum Romæ apud SS. apoſtolos x. cal. Februarii anno x. pontificatus, factiſque per dominum Johannem præpoſitum debitis diligentiis, productiſque teſtibus fide dignis, receptis, admiſſis, & diligenter examinatis ſuper præmiſ-
B ſis, ſufficienterque informato de voluntate & intentione dicti quondam Johannis cardinalis pro fundatione dicti collegii, & XXIV. ſcholarium juri civili, & canonico ibi ſtudentium; poteſtatem, licentiam plenam & liberam facultatem & auctoritatem dictum collegium fundandi & erigendi dictus dominus Johannes præpoſitus, & commiſſarius præfatus donavit, conceſſit, & largitus fuit prædictis executoribus, necnon & quatuor moniales dicti monaſterii de Furnis cum ſuis & dicti monaſterii facultatibus, bonis, reditibus & emolumentis ad aliud monaſterium videlicet S. Urbani papæ Avenionenſis dicti ordinis S. Benedicti tranſtulit, ac dignitatem abbatialem & ordinem in dicto monaſterio de Furnis ſuppreſſit, illiuſque domos & ædificia dicto collegio fundando appropriavit, & applicavit in per-
C petuum. Et auctoritate prædicta præfati domini executores præſentibus dictis dominis Hugone Vaſionenſi, Beraldo Conſeranenſi, & Franciſco Gebennenſi epiſcopis dictum collegium fundaverunt, erexerunt & ordinarunt juxta voluntatem & intentionem, & diſpoſitionem prædicti domini Johannis cardinalis fundatorum * in dicta civitate, pro uſu & habitatione dictorum XXIV. ſcholarium & ſervitorum ſuorum. Et idem etiam dominus Johannes de Puteo præpoſitus dictum prioratum de Abolena dicti ordinis S. Benedicti dependentem a monaſterio Inſulæ Barbaræ Lugdun. dioceſis, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis dicto collegio univit, annexuit & incorporavit, dummodo vacaret per reſignationem domini quondam Amadæi S. Mariæ novæ diaconi cardinalis, in manibus Petri de Luna,
D tunc Benedicti XIII. nuncupati, ſive alias quocumque modo vacet: & ita ut licitum fuerit dictis coexecutoribus, commiſſario aut rectori dicti collegii pro tempore exiſtentis, poſſeſſionem corporalem & actualem dicti prioratus, & jurium prædictorum auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, & fructus, reditus, ſcilicet ſuos ad collegii uſus & utilitates convertere, licentia non petita: ita tamen quod in eodem prioratu ſolitus monachorum numerus, & miniſtrorum non minuatur, & onera ſolita ſupportentur, nonobſtantibus quibuſcumque: quæ omnia fuerunt intimata dominis Avinion. & Tricaſtinenſi epiſcopis, ac S. Andreæ & Inſulæ Barbaræ abbatibus, aliiſque cum termino trium dierum, & cum comminatione ſub pœna
E excommunicationis, monuit ac præcepit dictis monialibus S. Urbani, ut dictas quatuor moniales dominam Grinetam de Solegroti prioriſſam, Agneſiam de Sintela, Clementiam de S. Romano, Almuſiam Vertice religioſas prædicti monaſterii de Furnis, cum eorum juribus, bonis & pertinentiis recipiant: & religioſos viros priores, vicarium rectorem dicti prioratus de Abolena, necnon prioratus fructum, reditum, & proventum ejuſdem, renderios ad utilitatem dicti collegii dimittant, tradant & liberent cum effectu, cum clauſulis & aliis neceſſariis & opportunis. In quorum omnium fidem & teſtimonium inſtrumentum publicum, & litteras patentes dictus dominus Johannes præpoſitus fieri fecit, & mandavit cum ſigillo cereo. Datum Carpentor. in domo dicti præpoſiti, & theſaurarii anno Domini MCCCCXXVIII. die XXVIII. Julii, pontificatus dicti domini Martini papæ V. anno XI. teſtibus præſentibus.

*f. fundatorum. locis.

XXIX.

De fundatione monaſterii Taraſconenſis ordinis S. Benedicti.

1361. *Et autogr. penes habetur apud Ferreras t. VIII. Hiſt. Arelat.*

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Anno incarnationis ejuſdem MCCCLXI. die tertia menſis Aprilis regnante ſereniſſima principiſſa, & domina noſtra domina Johanna Dei gratia regnorum Jeruſalem & Siciliæ regina, & civitatis Arelatenſis exiſtente domina; tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis tam præſentibus quam futuris pateat evidenter, quod exiſtentes & perſonaliter conſtitutæ in præſentia honorabilis dominæ dominæ Guillermæ de Remolinis Dei gratia monaſterii S. Cæſarii ordinis S. Benedicti Arelatenſis humilis abbatiſſæ, religioſæ dominæ Riſpanda Poirade, Bertranda Ayguetiers, & Garſilias Mira, moniales dicti monaſterii noſcitaverunt eidem dominæ abbatiſſæ ad earum & cujuſlibet ipſarum noviter perveniſſe auditum, quod magnificus & potens vir Joannes Gantelmi de Taraſcone pia motus devotione quoddam inſtituit, fundavit & ordinavit monaſterium in dicto caſtro Taraſconis, ubi & in quo ad honorem Dei & ejus virginis matris, & S. Honorati Chriſti diſcipuli, ponere intendit certum numerum dominarum monialium, quæ * ibidem ſub clauſtro proprio vult exiſtere, & in divinis Altiſſimo & ejus matri ac ſancto Honorato, ac toti curiæ celeſti pro eo perenniter & benefactoribus ſuis deſerviant, prout hic & latius in dicta ſua conſtitutione & ordinatione dicitur contineri. Qui etiam ut dictum ſuum monaſterium valeat perficere, per ſedem apoſtolicam extitit conceſſum, quod de dicto præſenti monaſterio S. Cæſarii poſſit recipere, & habere uſque ad certum numerum illas quas voluerit eligere moniales ſufficienter, prout de prædictis omnibus & ſingulis dicta domina abbatiſſa per litteras apoſtolicas extitit plenarie informata, de quibus dictis monialibus inter alias placuit dictæ magnificentiæ ipſius fundatoris ſignificantis ipſas eligere, nominare & evocare facere ad dictum ſuum monaſterium intrandum, ut ex earum præſentia uberius ſocietur eiſdem. Unde præfatæ exponentes cum quanta decet reverentia & honore, eidem dictæ dominæ abbatiſſæ humiliter ſupplicaverunt, quatenus eis & cuilibet earum licentiam dignetur concedere, ad dictum monaſterium ſe transferendi, & ipſum intrandi & ibi ad ſervitium Dei remanendi juxta & ſecundum dicti domini fundatoris ordinationem; non intendentes propterea juri quod habent in dicto præſenti monaſterio S. Cæſarii in aliquo præjudicari, quin poſſint redire ad dictum præſens monaſterium; ſi caſus eveniret talis per quem ipſius dicti novi monaſterii reſidentiam haberent merito declinare, quod abſit. Et dicta domina abbatiſſa tanquam pia mater reſpondit dicens, ſe inſtructas & informatas fore de dictis apoſtolicis litteris; & de inſtitutione dicti novi monaſterii; & de earum cujuſlibet ipſarum filiarum ſuarum electione facta, & ut monaſterium ipſum novum in regularibus inſtitutionibus earum ordinis præſentia dictarum ſupplicantium filiarum ſuarum poſſit inſtitui & fundari; & in eo regularis doctrinæ & ceremoniæ earum ordinis eo citius valeat propagare; & quo uberius præſentia monialium antiquarum fuerit ſociatum, dictis filiabus ſuis ſupplicantibus benigne conceſſit, quod ad dictum novum monaſterium valeant in domino quando eis placuerit ſe transferre, & in eo regularem vitam ducere & tenere. Non intendens tamen per hoc ſibi vel ſucceſſoribus ſuis aliquod præjudicium generare, quominus eas vel alteras ipſarum tanquam in ſubjectas poſſit ad dictum ſuum monaſterium revocare, quando ſibi vel ſucceſſoribus ſuis placuerit, & videbitur faciendum. De quibus omnibus & ſingulis dictæ partes, vel quælibet ipſarum petierunt ſibi fieri publicum inſtrumentum, per me notarium infra ſcriptum, & publica inſtrumenta quod & quæ poſſint dictari, corrigi, reſici, & emendari ſemel & pluries, dictamine cujuſlibet ſapientis, facti tamen ſubſtantia in aliquo non mutata. Acta fuerunt hæc omnia Arelate in dicto monaſterio S. Cæſarii, videlicet in capella dictæ dominæ abbatiſſæ, præſentibus domino & reverendo domino Raymundo Duranti preſbytero & procuratore dicti monaſterii, Petro Arlatini domicello dictæ Arelate, Jacobo Lombardi de Taraſcone teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis, & me Bernardo de Pomerada notario cive & habitatore Arelatis in comitatibus Provinciæ & Forcalquerii regiali auctoritate qua ſupra publico conſtituto, qui vocatus, requiſitus & rogatus hoc præſens publicum inſtrumentum ſcripſi, & ſigno meo ſolito ſequenti ſignavi in teſtimonium præmiſſorum.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM CARPENTORATENSEM SPECTANTIA.

I.

Caroli Provinciæ & Burgundiæ regis privilegium Johanni epiſcopo Carpentoratenſi conceſſum.

Ex autogr. in archivis epiſcop. Carp. aſſervato.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, Carolus divinæ providentiæ clementia rex. Dignum eſt ut regalis majeſtas procerum ſuorum petitionibus opportuna præbeat beneficia, eorumque utilitatibus pietatis ſuæ provideat adminiculo, quatinus eos nobilitando, erga ſua reddat obſequia promptiores. Nunc igitur comperiat omnium fidelium ſanctæ Dei eccleſiæ, noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, quia Gerardus illuſtris comes noſtris detulit obtutibus per Johannem venerabilem Vaſionenſem epiſcopum, quod quaſdam res noſtris ex fiſco ſibi in beneficio pertinentes, eccleſiæ ſuæ ſedis ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & eidem epiſcopo conferre debuiſſemus. Nosque aſſenſum petitionis ejus præbentes, ſalutaribus moniti inſtitutis abnegare non contemſimus. Igitur una pro Dei amore, & pro luminariis eccleſiæ prædictæ concinnandis, clericorumque ejuſdem ſedis ſervientium alimoniis, concedimus in civitate Carpentratis eccleſiam S. Antonii cum omni fiſco, quantum in præfata civitate habere videmur. Inſuper etiam conferimus totum ab integro fiſcum ab Alſone rivo uſque ad alium rivum, qui vocatur Aneſclia, & a Poio Marino uſque in palude majore, omnia inter hæc terminia conſiſtentia de fiſco, quæ nobis pertinere videntur: & in villa quæ dicitur Unango manſos quatuor & colonicas duas, & in valle Combrone juxta caſtrum Vennaſca eccleſiam S. Petri cum ſuo preſbyteratu, & fiſcum quantum ibidem habere videmur cum ibi, quod & in omnibus præſcriptis locis præſenti tempore & futuro. Tradimus itaque atque transfundimus omnia iſta ſupradicta, cum omnibus ſibi pertinentiis, cum ſervis & ancillis, campis, ogglatis, vineis, prædiis, arboribus pomiferis & impomiferis, cum molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, ad prædictam ſanctæ ſedis eccleſiam, per deprecationem ſuprafati jam comitis; ut faciat ex his rebus quicquid elegerit vel voluerit. Sed pro firmitatis ſtudio hoc noſtrum pragmaticum fieri decrevimus, per quod conſentes decernimus, ut jam memorata eccleſia prædictas res ſub omni integritate perpetualiter retineat, faciatque ut paulo poſt inſertum eſt. Et ut hæc noſtræ corroborationis auctoritas firmior fore noſcatur, & diligentius conſerveur, manu propria ſubter firmavimus, atque anuli noſtri

impressione consignari præcepimus. Signum piissimi domini Caroli gloriosi regis. Grim...cius regiæ dignitatis comerius recognovit. Datum XVIII. cal. Aprilis anno propitio Domino Jesu-Christo, domini Caroli gloriosissimi regis XIII. indictione XI. Datum Vasione in Dei nomen feliciter. Amen.

Editum est apud Honoratum Bouche to.1. p.729. sed in nonnullis corruptum.

II.

Charta fundationis capituli Carpent. ab Ayrardo episcopo hujus ecclesiæ.

912. Ex autogr.

IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu-Christi, & in caritatis dilectione Patris & Filii, & Spiritus-sancti, & in honore Dei genitricis Mariæ & præcipuæ S. Petri apostolorum principis, cunctorumque electorum Dei veneratione, Aeyrardus sedis Carpentratis humillimus in Christo episcopus. Si circa sanctæ religionis cultum munificos nos esse exhibemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Quam ob rem comperiat omnium Christi fidelium tam præsentium quam & futurorum solertia, quia prædictus venerabilis episcopus cogitans qualiter in ecclesia S. Petri apostoli sedis Carpentoratensium sive Vendascensium clericos canonico more constitueret, qui in eadem ecclesia officia divina Deo rite persolverent, atque ex rebus ejusdem ecclesiæ .... per quam quotidianum victum sumentes facilius celesti mereantur cibo perfrui, quod est verbum Dei, ut carnalis homo cibo refficiatur terreno, & spiritalis pascatur divino alloquio, memorans illud apostoli dictum: *qui altario deserviunt ex altario participentur.* Nihil enim nequius quam possessiones & dona a Christi fidelibus accipere, & pro animabus fidelium non laborare, & quia vix nemo sibi soli sufficit, ideo capitulorum solatium adhibendum est, ut magis ac magis apud Deum valeat deprecatio quam unius oratio. Quapropter ego in Christi nomine Aerrardus jam dictus episcopus divina favente clementia cum consilio & voluntate .... hujus provinciæ principis, nec ne fratris ejus Rethbaldi comitis, insuper etiam domini Nectariis * Arelatensis archiepiscopi, nec ne domni Pontii Auraicensis episcopi; Nartoldi Aptensis ecclesiæ exigui episcopi pari voto & auxilio constituimus, atque ordinamus in præfata sede Carpentratense seu Vendascense omniporenti Deo, sanctæque Mariæ virginis, sanctique Petri apostoli atque sancti Siffredi eximii confessoris ob eorum omnium honorem & venerationem canonicos sedecim quibus ... tradimus atque condonamus ex rebus nostræ ecclesiæ illorum victui quotidiano in communia juxta canonicam auctoritatem ex decimis de villa quæ vocatur S. Eufemia unam medietatem, & de ecclesia S. Petri quæ dicitur in valle Cambraone .... xtatem *. Donamus etiam in villa quæ nominatur Ulmido mansum unum qui fuit Lupranno quondam, cum omnibus sibi pertinentiis; cedimus etiam in fluvio Alfone molendinos tres. Donamus etiam de vineis planta .... Carpentratis & villam Madazano hoc sunt mediates xx. Cedimus vero ad ipsos canonicos quicquid in possessionibus tam vineis quam campis cultis & incultis, auri & argenti, & omnibus rebus tam mobilibus quam immobilibus ... cymiterio prædictæ ecclesiæ S. Petri atque S. Siffredi conlatum est, vel donatum Deo propitio in antea fuerit, totum & ab integro tradimus atque transfundimus perpetualiter ad possidendum, pulsa omni contradictione .... * autem ante omnia & super omnia statuentes, atque ex auctoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti præcipue promulgantes devitamus, ut nulli liceat successorum nostrorum tam episcoporum quam principum, vel cujusvis ordinis potestatis sit, sive ecclesiastica seu laïcalis potestas, magnæ parvæque fuerit persona, qui in supradicto canonicorum numero sedecim quemquam addere, nec minuere præsumat obnixe devitantes.

Censuimus ut si quis in hac communia largire sive accomodare amplius voluerit, hoc Dei remuneratione ac suæ beneficientiæ liberam tribuimus facultatem, certissime credentes a retri * .... illam recompensationem mercedis recipi *quam nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus his qui diligunt eum.* Quicumque autem ex hac nostra statuta .... quod nequiter agi voluerit .... sed primitus iram omnipotentis Dei incurrat, sanctæque Dei genitricis Mariæ, omnium celestium virtutum, necnc beati Petri regni celorum clavigeri sanctique Siffredi Christi confessoris omniumve sanctorum maledictionibus subjaceant, sitque pars eorum cum Juda domini proditore, cum eis quoque qui dixerunt Domino Deo: *Recede a nobis & scientiam viarum tuarum nolumus. Fiat eis sicut Zeb & Zebée & Salmana & omnibus principibus eorum qui dixerunt: Hereditate possideamus sanctuarium Dei. Deus meus pone illos ut rotam & sicut stipulam ante faciem venti; sicut ignis qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua & in ira tua conturbes eos.* Deuntur etiam ultione, & submergantur in inferni barathro, sicut demersit Pharao cum exercitu suo in mari rubro, sintque anathematis vinculo conligati, atque percussi a Deo Patre & Domino Jesu-Christo Filio ejus & Spiritui sancto, & nostra a Deo collata potestate, & omnium episcoporum clericorum quoque interdictione, quorum nomina subter scribere & manibus firmare curavimus pro omni firmitate atque stabilitate hæc conscriptio subnexa. Acta hæc charta apud sedem Carpentratensem, anno incarnationis Dominicæ DCCCCLXXXII. indictione X. cal. Mart. regnante Chuonrado rege Alamannorum sive Provinciarum in Christo feliciter. Signum Ærrardi episcopi qui hoc conscriptum scribere & firmare rogavit manu sua roborata atque firmata. Addimus etiam in communia suprascripta, de synodo quæ nobis pertinet in omnibus tertiam .... sicut supra insertum est obnixe statuentes in perpetuum .... Scriptum per manus Nartoldi episcopi feliciter.

1. Cor. 9. 13.

Job. 21. 14. Psalm. 82. 12. 13. 14. 15. 16.

III.

Raimundus comes Tolosæ recognoscit Raimundo Carpentoratensi episcopo, forum & alia, multaque dona addit.

1155. Ex cartulario comitatus Tolosani.

R. comes Tolosæ, dux Narbonæ, marchio Provinciæ, de consilio baronum nostrorum, per me & fratrem meum Ildefonsum, recognosco tibi Raimundo Carpentoracensi episcopo forum, quod in civitate tua Carpentoracensi ab antiquis temporibus fuit & adhuc est, & omnia quæ ex foro proveniunt ad jus episcopi pertinere. Et hoc recognoscens concedo & laudo per me & per fratrem meum, ipsum forum & omnia quæ ex foro proveniunt, tibi & successoribus tuis. Dono etiam per me & per fratrem tibi & successoribus tuis, quod in nullo castro, vel villa, vel aliquo loco, aliquod forum præter tuum constituatur, vel constitutum habeatur, in tota terra illa, quæ eo tinetur ab Oneza fluvio, usque ad Sortrium alterum fluvium; & sicut antecessores tui multis retro temporibus tempore antecessorum meorum melius habuerunt, ita tu & tui successores habeatis & possideatis. Et si aliquis vel aliqua contra præscriptam recognitionem vel donationem venire voluerit, ego & frater meus, & omnes successores nostri, tibi & successoribus tuis adjutores ac defensores fideliter & sine inganno semper erimus. Promitto etiam quod dominos & homines de Montilio Iesdam tuam quam auferunt, tibi reddere faciam, sicut testes tui in curia patris mei Ildefonsi, in placito coram multis sapientibus & judicibus juraverunt. Præterea promitto quod in civitate tua, in tenemento civitatis, turrem vel aliquam munitionem contra tuam vel tuorum successorum voluntatem nunquam fieri permittam; & si aliquis vel aliqua facere voluerit, ego & frater meus, & omnes successores nostri, tibi & omnibus successoribus tuis adjutores ac defensores fideliter & sine inganno semper erimus. Promitto etiam quod sicut ego

* f. retribuat eum.

* medias Ictius.

* f. mediatatem.

* f. Hoc.

hæc ſcripta recognoſco & laudo, ita tum oportuerit aut tibi vel tuis ſucceſſoribus juſſum fuerit, fratrem meum recognoſcere integre & laudare ac tenere faciam. Et ut hæc tibi & ſucceſſoribus tuis firmiter teneantur, mandato meo juravere Wilelmus de Sabrano, Guiraudus Amicus frater ejus, Ricanus de Inſula, Malis ſanguis. Ego Hugo de Braucio* omnes iſtas præſcriptas conventiones vel donationes tibi & ſucceſſoribus tuis firmiter obſervari in fide mea promitto. Ego Bermundus de Poſtheras ſimiliter. Hæc donatio ſive conventio facta fuit apud Pontem de Vidurna, præſentibus ſupra dictis. Poſtea vero apud Carpentoracum hanc ipſam donationem ſive conventionem prædictus comes per ſe & per fratrem ſuum laudavit epiſcopo, in præſentia canonicorum, & aliorum prudentium virorum, ſcilicet Petri Mauric. G. Sacriſtæ, G Garuſſe ff. Conſtancii P. de Samna* P. Ricardi. B. Vaſionenſis epiſcopi, G. Laugerii Avinionenſis. R. S. Mauritii. P. Bermundi magiſtri Raudulphi. S. Ægidii, qui hanc cartam mandato comitis dictavit. Actum eſt hoc MCLV.

* de Baucio

* de Samna

1159. Anno MCLIX. tertio idus Januarii, eidem epiſcopo Raimundo R. dux Narbonæ reddit caſtrum quod Nendeſca* vocatur, cum omnibus pertinentiis ſuis, videlicet caſtrum de Baucio, cum villa S. Deſiderii, & caſtrum de Mala-morte, cum villa S. Felicis; retinet tamen ſibi & ſuis & fratri ſuo calvacatus in omnibus prædictis caſtris & villis, & albergum in caſtro de Baucio, & in villa S. Deſiderii, & in caſtro de Mala-morte, & in villa S. Felicis; accepit etiam a prædicto epiſcopo duo millia ſolidos Melgorienſes novæ monetæ. Hæc facta ſunt coram multis teſtibus, inter quos Pontius præpoſitus Uticenſis.

* *f. hic legendum* Venaſca, *vel per corruptionem* Vendeſca. *Vende ea. Conjiciendo juxta auctoris dictum* Trigantia.

IV.

Raimundo de Bariolis epiſcopo Carpentoratenſi hominium præſtitum a dominis de Venaſca.

1163. Notum ſi omnibus, quod anno Domini MCCLXIII. ſcilicet XIV. cal. Decembris, dominus Raimundus D. Bargolis Dei gratia epiſcopus Carpentoratenſis accedens ad caſtrum de Venaſca, fecit poni vexillum Carpentoratenſis eccleſiæ in præſentia dominorum & plurium hominum ejuſdem caſtri ſuper portale quod eſt prope eccleſiam B. Mariæ, & ipſa eadem die domini de Venaſca, ſcilicet dominus Rollagnus de Venaſca, Petrus de Turre-veteri, Guillelmus de Turre-veteri, Raimundus Lutil, Bertrandus de Podio-rotundo, Gaufredus de Venaſca, &c. confeſſi fuerunt, & recognoverunt dicto domino epiſcopo, nomine Carpentoratenſis eccleſiæ ſtipulanti, quod ipſi habent & tenent dominium quod habent in caſtro de Venaſca, & ipſum caſtrum & territorium ejuſdem caſtri, & quicquid habent in caſtro de Baucelo & in eccleſia S. Deſiderii, & in caſtro de Mala-morte, & in tenemento S. Felicis, & in territoriis & diſtrictu eorumdem locorum, ab ipſo domino epiſcopo nomine eccleſiæ Carpentoratenſis; confitentes & recognoſcentes quod pro prædictis omnibus debeant domini de Venaſca in mutatione cujuſlibet epiſcopi Carpentoratenſis jurare fidelitatem ipſi domino epiſcopo, nomine eccleſiæ ſupradictæ, & incontinenti ſupradicti domini de Venaſca pro prædictis omnibus, eidem domino Raimundo epiſcopo Carpentoratenſi ſupradicto tactis corporaliter ſacroſanctis Dei evangeliis fidelitatem juraverunt. Actum fuit hoc apud Venaſcam in eccleſia præſentibus teſtibus Raimundo de Viaſone, &c.

V.

Littera Fratrum Minorum ſummo pontifici in gratiam Berengarii epiſcopi Carpentoratenſis.

1307. Sanctiſſimo ac beatiſſimo patri in Chriſto domino Clementi divina providente clementia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, humilis conventus Fratrum Minorum de Montiliis, cum omni humilitate ac reverentia devotiſſima pedum oſcula beatorum. Atteſtante veritate primaria, qui in hoc mundo teſtimonium perhibuit veritati, invicem ſic charitatis debemus tenere vinculum indiſſolubile, ut meritum virtuti accreſcat, claudatur via vitiis, & detur moribus diſciplina. Et cum intellexerimus opinionem bonam reverendi patris noſtri in Chriſto domini Berengarii Dei gratia Carpentoratenſis epiſcopi apud veſtræ beatitudinis clementiam quibuſdam objectis criminibus obfuſcari, pro beneficiis acceptis vicem tibi rependimus gratioſam, videlicet quod idem dominus epiſcopus ſe habet, & habuit laudabiliter & honeſte, & eccleſiam ſibi commiſſam rexit, & regit in ſpiritualibus & temporalibus utiliter & prudenter, & quod ſit manifeſtius taliter vixit exiſtens ſuæ eccleſiæ canonicus, quod omnes alii in eum duxerunt vota ſua unanimiter, ut paſtoris officio fungeretur: nunc autem principaliores aſſiſtunt ſibi favorabiles, benevoli & attenti: pauperibus etiam præcipue ſibi commiſſis eſt beneficus: etiam ut audivimus a perſonis fide dignis pluſquam x. millia librarum dimiſit ſuo populo de offenſis; multa bona confert religioſis; pacem ſemper habere deſiderat cum ſubditis; humilitatem ſervat cum omnibus, prout decet. Iis moti omnibus ſupplicamus itaque veſtræ affluentiæ bonitatis, ut dictum dominum epiſcopum, quem ab objectis criminibus credimus innocentem, habere dignemini veſtræ gratiæ commendatum, ut excuſatus ab omnibus nobis reddatur uberior, & per longos dies veſtræ in ſui officio ſerviat ſanctitati. Alma Trinitas unus Deus perſonam veſtram beatiſſimam conſervet incolumem per tempora longiora. Datum Montiliis anno Domini MCCCVII. IV. cal. Maii.

VI.

Dominium factum Berengario epiſcopo Carpentoratenſi a Raymundo de Agouto &c.

1311. *En ſ. traité donné de S. Raymon Agouto.*

In nomine Domini, amen. Anno incarnationis ejuſdem MCCCXII. die tertia menſis Maii, notum ſit &c. In præſentia reverendi in Chriſto patris domini Bereng. Dei gratia Carpentoractenſis epiſcopi, vir nobilis Raymundus de Agouto dominus de Tritis, & caſtri de Forcalquerio, & caſtri de Muris Carpentoractenſis diœceſis, dixit ad eum perveniſſe caſtrum de Muris prædictum cum juriſdictione omnimoda & pertinentiis ſuis, pro quo tenetur eidem domino epiſcopo nomine Carpentoractenſis eccleſiæ facere recognitionem, ſicut prædeceſſores ſui hactenus facere conſueverunt: qui quidem dominus epiſcopus reſpondens eidem nobili dixit ſe fore paratum recipere recognitionem debitam nomine ſupradictæ eccleſiæ, & incontinenti prædictus nobilis præſtito per eundem & recepto per ipſum dominum epiſcopum corporali primitus juramento, quod ipſe erit bonus & fidelis dicto domno epiſcopo & eccleſiæ Carpentoractenſi prædictæ, flexis genibus & ploſis manibus infra manus dicti domni epiſcopi exiſtendo, præſentibus me notario & teſtibus infraſcriptis recognovit eidem domino epiſcopo præſenti & recipienti nomine eccleſiæ ſupradictæ, ſe tenere & poſſidere dictum caſtrum, & ejus territorium & diſtrictum cum ſuis juribus & pertinentiis, & omnimoda juriſdictione ſub dominio & ſenhoria dicti domni epiſcopi nomine eccleſiæ ſupradictæ, & quemcumque epiſcopum Carpentoractenſem in ſua creatione epiſcopali in primo adventu ſuo ad caſtrum de Muris habere poſſe vexillum ſuum, vel ſenhoriam in ſignum ſui dominii, & eccleſiæ ſupradictæ ponere in turri, ſeu fortalitio dicti caſtri; & dictus domnus epiſcopus dictam recognitionem recepit, ipſum nobilem ad pacis oſculum admittendo promiſit ipſum nobilem deffendere in quantum dominus ſuum vaſſallum deffendere tenetur de jure: quibus ſic factis dictus nobilis dixit & proteſtatus fuit ſe nolle aſtringere nec ſuos in poſterum ſucceſſores ad dictam recognitionem, nec ad alia per eum facta, niſi ſi & in quantum de conſuetudine vel de jure, & ſui prædeceſſores

hactenus facere consueverunt & facere tenebantur. Dictus vero domnus episcopus dixit & protestatus fuit quod non intendit sibi nec dictæ ecclesiæ aliquod præjudicium generari, si dictus nobilis ad dictam recognitionem faciendam, vel ad alia de præmissis aliter teneretur, & sui prædecessores tenebantur, & de prædictis prædictus nobilis petiit sibi fieri publicum instrumentum per Bertrandum Alazardi notarium publicum. Actum hoc fuit Carpentoractæ in domo episcopali. Testes ad hæc præsentes fuerunt venerabilis vir dominus Isnardus de Pontevez prior monasterii Artecellæ, nobilis dominus Fulco de Pontevez miles, dominus dicti loci, dominus Syfredus Comparati jurisperitus de Carpentoractæ, domnus Isnardus de Carumbo prior de Gardan, Raimundus de Muris, Domicellus de Muris, Giraudus Corvi dominus in parte Albaniani, Bertrandus Alasardi notarius, & ego Johannes Mayorgas notarius publicus auctoritate regia in comitatibus Provinciæ & Forcalqueriі, & ubique per totum Romanum imperium auctoritate imperiali, qui ad requisitionem dicti nobilis hoc publicum instrumentum rogatus scripsi.

VII.

Clementis papæ VII. confirmatio fundationis beatæ Mariæ Magdalenæ Carpentoratensis.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio officiali Avenionensi salutem & apostolicam benedictionem. Quæ ad Dei laudem suique cultus augmentum pia Christi fidelium largitione sunt facta, ut illibata serventur, decet gratiis & præsidiis apostolicis confoveri. Exhibita si quidem nobis nuper pro parte dilectarum nobis in Christo filiarum abbatissæ & conventus monasterii sanctæ Mariæ Magdalenæ Carpentoratensis ordinis sancti Benedicti petitio continebat, quod olim quondam Johannes Blanqui domicellus condens de bonis suis in sua ultima voluntate testamentum, in eodem testamento pro constructione & fundatione unius monasterii monialium in loco de Montiliis Carpentoratensis diocesis construendo & fundando, & & pro dote abbatissæ & monialium ibidem instituendarum, omnia bona sua mobilia & immobilia quæ tunc obtinebat tempore sui decessus, ubilibet obtineret, dedit & legavit, & per executorem sui dicti testamenti bona hujusmodi pro constructione & fundatione dicti monasterii in eodem loco, ac dote hujusmodi præcipue, & ordinavit realiter assignari, & deinde præfato Johanne vita functo, quondam Arulliani domicellus, qui ejusdem testamenti per dictum Johannem in solidum deputatus fuerat *, bona prædicta pro constructione & fundatione dicti monasterii, in ipso loco & dote prædictis, juxta præceptum & ordinationem hujusmodi realiter assignavit; & subsequenter ipsum monasterium in loco prædicto constructum extitit pariter & fundatum, ac abbatissa & moniales ibidem fuerunt canonice institutæ: & demum ex certis causis rationabilibus loco prædicti monasterii monasterium B. Mariæ Magdalenæ prædictum aliud in civitate Carpentoratensi, de licentia sedis apostolicæ constructum & fundatum, ac dicta abbatissa & conventus ad illud translatæ & in eo mutatæ fuerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, inter cetera bona prædicta nonnulli census & redditus & proventus ac servitia per nonnullos emphitheotas pro nonnullis domibus, hospitiis & possessionibus in civitate nostra Avenionensi consistentibus eidem Johanni dum viveret debitis, & ad eum justo titulo pertinentibus per dictum executorem pro constructione, fundatione & dote hujusmodi assignata fuerunt, ac emphitheotæ prædicti, licet eidem Johanni dum viveret recognoverunt se debere, eisdem abbatissæ & conventui solvere indebite contradicant, dictaque abbatissa & conventus in translatione & mutatione earum hujusmodi dicti testamenti, & nonnulla alia instrumenta perdiderunt & scripturas; propter quod de donatione & legato de bonis prædictis per dictum Johannem, ut præmittitur, eis factis docere non possunt, pro parte earumdem abbatissæ & conventus nobis extitit humiliter supplicatum, quatenus assignationem hujusmodi confirmare, & cum dictus Johannes nullis sibi relictis hæredibus migraverit ab hac luce, & bona prædicta ad eas secundum præmissa, vel ad nos, vel ad cameram apostolicam debeant pertinere, quatenus bona ipsa, si & in quantum ad nos & cameram prædictam pertinent, eis dare & concedere, & aliter eis in præmissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus assignationem prædictam confirmare, ac census, reditus & proventus, ac servitia hujusmodi per dictos emphyteotas, pro hujusmodi domibus, hospitiis & possessionibus, eidem Johanni dum viveret debita, & ad eum dum viveret quomodolibet pertinentia, ut præmittitur, assignata, si & in quantum ad nos & cameram prædictam pertineant, eidem abbatissæ & conventui, ac monasterio & suis successoribus in perpetuum dare, & concedere, & realiter assignare auctoritate nostra procures; faciens eidem abbatissæ & conventui, vel earum procuratoribus pro eisdem hujusmodi censibus, redditibus, proventibus & servitiis eadem auctoritate integre respondere, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi & excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Avenioni XII. cal. Junii, pontificatus nostri anno secundo.

* *f.* executor.

Digitized by Google

INSTRUMENTA QUÆ AD ECCLESIAM VASIONENSEM SPECTANT.

I.

Charta Petri Vaſenſis epiſcopi pro ſancto Victore.

1059. Bibliothecæ Massil. t. 2. Pallio. p. 131.

IN ſanctæ & individuæ Trinitatis nomine, ego Petrus Raimbaldi filius, Deique gratia permittente Vaſenſis eccleſiæ epiſcopus, & canonici mei videntes A hoc ſeculum ad occaſum tendere, & ſcientes poſt mortem nihil boni nihilque mali quemquam poſſe peragere, ſed ſecundum quod in hoc ſeculo operatus eſt, vel vitam perennem & gloriam ſempiternam in cœlis accipere, aut in inferno perpetuas pœnas ſuſtinere; tremiſcimus. Sed rurſum benigna ſanctæ ſcripturæ exhortatione confortamur, quæ ſicut aquam ignem extinguere, ita dicit eleemoſinam peccatum ex toto delere. Viventes ergo & bene in noſtra memoria permanentes dignum ducimus benefacere animabus noſtris debere, & non ſolum exutos corpore, verum etiam in carne adhuc permanentes, Dei fideles noſtros amicos quoque acceptare, qui nobis in hoc ſeculo ſuis orationibus debeant ſuccurrere & in futuro. Inſpirante itaque clementia divina, pro emendatione morum noſtrorum, remiſſioneque B omnium peccatorum, & pro animabus parentum noſtrorum, omniumque fidelium defunctorum, donamus & reddimus altari quod eſt conſecratum in honore ſancti Victoris martiris, & ſanctæ Mariæ ſemper virginis, in monaſterio Maſſilienſi, monachiſque tam præſentibus quamque futuris ejuſdem loci, videlicet abbatiolam ſancti Victoris & ſancti Petri, quorum eccleſia viſa eſt eſſe ſita in epiſcopatu jam dicto Vaſenſi, & in loco qui nominari ſolet Graſello, cum omnibus eccleſiis ſuis quæ ibi & factæ erunt, & cum omni honore quem habet & accaptabit & recuperabit. Ego Petrus jam dictus Vaſenſis urbis epiſcopus & canonici mei, præſcriptam ſancti Victoris & ſancti Petri eccleſiam in loco Graſello fundatam, cum omnibus eccleſiis quæ ibi ſunt & factæ erunt, & cum omnibus quas habet rebus, & C accaptabit & recuperabit, donavimus ex integro præſcripto altari conſecrato in honore ſancti Victoris, ſanctæque Mariæ ſemper virginis in monaſterio Maſſilienſi, & habitatoribus ejuſdem monaſterii tam præſentibus quamque futuris; ea ſcilicet ratione ut omnia ſupra taxata, ſibique conceſſa vel concedenda in perpetuum ipſi ſine ulla inquietudine alicujus perſonæ poſſideant. Hanc autem donationis ſive guirpitionis cartulam ſcribi præcepimus, manibuſque propriis roborandam decrevimus, aliosque ut firmarent rogavimus. Si quis vero eam annullare vel in aliquo impugnare præſumpſerit, non valeat vindicare quod voluit, ſed iram omnipotentis Dei incurrat, & omnes maledictiones quæ in novo & in veteri teſtamento ſcriptæ ſunt, ſuper eum cadant, niſi digna ſatisfactione emendaverit. Acta anno incarn. Domini MCLIX.

II.

Fundatio capellaniæ in eccleſia Vaſionenſi a Raimundo epiſcopo.

1319. Ex autograph.

ANno Domini incarnationis 1319. videlicet 1. die menſis Januarii nos Raimundus permiſſione divina Vaſionenſis epiſcopus. Ad Vaſionenſem eccleſiam, cui licet immeriti diſponente Deo præſidemus, mentis noſtræ oculos dirigentes, ac etiam attendentes ex ea ab ætatis noſtræ primordiis nutrimenta fere cuncta ſuſcepiſſe, quodque illi magis tenemur obnoxii, a qua plura nobis beneficia obvenerunt, & deſiderabiliter affectantes in ea cultum divini numinis augmentari, præſertim per ſummum ac magnificum corporis & ſanguinis Dominici ſacramentum, quod viventes dirigat ac animabus fidelium defunctorum ad expiationem proficiat peccatorum: Vaſionenſi capitulo ad infraſcripta ſpecialiter convocato in quo præſentes erant venerabiles & diſcreti viri domini Guillelmus de Serinhano præpoſitus, Ricanus de Ajuriminione archidiaconus, Arraudus de Bellomonte ſacriſta, Faraudus de Bellomonte præcentor, Guillelmus de Redorterio præcentor Tricaſtinus, ac Petrus Guillelmi præpoſitus Tolonienſis, domini papæ capellanus, & ſacri palatii cauſarum auditor Vaſion. canonici, præſente ipſo capitulo & unanimiter conſentiente: ſtatuimus & ordinamus quod in Vaſionenſi eccleſia ſit de cetero una capellania, quam de novo ſtatuimus & creamus perpetuis temporibus diſponente Domino duraturam, de bonis quæ acquiſivimus præſenti conſtitutione dotamus, & eidem capellaniæ irrevocabiliter aſſignamus, ſcilicet hoſpitium per nos ædificatum in horto quem emimus, & hortum eidem contiguam, quod hoſpitium & hortus ſunt juxta cimiterium majoris eccleſiæ Vaſionenſis, & confrontatur cum via publica. Statuentes & ordinantes quod in hoſpitio ſupradicto habitationem habeat, una cum capellano noſtro, qui noſtram prædictam capellaniam tenebat, ille capellanus qui habuerit capellaniam domni R. prioris ſancti Laurentii quondam, quam capellaniam conſtituit in eccleſia Vaſionenſi. Et ſi contingeret quod dicti capellani diſcordarent, quod abſit, volumus, ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quod ille Vaſionenſis canonicus, qui in dicta eccleſia pro tempore fuerit de noſtro hoſpitio Bellimontis, & ad quem collatio dictæ capellaniæ pertinuerit, ut inferius continetur, cognoſcat de ipſa diſcordia, & eos ad invicem concordare conetur. Et ſi non poſſet eos ad invicem concordare, liberam habeat facultatem domum prædictam & hortum alteri ex dictis capellanis de quo ſibi videbitur aſſignandi, poteſtate ſibi retenta, quotiens ſibi videbitur, mutandi aſſignationem prædictam. Hoc etiam adjecto quod ſi contingeret prædictum nos epiſcopum, vel quoſcunque alios de hoſpitio Bellimontis, unam vel plures capellanias conſtituere in eccleſia ſupradicta, quod capellani qui dictas capellanias haberent ad diſpoſitionem illius qui poteſtatem habebit conferendi noſtram capellaniam prædictam, habitationem habeant in dicta domo & horto ſub forma ſimili, de qua ſuperius eſt expreſſum, cum poteſtate mutandi ſemel vel pluries, ſi caſum diſcordiæ contingeret evenire. Item aſſignamus capellaniæ prædictæ ſervitia infra ſcripta quæ emimus apud Raſtellum Blabi & pertin. a Guillelmo Hugonis quondam, prout continetur in inſtrumento facto per manum magiſtri Guillelmi Arnaudi notarii de Raſtello, cujus inſtrumenti tenor inferius continetur. Statuentes & ordinantes de conſenſu Vaſionenſis capituli ſupradicti, quod ſi contingeret alienari aliquam de poſſeſſionibus pro quibus præſtantur ſervitia ſupradicta, quod trezena & laudimia ad dictam capellaniam pertineant, ſub ea tamen forma quod illa laudimia & trezena in ornamentis dictæ capellaniæ vel augmentum ejus perpetuum, ſine diminutione aliqua convertantur, & illius alienationes laudent ſimul dictus capellanus, qui dictam capellaniam habuerit, & dictus canonicus Vaſionenſis de hoſpitio Bellimontis. Si vero in dicta eccleſia canonicus de hoſpitio non fuerit, dictam laudationem faciat cum dicto capitulo præpoſitus Vaſion. ſi præſens fuerit, & ſi præſens non fuerit, faciat eam archidiaconus cum dicto capellano; & ſi non eſſet præſens archidiac. faciat eam ſimili modo ſacriſta, & ſi non eſſet præſens ſacriſta, faciat eam ſimili modo præcentor; & in fine anni cujuſlibet teneatur dictus capel-

lanus de dictis trezenis & laudimiis reddere rationem illi vel illis qui cum eo laudaverint venditiones prædictas, cujus vel quorum arbitrio fiat conversio dictorum trezenorum & laudimiorum in dictis ornamentis, vel augmento perpetuo capellaniæ prædictæ. Item assignamus eidem cappellaniæ quindecim libras Turon. pro emenda una vinea cappellaniæ prædictæ. Item assignamus.... Custodia vero cappellaniæ prædictæ & bonorum ejusdem, cum eam vacare contigerit, ad dictum canonicum Vasionensem, qui pro tempore fuerit de hospitio Bellimontis, & si plures fuerint, ad antiquiorem tantum pertineat: & si de dicto hospitio non esset aliquis canonicus, ipsam custodiam habeat præpositus Vasionensis. Ne vero super collatione dictæ cappellaniæ contentio oriatur, statuimus ac etiam ordinamus quod ad illum canonicum Vasionensem, qui fuerit de hospitio Bellimontis, & si plures fuerint, ad antiquiorem collatio ejusdem pertineat pleno jure, & si nullus ibidem canonicus fuerit de hospitio supradicto, ad hæredem hospitii Bellimontis collatio prædicta pertineat, nec aliquis prædictorum dictam capellaniam teneatur Vasionensi episcopo præsentare, sed ipso jure & ipso facto sua auctoritate propria dictus capellanus facta sibi dicta collatione intrare valeat, quandocunque sibi placuerit, possessionem capellaniæ prædictæ & jurium ejusdem, & eam libere possidere. Ut autem dicta capellania, cum eam vacare contigerit, diu non maneat in suspenso, statuimus & ordinamus, quod ille ad quem dictæ capellaniæ collatio pertinet, infra mensem a die notitiæ vacationis eam teneatur conferre sacerdoti idoneo civitatis Vasionensis, vel statim alicui diacono; & si in civitate Vasionensi sacerdos nec diaconus inveniretur idoneus, conferatur sacerdoti vel diacono ejusdem ecclesiæ servitori, qui in ejus fuisset servitio tempore quo dicta capellania vacare cepisset; & si ibi talis non inveniatur idoneus, fiat ejus collatio sacerdoti vel diacono idoneo aliunde; & si diacono conservetur *, ille in primis temporibus debeat ad sacerdotium promoveri, & interim eidem capellaniæ per idoneum deserviat substitutum, alias autem infirmitate cessante personaliter eidem capellaniæ deserviat, & ad horas canonicas prout ceteri servitores teneatur venire; & si, quod absit, contingeret quod per tres menses a dicta capellania se absentaverit morando alibi, etiam ex dispositione episcopi, vel ejus mandato, nisi infra tres menses redierit, ipsi capellaniæ & ecclesiæ debitum cum effectu & omni dolo & fraude cessantibus servitium impensum, ipso jure & ipso facto vacet capellania prædicta, & eam libere conferre valeat ille vel illi de quibus supra diximus: * negligentes extiterint in præmissis post mensem prædictum collatio dictæ capellaniæ pertineat ad Vasionenses canonicos, qui tempore vacationis ejusdem capellaniæ residentiam facient Vasione; & si aliqui ex residentibus dicto mense lapso fuerint, soli canonici qui tunc fuerint Vasione præsentes, vel etiam si fuerit unus solus, collationem prædictam libere possit facere pleno jure, vel teneatur absentes vocare, requirere, seu etiam expectare. Quia vero expedit quod bona dictæ capellaniæ fideliter conserventur; statuendo mandamus quod ille cui fiet collatio capellaniæ prædictæ, tempore collationis ejusdem in manibus conferentis præstet corporaliter sacramentum, officium suum fideliter exequi, & jura capellaniæ servare, inventariumque facere in sui initio de bonis dictæ capellaniæ: dictus vero capellanus ad honorem Virginis gloriosæ, & beati Quinidii patroni nostri, & beati Dionysii, & omnium civium supernorum, in altari sancti Dionysii missam celebret singulis diebus, infirmitate tamen ac justo impedimento cessantibus, prædictam si quidem capellaniam sub forma prædicta statuimus, & eidem bona prædicta conferimus ac eis assignamus, eaque ejus nomine constituimus possidere, & quasi ad hoc nos G. * præpositus, Ricanus archidiaconus, Artaudus sacrista, Faraudus præcentor, Guillelmus de Redorterio, & Petrus Guillelmi Vasion. canonici, videntes omnia esse salubriter ordinata, & ad divini cultus augmentum ad* specialiter congregati & capitulum facientes, prædictis omnibus & singulis ex certa scientia tanquam Vasionense capitulum consentimus.

* *f.* conferatur.

* *f. desit* si.

* Guillelmus.

* *f. desit* hoc.

III.

Testamentum Petri de Casa episcopi Vasionensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti; amen. Noverint universi & singuli, præsentes pariter & futuri, hanc veram & publicam scripturam inspecturi, ac etiam audituri, quod anno Dominicæ incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, & die prima mensis Julii, cum ignotum sit cuilibet humanæ creaturæ quantum sit ac distet mortis futurus eventus, licet nihil sit morte certius, nihilque incertius hora mortis, & etiam quia nemo in carne positus potest terribile Domini judicium aliquatenus evitare; igitur quilibet expectans suam misericordiam, sic suam debet purgare animam, ut securus in die judicii, possit ad suam præsentiam & dexterum pervenire. Idcirco nos frater Petrus miseratione divina patriarcha Hierosolymitanus, administratorque episcopatus Vasionensis, sani per Dei gratiam mente & sensu, & in mea bona & valida memoria perseverantes & existentes, licet debiles & ægri corpore, ac infirmitate gravati; scientes & considerantes quod *dies hominis prout umbra præterunt, & ejus gloria tanquam flos agri.* Et quia vero nihil magis debetur hominibus quam ultimæ voluntatis ordinatio, liber sit status & licitum, quod iterum non reddit arbitrium, nolentes decidere ab intestato, cupientes prævenire dies nostræ labentis vitæ, volentes de bonis nostris ordinare, & nostræ animæ providere, testamentum nostrum hoc, seu hanc ultimam voluntatem nostram, quod, seu quam nuncupaturum, seu nuncupaturam esse volumus ad majorem & æternam rei memoriam præsens scriptura intervenire. Nam facta hominum in scriptis debent redigi, ut facilius memoriæ commendentur, & ne oblivione vel cursu temporis declivii valeant in posterum deperire, facimus & de bonis, rebus, juribus, rationibus & actionibus nostris mobilibus & immobilibus, & per se moventibus omnibus & quibuscumque per modum infra scriptum & notatum disponimus & ordinamus testamentum nostrum facientes. In primis animam nostram cum corporeis nexibus exuta & dissoluta fuerit, Domino nostro Jesu Christo creatori altissimo & gloriosæ Virginis matri ejus, ac toti cælesti curiæ humiliter cum quanta possumus instantia, reverentia & honore recommendamus, eligentes corpori nostro sepulturam, infra venerabilem ecclesiam B. Mariæ majoris & parochialis de Vasione. Item volumus, mandamus, jubemus & ordinamus fieri exequias nostras juxta ordinationem & voluntatem executorum nostrorum infra nominandorum. Item legamus sive derelinquimus prædictæ ecclesiæ B. Mariæ pro emendis reditibus ad faciendum unum anniversarium perpetuum anno quolibet in eadem ecclesia tali die quali nos mori contigerit, quinquaginta florenos auri. Item legamus sive relinquimus prædictæ ecclesiæ B. Mariæ unum vestimentum de nostris sacerdotale minutum & completum ad ordinationem & voluntatem executorum nostrorum inferius nominandorum. Item legamus sive relinquimus luminariæ prædictæ ecclesiæ duos florenos auri semel tantum. Item volumus, mandamus, jubemus & ordinamus, quod executores nostri infra nominandi possint, valeant & debeant ordinare de aliis vestimentis nostris, & ea distribuere juxta eorum omnimodam voluntatem. Item legamus & relinquimus reverendissimo & sanctissimo patri domino nostro papæ & ejus cameræ, ut nostram animam in ejus memoriam & sibi recommendatam habeat, quinquaginta florenos auri, & calicem majorem nostrum. Item legamus sive relinquimus conventui fratrum de Carmes Lemovicensi civitatis pro missis celebrandis, & ut nostram animam in eorum memoriam habeant & beneficiis recolligant, alium calicem nostrum, & 2. florenos auri pro ædificiis conventus

1348. *Ita mscr.*

Ps. 143. 4.

ventus ejuſdem. Item volumus, mandamus,& jubemus, & ordinamus quod executores noſtri infra nominandi poſſint, valeant & debeant ordinare & diſtribuere totam raubam corporis noſtri, lectorum noſtrorum, paramentorum noſtrorum, & aliorum ſupellectilium noſtrorum juxta eorum omnimodam voluntatem. Item legamus ſive relinquimus pro redemptione noſtrorum peccaminum eccleſiis de Creſto,de Intercallis & de Raſtello, cuilibet pro ornamentis earumdem IV. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus dominabus monialibus de Paravaone & de Neonis pro orationibus dicendis, & ut noſtram animam in earum memoriam habeant & beneficiis recolligant cuilibet conventui II. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus dominabus monialibus ſancti Petri de Vallibus pro rationibus dicendis, & ut noſtram animam in earum memoriam habeant & beneficiis recolligant pro reparatione hoſpitii conventus ejuſdem X. florenos auri. Item legamus & relinquimus conventui de Carmelo civitatis Avenionenſis pro miſſis celebrandis, & ut noſtram animam in memoriam habeant & beneficiis recolligant pro opere eccleſiæ conventus ejuſdem centum florenos auri. Item legamus ſive relinquimus conventui fratrum de Carmelo Lemovicenſis civitatis, ut noſtram animam in eorum memoriam habeant pro miſſis celebrandis, & beneficiis recolligant pro opere eccleſiæ conventus ejuſdem L. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus conventui fratrum de Carmes civitatis Auraicenſis pro miſſis celebrandis,& ut noſtram animam in memoriam habeant, & beneficiis recolligant pro opere eccleſiæ conventus eorumdem L. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus conventui fratrum Minorum de Vairaco, de Auraica, & de Avenione, pro miſſis celebrandis, cuilibet conventui I. florenum auri. Item legamus ſive relinquimus conventui fratrum Prædicatorum de Buxo pro miſſis celebrandis II. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus conventui fratrum ſancti Auguſtini de Paternis, pro miſſis celebrandis I. florenum auri. Item legamus ſive relinquimus eccleſiæ de Semurio pro una capella in redemtione noſtrorum peccatorum C. florenos auri. Item legamus & relinquimus eccleſiæ de Melanciis III. florenos auri. Item volumus, mandamus, jubemus & ordinamus quod omnia debita noſtra ſolvantur, & forefacta emendentur, & quod executores noſtri fecerant fieri unam præconizationem in locis de Creſto, de Intercallis, de Vaſione, & de Raſtello, quod ſi ſit aliquis qui conqueratur de nobis, veniat coram executoribus noſtris infra nominandis, & illi habeant & debeant cuilibet conquerenti de nobis ſolvere & emendare; & de hoc onero conſcientias eorumdem. Item legamus ſive relinquimus Jacobo de Caſa fratri noſtro pro expenſis quas pro nobis ſuſtinuit C. flor. auri; & ſi aliquod jus ſeu aliquam rationem in bonis paternis habemus,quacumque occaſione ſeu cauſa,totum illud jus & totam illam rationem ſibi dimittimus,renuntiamus & deſemparamus, ac etiam relinquimus & legamus. Item legamus ſive reliquimus Rotgerio & Guillelmo nepotibus noſtris, filiis dicti Jacobi fratris noſtri pro ipſis renendis in ſcholis cuilibet L. florenos auri. Item legamus & relinquimus Guillelmetæ & Aelidi neptibus noſtris filiabus dicti Jacobi de Caſa fratris noſtri, p o eiſdem maritandis, cuilibet CC. florenos auri, & cuilibet pro ſuis arneſiis L. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus, Dionyſio de Mazerola nepoti noſtro pro continuando ſuo ſtudio CL. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus Ginoneto de Villa-veteri ſcutifero noſtro,in retributionem ſervitii quod fecit nobis,roucinum noſtrum vocatum Bayardum, & XXX. flor. auri, & unum arneſium armorum minutum. Item legamus ſive relinquimus Guillelmo de Secundaco ſcutifero noſtro roucinum noſtrum quod vocatur Sauverium, & X. florenos auri pro ſervitio quod nobis fecit. Item legamus ſeu relinquimus Johanni de Auſico roucinum noſtrum vocatum Pelhenum, & XXX. florenos auri pro ſervitio quod dictus Johannes ſcutifer noſter nobis fecit. Item legamus ſive relinquimus Antonio Fabri de Melanciis marreſcallo & ſcutifero noſtro in retributionem ſervitii quod fecit nobis, roucinum noſtrum quem nobis legavit Petrus Serti, & XXX. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus fratri Nicolao de Perenti ſocio noſtro LX. florenos auri. Item legamus & relinquimus Petro Monracherii clerico noſtro in retributionem ſervitii quod nobis fecit XL. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus Boneto de Clauſellis famulo noſtro pro ſervitio quod nobis fecit XXX. florenos auri. Item legamus & relinquimus Bruneto botelherio noſtro pro ſervitio quod nobis fecit V. florenos auri. Item legamus & relinquimus Hugoni de Raſtello famulo noſtro pro ſervitio quod nobis fecit V. florenos auri. Item legamus & relinquimus Martino famulo noſtro pro ſervitio quod nobis fecit IV. florenos auri. Item legamus ſeu relinquimus cuidam famulo noſtro vocato magiſtro Raimundo II. florenos auri. Item legamus & relinquimus famulo noſtro de Coquina vocato magiſtro Johanni II. florenos auri. Item legamus ſeu relinquimus Johanni Vaſconi, qui ſervit in caſtello IV. florenos auri. Item legamus ſeu relinquimus Petro Duranti famulo noſtro pro ſervitio quod nobis fecit VI. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus Michaeli ſervienti noſtro de Intercallis X. florenos auri pro ſervitio quod fecit nobis. Item legamus ſive relinquimus Olaiæ uxori Johannis Salomonis quondam X. florenos auri. Item volumus, jubemus, mandamus & ordinamus quod omnes libri noſtri quos habebamus quando fuimus facti epiſcopus, reddantur ordini noſtro, & de illis quos fecimus fieri ex tunc volumus, mandamus, jubemus & ordinamus, quod executores noſtri inferius nominandi poſſint, valeant & debeant illos diſtribuere, & de illis ordinare ad eorum omnimodam voluntatem. Item volumus, jubemus, & mandamus & ordinamus, quod executores noſtri infra nominandi incontinenti poſt noſtrum obitum, recipiant omnia bona noſtra pro executione hujus noſtri teſtamenti facienda,licentia alicujus curiæ ſeu perſonæ eccleſiaſticæ, vel ſecularis non expectata nec etiam requiſita. Item legamus ſive relinquimus cuilibet capellanorum noſtrorum in retributionem ſervitiorum quæ nobis fecerunt LX. flor.auri. Item legamus& relinquimus Petro de Fago I. florenum auri. Item legamus ſive relinquimus Peyreto Nigride de Salvalinis clerico ſacriſtæ Vaſionenſi V. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus barbitunſori de Intercallis pro ſervitio quod fecit nobis X. florenos. Item legamus ſive relinquimus prædictæ eccleſiæ parochiali B. Mariæ de Vaſione duo plata argentea majora de noſtris, & pontificalem majorem noſtrum. Item legamus ſive relinquimus domino Hugoni Gaudeychardi capellano de Intercallis V. florenos auri. Item legamus ſive relinquimus in redemtionem peccatorum noſtrorum pro pauperibus puellis maritandis C. florenos auri, quos volumus, jubemus, mandamus & ordinamus dari & diſtribui ad voluntatem & ordinationem executorum noſtrorum infra nominandorum Item volumus, mandamus, jubemus & ordinamus quod breviarium quod nobis dedit Guillelmus Vivis Catalanus, factum ſecundum ordinem ſancti Sepulchri, reddatur eidem domino Guillelmo, ſi adhuc vitam duxerit in humanis, & in caſu in quo eſſet mortuus, volumus, jubemus, mandamus & ordinamus quod dictum breviarium tradatur patriarchæ ſucceſſori noſtro, cum conditione quod ille ſucceſſor noſter det & dare debeat XV. florenos auri pro miſſis celebrandis, vel alias pro anima dicti domini Guillelmi Catalani. Item volumus, jubemus & ordinamus, quod omnes prædicti libri noſtri quos habebamus tempore quo fuimus facti epiſcopus, dividantur in quinque conventibus ordinis noſtri ad ordinationem & voluntatem reverendi in Chriſto Domini fratris P. Graſſenſis epiſcopi, & magiſtri Petri de Luperciaco pœnitentiarii domini noſtri papæ, & fratris Nicolai de Perenti ſocii noſtri; & volumus & ordinamus quod idem frater Nicolaus ſocius noſter poſſit & valeat recipere de prædictis libris noſtris, Flores videlicet Sanctorum, Manipulum florum Bricariæ, & tria paria

ſermonum, & prædictos libros ſtans in ordine noſtro poſſit tenere, quamdiu vita fuerit ſibi comes in humanis, & poſt mortem ipſius reddantur uni prædictorum conventuum ſecundum ordinationem ejuſdem fratris Nicolai. Item volumus, jubemus, mandamus & ordinamus, quod domino Johanni de Valle Calciata credatur ejus verbo ſimplici de omnibus quæ dixerit ſe expendiſſe in noſtro ſervitio, & quod ei reddatur & ſatisfiat de ejus ſalario de hoc quod non eſſet ei ſatisfactum juxta totam ſuam omnimodam voluntatem, de quo etiam ei credatur ſuo verbo ſimplici. Item volumus, mandamus, jubemus & ordinamus, quod executores noſtri infra nominandi non poſſint nec debeant in aliquo ampliare legata per nos facta illis de genere noſtro, nec alibi diſtribuere alicui perſonæ generis noſtri, ſed omnia alia bona noſtra teneantur & debeant dare & diſtribuere pauperibus Chriſti, pro ut inferius in hoc præſenti teſtamento noſtro deſcriberur. Et quia hæredis inſtitutio eſt caput & fundamentum totius teſtamenti, idcirco in omnibus aliis bonis, rebus, juribus, rationibus, actionibus noſtris quæcumque ſint, & ubicumque, quantacumque, & qualiacumque, & quocumque nomine cenſeantur & nominentur, facimus & inſtituimus, & ore noſtro proprio nobis nominamus hæredes univerſales ſolos & in ſolidum videlicet pauperes Chriſti civitatis, & locorum infra ſcriptorum, ſcilicet Vaſionenſis, caſtri Raſtelli, & de Intercallis, quibus omnia alia bona noſtra dari & diſtribui debeant in redemtionem peccatorum noſtrorum per executores noſtros infra nominandos, juxta eorum omnimodam & liberam voluntatem. Gadiatores autem & executores hujus noſtri teſtamenti, necnon & procuratores, actores & defenſores, ſeu etiam curatores animæ noſtræ, & omnium bonorum noſtrorum, & jurium quorumcumque, & prædictorum heredum noſtrorum facimus, creamus, conſtituimus & ordinamus videlicet domnum Bernardum de Caſa præpoſitum Tricaſtrinum, & domnum Remundum Guillelmum militem de Vaſione, & domnum Guillelmum de Berengiis vicarium perpetuum Malancii, & domnum Nicolaum de Valle Calciata canonicum Vaſionenſem, ac priorem de Podio Guigone, omnes ſimul & eorum quemlibet inſolidum in defectu omnium aliorum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod unus eorum inceperit, alter ſeu alteri poſſit & poſſint, & valeant inchoare, aſſumere & reſumere ſemel & pluries ac totiens quotiens opus fuerit, & fine debito terminare. Quibus omnibus & duobus ex eis & cuilibet eorum in defectu aliorum donamus & concedimus plenam & liberam poteſtatem, & ſpeciale & generale mandatum diſtribuendi quæ diſtribuimus, & diſtribuendi quæ non diſtribuimus, & incontinenti nobis defuncto omnia bona, res, jura, rationes & actiones noſtra & noſtras ſua autoritate propria, non requiſita licentia alicujus curiæ, ſeu perſonæ eccleſiaſticæ vel ſecularis, accipiendi, petendi, exigendi, recuperandi & habendi, & eas vendendi, & pretium accipiendi; ita quod poſſit ſeu poſſint omnia debita noſtra & forefacta, & omnia legata, & alia per nos ſuperius ordinata emendare, ſolvere & complere, & inde reſiduum pauperibus Chriſti ſupradictis noſtris heredibus, pro anima noſtra diſtribuere, &c.

IV.

Bulla Benedicti papæ XIII. qua Guillermo Blegerii præpoſito Vaſionenſi datur præfecturam Caſtri & Caſtellaniæ Vaſionenſis.

BENEDICTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Guillermo Blegerii præpoſito eccleſiæ Vaſionenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. De tuis fidelitate & diſcretione plenam fiduciam obtinentes, tibi caſtellaniam & capitaneatum caſtri civitatis noſtræ Vaſionenſis ad nos & Romanam eccleſiam pertinentis, cum honoribus & oneribus conſuetis, ac ſtipendia centum & viginti florenorum auri currentium percipiendorum per te annis ſingulis, uſque ad noſtrum beneplacitum tenore preſentium committimus, teque ejuſdem caſtri caſtellanum & capitaneum cum poteſtate præcipiendi, mandandi, ſtatuendi & faciendi omnia & ſingula quæ ad hujuſmodi caſtellaniatus & capitaneatus officia de jure vel conſuetudine pertinere noſcuntur conſtituimus, necnon caſtrum prædictum tibi per te fideliter cuſtodiendum, protegendum & defendendum contra omnes perſonas, nulla excepta, committimus, mandantes transferre dilectis filiis univerſis & ſingulis predictorum officiorum ſubditis, quatenus in his omnibus quæ hujuſmodi officia tangunt & concernunt, ſeu tangere poterunt in futurum, durante beneplacito noſtro, tibi pareant & obediant efficaciter, & intendant ac præſtent auxilium, conſilium & favorem. Tu vero juraſti in manibus noſtris ad ſancta Dei evangelia, tactis ſacroſanctis ſcripturis, & data fide tui corporis homagium præſtando ore & manibus commendatum promiſiſti hujuſmodi caſtellaniatus & capitaneatus officia bene & fideliter exercere, caſtrum predictum pro nobis & eccleſia Romana predicta diligenter cuſtodire, & illud nulli perſonæ cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtat ullo nunquam tempore tradere vel reſtituere, niſi nobis aut ſucceſſoribus noſtris Romanæ eccleſiæ pontificibus canonice intrantibus, ſeu cui vel quibus nos aut noſtri voluerimus; quotque vadiorum ſeu ſtipendiorum hujuſmodi forſitan non ſolutorum aut retardationis ſolutionis eorumdem, ſeu reparationum per te factarum, ſeu fiendarum in dicto caſtro, aut alterius rationis ſeu occaſionis cujuſcumque illud tradere ſeu reſtituere non differes ſeu contradices, noſque & illos quos voluerimus quacumque hora intra caſtrum predictum cum gentibus armatis, ſeu inermibus in quocumque numero iratos recipies & pacatos, ac etiam cum effectu & ſine defectu, ad utilitatem totius patriæ noſtræ & eccleſiæ Romanæ obſervabis omnia & ſingula capitula contenta & expreſſa in forma de juramento fidelitatis. Si vero contrarium faceres, voluiſti proditor, mendax, fide mentitus & perjurus ab omnibus appellari, & tanquam talis corrigi & puniri, prout ad hæc mediante publico inſtrumento recepto per dilectum filium magiſtrum Petrum Soriam apoſtolica auctoritate notarium, noſtrumque ſecretarium te ſpontaneum aſtrinxiſti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ commiſſionis, conſtitutionis & mandati infringere, vel & auſu temerario contraire. Si quis autem attentare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud pontem Sorgiæ Avenionenſis diœceſis ſexto idus Novembris, pontificatus noſtri anno [illegible].

V.

Fundatio ſeu dotatio conventus & domus hoſpitalis de Feudis (des Fieux) *ordinis ſancti Joannis Jeroſolymitani diœceſis Caturcenſis, ab Eblone de Mederio Vaſionenſi epiſcopo, ejuſque fratribus.*

EBLO de Mederio olim clericus cameræ apoſtolicæ, nunc epiſcopus Vaſionenſis, & Guillelmus de Mederio olim abbas monaſterii Manſi garnerii Tholoſanæ diœceſis, nunc vero abbas ſancti Ægidii diœceſis Nemauſenſis, & Oliverius de Mederio nobiles fratres conventui & hoſpitali de Feudis (*des Fieux*) Caturcenſis diœceſis ordinis ſancti Johannis Hieroſolymitani concedunt decimas de la Calmera in parochia loci de Loberſaco, & alia plura; eo pacto ut ibi conſtituantur XX. ſorores ſub prioriſſa, quæ debet eligi de genere dictorum de Mederio (*de Miers*) & confirmari a priore ſancti Ægidii. Acta fuerunt hæc Avinioni in hoſpitio habitationis dicti D. Eblonis epiſcopi Vaiſonis, præſentibus R. P. Raimundo abbate de Conchis Rutenenſis diœceſis. *Abſque temporis nota.*

Ex inſtrumento hoſpitalis Bellileni d'Iſſandolus, cui domus des Fieux *nunc unita eſt.*

ized by Google

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM CAVALLICENSEM SPECTANTIA.

I.

Littera Innocentii papæ IV. poſt dedicationem eccleſiæ Cavallicenſis ab eo factam.

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri epiſcopo, & dilectis filiis præpoſito & A capitulo Cavellicenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Licet is de cujus munere venit, ut a fidelibus ſuis digne ac laudabiliter ſerviatur de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit & vota, bene ſervientibus multo majora retribuat quam valeant promereri, nihilominus tamen deſiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum ei quiſi quibuſdam illecturis muneribus, indulgentiis ſcilicet & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut eccleſia veſtra, quam ad honorem beatæ Mariæ virginis duximus dedicandam, congruis honoribus frequenteretur, omnibus vere penitentibus & confeſſis qui B eccleſiam ipſam in die dedicationis ipſius uſque ad octavas ejuſdem annis ſingulis venerabiliter viſitarint, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum & quadraginta dies de injuncta ſibi penitentia, miſericorditer relaxamus. Datum in caſtro Fugentiæ III. nonas Maii, pontificatus noſtri anno octavo.

II.

Charta Ingilranni epiſcopi Cavallicenſis pro monaſterio S. Andreæ prope Avenionem.

1014 IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego Ingilrannus diſpoſitione Dei Cavallicenſis eccleſiæ humilis epiſcopus, monitus litteris domini papæ Johannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & ſupplicante confratre noſtro domno abbate Martino, laudo atque confirmo ad monaſterium ſancti Andreæ Andaonenſis montis, eccleſias datas a prætexato Johanne papa, quæ ſunt ædificatæ vel erunt in monte Tozonis, cum adquiſitis circa ſe decimis vel adquirendis, & primiciis, & oblationibus, & cimiterio, & omnibus eiſdem eccleſiis pertinentibus. Ea vero ratione ut ſanctæ Romanæ eccleſiæ annuatim una libra perſolvatur ceræ. Rogo itaque obnixe omnes ſucceſſores meos, ut hanc donationem D domini papæ vel ammonitionem nullo modo inquietent; ſed magis cum obedientia & caritate libenter augeant, & auctam confirment & corroborent, & integram omni tempore cuſtodiant. Et ut firmius permaneat canonicorum meorum manibus firmari jubeo. Johannes levita firmat. Geruneulus firmat. Teodericus preſbyter firmat. Bertrandus preſbyter firmat. Rodoinus preſbyter firmat. Eudo preſbyter firmat. Stephanus preſbyter firmat. Heldebertus preſbyter firmat. Pontius preſbyter firmat. Appollonius preſbyter firmat. Albaricus preſbyter firmat. Odillus levita firmat. Si quis autem hanc donationem domini papæ, vel noſtram confirmationem infrumpere voluerit, cujuſcunque dignitatis vel ordinis ſit, dignitate & ordine, & ſacri corporis & ſanguinis communione privetur Domini noſtri Jeſu Chriſti. Facta donatio iſta anno Dominicæ incarnationis MXIV. indictione XIII.

III.

Ingilrannus Cavallicenſis epiſcopus ſancto Victori donat eccleſiam ſanctæ Perpetuæ.

EGO INGILRANUS gratia Dei epiſcopus, & fidelis mea Adalgude nomine, facimus donationem S. Victori martiri, ejuſque monaſterio, haut procul a civitate Maſſilia fundato, de alode noſtro quem habemus in comitatu Aquenſe, infra terminos de villa, quæ vocant Bruniola, id eſt eccleſiam quæ fundata eſt in honore Dei, ſanctæque Perpetuæ in valle quæ vocatur Avolnaſa. Facta donatio iſta MXI. indictione IX. Ego Ingilranus, & fidelis mea nomine Adalgude, hanc donationem corde perfecto & animo voluntario, Deo & ſuo martiri dedimus. Ego Amelius filius epiſcopi Ingilrani, facio donationem ſancto Victori martiri, ejuſque monaſterio, haut procul a civitate Maſſilia fundato de alode meo quem habeo in comitatu Aquenſe, infra terminum de villa Bruniola. Ego Amelius f. Adalgas mater ſua f. Ingilranus f. Domnus Geiroldus filius epiſcopi Ingilrani dedit ſancto Victori de vinea culta in valle Bruniola. Anno MXVII. Villelmus filius epiſcopi & fratres ejus Amelius, Rainaldus, Gueiraldus donaverunt & firmaverunt. Ego Willelmus Nevelongus, & uxor mea, & filii mei Reinaldus & Josfredus. 1017. *Extat. S. Victoris Maſſil.*

IV.

Littera B. Cavallicenſis epiſcopi, pro Sinaquæ monaſterio.

PRÆſentibus & futuris reducatur ad memoriam, quod ego B. gratia Dei Cavellicenſis epiſcopus, præſente noſtro capitulo, & conſentiente B. ejuſdem eccleſiæ præpoſito, A. præcentore, B. ſacriſta, & aliis canonicis G. de Senaſ. Aldeberto, R. de Podio Calvo, anno Dominicæ incarnationis MCCII. pro redemptione animæ noſtræ, & prædeceſſorum noſtrorum, & ſucceſſorum donamus, concedimus & laudamus Deo & monaſterio Sinaquæ, & tibi W. ejuſdem monaſterii abbati, & fratribus præſentibus & futuris, jus quod habemus in Junquer de Sorgeta, quæ eſt Ancos, vel habere aliquo jure debemus. In prædicto autem Junquer, quia eſt infra terminos noſtræ decimationis, nomine decimæ retinemus annuatim VIII. heminas annonæ ad menſuram legitimam inſulæ. Et ut hæc donatio firma maneat nec calumpniari poſſit ab aliquo, cartam mandamus facere, & eam noſtro ſigillo & ſigillo capituli, & ſigillo abbatis prædicti monaſterii munimus, ut fideliter quid in hac carta ſcriptum eſt ab utraque parte perempniter obſervetur. Hæc autem donatio facta fuit apud Cavellionem in camera domni epiſcopi, & ipſam in capitulo Sinaquæ coram omnibus fratribus confirmavit. Teſtes fuerunt R. de Venaſco monachus, W. faber, P. faber, Botinus major, & Hugo de Cabanis frater ejus. 1102. *Ex archiv. Sinaq.*

V.

Carta pro monaſterio Sinaquæ ordinis Ciſtercii.

PRÆſentibus & ſequentibus omnibus hominibus notum ſit, quod ego Guirannus de Simiana, & ego Bertrannus Raimbaudi frater ejus in remiſſione peccatorum noſtrorum donamus Deo & B. Mariæ cenobii Sinaquenſis, & tibi Petro primo abbati ejuſdem monaſterii, & omnibus fratribus tam præſentibus quam futuris ibidem Deo ſervientibus, quidquid habemus vel poſſidemus tam per nos quam per alios, tam feo- 1150. *Ex mſcr.*

Digitized by Google

darios quam colonos in valle Sinaquæ : ſicut aqua verſatur ex omni parte, & determinatur uſque ad rupem quæ eſt ſupra fontem Elrici, & uſque ad collum Sinaquæ, & determinatur uſque ad portas. In montanis vero quæ ſupradictæ valli conjunctæ ſunt & pertingunt uſque ad territorium Vennaſca, donamus quantumcunque ibi laborare poteritis & volueritis, cum nemoribus, & paſcuis, & paturis, quidquid neceſſarium vobis, & veſtris jumentis, & ovibus, & omnibus animalibus fuerit. Hujus donationis teſtes ſunt, Pontius Laurentii; Fr. B. d'Werno. Fr. Pe. Romani. Pe. Pelliparius converſus, Poarracardus converſus. Ego Guillelmus de Gorda vidi & audivi hanc donationem, & quidquid habebam in eadem valle donavi & laudavi prædicto abbati, accipiens a prædicto Guiranno, & fratre ejus ccc. ſolidos cum coheredibus meis. Et ego Bertrannus Calvet ſimiliter vidi hanc donationem, & quicquid ibi ego & uxor mea habebamus, donavimus accipiendo partem noſtram ſupradictorum ccc. ſolidorum. Et ego Guillelmus de Albaros vidi hanc donationem, & quicquid habebamus ibi ego & uxor mea donavimus prædicto abbati, accipiendo partem noſtram ſupradictorum ccc. ſolidorum. Actum eſt hoc anno incarnationis Domini MCL. menſe Octobri, regnante Colrado, & dominante Raimundo.

1173. DEinde ab incarnatione Domini anno MCLXXIII. menſe Martio pridie idus ejuſdem menſis regnante Frederico, & dominante Raimundo. Ego prædictus Guirannus de Simiana, & Raimbaudus filius meus euntes ad S. Jacobum pro Dei amore, & animarum noſtrarum ſalute, eandem donationem confirmavimus. Inſuper quidquid in noſtro dominio prædicta domus Sinaquæ uſque ad hanc diem vel emptione, vel donatione poſſederat conceſſimus; & quidquid ibi juris habebamus, vel in taſchis vel in gardiis abſque omni retentione donavimus. Præterea quidquid prædicta domus vel habitatores ejus in tota planitie S. Ceciliæ vel emptione, vel donatione acquirere potuerint, eis permiſimus. Donavimus etiam eis quidquid habent vel acquirere potuerint de feodariis noſtris, in territorio Sorgueriæ; & medietatem vicariæ Cavellicenſis epiſcopi, quæ eſt in ipſo territorio, quam eis ſemper ſalvare debemus, & deffendere ab omnibus hominibus. Factum eſt hoc apud Sinaquam in prato, in præſentia domini Benedicti Cavellicenſis epiſcopi. Teſtes ſunt P. Boscapellanus, Beringerius Botini, Johannes prior, P. Laurentii, Johannes Gaſchet, B. Geneſii, Aimericus. Hanc cartam domnus Benedictus Cavellicenſis epiſcopus rogatu ipſius Guiranni proprio roboravit ſigillo. Imbertus vero ejuſdem Guiranni filius, atque Aptenſis eccleſiæ canonicus, quidquid pater donaverat vel conceſſerat, laudavit & conceſſit in præſentia D. domini Petri Aptenſis epiſcopi, & etiam ſigillo patris iſtam cartam munivit. Ne in futurum aliqua controverſia oriretur, notificamus quod prædictum monaſterium poſſidebat libere quandam terram quam donavit Petrus Aurella, & aliam quam donavit Bertrannus Alfantii, tertiam donavit Raimundus de Caſtar, quartam abbas emit de hoſpitalariis, quintam emit de Petro Caſtone vallis .... ſextam emit de Guillelmo Ugone. Et jam dictum monaſterium tres modiatas vinearum locis diverſis poſſidebat, ſex terras prædictas cum condamina vallis Bonifredi, cum vineis jam dictis monaſterium in pace habebat, antequam Guirannus cum filiis hanc ultimam laudem feciſſet. Et antequam hæc carta ſcripta fuiſſet, domnus Guirannus fecit querimoniam adverſus fratres prædicti monaſterii, de quibuſdam terris quas ipſi fratres ſine conſilio ipſius acquiſierant. Quam querimoniam in pace dimiſit, & taſcham quam habebat in terris quas ipſi fratres uſque ad hanc diem in territorio ſupra Chamiromeu acquiſierant vel emerant, prædictus Guirannus Petro abbati, & fratribus ejus donavit & laudavit, & filii ejus laudaverunt atque conceſſerunt. Hoc autem factum eſt in prædicta domo Sinaquæ ſub ulmo in præſentia Petri abbatis, & pro hoc accepit ab eis unam mulam valentem cc. ſolidos. Teſtes ſunt Jo. prior.

VI.

Donatio Guillelmi de Gorda, Bertranni Chalvets, & Guillelmi de Albaros facta monaſterio Sinaquæ.

NOtum ſit tam præſentibus quam futuris, quod ego Guillelmus de Gorda, & ego Bertrannus Chalveti, & ego Guillelmus de Albaros donamus & concedimus, & etiam ſacramento affirmamus P. abbati Sinaquæ, & fratribus ejuſdem monaſterii, præſentibus & futuris in perpetuum poſſidendam, taſcham de Corneria, & totius montanæ de Venaſca, a rupe de Sambuco, uſque ad ſummitatem montis Rancherii, & uſque ad rocham Petarellam, & uſque ad viam quæ venit de muris, ſicut territoria dividuntur: & ſi quid prædicta domus in territorio de Ferrariis, quod taſcham nunc donat poſſidet, taſcham ipſam in perpetuo poſſidendam donamus: inſuper etiam taſcham quam habemus in condamina ſub via, & in campo de curtibus, pro c. ſolidis impignoramus Petro ſupradicto abbati; & pro his omnibus ego Alphantus, do eis quidquid juris habeo in dominio caſtelli de Muris, & in omni territorio ejuſdem caſtelli. Et hoc ipſum ſacramento affirmo nunquam per me, nunquam per aliam perſonam me requiſiturum. Hujus rei teſtes ſunt Pontius Laurentii, Laugerius, Bertrannus, Aimericus, monachi. Bertramus de Gorda, Guillelmus Petri frater ejus, Petrus de S. Donato, Petrus Ugo, Gaufredus Clementis, Raimundus Laias, Guillelmus Taſſils. Facta ſunt autem hæc anno ab incarnat. domini MCLXXVII. Colrado regnante, & Raimundo dominante; hanc pactio & conventio quæ ſupra dicta eſt conſilio & aſſenſu comni Guiranni de Simiana. 1177. Excorrigatur.

VII.

Confirmatio fundationis ſeu dotationis monaſterii Sinaquæ.

ANtiqua traditio, ac legalis inſtitutio eſt, ut omnis homo vel femina pro ſalute animæ ſuæ, & abolitione peccaminum ſuorum eccleſiis Dei ac ſervitoribus earum de rebus quas poſſidet elemoſinam faciat. Unde & ego Raimbaudus de Agolt filius Guiranni, & Aſelmois anno ab incarnato Domino MCLXXXIV. dono Deo & monaſterio Sinaquæ, & Petro abbati, & fratribus ejuſdem loci tam præſentibus quam futuris, quidquid juris habeo vel habere debeo, in terris, vel vineis, aut etiam pratis, quæ in præſenti poſſident, vel poſſeſſuri ſunt in territorio de Gorda, acquiſierunt vel quoquo modo in antea acquirere poterunt: concedo, & pleno jure ad habendum & poſſidendum in perpetuum laudo. Ut autem iſta donatio nulla occaſione per me vel per alium mutari aut irrita fieri valeat, in capitulo fratrum me ſervaturum fideliter promiſi, & ſigilli mei impreſſione hanc cartulam præmunivi. Domnus etiam B. Cavellicenſis epiſcopus ſignaculum ſui ſigilli impoſuit. Teſtes ſunt Johannes prior, Petrus ſubprior, W. de Linas. Johannes Galmer. Jo. de S. Laurentio, W. de Serris. Dal. W. Mancip. Durannus. W. Milio Amelius Stede Sa. .. Pō Nicholaus, Bertran. de Blanſac. Stephanus d'Orcival, Ugo novitius. Jorda. de Menerba. Alfan. de Venaſca, monachi, Petrus de Ruro, Pontius de Mornas, Pontius Iterius, Jo. Aſter. Iſnart. Pontius de Sagret, Ricanus de Blanſac, Bernardus Eſcofers, Almes de Valle-cluſa, Petrus Blanes, Augerius Belliparius, W. Pelli. Pontius de Rocabona, converſi ſupradicti monaſterii. Sigillum P. abbatis. Sigillum epiſcopi. Sigillum R. 1184. Ex corrig.

A

VIII.

Charta Hugonis Arelatensis archiepiscopi de hospitio concesso fratribus Sinaquæ in urbe Arelat.

ta a ſi
lia omiſſ.

UNiversis tam præsentibus quam futuris præsentem inspecturis paginam innotescat, quod anno dominicæ incarnationis MCCXXV. XVII. kal. Junii, domno Frederico Dei gratia Romanorum imperatore regnante, domno Draconeto de Monre Draconis potestate Arelatensi existente: nos Hugo Dei gratia Arelatensis archiepiscopus consilio & voluntate, & assensu Petri præcentoris, Bernardi sacristæ, Ugonis Audemerii infirmarii, Amelii Bernardi, Amici Raimundi, Bertrandi Moteti, Guillelmi de S. Cannato, & Bertrandi Malsetrat B canonicorum S. Trophimi, donamus, cedimus & tradimus in perpetuum cum hac carta tibi Petro Dei gratia abbati Monasterii de Sinanqua ordinis Cistercienſis, domos illas quæ sunt extra portale de Militia, in quibus Bertrandus Gallardus jussit & voluit in suo ultimo testamento, ut fieret sive construeretur hospitale pro anima Stephani Gallardi & sui, cum omnibus juribus suis, & aliis quæ prædictus testator ad idem hospitale construendum, & ad necessaria ministrandum reliquit, prout in eodem testamento plenius continetur, ita tamen donamus & cedimus prædicta tibi prænominato
*per abbati, & pro *te monasterio de Sinanqua ad construendum hospitale, necnon ad ecclesiam vel oratorium construendum, in quo hospitali recipiantur tam monachi quam conversi ordinis Cistercienſis, retinentes tamen nobis & ecclesiæ Arelatensi canonicam portionem, C scilicet quartam partem jurium mobilium, & immobilium, quæ provenerint ad dictum hospitale, vel ad monasterium dictum a nostris parochianis, sive jure legati, sive jure hereditario, sive donatione vel ex alia quacumque causa. Si tamen in dicto monasterio elegerint sepulturam, & si terras sive alias possessiones acquisieritis modis prædictis, vel alia quacumque causa infra decimarias nostras & ecclesiæ Arelatensis, de fructibus ex eis provenientibus nobis decimam retinemus, & quod dictum hospitale, vel redditus deputatos eidem hospitali non possitis permutare seu reddere vel alio aliquo titulo alienare sine consensu nostro, & heredum dicti Bertrandi Gallardi, & quod in dicto hospitali sine nostra licentia, & ecclesiæ Arelatensis, vel successorum nostrorum archiepiscoporum, oratorium sive ecclesiam construere sive statuere non possitis. Et ego Petrus abbas dicti monasterii prædictam donationem, cessionem & traditionem recipiens, promitto vobis domno Hu. Dei gratia Arelatensi archiepiscopo omnia prædicta servare & attendere in perpetuum, & complere & contra prædicta vel aliquod prædictorum nullo unquam in tempore non venire, nec me nec domum de Signanca juvare aliquo privilegio impetrato vel impetrando; & promitto vobis quod omnes successores mei abbates ejusdem monasterii, quod eidem vobis vel successoribus vestris archiepiscopis promittent attendere & servare. Et ego Bernardus Ferreolus gladiator dicti Bertrandi Gallardi, & ego Pontius Gallardus, & ego Bertrandus Gallardus, nos omnes simul dictam donationem, cessionem, & traditionem omnium prædictorum tibi prænominato abbati factam a domno archiepiscopo supradicto approbamus, concedimus, quantum ad nos pertinet laudamus. Actum fuit hoc in palatio dicti domni archiepiscopi. Iis testes rogati & vocati interfuerunt Guillelmus Boscarerius, Pontius de Jonqueriis, Berengarius Audemerius, Bertrandus Borgundus, & ego Guillelmus de Gravezons publicus Arelatensis notarius subscriptus testis rogatus interfui, & hanc cartam scripsi & signavi.

IX.

Johannis papæ XXII. littera pro translatione sanctimonialium sancti Marcelli, ad civitatem Cavallicum.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ & conventui monasterii S. Marcelli ordinis S. Benedicti Cavallic. diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Significarunt nobis venerabilis frater noster episcopus & dilecti filii capitulum Cavallicense, ac universitas hominum Cavallic. civitatis, quod dilectus filius Guido Guidonis miles Cavallicensis pie & discrete considerans quod locus in quo ad presens degitis, vobis, & religioni ac conditioni vestræ non congruit, cum in loco solitario & remoto ab habitatione hominum sit constructus, laudabili devotione, piaque intentione tam de suis propriis, quam de bonis sibi legatis per quondam Hugonem Raimundi de Cadanero militem Aquensis diœcesis, quinquaginta summatas annonæ censuales, & quædam alia bona ad eum spectantia pro fundando & construendo monasterio in civitate prædicta, ad quod possitis Domino annuente transferri & degere in eodem, liberaliter erogavit. Quare pro parte episcopi, capituli & universitatis prædictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum hujusmodi erogatis ad complenda ædificia, quæ pro habitatione vestra in dicto novo monasterio sunt necessaria, sufficere minime dinoscantur, nec ad hæc perficienda eisdem episcopo, capitulo & universitati suppetant facultates, vobis & eidem monasterio de novo fundando hospitium quod olim fuit ordinis hospitalis S. Johannis Jerosolymitani, situm in civitate prædicta, cum capella, hortis, & aliis pertinentiis suis hospitio prædicto contiguis, quæ omnia sunt ad nos & Romanam ecclesiam legitime devoluta, pro fundando & construendo dicto monasterio cum oratorio, domibus, & necessariis officinis concedere dignaremur. Nos itaque piis eorum ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, prædictum hospitium cum capella, hortis & aliis pertinentiis suis eidem hospitio contiguis ad nos, & eandem ecclesiam, ut præmittitur, legitime devolutis, vobis de consilio & assensu fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium pro fundando & construendo prædicto novo mo- D nasterio in civitate prædicta in perpetuum auctoritate apostolica concedimus, & donamus per vos & eas quæ vobis in dicto monasterio successerint, & perpetuo possidendum & etiam retinendum, proviso quod propter hoc jura parochialia in oblationibus aut sepulturis, vel aliis aliquatenus non lædantur, & quod nulla corpora defunctorum, etiamsi dum viverent elegerint in vestro cimiterio sepeliri, nisi duntaxat monialium monasterii vestri recipiatis ad ecclesiasticam sepulturam. Volumus insuper ad restitutionem oblationum hujusmodi, si forte illas receperitis, matrici ecclesiæ faciendam, ecclesiæ & sine diminutione aliqua vos teneri. Ceterum ut integritatem mentis & corporis, ad ejus laudem & gloriam cui eam spontanee devovistis vos & aliæ quæ vobis in hujusmodi monasterio novo Deo auctore succesE serint, cum odore bonæ famæ laudabiliter observetis, præsentium auctoritate decernimus, statuimus & mandamus vos in dicto monasterio de novo fundando, postquam ad illud contigerit vos transferri, sub perpetua debere permanere .... * ita quod nulli vestrum religionem tacite vel expresse professæ sit vel esse valeat quacumque ratione vel causa, nisi forte tanto & tali morbo evidenter vestrum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari. Monasterium ipsum ex quo ad illud transiveritis ..... facultas nullique ..... nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de illius ad quem pertinuerit licentia speciali ad vos ..... ingressus pateat vel accessus. Hujusmodi autem in dicto monasterio ante omnia .... conveniens fiat de .... dictorum episcopi & capituli tam expensis vestris, quam fidelium elemosinis

*f. claustri.

quæ ejus Tabulæ, & Canones ad Horas, & gradus, & minuta primi mobilis, & quarti motus, & Solis, & Lunæ, & Planetarum, & Stellarum fixarum, & Cauda, & Capitis Draconis, & Cometarum, & Terræ motus, & Eclipsium, & Conjunctionum, & Aspectuum, & Stationum, & Directionum, & Reflexionum, & Ascensionum, & Occasuum, & Ortuum, & Occultationum, & Apparitionum, & Mansionum, & Latitudinum, & Longitudinum, & Declination

INSTRUMENTA AD PROVINCIAM AUSCIENSEM PERTINENTIA.

QUÆ SPECTANT AD METROPOLIM AUSCIENSEM.

I.

De S. Venantia ecclesia, quam Guillelmus comes Astaracensis dedit Auxitanæ ecclesiæ.

ODDO LEVITA GARCIÆ ARCHIPRÆSULI.

Cogis me, o sanctissime pontifex, recens opus exercere, sed quia contra examen auctorum debellare non valeo, prærogativam eorum fando temerare erubesco: horrendum quippe est in manus incidere scilicet viventis Dei, qui etiam non solum de nequam operatione, verum etiam de otioso verbo, necnon & de prava cogitatione reddituros nos terribiliter rationem judicaturus est judex justus in die judicii. Cumque ab omnipotenti Deo, sanctisque canonibus tale connubium prohibitum inveniatur, ut non solum facientes, verum consentientes puniri judicentur; & idcirco in epictatium justionis tuæ metuo ponere manum; pavens illud quod evangelica horribiliter lectio voce declarat libera: *Quicumque*, inquiens, *solverit unum de istis mandatis minimis, & sic docuerit hominibus, in regno cœlorum vocabitur minimus.* Dupliciter denique me privatur hoc opus, occasio & cautio scelerum, & reprehensio vituperationis ignarum. Quis igitur doctus hunc opuscula cum in manu sua adsumpserit, & tali commixtione consanguinitatis me notarium repererit, non statim in voce erumpat me delubrem clamitans esse sacrilegum, qui audeam aliquid contra Dei licentiam usurpare conilium? Sed adversus quem invidia duplex causa me consolatur, quod & tu qui summus pontifex es, fieri jubes & necessitas ecclesiæ totius Aquitaniæ poposcit, cui Deo juvante præes matris. Præcipue denique perfecte scio quia post propheticas & evangelicas atque apostolicas scripturas, quibus ecclesia Dei per gratiam ejus fundata est, etiam illud intimandum putem, absque quamvis universis in urbe * catholicæ diffusæ ecclesiæ quasi unus thalamus Christi sit; sancta Romana ecclesia nullis sinodices constitutis ceteris ecclesiis prælata est, sed evangelicam vocem Domini Salvatoris nostri primato obtinuit: *Tu es Petrus*, inquiens, *& super hanc petram ædificabo ecclesiam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Et iccirco non dubito quod gratia Dei vice collata tibi sit absuper memoratæ ecclesiæ mirabile potestas, cui annuente divina clementia septimus extitisti jure pontifici felicitatis vitæ claudendi & referandi. Superititiosa res valde ac execrabilis videtur esse diaconi, imperata a proprio episcopo, ne forte contumax reperiar, & a prædicto gradu privari merear; & dilectioni tuæ, qui præ ceteris es, jugulari. Nam Deo juvante omnibus fidelibus, sanctæ Dei ecclesiæ maxime nostris propinquis vel successoribus patefaciam, quod oculi mei viderunt, & aures meæ audierunt. Lingua mea testimonium perhibere non silebit, quod & si dominus impleverit illud, os meum aperiam.

Nuper denique accidit, ut Guillelmus filius Arnaldi comes Astariacensis uxorem ducere * consanguineam suam. Cumque hoc archiepiscopus Garcia cum nimis urgeretur, ut hoc scelus minime perpetrare libuisset, & omnino licentiam hac consensu ei conjungendi denegaret, & a sanctos patres tali consanguinitas tangendi prohibita esse affirmaret, & videret quia nil proficeret, & prædictus comes ei aurem ad audiendum non præberet, redienisque ad semetipsum, & talem accepit a suos consilium. Sciens igitur melius esse naufragantem animum aliquum gubernaculum præbere, quam in gurgitem desperationis sine remum penitentiæ relinquere, accersivitque eum, & præbuit ei tempore jejuniorum & munera elemosinarum, sicut scriptum est in sublequendo libellum insuper accepit ab eo nobilem oppidum quod olim ablatus fuerat a perversis hominibus de ecclesia B. Mariæ episcopitu Auxiensis, redditoque supra memorato prædio, cui præest ecclesia sancta Venantia, totam & integram cum omnibus appenditiis suis tam cum parochiis quam & capellis adjacentibus sibi sine alicujus participatione vel reclamatione, ut ea pleniter possideat possidendo quæcumque voluerit ex ea facere firmissimum in omnibus potestatem habeat; & si ei placet, post mortem suam successoribus suis eam relinquat; cartula ista firma permanear, quia veraciter est firmata supra firma, qui est Christus, petra. Si quis contra hæc cartula inquietare voluerit & adversarius ejus extiterit, in primis in ira Dei incidat, atque omni tempore maledictioni subjaceat, lepra Naaman succumbat, ulceribus Job dominetur, morte Anania & Saphira moriatur, cum Datan & Abiron in ima tartara demergatur, cum Sodomitis & Gomorritis in ignem perpetuum cremetur, & cum Juda Schariotis cum diabolo & angelis ejus sine fine crucietur, & quid plura? Omnigena maledictione replari mereatur, atque omnibus viventibus exemplum malitiæ ultionis suæ relinquat. Amen. Hæc sunt nomina principum ac ducum, qui hanc donationem viderunt & firmaverunt. Bernardus frater ejus. Remundus frater ejus. Garcia frater ejus. Agganricus, & cognatus ejus. Atus Tolosanæ episcopus. Ludovicus Savanense. Enardus Montaltense. Arnaldus Ouranense. Arnaldus Majenacense. Bernardus Mauracense. Arnaldus Lomaniacense. Fortas Ballicavense. Guillelmus Galbisanense. Remundus de Furesacco, & fratres ejus, cui licet scrutetur opto ut memineris levitam tuum sanctissime pontifex.

De S. Aurancia.

Quia necesse est igitur, ut pro magna vulnera magna adhibeatur medela, & idcirco fas est ut pro maxima delicta magna utetur remunerationis incrementa. Quia latere non valet, qui in publico manet, ob causa penitentiale, ac concessionis elemosynæ, necnon & jejuniorum afflictionis catenæ constituto, ac decretum perpetualiter pono. Ego annuente divina clementia episcopus Garcia huic Guillelmo gratia Dei marchiom &

Cœtera ut, 9 & 10 Instrumenta Auxitana.

Matth. 5. 19.

* f. ecbe.

Matth. 16. 18.

* f. de veret

comiti totius Aſtariacenſe, necnon & reliqua regna, uſquequaque non examen auctorum, ſed cauſa præſumptionis præmium atque elemoſinarum facultate munerum, propter nuptiale conjugium qui committitur a præfatum virum, tali præbeo conſenſum, quia a ſanctos canones prohibetur tali conſanguinitas ne jungatur, a me & Amiſque Adelphoris talis abſolutio invenitur, jubente ſcriptura: *Date elemoſinam, & omnia munda erunt vobis.* Quamobrem ego præfatus pontifex talem ei præbeo conſenſum a diſrumpendo peccatis vinculum hac jugo ſcelerum, acceptoque ab eo oppidum nobiliſſum, quæ ſitum eſt in parte ſui territorium hæc vocabulum ejuſdem eccleſia conſecrata in honore beatiſſimæ virginis Chriſti Venantia cum omnibus eccleſiis adjacentibus ſibi ac appenditiis ad eam pertinentibus ih ſeriem matris eccleſiæ Auſcienſis reponendo. Inſuper hæc mando ut feria ſecunda, feria quarta, & feria ſexta ab omni carne edendi ſe abſtineant, excepto ſi ſolemnitas non occurrerit magna. Tamen feria ſexta a vinó prohibentur. Si tres pauperes non paverint, aut tres denarios egenis non dederint, & in unumquemque anno centum pauperes reficiant, & in die cena Domini duodecim præcipue, & ipſorum pedes lavet, & ſingulos denarios eis præbeat, & in uno quemque anno una quadrageſima aut jejunent aut quinque ſolidos in elemoſinam concedant, & ut in vigiliæ præcipue ab omni coitu ſe abſtineat. Et ego ideo tres ſynodos ab omni debitu abſolvo. Inſuper hoc conſtituo, ac decretu n pono ut neque ego, nec ullus ſucceſſor meus, neque eccleſias quæ modo habet, neque habitura eſt, neque in æternum habebit eccleſia Simorritana, nullus munera accipiat ad dedicandum eas, ſed ſine more dedicentur ab illo gratis, ne pro clericis faciendos de ſupra memorato vico accipiat aliquid, & ubicumque voluerint liberam habeant poteſtatem Deum judicium faciendum de cetero abſolvo ac benedico inſuper, & per manu propria trado ut vivant & valeant feliciter in Chriſto. Amen.

Luc. 11. 42.

Item de eodem, ut in ſancto quadrageſimo, & in adventum Domini ab omni coitu ſe abſtineat, ſcilicet in die Dominico, & in feria ſecunda & in feria quarta, & in feria ſexta, & in ſabbato, & tres pauperes ſemper paſcat & induat.

II.

Raimundus Coppa canonicam in ſua eccleſia conſtituit.

PRidie kalendas Martii apud civitatem Auſciorum Willelmus comes, & Remundus archiepiſcopus, conſtruxerunt canonicam in ſede archiepiſcopali, per manus Rainardi preſbyteri, & grammatici per Aquitaniam & Gottiam ad prædicandum a Deo adſciti; hæc pro victu ſuo & canonicorum donantes. Archidiaconatus quinque, Juliages, Savanes, Ancles, Armaiac, Manoac, eccleſias d'Eſpans de Seran, medietatem de Odezan a ſancta Chriſtina, totum quod habebat, & terram de Gazan; ſimiliter vineam & terras de Panicars, dedit ſimiliter, & medietatem oblationum & penitentium. Similiter medietatem mercati, & terras quæ ad ſedis eccleſiam pertinent.

III.

Willelmus archiepiſcopus Auxenſis, & fratres ejus eccleſiam de Monte-alto Cluniaco cedunt.

IN nomine Dei ſummi omnipotentis Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Ego Willelmus filius Bernardi & archiepiſcopus Auxiorum, & fratres mei Raimundus & Oddo & Orgarius & Giraldus & Bertrannus pro peccatis noſtris, & parentum noſtrorum donamus Domino Deo & ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo ad locum Cluniacum, cui domnus Hugo abba præeſſe videtur, eccleſiam S. Michaëlis de Monte-alto cum appendentibus quinque eccleſiis, & vineis, campis, & abſque his quæ pater meus ibi dedit in vita ſua, dedimus nos unum molendinum in alveo Archo nomine, & decem deneratas de vinea indominicali, & medietatem ſilvæ, quæ vocatur Nigræ vallis, & mater noſtra ſimiliter medietatem eccleſiæ quæ eſt in villa quæ vocatur Ulmus, & dominationem alterius eccleſiæ in villa quæ vocatur Caſeras. Hæ duæ ſunt in Leomania. Unde rogamus per omniporentem Deum omnes præſentes & ſuccedentes, ut hoc donum collaudent, & integrum & inlibatum cuſtodiant, & gratiam Dei adquirant, & in ſocietate Clunienſium fratrum, quam pro hoc dono ſuſcepimus participes fiant. Si quis autem hoc calumniare vel temerare præſumpſerit quod apperit non perficiat, inſuper iram Dei omnipotentis incurrat, & cum Datan & Abiron abſorptus intereat. Facta eſt hæc carta menſe Decembri in præſentia domni Hugonis abbatis Cluniacenſis, & Duranni Toloſani epiſcopi, & Willelmi epiſcopi Convenarum, & Raimundi abbatis S. Luperculi Heliſanæ civitatis, & aliorum plurimorum, regente apoſtolicam ſedem domno Alexandro ſummo pontifice, Philippo rege regnum Francorum gubernante, eo deſuper regnante, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. S. Willelmi archiepiſcopi & fratrum ejus. S. Arnaldi Lupi & fratrum ejus. S. Raimundi de Algipoi. S. Floriani & fratrum ejus. S. Arnaldi de Argano. S. Bernardi Guarmundi.

IV.

Charta Willelmi archiepiſcopi Auxienſis, & Raimundi Lecturienſis epiſcopi de donatione eccleſiæ S. Jenii Cluniacenſibus.

QUoniam inter alia quæ humano generi, ad auxilium divina providentia clementer providit, ſanctorum etiam patrocinia miſericorditer conceſſit, ſcilicet ut pro ſibi famulantibus non infimum apud ſe intercedendi locum ipſi obtinerent. Quapropter ego Willelmus Dei gratia Auxienſis archiepiſcopus, necnon & ego Raimundus Lecturenſis epiſcopus, una cum Odhone vice-comite, & nepote ipſius Viviano, donamus Deo & ſanctis apoſtolis ejus Petro & Paulo ad locum Cluniacum, in manu domni Hugonis ejuſdem Cluniacenſis loci venerabilis abbatis, locum *de ſancto Jenio* cum omnibus appenditiis ſuis, libero jure & quieto, ſcilicet ut amodo & deinceps quandiu monaſtica religio in ſupradicto loco Cluniaco viguerit, iſdem domnus Hugo abbas, ſeu omnes poſt eum ipſius ſucceſſores, locum ipſum, ſicut jam dictum eſt, cum omnibus appenditiis ſuis jure perpetuo teneant, & poſſideant. Hoc autem, ut ſuperius præfati ſumus, ideo facimus, quatinus ab ipſo S. Jenio apud Deum pro hoc opere in ultimo judicii die aliquam miſericordiæ partem mereamur percipere. Nam cum locus ipſe S. Jenii monachorum prius cœnobium fuerit; ad hoc ſecularitate creſcente jam pridem devenerat, ut ipſius neceſſitate victus cogente, derelictus potius videretur quam deſtructus. Præterea concedimus etiam & donamus eidem domno abbati Hugoni ad locum Cluniacum, locum ſimiliter de ſancto Claro, ut ſicut jam ſupra prælibavimus de ſancto Jenio, ab ipſo ejuſque ſucceſſoribus omnibus deinceps quieto jure, eodem modo teneatur & poſſideat. Facta eſt autem hæc charta anno incarnationis dominicæ MLXXIV. indictione XII. regnante Philippo Francorum rege, imperante autem Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cujus regnum, regnum eſt omnium ſeculorum. Signum Raimundi Will. Signum Oddonis. Signum Unaldi abbatis.

1074. Ex magn.

V.

Fundatio eccleſiæ Nogarocenſis ab Auſtindo archiepiſcopo.

IN nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Noverit tam præſentis quam ſecuturi ævi ætas, quod ego Auſtindus Burdegalenſis urbis indigena Novempopulanæ Provinciæ

1062. Ex chartario Auſcienſi.

vinciæ metropolita, emi, acquisivi, construxi atque ædificavi locum, qui dicitur Nugarol, magno labore, ingenti cura, quo potui vigore, ad honorem & memoriam atque reverentiam B. Mariæ semper virginis, sicut in subsequenti narrabitur. Bernardus comes cognomento Tumapaler tactus manu divina, reum se esse cognoscens, ægrum se sentiens, curari nitens, liberari laborans, monasticum schema assumere voluit. Sed tunc temporis monachilis religio penitus infra Vasconiam ceciderat, donec omnium provisore Deo disponente, doctrina & institutione Cluniensis abbatis, de nomine dicti Hugonis quodammodo recalescere atque revivisscere cœpit. Locus quidam infra Armania censem comitatum habebatur, qui ab incolis terræ illius Sanctus-mons vulgariter dicebatur, erantque ibi monachi, vel potius cuculla i seculariter seculum possidentes, non B
1. Cor. 6. 10. juxta apostoli vocem, qua dicitur, *tanquam nihil habentes & omnia possidentes*; imo ordinis atque propositi sui falsificatores, quos ad normam atque regulam beati Benedicti iidem Bernardus reducere volens, humilitatem nostram expetit, suumque nobis patefaciens animum, monachum se fieri velle professus est. Ego de repente spiritum loquentis persentiscens, ex industria dissimulare cœpi ea scilicet de causa quia supra-scriptus locus Sanctus-mons, quamvis in alodio & dominatu jam dicti comitis foret, tamen cameræ Ausciensis archiepiscopi ecclesiasti co jure semper erat: ita quod conventus illi episcopales, vel clericales, sive populares, a prædecessoribus meis semper ibi celebrari consueverant. Denique a pusillitate mea licentia sibi denegata ac pro posse renitente, monachos clam venire parat, eosque invasores loci nostri vi & potentia sui faciens habitare compellit. At ego Austindus ægre ferens, sed non prævalens, tacui quidem in tempore, meis successoribus facti seriem relinquens, clamandi, querendi, & conquerendi vocem relinquens; de hinc gravari me sciens, atque clamans cum quodam procerum terræ nomine Willelmo Remundi consilio habito, tertam ipsius alodii ab eo emi quadraginta solidis monetæ, quæ tunc hac illacque discurrebat. Post hæc Bernardus comes, ut solet fieri in talibus, & ut mos est regionis illius, fundi empti auctorem a me experere cœpit; quem præsto habens sibi obtuli. Qui nihil habens quod diceret tacuit; fundamenta denum jaciens ecclesiæ construendæ, villæ ædificandæ per gramenta composui. Videns vero consul jam dictus me ita insistere laboribus atque operam dare, per se suosque rogare me instantius cœpit, quod sancti D
*f. ne. Johannis monasterio discederem, de *episcopales conventus ibi ulterius facerem; & ut insuper sui amore quartas ecclesiarum duodecim quarum nomina infra annotata habentur, sibi darem, quæ videlicet ecclesiæ una cum villis, curtes consulares vocabantur. Et eo in tempore monasterium illud nihil honoris habere videbatur in toto Armaniaco, nisi tantum duas partes ecclesiæ quæ dicitur Arrigada. Satisfeci ergo sibi principi scilicet & secundum quod postulaverat, ad meum placitum quartas illas dimisi tali pacto ut per scriptum manu ac voce auctorisaret terram a me emptam, coram Ecio Guillelmi filio, Guillelmi Raimundi qui pater ex literis supra scripti tam terram mihi vendiderat quod facere minime potuit. Postea vero instistentes monachi Armannus scilicet prior E
& ceteri, atque propter inquietudinem quam illis inferebam discedere volentes; coactus comes ante præsentiam nostram veniens querimoniam fecit cum pro se, quam etiam pro filio suo, & filio filii sui, atque omni genere ex eis usque in finem processuram, ne unquam clam, nec Saged, nec justitiam vel consuetudinem aliquam, in omni Nugerolensi villa facere præsumant. His itaque peractis, duce Christo, conventu episcoporum adunato, libuit animo dedicare ecclesiam ejusque apostolo sanctoque confessori Nicolao. Convenerunt itaque ex omni Novempopulana provincia episcopi, abbates, consules, proconsules, ceterique domini fideles atque utriusque sexus infinita multitudo, deferentes sanctorum busta martyrum Lupercii, Mammetis, Clari, & Bituricensis archiepiscopi Austregisili. Et celebrave-

runt dedicationem ecclesiæ anno incarnationis Dominicæ MLXII. indictione XV. præsidente in Romana sede Nicolao papa, gubernacula regni Francorum tenente Philippo anno 2. regni ejus. Bernardus quoque comes Tumapaler & uxor sua Eimengardis, & filii eorum Geraldu cum Arnaldo fratre suo venerunt ante altare S. Nicolai, in conspectu totius S. conventus; & ibi sub jurisjurandi attestatione reconfirmaverunt guerpitionem suprascriptam, ne ullo unquam tempore censum vel consuetudinem aliquam, ab habitatoribus loci illius experant Cluniensis abbas, vel monachi sui. Quod si fecerint, statim Ausciensis archiepiscopus illud quod volens nolens de loco S. Montis dimiserat, antecessor ejus recuperet. Hæc omnia ego Austindus Auscitorum archiepiscopus successoribus meis scriptum mandare curavi, quo pectoribus eorum tenaci semper memoria habeantur. Nomina vero ecclesiarum quarum videlicet quartas episcopales conventione supra scripta monachis sancti Montis dimiseram, hæc sunt Marguet, Castabied, Arblad, Mormers, Serranciam, Cartiga, Boson, Fastarroal, Favarolas.... Belanbiz, Atrisel.

VI.

Centullus comes Bearnensis, ob ductam in matrimonium consanguineam, fundat monasterium, & dimittit uxorem in manu Guillelmi archiepiscopi Auscitensis.

EGO CENTULLUS vicecomes Viarnensis memor omnium peccatorum meorum, & consanguinitatis uxoris meæ, quam contra Dei legem duxeram uxorem, sciensque post mortem meam nil me boni operaturum, quo possim mea delere peccata; adhuc vigens & vivens tribuo Deo, & beato Petro apostolo Cluniacensi, ecclesiam quæ ædificatur in honore sanctæ Fidis, & si quas alias post illam apud Morlas ædificandas, cum omnibus oblationibus quæ offeruntur pro salute omnium fidelium vivorum, vel defunctorum, & cum primitiis vel decimis omnium agrorum, quos homines in burgo degentes colunt, vel culturi erunt. Dono etiam decimam monetam partis meæ, & decimam omnium furnorum, qui sunt, vel futuri erunt. Dono etiam vineam meam propriam, & decimam agrorum S. Fidis, & omnium propriarum rerum. Ad ultimum dono iterum totam villam Morlensem, cum omni ingenuitate, & cum omnibus rebus sibi pertinentibus, cultis & incultis, adquisitis vel adquirendis, in campis, in landis, in silvis, in vineis, in nemoribus, & in omnibus ceteris bonis. Hæc omnia dono Deo ac S. Petro Cluniacensi, propter me, & propter uxorem meam Gislam, & filium meum Guastonem, ut in præsenti seculo precibus B. Petri apostolorum principis, Deus nostri misereatur, & in futuro æterna vita cum omnibus sanctis nobis a domino tribuatur. Ceterum notum sit omnibus hominibus, quod hoc donum feci, cum consensu, & consilio Willelmi Auscitorum archiepiscopi, & Bernardi Lascurrensis episcopi, & Amati Holornensis episcopi, & Bernardi Tumapalerii avunculi mei; & omnium principum sub meo dominio degentium, in manu Hunaldi abbatis Moysiacensis, sub potestate Hugonis abbatis Cluniacensis. His vero rebus peractis, misi dompnam Gislam uxorem meam, in manu dompni Willelmi Auscitorum archiepiscopi, & Amati Holornensis episcopi ad Cluniacense cœnobium, causa sumendi religionis habitum.

Ex regesto eccles. Tolosan.

VII.

Littera Urbani II. ad Raimundum archiepiscopum Auscitensem, ut clericos ecclesiæ suæ, qui S. Orientii monachis infensi erant, coerceat.

URBANUS archiepiscopus servus servorum Dei dilecto fratri nostro Auscitensi archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem. Cum in Auscitensi

d by Google

metropoli per Romanam eccleſiam noviter ſis ordinatus, ſedis apoſtolicæ decretis obedire te irrefragabiliter oportet. Mandamus ego fraternitati tuæ, ut de clericis ſedis tuæ, qui cimiterium quod B. papæ Leonis & noſtro decreto eccleſiæ B. Orientii firmatum fuerat, violaverunt, juſtitiam facere, & canonica æquitate procures: de cetero, & te ipſum & tuæ ſedis clericos ita cuſtodias, ut Romanæ eccleſiæ decreta inconcuſſa apud vos Domino largiente conſerventur & integra. Datum Romæ III. calendas Maii.

VIII.

Charta Ildefonſi regis Arragonum, qua dat eccleſiæ Auxitanæ eccleſiam de Alagon ob multa ſibi a Bernardo & Guillelmo epiſcopis collata.

IN Dei nomine & ejus divina clementia Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. Ego Ildefonſus Dei gratia rex, facio hanc cartam donationis & confirmationis eccleſiæ S. Mariæ Auſcienſi, & vobis domino archiepiſcopo Willelmo, propter multa & innumerabilia ſervitia, pericula & labores multos quos dominus B. antecellor veſter ſuſtinuit, cum me in illa acquiſitione de Hiſpania, & propter multa quæ vos mihi, domine Willelme archiepiſcope, & veſtra eccleſia mihi fecistis in Hiſpania ſuper Mauros, & in multis aliis locis ubi mihi opus fuit, dono & concedo eccleſiæ veſtræ Auſcienſi, & vobis eccleſiam de Alagon cum omni hereditate ſua, cum terris & vineis, & cum omnibus poſſeſſionibus ſuis, cum decimis & reditibus omnibus quæ hodie habet, & habere debet, & quæ in tempore Sarracenorum habuit, ut vos in vita veſtra, & poſt vos veſtri ſucceſſores archiepiſcopi de Auſ. & eccleſia Auxienſis, habeat & poſſideat hoc donum, ſicut ſuperius ſcriptum eſt, ſalvum & ingenuum, liberum & francum, ab omni regali & laicali ſervitute, perpetua & durabili poſſeſſione per ſecula cuncta. Amen. Signum regis Adefonſi, facta carta era MCLXVIII. * in menſe Auguſto, in Rocathallada ſuper Baïona, regnante Domino noſtro J. C. & ſub ejus imperio. Ego Aldefonſus Dei gratia rex in Arragonia & in Pampilona & in Ripacorſa, in Superarbi & in Aran. Epiſcopus Arnaldus in Oſcha. Epiſcopus Sancius in Pampilona. Alius epiſcopus Sancius in Nazera. Epiſcopus Michaël in Terraſona. Epiſcopus Petrus in Roda. Tiſon in Boïl. Copaz in Caloira comes. Rotro in Tutela. Petrus de Marchan in Terragona. Fortin Lopedz in Soria Fortini. Aſenaretz in Blanga. Lopeenechet in Orchiva. Enecoſemenos in Calatau. Ego Arnaldus ſcriptor regis hanc cartam juſſu domini mei regis ſcripſi, & de manu mea ſignum meum feci. Ego Ranimirus rex laudo & concedo ſupradictum donum, & ſigno meo A & Ω corroboro.

1168.

* Ita legerunt Sammarthani fratres, poſt Ohenartum Noſter D. Edmundus Martenne legit MCLXIX.

IX.

Guillelmus Auxitanus archiepiſcopus publicat decretum de pace & treuga.

GUILLELMUS Dei gratia Auſcitanus archiepiſcopus, ſedis apoſtolicæ legatus, cariſſimis in Chriſto fratribus venerabilibus epiſcopis, aliiſque eccleſiarum prælatis, & dilectis filiis comitibus, vicecomitibus, aliiſque baronibus, univerſo quoque clero & populo per Auſcitanam provinciam conſtituto, ſalutem & benedictionem. Cum ex officii noſtri debito teneamur univerſis fidelibus curæ noſtræ commiſſis, ſalubri diſpoſitione providere, nunc præſertim urgente apoſtolici mandati auctoritate, ad quem ſpectat totius populi profectibus invigilare, oportet nos bono pacis & treuguæ Dei, ſubditis noſtris propenſiorem curam impendere. Inde eſt quod juxta ſtatuta generalis concilii Romæ nuper celebrati, pacem & treugam Dei in provincia noſtra ex parte Dei, & domini papæ, & noſtra ab omnibus inconcuſſe & inviolabiliter præcipimus obſervari. Forma pacis & treuguæ Dei talis eſt. Treugas a quarta feria poſt occaſum ſolis, uſque ad ſecundam feriam poſt ortum ſolis; & ab adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & a ſeptuageſima uſque ad octavas Paſchæ, ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus. Si quis autem treugam violare tentaverit, poſt commonitionem factam, ſi non ſatisfecerit, princeps ſuus & epiſcopus cum clero & populo cogant eum injuriis paſſis ſatisfacere, ad arbitrium epiſcopi & principis ſui, & aliorum vicinorum baronum. Quod ſi princeps, ſeu barones, vel populus diſſimulaverint, tam princeps, quam barones excommunicentur, & tota terra eorum interdicto ſubjaceat, omni privilegio perſonæ, & eccleſiæ ceſſante. His vero temporibus, & omnibus feſtis B. Mariæ cum præcedenti die, & ſubſequenti, S. quoque Joannis Baptiſtæ, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli; & a vigilia Pentecoſtes uſque ad octavas, & omnium ſanctorum feſto, omnia pacem & ſecuritatem habebunt. Omni vero tempore perpetua pace & ſecuritate gaudebunt canonici, monachi, preſbiteri, clerici, & omnes religioſæ perſonæ, converſi, peregrini, mercatores, ruſtici, euntes & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia quibus arant, & quæ ſemen portant ad agrum. Dominæ cum ſociis ſuis inermibus, & omnes feminæ, & omnes res clericorum & religioſorum ubique & molendina; principibus autem, & dominis terrarum jura ſua, & conſuetudines non contradicimus in terris ſuis. Eccleſiæ ſalvitatem habeant XXX. paſſuum circumcirca, monaſteria vero LX. Hæc vero ut firmius obſerventur, comites, vicecomites, barones, univerſum quoque clerum in præſentia epiſcoporum, populum in præſentia clericorum, a ſeptem annis & ſupra, juſjurandum præſtare præcipimus: forma juramenti talis eſt. Jurabunt ſe pacem & treugam Dei juxta præſcriptum tenorem obſervaturos, & violatores pacis & treugæ Dei perſecuturos, & quod de rapina nihil ſcienter emant. Quod ſi quis huic decreto contraire tentaverit in non jurando, vel in non perſequendo, ſeu in conductitias gentes vel raptores tenendo, aut favendo, vel rapinam emendo, princeps illius terræ & tota ejus terra niſi debitam vindictam exſequatur, omni interdicto & excommunicationi ſubjiciatur, omni privilegio perſonæ, & eccleſiæ ceſſante. Excommunicati non ſalutentur, non tondeantur capita eis, non abluantur, in mappa non comedant, neque ad aliam communionem chriſtianam recipiantur, præter baptiſma parvulorum, & pœnitentias in fine. Princeps autem, & cuncti fideles noſtris obedientes mandatis, qui bonum pacis ope & conſilio foverint, & contra violatores pacis fideliter decertaverint, & præſertim contra conductitias & peſtilentes gentes, ſi in vera pœnitentia in hoc Dei ſervitio deceſſerint, auctoritate Dei, & domini papæ, & eccleſiæ univerſalis, omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ ſe non dubitent habituros. Ceteris vero qui contra eos arma ſuſceperint, & ad epiſcoporum ſive aliorum prælatorum conſilium, ad eos decertaverint expugnandos, biennium de injuncta pœnitentia relaxamus, aut ſi longiorem ibi moram habuerint, epiſcoporum diſcretioni, quibus hujus rei cura fuerit injuncta committimus, ut ad eorum arbitrium major eis indulgentia tribuatur. Illos autem qui admonitioni epiſcoporum in hujuſmodi parere contempſerint, a perceptione corporis & ſanguinis Domini jubemus fieri alienos. Epiſcopi vero ſive preſbyteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officii ſui ſuſpenſione multentur, donec apoſtolicæ ſedis miſericordiam obtinuerint.

X.

Geraldo de Barta archiepiſcopo Auxitano illata moleſtiæ initio ejus pontificatus.

Ex chartario Auſcienſi.

NOtum habeant tam præſentes quam poſteri, quod cum Raimundus Americi de Montequivo captus eſſet a Geraldo de Arbeiſſano, cum quo guerram habebat, & in caſtro de Laverdenes vinculis ferreis

mancipatus, venerabiles viri Bernardus epiſcopus Bigorritanus, & Geraldus de la Barta tunc Auxitanus archidiaconus avunculus ejus, ut ſolveretur diu laboraverunt: tandem cum multis impedientibus cauſis id de facili fieri non poſſet, præfatus G. oblidem pro eo ſe poſuit in prædicto caſtro; nominatus autem R. Aimerici inde exiens, vilitatis parentibus & amicis ſuis, & poſtulante ab eis, ſuper hoc auxilio*, cum redemptionem habere non poſſet, in magna poſitus anguſtia veniens Auxim, magna precum inſtantia ſupplicavit domno archiepiſcopo felicis memoriæ Villelmo, & canonicis B. Mariæ ſedis Auxitanæ, ut ſuper terra ſua de Berzale nomine pignoris conderent ſibi neceſſariam pecuniam. Unde factum eſt quod canonici habito cum domno archiepiſcopo ſuper hoc conſilio, acceperunt in pignus pro ſeptingentis ſolidos Morlanenſes præfato R. Aimerico ad multas preces ejus omnem terram ſuam de Berzal cultam ſeu incultam, & omnia jura ſua quæcunque in eccleſiis, villis, ruſticis & redditibus quoscunque modo ibi poſſidere videbatur. Omnia ſi quidem hæc prædictus R. Aimericus impigneravit canonicis B. Mariæ bona fide & abſque malo ingenio, pro ſe & tota ſucceſſione ſua, pro prædicta pecunia. Et ut in omnibus his major indubitanter adhiberetur ſibi fides, obtulit ſe Deo & B. Mariæ in jam dicta eccleſia in canonicum; & dum vixit cum eſſet ibi tanquam canonicus præbendam accipiebat, & adhuc ſit tantum pro eo quantum pro aliquo canonico defuncto. Procedente vero tempore cum prælibatus G. promotus eſſet in epiſcopum Toloſanum, quoniam amore prædicti negotis ſui properſiori cura præferam Berzale quam ut defenderet canonici conſilio & aſſenſu dicti domini archiepiſcopi & R. Aimerici commendaverunt eidem epiſcopo nominatam terram & eccleſiam de Marſano. Poſtmodum defuncto bonæ memoriæ dicto archiepiſcopo nominatus G. epiſcopus Toloſanus electus fuit in archiepiſcopum; quod utique grave fuit nimis domino B. Arman. Unde ipſo adeunte eccleſiam Romanam pro habendo pallio, ipſe B. occupavit violenter & indebite eccleſiam Auxitanam; rediens vero nominatus G. jam archiepiſcopus a curia Romana per religioſos viros epiſcopos, abbates & alios amicos & parentes utrorumque, & deinde per ſe ipſum quacumque potuit precum inſtantia præfatum B. diligenter & humiliter convenit & exoravit, ut præſcriptam eccleſiam ſibi redderet ut ſuam propriam, & quæ ad ipſum B. nullo prorſus jure ſpectabat; quod ſi quidem idem B. pravorum uſus & fultus conſilio facere renuit: archiepiſcopus vero habito ſuper his jam dicti nepotis ſui R. Aimerici & aliorum amicorum conſilio, jus ſuum armis perſequi decrevit. Unde eccleſiam prædictam de Marſano conſilio, voluntate & aſſenſu ejuſdem nepotis ſui R. Aimerici, contra B. Armeniacenſem munivit. Poſtmodum vero idem B. collecta non modica manu militum & peditum, ex improviſo de ſubito irruit in præfatum eccleſiam de Marſano, eamque & turrem quæ in capite eccleſiæ eminebat, diruit. Tandem ſopita inter G. archiepiſcopum & B. Armeniacenſem prædicta guerra, præfatus R. Aimerici Auxim veniens in capitulo coram archiepiſcopo & canonicis movit querimoniam ſuper deſtructione præſcriptæ eccleſiæ & turris, dicens occaſione eorum & guerra hæc eſſe demolita; & ideirco hæc ab eis in priſtinum ſtatum debere reſtitui. Ad quod canonici reſponderunt unanimiter prædictam guerram inter dominum archiepiſcopum & B. Armeniacenſem nunquam ſuo factam aliquo modo fuiſſe conſilio, voluntate vel aſſenſu; & ideo in nullo ſecum teneri. Poſt multam autem verborum ſuper hoc diſceptationem, ad preces & inſtantiam domni archiepiſcopi, canonici gratia habendæ in poſterum pacis, ne quis de ſucceſſione ſua occaſione hac injuſte eos inquietare, ſeu molestare falſo poſſet, conceſſerunt & firmiter ſtatuerunt, ut per triennium ſequens quicquid ad celerarium B. Mariæ, & commune eorum ibi ſpectaret, in reſtitutionem jam dictæ eccleſiæ & turris de Marſano cederet; quod nimirum eidem R. Aimerico valde placuit, & pro pagato ſe de hoc tenuit, & conſtituit ibi ad hoc recipiendum, & opus perficiendum villicum ſuum quemdam nomine W. Sans cognomento Eiſevid: hic quidem prædictos reditus percepit tres continuos annos, quibus prædicta eccleſia & turris in majori quantitate & fortitudine & altitudine reſtaurari poſſet; ſicque factum eſt quod ipſe omnia hæc in inutiles uſus conſumpſit, & eccleſia Auſcitana magna inde eo tempore incurrit incommoda. Poſtea vero cum idem R. Aimerici Jeroſolymam ire diſponeret, & ad hoc perficiendum ab avunculo ſuo nominato archiepiſcopo ſumptus neceſſarios expeteret, ne domnus archiepiſcopus ejus petitioni ſatisfaceret, Geraldus de Archomont & Forto de Anglez archidiaconi Auxitani, cum Ezicio de la Serra, & Garcia de Arroeda ejuſdem eccleſiæ canonicis, ex parte ſua & conventus Auxitanæ ſedis, & domini papæ, inhibuerunt quousque dictæ querimoniæ pro ſe & tota ſucceſſione ſua renuntiaret; cumque idem R. a domino archiepiſcopo pertinaciter inſtaret, ut poſtulatum ſibi ſubſidium conferret, reſpondit domnus archiepiſcopus non ſe venturum aliquo modo contra prædictorum virorum inhibitionem, nec ſe ei quicquam de his quæ poſtulaverat facturum. Unde factum eſt quod ipſe Remundus Aimerici habito ſuper hoc parentum & amicorum ſuorum conſilio, conſtitutus apud montem Caſſinum juxta caſtrum Diverii, cum jam arripuiſſet viam verſus Jeroſolymam, firmavit & guerpivit in manu nominati G. archiepiſcopi, quod nec ipſe nec aliquis de tota ſucceſſura progenie ſua unquam reclamaturum, ſeu conqueratur ſuper deſtructione dictæ eccleſiæ de Marſano, vel turris, contentus ſemper eo quod, ut ſuperius dictum eſt, canonici pro reſtauratione ejuſdem eccleſiæ & turris eidem Raimundo Aimerici olim in redditibus ſuis conceſſerant illapſo triennio. Ut autem hujuſmodi querelæ enuntiatio ſuam firmitatem & robur habeat, & robur in perpetuum, idem Remundus Aymerici dedit fidejuſſores B. de Maloleone avunculum ſuum, & A. W. de la Bartha conſanguineum ſuum, B. de Paneſac, & Willelmum Bernardi filium ejus & Villelmum Bernardi de Mazetes, & plures alios; hi omnes ſub religione ſacramenti fidei ſuæ juraverunt & firmaverunt pro R. A. & tota poſteritate ſua, ita ut expreſſum, eſt omni tempore guerpitionem hanc & renuntiationem inviolabiliter eos obſervaturos.

* auxilium.

XI.

Damna eccleſiæ Auſcienſi illata a Bernardo Armaniaci comite.

HÆc ſunt damna & malefacta a Bernardo Armaniacenſi & filiis & ſagittatoribus ſuis eccleſiæ Auſcitanæ irreverenter & violenter illata. Imprimis cum dominus bonæ memoriæ Guilhelmus Auſcitanus archiepiſcopus Auſcitanam urbem ei tradidiſſet, & comitem Feziacenſem, quoad potuit eum levare eſſet, & innumeras pro eo expenſas feciſſet, ipſo mortuo præfatus Bernardus Auſcitanam eccleſiam ex magna parte deſtruxit, domos quoque & munitiones clauſtri, ſcilicet tres turres, & cellarium, & ſeptem millia laterum qui parati erant ad chorum in eccleſia faciendum, & ex his & de ruina ſedis & aulæ archiepiſcopalis, & eccleſiæ ſancti Martini conſtructum eſt oppidum, de dormitorio & de domo infirmorum extracti fuerunt viginti quatuor lecti, de coquina canonicorum extracta fuerunt caldaria & cramallum magnum ferreum, & caminale ſimiliter ferreum, cathena longa putei & cirulæ, de domo archiepiſcopi abſtraxit caldaria & cramalla, & duas concas aneas, armaria ubi libri & veſtimenta archiepiſcopi ſervabantur, tabula quoque rotunda ubi archiepiſcopus comedebat; demum tam de clauſtro quam de domo archiepiſcopi omnia utenſilia & omnium officiorum firmitates abſtractæ fuerunt & aſportatæ, & de cellario beatæ Mariæ trecentas concas milii & mixturæ, unde turris de Jugun facta eſt. Item, idem Bernardus dominum archiepiſcopum Geraldum bonæ memoriæ Roma cum pallio redeuntem, & in altari beatæ Mariæ, ut moris eſt,

celebrare volentem, ecclesiam quam violenter occupaverat, intrare non permisit; quamobrem dominus archiepiscopus & canonici per biennium & eo amplius sub gravi labore & pecunia per provinciam exularunt, & ipse Bernardus interim omnia jura archiepiscopalia & canonicorum, tam in eadem urbe, quam per totam terram, a servientibus suis occupari fecit. Præterea Bernardus Armaniacensis pro redemptione Bernardi de Cominhe constituit fidejussorem dominum Geraldum archiepiscopum erga Odonem de Leomania pro quinque millibus solidis, de quibus idem Bernardus nihil ei vel alicui persolvit; pro qua re archiepiscopi & ecclesia Auscitana passa est damnum valens decem millia solidorum. Item, quod primo poni debuit, cum dominus archiepiscopus Roma redisset, & ad sedem suam prædicto Bernardo impediente accedere non posset, magna nimis compulsus necessitate, cum episcopis & aliis multis religiosis viris, qui ibi aderant, ad ecclesiam sancti Martini, quæ ecclesia regalis est, declinavit, & ibi ipso domino archiepiscopo divina celebrante familia dicti Bernardi oblationem panis clericis domini archiepiscopi violenter abstulit; deinde cum dominus archiepiscopus jus suum armis persequi cœpisset, & ad quamdam munitionem nepotis sui Raimundi Americi, quæ Marsanum dicitur, se contulisset, prafatus Bernardus collecta ingenti armatorum multitudine, dictam munitionem cepit & destruxit, & turrem quæ in capite ecclesiæ ibi erat, usque ad solum demolitus est; pro qua re sedes Auscitana jam incurrit damnum duo millia solidorum & eo amplius. Apud Castinum pignus centum solidorum violenter abstulit, & hactenus possedit. Apud Nugarolium quoddam decimarium de Fogacot del Cer, quod ecclesia beati Nicolai in pace possedit nomine pignoris mille quingentorum solidorum, & ipsum pignus Guilhelmus Raimundi del Cer per violentiam detinet, de censu comitatus Armaniacensis, quem censum annuatim ecclesiæ Auscitanæ faciebat, triginta annis violenter retento. Tandem intervenientibus utriusque partis amicis, facta fuit qualiscumque concordia inter dominum archiepiscopum & Bernardum, & archiepiscopus rediit ad ecclesiam suam. Postmodum vero idem Bernardus in solita malitia & pertinacia perseverans in nullo factæ stetit compositioni, clericum & scriptorem domini archiepiscopi cepit & incarceravit, & resuscitatis inter eos iterum inimicitiis, pro eo maxime quia ipse Bernardus & Geraldus filius ejus præscriptam ecclesiam dominam & matrem suam sibi subjugare intendebant, jura archiepiscopalia & canonicorum ubique invadentes, præfatus Geraldus præscriptam ecclesiam ausu diabolico cum exercitu Raimundi comitis Pictavensis, qui tunc Lectoræ erat, expugnavit & cepit, eamque claustra & domos canonicorum & archiepiscopi appositio igne combussit, & ecclesiam magna ex parte demolitus est, & de ecclesia tapeta & & alia ornamenta extrahi fecit & asportari, & arcam quæ adhuc est in aula castri; sacristam quoque ad redemptionem centum viginti solidorum coegit; deinde etiam expulso de ecclesia archiepiscopo & canonicis, omnia jura eorum per biennium sicut prius utique, & usibus suis applicavit, in nullo deferens dominæ & matri suæ ecclesiæ Auscitanæ. Ecclesiam quoque sancti Martini cum officinis suis comburi fecit, & vineam domini archiepiscopi truncari. Omnia autem hæc facta sunt Sancio de Labatut existente bajulo, cui successit Forto filius ejus, qui proprium castrum archiepiscopi de Lamaguere combussit, & appositi ignem turri, in quo erat dominus archiepiscopus una cum Artinguere, qui utique vix evasit incendii & mortis periculum, equos etiam ejusdem archiepiscopi & totam castri suppellectilem & prædam inde abduxit. Apud Jugun prælibatus Bernardus Armaniacensis incastellavit ecclesiam, invito & contradicente domino archiepiscopo successore ejus, & canonicis sanctæ Mariæ, & in cimeterio circa ecclesiam construxit castrum cum tota terra circa ecclesiam infra sexaginta stadia, sic sanctæ Mariæ & sanctæ Candidæ, de unaquaque domo . . . . . apud Trenbledam quemdam honorem beatæ Mariæ qui reddebat duodecim denarios, & per triginta annos canonicis abstulit. Item apud vicum molendinum, quod in nostra terra constructum erat, nobis violenter abstulerunt, & quamdiu duravit per voluntatem suam possederunt. Apud vicum ecclesiam occupaverunt, eamque cum omnibus redditibus suis per biennium possiderunt, omnia jura archiepiscopalia & ecclesiæ infra villam & extra irreverenter usurpantes. Ab archidiacono mulam abstulerunt, & clericos ecclesiæ ad redemptionem coegerunt; unum de clericis diaconem naso & oculis & labio privaverunt, Bernardo de S. Felice bajulo existente per tempus quando ecclesia occupata fuit usque ad diem mortis suæ, procedente vero tempore in transmarinis partibus domino archiepiscopo Geraldo defuncto; iterum Geraldus Armaniacensis præscriptam ecclesiam occupavit, & incastellavit ecclesiam, & in magno fossato totam circumduri fecit. Exumulari fuerunt plusquam centum homines & mulieres de cimeteriis; etiam ecclesiæ omnes destructæ, scilicet aula, camera & solarium magnum; in prima congressione passa est ecclesia de vico damnum, in his quæ ad eam spectabant valens plusquam quatuor millia solidorum. In secunda vero congressione plusquam tria millia solidorum valentia; nam in ecclesia per annum nulla divina celebrata fuerunt. Item cum dominus archiepiscopus cum transmarinas partes visitare pararet, Geraldo Armaniacensi nepoti suo domos, ecclesias, villas, & omnia jura sua tuenda usque in reditum suum commendavit; quo abeunte idem Geraldus castrum de las Laceras quod archiepiscopo pro mille & trecentis solidis obligatum erat violenter occupavit, & Raimundo d'Arcamont qui de manu archiepiscopi ipsum tenebat abstulit, & postea reddere noluit. Præterea notandum quod cum quidam civis nomine de Priano domini archiepiscopi Bernardus bajulus monetarios quos idem Geraldus & pater suus adduxerat, quadam die increparet pro eo, quia falsam monetam faciebant, unus ex eis ipsum ad mortem cultello percussit; nec his contentus Geraldus dictum Petrum ad redemptionem trecentorum solidorum coegit, in nullo deferens domino archiepiscopo, nec civibus qui omnes clamabant, istud contra omnem justitiam & antiquam urbis consuetudinem id de novo esse violenter attentatum. Item quidam homo Joannes nomine in propria parte urbis beatæ Mariæ & archiepiscopi habitans, quandam fœminam fratris sui uxorem, usque ad effusionem sanguinis quasi percussit, quo facto Guillelmus Raimundi de Lacaute bajulus dicti Geraldi, non requisito juris & rationis ordine contra inhibitionem ex parte domini archiepiscopi & ecclesiæ nostræ interpositam, omnes res ejus hostili more confiscavit; domum quoque ejus ubi comes in parte urbis beatæ Mariæ & archiepiscopi nullam penitus unquam habuerunt jurisdictionem ad castrum irreverenter asportari fecit. Petrus vero Bonec bajulus constitutus ne ulli prædecessorum suorum in malitia videretur deterior, Guillelmum de Gabrioti venerabilem Auscitanum odio canonicorum & sacerdotum ausu diabolico cepit, & ipsum ab urbe extrahens in castro de las Laceras vinculis ferreis mancipari fecit. Præterea dominus Bernardus de Sedirac archiepiscopus constituit nominatum Geraldum fidejussorem debitoribus suis Tholosanis civibus, pro qua re cum dictus Geraldus omnes res & possessionem occupasset, canonici in arcto constituti nominato Geraldo mille solidos mutuaverunt, accepto ab eo juramento quod & debitoribus suis satisfaceret, & chartas nobis redderet; de quibus omnibus nihil penitus hactenus fecit; pro qua re archiepiscopi Auscitani & canonici, gravia valde & innumera damna incurrerunt, ad hoc dicto Geraldo in vinculis apud Olorum constituto, Bernardus frater ejus Viviano de Athano bajulo existente, ecclesiam sancti Martini, quam Garsias Daroïde familiaris canonicus Auscitanæ sedis tenebat, violenter cepit tam ipse quam dictus bajulus & familiæ eorum, & omnia quæ ibi invenerunt, & trecentas concas bladi quæ

Digitized by

erant dicti Garciæ de cellario ſanctæ Mariæ extrahentes ad caſtrum aſportaverunt, quæ omnia ad duo millia ſolidorum aperte præcenſita ſunt. Si quid minus eſt ſupplete.

XII.

Diploma Gaſtonis vicecomitis Benearnenſis, pro Silva-majori.

1181. *Ex archivo regio Pampel.*

GASTO vicecomes Bearnenſis, & Gavarretanus, & de Bruelles, comes de Bigorra, & vicecomes de Marſan, Bernardo Auſcitano archiepiſcopo, & omnibus epiſcopis terræ ſuæ, abbatibus, baronibus, juſtitiis, militibus, miniſtris, & omnibus fidelibus ſuis, ſalutem in perpetuum. Sciatis quod ego Gaſto vicecomes veniens ad Silvam-majorem, amore Dei & ſanctæ Mariæ juravi libertatem & ſalvitatem ipſius eccleſiæ & villæ, & ſecuritatem omnium hominum, & rerum cunctarum, quæ ad monachos pertinent ubique; & conceſſi & confirmavi Deo & ſanctæ Mariæ, & beato Giraldo Silvæ-majoris primo abbati, & monachis ibidem Deo ſervientibus, totum quidquid prædeceſſores mei Gavarretani vicecomites, videlicet Petrus cognominatus Sorguers* proavus meus, & ceteri vicecomites Gavarretani conceſſerunt, tertiam ſcilicet partem omnium reddituum qui ratione pedagii ubicumque pro Gavarreto recipiuntur, &c. *Infra.* Conceſſi etiam eccleſiam cum ſuburbiis & appenditiis, & decimam totam ex integro, ſicut ſupradictus proavus meus Petrus Soriguers eam conceſſerat, cum aſſenſu videlicet & voluntate Guilielmi tunc archiepiſcopi Auxitani, volente quoque hoc idem atque confirmante Petro Aduренſi epiſcopo, in cujus epiſcopatu tunc erat nominatus locus de Gavarreto, qui etiam eidem eccleſiæ contulit in perpetuum quidquid in ea juris habebat, præter procurationem ſibi ſemel in anno debitam, & capellanorum præſentationem. Conceſſi quoque eidem eccleſiæ caldariam* judiciariam cum marmore, ita quod in toto archidiaconatu non habeatur niſi ibi tantummodo. *Infra*: Hanc conceſſionem ceu confirmationem, ego Gaſto vicecomes feci apud Silvam majorem in capitulo, aſſidentibus dominis epiſcopis Bernardo Olorenſi & Sancio Aneriı*. Teſtes ſunt Arnaldus Guilhelmi de Marſiano, Odo de Cadalon, Garſias Arnaud de Navailhas, Arnaldus de Codaraſa, Amevevus de la Mota, Peregrinus de Burdegala, Burgenſis de Morlaas, & alii plures. Factum eſt hoc anno incarnationis Verbi MCLXXXI. indict. XIV. epacta III. concurrente III. cyclo decemnovennali, IV. feria, II. idus Februarii, Philippo rege Francorum regnante, II. ann. ſui regni, Richardo filio Henrici regis Anglorum ducatum Aquitaniæ obtinente. Signum Gaſtonis vicecomitis.

* in qua ſe ſaepe probatum, ex marmore perequam commodum.

* Laſ. mr. ofl.

XIII.

Bulla Gregorii Papæ IX. ad Amanevum Auxitanum archiepiſcopum, de cruce ante ipſum præferenda.

GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri A. archiepiſcopo Auxitano, ſalutem & ap. benedictionem. Cum crux in Chriſti corpore dedicata facta ſit myſterium fidei, ſalus vivencium & redemptio peccatorum, merito vexillum ipſius habetur a Chriſti fidelibus in reverentia & honore, quod eſt non ſolum contra poteſtates aëreas ad munimen, ſed etiam eccleſiæ ad ornatum. Quare ſummus pontifex & alii, quibus tamen a ſede apoſtolica eſt indultum in memoriam crucifixi crucem coram ſe faciunt bajulari, ut in illum projicientes fiduciam ſpei ſuæ qui de morte moriens triumphavit, ſecuritati fidelibus & infidelibus ſit terrori. Ea propter venerabilis in Chriſto frater tuis humilibus ſupplicationibus annuentes coram te crucis deferendi vexillum per provinciam Auxitanam tibi & ſucceſſoribus tuis auctoritate præſentium concedimus facultatem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beati Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani pontificatus noſtri anno primo.

XIV.

Confirmatio ordinis militaris S. Jacobi Amanevi Auxitani archiepiſcopi conſilio erecti.

1231. *Ex autogr. Fabriſii.*

MAgiſtro militiæ ordinis ſancti Jacobi ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris ad defenſionem fidei & pacis in Guiſconia conſtitutis regularem vitam profeſſis in perpetuum. Pia vota fidelium divinitus inſpirata modis quibus poſſumus juvare nos juvat, cupientes ut vigore continuo convaleſcant, quæ divinæ ſunt placita pietati: quia licet Omnipotens omnia ſecundum ſuæ voluntatis conſilium operetur, placet ſibi tamen humanæ cooperationis affectus, cui nihil poteſt adjici vel adimi per effectum. Et tamen officioſe officium junctæ nobis ſervitutis exequimur: cum ſequentes gratiam præeuntem, beneplacitum ejus obſequio proſequimur ſtudioſo. Sane gaudemus in Domino quod eo miſericorditer inſpirante, abnegantes ſalubriter voſmetipſos, ſalutaribus exhortationibus venerabilis fratris noſtri Amanei Auxitani archiepiſcopi & ſuffraganeorum ejus moniti & inducti ad defenſionem fidei & pacis cuſtodiam vos Chriſti conſtituiſtis athletas, pro illo veſtras animas poſituri, qui pro ſe poſitas in vitam cuſtodit æternam. Cum enim in Auxitana provincia uſque adeo multiplicata eſſent ſuperborum iniquitas, & ſuperbia iniquorum quod veritate obruta in plateis, & juſtitia profligata pax omnino periſſet: ita ut qui a malo recederent, perverſorum prædæ paterent, & qui ſæviret immanius, magnificentior haberetur, vos fidei & pacis zelo ſuccenſi ad utriuſque defenſionem Dei armatura muniti contra inimicos pacis & fidei ſtatuiſtis laudabiliter dimicare, ordinem fratrum militiæ ſancti Jacobi a ſede apoſtolica approbatum fere in omnibus ſervaturi. Ea propter dilecti in Domino filii veſtris ſupplicationibus inclinati, perſonas veſtras & loca in quibus eſtis divinis obſequiis mancipari cum omnibus bonis, &c. præſentis ſcripti privilegio communimus. In quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda loca ipſa cum omnibus pertinentiis ſuis. De Mancid & de Demul caſtra cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, exceptis homagiis militum & quibuſdam aliis, prout in inſtrumento donationis vicecomitis Bearnenſis & Gavarreti plenius dicitur contineri. Juliacum, Calmiacum, Antainam, Saumaram, Bouſſen & Eſſgarragad cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, terram quam Bernardus de Mareſtan & R. frater ſuus, ac Willelmus Fabri nepos eorumdem habebant apud Buſcos juxta Altinetum. Domum & terras quas Willelmus de Fonſarta & uxor ejus habebant apud Rimbes juxta Gavaretum Bonſcox, cum omnibus pertinentiis ſuis in dioceſi Convenarum, caſtrum ſancti Marcelli, cum omnibus juribus & ſuis, &c. Montem-rotundum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. Alanum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. Montem Bernardi, montem Equini, Laucotera, S. Feriolum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. In epiſcopatu Bigorritano caſtrum de Momi cum terris & pertinentiis ſuis. Mancelam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, exceptis homagiis militum & quibuſdam aliis, prout in inſtrumento donationis vicecomitis Bearnenſis & Garreci plenius dicitur contineri. Montem-calvum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. In epiſcopatu Aquenſi hoſpitale ſancti Jacobi de Tonres cum pertinentiis ſuis. Plateam infra muros, juxta domum epiſcopi, domum & totam hereditatem Girardi de Candiella, Prugo, & totam hereditatem Arnaldi de Prugo, ubicumque ſit. Caſtrum de Salmon cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, medietatem decimæ de Stivals, caſtrum de Polenes cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, eccleſiam & terram de Laqui, domum Willelmi Raimundi de Laſſeres, & quidquid habuit Apiu & ad Pontons.

In dioceſi Baionenſi hoſpitale de Bono-loco cum pertinentiis ſuis. In epiſcopatu Adurenſi caſtrum S. Savini cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, caſtrum de Sanctonatur cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. Quartam partem caſtri & omnium jurium S. Johannis de Pogia. Sane novalium veſtrorum, &c. exigere præſumat, liceat quoque vobis clericos & laicos, &c. conditione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum, &c. niſi arctioris religionis obtentu, &c. audeat retinere. Cum autem generale interdictum, &c. uſque dummodo cauſam non dederitis interdicto. Obeunte vero te fili magiſter, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus niſi miles ordini præponatur, qui veſtræ religionis habitum ſit profeſſus, & ab omnibus vel a majori & ſaniori parte fratrum ordinis eligatur. Electus autem Auxitano archiepiſcopo præſentetur, ut ſi fuerit repertus idoneus præſtito juramento quod ei & ſuffraganeis ejus erit fidelis, obediens & devotus ſine difficultate qualibet inſtitutionis & confirmationis munus recipiat ab eodem. Paci quoque & tranquillitati veſtræ, &c. uſque audeat exercere. Decernimus ergo, &c. uſque ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate, & dioceſanorum epiſcoporum canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum, &c. diſtrictæ ſubjaceat ultioni: cunctis autem ejuſdem, &c. uſque æternæ pacis inveniant: amen. Datum Laterani per manum Martini ſanctæ Romanæ eccleſiæ vicecancellarii XII. cal. Maii indict. II. incarnationis Dominicæ anno MCCXXXI. pontificatus vero Domini Gregorii papæ IX. anno quarto.

XV.

Varia inſtrumenta ſpectantia ad monaſterium ſancti Johannis de Sancto-monte.

§. I.

Dodonis donum huic factum monaſterio.

1042. EGO DODO [a] peccator, pro anima mea & parentum facio donum Deo & ſancto Johanni de Sancto-monte, de eccleſia Vernede, in honore S. Crucis conſecrata; tali tenore ut ibi ſepeliar, & fratres Sancti-montis ab hodierno die eccleſiam poſſideant cum ſuis appendentiis, &c. Si quis autem dirimere præſumſerit, coactus legibus perſolvat ſancto Joanni auri libras centum, & argenti pondera millia, &c. Facta eſt donatio menſe Martio, feria V. luna VII. indict. I. anno incarn. Dom. MXLII. regnante Henrico Francorum rege, Guilielmo Pictavienſium nobiliſſimo comite, Aquitaniam & totam Vaſconiam gubernante, & Auſciſiacam urbem Auſtindo archiepiſcopo, patrocinante Armeniacam provinciam Bernardo comite effecto monacho, & filiis ſuis Geraudo comite, & Arnaldo Bernardo feliciter præſidente.

§. II.

Bernardus dictus Tumapalerius comes Armeniaci, qui Gaſconiæ comitatum aliquot annis geſſerat, condit Sancti-montis monaſterium.

ANtiquorum patrum induſtriam imitando, qui omnem actuum ſuorum diligentiam ſcripturæ commendabant, ut poſteritas & veneratio eorum, ab omni contumelia calumniatorum juſta litterarum oſtenſione quaſi clypeo defenderetur. Nos egentes eadem defenſione, qualiter & a quibus perſonis hoc monaſterium ſit inchoatum, a primordiis denorare curamus. Sanctus-mons iſte erat hæreditas quorumdam militum cum matre eorum, patre defuncto. Primus Raymondus, ſecundus Alvarus, tertius Bernardus, mater Auriola, &c. Tali occaſione monaſterium conſtructum; peſtis graſſabat per hanc regionem, & Raymundus frater major loci dominus, expaveſcens mortalitatem, quadam die vidit per ſomnum caput vulnerare lanceis ex æthere; expergefactus cœpit cogitare quid facti opus, & reperto conſilio ædificandi monaſterium, &c. Sentiens ſe non poſſe per ſe ſolum opus complere, junxit ſe comiti terræ Bernardo cognomento Tumapalerio, qui auditis illius de conſtructione monaſterii ſermonibus, vix condeſcendit, & ſæpius precibus inſiſtente ei tribuit aſſenſum, &c. Quadam die adfuerunt loco comes Bernardus Raymundus, alii principes terræ, ut conjuraretur monaſterium ad ſalvamentum ab omnibus. Hoc audito frater materque rabido ore minantes mortem contradixerunt, dicentes quod ipſe honor quem ad conſtruendum monaſterium placitabant, jure hereditario illis debebat; unde longa inter eos diſceptatio, poſtea in finem contentionis cum prædicto comite Bernardo convenerunt ſeniores terræ, &c. Tum Raymundus habens quietem, fecit donationem honoris ſancti Joanni ad conſtruendum monaſterium, cum juramento habitum monachalem aſſumendi. Comes quoque Bernardus fecit donationem ſui honoris, &c. hoc peracto monuit Bernardus Raymundum, ut juxta ſponſionem monachus fieret, at ille deceptus amore ſeculi inducias petiit, dicens non poſſe id fieri, &c. Comes aggregavit hinc inde duodecim monachos, & dedit illis patrem venerabilem Trencardum, Raymundus vero manſit poſtea cum ſua conjuge, vagando hinc inde inter ſuos parentes quinque annos, genuitque filium Bernardum & Mariam. Abiit vero ad comitem dicens ſe velle fieri monachum, &c. Ego Bernardus comes cognomento Tumapalerius notum fieri volo, monaſterium Sancti-montis liberum eſſe volens a poteſtate principum & laicorum, & non niſi Petro & Paulo apoſtolis eſſe ſubjectum, adſtantibus nobilibus Auſtindo archiepiſcopo, & nepote noſtro Centullo, cum uxore noſtra comitiſſa Ermengarda, & filiis Gerardo, & Arnaldo Bernardo feci, ut daretur ſalvatio monaſterii, cum omni honore acquiſito vel acquirendo in circuitu, ſive in terris, villis &c. Ego Bernardus comes, Geraldus & Arnaldus filii, Garſias Draſque, Villelm. Garſias S. Chriſtinæ, & omnes Armeniaci meliores juraverunt, vicecomes Ademarus Poleſtromii, cum filiis Willelmo & Odone Fedaco, &c. Hoc ſacramentum laudaverunt poſtea dux & comes Aquitanorum & Guaſconum Willelmus, Centullo nepos meus, Willelmus Aſtenove, Raimundus vicecomes Marciani, Petrus Rogerius vicecomes Gavarret. Actum eſt privilegium menſe Martio, luna I. indict. III. epacta XX. feria IV. regnante Henrico Francorum rege.

§. III.

Alia notitia de his quæ ſpectant ad Sancti-montis fundationem.

REgnante Jeſu-Chriſto. Anno incarnationis Domini MLXI. regnante Francorum rege Philippo anno II. Ego Bernardus cognomento Tumapalerius, totius quondam Guaſconiæ comes, peccator indignus, deſiderium habens monaſterium ædificare ſecundum S. Benedicti regulam apud Sanctum-montem, convocavi omnes milites meos permanentes in comitatu Armaniaco, ut darent mihi conſilium conſtruendi tantæ religionis locum. Iſti ſunt qui venerunt: Geraldus filius meus, & frater ejus Arnaldus Bernardus, Ademarus vicecomes Polæſtrenſis, & filius ejus Willelmus Fedacus, & fratres ejus Odo & Fedacus, Garſias Brahe, &c. omneſque milites venerunt, & tale mihi & Raimondo abbati Sancti-montis, qui initii hujus inſtiturionis extitit author, conſilium dederunt, ut quoniam non erat mihi poſſibilitas magni honoris ſupradicto monaſterio mihi dandi, ſaltem huic loco daretur firmiſſimum ſalvamentum, & ut mitterent ibi, &c. Hoc donum ego & alii laudaverunt Bernardus, deinde Geraldus filius meus, vicecomes Willelmus Fedacus, & alii inſuper Bernardus Raimundi abbatis filius, cujus honor ad locum S. Johannis redire debet. Poſt hanc deffinitionem, 1061.

[a] Forte legendum Odo qui fuit vicecomes Lomaniæ, & commemoratur inter præcipuos Sancti-Montis benefactores. Vide inſtrumenta ad hoc monaſterium ſpectantia num. XV. §. IV. & V.

venit Auſtindus archiepiſcopus volens redigere hunc locum ſub ſua poteſtate, agere ſynodos, placita, conciliabula ſua, uſus vel conſuetudines Auxienſium epiſcoporum, unde magna orta eſt altercatio inter archiepiſcopum, & Aremannum priorem, quæ prævaluit in tantum, ut miles Aremannus prior interdixerit, ſuper altare S. Joannis cantare miſſam; ob hanc cauſam Auſtindus receſſit inde valde iratus, & cœpit cogitare, qualiter loco huic poſſet nocere. Illo tempore invenit militem Guilielmum Raimundum de Nogarolio, quem in tantum circonvenit, quouſque venderet ſibi Nugariolum alodem ſuum, ut ædificaret ibi capellam, in qua poſſet facere miniſterium. Ego autem ſentiens malum eſſe ingenium, interdixi, unde maxima diſſentio inter me & illum, &c. Ego igitur Bernardus comes cognoſcens ruptam eſſe commutationem, conqueſtus valde apud archiepiſcopum, donec veniente abbate Hugone Guaſconiam, ſupradictam pactionem authoriſavimus, & inſuper laudaverunt hanc canonici Auſcienſis archiepiſcopi; præpoſitus Arnaldus, Emericus archidiaconus, Garſias & alii canonici. Item abbas Hugo, & Aremannus prior Sancti montis, &c. Hanc igitur cedulam ſubſcripſere Aremannus prior in clauſtro Sancti-montis. S. Ermengardis comitiſſæ, Geraldi & Arnaldi Bernardi filiorum & alii. Centullus comes nepos meus hanc laudavit, & ſubſcripti pontifices imprimis Gregorius Viennenſis *, Stephanus Oloronenſis, Petrus Aduren ſis, Guilielmus Convennenſis, Durannus Tholoſanus dignæ memoriæ laudandus. Hæc deſcriptio facta eſt IV. non. Maii, luna prima, feria ſecunda, indictione XV. temporibus papæ Leonis a IX. Guidone duce Pictavienſi, Aquitaniam & totam Guaſcontam regente, per commutationem venditionis noſtræ ſcilicet Guaſconiæ, &c. Hæc conſtitutio ut firmior teneatur, ego Albas Hugo cardinalis & legatus S. Romanæ eccleſiæ hanc ſubſcripſi, ego Geraldus cardinalis & legatus tranſiens Hiſpanias, ego Amatus ſanctæ Romæ eccleſiæ cardinalis atque legatus, ego Guilielmus b Auſcitorum archiepiſcopus, ego Bernardus Toletanæ ſedis archiepiſcopus ac S. R. eccleſiæ legatus, ego Bernardus Viennenſis epiſcopus

* ad eſt Bernardus.

§. IV.

Eccleſia ſancta Maria de Arembandio datur ſancto Johanni de Sancto-monte.

NOtum ſit omnibus. Ego Bernardus filius Guilielmi & Brachitæ uxoris, per conſilium uxoris meæ Aſcelinæ, & patris mei Odonis vicecomitis Lomaniæ, & Bernardi comitis Armaniaci monachi Cluniacenſis cognomento Tumapalerii, & aliorum amicorum, donamus Deo & S. Joanni de Sancto-monte abbati Hugoni Cluniacenſi, eccleſiam S. Mariæ de Arembodio cum appenditiis &c. & poſt mortem ſanctionis preſbyteri, aliam eccleſiam de S. Martino de Ricau, &c. Facta eſt cartbula menſe Octobri feria V. luna XXX. ſcripta apud Sanctum-montem, Philippo rege, Guilielmo duce Aquitaniæ, & Guaſconiam gubernante, Auſciacam civitatem archiepiſcopo Guilielmo. Signum Bernardi Forcenſis & uxoris ejus. Signum Odonis vicecomitis Lomaniæ. Fortis comitis Auſcienſis. Geraldi comitis & Arnaldi Bernardi fratris ejus.

§. V.

Confirmatio doni facti S. Johanni de Sancto-monte a filia vicecomitis Lomaniæ.

NOtum ſit omnibus chriſtianis, quod ego filia Odonis vicecomitis Lomaniæ, uxor Geraldi Orberſani, per conſilium Geraldi mariti mei & amicorum, & Fort-Garſiæ abbatis eccleſiæ Coirentiani, donum & teſtamentum quod feci S. Joanni de Sancto-monte, qui eſt ſub poteſtate S. Petri Cluniacenſis in tempore domini & abbatis, per objectionem Bernardi Tumapalerii & monachorum, quam contra voluntatem meam fecerunt Geraldus dominus meus, videntibus cunctis publice in manu archiepiſcopi Guilielmi, & A. prioris eccleſiæ Corentianæ, adfirmo illud donum, cum teſtamenti affirmatione, &c. Facta eſt charta menſe Septembri in clauſtro Sancti-montis, luna nona, feria tertia, regnante glorioſiſſimo Philippo rege, Auſcienſem eccleſiam Guilielmo archiepiſcopo gubernante. S. Geraldi Erbeiſſani * & uxoris ejus. Teſtes Bernardus Tumapalerius & Raimundus monachus.

* Orbeſſani.

XVI.

Monaſterium ſancti Johannis de Sordua, olim ſubditum Peſſano; ipſique ſubſtractum reſtituitur.

ECcleſia S. Michaëlis Pecianenſis qualiter monaſterium S. Joannis de Sordua ſit ſui juris comprobatione relationeque honeſtiſſimorum virorum veriſſimam notitiam continere videtur. Antiquitas enim altari S. Michaëlis locum S. Joannis fuiſſe ſubditum, a poſſeſſoreque cui cum prædium erat, certiſſima charta hereditario jure firmatum pluribus judiciis eſt divulgatum. More autem ſolito abbas Petianenſis nomine Arſivus monachus ſancti Johannis de Sordua ad ſancti Michaëlis locum atque Petianenſis monachos ad S. Johannis monaſterium tranſmutans, quemdam fratrem ſancti Joannis Sacraſclinium ſacriſtam ſancti Michaelis loci conſtituere curavit, qui antiquo hoſte ſuadente, indignans locum ſancti Joannis alterius monaſterii poteſtati ſubditum furtive cartam S. Joannis fugiens ſubduxit, quam in monaſterio S. Caprafii de Pontos hoſpitatus de nocte requieſcens in lecto incendio nefandæ candelæ combuſſit, quæ candela in lectum cadens divina ultione eumdem monachum ſoporatum omneque S. Lapraſii monaſterium eodem incendio conſumpſit. Quapropter a loco S. Michaëlis præfatum S. Johannis monaſterium peſſimi invaſores violentia rapacitateque ſua ſubduxerunt, atque per plurima tempora hujuſmodi in uria Deo & archangelo Michaëli inferre ſtuduerunt. Poſtea vero Remundus Petianenſis abbas ſuper abbatia S. Joannis conqueſtus in concilio Auxienſi judicio Auxienſis archiepiſcopi Remundi Cop atque domn. Gregorii ejuſdem ſedis epiſcopi, omniumque epiſcoporum in concilio exiſtentium, ab abbate ſancti Joannis Villelmo poteſtatem prælationemque diu amiſſam recuperavit, & ſibi per manum ſuam conſilio ſalvo jure S. Michaëlis eidem præfato abbati Guilielmo monaſterium commiſit. Signum R. Cupe Auxienſis archiepiſcopi. S. Gregorii epiſcopi. S. Guilielmi abbatis Cellæ Medulſi. S. Remundi ejuſdem monaſterii abbatis. Signum Fortii prioris. S. Florentii monachi. S. Remundi Arnaldi vicecomitis ejuſdem civitatis. S. plurimorum aliorum.

XVII.

Peſſanum monaſterium ab Guillelmo Aſtaricenſi, traditur Simora.

BEnedictus Deus, conditor univerſorum, rector omnium creaturarum, gubernator totius conditionis, Sabaoth vincens, ſcientia proſpiciens, cuncta gubernans, polum ponumque & arva, paſcens mortalia, extendens aëra, operans inſcrutabilia, fortior potentibus, ſcientior ſapientibus, miſericordior miſerantibus, rector fidelium, exaltator piorum, amplectator caſtrorum, paſtor eccleſiarum, decus pontificum, cuſtos regum, ſublevator labentium, conſolator mœrentium, qui relinquentes ſua, & te ſequentes vera via in ſæculum promittis centuplicata, & in die noviſſima te reddere permanſura: quod ſpopondiſti verbis nunc declaras exemplis, ut dares intelligi palam qualiter clemens ſis animabus eorum, erga quorum diſ-

a Mendoſus locus. Leo IX. enim a multis annis obierat, anno Chriſti 1061. vel potius 1062 cui reſpondet indictio 15.

b Guilielmus non confirmavit chartam hanc, eo tempore quo eſt confecta, nondum enim ſedebat.

tando mirificas templa, in quibus illorum corpora sunt A tumulata: quam post dilatare non cessa, ecclesia tua proprio cruore redempta, undique conglobata tuoque Spiritu fœcundata, ubique radicata munere, tribuendo mundana & spondendo incomparabilia dona, maxime tam nostris temporibus hæc Simoritana quæ est in honorem beatæ Mariæ genitricis tuæ dicata, per quem fecisti & secula. Igitur in Christi nomine ego Guillelmus filius quondam comitis Arnaldi Astariacensis, & ejus conjux nomine Talesa, tam pro nomine & reverentia altaris Dei genitricis ejusdem ecclesiæ, quam ob magnificentiam seu crescendo facultatem ex ipsa hereditate talia ei confero munera quæ mei atavi habuere in proprium, & dum comites fuerunt tenendo possiderunt: cumque dignus non fuit mundus tales habere augustos, ipsum suscepit sanctitas, & mihi remansit B hereditas, monasterium quod vulgo dicitur Pæriano in honorem constructum summi archangeli Michaelis situmque in territorio Astaracensi accepto ab Ottone diacono germano meo, & a Fortone ejusdem monasterii abbate, a ceterisque monachis ejusdem loci cultoribus, octo vasa argentea ponderum librarum nongentarum, una cum nostrorum fidelium consilio trado prædicto . . . . * cum universis appendiciis sibi pertinentibus, quæ hodie habet vel habiturum est in perpetuo. Hæc nostra testificantium carta Benedictus urbis Romæ papa manu propria subarravit, Garcia archipræsul, Aymericus comes Fezenciacus, Petrus Tolosæ episcopus, Rogerius comes Convenianensis, Bernardus pontifex Agennensis, Otto servus servorum omnium monachorum, Garsi-Arnaldus comes Bigorritanus, Bernardus C comes Remundus comes, Garsias comes, Geraldus comes, Bernard-Arsi vicarius Garsia dat causa Dei.

* *f.* monasterio, scilicet Simoræ.

XVIII.

Hispanus archiepiscopus Auscienſis erogantibus pecuniam pro restauratione Pessani, remittit dies 50. de pœnis injunctis.

1151. HISPANUS miseratione divina archiepiscopus Auscensis universis Christi fidelibus per Aucitanam diœcesim constitutis salutem, & in bonis semper operibus abundare. *Quoniam*, ut ait apostolus, *omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus sive bonum fuerit sive malum*, oportet nos diem messionis extremæ, misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris quod reddente domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in cœlis; firmam spem, fiduciamque tenentes, quoniam *qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.* Cum igitur monasterium & totum castrum de Pessano sit igne combustum, & abbas & conventus illius loci locum in quo possint divina officia celebrare, & ad reparationem dicti monasterii propriæ non suppetant facultates, caritatem vestram rogamus, monemus & exhortamur in domino, in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatenus de bonis vobis collatis a Deo, reparationi dicti monasterii pias eleemosynas & grata caritatis stipendia per latorem præsentium transmittatis, ut per subventionem vestram dictum opus valeat consummari, & vos per hæc & alia bona, quæ Domino aspirante feceritis, ad æternæ possitis felicitatis gaudia pervenire. Injungentes omnibus capitulis, ad quos lator præsentium pervenerit, quod moneat parochianos suos, quod si aliqui fuerint, qui pro amore parentum vel amicorum suorum defunctorum pauperibus promiserint, si ad reparationem dicti monasterii, pro quolibet paupere unum denarium vel saltem obolum persolverint, nos a dicta promissione eos duximus absolvendos; eos autem de omnipotentis Dei misericordia, & sancti Michaëlis precibus confidentes, omnibus qui opus dicti monasterii suas eleemosynas transmiserint, quinquaginta dies de injunctis sibi pœnis misericorditer relaxamus. Datum apud Auscos 11. idus Februarii, anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo primo. Valeant per biennium.

1 Cor. 5. 10.

2 Cor. 9. 6.

XIX.

Charta Guillelmi Astaracensis comitis pro Ottone abbate Cimoritano.

NOtum fieri cupio tam laicis quam cunctis ac universis catholicæ fidei cultoribus, quatenus divina misericordia ego Guillelmus Astaracensis comes præventus & inflammatus pro meorum ac parentum remissione peccatorum, construo monasterium illam ecclesiam, ubi requiescit Christi virgo Doda quæ videlicet ecclesia sita est in prædio Oriovallo antiquitus nominato, & hoc facio cum abbate Ottone una cum consensu ac jussione genitoris mei Arnaldi comitis & genitricis meæ Tarasiæ, & germanorum meorum Bernardi & Raimundi, ut sit perpetualiter monasterium regimine cenobitarum in communione viventium, & dono illud ad regendum & providendum omnium abbatum Cimoritanorum. Et hoc decretum pono ut nullus successor meus nullusque consanguineus, invadere nec desolari locum audeat, nec mutare propositum: quicumque ergo infideliter hæc attemptare præsumpserit, sit sicut ethnicus & publicanus; & sciat se damnandum, in divino judicio percutiendum, & cum Juda Iscariote & cum Dathan & Abiron cruciandum. Hoc donum factum est, regnante Henrico Francorum rege primo in diebus Benedicti papæ, & Garsiano Auciensi archipræsule.

B

C

D

E

XX.

Charta fundationis prioratus Salangolini.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi. Lex vetus & nova consuetudo, & regalis potestas perhibet, ut homo de suis rebus quas possedit, licentiam habeat faciendi quidquid velit. Igitur ego Arnaldus comes de Aura monasterium de Salangolino, in honore S. Petri apostolorum principis consecratum, cum villis, cum terris cultis & incultis, videlicet cum alodio de Ilheto, cum Casabilo & Gimero, & quoddam casale in Aura, & cum ecclesia S. Petri quæ est in Larbusto, cum Galino, & cum dimidia parte decimarum de Ello, & cum allodio de Gaiano, tribus casalibus cultis & aliis incultis, cum ipsis cumis quatuor, & alio loco Oissano, cum uno casale & ipsa cultura. Et in alio loco qui dicitur Mazeres, cum casale, & cum ipsa cultura; & in sancto Plancato cum uno casale, & cum ipsis vineis, & in Assenso ecclesia quæ dicitur de S. Medardo, cum ipsa villa & ipsis vineis. Denique cum ipsis rebus sibi pertinentibus hoc totum & integrum dono Deo & S. Mariæ Simoritanæ in manu Astarii abbatis, & omnium fratrum sibi subditorum, tali ratione, ut semper S. Mariæ Simoritanæ, & omnium fratrum subditorum præsentium, qui in monasterio vel in futuro permansuri sunt, sit continuum allodium hereditario jure perpetuo conservandum, nulla suspicione posteris meis filiis vel nepotibus retenta, pro remedio animæ meæ vel parentum meorum. Verum si quis ex progenie mea, vel aliqua opposita persona insurrexerit contra hanc donationem, ex parte Dei anathematiso atque excommunico, ut iram Dei incurrat, cujus misericordiam omniumque sanctorum intercessionem, nullatenus acquirere valeat, factus particeps Judæ Iscariotis, qui Dominum tradidit, & Dathan & Abiron, quos terra absorbuit, anima ejus submersa in cloacam infernalem a libro vitæ ex toto deletus, nisi pœnituerit & redemptionem contradictionis . . . ut in decretis librorum judicum continetur, persolverit. Facta est charta ista III. nonas Julii luna X. Signum Arnaldi Garciæ, qui istum donationem scribere curavit, & Garsi Arnaldi filii sui & Aurioli Mancii vicecomitis, & Arcimansii & Mardianerii, & sancti Garciæ, & Actonis Lupi, & Gastonis Jantii, & Garciæ Altilii, & Aronis

nis Aureoli, & Raimundi Aureoli & Arſinii abbatis, & Baronii preſbyteri, & Scancielis & Guillelmi Garciæ de Torena, & Guillelmi Garciæ de Viſa, & Guillelmi Lupi de Varoſſa, & Riciarſini, & Garciæ Scancii de Ventignan, & Riſii Aſſueri, & Lupi Scancii, & Aureololis, & Guillelmi Bernardi, & Arnaldi Garciæ, Arnaldi & Scancii Piſerta, & Sancii Dati, & Sancii preſbyteri, & Guillelmi Arſini, & Raimundi Arſini, & Lupi Scancii & Arraconi Baccarii, & iſti & multi alii juraverunt & firmaverunt donationem iſtam ſuper altare S. Petri, & Donati preſbyteri de Ichero, qui juravit ſuper altare cum filiis ſuis, ut ſemper eſſet firmum atque ratum ſicut ſuperius inſertum eſt. Fiat. Fiat Fiat Amen.

XXI.

De fundatione prioratus Salangolini.

Matth. 25 14. *Ibid.* 11. 28. DIcitur mereat audire: *Venite Benedicti Patris mei*, &c. & iterum: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Propterea diuturnum fuit in animo meo, ut pro me & pro animabus parentum meorum debeo ad Dominum Patrem omnipotentem, & ad ſanctam Mariam matrem Domini, quæ dicuntur graſſani allodes omnes, dono ibi ad ſanctuarium ſanctorum, & ad ſanctam Mariam, & S. Petrum apoſtolum, & S Saturninum. Dono pro pretio animæ meæ, & animæ Garſi Arnaldi comitis, & animæ Fachilanæ matris meæ, & animæ Garſiæ Aurioli, & animæ Arnaldi, & pro peccatis eorum dono Grazani villam cum omni intratu & exitu inquiſitum, & ad inquirendum totum & integrum cum eccleſia, & cum libris & veſtimentis, terris, & ſilvis & vineis, pratis, aquis aquarum ruptum, & ad rumpendum totum, & ad integrum per ſuos fines & ſuas carteras, quantum ibi habeo & habere debeo, totum dono ad S. Mariam, & in alio loco villam quæ dicitur Gaviano, quantum habeo vel habere debeo, necnon & locum Salangolini in honorem S. Petri apoſtoli conſecratum totum dono quod ſupradictum eſt ad S. Mariæ vocabulo Simorra, ad monaſterium, & ad ipſos fratres, qui ibidem Deo deſerviunt, & ad illos qui ibi advenicndi ſunt, propter animam meam, & propter eas quæ ſupra ſcriptæ ſunt, ut de ab hodierno die hoc habeant, teneant & poſſideant. Quod ſi aliquis de parentibus aut ulla oppoſita perſona, qui contra hanc cartulam inquietare voluerit, in primis ira Dei percutiat, & cum Juda Scarioti particeps ſiat, & de omnibus excommunicatus permaneat, & vitam a qua lege vivit talem componat cum ſtipulatione rogatus. Fuit Ariolus preſbyter, qui cartulam iſtam fecit, & in altare ſanctæ Mariæ miſit a Guilelmo, qui cartulam iſtam ſcribere rogavit, & manibus firmavit, & Ariolo preſbytero magiſtro ſuo, & Arnaldo comite, & Donato Dat, & Erricho Dato, & Guillelmo Garcia, & Ludovico & Lupo Manſi & Fortone abbate, & Guillelmo Deſiderato, & Arnaldo, & ſi viſores alii multi.

XXII.

De incendio urbis Simorræ & de ejus tranſlatione.

1147. *Excidium Simorræ.* OCculto Dei judicio Simorræ villam ignis incendio propter ſcelera cremaſſe nulli dubium eſt. Unde Petro abbati, conſilio accepto a Bernardo comite, & proceribus terræ placuit, quod villa mutari debuiſſet. Statuto igitur die ante præſentiam abbatis, & monachorum R. de Moler, R. de Pulcro loco, Guillelmi Barte, Amanevi Ugonis C. de Galian, P. filii ejus, R. del Freſſon, B. Faſan, G. de Gauzeis. G. Rocte, P. S. Pauli, A. Remundi, B. de Sorigano, F. Artigas, R. Bernardi, S. Juliani, Stephani capellani S. de Albano, venerabilis Bernardus videlicet comes cum filiis ſuis S. & B. atque omnes burgenſes, tam pauperes quam felices, invicem conſulentes, & poſt multa fana atque inſana verba unanimes ſtatuerunt, ut ſalvo jure Dei genitricis Mariæ, abbatis, atque monachorum prædium invaderent, de quo quiſque tantum ſibi acciperet quantum poſſet ſufficere ad neceſſaria conſtruenda ædificia, quæ omnia ædificia terraneo muro, atque vallo clauderentur. Decreverunt itaque quod a meridiano ad menſuram locorum ædificia a vallo uſque ad torrentem hortos haberent; in Aquilonario ſimiliter, ſed longitudine ſimiliter, de quibus decimas B. Mariæ ſemper redderent, tam de ſatis quam de plantatis excepto porro & olere. Statuerunt namque terminos ſalvitatis a rivo Garravi uſque ad torrentem Calhavet. Sanxerunt etiam leges quod omnis advena volens ibi manere ſecurus infra terminos erit, propter quod idem alicui injuriam non inferret, niſi conſilio abbatis & burgenſium. Statutum itaque ibi fuit, quod ſi quis incolarum aliqua neceſſitate infra villam aliquid terræ loci vel ædificii vendiderit, vel extra orti ſcilicet quot ſolidos acciperet tot beatæ Mariæ nummos redderet. Si quis vero febrium ægritudine correptus ad extrema devenerit, abbatem, ſi fieri poteſt, advocet, & quatuor vel tres ſani conſilii vicinos, conſilio quorum ſecundum divinam & humanam legem ſua omnia diſponat, præcipue memorans quid erga dominum egerit, vel quo tendat: ſi vero abbas defuerit, loco ſui adſit ſacriſta & capellanus, ad pauperum vero diſpoſitionem capellanus tantum & propinqui vocentur. Statutum eſt namque, ut omnia inter ſe utilia negotia cum teſtibus agerentur, & ut abbas vel ſuus procurator ſuas leges atque conſuetudines in querelis & vectigalibus, & in omnibus a ſuis anceſſoribus conſtitutis requirerentur, & nemo a ſua lege ſe liberum excuſet: decreverunt itaque quod ſi quis in vineis vel hortis fraudulenter deſtirpens repertus fuerit, vel aliquod infra terminos furtum fecerit, manu privaretur, vel eam redimeret. Statuerunt quoque quod ſi qui in adulterio deprehenſi fuerint, abbati, vel ſuo procuratori juſtificaturi traderentur; decreverunt namque quod ſi quis elatione commotus aliquem vel leviter percuſſerit, pro lege quinque ſolidis abbati damnaretur, & etiam ſi quis lethali vulnere aliquem percuſſerit, vel in litigium aliqua ferrea arma eduxerit, vel attulerit, abbati cum omni ſua poſſeſſione omnino traderetur; retinuerunt etiam ſibi burgenſes conventionem ut per quinquennium in deſtructa villa nullum alicui ædificium abbas fieri permitteret, peracto vero quinquennio eſſet ad libitum ſui. Has leges Bernardus comes, & S. filius ejus atque B. ante imaginem Crucifixi in eccleſia B. Mariæ ſua fide in abbatis manu juraverunt, aſſiſtentibus omnibus ſupraſcriptis monachis, quod nec violarent nec violari permitterent, ſed ſalvo jure B. Mariæ omni violatori pro poſſe reſiſterent; primitus namque comes ante eccleſiam S. Sepulchri ſuper hac re obſides in manu abbatis dederat Guillelmum Pages de la Bartette, & Centullum de Lo Gortan, videntibus & concedentibus D. de Semenies, V. Cellæ Rixelis, D. Aide, Arnaldo Bernardi & fratre ejus, & Ugone de Bateava, Guillelmo Garcia d Orbeſſano, & aliis quam pluribus tam militibus quam ruſticis: burgenſes vero in ſupraſcripta eccleſia ante Chriſti imaginem manu ſua fere quinquaginta ſuper ſancta evangelia pro ſe & ceteris omnibus juraverunt, ut firmiter leges teneant, & juri B. Mariæ, neque ipſi, neque eorum ſucceſſores unquam reſiſtant, ſed ſponte jura reddant, de quibus primi fuerunt B. Monbardon, B. Sarzas, R. Arpadere, D. filius ejus, Luadan, A. filius ejus, S. Modberned, & frater ejus Barbicot, P. gener ejus, B. Nacz. B. Car. G. frater ejus. Guillermus Cauavre, P. Remeu, A. frater ejus, Guillelmus Rivet, A. ejus filius, Uget Gavian & frater ejus, B. de Mont, & de ceteris uſque ad ſupra ſcriptum numerum. Facta autem ſunt hæc anno a Chriſti incarnatione MCXLI. indictione quarta epacta XI. occurrente ſecunda, menſe Februario, Guillelmo archiepiſcopo de Montald regente Auxienſem ſedem.

XXIII.

Walafridus abbas Soricinii vendit Garcia comiti abbatiam Cellæ Modulfi.

904. *Ex autogr.* IN nomine Domini Dei altitonantis & incarnationis ejuſdem anno nongenteſimo quarto, ordinante ipſius deitatis clementia omnium comitum honore perſpicuo, necnon & dignitate decoratæ ſanctitatis ſuæ virtute egregio reverendiſſimo & fecundiſſimo inclito, & piiſſimo ſanctæ Mariæ eccleſiæ cuſtos & defenſor qui eſt dominus Garcias, comes & marchio in limitibus Oceanis. Nos itaque Walfridus dono Dei abba & cuncta caterva monachorum Soricinenſis cenobii ſcimus eum .... maximo per voluntatem Dei corpus B ſuum armatum propter hoc ſcimus quia magnus eſt titulus ceſſionis, quod nemo poteſt actuum largitatis irrumpere, ſi quidquid gratuito animo, & propterea voluntate ei cui conlata ceſſio irrevocabili modo perhenniter eſt ſtabilitum. Idcirco vendimus nos domni Garcia comiti & marchioni locum cui vocabulum eſt Cella Modulfi, cum eccleſiis Dei, qui ibidem ſunt fundatæ, in honore ſancti Petri, & S. Hilarii, & S. Simplicii, cum omnibus ædificiis, cum domibus, verdicariis, ortis, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, ſilvis & terris, garricis & vineis, cum omnibus vilaribus, quæ Arrichoatus comes loco illo & S. Mariæ Soricinenſis monaſterii donavit, & quem parentes ſui donaverunt, & alii viri Deum timentes, tribuentes, & quem abbates & monachi emerunt, & ubi homines perma- C nent locaque ſilvarum cormia quo operuerunt. Hæc ſunt nomina vocabula, ideſt villare Pantagacum, Urguſanum, Bliſencianum, Patrignanum, Exſartigas, Monte-lamberti, Bordas, Monte coco villare Fabricas Clariaco Aviziano Tertiano Vaccharios, Tertianello, Planea, Marcilliano Aticano, & quantumcumque in pago Auxenſe, vel Savenſe abbates noſtri & monachi dominaverunt, tam quæſitum quam ad inquirendum, excepto illo quod illi procamiaverunt aut vendiderunt, & manibus propriis firmaverunt membranulis ſcriptis totum & ab integro nos vobis vendimus, & accepimus de vobis pretium quale vobis & nobis aptificavit in rebus convaſcentibus ſolidos mille ad eccleſiam Dei noſtri loci rehedificandam intus & foris & terram emendam, quia ſciendum eſt quia igne fuit combuſta, & non remanſit D in ea aliquod ornamentum niſi parietes. Volumus eam de pretio ornari, ut iſte locus ſit ornatus & ille ſublimatus. Nos vero notum facimus auribus chriſtianæ noſtrarum regionum, & illarum partibus pro quali metu & mœrore hoc facimus. Loco noſtro de illo nullum ſublimatum non accipiebamus. Si dolus & meror nobis adveniebat pro malis chriſtianis illam terram commanentibus, nos miſimus monachos noſtros qui illum locum regerent & cuſtodirent, illi alios per ſuam vim fortia oprimentes ejecerunt alios gladiis ſuis opprimentes occiderunt. Eremus brachia ſua tendens locum illum operiebat. Habitatio hominum noſtrorum deerat propter hoc metu terrore compulſi ſcimus nos vos Dei timore timoratos volumus libenti animo, ut dictum propitium illum locum cum ceteris locis habeatis, poſſideatis, E & animæ honorem ſempiternum præparetis, in ea vero ratione dummodo domnus Garcias comes & marchio vixerit, teneat & poſſideat, quod poſt ſuum quoque diſceſſum pro animæ ſuæ & pro animæ uxoris ſuæ Aminianæ, & pro filiis & filiabus, & omnium parentorum ſuorum tam pro vivis quam & defunctis, iſtas res ſupra nominatas ſine ulla contrarietate ad ipſum monaſterium quod eſt fundatum in honore S. Dei genitricis Mariæ Soricinenſis remaneat, ut ab hodierno die domino propitio habeas, teneas, poſſideas; quod ſi monachi vel ſucceſſores aut aliqua compoſita perſona qui contra hanc cartulam, ambulare aut inquietare præſumpſerit, dummodo tu vixeris, componat vobis tantum, & alium duplum tantum quantum iſta omnia ſuperius ſcripta in meliorata, eo tempore voluerit, po- A tuerit, duplum ſint reddituri, & hi qui repetunt non valeant vindicare, ſed præſens ceſſio iſta firma & ſtabilis permaneat, ſtipulatione ſubnixa in omnibus comprehenſa. Facta ſcriptura iſta in menſe Octobri, an. 5. regnante Carolo rege. Arimando dono Dei epiſcopo. Walfridus abbas. Einaudus Arimarius Simplicius monachus. Quaſtilbundus monachus. Dulcionus monachus. Audraldus monachus. Lungarus Guilaberto monachus. Arnaldus monachus. Godo monachus. Bertrannus monachus, Donatus.

XXIV.

Charta fundationis Cellæ Modulfi.

AUctoritas eccleſiaſtica diutim fideles quoſque ad B pietatem ſummi conditoris invitare non deſinit, *Ex autogr.* ut de propriis facultatibus ac de ſuis reditibus diverſa loca ſanctorum pro commiſſis piaculis, & immenſo pondere criminum honorificare dotando ſtudeant; hortante ſacro eloquio ac dicente: *Date & dabitur vobis*, & *Luc. 6. 38. & 11. 41.* *erogate eleemoſynam, & ecce cuncta munda erunt vobis.* Quapropter in Dei nomine ego humilis Oddo filius quondam Arnaldi Aſtaracenſis comitis, & ejus conjugis nomine Ateleſæ comitiſſæ, his & aliis quamplurimis exhortationibus zelo Dei provocatus, calore veræ fidei animatus, atque amore vitæ contemplativæ exagitatus, decrevi in animo meo conſtituere cœnobium ſervorum Dei in commune viventium, tam pro honore univerſorum conditoris, quam pro redemtione animæ C meæ, & jam dicti genitoris, ſeu & genitricis meæ præſcriptæ, necnon & pro ſalute cariſſimæ animæ inclyti marchionis totius Guaſconiæ domni videlicet Sanctionis, ex cujus munere beneficium hoc ipſum pertinet mihi, quod vulgo dicitur Cella Odulfi, in honore conſtructa clavigeri cœli Petri, ſitaque in territorio Aſtariacenſi. Statui itaque, ut ſuperius eſt inſertum, ipſum locum ad monachilem ordinem perducere pro ſalvatione animarum cunctorum noſtrorum parentum, tam vivorum, quam & defunctorum, ſeu & univerſorum Chriſti famulorum catholicorum & orthodoxorum: ita tamen ut ab hac die, & deinceps in omnibus & ex omnibus, & per omnia & in omnia libertatem ipſe locus & inhabitantes in eo cum univerſis appenditiis ſibi pertinentibus, quos hodie lucrare videtur, & poſt modum lucrare debet, jure perpetuo D ſine aliqua calumnia integerrimam ſemper obtineat, & nec ego ipſe memoratus Oddo, nec ipſe qui ſupra nominatus marchion Sancius Guillelmizo, nec nullus de noſtris hæredibus, vel de noſtra genealogia ſive progenie, nec qualiſcumque perſona, vel alicujus dignitatis aut potentiæ vir nullam inquietudinem vel moleſtiam inferre præſumat in eodem ſancto loco, nec in rebus quas hodie habet, vel poſtea habiturus eſt. Quod ſi quis agere tentaverit, ſit ſequeſtratus a conſortio cunctorum ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium, ut Kain fratricida, & ſicut Sodomitæ & Gomorritæ populi inutiles, & tanquam crudelis Pharao demerſus in rubro mari, & velut Achan Charmi filius grandine lapidum obrutus, & ſicut Datan & Abiron, quos terra abſorbuit vivos & tanquam Chore exuſtus ab igne, cum ſua congregatione, habeatque portionem cum Juda traditore & Caipha & Pilato, hoc faciens ſeu conſentiens, ſintque conſortes Jamnis & Mambris, & mago Simoni, & Nabucodonoſor & Herodi, Doech & Holoferni, vel cum omnibus impiis quos Deus ab initio maledixit, & a ſe perpetualiter ſeparando exterminavit, & ad nihilum redegit, in inferni baratrum demerſit, iramque Trinitatis & unitatis, atque vivificæ Deitatis vivendo primum incurrat, morboque conſumatur elephantino, & ſcaturientes vermibus tabefacti, & putredine reſoluti moriendo deficiant miſeriarum ſuarum pœnas luituri, in cloacam mergantur gehennali, exemplum ſuæ nequitiæ & malignitatis ceteris relinquentes iniquitatum ſequacibus & filiis. Si vero ex aliqua controverſia cauſa diceptationis alicujus rei audien-

ta ipſis monachis neceſſe fuerit, in mallo eis habere advocatum ſibi requirant in ſuis cauſis & reſponſionibus marchionem & ducem Guaſconicum, cujus boni operis teſtes & auxiliatores exiſtunt & roboratores, in primis ipſe noſter attavus dux totius Waſconiæ Sanctius Guillelmi filius, & poſt illum cuncti noſtri germani fratres, quorum vocabula iſta ſunt domnus Guillelmus & Bernardus, Remundus, Guarſias, & Guiraldus.

XXV.

Charta Sanctionis comitis, qua ſubjicit Cellam Modulfi abbati ſanctæ Mariæ Soricinenſis monaſterii.

Ex libello Ourcinenſi.

IN nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti hæc eſt ſcriptio vel recordatio qualiter Sanctio comes, & uxor ejus .... & filii ejus Vilelmus atque A. dederunt atque commiſerunt ipſum locum, qui dicitur Cellam Modulfi, abbati ſanctæ Mariæ Soricinenſis monaſterii nomine Raimundo, qui ſolitus erat conqueri de ipſo loco quod ſcilicet de illorum jure decediſſet, & injuſte ab eo detineretur: e contra vero contendente comite quod quidam ſuus anteceſſor locum ipſum magno dato prerio ab eorum dominatu retraxerat. Abbate autem & monachis id minime negantibus, ſed ejuſmodi conventione factum aſſerentibus, ut poſt mortem ejus ſanctæ Mariæ Soricinenſis monaſterii idem locus remaneret, abſque ullius contradictionis impedimento. Pro hujuſmodi ergo quæſtionibus pacificandis commiſit atque laudavit idem comes, ut diximus, & uxor ejus, & filii eorum eundem locum ſupradicto abbati Raimundo, & cunctis ſucceſſoribus ejus Soricinenſis loci abbatibus, & monachis ad regendum & cuſtodiendum, ac ſecundum regulam S. Benedicti perpetuo diſponendum: ea ſcilicet ratione, ut quandiu ipſe abbas locum illum ſine abbate tenere vellet ſuæ eſſet poteſtatis. Si vero abbatem ibi velit ordinare tam ipſe quam ſucceſſores ejus de ſuis vel de ipſius loci monachis prout libuerit faciant ſecundum Patris Benedicti ordinationem. Quod ſi aliquis monachorum non regulariter ibi vivere viſus fuerit, licenter quæ voluerint mutare debebunt. Ipſe etiam dictus abbas Willelmus nomine guerpivit iſtam abbatiam, & eccleſiam S. Saturnini in ſuburbio Toloſæ civitatis: promittens obedientiam ſecundum patris S. Benedicti regulam. Teſtes hujus vero concordiæ ex parte comitis fuerunt hi, Garcias & Guillelmus monachi. Laïci vero Arnaldus de Betava, & Guillelmus Arnaldus de Balas, & Petrus de Bona, & Bernardus de Grua, & Arnaldus Oddo de Laurs, hi ſunt videntes ex parte comitis; ex parte vero abbatis fuerunt hi, Theotbertus monachus, Guillelmus monachus, Remundus monachus, item Villelmus monachus, Donatus monachus, & alius Guillelmus monachus. Laïci vero Arnaldus Donatus, & Gaufridus frater ejus, & Remundus de Mazeiras, & Bernardus du Trazail, & Arnaldus Pontii. Et alii plures boni viri.

XXVI.

Concilium Auſcienſe de libertate eccleſiarum S. Orientii.

1068. ANno MLXVIII. incarnationis Domini noſtri J. C. Factum eſt concilium apud Auſciam civitatem metropolim, tenuitque concilium domnus Hugo, qui vocabatur Albus S. R. E. cardin. cum bonæ memoriæ Auſtindo archiepiſcopo, & cum omnibus confraganeis ſuis epiſcopis, & abbatibus & magnatibus univerſæ Gaſconiæ. Inter cetera ſtabilimenta, quæ ibi ſanxerunt, decreverunt ut omnes eccleſiæ quæ infra terminos Gaſconiæ continentur, ſemper quartam partem decimæ unaquæque eccleſia ſuis ſedibus redderetur. Nam antea minime faciebant. Hoc audiens domnus abbas Remundus S. Orientii dixit ſe minime conſentire in hoc, ut eccleſiæ S. confeſſoris quæ per tot tempora ingenuæ permanſerant, tali jugo ſubmitterentur. Audiens hoc cardinalis præfatus, quod in monaſterio ejus tumulatus eſſet tam antiquiſſimus confeſſor, & tam magnæ auctoritatis ſuper omnes archiepiſcopos, qui in ſede Auſcia fuerant, decrevit cum domno Auſtindo, & omni cetu epiſcoporum & abbatum, ut pro amore S. confeſſoris prædicti, eccleſiæ ejus ab hac conditione liberrimæ permanerent, ſicuti antea facere ſolebant. Sanxitque ac firmavit domnus cardinalis cum Auſtindo archiepiſcopo, abbati Remundo S. Orientii, ut omnes conſuetudines quas antea in honore & in eccleſiis tenere ſolitus erat, abſque ulla infeſtatione invidorum epiſcoporum, vel archidiaconorum inconvulſæ permanerent. Laudaverunt etiam ut gubernator, qui locum S. Orientii rexerit, vices archidiaconi in honore ſuo ſuper eccleſias & clericos teneat; & ipſe, ſi lapſi fuerint, juſtitiam faciat, tamen ſi pœnitere voluerint ipſe ante præſentiam domni archiepiſcopi repræſenter, & ipſe illis pœnitentiam injungat ut placuerit, excepto quod nullam legem ab illis non requirat.

XXVII.

Littera Aimerici Auſcorum comitis & Bernardi ejus fratris filiorum Willelmi, quibus dant S. Hugoni abbati Cluniacenſi monaſterium ſancti Orientis ordinandum.

NOverint omnes quod ego Aimericus Auſcenſis comes, & frater meus Bernardus pro peccatis noſtris & Willelmi patris noſtri donamus Deo & ſancto Petro Cluniacenſi in manu Domni Hugonis abbatis, & ſuis ſucceſſoribus ordinandum & diſponendum monaſterium S. Orientii, & quidquid modo poſſidet, ac in futurum poſſidebit, &c. Hoc donum fecit ſimul Raimondus avus culus meus, &c. Actum in clauſtro S. Orientii in præſentia domni Hugonis abbatis Cluniacenſis, & aliorum. S. domni Hugonis abbatis. S. domni Durandi Toloſani epiſcopi. S. domni Willelmi epiſcopi Convenarum. S. domni Raimundi epiſcopi Lacturenſis. S. domni .... abbatis S. Genii. S. domni Willelmi abbatis S. Martini, fr. Malleavus. Actum Alexandro papa, Philippo Francorum rege, *anno, ut puto,* MLXVIII. *in ſynodo Auſcenſi hoc anno habita de qua in charta ſuperiori.*

XXVIII.

Charta Bernardi Ainardi de Sauzeda pro Galindo abbate Portaglonii.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen. Notum ſit omnibus hominibus præſentibus atque futuris, quod ego Bernardus Ainardi de Sauzeda, conſilio & voluntate uxoris meæ Fortoniæ, & filiorum meorum Arnaldi, Bernardi, & R. Bernardi fratris mei, pro amore Dei, & pro remiſſione peccatorum meorum, & prædictæ uxoris meæ, & prædeceſſorum parentum meorum tam vivorum quam etiam defunctorum, dono & concedo libere & integre, ſine aliqua retentione, Deo & B. Mariæ & monaſterio Portaglonii Ciſtercienſis ordinis, & abbati Galindo, & conventui dicti monaſterii præſentibus, & eorum ſucceſſoribus, per me & meos heredes & ſucceſſores in perpetuum, ad omnem voluntatem ſuam faciendam, quicquid habeo vel habere debeo a rivo S. Laurentii de Sauzeda, juxta eccleſiam, & ex alia parte uſque ad rivum de Mercadet: & ſicut rivus deſcendit uſque ad flumen Gercii, & deſcendit uſque ad prædictum rivum S. Laurentii, & ſicut rivus aſcendit uſque ad fontem, qui vocatur Dento in Portaglonio, qui dividit terram de Sauzeda & de Lavergareda, & deſcendit per quandam Gutam, ſive Vallem, uſque ad terram de Garidos, & ſicut dicta terra terminatur uſque ad rivum de Teſta Blanca, & uſque ad locum qui vocatur Laſſerreiras, & ex hinc inde vadit ad rivum Tort, qui deſcendit de S. Gervaſio, & cadit in rivum de Mercadet. Quicquid ergo infra præfatos 1141.

terminos habeo, aut aliquis aliquando habuit pro me vel pro prædeceſſoribus meis; ſcilicet terras cultas & incultas, boſcos & bartas, nemora, lapides, ligna, glandes, herbas, paſcua, & omne torum quod ibi latet vel apparet; & quicquid terra profert vel germinat & omnia jura ibidem mihi & meis pertinentia ad faciendam & complendam voluntatem ſuam omnimodam cum ingreſſibus & egreſſibus ſuis a cœlo uſque ad abyſſum ſine omni retentione mihi & meis ſucceſſoribus & hæc omnia ſupradicta libera & immunia ab omni exactione & ſervicio, ſicut melius dici vel intelligi poteſt ad utilitatem monaſterii ſupradicti, & ibidem habitantium in perpetuum. Hanc donationem facio ego Bernardus Aynardi de Sauzeda cum uxore mea Fortona de voluntate filiorum prædictorum & aſſenſu, ſcilicet A. B. & R. B. bono animo & ſpontanea voluntate tibi G. abbati Portaglonii ſupradicti, & conventui ejuſdem loci, ut conſtruatis & ædificetis grangiam in loco qui vocatur Mercadet infra duos rivos ſupra dictos. Tribuo quoque inſuper fratribus & habitatoribus dictæ abbatiæ & dictæ grangiæ de Mercadet, & fratribus ibidem ſervientibus Deo ſpeciam per univerſam terram meam, terras, aquas, ligna & glandes, liberum introitum & exitum, & omnia ad uſus & cunctis eorum animalibus neceſſaria. Teſtes hujus doni ſunt G. abbas Scalæ Dei, Oddo de Fontanis, Bernardus de Sauzeda, Bernardus de Inſula, Leberon Darroilhani, Bernardus de Su aut Forto de Romerio, Fortanerius Arnaldi de Solanhet, Guillelmus prior Portaglonii, & alii plures, qui hoc viderunt & audierunt. Hæc donatio facta fuit in monaſterio prædicto, anno Dominicæ incarnationis MCXLI.

XXIX.

Ildefonſi regis Arragonum littera de abbatia Juncheria dioeceſis Cæſarauguſta data Humberto abbati Gemundi.

1177. Ex autogr.

IN nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, ego Ildefonſus Dei gratia rex Aragonenſium, comes Barchinonenſium, & marchio Provinciæ, & ego Petrus divino munere Cæſar-auguſtanus epiſcopus pro amore Dei & remiſſione peccatorum noſtrorum, bono animo & ſpontanea voluntate damus & concedimus Deo & beatæ Mariæ de Gemundo, & ordini Ciſtercienſi, & vobis domino abbati Humberto, & conventui prædicti loci præſenti atque futuro locum & abbatiam ſanctæ Mariæ de Juncheria, cum omni ſuo jure ſecundum formam & conſuetudinem Ciſtercienſis ordinis, ut tale dominium & poteſtatem habeatis in abbatia de Juncheria in abbate etiam, & in conventu monachorum & fratrum ejuſdem loci, qualem inſtitutionem Ciſtercienſis ordinis habere debet abbas pater in filia abbatia. Et ego ſuprad.ctus Humbertus Gemundi abbas pro jam dicto dono ſuſcipio vos dominum noſtrum Ildefonſum illuſtriſſimum regem Aragonum, & dominam reginam Sanciam uxorem veſtram, & venerabilem dominum Petrum Cæſarauguſtanum epiſcopum in omni beneficio & ſocietate & fraternitate domus Gemundi, ut eandem remunerationem regni cæleſtis obtineatis a Domino Salvatore in futuro cum omnibus ſanctis quam nos expectamus ab ipſo pro omni labore noſtro accipere in cœlo. Factum eſt hoc in palatio domini Petri epiſcopi apud Cæſaraugustam in præſentia domini Arnaldi de Turrerubea magiſtri militiæ templi, & Guiraldi de Jurb, & abbatis de Juncheria, & fratris Raimundi de Malveſin & fratris Deodati monachi & cellerarii majoris de Juncheria. Signum † Ildefonſi regis Aragonum, comitis Barchinonenſis, & marchionis Provinciæ.

Petrus Dei gratia Cæſaraugustanus epiſcopus SS. Hoc ſupradictum donum & conceſſionem laudavit & autorgavit Willelmus abbas de Juncheria, & prior ejuſdem loci Arnaldus, & frater Deodatus cellerarius major, & frater Radulfus ſacriſta, & omnis conventus de Juncheria. Factum eſt hoc in capitulo de Juncheria anno ab incarnatione domini MCLXXVII. in præſentia domini Humberti abbatis Gemundi, & fratris Johannis Signarii.

XXX.

Charta fundationis monaſterii de Buxedo in dioeceſi Secobienſi ſub Bernardo Gemundi abbate.

1197. Ex autogr.

IN nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti ego Gonzalvus de Marano, una cum uxore mea Alaiore Garciæ & cum filiis noſtris operante divina gratia pro mercede animarum noſtrarum omniumque parentum noſtrorum præteritorum, præſentium & futurorum donamus Deo & B. M. Gemundi, & Bernardo abbati ejuſdem eccleſiæ, ceteroque ejuſdem loci conventui præſenti & futuro locum illum de Buxedo pro abbatia conſtruenda ſecundum conſuetudinem Ciſtercienſis ordinis. Donamus quidem cum omnibus pertinentiis ſuis, pratis, rivis, paſcuis, fontibus, montibus & vallibus ac nemoribus, exitibus & ingreſſibus, terriſque cultis & incultis. Donamus ſiquidem ut ſupra dictum eſt, per nos & per omnes poſteros noſtros libero jure in perpetuum poſſidendum, ut ſimus nos & omnes poſteri noſtri confratres & familiares præfatæ abbatiæ, totiuſque Ciſtercienſis ordinis beneficii ſocii, & participes; erimuſque prædictæ hujus donationis auctores & protectores, & defenſores nos & poſteri noſtri omni tempore. Si quis itaque hoc factum noſtrum & donationem ſecundum Deum procedentem, ex noſtro genere, vel ex alieno, ad dirumpendum venerit, ſit maledictus & excommunicatus, & cum Juda proditore Domini in inferno damnatus. Facta charta in Secobia IV. idus Maii in Era MCLXXXXVII. anno quo mortuus eſt rex Sancius Aldefonſi Hiſpaniarum famoſiſſimi imperatoris filius. Ego rex Aldefonſus prædicti regis Sancii filius confirmo, & corroboro hanc donationis chartam. Ego Gonzalvus de Marano confirmo & corroboro hanc donationis cartam quam fieri juſſi. Hujus rei teſtes Garſias Garſia de Aza, & uxor ejus Sancia, Martinus Fernandez de Calahorra, & Didago Fernandez frater ejus, Martinus de Barahona, Alvar Peidrez de Clunnia, Dominicus prior Secobienſis eccleſiæ, Gonzalvus ejuſdem ſedis archidiaconus, Martinus præcentor, Raimundus ſacriſta. Poncius ſcripſit.

Digitized by Google

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM AQUENSEM SPECTANTIA.

I.

Excerpta quædam ex chartario nigro eccleſiæ Aquenſis, ad illuſtrandam plurimorum epiſcoporum hiſtoriam.

.... Occupab t autem Aquenſem epiſcopatum tunc abbas S. Severi Waſconiæ Gregorius, qui erat epiſcopus Laſcurenſis. Tenebat etiam multos alios honores: qui quanto ampliores tenebat honores, tanto minor erat ad ſing. los. Ante Gregorium fuit Macharius, qui vixit in epiſcopio tantum per duos annos & dimidium. Ante Macharium fuit Remundus Vaſatenſis, nepos alterius Remundi ſenis: quorum uterque fuit epiſcopus. Ille ſenex Remundus Vaſatenſis omnes epiſcopatus totius Waſconiæ tenuit, excepta metropoli: alter Remundus nepos ejus, non omnes, ſed Vaſatenſem, Aquenſem & Labardenſem. Poſtea Vaſatenſem & Laburdenſem. Sed redeamus ad ordinem. Poſt Gregorium abbatiam tantam & tantos honores occupantem ſucceſſit proprius Aquenſis eccleſiæ epiſcopus nomine Bernardus, vir mitæ abſtinentiæ, ſed mollis & timidus in juris ſui defenſione, &c. .... Vixit iſte Bernardus xx. & circa xv. vel v. annos. Poſt Bernardum Remundus ſucceſſit. Obiit autem xviii. epiſcopatus ſui anno. Poſt Remundum præſens Willelmus.

II.

Raimundus de Sentes Aquenſis epiſcopus, dividit epiſcopatum in 4. archidiaconatus.

Ex chartario Aquenſi.

AD communem utilitatem & quietam diſpoſitionem tam præſentium quam poſterorum, Raimundus Aquenſis epiſcopus, & eccleſiæ ſanctæ Mariæ Aquenſis conventus; totum ſuum epiſcopatum in 4. partes diviſerunt, quibus ſingulos archidiaconos præfecerunt, qui oculi & diſpoſitores eccleſiæ prædictæ exiſterent, totiuſque domus & familiæ eccleſiaſticæ curam gererent; ita videlicet ut quiſque archidiaconus tribus menſibus in anno tem publicam diſponerent, ut uno deſerente alterutrum ſuccedendo ſubminiſtraret. Unius archidiaconatus fines ſcilicet a camino Burdigalenſi verſus mare uſque ad littus Laburdenſe, alterius vero fines ab eodem camino verſus Orientem ſicut fluvius, qui dicitur Loſſium diſterminatur. A Loſſio vero prædicto fluvio alius archidiaconatus fines diſtenditur verſus meridiem uſque ad fines Gerti & Poliorus, abinde vero alterius archidiaconatus fines, quod a prædictis determinatis archidiaconatibus ex ordine relinquitur. Hac inſtitutione facta iterum unveſtiverunt, quatinus quotcunque decimæ ſive redditus terrarum vel tributa ruſticorum vel cetera quæ jure archidiaconatus ad archidiaconatus non pertinent, ad communem confratrum utilitatem convenienti inter ſe conſenſu archidiaconi diſpertirent; diſtinctiones vero & placita quæ de iſtis contingunt ſive hoſpitia, ſive domnia in illius archidiaconi jure conſiſtent in cujus parochia permanerent: de legum autem pontificalium perſolutionibus ſinguli archidiaconi cum pontifice per ſuas parochias ſic ſe haberent ut epiſcopus duas, archidiaconus vero tertiam partem portionem acciperet exceptis cauſis de S. Paulo & de S. Vincentio, quæ prorſus epiſcopi ſunt, urbis vero Aquenſis placita cum pontifice ſupradicta partitione archidiaconi communiter dividant, cimiteria quoque & decimas & venalitatem fori, & oblationem argenteam, atque ſanctuaria exceptis ſtatutis capituli inter ſe dividerent.

III.

Charta fundationis Xenodochii de Urduos Aquenſis diœceſis facta conſilio Ar. W. de Sort epiſcopi Aquenſis.

1151. *Ex ſchedis clariſſimi viri Odonarti.*

IN nomine S. Trinitatis & individuæ unitatis. Perveniat in notitia tam futurorum quam præſentium, quod quidam latro Arterius nomine, & ſocii ejus interfecerunt tres peregrinos Normaniæ, viros magnæ nobilitatis, ſicut armigeri, qui cum eis erant, & multi alii nobis narraverunt. Hæc interfectio fuit facta in itinere beati Jacobi, a prædictis latronibus, in illo loco qui dicitur Urduos; qui poſtea nutu divino a judice ejuſdem terræ ſuſpenſi ſunt. Divina vero pietas nullum expertem ſui relinquens, revelavit hoc facinus per angelum ſuum Gabrielem cuidam ſacerdoti nomine Remundus Porchet de Scendos, præcipiens ei ut extraheret peregrinos prædictos de lacu, in quo mortui ejecti fuerant, & traderet eos in eodem loco ſepulturæ. Cui præcepto non renuens, libens implevit quod ſibi juſſum fuerat. Rurſum prædictus ſacerdos Remundus Porchet angelica annuntiatione tertio eſt admonitus, ut ædificaret domum in eo loco, ubi jam dicti peregrini ſepulti fuerant, ad honorem Dei; qui cum non auderet ei reſiſtere, cui cuncta obediunt, ſtatim exhibuit ſe Aquenſi epiſcopo ſcilicet Ar. W. de Sort, narrans ei quæ & quanta per angelum ſibi fuerant juſſa. Unde prædictus iſdem epiſcopus dedit ei conſilium, ut quantocitius divino obediret præcepto. Quare jam ſæpe dictus ſacerdos fecit petitionem P. vicecomiti Gavardan ac Bearnenſium, ut daret ſibi prædictum locum, in quo domum ad opus pauperum ad beatum Jacobum iter euntium*, ut ſic locus qui prius fuerat ſpelunca latronum, eſſet refugium pauperum, & habitatio peregrinorum. Cujus petitioni P. vicecomes acquieſcens, dedit bono animo, & bona voluntate totam terram de Urduos, ad faciendum ædificium, & totam padoventiam a, undecumque ipſe dominium habebat, dedit; & nemora, paſcua, aquas, culta & inculta, Deo pro anima ſua, & parentum ſuorum tam præteritorum quam futurorum, hoc donum fecit prædictus P. vicecomes in eccleſia B. Mariæ de Scendos, in præſentia ſuæ curiæ, Remundo ſacerdoti, & omnibus futuris ſuis ſucceſſoribus, ut habeant & poſſideant jam dictum donum, atque ab omni impedimento abſolutum ſine fine in perpetuum, amen. Anno incarnati verbi MCLI. factum eſt donum menſe Maio, feria VI. luna undecima epacta XIV. concurrente nona, indictione VII.* Ludovico regnante rege Francorum, W. comite Pictaviæ ac duce Vaſconiæ, W. reſidente archiepiſcopo in Auſcitania ſede, Ar. W. reſidente epiſcopo in cathedrali ſede Aquenſium, Ar. epiſcopo reſidente in cathedrali Olorentium. Teſtes hujus rei ſunt A. Bornio abbas Sorduenſis, Martinus Sancii, P. Aureilla, Bibia de Gramont, P. de Luxo, A. Aragon de Garris, A. Arramon deu Lacu, & frater ejus, R. Ar. Fortaner Deſcot, & tota præſentia curiæ ipſius vicecomitis.

* *f.* ædificarent.

a Id eſt, *paſcua*. Conſule Cangii gloſſarium.

* XIV.

IV.

Diploma Adelfonſi Arragonum regis pro eccleſia Aquenſi, & Fortanerio epiſcopo.

NOtum ſit tam præſentibus quam futuris, quod ego Adelfonſus Dei gratia rex Caſtellæ & Toleti, dominus Vaſconiæ, una cum uxore mea Alienor regina, & cum filiis meis Ferrando, & Henrico, pro animabus parentum meorum; & ſalute propria, ac pro delictorum meorum venia conſequenda, libenti animo & voluntate ſpontanea, hac carta donationis, conceſſionis, & ſtabilitatis do Deo, & cathedrali eccleſiæ Aquenſi S. Mariæ, & vobis domino Fortanerio ejuſdem inſtanti epiſcopo dilecto amico meo, veſtriſque ſucceſſoribus, perenniter valitura. Dono igitur vobis illos quindecim Villanos quos habeo in Angonne, & in Sa cum omnibus juribus, quibus mihi tenebantur jure hæreditario, ut in perpetuum habendos, & irrevocabiliter poſſidendos. Si quis vero hanc chartam infringere præſumpſerit, iram Dei omnipotentis plenarie incurrat, & regiæ parti mille aureos in tanto perſolvat, & damnum quod ſuper hoc vobis, aut ſucceſſoribus veſtris intulerit duplicatum reſtituat. Facta carta apud S. Sebaſtianum Era MCCXL. * ſecunda. VII. calend. Novembris. Et ego rex Alfonſus regnans in Caſtella & Toleto, & in Vaſconia, hanc cartam quam fieri juſſi, roboro & confirmo. Martinus Toletanæ ſedis archiepiſcopus, Hiſpaniarum primas confirmat. Bernardus ... archiepiſcopus confirmat. Ferrandus Burgenſis epiſcopus, Rodericus Segoviæ epiſcopus, Aldericus Palentinus epiſcopus, Gundiſſalvus Segobienſis epiſcopus, Julianus ... epiſcopus, Didacus ... epiſcopus, Bernardus Baionenſis epiſcopus, Galardus Vaſatenſis epiſcopus, Gaſto vicecomes Bearnii, Alvarus ... Munii, Giraldus comes Armaniacenſis, Rodericus ... Dias, Arnaldus Raimundi vicecomes Tartaix, Lupus ... Sancii, Lupus Garciæ vicecomes Aortenſis, Gregorius Dias, Min. regis in Caſtella.

* hoc eſt anno 1194.

V.

Navarrus epiſcopus Aquenſis numerum canonicorum beatæ Mariæ Aquenſis ad denarium ſolummodo reducit.

1253. Ex chartario.

AD honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, & beatiſſimæ virginis Mariæ. Nos Navarrus Dei gratia epiſcopus Aquenſis, & Ar. Seguini, Marqueſius, & Bernardus Johannis archidiaconi, atque totum capitulum eccleſiæ Aquenſis, attendentes & toto cordis deſiderio affectantes, ut divini nominis cultus in eccleſia noſtra augeatur, paxque eccleſiæ & perſonis ibidem nunc & in poſterum exiſtentibus, & Deo ſervientibus obſervetur, computato diligenter & deducto ea quæ domino epiſcopo, filiis Dei, ac aliis eccleſiæ ipſius ſervitoribus, ratione ejuſdem ſervitii ex neceſſitate debentur, penſatisque reſiduis ſupradictæ eccleſiæ facultatibus, & invento quod non poſſunt ſufficere pluribus quam decem canonicis reſidentibus in eadem, unanimiter & concorditer ordinamus, & ſtatuimus denarium numerum canonicorum, nobis & poſteris perpetuo obſervandum in eccleſia memorata, niſi in tantum excreſcerent ipſius eccleſiæ facultates, quod pluribus poſſent ſufficere competenter, & tunc deſuper creſcentibus facultatibus, de communi aſſenſu domni epiſcopi & capituli, prout utilitati ejuſdem eccleſiæ viderint expedire; ſtatuimus etiam quod nullum canonicum in ipſa eccleſia de cetero faciemus, donec ad dictum numerum perventum fuerit, & aliquis de canonicis ceſſerit de numero ante dicto, excepto Dominico de Seguin clerico Aquenſi, quem ad frequentem inſtantiam, & preces recipiemus Ar. Seguini archidiaconi ſupradicti. Et hæc nos omnes & ſinguli tactis ſacroſanctis Dei evangeliis firmavimus propriis juramentis. In cujus rei teſtimonium nos prædicti epiſcopus & capitulum præſentes A litteras ſigillis noſtris duximus ſigillandas. Actum eſt hoc Aquis in camera noſtra, nobis & toto capitulo ipſius eccleſiæ præſentibus, & in hoc communiter conſentientibus in feſto apoſtolorum Philippi & Jacobi, anno domini MCCLIX.

VI.

Bulla Sixti IV. qua capitulum Aquenſe eximit ab epiſcopi poteſtate.

SIXTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. 1472

Licet omnes eccleſiæ per univerſum orbem conſtitutæ ſedi apoſtolicæ, quæ ſuper illas obtinet divina diſpoſi-
B tione primatum, ſint ſubjectæ, reipſa tamen ſedes nonnullas ex eis eorumque perſonas ſibi aliquando uſque ad certum tempus ſpecialiter ſubdit, & illas a quorumlibet aliorum poteſtate eximit, prout rationabiles ſuadent, & id in domino conſpicit ſalubriter expedire: ſane pro parte dilectorum filiorum capituli eccleſiæ Aquenſis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum venerabilis frater noſter Bertrandus epiſcopus Aquenſis de homicidio apud nos, & ſedem apoſtolicam diffamatus ſit, cauſamque deſuper ex commiſſione noſtra dilecto filio noſtro Nicolao titulo S. Ceciliæ preſbitero cardinali ad audiendum & referendum pendeat, ipſi capitulum intendunt cauſæ prædictæ aſſiſtere, &
C quantum in eis eſt, quod exceſſus hujuſmodi non remaneat impunitus operam dare, & propterea epiſcopus ipſe de eorumdem capituli voluntate forſan informatus, eos ac ſingulas perſonas dictæ eccleſiæ paterna non diligat caritate, & in ipſos aliter quam debeat nonnunquam ſua juriſdictione utitur, præfatum capitulum dubitant prædictam cauſam proſequi poſſe, ſi ejuſdem epiſcopi ſubjacere debeant coertioni, quare pro parte ejuſdem capituli nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſos ac ſingulas perſonas dictæ eccleſiæ, & quoſcumque alios in eadem eccleſia, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, & beneficia nunc & pro tempore
D obtinentes, cum omnibus & ſingulis eorum canonicatibus, & præbendis, ac dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, vel officiis, cereriſque beneficiis eccleſiaſticis, & bonis, ac ſervitoribus, & familia, ab omni juriſdictione & poteſtate dicti epiſcopi, quandiu præfatæ eccleſiæ præfuerit, & deinde ad noſtrum beneplacitum prorſus eximere & liberare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur; os igitur quieti & tranquillitati tam capituli quam ſingularum perſonarum eccleſiæ hujuſmodi providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatos capitulum ac ſing las perſonas dictæ eccleſiæ canonicatus, & præbendas ac dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia aliaque beneficia eccleſiaſtica in eadem nunc & pro tempore obtinentes cum omnibus eorum beneficiis eccleſiaſticis, & bonis quæ etiam extra dictam eccleſiam in civitate & dioceſi Aquenſi obtinent, & pro tempore obtinebunt, eorumque ſervitoribus, & familia ab omni dicti epiſcopi juriſdictione, ſuperioritate & poteſtate quandiu ipſe epiſcopus eidem
E eccleſiæ præfuerit, & deinde ad noſtrum beneplacitum auctoritate apoſtolica, tenore præſentium penitus eximimus, & totaliter liberamus ac liberos & exemptos libera & exempta fore decernimus & declaramus; ita quod ipſi capitulum, perſonæ, familiares & familia interim non coram epiſcopo ſeu ejus officialibus, ſed coram ſede prædicta, aut legatis aut ſubdelegatis ejuſdem duntaxat teneantur de juſtitia reſpondere, quodque idem epiſcopus ſeu officiales præfati etiam ratione delicti, contractus, vel rei ubicumque committatur delictum ineatur contractus, aut res ipſa conſtat in eos, vel ea tanquam prorſus exemptos, & exempta juriſdictionem, dominium vel poteſtatem quomodolibet exercere aut excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſeu alias ſententias, cenſuras, & penas promulgare non poſſint nec debeant quoquomodo, decernentes omnes

by Google

& ſingulos proceſſus, ſententias, cenſuras, & pœnas quos & quas contra exemptionem, liberationem, ſuſceptionem, & decretum hujuſmodi forſan haberi vel promulgari, necnon quicquid ſecus a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attemptari contigerit, irrita & inania, nulliuſque exiſtere roboris vel momenti, non obſtantibus felicis recordationis Innocentii papæ IV. prædeceſſoris noſtri circa exemptos, quæ incipit *volentes*, & aliis apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, liberationis, conſtitutionis, declarationis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCCCLXII. tertio decimo cal. Aprilis, pontificatus noſtri anno ſecundo.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM LACTORENSEM SPECTANTIA.

I.

Willelmi Auxitani archiepiſcopi & Raimundi Lactorenſis epiſcopi eccleſias S. Genii, & ſancti Clari Cluniaco concedentium.

1074. *Ex chartar. Monaſt. & ſchedis Colbertinis.*

QUoniam inter alia quæ humano generi ad auxilium divina providentia clementer providit, ſanctorum etiam patrocinia miſericorditer conceſſit, ſcilicet ut pro ſibi famulantibus non infimum apud ſe intercedendi locum ipſi obtineant. Quapropter ego Willelmus Dei gratia Auxienſis archiepiſcopus, necnon & ego Raimundus Lacturenſis epiſcopus, una cum Odone vicecomite & nepote Viviano, donamus Deo & ſanctis apoſtolis ejus, Petro & Paulo ad locum Cluniacum, in manu domni Hugonis ejuſdem Cluniacenſis loci venerabilis abbatis, locum de S. Genio cum omnibus appenditiis ſuis libero jure & quieto, ſcilicet ut iſdem domnus Hugo abbas ſeu omnes poſt eum ipſius ſucceſſores locum ipſum, ſicut jam dictum eſt, cum omnibus appenditiis ſuis jure perpetuo teneant & poſſideant. Hoc autem, ut ſuperius præfati ſumus, ideo factmus, quatenus ab ipſo S. Genio apud Deum pro hoc opere in ultimo judicio aliquam miſericordiæ partem mereamur percipere. Nam cum locus ipſe S. Genii monachorum prius cœnobium fuerit, ad hoc ſæcularitate creſcente tam pridie devenerat, ut ipſius neceſſitate victus cogente, derelictus potius videretur quam deſtructus. Præterea concedimus etiam, & donamus eidem domno abbati Hugoni ad locum Cluniacum, locum ſimiliter de S. Claro, ut ſicut jam ſupra præhibavimus de ſancto Genio, ab ipſo, & ejuſdem ſucceſſoribus omnibus deinceps quieto jure, eodem modo teneatur & poſſideatur. Facta eſt autem hæc charta anno incarnationis Dominicæ milleſimo octuageſimo quarto *a*, indictione XII. regnante Philippo rege Francorum, imperante autem domino noſtro Jeſu-Chriſto, cujus regnum eſt in ſæcula ſæculorum. S. Raimundi Guillelmi, S. Bernardi Enrici, S. Hugonis, S. Odonis, S. Unaldi abbatis S. Viviani.

a

II.

Pacta inter Eduardum Angliæ regem, & Geraldum epiſcopum Lactorenſem, de dominio & juribus Lactorenſis urbis.

1273. NOtum ſit univerſis præſentes litteras inſpecturis, quod reverendus pater G. Dei gratia Lactorenſis epiſcopus, habito diligenti tractatu cum ſuo capitulo Lactorenſi, conſiderans maximam & evidentem utilitatem eccleſiæ ſuæ, permutavit, & nomine permutationis tradidit cum conſenſu & expreſſa voluntate dicti capituli ſui, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis illuſtri dom. Eduardo Dei gratia regi Angliæ, domino Hiberniæ, & duci Aquitaniæ, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, medietatem totius dominii, juſtitiarus, juriſdictionis altæ & baſſæ quam habet & tenet, & habere & tenere debet in civitate, & ſuburbio Lactorenſi, cum commiſſis, ſeu incurramentis, exercitibus, cavalcatis, pedagiis, leudis, vadiis ſeu pœnis, nundinis, mercatis, macellis, furno, & aliis juribus & deveriis, ad dictam medietatem pertinentibus quocumque nomine cenſeantur, nundina diei Lunæ in ... carnio dumtaxat excepta. Necnon medietatem illius partis quam habet, & tenet in molendino de Rapaſſac cum pertinentiis ſuis, pro centum libris rendalibus monetæ uſualis Burdegalenſis, quas centum libras idem dominus rex pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis tenetur aſſignare eidem epiſcopo, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis infra quadriennium continuum, & completum a data præſentium in epiſcopatu ſuo, vel in diœceſi Agennenſi citra Garomnam ad arbitrium bonorum virorum. Pro quibus centum libris aſſignavit & tradidit in præſenti idem dominus rex dicto epiſcopo tres pogeſias, ſeu pictas, ſeu tres partes unius denarii Burdegalenſis pedagii, cum honore & pertinentiis ſuis: de illis tribus denariis & obolo quos habet in pedagio ſuo de Millano, per ipſum epiſcopum, & ſucceſſores ſuos cum ſuo honore, commiſſi, incurramentis & pertinentiis pacifice poſſidendas, quouſque prædictæ centum libræ ut prædictum eſt, ſint aſſignatæ, & extunc dictus dominus rex conſtituit ſe nomine dicti domini epiſcopi tres pogeſias poſſidere, &c. Et ſciendum quod idem epiſcopus nomine ſuo & eccleſiæ ſuæ, & ſucceſſorum, dedit, donavit & ceſſit ex cauſa permutationis prædicto regi, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, omne jus, & omnem actionem realem, perſonalem & mixtam, quam idem epiſcopus nomine ſuo & eccleſiæ ſuæ habebat, & habere debebat contra quoſcumque ratione medietatis prædictæ. Et dictum dominum regem poſuit idem epiſcopus in poſſeſſionem omnium prædictorum, & dedit regi prædicto vel alii nomine ſuo, authoritatem & potentiam mittendi in poſſeſſionem omnium prædictorum, ac conſtituit idem epiſcopus ſe poſſidere nomine regis prædictam medietatem dominii, juſtitiatus & juriſdictionis, & pertinentiarum ipſarum, &c. Et dom. Lucas de Thancy miles, ſeneſcallus Vaſconiæ, vel qui pro tempore fuerit requiſitus per epiſcopum, vel ejus mandatum, tenetur jurare ſe integre ſervaturum permutationem dictam, & jura & libertates eccleſiæ Lactorenſis defenſare, &c. Actum in capitulo eccleſiæ Lactorenſis v. die exitus Februarii anno Domini MCCLXXIII. regnante Edwardo rege Angliæ, ſede Burdegalenſi vacante. P. Gondaumerio majore Burdegalenſi. Teſtes dominus Phom. de Clar. dominus Oto de Pardeilano; dominus Oto de Leoman. Fortanerius de Caſanova milites. Petrus de Pomeriis archid. Leomanenſis, Jordanus archid. Lactorenſis, & alii canonici.

a Lege 1074. *cui anno nonnisi indictio* 12.

INSTRUMENTA AD CONVENENSEM ECCLESIAM PERTINENTIA.

I.

Privilegium quod Bernardus epiſcopus dedit Domino, & clericis ſeu canonicis eccleſiæ ſancti Gaudentii.

OMnis qui ad patriam celeſtium civium deſiderium eundi habet, in qua requies datur univerſis habitatoribus, neceſſe eſt ut in activa vita in qua meſſis illigatur doloribus, efficiatur inſtrumentum alicujus religioſæ bonitatis, quo dirigatur ſibi iter aſcendendi ad contemplativam iſtius uranicæ regionis, in qua electorum vultus Titanis ſpeciem retinet, & Deus ſine ullo intervallo facie ad faciem contemplatur, in fulgenti ſede ſuæ majeſtatis. Ob amorem hujus tam magnæ ſuavitatis atque dulcedinis; ego Bernardus peccator, & tamen quondam infelix pontifex, ob pondus tam magin honoris ſciens me fore obligatum, charitative dimiſi & inchoavi tale ædificium, quod * exiſtimavi me aditurum conſortia ſupernorum civium, ſed Deus qui de nihilo cuncta perpetravit, videns facinora quæ peregi, & intuens quæ imperranda eſſent, dedit mihi gratia ſua conſilium quo abluerem iniquitates perpetratas. Nam idem ipſe Omnipotens, qui neminem vult perire, dedit hunc talem ſenſum ut ædificium templi ſancti Petri atque ſancti Gaudentii, quod inceperam in loco, dimitterem clericis digne Deo ſervientibus, pro redemtione animæ meæ, genitoriſque mei, atque meæ genitricis, omniſque meæ parentelæ. Ego Bernardus illud dedi, necnon allodium quod eſt ſubter vineas libere & abſolute, ſicuti ego ipſe teneo, & vinum iſtius villæ, decimas Didanos, & caſalem de Linos, & leddam ſalis, & cemeterium, & offerentia. Et præterea poſt obitum meum totum meum honorem ſine calumnia tribuo clericis Deo ſervientibus; & ut firmius atque obnixe teneatur, loco mei pono abbatem Fortium, qui omnia data atque danda cuſtodiat, canonicos quoſdam ſubmiſſos ſibi non tepide qui..... horas canonicas peragant, ſcilicet Guillelmum de..... Garciam, Guillelmum, G. de Becet, & Martinum d'Aulo. Hanc donationem quemadmodum feci, adfuerunt viſores idonei, & auditores Raimundus Guillelmus de Lignac, &c. quemadmodum pono Fortium abbatem iſtius loci, poſt obitum meum, eo defuncto ponatur electione canonicorum ſervientium Deo, ſanctoque Petro, atque ſancto Gaudentio. Præcipio ut ſit abbas, ſine dominatione perſonæ alterius, niſi ab ipſis canonicis, & quemadmodum in iſtis conſtituo ut fiat ita, & a ſequentibus perpetualiter teneatur. Cum ſupradictis canonicis pono W. Dat. Giraudum Guillelmum de Cambelio.

f. quæ.

II.

Charta fundationis Caſæ-novæ olim collegiatæ, nunc deſtructæ.

IN Dei nomine Dominus Deus per ſuam miſericordiam dedit mihi Sancio Ato allodem Hermum qui eſt in comitatu Cominico, in terra quæ dicitur Bugiaco, & in illo loco qui dicitur Caza-nova. Et idem Dominus, qui prædictum locum dedit mihi, compunxit me in corde, & in anima mea, ut ædificarem domum Domini in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctæ Mariæ ejus genitricis, & ſancti Michaelis archangeli, & ita factum eſt; & miſit Dominus in cordibus noſtris, ſcilicet in corde meo & in corde uxoris meæ Bleskertæ, ut electionem faciamus in ipſo loco ad legem canonicam obſervandam, propter amorem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Et infra:* Ego Sancius Ato, & uxor mea Bleskerta damus ipſum alodem Domino Deo & eccleſiæ quæ vocatur ſancta Maria, cum ſignis & libris, & veſtimentis, cum calicibus & patenis, & cum omnibus ornamentis eccleſiaſticis; & ego dono terras & vineas, cultas & incultas, ſylvas & campos, ut ipſe alodis adjacentes habet in ſe. Montes adjacent juxta rivulum, ubi gutta cadit, quæ venit per quandam cumbam, & per quamdam viam, uſque in loco, & de illo loco venit in fouram, quæ eſt ſubtus vinea, & de ipſa vinea uſque ad illum faig, qui eſt in via, & de ipſo faig juxta ſilvam uſque in guttam currentem, & quomodo ſilva tenet alias adjacentias, ſcilicet duo rivuli, qui ambo junguntur in ipſo rivo qui dicitur Lubunenſi. Ego Sancius Ato facio hoc tali pacto, ut ſi intra illos canonicos ira aut diſcordia, aut ulla perturbatio venerit, non inter ſemetipſos concordent, vel ſi facere noluerint, veniat juſtitia a fratre meo Guillelmo & Odone filio meo, & illi diſtrictum faciant ut concordent per amorem Dei & vadium non accipiant, nec panem, nec vinum, nec aliquam rem, & ſi iſti defuerint, veniat ad Raimundum filium meum; & ſi omnes iſti defuerint, veniat ad illum qui propinquior eſt mihi in conſanguinitate ſi meliorem habeat ſapientiam & bonitatem, & illi canonici nullum ſeniorem habeant, niſi iſtos qui ſupra leguntur, & illi teneant hoc donum in perpetuum. *Et infra:* Facta charta in menſe Auguſti, in vigilia ſancti Hippoliti, luna XVI. regnante comite Rogerio, Petro epiſcopo, &c.

III.

Charta Rogerii de Nuro epiſcopi Convenenſis, qua cum fratre ſuo Bernardo de Monte-alto, dat S. Stephano Toloſano eccleſiam S. Martini de Nuro.

1141. *Ex archiv. epiſcopat.*

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ego Rogerius de Nur Convenarum epiſcopus, & frater meus Bernardus de Montald, & uxor ejus Dias, & filiorum Arnaldus Pontius, Govantius, & Iſarnus, pro remiſſione omnium peccatorum noſtrorum, donamus Domino & ſancto Stephano, & Raimundo epiſcopo, & Bernardo præpoſito, & omnibus canonicis ibi modo manentibus & futuris, eccleſiam ſancti Martini de Nur, cum omnibus ſuis pertinentiis, cum decimis & primitiis, cum altaris oblationibus, & cum omnibus eccleſiaſticis, ita totum & ad integrum donamus, ſicut melius nos & parentes noſtri tenuimus & habuimus; tali conditione, ut canonicus ſancti Stephani qui ibi fuerit, non inde projiciatur, niſi rebellis fuerit & inobediens. Dono inſuper ego Bernardus de Montald Domino Deo & protomartyri Stephano, cum ſupradicto honore, filium meum Odonem ad canoniam. Promittimus..... govarentiam facere de totis ..... ſive in ganno. Si quis autem temerario auſu hanc noſtram donationem infringere voluerit, cum Datan & Abiron inferno ſepeliatur. Facta charta menſe Auguſto, feria quinta, regnante Ludovico rege Francorum, & Ildephonſo Toloſano comite, anno Dominico MCXXXXIII. Hæc ſupra donatio fuit facta in capitulo ſancti Stephani, præſente domino R. Toloſano epiſcopo, Rogerio Convenarum epiſcopo, & P. Coſerannico epiſcopo, & B. præpoſito, & univerſo conventu hujus eccleſiæ. S. ** abbas Cumberenſis. S. Maurinus archidiaconus. S. Augerius archidiaconus. S. B. Arnaldi de capite Pontis. S. P. de Montald, & A. Pontius filius ejus. S. Petrus de Duraco, & Guillelmus dex.....

IV.

IV.

Charta Rogerii episcopi Convenarum pro Monialibus sancti Laurentii.

1151. Ex Bernon. S. Laurentii.

QUoniam quod fit vel dicitur ab oblivionis interitu scientium participatione defenditur, ideo scire volumus omnes tam præsentes quam futuros, quod dominus Rogerius vir Dei gratia plenus, & Christo annuente Convenarum episcopus, ad monitionem Dei & beatæ Mariæ Virginis, ac consilio suorum canonicorum, ut ordo exigit, omnia sua jura, quæ in ecclesia S. Laurentii ipse & prædecessores sui solebant habere, Deo & beatæ Mariæ, & sanctissimo ordini Fontisebraldi dedit, & absolvit in perpetuum, in manu prioB rissæ Boni-loci nomine Longæ-brunæ; & in manu dominæ Mille-scutorum, quæ commater sua erat. Hoc donum fuit factum coram domno Willelmo Auscitano archiepiscopo, regnante Ludovico rege Francorum, Raimundo comite Tolosano, Bernardo comite Convenarum, anno ab incarnatione Domini MCLI. Hujus rei sunt testes Arnaldus d'Alion archidiaconus, Willelmus Arnaldus abbas S. Fragulphi, Dulfor de Pegalla, Gallard de Scadous, & alii multi.

V.

Confirmatio fundationis sancti Laurentii per Arnaldum Rogerii episcopum Convenarum.

C

Ex archiv. S. Laurentii.

EVolutis quibusdam annis post excessum Rogerii, Arnaldus Rogerius in episcopatu successit, qui cum Willelmo Auscitano archiepiscopo conventum in novum monasterium sancti Laurentii imitlet cuncta per ordinem peracta, cum monialibus capitulum dilp sunt, & ut decet episcopum eas admonuit; ipse vero vir eruditus scire veritatem volen dom Rogerii, ab eis inquisivit; sanctimoniales autem verbo & litteris donum, ut Rogerius dederat, ostenderunt; ipse vero visis litteris, erigens se rogavit, ut sedulo pro prædecessore suo, pro se, pro successoribus suis, pro ecclesia matre suæ civitatis, & pro habitatoribus in ea funderent preces ad Dominum, ipsæ suas manus oculantes spoponderunt suam deprecationem observare, quippe donum prædictum firmaD vit coram Willelmo Auscitano archiepiscopo, qui hujus rei erit testis, & Dodo comes Convenarum, & Boandus Galan, Bernardus de Benco, & alii multi.

VI.

Testamentum Arnaldi Rogerii episcopi Convenarum.

Ex archiv. Boni-fontis.

NOtum sit cunctis, quia quando domnus A. R. quondam Conven. episcopus, ivit apud Montem Pessulani, postquam iter arripuit ab episcopatu suo, usque ibi reversus ad eumdem fuit per duos annos. Expensas quas fecit fuere computatæ pro unaquaque die XXV. solid. Turonensium. Comparavit etiam quatuor mulos pro mille solidor. Turonorum. Item duos palafredos pro quingenti. solidis Turonorum. Item R. de Clermont sacristæ Magalonæ habuit ab ipso unam mulam, quæ valebat cc. solidos Morlan. Item dedit magistro Petro Guaza ar sexcentos solido. Item dedit cuidam medico LX. solides. Item dedit A. Garcias cc. sol. Item dedit procuratori archiepiscopi, qui manebat in curia Romana, 50. solido. Item dedit generali capitulo Cisterciensi, ut fieret de ipso plenarium servitium per ordinem universum, duo millia solid. Item dedit abbatiæ Font-frigidi 100. solid. Item dedit abbatiæ Villalongæ 50. solides, & 200. quos debebat Fulliacensi Morlan. Item dedit abbatiæ Bolbonæ 100. solid. Morlan. Item dedit Calerseio 50. solid. Morlan. Item dedit Elnis 50. sol. Morlan. Item dedit Prædicatoribus seriatim 400. solid. Morlan. Item dedit fratribus Minoribus 50. solid. Morlan. Item dedit Petriniacho 50. solid. Bellæperticæ 50. solid. Grandi-silvæ, 100. solid. Portaiglou, 50. solid. Flarano 50. solid. Catæ-Dei, 50. solid. Berdonis 100. sol. Bono-loco, 50. sol. Amoineras 50. solid. Scalæ Dei, 100. solid. Sarancolin 60. solidos, Benedictioni Dei, 100. solid. S. Laurentio 100. solid. Favas, 100. solid. Agoion, 50. solid. Orason, 50. solid. Alongagges 50. solid. S. Cruci 50. solid. Coma Longa 50. solid. Fulliacenses 1000. solid. Canonici S. Bertrandi habuerunt valorem tria millia solid. Morlan. Canonici S. Gaudentii habuerunt 1000. & 500. solid. Lavacio 50. solid. Fontis-clari 50. solid. Monti-Salnario 000 solid. Dedit etiam capellanis diœcesis sui 2000. solid. Morlan in restitutione eorum quæ habuit injuste. Suæ familiæ dedit 1000. solid. qui dividerentur cuique sicut servierat; priori deu Mas 100. solid. quos debebat ei abbas Fulliacen. Insuper dedit domo Boni-fontis 2000. solidorum, ut pro anima sua d o presbyteri celebrarent sicut ordo concederet: & domo Fulliacensi mille ut unus sacerdos celebraret pro ipso, & domo Montis-salnarii mille pro alio, ut semper isti celebrarent pro ipso sicut ei concederet ordo. Hæc omnia supradicta fuerunt adimpleta præter 250. solid. Morlan, & decem sextaria frumenti, quæ fuerunt omputati in blado & in vino de Alano domo Boni fontis, quos etiam dominus comes Convenarum, & offi. ialis & Arnaldus de Baisog archidiaconus de Riparia promiserunt & dixerunt quia ipsi facerent persolvi domo Boni-fontis. Insuper computavit suis conquærentibus 1000. solid. Morlan. in redditibus S. Fragulfi, & 500. solid. in blado de Riparia & de Nestes; & ut hæc omnia essent adimpleta, dimisit testamentarium domnum comitem nepotem suum cum aliis testamentariis, & usque omnia sic completa teneat domnus comes redditus S. Fragulfi, de quibus omnia compleantur. Hæc omnia supradicta dedit, computavit dominus A. R. prædictus episcopus bonæ memoriæ non coactus, sed spontanea voluntate in vita sua, amore Dei, in remissionem peccatorum suorum; & sciendum, quia ista superius expressa, & alia quæ expendit domnus episcopus habuit de episcopatu, & de comitatu, & de domo Boni-fontis.

VII.

Privilegium Raimundi Arnaldi episcopi Convenarum concessum Dominico abbati Boni-fontis.

1205. Ex autogr.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi. Ego Raimundus Dei gratia Convenarum episcopus, intuitu justitiæ & pietatis, dono & concedo Domino Deo, & beatæ Mariæ Boni-fontis, & Dominico abbati & conventui Boni-fontis, præsenti & futuro, omnes decimas & primitias omnium nutrimentorum, & omnium laborum suorum, quos propriis sumptibus fecerint, vel facere potuerint, in omni decimario de Gonad. Hoc facio pro amore Dei, & pro eo quod dominus papa, & S. Romana ecclesia tori ordini Cisterciensi hanc facere indulgentiam jubet, ut laborum suorum quos propriis sumptibus fecerint, seu nutrimentorum, dare decimas a nemine coganur. Super has autem jam dictas decimas dominus meus papa Innocentius eidem Boni-fontis monasterio speciale privilegium dedit perpetuo valiturum. Si quis autem canonicus S. Stephani, honori meo succedens, huic meæ donationi vel concessioni contradicere voluerit, noverit quod domnus Bertrandus Tolosanus episcopus cum consensu & voluntate capituli sancti Stephani, retento sibi, & ecclesiæ annuali censu duorum solidorum Tolos. in synodo Pentecosten perpetuo possidendas monasterio Boni-fontis firmavit. Hujus donationis testes sunt Raimundus Garciæ canonicus S. Gaudentii & sacerdos, Bernardus de Cortinas, & alius Bernardus nepos ejus, ambo sacerdotes; Willelmus de Lozis sacerdos, & frater Arnaldus de Tersag, qui hanc cartam scripsit anno ab incarnatione MCCIII.

Digitized by Google

VIII.

G. episcopi Convenarum epistola ad S. episcopum Cæsar-Augustanum.

CHarissimo ac venerabili fratri S. Dei gratia Cesar-Augustano episcopo, atque universis S. matris ecclesiæ filiis ad quos præsentes litteræ pervenerint, G. Dei permissione dictus episcopus Conven. & monasterii Silvæ-majoris abbas salutem in domino Jesu-Christo. Cum a tempore quo villa Exeye per cultores fidei Christianæ a Sarracenis extitit acquisita, omne jus ecclesiasticum in ecclesiis, decimis, primitiis, oblationibus, & legatis defunctorum, & omnibus aliis per omnes terminos ejusdem villæ, concessione regum, voluntate & assensu prælatorum ad monasterium Silvæ-majoris, & monachos ejusdem loci plene, libere & quiete, & absque contradictione pertineat, & dictum monasterium omnia, prout superius diximus, continua possessione & libertate, per fratres & monachos suos tenuerit, & habuerit, salvo jure domni episcopi, & ecclesiæ Cæsar-Augustanæ, ne probi homines villæ Exeye, & alii parochiani occasionem habeant decimas vel alia jura ecclesiastica retinendi, in perniciem & damnationem animarum suarum, & malignandi contra priorem & fratres ejusdem loci, & subtrahendi jura sua, quod non posset fieri sine periculo excommunicationis & anathematis eorumdem: & ut divina officia cum majori solemnitate, & devotione, ac honestate, & puritate, populo ministrentur, utile visum est, & expediens pro salute animarum, & tranquillitate corporum quod in domo de Exeya sint XVI. præbendarii, scilicet VIII. presbyteri, IV. diaconi & IV. subdiaconi, in missis & aliis divinis officiis in ecclesiis Exeye Deo devote & humiliter in omni honestate clericali jugiter servientes; quorum quidam ad mandatum domni abbatis de Silva, vel prioris Exeye, de mandato domni abbatis quos magis idoneos viderit, deserviant in capellaniis, & ministrent populo, & quando mandaverit cessent, & alii in eisdem officiis subministrent. Et illi, & alii, quando viderit prior expedire, ad ordines non differant promoveri. Quod si quisquam ex ipsis inobediens fuerit vel rebellis, & ammonitus non destiterit, aut si fur aut sacrilegus aut homicida, vel cum aliqua contraxerit, aut si militiam sumpserit, cum tales a ministerio altaris a sanctis patribus & canonicis sanctionibus arceantur beneficio sibi collocato, & præbenda careat. Si vero publice concubinam tenuerit, ammoneatur semel, & secundo; & si non emendaverit, careat præbenda. Vel si aliquis ex istis decesserit, alter ad mandatum domini abbatis a priore Exeye infra annum, qui idoneus & ordinatus sit, subrogetur. Supradicti vero rationarii cum recipientur ad præbendam, fidelitatem & obedientiam & quod prædicta diligenter observent, super sacrosancta evangelia juramento firmabunt; & quod de cetero priori & domui questionem aliquam non movebunt, sed semper devoti & fideles erunt, & quod decimæ & alia jura ecclesiastica a consanguineis & aliis parochianis integre persolvantur, fideliter procurabunt: bona & hæreditates quas acquirent, postquam præbendam habuerint, priori & domui post obitum suum plene relinquent, pueros vel servientes non ducent secum ad mensam, cum in domum venerint ad edendum; quod vero remanserit, claviger prioris accipiat, & Christi pauperibus distribuat; quantitas panis & vini secundum quod consuetum est hactenus, dictis præbendariis ministretur, scilicet XVI. clericis I. ar. tritici, vel oblatas juxta hunc modum vel pondus, a festo S. Michaëlis usque ad natale Domini, duobus clericis quartam vini, a natale Domini usque ad festum S. Michaëlis, tribus clericis quartam vini, in diebus Dominicis, Martis, Jovis, octo clericis unum quartum de carnero, & si alias carnes dederit, secundum hunc modum, a Pascha usque ad festum S. Johannis-Baptistæ dabit eis carnes agninas, tribus clericis unum quartum cum carnibus porcinis; diebus autem Lunæ, Mercurii & Sabbati unum ferculum cum caseo paratum, in VI feria unum ferculum cum oleo paratum, in Quadragesima & in Adventu duo fercula cum oleo parata: Dominica in Passione Domini, & in Ramis Palmarum, & in die Cenæ, dabit eis pisces; in præcipuis festivitatibus, scilicet natali Domini, Epiphania, Purificatione, Dominica carniprivium, Pascha, Ascensione, Pentecosten, assumptione S. Mariæ, nativitate ejusdem virginis, festivitate omnium sanctorum, Dominica adventus Domini, dabit eis duplas carnes; si festivitas XII. apostolorum in die Lunæ vel Mercurii advenerit, dabit eis carnes sicut in privatis diebus. Si contentio fuerit de vino, stet in arbitrio duorum bonorum virorum, quos prior elegerit. Si autem extra domum comedere voluerint; dabit eis panem & vinum & nihil aliud; qui vero ad matutinas non surrexerit, careat vino illo die. Nullus clericorum est recipiendus, nisi prius in subdiaconatus ordine promoveatur, & sit de legitimis natalibus ortus. Carnes non sunt comedendæ clericis die sabbathi, aliquo occurrente festo nisi sola Domini nativitate; sexta similiter feria quamvis festum sit, excepto natali, non sunt dandi nisi cibi quadragesimales; verum si contigerit, quod absit, propter tempestatem vel sterilitatem, fructus terræ in eadem villa deficere, vel si villa interdicta fuerit, parcatur domui quousque ad statum redeat assuetum. In fine quidem concludimus, quod si populus Exeyæ decimas, & alia jura ecclesiastica, secundum quod tenetur, priori & fratribus fideliter solverint, & clerici qui præbendarii constituentur, ita prout supra dictum est juraverint & observaverint, ne nos, nec priorem & domum supradictam ulterius molestaverint, hæc sicut expressa sunt volumus observari. Alioquin nec nos, nec successores nostros in posterum obligamus, sed abbas & conventus Silvæ-majoris faciant & statuant de ecclesiis suis, prout viderint expedire.

IX.

Notitia fundationis Fr. Prædicatorum sancti Gaudentii.

ANno Domini 1292. in capitulo provinciali Brivæ celebrato, in festo assumptionis B. Mariæ, fuit approbatus locus FF. Prædicatorum S. Gaudentii. Sequentes autem fratres fuerunt ibi per dictum capitulum assignati, prior frater Bernardus de Campo, de Insula domini Jordanis, tunc lector in conventu sancti Æmiliani, & alii septem sacerdotes, cum duobus laïcis fratribus ante approbationem dicti loci fuerunt in Barrio Bigordano per biennium . . . in crastino Purificationis beatæ Mariæ fuit emptus locus de la Planqueta, ubi nunc est conventus, qui quidem locus erat prius despectus, & magnæ diffamationis, & nunc cooperante Domino factus est locus ædificationis. 1292. *Ex chartis fratrum Prædic. S. Gaudentii.*

Anno domini MCCLXXXXIV. *sede Convenarum vacante anno nono* electo domino Arnaldo Mascaronis canonico sancti Stephani de Tolosa die Lunæ ante festum sanctæ Potentianæ virginis, scilicet XVI. cal. Junii, venerabilis vir domnus Raimundus de Caudaraſa episcopus Tarbiensis consecravit cemeterium in loco de la Planqueta. 1294.

X.

Guillelmus de Hispania episcopus Convenarum, 4. capellanias fundavit in ecclesia S. Fragulfi.

ANno Domini MCCCLXXXII. XXII. Maii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini domini Clementis divina providentia papæ VII.* dominus Guillelmus de Hispania episcopus Convenarum in ecclesia sancti Fragulfi suæ diœcesis Convenarum quatuor capellanias seu beneficia perpetua constituit, & de novo creavit, quarum duas de suis propriis facultatibus, reliquas duas ex possessionibus, atque bonis non- 1382. *an. v.*

nullorum obituum ab antiquo per certos teſtatores in eadem eccleſia ordinatos dotavit, quos obitus certis, juſtis & rationabilibus cauſis ſuum animum moventibus, poſtremis duabus capellaniis, auctoritate ſua ordinaria univit & annexavit, de voluntate pariter & conſenſu conſulum & bajulorum confratriæ SS. corporis Chriſti, quarum duarum capellaniarum dicti conſules, & bajuli ſunt patroni, & aliarum duarum dominus qui erit pro tempore loci de Monteſpan, erit pariter patronus, & omnes conferentur per epiſcopum Convenarum ad præſentationem dictorum patronorum.

XI.

Charta fundationis Boni-fontis.

1136. ANno Dominicæ incarnationis MCXXXVI. Lodoico rege Francorum feliciter regnante, archiepiſcopo Auxienſis eccleſiæ cathedræ præſidente *, Rogerio quoque epiſcopo populum Convenarum Dei providentia regente, necnon & Bernardo provinciæ ejuſdem comite, domina Flandrina de Montepeſato, & tres filii ejus dominus Bernardus, & dominus Fortanellus, atque dominus Willelmus locum Boni-fontis, patrimonium ſcilicet ſuum Domino Deo, & beatæ Mariæ atque ordini Ciſtercienſi, domino ſcilicet Walcherio abbati Morimundi, miſſiſque ab eo fratribus ineffabilem Dei retributionem ſolum conſiderantes donaverunt. Donaverunt autem illum cum ſumma devotione per manum ipſius domini Rogerii epiſcopi jure perpetuo poſſidendum cum notiſſimis terminis. Terminos autem illos Calveſii de ſancto Cano atque Martinus fratribus prædictis diligenter deſignarunt, qui ſic confirmati atque conſtituti ſunt hoc modo. A quercu Geneſcher uſque ad rivulum in longitudine. In latitudine autem a rivo de Brumanier uſque ad guttam de la Semera, & a rivo deſcendente de ſancto Cano, ſecundum quod porrigitur in longitudine ſaltus de Sarheleirin, uſque ad rivum de Brumanier ſupradictum. Sunt autem termini iſti de S. Cani finibus, infra quos & dominus Willelmus de Montepeſato, fratre ejus domino Ademaro laudante, quicquid ſuum inveniebatur, epiſcopo præſente cum devotione donavit. Homines vero ruricolæ univerſi, qui infra hos eoſdem terminos poſſeſſiunculas, atque artigalia poſſidebant, fuerunt Calveth & frater ejus Forto, Martinus Raimunath, Raimundus Galinus, Audiardis, Raimundus Delfoſſat & fratres ejus Guillelmus, atque Atho; qui omnes non ſolum a fratribus, verum ab epiſcopo requiſiti donaverunt per manum ipſius quidquid ſuum fuit infra univerſos terminos iſtos ſupradictos, tam in ſilvis quam in agris, nihil penitus retinentes, præter Martinum Calveth & Raimundum Delfoſſat. Hic namque Raimundus medietatem ſibi retinuit, Calvetus vero totum præter tria jugera. Willelmus quoque Delfoſſat uſum fructuarium annis quatuor tantum ſibi retinuit, & nihil omnino aliud. Ex altera vero parte quæ pertinet ad Mezons, dominus Bernardus de Montepeſato, & uxor ejus Splandia, & dominus Willelmus nihilominus de Montepeſato, fratre ejus Ademaro laudante, quos etiam ſupra nominavimus, donaverunt tertam cujus terminum dilatantur hoc modo. A termino Cucumace uſque ad terminum rivalis in longitudine. In latitudine vero a Mala uſque rivulum. Dederunt autem eam devote, confirmaveruntque domui in poſſeſſionem perpetuo habendam, per manum ipſius domini Rogerii epiſcopi. Terminos autem iſtos monſtraverunt prædictis fratribus Atho de Mezons, qui cognominabatur Pedebo & Calvetus de S. Cano, qui & ſupradictos monſtravit. Infra iſtos vero terminos Raimundus Volen de Caſtello, & filii ejus, & fratres, corrigiam unam poſſidebat, Martinus de Mezons duo artigalia, Willelmus quoque de Mezons unum artigale. Qui omnes epiſcopo interveniente nihilominus donaverunt totum per manum ejus nihil omnino retinentes. Infra vero univerſos iſtos terminos ſupradictos, dederunt etiam decimas nihilominus per manum epiſcopi domina Flandrina de Monte-peſato, & tres filii ejus. Ipſa ſcilicet quæ locum donavit, totum quod ſui juris erat in decima, & dominus Willelmus de Monte-peſato ſimiliter totum quod habebat vel habere debebat in decima, fratre ejus domino Ademaro laudante, & Calvet etiam confirmante, qui pro domino Guillelmo eam colligebat, & de eo in pignore habebat. Hæc in finibus S. Cani. Dominus vero Willelmus Delaroſoit in finibus de Mezons.

Hæc omnia omnes ſimul prædicti donatores devote, domino Rogerio epiſcopo ſuggerente atque intervenente, Deo & ſanctæ Mariæ, & prædictis fratribus a domino abbate Morimundi miſſis pro redemtione animarum ſuarum donaverunt, & ut participes ſint omnium orationum ibidem in perpetuum, hoc eſt in domum Bonifontis Deo ſervientium. Et ne de his omnibus, ut definita ſunt, nobilis ſive innobilis quidpiam eventilare vel inclinare præſumat, convenientiſſimis teſtibus roboravimus, quorum primus eſt epiſcopus ipſe Rogerius, qui locum ipſum ſemper rebus atque conſilio manutenuit Secundus vero Raimundus archidiaconus, tertius Raimundus, quartus & inſuper prædicti donatores, & multi alii probi homines.

Item de ſecundo eorumdem aliorumque militum ſupplemento.

Igitur cum loci anguſtia atque gravi inedia (nam radicibus herbarum & foliis arborum ibidem diu vixerunt) domum virgultis, & quibuſdam ſermentis omnia officina, ut mos eſt, abbatiæ conſtructa, tandem inviti licet invicti deſeruiſſent, Dei gratia providente & domno Rogerio jam dicto epiſcopo ſatagente regreſſi ſunt ſupradicti ad priora tuguria, quæ veluti mapalia de talibus quibuſlibet rebus, ut diximus, texuerant; nihil enim intereſt utrum lapide vario, an vili tegerentur culmo. Ad illa, inquam, tam ampla & ſpacioſa habitacula, quæ vix ad ſtaturam unius hominis in altitudine porrigebantur, cum patre ſuo atque paſtore Baſino, ſcilicet abbate, feliciſſimis actibus invidus exſtitit inimicus. Hunc quippe domnus Morimundi eis dederat in patrem apud Inſtared, quem locum abbas Scalæ-Dei Bernardus in territorio de Aſtarath, eis contulerat pro abbatia. Sed venerabilis jam dictus epiſcopus omnino ... veri luminis, condolens populum ſuum fruſtrati tanto lumine religionis, ſæpenumero nunciis miſſis atque remiſſis, & etiam ipſis religioſis viris, quaſi quibuſdam illatis injuriis, tandem reduci Dei gratia vix compulit, atque obtinuit ad ſuperiora regredi loca, ubi prioribus atque aliis inſuper dominis congregatis priorem * donum confirmaverunt per manum ejuſdem epiſcopi, confirmantes cum ſumma devotione amplificaverunt, nihil ſibi penitus ſub terminis notiſſimis, atque infra ſuppoſitis retinentes, ſicut ſub chirographo tunc in præſentia domni epiſcopi, & omnium exarato ſuppoſitum eſt.

* *f.* domum. *vel leg.* priori.

XII.

Notitia de fundatione B. M. Boni-fontis ordinis Ciſtercienſis.

1137. NOtum ſit omnibus filiis ſanctæ eccleſiæ, quod anno Dominicæ incarnationis MCXXXVII. Lodoico rege Francorum, & Rogerio epiſcopo Dei providentia populum Convenarum regente, & Bernardo ejuſdem providentia comite, Flandrina uxor Gaufredi de Monpeſad, & filii ejus Bernardus, Vvillelmus, & Fortanellus partem de honore S. Cani abbati Morimundi, fratribuſque ab eo miſſis jure perpetuo poſſidendam cum certis terminis donaverunt. In longitudine a quercu Geneſcher, & a termino Mornerii uſque ad guttam de Lamoreret. In latitudine vero undique a gutta de Laſala, & a rivulo de Brumanier uſque ad guttam de Laſembere, & totum Eſſart Lobi, & totum Boſartiga in boſco, & in campo, undique uſque ad prædictam guttam de la Moreret, & uſque ad extenſionem rivulo-

Digitized by Google

rum. Milites alii qui infra prædictos terminos habebant, Pontius videlicet de Montpezat, & filii ejus Raimundi, Garsias & Willelmus, & frater ejus Ademar, necnon & ruricolæ sancti Cani, Calvet, & frater ejus Forto, & Raimonez, & Raimongalin, & Raimonbonet, & cognatus ejus Sancius & Altiard, & Willelmus Francus, & frater ejus Arnaldus & Martinus & Willelmus Delfossat, & frater ejus Raimundus & Atto. Isti omnes non solum a monachis & ab episcopo requisiti; verum etiam & a dominis suis ammoniti totum dederunt infra terminos prædictos, tam in silvis quam in agris, nihil penitus retinentes. Ex altera vero parte quæ pertinebat ad Medos in longitudine, scilicet a termino Cucumache usque ad terminum rivalis, in latitudine vero undique a via forensi usque ad rivulum donaverunt Bernardus de Montpezat, & uxor ejus Splandia, & Villelmus de Montpesat, & filia ejus Stephania, & Raimundus Bola de Castellu, & filii ejus, & frater, & consanguinei ejus Raimonat & Willelmat, & Petrus Faiæ, & Raimon Faiæ, & Martinus de Medos, & Willelmus, & consanguinea ejus Gasen, & Willelmus magister, & Ezo Pedebon. Isti omnes totum dederunt devote, confirmaveruntque monachis jure perpetuo in possessionem infra prædictos terminos nihil omnino retinentes. Tres vero de istis quos prædiximus, scilicet Ezo qui dicebatur Pedebon, & Martinus de Medos, & Calvet de S. Cano, rogatu & jussu dominorum monstraverunt monachis terminos prædictos, & consignaverunt in finibus sancti Cani & in finibus de Medos. Decimas vero vel redditus fratres Cistercienses ordinis quia non accipiunt, ne quis ab eis peteret vel acciperet, papa Innocentius interdixit. Quod privilegium prædictus episcopus Rogerius laudans, domuique Boni-fontis confirmans, in episcopatu suo ubique observari præcepit. In finibus vero sancti Cani has decimas dederunt in manu episcopi Rogerii & monachorum domina Flandrina, & filii ejus Willelmus de Montpesat, laudante fratre suo Ademar & Calvet de S. Cano; in finibus autem de Medos dedit Raimundus Willelmus de Laredorta. Et ne de his omnibus ut definita sunt, nobilis sive innobilis quippiam minuere aut eventilare vel inclinare præsumat, & ne pastorum caulæ infra prædictos terminos fierent, neque domus propinquius ædificaretur, neque sine monachorum consilio nemus scinderetur, neque herba secaretur, & ut domus & res domi Boni-fontis in quantum possent custodirentur pro se & pro aliis fideliter in manu episcopi & abbatis mandaverunt prædicti milites, Bernardus videlicet, & fratres ejus, & Raimundi Garsias, & Ademar, & filii ejus, & nepos ejus Enardus. Horum omnium quæ superius dicta sunt testes sunt ipse episcopus Rogerius, cujus consilio & in manu facta sunt, & Raimundus archidiac.

XIII.

Bulla Alexandri papæ III. Petro abbati Boni-fontis directa.

1164. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Petro abbati monasterii Boni-fontis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in præfato monasterio religiosis votis annuere & ea operis exhibitione complere, officium nos invitat suscepti regiminis, & ordo videtur exigere rationis. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri firma protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam atque Cistercienſium fratrum institutionem in vestro monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exponenda vocabulis. Locum ipsum in quo abbatia sita est a quercu Genitheo usque ad rivulum de Manirera, ab Aguna de Silveyra usque ad cacumen montis sancti Canii, ut recta linea vadit ad Exarlobin, totum locum de Exarlobin, abbatiam de Bolbona, cum grangiis & omnibus pertinentiis suis; abbatiam de Caritate, quæ Foleus dicitur, cum grangiis & omnibus pertinentiis suis; abbatiam de Campania cum grangiis & omnibus pertinentiis suis; terram de Bosarrigua; totam terram de Cugurra, de Silva, de Silveyra, de Medas, de Grah, de Morters, de Osan, de sancta Maria, de Seih; ecclesiam de Seih, cum omnibus pertinentiis suis; locum de Labbatut, totam terram de Marera; locum de Sol; Aldemari de Castaus, totam terram de Gorald Cuguravel, totam terram de Ruera; domum Arnaldi Bon g de Casanova, de Ardinag, de Rochan, de Villanova; terram de Luha; terram Rogeri de Senadors, de Castanha-bella; grangiam de Nodas, cum pertinentiis suis; terram de Sedni; grangiam de Canet, de Carbona, de Riulan, de Laisla, de Querelag, de Borgal, de Rua, de sancto Laurentio, cum omnibus pertinentiis suis; grangiam de Bonemayso, de Minag; totam terram alterius Minag, cum omnibus pertinentiis suis, totam terram de Quint, cum omnibus pertinentiis suis, domum comitis Convenarum de Salvetat S. Egidii; grangiam de Las, cum omnibus pertinentiis, totam terram de Spinaira, casale de Sagara, cum omnibus pertinentiis suis; Boseus cum omnibus pertinentiis suis; hospitale de Boseus, cum omnibus pertinentiis suis; Pentengens, cum omnibus pertinentiis suis; grangiam sanctæ Fidei, cum omnibus pertinentiis suis; Eftivam de Semeitra, cum omnibus appendentiis, de Rivo majori, cum omnibus appendentiis suis; donum de pascuis comitis Convenarum Enardi de puretis Galardæ uxoris ipsius, Bernardi de Turre, Bernardi de Montald, Ramundi Guillelmi de Beura, & fratrum ejus, sive laborum vestrorum, quos propriis manibus vel sumptibus vestris, sive de nutrimentis vestrorum animalium ultimas aut primitias a vobis nullus præsumat exigere, adjicientes etiam auctoritate apostolica interdicimus, ut quis fratrum vestrorum clericus sive laicus, post factam in vestro monasterio professionem absque vestra licentia suscipere audeat vel retinere; paci quoque & tranquillitati vestræ paterna solicitudine providentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuram locorum, sive grangiarum vestrarum nullus violentiam vel rapinam, sive furtum facere, vel honorem capere audeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri J. C. aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud districtum judicem præmia æterna pacis inveniat. Amen. Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus. † Ego Hebaldus presbyter cardinalis tituli sanctæ Crucis in Hierusalem. † Ego Johannes presbyter cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ. † Ego Eguillinus tituli sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis. † Ego Arnaldus Hostiensis episcopus. † Ego Bernardus Portuensis & sanctæ Rufinæ episco-

pus. † Ego Galterius Albanenſis epiſcopus. † Ego Hia- A cynthus diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Co medin. † Ego Ortho d[illegible]nus cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano. † Ego Ardito diaconus cardinalis ſancti Theodori. † Ego Biſi diaconus cardinalis ſanctorum Coſmæ & Damiani. † Ego Cynthius diaconus cardinalis ſancti Adriani. † Ego Raimundus diaconus cardinalis ſanctæ Mariæ in Via-Lata. Datum apud Monti, eſſulanum per manum Hermani ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconi & notarii XII. kal. Auguſti, indictione XIII. incarnat. Dominicæ anno MCCXIV. pontificatus vero domini Alexandri papæ III. anno VI.

Cum ſigillo dicti domini pontificis.

XIV.

Bernardus comes Convenarum hominium præſtat abbati Boni-fontis. B

1313. Ex autogr. ſubb.

NOverint univerſi quod egregius vir dominus Bernardus Dei gratia comes Convenarum apud caſtrum de Stella Convenarum diœceſis perſonaliter conſtitutus in præſentia venerabilis & reverendi patris in Chriſto domini fratris Arnaldi Raimundi de ſancto Paulo, Dei gratia abbatis monaſterii Boni-fontis ejuſdem diœceſis, Ciſtercienſis ordinis, ſua ſponte recognovit & abonavit domno abbati prædicto, & monaſterio ſuo pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, & vice, & nomine, & loco conventus dicti monaſterii recipienti ſe habere & tenere ad feudum dictum caſtrum de Stella, cum terris exiſtentibus infra pertinentias dicti loci, uribus & dominationibus ſuis quantum ad medietatem pro indiviſo, & quod C pro dicta medietate pro indiviſo ipſe dominus comes fuit & eſſe conſuevit feudatarius & vaſſallus monaſterii prælibati, ſui etiam anteceſſores eſſe conſueverunt recognoſcendo & abonando dicto domino abbati nomine quo ſupra caſtrum prædictum cum ſuis terris & territoriis & pertinentibus dominationibus ſe habere & tenere ad feudum militare, quantum ad dictam medietatem pro indiviſo a domino abbate prædicto, & monaſterio ſuo prout in pariagio olim facto ſuper caſtro prædicto & territorio & terris, & pertinentibus dominationibus dicti caſtri inter dominum abbatem qui tunc erat plenius & melius dicitur contineri. Comes flexis genibus & junctis manibus, & præſtando oſculum domino abbati prædicto, nomine quo ſupra, fidelitatem tenere & perpetuo inviolabiliter obſervare quod vaſſallus tenetur facere domino ſuo pro feudo militali præſtans & ſolvens dominus comes ibidem & in præſenti, & ex cauſa recognitionis & abonationis prædictæ, quinque ſolidos Toloſanos pro quinque ſolidis Morlanis, & unum aureum, in quibus ſeu in quo tenebatur domino abbati pro recognitione & abonatione prædicta, recognoſcens etiam dictus comes ſe tenere de jure ad faciendam recognitionem & abonationem prædictam, ex cauſa prædicta domino abbati prædicto & ſucceſſoribus, juxta pariagium memoratum, & ipſius continentiam & tenorem. Hoc fuit factum in caſtro de Stella die Martis poſt feſtum Paſchæ Domini, an. ejuſdem MCCCXIII. regnante Philippo rege Francorum, Gaillardo epiſcopo Toloſano, & B. Convenarum epiſcopo. Hujus rei ſunt teſtes Gaillardus de Cirh domicellus, dominus Petrus Gros de Martres miles, &c.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM ADURENSEM SPECTANTIA.

I.

Diploma Willelmi Sancii Vaſconiæ comitis, pro fundatione Monaſterii ſancti Severi in capite Vaſconiæ.

Edidit primus D. Cl. Vernac de Marca Hiſt. Benearn. l. 3. c. 8.

PRæ oculis indeſinenter habere ſummum Deum, boramque extremam noviſſimumque diem in mente habere, & ſectari quique mortalis debet juſtitiam, ut evadat tormenta pravorum, & perveniat ad præmia juſtorum, quo nullus miſer admittitur, nullus felix excluditur, pati omne quod triſte eſt, facereque omne bonum digniſſimum eſt. Idcirco ego Willelmus Sancius comes cogitans dies antiquos & annos æternos, pertimeſcens futurum examinis judicium, pro ſalute remedioque animæ meæ, ſeu propter ſtabilitatem, pacemque totius regni noſtri, & ut Deus omnipotens traderet oblivioni mea flagitia, meorumque parentum, neque ſumeret vindictam ex ipſis flagitiis, decrevi honorare Deum, locaque ſanctorum, ex his quæ mihi tribuit. Occaſio autem hujus meæ intentionis hæc eſt. Quædam gens nefanda Normannorum a proprio ſolo egreſſa, in iſtis noſtris finibus eſt evecta, cupiens depopulare prædarique terras, quas mihi Deus jure hereditario tradere dignatus eſt. Ut autem me Deus eriperet a ſceleratiſſimorum hominum manibus, inſurgentium contra me facere bellum, genu flexo ante tumulum beatiſſimi martyris Severi..... quatenus me ſua interceſſione tueretur, & ſicuti quondam rex hujus patriæ Adrianus poſt reintegrationem corporis ſui, regnum, & ſe totum præfati martyris ſubmiſit ditioni, eodem modo ego tibi reliqui omnem patriam ditioni noſtræ ſubjectam, ſi victoriam potitus fuiſſem, devovi, & in omnibus famulari Chriſto, ſanctoque martyri Severo, & pro parva eccleſia magnificum & celebre monaſterium me conſtructurum promiſi. Poſt actum votum meum, nefandiſſimam turbam aggreſſus, & idem glorioſiſſimus D præfatus martyr, quem in auxilium prærogaveram, cum equo albo, armiſque ornatus præclaris apparuit, proſternens ac multa millia nefandorum ad clauſtra tartari tranſmiſit. Ad ultimum ultimam victoriam potitus, ſicut voveram ſtudui peragere: accerſitiſque militibus qui poſſidebant illum ſacratum locum, precabar, ut ſanctum cum prædio venderent mihi. Illi vero reſiſtebant nolentes vendere locum francum, & ab omni cenſu liberum. Super hæc reiteratus, perhibebam locum in alodio caſtri mei eſſe. Tandem complacuit illis judicium facere in aqua frigida. Ventum ad horam diei, nolens hujus rei victus videri, miſi meam uxorem cum meis filiis, cum epiſcopis, & ſenioribus, atque cum principibus totius Vaſconiæ, & vicinorum comitatuum, qui in circuitu terræ iſtius ſunt; ego remanens in caſtro. Cum vero jam adeſſet hora, ut parvulus ab epiſcopo mergeretur in aquam, cum primum eſſet cœli ſerenitas, ut nulla in aëre nubes appareret, tantæ corruſcationes, ac tonitrua de cœlo ſunt emiſſa, ut vix omnes qui aderant, fulminum ictibus evadere ſe crederent, fugientes ad parvam eccleſiolam ſancti Germani illæſi. E Poſt hæc ad me convenientes, & perturbantes me ignorantem eventum rei, diligenter tractans cum ſapientibus, qui tunc forte mecum aderant, multum mirabar ſuper his miraculis quæ acciderunt. Iſti vero ſapientes inquirebant, ſi ſancti Severi geſta vel paſſionem haberent ſcriptam. Inventum eſt a legentibus, qualiter illud monaſterium fuerat conſtructum, & qualiter a Francigenis hominibus hoſtibus fuerat deſtructum. Qua de cauſa emi locum ab illis, cum omnibus ad ſe pertinentibus, dando illis trecentos ſolidos duo denarios argenti, quadraginta quinque vaccas, cum multis rebus aliis. Cupiens itaque, ſicuti primitus devoveram, inibi famoſiſſimum monaſterium conſtruere convocavi archiepiſcopos Auſcenſem & Burdegalenſem, & cunctos epiſcopos qui ſub mea ditione erant, ſeniores cum totum comitatuum, ſcilicet Vaſconorum, Begorrenſium, Bur-

Digitized by Google

degalenſium, Agennenſium, Fezacenſium, ſive Lactoracenſium; ſtatui liberratem atque conſtructionem tali modo. Ego Willelmus Sancius comes, qui hunc locum ædifico in honore ſancti Salvatoris, ſanctique principis apoſtolorum Petri, atque in honore præclari martyris Severi, hanc cartulam manu propria roborare decerno, conſenſu Urracæ conjugis meæ ex regia ſtirpe procedentis, faventibus filiis Bernardo atque Sancio. Interdicens ex auctoritate Dei omnipotentis, ſanctique principis apoſtolorum Petri, cui vice Chriſti conceſſa eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, atque auctoritate omnium ſanctorum, necnon ex auctoritate ſanctæ Romanæ ſedis, ipſiuſque antiſtitis, cum confirmatione archiepiſcopi Auſcenſis, necnon archiepiſcopi Burdegalenſis, epiſcopi Agennenſis, Vaſconenſis, Vazatenſis, Begorrenſis, ſeu Lactoratenſis, cum conſenſu omnium comitum, procerumque totius Vaſconiæ, ut nullus archiepiſcopus, nec epiſcopus, nec ego ipſe, nec filius meus vel nepos, neque pronepos, aut ſtirps, aut ſucceſſor, aut propinquus, aut extraneus, nec aliqua potens perſona, neque aliquis ex parentibus noſtris, ut dixi, vel ex noſtris conſanguineis futuris, per multorum curricula temporum, nullus clericorum, aut laicorum, nobilium vel ignobilium præſumat de redditibus, rebus, vel cartis monaſterii, vel de cellis, vel de villis, vel eccleſiis, quæ ad eum pertineant, quocumque modo, & occaſione movere, vel dolos, vel immiſſiones aliquas facere, nec in hoſtem, nec in caballicationem eſſe ductores, milites vel pedites: non in foro, aut in mercato, de pertinentibus ipſi ſacratiſſimo loco, quiſquam judicium capiat, vel in appendentiis ejus aliquam calumniam facere præſumat, in aquis, in ſilvis, in pratis, in landis, in piſcationibus, in penetis ſeu in vineis, nec receptum inde per vim, nec cenſum aliquem quærere, nec clericos in eccleſia villarum præfati ſancti jure poſſidentes, ullus audeat moleſtare, vel de his omnibus quæ ipſe ſacratiſſimus locus acquiſitis datis, vel acquirendis acquiſierit. Nullus epiſcoporum aut laicorum inibi ſervientibus de receſſibus eorum, receptaculis, ulla populandi præbeatur occaſio. Nec in præfato loco quiſquam epiſcopus cathedram audeat collocare, quamlibet licentiam habeat imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis leviſſimam faciendi, niſi cum permiſſu, & voluntate abbatis ipſi ſacro loco præſidentis, ſed ſint omnibus modis liberi, & abſque ulla alia calumnia, & inquietudine ſecuri. Omnes vero epiſcopi qui modo adſunt, vel qui in perpetuum futuri ſunt, ibi hoſpitari non audeant, nec cenſum aut tributum aliquod requirant, abſque voluntate præfati ſummi abbatis. Inſuper omnem decimationem meæ ſubſtantiæ panis & vini, & quidquid decimari oportet contrado. Abbatemque, dominumque loci iſtius his præficio nomine Salvatorem, ſanctiſſimum & ab omnibus laudabilem, & fratres ſub eo degentes, a quibuſcunque partibus advenerint, quantopere ſociari voluerint monaſterio, ſtabilio & confirmo. Abbatem autem habere fratres non per munus aliquod, nec per vitium, nec per favorem, neque per adulationem, ſed ſecundum ordinationem ſancti Benedicti impero; ſanctoque Petro ſingulis annis quinque ſolidos Romæ, abbati ſolvere moneo. Omnes etiam eccleſias in omnibus meis comitatibus quos modo integre & ſincere, abſque ullo cenſu immunes trado. Sed & omnes quæ a me cuicumque hominum contributæ ſunt, poſt mortem illorum qui nunc tenent, ad ſacratiſſimum locum revertantur: ſed & eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ dicitur de Solaco, vel de finibus terræ, quam Bono filio in beneficio dedi quamdiu viveret: poſt mortem autem ejuſdem præfatam eccleſiam trado ſancto Petro & dicto monaſterio, conſentientibus Gaſſelino, & Aſſelino filiis ejus primitus calumniantibus, ſed & poſtmodum a me dato pretio libentiſſime annuentibus. Item dono eccleſiam ſancti Genii confeſſoris, ubi ſua ſacrata oſſa tumulata jacent, ubi abbatiam fieri juſſi, ſub regimine abbatis præfati loci. Ad ultimum trado caſtrum Palæſtrion, cum omnibus appendentiis ſuis, & omni pertinentia, in ſilvis, in pratis, & in villis, in landis, in aquis, in pinetis, & in vineis cum omnibus militibus, ſeu armicolis. Omnia etiam concedo quæ ſunt inter duos fluvios, ab Alpheano, qui modo vocatur vulgo Aturris, uſque ad Gavaſenſem, ſtabilio, decerno, confirmo, delego, trado ego Guillelmus Sancius cum hac tabula auro, argentoque pulchre ornata, principi apoſtolorum S. clavigero Petro, necnon glorioſiſſimo martyri Severo; imprecans omnes maledictiones, quæ ſcriptæ ſunt in veteri teſtamento ſuper eos venire, qui huic ſacratiſſimo loco obſtiterint. Si quis autem epiſcopus præpotens, ſive ex noſtris parentibus, conſanguineis, majores aut minores quælibet perſonæ, ſive ſit vir, ſive mulier, ex his tentaverit minuere, ex Dei omnipotentis auctoritate, necnon omnium ſanctorum, auctoritate apoſtolica S. Petri, necnon pontificis ſanctæ ſedi præſidentis, ſit excommunicatus ab omni congregatione Chriſtianorum ſeparatus, paſque eorum ſit cum Iſcharioth, cum Dathan & Abiron, quos terra vivos abſorbuit; pereantque cum Juliano apoſtata, perditoque Daciano; ſint damnati cum Nerone, & mago Simone, ardeantque ſine fine maledicti, cum diabolo & angelis ejus in igne & ſulphure, in ſecula ſeculorum. Amen, fiat fiat. Poſt actum malum, ſi quis ad ſatisfaciendum venire voluerit, perpetrata mala, ſive damnum quod intulerit, in quadruplum reſtituat, ſeptemque libras auri monaſterio tribuat. Et quia eumdem locum tradidimus ſanctæ apoſtolicæ ſedi, pedibus nudis illuc adeat, & litteras a præſule Romano ſuſceptas ſuo epiſcopo propria manu repreſentet. Ut autem hic, & in præſenti, & in futuro ævo, chartæ huic credatur firmiſſime, mea manu, uxoris, filiorum, necnon epiſcoporum, vel fidelium manibus roborare dignum auctoritate decrevi & ſtabilivi. Signum Willelmi Sancii comitis, qui hanc cartam fieri juſſit. S. Urracæ comitiſſæ. S. Bernardi Guillelmi filii ejus. S. Sancii filii ejus. S. Godefridi Burdegalenſis epiſcopi. S. Orioli Sancii de Fageto. S. Donati Garſiæ de Donaſello. S. Aquilini Atilii de Calonar. S. Garciæ Alancii de Bergui. S. Adonis Auſcitani archiepiſcopi. S. Centulii Gaſtonis. S. Gaſtonis Centulii de Bearno. S. Azimeli Elzii de Samadello. S. Aſmari Elzi. S. Bergonii Sancii. S. Garſia Lupi de Silveſtro.

II.

Charta ejuſdem Willelmi, qua idem monaſterium S. Severi apoſtolicæ ſubjicit ſedi.

EGo Guillelmus Sancius comes, & uxor mea Urraca, pro Dei amore, & remedio animarum noſtrarum donamus ſancto Severo & illis monachis qui ibi habitant, vel venturi ſunt, villam ſancti Joannis de Villanova, & aliam eccleſiam ſanctæ Mariæ de Valeſteno, & aliam eccleſiam ſancti Martini de Illainſula, & ſanctæ Eugeniæ de Morganno, & illam curtem de Brocarez donamus ſancto Severo cum exitibus, & redditibus, ſicut nos tenemus & poſſidemus, & villam de Alboos, ut teneant omni tempore: & monaſterium quod eſt fundatum ſuper fluvium Alpheanum, & juxta caſtrum Poleſtrion, & ipſi monachi non habeant ſuperiorem, niſi S. patrem Romæ, & S. Severum.

III.

Bernardus-Guillelmus comes Willelmi filius, quæ a ſuis parentibus eidem S. Severi monaſterio collata fuerant, confirmat.

QUanto ſunt judicia Dei inſcrutabilia, tanto debent fore ſenſibus humanis metuenda, ut quia ratio mortalis ea inveſtigare non valet, his judiciis neceſſe eſt ut inflectat humiliter rigorem ſaxei cordis, &c. Timeſcens hæc monita, ego Bernardus Guillelmus comes, pro animæ meæ remedio, ſeu patris, matris, & aliorum parentum, ex his quæ Chriſtus donavit jure hæreditario, hæredem ipſum facere cupio, ſanctorumque

ejus loca maxima ex parte honorare instituo. Genitor A meus Willelmus Sancio vixit in mundo, prospexit sibi in ultimo, atque hanc solitudinem magno pretio, ubi gemma martyrum Severus corpore quiescit humatus, sibi comparavit volenti animo, nam ccc. solidis argenti, duodenoque denario, ut ipsum locum potuisset consequi, necnon 45. vaccas cum multis aliis rebus, sicuti in testamento mei patris potest inveniri, ipsius loci dominis dedit, dignum existimans, ut sicut idem gloriosissimus athleta de provinciis longinquis, non solum sui sanguinis effusione, verum etiam miraculis innumeris prætatum locum sacravit, & Adrianum R. ab incredulitatis errore, omnemque provinciam ad fidem Christi convertit, ita grandiori honore dignus haberur, ex v.lique ecclesiola, famosissima basilica inibi construeretur. Quæ indictio omnibus placuit, cum consensu B omnium præsulum, scilicet archiepiscopi Burdigalensis, & archiepiscopi Ausciensis, necnon episcopi Aginnensis, & Basatensis, Begoriensis, Wasconum, sive Lactorensium, multisque ordinibus clericorum, sacerdotum, vel monachorum, & cum jurejurando totius Vasconiæ, firmatione p oceres definierunt, ut ipse sacer locus, vel fratres ibi deservientes liberi permanerent absque ulla molestia, & quotannis quinque solidos denariorum Romæ transmitterent, cum quibus possessiones magnas una cum sanctæ memoriæ matre mea Urraca delegavit, & hæc libertas huc usque in præsens tempus permanet Domino auxiliante, Amen. Igitur donationem genitorum meorum ego Bernardus-Willelmus comes confirmo, &c. Trado itaque curtem de Brocars integram, & ecclesiam sanctæ Eugeniæ de Morgaris cum villa. Item S. Petri C de Narbis castellum concedo, confirmantibus germano meo Sancio, & bonæ memoriæ matre Urraca, cum duobus consanguineis meis Aymone scilicet & Aymoino. Item aliam ecclesiam S. Georgii de Aurea-valle, cum alia ecclesia S. Martini de Insula, ecclesiam S. Mariæ de Mimisan, S. Aulaliæ de Borno, S. Mariæ de Basten, S. Joannis de Brocars, & S. Laurentii; ecclesiam S. Genesii de Vallibus cum omni integritate, S. Petri de Roca, S. Michaelis de Betissams, S. Joannis de Villanova, S. Quintillæ, S. Fidei de Busel, S. Petri, S. Martini, S. Leonis, S. Joannis de Gotis, & tertiam partem S. Genesii; ecclesiam quoque S. Cosmæ de Blassaneo nominatam. Itaque ego Bernardus cum germano meo Sancio, annuente bonæ memoriæ matre mea Urraca, tradimus ecclesiam S. Mariæ de Solacio, ut de fi- D nibus terræ, sicut pater meus Willelmus Sancius huic sacratissimo contulit loco, scilicet in pratis, piscationibus, silvis, cum omnibus alodis, in præsentia Goscelini & Ascelini fratris ejus primitus calumniantes, sed nolentes perdere meum amorem, illis dato pretio annuentes, in curte Momans sicut mater Urraca, S. Severo unum villanum, & ego dedi duos, unum in piscario, alterum in Timel casa, unamque abbatiam in comitatu suo genitor meus in Lactorato civitate, ubi pretiosissimus confessor Genius quiescit humatus, Oddato vicecomite consentiente, & Arnaldo abbate huic sacratissimo contuli loco, cum omnibus appendentiis quæ ad ipsum pertinebant monasterium, statuens agere omnes maledictiones quæ descriptæ sunt in veteri testamento super eos, qui de ipsa abbatia S. Genii, sicut E pater meus contulit huic loco, ita & ego concedo S. Petro, & martyri S. Severo. Post mortem patris mei vestigia sequens ejus, decrevi ex meis propriis honoribus hunc locum sacratissimum accrescere. Ego Bernardus-Willelmus comes primitus de his quæ pater meus, & mater mea huic loco contulerunt, propria auctoritate roboro, & de sua parte quantum possum dilato: hoc est ecclesiam S. Germani de Burdegalo cum omni pertinentia, item Lovervilla, & in Gotis alodum quem habeo unumque villanum de Leya, & silvam de Busel trado S. Petro, & martyri S. Severo, cum juramento statuens confirmatione archiepiscopi Burdegalensis, & Ausciensis, & omnium præsulum primorumque Wasconiæ, & ex ecclesiis quæ supra scriptæ sunt, vel de his omnibus quæ ipse sacer locus acquiret, vel acquisiturus est, &c. omnia integra, & ab omni perturbatione secura confero S. Petro & S. Severo, abbati, fratribusque inibi Deo servientibus, &c. Et ut hæc charta in præsenti & futuro perfectissime credatur, mea manu, manibusque fidelium roborare decrevi dignum. Signum Bernardi F. Willelmi comitis, qui hanc cartam fieri jussit. S. Urracæ comitissæ. S. Goscelini de Peustrac. S. Achelini filii ejus. S. Willelmi Aureoli de Faget. S. Willelmi Aureoli. S. Azemilis de Sabo. S. Anelupi de Loron. S. Labanciæ filii ejus. S. Arnaldi Lupi de Aquis. S. Lomans de S. Hilario. S. Artilio Sancio. S. Lupus Anerius vicecomes Marciani. S. Willelmi Lupi ejus filii. Hæc autem carta facta est III. Aprilis, luna IV.

IV.

Epistola Gregorii VII. ad Arnaldum sancti Severi abbatem.

NOn mediocris te inobedientiæ arguere possumus quod post multas querimonias de te in Romanis conciliis factas, monasterium sanctæ Crucis de ecclesia sanctæ Mariæ nullam adhuc justitiam sit consecutum. Licet examen exquirendæ veritatis hujus negotii frivolis excusationibus jam ex longo tempore evitasse videaris præsente tamen anno pro definienda lite vestra a legato nostro Geraldo Ostiensi episcopo ad synodum vocatus, nullam Deo & sancto Petro diceris reverentiam exhibuisse, adeo ut contempta auctoritate apostolicæ sedis, neque tu venire, neque alios juste te excusaturos studueris mittere. Unde quia absentatio tua indicium injustitiæ tuæ clarissimum tribuit, diffinitum est in eadem synodo, monasterio sanctæ Crucis prædictæ ecclesiæ sanctæ Mariæ jus & possessionem restituendam esse. Quam nimirum diffinitionem nos approbantes, præcipimus tibi apostolica auctoritate, ut præfatum monasterium sanctæ Crucis, sicut statutum est, quiete tenere permittas. Quod si te justitiam habere confidis, huc usque ad festivitatem omnium sanctorum ad nos venire studeas, teque prædicto abbati eodem termino venturum notifices; quatenus utriusque partis perquisitis rationibus, certum causæ vestræ finem Deo auxiliante imponamus. Data Romæ in synodo, secundo idus Martii, indictione duodecima. *L. 1. ep. 51.*

Ad eundem Arnaldum ac eodem de negotio est ejusdem Gregorii epist. 25. libri 6. anno 1079.

V.

Bulla Innocentii papæ III. qua S. Severo concessa enumerat & confirmat.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis..... abbati monasterii sancti Severi, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Pia postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatinus & devotionis sinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat; ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium beati Severi a bonæ memoriæ Willelmo Sancii quondam Wasconiæ comite fundatum, & ab eodem comite beato Petro perpetuo jure oblatum, ad exemplar felicis memoriæ Paschalis & Alexandri PP. prædecessorum nostrorum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præs- 1213.

tante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In epiſcopatu Aduренſi, S. Petri, S. Johannis, S. Germani & S. Johannis, ſancti Laurentii, ſanctæ Mariæ, ſanctæ Eugeniæ, & ſancta eccleſia ſancti Vincentii, ſancti Martini, & ſancti Vincentii, ſancti Medardi, & aliam ſancti Medardi, eccleſias. In epiſcopatu Aquenſi, ſancti Martini, ſancti Petri, & ſancti Martini, ſanctique Pauli, ſancti Leonis & ſancti Vincentii eccleſias. In epiſcopatu Burdigalenſi, ſanctæ Mariæ, ſanctæ Eulaliæ, & ſanctæ Mariæ, & ſancti Michaelis eccleſias. In epiſcopatu Baſatenſi eccleſiam ſancti Laurentii. In epiſcopatu Aginnenſi, ſancti Felicis, ſanctæ Fidis, ſanctæ Quintillæ, ſancti, Chriſtophori, ſancti Petri, & ſancti Johannis eccleſias. Chriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes monachorum qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a diœceſano ſuſcipietis epiſcopo, ſi quidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apoſtolicæ ſedis habuerit, & ea gratis & abſque pravitate aliqua vobis voluerint exhibere: alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antiſtitem, gratiam & communionem apoſtolicæ ſedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate vobis quod poſtulatur impendat. Miſſas ſine publicas in eodem monaſterio per epiſcopum fieri, vel ſtationes celebrari præter abbatis ac fratrum voluntatem omnimodis prohibemus, ne in ſervorum Dei receſſibus, popularibus occaſio præbeatur ulla conventibus. Ad hæc adjicimus, ut alicui perſonæ magnæ vel parvæ facultas non ſit milites vel pedites de villis eidem cœnobio pertinentibus in hoſtem vel expeditionem ducere; nec de ſilvis, pratis, landis, piſcationibus, pineris, vel vineis cenſum quærere vel arcerum. In parochialibus autem eccleſiis, quas habetis, liceat vobis ſacerdotes eligere, & epiſcopo præſentare, quibus ſi idonei inventi fuerint, epiſcopus curam animarum committat, & de plebis quidem cum epiſcopo, vobis autem de rebus temporalibus deſcant reſpondere. Adjicimus etiam, ut nec epiſcopo, vel epiſcoporum miniſtris liceat novas conſuetudines, præter abbatis ac fratrum voluntatem, vel exactiones quaſlibet in eodem monaſterio ponere. Hoc quoque ſubjungimus, ut idem monaſterium abſque Romani pontificis licentia minime interdicto, vel excommunicationi ſubdatur. Ad indicium autem huius a Romana eccleſia libertatis percepæ, v. ſolidos Pictavienſis monetæ nobis noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſeculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Domini, ac Dei noſtri Redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo mortis examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatinus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Ego Innocentius Catholicæ eccleſiæ epiſcopus. †. Ego Cynthius tituli S. Laurentii in Lucina preſbyter cardinalis. †. Ego Cencius SS. Johannis & Pauli preſbyter cardinalis tituli Pamachii. † Ego Petrus tituli S. Marcelli preſbyter cardinalis. †. Ego Benedictus tituli S. Suſannæ preſbyter cardinalis. †. Ego Leo tituli S. Crucis in Hieruſalem preſbyter cardinalis. †. Ego Petrus S. Pudentianæ tituli Paſtoris preſbyter cardinalis. †. Ego Gerala S. Martini preſbyter cardinalis tituli S. Eguitii. †. Ego Pelagius tituli S. Cæciliæ preſbyter cardinalis. †. Ego Johannes Sabinenſis epiſcopus. †. Ego Nicolaus Tuſculanus epiſcopus. †. Ego Guido Prænestinus epiſcopus. †. Ego Hugo Hoſtienſis & Veletrenſis epiſcopus. †. Ego Guido S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis. †. Ego Johannes S. Mariæ in Via-lata diaconus cardinalis. †. Ego Octavianus SS. Sergii & Bacchi diaconus cardinalis. †. Ego Johannes SS. Coſmæ & Damiani diaconus cardinalis. †. Datum Laterani per manus Johannis S. Mariæ in Coſmedin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, XII. calend. Maii, indict. XV. incarnationis Dominicæ anno MCCXIII. pontificatus vero domni Innocentii papæ III. anno XV. *Cum ſigillo dicti ſummi pontificis.*

VI.

Alfonſus filius regis Franciæ, confirmat abbati, & monachis Gratiæ-Dei ordinis Præmonſtratenſis in diœceſi Aduренſi quæ acquiſierant in epiſcopatu Agennenſi.

ALFONSUS filius regis Franciæ, comes Pictaviæ & Toloſæ univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Cupientes ut cultus divinus præſertim in monaſteriis, quæ in noſtro conſiſtunt dominio impoſterum augeatur, notum facimus quod nos pro remedio animæ noſtræ & chariſſimæ uxoris noſtræ Johannæ comitiſſæ ac progenitorum noſtrorum, necnon favore religionis, viris religioſis abbati & conventui Gratiæ Dei Præmonſtratenſis ordinis, Aduренſis dioceſis, ea quæ in feodum & retrofeudum noſtris uſque ad tempus præſentis conceſſionis ab eiſdem nomine grangiarum eiſdem abbati & conventui nomine ſui monaſterii ſubditarum videlicet de Lana, de Cabrious, de ſancto Macario, de Podio, de Fonte-claro Agennenſis dioceſis ſunt licite acquiſita, quantum ad nos pertinet, liberaliter confirmamus. Volentes & concedentes quod ipſi abbas & conventus nomine grangiarum prædictarum & ſucceſſores ſui prædicta cum meliorationibus, ſi quæ per eorum induſtriam acquiſitionibus prædictis acceſſerint, teneant, poſſideant & eſplectent in perpetuum pacifice & quiete; & quod per nos heredes, ſeu ſucceſſores noſtros compelli non poſſint eadem extra manum ſuam ponere in toto vel in parte; in cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri munimine duximus roborandas, ſalvo in aliis jure noſtro; & ſalvo quolibet jure alieno. Nos autem Johanna Toloſæ ac Pictaviæ comitiſſa, confirmationem & conceſſionem prædictas gratas & ratas habemus, ac pro nobis, heredibus ac ſucceſſoribus noſtris ſpontanea voluntate volumus & approbamus, & ad majoris roboris firmitatem ſigillum noſtrum una cum ſigillo cariſſimi domini noſtri comitis ſupradicti viri noſtri præſentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini MCCLXIX. menſe Julii.

1269. *Ex archivo PP ſocietatis Jeſu Toloſæ.*

VII.

Compoſitio inter Conſtantiam Bigorræ comitiſſam, & Sanctium abbatem S. Johan. de Caſtella.

ANtiqua patrum auctoritas decrevit, ut quæ aguntur in tempore, ne labantur cum tempore, ſcripturæ teſtimonio commendentur. Ea propter nos Conſtantia Dei gratia comitiſſa Bigorræ, & vicecomitiſſa Marciani, & nos Sanctius miſeratione divina abbas S. Johannis de la Caſtra ordinis Præmonſtratenſis, diœceſis Aduренſis ordinationem inſra ſcriptam, & compoſitionem inter nos concorditer hinc & inde factam

1288. *Ex autogr.*

tum, & habitam dignum duximus poni & redigi. A Sciant igitur præsentes & posteri, quod monasterium S. Johannis de la Castera olim fundatum extitit, & constructum per bonæ memoriæ dominum Petrum Bigorritanum comitem & vicecomitem Marciani, & dotatum ex propriis bonis suis. Et quia modernis temporibus super quibusdam terris & tenementis de feudis & retrofeudis inter nos orta est controversia & ... sic convenimus & statuimus, &c. Et nos Margarita Fuxensis comitissa & vicecomitissa Castri-boni, prædicta omnia grata, firma & accepta habentes, sigillum nostrum una cum sigillis prædictis huic ordinationi, & scripto duximus apponendum. Datum & actum apud montem Marciani, IV. die Februarii, an. Domini MCCLXXXVIII. regnante Philippo rege Franciæ, Edwardo rege Angliæ, ac duce Aquitaniæ, Amanevo existente archiepiscopo Auxitano, Petro episcopo Adurensi. B

VIII.

Charta fundationis Parthenonis de Beyries.

NOs en Gaston per la Gracy de Diu visconte de Bearn & de Marsan; & nosna. Mate sa mouilher per aquere mediſſe gracy viscontesse dequers medits locs, navem dat & octrejat per nos & per tots nostes herertez a lavandite meyson, & a las sors & als frays, & als habitudors deudit loc aquestes presentes letres ouvertes sagerades pendens deu noste propy saget & sagerades ab lou saget de Londrat payre en Christ Monseignour en.P. per la gracy de Diu, avesque d'Ayre & de sante Quitteyro. *Asso fouc fayt & donnat, & affermat & autrejat en lou loc de lavandite meyson de Beyries, lou Dimenche devant la feste de Sante Marie Magdelaine, XII. dies Aleyssi deu mez de Juillet anno Domini* MCC. *septuagesimo.* 1270.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM CONSERANENSEM SPECTANTIA.

I.

Charta Odonis de Monte-acuto pro ecclesia Conseranensi. C

1215. *Ex origin. Conseranens.*

SCiendum est quod ego Odo de Monte-acuto, veniens ante præsentiam domni Navarri Conseranensis episcopi apostolicæ sedis legati, & conventus ecclesiæ sancti Licerii recognoscens me male egisse erga domum beati Licerii, quam multoties male tractavi, & al ſtul. casalem ei den Seneza de Zol, casalem de Noge... casalem de Gaiha & casalem dels Aranos de la Escura Vela, quos antecessores mei pro se suisque cum omnibus pertinentiis suis eidem ecclesiæ sancti Licerii, ejusque conventui pro suorum & parentum suorum venia peccatorum pia contulerant devotione. Recognosco etiam me multas .... injustas invasiones in honore ejusdem ecclesiæ fecisse, auferendo oves, boves, porcos, triticum D & annonam, & in aliis malefactis multoties gravasse eam: unde me culpabilem valde profiteor, & reddo per me & per successores meos beato Licerio ejusque conventui prædictos casales cum omnibus pertinentiis suis, tactis sacro-sanctis evangeliis, ut nunquam de cetero ego, nec aliquis meæ ordinationis eos auferam, nec violentiam in ipsis faciam, immo de omni ... actore ad utilitatem jam dictæ ecclesiæ defendam ego & mei; pro emendatione vero injuriarum quibus ei tenebar, tribuo per me & per omnes successores meos, vineam quam patrio jure habebam inter montem d'Arolas, & vineam S. Laurentii juxta murum civitatis, & vineam similiter de .... & omnem decimam quam aliquo modo habeo in toto episcopatu Conseranensi; hæc omnia trado per me & per meos prædictæ ecclesiæ S. Licerii, E ejusque conventui .... de meo dominio sine omni retinenti .... transfero in manu domni Navarri Conseranensis episcopi, & P. G. abbatis Combæ-longæ ... . rius de Villa-nova, A. R.... magister Arnaldus de Cambraiano, A. de S. Quintino. Guillelmus scripsit mense.... anno verbi incarnati (MCCXV.[a]) .... regnante in Francia B. Convenarum comite, Navarro Conseranensi episcopo...

[a] Incerta est hæc temporis nota; in originali enim legi non potest, & nonnisi hæc addita a tergo instrumenti.

II.

Sententia lata adversus comitem Convenarum pro episcopo Conseranensi.

1215. *Ex transsumpto S. Licerii Conseran.*

UNiversis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis A. * Tarviensis, & G. * Convenarum episcopi, salutem & sinceram in domino charitatem. Antiquorum discretio consuevit rite gesta scripturæ testimonio communire, ne oblivio memoriæ inimica semel decisa iterum valeat in dissentione laqueum revocare. Quapropter universitati vestræ volumus fieri manifestum, quod cum dominus Simon dux Narbonæ, comes Tolosæ & Ley. * Vicecomes Biterræ & Carcass. dominus Montis-fortis, esset in civitate Conseranensi, & nos cum domno G. archiepiscopo Auxitano, ad civitatem eandem pariter venissemus, dictus comes, & Centulus d'Asturio, & G. uxor quondam Odonis Montis-acuti, * & filius ejus, super controversiis quæ inter ipsos ex una parte, & venerabilem patrem C. episcopum Conseranensem ex altera vertebantur, de duabus partibus civitatis ejusdem, & molindinis juxta pontem, ubi turris est quæ quondam tenuit V. de Monte-acuto, in nos compromiserunt, tam ipsi quam episcopus memoratus, data fide in manu nostra, nobis firmiter promittentes, quod quidquid nos super prædictis judicio vel concordia diffiniremus, ipsi inviolabiliter in perpetuum observarent, & ad hoc idem successores eorumdem perpetuo... Sane causas istas non tantum sicut arbitri, sed potius sicut delegati de mandato & voluntate archiepiscopi memorati, suscepimus terminandas: propositum si quidem fuit coram nobis ex parte comitis & suorum, quod in civitate nominata duas partes & molendina jam dicta sibi competerent jure suo pro comite Convenarum, cujus terram occupaverat; quod episcopus penitus denegabat, & illa omnia ad se pertinere firmiter asserebat.

Cum autem testes utrinque productos diligenter examinassemus, invenimus B. quondam comitem Convenarum, avum B. qui nunc vivit, civitatem jam dictam fraudulenter intrasse, & captis ejusdem habitatoribus, & rebus omnibus, apud S. Gerontium tunc vicum suum asportatis, eam incendio tradidisse. Quare cum civitas per septennium inhabitata permansisset, quia ipse eam reparari minime permittebat, nisi in ea portionem aliquam obineret, episcopum ejusdem civitatis nomine P. compatrem suum cepit, & apud S. Gerontium ducens captum sub custodia tenuit, quous-

1215. *Ex transsumpto S. Licerii Conseran.*

* Arnaldus
* Geraudus.

* Leicestriæ.

* cujus est superior charta.

Digitized by Google

que pactum fecit eidem comiti, quod in civitate ei concederet duas partes; quod & postmodum fecit, melioribus canonicis suis contradicentibus & invitis. Idem quoque comes apud S. Gaudentium vulnere confossus ad cor rediens & penitens, sicut solet in extremo fieri, de commissis in manibus Tolosani, Convenarum, & jam dicti Conseranensis episcoporum, & Scalæ-Dei, ac Boni-fontis abbatum restituit ac reddidit memorato episcopo Conseranensi, & ejusdem successoribus prædictas duas partes civitatis, & illis penitus renuntiavit, & pro emenda injuriarum 20. equos legavit episcopo sæpe dicto; qui episcopus quoad vixit civitatem possedit ex integro quali suam & ipsius similiter successores usque ad tempora B. superius nominati.

Nam idem in suæ dominationis exordio duas partes civitatis prædictæ indebite occupavit, & eas usque ad adventum tenuit Cruce-signatorum, & ex eadem tres episcopos Aug. Laur. Navar. felicis recordationis sedis apostolicæ legatum violenter ejecit, ac bona ipsorum & canonicorum utriusque ecclesiæ ac hominum civitatis, tam infra civitatem quam extra, & castra ac terras ad ipsos & ecclesiam pertinentes cum ruptariis, & pacis & ecclesiæ inimici, occupare, destruere, consumere sæpe .... Præterea intelleximus per testes, quod V. de Monte-acuto, cujus pater in violentia quam comes fecerat in duabus partibus civitatis partem habuerat & tenuerat, omnium nequitiarum & injuriarum quas dictus comes episcopis supradictis & ecclesiis ac civitati irrogavit, non tantum particeps exstitit, sed & principalis & præcipuus in illis & in aliis exstitit malefactor; qui cum ab episcopo Aug. quibusdam canonicis reclamantibus impetrasset locum ad duo duntaxat molendina, & viam necessariam asino onerato, & propter hoc fidelitatem episcopo se servaturum ubique & in omnibus promisisset, tria ibidem præsumpsit construere molendina, episcopo renitente penitus & invito, & demum hortum facere, & turrim ibidem ædificare, domno N. tunc episcopo præsentialiter ne turris fieret inhibente, propter quod ei est publice truncationem capitis comminatus. Post fidelitatem vero promissam idem Vitalis propter innumerabilia mala quæ cum dicto comite, & per se ipsum intulit episcopis, ecclesiis, clericis, & civitati prædictis, nundinas, quæ circa festum omnium sanctorum celebrantur invasit, & tam homines quam animalia, & universa alia quæ potuit, cepit; & tanta intulit damna, quod excrescebant summam quinquaginta millium solidorum, mortuis * exceptis viginti septem hominibus, qui volentes fugæ præ dio se tueri, submersionis periculum concurrerunt. Ipse etiam postmodum factus hæreticus, ad civitatem eandem hæreticos ducens secum, eosdem fecit cum clericis publice altercari. Nos igitur utriusque partis rationibus, allegationibus, attestationibus & instrumentis diligenter auditis & inspectis, quorum nobis super præmissis & aliis malefactis, quæ longum est enunciare, facta est plena fides, post renunciationem partium de consilio archiepiscopi memorati, P. Clariacensis, P. Combæ-longæ, & B. Fuxensis abbatum, & aliorum prudentum virorum super jam dictis querelis hanc sententiam duximus proferendam: quod idem episcopus Conseranensis, & ejus successores in perpetuum urbem Conseranensem integre possideant, libere & quiete; molendina quoque præ dicta eidem episcopo C. & successoribus ejusdem adjudicamus perpetuo possidenda; & comiti antedicto, & Centullo, & aliis qui quondam a comite Convenarum aliquid in civitate habuerant, cum ipse nihil juris in ea haberet, perpetuum silentium duximus imponendum tam super duabus partibus civitatis, quam etiam molendinis supradictis, quibus memoratus V. de Monte-acuto merito suæ ingratitudinis & fidelitatis sæpius violatæ, & aliorum scelerum suorum privandus fuerat longe ante. Hæc siquidem sententia fuit a partibus approbata, quæ utique fuit lata anno Verbi incarnati MCCXVI. feria quinta ante natale Domini, præsentibus canonicis S. Mariæ, videlicet B. Cabscol & W. de Cassio, & canonicis S. Licerii, scilicet B. de Basterna, B de Quer, R. de Muro, R. Ribeira, A. de S. Quintino, & R. clerico, Adem. de Villa-nova Boni-fontis monacho, & Pontio monacho Condomiensi, & Roberto priore S. Gerontii, B. Andrea, Aug. de S. Licerio, J. de Basterna, F. Pradere, W. de Muro, A. Coquo, W. Barrau B. d'Erse S. Licerii civibus, Timo. de Casteloy, Adem. & G. de Casteloy, A. de Monte-acuto & W. de Villa-nova militibus, & multis aliis probis viris: & ne in posterum super præmissis valeat hæsitatio suboriri, præsentem paginam domni archiepiscopi, & nostrorum ac prædictorum abbatum fecimus sigillorum munimine roborari. Hoc autem factum est in claustro S. Licerii Conseranensis.

Præfata sententia anno 1222. *confirmata est a Conrado Portuensi & S. Rufina episcopo.*

III.

Nicolaus episcopus Conseranensis recipit in feudum honorabile urbem Conseran. & homagium facit Alfonso Pictavia & Tolosæ comiti.

1256. ALFONSUS filius regis Franciæ, comes Pictavensis & Tolosæ, universis præsentes litteras inspecturis salutem. Noveritis quod Nicolaus venerabilis episcopus Conseranensis, nomine ecclesiæ suæ recepit a nobis in feudum honorabile civitatem Conseranensem, scilicet tam illam dominationem quam ipse & capitulum tenent ad manum suam, quam eam dominationem quam comes Convenarum ab ipsis tenet in civitate prædicta, & totum jus temporale quod habent vel habere debent in castro de Cerisolis, & in castro de Vedeilla, & in castro de Tortosa, & in castro montis Arditi, & in prædictorum castrorum pertinentiis, & alias senhorias quas habent in diœcesi Conseranensi; quam civitatem, quæ castra, quas senhorias non tenent ab aliquo alio domino temporali; pro quibus omnibus supradictis fecit nobis homagium honorabile idem episcopus, salvo jure quolibet alieno: hæc omnia prædicta recepit a nobis dictus episcopus sub conditionibus infra scriptis.

Prima est, quod non liceat nobis vel successoribus nostris dominationem quam habemus & habebimus supra dictos episcopum & capitulum, ex quacumque causa in quamcunque personam transferre præter comitem Tolosanum, vel comitatum Tolosanum habentem.

Insuper fuit actum quod si pro pace servanda in dicta diœcesi, vel emendandis maleficiis, seu damnis hominibus dictæ civitatis vel diœcesis vel ipsi ecclesiæ illatis, non * facientes exercitum, vel aliquis loco nostri sumptibus suis quando & quoties, & ubicumque a nobis vel a nostris fuerint requisiti; si vero nos ex alia causa guerram habuerimus, homines ecclesiæ sequentur nos vel nostros in exercitum sicut alii homines de feudis Tolosanis.

Item. Nobis placet, & volumus quod novæ bastidæ seu populationes fiant in terra ecclesiæ extra muros civitatis in diœcesi Conseranensi sine prejudicio alterius ad requisitionem episcopi & capituli prædictorum, in quibus bastidis seu populationibus habeamus medietatem, & episcopus & capitulum aliam medietatem pro indiviso.

Item. Quando tempore procedente recognitionem feudorum continget requiri propter mutationem domini vel feudatarii, non debemus dictum episcopum, vel capitulum vocare vel citare propter recognitionem faciendam extra Tolosam vel diœcesim Tolosanam.

Item. Volumus & statuimus quod vacante sede omnia bona episcopalia mobilia & immobilia, temporalia & spiritualia, sint & permaneant libera ab omni occupatione & perturbatione tam circa mortem episcopi, quam post mortem.

Item. Si incursus aut confiscationes bonorum in civitate prædicta vel diœcesi evenire contingat propter crimen hæreseos, bona mobilia erunt communia pro æquis partibus nobis & dicto episcopo, & capitulo su-

* *Locus mendosus.*

prædictis; immobilia vero quæ tenentur vel tenebuntur ad eccleſiam tantum erunt dicti epiſcopi & capituli in ſolidum; illa vero quæ tenebuntur a nobis & a dictis epiſcopo & capitulo erunt communia pro æquis partibus nobis & epiſcopo ſupradictis.

Præterea donare debemus dicto epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus, & capitulo Conſeranenſi in perpetuum Toloſæ aliquam domum competentem, in qua poſſint hoſpitari, vel caſale in quo poſſint domum idoneam ædificare, quando domus vel caſale obvenient nobis de novo uſque ad valorem centum librarum Toloſanarum.

Item. Tenemur nos & ſucceſſores noſtri deffendere & conſervare omnia jura & omnia bona mobilia & immobilia temporalia eccleſiæ Conſeranenſis, necnon & perſonas & res epiſcopi, & canonicorum, & familias eorumdem tanquam res noſtras proprias.

Item. Faciemus dictum epiſcopum, & capitulum & eccleſiam Conſeranenſem tenere & habere decimas ſuas in illis terris Conſeranenſis diœcetis, quæ ſunt vel erunt ſub dominio noſtro, videlicet decimas expreſſe abjuratas, & alias ſicut eas habuerunt a tempore pacis Pariſienſis citra quantum potuerimus juſtitia mediante.

De Aſtaribus autem pertinentibus ad ipſum epiſcopum & capitulum & eccleſiam Conſeranenſem habere debemus medietatem. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri munimine duximus roborandas. Actum apud Vicennas anno domini MCCLVI. menſe Maio.

IV.

Tenor litterarum pariagii inter Bernardum Comba-longa abbatem & Francia regem.

1274. NOverint univerſi præſentes pariter & futuri quod frater Bernardus abbas monaſterii Combæ-longæ Præmonſtratenſis ordinis, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, & conventu dicti monaſterii præſente & futuro, & pro ipſo monaſterio ad faciendum novam villam ſeu baſtidam & ſub conditionibus, modis & formis infra ſcriptis donavit, dedit & conceſſit donatione irrevocabili inter vivos perpetuo valitura illuſtriſſimo domino regi Franciæ abſenti & hæredibus ac ſucceſſoribus ſuis, necnon & domino Euſtachio de Belle-marcheſio militi ipſius domini regis ſeneſcallo in Toloſano & Albigenſi, nomine & vice dicti domini regis, & pro ipſo recipienti medietatem illius territorii & honoris quod & quem idem abbas & conventus dicti monaſterii habent & habere debent in Avanteſio, & totius illius juriſdictione & rationis quod & quam habent vel habere debent in ipſo territorio quodcumque ſit prout dictum territorium includitur & continetur infra iſtas adjacentias. Videlicet prout eſt de planca de Val verſus ſerram Sical, & a dicta ſerra Sical uſque ad ſerram de Gaignart, & a prædicta ſerra de Gaignart recte & recta linea uſque ad Falgar Dancorra uſque ad fontem de Val, & a prædicto fonte ſicut rivus deſcendit uſque ad rivum de Milhas & a dicto rivo de Milhas uſque ad caput rivi del Coral, & de rivo del Coral ſicut aqua deſcendit ad Ancizas, & de prædictis Ancizis ſicut rivus deſcendit uſque ad Beleſtar, & a Beleſtar ad Ancizas de lupo rectus, & a prædictis Ancizis uſque ad fagum de la Lana uſque ad præfens nominatam plancam de Val. Verumtamen idem dominus abbas ſibi & ſucceſſoribus ſuis & conventui dicti monaſterii præſenti & futuro retinuit ſpecialiter & expreſſe monaſterium, & omnia quæ ſunt circa monaſterium prædictum, necnon & molendinum Paraverium jam conſtructum, necnon & domum & hortum de Fraiſſineto infra clauſuras & decimas & præmitias, & alia jura eccleſiaſtica, necnon piſcarium & prata, & nemus illud videlicet quod eſt ſupra piſcarium prout ipſum nemus includitur iſtis adjacentiis, ſcilicet prout rivus del Val protenditur a nemore montis Jocundi & deſcendit ſeu labitur uſque ad caput prati, & ad molendinum Paraverium, & ex alia parte a dicto capite montis Jocundi uſque ad caput viridarii de Montecurte, & exinde uſque ad rivum de Daniza exinde uſque ad molendinum Paraverium. Prædictam vero donationem dictus dominus abbas fecit domino regi & dicto domino ſeneſcallo pro dicto domino rege iſtis videlicet infra ſcriptis modis & formis & conditionibus; ſcilicet quod dictus dominus rex & ſeneſcallus ſuus Toloſanus faciat in dicto territorio novam villam & baſtidam ſeu populationem, cujus villæ ſeu baſtidæ medietas ſit dicti domini regis & ſucceſſorum ſuorum, & alia medietas dicti monaſterii, & in ipſa villa idem dominus rex habeat medietatem, & ipſam villam ſeu baſtidam cum omnibus juribus & pertinentiis communiter & indiviſe ſeu indiviſo dominus rex Franciæ & abbas & conventus ſupra dicti in perpetuum teneant & habeant. Item quod ſit in dicta villa ſeu baſtida unus judex communis, qui cauſas audiat tam pro domino rege quam pro dicto monaſterio, & quod ipſi ſcilicet judex & bajulus pro dicto domino rege, & pro dicto monaſterio in dicta villa & pertinentiis ejus faciant ea quæ ad ipſos ratione officiorum ſuorum pertinebunt, & quod jurent ipſi & alii officiales communiter dictæ villæ domino regi ſeu ejus ſeneſcallo Toloſano & abbati monaſterii prædicti quod fideliter erga eorum officia ſe habebunt, necnon prædicti eiſdem & ſucceſſoribus eorum illud ſacramentum, quod præſtare ratione ſuorum officiorum tenebuntur. Item quod dicta villa nunquam transferatur, nec transferri poſſit in aliud dominium præter quam in dominium Toloſæ. Item quod dominus rex & ſucceſſores ſui deffendant & cuſtodire teneantur perſonas & bona & res abbatis & conventus monaſterii ſupradictis; quam quidem donationem dictus dominus ſeneſcallus nomine dicti domini regis, & pro ipſo ſub modis & formis & conditionibus ſupradictis, & prout facta eſt & ſuperius continetur, inſuper prædictus dominus abbas, & conventus dicto domino ſeneſcallo pro dicto domino rege ſtipulanti ſe facturum, & curaturum quod conventus dicti monaſterii laudabit & approbabit & confirmabit omnia ac ſingula ſupradicta, & ab ipſo conventu omnia & ſingula faciet approbare. Acta fuerunt hæc ultima die menſis Martii, regnante Philippo rege Francorum, prædicto Bertrando epiſcopo Toloſano, anno ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Horum omnium teſtes dominus Petrus de Fontanis, & magiſter Bernardus Molineri de Cordis, & magiſter Vitalis de Maurento, Pexerius Daſpa civis Toloſæ, Fortunerius de Navarra, & Gervaſius Perrorurfont, & Paulus Vitalis publicus Toloſæ notarius, qui chartam iſtam ſcripſit.

Digitized by Google

INSTRUMENTA AD VASATENSEM ECCLESIAM PERTINENTIA.

I.

Littera Stephani episcopi Vasatensis pro Silva-majore.

1087. *Ex chart. Silvæ-maj.*

NOtum sit omnibus tam præsentibus quam posteris, quod ego Stephanus gratia Dei Basatensium episcopus, consilio & laudatione archidiaconorum, omniumque nostræ ecclesiæ canonicorum, concedo ecclesiæ Sylvæ-majoris, domnoque Giraldo ipsius loci abbati, ecclesias de Cuirac & de Branna, ut quidquid in eis modo ipsa Silvæ-majoris ecclesia habet, vel a possessoribus conquirere poterit, perpetuo jure possideat. Istas itaque ecclesias tali libertate donamus, ut nihil ab eis in perpetuum requiramus, nisi tantum modo ut primi, qui eas tenuerint, a nobis curam animarum accipiant, nobisque regulariter obedientes existant. Neque ipsas ecclesias pro aliqua causa excommunicabimus, sed qui nobis ex ipsarum parochiis fuerit contrarius injuste, ipse solummodo excommunicationis erit reus. Actum est hoc in capitulo Bazatensis sedis, anno MLXXXVII. Dominicæ incarnationis, indictione X. epacta XXV. *a* concurrente IV. S. Olivarii monachi S. Florentii. † S. Stephani Bazatensis episcopi. S. Garini decani, S. Arguennaci archidiaconi. S. Garsiæ de Aquirone archidiaconi. S. Garciæ de Benqueto sacristani, S. Herlegii prioris Silvæ-majoris. S. Leuterii. Petri. Gaucelmi monachorum.

II.

Bertrannus episcopus Vasatensis Silvæ-majori dat ecclesiam de Blagnac.

1114. *Ex chartar. Silvæ-maj.*

DE ecclesia de Blagnac præcepimus scribi quod notitiæ omnium volumus commendare. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Bertrannus Basatensium episcopus consilio clericorum meorum, videlicet Donati, Frotonis & Petri salva justitia S. Johannis Basatensis ecclesiæ, concedo, & concedendo transfundo ecclesiam S. Johannis de Blanag in jus ecclesiæ S. Mariæ de Silva-majore; & ut donum sive concessio firma & quieta, & irrevocabilis fiat, nostri sigilli impressione confirmo. Factum est autem confirmantibus bonis, qui aderant, Gaufrido videlicet abbate Blavinimontis * cum ceteris, vivente domno Gaufrido IV. abbate, anno ab incarnatione Domini MCXIV. regnante Ludovico rege Francorum, duce Aquitaniæ Guillelmo.

* *f.* Blasimontis.

III.

Charta Fortonis episcopi Vasatensis pro Stephano abbate Fontis-Guillelmi.

1141. *Ex autogr. Fontis-Guillelmi.*

EGo FORTO Dei gratia Vasatensis ecclesiæ episcopus, honore & amore Dei, pia deliberatione sanoque consilio archidiaconorum meorum Gaucelmi & Fortonis, & aliorum clericorum, dono & concedo per me & per omnes successores meos Domino Deo & beatæ Mariæ, & Stephano abbati Fontis-Guillelmi, & omnibus fratribus ibidem Deo servientibus, eorumque successoribus, ecclesiam de Massilia, & capellaniam jure perpetuo habendam ac possidendam. Hoc donum facio gratia charitatis & pacis, providens quieti sanctæ religionis & utilitati; ne abbas & fratres Fontis-Guillelmi a sacerdote de Massilia & parochianis, quia sunt vicini eorum suadente diabolo per invidiam aliquam occasione inquietentur & perturbentur; & ut abbas & fratres terras suas, agriculturas & vineas, ceteraſque possessiones, quas in ejusdem ecclesiæ parochia per Dei gratiam jam acquisierunt, vel deinceps acquisierint, tranquillius & securius habeant & possideant; & ut etiam sacerdos, & parochiani omnia quæ ad prænominatos fratres pertinent, affectuosius custodiant & augeant, & abbatem & fratres plus timeant, venerentur, & diligant. Abbas vero & fratres sacerdoti & parochianis de Massilia, tam secundum Deum quam secundum sæculum, salva religione sua & ordine pro posse suo benigne consulant. Hujus doni & concessionis testes sunt, & laudatores Gaucelmus archidiaconus, & Forto archidiaconus, Austoretus claviger, Arnaldus de Luganag sacrista, Raimundus de Castaner archipresbiter, Bernardus de Ingolisma, & alii plures. Factum est hoc donum in vestitura apud Basatum cum anulo episcopali in manu Stephani abbatis, anno Dominicæ incarnationis MCXLI. epacta XI. concurrente II. Innocentio papa II. Romanæ ecclesiæ præsidente, regnante Ludovico rege Francorum, & duce Aquitanorum. Ω Ego Forto capellanus de Massilia hoc donum volo, concedo & confirmo.

a In schedis D. Stephani du Laura, qui accurate inspexit chartas tabulari Silvæ-majoris, lego *epacta* XV.

IV.

Forto Vasatensis episcopus ecclesiæ Pulcri-Fontis, dat quasdam ecclesias.

1141. *Ex chartario Silvæ-maj.*

FDei gratia Vasatensis ecclesiæ dictus episcopus universis S. matris ecclesiæ catholicis omnibus notum fieri volumus nos ecclesiam de Jugazan, & ecclesiam de Casavert cum sanctuariis & pertinentiis earum, ecclesiæ Pulchri-fontis, & fratribus ibidem Deo servientibus, & juxta regulam beati Augustini conversantibus, consilio capituli Vasat. ecclesiæ in perpetuum donavisse, salvo jure sedis pontificalis. Ut autem hæc donatio firma & inconcussa remaneat, sigilli nostri auctoritate eam roborari præcepimus, & in sequenti schedula quosdam de canonicis Vasatensis ecclesiæ, qui interfuerunt, subscribi mandamus; & in testes producimus, Gaucelmum scilicet archidiaconum, Austoretum, Arnaldum de Luganat, Raimundum de Miranbel, Fortonem del Poial. R. priorem Pulchri-fontis, & plures alios. Facta fuit hæc donatio in ecclesia S. Johannis-Baptistæ apud Vasatum, anno quinto Eugenii papæ III. Willelmo Auxitano archiepiscopo, & Ludovico rege Francorum, anno incarnationis Dominicæ MCXLI.

V.

Charta Willelmi episcopi Vasatensis pro Silva-majore.

1163. *Ex chartario Silvæ-maj.*

WILLELMUS Dei gratia Vasatensis episcopus dilectis filiis suis P. S. Mariæ Silvæ-majoris abbati, suisque successoribus, fratribusque omnibus ibidem Deo servientibus, salutem & charitatem. De jure habemus & canone, ut ea quæ canonice acta esse videntur, litterarum inscriptione memoriæ commendentur, ut litteralis notitia quæ acta sunt præsentibus reducat ad memoriam, & eorumdem posteris præstet intelligentiam. Inde est fratres dilectissimi quod ecclesiam S. Hilarii de Sorzac quam vobis cum communi assensu capituli nostri dedimus, eam habendam in perpetuum cum pertinentiis suis tam acquisitis quam acquirendis, salvo jure episcopali, & archidiaconi vobis concedimus. Ut autem hæc nostra donatio rata habeatur, præsentibus litteris insigniri jubemus & præsentis sigilli auctoritate firmamus. Interfuerunt autem huic donationi Lontardus archidiaconus, Vitalis sacrista, Vitalis de Lingo, Petrus de Cabozit, & quam plures alii, Petrus Giraudi, Petrus de Ladila, Severonus, Johannes de Laular, Berterandus S. Luperculi, W. senex. Acta sunt hæc ab incarnat. Domini MCLXIII. indict. XI. epacta XIV. ciclo Lunari V.

VI.

Gaillardus episcopus Vasatensis subjicit Silvæ-majori domum canonicorum Regularium Bellis-fontis.

AILARDUS Dei gratia Vasatensis episcopus universis fidelibus has litteras inspecturis salutem. Quoniam ea quæ ad dirigendum statum ecclesiarum & amore religionis cultum propagandum, a quibuslibet, & maxime ab ecclesiasticis personis ecclesiarumque prælatis in perpetuum statuuntur, ut majori debeant imposterum firmitatis robore convalescere, scriptis commendandi autenticis, posterorum memoriæ, præsentis scripti significatione transmittere decrevimus, quod cum domus de Bello-fonte, quæ olim tempore tranquillitatis, & hominum pietate in gente a canonicis Regularibus constructa in temporalibus & spiritualibus satis profecerat, tandem perturbato tempore statu, & ipsa in utrisque a suo statu pariter vacillare videbatur, Helyas prior ipsius domus, & ceteri omnes concanonici ejus & conversi, ne de toto statu suo crebrescentibus malis per incrementa temporum ad deteriora penitus declinarent, sibi consultius in posterum providentes ob cultum religionis arctiorem profitendum, semetipsos, & domum eandem de Bello fonte cum omnibus pertinentiis suis, domosque de Artholes, de Monte-lauri in Burdegalensi diœcesi sitas monasterio Silvæ-majoris solemniter & plenarie contulerunt, subdentes se regimini, & præceptis abbatis, & fratrum monasterii ejusdem, ipsamque domum eis continuo tradiderunt per monachos ordinandam; ptiore ejusdem domus de assensu omnium prioratui suo renuntiante, & monacho quodam Silvæ-majoris postmodum in loco illius, qui vicem prioris gereret substituto, quibusdam aliis monachis ad commorandum ibidem & serviendum Domino pariter constitutis. Quia ergo religiosorum virorum profectibus intendere ad dirigendum statum eorum communibus votis & intensis studiis eniti debemus, donationem prædictæ domus factam ratam habentes, & eorum factum approbantes intuitu religionis & ordinis qui in supradicto monasterio inconcusse Domino propitiante observatur, eidem monasterio domum prædictam cum omnibus pertinentiis suis, & ecclesiis eidem domui a prædecessoribus nostris Vasaten. episcopis olim concessis pontificali auctoritate in perpetuum concedimus, & præsentis scripti munimine donationem ipsam & concessionem roborantes, sigilli nostri impressione confirmamus.

VII.

Charta G. episcopi Vasatensis, de non augendo numero XVIII *canonicorum ecclesiæ Vasatensis.*

1191. UNIversis in Christo fidelibus, ad quos litteræ istæ pervenerint G. Dei gratia Vasatensis episcopus, & universum capitulum Vasatense veram in vero salutari salutem. Quia ab antiqua ecclesiæ nostræ institutione, provida fratrum ordinatione pro rata facultatum ipsius ecclesiæ ad numerum x. & VIII. canonicorum ipsam ecclesiam meminit posteritas ordinatam, & nos prudenti usi consilio, auctoritate nostra, & omnium canonicorum assensu duximus statuendum, & ut loquamur verius, innovandum, consideratis etiam facultatibus ipsius ecclesiæ, ut ordinatio seu institutio canonicorum futuris in perpetuum temporibus præscriptum numerum, scilicet XVIII. non excedat, & quod nobis licere non patimur, nec nostro licere volumus successori. Nam testante canone, a providis ecclesiæ institutis pontifex, nec si vult, recedendi liberam permittitur habere licentiam, potissimum ne ipsa ecclesia noxia numerositate vilescat, neve etiam instituti præscriptam ecclesiam cogantur deserere, urgente, quod absit, inedia, cujus carebunt subsidio competenti. Et ut præscripta institutio nostra auctoritate, & omnium canonicorum fidei religione firmata perpetua stabilitate firmetur, neve novetea pacis oblivio hanc ipsam obliteret institutionem, præsentis scripti duximus testimonio confirmandam, & sigillorum nostrorum munimine. Huic autem institutioni interfuit & assensit R. archidiaconus Vasatensis, & V. de Lingone archidiacon. Vesium. vicarius & curator ipsius, & R. del Soler archidiaconus Blaviensis, D. de Buions sacrista, P. de S. Michaële, R. W. de la Comera, P. de Bernos, B. de Annisano sacerdotes & canonici. Item W. Ar. de Talaizon, R. de Langraneira, D. Amanen, V. Carbonel, V. de la Rocura, S. de Rimbers; Alquinus P. de Basadez, P. de Rama, G. de Girald. R. W. de Langor canonici. Item P. de Mota, D. Amanen de Boglon milites. Hoc autem factum est in capitulo matricis ecclesiæ, anno ab incarnatione Domini MCXCII. Celestino papa, vacante ab archiepiscopo ecclesia Auxitana, & R. Anglorum rege Aquitanorum duce.

VIII.

De sancti Fremerii monasterio dato abbati, & monachis S. Florentii.

A & Ω In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Raimundus Vasatensis episcopus, & Raimundus de Gentiaco dederunt Deo, & sancto Florentio, & domino Willelmo abbati, & monachis ejus, pro remissione omnium peccatorum suorum, & pro salute animarum patrum suorum, scilicet pro emendatione vitiorum monachorum in eodem loco male viventium, S. Fremerii cœnobium, cum omni facultate rerum suarum, ad cellam, & quidquid voluerit agendum. Quod donum concessit Wido comes Pictavensium Burdigalis in turre sua, ex qua re autem exstiterunt jussores & auditores multi, ex quibus vero unus fuit Raimundus Vasatensis episcopus, & Raimundus de Gentiaco, & Petrus de Castellione vicecomes, & D. Gumbertus, & D. Oliverius monachi professi jam supradicti sancti Florentii; sed quia narratio tantorum virorum multum ... fastidiosa, sicut dixit Dominus noster Jesus Christus: in ore duorum, vel trium testium satis sufficiendum est stare omne verbum, alios in prætermissione posuimus. *Ex archivis S. Florentii.*

Actum fuit autem procul dubio hoc donum anno ab incarnatione Domini MLXXX. sicut computatum est a multis latine in milium computo, regnante Philippo Francorum rege, tempore Gregorii papæ, qui Autdebrandus * dicitur in vocitatione † S. Raimundi episcopi. † S. Raimundi vicecomitis. † S. Willelmi clerici. * Hildebrandus.

IX.

Epistola Innocentii II. papæ ad Auscitensem archiepiscopum de abbatia sancti Fremerii.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Auxitano archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis clementia singulis locis & personis dignitatem & justitiam suam servare consuevit. Dilectus filius noster M. abbas S. Florentii ad nostram præsentiam veniens, significavit nobis, quod abbatia sancti Fremerii, quæ in tuo archiepiscopatu sita est, ad jus B. Florentii ex antiquo pertineat, & abbates ibidem constituti in monasterio S. Florentii professionem fecerunt, & tam tibi quam prædecessoribus suis obedientes exstiterunt. Quia igitur idem monasterium cum omnibus pertinentiis suis B. Petri juris existit, per præsentia scripta tibi mandamus, & mandando præcipimus, ut si P. præfatæ abbatiæ abbas professionem suam observare, & præfato filio nostro abbati debitam & consuetam obedientiam exhibere contempserit, absque dilatione debitam in ipso justitiam facias. Datum Later. III. cal. Februarii.

Digitized by Google

X.

Epiſtola Eugenii papæ III. ad R. Vaſatenſem epiſcopum de abbatia S. Fremerii.

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei R. Baſatenſi epiſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilectus filius noſter Mathæus abbas ſancti Florentii, nobis conqueſtus eſt quod abbas & monachi S. Fremerii debitam & conſuetam obedientiam ei ſubtrahant, & profeſſionem ſuam minime ſecundum regulam obſervent; & quoniam ſingulis eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis ſuam volumus exhiberi juſtitiam, per apoſtolica tibi ſcripta præſentia mandamus, quatenus eoſdem monachos ex noſtra parte diſtricte commoneas, ut debitam & conſuetam obedientiam eidem abbati S. Florentii abſque contradictione humiliter exhibeant, & exceſſus ſuos juxta ejuſdem abbatis commonitionem ſalubriter corrigant, alioquin inobedientiam & diſſolutionem eorum impunitas non præteribimus. Datum Sitrii x. cal. Maii.

XI.

Charta fundationis monaſterii Fontis-Guillelmi.

1124. *Ex chartario Fontis-Guillelmi.*

IN nomine Domini noſtri .... ego Petrus vicecomes de Caſtello .... animæ meæ & parentum meorum P. ..... & per omnes ſucceſſores meos dono libere |. ... concedo Domino Deo & beatæ Mariæ, & be... omnibuſque fratribus de Gondonio, 1°. locum qui appellatur, & eſt in nemore de *Til* ad conſtruendam abbatiam ſecundum inſtitutum & ordinem Ciſtercienſium atque Cadunenſium: in eodem quoque nemore dono terras deſignatas ad faciendos ortos, viridarias, vineas, & agriculturas. Dono etiam habitatoribus Fontis-Guillelmi, eorumque poſteris per me & per poſteros meos omnes terras ... & per allodium, quas milites mei illi aliquatenus dederint, & quas ab ipſis emere potuerint. Similiter concedo, & libere dono, & per omnes ſucceſſores meos, omnes terras quas ab hominibus meis allodialibus & libertis, qui habitant in parochia de Til, & de Maſſilia & de Caubiniaco, aliquo juſto modo acquiſierint, & quas ipſi homines ſponte ſua illis largiti fuerint. Inſuper dono & libere concedo per me & per omnes ſucceſſores meos, habitatoribus Fontis-Guillelmi, tam præſentibus quam futuris totum .... propria edificia ad ..... diverſi generis, atque ad ..... ficia neceſſaria ſunt, & pa .... tum ſuarum, atque ad ſoſtralia colligenda .... quos per ſaltus omnes & terras noſtras incul ..... in partibus illis fratres Fontis-Guillelmi ſine impedimento, & contradictione, libere habeant & exerce ..... Hoc donum facio uxore mea Bona-filia volente & concedente, & Giralda filia mea, & filio meo Garſia W. qui huic loco, & dono, & terris, cum deſignarentur, cum aliis multis interfuit, voluit & conceſſit. Hoc donum vero Guillelmus Petri de Cobiiac Foreſterius ſupradicti nemoris voluit, laudavit & benigne conceſſit, & quidquid ad ipſum pertinebat, & ſui juris erat in præſentia mea, & omnium qui aderant, per ſe, & per omnes ſuos, & per omnes poſteros ſuos, pro ſalute animæ ſuæ & parentum ſuorum, ſupradictis fratribus amore Chriſti dedit. Si autem vel ego vel ſucceſſores mei pia deliberatione habitatoribus Fontis-Guillelmi aliquas terras in ſupradicto nemore ad faciendas agriculturas deinceps dederimus, hoc ipſe Guillelmus Petri de Cobiiac gratanter accepit, & libenter conceſſit, atque ſub multorum virorum teſtimonio quidquid dare per ſe & per poſteros ſuos potuit, dedit, & donum in manu noſtra firmavit .... dictum nemus de Thil de ni ..... bat ne illum injuriis gravaretur, & ..... inferrem & ut collata Chriſto elemoſina am ..... me ipſius eſſet ſalubris .... charitatis .... dicto meorum ſuorumque amicorum, tertiam partem ..... ptamenti quod in jure parentum dare debebat .... ei per omne tempus ejuſque ſucceſſoribus, quod ſibi ſuiſque ..... it plurimum & pergratum fuit atque acceptum; donumque quod mihi, meiſque ad faciendam elemoſinam juxta præpoſituræ ſuæ officium, W. Petri gratis conceſſerat, & coram clero & populo in manu mea firmaverat; eodem die apud Fontem W. cum gaudio & letitia in manu Bernardi Gondonenſis abbatis dedit, & cum oſculo firmavit. Deinde abbas & fratres ſui me & meos, & W. Petri, & ſuos tam præſentes quam futuros receperunt in fratres & in monachos; feceruntque participes & ſocios bonorum ſuorum, tam ſecundum Deum quam ſecundum ſeculum. Hujus doni, conceſſionis, concordiæ & pacti, omniumque ſupradictorum teſtes ſunt, laudatores & conſiliarii Cenebranus de Maſſellas, Garſias W. nepotes vicecomitis. Arnaldus Bernardi de Sauviac juvenis. Garſias Arnaldi de Cuios .... de Maſſilia, & W. de Lugal ..... Garſias de Larath ca .... Raimundus capellanus de Til vita ... .. as & W. Raimundi de Til, W. Arnaud .... de Til, Donatus W. de Boroth, W. de ..... del Brequelar prepoſitus vicecomitis Arſi ..... naval Garſias Sanſfaber de Macetert W .... de las Barreiras, & Raimundus frater ejus, Centullus de Mas ... & multi alii. Ad ultimum hoc donum ſepe dictum, & hec omnia ſupraſcripta ut majorem authoritatem habeant, & ut firma & inconcuſſa inpoſterum, & per omne tempus permaneant, in manu Bertrandi Vaſatenſis epiſcopi facta ſunt atque firmata, qui locum Fontis Guillelmi ab initio conſtruxit & conſecravit. Anno ab incarnatione Domini MCXXIV. Honorio papa præſidente eccleſiæ Romanæ, regnante Lodoico Francorum rege puinguiſſimo, & vivente Guillelmo comite Pictavienſi & Aquitanorum duce. Hujus doni, & omnium horum teſtes ſunt Stephanus de Lebret archidiaconus Vaſatenſis, qui epiſcopus fuerat, & Fonto de Pelagrua archidiaconus, & Gauſelmus archidiaconus, Raimundus de Gleiret archipreſbiter, Arnaldus de Lugarat ſacriſta, Auſtoratus claviger, Bernardus Dengoliſma, Raimundus de Caſtaiers; & alii multi canonici.

Digitized by Google

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM TARBIENSEM SPECTANTIA.

I.

Heraclius epiſcopus Bigorrenſis, & Bernardus comes, dant monaſterium SS. Felicis & Liceriі Cluniacenſibus.

1064. Ex autogr. EGo Heraclius Dei gratia Bigorrenſis eccleſiæ epiſcopus, & Bernardus Bigorrenſis comes, deſideramus & rogamus omnes Chriſti fideles, tam futuros quam præſentes, ut ſint reſtes & fautores negotii quod inpræſentiarum dicturi ſumus. Ex hereditate parentum noſtrorum devolutum eſt ad poſſeſſionem noſtram monaſterium in territorio Bigorrenſi ſitum, quod eſt conſtructum in honore beati Felicis martyris, & beati Liceriі confeſſoris & epiſcopi; in hoc ex multo tempore congregatio fuit monachorum, ſed pro peccatis noſtris per incuriam noſtram & aliarum perſonarum, ad quarum curam & diſpoſitionem idem monaſterium pertinuit, non ita valebat ibi regularis diſciplina & ordo monaſticus, ut vel Deo placeret, vel nobis ad ſalutem animarum noſtrarum expediret, viſum eſt nobis quærere conſilium & auxilium domni Hugonis reverendi abbatis, & regentis illud reverendum collegium monachorum Cluniaco congregatorum: per hujus loci abbates cum pleraque monaſteria reſtaurata ſint & meliorata per charitatem, quæ, ut ait apoſtolus, omnia ſperat, affectavimus nos quoque ſimile beneficium eorum ſanctitatis obtinere. Hujus rei gratia pro ſalute animarum noſtrarum & parentum noſtrorum, facimus ipſis prædicti monaſterii traditionem & omnium rerum ad hoc quolibet modo pertinentium Domino Deo & ſanctis ejus apoſtolis Petro & Paulo ad locum cujus ſupra meminimus Cluniacum, eo tenore, ut Cluniacenſis congregatio perpetuo jure illud habeat & poſſideat, & hujus congregationis abba, videlicet Cluniacenſis, ſecundo loco poſt ſe committat, cui velit & quomodo velit curam monaſterii, & hoc ſemper fiat ſine omnium mortalium contradictione. Volumus quoque ut liberum ſit & abſolutum ab omni ſervitio & poſteris noſtris, & cuilibet ſeculari, vel eccleſiaſticæ poteſtati, & hoc ſit manifeſtum & indubitatum, quod noſtra eſt voluntas, noſtra petitio, ut hæc eadem noſtra traditio per Romanum pontificem confirmetur, ut quicunque eam violare & infringere tentaverit, ſciat ſe per ejus auctoritatem excommunicatum, & a ſancta Dei eccleſia ſeparatum. Hæc autem carta ſcripta eſt in ipſo Bigorrenſi caſtro, & data XI. cal. Decembris, anno Dominicæ incarnationis MLXIV. regni autem Philippi regis Francorum IV. ind. II. Signum domni Heraclii Bigorrenſis epiſcopi. S. domni Bernardi Bigorrenſis comitis, qui hanc cartam dederunt. S. domni Stephani Oloronenſis epiſcopi. S. domni Durandi Toloſani epiſcopi. S. Gregorii Laſcurrenſis epiſcopi. S. Petri Aturrenſis epiſcopi. S. domni Bernardi Armaniacenſis comitis.

II.

Privilegium a Carolo comite Marchiæ & Bigorræ filio Caroli regis, Guillelmo Hunaldi epiſcopo conceſſum.

1319. Ex reg. Tarbiens. CArolus regis Franciæ filius, comes Marchiæ & Bigorræ, ac dominus Criciaci & Fulgeriarum ſalutem. Notum facimus quod cum dilectus & fidelis noſter Guillelmus Hunaldi Tarvienſis epiſcopus, nobis cum inſtantia ſupplicaſſet, ut ſuper quibuſdam infra ſcriptis quibus dicebat ſe, eccleſiam ſuam, clericos & perſonas eccleſiaſticas, a nobis ſeu noſtris gentibus contra juſtitiam gravatos, eidem provideremus de remedio opportuno; videlicet quod cum contingit infra comitatum noſtrum Bigorræ clericum vulnerare, vel percutere clericum aut laicum; aut ſi contingat clericum vulnerari vel percuti uſque ad effuſionem ſanguinis, vel fractionem membri, vel a ſe ipſo aut bruto animali, vel caſu fortuito, niſi plagam ſeu vulnus & membri fractionem oſtendat gentibus noſtris in recentia facti, licet de jure communi, & conſuetudine notoria regni Franciæ, dictorum clericorum de factis perſonalibus punitio, cognitio, & correctio ad ipſum epiſcopum pertinere noſcatur; nihilominus ſeneſcallus vel alii officiales noſtri Bigorræ, indebite compellunt eoſdem clericos ad ſolvendum ſibi pro præmiſſis emendam, legem ſeu pœnam ſexaginta quinque ſolidos Morlanenſes, vel ad tradendum ipſum brutum animal, aut rem damnificantem pro dicta lege ſeu noxa; quod nonobſtante iſta abolenda conſuetudine, quæ corruptela dici potius debet, in præjudicium juriſdictionis eccleſiaſticæ, de cetero per gentes noſtras fieri prohibemus præmiſſos abuſus, ad jus commune penitus reducentes. Item quod quando contingit aliquem laicum falſum dicere, aut alium delinquere tali delicto cujus punitio & cognitio de conſuetudine regni notorie ad judicem eccleſiaſticum ſpectat, ſi idem epiſcopus capiat eoſdem laicos hic delinquentes, & ultra unam noctem teneat, ad faciendum de ipſis juſtitiæ complementum, dictus ſeneſcallus, ſeu alii noſtri officiales Bigorræ indebite petunt ab ipſo epiſcopo pro quolibet nocte ſexaginta quinque ſolidos Morlanenſes, licet idem epiſcopus carcerem habeat, & ejus prædeceſſores habuerint ab antiquo, & ad ipſum pertinere noſcatur detentio, punitio & correctio prædictorum, quam exactionem quacumque corruptela in contrarium nonobſtante per ſeneſcallum, & alios officiales noſtros de cetero fieri prohibemus: cum noſtræ intentionis non exiſtat juriſdictionem eccleſiaſticam impedire quominus delinquentes ipſos tenere debeat & punire. Item quod ſi contingat per aliquem de ſubditis ſervitoribus vel familiaribus ipſius epiſcopi vel clericorum, ſeu perſonarum eccleſiaſticarum aliquem vulnerari vel ſanguinem ab ipſo abſtrahi, ſeu membrum aliquod frangi, & perſona delinquens fugiat, aut ſolvendo non exiſtat, vel epiſcopus ipſe, aut alia eccleſiaſtica perſona eccleſiaſticam ipſam perſonam delinquentem non tradat eiſdem ſeneſcallo ſeu noſtris officialibus, præfatus ſeneſcallus ſeu alii noſtri officiales compellunt ipſos epiſcopum, clericum, ſeu perſonam eccleſiaſticam ad ſolvendum ſibi pro delinquente legem, ſeu penam 65. ſolidorum Morlanenſium, licet idem epiſcopus, clericus, ſeu perſona eccleſiaſtica culpabiles non exiſtant; quem abuſum ſeu corruptelam de medio tollentes, juri communi duximus reducendum. Item quod ſi aliquis clericus vel perſona eccleſiaſtica in habitu & tonſura clericali capiatur per dicta gentes noſtras, quamvis ratione vel cauſa dicti officiales noſtri compellant eundem ad ſolvendum carteragium, ſeu perſonagium, quod abuſum in contrarium nonobſtante de cetero fieri vetamus, niſi hoc caſu quo clericus a jure permittitur a ſecularibus capi. Item volumus quod excommunicati qui per annum & amplius in excommunicatione pertinaciter ſteterunt, bonorum ſuorum captione, & alii juris remediis per noſtros officiales, ſi, & quando ab epiſcopo, vel ejus officiali exiterint requiſiti, debite compellantur redire ad eccleſiaſticam unitatem, prout in areſto regio ſuper hoc edito videbitur contineri, mandantes ſeneſcallo, & aliis officialibus noſtris Bigorræ modernis, & qui pro tempore fuerint, ut prædicta omnia & ſingula compleant, tenerique & inviolabiliter obſerva-

Digitized by Google

ti in posterum faciant cum effectu: in quorum omnium fidem & testimonium, & ut præmissa firma perpetuo ac stabilia perseverent, præsentes litteras præfato episcopo concessimus, sigilli nostri appensio. e munitas. Datum Rabastench in Bigorra XXI. die Februarii, anno Domini MCCCXIX.

III.

Willelmus abbas S. Laurentii vendit priori de Madiran ecclesiam S. Laurentii in Bigorra.

Ex chartul. Madirano apud cl. P. Sor. Jesu. Tolos.

NOtum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod Willelmus abbas sancti Laurentii, non nobilis, vendidit priori de Madirano nomine Grimaldo & domui ecclesiam sancti Laurentii, cum omnibus appenditiis suis per mille & quingentos solidos Morlanensis monetæ; prior vero dictus G. & monachi ejusdem domus acceperunt eum in fratrem, & monachum eum statim fecerunt; uxor vero illius cum filiis suis ad pistrinum venit, & domus quandiu vixerunt dando necessaria eis providit. Hæc venditio ecclesiæ sancti Laurentii facta est a Willelmo supra dicto, Grimaldo Bertrau existente priore de Madirano, & Eracleo præsule Bigorræ, & Bernardo Centullo comite Bigorrensi.

IV.

Abbas S. Martini de Bidos vendit ecclesiam S. Martini de Bidos priori Madirani in Bigorra.

Ex chartul. Madirano.

NOtum sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod Vilelmus Mazone rusticus abbas ecclesiæ S. Martini de Bidos impignoravit ecclesiam S. Martini de Bidos ad Dieusid monacho de Madiran, pro centum solidis Morlanensis monetæ, & ita monachus iste longo tempore possedit ecclesiam impignoratam; tandem longo annorum curriculo monachus iste mortuus est, & remansit ecclesia impignorata domui de Madirano. Post multum vero temporis Villelmus jam dictæ abbas ecclesiæ excommunicationis vinculo acriter innodatus extitit, quia ipse tenebat ecclesiam, eo quod laicus esset. Postmodum vero Villelmus abbas, quia aliter a severæ interdictionis vinculo liberari non poterat, sæpe dictam ecclesiam cum omnibus appenditiis suis Alamanno del Mored priori de Midera, & monachis eidem loco servientibus ducentis solidis Morlanensis monetæ, sine illis centum solidis quas Dieusid eidem causa pignoris oneraverat, usque ad finem mundi vendidit; & hoc Villelmus fecit in manu A. de Sanlano, & Augerii fratris sui, & Odonis, & Bernardi, & voluntate & permissione illorum, quia ipsi erant majores domini illius & ecclesiæ. Hæc venditio ecclesiæ de Bidos facta fuit Alamanno del Mored priore existente de Madirano, & Bernardo Lobat de Montesquieu episcopo Tarviæ, & Centullo comite Bigorræ.

V.

Dantur ecclesiæ Madiranensi quinque solidi annuales sumendi in tribus abbatiis villæ de Tarasteſſ in Bigorritana provincia.

Ex chartul. Madirano.

NOtum sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod Fortanerius de Laveda vir nobilis magnæque potentiæ, divina gratia celitus inspirante, pro redemptione animæ suæ, necnon pro venia parentum omnium suorum tam præcedentium quam subsequentium, libera manu dedit & obtulit Deo & beatæ Virgini Mariæ de Madirano, & monachis, & fratribus eandem domum habitantibus, quinque solidos Morlanenses annuatim in tribus abbatiis, quæ sunt in villa quæ vocatur T. rastess, nomine suo; & ita hoc instituit prædictus Fortanerius, ut unaquæque abbatia illarum trium in festivitate omnium sanctorum domui de Madirano persolveret viginti denarios. Hæc oblatio facta fuit Arnaldo Willelmo d'Oson episcopo Bigorræ, & Arnaldo de Roserio existente priore Madirani, & Gastone comite Bigorræ, & vicecomite Bearni.

VI.

Charta translationis monasterii Scala-Dei.

1142. *Ex antiqu.*

IN nomine Domini nostri J.C. Noverint universi quod cum abbatiæ Scalæ-Dei fides est transmuratio, locum vero illum ad quem translata est dominus Acenarius prior de sancta Christina, consilio Arnaldi Levitanensis vicecomitis, & Raimundi de Burgo, a quibus illum acceperat, Bernaldo Scalæ Dei abbati, & fratribus ibidem Deo servientibus libere dedit, & dando in manu ipsius abbatis per manum suam firmavit. Consul namque Bigorritanus, & uxor illius Beatrix [a], quibus Bigorritanorum regendorum potestas, disponente gratia divina commissa est, ut rationem Deo reddere valeamus, ad officium nostrum pertinet, ut inter discordantes pacem reformemus, subditorum excessus legali censura coerceamus, & provinciam a malis hominibus extirpemus; & etiam omnes homines Deum timentes, & sub habitu religionis devote viventes, & servitio Dei manciparos in terra nova loci stabilitatem servantes sub nostra protectione, & calumniantium tramite, & a pessimorum exactione defendamus, & eorum partem pie & misericorditer sublevemus; locum de Scala-Dei in honore beatissimæ virginis Mariæ constructum, ut Dei misericordiam consequamur, non solum ipsum locum cum suis pertinentiis prædicto abbati firmaverunt, verum etiam terras alias quæ in ejus confinio erant abbatiæ necessariæ, pro peccatorum suorum remissione in eleemosinam obtulerunt. Ab illo igitur loco ubi domus leprosi esse solet, usque ad rivulum Gurgæ, qui Aqua-calida appellatur, totam terram quæ infra Rossinum est & montes, eisdem jam nominatis fratribus in manu Guillelmi Bigorritani episcopi in perpetuum tradiderunt; & ne injuriam facere videretur hominibus de bona mansione, qui eam excolere solebant, Guillermo de Arcisac vicario suo mandaverunt, ut illi qui duas perticas terræ ibi habebant in consulari nemore juxta Vidalbos, tres perticas daret; illis vero qui tantum unam, alteram & dimidiam. Præterea ut res in pace & sine querimonia maneret, in perpetuum præfatus abbas pro nemoris extirpatione octoginta & octo solidos illis dedit, & unicuique, ut jus erat, nummos illos æqualiter divisit, & insuper orationum participes illos fieri voluit. De illo namque campo qui Artigue consularis dicitur, & pro terris incultis quæ illi campo adjacent, Raimundo Bernardo de Arroca, & Arnaldo Guillermo de Malovicino, 20. solidos, & unum bovem dedit. Hujus venditionis firmationem dederunt ipsi milites in manu Bernardi abbatis in hospitio coram fratribus. Item Augerius de Sola, & nepotes ejus B. & S. Donatus de adventu abbatiæ gaudentes ad dominum abbatem Bernardum, & ad fratres suos venerunt dicentes, terra namque ista quam locus iste possidet, in quo abbatia fundata est, ex ista parte aquæ, & ad nostrum jus pertinet; cujus partem Arnaldo vicecomiti Levitano jam olim vendidimus; & in ejus manu inconcusse firmavimus. Aliam denique partem eidem in pignus misimus, tertiam vero adhuc possidemus; nunc igitur venditam parati sumus firmare, & istam quam nondum vendidimus, vobis si placet volumus venundare. Placuit itaque iste sermo abbati, & facto cum eis mercato, quemdam casalem in Cepeda, & unum equum eis dedit, & ab illis supradictæ terræ firmationem accepit. Tunc ipse Augerius & nepotes sui, ne posteri de hujus venditionis causa dubitarent, terminum posuerunt ad radicem montis, qui est super planticum de Salis, & a rivulo qui descendit a monte usque ad Rossinum quidquid terræ habebant, & se ibi possidere putabant, infra terminum illum concluserunt. Et inde venientes per ejusdem montis radicem ad veterem viam quæ adversus meridiem est, metas posuerunt, & quidquid infra illam viam & montem, & rivulum atque Rossinum, cultum & incultum habetur, supra nominato

[a] Beatrix II. filia Centuli II. cujus mater Beatrix I. Centulo I. attulit Bigorræ comitatum.

abbati

abbati lege vendentium firmaverunt firmando, ſe A ſemper authoriſaturos remota omni calumnia promiſerunt. Caſalem vero de Cepeda ſupradictum, qui Augerio pro hujuſmodi mercati gratia traditus fuit, B. abbas ab epiſcopo & ejus canonicis in eorum capitulo impetravit, & pro eo 40. ſolidos Arnaldo de Ribafoſſita, qui eum in pignus tenebat, exiolvit. Terra autem illa ubi vinea eſt, eoſdem habet terminos quos in prima venditione habuit ſibi impoſitos. Arnaldus Guillelmus de Ribafoſſita, cum uxore ſua & ejus hominis de Cepeda, conſilio & voluntate illius vendiderunt Bernardo abbati Scalæ-Dei, & fratribus ibidem Deo ſervientibus, totam terram quam habebant, & quam hereditario jure poſſidebant in Ar igas, juxta Roſſium pro 72. ſolidis Morlanenſis monetæ.

Sequuntur multa alia venditiones & donationes facta monaſterio. B

Grangiam vero de Cabadur, ubi abbatia primitus facta fuit, Forto de Vico, qui locum illum a Centulo comite impetraverat, conſenſu & voluntate Guillermi Bigorritanorum epiſcopi, & Petri Bigorræ conſulis *a*, ejuſque uxoris Beatricis dedit Valcherio abbati Morimundenſi, & Bernardo Scalæ Dei abbati, in manu Guillelmi Auxitanenſis archiepiſcopi, & Romanæ eccleſiæ legati. Laudamus & confirmamus, & in perpetuum per nos & ſucceſſores noſtros, & omnia quæcunque ſunt oblata, vel vendita, vel data, vel quocunque modo alio acquiſita prout ſuperius deſcripta ſunt, vel in futuro fuerint, iterum laudamus, & confirmamus in perpetuum, & ſub noſtra protectione & noſtrorum ponimus. Quapropter ego Beatrix Bigorritanorum comi- C tiſſa in conventu Ciſtercienſium, & abbatibus illius ordinis & monachis & fratribus in vigiliis, & in jejuniis & orationibus, & ceteris bonis, caritative, ut ſim particeps recepta, & in Chriſto inter fratres de Scala-Dei ſoror numerata, conſilio & voluntate mariti mei Petri de Marciano, pro redemptione animæ meæ, & Petri mariti mei, & patris mei Centuli, & Amabiliæ matris meæ, & aliorum parentum meorum, dono & concedo in perpetuum per me, & per omnes ſucceſſores meos, nulla facta retentione, in primis Deo & eccleſiæ beatæ Mariæ Scalæ-Dei, & tibi Bernardo ejuſdem loci abbati, & tuis ſucceſſoribus, & omnibus monachis & fratribus, tam futuris quam præſentibus, cor firmo, & in perpetuum corroboro, ita ut libere & quiete, & ſine omni vexatione a me & a meis, &. ſine omni D ſervitio & præſtatione habeatis, quæ ab aliis oblata ſunt vel fuerunt, ſive data, ſive vendita, & quocunque ubi acquiſita, prout ſuperius deſcripta ſunt, ſive in locis præſentibus, grangiis prænominatis, ſive etiam in toto noſtro comitatu laudo, & ſub protectionem meam & mariti mei, & filii mei Centuli, & aliorum deſcendentium pono. Si quis in poſterum huic noſtræ inſtitutioni contraire tentaverit, aut calumniam ſuſcitaverit de genere noſtro, propria hereditate, & ab omnibus meis alienum conſtituo, quouſque centum marchas argenti eidem loco perſolvat pro ſumma præſumptione, & perenniter omnino deinceps taceat. Facta eſt hujuſmodi donatio & confirmatio in præſentia quorum ſupra & & domni Guillelmi Auxitanenſis archiepiſcopi, & epiſcoporum comprovincialium domni Guilermi Bigorritani *b*, domni Vitalis Adurenſis, domni R. Laſcurenſis, domni Guilermi Aquenſis, domni A. Convenarum, domni Boni-hominis Conſeranenſis, Raimundi Toloſanenſis, anno ab incarnatione Domini MCXLII. Septembris duodecima die.

a Id eſt comitis, qui erat vicecomes Martianenſis, & comes Bigorritanus, ex ſuæ uxoris Beatricis capite, quæ erat Centulli comitis filia, & ſola heres.

b Nonnulla hic videntur emendanda. Guillelmus Bigorritanus non ſedebat anno 1142. cum ejus ſucceſſor jam præeſſet an. 1141. Hoc anno 1142. Vitalis non erat epiſcopus Adurenſis, ſed Bonushomo. Convenenſis erat Rogerus, &c.

VII.

Donatio medietatis abbatiæ de Goz facta monaſterio ſancti Savini.

Ex chartular. S. Savini, fol. 2.

EGo Cornelia uxor Arnaldi Guillelmi de Barbata dono Domino Deo & beato Savino, cum conſilio & voluntate mariti mei Arnaldi Guillelmi medietatem totius abbatiæ eccleſiæ de Goz, libere, & ſine retentione, facta donatione in manu Ebrardi abbatis, præſente capitulo. Familiares & confratres facti ſumus ego & vir meus ipſius monaſterii ſanctiſſimi confeſſoris Chriſti Savini, nos commendantes in vita & in morte ipſius defenſioni & patrocinio. Hoc dum factum eſt Arnaldo de Laveda, Guillelmo Bernardo de Sent Paſtors, Bol de Benac, Raimundo de Bilſag, præſentibus & aliis nobilibus binis laicis.

Ego vero Cornelia uxor Raimundi Garciæ de Lavedan donationem medietatis abbatiæ eccleſiæ de Goz, quam avia mea Cornelia uxor Arnaldi Guillelmi de Barbata monaſterio ſanctiſſimi confeſſoris Chriſti Savini jam dudum fecerat, eamdem donationem laudo, approbante viro meo in manu Emenonis abbatis, & confirmo ſuper altari ſancti Savini, & ſuper ſacroſanctis evangeliis juramento corporaliter præſtito, Petro *c* de Martiac exiſtente Bigorritano comite, & Guillelmo *d* Arnaldo epiſcopo.

VIII.

Bulla Alexandri III. papæ, qua poſſeſſiones monaſterii ſancti Savini Tarbienſis confirmat.

ALexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Deuſdet electo ſancti Savini, ejuſque fratribus tam præſentibus quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Quoties illud a nobis petitur, &c. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Caſtrum ipſum in quo idem monaſterium ſitum eſt; eccleſiam ſancti Johannis cum villa de Bencus cum pertinentiis ſuis; eccleſiam ſancti Martini de Artiſſans cum omnibus quæ infra ejuſdem terminos idem monaſterium habet: eccleſiam ſancti Martini de Cauteres cum balneis, & quidquid in valle ipſa, vel in Æſtivis habetis; capellam ſancti Andreæ de Solon, villam de Neſtalas cum terminis ſuis, & capella ſancti Petri ejuſdem villæ; capellam ſancti Bartholomæi d'Adaſt; capellam ſancti Martini de Balaigas; eccleſiam ſanctæ Mariæ de Caſtel; eccleſiam ſancti Saturnini de Orout, & quidquid infra terminos ipſius villæ habetis; capellam ſanctæ Cæciliæ de Uzol; eccleſiam ſancti Saturnini d'Ugos; quidquid habetis in eccleſia ſanctæ Mariæ de Cera; quidquid habetis in villa de Arreins, in prædiis, decimis & ruſticis; quidquid habetis in villa d'Aucun, & in villa de Guaillaguos, & in villa de Areiſans, & in villa de Bun, in prædiis, decimis & ruſticis; quidquid habetis in villa d'Arras; & infra terminos ejuſdem villæ; quidquid habetis in Villa-longa, & in eccleſia ejuſdem villæ, in prædiis, decimis & ruſticis; eccleſiam ſancti Vincentii de Beaviens, cum pertinentiis ſuis; villam de Souin, cum pertinentiis ſuis; boveriam de Puiſſeda, cum pertinentiis ſuis; boveriam de Sois, cum pertinentiis ſuis; quidquid habetis in villa de Lurp, in prædiis & decimis; quidquid habetis in villa de Curel, & infra terminos ejus; in valle de Barege; cellam ſanctæ Mariæ, cum pertinentiis ſuis; quidquid habetis in eccleſia ſanctæ Mariæ de Villars; boverias de Thiezam & Balaignam, cum pertinentiis ſuis; quidquid habetis in eccleſia de Geu; domos quas habetis in Syracuſana civitate, cum ſolo ſibi pertinenti; hortum, cum vineis extra eamdem civitatem; campos quos habetis in territorio de Curtida, & quidquid præſcriptum monaſterium a quadraginta annis huc uſque juſto titulo, quiete & incontuſe poſſedit; & inpræſentiarum noſcitur pacifice poſſidere, vobis nihilominus authoritate apoſtolica confirmamus. Decernimus ergo;

1163

c Petrus iſte vicecomes erat Martiacenſis, ſeu Martianenſis, & comes Bigorræ ex capite uxoris Beatricis. Vide Oihenarium in ſtemmate comitum Bigorrenſium.

d Vel potius Arnaldo Villelmo, niſi dicamus indicatum hic Villelmum I. qui ſedit quoque tempore Petri Bigorritani comitis.

ut nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium perturbare temere, &c. Ego Alexander eccleſiæ Catholicæ epiſcopus ſignavi. Ego Bernardus Portuenſis S. Rufinæ epiſcopus. Ego Balterius Albanenſis epiſcopus. Ego Uraldus preſbyter cardinalis tituli S. Crucis in Jeruſalem. Ego Bozo preſbyter cardinalis S. Pudentianæ tituli Paſtoris. Ego Petrus preſbyter cardinalis tituli S. Laurentii in Damaſo. Ego Teodhitus preſbyter cardinalis tituli Veſtinæ. Ego Hyacintus diaconus cardinalis S. Mariæ in Coſmide. Ego Odo diaconus cardinalis S. Euſtachii juxta templum Agrippæ. Ego Petrus de Bonozo S. Mariæ in Aquiro diaconus cardinalis S. Mariæ-novæ. Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. notarii XVI. kal. Aprilis, indictione XV. incarnationis Dominicæ anno MCLXVII. pontificatus vero domini Alexandri papæ III. anno VIII. *Cum ſigillo dicti ſummi pontificis.*

IX.

Inſtrumentum de fundatione monaſterii S. Petri Generenſis.

Ex tabul. S. Petri Ger.

EGO SANCIUS præordinatione Dei, totius Gaſconiæ princeps & dux. Sæpius audiens illud evangelicum, quia *non eſt arbor bona, quæ non facit fructum bonum*; & aliud a Domino præceptum: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, ubi fures non effodiunt, nec furantur*, ſed cum promiſſione vitæ æternæ bona centuplicantur, conſtituo vobiſcum Virones hoc in loco Generenſi cœnobium in honore B. Petri apoſtolorum principis pro redemptione animæ meæ, & parentum meorum, atque hunc locum, & villam, & poſſeſſiones ad eam in circuitu pertinentes abſolvo, & abſolutas eſſe pronuncio ab omni cenſu alicujus dominationis, ab amica inquiſitione ullius poteſtatis, in præſentia principum totius Gaſconiæ hîc aſtantium, multorumque aliorum hujus abſolutionis fautorum, & in præſentia Raimundi Guilhermi de Benaco, & Arnaldi Raimundi de Baſo; a quibus ambobus alodium hujus villæ liberum habeo, quemadmodum nunc in brevibus demonſtrabo. Dum ad hujuſmodi ædificationem inſpirante Deo mihi animus accenderetur, & oportunitas hujus quaſi deſerti, ad id operis noſtræ præſentiæ laudaretur, contigit Arnaldum Raimundum de Baſo adeſſe in curia mea pro ſolito, ſimiliter vero poſt aliquantulum temporis Raimundum Guilhermi de Benaco. Hos igitur circumveniens, & voluntatem meam ſub tali deliberatione proferens, primitus habui, & modo habeo ſub teſtimonio veſtro ditores hujus alodii cum appenditiis ſuis, fautores cœnobii, adjutores ædificii, maxime propter amorem Dei, & propter munus quod eis dedi pro velle ſuo. Dedi enim ob hoc, Raimundo Guilhermi de Benaco, quatuor ſuæ electionis equos, & meam loricam, cum ingenuitate totius Benacenſis honoris qui mihi erat ſervitialis, videlicet ferrarium cum appenditiis ſuis. Arnaldo Raimundi de Baſo dedi ob hoc meam in Vigorra villam opulentiſſimam Semeiacum nominatam, cum ingenuitate Baſi, & totius Baſenſis honoris ad eum pertinentis. Inſuper autem neuter amborum horum ducatur ex debito ab ullo ſucceſſore meo in expeditionem, quando quidem adimpleverunt meam voluntatem. His itaque peractis manus meas ad cœlum elevo, & in præſentia veſtra Deo omnipotenti, ac B. Petro apoſtolorum principi, ſupradictum alodium cum appenditiis offero, atque ſine ulla contradictione, ſicut pridem, abſolvo. Deinde donum ſuper ejus altare pono, ut nunquam in aliqua hujus donationis particula, ſpem habeat dominandi ulla ſubſequens poteſtas, niſi qui regulariter præfuerit abbas. Ad hæc quidem ad victum clauſtrenſium monachorum, inter alia dona do beato Petro villam Laſſunis dictam nomine, cum omnibus appenditiis ſuis, quam propter propinquitatem hujus loci a Centullo proconſule Bearnenſi cambiendo recepi, datis ſibi pro ea duabus villis, ſcilicet Merolis & Caſlini*. Quid plura in dilectione Dei & beati Petri, & mei veſtri proximi, vos omnes deprecor, & quibus poſſum mandans obſecro, tam conſules quam proconſules, cæteroſque viros militares, ut quod ego hîc conſtituo, vel me fideliter conſtituere vobiſcum exiſtimo, pariter vos ſervaturos Deo & beato Petro, & mihi promittatis, atque promiſſionem ſuper hoc altare beati Petri apoſtolorum principis ſacramentis corroboretis, veſtroſque ſucceſſores eadem ſervaturos præordinetis, quatenus tanti operis fructum a Redemptore noſtro colligere mereamur gaudentes in ſecula ſeculorum. Dumque omnes amen reſpondiſſent, & fiat, fiat, exultantibus animis proclamaſſent, paululum adjecit: ſcitis, inquit, ſtrenuiſſimi viri, non eſſe conveniens apoſtolorum principem in ſuis honoribus, quaſi ſuper habere ſibi ſeculares principes, ideoque hunc honorem ejus ab impedimentis contingentibus penitus abſolvendum eſſe ſenſimus. Si igitur abbas hujus loci, propter honorem, vel propter aliquam rem ſancti Petri cauſam, vel querimoniam adverſus aliquem habuerit, juſtitiam inde recipiat. Et ſi eundem abbatem, vel quem pro ſe miſerit, victum de cauſa eſſe contigerit, non ipſe, nec quem miſerit, donationem alicui inde perſolvat, nec aliquis ab eis inquirat, ſed expectet pro merito retributionem a Domino. Qua propter in primis procedat mecum ad jurandum Garcias Arnaldi comes Vigorrenſis, quem volo patronum & defenſorem hujus loci, & honorum ſancti Petri in partibus ſuis. Et ſimiliter veniat Centullus Gaſtonis vicecomes Bearnenſis, quem loco mei volo, & impero eſſe patronum & defenſorem hujus loci, & honorum ſancti Petri in partibus noſtris. Et veniant alii comites & vicecomites, ac totius Gaſconiæ optimates, quos omnes eſſe deprecor hujus cœnobii adjutores & defenſores, & ſicut pridem eſt, juremus, & jurando ſalvitatem hujus loci confirmemus; quam ſi quis unquam temerarius, quod abſit, infregerit, vel aliquem cauſa orationis venientem ad ſanctum Petrum male impedierit, facta inde juſtitia coram abbate, & completa pro malefacto digna emendatione, quingentas auri libras pro infractura abbati perſolvat, vel quantum pro his recipere voluerit abbas. Si vero aliquis arrogans juſtitiam inde facere noluerit, mei ſucceſſores, vel prædicti defenſores tantum cum proſequantur, donec quod dictum eſt coram abbate facere cogatur. Ego igitur Sancius totius Gaſconiæ princeps & dux, primus juro, & ſignum inde facio in conſpectu præſentium epiſcoporum noſtrorum in hoc adjutorum, & in præſentia domini Arſii abbatis ſancti Severi Ruſſitanenſis, ad hoc regulariter ædificandum pro ſanctitate adducti. Garcias Arnaldi comes Bigorrenſis juravit, Bernardus comes Armaniacenſis, Aymericus comes Fedenciacenſis, Bernardus comes Pardiniacenſis, Centullus Gaſtonis vicecomes Bearnenſis, Forto vicecomes Levitanenſis, & filii ejus Garcias, & Guilhermus, Guillermus Dati vicecomes Sylvanenſis, & Guillermus Odonis vicecomes de Montanerii, Raimundus Guilhermi de Benaco, & Arnaldus Raimundi de Baſo, Guilhermus Garcias Curta ſpata, Arnaldus cognomine Urſus, Guilhermus Lupi vicecomes Marcianenſis, & Arnaldus vicecomes Aquenſis. Arnaldus de Aura. Bernardus Raimundi de Zamata. Galinus de Oriaco, Sancius Aynerii de Gaſo. Arnaldus de Linaco, & Garcias Donati de Orbeiaco, & Datus Arioli de Montaniaco. Forto Aynerii de Aſſoo, & Guilhermus Lupi de Prexaco, & Forto Guilhermi de Aviſaco, & Garcias Fortonis de Raſo, & alii multi. Poſt ordinationem autem prædicti cœnobii, ipſe idem Sancius totius Gaſconiæ princeps & dux, cupiens cum devotione quod ſic inceperat perficere, dedit beato Petro XXV. vaſa argentea, XIV. alia vitrea, ſive chryſtalina, & menſam propriam honeſte ſuperargentatam, & IV. candelabra, duo eburnea, & duo argentea, & quædam veſtimenta ſacerdotalia, & cruciculam auream, & duas cruces argenteas. Dedit etiam propria arma militaria, auro mirifice fabrefacta, & ſcutum, & lanceam. Ad victum vero clauſtrenſium monachorum dedit propriam curtim, quæ dicitur ſancti Caſlini, cum omnibus appenditiis ſuis, ſcilicet Lar-

* *Legendum* Mantoles & Caſlin.

Figueras & Bernedet ; facto inde dono per xonam ſuam argenteam, ab altari in armario ſancti Petri repoſitam ; & piſcaturam quæ dicitur Caleis ludi, ſine ulla contradictione inveſtitam, & in ſalinis quandam pagenſem, cum caſali, quæ dicitur Paula, cum patella ſalinaria.

X.

Excerpta ex chartulario Generenſi, ſeu manuſcripto codice dicto Conſuat.

fol. 10 GArcias Arnaldi comes Bigorrenſis, dedit beato Petro ſuam tertiam partem mercati Lurdenſis, & unum pagenſem in Ader, & unum caſalem nominatum Sutach, qui ſolvit cenſum triginta panes, & duas pernas porcinas ; & dedit duas ecclivas, ſcilicet Garenderam & Narentam. Et poſtea fecit Fortonem Aneriu vicecomitem Levitanenſem jurare ſuper altare ſancti Petri, quod numquam pro vicecomitat i aliquid inde reclamaret. *Vide Hiſt. Bearnenſ. lib. 9. cap. 3.*

fol. 11. CEntullus Gaſtonis vicecomes Bearnenſis, dedit beato Petro villam dictam Lugos, & eccleſiam Rochas dictam. Poſt abiens in Hiſpaniam, ubi defunctus fuit, ordinavit beato Petro medietatem villæ, quæ dicitur Bat-Cerda.

fol. 11. ORiolus Centulli miles Bearnenſis, veniens ad converſionem, dedit beato Petro duas villas, videlicet Battrazum & Algar.

* *Forsitan.* GEraldus *a* Fedaci* vicecomes Cornicula.... ordinavit beato Petro, partem villæ in Armaniaco, quæ dicitur Agus.

ARerdus miles Bearnenſis dedit in villa quæ dicitur Ygon, vineam, & duos pagenſes, cum appenditiis ſuis. Belianes ſoror ejus, veniens ad converſionem, in Generenſi cœnobio, dedit beato Petro villam Claracum, cum omnibus appenditiis ſuis. Augerius vero de Miramonte nepos ejus, poſt longum tempus inquietavit donationem iſtam cum matre ſua Tecla, ſed poſtea fecerunt pacem cum Gregorio abbate.

fol. 18. RAimundus Centulli frater Gaſtonis, vicecomitis Bearnenſis, dedit beato Petro in morte ſua corpus ſuum in ſepultura, & unum pagenſem in Pordinis, donec aliquis ſuæ generationis daret beato Petro ccc. ſolid. pro pagenſi.

* *de Arreo.* ARiolus Garciæ de Ariſcio *, offerens filium ſuum Richardum beato Petro monachum, dedit eccleſiam ſancti Martialis Tarbienſis, cum omnibus appenditiis ſuis, & tres caſales in eadem villa.

* * *de Caſtel Ouſ, vulg.* ARnaldus Sancii de Caſtello Uſalico *, cum uxore ſua Lupa, offerens filium ſuum Mathæum beato Petro monachum, dedit ei medietatem eccleſiæ ſancti Polycarpi de Caſtello.

ANerius de Ariſcio, veniens ad converſionem, & offerens filium ſuum Sancium beato Petro monachum, dedit in Cugniaco caſalem ſancti Stephani, & in manibus domni Odonis abbatis Generenſis, præſente Richardo epiſcopo.

XI.

Charta fundationis abbatiæ ſancti Orientii, de Regula diœceſis Tarbienſis, & notitia eorum quæ ad ejus primeraia pertinent.

1355. UNiverſis præſentibus & poſteris, quod nos Gaſto comes Fuxi, vicecomeſque Bearnii, dominuſque Marſiani, ſalutem. In rei memoriam ſempiternam, ſciatis quod nos donationes, conceſſiones, libertates & privilegia per prædeceſſores noſtros vicecomites Montiſanerii conceſſas, & conceſſa monaſterio de Regula ordinis ſancti Benedicti, diœceſis Tarbienſis, prout in eorum ſerie plenius continetur, gratas vitas, grata & accepta pro nobis & ſucceſſoribus noſtris habentes approbamus, ratificamus, laudamus, & præſentis ſcripti teſtimonio & robore cum appenſione ſigilli noſtri ex certa ſcientia confirmamus ; tenor vero donationum, conceſſionum, libertatum, & privilegiorum, per vicecomitem Montiſanerii dicti monaſterii fundatorem, cum quibuſdam aliis ab olim inſertis, in hæc verba ſequuntur.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen. &c. Hæc charta dat notitiam quomodo Otto Dato vicecomes Montanereus, ab omni oppreſſione ſervituris, monaſterium Regulæ, quod ipſe conſtruxerat in prædio ſuo liberavit, ne aliquis de genere ſuo, vel aliquis poſſidens illud caſtrum, videlicet Montanereum, aliquam moleſtiam præſumat inferre monaſterio illi, neque illis rebus, quæ ad illud pertinent, ſed tantum protectores ſint illius loci, & augeant prædia & honores cum libertate in quantum potuerint pro amore Dei. Hoc factum eſt in diebus, & in præſentia Lodoici comitis Bigorræ, & in manu Bernardi, qui tunc gubernabat præſulatum fœlici ſorte. Impetratur ab eis ut protectores ſint illius loci, & omnium quæ ad illum pertinent locum. Eumdem vero ſancti Orientii ab omni cenſu liberum ſtatuit, & cœnobium perpetuum obtinendum eſſe decrevit vigorem, addens, quod ſi quis eccleſias vel alios honores tribueret monaſterio illi, eadem libertate fungeretur, remota omni occaſione ſervituris, ſolummodo ſerviens monaſterio & abbati ; norumque voluit habere hoc Otto Dato vicecomes cunctis mortalibus & omnibus filiis ſuis tam præſentibus quam futuris, & omni ſtirpi ſuæ, quod tali tenore locum illum ab omni cenſu in præſentia domini Manſionis* abbatis, & prædicti epiſcopi Bernardi liberum abſolvit ; & filii ſui ut defenſores hujus loci exiſtant, & receptum ibi non quærant, & niſi abbas ſua ſponte eis obtulerit, panem ibi non comedant. Si quis igitur contra abbatem querelas habuerit, filii ſui de abbate in eodem loco juſtitiam faciant, & nullum damnum ab eo exigant, anno Domini ıɜɛx. 1069.

* *Alias Manerii.*

Item, vidimus privilegium cujus tenor talis erat. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen. Hæc eſt notitia inſtrumenti conſtructionis cœnobii Regulæ S. Orientii, vel a quibus illi loco delegatæ ſunt hæreditates, vel qui his temporibus præfuerunt abbates. Conditor univerſitatis condolens miſeriis humanæ fragilitatis dedit inter cetera hominibus ſpeciale peculium, ut poſſint pro finitis infinitum, & pro vilibus magnum, pro temporalibus certum, æternum & indeficiens regnum*. *Facite*, inquit, *amicos de iniquitatis mammona, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*: & juxta vocem eccleſiaſtici, *Eleemoſina liberat a morte æterna ultionis*. Cupiens ipſe dictus Otto Dato vicecomes ad vitam æternam pertingere, decrevit in ſuo prædio, quod ſibi jure parentum ſucceſſerat, cœnobium ſtatuere, & quod Salomon dixerat, ad aliquem ſanctum convertere, diebus Ludoici comitis Bigorræ, & Bernardi qui tunc gubernabat præſulatum fœlici ſorte, locum ſancti Orientii ab omni cenſu liberum ſtatuit, & cœnobium perpetuum vigorem obtinendum eſſe decrevit ; Arnaldum quoque Sancionem vicecomitem ſibi conſociavit, tam cauſa adjuvandi, quam perficiendi. Patrem & abbatem domnum Manſionem conſtituit, qui qualis quantuſque fuerit, ejus vitæ finis probavit. Igitur præfatus Otto Dato vicecomes ſupradicto loco eccleſias quaſdam delegavit, & jure perpetuo filiis ſuis augendas & non minuendas mandavit ; eccleſiam S. Joannis de Monte-longo, cum villa, & cum omnibus quæ ad ſe pertinent dedit ; eccleſiam quoque ſanctæ Mariæ de Lucho, cum villa, & cum omnibus quæ ad ſe pertinent, ſcilicet aquas, ſylvas, cultum, & incultum, paſcua, uſque ad tertiam villam, duos homines in Stryraco, duoſque in Pontaco. Notum quoque voluit habere hæc cunctis mortalibus tam præſentibus quam futuris, & omnibus filiis ſuis, tam

* *Adipiſci.* *Luc. 16. 9.* *Tob. 12. 9.*

a Geraldus comes Armaniacenſis, ſucceſſit in comitatu Fidentiacenſi Beatrici commiſſæ quæ obierat ſine liberis. Vide Oihenartum in notitia Vaſconiæ p. 431. Ut comes Armaniacenſis Geraldus dat partem villæ in hoc comitatu.

præſentibus quam futuris, & omni ſtirpi ſuæ, quod tali tenore locum illum ab omni cenſu in præſentia domini Manſionis abbatis liberum abſolvit, ut filii ſui tantum defenſores hujus loci exiſtant, & receptum ibi non quærant, & niſi abbas ultroneus eis obtulerit, panem ibi non comedant. Si quis contra abbatem querelas habuerit, filii ſui in eodem loco de abbate juſtitiam faciant, & nullum damnum ab eo exigant.

Poſtquam venerabilis vitæ Manſio ſuæ carnis deſerens ergaſtulum ſcandit aſtrigerum, atque viſus eſt intrare in ſui Domini gaudium, ſucceſſit vicecomite favente Ottone, abbas Sancio * in his diebus pro animæ ſuæ remedio, devenit quidam Guillelmus Arſi converſus in eodem loco dominus qui dedit unius edere, quod eſt S. Petri de Tilio, & medietatem unius vineæ, cum uno villano. Poſt quem venit Fortaſſi converſus, qui & dedit Baris cum adjacentiis omnibus. Bernardus quoque converſus dedit vineam de Bellopodio, diebuſque iſtius abbatis invaſit præfatus Otto Dato eccleſiam S. Joannis de Momi, & poſt ſuam mortem Lauredam ordinavit, quam filius ſuus Guillelmus Otto arripiens Garſendi dedit ſoroti ſuæ, eodemque anno obiit vicecomes Otto Dato.

* II. abbas Sancio.

Poſt diſceſſum vero Sancionis abbatis devenit, favente vicecomite Guillelmo Ottone, abbas Arſinus * in cathedram ſublimis, quo regente ordinem monaſticum, dedit præfatus vicecomes Arnaldus Sancio eccleſiam ſancti Fructuoſi de Peyrero, cum villa, Raimundus archidiaconus vineam in ſaltu, & unum hominem in Heres, & alterum in Berneda, & unum caſale atque archidiaconatum de duodecim eccleſiis, eccleſiamque S. Chriſtophori de Noulhano. Igitur Garcia Dato frater ... Ottonis vicecomitis, qui monaſterium ſtatuit, de Guillelmo Aſconia uxorem ac epit ſororem matris inclitæ abbatis ſancti Severi, matrem Gregorii, ex qua duos filios robuſtos habuit, tertiumque ſibi parvulum debilem genuit, qui cum duceretur per multa loca ſanctorum, ſanare eum noluerunt, quod nihil ſibi proficeret ad animæ ſalutem; dum autem devenit ad ſanctum Orientium, magnæ ſanitatis recepit donum; cernens quippe eum abbas Arſinus inutilem in ſæcularibus rebus, rogavit patrem ſuum ut faceret eum monachum, qui vix ejus annuit precibus, & dedit eum litterarum ſtudiis, & cum eſſet adultus factus eſt vir ſagaciſſimus, & omni almitate præcipuus.

* III. abbas Arſinus.

Igitur videntes principes regionis hujus, ſcilicet vicecomes Guillelmus Otto ejus conſanguineus, & epiſcopus Bernardus, atque abbas Arſinus, eum tam prudentem in omnibus rebus, ſtatuit abbatem * monaſterii iſtius, illoque reluctante, & nimium plorante, abbas eſt benedictus, atque in cathedra eſt poſitus. In hujus itaque diebus Arnal Bernardus conſanguineus Guillelmi Arſi, quem ſcripſi ſuperius, reintegravit vineam de Tilio, & inſuper miſit curtim de eodem loco, & cum uno villano dedit S. Orientio. Et quidam Guillelmus deveniens converſus dedit duas partes eccleſiæ S. Petri de Tilio, de qua Guillelmus Arſi primum dederat dominium.

* IV. abbas Gregorius.

* *f.* emit

Poſtea venit * abbas Gregorius illius villæ dominium de Garcia Forti, dedit Garcia filio ſuo, & dedit illi tres boves & unam vaccam, ipſe vero coram omnibus fecit guerpitionem de illius villa & omni dominio Deo & beato Orientio, & poſuerunt ſuper eum manus coram omni populo, eodemque tempore emit ab illis quæ tunc erant deſerta per unam baccam, quamdam vineam, & inſuper dedit tria milii modia, atque locavit unum villanum in ea, & alium in curti ipſa. Et in illis diebus venit ad converſionem Eiſius Donarus, qui dedit duos villanos in Samozeto; & vineam in Siracurto, atque concam ſalis in vico. Et quidam derelinquens ſeculum Lupus preſbyter ad converſionem venit humiliter, qui dedit medietatem eccleſiæ ſancti Gemineri cum omnibus appenditiis, & proprietatibus & vineam in Serra curto quæ eſt ſatis fertilis. Et mulier Lupi Sancionis tres dineratas de vinea in eadem villa, atque Garcia Sancia de Ganos in eadem villa, Centulus quoque de Lobis, eccleſiam ſancti Andreæ & 1. vineam: Guillelmus namque Forto in eadem villa 1. Caſal. & 1. vineam, atque 1. villanum, in Arrimio alterum, Guillelmuſque Garcias frater domini abbatis G. villamque vocatam Lande cum appenditiis ſuis, excepto uno villano quem poſtea dedit frater ejus Eiſius Garcias, & unam vineam in rivo cavo atque unum villanum in vinealibus, & unum equum, ex quo poſtea emit abbas G. a vicecomite Guillelmo Ottone partem quam de mercato de Cella tenebat. Sancius quoque frater G. unum villanum in terra Suberentro tali ratione, ut cum nullus futurorum abbatum vendat atque det, & ſi aliquis ſenior hujus villæ arripuerit, duplum reſtituat, & quinque ſolidos det, ad obitumque mortis cum uno filio ſuo, eccleſiamque ſancti Martini de Arradeto cum villa, excepto uno villano, quem poſtea ſoror ſua Drugrad dedit. Eles quoque Defita quinque dineratas de vinea, eodemque tempore factus eſt Garcia converſus qui poſtea vocatus eſt Siguinus Defita, eccleſiam ſancti Joannis cum omnibus appenditiis medietatis quam frater ſuus Eles reintegravit totam; veniens quippe frater ejus Garcia Forto cum illo Ele qui jam dederat, commoverunt placitum contra abbatem de illa medietate quam Garcias prius dederat, reddiditque illi abbati G. illam medietatem quam Eles dederat, & inſuper dedit equum XV. ſolidorum. Ipſi vero confirmaverunt cum fidejuſſoribus G. & fecit hoc ſignum Siguinus. † Et quidam Garſias tres dineratas in eadem villa; quidam namque Gilibertus nomine monachus pro Bernardo ſuo nepote dedit unum villanum in Luchoſparſo; Garſendis mater quoque illius pro Bernardo & Anome filiis ſuis eccleſiam ſancti Martini de Hinaco, & unam vineam, vicecomeſque Guillelmus Otto eccleſiam ſancti Petri de Caſterario, Arſi quoque Darus de Pontchaco unum villanum in Mommi cum Raimundo filio ſuo, Alnaldus de Mommis duos villanos pro filio ſuo Sancione in Mommis & duo Caſalia; abbas G. emit unum villanum de Anerio Brunelio, & dedit X. ſolidos & de Braſcho Fortis duos villanos in eadem villa, deditque pretium quod ſibi ſatis placuit, unam equam, & quinque ſolidos. Hiſce temporibus G. vicecomes ſancto Orientio, duos villanos in Pontaco, Guill. quoque monachus unum villanum in Nolhano, Donatus quoque monachus de Candidato unum villanum in Villera, & V. dineratas vineæ, atque Arſinus monachus IV. dineratas vineæ in ipſa Serra; ſoror namque vicecomitis Guillelmi Otronis Garſen nomine, unum villanum in vita ſua in Laureda, & poſt mortem coram delegavit, quam ſic prius frater ſuus vicecomes Guillelmus ſurripuit; mater namque dicti abbatis G. Endegrod nomine, plantavit vineam in ſubjecto colle, conſtruxitque cellarium cum coquina, lapideo opere, ac per multum tempus viduata marito permanſit, ſerviens Deo. Ipſe namque abbas G. dedit eccleſiam ſancti Chriſtophori de Conſizas, & omnia quæ in eadem villa pater ſuus ſibi delegaverat. Vicecomes quoque Guill. ſagitta diaboli compunctus fidejuſſores mandavit ſibi coram omnibus, qui dare renuens, poſt multa jurgia abbatiæ honore privatus eſt; optavitque potius ſe privari honore quam locum liberum dominiis & cenſibus ſubjugare: denique perveniens ad ſuum conſanguineum, ſcilicet ad abbatem ſancti Severi Gregorium, quos divina providente clementia & nomine & officio fortuna conjunxerat, honorifice ſuſceptus eſt. Mirum videri poteſt, ut duæ matres duæque ſorores, tanto terrarum ſpatio diviſæ unum nomen filiis ſuis imponerent, ſed quia futurum erat, ut qui erant unius nominis, eſſent & officii, qui & (*bene vigilantes*) in noſtra lingua vocati ſunt. In cujus itaque conſpectu tantam invenit gratiam ut eum præficeret abbatem domus ſuæ & venerari juberet quaſi ſe; igitur moratus eſt in eodem loco multo tempore. Videns vicecomes Guillel. quod nullum abbatem ſui honoris poſſet præficere, idem ipſe ad illum non dedignatur venire; rogavit namque eum ut reverteretur ad ſuam abbatiam, & ordinaret ſicut vellet illam: qui non acquievit, ſed in eo loco manere placuit, virtuteque Dei tactus, tam ſancto Se-

vero intercedente, quam ſancto Orientio petente, cognovit jam Deo diſplicuiſſe, qui ab eodem loco veniens nutu omnipotentis Dei eodem die quo devenerat ad ſuum cœnobium, nunciatum eſt illi in ſuo caſtro jam eſſe defunctum; jam ipſe ordinem miſerat, & locum illum ab omni cenſu in manus Ricardi, ſicut pater ejus in manus Bernardi epiſcopi ſtatuerat, eodem ordine ſtatuit, atque eccleſiam ſancti Martini cum tota villa delegavit.

Poſt ejus mortem filius ejus Bernardus Otto in manus epiſcopi Heraclii eodem ordine quo pater vel avus locum liberum ab omni cenſu ſtatuerat, inſuper Otto eccleſiam ſanctæ Mariæ de Stirato, dedit & unum villanum in eadem villa, Arnaldus Guill. quoque de Cucuroz cum ſuo filio eccleſiam S. Juſtini de Cucuroz, & unum villanum in eadem villa atque eccleſiam S. Mariæ de Caſtello, & duos villanos atque duas exculturas tali lege ut ſi filius ſuus monachus nollet, nunquam cuiquam abſtrahere liceret; Guill. Arſi namque de Ganos dedit unam curtim in Ganos, & octo dineratas vineæ in valle Caprina. Forto Arabi quoque de Artomalo aliam dedit curtim in illa villa, & vineam optimam & omne quod habebat in eadem villa, Aurio namque de Lucho unum villanum in Marchera dedit, preſente abbate Gregorio, Bernardus de Landa majori, & uxor ſua Garſen fecerunt guerpitionem, & firmaverunt caſale Forto Ariol cum appenditiis ſuis domino abbati Do- * *forte* P. *abbati* Dodoni * & ...iſio monacho duobus fidejuſſoribus videlicet Ramundo de Ponſo, & Arnaldo de Ganos in manu Montanerenſis vicecomitiſſæ nomine Taleæ, accipientes a prædicto abbate lx. ſolid. Morlanenſis monetæ, hac conditione fecerunt firmaturam Bernardus & uxor ſua, ut invitatis fidejuſſoribus ab abbate filius & filiabus cogant firmare firmaturam in manu ejuſdem juſtitiæ, de more hujus provinciæ; alioquin perſolventes legis damna deinceps cogantur vera ſervare decreta. Eſius abbas * proclamans ex multis & variis malis, quæ Ber- * *forte* P. Eſius.
nardus filius Odonis de Arriberia inferebat ruſticis habitantibus in illo honore de Berneda, de quo prædictus pater prius convictus firmaturam fecerat, ex terra & dominio juſtitiam accepit in manu egregii Bigorritani comitis Petri: unde cum adjudicatum fuiſſet debere fieri duellum ex querimoniis abbatis, ante conſtitutum diem, in quo fieri debuit, Bernardus territus cum abbate finem faciens in manu prætaxati comitis firmaturam fecit perſolvendo damnum hac conditione, ut in unoquoque anno ab incolis ejuſdem honoris decem accipiens opera, quinque tempore meſſis, & vindemiarum quinque, in opere caſtelli ultra hæc aliquid ab eis violenter non exigeret, datis ab eo duobus fidejuſſoribus ſcilicet Garcia Lupi & Bernardo Delmaas, ex conſuetudine terræ. Prædictam vero approbationem & ratificationem nos Gaſto comes prædictus facimus ſalvo jure noſtro, & quolibet alieno. Acta fuerunt hæc in loco noſtro de Morlanis, III. die menſis Martii, anno Domini MCCCLV.

Per dominum comitem præſentem.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM OLORONENSEM SPECTANTIA.

I.

Littera Arnaldi epiſcopi, ſimulque prioris Morlanenſis permittentis conſtrui ſacellum in xenodochio Morlanenſi.

1154. Ex chartul. S. Fidis Morlanenſis.

ANno ab incarnatione Domini MCLIV. ego A. epiſcopus Oloronenſis, monachus Cluniacenſis, & prior Morlanenſis conſilio domini R. Laſcurenſis epiſcopi, & dominæ Guiſcardæ vicecomitiſſæ Bearnenſis, & fratrum Cluniacenſium, qui Morlanis habitabant, conſilio etiam burgenſium & rogatu, conceſſi fieri capellam in hoſpitali de Morlano, ſupplicante & rogante quadam nobili femina nomine Juliana, quæ ſe ibi devoverat, pauperibus & peregrinis dum viveret, ſerviturum, tali pacto ut ipſa capella hoc oratorium ſemper ſit ſub dominio & jure Cluniacenſis eccleſiæ, ſicut eſt eccleſia S. Fidis, cum omnibus oblationibus quæ ibi fient tam prò vivis quam pro defunctis. In hac autem capella capellanus ponetur per manum prioris ſanctæ Fidis, vel monachorum Cluniacenſium, & ipſe tenebit clavem eccleſiæ, & omnia quæ ad eam pertinebunt. a Familia hoſpitalis, & illi qui præerunt hoſpitali pauperes & peregrini ab illo accipient pœnitentias & cetera ſacramenta, quæ ſpectant ad religionem Chriſtianam in vita, & poſt mortem debita ſepulturæ, & iſti tantum in cimiterio prædictæ capellæ ſepelientur. Nihil in ea habitatores hoſpitalis exigere præſument, niſi quod monachi gratis donare voluerint. Præterea nullum Morlanenſium parochianorum gravi infirmitate detentorum ſive in burgo, ſive extra burgum degentium licentiam recipiendi vel deportandi, vel ibi ſepeliendi habeant, niſi parochianus ſanus atque incolumis ſe ad ſervitium pauperum contulerit, ſalvo tamen jure matris eccleſiæ. Pactionis hujus teſtes Bernardus capellanus, Arnaldus monachus de S. Licerio, Raimundus monachus de Sanctomonte, Villelmus & Forto de Luber, Ugo preſbyteri Morlanenſis eccleſiæ, Petrus Aldebertus, & Aldebertus ejus filius, & Arnaldus de Leſcar, Petrus de Sent Juſt, & quam plures alii. Actum eſt autem hoc in domo Angulorum, quæ eſt juxta claustrum menſe Septembri, idus ejuſdem menſis. Ut autem hoc remota omni controverſia in poſterum ratum haberetur, prædictus prior Arnaldus cum Bernardo Maurello S. Licerii priore, & cum domino Raimundo Laſcurrenſi epiſcopo & Willelmo Auſcitanæ eccleſiæ archiepiſcopo, atque Romanæ ſedis legato, hoc ſcriptum præſentavit ac confirmari fecit in quodam concilio apud Nugarol celebrato.

a Chartam hanc edidit P. de Marca l. 5. c. 29. hiſt. Bearn. uſque ad hoc verbum; cetera deſunt, pro quibus legitur: *ut autem hoc remota omni controverſia in poſterum ratum haberetur prædictus prior Arnaldus cum Bernardo Maurello ſancti Licerii priore, & cum domino Raimundo Laſcurrenſi epiſcopo, Willelmo Auxitana eccleſia archiepiſcopo & legato Romanæ ſedis, hoc ſcriptum præſentavit, ac confirmari fecit in quodam concilio apud Nugarol celebrato.* Inde habemus concilium Nugarolenſe conciliorum editionibus hucuſque incognitum.

II.

Gaſto Bearni vicecomes, pro damnis eccleſiæ Oloronenſi illatis ſatisfacit, & a Bernardo de Morlana epiſcopo Oloronenſi abſolvitur.

1155. Ex chart. Oloron.

CUm labente temporum rerum temporalium memoria delcatur de facili, provideri debet attentius, ut ea quæ recoli debent perenniter authentici ſcripti munimine roborentur. Hinc eſt quod ego Gaſto vicecomes Bearnenſis, omnibus præſentes litteras inſpecturis, volo fieri manifeſtum, quod in meis temporibus multas feci injurias inſtinctu ſatanæ eccleſiæ S. Mariæ de Oloron, tam in ipſa cathedrali eccleſia, quam in ſuis hominibus & pertinentiis damna multiplicia inferendo. Cumque propter hæc & alia multa quæ commiſi, eſſem multis excommunicationibus innodatus, & diu in magna obſtinatia perſtitiſſem, tandem inſpirante divina gratia receſſi humiliter a contumacia, rogans ſuppliciter dominum B. de Morlana epiſco-

Digitized by Google

pum jam dictæ ecclesiæ, ut sententias quibus astrictus A fueram, relaxaret, & satisfactiones injungeret congruentes. Et cum ipse me relevaret ab omnibus sententiis, quamvis malorum quæ ego feceram non esset numerus, nec æstimatio rerum quas abstuli Dei ecclesiæ, potuisset in summa colligi, pro ablatis tamen dedi supradictæ ecclesiæ, omnes homines meos quos habebam in villa S. Mariæ, & quidquid juris habebam in villa S. Mariæ, & omnes homines de Catron, & quidquid juris habebam in illis. Hæc omnia dedi supradictæ ecclesiæ pro restitutione ablatorum: & rotum hoc dictus episcopus gratum habuit & acceptum. Facta autem fuit ista donatio apud Monenh, in præsentia sæpe dicti episcopi & G. A. de Lers, & magistri Anerii Sancii, & mag. Terreni, & Arnaldi Guillelmi de Faget, & Arnaldi Raimundi abbatis sanctæ Engratiæ, & B multorum aliorum clericorum, &c. Actum anno domini MCCXV.

III.

Littera Willelmi Auscienſis archiepiſcopi de Rogerio quodam Oloronenſi epiſcopo.

Ex chartario ecclesiæ Aquensis.

NOtum habeant universi ad quos hæc charta pervenerit, quod ego W. Auscitanæ metropolis præsul indignus, interfui exequiis Rodgerii bonæ memoriæ Olorensis episcopi. Cumque de more, missarum & sepulturæ peregissem solemnia, & debitum defuncto fratri persolvissem obsequium, cum canonicis ecclesiæ illius cœpi diligenter pertractare de statu defuncti; nimirum in concilio quod apud Nugarolum proximis anteactis diebus auctoritate metropolita Deo auctore celebraveram, per violentiam potionis acceptæ morte repentina, intestatus, inconfessus naturæ concesserat. Unde mihi de ejus esse studiosius inveitiganti responsum est a clericis, quoniam inter cetera, quæ, si dici licet, minus juste gesserat, falsum confecerat privilegium hoc modo. Ad Electensem veniens ecclesiam de privilegio monasterii illius adulterinum sibi fecerat transcribi privilegium, quibusdam mutatis, detractis, & additis, bullamque novam fabricari, qua privilegium bullatum erat. Quo in facto specialis accessit testis sub oculis meis unus ex eis, qui in præsentia sua id factum fuisse testato asseverabat. Hoc audito, mïratus sum vehementer tanti viri prudentiam tam enormiter excessisse. Nolens autem, ut opinio defuncti pontificis hujus rei fama suggillaretur, scriptum illud ignibus concremandum esse decrevi, & ut in occulto atque sine mora fieret præcipiendo præcepi. Hujus rei & scriptura, & voce viva testimonium perhibeo coram Deo & hominibus, quia scire volenti non est meum celare veritatem hujus facti, ne ex occasione privilegii illius, aliquod alicui posiit emergere dispendium.

INSTRUMENTA AD LASCURRENSEM ECCLESIAM PERTINENTIA.

I.

De restauratione ecclesiæ sanctæ Mariæ, & sancti Johannis-Baptistæ Lascurrensis, quæ modo sedes episcopalis.

Ex chartul. Lascur. Vandalorum, quo nomine diſignari Sarracenos ut alibi diximus.

GEns Gundalorum * destruxit omnes civitates Gasconiæ post obitum Galactorii episcopi Bearnensis: fuit autem miles quidam nomine Lopofortis, qui propter fidelitatem Guillelmi Sancii comitis Gasconiæ, & D Urracæ ejus uxoris fecit homicidium de quodam Guisconiæ vicecomite, & accepit postea ab eodem comite consilium, ut fecisset se monachum, & fuerunt locuti cum episcopo Arsia Raca, & misit se cum episcopi consilio in civitatem quæ dicitur Lascurris; & ibi non invenit nisi sylvam & ecclesiam S. Johannis-Baptistæ, & S. Mariæ, quæ fuit sedes. Erat destructa, & fuit ibi factus monachus: & dederunt comes & uxor sua ecclesiam S. Stephani de Carressa, &c. Et tenuit ipsas ecclesias beata Maria, quas comes & uxor sua dederunt cum Lupo-forte abbate; dedirque præfatus comes, & Urraca uxor sua Rusticum de sancto Castino, quando monasterium ordinaverunt, &c.

II.

Guidonis Lascurrensis episcopi compositio cum Pontio abbate Cluniacensi.

1118. *Ex chartario S. Fidis Morlanensis.*

EGo Guido Lascurrensis episcopus, atque ego Pontius Cluniacensis cœnobii abbas, præsentibus & futuris, notum fieri volumus, quod controversium quæ erat inter matricem Lascurrensem ecclesiam, & Cluniacense monasterium pro ecclesiis de Morlano, tali concordia in præsentia domini Gelasii papæ II. finivimus. Si quidem ego Guido prædictus episcopus dimisi, dedi & concessi Pontio abbati, & Cluniacensi monasterio, & monachis ibidem Deo servientibus, eorumque successoribus, ecclesias de Morlano S. Fidis scilicet & sanctæ Andreæ de Novo-burgo, & cum decimis & omnibus ad easdem pertinentibus, quicquid ad Lascurrensis ecclesiæ jus pertinebat; hoc videlicet pacto, ut Cluniacenses monachi singulis annis XX. conchas annonæ, cujus annonæ tertia pars sit frumenti, tertia milii, tertia avenæ, mihi Guidoni successoribusque meis Lascurriensibus episcopis persolvatur. Hanc autem concessionem feci domno Pontio Cluniacensis cœnobii abbati, præsente domino Gelasio papa II. cum baculo quem de manu ejusdem papæ accepi. Concessi quoque ut monachi Cluniacenses & eorum successores prædictas ecclesias cum suis pertinentiis deinceps quiete habeant & possideant.

Ego itaque Pontius Cluniacensis abbas, consilio Cluniacensium fratrum, qui ibi præsentes aderant, Amblardi videlicet abbatis S. Martialis, Gerentonis sacristæ, Hugonis camerarii nostri, Petri Armarii, Hildini notarii, Engelberti, Bermini, Girberti Morlanensis prioris, hanc concordiam feci & concessi. Hæc autem concordia facta est Alesti in territorio Nemausensi in præsentia domini Gelasii papæ II. Gerardi Engolismensis episcopi apostolicæ sedis vicarii, Richardi Narbonensis archiepiscopi, Bosonis cardinalis presbyteri, Chrysogoni cardinalis diaconi, Petri cardinalis diaconi, Durandi camerarii, Petri Cesar-Augustani episcopi, & aliarum religiosarum personarum. Et ut hæc E concordia firma semper & illibata permaneat sub adstipulatione chirographi firmari eam fecimus.

Facta autem concordia ista anno incarnationis Dominicæ MCXVIII. indictione XI. anno pontificatus domini Gelasii papæ II. primo, regnante Ludovico rege Francorum.

A

III.

Vicarii generales Raimundi Laſcurrenſis epiſcopi, ununt eccleſiam S. Johannis Darrien monaſterio S. Sigiſmundi de Ortheſia.

1344. ABbas monaſterii Reulæ, & prior S. Mariæ de Sertis vicarii generales in ſpiritualibus & temporalibus reverendi patris in Chriſto domini Raimundi Dei gratia epiſcopi Laſcurrenſis in remotis agentis, religioſis ac ſanctimonialibus dominæ abbatiſſæ monaſterii S. Sigiſmundi de Ortheſia ordinis S. Benedicti, Aquenſis dioceſis, & ejus conventui ſalutem & religioſum Domino devotum impendere famulatum. Quia Spiritus Domini ubi vult ſpirat, nec aſpirationis hujuſmodi ſit ratio inquirenda, cum ſint inveſtigabiles viæ ejus, nec ſit qui dicat, cur ita facis? eſt tamen in ejus glorioſis operibus delectandum, & pro modulo fragilitatis humanæ naturæ divinis laudibus inſiſtendum gaudere debemus. Igitur valde & gaudemus utique intra viſcera mentis noſtræ, cum videamus noſtris temporibus, & in noſtris confinibus novum fontem exuberantem divinæ gratiæ ſcaturire: videlicet eccleſiam S. Johannis miraculorum culmine rutilare, cujus quidem fontem quam a late *fluminum paradiſi ſterilitatem iſtius patriæ irrigari, & fecundam:* ibi namque glorioſus Dominus juſtis meritis & interceſſione beati Johannis, ut pie creditur, diverſis languentibus devote ad dictam eccleſiam accedentibus reſtituit ſanitatem, claudis greſſum, cæcis viſum, muris verbum prout unicuique eſt neceſſarium, ut a fide dignis intelleximus, & experimento didicimus in quibuſdam. Cum igitur ibi miſeris ſeu male habentibus tot beneficia conferantur, & creaturæ non habent quid pro collatis ſibi beneficiis rependerent, & creatore dignum valde cenſemus & conſonum rationi, ut ſaltem in dicta laudes Domino & beato Johanni a devotis fidelibus impendantur. Ad vos igitur noſtræ cogitationis oculos erigentes, pie ex voto veſtræ profeſſionis immaculatam vitam ducentes in via Domini ambulatis, vos ipſas offerentes gratum domino holocauſtum, & cetera fugientes, contemplationi aſſidue inſiſtentes non ſolum ſepties in die laudes Domino decantantes ſine intermiſſione necdum laudibus delectantes juxta dictum Pſalm. 33. prophetæum: *Benedicam Dominum in omni tempore ſemper laus ejus in ore meo* matutina, cum veſtra converſatio ſit in cœlis: hinc eſt quod his & multis aliis inducti, & præſertim ad preces & inſtantiam, & ob honorem & reverentiam nobilis & potentis dominæ Alienordis comitiſſæ Fuxi vicecomitiſſæ Bearni & marſiani, quæ clemens & propitia perſonis miſerabilibus honeſte viventibus vos & veſtrum monaſterium videtur velle favore proſequi gratioſo, eccleſiam S. Johannis Darrien dictæ Laſcurrenſis dioceſis, cum juribus pertinentiis univerſis, vobis, & veſtro monaſterio auctoritate præſentium duximus conferendum, proteſtato tamen de jure dicti domini epiſcopi, & eccleſiæ Laſcuriæ, de jure rectoris, qui de præſenti gratiam poſſidet, quibus pecuniæ noſtram collationem non intendimus derogare; & proteſtato quod in poſterum per ſacerdotem idoneum, vel aliquibus de veſtris faciatis dictæ eccleſiæ deſerviri; cui ſacerdoti ſufficienter provideatur de proventibus & reditibus eccleſiæ antedictæ, etiamſi oporteat ad arbitrium præfati domini noſtri epiſcopi Laſcurrenſis, & in teſtimonium omnium præmiſſorum impendente præſentibus, ſigilla noſtra duximus apponenda. Datum Laſcurii die Lunæ poſt feſtum Natalis, anno Domini MCCCXLII.

*f. tarica.

*f. ſecundat.

B

C

D

E

IV.

Tabula fundationis monaſterii Regulæ, (la Reule en Bearn.)

NOtum ſit omnibus fidelibus, &c. Eſt ſitum in pago Vaſconiæ, qui Sylveſtrenſis dicitur pertinens ad diœceſim Laſcurrenſis eccleſiæ epiſcopi. Cœpit autem inſtitui temporibus comitis Wilhelmi Sancii cum favore vicecomitis Centulli Gaſtonis, & Lupiniacenſis Lupi Garciæ, & principibus Vaſconiæ, & vicinis abbatibus, & militibus & laicis, & clericis terræ illius. In quibus temporibus Arſias cognomento Raca pontifex eſſe videbatur, & cum illius conſilio factum eſt omnino. Ex chartul. Regulenſi.

V.

Præceptum de aggregatione Silvæ-latæ ordini Ciſtercienſi.

1148. IN nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod in præſentia mei Petri publici notarii in Ripparia & teſtium ſubſcriptorum conventus monachorum Silvæ-latæ, dioceſis Laſcurrenſis, ſcilicet religioſus & diſcretus dominus frater Vitalis abbas Dei gratia dicti monaſterii Silvæ-latæ, & frater Navarrus prior, & fr. Raimundus de Novorrivo ſubprior, & fr. Bernardus de Samadeg clericus monachus, & fr. Augerius de Meriteng infirmarius, & fr. Arnaldus de Born prior de Capas, & fr. Ampus de Porcello, & fr. Raimundus Garcias de Perdinis celerarius, & fr. Sancius Dappied ſec. prior hoſpitalis Silvæ-latæ Ortheſii, & fr. Sancius de Caſtayn prior de Appagieg, & fr. Bonus de Terçag. & fr. Bernardus de Fagoir cantor, & fr. Geraldus de Laſcair ſubſacriſta, & fr. Raimundus Guillelmi de Bunheng prior hoſpitalis den Huy, & fr. Raimundus Guillelmi Daudaus prior de Mont-graia, & fr. Bernardus Daudaus, & fr. Arnaldus Guillelmus d'Aguces pitancia-rius, & frater Guilielmus Raimundi d'Aboſſ, clerici monachi dicti monaſterii Sylvæ-latæ; ceteri ſimiliter fratres laïci ejuſdem monaſterii, ſcilicet fr. Durandus de Miretheng, & frater Martinus de Monte, & fr. Petrus Daudaus, & fr. Arnaldus d'Aranſe, & frater Arnaldus de Monheng, & frater Augerius d'Artids, & frater Galhardus de Mazlag, & frater Garæpnaldus d'Alloo, & frater Raimundus de Lobihen, & frater Arnaldus de Pucy, & frater Arnaldus de Mazlag, & frater Arnaldus de Lobiheng, & frater Petrus Arnaudi de Clarag mules, & frater Guillelmus Sancii de Seſſerag converſi fratres laïci dicti monaſterii Silvæ-latæ convocati per tintinnabulum, ut eſt moris, convenientes in capitulo dicti monaſterii Silvæ-latæ, quolibet ſedente loco ſuo in dicto capitulo non decepti, non circumventi, ſed deliberato & habito prudentum, & bonorum virorum conſilio, de omnium prædictorum libera voluntate & communi conſenſu, quilibet eorum per ſe & pro ſe viva voce nomine ſuo, & omnes inſimul nomine & vice dicti totius conventus pro ſe & omnibus ſucceſſoribus ſuis tam præſentibus quam futuris dicti monaſterii Silvæ-latæ, votum ſolemne emittentes, publice promiſerunt, quod ipſi tranſirent & transferrent ſeipſos, & dictum monaſterium Sylvæ-latæ dioceſis Laſcurrenſis cum omnibus ſuis filiabus, prioratibus, hoſpitalibus & grangiis ſeu domibus, & cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus ad ordinem Ciſtercienſem, & addunt quod non faciunt ſeu emittunt iſtud votum cauſa levitatis ſeu contemptus alicujus ordinis ſeu obſervantiæ regularis, ſed propter frugem melioris vitæ & etiam ſanctioris, & propter vitæ regularis & correctionis obſervantiam firmiorem cum ordinem Ciſtercienſem in hoſpitalitatis obſequio, in eleemoſynarum beneficio, in obſervantia regulari, in Dei ſervitio, & in cunctis operibus pietatis reputent eminentem. Salvis tamen privilegiis dicto mo-

naſterio Silvæ-latæ indultis tam per ſedem apoſtolicam A quam per alios prælatos eccleſiaſticos, ſeu principes ſeculares in quantum competunt dicti monaſterii libertati, & ſuis pertinentiis & obſervantiæ regulari. Promiſerunt inſuper dicti abbas, & conventus ſæpe dicti monaſterii Silvæ-latæ, quod dicti ordinis Ciſtercienſis ſibi & dicto monaſterio Silvæ-latæ recipient abbatem, & patrem, & caput & monaſterium ſeu abbatiam matrem & caput, ad recipiendam confirmationem abbatis, & ad inſtituendum & deſtituendum eundem, & ad viſitandum & corrigendum dictum monaſterium Silvæ-latæ, & ejuſdem monachos ſeu fratres tam in capite quam in membris, & ad informandum in obſervantia regulari, & ad faciendum omnia alia & ſingula quæ pater abbas Ciſtercienſis ordinis poteſt ſeu debet agere ſecundum regularem traditionem & ſtatuta Ciſtercienſis or- B dinis, in monachos ſeu fratres, ſeu abbates ſeu abbatias, filias & ſubjectas, ad arbitrium & voluntatem reverendi patris in Chriſto Amanevi Dei gratia archiepiſcopi Auxitani. Item dicti abbas & conventus præfati monaſterii Silvæ-latæ dictæ dioceſis Laſcurrenſis pro ſe & omnibus ſucceſſoribus ſuis tam præſentibus quam futuris, pro ſe quilibet & omnes inſimul nomine totius conventus promiſerunt ſe perpetuo inviolabiliter ſervaturos quidquid prædictus domnus archiepiſcopus, & dictus abbas Silvæ-latæ, & dicti frater Navarrus prior, & frater R. ſubprior, & frater Augerius de Meritheng infirmarius dixerint ſuper ſtatu monachorum & fratrum, qui nunc ſunt & ſuper ſtatu dicti monaſterii cum omnibus ſuis pertinentiis ſecundum regularem obſervantiam ordi- C nandum, & hæc omnia & ſingula ſupradicta dicti abbas & conventus nominati ſuperius promiſerunt pro ſe & ſucceſſoribus omnibus generaliter ſe ſervaturos perpetuo inviolabiliter, tactis ſacro-ſanctis evangeliis, præſtito corporaliter juramento, renuntiantes expreſſe omni actioni ſeu exceptioni juris ſeu interdicti quod vi metuſve cauſa, & etiam coactionis ſeu coactæ voluntatis, & cuilibet exceptioni fraudis ſeu doli & omni juri majoris & cuilibet juris beneficio canonici ſeu civilis & beneficio juris reſtitutionis in integrum; & omni conſtitutioni factæ ſeu faciendæ, & omni conſuetudini præſcriptæ ſeu non præſcriptæ, & omni profeſſioni ſeu voto, cujuſcumque alterius ordinis ſeu obſervantiæ regularis, per quæ ſeu per quas ipſi ſeu eorum aliquis poſſent ſeu poſſe viderentur ſupradicta in toto vel in parte aliquatenus impugnare ſeu etiam irritare; volentes quod hæc omnia & ſingula ſupradicta, ſi non valent, ut dicuntur ſeu aguntur, vel promittuntur, valeant ut valere poterunt quoquo modo. Teſtes omnium præmiſſorum vocati ad hæc ſpecialiter & rogati ſunt dominus Navarrus capellanus de Jaces & domnus Bernardus præbendarius in eccleſia de Jaces preſbyteri dioceſis Oloronenſis, & Raimundus Guillelmus de Haurga burgenſis Orthesii, & ego ſupradictus Petrus de Bererenx publicus notarius in Ripperia dictæ dioceſis Olorenſis, qui ad preces & inſtantiam dictorum abbatis, & conventus prædicti monaſterii Silvæ-latæ omnibus prædictis interfui, & cartam hanc ſcripſi & redegi in formam publicam, & ſignum meum conſuetum ſuppoſui in eadem. Datum & actum in capitulo ſæpedicti monaſterii Silvæ-latæ, III. nonas Januarii Gaſtone. Bearn vicecomite, Ar. epiſcopo Laſcur. anno Domini. MCCLXXXVI.

VI.

Conſenſus abbatis Ciſtercienſis pro aggregatione Silvæ-latæ ordini Ciſtercienſi.

[1189] VEnerabili & in Chriſto chariſſimo coabbati ſuo de Gimundo, frater Th. dictus abbas Ciſtercii, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Super augmentatione boni gregis gratulantes ſuper tranſlatione abbatiæ Sylvæ-latæ, per reverendum patrem dominum epiſcopum Auxitanum facta, prout ex inſpectione litteratum, quas nobis latores præſentium detulerunt, didicimus, maxime congaudemus, & quantum in nobis eſt, commodum & augmentum totius ordinis noſtri benigno favore proſequi cupientes, conſentimus, vobis benigne annuentes, quatinus ad dictum locum quatuor aut quinque monachos diſcretos & honeſtos, aut quantum expedire videritis, tranſmittatis, qui dictum locum manu teneant, & ad nos converſos noviter in conſuetudinibus noſtri ordinis inſtruant & informent. Nos vero tempore generalis capituli, vita comite, procurabimus quod dicta abbatia incorporetur ordini; ſine enim conſenſu generalis capituli non poteſt iſtud negotium effectui debito mancipari. Datum feria quarta ante Paſcha, anno Domini MCCLXXXVII.

INSTRUMENTA AD ECCLESIAM BAIONENSEM SPECTANTIA.

I.

Raimundus epiſcopus Vaſatenſis ad eccleſiam Laburdenſem a ſummo pontifice deſignatus obtinet a Sancio vicecomite reſtitutionem omnium bonorum hujus eccleſiæ.

Ex libro cartar. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Rai- E mundus indignus & peccator, tamen epiſcopus ſanctæ Baſatenſis eccleſiæ vocatus, necnon & Laburdenſis, recordans quia pulvis homo, & caro hominis fenum, ſcienſque me denudatis oſſibus Chriſto rationem redditurum, cupiens confedere cum his a dextris Dei, qui *Matth.* 25. 34. audituri ſunt illud lætabundum, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi*: ſtatui apud me cum conſilio abbatum, qui in noſtra diœceſi ſub norma ſanctæ religionis vivunt, & clericorum in Laburdenſi clauſtro canonice viventium, & optimatum qui fideles ſanctæ eccleſiæ videntur eſſe, ut ea quæ corrigenda ſunt noſtris in locis corrigantur, & correcta in melius provehantur. Deo igitur auxiliante multa noſtris in temporibus vitia ſunt ſepulturæ tradita, quæ a modernis bonarum virtutum videntur eſſe vexilla. Denique illud propheticum & tremendum expectans: *de mane uſque ad veſperam finies me*, ſi quid *Is. 38. 12.* bonæ acquiſitionis eſt acquiſitum, dignum eſt magno cum ſtudio memoriæ tradendum & ſcribendum, ne poſteris ſit oblivione mittendum; multa denique ſunt exenia a ſancta Dei eccleſia abſtracta, necnon & vota fidelium quæ pro redemptione animarum erant oblata, injuſte ſubſtracta, quæ ſi in armariis fuiſſent condita, uſque manerent intacta, viventibus Deo ſervientibus ex ipſis fructuariis uſibus. Sed nunc de Laburdenſi epiſcopatu notum fieri volumus omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, qualiter rogatu domni Auſtendi archiepiſcopi Auxienſis civitatem ſupradictam adii quæ ab antiquis deſtructa cum eccleſia, quæ in honore ſanctæ Dei genitricis, ſemperque virginis Mariæ videtur eſſe conſecrata, & ea quæ in jus ipſius eccleſiæ olim a ſenibus & veteranis dicebantur eſſe acquiſita, inveni in dominio vicecomitis eſſe poſſeſſa. Ego denique cum conſilio ſupradicti archiepiſcopi accepta donatione a domno Nicolao pontifice Romano in Lateranenſi ſynodo, & ſuſcepto ab ipſo pontificatus officio, pro reſtauratione ſanctæ eccleſiæ in ſupradicta civitate, quæ potui ad poſſe facta recta reſtitui, & in meliori gradu opifica virtute conſummavi. Sciſcitans ergo vicecomitem ipſius civitatis Fortunum Sancium nomine, fratremque ejus Lupum Sancium

Sanctum, obtinui apud eos ipſius gratia in cujus manu A cor regum conſtat, ut de eis quæ propria videbantur eſſe, ob redemptionem animarum ſuarum, & parentum, Chriſto matrique ejus, cujus invocatio in ſupradicta civitate honoratur & colitur, concederent. Hæc nempe quæ ſubtus ſcripta ſunt ſtabili firmatione ſunt data, reddita & conceſſa. In primis Chriſto & matri ejus ipſam eccleſiam cum appenditiis reddidit, portæ orientalis uſque ad portam ſancti Leonis, quartas decimæ eccleſiarum omnium. Teſtes & viſores ii ſunt, Forto Sanctus, Anegalinus, Lupus Anerius, Sanctus Fort. Garſianer, Rexmirus & alii quam plures. Hoc ſcriptum & ſtabilitum ſi quis inquietare voluerit, imprimis quod reclamare voluerit non vindicet, & inſuper cum Juda proditore, Anna & Caipha, atque Pilato damnationem accipiat. B

II.

G. dux Aquitanorum dat Raimundo de Martres epiſcopo Baionenſi medietatem civitatis.

Le Liure rouge. NOtum habeant omnes tam præſentes quam futuri, quod ego G. dux Aquitanorum donavi B. Mariæ de Baiona, & Raimundo de Martres epiſcopo, medietatem civitatis de Baiona, pro redemptione animæ meæ, & parentum meorum, cum omni jure quod ibi habebam, liberam & abſque ulla contradictione in perpetuum poſſidendam; ita quod nullus de ſucceſſione mea jam dictam eccleſiam de Baiona, & epiſcopum, atque canonicos ibidem Deo ſervientes, in nullo unquam infeſtare præſumat. Donavi etiam extra muros padouentiam per terras cultas & inculeas, ita ut ibi grangias & C agriculturas facere poſſint, & per mare & aquas dulces ſimiliter, ut molendina ibi & piſcaturas libere & abſque ulla contradictione facerent. Cæterum ut hoc donum firmum & illibatum permaneat, quanto meo ſupra memoratum epiſcopum, & eccleſiam de Baiona inveſtio, & proprio ſigillo confirmo & corroboro. Teſtes ſunt Stephanus de Caumont, Ugo Tibol, Gaufridus de Rochafort, Aimar de Archiag, Bardon de Cunnag, Gaſton de Bearn, W. R. de Genſag, Robertus vicecomes de Tartas, Petrus de Mugron, Lobes vicecomes de Maredme, W. de S. Martino, B. de Baiona. Datum fuit apud S. Severum.

Idem epiſcopus cum B. vicecomite Laburdenſi convocatis baronibus & optimatibus totius Laburdenſis agri & Arberoe, ſodalitium ſtatuit ad uſus operis eccleſiæ B. Mariæ. D

III.

Tempore F. Baionenſis epiſcopi B. vicecomes Baionenſis decrevit quid homines Laburdenſes & de Arberoe morientes dare epiſcopo teneantur.

Le Liure rouge. DUbitatum fuit ab hominibus de Labort, & de Arberoe, quid vel quantum deberent relinquere Baionenſi eccleſiæ in morte ſua, pro ſalute animarum ſuarum. Quocirca B. vicecomes de Baiona in feſto nativitatis S. Mariæ, præſente F. Baionenſi epiſcopo, & univerſis canonicis, ſtatuit cum conſilio & voluntate & aſſenſu baronum terræ, & totius populi, ut qui haberet duas equitaturas, unam in morte ſua relinqueret epiſcopo Qui non E habet equitaturam niſi unam, & qui haberet quatuor boves aratorios, equitaturam vel meliorem bovem relinqueret epiſcopo: qui haberet quatuor aratorios boves, & nullam equitaturam, ſimiliter meliorem bovem relinqueret epiſcopo: qui haberet tantum duos boves aratorios, & alia decem capita boum, vaccam prægnantem, vel bovem de vacca prægnante, relinqueret epiſcopo: qui haberet tantum duos boves aratorios & non haberet alia decem capita boum, ſed haberet porcos vel oves, quinque ſolidos relinqueret epiſcopo & hoc tali pacto, ut ſi amici vel cognati ejus qui mortuus eſſet vellent, epiſcopum * in eccleſia ubi defunctus jaceret, miſſam celebraret; ſin autem in cathedrali eccleſia. Præterea ſtatutum eſt ut fideliter darent decimas equarum, vaccarum, porcorum, ovium; et ſi epiſcopus vel nuntius ejus conquereretur, quod male decimatum eſſet, juraret ille qui decimam dediſſet cum duobus de melioribus manſionariis ejuſdem parochiæ, qui conjugati eſſent, quod fideliter reddidiſſet decimam. Hoc ſtatutum fecerunt ſicut ſcriptum eſt, B. vicecomes de Baiona, & G. de Baiona, S. Bonion & filii ejus, B. de Urtubie, A. de Naubies, An. de Saut, A. de Urtucega, Braſc. de Sance.

* Al. epiſcopus.

IV.

De moneta Morlanenſi, ex charta ejuſdem urbis.

NOtum ſit omnibus hominibus præſentibus atque futuris, quod ego Girardus monetarius acquiſivi a domino Centullo comite magiſterium ſectionis cognorum monetæ hujus villæ, mihi & poſteris meis jure perpetuo. Poſt mortem vero ipſius habui inde magnam contentionem cum dompno Gaſtone vicecomite, quouſque per judicium ferri, ita me ſupradictum magiſterium acquiſiſſe oſtendi ſibi; atque centum ſolidos illi tribuendo perpetualiter ipſum magiſterium mihi & poſteris meis confirmavit. Ego autem offero Deo & ſanctæ Fidi decimam partem hujus honoris, pro ſalute animæ meæ & omnium parentum meorum. Si quis verò hoc donum delere voluerit, de libro viventium deleatur, & cum juſtis non ſcribatur, ſed pars ipſius cum diabolo & angelis ejus inveniatur.

Morlanum urbs eſt in Bearnenſi provincia, celebris ob monetam ibidem cudi ſolitam. Nihil enim frequentius occurrit in veteribus monumentis, quam moneta, in primis ſolidorum Morlanenſium mentio. Ex litteris Hugonis epiſcopi Vaſatenſis & capituli liquet hanc pecuniam in Vaſadeſio, & in tota Auſcitana provincia curſum habuiſſe. Quapropter Hugo ejuſque eccleſiæ canonici rogarunt Eduardum Angliæ regem Aquitaniæ ducem ne in ſua diœceſi curſum hujus monetæ prohiberet, Vide l. 4. hiſt. Bearn. cap. 16.

V.

Charta donationis prioratus de Behaum, factæ Nicolao abbati Leunſis.

1229. Ex tabulis Dⁱ Odonnarti. UNiverſis fidelibus, quibus chartam præſentem videre contigerit, Petrus Arnaldus dominus de Luza in Domino ſalutem. Cum ſecundum Apoſtolum operandum ſit bonum ad omnes, maxime ad domeſticos fidei, notum eſſe volo, tam præſentibus quam futuris, quod ego intuitu pietatis ductus, pro ſalute tam animæ meæ, quam parentum & prædeceſſorum & ſucceſſorum meorum, locum qui dicitur Behaum, cum omnibus dependentiis ſuis, ſicut eum tenuit pater meus, & ego poſt ipſum, de aſſenſu & voluntate reverendi patris domini Galhardi, venerabilis Aquenſis epiſcopi, & conſanguinei mei Amanevi de Maxa archidiaconi, & etiam eccleſiæ Aquenſis, devota & liberali largitione domino Nicolao abbati, & fratribus Honciæ Præmonſtratenſis ordinis, contuli in perpetuam elemoſynam, perpetuis temporibus pacifice & libere poſſidendum. De duabus autem partibus quas habebam in Vetato dedi unam, & abbati, & fratribus memoratis ab ipſis tenendam, eo modo quo ego meam poſſidebo, partem conceſſi. Præterea dictis abbati & fratribus padouentias per terram meam & dominium meum in paſcuis, herbis, eremis, aquis & nemoribus, & per ſacramentum a me corporaliter præſtitum renuntiavi omni juri, quod habebam in dicto loco de Behaum, & appenditiis ſuis, ſub eodem ſacramento promittens quod memoratum locum, & fratres ibidem exiſtentes, ſicut domum propriam de Luza bona fide, & ſine dolo defendam, & manu tenebo. Iſta elemoſyna & donatio facta fuit apud Behaum in eccleſia S. Petri ſuper altare per ramum & ceſpitem in præſentia quamplurimorum clericorum, & etiam fratrum & ſororum ibidem degentium, qui omnes ſine contradictione aliqua promiſerunt obedientiam in manus abbatis Honciæ ſupradicti, qui abbas ad hoc dictos fratres & ſorores de Behaum ad obedientiam recepit, quia nullius ordinis erant, nec ibidem veſtigium alicujus religionis cujuſpiam invenit. Ibidem etiam in præſentia omnium ſuper Evangelium & Crucem, ſuper donis

tionem & eleemosynam per me factam manu propria juravi, quod de cetero non reclamarem, aut fratribus molestiam vel gravamen inferri vel molestari permitterem, atque omnia perpetuo firmiter & irrefragabiliter observanda mecum, & ..... obligo omnes illos qui mihi succedent in hereditate paterna. Nec omittendum puto quod illi meæ donationi inter alios probos homines interfuit domini Amanci. . . . . archipresbytero ejusdem episcopi, Petrus de Grammont prior d'Uxiat, qui auctoritate pontificia excommunicavit omnes illos qui de cetero reclamabunt, vel se opponent donationi & elemosynæ, coram eo & tantis personis a me tam solemniter factæ. Verum quia generatio præterit, & mortalium labilis memoria nescitur esse, ne de hac ipsa mea largitione subrepens oblivio posteris seminarium subministret, sicut a me solemniter est acta, in scripto redacta, sigilli mei caractere roboravi testibus subnotatis qui præsentes fuerunt. Signum Nicolai abbatis, & Bernardi de Luxia prioris, & vicarii de sancto Johanne provisoris de Houcia, & Lup. Vergonis monachi de Sordua subdiaconi, & Petrus de Grammont prioris d'Uxiat archipresbyteri episcopi, & Bernardi de Luxia patrini mei, & Bernardi d'Aguerre, & Constantini d'Estibans, & Petri Arnaldi Vasconis, & Arnaldi Ramonet Dones, & aliorum quam plurimorum. Actum anno Incarnationis MCCXXVII.

SUPPLENDA INSTRUMENTIS AUSCIENSIS PROVINCIÆ.

Ex collectione instrumentorum à Rymerio Angl. edita.

PRO ECCLESIA AUXITANA.

Litteræ Gastonis de Bearn, de non recedendo a curia regis Angliæ sine sua voluntate & licentia speciali. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod die lunæ proxima post festum sancti Michaëlis anno Domini M. CC. LXXIII. in præsentia reverendi patris Girardi episcopi Lectorienſis, & venerabilis patris Galgiardi abbatis Fygiaci. &c. *Tom. II. pag.* 13. & 14.

De seneschallo Vasconiæ bona ecclesiastica occupante. Sereniſſimo principi domino Eduardo Dei gratia regi Angliæ illustri, Amanevus ejusdem permissione archiepiscopus Auxitanensis, &c. datum VIII. idus Martii anno Domini M. CC. LXXIV. *Tom. II. p.* 2.

Litteræ contra seneschallum Vasconiæ ecclesiæ bona diripientem, Regi Angliæ directæ. Sereniſſimo principi domino Eduardo regi Angliæ &c. Amanevus archiepiscopus Auxitanensis, G. Lectorensis, C. Olorensis, H. Valatensis, A. Aquensis, P. Adurensis, & A. Coseranensis episcopi ejus suffraganei, &c. datum apud Auxim pridie nonas Febr. an. Dom. M. CC. LXXIX. *Tom. II. p.* 129.

PRO ECCLESIA BAIONENSI.

Charta de discussionibus inter subditos regis Angliæ & homines de potestate regis Castellæ, & comitis de Biscay pacificandis. Rex ad quos &c. salutem, &c. Nos de fidelitate & circumspectione provida dilectorum & fidelium nostrorum Petri de sancto Johanne episcopi Baionæ &c. tenore præsentium concedimus potestatem &c. XXVIII. Aprilis M. CCC. XLIV. *Tom. V. p.* 415.

Epistola ad P. episcopum Baionæ, & magistrum Gerardum de Podio ambassatores super ligis ineundis, ac super matrimonio inter primogenitum regis Castellæ & Johannam filiam regis Angliæ. XX. Junii M. CCC. XLV. *Tom. V. p.* 464.

De tractando cum rege Castellæ super ligis & matrimonio inter primogenitum regis Castellæ & Johannam filiam regis Angliæ Universis &c. Eduardus Dei gratia rex Franciæ & Angliæ &c. Noveritis quod nos fidelitate & circumspectione provida venerabilis patris Petri episcopi Bajonæ, & fidelium nostrorum dilectorum Petri de Fermet abbatis de sancta Cruce, magistri Johannis Wawayn constabularii nostri Burdigalæ. XXX. Aug. M. CCC XLV. *Tom. V. pag.* 475. *Fit adhuc mentio Petri de Serviero abbatis S. Crucis Burdigalia* VII. *Mart. anno* M. CCC. XLVI. *Tom.* 5. *p.* 498. 501.

De arbitratoribus super querelis inter subditos regum Angliæ & Castellæ constituris epistola ad P. episcopum Baionæ directa. XIV. Febr. M. CCC. XLVIII. *Tom. V. pag.* 610.

ADDENDA INSTRUMENTIS ALBIENSIS PROVINCIÆ.

¶ Rigaldi. *Ex mss. ad. Magnavallens.* circa an. 1154.

Littera R. ¶ *Albiensis episcopi ad J. abbatem Ardurellensem, ejusque monachos, quibus improbat quod Cisterciensem ordinem diffament, & ex suo cœnobio expellere nitantur.*

R Dei gratia Albiensis ecclesiæ humilis minister, dilecto fratri J. Ardurellensi abbati cunctisque fratribus sub ejus obedientia degentibus, salutem. Siniſter & horribilis rumor ad nostras usque aures pervenit, quod quidam ex vobis Cistercienſem ordinem ab Ardurellensi ecclesia, diffamantes, expellere conantur, cum constet nos vestris vestrique abbatis G. crebris petitionibus & abbatis Cadunensis P. G. consensu & auctoritate, nec non etiam ecclesiæ nostræ consilio, ac principum hujus terræ, Rotgerii scilicet & Trencavelli atque Ermengaudi de Vintro, nec non & multorum aliorum virorum nobilium, pro eodem ordine Ardurelli substituendo ad Cistercienses scripsisse, scribendo impetrasse. Contra nostram igitur tantorumque bonorum auctoritatem & consilium, quosdam vestrum inquietos machinari, contentionesque movere, reverentiſſimumque fratrem nostrum Johannem abbatem vestrum obedientiæ filium socioſque ejus diffamare vehementer admiramur, præsertim cum consilium nostrum cum abbate qui modo est Cadunensis, nuper fuit ut pax esset inter vos omnes usque ad generale capitulum Cistercii, ubi res tanta a tot bonis componeretur. Rogamus igitur vos & episcopali auctoritate vobis præcipimus, ne contentionis & inobedientiæ vel dissentionis & infamiæ malo aures populi conturbetis, ne nomen Dei per vos apud nos blasphemetur. Valete.

De cætero fraternitatem vestram hortamur curiositatis vitium omnino cavere, & patientiam religioni vestræ necessariam solerti studio custodire, & rectori ordinis vestri tanquam animarum vestrarum pastori obedientiam & reverentiam in omnibus & per omnia exhibere; quoniam justus judex in prompru habet inobedientiæ malum per pastores ecclesiæ puniendo vindicare. Nos autem de protectione Cistercienſium fratrum litteras domini P. Bituricensis archiepiscopi nuper accepimus quas vobis dirigimus.

ADDENDA INSTRUMENTIS MIMATENSIBUS.

INter homagia exhibita variis episcopis Mimatensibus hoc invenimus. Noverint universi præsentes & futuri, quod ego Guarinus de Castro-novo, non coactus, non deceptus, nec præcibus alicujus circumventus, sed mera & spontanea mea voluntate & amicorum meorum, specialiter de mandato & voluntate domni Guarini (*al.* Guillelmi, de Castro novo decani Anicienſis avunculi mei, & Bernardi de Castro novo fratris mei, bona fide & sine dolo confiteor & in veritate recognosco me recepisse quondam & adhuc recipio & teneo ad feudum francum in omnibus. . . . nomine B. Privati & pro ipso B. Privato a reverendo in Christo patre Stephano Dei gratia episcopo Mimatensi castrum de S. Albano cum omnibus juribus & pertinentiis suis, & castrum de Apcherio cum omnibus &c. & castrum de Monte-Alayraco; promittens eidem domino episcopo sub pœna centum marcharum argenti, & sub juramento a me corporaliter præstito, me non feciſſe aliquid, neque de cetero facturum, per quod recognitio & receptio supradictæ possint in aliquo retractari seu mutari &c. Acta fuerunt apud Badat ... IV. nonas Septemb. anno Dom. milleſimo ducenteſimo XLV.

Ex his intelligimus Stephanum Mimatenſem episcopum ibidem memoratum, sedisse usque ad annum 1245.

Aliud est homagium Guarini de Castro-novo militis domini de Apcherio, exhibitum Guillelmo Mimatensi episcopo, pro castris de Apcherio, de Sancto-Albano,

de Monte-Alairaco, de Roquas, de Caſtro-novo, pro parte, de Rando pro parte, & pro poſſeſſione in villa de Croſanis. Legitur factum anno MXCI. *calendis Martii indictione* IV. *ſed legi debuit* M. CC. XCI. *in quo currebat indict.* IV. *cum anno* 1091. *convenirent indictio* XIV. *Tunc ſedebat Guillelmus Duranti, qui hoc anno menſe Julio poſſeſſionem erat adeptus; & paulo poſt homagia excepit; hoc in homagio legitur:* Ad requiſitionem debeo reddere vel ſucceſſores mei, vobis vel ſucceſſoribus veſtris unum de prædictis caſtris. . . . & poſtmodum vos vel ſucceſſores veſtri debetis illud reſtituere mihi &c. & illo caſtro mihi vel ſucceſſoribus meis reſtituto, debeo aliud caſtrum vobis. . . . reddere; & vos . . . illud incontinenti tenemini reſtituere, & ſic de ceteris caſtris... Confiteor etiam me debere reddere vobis domino epiſcopo prædicto, & ſucceſſoribus veſtris unum de duobus caſtris, videlicet de Sancto Albano & de Monte-Alairaco tantum ad electionem veſtram. Si tamen guerram vos contingeret habere, & ego de dicta guerra nollem vos juvare, vel etiam pro pace facta & finita guerra, vos & ſucceſſores veſtri debetis mihi & ſucceſſoribus meis reſtituere illud caſtrum, in eo ſtatu in quo illud receperitis; ſcilicet cum victualibus, ac etiam armaturis. Et hinc, domine epiſcope, debetis dictum caſtrum tenere ad proprias expenſas. Veruntamen enim alterum de dictis caſtris ſemel in una guerra eligentes, aliud caſtrum in eadem guerra recipere non poteſtis vel habere.

Aster Guillelmus Duranti ſuperioris nepos inſtio jni epiſcopatus excepit etiam homagium Guarini de Caſtronovo domini de Apcherio anno 1298.

In notitia de fundatione monaſterii ſanctæ Enimiæ virginis, in pago Gabalitano, dati ſanctæ Theofredo, memoratur Maganfredus præpoſitus Mimatenſis tempore Stephani epiſcopi anno circiter 951. *In collect. fragm. Aquitan. Dom. Eſtiennot Tom III. p.* 257.

ADDENDA INSTRUMENTIS CADURCENSIBUS.

De dono Viganenſis eccleſia cœnobio ſancti Saturnini Toloſæ facto.

Ex chartul. S. Saturnini Toloſa.

REſcilcat rationalis mortalitas tam præſens quam futura, iis clementiis utcunque exaratis, quod ego G. gratia Dei Cadurcenſis epiſcopus cernens B. Mariæ locum quo continentur corpora SS. Virginum Fidei, Spei & Charitatis, matriſque earum Sapientiæ perniciter negligentia ac avaritia clericorum ſeu laicorum peſſumdari; ut eſt paſtoralis officii depravata corrigere, & correcta ſervare, & valde inutile non puniri ſuo, ſi puniendus eſt alieno, cupiens evadere illud terribile quod Hely quondam contigit ſcelere filiorum: deliberavi ibi canonice vivere ſecundum patrum decreta, id eſt, Auguſtini, Hieronymi & ceterorum. Idcirco meorum conſilio fidelium canonicorum concedo ſupradictum locum ſanctiſſimi Saturnini eccleſiæ Toloſanæ præpoſito futuriſque præpoſitis vitæ regularis, quatinus quæcumque vitanda ſunt, a ſupradicto loco evellant & diſſipent, & quæ appetenda ſunt plantent & ædificent. Hoc factum eſt ſub papa Gregorio, regnante Philippo, menſe Junio in feſtivitate Baptiſtæ Johannis, in qua die Ugo Oriol, Giralez de Pradel, & Aymes de Felono & alii nonnulli ante altare B. Mariæ de Vigano ſupradicto præpoſito B. Saturnini profeſſionem fecerunt, & obedientiam promiſerunt, quem ſupradictum Ugonem præpoſitus ſancti Saturnini conſtituit ejuſdem loci priorem Sig. Petri Carcaſſenſis epiſcopi. Sig. Raimundi Gauſmar de Barbara. Sig. Hugo Girals. Sig. Pontii Bernardi. Sig. Gauzbert de Faurgas. Sig. Stephani preſbyteri, & alii multi.

In Rogerio abbate Moiſſiacenſi exhibuimus litteras Ildefonſi comitis Toloſani pœnitentis quod abbatem ſecularem dediſſet Moiſſiacenſi monaſterio. Fragmentum chartularii Moiſſiacenſis exhibet noſter D. Claudius Eſtiennot tom. V. Fragm. hiſt. pag. 459. *in quo continetur placitum Toloſa habitum, anno* 1130. *in quo ſedente eodem Ildefonſo comite Bertrannus de Monte-incenſi iſte abbas ſecularis omni poteſtate in eccleſiam, & in clocaria ſpoliatur.*

ADDENDA INSTRUMENTIS RUTHENENSIBUS.

Littera B. Ruthenenſis epiſcopi ad Raimundum Toloſanum comitem.

Exhibent. Tolozano.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Manifeſtum ſit omnibus præſentibus & futuris quod B. Dei gratia Ruthenenſis epiſcopus, de conſilio & expreſſo conſenſu noſtri capituli; attendentes & conſiderantes grata ſervitia & univerſa beneficia nobis & prædeceſſoribus noſtris eccleſiæ Ruthenenſi collata a vobis domino RAIMUNDO Dei gratia comite Toloſano, marchione Provinciæ, & a prædeceſſoribus veſtris in arduis neceſſitatibus eccleſiæ noſtræ, non ſine magnis veſtris & prædeceſſorum veſtrorum laboribus & expenſis: volentes præterita recompenſare ſervitia, & pro futuris veſtram gratiam adipiſci: donamus, damus & in feudum concedimus vobis & ſucceſſoribus veſtris in perpetuum podium quod vocatur * *Vemiel* cum omnibus juribus, pertinentiis & appenditiis ſuis. Quod * ſi quod podium eſt alodium noſtrum, & eccleſiæ Ruthenenſis, de quo nunquam recognoſcendo vel aliter reſpondimus, vel aliter reſpondere debemus alicui domino temporali, confidentes & in veritate recognoſcentes dictam donationem ſeu in feudum conceſſionem nos facere pro utilitate eccleſiæ Ruthenenſis, cui dictum podium ſit per ſe ſterile, & nobis & eccleſiæ noſtræ penitus inutile: & caret omni fructu. Prædictum itaque podium liberum & abſolutum de jure noſtro, & eccleſiæ noſtræ, in vos & ſucceſſores veſtros pleniſſime transferentes, ex cauſa præfatæ donationis, & in feudum conceſſionis tradimus ipſum, vobis concedentes ut in auctoritate noſtra de mandato noſtro, poſſitis poſſeſſionem ingredi corporalem, & ipſum podium conſtruere, & ædificare pro veſtra omnimoda voluntate, retinentes nobis & eccleſiæ Ruthenenſi majus dominium quod dominus debet habere in feudo, videlicet ut in mutatione domni epiſcopi Ruthenenſis, & in mutatione feudarii, & recognitionem facere, & fidelitatem promittere ſine homagio & ſacramento, vos & ſucceſſores veſtri Ruthenen. epiſc. & eccleſiæ debeatis.

** al. Veinoiel.*
** ſ. Dele de verbo, ſi quod.*

Ad hæc nos præfatus RAIMUNDUS Dei gratia comes Toloſæ, marchio Provinciæ a vobis dicto domino epiſcopo & ab eccleſia Ruthen. recipientes dictam donationem, & in feudum conceſſionem in forma præſcripta de podio ſupradicto: pro prædicta donatione & in feudum conceſſione donamus, damus, concedimus, & remittimus ſi quid juris habuerimus, vel habere debemus in caſtro de Luzeſo & pertinentiis ſuis vobis domino epiſcopo & eccleſiæ Ruthenenſi remiſſionem & deſemparationem a nobis alias ſuper iis factam, prout in inſtrumentis inde factis plenius continetur, ſpecialiter conformantes. Promittimus inſuper vobis quod de feudo prædicti podii fideles erimus & defenſores de feodo vobis & ſucceſſoribus veſtris & eccleſiæ Ruthenenſi. Horum omnium ſunt teſtes BARILLUS dominus Baucii, PETRUS abbas ſancti Pauli, BERENGARIUS Centulli, magiſter Raimundus de Vuel canonici Ruthenenſes, W. Loſes archipresbyter Amiliani, WILLELMUS Augerii, PONTIUS Aſteaudi, magiſter PONTIUS Baricia, WILLELMUS Jordani de Creſſello, Gaillardus de Opiano, WILLELMUS Gaufridi, BERNARDUS Jordani de Compiere, frater BERNARDUS capellanus domini comitis, GERARDUS de Procionibus, AMBRICUS hoſtiarius, & JOHANNES Aurioli domini comitis ſupradicti notarius, qui mandato utriuſque hæc ſcripſit. Actum apud Luvenſon menſe Maii anno Domini M. CC. XXXIX.

ADDENDA INSTRUMENTIS ARELATENSIS PROVINCIÆ.

Ex chartulario, ſeu authentico epiſcopali rubeo, pag. 303.

SACRAMENTALE EPISCOPORUM de provincia.

EGo Pontius ſanctæ Mariæ Aquenſis ſedis nunc ordinandus epiſcopus, debitam ſubjectionem & reverentiam & obedientiam a SS. patribus conſtitutam, ſec

cundum præcepta canonum, ſanctæ ſedi Arelatenſis ecclesiæ, rectoribus ejus in præſentia domni archiepiſcopi
Raimbaldus. *Raimbaldi* exhibiturum promitto & ſuper ſanctum altare manu propria firmo.

Ego frater Roſtagnus ſanctæ ſedis eccleſiæ ordinatus epiſcopus debitam ſubjectionem & reverentiam, & obedientiam, &c. *ut ſupra in priori.*

Ego Stephanus Vendacenſis eccleſiæ vocatus epiſcopus, promitto coram Deo & ſanctis ejus omnem ſubjectionem & obedientiam canonicam & fidelitatem eccleſiæ ſancti Stephani ſedis Arelatenſis, ubi corpus beati
Anno. Trophimi confeſſoris quieſcit, & *Annoni* præſenti archiepiſcopo & ſucceſſoribus ejus, ſi eum ſupervixero.

Ego Arnulphus Vincienſis eccleſiæ vocatus epiſcopus promitto coram Deo & ſanctis ejus, &c. *ut immediate ſupra 5.*

Ego Bertrandus ſanctæ ſedis eccleſiæ Forojulienſis B nunc ordinandus epiſcopus debitam ſubjectionem, &c. *ut ſupra in primo* in præſentia D. Raimbaldi, &c.

Ego Bernardus Regienſis eccleſiæ epiſcopus vocatus profiteor me deinceps ſub ditione Arelatenſis metropolitæ conſultere & ejus juſſionibus obtemperare.

Ego Bernardus eccleſiæ Antipolitanæ vocatus epiſcopus profiteor me deinceps ſub ditione Arelatenſis metropolitæ conſiſtere & ejus juſſionibus obtemperare.

Ego Algericus ſanctæ Regienſis eccleſiæ ſedis nunc ordinandus epiſcopus debitam ſubjectionem, &c. *ut ſupra*, in præſentia domni Raimbaldi &c. *ut ſupra in primo.*

Raimb. Ego Aldiricus Auraſicenſis eccleſiæ vocatus epiſcopus promitto coram Deo & ſanctis ejus omnem ſubjectionem &c. & Annoni præſenti archiep. &c. *ut ſupra in tertio.*

Anno. Ego Aldiricus Auraſicenſis & Tricaſtrinenſis vocatus epiſcopus promitto coram Deo & ſanctis ejus omnem C ſubjectionem & obedientiam canonicam & fidelitatem eccleſiæ ſancti Stephani ſedis Arelatenſis, ubi corpus B. Trophimi confeſſoris quieſcit & Raimbaldo archiepi-
Raimb. ſcopo & ſucceſſoribus ejus, ſi eum ſupervixero.

Ego Petrus eccleſiæ Avinione vocatus epiſcopus profiteor me deinceps ſub ditione Arelatenſis metropolitæ conſiſtere & ejus juſſionibus obtemperare.

Ego Benedictus Avinionenſis eccleſiæ vocatus epiſcopus juro coram Deo & ſanctis ejus omnem ſubjectionem & obedientiam, & fidelitatem eccleſiæ ſancti Stephani ſedis Arelatenſis, ubi corpus almi Trophimi apoſtoli quieſcit, & Raimbaldo præſenti archiepiſcopo & ſucceſſoribus ejus, ſi eum ſupervixero.

Inter inſtrumenta eccleſiæ Arelatenſis dedimus chartam Rajambaldi archiepiſcopi, quæ eſt octava, ſed contractam. Eandem chartam poſtea ampliorem & ut putamus integram recuperavimus ex magno chartulario Arelatenſis D *eccleſiæ (librum aureum appellant) quam idcirco hic exhibendam putamus.*

Littera Rajambaldi Arelatenſis archiepiſcopi pro ſancto Victore Maſſilienſi.

OMnipotentis quippe Dei incomprehenſibili diſpoſitione, non noſtri ullius, ut reor, meriti, vel cujuſpiam digni effectus exſecutione adeptus hujus ſanctæ ſedis Arelatenſis pontificali culmine, multa ſubinde mecum de eodem regimine cœpi in animo evolvere, quod id abſque ingenti meæ valerem animæ nullatenus exſequi diſcrimine, eo quod ejuſdem urbis publica & privata hoſtilis eſſent cuncta infectationis mucrone turbata, & priſcæ animus thronum ſuæ deliberationis nequiret captare. Tandem clementiſſima divinitatis propitiatione adepta, diu deſideratæ tranquilliſſimæ pacis obventione, quod diuturna evolverat animus deliberatione, opitulante divinæ miſerationis ſubventione id exſequi cœpit abſque ulla dilatione: videlicet de ſanctorum venerabilium locorum reſtitutione. Unde quadam die de quodam religioſo loco in honore ſancti Geneſii vel ſancti Honorati conſtructo foras muros noſtræ civitatis poſito, multa volvens mecum in animo quomodo de tam ſpiritali priſci temporis monachorum officio verſus in poſſeſſionis eſſet ſeculari ſervitio, & dixi in corde meo ſi per meum forteſſis initium in Dei poſſet reverti ſervitium, non exinde grave ſuſtinerem judicium, & de peccatis meis Deum haberem propitium. Et ita Deo favente qui magna ſolus facit mirabilia, mecum tractavi talia conſilia ut illum locum darem monaſterio ſancti Victoris de Maſſilia, in quo conſtitueret Iſarnus abbas ejuſdem monaſterii, monachos in Dei ſervitio. *Igitur* ego Rahimbaldus gratia Dei præſulatus honore ſublimatus ſuperiorum cauſa dictorum ipſam eccleſiam ſancti Geneſii cum omnibus ſibi ſubjectis eccleſiis, & cetera omnia quæ in præſenti videtur tenere, & quidquid in futuro potuerit adquirere de ipſis rebus, quas jam tenuit vel undecumque aliunde adquiſierit, exceptis illis laïcalibus feudis, & quidquid illi laïci ex ipſis B ſuis feudis abbati & congregationi ceſſerint cum meo conſilio vel cæterorum epiſcoporum ſucceſſorum meorum totum per harum auctoritatis noſtræ paginam litterarum in manus Iſarni ſupradicti abbatis monaſterii ſancti Victoris Maſſilienſis & ſuorum monachorum tam præſentium quam futurorum, tradimus, donamus, cedimus jure perpetuo ſol . . . tiantibus * nobis *ſ. Solatian-* in hoc ipſo vel conſentientibus totius provinciæ prin- *tibus.* cipibus ſeu comitibus, Josfredo ſcilicet atque Bertranno & noſtræ ſedis canonicis; laudantibus etiam & firmantibus domno Poncio epiſcopo Maſſilienſi cum fratribus ſuis, qui ipſam eccleſiam vel ipſum ſanctum locum cum omnibus ad ſe pertinentibus tenere videntur. Tali vero ratione ut ab ipſis monachis vel ab ipſo abbate cenſus per ſingulos reddatur annos altario ſancti Stephani vel ſancti Trophimi, id eſt libra una incenſi in feſto ſancti Trophimi; idipſum enim quod nos inſpirante Deo agimus & ſacrorum ſtatuta canonum & legalis jubet auctoritas, videlicet ut de rebus epiſcopii conſtruatur locus monaſterii. Nos vero hoc non agimus, ſed id quod a noſtris antiquitus deceſſoribus conſtitutum eſt, & modo deſtitutum reformari cupimus in priorem ſtatum; ita ut ſi quis aliquando, quod abſit, noſtrorum viſus fuerit ſucceſſorum quicpiam contra ſacrorum agere canonum ſanctionem, & quod a nobis ſancte & laudabiliter videtur inſtituere ille e contra viſus fuerit deſtituere, eterna ſe noverit ultione cum Anania & Saphira mulctandum qui aliquid de apoſtolica communia putaverunt eſſe fraudandum. Auctor & teſtis hujus donationis Raiambaldus qui illum fecit & ſua manu firmavit. Gaufredus comes firmavit. Bertramnus ejus frater firmavit. Poncius epiſcopus Maſſiliæ firmavit, & omnes fratres ejus videlicet Willelmus, Aycardus, Goffredus, Stephanus, Bertramnus, Petrus. Willelmus vicecomes Maſſiliæ & frater ejus firmaverunt. Poncius ſeneſcallus firmavit. Canonici ſancti Stephani firmaverunt. Anſebertus, Durandus, Arelas, Engoaldus, Pacio, Roſtagnus, Odilo, Bernardus, Roſtagnus, Damianus, Pelicus, Martinus.

EX COLLECTIONE RIMERII DE QUA SUPRA.

De Guillelmo Carpentoratenſi epiſcopo.

SUper treugis inter reges Angliæ & Franciæ nuntiorum Papæ memoriale: *Philippes par la grace de Dieu Arceveſque de Ravennes & Guilles Eveque de Carpentras Meſſages ordonnez par noſtre tres-ſaint pere le Pape pour traiter de paix.* 27. Juin 1375. T. 7. E p. 79.

De 40000. Francis pro caſtro ſancti Salvatoris, ſolvendis acquietantia: *Le Roy de France & d'Angleterre, &c. ſelon la forme & effet des trieves priſes & faites entre nous & noſtredit adverſaire, à la mediation des RR. piers en Dieu P. Arceveſque de Ravennes, & G. adonques Eveque de Carpentras, &c. Erceveſque de Rouen.* 2. Juin 1376. T. 7. p. 108.

GLOSSARIUM

VOCUM CORRUPTIORIS LATINITATIS, ALIARUMQUE

peregrinarum his in Inſtrumentis occurrentium, de quarum ſenſu noſtras damus conjecturas; cum plurimæ in Cangiano deſiderentur gloſſario.

A

ABONARE 181. col. 2. a. *recognoſcendo & abonando dicto domino abbati, nomine quo ſupra, caſtrum, &c.* forte *abonner*. Infra b. *Ex cauſa recognitionis & abonationis pradicta quinque ſolidos Toleſanos, pro 5. ſolidis Morlanis: & unum aureum ..... pro recognitione & abonatione pradicta.*

Abſtu'tum 107. col. 2. c. pro *ablatum*.

Acapita, acapitum, pag. 35. col. 1. a. *Cenſus inſuper, reddibus, & proventus, acapita aliaque jura.* Pag. 236. col. 2. c. *Et terras dicta eccleſia ... ad acapitum & in emphiteoſim perpetuam*, variæ ſunt hujus vocis interpretationes. Acapitum in priori loco citato ſignificat jus debitum domino fundi. In altero loco, emphyteuſin, *empiyteoſe*.

Accaptare, p. 23. col. 2. a. idem ac emere, *acheter*. Adhuc in multis Aquitaniæ locis ruſtici hanc vocem in ſua vulgari lingua retinent. Aliquando etiam accaptare eſt capere ad accapitum.

Advohationes, p. 32. col. 1. c. *deſaveus*, ut ſequentia probant: *Advohationes & recognitiones nova, qua ab eccleſiarum ſubditis fiunt.*

Afri, p. 89. col. 2. c. *Afros paſſim ad eccleſiaſticos ordines promendos, nulla ratione ſuſcipiat.* Obſervavimus hanc deſumta eſſe ex quadam ſancti Gregorii epiſtola. Conjicimus tempore Wandalicæ perſecutionis clericos ex Africa fugientes in Italiam ſeſe recepiſſe, ubi ad exſilii ſolatium facillime admiſſi ſunt ad ſacros ordines, quemadmodum videmus factum noſtra ætate in gratiam Hybernorum. Hac vero facilitate factum eſt, ut plurimi ſine delectu fuerint ad eccleſiaſtica officia promoti. Unde S. Gregorius decernendum putavit, ut in poſterum Afri minime paſſim admitterentur ad eccleſiaſticos ordines; ſed id fieret præmiſſo ſufficienti examine.

Affare, p. 102. col. 1. a. *Pro affari Trencataillarum, & de Camargis, decem paria cuniculorum cum pellibus, nomine cenſus.* Prædium ruſticum ſignificat, vel quælibet alia bona. *Cang.*

Aice in ablativo caſu, p. 58. col. 2. b. *Donamus ſimiliter in ipſo Aice, vel in ipſo miniſterio alios manſos noſtros.* Reperitur frequenter in charta hac, in *ipſo Aice*. De hac voce nihil in Cangiano gloſſario reperimus: nec ejus ſignificationem divinare potuimus.

Airale, p. 51. col. 2. d. *Airale quod infra civitatem anteceſſores comitis habuerunt, habeant comites nunc & in eum*; ubi airale forte ſignificat plateam, aream, *Aire*.

Alberga, p. 39. col. 1. c. *Auberge*, & jus hoſpitii in aliquo loco.

Almunia, p. 54. col. 2. c. *Et Almunia qua fuit del Benxipello.* Eſt prædii ruſtici ſpecies apud Hiſpa-

nos.

Apriſia, p. 42. col. 2. b. *Allum reformationis per modum Apriſia agitatum coram honorabili .... viro.* Vox forenſis inquiſitionem ſignificans.

Arcerum, p. 184. col. 1. c. *Nec de ſilvis, pratis, landis, piſcationibus, pratis vel vineis cenſum quærere vel arcerum.* Idem ac arceurum quod apud Benebarnenſes ſignificat jus procurationis, ſeu hoſpitii.

Argenſata, p. 54. col. 2. c. *Addunt etiam viginti argenſatas de vineis.* Vox huc uſque nobis incognita.

Arneſium, p. 128. col. 1. d. *Sub pœna 50. librarum, pro quolibet contra faciente, & perditionis arneſiorum*, vulgo *harnois*, *équipages*. Pag. 155. col. 2. c. *Cuilibet pro ſuis arneſiis 50. florenos auri*, & paulo poſt, *unum arneſium armorum minutum.*

Arrandamentum paſſim legitur, pro certo locationis genere, *arrentement*.

Artiga, p. 57. col. 1. a. *Ex altera parte de illa artiga de orbe, uſque in illa gaita de vulpe.* Vox hæc nondum nobis cognita, cujus tamen ſenſus utcunque deprehendi poteſt ex artigalia de qua infra; nam ab artiga derivari videtur artigalia.

Artigalia, p. 179. col. 1. c. *Qui infra hos eoſdem terminos poſſeſſiunculas, atque artigalia poſſidebant.* Infra c. *Filii ejus & fratres corrigiam unam poſſidebat. Martinus de Mezos duo artigalia, Willelmus quoque de Mezos unum artigale.* Forte eſt quædam poſſeſſiunculæ ſpecies.

Aſſiſæ, p. 34. col. 2. a. Vox forenſis, quæ ſignificat comitia publica, *aſſiſes*.

Aucirent, aucire, p. 49. col. 2. d. Forte pro *auctionari*, *VENDRE à l'encan*, ab auctio, *encan ... NEC in marcado homines nec feminas non aucirent.*

Avere, & averia groſſa, p. 128. col. 2. d. *Quod nulla perſona ... audeat vel præſumat immittere ſeu immitti facere avere, ſeu averia groſſa vel minuta, cauſa depaſcendi in territorio præſentis civitatis.*

Authorgo, p. 172. col. 2. a. *Donum & conceſſionem laudavit & authorgavit Willelmus*, pro *auctoriſavit*.

B

BAjulus centies, idem ac ballivus, p. 9. col. 2. c. Barbacana, p. 52. col. 1. c. Quæ vox infra ſæpius repetitur, aliquod eſt munitionis genus, ut ex iis liquet: *licentiam conſtruendi & fortificandi ... dictam macellum, cum pariete, & eccleſiam & barbacanam pradictas.* Cangio eſt propugnaculum exterius, quo oppidum, caſtrum, præſertimque porta muniuntur.

Barta, p. 38. col. 1. d. *Dedit infra hos terminos de ipſa barta.* Et p. 172. col. 1. a. *Terras cultas & incultas, boſcos & bartas, nemora, lapides, &c.* Barta eſt ſilvæ ſpecies.

Baſtida, p. 188. col. 2. d. *Volumus quod nova baſtida ſeu populationes fiant in terra eccleſia, extra muros civitatis .... in quibus baſtidis & populationibus habemus medietatem.* Baſtida ſignificat munitiones, & alia quandoque ædificia ad habitandum.

Baſtimentum, p. 57. col. 1. c. *Medietatem caſtelli ... de ipſo baſimento quod ibi eſt, & in antea factum erit*, baſtiment.

Baritoria, p. 146. col. 1. b. *Si aliqua molendina facture ſunt vel baitoria, vel piſcatorias.* Forte idem quod baptitoria, ſeu moletrinæ ad tundendos pannos. Vide Cangii dictionarium.

Boraticus, p. 39. col. 1. c. *Omnes malas conſuetudines, boraticos, albergas atque traginas.* Boraticus eſt jus exigendi *boras* ſeu pecuniam pro bobus, *droit de bestage*.

Boveria, p. 193. col. 2. d. *Boveriam de Puiſſeda cum pertinentiis ſuis, boveriam de Soyt ..... boverias de Thiezan.* BOUVERIE, a bobus qui ibidem nutriuntur; unde etiam derivatur *bouvier*. Significat autem omne prædium ruſticum.

Breve congregationis, p. 13. col. 2. a. *Cum breve congregationis cujuſlibet in capitulo alterius fuerit recitatum, fratribus defunctis, ſecundum uſus & conſuetudines ſuas, 7. diebus divinum officium perſolvant.* Hic manifeſtum eſt agi de ſchedula qua una congregatio ſignificat alteri mortem alicujus ex ſuis.

Burdiguli vel Burdegula, p. 96. col. 2. d. *Omnem decimam in piſcatoriis de ponte .... videlicet in Burdigulis, & in canatis & in omni ſtagno.* Burdiguli videntur eſſe quoddam ſtagni genus.

Digitized by Google

C

CAldaria judiciaria. pag. 165. col. 1. c. *Conceſſi ... caldariam judiciariam cum marmore.* Id eſt caldariam in qua fiebant judicia per aquam calidam; ſeu jus hujus caldariæ.

Calta p. 57. col 2. c. *Malos vero uſus, caltas, tortitudines, diſtrictiones, &c. in eodem monaſterio & in ejus dominicaturis ... abrenuntiavimus*, ubi calta ſignificare videtur rapinam, aut quid ſimile.

Cambilegus p. 3. col. 2. e. *Dono .... vallem caninam, illos pinos, & cam ilegos, &c.* Nihil de hac voce legi, aut de ejus ſignificatione conjicere potui.

Caminum vel caminus. p. 173. col. 1. d. *A camino Burdegalenſi verſus mare uſque ad littus, &c.* chemin.

Cannata. pag. 96. col. 2. d. Idem ac Canneta, arundineta, ubi creſcunt cannæ & arundines.

Cantum. pag. 174. col. 1. b. *Regia parti mille aureos in canto perſolvat.* Quid hic ſonet, *in canto*, non eſt in promtu explicare.

Caputſcolia, pag. 3. col. 1. d. *Simili modo damus illam caputſcoliam.* Idem ſignificat ac ibid. col. 2. e. *Cabiſcolaris honor*, ſeu officium cabiſcolæ, vel cabiſcoli. Adhuc plurimæ ſunt eccleſiæ, in quibus eſt cabiſcolus vel capiſcolus. Olim ſcholæ nomine in eccleſiis cathedralibus intelligebatur collegium cantorum, cujus magiſter velut caput dicebatur caput ſcholæ, &, poſtea per corruptionem cabiſcolus, capiſcolus etiam capriſcolus, ut videre eſt p. 3. col. 1. e.

Carnerum, vel potius Carnerus p. 178. col. 1. e. *Unum quarterum de carnero; & ſi alias carnes dederit .... a Paſcha uſque ad feſtum S. Johan. Bapt. dabit carnes agninas.* Carnerus idem videtur eſſe ac carnerius, ovis, ut legitur in inſtrumento apud P. de Marca, l. 5. hiſt. Bearn. c. 29. n. 2. *Ut facerent tributum octo carners, & quatuor arietes.*

Carniprivium p. 178. col. 2. a. *In præcipuis feſtivitatibus, ſcilicet natali Domini ..... Dominica carnipriviam* Dimanche du carnaval.

Carrera. p. 169. col. 1. c. *Cum eccleſia ... terris & ſilvis ... & ad integrum per ſuos fines & ſuas carreras.* Ses carriers.

Carteragium. p. 191. col. 2. d. *Officiales noſtri compellant eundem ad ſolvendum carteragium, ſeu perſonagium.*

Caſale. p. 51. col. 1. a. *Quod caſale & hortus, qui ſunt juxta ſalam comitis .... reſtituantur.* Caſale hic eſt villa ſuburbana. Vide apud Cangium varias caſalis ſignificationes.

Caſus ſecundi reſſorti. p. 34. col. 2. a. Videtur hic ſignificari ſuperius tribunal ad quod provocatur ab inferiori; ex contextu: *Caſibus ſecundi reſſorti & ſuperioritatis noſtræ ... ſolum exceptis.*

Cathedraticum. p. 48. col. 1. b. Jus epiſcopale ſeu penſio annua quæ in ſignum ſubjectionis ſolvitur. *In ipſa vero eccleſia in ſignum ſubjectionis, cathedraticum & ſynodaticum retinemus.*

Cauciarius, p. 106. col. 1. e. *Cauciarios ſuos miſſos exinde juſſit ad ipſum caſam S. Victoris reveſtire.* Cenſet Cangius legendum eſſe non *Cauciarios*, ſed Cauſarios; qui cauſas videlicet judicant.

Cayrelli, vel Cayrella, p. 80. col. 1. d. *Reſtituendis loreis, baliſtis & Cayrellis, & ſceptris.* Quid ſint *cayrelli* nos latet, niſi idem ſint ac *crenelli*, des crenaux; ſic pilas murorum appellamus.

Celſitudo, titulus honoris datus epiſcopis. *Humiliter ejus* (Almeradi Regenſis epiſcopi) *intimantes celſitudini.* p. 81. col. 1. c.

Cenſura, p. 81. col. 2. e. *De porta ſeu de omnibus cenſuris quæ ex ipſo exeunt, vel exire debent*, ubi cenſura ſumi videtur pro cenſu, tributo. Item p. 86. col. 1. d. *Cum omnibus quæ ad eas* (eccleſias) *pertinent, & cenſuram quam prius habebant.*

Charta conſcambiaria, pag. 3. col. 1. e. id eſt charta permutationis. Nam tempore corruptæ latinitatis *excambium, concambium, excambiare, &c.* vulgo dicebantur pro, *permutatio, permutare, commutare.*

Clamores majores & minores, ſæpius. Significant jus excipiendi clamores judiciarios, & de iis decernendi. *Clamores minores, communes epiſcopi & regis.* p. 8. col. 1. e. *juſtitia minorum clam.* p. 9. c. 2. d.

Clientes. p. 51. col. 1. c. *Nec ulli liceat, præter armatos milites & clientes qualibet arma ferre: niſi milites enſes ſolummodo, & clientes ſingulos baculos ferant.* Et infra c. *Clientes vero & artifices, ſcilicet fabri, ſarteres, pellicarii, &c.* ubi clientes videntur eſſe homines plebei & ignobiles; non vero quilibet vaſſalli.

Cognum, *vel* Cognus, p. 201. col. 2. a. *Magiſterium feſtivis cognorum moneta*, coins, Latine *typi.*

Comerius pag. 148. col. 1. a. *Grim ... regia dignitatis comerius recognovit.* Forte legendum *Camerius*, ut diminutivum Camerarii.

Commune. p. 51. col 1. e. Sic appellatur pecunia quæ conferebatur ab omnibus ad pacis & ſecuritatis tuitionem, ut legenti patebit.

Communiæ p. 50. col. 2. c. *Qualicumque tempore epiſcopus Ruthenenſis vellet communias facere .... prior congregatis agricolis ... ſui honoris retinendi licentiam haberet ad opera ſua explenda.* Ubi per communias intelliguntur, *les Corvées*; a quibus eximebantur homines honoris prioris monaſterii ſancti Sepulcri.

Compono. *Componat tibi hæc omnia ... dupla meliorata.* p. 5. col. 1. a. p. 83. col. 1. a. *Componat illi cui litem intulerit auri optimi libras decem.* Ubi componere videtur idem eſſe ac ſolvere ad faciendum alicui ſatis pro injuria illata.

Componere in vinculo, ibid. col. 2. a. *Qui contra hujus donationis cartulam aliqua fraude tentaverit, aut eam irrumpere voluerit, pro ſola tentatione incurrat in Dei maledictionem .... uſque dum .... ſupradicto monaſterio componat in vinculo centum libras auri & mille argenti.* Ita loquitur Gaucelmus epiſc. Forojulienſis, & videtur vinculis excommunicationis innodare eos qui tentarent infringere quæ fuerant ab ipſo conſtituta. Itaque ſic explico, componat in vinculo, qui talis excommunicationis vinculo ligatur, antequam abſolvatur, componat, id eſt ſolvat monaſterio, cui ſatisfacere tenetur, centum libras auri &c.

Condamina p. 101. col. 2. a. *Donetur decima & reddantur de tota condamina quæ dicitur Maſſilienſis.* Condamina, condomina quaſi *condominium.*

Conqueſta. pag. 32. col. 2. d. Adquiſita. *Acquiſitions.* Dicitur adhuc in ſtylo forenſi, *conqueſts.*

Confraganeus p. 171. col. 1. e. *Cum omnibus confraganeis ſuis epiſcopis, abbatibus, &c.* Idem ac ſuffraganeus.

Conſentimentum p. 90. col. 1. a. *Conſentement.*

Conſortes. p. 71. col. 2. c. *Habent igitur ha* (hæc) *omnia conſortes de uno latere, id eſt de Oriente rivum, &c.* Ubi conſortes videntur ſumi pro limitibus, terminis. p. 82. col. 2. e. legitur quoque: *Conſortes de uno latere mare magnum, de alio fronte rivum Blaveto, &c.*

Convaſco, 170. col. 1. c. *accepimus de vobis pretium ..., quale vobis & nobis aptificavit in rebus convaſcentibus ſolidos mille.* Nihil de hoc verbo in libris quos conſuluimus.

Corrigia. 179. col. 1. e. *Raimundus ..... corrigiam unam poſſidebat; Martinus .... duo artigalia.* Corrigia eſt modus & menſura agri.

Curialiter ſcribere. 25. col. 2. e. *Courtoiſement*; quod nunc melius dicimus, *civilement, poliment.*

Cumus 168. col. 2. d. *Cum allodio ..... tribus caſalibus .... cum ipſis cumis quatuor, & alio loco Oiſſano.* Nihil nobis ſuppetit de hac voce.

D

DAmnum, p. 1190. in corpore col. 1. d. ubi vide in nota quid ſignificet.

Defenſiones, 67. c. 2. a. *Quidquid habeo ..... in dominiis ... juſtitiis & defenſionibus.* Forte ibi defenſionum nomine ſignificatur quidquid ſub tutela & defenſione eſt domini.

Denerata, p. 160. col. 2. a. *Decem deneratas de vineis indominicati.* Idem ac denariata, quæ eſt portio quædam vineæ aut alterius terræ diviſæ in ſibram, ſolidos, denarios, &c. conſule Cangium ad: *Libra terræ*

Diſturbium 123. col. 1. a *Moleſtiis ac diſturbiis quæ, &c.* Majores noſtri vulgo dixerunt *Deſturbier*, quod nunc *trouble* appellamus.

Dominicaturæ 101. col. 1. a. *Exceptis decimis & dominicaturis antiquis* Hoc eſt, ut opinor, antiquis domini juribus. Dominicatura ſignificat quoque prædium dominicum, dominium.

Driſtum, 49. col. 1. e. *Cum fevalet meos, & cum meum dr ſtum adolde, in talı ratione qua dicitis.* Droit, inde *Driſtura*. Vide Cangium.

E

ENpramenta, 99. col. 1. e. *Si juramenta vel empramenta in civitate.... furent.* Hæc dictio nobis incognita, niſi ſit *emprendimentum*; quod tamen aliud ſignificare videtur, ſcilicet uſurpationem, *emprise.*

Epiſcopitium 159. col. 2. b. pro epiſcopatu.

Epicratium 123. col. 1 b. *In epiſtatium manus tuæ meæ ponere manum.* Vox eſt forte corrupta, & quidem inſtrumentum ex quo ſumta eſt barbariſmus & ſolecismus ſcatet.

Exea, 53. col. 2. a. *Cum exitu & horti, cum exeis & ingreſſis & egreſſis.* Leurs iſſues & leurs entrées.

Exercitus p. 11. col. 2 b. *Exercitum facere.... ſe reddime a pro exercitu præſenti*: ubi exercitus videtur ſignificare militiam, quemadmodum in recenſione monaſteriorum facta ſub Ludovico Pio. an. 817. alia leguntur debere militum alia nequaquam.

Expleta p. 36. col. 2. e. & paſſim; item *expletum*, quod ſumitur pro dominio, prædio vel reditu, qui provenit ex adminiſtratione, vel villicatione, vulgo *exploitation.*

Expleti, æ, a. *Quinimmo privilegia, libertates & immunitates ipſius eccleſiæ & ejus meteriæ aliis adhuc is duntaxat exceptis, una cum uſibus & expletis eorum, integras remanere volumus & jubemus.* p. 52. col. 1. e. Forte *expletis*, ſignificatur idem: ita ut non ſolum rerum concedatur proprietas, ſed etiam uſus & expleta, *l'exploitation.*

F

FAcharia 119. col. 1. e. *Vel ad faſtariam feceritis, ſive de facharia habitis.* De duabus his vocibus tacere cogimur, quippe omnino incognitis.

Fadi 112, *ibidem.*

Faidimenta. *Incurrimenta hareſeu & faidimentorum.* p. 9. col. 2. b. & ſeq. Faidimentum a faida dicitur; quæ vox inimicitiam ſonat Forte etiam faidimentum dicitur jus faidimenta puniendi.

Faditus p. 20. col. 1. d. a faida. *Faditi a civitate.* hoſtes & proditores.

Faig 176 col. 2. a. *De ipſa vinea uſque ad illum faig, qui eſt in vinea. Et de ipſo faig juxta ſi vam* forte fagus, aut faia, quæ duæ voces idem ſignificant.

Feudum ſiat cum & gentile pag. 121. col. 2. b. Fief noble.

Fevoalis p. 49. col. 1. d. *De caſtello Caſſaniæ & Guarnerio fevoali illorum.* Fevoalis derivatur a fevo. *ſi fit Illum maſum, in qua eccleſia eſt, cum fevalet meos, & cum meum driſtum adolde.*

Illas Feos, p 4. col. 2. b. *Excepto candelas de ſervitio, & illas feos qui ſunt vel &c.* In iis explicandis cæcutimus.

Fidantiæ & juſtitiæ. p. 4. col. 1. a. *Ut habeat & poſſideat ſub proprio dominio, ſine ullo cenſu adſtare, & fidantias, & juſtitias, vendentium & ementium reditus*: Cum hæc vox multos patiatur ſenſus, hic videtur triburum. & præſtationem ſignificare.

Financias. p. 31 col. 2. e. *Financias.*

Finum. 104. col. 2. e. *Argentum finum*, id eſt purum, *Argent fin.*

Firmantia. 85. col. 1 b. Aliquando ſunt mulctæ pecuniariæ, & præſtationes quas domini a vaſſallis exigunt, ut loco indicato: *quod nec ego... vel hajnius noſter...* *in prædicta civitate... firmancias accipere, vel aliquas juſtitias poſſit vel debeat exigere, vel exercere.* At p. 58. col. 2. b. *Cognitionem vero firmantiæ adjaſ.. in nobis retinemus, cum autem com... miles* (lege *comes* * & *miles*) *de alio milite vel qualibet de populo firmantiam acce, erit, p o ſe & pro aliis conſulibus accipiat*: Hoc loco per firmanciam videtur intelligenda fidejuſſio. vel fidelit.

Fortiæ. p. 51 col. 2. c *Epiſcopus tunc comiti bona fide reddat p. ctamentum, turrim rotundam... & alias turres.* Forts. forteresſes.

Foura. 176. col. 2 a. *Et le lo loco venit in fouram, quæ eſt juxta vin & de ipſa vinea uſque ad illum faig.* Suſpicatur legendum *foveæ*, pro foura, quæ vox omnino ignoratur.

Friſca. 93. col. 1. e. *Per omnia de ſupra ſcripto caſtro, & de omnibus appendiciis ejus, quæ pertinent ad meam... fr, cam.* Terre en friche.

Fuſta. 103. col. 2. c *Quod ſi nobis fuſta fuerit neceſſaria, pro conſtruendis, ac adificandis domibus, ſeu ingeniis, &c.* fuſtaye, *unde vulgo*, bois de haute fuſtaye.

G

GAdium. 107. col. 2. e *Quantum de ipſo teloneo vel fiſco injuſte ablatum fuerat, ipſi... pro eorum gadio.... in omnibus ſuis gadiis confirmaverunt.* Hic gadium pro pignore ſumitur, & vadio.

Ganneriis 123 col. 2. e. *Servientes, gannerii ſive apparatores.* Ganneriis hi ignoti niſi ſint ganterii, quos idem fere eſſe ac nobiles lego in Cangiano dictionario.

Garniſio p. 11. col. 2. b. *Ad opus garniſionum noſtrarum.* garnison.

Garricæ p. 53. col. 2. a. *Cum pratis, garricis aquis*, garricæ, garriciæ, garrigæ terræ ſunt incultæ.

Gauſita 72. col 2 c. *Debent tam in & eſſe tam in temporalibus quam in ſpiritualibus omnes fruſtus, gauſitas, redditus & obventiones dicto caſtro.* Deſideratur in Cangiano gloſſario, uti plurimæ aliæ voces a nobis notatæ; nec alicubi legi hanc vocem.

Gentes. 12. col. 2. b. *Gentes conſilii hominum noſtri regis Pariſius ex fienti*: Adhuc hic modus loquendi retinetur in litteris regiis: *Les gens tenants nos Cours de Parlements.*

Geramenta. 161. col. 1. c. *Fundamenta demum jacient eccleſiæ conſtruendæ villæ adificandæ per geramenta compoſita.*

Govarentiam 176. col 2. c. *Promittimus govarentiam facere de toris ..* (leg. ſine) *ingannio*, garantie.

Graffarii, graphiarii. 124. col. 1. a. *Greffiers.*

Grangiarii, p. 91. col. 1. c. *Grangiarii fuerit* (monachi) *ve. claſtrales.* Grangiarii dicebantur, qui extra claſtrum in villis, & *grangiis* degebant & operabantur.

Guardela p. 17. col. 1. a. *Cum uno prato de illa guardela.* Multum debebo ei qui me docebit quid ſit *guardela.*

Guerpitio p. 36. col. 2. e. & ſupra, guerpivit, Abandon, abandonner Idem ſignificat werpitio.

H

HOmagium, habemus formam homagii. pag. 97. col. 2. e. *Ego Ildefonſus comes. & ſucceſſores, debemus vobis quæque Elaurenſi archiepiſcopo homagium facere, & jurare illam urbem, & membra, & corpus ſuum, & caſtellum, & claſtrum Avelanenſe, & caſtellum de Sanctis, & caſtrum de S. Amantio; ita quod ego non auferam illa, &c.*

Homagium ligium. 121. col. 2 c. *In mutatione domini, vel vaſſalli teneantur facere homagium ligium ſimplices, & jurare fidelitatem, cum illis articulis... ad videlicet dictus epiſcopus & ſucceſſores poſſint ſuum vexillum ſeu hameriam ponere in ſignum dominii & recognitionis dicti caſtri, ſeu in fortalitio.*

Homo. p. 41 col. 1. e. *Ipſum recepimus in hominem noſtrum; & ipſi promiſimus quod eum, & omnes homines ſuos, & terram, &c. cuſtodiemus.* Inde hominium derivatur. Itaque homo hîc eſt quaſi *vaſſallus.*

Honor pro feudo. pag. 3. col. 2. b. & c. p. 5. col. 1. c.

Digitized by Google

Aliquando etiam quæ percipiuntur ratione feudi, ut laudimia, *lots & ventes*, honores vocantur.

Hortalitia. 145. col. 2. c. *Hortis, hortalitiis ceteriſque officinis.* forte *jardinages.*

I

Impinctio, pag. 44. col. 1. c. *Poſtmodum ſuaſionibus & impinctionibus, ut ita loquamur, domni Hugonis.* Ex quibus eruimus impinctionem eſſe impulſionem efficacemque ſuaſionem.

